
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

http://books.google.com



Ex libris Bibliothecæ quam Illustrissimus Archiepiscopus & Prorex Lugdunensis Camillus de Neufville Collegio SS. Trinitatis Patrum Societatis JESU Testamenti tabulis attribuit anno 1693.

Digitized by Google

Goldast

(Melchior)

8 vol


Digitized by Google

Digitized by Google

107085

MONARCHIA
S. ROMANI IMPERII,
siue
TRACTATVS

DE IVRISDICTIONE IMPERIALI SEV Regia, & Pontificia seu Sacerdotali; deq; potestate Imperatoris ac Papæ, cum distinctione vtriusque Regiminis, Politici & Ecclesiastici:



Ex singulari mandato aut permissu

JMPERATORVM ROMANORVM ET GRÆCOrum, necnon Regum Germaniæ, Galliæ, Jtaliæ, Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, &c.

A Catholicis Doctoribus conscripti atque editi; & nunc iterum ex tenebris producti, recensiti, ac oppositi Tractatibus eorum, qui vtramque Potestatem in spiritualibus & temporalibus aut adulatoriè aut imperitè confundunt;

Studio atq; industriâ

MELCHIORIS GOLDASTI HAIMINSFELDII, &c.

Cum ELENCHO singulorum Tractatuum post Præfationem posito: & INDICE rerum ac verborum memorabilium ad calcem adiecto.







HANOVIÆ,
Typis Thomæ Willierij, impensis Conradi Biermanni & consort. MDCXII.

Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIMO PRINCIPI,

DN. JOHANNI SIGISMUNDO, MARCHIONI BRANDEBVRGENSI; S. ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI; DVCI BORVSSIÆ, IVLIÆ, Cliviæ, Montium, Sedini, Pomeraniæ, Cassubiæ, Wandaliæ, & Crosnæ ac Carnoviæ in Silesia; Burggrauio Norimbergensi; Principi Rugiæ; Comiti Marchiæ & Rauenspurgi; Domino Rauensteini, &c.

Domino meo Clementissimo.



DE Maiestate Imperii, PRINCEPS ELECTOR, quam *maiorem statum* Politici & Iurisprudentes interpretantur, & olim inter Gentes variè decertatum fuit, & hodie apud Christianos acerrimè controuertitur: hinc Imperatore cum Regibus & Archiprincipibus Electoribus, illinc Papa cum Cardinalibus & Episcopis, eam sibi arrogantibus. Diu summa Imperii penes Papam Romanū remorata est: donec Græci primùm, dehinc Occidentis Principes cœperunt velle repugnare. Etenim quum duo sint, quibus (ipso Gelasio Papa teste) genus Christianum regitur, sancta Maiestas Regia & sacra Cura Sacerdotalis, alterā alterius auxilio vegere, non misceri aut in vnum confundi debet. Imperator est Pontifex Maximus, hoc est, vt Magnus ille Constantinus Imp. de se dicere solitus erat, τῶν ἐκτὸς Ἐπίσκοπος, *rerum exteriorū in Ecclesia Episcopus ac Inspector*. Res autem exteriores in Ecclesia sunt (quomodo mihi persuadeo) defensio Ecclesiæ, custodia disciplinæ Ecclesiasticæ rectè atque ordine gerendæ, Conciliorum indictio seu Synodorū, sanctio Canonum & Decretorū, emendatio cultus diuini, abrogatio superstitionum & idololatriarum, obseruatio cærimoniarū Ecclesiasticarum, notatio vitæ & honestatis Clericorum, punitio impiè ac flagitiosè viuentium, Ministrorum Ecclesiæ positio & depositio, & si qua sunt alia id genus, quæ alibi à me nuper prolixiùs commemorata leguntur. At verò Papa est, si propriè velimus loqui, Sacerdos siue Presbyter Summus, id est, τῶν εἴσω τῆς Ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος, *rerum interiorum in Ecclesia Episcopus atque* (vt ita dicam) *Superintendens*. Res autem interiores in Ecclesia esse videntur an-

Digitized by Google

nuntiatio verbi diuini, pœnitentiæ prędicatio, administratio Sacramentorum, potestas clauium, visitatio infirmorum, & consimilia. Hæc officia ita inter se discriminantur, vt certos ambo habeant fines, quorum respectu iidem sibi inuicem Imperator & Papa, & præesse & subesse diuersis possint rationibus. Namque Imperator Papæ subesse autumatur in rebus Ecclesiæ interioribus. Hinc fors est, vt intelligi debeat illud Constantini Magni dictum ad Patres Concilii Nicæni, quod totiens aduersarii nobis ogganniunt: *A vobis habeo iudicari*: Et quod Valentinianus Imp. ad Suffraganeos Ecclesiæ Mediolanensis scripsisse perhibetur: *Talem in Pontificali sede* (in Episcopatu Mediolanensi) *constituere procuretis, cui & nos, qui gubernamus Imperium, syncere nostra capita submittamus, & eius monita (cùm tanquam homines deliquerimus) suscipiamus necessariò, velut medicamenta curantis*, id est, Archiatri siue Medici. Præterea & illud S. Isidori Hispalensis dictum: *Principes non sunt supra Ecclesiam, sed intra*. Sunt enim oues de grege Ecclesiæ, quemadmodum non ineleganter Gregorius Nazianzenus ad Præsidem Prouinciæ dixit, inquiens: *Noui te ouem mei gregis, pecudem magni illius Pastoris, & supernè à Spiritu præclarè educatum, quibus à sancta & beata Trinitate iuxta nobiscum illustraris.*

Sic vicissim Papa Imperatori tenetur subesse in rebus Ecclesię exterioribus. Quò indubiè Symmachus Papa (si rectè mentem eius percipio) respexit, ad Anastasium Imperatorem scribens: *Defer Deo in nobis: nos deferemus Deo in te.* Et Pelagius Papa in Epist. ad Childebertum Regē Francorum ait: *Regibus nos subditos esse sacræ Scripturæ præcipiunt.* Et ante vtrumque idem ille Gregorius Nazianzenus: *Simus*, inquit, *subiecti & Deo, & inuicem alter alteri, & terrenis Principibus. Deo, propter omnia: alter alteri, propter dilectionem fraternam: Principibus, propter ordinis recti conseruationem.* Ex quo fonte scaturierunt illæ Gregorii Magni Pontificis Romani voces ad Mauritium Imp. scribentis: *Ego indignus pietatis vestræ famulus.* Et inferiùs: *Ego hæc Dominis meis loquens quis sum, nisi puluis & vermis?* Et paulò post: *Ego iussioni subiectus eandem legem per diuersas terrarum partes transmitto. vbique ergo, quæ debui, exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.* Ad quas voces allusisse videtur Wenceslaus Imp. in edicto suo asserens: *Nostrum ius Patronatus, ne vitium ingratitudinis incurrerent, plures antiquitùs Summi Pontifices optimè recognouerunt, Augustos* DOMINOS *appellantes, & eis in re & nomine reuerentiam, tanquam suis Patronis, exhibentes, vt diffusè in Registro Magni Gregorii, habetur, & dist. 63. cap. solo, & in volumine quodam Isidori Mercatoris.*

O tempora! ô mores! quantum nunc pontifices ab illis mutati sunt? Collapsus est ordo diuinitùs institutus, hierarchia turbata est, munium Ecclesiasticorum distinctio sublata, boni mores obsoleuerunt, gladius abscidit Ecclesiæ vinculum, & mater deuorauit filium primogenitum, id est, Imperatoria potestas à Sacerdotio est absumpta, & spiritualia cum temporalibus commutata cernuntur. Vbi est nunc sancta illa obedientia Regibus debita, quam tantoperè prisci illi Pontifices inculcare solebant? vbi seruus seruorum Domino suo Imperatori ministrare paratus est? vbi Principibus propter recti ordinis obseruationem obsequium

præsta-

Digitized by Google

præstatur? vbi leges, decretiones & sanctiones Magistratuum recipiuntur, vt ex cathedris templorum publicentur; quibusve ipsi Pontifices æquè, ac cæteri subiecti, constringantur ac pareant? Quod posterius mēbrum satis euidenter constat ex professione Leonis IV. Papæ, qua sese Lothario Imperatori purgauit in hunc modum: *De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Pontificum prædecessorum, irrefragibiliter custodiendis & conseruandis, quantum voluimus & valemus Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis, eum pro certo mendacem.* Et ante eum Gelasius Papa ad Rufinum & Aprilem Episcopos scripsit: *Quis leges Principûm* (erat tunc Romanorum Princeps Odoacer Saxo, aut certè Theodoricus Danus vterque Arrianus) *aut regulas Patrum, aut admonitiones paternas, dicat debere contemni, nisi qui impunitũ sibi tantũ æstimet transire commissum?*

Quam procul ab antiquis istis moribus ac Pontificibus, quibus res Ecclesiastica olim stetit, posteriores Papæ recesserint, & quanto deteriùs hodie sint ingeniati, vel me tacente, res ipsa loquitur, quæ in propatulo est. Atenim, inquiunt, belli isti Pontificum adulatores; Papæ antecessorum suorum decretis minimè adstringi debent, nec obsecundare tenentur. Quamborem autem? quia, aiunt, legibus soluti sunt, nec par in parem habeat potestatem. Hæc est istorum Cæsaromachorũ benè vetus & perpetua cantilena. Cui Imperator Fridericus III. Augustus maturè obuiam iturus in Comitiis Imperii Moguntinis A. C. N. DCCCCXLI. cum vnanimi Procerum consilio sanciuit: *Vt præmissa firmiter obseruentur, polliceatur Papa pro se & successoribus suis, se omnia præmissa & singula inuiolabiliter obseruaturum, & contra ea vel ipsorum aliquod in toto vel in parte nullo vnquam tempore innouaturum, decernendo initurum,* &c. statutis etiam pœnis ac censuris, si eorum limites transiliat. Et Maximilianus Primus Imperator, Princeps optimus, anno ƆCIƆX. in Grauaminibus contra Papam publicè per Imperium edixit: *Quod adseruandas bullas, pacta, priuilegia, & literas ab antecessoribus absque omni derogatione concessas, successores Pontifices teneri se nō arbitrantur; immò per crebras dispensationes, suspensiones, reuocationes, ad cuiuscunque (etiam vilis) personæ instantiam contraueniunt.*

Sed hæc ferri quadamtenus potuissent, si hoc fine malum stetisset, nec eò vsque progressa esset quorundam assentatorum impudentia, vt affirmare nihil erubescant: Papam esse vniuersæ mundi machinę Dominum, totius orbis absolutum Monarcham, in cœlestibus, terrestribus & infernis immediatum Vicarium & Vicedeum, Ecclesiæ vniuersalis Principē anormalum atque supremum caput, &c. cui omnes Imperatores, Cæsares, Reges atque Principes, quantum terra gerit cumque, in temporalibus ac spiritualibus subesse, & ad nutum eius viuere cogantur, siue prece, siue precio, siue precariò. Hæc sunt monstra verborum in Catholicâ Dei Ecclesiâ quondam inaudita; quæ nuper adeò ex nescio quo Tartaro Europam inuaserunt, & animos Christianorum ad pietatem & ordinariam subiectionem surgentes, veluti pestilente quodam sidere afflauerunt, semelque corrupta veræ obediētiæ regula stetit & obmutuit. Quis legit Prieratis, Poli, Sanderi, Pighii, Aluarezi, Vargasii, Bellarmini, Baro-

Digitized by Google

nij, Bozij, Pesantij, Stapletoni, Gretseri, Coquæi, & similiũ libros, & non commouetur ad verba tam inchristiana, in Deumq; ac Principes injuriosa? quippe quibus cùm diuina, tùm humana lædatur Majestas. In postremo Bellarminus libro, quem *de Potestate summi Pontificis in rebus temporalibus* aduersus Barclaium, Doctorem Pontificium in Academia Pontemussana, instituit, non eodem acumine & eruditionis colore, quo cætera ejus scripta legimus insignita pariter & miramur, hoc ponit effatum; *Barclaius potestatem summi Pontificis in temporalibus vniuersè negat; ego quoque potestatem eandem vniuersè astruam, nõ multum laborans, si ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extendat.*

Huic effato, minimè quidem (vt paret) Apostolico, de consilio ac sententia summorum virorum, PRINCEPS ELECTOR, opponere visum est scriptores ante-veteres & nunc-novos quasi triginta, qui illud falsimoniæ debeant arguere. Qui quamquam nec genere dicendi sint elegantes, nec in ipsis rerum argumẽtis omninò consentanei; tamen sermonis impuritas neminẽ purè doctum ab eorum lectione deterrere debet, nisi fortassis puerum aliquem scholasticum, cui hæc dogmata non sunt præscripta; & modum tractandi non olim vmquam inter vllos literatos constantem ac perpetuum, id est, vnum atq; eundẽ omnibus semper fuisse in confesso est. Theologos videamus, Dei præcones, & sacrorum cœlestium mystas: ecquis vmquam ex vllâ memoriâ, inde ab initio Apostolorum repetitâ, etiam inter sanctissimos primitiuæ Ecclesiæ Patres exstitit, qui non aut secum interdum ipse, aut ab alio dissenserit? Neq; tamen ideò nexum Ecclesiasticæ vnitatis solutum, vel fraternæ dilectionis vinculum fuisse dissociatum, in monumentis ipsorum obseruamus. Sciens ac prudens loquor; qui scripta SS. Patrum non indiligenter euoluẽdo id ita esse depræhendi. Et iam pridem olim asseuerauit vir suo æuo probissimus, Iohannes Vesaliensis, quondam Cathedralis Ecclesiæ Wormatianæ Ecclesiastes, cuius hoc certissimum propositum exstat in Paralipomenis Abbatis Vrspergensis: *Rarò reperio vel duos vnanimes literatos, etiam in fide. Nullus tenet mecum, dempto Euangelio, vbi omnes sumus concordes.* Si priscorum illorum Patrum, si maiorum nostrorum, si partim nostra consuetudo, liberam illam in meditando ac disputando, hoc est, in quærenda & eruenda veritate, discrepantiam in Theologis pertulit, nec damnandam censuit an iudicauit, quid de politicis quæstionibus dicemus, in quibus nullum fidei periculum versatur? Fieri hoc amat, vt nonnunquam alter alterius sententiam, etiam amici, vellat atq; improbet. At non continuò damnantur, quæ improbari solent: quorum hoc est dissentientis, illud deuouentis atq; exsecrantis. Scopus idem est omnium ac singulorum, in quo cuncti, quos hoc Tomo complexus sum, Catholici scriptores, bellè conueniunt & conspirant amicè ac concorditer; nempe Papæ Romano nullum imperium esse in Ecclesias Christi; nec vllum ius in Imperatorẽ, Reges ac Principes orbis, siue illud parasiti Romani absolutum esse velint cum Bozio, siue subordinatũ cum Bellarmino. Erunt forsitan, qui obiecturi sint, à Bellarmini opinione non abire Achillinum, Rossellum, &c.

qui

Digitized by Google

qui non obscurè subordinatæ Pontificis iurisdictioni, quam Barclaius præcisè negat, patrocinari videantur. Sanè ita est, neq; eo inficias: sed rationem dicit Gerson, magnus ille Academiæ Lutetianæ Cancellarius, quam ego vero vincere possum; *quia tantum respiciunt decretales Pontificum cum glossis, allegationibus & concordantiis.* Equidem ipse Rosellus apertè & ingenuè fatetur, non suam se, sed decretorum Papalium, sententiā sequi. Tollamus pessimum istud fundamentum, cui superexstruxit, & corruet parietina illa labes è tanto ædificio. Me sanè argumenta illorum mouere nihil possunt, quæ tota, quanta sunt, à suspectis Paparū decretalibus pendent. Quamobrem (meo quidem animo) non ineptè faciet, qui temperamentum adhibeat ex aliis in hoc Tomo positis Tractatibus, quorū auctores quid de Papalibus illis decretis sentiendum sit, luce meridiana clarius demonstrant.

Hosce ergò Auctores, PRINCEPS ELECTOR, meâ industriâ atq; operâ renatos, Serenitatis Tuæ nomini dico atque consecro, vt in ijs, ceu in pellucido aliquo speculo, imaginem controuersæ doctrinæ per ipsos octingentos annos contemplari possis, & simul videre, à cuius partibus stet sincerior fides ac veritas, ab Imperatoréne & Archiprincipibus Electoribus, an à Papa & Cardinalibus. Docebunt insuper Serenitatem Tuam, quid sacratissimo Imperatori à Papa, quid vobis Principibus ab Episcopis & Clericis præstari debeat. Scriptores sunt non Luthero, non Caluino suppares an addicti, quippe qui pleriq; ante natum vtrumque claruerint: & qui posteà vixerunt, ab Romanæ Ecclesiæ societate ne latum quidem vnguem, excepta hac Primatus controuersia, defecisse ex ipsis eorundem scriptis manifestum fit. Quæ vbi Serenitati Tuę, PRINCEPS ELECTOR, non ingrata fore intellexero, magis diligentiorem operam nauabo, vt propediem maius opus videas quadragintā & plurium Auctorum, qui per annos ∞ccc. in Ecclesia Christi sese Pontificiæ tyrānidi, veluti murum pro templo Dei, & scutum pro legitimo magistratu obiecerunt. Hos interibi in antecessum dare placuit, vt Serenitati Tuæ commendent, in primis Dei OPT. MAX. gloriam in conseruādo ordine ab se instituto, & S. Romani Imperij iura, ad quæ cum cæteris Archiprincipibus Electoribus tuenda ac propugnanda sacramento vadatus es; tum etiam ipsius sacratissimi Imp. Maiestatem, auctoritatē Regum ac Principum, honorem patriæ & vtilitatem Reipublicæ.

Scripsi Francofordiæ ad Mœnum, a. d. VIII. Eid. Septembr. A. C. N. ∞ IↃCXI.

Sereniss. Celsitudini T.

Devotus Cliens

MELCHIOR GOLDASTVS
HAIMINSFELDIVS.

Digitized by Google

ELENCHVS
Tractatuum in hoc Opere compræhensorum, iuxta Auctorum, quo quisq; tempore vixit, seriem.

GERMA-

Digitized by Google




GERMANÆ MAIESTATIS VINDICI

MELIORI GOLDASTO ab Haiminsfeldt.

AMICO INCOMPARABILI

CASPAR BARTHIVS EQVES BRANDEBVRGICVS:

Accinit:



DII rerum indigetes, quorum famulantia jussu
Astra pari immensum decurrunt circite tempus
Vt rata perpetuò constent sibi momina nutu
Secliregis appensa rotis. unde ordine fixo
Limes agat certis distinctas cursibus horas:
Vnde extra numerum diis concredita signis
Fata regunt certis mortalia tempora metis:
Tuque astrorum ingens claris moderator habenis
Sol, oculus mundi, cuius Natura superbo
Intuitu fœcunda omneis pote gignere formas.
Vivifica fomes flamma, genitabile fulgur
Verus amor Domini, per quem florentia vitæ
Semina descendunt cælo, lunaria præter
Lumina & immensum latè dominantur in orbem.
Come diem meliore coma, nitidique iugales
Auroram læto florentem fulgure vincant.
Illa quidem optatam cernens consurgere lucem
Iamdudum aurato cælum crispabat amictu,
Cum veteri è pædore seneis exscendere canos
Debilis agnoscens mundi ter lumine plausit
Gratiuido, noctemque novis concedere iussit
Læticiæ numeris, per quos ipsa invia quondam
Auribus humanis, diis concentibus astra
Excutit harmonia, vt longo concordia tractu
Carminis æterni mundum squalore vetusto
Exsuat, optatosque palam det cernere cantus.
Nimirum illa dies fatis volventibus instat
Aurea qua demum, generoso excocta metallo
Secula, barbariem ferri, cum pondere duro
Temporis ærati abiiciant, nec stamine lusco
Invideat fulvis votorum argenteus ordo
Quippe adeo longum tenebris infecta situque
Pallida, Roma levat caput extra nubila, & olim
Desponsum, verè iam nunc affectat Olympum.

††

Divorum Imperii sedes, contermina aulo
Vrbs, orbis Domina, & magni cognata Tonantis
Natura ingenium, soboles fœcunda Gradivi,
Cuius in immensas latè subsidere laudes
Optimus in numeros dudum confessus Apollo est.
Cum iam omnem sacris devinctum legibus orbem,
Fascibus æternis constringere posse putaret.
Ipsa suum in gremium pondus fatale recepit
Pestiferæ sobolis, per quam nec iura, nec ausus,
Nec Pietas certis constaret tuta catenis.
Sed lubito obscœno turpans Babylonia Thais
Iusque piumque, ultro Regum se vertice sistit
Infandam dominam, philtrisque potentibus usa
Incestat specie recti, florentia dudum
Sceptra Deûm, lentè inspirans lethale venenum.
Qualis in immensis solus dominatur arenis
Pestifero afflatu Libyæ Basiliscus, & ingens
Turre caput triplici levat exitiosus in auras.
Exsangues illum campi tremuere, comasque
Vel procul adspecto silvæ posuere virentes.
Ille sibi gradiens latis decrescere gaudet
In mortem spatiis accisa semina vitæ.
Nec iam adeo exanimes curat pallescere tractus
Qui metuunt alio deducta ex ore venena.
In proprias bacchatur opes; non Scorpius illum
Non impunè videt geminabilis Amphisibæna
Non volitans alâ lethalis peste Sagitta,
Non quicquid Natura timet, cum sidere pullo
Inspexit Titan terras, taboque cruento
Invisas formas mortalibus extudit horrens.
Non aliter Romana, tripla caput aucta corona,
Infandum populos virus dispergit in omnes.
Ipsa sui vix iam de fulmine tuta veneni,
Chaldæo prædicta seni, tristissima Thais.
Insidet Europæ campos, sceptra aurea regûm
Pallenti involvit tabo, viresque Potentum
Arbitrio adspectus, alios derivat in actus.
Hesperii insessor mundi, tristissime serpens,
Ecquid in hac tanta securior arte nocendi
Naturam spernis, duplicatam à fraude veneni?
Verum equidem, quodcunque malis influxibus æther.
Fatidicúmque senûm iunxêre oracula, vestro
Ingenio victum, maiori crimine noxam
Congeminare palam facta infelicia clamant.
Vel divinam Aquilam, victa qua conscia Roma
Germanos proceres genti exæquasse Deorum
Cernitur, eluvie quali & sordentibus umbris
Hactenus indutam temerasti inglorius auctor
Infortunati Canonis, quo civica Iura
Conspurcas, terræque genus cælestibus armis
Concubitu immisces furtivo, vt Legibus orbis
Imperii quondam iusto temone ligatas
Crimine solvatur fœda meretricis avaro.
Quod si adeo infando placuisset scindere ferro
Iura hominum, Paleisque sacras involvere frondes,
Saltim aliquid salvâ statui ratione decebat.

Nunc Ex lex, pretio venalia vendidit ora
Pontificum iuratus honos, mendica refixit
Iura cui semel est vel paullum attonsa culina.
At si illo quoque fine ferox insania sæva
Fixisset furias obscœno Thaidis æstro.
Incurrit vitiis, Maiestatemque rebelli
Cæsaream incestat stimulo, Regalia raptu
Iura sibi adscribens, indesignataque priscis
Castra super regum ponens cervicibus altis.
O Germanus honos, ô dudum degener, ex quo
Imbellem, infandum, Bullis levia arma moventem
Suppositâ venerare manu! Tibi Martius ensis
Italiam rerum dominam, tibi Gallica regna
Pugnaceisque ensis victor subiecit Iberos.
Vt demum opprobrium mundi, famosa meretrix
Sordibus erepens patriis, & Stercore avito
Impositis pedibus premeret victricia colla?
Non aliter quam cum divino concitus æstro
Dirupit Philisæum acies Mavortius Heros
Isacidum quondam fortissimus, illius uno
Contremuere graves ictu & cecidere catervæ.
Postquam arma insumsit, blando deceptus amore
Virginis in collum turgentia sanguine flectit
Brachia, terribilis donec coma forcipe molli
Decidit & Solem moribundo lumine fugit.
Sic tua de victo rediens Victoria mundo
Par superis, Solemque uno complexa triumpho,
Consedit tandem fœdæ meretricis in armos,
Proch, pudor: ô veterum vi quis generosa parentum
Pectora restituat tumulis, Pietate severâ
Qui coluere Deum, quanto cum turbine molles
Excutiant frænos, & fœda repagula calcent
Sed quid ego infesto molitus didere cantu
Antiquos evolvam atavos. cerne inclyta secli
Corda tui, quibus ingenti perculsa dolore
Erumpunt generis vltro monumenta vetusti:
Cerne adeo GOLDASTUM *atavis atque ore potentem,*
Helvetiæ sobolem stirpis, liberrima cuius
Et calamo & dextrâ cupiunt evolvere vota
Eluvie tristi patriam. quo ille impete dudum
Exsangueis famulos, atque offis vendita dudum
Nomina deiecit, quam non meruere, cathedrâ!
Vindiciis cuius Latio depulsa guberno
Germanos agnoscat heros, agnoscat honorem
Cæsaris, ingenti supplex prostrata Deorum
Roma ferox generi. mercato Loiola cultu
Exeat in silvas & tintinnabula iactet.
Cæsaris est supremus honos, dare gentibus arma
Et data iustificis premere atq; abscondere iussis,
Cæsareum est. ne quid capiat Respublica damni,
Ne trahat attonitis huc atque huc partibus orbis
Fortunâ fatum contra pugnante, ruinam
Prospicere. & lapsas ultro instaurare columnas
Cæsareum est. Quid fœda, animis mulieribus audax,
Barbariem effundis Soli, Babylonia Thais?
Tu, si quidem fatis huc infœlicibus acta es,

Corporis invigila poliendi, prodiga, cura
Semivira ut placeas Secta, cui Loiola nomen
Pestiferum dedit, ipse odiis hostilibus ardens
Contra iura hominum, contra Regesq; Deosq;
Attyos igne suo miscens agnomen, ut olim
Bacchantem populo in medio & resona arma moventem
Agnoscat procul & Cybele Romana triumfet.
Stabimus invicti, contra nos barbarus Ensis
Conducti veniant Mauri, Germania pridem
Erubuit meretrice regi. Quid pallida rodis
Murmura, & ignaras contra fremus, impiè dextras
Nescimus pugnare tibi Tua nomine solo
Vsurpata palàm calamo benè iura retundit
Helvetiæ titulus gentis, GOLDASTIA *Peizo*
Illa legens retro veterum vestigia Patrum
Cæsareis vindex titulis, vanissima gentis
Loiolæ calcat iactamina; Ne quid inultum
Impunè ingenteis veniant latrare molossi,
Confutat quodcunq; ferunt. Præscriptio longos
Aedificat libros. Ecclesia dicitur, hic est.
Secula tot nostris nugis decepta, vetustos
Confirmant ritus, & Romanensia captant
Suppositis manibus, nullo cogente, piacla
Hoc tumidi Buccæ, balatronum exercitus omnis
Omnibus in triviis, iactando, barbara rumpunt
Ilia: quid verè sirat hæc præscriptio, quot sit
Interrupta modis, quam sæpè exercita, postquam
Publicitus reuelare oculos Germania capit
Ante etiam quam quis vulgo tibi credere possit.
En apperit GOLDASTVS, *& irrevocabile pondus*
Pestiferæ innectit sectæ, quo pressa vetustos
Agnoscet Dominos & Cæsaris arma timebit.
Tu GOLDASTVS *eris, tibi cum mortalia soluent*
Membra, Deæ tumulum super auricoloribus alis
AEternus servibit honos, tibi gloria palmam
Nectet, adorata laurus, tibi vivida semper
Fama novam prolem veteri producet ab igne.
Qualis ab Assyrio longævus palmite Phœnix
Aeternum instauret corpus cum mille senectam
Indefessam annis divino senserit astro,
Provocat agnati sobolem Iouis; illicet alto
Vivificis radiis pluit immortalis Olympo
Ignis, & in cineres Phœbeia lampas amatos
Fœcundis venit in lecebris. vix mortua torpor
Membra palam linquit, dicto volat ocyus ales
Ignicolor, mundumq; nouo clangore salutat
Excipiunt plausu superi, vix contigit vni
Mille hominum è populo sanctam cognoscere vocem
Harmoniæ soboles genitor prolesq; suæq;
Stirpis avus, volat aurato per nubila tractu
Par superis ales, manet indelebile nomen;
Gloriaq; è tumulo nunquam peritura resurgit
Talis honos, GOLDASTE, *tuus: tibi nomen ab auro*
Assyriam præsignat avem, tua Fama per ignes

Descen-

Digitized by Google

Exscendens tumuli feret intemerabile laudum
Remigium cœlo, & superis miscebit honorem,
Te cum cana cinis fatali tempore soluet
Cœlestis circum Harmonia irresonabile carmen
Et saliet choreis & læto pectine plaudet.
Immortale decus secli, cui fata dederunt
E veteri pædore graueis attollere vultus.
Qualis in immensis domibus volitantis Olympi
Aeterno Cælorum Operi modulabilis Eccho
Assonat, acceptamque refert cum fœnore vocem.
Tali Posteritas soluet tibi carmine grates,
Imperii qui Iura, graui lurore, tenebris
Tradita, restituis radiis Hyperionis alti.
Nec tibi fœda vmquam moueat Liuore dolorem
Inuidia, aut diis pallens absterreat actis.
Si non grata suis incumbent secula damnis
Et mortalis honos meritum graue nesciet: ipse
Omnipotens meritis reddet tibi præmia tantis
Digna; cui seruis, cuius vice Romula Iura
Concilias Germano Operi, meretricia regna
Extricas mundo, seruiliaque arma extundis.
Nos vtinam in parteis talis concedere pompæ
Fatorum non nollet amor. Rapiam arma, grauique
Loiolas ausu citra Romana retundam
Castra, quibus Latii credunt transcendere fines.
Vt subito moles interpellata petauro
Excutitur, longoque secat caua nubila iactu,
Fulmineo donec depulsa furore, residat.
Artibus è mediis quarum se arcana lupata
Et regere, & rectas aliis dare posse catenas
Falso adeo iactant, sublatos æthere nudo
Discutiam exsangueis vmbras, quæ tegmine multo
Diuinas fingunt volucres, cum obscæna sepulcra
Nocte colant media atque infelicissima cantent
Omina, regali quibus est excussa cathedra
Sæpe manus procerum, sæpè & prouincia in ignis
Consedit miseros, ipsi cum pantice pleno
Lurcentur delicta hominum, nec sidera cessent
Contemerare odiis, dum pro Pietate tumultus
Exanimes mouisse volant. Proh perfida mundi
Crimina! queis olim iam fessa & pallida crebro
Funere Tisiphone cum successoribus vsa est
Dicitur alterius victa ditione sororis
Mundum inuoluendum subitis cecinisse tenebris
Exitus arrisit Conamina. feruidus Ensis
Instruxit furcas, atque vltio longa pependit
Dum Pietas paucorum hominum, sublimia fata
Sustinet & sceleri crebro, per vota parentat.
At nisi Posteritas studiis auersa nefandis
Vltro aciem gladii, Domini quam dextera vibrat,
Et precibus vitaque volet deuertere recta,
Loiolæ sunt Pœnæ hominum, per crimina crimen
Vlturus rerum Domini furor, impia dudum
Secula in infandas proturbat perdita sectas.
Nil adeo scelerum, suprema in tempora rerum

Digitized by Google

Sperandum est Diris, ex quo notescere vulgo
Obscæni incipiunt Patres. Simulamine longo
Lusa fefellerunt, picturatisque figuris
Tempora, cum paucis pietas adsurgere contra
Feralemque aperire chorum & Cybeleia festa,
Orgiaque Actæis non inficianda cynædis
Diuino iubet afflatu. Pallentia cedunt
Ascylti veteres curti fragmenta PetronI.
Hæ lemurum facies, Sic sunt imitantia larvas
Carmina, quæ Socio defendunt scripta Neronis.
Quotidie qui facta, negant notescere vulgo;
Affectus cuncti, mortalibus externatis,
Eiurant miseros. vt nullo iudice secum
Exercere queant, quæ tot & crimina culpant.
Instituunt igitur lentis cænacula muris
Anfractusque inopes lucis, obscuraque quærunt
Concilia, atque oculos primum pro testibus illis
Suffugiunt, quos nulla potest depellere fando
Suada potens. Inde in longas discedere terras
Sponte volant, quotquot veteri inuenere sepulcro
Corpora, restituunt vitæ. nec credere quisquam
Præter eos potis est, qui tanto examine nolunt
Hinc strue sublimi crescit mendica papyrus.
Implorantque Fidem miseri, qui Numine læso
Vix auibus dignas possunt implere tabellas
Furtificis dictis, vt iam pro paupere rhombo
Conducat cartas diues Cocus, illæ vbi solum
Bibliopolarum nares pallentis odore
Contigerint Socii. Si quis conuicia dictat
Et foris dignos titulis inscribit Elenchos
Hic legitur. qualis Baletronum triga quotannis
Prostat ad officium. Clari persona Bonarsci,
Sangaq; prostibulum, nec puri Cratserus oris.
O stirps Sacra Deum, labentis destina secli,
Vindex Sancte æui, stirps Haiminsfeldia, quis te
Oppositum tantis possit tibi credere monstris?
Tu Domini virtute viges, tibi Purus ab alto
Spiritus inspirat mentem, Genialia dudum
Astra loco furiis movet infandissimus ordo.
Stas tamen. & manibus puris venerаris Olympum
Desitaque antiquis atauorum à moribus vltro
Sacra paras puramq; Animam Cœlestibus indis
Conciliis, vt dicta Dei tecum ipse revolvat.
Sic furias contra, contra Pallentia noctis
Regna animum obfirmas divino tutus amore.
Noui equidem, dictisq; tuis mens addita crevit,
Crevit & immensis par est sibi visa Deorum
Remigiis, cum verba mero stillantia melle
Ruminat: ah miseri, vanas pugnatis in auras.
Hic Deus est. Exite procul. procul ite profani.
Quamquam animam in tantos liquendam traderet actus
Consilium Domini, fœlix Goldastus abiret,
Parque illis quorum fœlici Ecclesia cultu
Nomina perpetuum sacrata infixit in annum.
Macte animi his verbis. macte hac Pietate per ignes
Per furias per saxa, per irrevocabile fatum

Tutus

Digitized by Google

Tutus eris, tibi in auxilium manus arma Iehovæ
Deproperat, tibi sancta Fides Clypeumque Iubasque
Suggerit, ensiferam gladio Prudentia dextram
Induit, in galeâ conum Constantia servat.
Sobrietas pectus ferrato munit amictu
Hasta pudicitiæ donùm memorabile longè,
Exercet timidos hostes bilemq; resignat
Robore mentem animi magno Patientia firmat,
Tranquillaque manu motus componit, & unâ
Fortem utramque docet facie perferre volentem.
At trepidi in nebulis & iam sua facta paventes
Lerolæ excedunt campis, Clypeataque iactant
Brachia, iam gladios nescit temerarius ardor,
Sponte iacent, fœdaque aciem rubigine turpant.
Illos Cura penes. Metus est, & iniqua Doloris
Congeries, tot monstra, Erebo quot lurida quondam
Nox peperit tristisque obstetricata Megæra est.
Ante omnes stimuli malè conscia pectora turbant,
Irarum insidiarum, in opacâ nube Dolorum,
Hinc pallor, certoque loco consistere testem
Nescia meus verita, & proprio concisa tumultu.
Pone sequens caput anguineum fœtumque cerastis
Alecto intentat magno stridore flagellum
Instanteisque aperit Pœnas. Hunc impete torto
Præcipitat rota porpetuò revoluta recursu.
Illius ex sangueis artus & pallida dira
Morte Prometheæ volucres omenta fatigant
Obscœnisque instant rostris, & viscera tundunt.
Parte aliâ vindex cæsorum Extra omnia iura
Iusticia exercet lancem, & stricta orgia ducit.
Quod quisque in vitâ Domini fecisse ministris
Dicitur, & multo cruciamine corda piorum
Affecisse diu, patitur sine fine per umbras.
Hîc adeo in densa suspensos nocte videre est
Mortales quondam lemures, quibus apta figura
Defunctorum animis, per opaca silentia bustis
Insultare solet, miserosque hac fraude parentes
Decipere, ut charis statuant super omnia natis
Pervigiles cantus mystarum, ut pantiee pleno
Sacrificæ possint meditari ululamina larvæ.
Hos circum obscœnæ volucres bachantur in umbris
Effictosque sonos, mentitaque murmura reddunt.
Mille Extra numerum mortes per opaca vagantur,
Excruciantque feros, terrentque & porro relinquunt
Ne qua è tantorum spes finis mole laborum
Excipiat miseros, nec pausa sit ulla dolorum
Non procul ille siti flagrantia sustinet ora
Perpetuisque inhiat fluviis, quos flamine pullo
Ventus agit sursum, captantique invidet æstu.
Hunc miserâ in vitâ torsit ferus ardor habendi
Per fas perque nefas studio bachatus inani
Hæredum insumsit ventura in gaudia vitam.
Quid reliquos opus est male compto includere versu,
Hic Sodomita libido levi succincta crocota
Infandas patitur flammato in carcere Pœnas.
Hic aliud genus & vitio maiore cavendum

Digitized by Google

Sola cui superest Ignati secta, vagatur
Perpetuis circum sua fata furoribus, atque
Omnem extra finem lamnâ Candente notatur.
Cætera quis longo possit deducere versu,
Omnia Lajolæ queis secta ferocis abundat
Criminibus, superis odium implacabile jurans.
At Chorus ætheriô multum de flore Beatæ
Participans vitæ, roseo velatus amictu
Exercet Choreas, pedibusque ter impete docto
Grata sonat superis, resonat que volubile carmen.
In medio cuius Vindex GOLDASTUS *Honoris*
Imperii, cui tota sacris Ecclesia dictis
Consonat, instaurat fidibus modulamina doctis
Circum candidulis evincti tempora tæniis
Antiqui Heroes, jam credita nomina cœlo,
Quorum ille indigetes animas è nocte revulsas
Producit cælo, radiisque nitentibus auget,
Ore canunt pleno grates & carmina dicunt.
Carmina Victoris quondam debentia nomen
Per VIGILI *curis, qui nunc ætate nitente*
Moribus infandis odium debere fatetur.
Hi Babyloniacos fastus, meretricia pandunt
Regna sacræ Larvæ, quæ nunc super omnia diris
Exscensura modis, regum in cervicibus altis
Obscænos fixit gressus, pedibusque profanis
Regna quatit rerum, nec cardine sistit in uno
Infanda Ambitio perituri monstra, tyranni.
Attrahit in frænos mundum, quin summa tonanti
Sceptra manu tentat, dirum, violare profana.
At pater omnipotens certis inscribere metis
Bacchantis furias recolens iussisse prophetas,
Tela manu levat alma, venit iam fulminis alis
Succinctus, vindex rerum, divinus Elias.
Illius obtutu Corybas clamosus in antra
Antra situs prisci refugit. Iam vertice triplo
Excidit, & non vult sceptri meminisse, corona.
Exsangues circum catuli, quos Lojola misit,
Fragmina constipant, mendicatoque tumore
Laidos in Laudes fractæ feralia dicunt
Carmina, vix trepidæ meretrici audita per umbras.
Concisum illa caput, fuci jam oblita vetusti,
Squalent eisque oculos levat, & sua funera magna
Præfica voce dolet. redeunt monumenta Superbi
Imperii, famuli quondam, nunc colla tyranni
Calce premunt, tenerosque elidunt sedibus orbes.
Tu, Pater omnipotens, cujus mala bestia nutu
Deserit imperium rerum, sensimque secuta
Prisca patrum sanctis oracula credita, libris
Exspirat mortalem animam, fœdaque volentem
Eluvie exonerat mundum; da maxima grata
Mente palam tua dona viro fateamur in isto
Helvetii qui floris apex, tristissima regna
Excutit, & Solem veteres deducit in umbras.
Ille tibi adscribit, qui de te fonte profectus
Irrigat arenteis hortos, tibi rivulus auspex
Perpetui floris multo viridaria rore

Fœcundat,

Digitized by Google

Fœcundat laudum unde tuarum uberrima messis
Succrescet pratis,cœlumq; attinget odore.
Tu miseros ad quos reditus fœx ultima mundi
Per tenebras per saxa,per ignem & marmora & umbras
Siste loco æternæ,te te sponsore,quietis.
Interibi quodcunq; mali pro parte virili
Quemq; iubes sufferre,tuo moderamine fautos
Ritè leva,& succede oneri quod ferre nequimus
Præcipuè tua cura velit depellere noctem
Qua modo Relligio crassis induta tenebris
Talipedat,surgumq; logis atq; actu deorsum
Præcipites animas spebus sæpè excutit Orco.
Da te sancta fides unum videatque colatque
Et mandata tua humanis secernat ab actis.
Te solum Pietas unum te norit asylum
Inconfusa umbris huc atque huc corda trahentum
Pro lubitu Babyloniaci Corybantis àmicûm.
Imperet ille sibi.Christo nos libera colla
Subiicimus,tanta qui nos pietate redemit.
Hos etiam tua qui spreto sacraria mundo
Expurgant lurore,velis servare ministros
Ne quà illis noceat sævus meretricis hiatus.
Te fruimur tutore,pater: Sine Numine vestro
Vix stipulæ,quas ventus agens medio æthere turbat
Ludibrium.Tecum æratis transcendere claustris
Possumus obiectas portas.Tibi sæcula longo
Victa situ emendat Pietas GOLDASTIA;per te
Tuta sit, & numerum cum iam complebit avorum
Tecum perpetuâ regnet super ætherâ vita.
Interea in terris, quas est evecta tibi cum
Astitit, & tua per docuit te oracula mundum,
Perpetuet,decorisque sui sibi conscia semper
Augeat inceptas æterno Nomine laudeis.





DISSERTATIO DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS; CVM ELOGIIS ET TESTIMONIIS EORVM, QVI HÆC scripta laudauerunt.

AGOBARDVS ARCHIEPISCOPVS Lugdunensis, & Primas Regni Aquitanici siue Arelatensis.

PApirius Massonus I C. & Aduocatus in Regia Curia Parisiensi, qui Agobardum ab interitu vindicauit, summam huius tractatus in Synopsi operum Agobardi hisce verbis complexus est: *Imperii pacis sedulus, memorq; ancipitis vitæ exitus, conuocato totius Galliæ conuentu Ludouicus Imperator in tria Regna discerpsit Imperium, summamq; Lothario contulit, adhibitis omniũ iuramentis (vt moris est) fidelitatis & obedientiæ. Desciscit Lotharius, Patrem inuadit, fauent Ecclesiastici huic Imperatori, cuius obsequiis iuramento sollenni fuerant constricti. Quibus cum Pater vellet pœnas infligere, Agobardus audacter respondet, eum fuisse illius tumultus & dissidij publici caussam, eò quòd diuisisset Imperium; & quod est audacius, profitetur apertè se obsequuturum Lothario, propter vinculum iuramenti* &c. Nicolaus Betsius I C. in tractat. de Pactis famil. illustrium, cap. 8. fol. 326. *Regnorum diuisiones, tam Regiis familiis, quam ipsis Regnis semper perniciosas extitisse, vt non sine causa Ioannes Tilius in Comentariis suis, de reb. Gallic. lib. 2. pag. 117. lin. 50. asserat, si appanagii ius & assignationum forma, quæ nunc in Gallica Regum familia obseruatur, in prima secundaq; familia similiter locum habuisset, & Regnum indiuisum primogenitis adhæsisset, satis firmum futurum fuisse Imperium Galliæ (quatenus humano iudicio fit probabile) ad instituendam & tenendam orbis Monarchiam, vti patet ex descriptione Regni Galliæ per Carolum Magnum amplificata, quale reliquit moriens, ab eius Secretario Eginhardo literarum monumentis consecrata, quam Tilius dict. loco subiicit, fferens istam familiæ tertiæ legem* (de vnione & integritate Regni seruanda) *sapientissimè latam, vt dissidia filiorum, bellaq; caueantur Reip. perniciosissima, quæ metuenda forẽt, si fas esset liberis contendere de parte Regni, vel assignationis augmẽto & vt coerceãtur quorundam Regum parentum studia, qui inclinantes in filios minores natu, fi p'us æquo assignaren illis, insolentiam eorum augerent, cum detrimento Regni* &c. Hincmarus Remẽsis Archiepiscopis, epist. 1. ad Ludouicum Balbum Imp. & Regem Francorum, cap. 4. *Mortuo Hludowico Imperatore, auo vestro, quidam de istius Regni Primoribus euocauerunt Hlotharium & Primores, qui cum illo erant, de Langobardia in istud Regnum. Et quidam de regni Primoribus fuerunt cum Carolo patre vestro, & quidam cum Hludowico patruo vestro. Interea cœperunt Regni Prim res, qui cum tribus fratribus erant, sigillatim certare de honoribus, quique illorum vnde maiores & plures possent obtinere: & parui pendentes Sacramenta de diuisione Regni facta, & plus certantes de illorum cupiditate, quàm de Seniorum* (id est, Dominorũ) *suorum & de sua salute, & de Sancta Ecclesia ac populi pace: qui cum Hlothario erant, immiserunt illum in hoc vt fratres suos exhæredaret, & Regni primores, qui cum illis erant, adnullaret, quoniam ipse primogenitus, & in nomine Imperatoris erat. Illi autem, qui erant cum Carolo & Hludowico, dicebant, quia Seniores illorum Hlutharii fratr s erant, & per sacramenta Regnum inter eos diuisum fuerat: & illi nec genere, nec potestate inferiores erant, quam illi, qui cum Hlothario erant, & ideo nõn se contra illos concrederent. Vnde mala multa & maxima increuerunt in terra, vsq; dum inter carne propinquos & Christianos tantum malum, & tam grande periculum in Fontanido deuenit, quantum inter Christianos non accidit ex eo tempore, quo primum Carolus cum Reganfredo in Vinciaco pugnauit. Sed non pro illa occisione, quæ facta fuit in Fontanido, pax in regno prouenit, sed tamdiu illa miseria*

inter

Digitized by Google

inter Christianum populum & carne propinquos mansit, donec, vellent nollent, & Seniores & Regni Primores in tres partes Regnum diuiserunt, & per sacramenta ipsam diuisionem stabilem esse debere confirmauerunt. Factum id anno Domini DCCCXLII. vt auctores sunt Aimoinus lib. 4. cap. 52. Aldhelmus Benedictinus in Annalib. Franc. & Rhegino Prumiensis in Chron. ad ann. 841. Nic. Betsius d cap. 8. fol. 333. *In magnis animis facile nascitur regnandi cupiditas, ex iniustitia vel etiam superioris intolerantia, vti contigit in filiis Ludouici Pii Imperatoris & Franciæ Regis, qui anno* DCCCXVII. *mense Iulio, Aquisgrani Regnum suum inter filios prioris matrimonii diuidens, duobus natu minoribus Regna tribuit, Pipino Aquitaniæ, Ludouico Bauariæ, eâ lege, vt tanquam beneficia ea ferrent accepta Lothario natu maximo fratri. Lex illa, mortuo patre, non fuit obseruata, sed irrita. Prælio enim Fontenai in agro Altissiodorensi commisso, res inter fratres transacta fuit, præsente Carolo Caluo eiusdem Ludouici filio ex secundis nuptiis, hac conditione, vt quisque partem suam cum summo Imperio & Regio nomine obtineret,* &c. Si Deo placuisset, vt sanctissima hæc constitutio (more humano loquor) conseruaretur, nec Pontificis Romani tyrannicas vsurpationes nunc pateremur, nec Orientis Imperium amisissemus, nec Turcarum irruptiones sentiremus, nec defectiones Prouinciarum & Regnorum doleremus, nec tot intestina bella, tot ciuiles clades, tot humanarum cædium myriades doleremus. Sed hæc fieri oportuit, vt conficerent ea, quæ Spiritus sanctus per diuinos vates prædixit fore, vt nimirum Imperia eorum, qui aduersantur Christo & vnctis eius, in vniuerso orbe grassarentur. Quod fieri nequaquam potuisset, si Imperio Francico sua sibi potentia salua atque integra, cuius viribus contrà niteretur, perstitisset. Nam Francogermani, qui constituto Imperio, trinam hanc diuisionem sub vnius dominatum & monarchiam reducere tentarunt, satagere potiùs quàm penitus impetrare visi sunt, licet nostri Archipræsules; Moguntinus, Germaniæ, Treuirensis, Galliæ & Regni Arelatensis; Coloniensis, Italiæ, Cancellarios etiamnum sese indigetent.

HINCMARVS ARCHIEPISCOpus Remensis.

IOannes Busæus Iesuita ad epistolas Hincmari, quas ipse princeps euulgauit, argumentum huius tractatus in hunc modum breuiter composuit: *Docet mundum regi duplici potestate, Pontificia & Regia, hanc tamen illa esse inferiorem.* (nempè κατά τι, nō ἁπλῶς; sicut & Regiam Pontificia esse superiorem, diuerso nimirum respectu) *In veteri æquè ac nouo Testamento duos ordines Sacerdotum constitutos. Sacerdotum ac imprimis Episcoporum munus esse Canones non ignorare, sacrosque Ordines sine vllà Simoniæ nota suscipere & dispensare. Tum prolixè ex Cypriano Regum, omniumque qui aliis præsunt officium describit, monetque quos asciscere sibi debeant Consiliarios, quales Duces, Comites & Iudices, quod sceleratorum amicitias defugere, nullis improbis ne sanguine quidem iunctis parcere, faciles aures etiam egentibus præbere, non exactionibus quenquam opprimi permittere, denique iustitia & pietatis simul laude excellere debeant.* Et in Notis ad Epistolam IV. scribit. *In exemplari* MS. *hæc inerat inscriptio:* ADMONITIO HINCMARI ARCHIEPISCOPI AD EPISCOPOS, ET AD REGEM KARLOMANNVM, QVAM FECIT IN SPARNACO PER CAPITVLA XVII. *Videtur enim Hincmarus hanc epistolam commonitoriam ad Episcopos scripsisse in villa Sparnaco, cum in eâ sub annum Domini* 884. *hoc est, paulò ante mortem suam, exularet,* &c.

EVTROPIVS PRESBYTER Longobardus.

ITa vulgò citari solet hic Auctor sub *Eutropii* nomine, à Vadiano, Bullingero, Lauatero, & aliis recentioribus, quos maluimus in re dubiâ sequi, quàm alios, qui *ἀνωνύμως* hunc tractatum in scriptis suis adducunt. Quanquam qui primus eum in Catalogo testium veritatis publicauit, Matth. Flaccius Illyricus satis clarè indicet, in MSS°. codice nullum nomen fuisse assignatum. Verba eius hæc sunt: *Habeo exemplar manuscriptum satis vetustum Eutropii & adiunctorum scriptorum in* XXVI. *libros distributum. In eius fine est quædam vetusta historiola, à quodam (vt verum fatear) non admodum literato descripta. In qua ostenditur non incommodè, qua ratione, quibusve fraudibus quidam Pontifices Cæsarum po-*

Digitized by Google

tentiam labefactarint, suamq́; oppresso Imperio auxerint. Quæ tametsi, vt dixi, videatur esse rudior, & in recitatione eorum, quæ initio in Romana ciuitate ac ecclesia acta sunt, etiam ineptior: tamen quia saltem in recentioribus rem verè, vt acta est, recensere videtur, eam adscribam. Et recitata integra historiola, subiicit: *Hic cum multa alia discere, pie Lector, potes, tum etiam illud paulo rectius intelligere, quod quidam Historici scribunt, Iohannem Rauennatem Patriarcham multa contra Canones egisse, eoq; à Papa Nicolao excommunicatum fuisse nempe crimen nō aliud quam inuidia Nicolai fuit, quòd Iohannes in bona gratia apud Ludowicum Imp.* (eius nominis Secundum Lotharii filium) *erat, quodque Papæ mancipium per omnia esse fortè noluit. Quod & ex mulcta, quam ei Nicolaus Papa postea iniunxit, facilè apparet.* Hæc de appendice illo Flaccius: quem ideò puto veteri Eutropio accreuisse, quod eiusdem nominis esset. Vixisse autem ante Ottonis Primi tempora satis ex fine libelli apparet, hisce nimirum verbis: *Ab illo die*, (scil. fugati Caroli Calui Imp.) *honorificas consuetudines Regiæ dignitatis nemo Imperatorum, nemo Regum acquisiuit: quia aut virtus defuit, aut scientia, pro multis Regni contentionibus, & assiduis diuisionibus. Vnde multa prœlia, & delationes & rapinæ fuerunt in Regno.* Hæc contigerunt sub Imperatoribus, Carolo Crasso, Arnulpho, Widone, & Lamberto; ex Regibus autem Berengariis, Ludowico, Hugone, Lothario, & Adelberto, quem Otto Primus deuicit, & *honorificas* illas *consuetudines Regiæ Dignitatis* Romæ atque in Italia iterum *acquisiuit*, quemadmodum ex Senatusconsultis Romæ tum à Leone VIII. Papa promulgatis obuiū est cognoscere.

PETRVS CASSIODORI,
Eques Anglus.

EXstat in Catalogo testium veritatis, cum hac inscriptione: *Epistola de extrema expilatione ac seruitute Angliæ per Papas effecta, ex veteri codice descripta.* Videndus Iohannes Balæus de Scriptoribus Britanniæ.

M. GVILHELMVS DE OCKAM,
Monachus Franciscanus.

HIc natione Anglus, Professor fuit Regius in Academia Parisiensi, vbi & Regis Philippi Pulchri iussu hunc Dialogum composuit. Postea defuncto Rege quum à Papa excommunicatus nusquam tutum stabulum in Gallia haberet, ad Imperatorem Ludowicum IV. Bauariæ Ducem confugit, à quo & inter Consiliarios domesticos allectus in seruitio Imperatoris consenuit, Monachii sepultus in Monasterio Franciscorum.

Trithemius abbas Spanhamensis in Chronico ducum Bauariæ: *Imperator Ludowicus, dolis & falsis litteris Magistri Vdalrici de Augusta* (qui vulgò Vlricus Hagenohe, vt ex Alberto Argentinensi & Auentino in Rationali Constitutt. Imperial. annotauimus) *Cancellarii sui, indignationem Papæ Iohannis XII. incidit, à quo excommunicatus fuit. Ad hunc Imperatorem Ludowicum* Wilhelmus *Ockam Ordinis Minorum, vir doctissimus, cum quibusdam aliis sui Ordinis Fratribus, à Papa Iohanne XXII. exacerbatus confugit, apud eum defensus mansit, & contra Papam scripsit, eumque hæreticum declarauit.* Idem Abbas in libro de Scriptorib. Ecclesiasticis; *Guilhelmus Okam, natione Anglicus, Ordinis Fratrum Minorum, Iohannis Scoti quondam discipulus, vir in diuinis scripturis eruditus, & in Philosophia Aristotelica nobiliter doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio; scripsit quædam in scripturis opuscula, quibus nomen suum ad posteros transmisit. Hic contra Iohannem XXII. dum hæresim Fratricellorum damnantem, vnà cum Petro Piceno,* (aliàs Corbario) *quem Ludowicus Imperator in idolum erexerat, & Nicolaum V. appellari fecerat, agens & scribens, eumque hæreticum esse pronuntians, ab eo excommunicatus est. Qui ad Ludowicum Imperatorem æquiuè excommunicatum fugiens, dixit ei: O Imperator, defende me gladio, & ego defendam te verbo. Mansit itaque excommunicatus cum excommunicato vsque ad finem vitæ suæ, & in morte tandem absolutus fuit. Scoti Magistri sui acerrimus impugnator fuit, & omnia penè illius dicta oppugnauit. Scripsit autem:*

Contra

Digitized by Google

Contra Iohannem XXII. de Paupertate Christi & Apostolorum Apologiam, lib. I.
Quodlibeta etiam, lib. I.
De Fautoribus Hæreticorum, lib. VII. incipientes; In omnibus curiosis, &c.
De Sacramento Altaris, lib. I.
Super sententias, libb. IV.

Et quædam alia. Claruit Ludouici Imperatoris quarti temporibus, & Iohannis Papæ XXII. anno Domini 1320. Et sepultus est in Conuentu Ordinis sui, in Norica prouincia, quæ nunc appellatur Bauaria, cuius Imperator Ludouicus antea Dux erat.

In Catalogo testium veritatis legitur: *Wilhelmus Occam floruit circa 1320. annum, id est, ferme ante 300. annos. Scripsit Dialogos in defensionem Ludouici Bauari, contra Ioannem XXII. Item Opus titulo Nonaginta dierum in defensionem Michaelis Generalis Minoritarum, itidem à Papa pro hæretico excommunicati.*

In Instructione per Carolum IX. Regem Galliæ missa ad Pium IIII. Papam, pro impediendis processibus Romæ factis contra Reginam Nauarræ, Principes, Barones & cæteros Ministros Regios, scripta à Baptista Mesnilio Consiliario & Aduocato Regio in Parlamento Pariensi: *En aspres advint, que Iean 22. usa de telle extremité de rigueur envers l'Empereur Louis de Bavieres, que rien plus: de façon que toute la Germanie fut en schisme & division l'espace de 24. ans pour un coup, dont ne se peut taire vn bon Docteur Cordelier nommé Frere Guillaume Occam, duquel le livre est encores en lumiere, qu'il escrivoit contre le dit Iean vingt deux, comme aussi firent Michel Cesenne, Marsille de Padou: & autres. Et se peut icy à propos reciter la response, que fit le dit Empereur Louis au dit Pape Iean XXII. à sçavoir, qu'il executoit mal le testament de Iesus-Christ touchant la paix, en troublant par telles entreprises toute la Chrestiente, ne se souvenant point que toute sa grandeur procedoit des Rois & Empereurs. Ceste meslee au chef de l'Empire, apporta la division en l'Estat des dite pays, les vns tenants pour les Papes, les autres pour les Empereurs, dont la Noblesse se partiza, puis apres les Evesques, puis le peuple, & par mi cela se meslerent plusieurs citations à Rome, puis des impositions de deniers à plaisir, ou par pretendues necessitez du Pape, ou autres couleurs empruntées, dont redoublerent les occasions des troubles &c.*

Electores, Principes, ac cæteri Ordines Protestantes in Imperio, in Scripto super recusatione Concilii Tridentini edito, part. 1. fol. 6. *Ac sanè non pauci extant exterarum nationum libri, & scripta permulta, quibus longè ante hæc tempora homines docti & intelligentes passim conquesti sunt publicè de erroribus doctrinæ, de multiplici abusu, & superstitione infinita, quæ in Ecclesiam irrepsisset. Ex quo genere sunt, quæ iampridem edita extant: Scriptũ Scholæ Parisiensis de Periculis Ecclesiæ, compositum circiter annũ Domini* MCCCCLXXIX. *Speculum aureum Papæ, eius Curiæ, Prælatorum & aliorum spiritualium, scriptum ante annos* CI. *item Francisci Petrarchæ, Baptistæ Mantuani, Ioannis Pici Mirandulæ, Laurentii Vallæ, Hieronymi Sauanorolæ Italorum:* GVILIELMI OCCAM, *Roberti Barns Anglorum: Ioannis Wesseli, & Trithemii Abbatis Spanheimensis Germanorum: Ioannis Gersonis Galli de Vita spirituali animæ; & De potestate Ecclesiæ; & De auferibilitate Papæ ab Ecclesia. Item Marsilii Patauini tractatus de Translatione Imperii, & Liber De defensorio Pacis. Anton. de Rosel. de Potestate Imperatoris & Papæ. Alberici de Rosate, & Petri Ferrariensis, commentarii passim. Confutatio Primatus Papæ à Gregorio Heimburgensi ante annos* CXXVII. *conscripta, & alia pœne innumerabilia.* Editum est hoc scriptum in Conuentu Naumburgensi, anno Domini 1562.

Plura de hoc Auctore in altero huius farraginis & collectionis Tomo dicturi sumus, εἰ θεὸς θελήσει, in quo tibi exhibebimus *Dialogorum partes tres*, id est, ingens atque immensum opus, quod *Dialogon* contra Ioannem XXII. Papam pro Imperatore Ludouico IV. inscripsit. Item, *Compendium errorum Ioannis Papæ XXII. de ciuili dominio Clericorum.* Item *Opus nonaginta dierum* pro defensione Michaelis Cæsenatis Generalis Franciscanorum scripta contra Ioannem XXII. Pa-

Digitized by Google

pam *de ciuili dominio Clericorum & Monachorum*, cum eiusdem Michaelis opusculis de eodem *dominio Clericorum & Monachorum*. Item *Super potestate Summi Pontificis octo quæstionum decisiones*, qui vulgò citari solet *Tractatus de potestate Ecclesiastica*. Quæ omnia nondum nacti eramus, quum iam primus iste Tomus maximâ parte sub prælo versaretur.

Vtinam aliquis nobis aliquando impetret hæc eiusdem Ockami scripta; quorum summam Auentinus hisce verbis refert lib. 7. Annal. Boior. *Wilhelmus Occomensis librum (qui extat) aduersus Carolum atque Clementem scribit: vbi hunc hæreseos nota inurit, ipsum Antichristum paupertatis Christianæ osorem, hostem Reipublicæ, coniuratum Celticorum Tyrannorum; Germanorum gentis Christianissimæ inimicum, Clementis & Ioannis* XXII. *falsorum Pontificum & sæuissimorum luporum sectator. appellat, &c. Idem Wilhelmus cum collegis alium libellum edidit, in quo Episcopum Romanum & Imperatorem diuersa esse argumentis probat. Hunc terræ dominari, illum dispensare spiritualia: illius munia: amare oues, pascere gregem, crucem egeni & mendici Christi ferre: huius imperare, strictum ensem gestare, belligerari asserit. Item docet, Imperium nequaquam Sacerdotis sed Dei Opt. max. beneficium, cuius populus sit, esse: Cæsarem continuò esse & vocari, postquam à Septemuiris delectus sit: ad Cæsarem Regna, Imperia, diuitias, bella, huius seculi potentiam spectare: Sacerdotem Romanum nihil horum contingere ac procurare debere, nisi Antichristus esse velit.* Et paulò post addit: *Alium quoque librum Wilhelmus Occomensis & eius collegæ publicarunt; cui* VINDEX PACIS CHRISTIANÆ *titulus est. Ibi sacræ historiæ testimoniis arguunt Romanum Pontificem, nisi Antichristi fastum potius, quam Christi & eius comitum paupertatem æmulari malit, infimi cuiusque Christiani, nedum supremæ potestatis seruum esse: tantum abesse, vt cum maxima Reip. Christianæ iactura dominari, quicquid libitum fuerit factitare, Deus non solùm dici, sed & credi postulet.* Hæc Auentinus: qui tamen in eo falli videtur, quòd *Defensorem Pacis* Ockamo adscribit, qui Marsilium Patauinum habuit auctorem, vt in sequenti Tomo σὺν θεῷ videbimus.

Huius autem Dialogi auctorem fuisse nostrum Ockamum scribit Ioannes Balæus, à quo appellatur *Dialogus Militis & Clerici*, citatque principium, quod ita habet; *Miror, optime Miles*, &c. Cui adstipulatur Flaccius quoque, in Catalogo testium veritatis, scribens: *Dialogus inter Clericum & Militem, contra nimiam libertatē Clericorum, qui vulgò extat, eius est. Reprehendit quoque luxum & fastum, vitamq; omni scelere perditam & contaminatam, Papæ & Spiritualium. Ob hanc in dicenda asserendaq; veritate libertatem, est à Papa excommunicatus. Sed ita constanter iniustam Pontificis excommunicationem contempsit, vt & mortuus in ea sit. Habetur alioqui etiam ab ipsis Papistis pro Sancto.* Porrò ipsum hunc Dialogum fermè totum, perpaucis additis, aut detractis, Auctor Somnii Viridarii in lib. 1. transcripsit, vt videre est cap. 1. & seqq.

M. IOHANNES DE GAVDVNO,
Professor in Academia Perusina.

QVum in nupero meo itinere, &c. priores huius Tomi terniones iam impressos cuidam Canonico, amico meo veteri, viro doctissimo & antiquitatum industrioso amatori, ostenderem, quærere ex me cœpit, quo auctore hanc Informationem ad Iohannem de Gandauo (sic ipse appellat) retulerim? Tum ego, Haintrico Rebdorffensi, inquiebam, cuius verba in Rationali Constitutionum Imperial. produxi. At ille; Non rectè, inquit, opinaris, nec Hainrici verba ad hanc Informationem trahenda sunt, quæ in hypothesi ad controuersiam Imperatoris & Papæ decidendam scripta fuit. At verò Ioannes de Gandauo in thesi & generatim tractatum *De potestate Ecclesiastica* edidisse legitur, hoc est, in quæstione infinitâ, non (vt hæc informatio est) in caussâ definitâ. Id vel Flaccius tuus te docere debuit. Et simul explicato Catalogo test. verit. Basileæ edito in octaua forma, A. D. 1556 recitauit hæc verba: *Ioannes de Ianduno Gandauiensis, vir longè eruditissimus, circiter ante 230. annos, eadem planè dogmata cum Marsilio Patauino defendisse contra Papam dicitur: præcipuè verò Primatum Papæ oppugnauit, damnatusque est eodem decreto Ioannis* XXII. *cum Marsilio. Sic autem id decretum incipit.*

Licet

Licet intra doctrinam Apostoli, &c. *Scripsit quoque multa philosophica super Aristotelem & Auerroem, quæ & olim in precio fuerunt, & adhuc hodie sunt. An verò aliqua eius Theologica vsquam terrarum inueniantur, ignoro: si quæ tamen alicubi, adhuc extant, haud dubiè eximia sunt.* Sed & ante Flaccium diu olim Bernardus Luzemburgus in Cathologo Hæreticor. scripsit: *Iohannes de Ianduno, fuit eiusdem sectæ cum Marsilio de Padua; & eorum errores damnantur in Extrauag. Ioannis XXII. quæ incipit: Licet intra doctrinam Apostoli, &c. Error primus, quòd id, quod legitur in Matth. Euangelio de statere ex ore piscis sumpto, &c. quod hoc Christus non fecit ex liberalitate, sed coactus necessitate. Secundus, quòd Apostolus Petrus non plus fuit caput Ecclesiæ, quam quilibet Apostolorum aliorum.*

Tum & *Quodlibetum* huius Auctoris à Marsilio Ficino euulgatum, & *Commentarios super* Sententias protulit: quibus inspectis, & diligentiùs consideratâ tam stili vniuersitate, quam tractandi ratione siue παιδεία, non difficulter persuasit, vt coniecturam meam de auctore huius Informationis reuocarem. μεγάλη χάρις αὐτῷ.

M. HENRICVS DE CHALHEM, Monachus Franciscanus, & Ludouici IV. Imperatoris Cancellarius.

HVnc, inquit Canonicus ille, auctorem esse huius Informationis potest veteris libri testimonio euinci; quod ad oram editionis Freheranæ adscriptum simul ostendebat. Sanè hunc fuisse Imperatoris Cancellarium Aulicum, iam ego ex bulla Ioannis XXII. didiceram, in qua Michaelem Cæsenatem, Ockamū, & alios Imperatoris Consiliarios excommunicauit. Quam, quia ad rem est, & multa continet ad intelligendum & cognoscendum necessaria, totam annotabo ex libro Romæ impresso, cui titulus: *Litteræ Apostolicæ diuersorum Romanorum Pontificum, pro officio sanctissimæ Inquisitionis, ab Innocentio III. Pont. Max. vsque ad sanctissimum D. nostrum Gregorium XIII.* Sic enim & fastus ac tyrannis Papana fiet minifestior, & innocentia atque integritas Imperatoris inclarescet iustior. Sic ergo habet dicta Bulla:

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Nuper in Consistorio publico, præsente multitudine copiosa fidelium, contra Michaelem de Cesena, olim Generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum, suis exigentibus culpis & excessibus, officio Ministeriatus priuatum, & de hæresis ac schismatis criminibus condemnatum per nos sententialiter, necnon & contra Guillielmum Ockam Anglicum, Bonagratiam de Pergamo conuersum, ac Henricum de Talhen (infra rectiùs dicitur Chalem) *præfati Ordinis, quendam processum edidimus tenoris & continentiæ subsequentis.*

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Dudum, sicut ad communem omnium notitiam credimus deduxisse, contra Michaelem de Cesena, olim Ordinis Fratrum Minorum Generalem Ministrum, hæreticorum fautorem & hæreticum, immò hæresiarcham notorium, qui ad nostram vocatus Curiam super dictis criminibus, cuique sub excommunicationis ac depositionis ab officio & inhabilitationis ad quæscunque honores, dignitates, gradus & status Ecclesiasticos pœnis & sententiis: quas omnes & singulas ipsarum eum incurrere voluimus ipso facto, si contrarium attemptaret, ne de ciuitate Auinion. vbi cum eadem residebamus Curia, sicut & residemus ad præsens, absque nostra licentia recederet, duximus inhibendum: Quique vnà cum Bonagratia Conuerso prædicti Ordinis, qui suis demeritis exigentibus in prædicta curia arrestatus, ad sancta Dei Euangelia iurauerat, se de prædicta Curia sine nostra licentia nullatenus recessurum, ac Guilielmo de Okam eiusdem Ordinis, contra quem super multis opinionibus hæreticalibus & erroneis, quas scripserat & dogmatizauerat, inquisitio in eadem pendebat Curia, sibique propterea iniunctum fuerat, ne de dicta recederet Curia sine nostra licentia speciali, furtiuè recessit de ipsa cum duobus suis complicibus supradictus, ac redire ad eam renuens, legitimè requisitus, ad præsentiam Petri de

Cornario in Antipapam assumpti, & Ludouici de Bauaria sedentis in pestilentia cathedra festinauit suos dirigere gressus.

Ne Michael ipse vir tam reprobus gloriaretur vlterius suæ prauitatis opera, absque condignis demeritoriis stipendiis præterire, ac ne plures etiam in sui erroris devium traheret, ad quod sua tota intentio ferebatur, cum præmissa adeò essent notoria, tam per facti euidentiam, quàm per plures ipsius litteras ad partes diuersas directas, quarum aliqua ad nostras & Fratrum nostrorum manus etiam peruenerunt, quòd non poterant tergiuersatione aliqua occultari, de fratrum eorundem consilio, auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, exigente iustitia procedentes, Michaelem eundem ab officio prædicti Ministeriatus depositum, fautoremque hæreticorum & manifestum hæreticum & hæresiarchã, ac scismaticum declarandum, necnon & fautorem hæreticorum & hæreticum, ac hæresiarcham ac scismaticum duximus condemnandum, priuantes eum officiis, dignitatibus & honoribus quibuscunque, seu priuatam potius declarantes, ipsumque ab omni gradu deponentes, & priuilegio quocunque nudantes ecclesiastico, ac eum inhabi em ad præmissa reddentes, & quodlibet prædictorum, pœnis omnibus & sententiis spiritualibus & temporalibus, quibus diuino & ecclesiastico iure hæreticorum fautores, & hæretici, hæresiarchæ ac scismatici existunt obnoxii, plectentes eundem nihilominus, & eum velut talem eis fore obnoxium declarantes, vniuersis quoque Archiepiscopis & Episcopis aliisque personis ecclesiasticis quibuscunque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio, quas non parentes incurrere volumus ipso facto, nec non priuationis, depositionis, inhabi itationis prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis, & insuper omnibus & singulis ciu tatibus, terris & locis, ac vniuersitatibus, communitatibus, & personis aliis singularibus quibuscu que, cuiuscunque conditionis aut status existerent, etiamsi Imperiali, Regali, vel alia quacunque dignitate fulgerent, sub excommunicationis, in personas singulares & interdicti in ci itates, terras, loca, eorumque communitates & vniuersitates, quas nisi mandatis & monitionibus nostris cum effectu parerent, incurrere volumus ipso facto, necnon priuationis priuilegiorum quorumcunque Apostolicorum & Imperialium, ac feudorum & bonorum, quæ ab eadem Roman. vel quibuscunque aliis Ecclesiis vel Imperio obtinerent pœnis & sententiis, mandandum expressè duximus, & etiam inhibendum, ne prædictum Michaelem hæreticorum fautorem, hæreticum & schismaticum receptarent, defenderent siue adhærerent, obedirent, intenderent. quomodolibet seu fauerent, aut præstarent per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, auxilium, consilium vel fauorem: sed eum potius velut hæreticorum fautorem ac hæreticum & scismaticum, & (quantum in eo est) sanctæ Dei Ecclesiæ fideiq; Catholicæ corruptorem, abiicerent, abhorrerent, persequerentur, & si possent caperent, ac fideliter custodirent subdendum Ecclesiasticæ disciplinæ, prout hæc in processibus per nos habitis & publicatis hactenus plenius continentur.

Sane quia, sicut fama notoriat publica, & facti euidentia in illis partibus manifestat, Michael, ac Guillielmus Ockam, & Bonagratia supradicti, necnon & Henricus de Chalem, dicti Ordinis, cuius perfectio inter alia potest percipi, quia Ludouici de Bauaria se pro Imperatore gerentis, de diuersis damnati hæresibus, Cancellarii officium diutius gerere non expauit (quod quidem officium quantum professioni illorum, qui se nihil habere asserunt in proprio vel communi; seque Christum pauperem nudi sequi, congruat, potest promptè prudens quilibet iudicare.) in Alamannia partibus in diuinæ maiestatis contumeliam, fideique Catholicæ læsionem, Ecclesiæque Catholicæ præiudicium & contemptum, non verentur hæreses publicæ prædicare, ac nonnullos Fratres dicti ordinis illarum partium à deuotione Ecclesiæ, Ministrique Generalis eiusdem Ordinis obedientia retrahere, ac illos ad dictorum Ludouici & Michaelis hæresiarchæ obedientiam per captiones, incarcerationes personarum, & eiectiones à suis Conuentibus, spoliationes librorum, aliarumque rerum ad vsum sibi assignatarum à suis superioribus, proscriptionem quoq; publicam minis & terroribus mortis, & aliis modis ausu temerario inducere & compellere non verentur: Nos considerantes attentè quod talium non est dissimulanda malitia; sed eorum potius elidenda superbia, ac eorum pertinax contumacia per semitas iustitiæ prosternenda, omnes & singulos, qui cõtra nostros processus prædictos eidẽ Michaeli fauerunt, aut ut Ministro obediuerunt, nisi ad obedientiam Ecclesiæ iam redierint, de Fratrum eorundem consilio de-

Digitized by Google

[illegible] declaramus, personas videlicet singulares excommunicationis, Conuentus & vniuersitates interdicti sententias incurrisse: Michaeli interdicentes prædicto, ne pro Ministro se gerat vlterius, ac Guillielmo & Henrico ac Bonagratiæ prædictis, ne ei tanquam Ministro, nec aliàs nisi in casibus, in quibus licet communicare cum hæreticis, pareant, communicent vel intendant, sub pœna excommunicationis, quam incurrant ipso facto, si contumaces mandatis nostris fuerint; præcipientes tam Michaeli quam prædictis aliis, vt à consortio se dicti Bauari retrahant, & ad vnitatem redire Ecclesiæ sublato cuiusvis moræ dispendio non obmittant.

Et quia prædicti Guilielmus, Henricus & Bonagratia, velut defensores diuersarum hæresum, sed illarum præcipuè, quæ asserunt quod Christus & discipuli nihil habuerunt in proprio vel communi, nisi tantùm simplicem vsum facti (fort. vsumfructum :) *& illius, quæ asserit quòd ad Imperatorem pertinet Papam deponere & alium subrogare, vehementer de hæresi sunt suspecti: ipsos & eorum quemlibet citamus per edictum peremptorium publicum, præsente hac fidelium multitudine copiosa, vt infra festum Ascensionis Domini exclusiuè proximè subsequens compareant personaliter coram nobis, facturi super præmissis velut notoriis, quod rationis fuerit, & sententiam, si ferri posset commodè, audituri. Non intendentes propter prædictæ citationis edictum nos astringere, quin contra dictos Guilielmum Ockam & Bonagratiam, quos aliàs per edictum peremptorium publicum citauimus, vt certo termino, diu est elapso, comparerent coram nobis personaliter sententiam audituri, ac propter eorum contumaciam fuerunt excommunicationis vinculo innouati, interim valeamus procedere, prout suadebit iustitia, & viderimus expedire: eisdem expressius intimantes, quòd siue venerint, siue non venerint, contra ipsos in dicto termino, vel quotiens nobis visum fuerit, absque citatione alia ad præmissa procedemus, prout rationis fuerit, & viderimus expedire.*

Cæterum volumus auctoritate Apostolica nihilominus decernentes, quòd processus noster huiusmodi, præfatos Michaelem, Guillielmum, Bonagratiam, & Henricum, ac alios quos contingere dignoscitur adeò apprehendat & arctet, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter publicatus & intimatus solemniter extitisset; quacunque constitutione contraria, per prædecessores nostros Rom. Pontifices in contrarium edita non obstante. Et vt idem processus, & contenta in eo, ad ipsorum Michaelis, Guillielmi, Bonagratiæ, ac Henrici, & aliorum, quos contingunt, notitiam deducamus, cartas seu membranas processum continentes eundem, appendi seu affigi ostiis seu superliminaribus Maioris Auinionem Ecclesiæ faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabant, vt ipsi nullam possint excusationem prætendere vel ignorantiam allegare, quòd ad eos non peruenerit, vel quòd ignorarint eundem, cum non sit verisimile quo ad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Dat. Auinion. II. Non. Ianuar. Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Et licet processus iste sufficienter publicatus extiterit, vt præfertur, tamen ex abundanti volentes eum in locis & domibus tui Ordinis nihilominus publicari, discretioni tuæ committimus & mandamus, quatenus per te vel alium seu alios eiusdem Ordinis, processum eundem in singulis locis & domibus præfatis, diligentiùs publicare procures, faciens de publicatione ipsa instrumenta publica confici, quæ nobis studeas fideliter destinare. Datum Auinion. IIII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno XV.

Edita ergò hæc Bulla fuit Anno Domini 1330. ad quam sequenti statim anno Michael Generalis cum Fratribus suis publicè respondit, epistolâ Apologeticâ ad Capitulum generale missâ, cuius hæc est in impresso codice inscriptio: *Litteræ recitatoriæ gestorum Fratris Michaelis de Cezena, edita (vt in fine earum patebit) subscriptione & suffragio Henrici de Chalhem, Francisci de Esculo, & Guilhelmi de Ockam, & aliorum ei adhærentium. Ex Monacho (* München Bauariæ oppido, vbi Imperatorum Ludouicus residebat; & quod hodieque sedes est Ducalis in Bauaria *) ad Capitulum Minorum in Parpiniano aut Auinione congregandum, Anno Domini* MCCCXXXI. In fine autem Epistolæ ita scriptum est: *Qui verò illam (* Regulam Euangelicam *) mutauerint, vel eius mutationi consenserint, Esaiæ vaticinio, vbi dicitur; Væ filii desertores, &c. se nouerint subiacere ex parte Fratris Michaelis Generalis Mini-*

stri dicti Ordinis; licet inuiti; de voluntate & assensu Fratrum Henrici de Chalhem, Francisci de Esculo, Guilhelmi de Ockam, in sacra pagina Magistrorum; & Fratris Bonagratiæ, & aliorum Fratrum eis adhærentium. Data in Monacho, in festo S. Marci Euangelistæ, anno Domini CCCXXXI. In quorum omnium testimonium ego dictus Frater Michael, vnà cum dictis Magistro Henrico, Francisco & Guilhelmo, sigilla imposuimus. Hæc pro re natâ, vt, quis iste Henricus Chalhemius fuerit, constare possit. Cæterùm ipsam Cæsenatis epistolam, cum reliquis eius opusculis, in altero Tomo vniuersam præsentabimus, si Deus, à quo auxilium speramus, cœptis nostris adspirauerit.

Porrò in MSSto membraneo, quod ex Bibliotheca Freheri nostri habemus, huic Informationi hæc tantum præscribitur: *De nullitate processuum Papæ Iohannis contra Lodewicum Bauarum*, sine vllo auctoris indicio. In fine autem quæ adduntur, notatu digna sunt. Itaque placet non præterire; sic enim eleganter argumentum totius Informationis proponitur:

Nota quòd processus non valent, ex eo quòd { *à non suo iudice manauerunt, & quia Imperiũ est à Deo, non à Papa. Facti fuerint ex notoriè falsis causis, & iuris ordine non seruato; absente Imperatore, & aliis, quorum intererat, nec citatis legitimè nec monitis. In causa propria voluit & iudex & actor esse, quia dicit se habere plenitudinem potestatis in spiritualibus, & super Imperatorem, & totum Imperium; quod est falsum.* }

AVCTOR LIBELLI DE ÆTATIBUS Ecclesiæ

HVius libelli auctorem is, quo de suprà, Canonicus, &c. putat esse F. Bonagratiam Pergamensem. Fundamentum suæ opinationi ponit, quod tam bonâ gratiâ institutus sit, vt nemo meliori potuerit. Ego nihil decerno: videtur tamen in schismate scriptus fuisse. Eam coniecturam ex verbis duco cap. 7. quæ sic habent; *Vbi sunt illi, qui dicunt, Papam non posse resignare?* Quod effatum, an de Ioannis XXII. resignatione intelligi debeat, in cuius vicem Nicolaus V. à Germanis & Italis fuit electus, non dispicio. Certe Illyricus in membranis suis fatetur se nullum auctoris vestigium sensisse. Verba eius sunt: *Descripsi ex veteri quodam codice libellum, titulo* DE ÆTATIBUS ECCLESIÆ, *fortè antè 200. annos scriptum:* (nunc sunt 251) *in quo breuissimè indicatur, quis status quoque tempore in Ecclesia fuerit. præcipuè verò in eo ostenditur, quam fuerit primitiua Ecclesia aliena ab ambitionibus, & affectatione potentiæ siue superioritatis: quæ mala posteà serò inoleuerunt, imò id quoque ibi non obscurè monstratur, olim Papam nullum planè primatum super alios Sacerdotes ac Episcopos habuisse, sed paulatim creuisse, & tandem præsentis tyrannidis arcem occupasse. Verùm adscribamus sanè totum eum libellum, quoniam omninò lectu dignus est: Tametsi valde vereor integrum non esse.*

NILVS ARCHIEPISCOPVS Thessalonicensis.

HVius opuscula primus edidit Flaccius Illyricus; dein Bonauentura Vulcanius recensuit; nuper Cl. Salmasius ex Amplissimi Seruini emendatione in integrum restituit. De ætate laboratur. Flaccius in hanc, quam apposuimus, ætatem reiecit. Sed & in Catalogo testium veritatis idem scribit in hunc modum: *Quidam Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus vixit circiter ante 200. annos, vt ego ex quibusdam haud obscuris coniecturis diuino. Scripsit prolixum librum contra Latinos, id est, Romanæ Ecclesiæ adhærentes. Nolo iam de toto eo scripto dicere, sed tantum de duobus primis, ac admodum prolixis capitibus, quorum vtrunque suas materias sine sequentium adminiculo integrè complectitur: ita vt magis proprii libelli, quam cum cæteris capitibus necessariò connexi, dici queat. In primo autem capite totam dissidii & schismatis inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam culpam in Papam reiicit, sicut & Humpertus de Romania, sui Ordinis Magister seu Rector, qui ante 30. annos vixit. Dicit, eũ solũ, contra omnes veteres Canones, velle imperare, nemi-*

neminem audire, nullum liberum Concilium pati congregare, &c. eoque res ac controuersias inter Græcam & Latinam Ecclesiam discerni ac dijudicari componique minimè posse. In secundo verò capite seu libello, ex professo accuratius contra primatum Papæ disputat. Ostendit enim primò, eum non diuino iure, sed humano, aliquam præ aliis Episcopis dignitatem habere: quippe quam ipsi Concilia, Patres & Cæsares concesserint. Nec concessisse tamen ob aliam grauiorem rationem, seu grauius ius, nisi quia ea vrbs tunc orbis terrarum imperium habuit; non quia Petrus ibi vel fuerit, vel non fuerit. Secundò ostendit, eum ipsum primatum seu prærogatiuam, nequaquam talem ac tantum esse, quantum ipse, eiusque adulatores sibi vsurpent. Ac refutat ordine præcipuas Papistarum propositiones, seu neruos ipsorum tyrannidis. Ostendit Papam nihil habere imperij super alios Patriarchas: posse enim errare ipsum, sicut & alios mortales: subiectum eum esse legibus & conciliis, sicut & alios Episcopos: non esse ipsius ius, conuocare Concilia, sed Cæsarum: nihil eum posse sine aliis Episcopis in rebus Ecclesiasticis statuere: & denique nihil eum aliud ex Petri successione, quàm vt sit Episcopus, habere, quod & alij omnes Episcopi à suis Apostolis habeant. Sed quia hunc libellum vnà cum versione edidi, non est necesse me prolixius de eo dicere.

Cl. Salmasius in præfatione ad Lectorem: *Nili Archiepiscopi Thessalonicensis qui meminerit, ex veteribus neminem extare puto. Alias causas non possum dicere, quàm quod nimis recens est. Plures quidem Nili huius cognomines nominantur & memorantur. si quis aliquem ex illis hunc nostrum esse putat, vt paucis dicam, fallitur, illi omnes sunt vetustiores, istum recentissimum esse mihi constat. Thomæ enim Aquinatis in aliis scriptis suis, quæ nondum edita sunt, meminit. Thomam verò illum recentissimum esse, nemo est qui ignoret.* & quæ sequuntur.

Sunt qui putent eum tempore Concilii Basiliensis, circiter annum Domini 1538. vixisse pariter & hunc tractatum scripsisse. B. M. G. qui nuperrimè tractatum *de Delicto communi & casibus priuilegiatis, siue de potestate legitima Iudicum sæcularium in personas Ecclesiasticas*, Gallice & docte instituit, folio 57. editionis Parisiensis, in horum opinionem concedere videtur, vbi ait: *Tout l'Orient est si bien d'accord de ceste superiorité du Concile par dessus le Pape, qu'ils passent plus outre. car mesme ils luy contestent, bien qu'iniustement, la primauté par dessus le Patriarche de Constantinople, quoy qu'Eugene IIII. vueille dire qu'ils la luy ont avouee en l'assemblee qu'il fit commencer à Ferrare, & parachever à Florence en l'an 1439. pour contrecarrer le Concile de Basle. Ce qui est fort & ferme contredit par vn Evesque de Thessalone, nommé Nilus, qui estoit de ce temps là, & qui, comme l'on croit, assista à ladite assemblee.* Quod si ita est, Nilum hunc Barlaamo Monacho σύγχρονον fuisse in comperto est, & Salmasii nostri coniecturæ planissimè fidendum, de qua inferiùs ad Barlaamum dicemus.

RVDOLPHVS, PRÆLLÆVS CONsiliarius Regius, & libellorum Magister in Curia Parisiensi.

HVnc Tractatum non minus elegantem, quàm succinctum, debemus membranis vetustis V. Cl. Dionysii Gothofredi Iurisconsult. & Antecessoris Heidelbergensis, qui eas ab auunculo suo, Claudio Faucheto, (quo viro Francia vtraque nec sollertiorem, indagatiorem, nec peritiorem vidit vnquam) acceptas studiosissimè conseruat. Vtinam & alterum huius Prællæi tractatum, qui REX PACIFICVS inscribitur, cuiusque ipse meminit folio 56. lin. 28. sit vt alicunde eruere queamus. Quin imò vtinam & hunc & illum Latinè scriptum (nam Prællæus vtrumque ex Latino transtulit in Sermonem Gallicum) nobis aliquis patriæ salutis & liberæ veritatis amator offerat.

Auctoris mentio est apud Massonum Annalibus Franc. libro quarto in Carolo V. Rege, vbi legitur; *Floruit quoque Rodolphus Prælleus Aduocatus Parisiensis, ac Regis mandato libros Augustini de Ciuitate Dei in Gallicum sermonem conuertit, præfatus Regem à pueritia literis deditum, quicquid otij habere poterat, impendere solitum*

optimis literis perlegendis. Qui libri exstant impressi Abbæ villæ anno 1486. & Parisiis anno 1531. vt testatur Verderius in Bibliotheca fol. 1086. vbi appellatur *Raoul de Preulles*, perperam, si qua membranis fides est.

PHIOTHEVS ACHILLIVVS CONSILIARIUS *Regius.*

HOc scriptum nobis V. N. Iacobus Bongarsius Consiliarius Regius, &c. ex festiua sua bibliotheca communicauit, vt commodo Ecclesiæ ac Reipublicæ, ad quod promouendum indefesso studio ac singulari voluntate ducitur, in lucem rursus reduceretur. Exemplar quidem fuit valdequàm mendosum, Parisiis impressum apud Galliotum Dupre, A. D. 1516. cum hoc Regio priuilegio:

EXTRAICT DE REGISTRES DE PARLEMENT.

Veue par la Court la requeste à elle baillee par Gailloit Dupre Marchant libraire de Paris, par laquelle il requeroit defenses estre faictes à tous autres de ne imprimer, ou faire imprimer, ne vendre de trois ans certain livre, traictant de la iurisdiction Ecclesiastique & Temporelle, appelle LE SONGE DV VERGIER, *par le dict Galliot nouvellement faict imprimer en Latin à grans fraitz: veuz aussi plusieurs Arrestz & Ordonnances de la dicte Court donnez en pareil cas: & tout consideré la dicte Court à ordonne, & ordonne inhibitions & defenses estre faictes à tous libraires imprimeurs & autres quelconques, que de deux ans prochainement venans ilz ne impriment ou facent imprimer le livre dessusdict, & ne envendent aucun durant le dict temps sil nest imprime ou faict imprimer par ledict Galliot, sur peine de confiscation de livres & d'amende arbitraire. Fait en le Parlement le* XXVII. *iour de May, l'an* MDXVI.

ainsi signé.

A. Robert.

Cæterùm libro titulus in eodem exemplari talis est præscriptus: *Aureus de vtraque potestate libellus, temporali scilicet ac spirituali, in hunc vsque diem non visus; Somnium viridarij vulgariter nuncupatus; formam tenens Dialogi, ac iam diu Carolo Quinto Francorum Regi, dum viueret, dedicatus. In quo quidem libello Miles & Clericus de vtraque iurisdictione latissimè differentes tanquam aduocati introducuntur, & alternatim partes opponentis & respondentis assumentes iucundissimè ac fructuosissimè de ambarum iurisdictionum disputant potestate, rationes & motiua pro sua quisque parte tam ex iure Pontificio & Ciuili, quam etiam ex sacra pagina copiosissimè in medium deducentes, quibus confutare & extirpare desiderant multiplices interprisias (vt sic loquar) & abusus in vtraque iurisdictione quotidie versantes.* Cui sanè libello multa semper tributa auctoritas fuit, & passim à veteribus & recentibus, maximè Iureconsultis, in testimonium citatur, velut Stephano Aufrerio, Nicolao Boherio, Iohanne Neuizano, Benedicto Curtio, Equinario Barone, Francisco Duareno, Iacobo Cuiacio, Petro Fabro, Petro Pithœo, Francisco Hotomanno, Guilhelmo Rauchino, & aliis numerosis, adeò vt nuper amicus noster Iohannes Schœnerus Consiliarius Palatinus eiusdem auctoritate niti, ad quæstionem omnium in toto Imperio difficilimam decernendam, minimè dedignatus fuerit. Nos pauca elogia, quæ propiùs ad institutum nostrum facere videntur, hinc inde delibabimur.

Carolus Molinæus Iurisconsultus in Comment. ad edictum Henrici II. Regis contra Paruas datas, & abusus Curiæ Romanæ, &c. gloss. 15. numero 140. *Carolus V. Sapiens vocatus, contra inualescentes ambitiones & præstigias Romanorum Pontificum, viros eruditos alebat, & componi fecit Dialogum vtriusque potestatis, cui titulus; Somnium viridarij.*

Matthias

Matthias Flaccius Illyricus in Catalogo testium veritatis: *Carolus V. Rex Galliæ, cognomento Sapiens, circa annum 1370. statuit, ne Prælati aut Episcopi vllas Papales excommunicatus aut interdicta, in vrbibus aut oppidis Regni publicarent. Et insuper curauit, teste Molinæo, per suos eruditos conscribi Dialogum, titulo Somnium viridarij, contra ambitiones Papæ, erroneasque ambitiones fautorum eius. Qui libellus fortassis in Gallia extat; vtinam autem & vulgò in Germania. Haud dubie plurima notatu dignissima, de istis sacrosanctis Antichristis, in eo reperirentur.* Voti damnas esto, ô Flacci, cuius solius indicatu & primùm de hoc libro certior factus sum, & nunc eundem Germaniæ nostræ primus cum ingenti accessione dono atque offero.

Anno Domini MDLXII. vigesimasexta die mensis Februarii, Patres ad Concilium Tridentinum conuocati auctoritate Pii Papæ huius nominis Quarti, sess. 2. decreuerunt, prohibendos esse libros hæreticos, & hæresim subolentes, atque bonis moribus aduersantes. Et ad eam rem delegauerunt octodecim arbitros, qui dispicerent huiusmodi libros, & in catalogum ordine alphabetico redigerent. Anno Domini MDLXIV. 24. die Martij oblatus est ab arbitris Pio Quarto Pontifici Catalogus seu Index huiusmodi librorum, quem approbauit Pius Quartus. In hoc Catalogo annumeratus est liber iste sub litera D. Verba Catalogi sunt huiusmodi: *Auctorum incerti nominis libri prohibiti. Disputatio inter Clericum & Militem super potestate Prælatis Ecclesiæ atque Principibus terrarum commissa, aliàs Somnium Viridarij.* Innuunt malè arbitrantes isti Inquisitores Disputationem Guilhelmi Okami, quam ab Auctore huius Somnii fuisse transcriptam supra demonstrauimus: Sed verba eiusdem Catalogi sub litera V. posita proprie ad hunc præsentem tractatum spectant: *Viridarij Somnium de Potestate Papæ & Principum secularium.* Tanta fuit imperitia in istis male sanis arbitris, vt putarint, Viridario fuisse nomen huius Somnii auctori, qui sese in Viridario somniasse disertim scribit. A loco ergò, vbi res gesta fingitur, non ab ipso auctore, titulus est assumptus.

Electores, Principes, ac cæteri Ordines Protestantes in Scripto de recusatione Concilii Tridentini edito in Conuentu. Naumburgensi, part. 2. caus. 8. folio 220. *Scriptus etiam & editus fuit publicè de Potestate seculari & Ecclesiastica tractatus, cui titulus est Somnium Viridarij, ante annos benè multos, Caroli V. Galliarum Regis tempore, quo hæc de Pontificis Romani in omnes Imperatores ac Reges imperio & præsumpta potestate quæstio duobus libris & capitulis 550. prolixè & copiosè refutatur.* Et in eadem caus. 8. de tyrannide Papæ, fol. 240. *Porrò, quam iactant Romani Episcopi plenitudinem potestatis suæ, qua omnia, quæ in terra, quæque in cœlo sunt, pedibus ipsorum prona ad nutum cedant: has ampullas, quibus nihil vanius, nihil à Sacerdotibus alienius, etiam Marsilius Patauinus iam pridem vt execrabiles detestatus est. Et Socinus, aliique complures doctrina & virtute præstantes viri, videntes non tam potestatis quàm tempestatis plenitudinem videri scripserunt, vt patet ex Consilio Socini 164. col. pen. lib. 2. & in Consil. 120. col. pen. ad fin. li. 3. Et vltra Socinum notauit Fulgosius in Cons. 61. cuius initium est: Domina Catharina, &c. col. pen. Franciscus de Curte in Cons. 73. col. 19. in fi. quod refert etiam Iohan. Neuisanus inter Consilia Bruni, in cons. 11. col. 26. & Aymo Crauetta in Cons. 241. num. 20. circa fin. Et in Tractatu, cuius titulus est, Somnium viridarij, capit. 82. num. 9.* Videntur Principes aliâ editione vsi, quam Dupreanâ, quam in hoc opere exhibemus; quæ omnium prima exstitit, nec vllam capitum subdistinctionem in numeros agnoscit.

Papirius Massonus Iurisconsult. in Annalibus Franc. in extrema vita Caroli V. *Aeditus est Carolo Rege à nescio quo libellus de Regia & Pontificia auctoritate, inscriptus Somnium viridarij, harum rerum testis, imò verò locupletior quàm Rodolphus. Adiicit enim, Carolum non tantùm amasse literas, sed procurasse etiam, vt Caroli filij tenera ætas liberalibus disciplinis imbueretur.*

Antonius Verderius Vallis priuatæ Baro in Bibliotheca: *Le Vergier, (c'est vn ancien Autheur Francois, qui ne s'est voulu nommer autrement) à escrit vn traicté, intitulé le Songe du Vergier, diuisé en deux liures, dont le premier contient 187. chapitres, & le second 182. ausquels le Clerc & Chevalier disputent de la puissance spirituelle ou des gens d'Eglise, & de la puissance seculiere, ou des Princes & Seigneurs temporels.* Dedi-

Digitized by Google

au Roy de France Charles le Quint : & imprimé à Paris in fol. par Iacques Maillet en en l'an 1491. *Et despuis à esté translaté de Francois en Latin , & imprimé à Paris in quarto par Galiot du Pré* 1516. *& encores despuis reimprimé en Francois par Iean Petit fol.* 1503. Primam illam Mailleti editionem habemus beneficio & comitate amici nostri Dionysii Gothofredi ; in quâ aliquot capitula comparent, quæ in Latino exemplo desiderantur ; & vicissim illa nonnullis caret, quæ in Latino supersunt.

Antonius Hotomannus Iurisconsultus & Aduocatus Regius in Curia Parisiensi, in tractatu de Iuribus Ecclesiasticis, priuilegiis & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, libro 1. folio 331. *Ce fut lors que l'on commenca d'avantage à mettre en avant les Libertez de l'Eglise, dont il y eust vn livre fort ample presenté au Roy Charles Sixiesme, intitulé Somnium viridarij*, &c.

B.M.G. in tractatu de Delicto communi & casibus priuilegiatis, siue de potestate legitima Judicum secularium in personas Ecclesiasticas, hac æstate edito, folio 16. *Du temps de Charles V. sur les contentions, qui survindrent entre Vrbain VI. & Clement VII. tous deux se disans Papes, & les droits qu'ils vouloient pretendre sur la Couronne de France, fu fait le livre intitulé Somnium viridarij, contenant les droits & prerogatives de la puissance Seculiere en cest Estat; ou entre autres choses est bien resolu que la puissance Temporelle est divisée de l'Ecclesiastique, & non subordonnee à icelle.*

In hunc quidem modum isti de hoc Somnio iudicarunt. Ego verò nondum video, quid reuerà Somniator iste contra Papanam potestatem vel senserit, vel docuerit, quippe qui sic scribit, non vt suam sententiam proponat, sed vt alienas opiniones, easque inter se diuersas, earumque rationes indicet, iudicio super iis Regi relicto. Si tamen statuere debemus, eas esse eius sententias, quas firmioribus argumentis ac rationibus fulcit, sanè mihi pro potestate regia decidere videtur. Quod in simili casu de Ockami libris Sleidanus & Flaccius censuerunt.

Quis autem certus huius Somnii auctor exstiterit, non quiui nec potui peruestigare. Iohannes Neuizanus nominat *Philotheum Achillinum*. Cuius verba sunt in Sylua nuptiali, libr. 1. capit. 1. num. 9. *Vbi non est ordo, ibi est confusio: Roch. de Consuetu. carta. 27. colum. 1. Facit Philoteus Achilinus in proe. sui Viridarij, carta 2.* Sed hoc nomen esse fictitium, nemo non videt. Aula Caroli V. Regis affluebat viris vndiquaque doctissimis ; quorum in numero fuerunt Rodolphus Prælleus, de quo supra memorauimus ; Nicolaus Oresmius, cuius exstat *Oratio contra Papam*, item *Epistola nomine Luciferi ad Papam & Cardinales scripta* : Iohannes Faber Aduocatus in Curia Parisiensi & referendarius in Cancellaria Regia, cuius vulgò teruntur *Commentaria super institutiones Iuris* & Carmen *de Contemptu mortis* : Guilhelmus Dormantius, qui posteà Regni Cancellarius à Carolo fuit ascitus : Philippus Mæserius Eques, qui primum Regni Cypri Cancellarius, dein Gregorii XI. Papæ Consiliarius, tandem huius Caroli V. Regis Domesticus & Tapanta fuit. An aliquis ex istis in viridario suo somniauerit, equidem nescio. A Dormantio nomen non videtur abludere. Num is dormiens hoc sibi somnium finxit ? Verùm si quid coniecturis fidendum est, non alienum esse hoc Somnium à Philippo Mæserio facilè coniciciemus, vbi verba considerauerimus, quæ leguntur in calce libri, cui titulus, *Somnium vetuli peregrini*, ab ipso iam decrepito sene compositum. Ea verba refert Verderius in hunc modum : *Cy finit le livre appellé, Le Songe du vieil Pelerin, addressant au blanc faulcon ayant bec & pieds d'orez : dix-sept, vn tressage & Catholique Chevalier, Chancelier de Chipre nommé messire Philippes de Maisieres, lequel premierement seruit Pape Gregoire Vnziesme, & depuis l'appella à son service Charles Roy de France de son nom Cinquiesme, au quel pour la grande prudence & preud'hommie, qu'il avoit en luy, commist plus qu'à autre le gouuernement de son Royaume. Ce non obstant le dict Chevalier voyant que tres-perilleusement est vser & finir ses iours au monde, & parmy les mondains, & par special en Court, apres plusieurs requestes & longue importunité obtint congé de son Siegneur & maistre*

Digitized by Google

maistre Charles V. de laisser la Court & le monde, & querir lieu solitaire, au quel il peust vser le demeurant de sa vie à mieux & plus seurement servir à Dieu. Et lors ledict Chevalier choisit l'hostel des Celestiens à Paris, & la il feit edifier logis & habitation convenable à la vie & estat, qu'il desiroit mener: & incontinent avecques deux Clercs tant seulement se retraict en la dite maison, en laquelle il a demeuré avec lesdits Religieux par l'espace de 25. ans ou environ, iusques à la mort, sans iamais en vouloir partir. Mais pour sa grande providence ledict Roy souvent le venoit voir, & estoit seul avec luy trois ou quatre heures, pour consulter les affaires de son Royaume & de son peuple: ne iamais tant qu'il vesquit n'eust prins conclusion en aucune pesante matiere touchant sa personne & Royaume ou la chose publique, que premierement il n'eust eu ne conseil & opinion dudict Chevalier. Et si ledict Roy estoit à Paris, au bois de Vincennes, à Sainct Germain en Lye, à Melun ou à Meaux, il mesmes venoit en personne vers ledict Chevalier en son logis des Celestins pour mieux conferer avecques luy: & quant ledict Roy estoit fort loing de Paris, il envoyt ses affaires par escript au dict Chevalier, & le dict Chevalier luy r'envoyoit par escrit son advis. Ecquid absurdi erit credere, Mæserium in viridario Cœlestinorum hoc sibi somnium vinxisse?

PARISIENSIS, OXONIENSIS, PRAGENSIS & Romana, Academiæ.

EDitæ sunt ab Vdalrico Hutteno Equite Franco, 1520. Domini anno, aliquot Epistolæ Scholarum Pragensis, Oxoniensis, Parisiensis & Romanæ, de tollendo schismate, quod tunc erat, & Ecclesiastica libertate asserenda. Sedes tunc Pontificia Auinione consistebat in Regno Arelatensi. Itaque non mirandum est, quod Academia Romana cum cæteris potuerit conspirare, in tam longinqua Papæ absentia. Epistolis Academiarum adiuncta est & Cæsaris Wenceslai epistola, quam Tomo II. Constitutionum Imperialium publicauimus. Item Adhortatio quædam ad Germaniam, vt se illi libertatem ex Papali seruitute vendicet. *Quæ omnia scripta sunt*, ait Flaccius in Catalog. testiū verit. *ante annos 170. Duriter porrò inuehuntur in Cardinalium & Curtisanorum vitia, & tyrannidem super Christi Ecclesiam. Asserunt, Cæsarem habere ius patronatus super Papam & Romanam Ecclesiam: Papam cum Cardinalibus errare posse, & sæpè errasse: Cardinales non habere electionem Papæ aliquo diuino iure, imò etiam Cardinales ante Gregorium non fuisse: Cæsarem & Populum Romanum id ius antè habuisse, & adhuc ad se retrahere posse. Qui eas legerit, inueniet multa tunc adhuc habita pro Catholicis, quæ iam tanquam Lutherana & prorsus Hæretica damnantur, & ipsis inferis deuouentur.* Hæc & alia his similia Flaccius. Nos prioribus duabus Epistolis, quas à Frehero exspectamus, omissis, tertiam tantum hoc loco apposuimus, quæ summam illarum duarum continet.

M. JOHANNES HVS RECTOR Pragensis.

IN hoc tractatu Hussus defendendum suscepit Articulum 17. [illegible] Articulis XLV. Iohannis Wiclefi, quos Papani temerè condenauerant. Alibi alios ad disputandum & asserendum proposuit. Exstat tom. I. Operum Hussi determinatio de Prædicatione & auditione verbi Dei, qui est in Wiclefianis Articul. 14. facta Pragæ in lectorio Theologorum Collegii à Carolo IV. Imp. exstructi, in qua testatur vniuersam Academiam aduersari iudicio Doctorum Papanorum, qui XLV. Articulos condemnauerunt. Verba eius sunt: *Quia scienter vel sine rationabili examine condemnare veritatem in magnum salutis vergit periculum, dicente Domino Luc. 6. Nolite condemnare, & non condemnabimini: ideò ad effugiendū huiusmodi periculū, Prag. Vniuersitas, Rectoris, Magistrorū, Doctorū, Baccalaureorum & Studentium cōmunitas, in generali congregatione, condēnationi per Doctores factæ in pretorio, non cōsentiens, rationabilitatem condēnationis à præfatis Doctoribus expetit, vt cuiuslibet articuli XLV. Articulorum scriptura, authoritate vel ratione*

infallabili edoceant falsitatem. Quo facto praefata Vniuersitas condemnationi huiusmodi consentiet tanquam iustae? Scit enim ipsa Vniuersitas, quod, vt dicit Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, in fine: Quicquid homo extra scripturā sacram didicerit, si noxiū est ibi dānatur; si vtile est inuenitur; & cum quisq; inuenerit omnia, quae vtiliter alibi didicit, multò abundātius inueniet ea, quae nusquam omninò alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili vtilitate discuntur. Haec B. Augustinus. Et B. Gregorius lib. 23. Moral. dicit: Deus in scriptura sacra quidquid potest singulis euenire comprehendit, atque in illa per exempla praecedentium, etiam vitam sequentium informare curauit. Ex quibus verbis patet, quod quilibet Articulus XLV. Articulorum continet in toto falsitatem noxiam, is in sacra scriptura explicitè vel implicitè condemnatur. Secundò, ex sententia huius Sancti sequitur, quod si condemnatio XLV. Articulorum est vtilis, ipsa in scripturā sacrā inuenitur. Et cùm iterum dicat B. Augustinus ad B. Hieronymum in Epistola sua 8. & habetur dist. 9. Ego, inquit, solis eis scriptoribus, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem, hunc timoremq; referre, vt nullū eorum scribendo errasse audeā credere. Et infra: Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi per alios autores, vel canonicas vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat, persuadere poterunt. Ex isto dicto traxit & conclusit Pragensis Vniuersitas, quòd non vult condemnationem XLV. Articulorum factam per Doctores in pratorio, tanquam iustam & veram accipere, nisi condemnatores ipsam pro quolibet articulo de XLV. Articulis per sacram scripturam probauerint, vel per probabiles rationes. &c. Quinam autem fuerint isti XLV. Articuli, ne alibi quaeras eccum tibi ipsos ex Constantiensis Cōcilii Sess. 8.

TENOR ARTICVLORVM IOHANNIS WICLEFF.

I. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris.

II. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.

III. Christus non est in eodem sacramento identicè & realiter in propria praesentia corporali.

IV. Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

V. Non est fundamentum (aliàs fundatum) *in Euangelio, quod Christus Missam ordinauerit.*

VI. Deus debet obedire Diabolo. An hic articulus ab aduersariis est corruptus? Nam apud Bernhardum Luzenburgum in Catalog. haeretic. legitur, *dedit* pro *debet*.

VII. Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

VIII. Si Papa sit praescitus & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fidele sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Caesare.

IX. Post Vrbanum Sextum non est aliquis recipiendus in Papam, sed viuendum est more Graecorum sub legibus propriis.

X. Contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

XI. Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus vel excommunicatus.

XII. Praelatus excommunicans Clericum, qui appellauit ad Regem vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.

XIII. Illi qui dimittunt praedicare seu audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum sunt excommunicati, & in Dei iudicio (al. in die iudicii) *traditores Christi habebuntur.*

XIV. Licet alicui Diacono vel Presbytero praedicare verbum Dei, absq; auctoritate Sedis Apostolicae siue Episcopi Catholici.

XV. Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

XVI. De

Digitized by Google

XVI. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solùm actu, deliquentibus.

XVII. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

XVIII. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt parochiani, propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas auferre.

XIX. Speciales Orationes applicatæ vni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem quàm generales, cæteris paribus.

XX. Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus eo facto.

XXI. Si aliquis ingreditur Religionem priuatam qualemcunque, tam possessionatorum quàm Mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obseruationem mandatorum Dei:

XXII. Sancti instituentes Religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt

XXIII. Religiosi viuentes in Religionibus priuatis, non sunt de religione Christiana.

XXIV. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere; & non per mendicationem.

XXV. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subuenientibus.

XXVI. Oratio præsciti, nulli valet.

XXVII. Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

XXVIII. Confirmatio iuuenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

XXIX. Vniuersitates, Studia, Collegia, graduationes & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus.

XXX. Excommunicatio Papæ vel cuiuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

XXXI. Peccant fundantes Claustra: & ingredientes sunt viri Diabolici

XXXII. Ditare Clerum est contra regulam Christi.

XXXIII. Syluester Papa & Constantinus Imperator errauerunt Ecclesiam dotando.

XXXIV. Omnes de ordine Mendicantium sunt hæretici: & dantes eis eleemosynam, sunt excommunicati.

XXXV. Ingredientes Religionem aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad obseruandum diuina præcepta, & per consequens ad perueniendum ad regnum cœlorũ; nisi apostatauerint ab eisdẽ.

XXXVI. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eò quòd possessiones habent; & consentientes eis, omnes videlicet Domini seculares & cæteri laici.

XXXVII. Ecclesia Romana est synagoga Satanæ, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.

XXXVIII. Decretales epistolæ sunt Apocryphæ, & seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eas.

XXXIX. Imperator & Domini seculares sunt seducti à Diabolo, vt Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

XL. Electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum est introducta

XLI. Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

XLII. Fatuum est credere indulgentiis Papæ & Episcoporum.

XLIII. Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus & commercia ciuilia.

XLIV. Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, & instituerunt, & intrauerunt Religiones: & sic à Papa vsque ad vltimum Religiosum omnes sunt hæretici.

XLV. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.

Hos ergò articulos ait Hussus se noluisse damnare, quòd eorum errores ab aduersariis non potuerint demonstrari. Sed & Wenceslaum Imperatorem ab eorum doctrinâ non abhorruisse in *Vita Hussi* scribitur; & satis apparet ex ipsius Imperatoris edicto, quod *tomo 2. Constit. Imperial. fol. 96.* euulgauimus.

†††† DISCE-

Digitized by Google

DISCEPTATIO CVM CARDINALIBVS *Romanis.*

HVius Disceptationis auctorem, qui scripta Nili Archiepiscopi Thessalonicensis ediderũt, eundem fuisse perhibent. Quod mihi non fit verisimile, quum Nilus nomen suum nunquam supprimere solitus fuerit: iste verò auctor librum suum hoc modo præscripserit: Διάλεξις τινὸς Γραικοῦ καὶ Καλδιναρίων τινῶν ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. Sunt qui putent Nicolaum Cabasilam huius scripti auctorem exstitisse. Quisquis tandem fuerit, tempore Concilii Constantiensis vixisse videtur, & hanc Disceptationem Constantinopoli cum Legatis Romani Pontificis habuisse.

BARLAAMVS MONACHVS.

HIc in Anglia primùm à Iohanne Luydo publicatus est; & nuper in Germania repetitus à Cl. Salmasio, in cuius præfatione in hunc modum legitur: *De Barlaam Monacho, quem Nilo comitem addidimus, quid dicam non habeo. Nihil enim illius legimus, præter hunc breuem tractatum, Λογιστικὴν ipsius atque Ἀριθμητικήν. Doctissimum hunc fuisse liquet. Stilus tritus & subactus, nec prorsus ἀπελέκητος. Vixisse autem cum Pediasimo Chartophylace, Agathemero, Plethone, & aliis eiusmodi, nec procul abesse ab ætate Nili nostri facilè coniicio, si quid coniecturis fidendum est.* Pro cuius verbis Barlaamus iste videtur tempore Concilii Basiliensis floruisse.

IOANNES CHARLERIVS DE GERSON, *Cancellarius Parisiensis.*

EDita fuerunt hæc duo opuscula Venetiis, anno Domini 1607. quæ priùs in ipsius operibus non exstabant. Charlerii nomen auctori fuit gentilitium: Gersonis à Patria sortitus fuit, vico quodam diœcesis Rhemensis.

ANTONIVS DE ROSELLIS IC. ET *Consiliarius Cæsareus.*

IOan. Trithemius Abbas Spanhemensis in tract. de Scriptorib. Eccles. *Antonius Rosellus, natione Tuscus, vtriusque iuris Professor eximius, & celeberrimus interpres, ac aliarum bonarum artium disciplina plurimùm decoratus, ingenio præstans & disertus eloquio, qui in gymnasio Patauino multis annis iura docuit; scripsit multa præclara opuscula, quibus nominis sui memoriam posteris commendavit. Sed ego nihil eorum me vsquam vidisse memini. Fertur autem eius insigne opus, De Monarchia mundi, libro 3. In legibus varii tractatus, & alia complura. Moritur sub Friderico Imperatore Tertio, vegeta senectute, Patauii sepultus, anno Domini 1467. indict. 15.*

Ioannes Neuizanus I.C. in Sylua nuptiali, lib. 1. cap. 2. num. 152. *Contra Rosellum tenet Iaso in l. fi. Cod. de transact. Præterea dum agitur de potestate Papæ, Rosello ibi non est multùm credendum, quia illam Monarchiam composuit indignatus contra Eugenium, quem defenderat in Concilio Basiliensi, qui noluit eum creare Cardinalem expòst iuxta antepromissa excusando se, quòd dictus Antonius erat bigamus. Ob quod aufugiens à Curia composuit illum librum Monarchiæ. Et refert Berta. in tractat. de Episcop. char. 9. quæst. 25. & dicit Frater Syluester contra Lutherum char. 253. est libro secundo capit. 16. quòd iste miser Ant. Rosellus fuit vir impiissimus per Apostolicum Legatum & per Magistrum Henricum Inquisitorem iamdudum damnatus.*

Matth Flaccius Illyricus in Catalogo testium veritatis: *Antonius Rosellus, Doctor iuris, vir prudens ac bonus, vt quidam historici testantur, doctus certè, vt eius scripta indicant: scripsit librum titulo Monarchiæ. In eo probat, Papam non esse Dominum mundi, nec posse aut debere Cæsari imperare, nec omninò habere gladium temporalem. Affert quoque multas rationes, cur Papa non sit superior aliis Episcopis. Floruit ante annos 70.* Ex quo autem Flaccius hæc scripsit, anni sunt elapsi 56.

Electo-

Digitized by Google

Electores, Principes, ac cæteri Ordines Protestantes in scripto de Recusatione Concilii Trident. part. 2. caus. 3. fol. 46. *Certum est, Concilium vel Synodum aliud esse nihil, quam communem congregationem Ecclesiæ Dei seu fidelium, quemadmodum alicubi definit Concilium Anthonius de Rosellis, esse collectionem fidelium, &c.*

In eodem libro inter errores Roselli ponuntur ista, d. part. 2. caus. 8. num. 109. *Quod Papa solus possit rem vni auferre, & dare alteri, vt Anton. de Rosellis in tract. de Conciliis arbitratus est.* Et prius num. 95. *Quod Papa sit maior Paulo, & Petro par in administratione. Anton. de Rosellis in tract. de Conciliis.* Et iterum num. 97. *Quod solus Petrus visus sit per mare ad Christum venire, quodque id mysticè designauerit totum orbem futurum sub imperio & dominatu Papæ, vt ex Ant. de Rosellis citat Marcus Mantua.* Et num. 112. *Quod Papa sit lumen fidei, & quasi Sol & splendor vnitatis: sicut ei tribuit Ant. de Rosellis.*

Et Antonius Hotomannus I C. & Consiliarius Regius lib. de Libertatib. Eccles. Gallicanæ, fol. 321. *La grande dispute a esté principalement agitée en France pour la grandeur de la dignité du Pape, à sçauoir si le Pape est par dessus l'auctorité du Concile. Car on y à tousiours tenu que non, & ce par l'aduis du College de Sorbonne à Paris, comme tesmoigne M. Iehan Gerson. Consider. 10. de potest. eccles. Petrus de Aliaco, Quæstione vesperis habita, Vtrū Petri Ecclesia lege reguletur: Iacob. Almain de Auct. Eccles. Qui fut la dispute du temps du scisme, pour lequel furent faicts les Conciles de Constance & de Basle, ou la cōmune resolution estoit que le Concile est par dessus le Pape, sess. 2. & 18. Les Legistes pour la pluspart tenans le contraire, comme Petrus à Monte, Anthonius de Rozellis, & autres: dont les Conseils sont au sixiesme volume des Conseils: & la raison en est cy recitée de Gerson, quia tantum respiciunt Decretales cum glossis, allegationibus & concordantiis.* &c.

GREGORIVS DE HEIMBVRG I. C. *& Consiliarius Austriacus.*

HIc Commentarius olim à Flaccio editus fuit in *Antilogia Papæ*; & nuper recusus in libro, cui titulus; *A Pii Papæ II. excommunicatione iniusta Sigismundi Archiducis Austriæ, Comitis Tyrolis, & Gregorii de Heimburg D. Appellationes & contradictiones* &c. ad quem Lector veritatis studiosus interuisat, si iustam Principum potestatem, & iniustam Papæ tyrannidem cognoscere cupit ac desiderat.

M. WESSELVS CRONINGENSIS.

HVius opuscula princeps collegit atque edidit Andreas Palæosphra siue Athamerus Wittenbergæ anno 1522 quod exemplar mihi ex bibliotheca sua. V. A. Ludouicus Camerarius Consiliarius Palatinus commodauit: sed multis tractib. auctiora luci restituit Martinus Lutherus, cum memorabili in primis elogio, Basileæ eodem anno apud Adamum Petri excusa.

In Cathalogo testium veritatis leguntur de hoc auctore, quæ sequuntur: *D. Vesselus, vel Basilius, eodem tempore vixit cum M. Iohanne de Wesalia: sed tamen fuit eo aliquantò iunior, fueruntq; mutua amicitia iuncti. Mortuus est anno 1490. Scribit in quadam epistola, se putare, quòd mox condemnato Vesalia, ad se examinandum Inquisitor sit venturus. Fuit alioqui adeò celebris, vt Lux mundi vulgò vocaretur. Testatur in quodam scripto suo, se Parisiis, Romæ, & in multis aliis celeberrimis locis disputasse, suamq; de religione sententiam defendisse.* Et paulò post: *Primatum Papæ in libro Sacramenti Pœnitentiæ, omninò reiicit. Negat prorsus posse aliquem supremum per orbem terrarum inspectorem constitui. Sæpè autem asserit, Papam nihil Imperio mandare posse; sed tantum veritate, seu quatenus alicui veritatem probitatemque sua sententia ostendit, ita & eatenus eum obligare. Non plus eum vrgere mandando, quam docendo. Qua ratione & quiuis Christianus alteri imperare potest. Alicubi etiam docet, quòd quoniam Papa & spirituales pietati sunt contrarij, ideò sint Antichristi. Testatur quoque idem Veselus, quòd Patres, qui ante Albertum & Thomam fuerunt, indulgentijs Papalibus restiterint: affirmarintque in suis scriptis, eas esse merum idolum, fraudem & errorem. Addit quoque, quod nisi sana paucorum Theologorum seueritas hactenus indulgentiis Papæ restitisset, immensi errores inde pullulassent. Extat in*

In Veseli opere epistola ab alio ad ipsum scripta, in qua author testatur, suo tempore fuisse Parisiis doctum quendam virum, M. Thomam de Curselis Decanum, qui cum in Basiliensi Concilio nonnulli nimio plus potestatem Papæ efferrent, dixerit, sibi à Christo dictum; Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum, &c. non, Quicquid dixeris esse ligatum. Qui hoc nimirum dicere voluit; Papam non posse ligare, nisi cum iustitia rei postulauerit. Huius Thomæ longa & erudita oratio in Commentariis Sylvij extat, qua ille potissimum probauit, Concilium supra Papam esse, &c.

Editus est separatim ab aliis libellis quidam eius Germanicus liber, titulo de Subditis & superioribus, seu quòd subditi non usquequaque suis Rectoribus obedire cogantur. In eo admodum multa & grauiter contra Papæ & Prælatorum tyrannidem disputat. Asserit, non nisi rectè sentienti, seu credenti Papæ parendum esse. Papam errare posse: & cum errat, ei modis omnibus resistendum esse. Papam pessimè reditus Ecclesiæ dispensare, & Ecclesias dignissimis per Simoniam ob pecuniam aut alias vtilitates & obsequia tradere. Vnde liquidò colligi queat, eum non curare Deum, nec Ecclesiæ salutem. Mandata Papæ & Prælatorum non aliter, nec longius obligare, nisi quatenus cum verbo Dei conueniant, seu quatenus eos res ipsa obliget. alioqui esse tantum veluti consilia, sicut medicorum præcepta. Papam nihil sub pœna peccati mortalis præcipere posse, si id Deus non prius præcepit. Dicit claues Papæ ac Prælatorum non eas esse, quibus regnum cælorum aperiant, sed claudant potius, sicut & Pharisæi. De votis disputat, stulta & impossibilia vota rescindenda esse. Auditores posse & debere iudicare de doctrina suorum Prælatorum, & non omnia temerè sine vllo discrimine accipere. Vbi simul refutat & declarat diligenter omnia obiecta; Super cathedram Moysi, &c. Item Petri; Obedite Præpositis vestris, etiam difficilibus. Demonstrat quoque, pluris faciendam esse sententiam, quin & excommunicationem hominis pij ac docti, quàm Papæ: sicut Constantiense Concilium magis Ioannem Gersonem, quàm Ioannem XXIII. Item Olimpij magis Bernardum quàm Eugenium audiuerunt. Quin etiam ostendit, Christianos etiam infimæ conditionis, Papæ eiusque Prælatis tam malè agentibus, & regentibus, modis omnibus resistere debere. Nec etiam obscurè indicat, Papam cum suis Prælatis esse ipsissimum Antichristum. Recitat etiam tetras historias Pij II. & Sixti IIII. quarum etiam in Latinis opusculis meminit. Dicit, Pium II. sibi quadam bulla omnia mundi regna vsurpasse: Sixtum verò, non tantum de factis iuramentis in rebus politicis dispensasse, sed etiam de fiendis. Quod nihil aliud fuit, nisi dare ius ac facultatem peierandi, & homines decipiendi.

Nunc, quia dictum est, Ioannem de Wesaliâ eandem cum Wessèlo doctrinam tradidisse, & familiaritate fuisse coniunctum, non ab re videtur, & Wesaliensis huius dogmata hoc loco subscribere, vt veritas tot præstantium pietate & eruditione virorum calculis indubitabiliter confirmetur.

M. IOANNES DE WESALIA,
Sacrarum Literarum Doctor, ac Concionator Wormatiensis.

DE hoc sic legitur in Catalogo Luzemburgi; *Iohannes de Wesalia superiore, Doctor Theologiæ, Prædicans secularis in diuersis locis, Bohemis communicans, condemnatus fuit, & eius libri combusti fuerunt Maguntiæ sub Friderico Imperatore Tertio, per P. Gerardum de Elten Inquisitorem & P. Iacobum Sprenger, Doctores sacræ paginæ, Ordinis Prædicatorum Conuentus Coloniensis, & per alios Deputatos propter istos errores, quos proprio ore confessus est in iudicio:*

I. Visibilis Ecclesia potest errare, & errauit, nec tanta est autoritas eius, vt errare non possit.

II. Concilia generalia non sunt in Spiritu Sancto legitimè congregata.

III. Omnes homines tenentur non obedire sanctionibus talium Conciliorum.

IV. Pontifex Romanus, Papa scil. legitimè institutus, non est Vicarius Christi.

V. Apostoli & eorum successores Prælati Ecclesiæ, non habent à Christo autoritatem condendi canones seu leges.

VI. Non licet Prælatis in tempore nouæ legis consilia post Iesum data statuere pro præceptis, vt faciant iugum Christi amarum, & onus Euangelij graue: & ita damnat quascunq; Religiones & Regulas per SS. Patres institutas, & à Sede Apostolica approbatas.

VII. Omnes Presbyteri & Episcopi sunt pares, & quod potentia diuitiarum & paupertatis humilitas vel inferiorem vel sublimiorem Episcopum facit.

VIII. Quod

Digitized by Google

VIII. Quòd vnus Episcopus sit super alios, & Papa super omnes, factum est non à Christo, sed hominum electione.

IX. Nulli Christiani, quantumcunque docti, habuerunt autoritatem exponendi verba Christi, nec etiam tota Ecclesia.

In Paralipomenis Abbatis Vrspergensis ita scriptum est: *Sub Diethero de Isenburg effectum fuit per Iureconsultos & Curiæ Romanæ fautores, vt Ioannes Wesalia probatissimæ vitæ Theologus, Concionator Wormatiẽsis examinaretur: quoniam de mandatis Apostolicis, de ieiunio, de indulgentiis, vt videbatur, minus rectè sentiret. Paradoxa hæc ferebantur à quibusdam Thomistis ex illius concionantis ore fuisse excepta, mox damnata per M. N. hæreticæ prauitatis Inquisitores, M. N. Gerhardum de Elten de Colonia, & M. N. Iacobum Sprenger, anno Domini* MCCCCLXXIX. *Mogontiæ.*

I. An Prælati habeant authoritatem instituendi leges? Respondeo, quod non; quia Christus in Euangelio dicit discipulis suis: Euntes in vniuersum mundum, &c. Ecce commisit prædicare Euangelium: ergo non debent nec possunt nouas leges facere; sed debent fideles ad hoc inducere, vt seruent Euangelium. Item; Docete omnia, quæ mandaui vobis.

II. Omnes Christiani, quantumcunque docti & sapientes, non habent autoritatem exponendi verba Christi. Quis vellet dicere inter homines verba Christi, quam ipse prætendit in suis verbis, nisi ipse solus?

III. Quare oculati expositores, exponendo comportant textus, vnum exponendo per alium.

IV. Indulgentias nihil esse credit.

V. Glossæ per omnia non credit.

VI. Doctorum scriptis, etiam sanctorum quantumcunque, per omnia non credit.

VII. Mandata Ecclesiæ non ligant ad peccatum.

VIII. Sola Dei gratia saluantur electi. Et quem Deus vult saluare donando sibi gratiam, si omnes Sacerdotes vellent ipsum damnare, aut excommunicare, adhuc saluaretur ille. Et quem Deus vult damnare, si omnes Presbyteri, Papa, & alii vellent hunc saluare, adhuc iste damnaretur.

IX. Quod timeat, quod nostri Doctores malè, fictè & falsè exponant sacram scripturam.

X. Si nullus Papa vnquam fuisset, adhuc saluati fuissent hi, qui saluati sunt. Et quòd Papa, & Episcopi, & Sacerdotes nihil sint ad salutem, sed sola concordia sufficit, & pax hominum, & pacificè viuere.

XI. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, sic scilicet, quod velit potestatem non esse.

Hæc, quo ad institutum nostrum, ex dictis Paralipomenis excerpenda duximus, vt cum Wesseli dogmatis collata comprobarentur. Verum alios eius Articulos Theologicos, quia nihil ad rhombum, prætermisimus. De quibus tamen adscribam iudicium eius, qui ipsi examini interfuit, & rem gestam in acta retulit. Illud sic habet: *Dempto solo articulo, de Processione Spiritus sancti, in aliis videtur non ita graui censura fuisse castigandus, si induciæ datæ fuissent, si consultores ei fuissent adhibiti, si non omnes, vno solo dempto, fuissent de via Realium. Et nisi forsitan impetus quidam irrepsissent in Religiosos triumphandi de seculari, & præsertim de eo, qui illorum Thomam peculiariter non coluerat, forsitan poterat cum eo mitiùs, humaniùs & clementiùs benigniusq́ actum fuisse. Deum testor, qui omnia nouit; hunc processum, qui cum eo seruatus fuit, vsque ad reuocationem & librorum suorum exustionem, vehementissimè displicuisse M. Engelino de Brunsuico, maximo Theologo, & M. Ioanni Keisersbergio, duobus vtique viris cum doctis, tum integris. Præcipuè M. Engelino visum fuit nimis præcipitanter cum tanto viro actum esse. Immò non verebatur asserere, multos articulos eius, & maiorem partem posse sustineri Nec obtinuit de simultate Thomistarum contra modernos, & de gaudio triumphandi Religiosorum contra seculares.* Hæc acta exstant, & simul impressa sunt cũ duobus libris Æneæ Syluii de concilio Basiliensi.

In Catalogo testium veritatis legitur: *D. Ioannes de Vesalia, Concionator Wormaciensis, floruit circa* 1470. *annum.* Et aliquantis interiectis: *Iacobus Wimpflingus testatur, eundem Vesaliam docendo & scribendo non parùm scholam Erfordensem illustrasse. Audio Erphordiæ eius scripta adhuc inueniri posse. Ego tantum eius libellum contra Indulgentias habeo, vbi affirmat, necessaria ad salutem omnia in sacris literis contineri. Indulgentias refutat, ac etiam veteres quosdã, præsertim Cantorẽ Parisiensem solitum affirmare: Indulgentias esse pias fraudes, quia per eas laici ad eleemosynas dandas alliciantur. Item docet, Papæ primatum esse humanum inuen-*

tum. Huius tractatus *De indulgentiis Ecclesiæ*, mentionem quoque facit Bernardus Luzenburgus in sæpius citato Catalogo Hæreticorum.

M. IACOBVS ALMAIN, DOCTOR AC Professor Parisiensis.

EDidit quondam Ockamus librum, qui exstat impressus cum hoc titulo: *Magistri Guilhelmi de Ockam super potestate summi Pontificis octo quæstionum decisiones*. Quem cùm quidam maleferiati Pontificum adulatores incessere non vererentur, M. Almainus, primarius tum in Sorbona Parisiensi Professor, publicè ad explicandum & à maleuolorum morsibus vindicandum auditoribus suis proposuit. Earum prælectionum exemplar Parisiis olim excusum nobis, vt huic Tomo insereremus, concessit Marq. Freherus à Kessingen Consiliarius Palatinus. Ockami librum pariter daturi fueramus, nisi is tardius, & tomo hoc iam ad vmbilicum perducto, ad nos fuisset perlatus. Eum in sequenti Tomo cum cæteris eiusdem Ockami scriptis, Deo volente exhibebimus. Quòd vtinã intereà & alter Almaini liber de Potestate Ecclesiastica scriptus contra Cardinalem Caietanum alicunde expatrari possit: de quo est in Bibliotheca Gesneri. Facit eius mentionem etiam Flaccius in Catalogo testiũ veritatis, in hæc verba: *Iacobus Almain Magister Parisiensis, scripsit anno 1512. quendam libellum satis acutè & diligenter contra Thomam Caietanum, in quo probat, Concilium & Ecclesiam esse supra Papam; & alioqui primatum Papæ non parum extenuat. Impressus est liber Coloniæ, anno 1514. Affirmat quoque multos studio adulandi, & beneficia obtinendi, nimium extollere Papæ potestatem.*

Electores, Principes, ac cæteri Ordines Protestantes in scripto de Recusatione Concilii Tridentini, part. 2. caus. 8. fol. 226. *Et hanc ipsam opinionem* (sc. Pontificum iuris nõ esse, Imperium & regna orbis Christiani tribuere & adimere, cui & quando libeat) *grauiter etiam Scholastici Theologi impugnarunt: Gulielmus Occam Dialog. lib. 6. part. 1. c. 9. & in tract. de Potest. Ecclesiastica, q. 2. c. 8. & Iacobus Almain in tract. de Potest. Ecclesiæ.* Et part. 2. caus. 9. fol. 267. *Quam tamẽ sententiam* (sc. Papam esse supra omnia Concilia) *& Scholasticis Theologis, & antiquissimis Patribus semper displicuisse, nemo est qui inficias ire possit, constatque omnes vno ore in eo conuenire, quòd Papa subiectus & inferior esse debeat Ecclesiæ & Conciliis, & ab iisdem quoque diiudicari, ac, si opus sit, remoueri possit ab officio. Qua de re copiosè Gerson in tract. de Potestate Ecclesiæ; & altero, de Auferibilitate Papæ ab Ecclesia. Item, Iacobus Almain in tract. de Potestate Ecclesiæ contra Thomam Vionensem.* &c.

Antonius Hotomannus I. C. & Consiliarius Regius lib. 1. de Libertatib. Ecclesiæ Gallicanæ, fol. 296. in fin. *Il est defendu de s'addresser en facon du monde au iuge d'Eglise, que le possessoire, qui est de la iurisdiction Royale, ne soit entierement iugé ou executé: mesme pour les despens, dommages & interests. Et cette proposition estoit, & est approuvée par la Faculté de Theologie: ainsi que l'an mil cinq cent & douze, atteste Maistre Iacques Almain, vn des plus celebres Docteurs de Sorbonne, disant: Verumtamen Ecclesiasticus Iudex non debet attentare, vbi iudex laicus paratus est cogere, ne in grauamen Principum videatur Christus hanc potestatem indulsisse: Quæst. in vesp. hab.*

Robertus Bellarminus in tract. de Potestate sum. Pontif. in temporalibus, fol. 14. editionis Coloniensis: *Iacobus Almain in tract. de Suprema potestate Ecclesiastica & temporali, quæst. 2. principali, quæ est de suprema potestate laica, ca. 5. ad tertiam allegationem: Papa, inquit, potest Imperatorem deponere in duobus casibus: primus, pro crimine purè spirituali, vt est hæresis: secundus, quando illi, ad quos spectat iure ordinario, sunt negligentes, ipsum deponere. Ibid. ad quartã allegationem, sic ait: Si gens Imperii efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectam, dimittẽdo sectam Christianã, posset propter hoc Papa illam gentem priuare dignitate Imperiali, & sic transferre in aliam gentem.* Hæc Bellarminus adduxit ad stabiliendam potestatem Pontificiam in temporalibus. Quid est calumniari, mi Lector, si hoc non est calumniari? Almainus repetit quæstiones Ockami, quas ille prò & contrà, vt in scholis loquimur, recensuit; primo loco eorum, qui pro Papa; secundo eorum, qui pro Imperatore pugnabant. Iam hæc verba sunt eorum, qui à Papa contra Imperatorem steterunt, quorum sententiam & Ockamus, & Almainus non obscurè improbare videntur.

Lege,

Digitized by Google

Lege, Lector, Tomi huius fol. 628. & iunge Ockami verba in Tomo secundo, quem paramus, ac dices me verum dicere, simulque disces, quo pacto id genus homines adulatores dicta sapientium torquere & interuertere soleant.

BEATVS RHENANVS Selestadiensis.

EDitum in lucem primo fuit Basileæ opus Marsilii Patauini, quo is sub nomine *Defensoris pacis* Apologiã pro Ludouico IV. Imperatore instituit. Ei editor præfationem præfixit sub persona *Licentii Euangeli Sacerdotis.* quem Ludouicus Lauaterus, Canonicus & Professor Tigurinus, sua manu annotauit fuisse Beatum Rhenanum. Cui fidem ideò arbitrandam duximus, quòd Rhenani consuetudine non incuriosa vsus fuerit. Exemplar & Chirographum paternum nobis commodauit Ioh. Rudolphus Lauaterus, optimi patris optimus filius, quippe qui generis claritatem non minùs, quàm pater, reconditis Philosophiæ ac Theologiæ ornamentis, quibus supra vulgus præstat excellitq́;, in illustri Gymnasio Hanouiano nunc illustret. Hoc scribo non tam quòd amicus meus sit, (quibus assentari ratio mea non sustinet) quàm vt tanti viri testimonio fidem certiorem auctori conciliem. Porrò ipsum Marsilii Defensorem cum manuscripto collatum, & auctiorem redditũ, in sequenti Tomo præsentabimus, si Deus voluerit.


Qui sequuntur Tractatus, nulla indigent dissertatione, quòd & recentes sint eorum auctores, & scripta ad amussim polita, quorum bonam partem debemus Regio Consiliario, Viro Nobilissimo atque Amplissimo, cuius studio in Rempubl. vt Deus Opt. Max. fauere velit, id eum veneror. Et quamquàm hi scriptores sint nuperi & Lutheri ortu posteriores, tamen Catholicis Romanis eò debent esse commendabiliores, quòd Romanæ Ecclesiæ constanter adhæserint.




AGO



Digitized by Google



AGOBARDI ARCHIEPISCOPI LVGDVNENSIS ET PRIMATIS AQVITANIÆ,


LYON

Epistola.

DE MONARCHIA IMPERII FRANCICI, ET diuisione Regnorum Italiæ, Galliæ, Germaniæ, &c. inter hæredes LVDOVICI PII *Imperatoris, sub recognitione vnius Monarchæ. Anno Domini* DCCCXXXIII.


LYON

Domino gloriosissimo LVDOVICO Imperatori.

CVM vnusquisque Fidelis, omni Fideli, fidei sinceritatem debeat, dubium non est, quod præcipue Fideli Prælato, cui Respublica ad gubernandum commissa est, fides seruanda sit, ab omnibus qui diuinæ dispositioni fideliter subiecti sunt, sicut Apostolus docet: *omnis*, inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quanquam circa nullum infideliter agendum sit; propter quod & alius Apostolus dicit, *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum*: & docemur *orare pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate*. Et in alio loco dicitur: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram sed propter conscientiam*. Cum autem hæc ita sint, & omnes vobis fideles esse debeant; quomodo quisquam vobis fidelis esse poterit, si videns, aut intelligens vestrum periculum, non se ingerit quantum potest, vt vobis indicet, & cognitum faciat, si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur? Testor omnipotentem Deum, qui scrutator est cordium & renum; quia nulla alia extat caussa, pro qua hæc scribere præsumo, nisi quia doleo, quantum dicere non possum, de periculis, quæ vobis imminere videntur, & maximè animæ. Nam quanto excellentior substantia est anima corpore; tanto excellentiori sollicitudine curam animæ gerere debemus, quàm corporis, ita Domino docente in Euangeliis, sicut ipse optimè nostis. Anno itaque præsenti, in attritione, & commotione, agitatione, & afflictione terræ, & habitantium in ea; quanta mala increbuerint, nemo hominum est qui enumerare possit nulla exigente caussa, nulla compellente necessitate, vt ita fieri oporteret certamina, quæ tenemus, quia si voluissetis, tranquillam & quietam vitam ageretis cum filiis vestris, non minus quam pater vester, & auus. Adsit omnipotens & misericors Deus, qui habitator est pectoris vestri; adsit etiam patientia vestra, quâ cæteros homines præcellitis; vt hæc quæ suggero, tranquillè audire & perpendere dignemini.

In illo tempore, quando filium vestrum participem nominis vestri facere curastis; ita in publicum vestrum interrogando hoc inchoastis, dicentes: *Quod ad stabilimentum Regni pertinet, & ad robur regiminis, debet homo differre, an non?* Cumque omnes respondissent, *quod vtile & necessarium est, non esse differendum, sed potius accelerandum*; statim vos, quod cum paucissimis tractaueritis, omnibus aperuistis; & dixistis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui incerta est mors; vt dum vaferetis, nomen Imperatoris vni ex tribus filiis vestris imponeretis, in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis. Propter quam cognoscendam iniunxistis, vt facerent omnes ieiunium triduanum, offerrent Sacerdotes sacrificia Omnipotenti Deo, qui suauis, & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus inuocantibus se: erogaretur quoque ab omnibus Eleemosyna per illud triduum solito largior, vt omnipotens Deus, qui summa benignitate regit corda in se sperantium, infunderet in corde vestro voluntatem suam, & non fineret super alium inclinari voluntatem vestram, nisi super eum qui sibi placuisset. Itaque perfecistis omnia quæ in tali re facienda erant, tali fide & spe, vt hoc à Deo vobis infusum & inspiratum nemo dubitaret. Cæteris filiis vestris designastis partes regni vestri, sed vt vnum Regnum esset non tria, prætulistis eum illis quem participem Nominis vestri fecistis; Ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare & roborare, & consortem nominis vestri factum, Romam misistis à summo Pontifice gesta vestra pro-

banda & firmanda, ac deinde iurare omnes iussistis, vt talem electionem & diuisionem cuncti sequerentur ac seruarent. Quod iuramentum nemini visum est spernendum, aut superfluum, sed potius opportunum, atque legitimum; eò quod ad pacem & concordiam pertinere videretur. In processu quoque temporis quotiescunque aut quocunque Imperiales Literæ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant. Postea verò mutata voluntate, conuulsa sunt statuta, & de literis nomen omissum est, & in omnibus contraria attentata sunt. Cum neque per seipsum Deus, neque per Angelum, neque per Prophetam vobis dixerit: *Pœnitet me ita constituisse*: Sicut de Saule dixit Samueli, adhuc quoque nescitis qualiter in secretis Dei consilii, definitum sit.

Et ecce sine nulla ratione & consilio, quem cum Deo elegistis, sine Deo repudiatis, & cuius voluntatem in eligendo quæsistis, non expectato exitu voluntatis eius, rem probatam reprobatis. Non ignorat prudentia vestra, quod sequendus est Deus, non præcedendus. Nam qui præcedere vult, tentat, quod non est ex fide; dicente ipso Domino: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Oro, Domine mi, adsit benignissima pietas vestra, ne aspernanter ista accipiatis, sed potius ingredimini sacrarium mentis vestræ cum Deo, & loquimini cum illo mediante fidei pietate, & inuenietis vos dixisse Deo non verbis sed rebus, *Domine rogauimus & deprecati sumus faciem respectus tui suppliciter, vt tua illuminatione & gubernatione eligeremus participem Imperii: sed quia tecum bene non fecimus, sine te melius consilium inuenimus.* Absit, absit; auertat Deus à vobis vt inspirationem Dei repudietis, & voluntates hominum carnalia tantum sapientium statuatis; vt in errorem inducamini, & deducamini. Obsecro clementiam vestram, vt secundum à Deo vobis collatam prudentiam perpendatis, quomodo beatus Iacobus Apostolus reprehendat eos, qui propriis animorum motibus proponunt aliquas effecturas sine prospectu diuinæ permissionis, dicens: *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras ibimus in illam ciuitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastinum: quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.* Pro eo vt dicatis, *si Dominus voluerit*, &, *si vixerimus, faciemus hoc, aut illud*; & cauere ab hominibus qui sequuntur Spiritum suum, quia non omnium est fides, cognouit Dominus qui sunt eius, & quicunque eius sumus, quantulacunque veritatis luce fruimur, & veritate illuminante sinceriter vos amamus, fideliter vestram sempiternam fœlicitatem exoptamus: & idcirco tanta mala, tanta scelera isto anno ex hac occasione perpetrata dolemus, & timemus valdè ne in vos furor Dei concitetur. Recordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quàm cognouimus semper in assiduitate orationum, in Psalmis & Hymnis, & Canticis spiritalibus cantantem & psallentem Deo in corde puro, in contritione cordis, in compunctione placidæ mentis, in solicitudine misericordiarum, & omnium bonorum strenuitate. Et ideo vt dictum est, timendum nobis videtur ne tepescat, ne frigescat, optandum vero vt feruescat perseuerando vsque in finem, vt salus sempiterna sequatur.

Et quia superius de legitimo & opportuno iuramento mentio facta est, videtur mihi non celandum excellentiæ vestræ, quod multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria & diuersa iuramenta, & non sola murmuratio, sed tristitia, & detractio, aduersum vos; quod mihi vsquequaque displicet, quorum murmuratio ad illud pertinere eis videtur, quod Beatus Hieronymus in expositione Hieremiæ dicit in illo loco, vbi Propheta ait; *Et iurabis, viuit Dominus, in veritate & in iudicio & iustitia.* Ait ergo prædictus Doctor; *simulque animaduertendum, quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, Iudicium atque Iustitiam: si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium.* * * *

Videntur aliqua deesse.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS ADMONITIO

DE POTESTATE REGIA ET PONTIFICIA, *& de vtriusque regiminis administratione:*

AD CAROLOMANNVM REGEM, LVDOVICI BALBI Imperatoris filium, & Episcopos Franciæ. Anno Domini DCCCLXXXIV.

CAPVT I.

Mundus regitur duplici potestate.

DOCTRINA est Christiana secundum sanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, qua Deo ac Domino nostro Iesu Christo, conditore & redemptore nostro, qui simul solus Rex & Sacerdos fieri potuit, in cuius *nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium & infernorum*, disponente, sicut B. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem dicit, & in gestis, quæ nuper apud Martyrium S. Macræ in Synodo gesta sunt, partim continetur, *duo sunt quibus principaliter*, vnà cum specialiter cuiuscunque curæ subiectis, *mundus hic regitur*, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus personis, sicut ordine sunt diuisa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine ac professione ordinationum officia. *Quamuis enim membra veri Regis atque Pontificis secundum participationem naturæ magnificè vtrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, vt simul Regale genus & Sacerdotale subsistant: memor tamen Christus fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnificà temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus (vt ante aduentum eius in carnem Pagani Imperatores, qui iidem & Maximi Pontifices dicebantur) intercipi; vt & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.*

CAPVT II.

Pontificum dignitas quomodo sit maior quàm Regum.

SEd tantò grauius pondus est Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. & tanta est dignitas Pontificum maior, quàm Regum, quia Reges in culmen Regium sacrantur à Pontificibus; Pontifices autem à Regibus consecrari non possunt. Et tantò in humanis rebus Regum cura est propensior, quàm Sacerdotum, quanto pro honore & defensione & quiete sanctæ Ecclesiæ, ac Rectorum & Ministrorum ipsius, & leges promulgando, ac militando à Rege regimen eius curæ onus impositum.

CAPVT III.

De distincta vtrorumque potestate, & Episcoporum proprio officio.

DIligenter igitur quisque debet in ordine & professione sua, quo nomine censetur, attendere, & maiorem in modum prouidere, ne à nomine discordet officio. Quia, sicut legimus in sacra historia, Ozias Rex præsumens incensum ponere, quod non Regii, sed Sacerdotalis erat ministerii, lepra est à Deo percussus, & de templo à Sacerdotibus eiectus, & in domo sua est vsque ad mortem reclusus. Et S. Cyprianus in *decimo gradu Abusionum*, per quem seculi rota, si in illo fuerit, decipitur, & ad Tartari tenebras nullo impediente iustitiæ suffragio per iustum Dei iudiciũ rotatur, de neglegente Episcopo dicit: *Si fuerit Episcopus neglegens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab Episcopo, quid sui nominis dignitas tenet, inquiratur, quoniam cum* EPISCOPVS *Græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis Prophetæ persona Episcopo officii sui rationẽ denunciat, ita inquiens: Speculatorẽ dedi te domui Israhel.* & reliqua, quæ non perfunctoriè neque rarò legere & meditari debemus, qui vocamur hoc nomine.

CAPVT IV.

Duo Sacerdotum sunt Ordines constituti.

IN veteri Testamento Dauid Rex simul & Propheta, præfigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui, vt præmisimus, solus Rex simul & Sacerdos fieri potuit, duos in Sacerdotibus ordines constituit: in Summis videlicet Pontificibus, & in minoris ordinis Sacerdotibus, qui nunc Presbyteratus funguntur officio: ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicumque Sacerdotum optimus putaretur, ei in Pontificatum succederet. Et in nouo Testamento Dominus noster Iesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut S. Gregorius, & cæteri Catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios septuaginta duos, quia, vt duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare nemo est qui dubitet, sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est: tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica Scriptura testis est, vtriq; Presbyteri, vtrique vocabantur Episcopi; quorum vni sapientiæ maturitatem, alteri industriam curæ pastoralis significant, quorum licet in quibusdam sint discreta officia dignitatum, vno nomine sacræ regulæ comprehendunt. *Nulli*, inquiunt, *Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare, quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* id est, non minus Schismatici in sanctarum traditionum sanctiones delinquentes, quàm Hæretici, à recta fide discedentes, donec conuertantur, & vnitati sanctæ Ecclesiæ incorporentur, ab eadem Ecclesia sunt separandi. *In Episcopis* enim, vt beatus dicit Ambrosius, *omnes ordines sunt*, quia primus Sacerdos est, hoc est, princeps Sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, & cæterorum ministrorum in se officia continens ad implenda ea in ministerio fidelium.

CAPVT V.

Principi curandum, vt Episcopus idoneus & ritè eligatur.

QValiter autem consensu Principis terræ, qui res Ecclesiasticas diuino iudicio ad tuendas & defensandas suscepit, electione Cleri & plebis quisque ad Ecclesiasticum regimen absque vlla venalitate prouehi debeat, & Dominus in Euangelio, & sacri Canones apertè demonstrant, dicente Domino: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Quales autem ad Episcopatum debeant promoueri, Apostolica & Canonica decernit auctoritas. Vnde Principi terræ magnoperè prouidendum atque cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, & cæteri ab offensione saluari. Nullius enim rei intuitu eligendus est Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere præsentis vel futuræ sub spe retributionis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel seruitio temporali, aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut diuinæ auctoritati: sicut & de Presbyteris, sicut sacra demonstrat auctoritas.

CAPVT VI.

De Episcopali cura.

QValiter autem ordinati ministros sibi suppositos regere debeant, sacri Canones & Decreta Sedis Romanæ Pontificum, sed & sextus decimus liber Legum, quibus vnà cum sacris Canonibus sancta moderatur Ecclesia, patenter ostendunt. Quàm pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines debeant dispensare, B. Gregorius in homilia Euangelii: *Misit Iesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis & dicens: In viam gentium ne abieritis*: Et in homilia Euangelii: *Vidit Iesus ciuitatem, & fleuit super illam*, apertè ostendit. Qua verò discretione ligare vel soluere debeant subditos, in homilia Euangelii: *Cum serò factum esset vna sabbathorum*, luculenter demonstrat. Qualiter autem quisque ad culmen regiminis, videlicet Episcopatus, veniat; atque ad hoc rectè perueniens, qualiter viuat; & benè viuens, qualiter doceat; & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, B. Gregorius *in Pastorali regula* sufficienter & eloquentissimè docet.

CAPVT VII.

Regis officium describitur.

QValis denique Rex debeat esse, B. Cyprianus in nono Abusionis gradu demonstrat docens: *Etenim Regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus Rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? Quoniam in iustitia Regis exaltatur solium, & in veritate Regis solidantur gubernacula populorum. Iustitia verò Regis est, nemi-*

est neminem iniustè per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum & proximum suum iustè iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super Regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios Consiliarios habere, magorum & ariolorum Pythonissarumq; superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter tolerare, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Væ enim terræ, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt. Hæc Regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad cœlestia Regna meliora perducunt. Qui verò Regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum aduersitates Imperii tolerabit. Idcircò enim pax sæpe populorum rumpitur, & offendicula etiam de Regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorum præpediuntur, multi & varii dolores prosperitatem Regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus prouincias vndique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestas aëris & hyemis turbata terrarum fœcunditatem, maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus, segetes & arborum flores & pampinos quosque exurunt. Super omnia verò Regis iniustitia non solùm præsentis Imperii faciem offuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se Regni hereditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis Regnum domus Israhel Dominus de manibus filiorum eius dispersit; & propter iustitiam Dauid Regis lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iustitia Regis sæculo valet, intuentibus perspicuè patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimet ipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat Rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque, quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa pœna futura habebit.

CAPVT VIII.

Quæ sint necessaria omnibus Principibus ac Dominis.

ET sextus Abusionis gradus est, qui non solùm Regi, sed & omnibus, qui Dominorum censentur nomine, conuenit. Dominus sine virtute: quia nihil proficit dominandi habere potestatē, si Dominus ipse non habeat virtutis rigorem. *Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsa sæcularibus Dominis necessaria est, indiget, quàm animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet. Sæpe enim dominandi per animi neglegentiam perditur fortitudo, sicut in Heli Sacerdote factum fuisse comprobatur. Qui dum seueritate iudicii peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam Dominus, velut consentienti, ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos, qui dominantur, habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationem & amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret, vt diligatur, & per iustas vindictas non propriæ iniuriæ, sed legis Dei studeat vt metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in Ducatum constituit: qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim, nisi bene fortè firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, citò labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, citò deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant: quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namq; accepto populi Ducatu familiarius Dei locutionibus vtebatur. Saul verò filius Cis, postquam sceptra suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui Dauid sedem obtinuit, Deus illum vltra omnes mortales velut ad numerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditauit. E contrario verò Hieroboam seruus Salomonis, postquam Regni domus Dauid occupauit partem, ad idolorum culturam decem tribus Israhel, quæ erant in parte Samariæ, attraxit. Per quæ exempla euidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad maiorem perfectionem crescere, quosdam verò per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod vtrumque intelligitur, eos qui ad meliora condescendunt, per virtutem animi, & Dei auxilium posse id facere; & eos qui ad deteriora deuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & neglegentiam errare. Vnde & Dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel aduersitatibus solent laborare. Omnis ergo, qui præest, hoc primitùs animi tota intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omninò non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum Dominorū, nullus hominum contemptibiliter poterit habere eius dominatum. Non enim est potestas, nisi à Deo. Ipse enim eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum Principibus populi sui: & deponit potentes de sede, & exaltat humiles, vt subditus fiat omnis mundus Deo, & egeat omnis gloria Dei.*

CAPVT IX.

Consiliarii Principum qui.

QVales sibi adhibere debeat Rex Consiliarios, sed & illi, qui in Principatu positi, DOMINI appellantur, Ambrosius in libro Officiorum ostendit: *Talis*, inquiens, *debet esse, qui consilium*

alteri dat, vt seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. Talis igitur debet esse Consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim, quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ malitiosè possunt in noxam serpere: vt si is, qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit pretio mutari: si iniuriosus, hic fugitur ac declinatur. Qui verò voluptarius, intemperans, etsi alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur. Quis enim in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluuionem? Quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis item improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? quis non eum omni studio declinet? Quis verò quamuis instructum ad consilii opem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ fontem precludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, vt nec aliis influat, nec tibi prosit. Admirandus mihi & suspiciendus Consiliarius, quem propitius Dominus Patribus dedit, offensus abstulit. Promptius tamen nos iusto viro, quàm prudenti committimus. Pulchrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas.

CAPVT X.

Iudices quales constitui debeant ab illis.

A quibus vnà cum cæteris prauitatibus se Rex debeat custodire, & quales Comites ac Iudices debeat constituere, S. Augustinus demonstrat, dicens: *Caueat Princeps, ne muneribus vel blanditiis decipiatur, quia est munus à dato, munus à fauore, munus ab obsequio.* Et ideò debet omnis Iudex cauere, ne iustum iudicium vendat, aut testis verum testimonium, aut aduocatus iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium vendat, ne Iudæ, qui Christum, qui est veritas & iustitia, vendidit, socius fiat. Et ne quisquam in Principatu positus, adulationibus decipiatur, diligenter attendat, quod in Regum historia legitur. *Benadab fugiens ingressus est ciuitatem in cubiculum, quod erat intra cubiculum, dixeruntque ei serui sui: Ecce audiuimus, quod Reges domus Israhel clementes sint. Ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, vt egrediamur ad Regem Israhel, forsitan saluabit animas nostras. Quo facto, dixerunt ad Regem Israhel: Seruus tuus Benadab dicit, Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait, si adhuc viuit, frater meus est. Quod acceperunt vi pro omine, & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis Rex Israhel: Ite, & adducite eum ad me. Quo veniente, pepigit cum eo fœdus, & dimisit eum. Vnde audiuit à Propheta: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.*

CAPVT XI.

Principes sceleratorum amicitiis iungi non debent.

SEd & cauendum est Principibus, ne sceleratorum amicitiis coniungantur, vel huiusmodi in familiaritate suscipiant. *Malorum,* inquit B. Gregorius, *cum incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur. Vnde Iosaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab Regis amicitia pene periturus increpatur. Cui à Domino per Prophetam dicitur: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & idcircò iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda. Ab illo enim, qui summè rectus est, eo ipso iam discrepat, quo peruersorum amicitiis vita nostra concordat. Hinc Dauid dum totum se ad fœdera pacis internæ constringere testatur, quod cum malis concordiam non teneret, dicens: Nonne qui oderunt te Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Inimicos autem Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse.*

CAPVT XII.

Nec parcere impiis licet sanguine iunctis.

QVòd Rex propter ministerium Regium, nec quilibet Princeps etiam quibuscunque propinquitatis necessitudinibus coniunctus, contra Deum, sanctamq; Ecclesiam atq; Rempublicam, peruersè agentibus affectu carnali parcere debeat, ex verbis Domini dicentis: *Qui non odit patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus,* in homilia Euangelii B. Gregorius demonstrat dicens: *Si vim præcepti perpendimus, vtrumque per discretionem agere valemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus; & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Ametur quilibet in hoc mundo etiam aduersarius: sed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus, vt eò verius cognoscat Deum, quò in eius causa neminem recognoscit.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Principes debent esse gnari legum, & audientiam dare etiam pauperibus.

SIcut suprà est positum, quod nulli Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare: ita in legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Cum enim dicitur, *Nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta contemnere*, nulla persona in quocunque ordine excipitur; quæ hac sententia non constringatur. Oportet enim, vt qui Iudex est iudicũ, pauperes ad se ingredi permittat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt, & vicem eius agere debent in populo, iniustè aut neglegenter pauperes pati oppressiones permittant, terrorę; eius iniquos comprimat, & beneuolos atque indigentes sua auctoritate subleuet. Periculum quippe est cuilibet officium suum per alios in tantum peragere, vt se ab eo diutius subtrahat. Legimus antiquitus iudices in porta ad iudicandũ sedisse, vt nullus accedendi difficultatem haberet. Vnda B. Hieronymus in Zachariam Prophetam: *Veritatem*, inquit, *& iudicium pacis iudicate in portis vestris. In iudicio prima sit veritas atque iustitia, deinde sequatur misericordia. Quod sequitur, in portis vestris, illi Prophetico congruit; Oderunt in portis corripientem, & verbum sanctum abominati sunt. Et in alio loco: Non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta. Dauid quoque iudicabat in portis, quando Abessalon veritatem iudicii repromittens patri tendebat insidias. Et quæritur, quare apud Iudæos in portis locus fuerit iudicandi? Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, vt tam vrbanos quàm rusticos, & in exitu & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnusquisque confestim ad sedes proprias reuerteretur.*

CAPVT XIV.

Duces & Comites à Rege constituti quales esse debeant.

QVi autem post Regem populum regere debent, id est, Duces & Comites, necesse est vt tales instituantur, qui sine periculo eius, qui eos constituit, quos sub se habent cum iustitia & æquitate gubernare intellegant; atque cum bona voluntate, quod intellegunt, adimplere procurent, scientes se ad hoc positos esse, vt plebem saluent & regant, non vt dominentur & affligant. Neque vt populum Dei suum æstiment, aut ad suam gloriam sibi illum subiici, quod pertinet ad tyrannidem & iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, quia Rex æquissimo iudici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, vt etiam singuli, qui sub eo sunt, ministri diligentissimè ab eo inquirantur, & tales constituantur, ne ipse pro eis iudicium incurrat diuinum. De oppressione pauperum prouidendum est, quia in eorum afflictione Deus offenditur, sicut Psalmista dixit: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Prouidendum est, ne affligantur in ædificiis superfluis, in exactione hostili, si Deus pacem pro sua misericordia tribuerit, ne contra Capitulum Domini Imperatoris KAROLI, vt *nemo ad mallum, vel ad placitum cogeretur venire, nisi Scabini, & qui causam quærit, & cui quæratur.*

CAPVT XV.

Vicariorum & Decanorum officium.

COmites, & Vicarii, vel etiam Decani, plurima placita constituant. Et si ibi non venerint, compositionem eius exsoluere faciant. Et quia prius per manninas veniebant, excogitauerunt quidam, vt per bannos venirent ad placita; quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum soluerent. Hæc ideo facientes, vt ipsi bannum acciperent, & in tantum exinde affligerentur pauperes, vt vnde prius in exercitu plures ire poterant, vix aliqui modò ire præualeant. Et in his omnibus non solùm non soluunt fasciculos secundum Isaiam deprimentes, sed etiam superaddunt super miseros & egentes. Quando enim sperant aliquid lucrari, ad Legem se conuertunt: quando verò per Legem non æstimant acquirere, ad Capitula confugiunt; sicq; interdum fit, vt nec Capitula pleniter conseruentur, sed pro nihilo habeantur, nec Lex. Omnia enim mala Lex veteris Testamenti damnat. Sed Dominus dixit discipulis suis de omnibus Christianis: *Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.*

CAPVT XVI.

De Legibus Imperatorum.

DE Legibus à quibusdã Imperatoribus malè constitutis, à quibusdã verò bene constitutis, S. Augustinus ad Bonifacium dicit: *Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseuerantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sæuientes, & corriguntur intellegentes.* Et ad Marcellinum de moribus bonis Principum, & de Republica augenda dicit: *Ex paruo*, inquiens, *Republica & inopi magnam opulentamque fecerunt, qui accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.*

Digitized by Google

Quomodo Cæsari vtique administratori Reipublicæ, mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliuisci soleret nisi iniurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem nouerat; si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. Apud veteres namque tale prouerbium erat: *Rex eris, si rectè facias; si non facias, Rex non eris.*

CAPVT. XVII.

Regiæ virtutes quæ.

REgiæ virtutes præcipuè duæ sunt, iustitia videlicet & pietas: veruntamen in Regibus plus laudatur pietas. nam iustitia per se sine pietate seuera est. De rapinis compescendis, de pace restituenda, & sacris Scripturis, Ecclesiasticarum legum definitionibus, ac legum sacrarum constitutionibus sufficienter ex Synodali Conuentu apud Martyrium B. Macræ nuper habito collecta fratri huius Regis nostri nuper defuncto per Episcopos misimus, quæ hic replicare, non necessarium, imò superfluum duximus.

EVTROPII PRESBYTERI LONGOBARDI,

Tractatus.

DE IVRIBVS AC PRIVILEGIIS IMPERATORUM in Imperio Romano.

Anno Domini circiter DCCCC.

PRISCIS temporibus Imperiale decus effloruit Romæ, sub cuius dominatione diuersa consistebant Regna, & cui cunctæ gentes propria submittebant colla. Constituit ergo Consules, qui cotidiano vsu Regni gubernacula consilio disponebant. Erant namque distributa officia per Senatores & Magistratus, prout vnicuique ministerium opere competebat. Imperiale verò decus laudibus honoribusque ab omnibus tantummodò extollebatur. Post aduentum vnigeniti filii Dei, & post ascensionis eius gloriam, Romanum Imperium Byzantium se contulit, quæ à Constantino Magno Cæsare *Constantinopolis* vocata est. Quæ quia Romano gloriabatur Imperio, dicta est *Noua Roma*; sic tamen, vt antiqua Roma gloriosa præponeretur cæteris. Euntibus autem Apostolis, vel successoribus eorum, prædicare Euangelium secundum diuinum præceptum, in mundum vniuersum, Romam Cæsares reuertebantur, diuersa tormenta Sanctis inferentes, vt Diis suis placerent. Vnde accidit, vt B. Petrus, qui prælatus fuerat cæteris à Iesu Christo Domino nostro, Romam prædicationis causa veniret, quæ omnium gentium clamabatur domina; quæ eatenus, sicut multis idolorum simulachris erat seducta, ita plurimis prædicationibus Apostolorum, aliorumque Martyrum exhortationibus cum cæteris conuersa. Vbi etiam B. Petrus, & Paulus doctor gentium, martyrio coronati sunt: vt sicut Roma per antiqua mœnia caput erat multarum gentium in diuisione simulachrorum, ita caput & domina vocaretur omnium Christianorũ in vnitate veræ fidei & inconfusæ deitatis, habens principatum totius Christianitatis in accepto priuilegio Iesu, vbi ait: *Tu vocaberis Cephas.* Et alibi; *Ego rogabo pro te, ne deficiat fides tua.*

Diuiso autem Romano Imperio, eò quòd Imperialis Sedes, quæ antiquæ Romæ solita erat, Constantinopolim esset deducta, multarũ gentium populi contra Vrbem fuerant rebelles. Vnde magna & non pauca contra eam surrexerunt bella, teste Orosio. Tunc enim Roma per Patricios principabatur. Erat tamen tantũ subiecta suo Imperatori ita, vt si aliquando Imperator Paganorũ ritu inueniretur crudelis, per suos Legatos, sanctissimos Romæ Præsules, aliosque Christianos, per diuersa supplicia martyrio coronaret. Crescente autem Christiana religione, talis æstus fidei à Patriciis exarsit, vsque dum Longobardi sunt Italiam ingressi. Cumque adpropinquarent Pado, nunciatum est Romæ (præsidebat verò Syluerius Papa tunc Romanæ Ecclesiæ) Narso Patricio, cuius vxor vacabatur Polyxiana. Nunciatum est autem illis, quòd præfatus Pontifex misisset ad Longobardos, inuitans eos Romam, quatenus potestas Græcorum aboleretur, & Ecclesiæ iura eleuaret sub potestate Pontificis; cui tanta inerat necessitas, vt nihil aliud præter Ecclesiarum & Clericorum haberet curam. Quotidianos ergò victus dabatur de Palatio, consuetus, & annualia dona pro restauratione Ecclesiarum, & Cæsari eleemosyna honoris causa; & solummodò erat ob reuerentiam Apostolorum Petri & Pauli. Si quando Imperialis Legatus mitte-

Digitized by Google

mitteretur à Principe, vt Romanus Pontifex proficisceretur Constantinopolim ad Imperatorem, omni neglecta occasione ibat, etiamsi pro certo sciret, vt in exilium mitteretur. Mittebatur aliquando quidam nuncius à Narso Patricio ad Siluerium Papam. cumque proficisceretur ad domum illius, vbi iacebat ægrotus, dixit illi vxor sua: *Domine Papa, quid tibi peccauimus, quia voluisti inducere Longobardos super nos?* His dictis, fecit eum comprehendi, & tonsorari, vestemque monachicam induere, necnon sedentem asino ad monasterium S. Sabæ perducere. Cumque egressus esset forás, sedens super asinum, dixit quidam de astantibus: *Heu, dominus Papa mortuus est.*

Præterea inuadentibus Longobardis Italiam, & conuersis ad Christi fidem, fugati sunt Græci, & cessauit Imperium ab Vrbe Roma vsque ad Francos. Per Reges enim principabantur Longobardi. Diuisis quippe Italiæ finibus, Spoletanorum Dux Romæ constitutus est vice Regis, tali pacto, vt quando Apostolicus obiret, interesset Dux præfatus electioni futuri Pontificis, accipiens plurima dona in partem Regiam. Si autem lites inter Romanos surgebant, ex Primatibus Regis adueniebat Missus cum eodem Duce, ad deliberandas causas, & legaliorum iudicia. Et qui in culpam criminis incurrebant, Regali puniebantur potestate, aut in exilium mittebantur, etiam inconsulto Apostolico: vsque ad Zachariam Præsidem, qui subdolè quasi pro familiaritate quadam profectus est ad Carolum Regem Francorum, eò quòd idem Carolus habebat filiam Desiderii Regis Italici vxorem; inuitauitque eundem Carolum in Italiam, seminans inter Reges discordias, laudans & proferens illi Imperialia sceptra: accepitque ab eo securitatem, quo tempore ingredi deberet Italiam: iurantesque mutuò, reuersus est. Transeunte autem eo per fines Regni Desiderii, separauit ab eo quosdam de suis, dans quibusdam plurima dona, quibusdam iurat dari similia. Accipiente autem Carolo hoc Regnum, profectus est Romam, deditque ibi donaria multa, quæ vsque hodie Romanum tenet dominium, de Regni huius confinibus. Fecitque pactum cum Romanis, eorumque Pontifice, & de ordinatione Pontificis, vt interesset quis Legatus, & vt contentiosas lites ipse deliberaret. Constituebant autem annualia dona in Papiæ Palatium perducenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis priuatis donis. Et quando Imperator adueniebat Romam, vel suus Legatus, mittebantur Iudices à Palatio singulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia, legalia vendicabant placita, compellentes habitatores locorum illorum venire ad placitum, iudicantibus eorum iudicibus rectam legem in præsentia Imperialium Iudicum. Et si alterius gentis inuenirentur habitatores, Regali iudicio iudicabantur. Erant denique Monasteria in Sabinis, Domini Saluatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, necnon & Monasterium B. Andreæ Apostoli iuxta montem Soractis, seu cætera fiscalia patrimonia intra Romanos fines ad vsum Imperialem. Non solùm autem in Italico Regno, verùm etiam in Francia proficiscebantur Monachi, ferentes vectigalia, vina, & alia donaria, iuxta virium posse. Igitur Romanis in sua securitate gloriantibus, leuatum est cor illorum, iuxta illorum consuetudinem: voluerunque Imperialem potestatem vendicare sibi. Resistente autem Leone Papa, comprehenderunt eum, volueruntque eius eruere oculos. Eruerunt autem vnum, & alterum non potuerunt, quia liberauit eum diuina miseratio, & eiectus est ab illis extra Vrbem, quasi perditis ambobus luminibus. Qui fugiens in Franciam peruenit ad Carolum. Vnde accidit, eundem Carolum venire pro vindicta Apostolici, comprehendensque Romanos, de maioribus eorum vno die in campo Lateranensi fecit trecentos decollari.

Propterea inuentum est, vt omnes maiores Romæ essent Imperiales homines, tam Episcopi quàm laici; & omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori; & vt suus Missus omni tempore moraretur Romæ, ad deliberandas litigiosas contentiones. Morabatur quippe in Palatio S. Petri; & erat constitutum, quanta & qualia stipendia de Palatio ei darentur cotidie. Quod autem reliquum erat, de supradictis Monasteriis, vel patrimoniis, deferebatur affluenter. Tanta nempe Imperialis virtus ibi vigebat, vt si in legali iudicio minoris vel inscii causa postponeretur, & ille alicuius consilio pedes teneret Legati Imperatoris, petens ab eo iustam legem: & Missus adiuraret Principes Romanorum, dicens; *Per eam fidem, quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini iustam legem,* nemo erat ausus declinare neque ad dexteram neque ad sinistram, etiamsi à propinquis Pontificis illata esset iniuria. Multotiens verò non ante Apostolicum, sed in iudiciali loco ad Lateranus, vbi quidam locus dicitur ad lupam, quæ mater vocabatur Romanorum, ibi iudiciariam legem finiebant. Compositiones quoque, quæ solebant à malefactoribus æqualiter diuidebantur Misso Imperatoris & Apostolici. Si autem talis culpa erat, vt res scelerata fisco publico subderetur, non ad Ecclesiasticam transibat subiectionem, nisi per donatiuum Imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat Imperatoris, Episcopus aut Iudex Romanus, & licitum esset Cæsari venire Romam, veniebat: sin autem, mittebatur Dux Spoletinus, comprehendebatur offensor, & ducebatur in exilium. Domus verò illius signabatur annulo Regis, vsque ad eius consultum; vt si quando reuerteretur ad gratiam, haberet propria salua: sin aliàs, per Imperialia præcepta distribuebatur militibus. Quòd si ad iudicis potestatem reiiciebatur quisquam, & Cæsaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negotio Legatus ab Imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem. Et si eiectus propriam haberet culpam, sustineret iniuriam.

Hac consuetudine vsi sunt Romani vsque ad Ludouuicum Magnum (*qui aliàs Secundus vocatur*) Imperatorem, Lotharii filium. Hic quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus

Digitized by Google

est Romæ: vbi & ampliori quadam vsus est potestate, habens strenuos viros eius Vrbis, scientes antiquam Imperatorum consuetudinem, & intimantes Cæsari, qui suggerebant illi, repetere antiquam Imperatorum consuetudinem. Et nisi ob reuerentiam beatorum Apostolorum dimitteret, pro certo faceret. Hic etiam Princeps Beneuenti fines ingressus est, & totius Calabriæ, duobus modis. Vno, quòd prouincia esset Italiæ, volens totius Regni fines suæ vendicare ditioni. Altero, eò quòd immanissima gens Aggarenorum, illa iam tangebat confinia, capientes quandam vrbem, quæ vocatur Bari; quam munientes, & multis victualibus implentes pro refugio habebant. Et ideò à comprouincialibus terræ illius benignè susceptus est.

Præfatus itaque Cæsar cum multitudine populi proficiscebatur, ad accipiendas easdem gentes. Et ne grauaret eos, qui deprædari ab Aggarenis erant, quæsiuit solatium Rauennæ: sed quæsiuit etiam solatium, quæ vicina erat, Venetiæ, quatenus nauali adiutorio fultus, posset abundanter ferre Apuliam. Præsidebat namque tunc Rauennati Ecclesiæ Iohannes Archiepiscopus, qui seruiens Imperatori familiarior erat. Vnde inuidia ductus Romanus Pontifex, nomine Nicolaus, exarsit in iram contra illum, vocans eum subdolè Romam, vt quasi Ecclesiastico iudicio posset hunc condemnare; & alterum subrogare. His quippe auditis, Archiepiscopus confugit ad Reginam Engelbergam; quæ suos Legatos direxit Apostolico, rogans vt redderet gratiam Archiepiscopo. Quòd cùm impetrare nequiret, suo Domino humiliter intimauit, vt gratiam interferret suæ tuitionis Archiepiscopo, vetans Apostolicum ei nullam inquietudinem facere. Et quia inaudito Principe Apostolicus excommunicationes in eum protulit, grauis inimicitia inter eos facta est. Erectus est denique Regius honor contra Apostolicam dignitatem, obiiciens ei antiqua Patrum statuta, *non licere Prælato excommunicare Episcopum, inconsulto Synodali Concilio*. Et quia *Synodus non à Papa, sed ab Imperatore vocari deberet*. Plurimæ namque irrogationes pro tali occasione illatæ sunt Romano Pontifici. Nam Pentapoli beneficiales ordines suis distribuit, præcipiens nullam administrationem impendere Romæ, exceptis suffragiis nauali deportatione. Fecit etiam occupare nonnulla patrimonia in Campaniæ partibus Regio vsui, suorumque fidelium. De prædictis quoque Monasteriis cotidiana exigebantur seruitia in disco Regis, per diuersos apparatus. Constituit denique consultu Romanorum Principum in vrbe Roma Arsenium quendam Episcopum, sanctitate & scientia adornatum, & Apocrisarium Sedis Romanæ, deditque illi Adiutorem Iohannem Diaconum & Archicancellarium, suumque Secretarium, qui postea Reatinus Episcopus effectus est, vnde iam electus erat.

Tempore igitur congruo Imperator veniebat Romam, & suscipiebatur ab omnibus tam maioribus quàm minoribus honorificè: veniebatque cum eo iam dictus Archiepiscopus Rauennæ, nil metuens minas Pontificis. Vnde euenit maior discordia inter Papam & Imperatorem. Erat quippe Imperator in Palatio S. Petri Apostoli; & Papa ad Sanctos Apostolos. Cumque omnes illius insidiæ contra Regiam Dignitatem pronihilo ducerentur, constituit Monachos seu Christo dicatas virgines ex Monasteriis Romæ, vt quasi sub obtentu religionis cotidianas celebrarent letanias per circuitum murorum, & Missas canerent, contra Principes malè agentes. His auditis, primarii Regis humiliter accedentes ad Papam, rogauerunt eum familiariter, vt talia prohiberet. Et, cum nihil ab eo impetrare possent, reuersi sunt mœrentes. Quadam verò die, cum quidam Milites præfati Principis irent ad S. Paulum, & reuerterentur, accidit eos occurrere talibus lætaniis. Qui instinctu antiqui hostis in iram versi sunt, & pro fidelitate sui senioris vindictam exercuerunt contra illos percutientes, & cædentes grauiter cum fustibus, quas manibus deferebant. Qui fugientes proiecerunt cruces & iconas, quas portabant, sicut mos est Græcorum; è quibus nonnullæ conculcatæ, nonnullæ diruptæ sunt. Vnde & Imperator grauiter est permotus in iram, & pro qua causa Apostolicus mitior effectus est. Profectus est denique idem Pontifex ad Sanctum Petrum, rogans Imperatorem pro suis talia patrantibus: & vix obtinere valuit. Iam itaque inter se familiares effecti sunt; tamen Regia dignitas semper fuit Romæ, suisque confiniis, vsque ad finem dierum Imperatoris, sicut suprà prælibatum est. Eo verò infirmante, & ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit sibi succedere Carolum Magnum (*qui alias Carolomannus scribitur*) ad suscipienda Imperialia sceptra. Cùm hæc ita geruntur, Romani Pontifices semper per Oratores litteras mittebant inuitatorias ad Carolum Caluum Regem Francorum, inuitantes eum clam. Et quia erat in literis quasi philosophus, rogabant illum superuenire Beato Petro, & de seruitutis iugo ad propriam libertatem reducere suam Ecclesiam, vt quasi per vim ab aliquo esset oppressa.

Talibus euolutis machinationibus, moritur Ludouicus. Mittitur statim citatus à Iohanne, qui tunc præerat, à Papa Legatus ad eundem Carolum, qui nullas veniendo faciens morias, ingressus Italiam, petiit Romam. Mittitur denique alius Missus ab vxore Imperatoris Engelberga, vel à suis Primatibus ad Carolum Magnum, ostendens ei vota defuncti. Et quia longiùs erat, noluit tam citò venire, vt impedire posset iter Caroli Calui. Qui veniens Romam, renouauit pactum cum Romanis, perdonans illis iura Regni, & consuetudines illius, tribuens illis sumptus de tribus supradictis Monasteriis, id est, Domini Saluatoris, & Beatæ Mariæ semper virginis in Sabinis, atque S. Andreæ iuxta montem Soractis, & de cæteris quàm plurimis Monasteriis fiscalia patrimonia. Patrias autem Samniæ & Calabriæ, simul cum omnibus ci-

bus ciuitatibus Beneuenti, eis contulit: insuper ad dedecorem Regni totum Ducatum Spoletinum, cum duabus ciuitatibus Thusciæ, quod solitus erat habere ipse Dux, id est, Aritium & Clusium; quatenus vt is, qui præerat Regia vice antè, Romanis videretur pòst esse subiectus. Remouit etiam ab eis Regias Legationes, assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electionis. Quid plura? Cuncta illis contradit, quæ voluerunt; quemadmodum dantur illa, quæ nec rectè adquiruntur, nec possessura sperantur. Fugato itaque isto Carolo præ metu alterius Caroli, qui veniebat, infirmatur, antequam de Regno egrederetur Italico. Egressus namque vix, defunctus est. Ab illo autem die honorificas consuetudines Regiæ Dignitatis nemo Imperatorum, nemo Regum acquisiuit: quia aut virtus defuit, aut scientia, pro multis Regni contentionibus, & assiduis diuisionibus. Vnde multa prælia, delationes & rapinæ fuerunt in Regno.

PETRI CASSIODORI, MILITIS ANGLI, Epistola.

DE TYRANNIDE PONTIFICIS ROMANI in iura Regni & Ecclesiæ Anglicanæ.

Anno Domini circiter MCCL.

ECCLESIÆ nobili Anglicanæ, in luto & latere ancillatæ, Petrus filius Cassiodori, Miles Catholicus, pugil Christi deuotus, salutem, & captiuitatis iugum abiicere, & brauium accipere libertatis.

Comparabo te cui, vel cui assimilabo te Ierusalem filia? cui exæquabo te virgo filia Syon? Magna enim est tua contritio. Velut mare sola facta & sine solatio; tota die mœrore confecta. Data es in manus eius, de quo non potes surgere absque auxilio subleuantis. Nam Scribæ & Pharisæi super Mosi sedentes, Principes Romani, hostes tibi in capite facti, sua phylacteria dilatantes, ambientes locupletari tuorum ossium ex medullis, grauia & importabilia in tuis & tuorum ministrorum imponunt humeris onera: & vltrà quàm decet, te constituunt sub tributo, quæ libera fuerat ab antiquo. Recedat abhinc omnis admirationis materia, quia mater tua domina gentium, viduarum more sub subdito desponsata tibi, ipsum in patrem constituit, & Romanæ vrbis Pontificem summum prælegit, qui quòd ita sit, tibi in nullo paternitatis genere hoc ostendit. Super te quidem suas magnificat fimbrias, & experimento edocet se tuæ matris esse maritum. Commemorat enim apud se Propheticum sæpe verbum, quod est in scrinio pectoris sui sic digestum: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis velociter; Spolia detrahe, citò prædare.* Nunquid enim Apostolus ad hoc constituendum, sic scribit? *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum*: non pro annuis censibus imponendis, nec pro necandis hominibus, sed vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui etiam his condolere possit qui ignorant & errant? Et de Petro legitur piscatore, cuius se esse commemorat successorem, quòd post Christi resurrectionem cum cæteris Apostolis ad piscandi officium est reuersus; qui cum nihil in sinistra nauigii parte caperet, Christo iubente ad dexteram se conuertit, & in terram plenum magnis piscibus rete traxit.

Est igitur ministerium Ecclesiæ vtile in parte dextera exercendum, per quod & Diabolus vincitur, & eidem Christo copia animarum adducitur. Certè sic labor sinistræ partis nauigii non se habet, quia in eo fides titubat, dominatur tristitia, cùm quod inquirendo appetitur, minimè inuenitur. Quis enim credat, simul & semel posse seruire Mammonæ atque Deo? ac suæ voluntati placere, & carnis ac sanguinis reuelationibus inhærere, & offerre Christo munera digna? Et dubio procul Pastor, qui supra gregis ædificationem non vigilat, aliunde rugienti leoni, quærentique quem deuoret, parat viam. Vide, inquam, facta inaudita nuncupatiui filia patris tui, qui bonos pastores à caulis ouium amouet, & suos nepotes consanguineos, & parentes aliosque nonnullos literas ignorantes, & velut mutos & surdos ouium earundem non intelligentes balatū, nec de morsibus luporum curantes, velut mercenarios vellera auferentes, & metentes semina aliorū in ipsis, non vt prosint, sed vt præsint, constituit pro eisdem, quorumq; manus in cophinis seruiūt, & ipsorū dorsa ab oneribus diuertūtur. Ex quibus liquet, q sacerdotiū prætermittitur his diebus,

obsequium diuinum subtrahitur, & eleemosynarum largitio adnullatur, per quod Regum, Principum & Christianorum sancta deuotio euacuatur.

Nonne debet in oculis omnium mirabile reputari, quod vbi Christus pro se & Petro Regibus solui iussit tributum, ipse Regna & Regnorum Principes contra voluntatem illius, cuius dicit se esse Vicarium, qui ab se Regni mundi iudicia abdicauit, suæ subiicere nititur ditioni, Dominio sui styli, quia totum sibi vendicat, quod scripserit esse suum? De te, filia, quid plus agit? Ecce te trahit quò libet; nec tamen reputat se contentum, si partem rerum tuarum decimam à te sumat, nisi primos fructus beneficiorum tuorum habeat ministrorum, vt tam pro se quàm pro suo sanguine nouum construatur patrimonium, de eisdem abiectis piissimis voluntatibus fundatorum: & alia etiam exsecrabilia pro cursorum suorum stipendiis, quos transmittit in Angliam, iam imponit, qui non tantùm tuum & tuorum victum auferant & vesturas, sed eorum pelles ac carnes lacerent velut canes. Nunquid Nabuchodonosor Regi debeat comparari, qui templum Domini deuastauit, & vasis suis argenteis & aureis spoliauit? quod egerat enim ille, agit & iste. & ille domus Dei spoliauit ministros, & ipsam debito destituebat auxilio: hæc & hic facit. Certè melius est occisis gladio, quàm fame aliqualiter interfectis; quia illi sunt mortui statim, & isti sunt à terræ sterilitate consumpti.

Compatiantur tibi, filia, omnes transeuntes per viam, quia non est dolor similis sicut tuus. iam enim præ dolore nimio, atque effusione tua nimia, lachrymarum super carbones, ô facies tua denigrata ita, quòd non es cognita ampliùs in plateis, in tenebrosis te tuus præfatus superior collocauit, inebriauit te absynthio & felle. Afflictionem populi tui, eiusq; gemitum audi. Vide, Domine, & descende; quia cor dicti viri super cor Pharaonis est nimiùm induratum. Tuum populum abire liberum non dimittit, nisi in fortitudine manus tuæ. Non enim super terram flagitat miserabiliter, sed post mortem: quia quorumcunque Christianorum bona sub nomine tituli *de intestatis* consistunt omnia, post decessum omnia deuorat. Etenim, Ecclesia Anglicana, qualiter à retractis temporibus Franci in Regnum Angliæ suos concupiscentiæ oculos dirigentes machinabantur, illud suæ subiecere potestati; sed quod in ipsis hactenus defuit, est timendum, ne suppleat prædicti viri noua coniecturatio noui hostis; quia Regni deficiente thesauro, & eius destructo Sacerdotio, efficietur verè Regnum impotentius contra hostes.

Ne igitur tua filia, tuique Sacerdotes in miseriam deducamini longiorem, expedit vt pro tua & tuorum salute, quòd Rex tuus Christianissimus & Regni potentes, qui amplissimis beneficiis te ornauerunt, quique vos & beneficia huiusmodi haberent in hoc casu tueri, resistant coniecturationibus, conspirationibus, arrogantiæ ac superbiæ dicti viri, qui non Dei contemplatione, sed pro præmissis & pro suis ditando parentibus, ac pro nido suo, quia Aquilam exaltando per præmissa & alia imposita per eandem, totalem pecuniam Anglicanam noui dominii genere iam compellit, ne dissimulata in hac parte simplicitas Regni huius subuersionem auferat, velut tuam, & adhibeatur serò remedii tunc cautela. Auertat nempe Dominus virtutum de corde viri illius velamen, sibique cor contritum & humile largiatur: & agnoscere eum faciat vestigia veri Dei, per quæ à suis tenebris eruatur, & præmissos labores, sinistros dimittere compellatur: necnon & vinea, quam plantauit Dei dextera, sacræ fidei cultoribus repleatur. Animaduerte enim verba Domini, & prophetiam Ieremiæ, ad propulsandum huiusmodi inchoata, quæ dicunt: *Tu Pastor, qui populum meum dispersisti, & eiecisti eum de suis habitationibus, ecce visitabo super te tuorum malitiam studiorum, nec erit vir qui super solium Dauid de tuo semine sedeat, nec qui in Iuda vltrà habeat potestatem. Fiat nidus tuus desertus, & sicut Sodoma & Gomorra, taliter sit subuersus.* Qui si perterritus ex his dictis non destiterit ab inceptis, & restitutionem non fecerit de perceptis, psallent pro eo extunc nequiter corde indurato psalmum centesimum octauum.

Illi, cui omnia seruiunt, apertè singulis diebus in Christo deuotissimi dicimus laudem.

M. GVILHELMI DE OCKAM

ANGLI, DOCTORIS PARISIENSIS

EX ORDINE MINORVM

Disputatio

SVPER POTESTATE PRÆLATIS ECCLESIÆ, atque Principibus terrarum commissa,

temporibus BONIFACII VIII. Pontificis Romani scripta, sub forma Dialogi inter Clericum & Militem.

CLERICVS sermonis sui exordium sub hac forma posuit, dicens: Miror, optime Miles, paucis diebus tempora mutata, sepultam iustitiam, euersas leges, iura calcata. MILES. Grandia verba sunt ista, & ego laicus: qui quamuis paucas puer didicerim literas, non tamē ad profundū veni, vt tam alta verba à me possint intelligi. Et ideo, venerāde Clerice, si mecum desideretis habere colloquium, planiorem oportet accipere stylum. CLERICVS. Ætate mea vidi Ecclesiā in honore magno apud reges, principes, & nobiles vniuersos haberi: & nunc video econtrà miserandam. Ecclesia facta est vobis omnibus præda: exigūtur à nobis multa, dantur nulla: si nostra bona nō damus, rapiuntur à nobis, conculcantur iura nostra, libertates effringuntur. M. Non facilè credam, regem, cuius concilium sunt clerici, iniustè agere vobiscum, aut apud eos perire ius vestrum. C. Immò certè contra omnē ius, iniurias innumeras sustinemus. M. Scire vellem, quid vocatis *ius*. C. *Ius* voco, decreta patrum, & statuta Romanorum pontificum. M. Quæ illi statuunt, si de temporalibus statuunt, vobis possunt iura esse, nobis verò non sunt. Nullus enim potest de iis statuere, super quæ constat ipsum dominium non habere. Sic nec Francorum rex potest statuere super imperium: nec Imperator super regnum Franciæ. Et quemadmodum terreni principes non possunt aliquid statuere de vestris spiritualibus, super quæ non acceperunt potestatē: sic nec vos de temporalibus eorum, super quæ non habetis autoritatem. Vnde friuolum est, quicquid statuistis de temporalibus, super quæ potestatem non accepistis à Deo. Vnde nuper mihi risus magnus fuit, cum audissem nouiter statutum esse à domino Bonifacio octauo, quòd *ipse est & esse debet super omnes principatus & regna*, & sic facilè potest sibi ius acquirere super rem quamlibet: cum non restat nisi scribere, quia totū erit suum cum scripserit, & sic totū erit vestrum, & vbi statuere nihil aliud est, quàm sibi tenere velle. Nihil ergo aliud erit ius habere, quàm velle: non habet ergo, nisi vt scribat: *hoc volo ius esse*, cum voluerit castrum meum, vel villam meam, agrum meum, aut pecuniam & thesaurum habere. Nec latet vos sapientem Clericum, ad quantum vos deducat ista disputatio ridiculum. C. Satis acutè, domine Miles, & versutè ista contra nos protulistis: & ad hoc totius sermonis vestri series seu decursus, quantum ipse intelligo, tendit, quòd dominus papa de vestris temporalibus nihil potest statuere: quia non constat eum super temporalibus vestris dominium accepisse. Et si nos ipsi ex nostris velimus probare dictis aut scripturis, totum pro nihilo ducitis: quia nostrum scribere, vt dicitis, dominiū nobis aut potestatem, quæ aliunde non veneat, dare non potuit. sed si Christianus vultis & catholicus verus esse, non negabitis, Christum rerum omnium Dominum esse, cui dictum est in Psalmo 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes*, &c. de quo etiam scriptum est, quia *ipse est Rex regum, & Dominus dominantium*. Ista non sunt nostra, sed Dei verba: nec nos ea scripsimus, sed ea misit Dominus, & Spiritus sanctus dictauit. Et quis dubitat illum statuere posse, quem constat vniuersorum Dominum esse? M. Nullo modo diuinæ potestati vel dominationi resisto: quia Christianus sum, & esse volo. & ideo, si per diuersas scripturas ostenderitis, summos pontifices esse super omnia temporalia dominos, necesse est omnino reges & principes summis pontificibus tam in spiritualibus, quàm in temporalibus esse subiectos. C. Facile hoc est ex superioribus posse ostendi. Tenet enim fides nostra, Petrum Apostolum pro se & suis successoribus institutum esse plenum vicarium Iesu Christi: & certè plenus vicarius idem potest, quod & dominus eius, cum nulla exceptione, nulla potestatis diminutione est vicarius institutus. Si ergo non negatis, Christum de vestris temporalibus statuere posse, qui Dominus est cœli & terræ: non potestis sine rubore eandem potestatem Christi pleno vicario denegare. M. Audiui à viris sanctis, ac deuotissimis, duo tempora in Christo distingui, alterum humilitatis, & alterum potestatis. Humilitatis vsque suam passionem, potestatis post suam resurrectionem: quando ipse dixit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Matth. vlt. Petrus autem constitutus est Christi vicarius pro statu humilitatis, non pro statu gloriæ & Maiestatis. non enim factus est Christi vicarius ad ea quæ Christus nunc agit in gloria: sed ad ea imitanda, quæ Christus egit humilis in terra, quia illa nobis necessaria sunt. Illam ergo potestatem suo vicario cōmisit, quam homo mortalis exercuit: nō illam, quam glorificatus accepit. Et vt

ista per scripturas, quas inducitis, ostendamus, de eisdem scripturis vobis testimonium proferemus. Ipse enim Christus dixit Pilato, *Regnum meum non est de hoc mundo*: & quod *non venit ministrari, sed ministrare*. Lucæ. 12. Hoc testimonium adeò manifestum est, vt hominem resistentem possit confundere, & ceruicem quamcunque duram obterere. Et hoc sic: *Dixit Iesu quidam de turba: magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: O homo, quis me constituit iudicem & diuisorem super vos?* Lucæ 12. Auditis ergo apertè, Christum in temporalibus nec iudicem, nec diuisorem constitutum: ergo in statu illo susceptæ dispensationis, nec temporale regnum habuit, nec etiam affectauit. Imò cum illi multiplicatis panibus comederent, fugit: & in commissione Petro facta, non claues regni terrarum, sed claues regni cœlorum tradidit. Et Hebræorum pontifices constat regibus fuisse subditos: & à regibus, quod procul à vobis absit: fuisse depositos. Et vt scias Christi vicarium ad spirituale regnum, non ad temporale seu dominium assumptum: accipe ab ipso Paulo nec minus clarum testimonium. Dicit enim sic: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ ad Deum sunt, non ad gubernandum terrenum dominium, sed vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vides ergo, quòd præficitur pontifex in iis quæ sunt ad Deum, cum Paulus Timotheo scribat: *Nemo militans Deo, secularibus negotiis se implicet.* Patet ergo, Christum regnum temporale non exercuisse, nec Petro commisisse. Nam & Petrus dicit Actuum sexto capitulo: *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensæ:* id est, temporalibus dispensandis. Et quanquam possint aliqua temporalia per ipsos pontifices dispensari, satis tamen patet, quod non debeant in terrenis regnis & principatibus gubernandis, quæ totum sibi vendicāt, occupari. Vnde auctoritates quas induxistis superius, domine Clerice, scil. *Postula à me*, &c. & quòd *ipse est Rex regum*, &c. non ad statum primum pertinent, sed ad secundum. In quo primo statu sic patuit, quòd Christus nullam potestatem temporalem exercuit, imò à se penitus abdicauit: & in iis solum, & non in aliis, quæ ad dispensationem nostræ salutis, exercuit, Petrum sibi vicarium destinauit: quem nec militem fecit, nec coronauit in regem, sed in sacerdotem, & episcopum ordinauit. Quod si vultis adhuc contendere, Christi vicarium eam potestatem in temporalibus habere, quam Christus habebat in cœlis, non quam Christus exercebat in terris: forsan ista pertinacia non erit in fine vobis gratiosa. quod vobis patebit sic. Constat enim cuilibet fideli, de Deo sapienti, quòd si præciperet Deus pecuniam suam, agrum suum, aut vineam, alteri cuilibet dare sine cautione, nulla petita ratione, nulla expressa cognitione, statim deberet obedire. Si ergo contenditis, papam eandem potestatem habere: ergo concedere necesse est, quòd omnia vestra bona & nostra potestis sine causæ cognitione, cui volueritis nepotulo vel consanguineo dare, tollere principatus & regna, & eis dare pro vestræ libito voluntatis. Sed quàm absurda sint ista, vos videte: & vtrum placerent, si vobis hæc fierent, respondete. Quod si à tanta absurditate recedere per viuam rationem cogimini, & papa cogetur resilire. Tenendum est igitur, quòd non accepit in temporalibus tantam potestatem ipse Christi vicarius: sed eam solam, quam Christus in sua humilitate exercuit & ostendit. C. Negatis, ô Miles, Ecclesiam cognoscere de peccato? M. Hoc absit. nam qui hoc negauerit, pœnitentiam & confessionem abnegabit. C. Si quid iniustè agitur, peccatum est: & qui habet cognoscere de peccato, cognoscet de iusto & iniusto. Cum ergo iustū & iniustum in negotiis rerum temporalium sit: consequens etiam est, vt de causis temporalibus debeat iudicare. M. Argumentum istud cornutum est, cuius vanitas & infirmitas per argumentum simile repellendum. In suspendendis latronibus, aliisque damnandis, habetur iustum & iniustum, & peccatum etiam. Ergo etiam ratione peccati debet papa de sanguine iudicare. sed plumeum est argumentum id, ideo leui ratione sufflatum. Nunc restat nobis ostendere, quomodo vestra cognitio, domine Clerice, circa iustum & iniustum, secundum leges humanas, quæ de talibus sanxerunt, sit de temporalibus iudicandis. Sed secundum quas, & sub quibus personis subiectis, omnibus est videndum. Manifestum est ergo, illum debere secundum leges iudicare, & secundum easdem de iusto & iniusto cognoscere, cuius est leges condere, & habere interpretari, exponere & custodire, facere & grauare & mollire, cum videbitur expedire. Si ergo vos in iudicio temporalium, simul vultis cum illo contendere, aut concurrere, cognoscendo de iusto & iniusto, iam contra scripturam vestram aratis cum boue & asino: & principe dicente, *hoc est iustum*: pontifex dicet, *hoc est iniustum.* Fiet quod dicet Abacuk propheta: *In præcipitiū factum est iudiciū, contradicente potentiore. propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicii:* quia verè non erit hoc iustitiam & iudicium facere in terra, sed iustitiam & iudicium in terra dilacerare. Et ego ostendam vobis secundum Paulum, vnde vestra cognitio debet incipere: quod principes suo iure de iusto & iniusto cognoscent, & eius sententiæ vnusquisque, sicut tenetur, attendet, & ei obediet sicut præcipitur Deuter. 17. *Si quis autem tumens superbia, non obedierit eius imperio,* nec princeps, cuius fuit officium iudicandi, habet potestatem resistendi, vel coercendi, tunc incipit vestra cognitio: quia tunc accedere debet vestra monitio, dicente Apostolo Paulo ad Tit. 3. cap. *Admone illos, principibus & potestatibus subiectos esse, & subditos.* Et ad Romanos 14. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subiecta.* Vbi etiam maleficia & scelera manifesta sunt, veluti prædæ, rapinæ, & similia, nec est qui velit aut possit corrigere. Non enim nego, vos in iis casibus debere vel posse vestram potentiam exercere, sed non de iusto vel iniusto: quia de hoc non habetis cognoscere, aut manum ad hoc apponere. Et cum manifestum fuerit aut per sententiam iuris, aut euidentiam sceleris, quæ nulla egent cognitione, tunc poterit ad vos ista materia & forma, de quibus dictum est, pertinere: alias, si propter peccata colligantiam vultis de prænotatis

casibus

casibus cognoscere, non restat nisi fores principum claudere, leges silere & decreta principum & vestra sola resonare. Artare vos volo, & vrgere vna quæstione: Vtrum sit vestrum, de causa matrimonii cognoscere? Et ego vado Parisius pro quadam hæreditate, quam peto nomine vxoris meæ, quæ habet in ea succedere, videtis quod ratione matrimonii mihi competit petere illam hæreditatem. Numquid propter matrimonii colligantiam, de quo habetis cognoscere, debeo coram vobis de hæreditate litigare? Robertus de Flandria pro vxore sua petens ducatum Burgundiæ nomine dotis, debuitne coram rege vel episcopo litigare? Immò plane dico, vobis omnibus clericis inhibendo, ne cognitionem de dote contra Deum & iustitiam vsurpetis, cum promissio dotis mere & verè sit pactio temporalis, & sæpe firmari possit regalibus instrumentis. Et quia vobis vsurpatis aliena, euenit vobis illud vero Dei iudicio, qui in eo nihil inultum patietur. Patet ergo quòd sit vanum & friuolum, quòd ex tali vicinitate velitis vobis fingere colligantiam in cognitione causarum, quamuis ad hæc omnia vnum solum debet vobis sufficere, quod suprà memorauimus de Euangelio Lucæ, dicente Domino Iesu: *O homo, quis me constituit iudicem & diuisorem inter vos?* Ostendit enim manifestè, quòd secundum eam potestatem, quam homo mortalis exercuit, non pertinebat ad eum de hæreditate iudicare. Nonne debent temporalia spiritualibus deseruire? ergo temporalia debent esse subiecta spiritualibus, & spiritualis potestas temporalem debet regere potestatem. M. Verè debent spiritualibus temporalia deseruire suo casu, quia tenentur Dei cultoribus necessaria ministrare. Nam hoc omnis gens quasi innatum habuit, & habet instinctum, & hoc naturali iure decreuit natura naturans, vt ministrantibus creatori, seu diuina celebrantibus necessaria ministrentur, & honoris debita & vitæ necessaria præbeantur. Quod etiam Phariseis in lege quam Dominus Moysi tradidit, & sacerdotibus abundanter & cautè prouidit, non dominium tamen aut regnum temporale commisit. Et Apostolus ad Corinthios: *Si spiritualia vobis seminauimus, non est magnum, si carnalia vestra metamus.* Sed si vultis scire quale dominium præbeat ministris, accipite per ordinem verba Christi, & eius apostoli Pauli? Dicit enim Christus discipulis suis ad prædicandum missis, *Dignus est enim operarius mercede sua.* Et Paulus de se & cæteris apostolis ait: *Quis militat suis stipendiis vnquam?* quasi diceret nullus. Et scriptum est in lege Moysi, *Non alligabis os boui trituranti.* Ecce quibus vos comparant Christus & Paulus eius apostolus. Vtique operariis & stipendiariis. Numquid operarii & stipendiarii sunt rerum domini? Videtis quod temporalia conceduntur vobis non ad dominium, sed ad vitæ subsidium, & ad spiritualis ministerii sumptum. Et ex lege Moysi comparamini boui trituranti, cui satis est accipere pabulum, quanquam ipse suo labore impleat horreum. Et quòd dicitis spiritualem potestatem regere temporalem potestatem, iam vobis est per apostolum Paulum superius responsum ibi: Quòd *omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*, & in iis habent nos regere, videlicet quæ sunt ad Deum: sed ad Ecclesiam non pertinet, in iis quæ foris sunt, aliquid iudicare. Quod adhuc contenditis summum pontificem superiorem esse per omnia, in derisiones mirabiles incidetis. Si enim cum creatur papa, creatus sit dominus omnium: simili ratione creare episcopum, erit creare illius patriæ dominum: & sacerdos meus, erit dominus castri mei, & dominus meus: quia sicut potestas papæ est in toto, ita potestas istorum est in illa parte cui præest. Ergo cessandum est ab hac stulticia, quæ ab omnibus irridetur, & tantis Scripturarum elementis ac rationibus infirmatur. Nam in veteri lege dicimus non sacerdotes à regibus, sed reges & principes à sacerdotibus & prophetis adorari, & eos ad se vocari, & quæ placebant regibus imperari: & in iis quæ interdum errauerant, publica dispensatione temporalium increpari, vt 3. *Reg.* 1. & 4. *Capitulis.* C. Miror quòd dicitis, super dispensatione temporalium regem arguisse pontificem. M. Vos excitatis canem dormientem, & & cogitis me loqui de iis quæ antè non cogitaui. C. Excitetur canis, & latret. M. Quoniam vti nescitis vtilitate & patientia principum, timeo quòd post iustum latratum sentietis & morsum. C. Quid interest regum & principum, super dispensatione temporalium nostrorum ipsi sua habeant, & nostra nobis dimittant? M. Nostra multum interest per omnem modum. Numquid non interest nostra, circa salutem animarum nostrarum super omnia cogitare? Numquid non interest nostra, pro parentibus mortuis debita prosequi obsequia, & etiam obsequia postulare? Et nónne vobis à parentibus nostris, ad hoc sunt nostra temporalia data, & copiosè ministrata, vt in cultu diuino totaliter expendantur? Sed certè nihil facitis inde, sed omnia vestris necessitatibus applicatis, quæ per eleemosynas & opera charitatis in visceribus pauperum claudere deberetis. Nónne est necesse, quòd per huiusmodi sanctissima opera mortui liberentur, & saluuarentur viui? Nónne cum ea ad propria expenditis, superflueque consumitis, & ea contra intentionem dantium, & etiam quodammodò accipientium dispergitis malè vtendo, viuos & mortuos læditis, & viuis & mortuis damnabiliter derogatis? Nonne ei qui non vult militare, auferetur stipendium? Et certè vasallus non implens seruitium, meritò perdit & feudum. Et vt vobis ponam super hac quæstione silentium, & quod super hoc nostrum sit dolere, & remedium apponere, accipite fortissimum & apertissimum capitulum Scripturæ sanctæ, 2. Paral. 14. cap. Legitur enim de rege Ioas. *Fecitque quod bonum est coram Domino, & cunctis diebus Ioiada sacerdotis.* & de eodem rege legitur 4. Reg. 12. cap. *Vocauit rex Ioas Ioiadem pontificem, & sacerdotes, dicens eis: Quare sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo pecuniam recipere à populo amplius, iuxta ordinationem vestram, sed ad instaurationem populi reddite eam, prohibitique sunt sacerdotes accipere pecuniam vltra à populo:* Vides ergo quod laudatur rex Ioas à Domino, qui curam accepit vt oblationes iuxta intentionem dantium expenderentur in cultum di-

uinum, hoc est ad instaurationem templi. Laudat enim regem Ioas Deus, vt ostenderet, quòd non delinqueret: quia non cupiditate, sed pietate: non ambitione, sed religione id faceret. Ad tollendam suspicionem, rex testem volebat habere ipsum pontificem, vt sequitur: *Cumq; videret nimiam pecuniam in gazophylacio, ascendebat scriba regis & pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini, & dabant eam iuxta numerum atque mensuram in manus eorum qui præerant commentariis domus Domini.* Ecce laudata est regis religio, quæ curam gessit vt bona illius veteris Ecclesiæ saluarentur sollicitè, & expenderentur religiosè. Scio quod durum sit vobis hoc audire, cum tamen nihil refero nisi verba Scripturæ. Dictum enim vobis est superius, quod hæc accepistis omnia ad vitæ subsidium, & ad sanctæ militiæ stipendium, ad victum habendum & vestitum, quibus duobus dicit Apostolus se esse contentum: & quicquid superest, in pios vsus pauperum, & miserias ægrotantium expendere debetis. Quod si non feceritis, multum nostra interest, de eisdem curam habere, ne animas mortuorum salutemquem viuorum defraudetis. C. Rex iste Ioas bona sibi non tulit, sed in vsus Ecclesiasticos expendit. vos autem hodie bona nostra tollitis, quæ non in religiosos vsus, sed militares tumultus & bellicosas classes expenditis. Vnde exemplum quod induxistis, vestris operibus aduersatur, & vestram violentiam solum colorat. M. Semper in malum vestrum, contra stimulum regum calcitratis. Estné hoc vobis molestum, quòd de bonis Ecclesiæ secum tollunt nepotuli vestri & consanguinei, aliæque personæ interdum inhonestæ? Sed vobis est omnino intolerabile & molestum, quod rex mansuetè petit à vobis, & pro gratia accipit pro vestra salute & defensione Ecclesiæ, & bonorum vestrorum. C. Me miserum; pellem meam tollitis cum carnibus, & hoc appellatis salutem. M. Non perstrepite, sed patienter audite: considerate vicinos vestros suis egere, & ad vestra respicere. Si deficeret regis potestas, qualis esset requies vestra? Nónne nobiles egeni & prodigi, si consumpsissent sua, conuerterentur ad vestra? ergo regia manus, vester murus est: pax regis, pax vestra: salus regis, salus vestra. Quæ si deest, aut forsan esset subtracta, vel peccatis vestris exigentibus à vobis discederet, & vicinis suprà bona vestra grassantibus, nunc exigentibus, nunc minantibus atque vastantibus bona vestra, cogeremini omnibus seruire. Sed videretis prorsus bona vestra perire, quanto velitis tunc redimere, quòd manus regia rediret sicut prius? Videtis ergo, cum pauca regi traditis, quomodo salutem vestram redimatis, quando omnia bona vestra deperdenda saluat. Sed sicut vos semper fuistis beneficiis ingrati, sic estis nunc in vestris profectibus querulosi. Quod si manus hostilis rege cadente regnum inuaderet, nonne omnes prædis & rapinis interiretis, & ferocitatem barbaricam, quam vobis implacabilem sentiretis, relictis sedibus, territi & attoniti fugeritis, & totum perderetis, qui modo super minimis doletis? Quod si reges & principes suis stipendiis, suisque periculis tenentur vos defendere, seque morti pro vobis gratis exponere: & vos sub vmbra quiescere, comedere splendidè, iucundè bibere, super lectos ornatos quiescere, quietè dormire, & instrumentis mollibus lasciuire: ergo vos verè estis soli domini, reges vero & principes vestri serui. Et alii pro vobis & res & personas offerunt morti. Si datur personis Ecclesiasticis requies, non est magnum, si pro personis seruent opes. Hoc dicitis esse durum: sed non quiescitis, donec more solito conuicti fueritis, ac etiam confutati diuinis, quibus non potestis obuiare, Scripturis. Nam de Ioas rege superius, memorato scribitur 4. Reg. 12. & 2. Paralip. 24. cap. *Quamobrem tulit Ioas rex Iuda omnia sanctificata, quæ consecrauerant Iosaphat, & Aaron, & Mosa pater eius rex Iuda, & quæ obtulerat, & vniuersum argentũ quod inuenire potuit in thesauro templi Domini, & palatio regis: misitq; Azaeli regi Syriæ, & recessit à Ierusalẽ.* Ecce apertè, quòd pro redemptione populi accepit ea quæ consecrata erant in templo Domini. non tamen pepercit regis palatio, quando tulit ista de templo. Et eodem modo 4. Reg. 18. cap. legitur sic de Ezechia rege sancto: *In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit regi Assyriorum.* Quòd si dicas, quòd Ezechias egit malè: respondeo, sic habetur in Paralipomenon 32. *Ezechias non reprehenditur in omnibus operibus suis, præterquã in legatione principum Babylonis.* Quis ergo damnabit, quẽ in omnibus Scriptura laudauit? Si erratis, nõ intelligentes scripturarũ veritatẽ, quid ergo contra reges & principes contenditis? Legitur enim Matthæi quinto capitulo: *Non propter locũ gentẽ, sed propter gentẽ locum Dominus praelegit.* Non est ergo parcendũ ecclesiæ materiali, vbi discrimẽ imminet genti Christianæ. ꝙ sanctus Ezechiel & Ioseph' intellexit, & fideliter adimpleuit. Si enim bona vestra sunt Ecclesiæ, & populus in Ecclesia est: quanto iustius substantia in ea, vbi salus populi pendet, expendenda est? Vnde Dominus Matth. 12. c. *Dico vobis, quòd templo maior est hic.* Nec dubiũ est quin templũ spirituale, quod est homo, dignius sit materiali & tẽplo lapideo. Intelligat ergo rex pius & prudens in iis verbis Domini Dei voluntatem, nec vlterius quærat auctoritatem. Nec est parcendum materiali templo, nec iis quæ dedicata sunt templo, vt salus reddatur, & pax periclitãti populo Christiano. Nec est blandiendum ecclesiarum superfluitati, imò succurrendũ tantæ gentis necessitati: sed quia rex ea quæ sibi licent sine placito vestro, nõ veremini exasperare regẽ in mansuetudine vobiscum agentẽ, & solita beneuolentia vos regentem. Cauete à verbis Salomonis: *Quia ira regis nuncius est mortis.* C. Si possunt reuocari, quæ semel Deo sunt donata, ergo irritari possunt omnia vota? M. Hoc non est quæ Deo data sunt reuocare, sed illis vsibus quibus fuerunt data, applicare. Quæ enim sunt Deo data, eo ipso sunt piis vsibus dedicata. Quid enim poterit sanctius esse quàm Christiani populi salus, & quid preciosius Domino, quàm hostes, raptores, & interfectores arcere à populo Christiano, & quàm pacem subiectis & fidelibus emere. Cum ergo in iis bona Ecclesiæ expenduntur, verè vsibus quib, fuerãt dedicata, reddũtur. C. Si ad Scripturas sacras recurritis, quare libertates

bertates

bertates nostras infringitis, quas libertates constat nos ex ipsis traxisse scripturis. Dominus enim interrogat Petrũ, Matthei 17. *Reges terræ à quibus accipiũt tributum, à suis, an ab alienis? At ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filii. Vt autem non scandalizemus eos. Vade ad mare, & mitte hamum, & illum piscem qui primus ascendit tolle, & aperto ore inuenies staterem, sume illum, & da pro me & te.* Vides, ô miles, quod clerici Christi seruitio mancipati omnino sunt liberi. M. Si Euangelium bene respicitur, à Christo solo census siue didrachma petebatur: ideo pro Christo dari videtur ista responsio, ipse enim est filius Dei, filius regis magni. Et sicut filius regis maior est præside, sic filius Dei maior est, & maior erit Cæsare. & sic illa responsio propriè videtur esse pro Christo, attamen quia illi qui principaliter ministrant regi, nullatenus ad publica onera sunt trahendi, concedimus quod clerici in suis personis sunt liberi: quod non dico de his qui vita & conuersatione laici sunt, qui non ad honorem Dei, sed in fraudem Domini sunt clerici, sicut patet ad oculum: non tonsurati, sed de his qui Christũ sequuntur, vt Petrus, & sacris altaribus mancipari: concedimus, inquam, planè de iis qui liberi sunt; non dico clarè per Euangelium, sed quia Euangelio & eorum officio videbatur consonum, indultum est eis hoc priuilegium præcipuum. Nam ab origine Ecclesiæ dixit Paulus ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* & pòst: *Non solum propter iram, sed propter conscientiã.* & post ibidem dicitur: *Reddite omnibus debita, cui tributũ, tributũ, cui vectigal vectigal.* Videtis ergo quod omnis anima erit subdita, & vectigalis & tributaria. Sed (vt dixi) nũc estis in personis liberi, quia officio Christi mancipati, numquid per hoc & eadem libertate gaudebunt & agri? Si enim Ecclesia emerit censualem agrum, numquid cui soluendus erat census, perdet eum? C. Nõ de censibus, sed de exactionibus sermo est. M. Sicut ego super certos agros habeo certum censum, sic Imperator super orbem terrarum pro defensione Reipublicæ, cum opportunum fuerit, pro arbitrio voluntatis potest leuare tributum. Clara enim ratione conceditur, vt Respublica reipublicæ sumptibus defendatur, & quæcunque pars gaudeat ista defensione, æquissimum est, vt cum aliis ponant humerum sub onus. Si ergo minus iustè possessiones subditæ sunt ad onus publicum, quantum ad annum censum ad quemcunque transeunt, semper erunt sub onere hoc, vbi necessitas fuerit Reipublicæ. Sicut quoque cum aliis indigent semper defensione. Quod si dicitis, quod contra hoc præscripsistis longa vsi libertate? respondemus vobis, quod quanto benignitate principum fuerit libertas vestra longior, tanto, vbi maior apparet necessitas, debet esse vestra voluntas promptior ad subueniendum. Nam & irridet scriptura vestram præscriptionem, cum à Salomone vsque ad Ioas, & à Ioas vsque ad Ezechielem non legitur esse factum, quod tamen Ezechiel perfecit. Nam & multæ ciuitates priuilegiis, & consuetudine ab exactionibus liberæ patienter soluerunt & soluunt hodie; quod placuit principi pro defensione regni vel communitatibus vel personis. Et si Deus, vt dicitur, propter ingr[illegible]udinẽ reuocat peccatorum remissionem, videatis ne propter vestram rebellionẽ non mereamin[illegible]on minus, sed etiam plus onerari, & tandẽ facultate simul & potestate denudari. Nunquid per reges tollẽdæ sunt gratiæ nobis per leges concessæ, & per beatorum principum priuilegia sanctæ Ecclesiæ concessa. M. fateor, & verum est amplissima vobis priuilegia per bonos pontifices indulta. Scire verò debetis, quod quicquid rectores Reipublicæ faciunt, ad vtilitatem Reipublicæ intendunt, & ad eam habentes oculum iuxta illam regulã, cuncta disponunt in tantũ, quod salutẽ Reipublicæ, saluti propriæ (quod est in principe gloriosissimum) anteponunt, exemplo Dauid 2. *Reg.* Vnde constat & testimonio, & recta ratione eos concedere, quatenus possent in posterum eis Reipub. causa derogare: Vnde planè colligitur in omnib. priuilegiis hoc exceptum, scilicet vt nisi priuilegiũ indultũ videatur in posterũ Reipublicę nociturũ, vel pro ardua necessitate, vel vtilitate Reipub. manifesta mutandũ. Igitur non est dubium, quin pro regni necessitatibus gratias vobis indultas, legibusq; sancitas, possunt altissimi principes consultiori suspendere ratione, & secundum exigentiam temporis mutare: Vt inuenimus per Salomonem sapientissimum in pœna furti aliquid lege diuina mutatum. C. Imperatores sanxerunt ista, non reges: & ideo per bonos Imperatores, ô miles, nunc erit legum gubernacula moderari. M. Hoc responsum est blasphemiæ. Et quoniam, vt videtur, aut originem ignoratis regni, aut quod videtur verius, illius altitudini inuidetis, si Caroli Magni registrum inspiciatis, & historias probatissimas reuoluatis: inuenietis quod regnum Franciæ dignissima conditione Imperii portio est, pari diuisione ab eo discreta, & æquali dignitate & auctoritate quingentis annis circiter insignita, quicquid ergo priuilegii & dignitatis retinet Imperii nomen in parte vna, hoc Regnum Franciæ in alia. Cum enim fraterna diuisione Francorum regnum à reliqua parte discessit Imperii; quicquid in parte decedente, & penitus ab Imperio existente, Imperium ipsum quondam obtinuit, aut ibidem iure altitudinis aut potestatis exercuit, hoc Principi seu Francorum Regi in eadem plenitudine cessit. Et ideò sicut omnia, quæ infra terminos Imperii sunt, subiecta esse noscuntur Imperio; sic quæ infra terminos Regni, Regno. Et sicut Imperator supra totum Imperium suum habet leges condere, addere eis, aut demere, sic & Rex Franciæ; aut omninò leges Imperatorias repellere, aut quamlibet placuerit permutare, aut illis à toto Regno suo proscriptis & abolitis, nouas si placuerit promulgare. Alioquin si aliquid noui, vt sæpe accidit, visum fuerit statuendum, si Rex non posset hoc, qui est summus, tunc nullus poterit, quia vltra eum nõ est superior vllus. Et ideo, Domine Clerice, linguã vestram coërcete, & agnoscite Regem legibus, consuetudinibus & priuilegiis vestris, & libertatibus datis, Regia potestate præesse, posse addere, posse minuere quælibet, æquitate & ratione consultis, aut cũ suis Proceribus, sicut visum fuerit, temperare. Et ideò si aliquid pro salute Regni tuenda videritis istis temporibus immutari, acceptate, & patienter hoc ferte, Paulo Apostolo hoc

Vos docente ad Romanos 13. *Qui potestati resistit, diuinæ voluntati resistit*; ne qui contra stimulum calcitrant iniustè semel puncti, iterum se pungant. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*, ad Hebræos in fine. Dauid autem sub Anathar principe Sacerdotum, tempore necessitatis panes propositionis, qui solis Sacerdotibus parati erant, & nullis aliis licebat comedere, eos comedit, & aliis dedit comedendos, qui secum erant. Et Matthei 12. *Sabbatum propter hominem, non homo propter Sabbatum factus est. Itaque Dominus est filius hominis etiam Sabbati.* Et Deuteronomii 33. cap. *In manu tua magnitudo & imperium.* Et ibidem: *Et adorauerunt Dominum Deum Regem.* Idem ibidem: *Et vnxerunt secundo Salomonem filium Dauid; vnxerunt autem eum Domino in Principem.* Sequitur: *& Sadoch in Pontificem.* Et Paralipom. 21. cap. *Nec quisquam intret in domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Leuitis tantummodo ingrediantur, qui Sanctificati sunt, & totum reliquum vulgus custodiat Domini obseruent. Leuitæ autem circumdent Regem habentes cingula. Et si quis alius ingressus fuerit templum Domini, interficiatur, sintq; cum Rege intrante & ingrediente. Vnxitq; eum Ioadà Pontifex ibiq;.*

Videntur quædam desiderari.

M. IOHANNIS DE GAVDVNO,

DOCTORIS PERVSINI,

Informatio

DE NVLLITATE PROCESSVVM PAPÆ IOHANNIS XXII. CONTRA LVDOVICVM BAVARVM Imperatorem,

PRO SVPERIORITATE IMPERATORIS in temporalibus.

Anno Domini MCCCXXXVIII.

IN nomine Domini, Amen. Pro informatione simplicium iura ignorantium, processus domini Iohannis Papæ XXII. contra Dominum Ludovvicum Romanorum tunc Regem factus zelo conscientiæ, sed erroneæ! supra dictorum quasdam rationes breues & claras ponere decreui quibus lucide poterit informari volentibus: Quod iidem processus, imo verius excessus, nulli sunt ipso iure, & à nullo timendi nec obseruandi: etiamsi pro aliquo tempore sint seruati, nihilominus deposita erronea conscientia modo & deinceps penitus refutandi, tanquam nulli, & ab omni veritatis entitate alieni. Quarũ rationũ prima hæc est. Papa quantumcunq; Katholicus ac legitimus sit, non habet potestatem, nec auctoritatem, aut iurisdictionem in temporalibus, & maxime supra iura Imperii, quod est immediate à Deo, vt probatur XCVI. *dist. c. cum ad verũ. & c. duo sunt & c. si imperator.* vbi expresse diffinitur & dicitur in hæc verba: *Duo quippe sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, scilicet auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: Habet quippe Imperator priuilegia potestatis suæ, quam administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est. Nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura Imperatoris sibi vsurpet.* hæc ibi in textu. vbi etiam glossæ ordinariæ dicunt, quod istæ duæ potestates sunt distinctæ, & quod neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet potestatem siue imperium à Papa, sed à solo Deo. Et *Dist.* XXIII. *c. legimus*, vbi in textu dicitur, *quod exercitus facit Imperatorem.* & glossa super illo verbo, *Imperatorem*, dicit sic: *Ex sola electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur.* Et hoc etiam probatur in *c. quoniam. Dist.* X. vbi de potestate Pontificali & Imperiali loquens definit in hæc verba: *Quoniam mediator Dei & hominum Iesus Christus sic artibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices procursu tẽporaliũ rerum Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus incursib⁹ distaret, & Deo militãs (scilicet Papa) minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim ille (scilicet Imperator) non videretur diuinis rebus præsidere, qui esset secularibus negotiis implicatus.* Hæc ibi in textu, vbi glossa de vtraq; potestate loquẽs dicit sic: *Cum ergo potestates istæ distinctæ sint, est hoc argumentum, quod Imperium non habetur à Papa, & quod Papa non habet vtrumque gladium: alioquin si Imperiũ haberetur à Papa, posset in temporalibus ad illum appellari, quod prohibuit Alexander Papa dicens: Quod illa (scilicet temporalia) suam iurisdictionem non contingunt. Ex. de appellat. c. si duobus. & Ex. qui fil. sint legit. c. causam.* Et infra, *Ergo credo istas potestates esse distinctas.* hæc glossa. Et dist. VIII. *c. quo iure*, dicitur, *Quod ius humanũ per Imperatores & reges seculi Deus distribuit generi humano.* Et lex dicit, quod Imperium & sacerdotium ab eodem principio processerunt, *in Auth. Quomodo oporteat Episcopos & clericos ad ordinem produci; in princip. Collat.* 1. nec Imperator Papæ iurisdictionem, nec Papa iurisdictionem Imperatoris perturbare debet. *Ex de iudic. c. nouit.* Ex quibus omnib. & aliis multis, quæ causa breuitatis omittuntur, clare patet: quod potestas Imperialis est immediate

mediate

Digitized by Google

mediate à solo Deo, & non à Papa: & quod electus in Imperatorem ex sola electione est rex Romanorum, & habet auctoritatem, iurisdictionem, potestatem Imperialem, etiam antequam inungatur, & consecretur, vel coronetur à Papa: & quod Papa non habet in temporalibus dictam plenitudinem potestatis: & quod processus quibus de facto cassauit, siue nullam, cassam & irritam pronunciauit electionem de domino Ludevvico Duce quondam Bauariæ in Regem Romanorum factam, asserendo in iisdem suis processibus, eum administrare post electionem de se factam non potuisse iura Imperii, & quod administratio Imperii ad ipsum Iohannem Papã pertinebat, de iure, nullius omnino sunt roboris vel valoris, & à veritate penitus alieni. Vnde quodcunque dictus Iohannes Papa fecit in prædictis, tanquam à non suo Iudice factum nullius fuit momenti, vt aperte probant Canones, XI. *q.* c. I. *placuit* & II. *q.* I. *in primis iux. fin.* & XVI. *q. c.* I. *frater noster.* & *Ex. de iudiciis. c. at, si clerici.* & *Ex de consuet. c. ad nostram.* & *c. si non à compet. iud.* I. 2. 4. & *vlt. cum simil.*

Secunda ratio est ex eo, quod dicti processus imo verius excessus fuerunt facti per dictum Iohannem contra Ludevvicum Imperatorem, & in enorme præiudicium sui, & eorum qui eum elegerunt in regem Romanorum, & aliorum Principum Alemanniæ, & totius Imperii, ex notiore falsis caussis, & nullo iuris ordine seruato, ipsoq; domino Ludevvico, & aliis quorum intererat, absentibus, & nullo modo legitime monitis nec citatis. Vnde cum sacri Canones, & iura diuina & humana determinant, sententias & processus quoscunque promulgatos absentibus his, quorum caussa agitur, siue ventilatur, eis legitime non monitis & citatis, nullius existere firmitatis, III. *q.* IV. *per fol.* vbi etiam legitur, sanctos Pontifices diffinisse in hæc verba: *Omnia quæ aduersus absentes in omni negocio vel loco aguntur aut iudicantur, irrita erunt, & euacuantur omnino, nec aliquem obtinent firmitatẽ; quia diuina & humana leges hoc fieri prohibent.* Et *ex. de testib. c. in nomine Domini.* & *in fine de testib. scil. ex C. hoc verbo: Ctllat. 7.* & *D. quæ sentent. sine appell. rescind. l.* I. § *ex hoc Edicto.* & *C. quam.* & *quan. Iudex. l. ea quæ.* Et maxime in caussis, quæ summi Pontificis iudicio deciduntur, ordo iuris & vigor æquitatis est subtiliter obseruandus. *Ex. de sentent.* & *re iudic. c. in caussis.* Sequitur quod prædicti processus, imo excessus, fuerunt nulli, & nullius valoris penitus & momenti. Nec obuiat, si dicatur, quod dictus Iohannes Papa in ciuitate Auinionis prouinciæ existẽs cum sua curia, per litteras suas, quas dicitur ad fores Ecclesiæ maioris Auinionensis appẽdi fecisse, dominum Ludevvicum absentem citauit. Quoniam talis citatio, esto etiam quod appareret, nullatenus fuit nec est dicenda legitima citatio, rationibus infra scriptis. Quarum prima est, quia scilicet Canones & iura ad hoc vt censeatur & dici possit citatio legitima, necesse est vt ille qui citandus est, citetur aut personaliter si inueniri potest, aut si non inueniri potest, citetur publice ad domũ suam, alias nisi sic citetur, nõ potest contra ipsum procedere, vt aperte probatur IV. *q.* I. *c. si quis.* & *Ex. de dolo* & *contumac. c. tamen. quæ in tex.* & *glo. de clericis non resid. c. ex tuo. Et Ex. à quib. matrim. accus. pot. c.* I. & *de eo qui mitt. in poss. cau. rei seruan. c. vlt.* & *ff. ex quib. caus. maior. l. item ait.* § *hoc autem. Cum allegatis iurib.* III. *q* IX. *c. cauerant.* & *ff. quæ sent. sine appell. rescind. l.* I. & *C. quom.* & *quando iudex. si ea quæ.* Ex quibus iuribus clare patet, dato sine præiudicio, quod talis citatio per litteras in ciuitate Auinionis appensas reperiretur fuisse facta, quod nihilominus processus per ipsum Iohannem factus fuisset irritus & inanis. Secunda ratio ad hoc est, quod ad hoc vt citatio de iure legitima censeatur, & arctet citatum ad veniendum, necessarium est quod assignetur illi, qui citatus est, terminus & locus ad comparendũ securus, prout manifeste probant iura, *Ex. de appell. cap. ex parte tua.* & XXXIII. *q.* II. *c. de coniugii. vbi dicitur, prouidendus est locus, in quo nulla vis multitudinis formidetur, nec sit difficile testes producere vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonibus quam à venerandis Romanis legibus in huiusmodi concursu requiruntur.* Hæc, ibi & III. *q.* 9. *Hortamur* & *ext. Vt lite non contest. c. accedens.* & *D. de iudic. l. si locum.* Sed notorium & indubitatum existit, quod dictus Iohannes Papa tam ipsum dominum Ludouicum Imperatorem, quam imperii sui fideles & amicos odio capitali, & etiam hostili exercitu persequebatur facto, & ciuitates & iura Imperii sibi vsurpare & subiugare quantum poterat conabatur. Ciuitas quoque Auinionis in qua idem Iohannes Papa cum suo consistorio morabatur, & ad quam (vt dictum est) dictum Ludouicum Imperatorem per suas litteras euocauerat, & ille qui illius ciuitatis dominium detinebat, dominum Imperatorem Ludouicum & Romanum Imperium habebat odio notorio & antiquo. Vnde patet, quod desiperet, qui diceret vel sentiret talem citationem prædictum dominum Ludouicum Imp. ad comparendum modo aliquo coarctasse. Quis enim auderet dicere, quod tempore talis consistorii in tali loco periculoso teneretur subire iudicium, & in hostium suorum se ponere sinu, & ad mortis periculum se offerre. Præterea in *can. Pastoralis. De sentent.* & *re iudic.* in constitutionibus Clementis Papæ quinti, quas idem Papa Iohannes prosequendo publicauit, probatur, quod sententia quondam Henrici Imperatoris tum lata in regem Rubertum nulla fuit, ex eo quod ipsum citauit ad locum sibi non tutum. Sic quod pro se ibi allegat, hoc contra se recipiat, iuxta dictum Sapientis, *Patere legem quam ipse tuleris. Ex. de constitut. cum omnis.* Sed locus Auinionis tunc non fuit tutus, nec etiam tunc accessibilis, & clare patet quia ipse Iohãnes Papa, Rex Franciæ, Rex Rubertus, Duces Austriæ, cum eorum fautoribus, ipsum dominum Ludeuicum tunc impotentem, imo Imperium persequebantur odio capitali. Hoc idem probat captiuitas militis & Ambassiatorum Regis Angliæ perfecta in Auinione, post asseruationem domini Papæ Benedicti ipsi militi factum. Vnde si hoc malum factum fuit in milite, propter secreta quædam inuestiganda, vel legationem impediendam: quanto magis propter destructionem & discerptionem Imperii, cu-

Digitized by Google

ius iura auidissime sitiunt, in verum Imperii protectorem siue administratorem, & mala excitauissent eius æmuli, si potuissent, & si possent, adhuc excitarent?

Item quod reuera contra mentem & intentionem delegantis & committentis Papæ vices suas scilicet Christi præfati, processus sunt facti: quod sicut ipse Christus commisit Petro claues ligandi & soluendi in hunc finem, vt Petrus dimitteret, & animas purgaret ad salutem: non autem ei commisit temporalium regnorum administrationem. Quod etiam scribit S. Bernhardus *primo libro Considerationis Eugenio Papæ.* Sed Papa Iohannes sententias prædictas fulminauit propter administrationem regni regnorum: quod à Christo in mandatis aut ex commissione clauium non accepit. Ergo sententiæ illæ sunt nullæ iure *Ex. de rescript. c. super litteris.* quod ibi delegans non esset iurisdictionem concessurus, ibi delegatus non debet iurisdictionem exercere. Quod autem Christus Petro non commiserit temporalium iurisdictionem, vel eorum curam aut administrationem, patet quia ipse nihil proprii habuit: imo paupertatem & temporalium renunciationem seruauit & docuit. Luc. XIV. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et Marci XIX. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Quomodo enim pauper post temporalium alienationem sequeretur Christum, nisi & Christus temporalia deposuisset, imo prius posuisset? Hoc idem patet expresse Luc. XI. *Quod quidem archisynagogus Christo dixit, Magister, dic fratri meo vt mecum diuidat paternas possessiones.* Sed Christus nolens esse iudex temporalium, respondit ei quasi dedignatus: *Et quis me constituit iudicem inter vos, vt diuidam vestram hæreditatem?* ac si dicat: Non veni possessiones temporales diuidere, sed salutem animabus dare, sicut ibidem notauit Albertus in gl. Possessionum enim earum diuisio & ius diuidendi est à iure Imperatorum & regum mundi, quibus à Deo temporalia sunt commissa, vt patet *in Can. dist.* VIII. *cum quo iure.* Cui concordat Bernhardus libro considerat. sic scribens Eugenio Papæ: *Si non vis recognoscere Imperatorem, dimitte possessiones.* Vnde etiam apparet, quod hæ sententiæ latæ sunt à non suo iudice: cum Papa non sit iudex Imperatoris in temporalibus, quanto minus in causa Imperii, à quo temporalia dependent, sicut patet per plura iura Canonica & ciuilia superius allegata. Item quod Christus temporalia Imperatori dimiserit administranda, & sibi eorum curam & administrationem non assumpserit, patet quia tributum Cæsari dari iussit, vt scribit *Matthæus* XXII. & etiam ipse soluit, vt patet *Matth.* XVII Item *Iohannis* XIX. interrogatus à Pilato, an esset Rex, respondit: *Tu dicis quod Rex sum ego: sed tamen regnum meum non est de hoc mundo.* ac si diceret, spiritualibus & animabus impero, & in eis meum est regnum, non in mundo, nec in mundanis & transitoriis: sed in spiritibus æternis & animabus fidelibus, se de mundanis ad cœlestia & æterna erigentibus. Sed textuales clerici & pseudomonachi, falsi scilicet religiosi, qui se dicunt Iudæos esse & non sunt, sed potius sunt synagogæ Satanæ (sicut apostolus & euangelista iussus est scribere episcopo Smyrnæ, Apocal. 2.) se credentes esse sapientes, cum sint desipientes, omnia præmissa vna superficiali solutione conantes euadere, dicunt: Quod sententia Pastoris siue iusta siue iniusta timenda sit, cum Christus dixerit Petro: *Quæcunque ligaueris, &c.* nullum excipiens: Ad quam solutionem respondeo, quod aliud est sententia iniusta, & aliud nulla. sicut aliud est quando pastor fert sententiam iniustam, forte ex ignorantia, seruato tamen ordine iuris. Sed præfatæ sententiæ latæ fuerunt scienter malitiosæ, & ex iniustis notorie causis imo falsis, & claue errante, & in finem indebitum & iniustum, vt Imperii iura sibi vsurparet, contra ius diuinum & humanum: & sic concupiscens, imo hostiliter inuadens alienum, peccauit mortaliter faciens contra præceptum Dominicum: *Ne furtum facias.* In quo præcepto prohibetur omnis illicita contrectatio rei alienæ. Item, *Non concupisces rem proximi tui,* in quo prohibetur non solum contrectatio, sed etiam inordinatus appetitus rei alienæ. Qui ergo sibi in illo peccato consentit, nonne etiam mortaliter peccat, cum delinquentem & consentientem par pœna cõstringat? *Ex. de offic. deleg. c.* 1. *& de sent. excommun. c. nuper, & c. quanta. &* XI. *q.* 3. *C. qui consentit. & c. seq.* vbi dicitur: *Si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum.* Debet ergo quilibet patri & matri in peccatum trahere conantibus dicere: *Non noui vos,* id est, non approbo quod iubetis in hoc. *Can.* 33 *q.* 8. *C. Diaconi.* Veritati enim & iustitiæ est insistẽdum, etiam contra parentes carnales & spirituales. 4. *q.* 3. *c. parentes. & ex. de iureiur. c. litteras.* vnde Actor. 4. *plus oportet obedire Deo quam hominibus.* Et in eodem: *Si in conspectu Dei iustum est nos potius audire quam hominem, ipsi iudicate.* Et XI. *qu.* 3. *c. Iulianus. Non semper malum est non obedire præcepto.* cum enim dominus iubet quæ Deo contraria sunt, tunc ei obediendum non est. Vnde ad id quod ipsi literales clerici allegant: *Quæcunque ligaueris, &c.* respondeo, quod illa auctoritas intelligitur de ligatione vera, non ficta vel falsa. quodque per Augustinum illud verbum exponentem, qui ait: *Christus non dixit: Quod putatis ligare & soluere. Sed in quos opus iustitia vel misericordia exercetis, hoc ego Deus, & omnes cœlestis militia ordines laudant vobiscum & confirmant: aliter autem opera vestra in peccatores non cognosco.* Etsi Deus non approbat sententias latas iniuste etiam in peccatores, quanto minus sententias Iohannis Papæ latas contra iura diuina & humana, & iuris ordine non seruato, & pro causis notorie iniustis & falsis. Item super verbo Marci XVI. *tibi dabo claues regni cœlorum,* dicit, *Quidam hunc locum non intelligentes aliquid sumunt de supercilio philosophorum, vt damnare innoxios. Cum apud Deũ non sententia sacerdotum sed vita eorum quæratur.* ad idem XI. *qu.* 3. *c. ipse.* vbi dicitur: *Ipse ligandi & soluendi potestate se priuat, qui hanc pro suis voluptatibus, & non pro subditorum moribus exercet:* & cap. seq. dicitur: *Iudicare de subditis nequeunt, qui in subditorum causis odia vel guerram quærunt.*

Demum

Demum veniunt insensati dicentes: *Et Papa in omnibus præmissis male gessit, hoc non habemus iudicare.* Hi, vt bene agant, nolunt intelligere, videlicet quod duplex est iudicium, vnum iurisdictionis; hoc non habet homo super Papam, vt eum pro suis excessibus iudicialiter corrigat. Aliud est iudicium rationis vel discretionis: & hoc iudicio quilibet habet iudicare de factis, & maxime de præceptis sui superioris, an sint iusta vel iniusta, ac bona vel mala, aut in quem finem sint facta: alias enim semper esset obediendum cuilibet præcepto quandocunque contra diuinum præceptum facto, quod ex præmissis patet fore falsum. Alias etiam Psalmista de peccatore non dixisset: *Noluit intelligere vt bene ageret*, scilicet discernendo inter bonum & malum, licitum & illicitum. & alibi: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens aut requirens Dominum.* id est, si intelligat verum, secundum intellectum: & requirat Dominum, operando bonum secundum affectum, propter Dominum tanquam propter finem. Hæc sufficiant pro directione simplicium.

M. GVILHELMI DE OCKAM

ANGLI EX ORDINE MINORVM, PHIlosophi eminentissimi, & Consiliarii Cæsarei,

Tractatus

DE IVRISDICTIONE IMPERATORIS in Causis Matrimonialibus.

Anno Domini MCCCXLII.

DIVINA prouidentia disponente, in ius Imperium, qui Christi Apostolorumq; eius temporibus Romano præsidebat Imperio, serenissimus princeps & Dominus, Dominus Ludouicus Romanorum Imperator succedens, nullatenus est putandus succedere ad euersionem iurium à Christo Romanæ Ecclesiæ concessorum qualitercunque conari: quamuis eodem iure quo illi, vti tentauit. Neque enim minus iuris seu iurisdictionis legitimæ, quam prodecessores sui infideles, credendum est habere propter hoc, quod legi perfectæ libertatis, cuius (vt institutor testator ipsius) iugum suaue & onus leue, collum fidelissima deuotione subiecit. Cum secundum beatum Augustinum super epistolam ad Titum, religio Christiana neminem priuet iure suo. Cui beatus Augustinus super Iohannem alludit, dicens in persona Christi: *Audite Iudæi & Gentes, audite præputium, audite omnia regna terræ. Non impedio dominationem vestram in hoc mundo quoniam regnum meum non de hoc mundo Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes iste maior, cum Christus natus nunciaretur, expauit.* Hinc etiam de Christo eiusdem legislatore canit Ecclesia: *Non accipit mortalia, qui regna dat cœlestia.* Hanc sententiam isti non de suis cordibus temere confinxerũt, sed ex scripturis accepere diuinis. Cũ 1. Corinth. 7. dicat Apostolus: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Philippus itaque primus Imperator conuersus ad fidem, sicut & Constantinus Magnus, plenum ius imperii retinebat. Quare & nunc Imperator omnem iurisdictionem & potestatem, qua prædecessores sui infideles vel fideles præditi extiterunt, de iure absque diminutione qualibet noscitur possidere: aliter enim verus successor Imperatorum Romanorum censeri non deberet.

Causa autem matrimonialis, saltem quantum ad ea quæ in lege diuina nec præcepta nec prohibita reperiuntur expressè, & de quibus in ipsa mentio non habetur, ad iurisdictionem & potestatem Imperatorum infidelium, quos Christus & Apostoli præeminere potestate legitima censuere, spectabat. Cum enim scripturas sacras atque rationem naturalem, legesque humanas, Catholicas, canonicas, & ciuiles, nec non & secundum doctrinam sanctorum Patrum, inter fideles verum licitum & legitimum reperiatur coniugium, & (prout etiam Romanorum Pontificum decretales testantur) infideles constitutionibus ecclesiasticis non arceantur, *Ex. de diuort. Gaudemus.* euidenti concluditur argumento, quod causa matrimonialis, præsertim quantum ad illa de quibus in scripturis diuinis mentio non habetur, ad Imperatores legitimos etiam infideles, quibus tamen fideles fuerunt subditi, pertinebat. Emergente enim tempore Imperatorum infidelium inter fideles circa matrimonium quæstione, quantum ad ea quæ in sacris litteris minime diffiniuntur, vt inter fidelem & infidelem quæritur, an coram Imperatore aut iudice eius aut coram iudice Ecclesiastico seu fidei debuit huiusmodi quæstio pertractari. Non coram iudice Ecclesiastico seu fideli, cum quia secundum Apostolum ad ipsum & ratione consilii ad fideles alios, de hiis qui foris erant, qui videlicet fidelibus subiecti non erant, non pertinuit iudicare: tum quia (sicut dictum est) etiam secundũ decretales Romanorum Pontificum infideles constitu-

Digitized by Google

tionibus Canonicis minimè arctabantur, vel etiam nunc arctantur. Quæstio itaque huiusmodi erat Imperatorem infidelem vel per iudicem constitutum ab ipso sententialiter sopienda. Ex quo patenter infertur, quod huiusmodi quæstio inter fideles Imperatori subiectos exorta, & etiam inter infideles incepta, sed ante finem conuersos ad fidem, per Imperatorem infidelem vel per iudicem constitutum ab ipso potuit legitimè terminari: ne religio Christiana priuando Imperatorem iure suo & impediendo dominationem eius, deinde blasphemabile redderet nomen Domini & doctrinam. Absque dubitationis itaque scrupulo ad Imperatorem, qui tam fidelibus quàm infidelibus Romanis Augustis in pleno iure Imperii Romani succedit, videtur causa matrimonialis maximè quantum ad illa de quibus sacræ litteræ non loquuntur, quas sincera deuotione amplectitur, pertinere. Vnde & de matrimonio, & de contingentibus ipsum, antequam leges ecclesiasticæ aliquæ apparerent, Imperatores tam fideles quàm infideles leges ediderunt non paucas, sicuti in libris legalibus liquidè constat.

Esto autem (absque præiudicio) quod causa matrimonialis etiam quantum ad illa, de quibus in sacrarum scripturarum serie nil reperitur expressum, ad Imperatorem regulariter minimè pertineret: ambigere tamen non deberet, quin ad causam huiusmodi in multis casibus sua licitè valeret extendere potestatem, etiam quantum ad gradus consanguinitatis. Nec leges ecclesiasticæ, etiamsi ipsis esset arctatus, ipsum prohibere valerent, quin pro vrgenti necessitate ac etiam euidenti vtilitate venire posset casualiter contra ipsas, Romano episcopo, etiamsi in temporalibus inferior esset eodem, minimè requisito. Leges enim humanæ & potissimè ecclesiasticæ, quæ non minori inniti debent æquitate quàm leges aliæ, sic institui debent & intelligi, quod illis quos tangunt prosint, & nemini præsertim notabile afferant nocumentum. Etiam quod secundum Apostolum II. *Corinth. vlt.* Deus dedit Ecclesiæ potestatem in ædificationem, non in destructionem. Etiam quod secundum eundem I. *Timoth.* I. lex iusto non est posita sed impiis, & non nisi subditis. Tamen quod Canonum conditores non quæ sua sunt, sed & quæ aliorum, considerare tenentur, vt imitentur Apostolum, qui (vt testatur I *Corinth.* 10.) non quæsiuit quod sibi vtile erat, sed quod multis. Vnde & (vt alibi ait) cum liber esset ex omnibus, omnium se seruum fecit, vt plures lucrifaceret. Qui etiam (vt alibi dicit) vtilitatem quæsiuit aliorum, non vt laqueum eis iniiceret. Tum quia Christus beato Petro & successoribus eius pascendi solummodo dedit officium, non potestatem mactandi oues Christi, vel quomodolibet nocendi eisdem: tum quod leges debent esse iustę. d. 4. *Erit autē* lex iusta quæ ius suum vnicuique tribuit, cuiquam præsertim immerito obesse non debet: tum quia lex esse debet pro communi vtilitate conscripta, *ibidem*: tum quia leges sic sunt interpretandæ, vt nulli sint onerosæ vel captiosæ. *ff. de re iudic. Quotiens. Ex. de consuet. Cum olim. & c. cum dilectus.* Si enim sic est interpretatio facienda, vt res de qua agitur magis valeat, quam pereat, *Ex. de verb. signif. Abbate* multo fortius sic sint leges interpretandæ, vt potius prosint quam noceant. Tum quod ille intellectus legum accipiendus est qui vitio caret, *arg. ad hoc De legat. in ambiguis.* Tum quia inde non debent iniuriæ & per consequens nec nocumenta nasci, vnde iura nascuntur. *Ex. de accusat. Qualiter & quando.* Tum quod secundum Leonem Papam (vt habetur D. XLV. *licet*) quod pronius est ad concordiam, non debet tendere ad noxam. Sic leges præcipuè Ecclesiasticæ quæ ad vtilitatem & laudem bonorum, vt inter malos quietè viuant, fieri debent, non debent etiam postquam factæ sunt, in eorum damnum & dispendium torqueri. Tum quia specialiter Papa (vt habetur 8. *q.* I. *Clemens*) singulos iuuare, singulos prout poterit releuare debet. Quare leges suæ in eo casu nullatenus sunt seruandæ, in quo non prodessent, sed in detrimentum præsertim Reipublicæ redundarent. Quamuis igitur legibus summorum Pontificum de matrimonio esset astrictus, tamen quia ipsas agnosceret apertè si seruarentur, in damnum vel impedimentum reipublicæ redundare, vtendo epieikia iuxta sententiam sapientis, contra ipsas licitè venire valeret, etiam summo Pontifice irrequisito, quando ad ipsum pro interpretatione legum suarum seu dispensatione habenda aut non posset, aut non deberet habere recursum: ne leges suæ in tali casu seruare periculosè aut perniciosè, aut iniquè, & impiè patientibus probaretur.

Cum igitur lex diuina nequaquam prohibeat, illustrissimum principem Dominum Ludouicum Marchionem Brandeburgicum, & Margaretam Ducissam Karinthiæ matrimonialiter copulari; eo quod inter prædictam Margaretam & filium Regis Bohemiæ, cuius putabatur vxor, nequaquam verum matrimonium interuenit (quod solum per legem diuinam ne præfatā Margareta cum memorato Ludouico contraheret, poterat impedire, si fuisset) sicut coram Imperatore legitimis documentis luce clarioribus est probatum: de auctoritate & voluntate Domini Imperatoris, cui per matrimonium inter prędictos Ludouicum & Margaretam ad reparationem reipublicæ & Romani Imperii atque ad compressionem infinitorum malorum maximum ministrari poterit iuuamentum, licitè poterunt supradicti Ludouicus & Margareta fœdus contrahere copulæ carnalis seu maritalis; non obstantibus quibuscunque impedimentis, de quibus nihil in sacris litteris reperitur, Imperialibus vel Papalibus, etiam imperatorem nequaquam arctare valentibus: contra quas etiam si astringeretur eisdem, vtendo epieikia venire valeret in hoc casu, absque recursu ad eum qui noscitur sedem Apostolicam occupare, quantumcunque esset verius Apostaticus nuncupandus; cum sit inimicus ipsius liberorumque eius & sacri Imperii manifestus, ita vt licet nulla possit tergiuersatione cælari. Sicut enim coram inimico, imò & suspecto

iudice nemo debet compelli litigare, prout etiam decreta & decretales Romanorum episcoporum: *Ex. de rescript. Ad hoc. 3. q. 5. Quia suspecti. Ex. de except. Cum inter.* Vnde & iudex potest, etiam propter leues inimicitias recusari: sic ad inimicum præcipuè obstinatum, impium & crudelem, nemo tenetur in causis arduis, præsertim respicientibus bonum commune, habere recursum: & hoc maximè quando non solum personæ, sed etiam reipublicæ se ostendit apertis indiciis inimicum. Nihil potest enim esse gratius & desiderabilius inimico, quàm potestatem habere lædendi & impediendi, ac necessaria & vtilia denegandi ei cuius est inimicus, & vt iste quem mortaliter odit, in arduis causis ipso indigeat, & ad ipsum oporteat habere recursum.

Porrò quod assertiones præscriptæ coram multis faciem mendacii & iniquitatis videntur ostendere, vt veritas exagitata magis splendeat in lucem, & vt opposita iuxta se posita magis appareant; ad illa quæ in hiis aduersari videntur, propono respondere, & ipsa penitus exsufflare. Quidam enim sacri Imperii inimici audent asserere, quod causa matrimonialis sic ad Ecclesiam spectet, quod ad Imperatorem nullo modo valeat pertinere: eò quod Sacramentum & causæ spirituales per Ecclesiam solummodo ministrari debeant & tractari: sicut Canones in genere & in specie de matrimonio testari videntur. Quibus quantum ad sacramenta primo respondetur, quod asserere omnia sacramenta in omni casu per clericos, (quos per *Ecclesiam* intelligunt supradicti) esse solummodo ministranda, erroneum est censendum. Cum sacramentum Baptismi, quod specialiter est noui testamenti, laici etiam in pluribus casibus secundum eos possunt conferre. In specie autem de sacramento matrimonii (quod etiam decretales Romanorum Pontificum dicunt apud fideles & infideles existere. *Ex. de diuort. Gaudemus.*) dicitur, quod ad Imperatorem in quantum solummodo Imperator, eo quod pluries Imperator extitit infidelis, causa matrimonialis quantum ad illa quæ specialiter vltra legem naturæ, & ius gentium, & leges ciuiles sunt in scripturis sacris prohibita vel præcepta, minimè spectat. Si enim tempore Imperatorum infidelium inter fideles fuisset quæstio mota de coniugio sacerdotum, de quo habetur 1. *Timoth.* 3. & *ad Tit.* 1. vel de coniugio alterius conuersi ad fidem, altero coniuge in infidelitate remanente, de quo habetur 1. *Corinth.* 7. aut de aliquo simili, non per imperatorem, sed per fideles sopienda fuisset. Quantum ad alia autem, quæstio de causa matrimonii ad Imperatorem spectat, sicut prius probatum extitit.

Quantum autem ad id, quod de causis spiritualibus accipitur, respondetur: Quod causæ spirituales, quantum ad illa, quæ vltra legem naturæ & ius gentium legesque ciuiles ac consuetudines approbatas, in lege Dei sunt prohibita vel expressa, ad Imperatorem, in quantum solummodo Imperator, minimè spectat. Eo quod (sicut tactum est) pluries Imperatores infideles & legi Dei contrarii extiterunt. Dicere autem, quod causæ spirituales nullo modo etiam ad Imperatorem fidelem pertineant, à nonnullis erroneum iudicatur. Constat enim, quod causæ de bonis moribus & virtutibus, etiam politicis, nec non & de vitiis & peccatis eis contrariis, debent causis spiritualibus aggregari: cum virtutes & peccata inter spiritualia debeant computari. Vnde & magis reputantur spiritualia quàm corporalia, sacramenta & quæcunque ecclesiastica ornamenta, & materiales Ecclesiæ qualescunque: quæ tamen clerici nonnunquam inter spiritualia reputant numeranda, quæstiones motasq; de eis inter quæstiones spirituales æstimant computandas.

Canones igitur asserentes causam matrimonialem aliasque causas spirituales ad Ecclesiam, id est congregationem fidelium pertinere, quantum ad ea quæ in lege Dei singulariter & solummodo exprimuntur, iuxta prædicta possunt intelligi. Quin nihilominus intelligi possunt quantū ad alia: non quidem vt causa matrimonialis & aliæ plures, quantum & illa de quibus in lege Dei mentio non habetur, sic ad Ecclesiam, id est ad clericos spectent, quod ipsi auctoritate eis specialiter à Christo concessa valeant eas, præsertim iudice seculari ac populo reclamante seu prohibente, tractare: sed quod auctoritate principis aut populi, vel virtute consuetudinis de scientia & consensu Principis seu populi introductæ, ipsas valeant diffinire. Vel possunt intelligi, sic quod Imperator & alii principes & cuncti mortales essent eisdem arctati, quando prodessent, & in detrimentum præcipuè reipublicæ minimè redundarent, & quando ad summum Pontificem posset & deberet haberi recursus. Quoniam Imperator, in quem populus suam transtulit potestatem, causas huiusmodi ad se reuocare potest, præsertim propter culpam clericorum, & ex causa: cum huiusmodi potestatem, quemadmodum & ecclesiasticas libertates, à prædecessoribus Imperatoribus vel subditis eiusdem habuisse noscantur.

Nec illis obsistit, quod (vt legitur in *Decretis*) constitutionibus Ecclesiasticis constitutiones Principum non præeminent, sed obsequuntur: & quod sacræ leges non dedignantur sacros Canones imitari: & quod Pontificalis dignitas est dignior, maior, & superior Imperatoria dignitate. Ista enim & consimilia veritatem habent quantum ad spiritualia, quæ in solis diuinis scripturis sunt tradita, & quæ nequaquam fidelibus & infidelibus noscuntur esse communia. Quantum ad huiusmodi enim, Pontificalis auctoritas est superior Imperiali potestate, cui nulla alia potestas est annexa: & quantum ad huiusmodi, constitutiones Principum fidelium constitutionibus Ecclesiasticis obsequuntur, & ipsas imitari minimè dedignantur. Quantum ad alia autem, constitutiones Ecclesiasticæ legibus ciuilibus præiudicare non possunt, vt & nonnullæ decretales Romanorum pontificum affirmant.

Digitized by Google

Nec obstant verba Christi quæ Petro dixit: *Quæcunque ligaueris super terra, &c.* Per quæ verba Christus videtur dedisse vel permisisse Petro & successoribus suis plenitudinem potestatis tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, ac iura terreni imperii: vt omnis potestas terrena à Papa, tanquam à Christi vicario, censeri debeat dependere. Cum ille qui dicit *Omne*, nihil intelligatur, excipere. Nam licet illa verba Christi generaliter sint prolata, tamen non debent generalissimè absque omni exceptione accipi, ne ex eis absurditates erroneæ quamplurimæ inferantur. Si enim generalissimè absque omni exceptione deberent intelligi, sequeretur quod potestas Petri & successorum eius in terris esset æqualis potestati Christi. Ex quo sequeretur, quod Papa posset de plenitudine potestatis sacramenta a Christo instituta imminuere, & instituere noua, præcepta legis Euangelicæ abrogare, & contra ipsa venire, quemadmodum Christus euacuauit omnia ceremonialia legis Mosaicæ; communia quæ supererogationis sunt, scilicet virginitatem, continentiam, abdicationem cuiuslibet proprietatis omnium temporalium, seruilem & summam obœdientiam, & alia supererogatoria, & etiam indifferentia quæcunque absque culpa & sine causa pro suæ arbitrio voluntatis cuilibet Christiano de iure iniungere. Quinetiam Imperatorem, & Reges, aliosque Principes, & generaliter omnes mortales posset de iure sine culpa & absque causa imperio, regnis, & principatibus, suis aliisque rebus & iuribus qnibuscunque priuare, & sibi ad libitum retinere, vel quibus vellet, conferre.

Dico igitur quod cum ratio dictet, & iurisperiti dicant, quod verbum generale sæpe restringatur, & regula cum suis exceptionibus accipi debet; verba Christi præscripta, quemadmodum alia multa in sacra Scriptura reperta, sicut Apostolus ad Coloss. 4. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus.* & illud eiusdem ibidem: *Filii obedite per omnia parentibus.* & idem 1. Timoth. 11. *Mulier in silentio discet cum omni subiectione.* & illud eiusdem ad Ephes. 5. *vt Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*; & plurima alia cum suis exceptionibus debent intelligi. Inter cætera autem excipiuntur iura & libertates Imperii, & Principum, & aliorum mortalium, qui iuribus & libertatibus suis à Deo & aliis sibi concessis sine culpa & absque causa, sicut nec rebus suis possunt de iure per summum Pontificem spoliari. Colligitur autem ista exceptio euidenter ex doctrina & gestis Christi & Apostolorum ac sanctorum patrum, sicut per scripturas sacras, & assertiones generalium conciliorum, & summorum Pontificum ac doctorum Ecclesiæ copiosissimè & patentissimè potest ostendi. Dicitur itaque, quod quamuis Romanus Episcopus sit vicarius Christi, non successor proprie, & ideo Christo in potestate sit inæqualis: cũ potestas vicarii potestate illius cuius vices gerit, non debeat adæquari; vnde & limitatam habet à Christo, vt omnia possit de iure, quæ nec legi diuinæ, nec legi naturæ reperiuntur aduersa. Si enim talem haberet plenitudinem potestatis, qualem sedem Apostolicam occupantes sibi damnabiliter vsurparunt, & quam plures adulatoriè & erroneè sibi tribuere moliuntur; omnes mortales essent serui summi Pontificis, secundum distributissimam acceptionem vocabuli serui: quod libertati Euangelicæ legis, quæ in scripturis diuinis legitur siue scribitur, apertius aduersatur: & ideo talis assertio est inter hæreses merito computanda. Omnes igitur auctoritates sacrarum scripturarum, generalium Conciliorum, summorum Pontificum, quæ recipiendæ sunt, & aliorum sanctorum Patrum, potestatem extollentes Papalem, sic intelligendæ sunt, vt non præiudicent iuribus & libertatibus aliorum sibi à Deo & aliis concessis. Quemadmodum verba Apostoli reprehendentis, Corinthios *quod litigabant apud infideles*, sanè intelligi debent. Ideo enim reprehendebat eos, quia causas quas inter se per compositionem amicabilem vel per iudices constitutos ab ipsis saluo iure Imperatorum, quibus subiecti erãt, potuere sopire, ad iudicium infidelium cum eorum scandalo deducebant. Quemadmodum reprehensibilia essent monasteria, si causas quas possent altero prædictorum modorum inter se sopire, ad iudicium Episcoporum quibus subduntur, cum scandalo eorum perducerent. Vnde & Iudex sæpe debet simpliciter concordare partes, antequam veniunt ad iudicium, vt etiam Romanorum Pontificum decretales testantur. *Ext. de transact. Ex parte.* 23. *q. vlt. Si quis membrorum.* 5. *q.* 3. *Si primates. D.* 96. *Studendum.* 24. *q.* 4. *Si illic.* Voluit igitur Apostolus, vt Corinthii quandocunque possent saluo iure infidelium quibus fuerant subiecti, cauerent ne apud eos præsertim cum eorum scandalo litigarent, ne blasphemaretur verbum Dei. Non autem monuit eos declinare infidelium iudicium, quando non possent hoc facere nisi minuendo iura eorum vel turbando. Et sic debent omnia verba Apostoli intelligi de hac materia: ne magistro suo Christo aliisque Apostolis ac sibimet ipsi inueniatur contrarius, cum ipse dixerit Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et infra: *Ideo subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et infra: *Reddite igitur omnibus debita, cui tributum, &c.* Et ipsemet de seipso dixit: *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari.*

ANONY-

ANONYMI AVCTORIS,

Tractatus.

DE ÆTATIBVS ECCLESIÆ, CONTRA PRIMATUM & SUPERIORITATEM PAPÆ ROMANI.

CAP. I.

De Ætatibus Ecclesiæ.

COGITANTI mihi, & cum animo meo sæpè repetenti, priorem illum Ecclesiæ Dei statũ, & mirum pariter & indignum videri solet, quòd vnius Ecclesiæ statu varietates suscipiẽte, eò peruentum sit, vt nunc ablata ab oculis veritate, nec antiqua religio, neq; humanitatis ratio teneretur. Quamobrem perfectio veterum seculorum mutata est. Ait enim quidam Metrista, dicens:

Diuitias peperit, quasi mater honorificata,
Religio, quod ait sententia Gregoriana:
Dum disciplina cessat, regnatq; simultas,
Deficit Ecclesia veritas, peritq; facultas.

Olim enim erant aurea secula, erat deuotio, feruor, religio, sancta mentis puritas, contemptus diuitiarum, & totius sanctimoniæ decus. Hæc tanquam mater honorificata pepererat diuitias: quia propter has, Reges & Principes amplissimis donariis Ecclesias & monasteria fundauerunt. Nũc verò illa antiqua aurea secula gradatim ad argẽtea, deinde ad cuprea, & abinde ad ferrea descenderũt: quoniam summi Pontifices esse se pastores animarum obliti sunt, & in virga ferrea, tanquam crudeles tyranni, incœperunt dominari, contra dictum primi pastoris Petri: *Non quasi dominantes in clero, sed in forma sancti gregis.* Inde igitur venit, quòd antiqua secula ad ferrea reducta, diuitias antiquas amiserunt: quia deuotio decreuit, & matrem extinxit filia. Succedente verò tempore, secula ferrea ad stannum peruenerunt: & inde ad vltimum & infimum metallum, quod est plumbum. Nunc verò descendendo, ignorare me fateor, quomodo hoc nomen *Papa* ita iam restrictum sit, quòd soli Romano Pontifici adscribatur. Olim enim generale nomen erat, & pro omnibus Episcopis supponebatur. Vnde beatus Hieronymus in epistolis, quas ad Episcopos scripsit, eos *Papas* nominauit. Exẽplum: *Domino verè sancto, beatissimo papæ Augustino.* Sic & reliquis scribit, & in diuersis doctorũ scriptis idem reperimus.

Primum legimus in epistolis Damasi Papæ, quòd præposuit nomen presbyteri suo nomini. Exẽplum: *Dilectiss. fratri Paulino Damasus. Per filium meum Vitalem ad te scripta direximus.* Insuper & ipse Romanus Pontifex vocatur simpliciter *sacerdos*. Vnde in concilio Tauritano sic legimus: *Illud decernit præterea sancta synodus, vt quomodo legatos Episcopi Galliarum, qui felici comitatu destinarunt, vt si quis ab eius communione se voluerit sequestrare, in sanctæ pacis consortium suspiciatur, iuxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii, & Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum latas, quæ in concilio legatis præsentibus recitatæ sunt.* Beatus tamen Bernhardus *lib. 2. de Considerat.* Romanum Pontificem exaltat & humiliat. Exaltat eũ, dicens: *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abrahã, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus: Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt.* E contrà hunc humiliat, dicens: *Apostolis interdicitur dominatus, ergo & tu eum tibi vsurpare audes aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatũ, planè ab alterutro prohiberis. si vtrumque simul habere velis, perdes vtrumque.*

De dominio verò Papæ idem Bernhardus in dicto 2. *lib.* ait: *Vbi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum? Stetisse deniq; lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego.* Et *lib. 1.* inquit: *Quænam tibi videtur maior dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima iudices suos, Reges & Principes terræ. Cur fines alienos inuaditis? cur falcem vestram in messem alienam extenditis: non quia indigni vos sed quia indignum est vobis, talibus insistere.* Hæc enim terrena substantia, lites & causæ Papam excæcarunt, & eum tamen eleuauerunt, quod humilitatis pristinæ & innocentiæ primitiuæ oblitus est. Lego nempe in *Registro*, quòd Antiochenus patriarcha benedixit beato Gregorio magno, & ipse iucundissimè cum omni veneratione suscepit illam. Nonne maioris est, minori benedicere? Vtique. Hic sanctus Papa noluit se vocari *Papam*, non *Patriarcham*, non *Primatem* seu *Archiepiscopum*: sed *Episcopum*, & *seruum seruorum Dei* se vocari voluit. Nec verò hoc fictè, sed verè, verbo, scripto, & exemplo ostendit. Nunc verò hoc fictè fit: & ideo si verum scribere vellent, vtique deberent scribere, *dominus dominantium*, & similia. Patiuntur etiam, quod plus est, diuinas ascribi sibi laudes: & homines idololatrare faciunt, vel sinunt. Nam ambitiosi & auari, vt ea quæ petunt à Papa impetrent, eius *humiles creaturas* in suis supplicationibus se nominant. Diuinum opus est, creare: & vnus creator tantum est, ille qui creauit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis

Digitized by Google

sunt, qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Absit vt homo mortalis, homo puluis & cinis, commune cum Deo nomen habeat: quod solius Dei proprium est, mortalis sibi vendicet.

CAPVT II.

De cura Papæ.

BEatus Hieronymus super epistolam ad Titum, loquens de statu Ecclesiæ primitiuæ, sic inquit: *Olim idem erat presbyter, qui & Episcopus, antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ: quoniam presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem vnusquisque eos quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi: in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris superponeretur, & schismatum seminaria tollerentur.* Et paulò post ait: *Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerunt, se magis consuetudine quàm dispensationis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere. Hæc ille.* Quæro igitur, vbi erat tunc illa Monarchia, de qua nunc his diebus tam exquisitè disputatur? Vnde Romanus Pontifex sic exaltatur, vt semetipsum non cognoscat? vnde & *Monarcha* dicitur. Idem beatus *Hieronymus ad Rusticum Narbonensem episcopum* ait. *Presbyteri negotiorum ab initio iudices ordinati sunt, presbyteri sacerdotum interesse debent concilio: quoniam & ipsi Episcopi, vt legimus, Episcopi nominantur, secundum quod dictum est ad Episcopum, Noli negligere gratiam quæ tibi data est per impositionem manuum presbyterii.*

Distinguitur autem à Iuristis ipsa primitiua Ecclesia, in primam & secundam: vnde *Dist.*93. legimus, *In prima primitiua Ecclesia commune erat officium Episcoporum & sacerdotum, & nomina erant communia, & officium erat commune. Sed in secunda primitiua Ecclesia cœperunt distingui & nomina & officia.* Ergo ista nomina, *Presbyter*, & *Episcopus*, erant prorsus nomina synonima, & etiam administratio erat communis: quia communi consilio sacerdotum regebantur Ecclesiæ. Ex quo igitur differentia non fuit à principio, ipsi prælati non nimis super sacerdotes se debent eleuare. Et ob hoc benè dicit *quarta Carthaginensis synodus: Episcopus in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.* Et *eadem synodus: Episcopus in Ecclesia, in consessu presbyterorum, sublimior sedeat: intra domum verò, collegam presbyterorum se esse cognoscat.* Sed quia Episcopi ex communi decreto presbyteris cæterisque inferioribus sunt prælati, ideo & eorum curam gerere tenentur: & quia Romanus Pontifex omnibus prælatus est, ideo vniuersalis cura sibi tradita est. Vnde *B. Bernhard lib.*2. *de consid. ad Eugenium, ait: Exi inquam in mundum, isque creditus est tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquā villicus, videre & procurare, vnde exigendus es rationem.* Et *ibem lib.*3. *Non sum tam rudis, vt ignorem positos vos dispensatores: sed in ædificationem, non in destructionem. Denique, quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vtilis distinctio, quamuis non propria. Nam cùm horum nihil est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dispersio.* Quid ergo dicemus ad illas miserabiles dispensationes, quæ modò fiunt? Quid dicemus ad hoc, quod ipsi summi Pontifices circa oues ipsas sibi commissas faciunt? quas non solùm tondent, sed etiam excoriant? Quid dicemus ad fastum & superbiam?

*Idem Bernhardus lib.*4. *de Consid.* dicit: *Tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate, oues quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium pascua. Hoc sic factitabat Petrus? sic Paulus ludebat?* Vides omnem Ecclesiasticum zelum feruere pro dignitate tuenda? honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum. Et idem ostendens Papæ viam rectam, per quam ambulet, ait: *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: Te verò non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis. Porrò fratrem diligentium Dominum, & participem timentium eum. de cætero oportere te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplum, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum; malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremò Dominum Pharaonis.* Ecce quàm pulchrum, quàm vigilem, quàm plenum charitate depinxit hominem. Sed vbi iam talis? totum nunc peruersum est, aurum obscuratum est, & mutatus est color optimus. Sancti viri pastoralem curam suscipere trepidabant: nunc verò ad illas indigni currunt.

Sanctus quoque Basilius, omni virtute redimitus, quid de se sensit audiamus. ait ipse in *Dialog. lib.*6. *cap.*11. scribens ad Chrysostomum sic: *Ex illa die, ex quo idem meam notitiam de sacerdotij causa detulisti, frequenter prope periculum fui: tantus me terror & tantus inuasit defectus. Considerans enim sponsam Christi, & eius sanctitatem, & spiritualem pulchritudinem, ornatumque eius, atque prudentiam & cogitans vitæ meæ mala persistebam ad illa, & me aliqualiter lugēs, angustiansque, hebescebam apud memetipsum, dicens: Quis putas dedit tale consilium? Aut quid tam grauiter Ecclesia deliquit? Quid est quòd adeò exasperatus est, vt eam sinat mihi tradi, & tā magno dedecori subiacere faciat? Hæc crebrò apud memetipsum cogitās, incontentissimeque mihi irascens, neque considerationem sustinens, sicut morbo aliquo ac dolore percussus, stratus iacebā in terra, & nec audire aliud poteram, nec videre.* Sic & beatus Gregorius fugit, & latuit. Sic omnes sancti ad curam animarum accedere trepidabant.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Ætatibus Ecclesiæ.

NOn inscitè Seneca Romanæ vrbis tempora distribuit per ætates: melius tamen & perfectius tempora Ecclesiæ per ætates distribuuntur. Infantia quidem post ascensionem Christi incœpit, quamuis de Christi latere fluens antè videtur nata. Hanc eius infantiam sacra Actuum historia pulcherrimè describit. Vnde B. Hyeronimus in prologo eiusdem, qui quidem prologus est epistola ad Paulinum, vbi ait: *Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere.* Hæc quidem infantia munda erat, sancta erat, & Saluatoris patibulo nutrita.

Pueritia Ecclesiæ, seu magis propriè loquens, puellarum ætas incœpit ab eo tempore quo beati Apostoli ab inuicem diuisi sunt, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in finem orbis terrarum eorum procederent verba: quoniam vnum dogma, vnam symboli formam prædicare cœperunt: & ex eo tempore ipsa mater nostra sancta Ecclesia aucta fuit, & discipulis pluribus institutisque formata. Tunc enim quilibet Apostolorum dicere potuit cum Euangelico Esaia propheta, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus:* cùm Petrus Antiochenis verbum vitæ prædicauit, Paulus Græciam à prauis traditionibus & erroribus antiquis, ad veritatis viam direxit, Andreas Achaiam conuertit, Ioannes ipsam Asiam in septem Ecclesias diuisam fidei luce illustrauit, Matthæus Æthiopes horridos, agni vestiuit vellere, Thomas Indiam, cæterique Apostoli suas prouincias ad Christi fidẽ, ad veritatis agnitionẽ, verbo prędicationis induxerũt.

Adolescentia verò incœpit, cùm iam dilatata fide, etiam illi qui ex gentibus ad fidem Christi sunt conuersi, martyrium pati nequaquam timuerunt: sed constanter, alacri & iucundo corde tyrannis insultabant, vt Christo placere possent, & vniri sibi. Tunc enim ij, qui pòst Galilæi dicti sunt, Christiani sunt vocati: quod tamen nomen in Antiochia habuit ortum. De quo nomine in Esaia dicitur, *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*; de quo gloriamur, quòd à Christo Christianus deriuatur.

Iuuentus autem ab eo tempore videtur incœpisse, quo pax Ecclesiæ donata fuisse legitur: tunc denique confirmatis viribus florere cœperunt, tunc Ecclesiarum prælati conuenerunt, & synodos celebrabant, errores extirpabant, & destructis Deorum templis Ecclesias erexerunt.

Virilis ætas, seu propriè loquendo, ætas fœminea, vt in sexu maneamus, incœpit ab eo tempore, quo Bonifacius IV. obtinuit ab Augusto Phoca, vt Ecclęsia Romana caput esset omnium Ecclesiarum. Quia Ecclesia Constantinopolitana primam omnium Ecclesiarum se scribebat. Legimus autem, quòd in *Constantinopolitano concilio* decretum est, vt illa Constantinopolitana sedes similia priuilegia, quæ ampla Roma habet, accipiat: & quòd in Ecclesiasticis rebus magnificetur, vt illa. Et in *Chalcedonensi* illud confirmatum legimus: sed additur ibi, vt sit secunda: nullibi autem legi, Constantinopolitanæ concessum sedi, vt sit prima, & quòd ante Romanam nominari debeat. Cùm autem Phocas Cæsar sic Romanam Ecclesiam sublimauit, benè sancta Ecclesia ad virilẽ & potentem statum venit.

Senilis ætas orta est ab eo tempore, quo Orientalium Christicolarum quatuor patriarchales Ecclesiæ, à Romana Ecclęsia sunt diuisæ: tunc senuit, & tandem languida morbidaque facta est. Creuerunt tandem vitia, & schismata surrexerunt: Ecclesiæ flos decidit, & robur eius periit. Ismahelitæ confortati, illam terram sanctam olim Patribus promissam, & ab eorum filiis possessam, pedibusque sanctissimi Domini nostri Iesu Christi calcatam, passione & eius sanguine precioso consecratam, & sepulchro suo redimitam, expulsis Christianis in possessionem receperunt. Vnde illud Propheticum, quod in principio Psalmi scribitur, impletum est: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in aceruos lapidum. Posuerunt morticinia seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*, &c. Domine Iesu Christe, respice de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, super sponsam tuam, sic humiliatam & afflictam: & libera terram tuam ab iis, qui sponsam tuam & te oderunt. Resuscita Romanum imperium, heu dolor, collapsum, ad conterendam Agarenorum potestatem: qui non in te, Domine, sed in sua feritate confidunt.

CAPVT IIII.

De infantia & pueritia Ecclesiæ.

FVndamenta sunt iacta, fundandam de super necesse est infantiam Ecclesiæ aggrediamur. Legimus igitur in libro 2. Ecclesiasticæ historiæ. cap. 1. vbi Eusebius allegat Clementem in 6. Disputationum libro, sic in forma: *Petrus enim*, inquit, *& Iacobus, & Ioannes, post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen sibi non vendicarunt primatus gloriam: sed Iacobum, qui dicebatur iustus Apostolorum Episcopum statuerunt.* Ex his verbis videtur concludi, quòd Iacobus super Apostolos accepit principatum, quia Apostolorum episcopus factus est. *Episcopus* autem superintendens dicitur, & sedem Domini Iesu suscepit possidendam. In tertio verò libro ait: *Post martyrium Iacobi, & continuò consecutum excidium, traditur, Apostolos cæteros & Domini discipulos, qui ad illud tempus reliqui erant, in vnum è locis omnibus conuenisse simul, cum iis qui propinqui secundum carnem dicebantur, & habuisse commune concilium, quem oportet dignum successorem Iacobi iudicari omnesq; vno consilio atque vno consensu Simonem filium Cleophæ decreuisse, cuius mentio in Euan-*

Digitized by Google

gelijs facta est, vt Episcopatus sedem susciperet. Inuenimusne adhuc aliquam prælaturam Petri? Eamus igitur ad *Actus Apostolorum*, & videamus quid dicant de Synodis. Lego ibi *cap.1.* quòd Apostoli synodaliter congregati, elegerunt per sortem Matthiam in locum Iudæ traditoris. Lego denique *caput 6.* quod secunda Synodus celebrata est de qua sic dicitur: *Conuocantes igitur multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, &c. Elegerunt ergo tunc septem Diaconos. Tertia Synodus Apostolica habetur *Act.6.* cùm Apostoli audierunt, quòd Samaria recepit verbum Dei, miserunt ad illam Petrum & Ioannem. Synodus quarta habetur Act.12. *Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ quæ erat Hierusalem, & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam.* Quinta Synodus legitur *Act.13.* vbi dicit Spiritus Sanctus: *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos.* De sexta Synodo scribitur *Actorum* 18. ibi Iacobus Apostolorum Episcopus, secundùm prius dictum eiusdem historiæ Ecclesiasticæ, dictauit sententiam, dicens: *Notum est à seculo Domino opus suum, propter quod ego iudicio non inquietari illos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribere ad eos, vt abstineant se à communionibus simulachrorum: & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Et subditur: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere ex eis viros, & mittere in Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, Barsabam & Silam, viros primos in fratribus: iis qui sunt Antiochiæ & in Syria & Cilicia, fratribus ex gentibus salutem.* Hæc sunt concilia ab Apostolis celebrata: nec ab ipsis solùm, verùm etiam à cunctis Christi discipulis.

CAPVT V.

De pueritia Ecclesiæ.

VEniendum nunc est ad pueritiam. Post Apostolorum diuisionem, cùm B. Petrus Antiochiam venit, ibi sedit, & verbum Dei tanquam fidelis dispensator seminauit. Ibique discipuli ab Angelo Dei *viri Galilæi* nuncupati, nouum nomen acceperunt: quia *Christiani* sunt vocati, & completis annis, Romam venit. Cui Paulus iunctus est: & secundùm historiam Ecclesiasticam, non solùm Petrus illi Ecclesiæ præsedit, sed cum eo etiam & Paulus. Vnde 51.c. dicitur: *Fundata igitur & ædificata Ecclesia beati Apostoli, Lino officium Episcopatus iniungunt: huic succedit Anacletus, post quem tertio loco Episcopatum suscepit Clemens.* Iis quidem verbis præmisit hæc dicens: *Qua tempestate in Roma Clemens quoque tertius post Paulum & Petrum Pontificatum tenebat.* Et lib.4. inquit: *Alexander Romæ quinta successione post Petrum atque Paulum plebis gubernacula sortitus est.* Tunc enim vbique, non in Iudæa tantùm, disseminabatur verbum Dei, per vniuersam regionem, & discipuli replebantur gaudio & Spiritu Sancto, & sagena missa est in mare, quæ ex omni genere piscium congregauit, bonos & malos. De malis erat, Nicolaus vnus de septem Diaconis, in hæresin lapsus: Simon Magnus, Ananias & Saphira: qui puerilem Ecclesiæ statum impetere nitebantur.

CAPVT VI.

De Ecclesiæ adolescentia & iuuentute.

PVerilibus annis iam transactis, adoleuit Ecclesia, & accepit robur. Nam Christi fideles fortes facti sunt in bello, tyrannorum minas contempserunt: ad diuersa supplicia ducti, mortem non timebant. quia ibant à conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Sed non omnibus hæc gratia data est, quia multi retrorsum abierunt: nec solùm de minoribus, sed etiam de maioribus & columnis, imò de maximis. Marcellinus papa propter metum pauoris, & crimen auaritiæ grana thuris obtulit. Sed tamen conualuit de infirmitate, & fortis factus est in bello: qualiter congregauit Episcopos, qui congregati non deposuerunt eum. oportebat enim reatum proprium confiteri. Pòst, eius confessionem subiunxit dicens: *Verè me auarum corrupit aurum.* Glos. verò dicit 21. *Hinc autem reddit rationem, qualiter Episcopi non deposuerunt eum, dicens, quòd paratus erat corrigi.* Et subdidit: *Licet enim Papa sit hæreticus, vel alias malus, si tamen paratus est corrigi, non deponatur. vt 24.q.3. Vel idcircò non debebant ipsum deponere, quia coactus fecit.* Sed in veritate hæc vltima caussa assignatur minus benè, & omnino non valet: quia propter nullam caussam debet homo idolis immolare, & recedere à Deo suo & quia pastor gregis Christi fuit, ideoq; grauius peccauit: pastor tenetur animam suam ponere pro ouibus suis. Verior causa huius rei est, quia non erant synodaliter congregati, qualiter ipsam vniuersalem Ecclesiam repræsentare nequaquam poterant. Nemo enim primam sedem iudicare debet, sed hoc pertinet ad dominam & reginam sponsam Christi cuius seruus & dispensator est Papa, quam vniuersales synodi repræsentant. Subscripserunt tamen in eius damnatione Episcopi, & damnauerunt eum extra ciuitatem: & Melchiades episcopus subscripsit prius in eius damnationem.

De adolescentia verò, virgo mater sponsa Christi ad iuuentutis statum largo Dei dono gradatim ascendit, quando Constantinus contemptis idolis, nomen Christi confiteri cœpit, & hoc edicto publico scribere iterauit, quod quidem sic incipit: *In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, Imperator Cæsar Flauius Constantinus, in Christo Iesu, vno ex eadem Trinitate sancta saluatore domino Deo nostro, fidelis, mansuetus, beneficus Alemannicus, Gotthicus, Britannicus, vnicus pius, felix victor & triumphator semper Augustus*, &c. Atque hoc quidem tempore

tempore patres Christianæ plebis in vnum conuenerunt, & synodos conuocabat, in quibus ea quæ sunt fidei inter se tractabant. Ante enim hæc tempora felicissima, propter persecutionis rabiem, non poterant in vnum congregari. Legimus tamen in 2. *libro Ecclesiasticæ historiæ*, quòd in Cæsarea Palestinæ synodus celebrata est persecutionis tempore, sub sancto Victore Papa & martyre, longè ante Nicænam synodum. Similiter Gangrense concilium, & quædam alia eodem tempore sub sancto Victore: sed magis absque timore, à tempore Constantini incœperunt, ex quibus quatuor maximæ authoritatis apud patres veteres extiterunt, in quibus hæreses eradicatæ, orthodoxa fides explanata, & Christianæ religionis vitæ forma est abundè depicta. Ibi confusi sunt, qui malè in fide senserũt, & praua dogmata seminauerunt: vt puta Arrius, Macedonius, Eutyches, Sabellius, Nestorius, Dioscorus, Manes & Heluidius, cæterique prauorum dogmatum assertores. Tunc ordinatæ sunt patriarchales sedes: ibi statutum est, quòd *Romanus Pontifex non debet appellari primæ sedis Episcopus, nec vniuersalis est appellandus.* Et in sanctissima Nicena prima Synodo scriptum est. c. 6. *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Romano Episcopo parilis mos est.* Nunc videatur glossa quæ habetur Dist. 95. an textui sit forma conforma consona, qua dicitur in quibusdam, quòd *vterque deponit Episcopos: vel dic, à Romano, id est, Constantinopolitano*, quia sancti Patres benè expressissent, si sic deberet intelligi. Constantinopolitanus autem tempore primæ Nicenæ Synodi simplex Episcopus erat, & in Synodo Cõstantinopoli celebrata, priuilegium Alexandrini Patriarchæ ad Constantinopolitanum Episcopum est translatum. Et, vt clarius pateat, glossam illam textui non congruere, videamus quid insuper dicat Ecclesiastica historia. Dicitur ibidem lib. 10. cap. 6. *Sicut apud Alexandriam & in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur: quia vel ille Ægypti, vel hic suburbicarum Ecclesiarum sollicitudinem geras.* Patres enim prisci temporis nolebant Romanum Pontificem sic attollere, sic deificare, quemadmodũ hisce diebus fieri consuetum est.

CAPVT VII.

De Ecclesia virili ætate & senio.

VIrilis ætas perfectus hominis status est. Ecclesia denique catholica in infantia erat innocens, & munda: in pueritia creuit, & dilatata est. In adolescentia aucta roborataque est, sed plurimùm passa in iuuentute, ab hæreticis infestata est, & per schismata diuisa. Nam Constantinopolitanus vniuersalis vocari voluit, Romanus verò in contrarium laborauit. Ob hoc ille magnus beatus Gregorius, per epistolas & scripta huius præsumptionis audaciam molitus est extinguere. Phoca verò imperante, hoc schisma penitus est extinctum. Nam Bonifacius quartus ab eodem Cæsare obtinuit, vt Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum. Ab eo igitur tempore sancta mater Ecclesia, euacuatis iis quæ erant paruulæ, ad fœmineam ætatem per gratiam largitoris omnium viriliter ascẽdit. Imperatores clementissimi Ecclesiam defensabant, largè munera ipsi tribuebant, & à tyrannorum insultibus ipsam liberabant. Ius habebant non solùm ordinandi sedem Apostolicam, sed etiam omnes Ecclesias cathedrales. Reperio quidem, quòd ipsi Pontifices Romani nunc eligebantur à populo, nunc ab Imperatoribus: & nonnunquam ab Imperatoribus simul & à populo. Pelagius secundus est electus absque iussione Principis. Insuper omnes Romani, tam clerus quàm populus, vna voce Leonem in summum Pontificem elegerunt.

De Imperatoribus exempla legimus. Nam Leo Alemannus à Cæsare est electus, quo defuncto, cùm ipse Cesar nullum Teutonicorum posset inducere, vt Papatum susciperet, Brunonem Tullensem Episcopum ad hoc inclinauit: qui ad vrbem veniens, & ex hoc habens conscientiam omnino resignauit, & post hoc miraculis claruit. O quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Iam aspirant miseri; iam ambiunt & quærunt gloriam. Vbi sunt illi, qui dicunt Papam non posse resignare? De vtrisque legimus clara facta. Nam Vitalinus electus à populo, nuncios direxit ad Cæsarem, iuxta consuetudinem significans de sua ordinatione, vt & ipsius consensus adesset. Quod autem iura dicunt, quòd *in concilio Romano Adrianus Papa dedit Carolo Magno ius eligendi Pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi, & Archiepiscopos & Episcopos secundùm singulas prouincias inuestituras ab ipso recipere*, verum dicunt: sed quòd Imperatores ante illud tempus hoc non habebant, nequaquam ita est. Nam hic Vitalinus longè ante illa tempora fuit.

Denique summi Pontifices ad diuos Imperatores oculos dirigebant, & coram ipsis se purgabant. Vnde Sixtus, congregata Synodo 58. Episcoporum, coram Augusto Valentiniano purgauit se de crimine, à Basso quodam sibi imposito: & Symmachus conuocato concilio cc. & vi. Episcoporum, etiã expurgauit se de crimine falsi, & cum gloria restitutus est. Vnde patet quòd Imperatores prærogatiuam magnam habuerunt, tam in Conciliis, vt in superioribus dictum est, quam in electione Romani Pontificis, & ordinatione sedis Apostolicæ, nec non in inuestitura Archiepiscoporum, & regaliũ Abbatum. Vnde dotatæ sunt Ecclesiæ, & prælati in superbiam sunt erecti. Cùm igitur ecclesia in perfectam libertatem velut in religionem creuit, & simul in deliciis creuit: sed tandem emarcuit, senuit, & rugosa facta est: insuper diuisa est & scissa.

Digitized by Google

non contradicit. Quid enim ait B. Paulus ad Galatas scribens? *Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et rursus, *Sed quum vidissent quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Iudæus sis, Gentiliter viuis & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis Iudaizare? Nos naturâ Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. Scientes autem quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Rursus verò quum sermo esset motus de Circumcisione ex præscripto Legis Mosaicæ quæ obtinebat, quæstioque in Ecclesiâ proposita esset ab Apostolis & presbyteris Hierosolymitanis, quid facto opus esset discere cupiunt. Inseruiunt verò responsionibus Paulus & Barnabas, ac nonnulli alii. Cùm autem Hierosolymis essent, nõ ad se, primatum rapit Petrus, neq; inquit: Mihi permissum est regulam in his præscribere; sed congregantur Apostoli, congregantur & Presbyteri, vt de hoc dispiciant. & neq; Petrus Apostolos arcet, sibi ipsi primatum eo pacto vendicans, neque Apostoli presbyteros qui erant Hierosolymis. Nec enim talia edocti erant à Christo, neque sic primatum captare; sed quum postremi quid faciendum esset propalarent, tacent primi. Argumentum verò ac signum hoc est. Cùm enim conuenissent Apostoli simul & presbyteri, magnaq; hac de re quæstio orta esset, Petrus quidem præ aliis sermoné auspicatur; cuius orationem excipit diuinus Iacobus, & Iacobi sententiæ assenserunt omnes, & Petrus ipse, & Apostoli ac presbyteri. Adeò beati illi Christum amabant, adeò illis veritas pariter & pax Ecclesiastica curæ erant. Deinde Apostoli quidẽ hoc pacto veritatem quærentes, etiam legem de his statuerunt. Vos autẽ, quum contraria ab illis faciatis, anne alios quospiam potius quàm vosmet ipsos huius tã grauis dissensionis meritò incusare possitis? Ceterum, inquiunt, dogma de quo disceptatis vetus est in Ecclesiâ, & ab Apostolis ac Scripturis traditum; neque iustum Oecumenicam ob hoc Synodum congregari. Primum quidem hoc quæritur, An ab Apostolis traditũ sit, neque oportet quæsita pro cõfessis statuere. Præterea quis nescit, quod etiam hoc, Filium esse coessentialẽ Patri, & Spiritum Patri & Filio, & alia quæcunq; Oecumenicis Actis stabilita sunt, vetera erant, & Apostolicæ Propheticæq; traditiones, imò potius Spiritus sancti oracula. Quæ quidem cùm talia essent: nihilominus tamen, vniuersalia Concilia Ecclesię habenda fuerunt: vt veritas inuestigaretur, inuentaq; stabiliretur, omnisq; contradicentibus occasio præriperetur. At inquiunt; vniuersalibus Conciliis nequaquam proposita fuit inquisitio veritatis, sed conuenerunt vt eam confirmarent: ideoq; etiam nũc non in dubium vocari hoc dogma, iustum esse, sed stabiliri. Quo pacto verò hoc ais? Si quidem nulla vniuersalium Ecclesiarum contradicat, aut alioquin vna sola, aut pauci aliquot, assentior & ego. Si verò, cùm quinque sint Ecclesiæ vniuersales, vna reliquis contradicit; an non iustum sit omnes conuenire, & infinitis votis, summaque disquisitione habitâ dogma stabiliri? Adhæc, quid sibi volunt in Conciliis quæ recitantur, quæ proponuntur, quid instantiæ, ac super his solutiones? an non vt inueniatur veritas? Quo pacto autem inueniatur, nisi prius quæsita? Lege verò etiam Acta primæ Synodi. Incides enim ibi in Philosophos, prolixè admodum contradicentes; posteà, demonstratâ veritate, ab omni conflictatione desistentes. At, quænam, inquiunt, sunt quatuor Ecclesiæ? cum vnicâ enim conflictamur Constantinopolitanâ. Reliquæ enim tres, verba sunt tantùm, re vacuæ, quum sub barbaris degant, minimeque habeant qui de veritate sciscitentur, vtpote Sapientiâ ibi neutiquam locum habente. Sed non hoc, ô bone, iustitiæ ratio postulat; neque quia iudiciis diuinis traditæ sunt, contemnendas eas statim censeamus, quandiu intelligimus proprias Christianis esse tentationes. Præterea, tales Ecclesiæ etiam tempore septimæ Synodi sub barbaris erant, neque tamen idcirco iuri ipsarum quicquam derogabatur; sed quum vniuersales metropolitani ipsi non adessent, per vicarios suam quisque sedem obtinebat; & Papa Adrianus acta laudauit atque approbauit. Quòd verò Sapientiæ in illis Ecclesiis nulla sit cura: rogo, de quanam Sapientiâ sit sermo: de internâ ne ac spirituali, an verò de externâ. Si de externa; sit ita. neque quicquam ad rem facit. neque enim nos per hanc ad diuinam veritatem manu ducti sumus, ne euacuetur crux Christi. Si verò de spirituali & internâ, non verè dicitur. Testes enim huius rei sunt multi iis in locis degentes, mundum despuentes, solumque cœlum respicientes. multi verò etiam ad sanguinis profusionem vsque impietati sese opponentes, & sanguine non verbis assiduè Ecclesiam fulcientes. Hæc verò quod non sine magna in Scripturis exercitatione præstent, verbis non eget. In sextâ verò Synodo papa Agathon deflens eam quæ Romæ erat Ecclesiam, ad reges Romanorũ scribens, ita ait: *Mittimus hosce conseruos nostros N, & N.* deinde statim subiungit: *Ab hominibus enim in medio gentium versantibus, & victũ ex corporali labore cum magna animi distractione cõparantibus, quo pacto plene Scripturarum cognitio inueniri poterit? nisi quod canonicè à sanctis antecessoribus, & sanctis quinque Synodis quæcunque decreta sunt, in simplicitate cordis & indubitanter ex tradita à Patribus fide seruamus; vnum hoc atq; eximium perpetuò retinere optantes & laborantes, vt nihil præterea quæ canonicè decreta sunt excipiatur, neque immutetur, vel addatur; sed hæc & verbis & sensibus integra illæsaq; conseruentur.* Si verò etiam illi ad communem audientiam vocati eadem dicant quæ & beatus Agathon; an non iusta dixerint, & consentanea Euangelio Christi? Si verò Papa, quia Scripturarum cognitione perfectè præditus non est, & quia simpliciter quæ ad fidem pertinent nouit; vel propterea quòd eximiam hanc proprietatem habet, neq; immutandi neq; addendi quicquam siue in verbis, siue in sensu; neq; solum hanc proprietatem habet, sed & optat in finem vsq; retinere: propter hæc tamen suo iure non est priuatus; quo pacto æquum sit alias Ecclesias propter hæc iure suo fraudari? Aut enim etiam ipse, si quidem & illæ: aut ne illæ quidem, nisi etiam ipse. Vna enim atque eadem iuris ratio per omnia commeat, tametsi alibi aliter sese res habeant. At vocati, inquiunt, ad Synodum, venire detrectastis, quopa-

quopacto verò æquum sit, ad Synodum vocatos, tergiuersari? soluta verò Synodo, rursus eam poscere? Vbi hæc, sub quo rege, quo Episcopo Romæ pontificem agente? vbinam sunt exempla litterarum ad regem Romanorum, vel ad nostram Ecclesiam, vel ad alios vniuersales Episcopos? Nostræ verò Epistolæ ad illos scriptæ, quibus Synodum detrectamus, vbinam sunt? aut enim eas proferant, aut hæc dicere desinant. Ac de eo quidem, quod non liceat Romanorum Ecclesiæ priuatim quæ Ecclesiarum communia sunt decernere ac stabilire; quodque hoc Christi Ecclesiam dissipauit, simulque & Apostolicis, & Patrum legibus atque institutis repugnet, hæc dicta sufficiant.

EIVSDEM,

DE PRIMATV PAPÆ,

LIBER II.

AFFIRMANT Latini, quum B. Petrus sacri illius duodenarii cœtus princeps sit constitutus, meritò etiam ipsi potestatem clauium regni cœlorum traditam, & super ipsum ædificatam esse Ecclesiam, aduersus quam portæ inferni non sint præualituræ. præterea Christum pro fide ipsius orasse, ne deficeret. Illud etiam, *Confirma conuersus fratres tuos*, &, *Pasce oues meas*; aliaque huiusmodi, eodem spectare aiunt, manifestè Petri primatum declarantia. cuius successor constitutus Papa, cùm omnem illius primatum acceperit ab ipso Petro, eandem quoque quam ille in rebus fidei potestatem obtinere. atque idcirco fieri non posse, vt circa integritatē dogmatum labatur. Labente enim ipso, fides ipsa perit atque euanescit. Quod ipsum testatur B. Agathon, dicens: *Apostolica ipsius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualicunque erroris parte deflexit.* quodque ideo primatus ipsi ab Apostolis sit delatus, & summam ad se prouocationem vsurpat, & primatus ipsius eandem rationem obtinet ad alias vniuersales sedes, quam habet Constantinopolitana ad Episcopos sibi subditos. quodque ipsi soli liceat Oecumenicā synodum conuocare, quando voluerit: quodque Ecclesiasticas sanctiones absque ipsius sententia sancire, nefas sit: quòd ipse etiam omnes iudicans, à nemine iudicatur, neque in dogmatibus, neq; in moribus. præterea, quòd Papa non sit Episcopus alicuius ciuitatis, Romæ videlicet aut alicuius alterius, quemadmodum vniuscuiusque ciuitatis peculiariter singuli sunt pastores: sed simpliciter atque absolutè, Episcopus. quod quidem in aliis videre non est. eamque ob causam, neque in iis quæ scribit, Romæ Episcopum se vocat. quòd etiam sola Papæ sedes, Apostolicæ sedis appellationem obtineat: Romæ enim beatus Petrus per multum tempus egit, ibique è vita decessit. & quod omnia quæ superius dicta sunt, Papa à Petro aliisque Apostolis accepta obtineat. quodque omnes ipsi obedire oporteat, neminemque contradicere, ipso iubente. Atque hæc quidem sunt quæ Latini pro Ecclesiæ suæ dignitate asserenda adferunt. Ego verò non quid respondeam, sed ad quos orationem meam instituam, ambigo. Nā, si ad Latinos, qui fieri potest vt & ipsis contradicam, & ipsi eorum quæ à me dicentur iudices sedeant? Si verò ad Græcos, iniquum minimeque consentaneum esse dicent Latini, eos iudices statui quos in rebus Ecclesiasticis hostes censent. At non idcirco tamen æquum est vt veritas silentio prætereatur. quin potius liberè, bona spe nixos, dicere oportet, optareque vt in quorum manus hoc scriptum peruenerit, nihil veritate prius potiusve habeant. Veritatis enim studiosi indagatores, aliquam ex eo vtilitatem reportabunt. Dicamus itaque. De primatu Petri, & quomodo sacri illius cœtus præsul sit constitutus, & quantum illi aliorum Apostolorum concessu debitum fuerit, in præsentiarum inquirendum nequaquam censeo. Sit verò tantum quantum quis voluerit. Illud tamen non dico, quòd Papa à Petro id iuris acceperit, vt aliorum Episcoporum primus esset. Cùm enim duo circa Papam consideranda sint: quòd & Romæ Episcopus sit, vt & Synodi testantur, & præterea, quòd sit primus aliorum Episcoporum: prius illud à Petro accepit, quòd scilicet sit Romæ Episcopus: alterum verò, à sanctis Patribus & piis Regibus, multo post tempore, quòd æquum esset, in Ecclesiasticis quoque rebus, & multo quidem magis quàm Politicis, ordinem statui. Quæ quidem vt vera esse ostendam, producam testes non duos aut tres, aut duplo plures, sed sexcentos & triginta, atque hos quidem sanctos Patres. Lege Canonem sanctæ atque vniuersalis quartæ Synodi, numero vigesimum octauum, qui ait: *Omnino & per omnia, quæcunque à sanctis Patribus definita sunt, sequentes, & modo recitato Canone CL. pientissimorum Episcoporum congregatorum sub pientiss. memoria magno Theodosio rege in vrbe regia Constantinopoli, noua Roma, perpenso: eadem etiam nos statuimus atque decernimus, de honoribus & prærogatiuis sanctissimæ Ecclesiæ Constātinopolitana, noua Roma. Etenim Sedi Veteris Romæ, quòd vrbs illa imperatrix esset, meritò Patres primatus dignitatem tribuerunt: eadēq; ratione moti centum quinquaginta Episcopi, Sedi Nouæ Romæ parem primatus honorem attribuerunt: consentaneū rationi iudicantes, vrbem & Regia & Senatu Imperii decoratā, pari etiam cum Veteri regia vrbe honoris prærogatiua fruentem, in rebus quoq; Ecclesiasticis parem atq; illa præeminentiam obtinere; cùm tamen secunda ab illa extiteret.* Quid ex his ducimus? quidnam aliud, quàm non ab Apostolis sed à Patribus datum esse Papæ primatum aliarum Ecclesiarum, & quidem idcirco, quod scilicet vrbs Roma reliquis vrbibus imperaret. Si verò, quia caput Imperii vrbs illa erat, primatum obtinet Papa, certè non eo nomine

eum est consequutus, quòd sit successor Petri. Si autem à Patribus hoc habet, non ergo ab Apostolis. Lege etiam Nouellam centesimam Iustiniani, vt Veritatem omni ex parte congruentem videas: *Sancimus*, inquit, *iuxta sanctarum Synodorum decreta, Sanctissimum veteris Romæ Episcopum, primum esse omnium sacerdotum: beatissimum verò Constantinopoleos nouæ Romæ Episcopum, secundum locum obtinere, post sedem veteris Romæ; reliquis verò omnibus honore præire.* Audis apertè, primum omnium sacerdotum esse Papam. *Decretum est*, inquit, *sanctarum Synodorum.* At si decretum est sanctarum Synodorum; quopacto Papa primatum sacerdotum à Petro accepit? Quidnam igitur dicat aliquis, an non est Papa in vniuersum Petri successor? Est quidem, sed eâ ratione quâ est Episcopus. quod ipsum vnusquisque Episcoporum sibi vendicare potest, qui ab illo ordinati sunt. multi verò sunt qui per ipsius manus hoc beneficii acceperunt. Atqui vnusquisque sacerdotum successor hac ratione est cuiusque Apostoli à quo per traditionem sacerdotium accepit. Hac itaque ratione, multi & Petri, & aliorum Apostolorum sunt successores. secundum alia verò, nequaquam. Petrus enim & Apostolus est, & Apostolorum princeps. Papa verò, neque Apostolus (neque enim Apostolos, sed pastores & doctores ordinarunt Apostoli) multoque minus Apostolorum princeps. Et Petrus, doctor totius orbis. Audiuit enim vna cum aliis etiam ipse: *Prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.* Papa verò Episcopus Romæ est, & vocatur. Et Petrus quidem, alium in Antiochia, alium in Alexandria ordinat, & alium alibi. Romæ verò Episcopo hæc non permittuntur. Et Petrus quidem, Romæ Episcopum ordinat; Romæ verò Papa, alium Papam non creat. Petrus etiam simpliciter audiit, *Quidquid solueris aut ligaueris, erit solutum aut ligatum in cœlis.* In Romanum autem Papam ipse transferens hanc gratiam, non simpliciter id absoluteque dixit: Sed, *Ligabis quod ligari oportet, & solues cõtra quod solui par est.* Adhæc, quæ Petrus dixit, voces sunt Spiritus sancti. Vbinam verò hæc etiam Papæ sunt communia? Reliquum est, vt non in omnibus Romæ Episcopus Petri sit successor, sed in illis tantũ quæ diximus, vt & vnusquisque eorum qui ab ipso sunt ordinati: Vt soluat & liget, vt baptizet, vt doceat, vt à Veritate auulsos in viam reducat, aliaque munia obeat, quibus Episcopus est insignitus. Quod verò impossibile sit Papam à rectitudine dogmatum aberrare, id ipsius etiam Petri successionem excedit. Ille enim etiam impegit & lapsus est, quantumuis vehementer asseuerares se hoc non admissurum. At ego hoc quoque interrogo; An & Papa possit, mendacio, auaritiæ, inani gloriæ aliisque rebus vetitis esse obnoxius, an verò ab his planè sit immunis? Si ab his immunis est, ita vt hæc in ipsum cadere non possint, dicant sanè. At si hoc vanum est dictu (errat enim etiam ille in multis, testante sua ipsius conscientia, cùm sit homo) manifestum profectò est, quòd cùm in his peccet, etiam circa fidem naufragium facere possit. quod ipsum B. Paulus testatur Timotheo scribens: *Habẽs fidem & bonam conscientiam; quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt.* Vidésne, eum qui sana integraque conscientia non sit, etiam circa fidem malè affectum esse posse? Si verò Papa non in vniuersum sanam habet conscientiam, eaque ipsa ratione etiam circa fidem malè affectus esse potest: alienum certè à veritate est, Papam à rectitudine dogmatum nulla ratione aberrare posse. Ipsum verò illud, circa conscientiã peccare, an non species est impietatis defectionisq; à Deo? *Deum enim*, inquit Paulus, *verbis quidem profitentur, operibus autem abnegant.* Quomodo itaque fieri potest, vt Papa operibus quidem Deum abneget, verbis autem nequaquam? Atqui Honorius Romæ Episcopus à rectitudine dogmatum aberrauit; & quidẽ à sancta & vniuersali Synodo publicè damnatus est. Quod autem hæc ita se habeant, lege hoc testimonium.

EX DECIMOSEXTO DECRETO ACTORUM sexta Oecumenica Synodi.

Sancta Synodus dixit; *Quos semel damnatos declarauimus, nostroq; decreto è sacris voluminibus erasimus, eos statuimus oportere etiam per proclamationes publicas nominatim anathematizari.* Deinde fausta principum acclamatione facta, hæc mox subiiciunt: *Theodoro Pharanitæ anathema: Sergio hæretico anathema: Honorio hæretico anathema: Cyro hæretico anathema: Pyrrho hæretico anathema: omnibus fautoribus hæreticorum anathema.* Lege etiam aliud testimonium ex iisdem Actis.

EX ORATIONE QVA SACRA SYnodus Regem compellat.

Nouas verò vocum inanitates, earumq; inuentores procul ab Ecclesiasticis septis eiicimus, & anathemati iustè subiicimus. quales declaramus Theodorum Pharaniten, Sergiumque & Paulum; simul etiam Pyrrhum & Petrum qui Constantinopoli præsederunt. præterea Cyrum Alexandrinorum Episcopum, simulque cum iis Honorium Romanæ vrbis antistitem. At si Honorius Romæ Episcopus est, simulque est hæreticus: fieri itaque potest vt Papa à rectitudine dogmatum excidat. Neque tamen ipso circa fidem errante sermo Domini irritus factus est, quem de Ecclesia pronuntiarat, *Portas* videlicet *inferni aduersus eam non præualituras.* Potest enim in aliis Episcopis & quidem firmiter pietas religionisque integritas cõseruari. Manifestum verò ex his est, neq; hoc Romanæ Ecclesiæ conuenire, vt super hanc petram Ecclesia Dei sit ædificata. Durum enim & graue hoc esset, neq; multum à Iudaica vilitate distãs, Ecclesiam Romã circumscribere. Sed ædificauit quidem Ecclesiam Christus; ædificauit autem eam super Petri de Deo professionem, & super omnes qui eiusdem professionis custodes fuerint. Si verò B. Agathon affirmat, *Ecclesiam suam nunquam à via veritatis aberrasse*, nihil miri est. Velimus autem, eum qui talia dicit, non res ad verba trahere, sed potius verba rebus accommodare; cumque animo suo

repu-

Digitized by Google

reputare tropos œconomiæ quibus sancti vtuntur, quum de re aliqua vtili ac necessaria quæstio instituitur. & quia rarò Ecclesia hæc à veritate in rebus fidei aberrat, B. Agathonem vt talia scriberet inductum fuisse. Alioqui, quomodo interpreteris illud; *Omnes declinauerunt, nõ est qui faciat bonũ, non est vsq; ad vnum.* Præterea quum dixit, Ecclesiam Romanorum à viâ veritatis non deflexisse, de præterito tempore loquutus est; futurum non inclusit. Quod verò maximũ est, ante sextam Synodũ hæc ab Agathone dicta sunt. Mirum a. videri nõ debet, si Synodus è multis S. Patribus collecta intellexit, quæ vnũ ignoraſſe contigit. Quòd verò hæc ita se habeant, lege Epistolam Leonis Papæ, qui proximus Agathoni succeſſit, sextamque est amplexus.

EX FINE ACTORVM SEXTÆ SYNODI, EX Epistola Leonis Papæ ad reges Romanorum.

Simili modo anathematizamus authores noui erroris, hoc est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, & Cyrum Alexandriæ, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Ecclesiæ Constantinopolitanæ substitutos potius quàm præpositos: nec non Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam doctrinâ Apostolicæ traditioni consentaneâ non illustrauit; sed eam quæ immaculata erat, impura prophanaq; proditioni abnoxiam fecit. At verò dicere, *eandem esse rationem Papæ ad Constantinopolitanum, quæ est ipsius ad Cæsariensem, vel ad alium quemuis Episcoporum qui sub ipso sunt,* quo pacto non omnino durum sit? Romanus enim Episcopus primus respectu Constantinopolitani dicitur, veluti hoc secundum ordinem obtinente. nequaquam verò Constantinopolitanus primus ita respectu Cæsariensis, tanquam illo secundas partes obtinente: sed Constantinopolitanus quidem ita est primus eorum qui sub ipso sunt, tanquam solus, & tanquam aliis non coordinatus. Cæsariensis verò ne ipse quidem secundus vocatur; sed etiam ipse primus; eo excepto, quòd sit aliis coordinatus, & secundum post se habens atque etiam tertium. Quòd verò Papæ primatus coordinatus sit, & non liber atque exemtus, patet ex Can. XXXVI, Synodi VI. qui sic habet: *Renouantes quæ à CL sanctis Patribus in hac à Deo custodita regia vrbe, & DCXXX, Chalcidone congregatis, decreta fuerunt: decernimus vt sedes Constantinopolitana iisdem honoris prærogatiuis fruatur, quibus sedes veteris Romæ, & in Ecclesiasticis negotiis æquè atque illa emineat; cùm sit post illam secunda. post quam, magna illius Alexandrinorum vrbis sedes; deinde, Antiochensium, & post hanc Hierosolymitanæ vrbis sedes numeretur.* Si verò, quia primus es in numeratione, idcirco dominatum arripis, concede hoc ipsum etiam Constantinopolitano, nam & hic præponitur Alexandrino. Alexandrinus verò, eadem ratione sub se habeat Antiochenum; hic verò rursum Hierosolymitanæ sedi præscribat. At, quid hæc, nisi tumultum adferant? At si Constantinopolitanus Cæsariensem, quique eum sequuntur, ordinat: Romanus autem, neque Constantinopolitanum, neque alium quenquam ex generalibus patriarchis: quomodo censeri poſſint veraces, qui dicunt, Eadem ratione esse primum Romanum respectu Constantinopolitani, qua hic ipse, respectu antistitum qui sub ipso sunt? Lege præterea Canonem sextum sanctæ & vniuersalis Synodi primæ; vt videas decretum fuiſſe, vt parti orbis terrarum Alexandrinus, parti Romanus, parti verò Antiochenus præsit; neque licere alteri, aliena inuadere. Canon ita habet: *Antiqua consuetudo valeat, quæ in Ægypto, Libya, & Pentapoli obtinuit; vt Alexandrinus patriarcha in hac omnia potestatem habeat. quandoquidem & Romano Episcopo hæc ipsa consuetudo est. Similiter verò etiam in Antiochiâ, similiter & in reliquis prouinciis, sua cuique Ecclesiæ prærogatiuæ conseruentur.* Audis, quo pacto veterum Patrum decreta Canon amplectenda esse censeat, qui singulis Ecclesiis prærogatiuas tribuerunt. vt nimirum aliæ gentes Alexandrino subiectæ eſſent, aliæ Antiocheno. quæcunque videlicet Syriam, & vtranque Ciliciam incolunt, & Cœlo-Syriam & Mesopotamiam. quodque Romano Episcopo hoc datum est, videlicet vt occidentalibus præsit. Hierosolymitanus verò Episcopus (vt septimus eiusdem Synodi Canon definit) vrbibus quæ in Palæstinâ, Phœnicia, & Arabiâ sitæ sunt, præest. Sub Constantinopolitanâ verò sede (vt vigesimus octauus quartæ Synodi Canon definit) omnes Asiæ diœceses, & Ponti, & Thraciæ. Si itaque vnusquisque suis finibus sit contentus, ordinem institutum obseruat. Si quis verò, cùm suas retineat, alienas etiam ecclesias iniquis oculis aspicit: is, fieri non poteſt, quin veterum Patrum instituta violet. At Canon hoc non vult: sed, *Antiqua*, inquit, *consuetudo valeat.* Enimuerò si climata orbis terrarum Canon singulis vniuersalibus Episcopis distribuiſſet, nihil verò præfinitè Romanæ sedi attribuiſſet; sed solum eum dixiſſet, principatum accepiſſe: verisimiliter vtique existimari poſſet, totum orbem terrarum ipsi subiectum esse, & vniuersales Episcopos illius res administrare, quemadmodum Constantinopolitani patriarchæ res administrant, qui ei subsunt Episcopi. Nunc verò si illud quidem Romano Episcopo distinctè attributum est, illud verò Alexandrino, illud Constantinopolitano: nihilo magis Romanus Episcopus sub illis, quàm illi sub Romano esse censebuntur.

Si verò, quod *Prouocationem in rebus Ecclesiasticis* habeat, idcirco etiam eum dominum censes: hanc, quum etiam Constantinopolitanus habeat, sint ergo eâdem ratione aliæ sedes metropolitanæ ei subiectæ. Sed neq; Constantinopolitanus eam ob causam iurisdictionem in illas vsurpat; neq; Papa ob eam prærogatiuam, iustè aliorum Patriarcharum ecclesias turbare poteſt. Lege canonem nonum vniuersalis quartæ Synodi, vt videas sedem etiam Constantinopolitanam prouocationem habere. Ait enim: *Si cui clerico cum clerico controuersia intercedat, ne deserat suum Episcopum, & ad mun-*

Digitized by Google

dana tribunalia se conferat: sed prius rem aperiat suo Episcopo; vel certè ex arbitrio Episcopi, apud quos vtrique parti placuerit, controuersia ventiletur. Si quis verò contrà fecerit, canonicis correptionibus erit obnoxius. Si autem clerico controuersia fit cum suo, vel cum alio Episcopo, apud Synodum prouinciæ indicetur. Si verò cum metropolitano controuersia intercedat alicui Episcopo, vel clerico, adeat præfectum diœcesis, aut regiæ vrbis Constantinopoleos sedem, & apud ipsam indicetur. Idem decernit etiam decimusseptimus eiusdem Synodi canon. Vigesimus verò octauus eiusdem Synodi, & trigesimus sextus sextæ, iisdē prærogatiuis dignantes vtranque sedem, manifestè etiam Prouocationem Constantinopolitanæ Sedi tribuunt.

Quòd verò *Papa omnes indicet, ipse verò à nemine indicetur*, falsum est, & Apostolicis institutis dissentaneum. Paulus enim communicat aliis Euangelium, ne in vanum currat, aut cucurrerit. Petrus item patitur se à Paulo increpari. Quo pacto verò Papa Romanus instar tyranni nullum admittet vitæ suæ censorem: cùm alioqui Petri se successorem esse glorietur? At hoc manifestè falsum esse, quod quidem ad dogmata attinet, Honorius testatur, qui iudicatus à sextâ Synodo anathemati traditus fuit, ne morte quidem hominem excusante. quod verò ad vitæ rationem actionesque attinet, omnibus etiam legibus quibus singuli Episcopi sunt obstricti, subditus est & ipse; quippe qui inter Episcopos censetur. Multæ porrò huiusmodi leges partim ab Apostolis, partim à generalibus conciliis sunt constitutæ. imo verò etiam peculiariter illum à beatis Patribus increpatum fuisse constat. Lege Canonem sancti & generalis concilii sexti decimum tertium, qui sic habet: *Quoniam in Romanorum ecclesiæ loco Canonis traditum esse cognouimus, vt ii qui ordinandi sunt diaconi vel presbyteri, profiteantur, quòd non vltra suis copulentur vxoribus: nos antiquo insistentes canoni Apostolicæ disciplinæ, atque ordinationi sacrorum virorum, legitima coniugia ab hoc tempore valere volumus, nulla ratione eorum cum vxoribus suis copulam dissoluentes.* Deinde id quod dictum est latius persequens atque explicans Canon, subdit: *Si quis igitur contra Apostolicos canones præsumserit aliquem ex iis qui sacros ordines acceperit, presbyterum scilicet, vel diaconum, ab vxoris suæ copula societateque dirimere, deponatur.* Eiusdem quoque sancti & œcumenici concilii Canon LV ita habet: *Quum cognouerimus in Romana vrbe, in sancto Quadragesimæ ieiunio, eiusdem Quadragesimæ sabbatis ieiunari, præter ordinationem Ecclesiasticæ traditionis: Visum est sancto concilio, vt etiam in Romana Ecclesia firmiter atque inconcussè teneatur Canon, qui ait: Si quis clericus fuerit deprehensus sancto dominico die, aut sabbato, præterquam vno solo ieiunans, deponatur. Si verò laicus, excommunicetur.* Quòd itaque sicut in dogmatibus, ita & in aliis actionibus Papa etiam inter eos qui iudicantur censeatur, si quid præter statuta decretaq; tentare deprehendatur. ex iis quæ diximus constat.

Quòd vero maiori ordine non sit, quod ad ipsum attinet, quàm Episcopali, ex dictis liquet. Quo pacto enim si maioris ordinis esset, ab inferioris ordinis hominibus corrigeretur? Constat verò etiam ipsum à Patribus Episcopum vocari, vel ex ipsis ad eum scriptis Epistolis. Atqui ab Episcopis quidem ordinatur. quod non fieret, si ipse Episcopo maior esset. Neque enim quisquam alteri impertiri potest, quod ipsemet antea non habuit. At verò hæc ipsa dicere, est ordinem dissoluere. Beatus verò Dionysius qui Apostolorum temporibus vixit, imò potius nonnullorum ex iis auditor, nonnullorum dux atque magister extitit, in diaconos, sacerdotes & Episcopos omnem Ecclesiasticam hierarchiam apertè diuidit, & maiorem Episcopali dignitatem ex eius scriptis nullam vel imaginari possumus. Neque verò vel existentem omnino aliam maiorem ignorauit, vel data opera prætermisit, cùm de vniuersa Ecclesiastica hierarchia scripturum se professus esset. At, sint hæc ita, inquiunt. Quo pacto autem iustum fuerit Canonum sextæ Synodi meminisse, quum sexta Synodus, quæ de duabus in Christo voluntatibus disseruit, Canonum nullam mentionem fecerit? Primum quidem, ô bone, vt maximè hæc Synodus firma ac rata non esset, propositum tamen nostrum comprobatum est. Si enim non est vlla dignitas Episcopali maior, sed neque Episcopo Episcopus maior, quatenus Episcopus est: (*omnes* enim *Episcopos* ait Dionysius *esse eiusdem ordinis ac dignitatis*) manifestum vtique est Papam etiam Episcopum esse, & in vnum cum aliis ordinem redigi, omnibusque legibus quibus & reliquum Episcoporum genus subiacere. Tot verò sunt leges quæ ad Episcopos attinent, tantumque de iis curæ fuit œcumenicis conciliis, quibus contradici non potest, vt non facilè omnes enumerari queant. Quòd autem canones quos supra recitauimus sanctæ œcumenicæq; Synodi sextæ & dicantur esse & sint, & pro firmis ac ratis habeantur, nemo ignorat qui vel mediocriter in ecclesiasticis rebus est versatus. Cùm enim quinta & sexta Synodus nullos Canones ediderint, Synodus quæ hæc dicit, statim post sextam instaurata, (œcumenica verò etiam ipsa) illarum defectū suppleuit. & sicut illæ de dogmatibus disserentes, nullum de canonibus verbum fecerunt: ita hæc in tractatione de dogmatibus breuis, tota verò in constituendis canonibus fuit. Quod autem etiam œcumenica fuerit, manifestum est etiam ex historia, quum Basilium habuerit Gortynes, quæ est in Creta, Episcopum, vniuersæ in ea Synodo Romanæ Ecclesiæ locum tenentem. Constat etiam ex eo, quòd ipsa Synodus, de se continuè loquens, œcumenicam seipsam vocat. Neque verò commisisset adeo frequens & celebris Patrum cœtus vt in tam aperto mendacio deprehenderetur. Porrò sancta etiam atque œcumenica septima Synodus primo canone, ita ait: *Libenter obuiisque vlnis amplectimur sacros canones, firmumque & inconcussum eorum tenorem roboramus, quæ exposita sunt à tubis Spiritus, & iis qui localiter congregati fuerunt ad edenda eiusmodi dogmata, & sanctis Patribus. Ex vno enim eodemque Spiritu illustrati, vtilia decreuerunt. & quos illi anathemati tradiderunt, nos etiam tradimus; quos segregarunt, & nos segregamus; quos deposuerunt, etiam nos deponimus; denique quos aliis pœnis mulctarunt,*

& nos

& nos similiter mulctamus. Mores enim piorum debent esse à pecuniarum cupiditate alieni, contenti sua sorte; quemadmodum in tertium cælum raptus, quique ineffabilia verba audiuit, diuinus ille apostolus Paulus, apertè clamat. Si verò sancta hæc Synodus mentionem facit canonum Apostolicorum, simulque ex sanctorum atque œcumenicorum conciliorũ: sexta autem Synodus propriè ita dicta, nullos omnino canones conscripserit; cuinã dubium esse potest, quod de canonibus huius Synodi loquatur; quæ id quod sextæ deerat suppleuisse cernitur? Quod verò anathemati tradantur canonicarum constitutionum contemtores; quo pacto non sit terribile, & vel saxeum cor penetret? Quinimo etiam ipse Romanus Episcopus vsque adeo hosce canones ratos habuit, quamdiu pax & concordia inter Ecclesias viguit, vt & Papa Adrianus Tarasio scribens summopere eum laudaret, quod in sanctæ huius Synodi canonicorum decretorum obseruatione persisteret. Lege ex Actis septimæ Synodi, ex Epistolâ Papæ Adriani ad Tarasium Constantinopoleos Episcopum scripta in hunc modum: *Inuenimus in prædictâ Synodica Epistola vestræ sanctitatis, post plenitudinem fidei ex confessione sacri Symboli, & omnium sanctorum sex conciliorum, & circa sacras venerandasque imagines, rem profectò mirum in modum laudabilem atque exosculandam. in qua etiam continetur, quod & illa quæ à sancta sexta Synodo statuta sunt recipio. cum omnibus quæ legitimè & diuinè pronuntiata sunt ab ipsius canonibus; in quibus infertur, quod in nonnullis sacrarum imaginum picturis, agnus digito præcursoris ostensus insculpitur, qui in typum gratiæ assumptus est, verum nobis per legem præmonstrans agnum, Christum Deum nostrum. Veteres itaque typos & vmbras, tanquam veritatis symbola & lineamenta Ecclesiæ tradita amplectentes, gratiam pluris æstimamus & veritatem ipsam tanquam adimpletionem legis, hanc suscipientes, vt nimirum perfectio adimpletioque illa etiam pictura artificio omnium oculis subiiciatur, Agni videlicet tollentis peccata mundi, Christi Dei nostri, secundum humanam effigiem. & in imaginibus ab hoc deinceps tempore, loco veteris agni erigi statuimus; per ipsum sublimitatem humilitatis verbi Dei contemplantes, & ad memoriam vitæ ipsius in carne actæ, passionisque ipsius, & salutiferæ mortis veluti manuducti, simulque redemptionis quam mundus hinc est consequutus.* Quòd itaque Canon hic etiam à B. Adriano confirmatus, quodque sit Synodi de quâ nunc sermo est octuagesimus secundus, libri testantur. Planè verò absurdum est, Latinos non modò Oecumenicis conciliis infensos esse, quibus ipsi præfuerunt, & quorum dignitas in cœlum vsque euecta est; verùm etiam inter sese dissidere, & modo quidem Adrianum Papam hos ipsos Canones rem laude exosculationeque dignam appellare; modò verò Innocentium, aut alium aliquem, in iis ipsis reiiciendis consentire? Si quis verò dicat Papam Patrum legibus ac statutis non esse subiectum, is nulla ratione est ferendus. Quamobrem? quia ipsemet à patribus prærogatiuam accepit; minimeque ferendum est, per quos ille euectus est, magnusque esse videtur, eos ipsos nihili facere. Præterea qui ita affectus est, etiam seipsum reprobare possit; siquidem ipse est qui leges statuit. B. verò Paulus, *præuaricatorem* seipsum vocat, *si quæ destruxit iterum ædificare in animum inducat.* Si verò demonstratum est Papam tam in dogmatibus quàm in moribus Patrum censuræ obnoxium esse, quo pacto Patrum legibus non sit subiectus? vel quonam tandem modo æquum sit vt alii ipsum tanquam patrem reuereantur, qui tam multos sanctos Patres contemnat? Quod verò aiunt, Papam non esse præfiniti alicuius loci, sed simpliciter absoluteque Episcopum: quomodo non manifestæ veritati repugnet? Superius enim demonstratum est, ipsum eiusdem cum aliis Episcopis ordinis esse. Deinde, quotiescunque in Conciliis œcumenicis eius per occasionem fit mentio, vt quidem fit sæpenumero, *Romæ Episcopum* ipsum appellant. Quo pacto itaque Romæ Episcopus, non erit Episcopus certi alicuius & circumscripti loci; nisi forte quispiam Romam certo loco circumscriptam negare velit. Si verò, quia in Epistolis suis non *Romæ Episcopum* seipsum appellat, sed absolutè *Episcopum*, eamque ob causam, certi alicuius loci Episcopum seipsum nequaquam esse censet: non ignoramus illum, verbis magnam humilitatem præ se ferentibus, magna rapere. Imo verò hæc oratio pro nobis facit, si modò ipsius dignitatem euertere voluissemus. Cùm enim se *Episcopum* appellat (quæ quidem appellatio maximè communis est) & non *Papam*, *Oecumenicum*, vel *summum Pontificem*, vel aliis titulis quibus homines plerunque ei blandiuntur: argumentum est humiliantis seipsum. Sed neque nos idcirco iustè fecerimus, si his ipsum subuertere velimus. Ille verò sperans ex hisce seipsum extollere, nihil aliud agit quàm si ex arena funiculum nectere conetur. Atqui, si ob hæc magnus est Papa, idem etiam ob hæc obtineat Cyrillus, & quidem multò æquius illo, quod etiam ab aliis hic titulus ei tribuatur. En tibi testimonium: *Theodosius gloriosus triumphator, semper Augustus, Cyrillo Episcopo.* Vides quo pacto non adiiciat cuius loci sit Episcopus? Porro si quis etiam Episcopus, in iis quæ scribit, ne ipsum quidem Episcopi nomen apponat, sed tantum sui nominis mentionem faciat, alia omittat, Episcopus ideo non sit? At si se inscribat Episcopum tantùm, refugiat circumscriptionem, & vniuersalis totius terrarum orbis sit Episcopus? Si verò etiam hoc omittat, etiam supra talem sit. At quomodo non sint hæc ænigmati similia? Quòd autem sint etiam multæ eiuscemodi inscriptiones, manifestum est. Verbi causa: *Sanctissimo & Deo dilectissimo patri Cælestino, Cyrillus in Domino Salutem.* Et rursus: *Religiosissimo & Deo dilecto comministro Nestorio, Cyrillus in Domino Salutem.* multaq; eius generis reperias.

Sed neque, vt ipsi affirmant, sola Romana sedes *Apostolicæ* appellationem obtinet. Communis enim hæc ipsa est etiam aliis catholicis fratribus. Manifestum id ex vndecima actione Actorum sextæ Synodi: *Constantinus pientissimus Archidiaconus eius quæ ibi est sanctissima Dei catholicæ Apostolicæ*

que Ecclesia. Item, ex iisdem Actis & decreti subscriptionibus: *Petrus presbyter & vicarius Apostolicæ Sedis Alexandrinorum magna vrbis. Georgius minimus presbyter, & locum tenens Theodori Theophylacti presbyteri & Vicarii Apostolica sedis sancta Christi Dei nostri vrbis Hierosolymorum, subscripsi.* Item ex prima actione Actorum VII. Synodi, cuius initium est: *In nomine Domine nostri Iesu Christi, veri Dei nostri*, &c. vbi postquam recensuit eos qui Roma, quique Constantinopoli missi essent, in hunc modum expressè subiungit: *Iohannis & Thomæ reuerendissimorum presbyterorum, monachorum, & vicariorum Apostolicarum sedium quæ sunt in Orientali diœcesi.* Hoc ipsum reperies statim in initiis omnium Actorum septimæ Synodi: & rursus in subscriptionibus determinationis eiusdem Synodi: *Iohannes per Dei misericordiam presbyter & patriarchicus Syncellus, vicarius & locum tenens trium Apostolicarum sedium, Alexandria, Antiochia, & Hyerosolymorum, Patrum dogmata traditionemque vniuersalis Ecclesia sequens, decernens subscripsi. Thomas miseratione diuina presbyter & præfectus habitationis sancti patris nostri Arsenii, quæ sita est, in Aegypto vltra Babylonem, locum tenens trium Apostolicarum sedium, Alexandria, Antiochia, & Hyerosolymorum, Patrum dogmatibus, traditionique vniuersalis Ecclesia insistendo, decernens, subscripsi.* Hoc etiam in omnibus ipsorum subscriptionibus reperies. Audisti, quo pacto singulæ vniuersales sedes *Apostolica* nominentur? adeò vt si quis rem perpendat, omnibus idcirco sedibus eandem quam Romæ dignitatis prærogatiuam tribuet; neque satis scio in quos sint habituri primatum: aut certè neque Romana sedes propterea eximium aliquid ac prærogatiuum præ aliis obtineat quandiu id quod commune est, proprium ac peculiare fieri locum non habeat. B. verò Chrysostomus *vnumquenque Episcopum in cathedra Christi sedere* ait, *sicut legales sacerdotes in cathedra Moysis; & maiori eos dignitate præditos esse* asserit, *quam sint Angeli & Archangeli*, alibi rursus scribens. adeò vt nihil magni sit, quòd Romana sedes ab Apostolis appellationem accipiat, cùm singuli Episcopi in cathedra Christi sedeant, maioremque ipsis angelis dignitatem obtineant.

Quod autem aiunt, *Ipsi soli licere Oecumenicum Concilium congregare*, Papæ nimirum: quo pactò non manifestæ veritati id repugnare censeamus? imo verò quo pacto non sit turpe, Episcopum ea ambitiosè affectare, quibus par est regem ipsum gloriari? Neque verò hæc ideo à me dicuntur vt regum pusillanimitatem damnem. (rectè enim illorum res se habent) sed quod Ecclesiæ bonum, quæ nobis apparent despuens, ad ea quæ in cælis sunt contendat. Vt autem intelligas, regibus potius, non Episcopis potestatem indicendi concilia datam, lege hæc

EX ACTIS SANCTI ET OECVMENICI PRIMI CONCILII.

Sancta & magna Synodus, sanctæ magnæq; Dei gratia Alexandrinorum Ecclesia, & per Aegyptum, & Pentapolim, & Lybiam, per vniuersum orbem constitutis dilectis fratribus, clerisque & populis orthodoxis: Nicea congregati, & sanctam magnamque Synodum celebrantes Episcopi, Salutem in Domino. Quoniam Dei gratia & Deo dilectissimi regis Constantini qui nos ex diuersis vrbibus & prouinciis congregauit, &c.

ITEM, EX ACTIS TERTII CONcilii Oecumenici.

Pientissimis Deoque dilectissimis Theodosio & Valentiniano, victoribus, triumphatoribus, semper Augustis: Sancta Synodus, quæ gratia Dei, vestraque potentia annutatione congregata est in Ephesiorum metropoli.

EX FINE ACTORVM SANCTAE ET Oecumenica quarta Synodi.

Subscriptio Epistolæ sanctæ Synodi: *Sancta & magna atque œcumenica Synodus, quæ Dei gratia, & decreto pientissimorum & Christianissimorum nostrorum regum congregata est apud Chalcedonem metropolim Bithyniæ prouinciæ: Sanctissimo & beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni.*

Quòd itaque conuocatio œcumenici concilii ad Reges pertineat, ex iis quæ recitata sunt apertè constat. Beatus autem Leo Romæ Episcopus, ad Theodosium regem scribens, ingentis beneficii loco petit, annui sibi à Rege, vt priuatā Synodum in Italiā cogere possit. at non petiisset profectò, si id iuris ipse antea habebat. Lege & hoc testimonium.

EX ACTIS QVARTAE SYNODI, EX Epistola Leonis Episcopi Romani, ad Regem Romanorum.

Omnes Ecclesia nostrarum partium, & omnes Episcopi vestram clementiam suppliciter cum lachrymis orant, iuxta petitionem libelli Flauiani Episcopi, vt priuatam siue particularem Synodum in Italia peragi iubeat.

Si verò, quia Petrus Romæ diem suum obiit, idcirco Romanam Sedem Magnam censes: profectò Hierosolymorum sedes maior digniorque erit, cùm ibi seruator noster Iesus Christus visicam mortem obierit.

Digitized by Google

At ſi te turbat magnitudo honoris, quam Romana ſedes à beatis patribus eſt adepta: ordinis conſeruandi cauſa id factum puta. Multum autem valet apud ſanctos Ordo: quippe quo & cæleſtia & terrena conſtant, & continentur. Præterea etiam Apoſtolica lex eos vrgebat, iubens vt inuicem honore præueniamus. Quin & ipſe Dominus diſcipulis ſuis humilitatis exemplum præbuit; inſtar miniſtri pedes ipſorum abluens. & alia quæ ipſe eximia edidit, quum noſtram in carne degens ſalutem procuraret, abundè nos ad humilitatis ſtudium adhortantur. Si verò Paulus ad Corinthios ſcribens, inquit; *Ego ſeruus veſter propter Ieſum Chriſtum*; & Papa ſeipſum *Seruum ſeruorum Dei* vocat, quod & inſcriptiones Epiſtolarum eius teſtantur; quid magni eſt, ſi etiam hic tali fruitur honore, quòd à Patribus id acceperit, vt ſit primus?

At, *non poſſunt*, inquiunt, *Canones Eccleſiaſtici conſtitui abſque Papa*. Rectè quidem. Sed neque Papæ id licet, abſque aliis, quandiu certè Apoſtolicis legibus paret. Lege trigeſimum quartum Canonem Apoſtolorum, qui ſic habet: *Epiſcopos cuiuſque nationis ſcire oportet, quiſnam inter ipſos ſit primus; & habere ipſum pro capite. nihilque noui & operæ pretii agere, abſque ipſius ſententia. illa verò tantum quenque agere oportet, quæ ad ipſius Eccleſiam, locaque ipſi ſubdita attinet. Sed neque ille citra omnium ſententiam quicquam agat. Ita enim concordia conſtabit, & glorificabitur Deus per Dominum in ſancto Spiritu; Pater & Filius & Spiritus ſanctus.* Si quis verò canonibus Apoſtolorum contradicere velit, nothos illos vocans, & Apoſtolico ſpiritui nequaquam conuenientes: is à ſanctis Patribus doceri ſe patiatur. quibuſnam verò illis? primæ Synodi, tertiæ, quartæ, ſextæ, & ſeptimæ. Harum enim prima Synodus quinto canone, duorum Apoſtolicorum canonum mentionem facit; duodecimi videlicet, & trigeſimi ſecundi. Decimoquinto item eiuſdem Synodi canone, meminit etiam Apoſtolici canonis decimiquinti. Tertia verò Synodus ad regem Theodoſium ſcribens, ſeptuageſimi quarti Apoſtolici canonis meminit, quo vſa, Neſtorium depoſuit. Eodem canone ſimiliter & quarta Synodus vſa, Dioſcorum depoſuit. Rurſus verò hæc ipſa quarta ſynodus in quinto ſuo canone, de duodecimo, & decimotertio, & decimoquarto Apoſtolico canone expreſſis verbis ita ait: *De commigrantibus ex vrbe in vrbem Epiſcopis & clericis, viſum eſt vt de his Canones à ſanctis Apoſtolis conſtituti vigorem obtineant.* Canones verò Sextæ Synodi, etiam numerum Apoſtolicorum Canonum recenſent.

EX SECVNDO CANONE SEXTÆ SYNODI.

Viſum eſt etiam hoc ſanctæ Synodo, pulcherrimè, optimeq́, vt maneant ab hoc tempore firmi ac rati ad animarum medelam, & curationem affectuum, à prædeceſſoribus noſtris ſanctis ac beatis Patribus ſuſcepti & ſtabiliti, nobisq́ per manus traditi nomine ſanctorum & glorioſorum Apoſtolorum Canones numero octuaginta quinque. Septima verò Synodus, in ſuo primo canone, Eccleſiæ leges enumerans, anteponit omnibus Canones ab Apoſtolis editos; illud Moyſis in omnibus valere cupiens, *Neque licere quicquam ipſis addere, neque quicquam adimere.* Noſne igitur eos qui à tot tantisque approbati ſunt reiiciemus, & ſpurios cenſebimus, ac tanquam inutiles damnabimus? Quo pacto verò hæc toleranda ſint? Summa dictorum hæc eſt, Quamdiu quidem Papa ordinem ſeruat, & cum veritate ſtat; à primo & proprio principatu non remouetur, & caput eſt Eccleſiæ, & ſummus Pontifex, & Petri reliquorumque Apoſtolorum ſucceſſor; omneſque ei obedire oportet, nihilque eſt quod ipſius honori detrahat. Si verò quum ſemel à veritate receſſerit ad eam redire noluerit, damnatorum pœnis erit obnoxius.

Hæc de Primatu Papæ pro meis viribus dixi, & quidem veritati conſentanea. Sin minus, medicina adhibeatur ægrotare nolenti. Ego enim ab illorum etiam partibus ſto quibus curæ eſt canere: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis.*

RVDOLPHI PRAELLÆI CONSILIARII REGII, ET MAGISTRI LIBELLORVM SVPPLICVM IN CVRIA PARISIENSI,

Tractatus

DE POTESTATE PONTIFICALI, ET IMperiali ſeu Regia.

Au Commendement de treshault & tresexcellent Prince CHARLLES par la grace de Dieu le QVINT ROY de FRANCE de ce nom, Maiſtre RAOVL de PRAELLES ſon petit ſeruiteur, Conſeiller & Maiſtre de Requeſtes de ſon Hoſtel translata ceſte petite euvre.

Digitized by Google

Nec obstant verba Christi quæ Petro dixit: *Quæcunque ligaueris super terra, &c.* Per quæ verba Christus videtur dedisse vel permisisse Petro & successoribus suis plenitudinem potestatis tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, ac iura terreni imperii: vt omnis potestas terrena à Papa, tanquam à Christi vicario, censeri debeat dependere. Cum ille qui dicit *Omne*, nihil intelligatur, excipere. Nam licet illa verba Christi generaliter sint prolata, tamen non debent generalissimè absque omni exceptione accipi, ne ex eis absurditates erroneæ quamplurimæ inferantur. Si enim generalissimè absque omni exceptione deberent intelligi, sequeretur quod potestas Petri & successorum eius in terris esset æqualis potestati Christi. Ex quo sequeretur, quod Papa posset de plenitudine potestatis sacramenta a Christo instituta imminuere, & instituere noua, præcepta legis Euangelicæ abrogare, & contra ipsa venire, quemadmodum Christus euacuauit omnia ceremonialia legis Mosaicæ; communia quæ supererogationis sunt, scilicet virginitatem, continentiam, abdicationem cuiuslibet proprietatis omnium temporalium, seruilem & summam obœdientiam, & alia supererogatoria, & etiam indifferentia quæcunque absque culpa & sine causa pro suæ arbitrio voluntatis cuilibet Christiano de iure iniungere. Quinetiam Imperatorem, & Reges, aliósque Principes, & generaliter omnes mortales posset de iure sine culpa & absque causa imperio, regnis, & principatibus, suis aliisque rebus & iuribus qnibuscunque priuare, & sibi ad libitum retinere, vel quibus vellet, conferre.

Dico igitur quòd cum ratio dictet, & iurisperiti dicant, quod verbum generale sæpe restringatur, & regula cum suis exceptionibus accipi debet; verba Christi præscripta, quemadmodum alia multa in sacra Scriptura reperta, sicut Apostolus ad Coloss. 4. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus.* & illud eiusdem ibidem: *Filii obedite per omnia parentibus.* & idem 1. Timoth. 11. *Mulier in silentio discet cum omni subiectione.* & illud eiusdem ad Ephes. 5. *vt Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*; & plurima alia cum suis exceptionibus debent intelligi. Inter cætera autem excipiuntur iura & libertates Imperii, & Principum, & aliorum mortalium, qui iuribus & libertatibus suis à Deo & aliis sibi concessis sine culpa & absque causa, sicut nec rebus suis possunt de iure per summum Pontificem spoliari. Colligitur autem ista exceptio euidenter ex doctrina & gestis Christi & Apostolorum ac sanctorum patrum, sicut per scripturas sacras, & assertiones generalium conciliorum, & summorum Pontificum ac doctorum Ecclesiæ copiosissimè & patentissimè potest ostendi. Dicitur itaque, quod quamuis Romanus Episcopus sit vicarius Christi, non successor proprie, & ideo Christo in potestate sit inæqualis: cũ potestas vicarii potestate illius cuius vices gerit, non debeat adæquari; vnde & limitatam habet à Christo, vt omnia possit de iure, quæ nec legi diuinæ, nec legi naturæ reperiuntur aduersa. Si enim talem haberet plenitudinem potestatis, qualem sedem Apostolicam occupantes sibi damnabiliter vsurparunt, & quam plures adulatoriè & erroneè sibi tribuere moliuntur; omnes mortales essent serui summi Pontificis, secundum distributissimam acceptionem vocabuli serui: quod libertati Euangelicæ legis, quæ in scripturis diuinis legitur siue scribitur, apertius aduersatur: & ideo talis assertio est inter hæreses merito computanda. Omnes igitur auctoritates sacrarum scripturarum, generalium Conciliorum, summorum Pontificum, quæ recipiendæ sunt, & aliorum sanctorum Patrum, potestatem extollentes Papalem, sic intelligendæ sunt, vt non præiudicent iuribus & libertatibus aliorum sibi à Deo & aliis concessis. Quemadmodum verba Apostoli reprehendentis, Corinthios *quod litigabant apud infideles*, sanè intelligi debent. Ideo enim reprehendebat eos, quia causas quas inter se per compositionem amicabilem vel per iudices constitutos ab ipsis saluo iure Imperatorum, quibus subiecti erãt, potuere sopire, ad iudicium infidelium cum eorum scandalo deducebant. Quemadmodum reprehensibilia essent monasteria, si causas quas possent altero prædictorum modorum inter se sopire, ad iudicium Episcoporum quibus subduntur, cum scandalo eorum perducerent. Vnde & Iudex sæpe debet simpliciter concordare partes, antequam veniunt ad iudicium, vt etiam Romanorum Pontificum decretales testantur. *Ext. de transact. Ex parte. 23. q. vlt. Si quis membrorum. 5. q. 3. Si primates. D. 96. Studendum. 24. q. 4. Si illic.* Voluit igitur Apostolus, vt Corinthii quandocunque possent saluo iure infidelium quibus fuerant subiecti, cauerent ne apud eos præsertim cum eorum scandalo litigarent, ne blasphemaretur verbum Dei. Non autem monuit eos declinare infidelium iudicium, quando non possent hoc facere nisi minuendo iura eorum vel turbando. Et sic debent omnia verba Apostoli intelligi de hac materia: ne magistro suo Christo aliisque Apostolis ac sibimet ipsi inueniatur contrarius, cum ipse dixerit Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et infra: *Ideo subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et infra: *Reddite igitur omnibus debita, cui tributum, &c.* Et ipsemet de seipso dixit: *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari.*

ANONY-

Digitized by Google

ANONYMI AVCTORIS, Tractatus.

DE ÆTATIBVS ECCLESIÆ, CONTRA PRImatum & superioritatem Papæ Romani.

CAP. I.

De Ætatibus Ecclesiæ.

COGITANTI mihi, & cum animo meo sæpè repetenti, priorem illum Ecclesiæ Dei statũ, & mirum pariter & indignum videri solet, quòd vnius Ecclesiæ statu varietates suscipiẽte, eò peruentum sit, vt nunc ablata ab oculis veritate, nec antiqua religio, neq; humanitatis ratio teneretur. Quamobrem perfectio veterum seculorum mutata est. Ait enim quidam Metrista, dicens:

Diuitias peperit, quasi mater honorificata,
Religio, quòd ait sententia Gregoriana:
Dum disciplina cessat, regnatq; simultas,
Desinit Ecclesiæ veritas, peritq; facultas.

Olim enim erant aurea secula, erat deuotio, feruor, religio, sancta mentis puritas, contemptus diuitiarum, & totius sanctimoniæ decus. Hæc tanquam mater honorificata pepererat diuitias: quia propter has, Reges & Principes amplissimis donariis Ecclesias & monasteria fundauerunt. Nũc verò illa antiqua aurea secula gradatim ad argẽtea, deinde ad cuprea, & abinde ad ferrea descenderũt: quoniam summi Pontifices esse se pastores animarum obliti sunt, & in virga ferrea, tanquam crudeles tyranni, incœperunt dominari, contra dictum primi pastoris Petri: *Non quasi dominantes in clero, sed in forma sancti gregis.* Inde igitur venit, quòd antiqua secula ad ferrea reducta, diuitias antiquas amiserunt: quia deuotio decreuit, & matrem extinxit filia. Succedente verò tempore, secula ferrea ad stannum peruenerunt: & inde ad vltimum & infimum metallum, quod est plumbum. Nunc verò descendendo, ignorare me fateor, quomodo hoc nomen *Papa* ita iam restrictum sit, quòd soli Romano Pontifici adscribatur. Olim enim generale nomen erat, & pro omnibus Episcopis supponebatur. Vnde beatus Hieronymus in epistolis, quas ad Episcopos scripsit, eos *Papas* nominauit. Exẽplum: *Domino verè sancto, beatissimo papæ Augustino.* Sic & reliquis scribit, & in diuersis doctorũ scriptis idem reperimus.

Primum legimus in epistolis Damasi Papæ, quòd præposuit nomen presbyteri suo nomini. Exẽplum: *Dilectiss. fratri Paulino Damasus. Per filium meum Vitalem ad te scripta dereximus.* Insuper & ipse Romanus Pontifex vocatur simpliciter *sacerdos.* Vnde in concilio Tauritano sic legimus: *Illud decernit præterea sancta synodus, vt quomodo legatos Episcopi Galliarum, qui felici comitatu destinarunt, vt si quis ab eius communione se voluerit sequestrare, in sanctæ pacis consortium suspiciatur, iuxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii, & Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum latas, quæ in concilio legatis præsentibus recitata sunt.* Beatus tamen Bernhardus *lib. 2. de Considerat.* Romanum Pontificem exaltat & humiliat. Exaltat eũ, dicens: *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abrahã, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Pètrus, vnctione Christus: Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt.* E contrà hunc humiliat, dicens: *Apostolis interdicitur dominatus, ergo & tu eum tibi vsurpare audes aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatũ, planè ab alterutro prohiberis. si vtrumque simul habere velis, perdes vtrumque.*

De dominio verò Papæ idem Bernhardus in dicto 2. *lib.* ait: *Vbi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum? Stetisse deniq; lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego.* Et *lib.* 1. inquit: *Quænam tibi videtur maior dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima iudices suos, Reges & Principes terræ. Cur fines alienos inuaditis? cur falcem vestram in messem alienam extenditis: non quia indigni vos sed quia indignum est vobis, talibus insistere.* Hæc enim terrena substantia, lites & causæ Papam excæcarunt, & eum tamen eleuauerunt, quod humilitatis pristinæ & innocentiæ primitiuæ oblitus est. Lego nempe in *Registro*, quòd Antiochenus patriarcha benedixit beato Gregorio magno, & ipse iucundissimè cum omni veneratione suscepit illam. Nonne maioris est, minori benedicere? Vtique. Hic sanctus Papa noluit se vocari *Papam*, non *Patriarcham*, non *Primatem* seu *Archiepiscopum*: sed *Episcopum*, & *seruum seruorum Dei* se vocari voluit. Nec verò hoc fictè, sed verè, verbo, scripto, & exemplo ostendit. Nunc verò hoc fictè fit: & ideo si verum scribere vellent, vtique deberent scribere, *dominus dominantium*, & similia. Patiuntur etiam, quod plus est, diuinas ascribi sibi laudes: & homines idololatrare faciunt, vel sinunt. Nam ambitiosi & auari, vt ea quæ petunt à Papa impetrent, eius *humiles creaturas* in suis supplicationibus se nominant. Diuinum opus est, creare: & vnus creator tantum est, ille qui creauit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis

sunt, qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Absit vt homo mortalis, homo puluis & cinis, commune cum Deo nomen habeat: quod solius Dei proprium est, mortalis sibi vendicet.

Capvt II.

De cura Papæ.

BEatus Hieronymus super epistolam ad Titum, loquens de statu Ecclesiæ primitiuæ, sic inquit: *Olim idem erat presbyter, qui & Episcopus, antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ: quoniam presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur. Postquam autem vnusquisque eos quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi: in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris superponeretur, & schismatum seminaria tollerentur.* Et paulò post ait: *Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesia consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerunt, se magis consuetudine quàm dispensationis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere. Hæc ille.* Quæro igitur, vbi erat tunc illa Monarchia, de qua nunc his diebus tam exquisitè disputatur? Vnde Romanus Pontifex sic exaltatur, vt semetipsum non cognoscat? vnde & *Monarcha* dicitur. Idem beatus *Hieronymus ad Rusticum Narbonensem episcopum* ait. *Presbyteri negotiorum ab initio iudices ordinati sunt, presbyteri sacerdotum interesse debent concilio: quoniam & ipsi Episcopi, vt legimus, Episcopi nominantur, secundum quod dictum est ad Episcopum, Noli negligere gratiam quæ tibi data est per impositionem manuum presbyterii.*

Distinguitur autem à Iuristis ipsa primitiua Ecclesia, in primam & secundam: vnde *Dist.* 93. legimus, *In prima primitiua Ecclesia commune erat officium Episcoporum & sacerdotum, & nomina erant communia, & officium erat commune. Sed in secunda primitiua Ecclesia cœperunt distingui & nomina & officia.* Ergo ista nomina, *Presbyter*, & *Episcopus*, erant prorsus nomina synonima, & etiam administratio erat communis: quia communi consilio sacerdotum regebantur Ecclesiæ. Ex quo igitur differentia non fuit à principio, ipsi prælati non nimis super sacerdotes se debent eleuare. Et ob hoc benè dicit *quarta Carthaginensis synodus*: *Episcopus in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.* Et *eadem synodus*: *Episcopus in Ecclesia, in consessu presbyterorum, sublimior sedeat: intra domum verò, collegam presbyterorum se esse cognoscat.* Sed quia Episcopi ex communi decreto presbyteris cæterisque inferioribus sunt prælati, ideo & eorum curam gerere tenentur: & quia Romanus Pontifex omnibus prælatus est, ideo vniuersalis cura sibi tradita est. Vnde *B. Bernhard lib.* 2. *de consid. ad Eugenium, ait*: *Exi inquam in mundum, isq; creditus est tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquã villicus, videre & procurare, vnde exigendus es rationem.* Et *ibem lib.* 3. *Non sum tam rudis, vt ignorem positos vos dispensatores: sed in ædificationem, non in destructionem. Denique, quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vtilis distinctio, quamuis non propria. Nam cùm horum nihil est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dispersio.* Quid ergo dicemus ad illas miserabiles dispensationes, quæ modò fiunt? Quid dicemus ad hoc, quod ipsi summi Pontifices circa oues ipsas sibi commissas faciunt? quas non solùm tondent, sed etiam excoriant? Quid dicemus ad fastum & superbiam?

Idem Bernhardus lib. 4. *de Consid.* dicit: *Tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate, oues quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium pascua. Hoc sic factitabat Petrus? sic Paulus ludebat?* Vides omnem Ecclesiasticum zelum feruere pro dignitate tuenda? honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum. Et idem ostendens Papæ viam rectam, per quam ambulet, ait: *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: Te verò non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis. Porrò fratrem diligentium Dominum, & participem timentium eum. de cætero oportere te esse formam institiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplum, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum; malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremò Dominum Pharaonis.* Ecce quàm pulchrum, quàm vigilem, quàm plenum charitate depinxit hominem. Sed vbi iam talis? totum nunc peruersum est, aurum obscuratum est, & mutatus est color optimus. Sancti viri pastoralem curam suscipere trepidabant: nunc verò ad illas indigni currunt.

Sanctus quoque Basilius, omni virtute redimitus, quid de se senserit audiamus. ait ipse in *Dialog. lib.* 6. *cap.* 11. scribens ad Chrysostomum sic: *Ex illa die, ex quo id in meam notitiam de sacerdotii causa detulisti, frequenter prope periculum fui: tantus me terror & tantus inuasit defectus. Considerans enim sponsam Christi, & eius sanctitatem, & spiritualem pulchritudinem, ornatumq; eius, atque prudentiam & cogitans vitæ meæ mala persistebam ad illa, & me aliqualiter lugẽs, angustiansq; hebescebam apud memetipsum, dicens: Quis putas dedit tale consilium? Aut quid tam grauiter Ecclesia deliquit? Quid est quòd adeò exasperatus est, vt eam sinat mihi tradi, & tã magno dedecori subiacere faciat? Hoc crebrò apud memetipsum cogitãs, incontentissimeq; mihi irascens, neque considerationem sustinens, sicut morbo aliquo ac dolore percussus, stratus iacebã in terra, & nec audire aliud poteram, nec videre.* Sic & beatus Gregorius fugit, & latuit. Sic omnes sancti ad curam animarum accedere trepidabant.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Ætatibus Ecclesiæ.

NOn inscitè Seneca Romanæ vrbis tempora distribuit per ætates: melius tamen & perfectius tempora Ecclesiæ per ætates distribuuntur. Infantia quidem post ascensionem Christi incœpit, quamuis de Christi latere fluens antè videtur nata. Hanc eius infantiam sacra Actuum historia pulcherrimè describit. Vnde B. Hyeronimus in prologo eiusdem, qui quidem prologus est epistola ad Paulinum, vbi ait: *Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere.* Hæc quidem infantia munda erat, sancta erat, & Saluatoris patibulo nutrita.

Pueritia Ecclesiæ, seu magis propriè loquens, puellarum ætas incœpit ab eo tempore quo beati Apostoli ab inuicem diuisi sunt, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in finem orbis terrarum eorum procederent verba: quoniam vnum dogma, vnam symboli formam prædicare cœperunt: & ex eo tempore ipsa mater nostra sancta Ecclesia aucta fuit, & discipulis pluribus institutisque formata. Tunc enim quilibet Apostolorum dicere potuit cum Euangelico Esaia propheta, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus:* cùm Petrus Antiochenis verbum vitæ prædicauit, Paulus Græciam à prauis traditionibus & erroribus antiquis, ad veritatis viam direxit, Andreas Achaiam conuertit, Ioannes ipsam Asiam in septem Ecclesias diuisam fidei luce illustrauit, Matthæus Æthiopes horridos, agni vestiuit vellere, Thomas Indiam, cæterique Apostoli suas prouincias ad Christi fidẽ, ad veritatis agnitionẽ, verbo prędicationis induxerũt.

Adolescentia verò incœpit, cùm iam dilatata fide, etiam illi qui ex gentibus ad fidem Christi sunt conuersi, martyrium pati nequaquam timuerunt: sed constanter, alacri & iucundo corde tyrannis insultabant, vt Christo placere possent, & vniri sibi. Tunc enim ij, qui pòst Galilæi dicti sunt. Christiani sunt vocati: quod tamen nomen in Antiochia habuit ortum. De quo nomine in Esaia dicitur, *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit;* de quo gloriamur, quòd à Christo Christianus deriuatur.

Iuuentus autem ab eo tempore videtur incœpisse, quo pax Ecclesiæ donata fuisse legitur: tunc denique confirmatis viribus florere cœperunt, tunc Ecclesiarum prælati conuenerunt, & synodos celebrabant, errores extirpabant, & destructis Deorum templis Ecclesias erexerunt.

Virilis ætas, seu propriè loquendo, ætas fœminea, vt in sexu maneamus, incœpit ab eo tempore, quo Bonifacius IV. obtinuit ab Augusto Phoca, vt Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum. Quia Ecclesia Constantinopolitana primam omnium Ecclesiarum se scribebat. Legimus autem, quòd in *Constantinopolitano concilio* decretum est, vt illa Constantinopolitana sedes similia priuilegia, quæ ampla Roma habet, accipiat: & quòd in Ecclesiasticis rebus magnificetur, vt illa. Et in *Chalcedonensi* illud confirmatum legimus: sed additur ibi, vt sit secunda: nullibi autem legi, Constantinopolitanæ concessum sedi, vt sit prima, & quòd ante Romanam nominari debeat. Cùm autem Phocas Cæsar sic Romanam Ecclesiam sublimauit, benè sancta Ecclesia ad virilẽ & potentem statum venit.

Senilis ætas orta est ab eo tempore, quo Orientalium Christicolarum quatuor patriarchales Ecclesiæ, à Romana Ecclesia sunt diuisæ: tunc senuit, & tandem languida morbidaque facta est. Creuerunt tandem vitia, & schismata surrexerunt: Ecclesiæ flos decidit, & robur eius periit. Ismahelitæ confortati, illam terram sanctam olim Patribus promissam, & ab eorum filiis possessam, pedibusque sanctissimi Domini nostri Iesu Christi calcatam, passione & eius sanguine precioso consecratam, & sepulchro suo redimitam, expulsis Christianis in possessionem receperunt. Vnde illud Propheticum, quod in principio Psalmi scribitur, impletum est: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in aceruos lapidum. Posuerunt morticinia seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*, &c. Domine Iesu Christe, respice de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, super sponsam tuam, sic humiliatam & afflictam: & libera terram tuam ab iis, qui sponsam tuam & te oderunt. Resuscita Romanum imperium, heu dolor, collapsum, ad conterendam Agarenorum potestatem: qui non in te, Domine, sed in sua feritate confidunt.

CAPVT IIII.

De infantia & pueritia Ecclesiæ.

FVndamenta sunt iacta, fundandam de super necesse est infantiam Ecclesiæ aggrediamur. Legimus igitur in libro 2. Ecclesiasticæ historiæ. cap. 1. vbi Eusebius allegat Clementem in 6. Disputationum libro, sic in forma: *Petrus enim, inquit, & Iacobus, & Ioannes, post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen sibi non vendicarunt primatus gloriam: sed Iacobum, qui dicebatur iustus Apostolorum Episcopum statuerunt.* Ex his verbis videtur concludi, quòd Iacobus super Apostolos accepit principatum, quia Apostolorum episcopus factus est. *Episcopus* autem superintendens dicitur, & sedem Domini Iesu suscepit possidendam. In tertio verò libro ait: *Post martyrium Iacobi, & continuò consecutum excidium, traditur, Apostolos cæteros & Domini discipulos, qui ad illud tempus reliqui erant, in vnum è locis omnibus conuenisse simul, cum iis qui propinqui secundum carnem dicebantur, & habuisse commune concilium, quem oporteat dignum successorem Iacobi iudicari omnesq; vno consilio atque vno consensu Simonem filium Cleophæ decreuisse, cuius mentio in Euan-*

Digitized by Google

gelis facta est, vt Episcopatus sedem susciperet. Inuenimusne adhuc aliquam prælaturam Petri? Eamus igitur ad *Actus Apostolorum*, & videamus quid dicant de Synodis. Lego ibi *cap.1.* quòd Apostoli synodaliter congregati, elegerunt per sortem Matthiam in locum Iudæ traditoris. Lego denique *caput 6.* quod secunda Synodus celebrata est de qua sic dicitur: *Conuocantes igitur multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, &c. Elegerunt ergo tunc septem Diaconos. Tertia Synodus Apostolica habetur *Act.6.* cùm Apostoli audierunt, quòd Samaria recepit verbum Dei, miserunt ad illam Petrum & Ioannem. Synodus quarta habetur Act.12. *Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ quæ erat Hierusalem, & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam.* Quinta Synodus legitur *Act.13.* vbi dicit Spiritus Sanctus: *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos.* De sexta Synodo scribitur *Actorum* 18. Ibi Iacobus Apostolorum Episcopus, secundùm prius dictum eiusdem historiæ Ecclesiasticæ, dictauit sententiam, dicens: *Notum est à seculo Domino opus suum, propter quod ego iudicio non inquietari illos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribere ad eos, vt abstineant se à communionibus simulachrorum: & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Et subditur: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere ex eis viros, & mittere in Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, Barsabam & Silam, viros primos in fratribus: iis qui sunt Antiochiæ & in Syria & Cilicia, fratribus ex gentibus salutem.* Hæc sunt concilia ab Apostolis celebrata: nec ab ipsis solùm, verùm etiam à cunctis Christi discipulis.

CAPVT V.

De pueritia Ecclesiæ.

VEniendum nunc est ad pueritiam. Post Apostolorum diuisionem, cùm B. Petrus Antiochiam venit, ibi sedit, & verbum Dei tanquam fidelis dispensator seminauit. Ibique discipuli ab Angelo Dei *viri Galilæi* nuncupati, nouum nomen acceperunt: quia *Christiani* sunt vocati, & expletis annis, Romam venit. Cui Paulus iunctus est: & secundùm historiam Ecclesiasticam, non solùm Petrus illi Ecclesiæ præsedit, sed cum eo etiam & Paulus. Vnde 51.c. dicitur: *Fundata igitur & ædificata Ecclesia beati Apostoli, Lino officium Episcopatus iniungunt: huic succedit Anacletus: post quem tertio loco Episcopatum suscepit Clemens.* Iis quidem verbis præmisit hæc dicens: *Qua tempestate in Roma Clemens quoque tertius post Paulum & Petrum Pontificatum tenebat.* Et lib.4. inquit: *Alexander Romæ quinta successione post Petrum atque Paulum plebis gubernacula sortitus est.* Tunc enim vbique, non in Iudæa tantùm, disseminabatur verbum Dei, per vniuersam regionem, & discipuli replebantur gaudio & Spiritu Sancto, & sagena missa est in mare, quæ ex omni genere piscium congregauit, bonos & malos. De malis erat, Nicolaus vnus de septem Diaconis, in hæresin lapsus: Simon Magnus, Ananias & Saphira, qui puerilem Ecclesiæ statum impetere nitebantur.

CAPVT VI.

De Ecclesiæ adolescentia & iuuentute.

PVerilibus annis iam transactis, adoleuit Ecclesia, & accepit robur. Nam Christi fideles fortes facti sunt in bello, tyrannorum minas contempserunt: ad diuersa supplicia ducti, mortem non timebant. quia ibant à conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliá pati. Sed non omnibus hæc gratia data est, quia multi retrorsum abierunt: nec solùm de minoribus, sed etiam de maioribus & columnis, imò de maximis. Marcellinus papa propter metum pauoris, & crimen auaritiæ grana thuris obtulit. Sed tamen conualuit de infirmitate, & fortis factus est in bello: qualiter congregauit Episcopos, qui congregati non deposuerunt eum. oportebat enim reatum proprium confiteri. Post eius confessionem subiunxit dicens: *Verè me auarum corrupit aurum.* Glos. verò dicit 21. *Hinc autem reddit rationem, qualiter Episcopi non deposuerunt eum, dicens, quòd paratus erat corrigi.* Et subdidit: *Licet enim Papa sit hereticus, vel alias malus, si tamen paratus est corrigi, non deponatur. vt 24.q.3. Vel idcirco non debebant ipsum deponere, quia coactus fecit.* Sed in veritate hæc vltima caussa assignatur minus benè, & omnino non valet: quia propter nullam caussam debet homo idolis immolare, & recedere à Deo suo & quia pastor gregis Christi fuit, ideoq; grauius peccauit: pastor tenetur animam suam ponere pro ouibus suis. Verior causa huius rei est, quia non erant synodaliter congregati, qualiter ipsam vniuersalem Ecclesiam repræsentare nequaquam poterant. Nemo enim primam sedem iudicare debet, sed hoc pertinet ad dominam & reginam sponsam Christi cuius seruus & dispensator est Papa, quam vniuersales synodi repræsentant. Subscripserunt tamen in eius damnatione Episcopi, & damnauerunt eum extra ciuitatem: & Melchiades episcopus subscripsit prius in eius damnationem.

De adolescentia verò, virgo mater sponsa Christi ad iuuentutis statum largo Dei dono gradatim ascendit, quando Constantinus contemptis idolis, nomen Christi confiteri cœpit, & hoc edicto publico scribere iterauit, quod quidem sic incipit: *In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, Imperator Cæsar Flauius Constantinus, in Christo Iesu, vno ex eadem Trinitate sancta saluatore domino Deo nostro, fidelis, mansuetus, beneficus Alemannicus, Gotthicus, Britannicus, vnicus pius, felix victor & triumphator semper Augustus*, &c. Atque hoc quidem tempore

Digitized by Google

tempore patres Christianæ plebis in vnum conuenerunt, & synodos conuocabat, in quibus ea quæ sunt fidei inter se tractabant. Ante enim hæc tempora felicissima, propter persecutionis rabiem, non poterant in vnum congregari. Legimus tamen in 2. *libro Ecclesiastica historia*, quòd in Cæsarea Palestinæ synodus celebrata est persecutionis tempore, sub sancto Victore Papa & martyre, longè ante Nicænam synodum. Similiter Gangrense concilium, & quædam alia eodem tempore sub sancto Victore: sed magis absque timore, à tempore Constantini incœperunt, ex quibus quatuor maximæ authoritatis apud patres veteres extiterunt, in quibus hæreses eradicatæ, orthodoxa fides explanata, & Christianæ religionis vitæ forma est abundè depicta. Ibi confusi sunt, qui malè in fide senserũt, & praua dogmata seminauerunt: vt puta Arrius, Macedonius, Eutyches, Sabellius, Nestorius, Dioscorus, Manes & Heluidius, cæterique prauorum dogmatum assertores. Tunc ordinatæ sunt patriarchales sedes: ibi statutum est, quòd *Romanus Pontifex non debet appellari primæ sedis Episcopus, nec vniuersalis est appellandus*. Et in sanctissima Nicena prima Synodo scriptum est. c. 6. *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Romano Episcopo parilis mos est.* Nunc videatur glossa quæ habetur Dist. 95. an textui sit forma conforma consona, qua dicitur in quibusdam, quòd *vterque deponit Episcopos: vel dic, à Romano, id est, Constantinopolitano*, quia sancti Patres benè expressissent, si sic deberet intelligi. Constantinopolitanus autem tempore primæ Nicenæ Synodi simplex Episcopus erat, & in Synodo Cõstantinopoli celebrata, priuilegium Alexandrini Patriarchæ ad Constantinopolitanum Episcopum est translatum. Et, vt clarius pateat, glossam illam textui non congruere, videamus quid insuper dicat Ecclesiastica historia. Dicitur ibidem lib. 10. cap. 6. *Sicut apud Alexandriam & in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur: quia vel ille Ægypti, vel hic suburbicarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Patres enim prisci temporis nolebant Romanum Pontificem sic attollere, sic deificare, quemadmodũ his ce diebus fieri consuetum est.

CAPVT VII.

De Ecclesia virili ætate & senio.

VIrilis ætas perfectus hominis status est. Ecclesia denique catholica in infantia erat innocens, & mundas in pueritia creuit, & dilatata est. In adolescentia aucta roborataque est, sed plurimùm passa in iuuentute, ab hæreticis infestata est, & per schismata diuisa. Nam Constantinopolitanus vniuersalis vocari voluit, Romanus verò in contrarium laborauit Ob hoc ille magnus beatus Gregorius, per epistolas & scripta huius præsumptionis audaciam molitus est extinguere. Phoca verò imperante, hoc schisma penitus est extinctum. Nam Bonifacius quartus ab eodem Cæsare obtinuit, vt Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum. Ab eo igitur tempore sancta mater Ecclesia, euacuatis iis quæ erant paruulæ, ad fœmineam ætatem per gratiam largitoris omnium viriliter ascẽdit. Imperatores clementissimi Ecclesiam defensabant, largè munera ipsi tribuebant, & à tyrannorum insultibus ipsam liberabant. Ius habebant non solùm ordinandi sedem Apostolicam, sed etiam omnes Ecclesias cathedrales. Reperio quidem, quòd ipsi Pontifices Romani nunc eligebantur à populo, nunc ab Imperatoribus: & nonnunquam ab Imperatoribus simul & à populo. Pelagius secundus est electus absque iussione Principis. Insuper omnes Romani, tam clerus quàm populus, vna voce Leonem in summum Pontificem elegerunt.

De Imperatoribus exempla legimus. Nam Leo Alemannus à Cæsare est electus, quo defuncto, cùm ipse Cęsar nullum Teutonicorum posset inducere, vt Papatum susciperet, Brunonem Tullensem Episcopum ad hoc inclinauit: qui ad vrbem veniens, & ex hoc habens conscientiam omnino resignauit, & post hoc miraculis claruit. O quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Iam aspirant miseri; iam ambiunt & quærunt gloriam. Vbi sunt illi, qui dicunt Papam non posse resignare? De vtrisque legimus clara facta. Nam Vitalinus electus à populo, nuncios direxit ad Cæsarem, iuxta consuetudinem significans de sua ordinatione, vt & ipsius consensus adesset. Quod autem iura dicunt, quòd *in concilio Romano Adrianus Papa dedit Carolo Magno ius eligendi Pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi, & Archiepiscopos & Episcopos secundùm singulas prouincias inuestituras ab ipso recipere*, verum dicunt: sed quòd Imperatores ante illud tempus hoc non habebant, nequaquam ita est. Nam hic Vitalinus longè ante illa tempora fuit.

Denique summi Pontifices ad diuos Imperatores oculos dirigebant, & coram ipsis se purgabant. Vnde Sixtus, congregata Synodo 58. Episcoporum, coram Augusto Valentiniano purgauit se de crimine, à Basso quodam sibi imposito: & Symmachus conuocato concilio cc. & vi. Episcoporum, etiã expurgauit se de crimine falsi, & cum gloria restitutus est. Vnde patet quòd Imperatores prærogatiuam magnam habuerunt, tam in Conciliis, vt in superioribus dictum est, quam in electione Romani Pontificis, & ordinatione sedis Apostolicæ, nec non in inuestitura Archiepiscoporum, & regaliũ Abbatum. Vnde dotatæ sunt Ecclesiæ, & prælati in superbiam sunt erecti. Cùm igitur ecclesia in perfectam libertatem velut in religionem creuit, & simul in deliciis creuit: sed tãdem emarcuit, senuit, & rugosa facta est; insuper diuisa est & scissa.

NILI ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS,

DE PRIMATV PAPÆ ROMANI.

LIBRI DVO.

Anno Domini circiter MCCCLX.

LIBER PRIMVS,

siue

ORATIO, *demonstrans non aliam dissidii Ecclesiarum Latinarum & Græcanicarum caussam esse, quàm quòd Papa eius quod controuersum est cognitionem ac iudicium ad Oecumenicam Synodum deferre detrectet: Sed ipse solus controuersiæ magister ac iudex sedere velit; reliquos verò discipulorum instar dicto audientes habere. Quod quidem ab Apostolorum & Patrum legibus actionibusq́ est alienum.*

EQVIDEM existimo oportere mecum Latinis verba facturum, eiuscemodi orationis initiũ inuenire, quod probabilem rationem in se habeat. Hæc verò est, causam intueri propter quam hoc Ecclesiarum dissidium & ortum sit primùm, & in tantum efferbuerit, vt ne sperandus quidem sit finis, nisi Deus auxiliatricem manum porrexerit. Videmus sanè & Medicos, & alios qui operibus suis finem aliquem propositũ habent, nõ antè de curationis genere decernere, quàm caussarum ratio manifesta fuerit. Causâ enim sublatâ, omnino etiã de pace bene sperari potest. quâ manente, frustra omnis labor suscipitur. Causa itaque huius dissidii, vt ego quidẽ existimo, non est dogmatis sublimitas, humanum captum superans. Nam & reliqua quæ diuersis temporibus Ecclesiæ negotiũ fecerunt, eiusdem generis fuerunt. Neq; hæc igitur dissidii est causa, multoque minus ipse Scripturæ sermo, quòd tanquã concisus nihil apertè de eo quod controuertitur, pronuntiet. Scripturam enim incusare tantundem fuerit ac Deum ipsum incusare. At Deus extra omnẽ culpam est. Penes quem verò sit culpa, quiuis mente præditus facilè dixerit. Atqui homines qui ex vtraq; natione, Italicâ scilicet & Græcanicâ confluunt, docti pariter ac probi, non patiuntur vt hominum idoneorum penuriam incusemus, eique distractionem hanc imputemus. Neque verò illud in causâ est, quòd Latini affirmant, nos nobis Primatũ arrogare velle, & in secundis post Romanorum principatum nolle consistere, simulq́; idcirco pacem detrectare. Neq; enim vnquam cum Romanâ Ecclesiâ de Primatu contendimus; neq; de secundo loco nunc agitur. Sed neq; vetus consuetudo, neque Patrum decreta nos latent; quibus Romana Ecclesia antiquissima omniũ Ecclesiarum declaratur. alioqui neque æquum fuerit, vt id quod inficiamur, nobis obiiciatur, certaq́; huius rei demonstratio hoc prætextu occultetur. Quænam igitur tandem est huius dissidii causa? quod scilicet quæstio controuersa communi Oecumenicæ Synodi decreto non sit confirmata; quòd eius solutio explicatioq́; non fiat ex veteri Patrum in eiuscemodi negotiis consuetudine. Sed quod Romani quidem magistrorum in hac quæstione partes sibi sumunt, alios verò instar discipulorũ dicto audientes habere velint. Ceterum, non hoc volunt veterum Patrum decreta; cui rei idoneum testimonium præbent eorum Acta, quæ in hunc vsque diem litteris consignata seruantur. in quibus, in communis fidei causâ, communis quoque omnium sententia quæritur. Absurdum verò prorsus sit, Patres exempla non habentes, per se ipsos quod rectum est vidisse: nos verò cùm eorum exemplum habeamus, ne ita quidem intelligere. Ac primùm quidem ortâ contentione, venia forsan danda erat ignorantiæ, videlicet quàm nondum veteris consuetudinis ratio necessariò habenda esset, cum aliunde controuersiæ diiudicatio haberi posset. Nunc verò tot iam annorum decurso spacio, nondum vnicam hanc viam ineundæ pacis obseruasse, neque eam quam patres nostri ingressi sunt instituisse, quis non pacem prorsus detrectantium esse censeat? At Papa, inquiunt, summus est sacerdotum princeps, & pastor, ac pater, cui & vniuersalem Synodum conuocare, & priuatim, absque aliis, de ecclesiasticis negotiis statuere licet. Ceterum & Iulius, Papa erat, & Damasus, & Celestinus, & Leo, & Agathon, quorum insigni pietati Patres testimonium perhibuerunt: neque tamen vnquam hæc dixerunt; sed vnâ cum aliis fratribus conuenientes, adiuuante bono spiritu, & dogmata stabiliebant, & pacem Ecclesiis conciliabant. Quod si vnica hac ratione dogmata stabiliebantur, id verò hodie minimè fiat, quis dubitet omnem dissidii caussam hac vna in re esse positam? In nobis certè huius rei culpa non hæret. Quod verò dicitur, Concilii generalis conuocationem, & rerum Ecclesiasticarum in eo Concilio ordinationem ad Papam pertinere: non aliud est quàm si dicatur, Papa, vna cum aliis conueniens, de rebus Ecclesiasticis deliberat. At si Papæ tribunal his decernendis sufficit, superfluus ac superuacaneus omnino fuerit sanctorum Patrum conuẽtus. Verùm

non

non ita se res habet. nequaquam. quamdiu Spiritus sanctus per beatos illos loquatur. Nam & Papam Agathonem, & diuinum illum Celestinum, & Leonem priuatim quidem de rebus controuersis Synodum conuocasse videmus; ita tamen vt quæ illic particulariter disceptata fuissent, ad vniuersalem Synodum referrentur, & communi sententiâ veritatem stabiliri postularent: alioqui si Papa priuatim Synodum cogente, reliquos eius decretis assentiri necesse esset, nemine contradicente, supervacaneum planè foret Oecumenicum tribunal. Si verò multi, imò verò innumeri sunt qui cõtradicant: quo pacto æquum fuerit medicinam, quâ solâ salus obtineri potest, repudiare? Adhæc, si è vulgo tantùm hominum aliqui dissiderent, prætextum aliquem habere eorum oratio, atque adeò iniquum censeri posset, tanti quosdam facere, vt ipsorum causâ totum orbem concurrere velimus. Nunc verò cùm capita orbis terrarum propemodum inter se dissentiant: an non valde absurdum fuerit de vniuersali fide aliter quàm cum vniuerso orbe simul statuere atque decernere? cùm Patres ipsi hoc tum dictis tum factis proclament. Quin & hoc absurdum videtur, quum non tantùm ob fidei causam, verumetiam disciplinæ ordinisque Ecclesiastici gratiâ, vniuersalis Synodus aliquando conuocata fuerit, vtpote in qua res Ecclesiasticæ iudicari soleant: nunc quum de fidei negotio agitur, non necessarium esse censere vt vniuersalis Synodus conueniat. Quod si verò Latini idem subinde inculcent, obiicientes nobis Papæ primatum, dicemus iis, Papam hæc agendo suum ipsius potius primatum euertere. at verò antiquæ consuetudini inhærendo, officium boni viri & sua tuentis atque seruantis facere. Si enim quod iustum est fiat, tale quid consequitur. Æquum enim est vt consideremus quid euenturum fuisset si cõmuni sententiâ hæc controuersia disceptata fuisset: quid verò nunc euenerit Latinis authoritatem præscribendi leges sibi arrogantibus. Nam illo modo Ecclesia omnibus motibus & tumultibus libera in pace tranquillitateque degeret, nemine facilè contradicere audente iis quæ communi decreto sancita fuissent. Tametsi enim veterum quidam eò dementiæ venerunt, sed & pauci admodum & perquam breui atque exiguo tempore visi perierunt. Si verò per Ecclesiam vniuersam pax fusa esset, Papa ipse quoq; iis, quæ ipsi debentur, frueretur; cùm nunc propter illud discidium, quatuor Patriarchalium Sedium primatu ipsi carendum sit, quæ sibi iure deberentur rebus compositis, & pace Ecclesiarum firmata. Remedia verò excogitantur quidẽ non pauca, colloquia multa, legationes etiam crebræ; morbus autem manet, & mansurus porro est, quandiu Latini in proposito suo perstiterint. Atqui potestatem, inquiunt, in rebus Ecclesiasticis habuit Papa. aio & ego. Ne igitur Patrum decretis aduersetur. Illi vniuersali Concilio Ecclesiastica negotia stabilierunt. vnusquisque alterius auxilio indigebat. Humanæ enim imbecillitatis erant conscii. Illorum legibus etiam Papa obtemperet, neque ante dogma aliquod sanciat, quàm vnà cum aliis de eo disceptatum sit. Quod si verò non à Patribus, sed ab Apostolis potestatem accepit, audiat Paulum Apostolum dicentem, *Nunc quidem non sum vsus hac potestate, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* alibi verò, *De potestate quam nobis dedit Dominus in ædificationem, & non in destructionem.* Si ergo etiam ipse potestatem habet, ne vtatur illâ nisi ad profectum Euangelii; vt Pauli vestigiis insistens Apostolicum virum in omnibus se declaret. aut vtatur illâ quidem ad ædificationem, & non potius ad euersionem. An verò nunc quidem ad ædificationem, an contrà ad destructionẽ res pertineat, neminem latere puto. Legat autem qui volet, his de rebus Canonem Apostolicum XXXIV numero: *Episcopos singularum gentium, nosse oportet eum qui inter ipsos est primus, eumq; censere tanquam caput, neque quicquam curiosè facere absque illius sententiâ: Illa autem sola quemque facere, quæ ad Ecclesiam ipsius, & locum sibi subditum attinent. Sed neque ille sine omnium sententia aliquid faciat. Ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in sancto Spiritu, Pater & Filius & Spiritus sanctus.* Audistis quid Lex apertâ voce proclamet: Neque Episcopis gentium licet quicquam absque eius qui primus est sententiâ statuere: eâdemque planè ratione ne illi quidem qui primus est, non consentientibus iis qui ipsi subditi sunt. Quid ita? quòd scilicet, nisi ita fiat, concordia dissoluatur, inimicitiæ cõtrà & schismata ac rixæ introducantur; quodque grauissimum est, diuino numini debitus honos adimatur. Cùm igitur res nostræ miserandum valde in modum se habeant, hortor vos, ne clausulam illam, ITA ENIM CONCORDIA ERIT, leuiter percurratis. Neque enim temerè aut fortuitò dictũ illud fuit à discipulis veritatis: sed quum scirent disceptando simulque inquirendo veritatem inueniri, & pacem conciliari; ita legem protulerunt. An verò soluta sit concordia, ideo quòd stabilitum sit dogma, insciis aliis vniuersalibus Episcopis, nec ne, considerate quæso per Dominum. Quinam verò sint qui id pro rato habeant, ante communem de eo disceptationem, ne hoc quidem quisquam ignorat. Porrò Primatus quem Episcopus Romanus obtinet in alios vniuersales Episcopos, non est æqualis ei quem obtinet Episcopus vnius gentis in subditos. Illic enim, Primatus, ordinis tantùm est, & in verbis magis quàm in rebus positus; cùm in plurimis æqualitas spectetur. At verò in iis qui primatum obtinent alicuius gentis, non item; sed æqualitas quidem in verbis, primatus verò in rebus. Non igitur hæc quidem diuini Apostoli dixerant, & veluti regulam ac terminum præfinierunt. Ipsi verò aliter rem instituerunt, authoritatem præscribendarum legum vsurpantes. Sed Paulus quidem quantumuis Christum habens in se loquentem, & vocatus vas electionis: nihilominus tamen ad Apostolos ipso priores se refert, communicatque cum eis Euangelium, ne quo modo in vanum curreret vel cucurrisset. Quinetiam sacri illius duodenarii cœtus præsul ille inquam Apostolorum coryphæus diuinus Petrus, etiam corrigi se à Paulo patitur, & reprehensus, silet. cumque iustius quàm Papa dicere posset: Quæ à me facta sunt coryphæo sacri cœtus declarato, Lex sunt aliis: hæc nequaquam dixit: imò verò reprehensionem æquo animo amplexus est, & iis quæ Paulo visa sunt,

Digitized by Google

non contradicit. Quid enim ait B. Paulus ad Galatas scribens? *Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et rursus, *Sed quum vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Iudæus sis, Gentiliter viuis & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis Iudaizare? Nos naturâ Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. Scientes autem quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Rursus verò quum sermo esset motus de Circumcisione ex præscripto Legis Mosaicæ quæ obtinebat, quæstioque in Ecclesiâ proposita esset ab Apostolis & presbyteris Hierosolymitanis, quid facto opus esset discere cupiunt. Inseruiunt verò responsionibus Paulus & Barnabas, ac nonnulli alii. Cùm autem Hierosolymis essent, nō ad se, primatum rapit Petrus, neq; inquit: Mihi permissum est regulam in his præscribere; sed congregantur Apostoli, congregantur & Presbyteri, vt de hoc dispiciant. & neq; Petrus Apostolos arcet, sibi ipsi primatum eo pacto vendicans, neque Apostoli presbyteros qui erant Hierosolymis. Nec enim talia edocti erant à Christo, neque sic primatum captare; sed quum postremi quid faciendum esset propalarent, tacent primi. Argumentum verò ac signum hoc est. Cùm enim conuenissent Apostoli simul & presbyteri, magnaq; hac de re quæstio orta esset, Petrus quidem præ aliis sermonē auspicatur; cuius orationem excipit diuinus Iacobus, & Iacobi sententiæ assenserunt omnes, & Petrus ipse, & Apostoli ac presbyteri. Adeò beati illi Christum amabant, adeò illis veritas pariter & pax Ecclesiastica curæ erant. Deinde Apostoli quidē hoc pacto veritatem quærentes, etiam legem de his statuerunt. Vos autē, quum contraria ab illis faciatis, anne alios quospiam potius quàm vosmet ipsos huius tā grauis dissensionis meritò incusare possitis? Ceterum, inquiunt, dogma de quo disceptatis vetus est in Ecclesiâ, & ab Apostolis ac Scripturis traditum; neque iustum Oecumenicam ob hoc Synodum congregari. Primum quidem hoc quæritur, An ab Apostolis traditū sit, neque oportet quæsita pro cōfessis statuere. Præterea quis nescit, quod etiam hoc, Filium esse coessentialē Patri, & Spiritum Patri & Filio, & alia quæcunq; Oecumenicis Actis stabilita sunt, vetera erant, & Apostolicæ Propheticæq; traditiones, imò potius Spiritus sancti oracula. Quæ quidem cùm, talia essent: nihilominus tamen, vniuersalia Concilia Ecclesię habenda fuerunt: vt veritas inuestigaretur, inuentaq; stabiliretur, omnisq; contradicentibus occasio præriperetur. At inquiunt; vniuersalibus Conciliis nequaquam proposita fuit inquisitio veritatis, sed conuenerunt vt eam confirmarent: ideoq; etiam nūc non in dubium vocari hoc dogma, iustum esse, sed stabiliri. Quo pacto verò hoc ais? Si quidem nulla vniuersalium Ecclesiarum contradicat, aut alioquin vna sola, aut pauci aliquot, assentior & ego. Si verò, cùm quinque sint Ecclesiæ vniuersales, vna reliquis contradicit; an non iustum sit omnes conuenire, & infinitis votis, summaque disquisitione habitâ dogma stabiliri? Adhæc, quid sibi volunt in Conciliis quæ recitantur, quæ proponuntur, quid instantiæ, ac super his solutiones? an non vt inueniatur veritas? Quo pacto autem inueniatur, nisi prius quæsita? Lege verò etiam Acta primæ Synodi. Incides enim ibi in Philosophos, prolixè admodum contradicentes; posteà, demonstratâ veritate, ab omni conflictatione desistentes. At, quænam, inquiunt, sunt quatuor Ecclesiæ? cum vnicâ enim conflictamur Constantinopolitanâ. Reliquæ enim tres, verba sunt tantùm, re vacuæ, quum sub barbaris degant, minimeque habeant qui de veritate sciscitentur, vtpote Sapientiâ ibi neutiquam locum habente. Sed non hoc, ô bone, iustitiæ ratio postulat; neque quia iudiciis diuinis traditæ sunt, contemnendas eas statim censeamus, quandiu intelligimus proprias Christianis esse tentationes. Præterea, tales Ecclesiæ etiam tempore septimæ Synodi sub barbaris erant, neque tamen idcirco iuri ipsarum quicquam derogabatur; sed quum vniuersales metropolitani ipsi non adessent, per vicarios suam quisque sedem obtinebat; & Papa Adrianus acta laudauit atque approbauit. Quòd verò Sapientiæ in illis Ecclesiis nulla sit cura: rogo, de quanam Sapientiâ sit sermo: de internâ ne ac spirituali, an verò de externâ. Si de externa; sit ita. neque quicquam ad rem facit. neque enim nos per hanc ad diuinam veritatem manu ducti sumus, ne euacuetur crux Christi. Si verò de spirituali & internâ, non verè dicitur. Testes enim huius rei sunt multi iis in locis degentes, mundum despuentes, solumque cœlum respicientes. multi verò etiam ad sanguinis profusionem vsque impietati sese opponentes; & sanguine non verbis assiduè Ecclesiam fulcientes. Hæc verò quod non sine magna in Scripturis exercitatione præstent, verbis non eget. In sextâ verò Synodo papa Agathon deflens eam quæ Romæ erat Ecclesiam, ad reges Romanorū scribens, ita ait: *Mittimus hosce conseruos nostros N, & N.* deinde statim subiungit: *Ab hominibus enim in medio gentium versantibus, & victū ex corporali labore cum magna animi distractione cōparantibus, quo pacto plenè Scripturarum cognitio inueniri poterit? nisi quod canonicè à sanctis antecessoribus, & sanctis quinque Synodis quæcunque decreta sunt, in simplicitate cordis & indubitanter ex tradita à Patribus fide seruamus; vnum hoc atq; eximium perpetuò retinere optantes & laborantes, vt nihil præterea quæ canonicè decreta sunt excipiatur, neque immutetur, vel addatur; sed hæc & verbis & sensibus integra illæsaq; conseruentur.* Si verò etiam illi ad communem audientiam vocati eadem dicant quæ & beatus Agathon; an non iusta dixerint, & consentanea Euangelio Christi? Si verò Papa, quia Scripturarum cognitione perfectè præditus non est, & quia simpliciter quæ ad fidem pertinent nouit; vel propterea quòd eximiam hanc proprietatem habet, neq; immutandi neq; addendi quicquam siue in verbis, siue in sensu; neq; solum hanc proprietatem habet, sed & optat in finem vsque retinere: propter hæc tamen suo iure non est priuatus; quo pacto æquum sit alias Ecclesias propter hæc iure suo fraudari? Aut enim etiam ipse, si quidem & illæ: aut ne illæ quidem, nisi etiam ipse. Vna enim atque eadem iuris ratio per omnia commeat, tametsi alibi aliter sese res habeant. At vocati, inquiunt, ad Synodum, venire detrectastis. quopa-

quopacto verò æquum sit, ad Synodum vocatos, tergiuersari? soluta verò Synodo, rursus eam poscere? Vbi hæc, sub quo rege, quo Episcopo Romæ pontificem agente? vbinam sunt exempla litterarum ad regem Romanorum, vel ad nostram Ecclesiam, vel ad alios vniuersales Episcopos? Nostræ verò Epistolæ ad illos scriptæ, quibus Synodum detrectamus, vbinam sunt? aut enim eas proferant, aut hæc dicere desinant. Ac de eo quidem, quod non liceat Romanorum Ecclesiæ priuatim quæ Ecclesiarum communia sunt decernere ac stabilire; quódque hoc Christi Ecclesiam dissipauit, simulque & Apostolicis, & Patrum legibus atque institutis repugnet, hæc dicta sufficiant.

EIVSDEM,

DE PRIMATV PAPÆ,

LIBER II.

AFFIRMANT Latini, quum B. Petrus sacri illius duodenarii cœtus princeps sit constitutus, meritò etiam ipsi potestatem clauium regni cœlorum traditam, & super ipsum ædificatam esse Ecclesiam, aduersus quam portæ inferni non sint præualituræ. præterea Christum pro fide ipsius orasse, ne deficeret. Illud etiam, *Confirma conuersus fratres tuos*, &, *Pasce oues meas*; aliaque huiusmodi, eodem spectare aiunt, manifestè Petri primatum declarantia. cuius successor constitutus Papa, cùm omnem illius primatum acceperit ab ipso Petro, eandem quoque quam ille in rebus fidei potestatem obtinere. atque idcirco fieri non posse, vt circa integritatẽ dogmatum labatur. Labente enim ipso, fides ipsa perit atque euanescit. Quod ipsum testatur B. Agathon, dicens: *Apostolica ipsius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualicunque erroris parte deflexit.* quodque ideo primatus ipsi ab Apostolis sit delatus, & summam ad se prouocationem vsurpat, & primatus ipsius eandem rationem obtinet ad alias vniuersales sedes, quam habet Constantinopolitana ad Episcopos sibi subditos. quodque ipsi soli liceat Oecumenicã synodum conuocare, quando voluerit: quodque Ecclesiasticas sanctiones absque ipsius sententia sancire, nefas sit: quòd ipse etiam omnes iudicans, à nemine iudicatur, neque in dogmatibus, neq; in moribus. præterea, quòd Papa non sit Episcopus alicuius ciuitatis, Romæ videlicet aut alicuius alterius, quemadmodum vniuscuiusque ciuitatis peculiariter singuli sunt pastores: sed simpliciter atque absolutè, Episcopus. quod quidem in aliis videre non est. eamque ob causam, neque in iis quæ scribit, Romæ Episcopum se vocat. quòd etiam sola Papæ sedes, Apostolicæ sedis appellationem obtineat: Romæ enim beatus Petrus per multum tempus egit, ibique è vita decessit. & quod omnia quæ superius dicta sunt, Papa à Petro aliisque Apostolis accepta obtineat. quodque omnes ipsi obedire oporteat, neminemque contradicere, ipso iubente. Atque hæc quidem sunt quæ Latini pro Ecclesiæ suæ dignitate asserenda adferunt. Ego verò non quid respondeam, sed ad quos orationem meam instituam, ambigo. Nã, si ad Latinos, qui fieri potest vt & ipsis contradicam, & ipsi eorum quæ à me dicentur iudices sedeant? Si verò ad Græcos, iniquum minimeque consentaneum esse dicent Latini, eos iudices statui quos in rebus Ecclesiasticis hostes censent. At non idcirco tamen æquum est vt veritas silentio prætereatur. quin potius liberè, bona spe nixos, dicere oportet, optareque vt in quorum manus hoc scriptum peruenerit, nihil veritate prius potiusve habeant. Veritatis enim studiosi indagatores, aliquam ex eo vtilitatem reportabunt. Dicamus itaque. De primatu Petri, & quomodo sacri illius cœtus præsul sit constitutus, & quantum illi aliorum Apostolorum concessu debitum fuerit, in præsentiarum inquirendum nequaquam censeo. Sit verò tantum quantum quis voluerit. Illud tamen non dico, quòd Papa à Petro id iuris acceperit, vt aliorum Episcoporum primus esset. Cùm enim duo circa Papam consideranda sint: quòd & Romæ Episcopus sit, vt & Synodi testantur, & præterea, quòd sit primus aliorum Episcoporum: prius illud à Petro accepit, quòd scilicet sit Romæ Episcopus: alterum verò, à sanctis Patribus & piis Regibus, multo post tempore, quòd æquum esset, in Ecclesiasticis quoque rebus, & multo quidem magis quàm Politicis, ordinem statui. Quæ quidem vt vera esse ostendam, producam testes non duos aut tres, aut duplo plures, sed sexcentos & triginta, atque hos quidem sanctos Patres. Lege Canonem sanctæ atque vniuersalis quartæ Synodi, numero vigesimum octauum, qui ait: *Omnino & per omnia, quæcunque à sanctis Patribus definita sunt, sequentes, & modò recitato Canone* CL. *pientissimorum Episcoporum congregatorum sub pientiss. memoria magno Theodosio rege in vrbe regia Constantinopoli, noua Roma, perpenso: eadem etiam nos statuimus atque decernimus, de honoribus & prærogatiuis sanctissimæ Ecclesiæ Constãtinopolitanæ, nouæ Romæ. Etenim Sedi Veteris Romæ, quòd vrbs illa imperatrix esset, meritò Patres primatus dignitatem tribuerunt: eadẽq; ratione moti centum quinquaginta Episcopi, Sedi Nouæ Romæ parem primatus honorem attribuerunt: consentaneũ rationi iudicantes, vrbem & Regia & Senatu Imperii decoratã, pari etiam cum Veteri regia vrbe honoris prærogatiua fruentem, in rebus quoq; Ecclesiasticis parem atq; illa præeminentiam obtinere; cùm tamen secunda ab illa existeret.* Quid ex his ducimus? quidnam aliud, quàm non ab Apostolis sed à Patribus datum esse Papæ primatum aliarum Ecclesiarum, & quidem idcirco, quod scilicet vrbs Roma reliquis vrbibus imperaret. Si verò, quia caput Imperii vrbs illa erat, primatum obtinet Papa, certè non eo nomine

eum est consequutus, quòd sit successor Petri. Si autem à Patribus hoc habet, non ergo ab Apostolis. Lege etiam Nouellam centesimam Iustiniani, vt Veritatem omni ex parte congruentem videas: *Sancimus*, inquit, *iuxta sanctarum Synodorum decreta, Sanctissimum veteris Romæ Episcopum, primum esse omnium sacerdotum: beatissimum verò Constantinopoleos nouæ Romæ Episcopum, secundum locum obtinere, post sedem veteris Romæ; reliquis vero omnibus honore præire.* Audis apertè, primum omnium sacerdotum esse Papam. *Decretum est*, inquit, *sanctarum Synodorum.* At si decretum est sanctarum Synodorum; quopacto Papa primatum sacerdotum à Petro accepit? Quidnam igitur dicat aliquis, an non est Papa in vniuersum Petri successor? Est quidem, sed eâ ratione quâ est Episcopus. quod ipsum vnusquisque Episcoporum sibi vendicare potest, qui ab illo ordinati sunt. multi verò sunt qui per ipsius manus hoc beneficii acceperunt. Atqui vnusquisque sacerdotum successor hac ratione est cuiusque Apostoli à quo per traditionem sacerdotium accepit. Hac itaque ratione, multi & Petri, & aliorum Apostolorum sunt successores. secundum alia verò, nequaquam. Petrus enim & Apostolus est, & Apostolorum princeps. Papa verò, neque Apostolus (neque enim Apostolos, sed pastores & doctores ordinarunt Apostoli) multoque minus Apostolorum princeps. Et Petrus, doctor totius orbis. Audiuit enim vna cum aliis etiam ipse: *Prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.* Papa verò Episcopus Romæ est, & vocatur. Et Petrus quidem, alium in Antiochia, alium in Alexandria ordinat, & alium alibi. Romæ verò Episcopo hæc non permittuntur. Et Petrus quidem, Romæ Episcopum ordinat; Romæ verò Papa, alium Papam non creat. Petrus etiam simpliciter audiuit, *Quidquid solueris aut ligaueris, erit solutum aut ligatum in cœlis.* In Romanum autem Papam ipse transferens hanc gratiam, non simpliciter id absoluteque dixit: Sed, *Ligabis quod ligari oportet, & solues cōtra quod solui par est.* Adhæc, quæ Petrus dixit, voces sunt Spiritus sancti. Vbinam verò hæc etiam Papæ sunt communia? Reliquum est, vt non in omnibus Romæ Episcopus Petri sit successor, sed in illis tantū quæ diximus, vt & vnusquisque eorum qui ab ipso sunt ordinati: Vt soluat & liget, vt baptizet, vt doceat, vt à Veritate auulsos in viam reducat, aliaque munia obeat, quibus Episcopus est insignitus. Quod verò impossibile sit Papam à rectitudine dogmatum aberrare, id ipsius etiam Petri successionem excedit. Ille enim etiam impegit & lapsus est, quantumuis vehementer asseueraret se hoc non admissurum. At ego hoc quoque interrogo; An & Papa possit, mendacio, auaritiæ, inani gloriæ aliisque rebus vetitis esse obnoxius; an verò ab his planè sit immunis? Si ab his immunis est, ita vt hæc in ipsum cadere non possint, dicant sanè. At si hoc vanum est dictu (errat enim etiam ille in multis, testante sua ipsius conscientia, cùm sit homo) manifestum profectò est, quòd cùm in his peccet, etiam circa fidem naufragium facere possit. quod ipsum B. Paulus testatur Timotheo scribens: *Habēs fidem & bonam conscientiam; quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt.* Vidésne, eum qui sana integraque conscientia non sit, etiam circa fidem malè affectum esse posse? Si verò Papa non in vniuersum sanam habet conscientiam, eaque ipsa ratione etiam circa fidem malè affectus esse potest: alienum certè à veritate est, Papam à rectitudine dogmatum nulla ratione aberrare posse. Ipsum verò illud, circa conscientiā peccare, an non species est impietatis defectionisq; à Deo? *Deum enim*, inquit Paulus, *verbis quidem profitentur, operibus autem abnegant.* Quomodo itaque fieri potest, vt Papa operibus quidem Deum abneget, verbis autem nequaquam? Atqui Honorius Romæ Episcopus à rectitudine dogmatum aberrauit; & quidē à sancta & vniuersali Synodo publicè damnatus est. Quod autem hæc ita se habeant, lege hoc testimonium.

EX DECIMOSEXTO DECRETO ACTORUM *sexta Oecumenica Synodi.*

Sancta Synodus dixit; *Quos semel damnatos declarauimus, nostroq; decreto è sacris voluminibus erasimus, eos statuimus oportere etiam per proclamationes publicas nominatim anathematizari.* Deinde fausta principum acclamatione facta, hæc mox subiiciunt: *Theodoro Pharanitæ anathema: Sergio hæretico anathema: Honorio hæretico anathema: Cyro hæretico anathema: Pyrrho hæretico anathema: omnibus fautoribus hæreticorum anathema.* Lege etiam aliud testimonium ex iisdem Actis.

EX ORATIONE QVA SACRA SYnodus Regem compellat.

Nouas verò vocum inanitates, earumq; inuentores procul ab Ecclesiasticis septis eiicimus, & anathemati iustè subiicimus. quales declaramus Theodorum Pharaniten, Sergiumque & Paulum; simul etiam Pyrrhum & Petrum qui Constantinopoli præsederunt. præterea Cyrum Alexandrinorum Episcopum, simulque cum iis Honorium Romanæ vrbis antistitem. At si Honorius Romæ Episcopus est, simulque est hæreticus: fieri itaque potest vt Papa à rectitudine dogmatum excidat. Neque tamen ipso circa fidem errante sermo Domini irritus factus est, quem de Ecclesia pronuntiarat, *Portas* videlicet *inferni aduersus eam non præualituras.* Potest enim in aliis Episcopis & quidem firmiter pietas religionisque integritas cōseruari. Manifestum verò ex his est, neq; hoc Romanæ Ecclesiæ conuenire, vt super hanc petram Ecclesia Dei sit ædificata. Durum enim & graue hoc esset, neq; multum à Iudaica vilitate distās, Ecclesiam Româ circumscribere. Sed ædificauit quidem Ecclesiam Christus; ædificauit autem eam super Petri de Deo professionem, & super omnes qui eiusdem professionis custodes fuerint. Si verò B. Agathon affirmat, *Ecclesiam suam nunquam à via veritatis aberrasse*, nihil miri est. Velimus autem, eum qui talia dicit, non res ad verba trahere, sed potius verba rebus accommodare; cumque animo suo

repu-

Digitized by Google

reputare tropos œconomiæ quibus sancti vtuntur, quum de re aliqua vtili ac necessariâ quæstio instituitur. & quia rarò Ecclesia hæc à veritate in rebus fidei aberrat, B. Agathonem vt talia scriberet inductum fuisse. Alioqui, quomodo interpreteris illud; *Omnes declinauerunt, nō est qui faciat bonū, non est vsq; ad vnum.* Præterea quum dixit, Ecclesiam Romanorum à viâ veritatis non deflexisse, de præterito tempore loquutus est; futurum non inclusit. Quod verò maximū est, ante sextam Synodū hæc ab Agathone dicta sunt. Mirum a. videri nō debet, si Synodus è multis S. Patribus collecta intellexit, quæ vnū ignorasse contigit. Quòd verò hæc ita se habeant, lege Epistolam Leonis Papæ, qui proximus Agathoni successit, sextamque est amplexus.

EX FINE ACTORVM SEXTÆ SYNODI, EX Epistola Leonis Papæ ad reges Romanorum.

Simili modo anathematizamus authores noui erroris, hoc est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, & Cyrum Alexandriæ, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Ecclesiæ Constantinopolitanæ substitutos potius quàm præpositos: nec non Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam doctrinâ Apostolicæ traditioni consentaneâ non illustrauit; sed eam quæ immaculata erat, impura prophanaq; proditioni abnoxiam fecit. At verò dicere, *eandem esse rationem Papæ ad Constantinopolitanum, quæ est ipsius ad Cæsariensem, vel ad alium quemuis Episcoporum qui sub ipso sunt,* quo pacto non omnino durum sit? Romanus enim Episcopus primus respectu Constantinopolitani dicitur, veluti hoc secundum ordinem obtinente. nequaquam verò Constantinopolitanus primus ita respectu Cæsariensis, tanquam illo secundas partes obtinente: sed Constantinopolitanus quidem ita est primus eorum qui sub ipso sunt, tanquam solus, & tanquam aliis non coordinatus. Cæsariensis verò ne ipse quidem secundus vocatur; sed etiam ipse primus; eo excepto, quòd sit aliis coordinatus, & secundum post se habens atque etiam tertium. Quòd verò Papæ primatus coordinatus sit, & non liber atque exemtus, patet ex Can. XXXVI, Synodi VI. qui sic habet: *Renouantes quæ à* CL *sanctis Patribus in hac à Deo custodita regia vrbe, &* DCXXX, *Chalcidone congregatis, decreta fuerunt: decernimus vt sedes Constantinopolitana iisdem honoris prærogatiuis fruatur, quibus sedes veteris Romæ, & in Ecclesiasticis negotiis æquè atque illa emineat; cùm sit post illam secunda. post quam, magna illius Alexandrinorum vrbis sedes; deinde, Antiochensium, & post hanc Hierosolymitanæ vrbis sedes numeretur.* Si verò, quia primus es in numeratione, idcirco dominatum arripis, concede hoc ipsum etiam Constantinopolitano, nam & hic præponitur Alexandrino. Alexandrinus verò, eadem ratione sub se habeat Antiochenum; hic verò rursum Hierosolymitanæ sedi præscribat. At, quid hæc, nisi tumultum adferant? At si Constantinopolitanus Cæsariensem, quique eum sequuntur, ordinat: Romanus autem, neque Constantinopolitanum, neque alium quenquam ex generalibus patriarchis: quomodo censeri possint veraces, qui dicunt, Eadem ratione esse primum Romanum respectu Constantinopolitani, qua hic ipse, respectu antistitum qui sub ipso sunt? Lege præterea Canonem sextum sanctæ & vniuersalis Synodi primæ; vt videas decretum fuisse, vt parti orbis terrarum Alexandrinus, parti Romanus, parti verò Antiochenus præsit; neque licere alteri, aliena inuadere. Canon ita habet: *Antiqua consuetudo valeat, quæ in Ægypto, Libya, & Pentapoli obtinuit; vt Alexandrinus patriarcha in hac omnia potestatem habeat. quandoquidem & Romano Episcopo hæc ipsa consuetudo est. Similiter verò etiam in Antiochiâ, similiter & in reliquis prouinciis, sua cuique Ecclesiæ prærogatiuæ conseruentur.* Audis, quo pacto veterum Patrum decreta Canon amplectenda esse censeat, qui singulis Ecclesiis prærogatiuas tribuerunt. vt nimirum aliæ gentes Alexandrino subiectæ essent, aliæ Antiocheno. quæcunque videlicet Syriam, & vtranque Ciliciam incolunt, & Cœlo-Syriam & Mesopotamiam. quodque Romano Episcopo hoc datum est, videlicet vt occidentalibus præsit. Hierosolymitanus verò Episcopus (vt septimus eiusdem Synodi Canon definit) vrbibus quæ in Palæstinâ, Phœnicia, & Arabiâ sitæ sunt, præest. Sub Constantinopolitanâ verò sede (vt vigesimus octauus quartæ Synodi Canon definit) omnes Asiæ diœceses, & Ponti, & Thraciæ. Si itaque vnusquisque suis finibus sit contentus, ordinem institutum obseruat. Si quis verò, cùm suas retineat, alienas etiam ecclesias iniquis oculis aspicit: is, fieri non potest, quin veterum Patrum instituta violet. At Canon hoc non vult: sed, *Antiqua*, inquit, *consuetudo valeat.* Enimuerò si climata orbis terrarum Canon singulis vniuersalibus Episcopis distribuisset, nihil verò præfinitè Romanæ sedi attribuisset; sed solum eum dixisset, principatum accepisse: verisimiliter vtique existimari posset, totum orbem terrarum ipsi subiectum esse, & vniuersales Episcopos illius res administrare, quemadmodum Constantinopolitani patriarchæ res administrant, qui ei subsunt Episcopi. Nunc verò si illud quidem Romano Episcopo distinctè attributum est, illud verò Alexandrino, illud Constantinopolitano: nihilo magis Romanus Episcopus sub illis, quàm illi sub Romano esse censebuntur.

Si verò, quod *Prouocationem in rebus Ecclesiasticis* habeat, idcirco etiam eum dominum censes: hanc, quum etiam Constantinopolitanus habeat, sint ergo eâdem ratione aliæ sedes metropolitanæ ei subiectæ. Sed neq; Constantinopolitanus eam ob causam iurisdictionem in illas vsurpat; neq; Papa ob eam prærogatiuam, iustè aliorum Patriarcharum ecclesias turbare potest. Lege canonem nonum vniuersalis quartæ Synodi, vt videas sedem etiam Constantinopolitanam prouocationem habere. Ait enim: *Si cui clerico cum clerico controuersia intercedat, ne deserat suum Episcopum, & ad mun-*

Digitized by Google

dana tribunalia se conferat: sed prius rem aperiat suo Episcopo; vel certè ex arbitrio Episcopi, apud quos vtrique parti placuerit, controuersia ventiletur. Si quis verò contrà fecerit, canonicis correptionibus erit obnoxius. Si autem clerico controuersia sit cum suo, vel cum alio Episcopo, apud Synodum prouinciæ iudicetur. Si verò cum metropolitano controuersia intercedat alicui Episcopo, vel clerico, adeat præfectum diœcesis, aut regiæ vrbis Constantinopoleos sedem, & apud ipsam iudicetur. Idem decernit etiam decimusseptimus eiusdem Synodi canon. Vigesimus verò octauus eiusdem Synodi, & trigesimus sextus sextæ, iisdē prærogatiuis dignantes vtranque sedem, manifestè etiam Prouocationem Constantinopolitanæ Sedi tribuunt.

Quòd verò *Papa omnes iudicet, ipse verò à nemine iudicetur*, falsum est, & Apostolicis institutis dissentaneum. Paulus enim communicat aliis Euangelium, ne in vanum currat, aut cucurrerit. Petrus item patitur se à Paulo increpari. Quo pacto verò Papa Romanus instar tyranni nullum admittet vitæ suæ censorem: cùm alioqui Petri se successorem esse glorietur? At hoc manifestè falsum esse, quod quidem ad dogmata attinet, Honorius testatur, qui iudicatus à sexta Synodo anathemati traditus fuit, ne morte quidem hominem excusante. quod verò ad vitæ rationem actionesque attinet, omnibus etiam legibus quibus singuli Episcopi sunt obstricti, subditus est & ipse; quippe qui inter Episcopos censetur. Multæ porrò huiusmodi leges partim ab Apostolis, partim à generalibus conciliis sunt constitutæ. imo verò etiam peculiariter illum à beatis Patribus increpatum fuisse constat. Lege Canonem sancti & generalis concilii sexti decimum tertium, qui sic habet: *Quoniam in Romanorum ecclesia loco Canonis traditum esse cognouimus, vt ii qui ordinandi sunt diaconi vel presbyteri, profiteantur, quòd non vltra suis copulentur vxoribus: nos antiquo insistentes canoni Apostolicæ disciplinæ, atque ordinationi sacrorum virorum, legitima coniugia ab hoc tempore valere volumus, nulla ratione eorum cum vxoribus suis copulam dissoluentes.* Deinde id quod dictum est latius persequens atque explicans Canon, subdit: *Si quis igitur contra Apostolicos canones præsumserit aliquem ex iis qui sacros ordines acceperit, presbyterum scilicet, vel diaconum, ab vxoris suæ copula societateque dirimere, deponatur.* Eiusdem quoque sancti & œcumenici concilii Canon LV ita habet: *Quum cognouerimus in Romana vrbe, in sancto Quadragesimæ ieiunio, eiusdem Quadragesimæ sabbatis ieiunari, præter ordinationem Ecclesiasticæ traditionis: Visum est sancto concilio, vt etiam in Romana Ecclesia firmiter atque inconcussè teneatur Canon, qui ait: Si quis clericus fuerit deprehensus sancto dominico die, aut sabbato, præterquam vno solo ieiunans, deponatur. Si verò laicus, excommunicetur.* Quòd itaque sicut in dogmatibus, ita & in aliis actionibus Papa etiam inter eos qui iudicantur censeatur, si quid præter statuta decretaq; tentare deprehendatur. ex iis quæ diximus constat.

Quòd vero maiori ordine non sit, quod ad ipsum attinet, quàm Episcopali, ex dictis liquet. Quopacto enim si maioris ordinis esset, ab inferioris ordinis hominibus corrigeretur? Constat verò etiam ipsum à Patribus Episcopum vocari, vel ex ipsis ad eum scriptis Epistolis. Atqui ab Episcopis quidem ordinatur. quod non fieret, si ipse Episcopo maior esset. Neque enim quisquam alteri impertiri potest, quod ipsemet antea non habuit. At verò hæc ipsa dicere, est ordinem dissoluere. Beatus verò Dionysius qui Apostolorum temporibus vixit, imò potius nonnullorum ex iis auditor, nonnullorum dux atque magister extitit, in diaconos, sacerdotes & Episcopos omnem Ecclesiasticam hierarchiam apertè diuidit, & maiorem Episcopali dignitatem ex eius scriptis nullam vel imaginari possumus. Neque verò vel existentem omnino aliam maiorem ignorauit, vel data opera prætermisit, cum de vniuersa Ecclesiastica hierarchia scripturum se professus esset. At, sint hæc ita, inquiunt. Quo pacto autem iustum fuerit Canonum sextæ Synodi meminisse, quum sexta Synodus, quæ de duabus in Christo voluntatibus disseruit, Canonum nullam mentionem fecerit? Primum quidem, ô bone, vt maximè hæc Synodus firma ac rata non esset, propositum tamen nostrum comprobatum est. Si enim non est vlla dignitas Episcopali maior, sed neque Episcopo Episcopus maior, quatenus Episcopus est: (*omnes* enim *Episcopos* ait Dionysius *esse eiusdem ordinis ac dignitatis*) manifestum vtique est Papam etiam Episcopum esse, & in vnum cum aliis ordinem redigi, omnibusque legibus quibus & reliquum Episcoporum genus subiacere. Tot verò sunt leges quæ ad Episcopos attinent, tantumque de iis curæ fuit œcumenicis conciliis, quibus contradici non potest, vt non facilè omnes enumerari queant. Quòd autem canones quos supra recitauimus sanctæ œcumenicæq; Synodi sextæ & dicantur esse & sint, & pro firmis ac ratis habeantur, nemo ignorat qui vel mediocriter in ecclesiasticis rebus est versatus. Cùm enim quinta & sexta Synodus nullos Canones ediderint, Synodus quæ hæc dicit, statim post sextam instaurata, (œcumenica verò etiam ipsa) illarum defectū suppleuit. & sicut illæ de dogmatibus disserentes, nullum de canonibus verbum fecerunt: ita hæc in tractatione de dogmatibus breuis, tota verò in constituendis canonibus fuit. Quod autem etiam œcumenica fuerit, manifestum est etiam ex historia, quum Basilium habuerit Gortynes, quæ est in Creta, Episcopum, vniuersæ in ea Synodo Romanæ Ecclesiæ locum tenentem. Constat etiam ex eo, quòd ipsa Synodus, de se continuè loquens, œcumenicam seipsam vocat. Neque verò commisisset adeo frequens & celebris Patrum cœtus vt in tam aperto mendacio deprehenderetur. Porrò sancta etiam atque œcumenica septima Synodus primo canone, ita ait: *Libenter obuiisque vlnis amplectimur sacros canones, firmamque & inconcussum eorum tenorem roboramus, quæ exposita sunt à tubis Spiritus, & iis qui localiter congregati fuerunt ad edenda eiusmodi dogmata, & sanctis Patribus. Ex vno enim eodemque Spiritu illustrati, vtilia decreuerunt. & quos illi anathemati tradiderunt, nos etiam tradimus; quos segregarunt, & nos segregamus; quos deposuerunt, etiam nos deponimus; denique quos aliis pœnis mulctarunt,*

& nos

& nos similiter mulctamus. Mores enim piorum debent esse à pecuniarum cupiditate alieni, contenti sua sorte; quemadmodum in tertium cœlum raptus, quique ineffabilia verba audiuit, diuinus ille apostolus Paulus, apertè clamat. Si verò sancta hæc Synodus mentionem facit canonum Apostolicorum, simulque ex sanctorum atque œcumenicorum conciliorū: sexta autem Synodus propriè ita dicta, nullos omnino canones conscripserit; cuinā dubium esse potest, quod de canonibus huius Synodi loquatur; quæ id quod sextæ deerat suppleuisse cernitur? Quod verò anathemati tradantur canonicarum constitutionum contemtores; quo pacto non sit terribile, & vel saxeum cor penetret? Quinimo etiam ipse Romanus Episcopus vsque adeo hosce canones ratos habuit, quamdiu pax & concordia inter Ecclesias viguit, vt & Papa Adrianus Tarasio scribens summopere eum laudaret, quod in sanctæ huius Synodi canonicorum decretorum obseruatione persisteret. Lege ex Actis septimæ Synodi, ex Epistolâ Papæ Adriani ad Tarasium Constantinopoleos Episcopum scripta in hunc modum: *Inuenimus in prædictâ Synodica Epistola vestræ sanctitatis, post plenitudinem fidei ex confessione sacri Symboli, & omnium sanctorum sex conciliorum, & circa sacras venerandasque imagines, rem profectò mirum in modum laudabilem atque exosculandam. in qua etiam continetur, quod & illa quæ à sanctâ sexta Synodo statuta sunt recipio. cum omnibus quæ legitimè & diuinè pronuntiata sunt ab ipsius canonibus; in quibus infertur, quod in nonnullis sacrarum imaginum picturis, agnus digito præcursoris ostensus insculpitur, qui in typum gratiæ assumptus est, verum nobis per legem præmonstrans agnum, Christum Deum nostrum. Veteres itaque typos & vmbras, tanquam veritatis symbola & lineamenta Ecclesiæ tradita amplectentes, gratiam pluris æstimamus & veritatem ipsam tanquam adimpletionem legis, hanc suscipientes, vt nimirum perfectio adimpletioque illa etiam picturæ artificio omnium oculis subiiciatur, Agni videlicet tollentis peccata mundi, Christi Dei nostri, secundum humanam effigiem. & in imaginibus ab hoc deinceps tempore, loco veteris agni erigi statuimus; per ipsum sublimitatem humilitatis verbi Dei contemplantes, & ad memoriam vitæ ipsius in carne actæ, passionisque ipsius, & salutiferæ mortis veluti manuducti, simulque redemptionis quam mundus hinc est consequutus.* Quòd itaque Canon hic etiam à B. Adriano confirmatus, quodque sit Synodi de quâ nunc sermo est octuagesimus secundus, libri testantur. Planè verò absurdum est, Latinos non modò Oecumenicis conciliis infensos esse, quibus ipsi præfuerunt, & quorum dignitas in cœlum vsque euecta est; verùm etiam inter sese dissidere, & modo quidem Adrianum Papam hos ipsos Canones rem laude exosculationeque dignam appellare; modò verò Innocentium, aut alium aliquem, in iis ipsis reiiciendis consentire? Si quis verò dicat Papam Patrum legibus ac statutis non esse subiectum, is nulla ratione est ferendus. Quamobrem? quia ipsemet à patribus prærogatiuam accepit; minimeque ferendum est, per quos ille euectus est, magnusque esse videtur, eos ipsos nihili facere. Præterea qui ita affectus est, etiam seipsum reprobare possit; siquidem ipse est qui leges statuit. B. verò Paulus, *præuaricatorem* seipsum vocat, *si quæ destruxit iterum ædificare in animum inducat.* Si verò demonstratum est Papam tam in dogmatibus quàm in moribus Patrum censuræ obnoxium esse, quo pacto Patrum legibus non sit subiectus? vel quonam tandem modo æquum sit vt alii ipsum tanquam patrem reuereantur, qui tam multos sanctos Patres contemnat? Quod verò aiunt, Papam non esse præfiniti alicuius loci, sed simpliciter absoluteque Episcopum: quomodo non manifestæ veritati repugnet? Superius enim demonstratum est, ipsum eiusdem cum aliis Episcopis ordinis esse. Deinde, quotiescunque in Conciliis œcumenicis eius per occasionem fit mentio, vt quidem fit sæpenumero, *Romæ Episcopum* ipsum appellant. Quo pacto itaque Romæ Episcopus, non erit Episcopus certi alicuius & circumscripti loci; nisi forte quispiam Romam certo loco circumscriptam negare velit. Si verò, quia in Epistolis suis non *Romæ Episcopum* seipsum appellat, sed absolutè *Episcopum*, eamque ob causam, certi alicuius loci Episcopum seipsum nequaquam esse censet: non ignoramus illum, verbis magnam humilitatem præ se ferentibus, magna rapere. Imo verò hæc oratio pro nobis facit, si modò ipsius dignitatem euertere voluissemus. Cùm enim se *Episcopum* appellat (quæ quidem appellatio maximè communis est) & non *Papam, Oecumenicum*, vel *summum Pontificem*, vel aliis titulis quibus homines plerunque ei blandiuntur: argumentum est humiliantis seipsum. Sed neque nos idcirco iustè fecerimus, si his ipsum subuertere velimus. Ille verò sperans ex hisce seipsum extollere, nihil aliud agit quàm si ex arena funiculum nectere conetur. Atqui, si ob hæc magnus est Papa, idem etiam ob hæc obtineat Cyrillus, & quidem multò æquius illo, quod etiam ab aliis hic titulus ei tribuatur. En tibi testimonium: *Theodosius gloriosus triumphator, semper Augustus, Cyrillo Episcopo.* Vides quo pacto non adiiciat cuius loci sit Episcopus? Porro si quis etiam Episcopus, in iis quæ scribit, ne ipsum quidem Episcopi nomen apponat, sed tantum sui nominis mentionem faciat, alia omittat, Episcopus ideo non sit? At si se inscribat Episcopum tantùm, refugiat circumscriptionem, & vniuersalis totius terrarum orbis sit Episcopus? Si verò etiam hoc omittat, etiam supra talem sit. At quomodo non sint hæc ænigmati similia? Quòd autem sint etiam multæ eiuscemodi inscriptiones, manifestum est. Verbi causa: *Sanctissimo & Deo dilectissimo patri Cælestino, Cyrillus in Domino Salutem.* Et rursus: *Religiosissimo & Deo dilecto comministro Nestorio, Cyrillus in Domino Salutem.* multaq; eius generis reperias.

Sed neque, vt ipsi affirmant, sola Romana sedes *Apostolica* appellationem obtinet. Communis enim hæc ipsa est etiam aliis catholicis fratribus. Manifestum id ex vndecima actione Actorum sextæ Synodi: *Constantinus pientissimus Archidiaconus eius quæ ibi est sanctissima Dei catholica Apostolicæ*

Digitized by Google

que Ecclesia. Item, ex iisdem Actis & decreti subscriptionibus: *Petrus presbyter & vicarius Apostolicæ Sedis Alexandrinorum magnæ vrbis. Georgius minimus presbyter, & locum tenens Theodori Theophylacti presbyteri & Vicarii Apostolicæ sedis sanctæ Christi Dei nostri vrbis Hierosolymorum, subscripsi.* Item ex prima actione Actorum VII. Synodi, cuius initium est: *In nomine Domine nostri Iesu Christi, veri Dei nostri,* &c. vbi postquam recensuit eos qui Roma, quique Constantinopoli missi essent, in hunc modum expressè subiungit: *Iohannis & Thomæ reuerendissimorum presbyterorum, monachorum, & vicariorum Apostolicarum sedium quæ sunt in Orientali diœcesi.* Hoc ipsum reperies statim in initiis omnium Actorum septimæ Synodi: & rursus in subscriptionibus determinationis eiusdem Synodi: *Iohannes per Dei misericordiam presbyter & patriarchicus Syncellus, vicarius & locum tenens trium Apostolicarum sedium, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hyerosolymorum, Patrum dogmata traditionemque vniuersalis Ecclesiæ sequens, decernens subscripsi. Thomas miseratione diuina presbyter & præfectus habitationis sancti patris nostri Arsenii, quæ sita est, in Aegypto vltra Babylonem, locum tenens trium Apostolicarum sedium, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hyerosolymorum, Patrum dogmatibus, traditionique vniuersalis Ecclesiæ insistendo, decernens, subscripsi.* Hoc etiam in omnibus ipsorum subscriptionibus reperies. Audisti, quo pacto singulæ vniuersales sedes *Apostolicæ* nominentur? adeò vt si quis rem perpendat, omnibus idcirco sedibus eandem quam Romæ dignitatis prærogatiuam tribuet; neque satis scio in quos sint habituri primatum: aut certè neque Romana sedes propterea eximium aliquid ac prærogatiuum præ aliis obtineat quandiu id quod commune est, proprium ac peculiare fieri locum non habeat. B. verò Chrysostomus *vnumquenque Episcopum in cathedra Christi sedere* ait, *sicut legales sacerdotes in cathedra Moysis; & maiori eos dignitate præditos esse* asserit, *quam sint Angeli & Archangeli,* alibi rursus scribens. adeò vt nihil magni sit, quòd Romana sedes ab Apostolis appellationem accipiat, cùm singuli Episcopi in cathedra Christi sedeant, maioremque ipsis angelis dignitatem obtineant.

Quod autem aiunt, *Ipsi soli licere Oecumenicum Concilium congregare*, Papæ nimirum: quo pactò non manifestæ veritati id repugnare censeamus? imo verò quo pacto non sit turpe, Episcopum ea ambitiosè affectare, quibus par est regem ipsum gloriari? Neque verò hæc ideo à me dicuntur vt regum pusillanimitatem damnem. (rectè enim illorum res se habent) sed quod Ecclesiæ bonum, quæ nobis apparent despuens, ad ea quæ in cælis sunt contendat. Vt autem intelligas, regibus potius, non Episcopis potestatem indicendi concilia datam, lege hæc

EX ACTIS SANCTI ET OECVMENICI PRIMI CONCILII.

Sancta & magna Synodus, sanctæ magnæq; Dei gratia Alexandrinorum Ecclesiæ, & per Aegyptum, & Pentapolim, & Lybiam, per vniuersum orbem constitutis dilectis fratribus, clerisque & populis orthodoxis: Nicææ congregati, & sanctam magnamque Synodum celebrantes Episcopi, Salutem in Domino. Quoniam Dei gratia & Deo dilectissimi regis Constantini qui nos ex diuersis vrbibus & prouinciis congregauit, &c.

ITEM, EX ACTIS TERTII CONcilii Oecumenici.

Pientissimis Deoque dilectissimis Theodosio & Valentiniano, victoribus, triumphatoribus, semper Augustis: Sancta Synodus, quæ gratia Dei, vestraque potentiæ annutatione congregata est in Ephesiorum metropoli.

EX FINE ACTORVM SANCTAE ET Oecumenicæ quartæ Synodi.

Subscriptio Epistolæ sanctæ Synodi: *Sancta & magna atque œcumenica Synodus, quæ Dei gratia, & decreto pientissimorum & Christianissimorum nostrorum regum congregata est apud Chalcedonem metropolim Bithyniæ prouinciæ: Sanctissimo & beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni.*

Quòd itaque conuocatio œcumenici concilii ad Reges pertineat, ex iis quæ recitata sunt apertè constat. Beatus autem Leo Romæ Episcopus, ad Theodosium regem scribens, ingentis beneficii loco petit, annui sibi à Rege, vt priuatã Synodum in Italiã cogere possit. at non petiisset profectò, si id iuris ipse antea habebat. Lege & hoc testimonium.

EX ACTIS QVARTAE SYNODI, EX Epistola Leonis Episcopi Romani, ad Regem Romanorum.

Omnes Ecclesiæ nostrarum partium, & omnes Episcopi vestram clementiam suppliciter cum lachrymis orant, iuxta petitionem libelli Flauiani Episcopi, vt priuatam siue particularem Synodum in Italia peragi iubeat.

Si verò, quia Petrus Romæ diem suum obiit, idcirco Romanam Sedem Magnam censes: profectò Hierosolymorum sedes maior digniorque erit, cùm ibi seruator noster Iesus Christus vificam mortem obierit.

Digitized by Google

At si te turbat magnitudo honoris, quam Romana sedes à beatis patribus est adepta: ordinis conseruandi causa id factum puta. Multum autem valet apud sanctos Ordo: quippe quo & cælestia & terrena constant, & continentur. Præterea etiam Apostolica lex eos vrgebat, iubens vt inuicem honore præueniamus. Quin & ipse Dominus discipulis suis humilitatis exemplum præbuit; instar ministri pedes ipsorum abluens. & alia quæ ipse eximia edidit, quum nostram in carne degens salutem procuraret, abundè nos ad humilitatis studium adhortantur. Si verò Paulus ad Corinthios scribens, inquit; *Ego seruus vester propter Iesum Christum*; & Papa seipsum *Seruum seruorum Dei* vocat, quod & inscriptiones Epistolarum eius testantur; quid magni est, si etiam hîc tali fruitur honore, quòd à Patribus id acceperit, vt sit primus?

At, *non possunt*, inquiunt, *Canones Ecclesiastici constitui absque Papa.* Rectè quidem. Sed neque Papæ id licet, absque aliis, quandiu certè Apostolicis legibus paret. Lege trigesimum quartum Canonem Apostolorum, qui sic habet: *Episcopos cuiusque nationis scire oportet, quisnam inter ipsos sit primus; & habere ipsum pro capite. nihilque noui & operæ pretii agere, absque ipsius sententia. illa verò tantum quenque agere oportet, quæ ad ipsius Ecclesiam, locaque ipsis subdita attinet. Sed neque ille citra omnium sententiam quicquam agat. Ita enim concordia constabit, & glorificabitur Deus per Dominum in sancto Spiritu; Pater & Filius & Spiritus sanctus.* Si quis verò canonibus Apostolorum contradicere velit, nothos illos vocans, & Apostolico spiritui nequaquam conuenientes: is à sanctis Patribus doceri se patiatur. quibusnam verò illis? primæ Synodi, tertiæ, quartæ, sextæ, & septimæ. Harum enim prima Synodus quinto canone, duorum Apostolicorum canonum mentionem facit; duodecimi videlicet, & trigesimi secundi. Decimoquinto item eiusdem Synodi canone, meminit etiam Apostolici canonis decimiquinti. Tertia verò Synodus ad regem Theodosium scribens, septuagesimi quarti Apostolici canonis meminit, quo vsa, Nestorium deposuit. Eodem canone similiter & quarta Synodus vsa, Dioscorum deposuit. Rursus verò hæc ipsa quarta synodus in quinto suo canone, de duodecimo, & decimotertio, & decimoquarto Apostolico canone expressis verbis ita ait: *De commigrantibus ex vrbe in vrbem Episcopis & clericis, visum est vt de his Canones à sanctis Apostolis constituti vigorem obtineant.* Canones verò Sextæ Synodi, etiam numerum Apostolicorum Canonum recensent.

EX SECVNDO CANONE SEXTÆ SYNODI.

Visum est etiam hoc sanctæ Synodo, pulcherrimè, optimeque, vt maneant ab hoc tempore firmi ac rati ad animarum medelam, & curationem affectuum, à prædecessoribus nostris sanctis ac beatis Patribus suscepti & stabiliti, nobisque per manus traditi nomine sanctorum & gloriosorum Apostolorum Canones numero octnaginta quinque. Septima verò Synodus, in suo primo canone, Ecclesiæ leges enumerans, anteponit omnibus Canones ab Apostolis editos; illud Moysis in omnibus valere cupiens, *Neque licere quicquam ipsis addere, neque quicquam adimere.* Nosne igitur eos qui à tot tantisque approbati sunt reiiciemus, & spurios censebimus, ac tanquam inutiles damnabimus? Quo pacto verò hæc toleranda sint? Summa dictorum hæc est, Quamdiu quidem Papa ordinem seruat, & cum veritate stat; à primo & proprio principatu non remouetur, & caput est Ecclesiæ, & summus Pontifex, & Petri reliquorumque Apostolorum successor; omnesque ei obedire oportet, nihilque est quod ipsius honori detrahat. Si verò quum semel à veritate recesserit ad eam redire noluerit, damnatorum pœnis erit obnoxius.

Hæc de Primatu Papæ pro meis viribus dixi, & quidem veritati consentanea. Sin minus, medicina adhibeatur ægrotare nolenti. Ego enim ab illorum etiam partibus sto quibus curæ est canere: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis.*

RVDOLPHI PRAELLÆI CONSILIARII REGII, ET MAGISTRI LIBELLORVM SVPPLICVM IN CVRIA PARISIENSI,

Tractatus

DE POTESTATE PONTIFICALI, ET IMperiali seu Regia.

Au Commendement de treshault & tresexcellent Prince CHARLLES par la grace de Dieu le QVINT ROY de FRANCE de ce nom, Maistre RAOVL de PRAELLES son petit seruiteur, Conseiller & Maistre de Requestes de son Hostel translata ceste petite euvre.

LA question est tele: assauoir se la dignete Pontifical, & Imperial ou Royal, sont deux puissances distinctees, diuisees & separees, sans ce que lune despende de lautre. Et est à proprement parler ceste question tele: cest assauoir, se le Pape à plainne iuridicion & puissance ordenaire tant en la temporalite, comme en lesperitualite, en tele maniere que les Princes temporelz soient subgets à li quant à la temporalite. Et premierement que ce soient deux puissances distinctees & separees, & que le Pape nait pas la iuridicion de toute la temporalite, len le preuve, premierement par raisons de phylosophie: secondement par raisons theologiques: tiercement par les drois canons: & quartement par les drois ciuilz.

LA PREMIERE RAISON.

PRemierement len argue ainsi. Le Phylosophe, cest assauoir Aristote, ou second liure de Lame dit, que *les puissances sont distinguees par fais*. Ou doncques les accions sont deuisees, ou despareilles par fais; il sensuit necessairement, que les puissances soient separees & deuisees. Or est il ainsi, que le gouvernement de la temporalite & de lesperitualite sont deux accions ou operacions separees & deuisees en tout & par tout: & par consequent la puissance du gouvernement de lune & de lautre sont separees & deuisee en tout & par tout. Or est il vray, que les choses, qui sont separees & deuisees ou distinctees, lune nest point subgete à lautre: & par consequent la seigneurie temporele nest point subgete à lesperituele.

LA SECONDE RAISON.

SEcondement selonc ce meismes Phylosophe, *les puissances sont distinguees selonc leurs obiects*. Et pour ce que le son, le quel est obiect de louye, est autre que nest couleur la quele est lobiect de la vehue; pour ceste cause sont oyr & veoir deux puissances separees & distinctees. Or est il ainsi, que les choses temporeles, & les choses esperitueles sont deuisees & separees en tout & par tout, par tele maniere, que il ne sont compris ne contenus soubz vn meismes genrre ou espece, ne il ne communiquent en matiere. Par quoy il sensuit que la puissance temporele & esperituele sont deux puissances distinctees & separees, les queles ne despendent en aucune maniere lune de lautre.

LA TIERCE RAISON.

TIercemēt, selonc yceli meismes Phylosophe, *les puissances sont distinguees selonc leurs fins*. Car pource que le sens & lentendement sordenent à diuerses fins, pour ceste cause sont deuisees les puissances en lame. Or est il ainsi, que la puissance esperituele est ordenee à autre fin, que nest la temporele: & la temporele à autre fin, que lesperituele; si comme il sera plus à plain demonstre en procedant en ceste question. Quare, & cetera.

LA QVARTE RAISON.

APres ce meismes se preuve par raisons theologiques, en ceste maniere. Il est escript ou premier liure de Genesis, que *Dieu ou commencement crea le ciel & la terre*: cest assauoir, lesperituele & corporele creature, qui est (selonc monseigneur saint Augustin) la premiere & tres grant difference, qui puist estre entre les creatures, pour ce que il ne communiquent en matiere, & si requierent diuers gouvernemens. Car lun à vne ordenance, & lautre vne autre: & par consequent les puissances de gouuerner lune & lautre sont necessairement & separees & distinctees.

LA QVINTE RAISON.

DErrechief, ou premier iour de la creacion du monde *Dieu deuisa la lumiere de tenebres*. Or est il ainsi, que par celle lumiere sont signifiees les choses esperitueles; & par les tenebres les choses temporeles, sy comme monseigneur saint Augustin & les autres Docteurs de leglise lexposent: & par consequent les choses esperitueles sont separees & distinctees des choses temporeles, aussi comme la lumiere est separee de tenebres. Par quoy il sensuit, que les puissances de lun gouvernement & de lautre sont separees & distinctees. Car si comme dit lApostre, *Quele participacion ou communaute à il entre lumiere & tenebres*: aussi comme sil voulsist dire, que il nen y à point.

LA SYCIESME RAISON.

ITem, nostre Seigneur ou quart iour fist deux grans luminaires pour la biaute & gouvernement de toutes choses: cest assauoir le soleil & la lune; des quiex les offices sont separes & distinctes. Car il ordena le soleil ad ce quil seruist au iour, & la lune ad ce que elle seruist à la nuyt. Or est il ainsi, que par ces deux luminaires sont signifiees ces deux puissances, ad ce que par le soleil len entende le Pape, qui precede les autres en esperitualite; & par la lune lEmpereur, qui precede en la temporalite, sy comme il se treuve *Extra, de maioritate & obedientia*, ou chapitre *solita*, ou quel il est ainsi dit: *Au firmement du ciel, cest à dire de leglise vniuersele, Dieu fist deux grans luminaires, lesquiex sont lauctorite Pontifical & la dignete Royal: tout aussi doncques comme le soleil & la lune furent produis ou crees de Dieu sans aucun moyen, & aussi tost lun comme lautre, & que lun ne proceda point de lautre, ia soit ce que lun ait*

plus

plus grant clarte que lautre, tout aussi lune & lautre puissance, cest assauoir la Pontifical & Royal sont de Dieu sans aucun moyen, combien que il different en dignite.

LA SEPTIESME RAISON.

APres, en lancienne Loy ces deux puissances furent distinctees, & ot en ycelle double onccion, cest assauoir Pontifical & Royal. Et si auoient offices distinctes en tele maniere, que lune ne pouoit ne ne deuoit entreprendre de raison ou vsurper lossice de lautre: ne la dignete Royal nestoit point subgette à la Pontifical en choses temporeles ou en temporalite. Et par plus forte raison est il ainsi en la Loy nouuele, que ces deux puissances sont distinctees par tele maniere, que lune nest point subgette à lautre quant à la temporalite.

LA HVYTIESME RAISON.

DAutre part, la Loy de grace requiert plus grant esperitualite en la dignite Pontifical, que ne faisoit la vielle Loy. Or est il ainsi, que à fin que les menistres de lancienne loy ne fussent empeschiez ou seruice diuin, nostre Seigneur ne volt que il eussent aucune seignourie terrienne, ou des choses terriennes. Car la lignee de Leui not partie ne heritage entre les autres lignees, quant la terre de promission fu partie & deuisee entre les lignees, sy comme il appert ou *Leuitique* & en *Josue*. & par consequent par plus forte raison doiuet mains auoir & querir les Prelas & Menistres de la nouuele loy auoir seignourie sur les choses terriennes ou en la temporalite.

LA NVEFESME RAISON.

DEtrechief, aussi comme dit nostre Sauueur Ihesu Crist, que *le disciple nest pas sur son maistre, ne le sergent ou seruant plus grant que son seigneur*, aussi na pas le Vicaire plus grant puissance que celi de qui il est Lieutenant. Or est il ainsi, que iasoit ce que par droit deritage nostre Sauueur Ihesu Crist fust Seigneur de tout, toutes voies ne volt il point vser de ceste puissance, mais qui plus est la refusa du tout quant elle li fu offerte, sy comme il se treuue *Johannis quinto*. Car comme le pueple le queist pour le faire Roy, il sen fouy, aussi comme celi qui la despisoit en enseignant, que len deuoit contempner & despire la voracite dauarice, qui ne puet estre saoulee, & la vanite de la conuoitise des honneurs asseuie, en donnant par especial exemple à son Vicaire, que il ne deuoit pas conuoitier, & par plus forte raison vsurper nom dEmpereur ou de dignete Royal.

LA DIXIESME RAISON.

ITem, *Lucæ duodecimo* est escript, que comme vn deist à nostre Sauueur Ihesu Crist: *Sire, di à mon frere, que il me face partie de heritage.* il respondi en ceste maniere: *Homme*, dit il, *qui ma ordene iuge & deuiseur sur vous?* Vesci que le filz de Dieu refusa à estre iuge ou le iugement de la diuision des possessions temporeles, lequel est toutes voies constitue & ordene de Dieu iuge des vifs & des mors: & par consequant son Vicaire ne se doit entremettre de la iuridiccion temporele.

LONZIESME RAISON.

ITem, le successeur de saint Pierre not pas plus grant puissance en temporalite, que ot mõseigneur saint Pierre, qui fu le premier Vicaire de nostre Seigneur Ihesu Christ. Or est il ainsi, que nostre Seigneur Ihesu Crist ne souffri oncques à saint Pierre, ne à tous les autres Appostres, auoir seignourie temporele ne choses terriennes: mais qui plus est leur commanda estre humbles ou derrenier degre, & la garder sans enfraindre, si comme il appert en lEsuangile: & par consequant le successeur de saint Pierre na quelque iuridicion en choses temporeles ou sur la temporalite.

LA DOVZIESME RAISON.

ITem, nostre Seigneur interrogie par les Iuifs, *se cestoit chose loysible de paier le cens à Cesar*; vehue limage du denier, respondi en ceste maniere: *Rendez*, dit il, *à Cesar les choses qui sont à Cesar, & à Dieu les choses qui sont de Dieu.* & par consequent les choses qui sont de Dieu, & celles qui sont de Cesar, sont deux choses toutes distinctees & separees.

LA TREZIESME RAISON.

ITem, en la vicairie, qui fu commise à saint Pierre, len ne list point que la puissance temporele li fust commise: mais li fu commise lesperituele tant seulement. *Je te donrray*, dit il, *les clefs du royaume des cielx:* il ne dit pas, quil li donrroit seignourie sur choses terriennes: pourquoy il adiousta incontinent en exposant aussi comme soymeismes, & que ce quil auoit dit, il entendoit de la

Digitized by Google

puissance esperituele tant seulement, & dist ainsi: *Et tout ce que tu auras lye sur terre*, dit il, *sera lye es cielx*; *& tout ce que auras deslie*, & cetera. Et apres sa benoite resurreccion il dist à ses Apostres: *Prenez*, dist il, *le saint esperit. ceulz aux quiex vous aures pardonne leurs pechies, il leur seront pardonnes*, & cetera.

LA QVATORZIESME RAISON.

ITem, ce meismes se preuve en maintes manieres par les drois Canons. Premierement il se preuve par le chapitre *quoniam idem, decima distinctione*, ou ceste question est desputee en la Glose. Il est ainsi dit ou texte, *ce meismes mediateur de Dieu & des hommes, homme Ihesu Crist discerne les propres offices de lune puissance & de lautre, par propres fais & par dignetes distinctees.* La Glose sur ce pas dit: Que *nostre Seigneur Ihesu Crist exerca loffice de lune puissance & de lautre, pour demonstrer que lune & lautre puissance proceda de li; non pas que vne personne excerce ou doye excercer ces deux offices. Car ces deux dons, cest assauoir, Empire & Prestrise, sont dun meismes commencement, vt in autentica, Quomodo oporteat Episcopos, & cetera, in principio, collatione prima.*

LA QVINZIESME RAISON.

DErrechief, la meismes sur le mot, *Discreuit*, est dit ainsi: *Comme doncques ces puissances soient distinctees, cest ci argument, que lEmpire ne se ha pas du Pape, & que le Pape na pas lun & lautre glaiue, & que lEmpire est de Dieu seulement, sy comme il se treuve vicesima tertia, quæstione quarta, Quæsitum, ou autrement il sensuiuroit, sil estoit tenu de li, qua len appellast à li es choses temporeles. La quelle chose le Pape Alexandre deffent, & dit que ces choses nappartiennent point à sa iuridiccion, sy comme il appert par le chapitre, Duobus, extra, de appellationibus, & ou chapitre Causam le second, & ou chapitre Lator, extra, Qui filii sunt legitimi.*

LA XVI. RAISON.

APres, quiconcques paie aucun trehu à autruy, il ne semble pas estre auant li es choses temporeles, mais semble miex que il soit subget. Or est il ainsi, que le Pape paie trehu à lEmpereur, sy comme il appert, *vndecima, quæstione prima*, ou chapitre *Magnum*; *vicesima tertia, quæstione octaua, tributum*, ou il est ainsi dit; *Ainsi comme saint Pierre peeschoit, le trehu, que il deuoit, fu trouve en la bouche du poisson, pour ce que lesglise paie trehu de ses choses par dehors, lequels apperent manifestement à tous. Et deuoient paier aux Empereurs de choses de lesglise, lesquelles sont par dehors, ce qui est acoustume danciennete pour la paix & repos, par laquele il nous doiuent garder & deffendre.*

LA XVII. RAISON.

DErrechief, ou chapitre *Quo iure, octaua distinctione*, monseigneur saint Augustin dit teles paroles: *Nous auons*, dit il, *le droit diuin es diuines Escriptures, & le droit humain nous auons es loys des Roys. Par lequel droit chascun posside ce quil posside, nest ce pas par droit humain? Car par le droit diuin la terre est de Dieu, & toute la plenitude dycelle. Nostre Seigneur fist les poures & les riches dun lymon de terre, & vne terre les soustient. Len dit doncques par le droit humain; Ceste ville est moye. Or est il ainsi, que les drois humains sont drois des Empereurs. Et pour ce Dieu distribua à lumain lignage ces drois humains par les Roys & par les Empereurs du siecle. Hoste*, dit il, *les drois des Empereurs, qui est celi qui ose dire, ceste ville est moye, ce serf est mien, ceste maison est moye? Et monseigneur saint Jehan Lappostre volt seruir à tous Rois, & volt que len honnourast les Roys: & dist teles paroles; Craygnes & portes reuerence aux Roys. Ne dy pas doncques, quele chose est à moy & au Roy? & par consequent à toy & aux possessions. Len tient les possessions par les drois des Roys: mais se tu dis, quele chose est à moy & au Roy? ne dy pas doncques que les possessions soyent toyes. Car tu as renoncie à ces drois humains, par les quiex len tient les possessions.* Se len considere bien ce decret, & il est bien entendu, il doit faire grant paour à ceulz, qui veulent resister au Royaume de France.

LA XVIII. RAISON.

ITem, celi qui conferme leleccion dautruy, ne doit pas de droit estre son subgect, ne dessoubz li. Or est il ainsi, que au Roy Challemaine fu donnee puissance & du Pape & du Senne, de confermer le Pape, & de ordener le Siege de Romme. Et par consequent le Roy de France ne doit point estre son subgect. La mineur se preuve, *sexagesima tertia distinctione, capitulo Adrianus, le II.* ou apres ce quil est dit de Charlles, apres ce quil ot desconfit les aduersaires de lesglise de Romme, que il *retourna à Rome, & la ordena vn Senne auecques le Pa-*

pe a-

pe Adrian ou patriarche de Latran, en lesglise de saint Sauveur; lequel fu celebre de cent & cincquanté & trois Evesques, Abbés & Religieux. & la le Pape Adrian & tout le Senne donnerent & baillerent à Charlemaine lauctorite, droit & puissance deslire le Pape, & dordener le siege de Romme, & la dignete & Patriarche. Avecques ce diffini, que les Archevesques & Evesques fussent mis par li & instituez en leurs dignetes en chascune prouince: & que nul Evesque ne fust consacre, se il nestoit approuve & institue par li. Et anathematiza quiconcques feroit contre ce decret: & se il ne se retournoit & corrigoit, il ordena que ses biens fussent publies & confisques. Ce meismes se monstre de Charlles & Othon son filz, premier Empereur des Alemens, qui en Latin sont appelles *Theutonici*, en celle meismes distinction, ou chapitre *In Synodo*, ou quel est dit ainsi: *Ou Senne assemble en lesglise de saint Sauveur, à lexemple de saint Adrian Pape de Romme, qui ottroya lordenance de siege de Romme & linuestiture des Evesques & Charlles le tres victorieux Roy de France; ie Lyon Evesque, sergent des sergens de nostre Seigneur, par le consentement de tout le Clergie; & de tout le peuple de Romme, ordenons, confermons & corroborons, & par nostre Appostolique auctorite donnons & ottroyons à messire Othon premier, Roy des Theutoniciens, & à ses successeurs, faculte & puissance deslire successeur de ce Royaume dytalie, & de ordener le souverain Evesque du saint siege de Romme,* (cest à dire le Pape) *& parce que les Archevesques & Evesques prengnent de li leur investiture & consecracion.* Et est encores dit la, que *se aucun est esleu par le Clergie ou par le pueple, que il ne soit point consacre, se il nest approuve & mis en possession par le Roy. Et se aucun sefforce de venir contre ceste ordenance, nous decernons, que il est escommenie: & se il ne se rappelle ou repent, nous voulons quil soit pugnis de perpetuel essil sans rapel, ou quil soit mis es derreniers tourmens,* cest à dire, quil soit mis à mort, sy comme il appert par le chapitre *Venerabilem*. Sur le mot *Karoli*, la Glose dit: *Auquel,* dit elle, *le droit de patronnage ou de dignete est ottroye: & par consequent il est patron de lesglise de Romme.* par quoy il appert, que il nest point subgect à elle. Et se tu dis, que Louys Lempereur, & le premier Henry, & le premier Othon, renoncerent à ce preuilege de confermer le Pape, & dordener le saint siege de Romme, sy comme il se treuve, *sexagesima tertia distinctione, per totum*: len respont, que pour ce ne sousmirent il pas au Pape, ne au siege de Romme quant à la temporalite, mais demourerent non subgets aussi comme il nestoient pas subgets parauant.

LA XIX. RAISON.

APres, *extra, de maioritate & obedientia*, ou chapitre, *Solita*, le Pape dit en tele maniere: *Nous ne nyons pas,* dit il, *que lEmpereur ne precelle en temporalite, especialement ceulz qui ont receu les temporalites de li.* Or est il ainsi, que le Pape & lesglise de Romme tout ce, que il ont de temporalite, il lont eue au moins pour la plus grant partie des Empereurs. Et semblablement les biens temporelz, que les autres esglises tiennent, il les ont eus des Roys & des Princes. Quare, & cætera.

LA XX. RAISON.

ITem, ou chapitre *Licet, extra, de foro competenti*, est dist en ceste maniere: *Nous mandons,* dit le Pape, *que se il avient, que aucune fois de lays de Velcellence soient empetres de la court de Romme aucuns rescrips, par especial sur les chosez, qui regardent la iuridiccion seculiere, non obstant quelque appellacion tu les declaires nulles & de nulle valeur, puis que toutes voies les Consulz & Communautes des quiex len se plaindra, veuillent faire iustice ou siege de la iuridiccion temporele ou seculiere.* & par consequent mains encores quant au Roy de France.

LA XXI. RAISON.

ITem, ce meismes se preuve par les drois ciuilz in *auctentica, Quomodo oporteat Episcopos, & cætera, in principio, collatione prima*, ou il est dit, que *entre toutes choses les dons de Dieu sont tres grans, lesquiex sont donnes par la diuine clemence, cest assavoir la Prestrise & lEmpire; des quiex lun,* cest assavoir la Prestrise, *admenistre aus choses diuines, & lautre,* cest assavoir lEmpire, *lequel est sur les choses humainnes, & met cure & diligence à les gouverner. tous les quiex deux, qui procedent dun meismes commencement, aournent la vie humainne.* Car si comme il est dit apres en celle meisme collacion, *se cesti*, cest à dire la Prestrise, *est sans reproche de toutes pars*, cest à dire, que il facent les choses qui appartiennent à lonneste de la Prestrise, *& aient toute leur esperence & fiance en Dieu: & lEmpire ou lEmpereur aourne droiturierement & convenablement la chose publique, qui li est baille à gouverner; & sera une bonne consonance, laquelle donrra tout ce, qui sera prouffitable à creature humainne.* Et la Glose sur le mot *Conferens*, en ce meismes lieu dit ainsi: *Il appert doncques, que le Pape ne se doit entremettre des choses temporeles, ne lEmpereur ne se doit entremettre des choses esperituels.* Et se tu dis, que ces raisons & auctorites dessus alleguees semblent plus pour lEmpereur, que pour le Roy de France, & me demandes, pour quoy ie les ay cy admenees? ie respons, que ie lay fait pour monstrer, que les iuridiccions sont separees & distinctees, des queles lune, cest assavoir lesperituele, est au Pape & aus gens desglise; & lautre, cest assavoir la temporele, est devers les Empereurs & les Roys.

Car toutes les raisons, qui sont pour lEmpereur, sont aussi pour le Roy de France, le quel est Empereur en son royaume.

LA XXII. RAISON.

MAis je monstre par especial, que le Roy de France nest point subgect au Pape en temporalite. Et ce appert par le chapitre *Nouit, extra, de iudiciis*, ou quel Innocent le Pape dit ainsi: *Ne cuide nul, que nous entendions à amenuysier ou perturber la iurisdiccion du Roy de France, comme il ne veille ne ne doye empescher la nostre.* Sur ce mot *nostram*, cest à dire *la nostre*, la Glose dit en ceste maniere : *Par ce*, dit elle, *qui est cy dit, appert, que le Pape ou leglise na pas lun glaiue & lautre*, cest assauoir la iuridiccion temporale & esperituele. Apres en ce meismes chapitre est dit ainsi: *Nous nentendons pas à cognoistre du fie daucon, du quel la iuridiccion li appartient.* La Glose sur ce pas dit, que *le iugement du fief appartient directement au Roy, & au Pape pour raison du pechie.* Par la premiere auctorite len conclut que le Roy de France nest point subgect au Pape en temporalite : & par la seconde len prenne quil est subgest du Pape premierement & principaument quant à lesperitualite, & non point quant à la temporalite, se ce nest incidenment.

LA XXIII. RAISON.

APres, celi ne doit point estre dit souverain, fors celi quel il loist à appeller. Or est il ainsi, que du iuge seculier il ne loit point à appeller au Pape en chose; temporeles & regardans la temporalite : & per consequent le iuge seculier ou temporel nest point subgect au Pape, ne le Pape nest point souverain en temporalite : & mains encores donques le Roy de France. La mineur se preuve par le chapitre. *Si duobus, extra, de appellacionibus, paragrapho Denique*, ou il est dit ainsi. Vne personne demandoit au Pape, se il auoit appelle dun iuge temporel au siege de Romme, assauoir se ceste appellacion tendroit : à quoy le Pape respont & dit, que *lappellacion tient en ceulz qui sont subgects à sa iuridiccion temporele, mais en autres cas non.* Et que *suppose que de coustume leglise tiengne, que lappellacion vaille*, toutes voies croit il que *selonc rigueur de droit lappellacion ne tient pas.* La Glose sur le mot, *tenere non credimus*, dit ainsi : *Et ainsi appert, que la iuridiccion temporele nappartient point à leglise, ne dycelle ne se doit entremettre ou preiudice de la iuridiccion temporele, sy comme il appert par le chapitre Lator, Qui filii sunt legittimi, & De priuilegiis, capitulo secundo.*

LA XXIV. RAISON.

ITem, il semble que le Roy de France soit pareil à lEmpereur, quant à la liberte & franchise de sa iuridiccion. Car le Royaume de France ot iuridiccion auant que not le Royaume des Theutoniciens, cest à dire des Allemans, si comme il appert par le chapitre *Ego Lodoycus, sexagesima tertia distinctione*, ou il est dit en la fin de ce chapitre, que *quant le Pape sera consacre, len envoyera Legas aus Empereurs & aus Roys de France, qui assembleront entre eulz amitie, charite & paix.* La Glose sur ce pas dit ainsi : *Nota, que lEmpire de France fu premier, mais apres les Theutoniciens deseruirent à auoir Empire, si comme il appert vicesima octaua, quæstione prima, capitulo Omnes, paragrapho Ex hiis. & ce fu pour ce que les Romains transporterent lEmpire en eulx.*

LA XXV. RAISON.

APres, ou chapitre *Causam, le.2. extra, Qui filii sunt legittimi*, sont escriptes teles paroles entres les autres, en parlant du Roy dEngleterre : *Nous attendans & considerans, que au Roy, & non point à leglise appartient de cognoistre de teles possessionis, à fin que il ne semble, que nous veuillons detraire du droit du Roy dEngleterre; le quel dit & afferme, que le iugement & la cognoissance de teles choses li appartiennent. Nous mandons à vostre fraternite, que en delaissant au Roy le iugement des possessions, vous cognoissies plainnement de la cause principal.* Se ces choses sont dictes du Roy dEngleterre, qui tient en fie du Pape, & qui à cause de son Royaume li doit certain cens, par plus forte raison il sera vray du Roy de France, le quel en nulles des choses dessus dictes nest subgest au Pape. Et dit la Glose : *Et ainsi appert, que la iuridiccion temporele & esperituele sont distinctes & separees.* par quoy il appert, que le Pape na pas lune & lautre iuridiccion.

LA XXVI. RAISON.

ITem, *Extra, Qui filii sunt legittimi*, ou chapitre *per venerabilem*, le Pape dit expressement, que le Roy de France ne recongnoist point de souuerain en temporalite. Et se tu veulz dire aussi comme la Glose dit, qui dit ; *Cest assauoir de fait, mais non pas de droit, pour ce que de droit il doit recongnoistre lEmpereur comme souuerain, sy côme il appert, septima, quæstione prima, in apibus, & ou chapitre Venerabile*, je respons, que ce fait est tourne en coustume, la quelle dône iuridiccion, sy côme dit Innocent *Extra, de iudiciis, in capitulo Nouit*, sur le mot *consuetudinē*: *Nota*, dit il, *que la coustume dône iuridiccion, Extra, de arbitriis, ou chapitre Dilecti.* Et la est dit à la Glose: *Nota*, dit elle, *que la iuridicciō se parfise à droit & a preuilege, sy côme il appert, nona, quæstione tertia, Cōquisitus*. Et aussi pour ce, que ceste coustume

a este

à este gardee & approuvee de tous temps paisiblement & sans contradiccion, ne na este impugnee, ne par Pape, ne par Empereur, mais à este confermee & lyee par seremens & par conuenances de si long temps, que elle est prescripte.

CY FINENT LES RAISONS POVR LE Roy de France: & commencent les articles.

AFfin da voir plus plain & plus cler entendement de la question proposee, cinq choses sont à considerer & distinguer par ordre. Premierement il est à veoir, que lune & lautre puissance, cest assauoir la temporele & lesperituele, est de Dieu, qui ainsi la instituee & ordenee. Secondemēt que ces deux puissances sont distinctees & deuisees. Tiercement que nostre Seigneur en instituant la puissance esperituele, ne bailla quelconcque seignourie des choses terriēnes ou tēporeles. Quartement len desclarrera, en queles choses la puissance terrienne est subgette à la puissance esperituele, & en queles choses elle ne lest point. Quintement len monstrera la franchise & exemption du Roy de France, pour quoy & comment il ne recongnoist point de souuerain en temporalite.

LE PREMIER ARTICLE.

QVe ces deux puissances soient de Dieu, il appert par ceste maniere. De la puissance esperituele, laquele Dieu donna à saint Pierre & à ses successeurs, il appert Matthei 16. ou il est ditt *Tu es Pierre, & sur ceste pierre ie edifieray mon esglise*, & cætera. De la temporele il est dit, que Dieu institua lEmpire du Ciel, in *autentica, de instrumentorum cautela, paragrapho quia igitur, collatione sexta*. Item, *Par moy*, dit il, *regnent les Roys, & ceulx qui font les loys decernent les choses iustes*, si comme il se treuue *Prouerbiorum octauo*. Et Actuum quarto; ou il est dit: *Dieu transporte les Royaumes & constitue*. Et monseigneur saint Pol ad Romanos 13. dit, que *il nest nulle puissance, que de Dieu*. De lune & de lautre puissance ensemble il est dit, *vicesima sexta distinctione, capitulo in scripturis, & capitulo duo*, ou quel chapitre le Pape dit teles paroles: *Il sont*, dit il, *Empereur Auguste, deux choses, par les queles ce monde est principaument gouverne, cest assauoir la sainte auctorite des Papes, & la puissance Royal*. Et in *autentica, Quomodo oporteat Episcopos, & cetera, in principio, collatione prima* dessus allegue, ou il dit: *Maxima quidem*, & cetera, dont nous auons parle cy dessus ou 21. argument. La Glose sur ce mot *Imperium*, dit que *lEmpire semble estre cree du peuple de Romme, sy comme il appert, Instituta de iure naturali. mais toutes voies est il certain, que se commencement fu fait par lordenance & disposition de Dieu, sans lequel riens nest fait*. Ne ne nuyst ce, qui est escript ou *premier liure des Roys*, ou il est dit, que le peuple contre la volonte de nostre Seigneur desirra à auoir Roy, & le demanda à auoir, pour ce que il vouloit, que ce peuple, que il auoit singulierement esleu, & par deuant tous par vne maniere esperituele, fuit gouuerne par Dux & par Iuges, cest assauoir hommes moyens; ne vouloit que aucun de magnificence Royal fust eleue sur le peuple par orgueil: & toutes voies quant le peuple ne se voult adcorder à lordenance diuine, & que en toutes manieres il voult auoir Roy, nostre Seigneur en condescendent à leur requeste, leur demonstra lequel il vouloit, quil regnast sur eulz. Et il eslirent celi, que nostre Seigneur leur enseigna. Et ces choses souffisent pour le premier article.

LE SECOND ARTICLE.

SEcondement il est à demonstrer, que ces deux puissances sont distinctees & separees lune de lautre. Car comme lomme soit compose de deux choses, cest assauoir de corps & de ame, & il y ait double vie, cest assauoir, la corporele & lesperituele. Pour la vie corporele garder il à mestier des choses temporeles: & pour lesperituele il à besoing des choses esperitueles. Or est il ainsi, que les Empereurs & les Roys ont puissance sur les corps & sur les choses, qui appartienent à la vie corporele, pource que il & doiuent pugnir les maufaiteurs de painne corporele, & ceulx qui font contre les loys des Empereurs; il ont aussi à gouuerner la chose publique, & à deffendre leurs subgects, & garder en paix & en tranquillite le pays, & combatre les ennemis & aduersaires du pays: & les Prelas ont la iuridiccion esperituele, la quele appartient au gouuernement & au salut des ames. Derrechief comme il le soit duble ciuilite, cest assauoir humainne & diuine, terrienne & celestienne, temporele & esperituele, la puissance des Roys & des Empereurs gouuerne & ordene la ciuilite mondainne & temporele; & lauctorite Pontifical gouuerne & ordene en terre lesperituele, celestienne ou diuine, au gouvernement de laquelle le Pape ha toute la puissance pleniere, & les Euesques qui sont dessoubz li, sont appelles en partie de celle cure ou entente. Au gouvernemēt de ceste double ciuilite, ordena nostre Seigneur deux glaiues, cest assauoir deux iuridicciōs separees & distinctees lune de lautre, sy cōme les sains exposent ces paroles qui sont escriptes Lucæ 22. *Ecce gladii duo hic*, cest à dire, *Vesci deux glaiues*. Et nostre Seigneur respondi: *Cest asses*. Les Princes vsent du glaiue materiel, ainsi comme dit lApostre *ad Romanos* 13. ou il est dit, que *le Prince ne porte pas le glaiue sans cause. car il est menistre de Dieu, vengeur en lire ou ou couroux de celi qui maufait*. Du glaiue esperituel parle ce meismes Appostre, cest assauoir monseignour saint Pol *ad Ephesios sexto*, qui dit: *Prenes*, dit il,

Digitized by Google

le beaume de salut, & le glaiue de lesperit, le quel est la parole de Dieu. Les Appostres vsoient du glaiue esperituel: mais il ne se treuue quelque part, que onques il vsassent du materiel, si ce nest que len die, que en la passion de nostre Seigneur Ihesu Christ, comme monseigneur saint Pierre eust vn glaiue, il le sacha, & en feri lun, & li coppa loreille. Ces puissances doncques sont distinctees, ne ne doiuent point troubler lune lautre. Car aussi comme le Prince ne se doit entremettre des choses esperituelles, aussi ne se doit le Pape ne les gens de lesglise entremettre des choses temporeles, ne eulz mesler en ycelles, ne prendre la iuridiccion temporele, se ce nest en certains cas, qui sont determinez en droit, si comme il sera dit cy apres. Mais que le Prince ne doye point exurper loffice du Pape ou de lEuesque; ne le Pape ou Euesque celi du Prince, il est dit expressement xcvi. *distinctione, capitulo Cum ad verum*, ou il est dit, que *quant len vient à la verite, ne lEmpereur ne prinst les drois du Pape, ne le Pape ne prinst le nom de lEmpereur*, aussi comme se il voulsist dire, que quelque chose, que len en die en arguant ou en desputant, toutes voies quant len vient à la verite, elles doiuent demourer comme deux puissances distinctees & separees, si comme elles sont este instituees diuinement. Ou Decret dessus allegue sensuyuent ces paroles, cest assauoir; *Pour ce que ce meismes mediateur de Dieu & des hommes homme Ihesu Crist ordena & discerna les propres offices de lune puissance & de lautre, par propres fais ou operacions & dignetes distinctees, en voulant que len fust eleue par medicinable humilite, non pas que le fust trebuchie & plungie derrechief en enfer par humain orgueil. & à fin que les Empereurs Crestiens eussent besoing des Euesques pour la vie pardurable, & que les Euesques vsassent des loys des Empereurs pour les cours de choses temporeles tant seulement, ad ce que lopperacion esperituele fust loing des assaulx charnelz, & en seruant à Dieu ne sentremeist point ne enuelopast es besoingnes temporeles: & aussi quil ne semblast que celi, qui seroit ordene & implique es besoignes seculieres ne se voulsist preferer es choses diuines.* La Glose sur le mot *discreuit*, dit que *nostre Seigneur fist par soy lun & lautre office, à demonstrer que tous ces deux procederent dune mesme fontaine.* Mais len puet dire & miex, que nostre Seigneur Ihesu Crist tant comme il fu en terre, ne excerca oncques iuridiccion temporele. Car ce que len dit, quil chassa du temple ceulz, qui y vendoient & achetoient, ce fu plus office dEuesque, au quel appartient à nettoyer le temple, & en mettre hors toutes ordures & toutes marchandises & negociacions terriennes. Et ce appert asses par ses paroles, quant il dit: *Ostez*, dit il, *ces choses decy, & ne faites pas la maison de mon pere maison de negociacion. Il est escrit, que ma maison sera appelee maison doroyson, & vous en aues fait vne taisniere à larrons.* Item la Glose sur le mot *efferri*, dit, que *se aucuns auoyent tous offices, il sen orgueilliroient par tele maniere, que derrechief il trebucheroient en enfer.* Qui plus est, la Glose encores sur le mot *vsurpant*; *Cest*, dit elle, *argument, que commes ces puissances soient deuisees, lEmpereur ne tient pas le glaiue du Pape.* Et par ces choses appert euidenment, & la distinction des dignetes, & la raison de la destinction dycelles.

LE TIERS ARTICLE.

Tiercement est à declairer, que nostre Sauveur Ihesu Crist en linstitution de la puissance esperituele ne commist, ou qui plus est ne permist quelconque seignourie de choses temporeles & terriennes. Car *Matthei sexto*, quant Ihesu Crist institua son Vicaire, cest assauoir Monseigneur saint Pierre & ses successeurs, il dist: *Tu es*, dit il, *Pierre, & sur ceste pierre ie edifieray mon esglise, & les portes denffer nauront puissance contre elle. & te donrray les clefs du royaume des cieix*; non pas dEmpire ou Royaume terrien, mais *les clefs du royaume des cielx*, lequel est trop plus excellent sans comparaison. Ne il ne dit mie: *Et la seignourie des choses terriennes.* Reuerche tous les liures ou volumes de la sainte escripture, tu ne trouuerras quelque part, que oncques les Appostres se feissent pour iugier des choses temporeles, ne quil requeissent aus Roys ne aus Princes, que il fussent leurs subgects en temporalite, ou que il leur deussent respondre de ces choses. Apres si comme len disoit en arguant, *Le disciple nest pas dessus le maistre, ne le sergent nest pas plus grant que est son seigneur*, ne le vicaire na pas plus grant puissance que celi de quil est vicaire ou lieutenant. Comme doncques nostre sauueur Ihesu Christ ne voult point vser de celle puissance, mais la refusa, quant len la li offri, il demonstra par son exemple, & enseigna par euidence de fait, que son Vicaire deuoit fouyr & recuser tele puissance, ne ne deuoit vendiquer à soy ou conuoitier tele mageste dEmpire ou dignete Royal. Vescy que nostre Seigneur Ihesu Crist, Roy de Roys & Seigneur de seignourissans, fouy deuant la seignourie Royal & la hautesse de lorgueil, comment doncques ne par quele raison ou auctorite se vendiquera son Vicaire la hautesse ou le nom de dignete Royal? Item le successeur de saint Pierre na point plus de puissance, que ot saint Pierre, qui fu le premier Vicaire de Ihesu Crist. Or est il ainsi, que tant à saint Pierre, comme à tous les autres Appostres nostre Seigneur intredit seignourie, puissance & iuridiccion en choses temporeles, en leur commandant pure povrete, en disant: *Ne veuilles possider or, ne argent*, & cetera. Pour laquele chose ceulz, qui vouloient garder le commandement de leur Seigneur sans enfraindre, & tenir les enseignemens de leur maistre sans fiction, se glorifioient de ce quil gardoient povrete ou dernier degre, autant comme ceulz qui sont conuoiteux, se glorifioient de labondance des choses terriennes. Et pour ce monseigneur saint Pol disoit ioyeusement teles paroles: *Ie nay*, disoit il, *or ne argent.* Nostre Seigneur Ihesu Crist commanda à ses disciples, que il se esloingnassent & trais-

Digitized by Google

& traissent arriere de toute possession terrienne & seigneurie temporele, voulant que il fussent esperituelz, & que tant comme la fragilite de humaine nature le pouoit souffrir, il feussent esloingnez des choses terriennes, & quil vacassent aus choses celestiennes & esperitueles, & quil entendissent au salut des ames, aux quelz il commettoit la cure & sollicitude de toutes les esglises. Car il sauoit, que les choses temporeles perturbent le courage, distraient ou alienent lentendement, sy comme il est dit expressement ou chapitre dessus allegue *Cum ad verum*, & c. 6. *distinctione.* Mais il est à entendre, comme nostre Sauueur Ihesu Crist eust treble puissance, cest assauoir des choses corporeles, des ames, & des facultes temporeles. Il ouvra de la premiere puissance, mais il ne la commist pas à son Vicaire. De la seconde il vsa, & la commist à son Vicaire. De la tierce il ne vsa, ne il ne la voult commettre à son Vicaire. De la premiere il vsa en curant & garissant les maladies des creatures, en ressucitant les mors, & en faisant maintes manieres de miracles en toutes choses corporeles. De la seconde il vsa, & la commist à son Vicaire, cest assauoir la puissance esperituele, en tant comme il en est necessite & expedient au salut des ames des creatures humaines. De la tierce ne il ne vsa, si comme il appert par les exemples dessus allegues; ne il ne la commist, si comme dessus est dit; mais, qui plus est, la deffendi à monseigneur saint Pierre, & à tous les autres Appostres. Considere ce que monseigneur saint Bernard en escripsant au Pape Eugenius dit: *Ad ce*, dit il, *que nous sentons vrayement de nous, nous deuons sauoir, que ministere & seruice nous est impose, non pas que seignourie nous soit donnee. Se tu es sages*, dit il, *soies content de la mesure, laquele Dieu ta mesure. Car ce qui est trop, chiet en mal, iuxta illud: Quod amplius est, à malo est. Apren*, dit il, *selonc lexample du Prophete, à estre deuant les autres, non pas tant à commander, comme à faire. Apren, que tu as mestier dauoir vn sarclet, non pas ceptre Royal, à fin que tu faces leuvre du Prophete, cest assauoir que tu arraschés & destruises, & perdes & dissipes, & edifies & plantes.* Encores dit il: *Ne sont pas*, dit il, *dictes ces paroles, cest assauoir que Iheremie monta non pas pour regner, mais pour extriper? Et toy*, dit il, en parlant à vn chascun Prelat, *ne cuides tu pas*, dit il, *que tu treuves aucune chose ou champ de Dieu ton Seigneur, qui soit à labourer & à deffricher? Pour certain si à agrant plante.* Et apres il dit ainsi: *Que te laissa*, dit il, *le saint Appostre?* cest à dire monseigneur saint Pierre. *Ie te donne, dist il, ce que iay. mais quele chose est ce ou fu? Ie nay, dit il, or ne argent. Mais il est certain, quil ne pot donner, & quil nauoit pas*, suppose, que tu le veuilles dire tien par quelconcques autre raison. *Mais par droit d'Appostre ou Appostolique il donna ce quil auoit, cest assauoir diligence, cure & entente sur toutes les esglises. Fu ce seignourie? Certes nennil. Oy quil dit. Il dit ainsi: Non pas, dist il, en seignourissant ou clergie, mais en fourme de tropel assamble. Et ad ce, que tu ne cuides, que ces paroles ne soient pas dictes en fourme de verite, mais seulement de humilite, la parole nostre Seigneur est tele en leuvangille. Les Roys, dist il, des gens, & ceulz, qui ont seignouries & puissances sur eulz, si sont appelles Beneurés, mais vous* (dist il à ses Appostres & à ses disciples) *ne seres pas ainsi. Il est chose clere, que seigneurie fu deffendue aus Appostres. & per consequent, comment osez tu vsurper à toy ou le nom d'Appostre en seignourissant, ou toy estant Appostre auoir seignourie & dominacion? pour certain lun & lautre te est deffendu. Et se tu veulz auoir lun & lautre ensemble, tu perdras lun & lautre: ou autrement ne te tien pas a estre exempt du nombre de ceulz, des quiex nostre Seigneur se complaint, en disant: Il ont regne, & non pas de par moy: il ont este Princes, & ie ne les ay congneus.* Ainsi est declaire, que au Pape, qui est successeur de monseigneur saint Pierre, nest donnee ne ottroyee de Dieu la seignourie des choses terriennes, ne iuridiccion temporele. Quele dignite doncques ou puissance est donnee au Pape? Quele auctorite à monseigneur saint Pierre Vicaire de nostre Seigneur Ihesu Crist? Pour certain elle li est donnee plus noble, plus haulte, & plus prouffitable, de tant comme il à dire de Occident à Orient, du corps à lame, des choses corporeles aux esperitueles, des terriennes aux celestiennes. Car pour certain tele difference à il entre lauctorite du Pape & hautesse Imperial ou Royal dignite. Oy nostre Sauueur Ihesu Crist, comment il instruit son Vicaire en leuvangille en essaussant les haultes choses & de plus grant auctorite, cest à dire, les esperitueles: *Tu y es*, dit il, *Pierre, & sur ceste pierre ie edifieray mon esglise, & les portes denfer nauront nulle force contre elle. Et si te donneray les clefs du Royaume des cielz.* Vesci que la plus grant chose, & la plus haulte que len peust penser en ceste vie, est ottroyee diuinement au Pape. Quele chose doncques quiert il plus? Ne semble il pas, que auoir son œil à ces choses basses & corruptibles deroguent à sa haultesse? Par les choses doncques dessus dictes appert, que lauctorite Pontifical ou du Pape, & la Royal dignite sont deux puissances distinctees, & diuinement ordenees & instituees. Apres il appert que elles sont diuisees & distinctees & separees, par tele maniere, que il ne loist point à lun de vsurper la iuridiccion de lautre. Et cest ce qui est traite ou second article. Que la iuridiccion ou seigneurie des choses temporeles ne soit pas ottroyee au Pape, & par ce ne se doit entremettre de la iuridiccion temporele, se ce nest casuelement. Car en choses temporeles il na pas puissance ordenaire, si comme il se treuue expressement *Extra, Qui filii sunt legitimi, capitulo Per venerabilem*, ou quel le Pape dit ainsi: *Non pas seulement*, dit il, *au patremoingne de leglise, sur le quel nous auons plaine puissance en temporalite, nous exercons iuridiccion temporele, mais aussi en autres regions excercons nous iuridiccion temporele casuelement certaines causes considerees, non pas que nous veuillons faire preiudice au droit dautruy, mais pour ce que si comme il est contenu ou liure, qui est nomme Deuteronomius: Se tu regardes, que le iugement, que tu as à faire, te semble fort à faire ou doubteux, entre sanc & sanc, cause & cause, meselerie & meselerie, & tu vois le iuge varier entre les sages, tu yras aus Prestres de la lignee de Levy, & au Iuge qui sera en ce temps, les quelz te monstreront la verite du iugement.*

Digitized by Google

Ou la Glose dit, que *le Pape iuge des choses temporeles, quant il en est requis, cestassauoir quant le iugement est doubteux ou variable entre les iuges seculiers, ou par deffaute de iuge seculier.* Et ainsi est declaire le tiers article.

LE QVATRIESME ARTICLE.

QVartement est à declairer, en queles choses & comment la puissance temporele soit subgette à la puissance esperituele, & en queles choses elle ne lest point. Pour la declairacion de la quele chose il est à notter, que il sont aucunes causes, qui sont pures esperituéles; aucunes qui sont meres temporeles; aucunes qui sont mixtes, cest à dire en partie temporeles, & en partie esperitueles. Les causes pures esperituéles sont, sy comme les causes de mariage, sy comme il appert *Extra de officio delegati*, ou chapitre *Causam matrimonii.* item les causes des disìnes ou disiesmes, *Extra de decimis, per totum.* item les causes de Symonie, sy comme il appert, *Extra de Symonia, per totum.* item les causes de heresie, sy comme il appert ou chapitre *Ad abolendam*, & ou chapitre *Pergentis*, & ou chapitre *Excommunicamus.* item les causes de diuorcion ou de separacion, si comme il appert *Extra de procuratoribus*, ou chapitre *Tua.* Et toutes les autres causes meres esperitueles, des queles parle Innocent *Extra de iudiciis*, sur le chapitre *Nouit*, sur le mot *iuramenti*, ou il dit ainsi: *Nota*, dit il, *que crisme de paix enfrainte, & de pariure, appartient direttement au iugement de lesglise, sy comme cy. Autel est il*, dit il, *ou crisme de Symonie, de sacrilege, de vsures, de heresies, de separacions de mariages quant au lit pour raison de adultere.* Les causes meres temporeles sont, les causes feodaulx, les causes de cens, & autres semblables. Ces causes commist Dieu principalement & sans moyen aux Roys & aux Empereurs, des queles ne le Pape, ne les autres Prelas ne se deuoient point entremettre en lesglise primitiue, iasoit ce que maintenant de coustume len ait recours à lun iuge & à lautre indifferéument daucunes causes temporeles & personnelles: mais des causes feodaulx en propres fiefs len na recours, fors aux Empereurs, aux Roys & aux autres Princes terriens. Dont le Pape en celle decretale *Solita*, dit ainsi: *Nous ne nyons pas*, dit il, *que l'Empereur ne voit deuant en temporalite.* Et *Extra de iudiciis*, ou chapitre *Nouit*, le Pape dit ainsi: *Ne cuide aucun, que nous entendions à perturber ou appetissier la iuridiccion du noble Roy de France.* Et ou titre *Qui filii sunt legitimi*, ou chapitre *Causam* le second, le Pape dit ainsi: *Au Roy*, dit il, *& non pas au Pape appertient à iuger de teles possessions.* Item *Extra de foro competenti*, ou chapitre *Vero*, sur le mot *de feudis*, Innocent dit: *Chascun seigneur*, dit il, *tant soit vilain ou rural, ha iuridiccion sur les choses feodaux.* Les causes mixtes sont les causes temporeles, qui ont aucune conionccion ou connexion auecques les choses esperitueles, sy comme la cause feodal, laquele iasoit ce que elle soit de soy temporele, puet auoir connexion à lesperitualite pour raison du serment ou du pechie commis, si comme il appert du debat, qui fu entre le Roy de France & le Roy d Engleterre pour raison de la Conte de Potiers, ou le Pape sentremist de congnoistre de la cause feodal par voye indirecte pour raison du serement enfraint & du pechie commis, le quel nen pouoit congnoistre par voye directe, sy comme il appert *Extra de iudiciis*, ou chapitre *Nouit.* Hostiensse sur le mot *de feudo*, dit ainsi: *Nous nentendons, dit il, pas congnoistre du fief, mais tant seulement lenduire en penitance pour raison de pechie. Car il nen pouoit faire penitance sans satisfaccion.* Derrechief la cause de douaire par soy est temporele, & appartient au iuge temporel, se len traitte du douaire seulement: mais quant le iuge de lesglise congnoist principalement du mariage, se la cause du douaire y chet par maniere de incident, le iuge en puet congnoistre par maniere daccessour, aussi comme de la cause principal, à la quele elle est anexe, si comme il appert *Extra de donationibus inter virum & vxorem*, ou chapitre *De prudentia*, ou il est dit en la Glose, que *se il ny à point de mariage, il ny à point de douaire: & par consequent le douaire vient au mariage par maniere daccessour. Et pour ce celi, qui congnoist du principal, doit congnoistre de laccessoire, si comme cy, & Extra de officio delegati, ou chapitre Pratema, & ou chapitre Prudentiam. Et per semblable maniere congnoist le iuge de lesglise de leritage pour raison de lincident, Extra Qui filii sunt legittimi, ou chapitre Per tuas, & ou chapitre Ex tenore.* Il ya aussi plusieurs autres cas especiaulx, es quiex le iuge congnoist des choses temporeles, les quiex Hostiensse raconte en la Glose *Extra de iudiciis*, sur le chapitre *Nouit.* Et ainsi doncques il est vray regulierement, que le Pape seulement & les autres iusticiers de lesglise ont à congnoistre, & doiuent congnoistre des causes, qui sont meres esperitueles: mais des causes, qui sont pures temporeles, les Empereurs, les Roys, & les autres iuges seculiers en doiuent auoir la congnoissance. Et ainsi le Roy de France selonc les drois nest point subgect au Pappe, ne nest tenu de respondre deuant li, ne tenu à li, ne son subgect, pour raison des fiefs de son Royaume: toutes voies pourroit il estre son subgect par incident & casuelement, pour raison de la connexion daucune cause esperituele, sy comme il se treuue par le chapitre *Nouit*, *Extra de iudiciis*, & par le chapitre *Venerabilem*, *Qui filii sunt legittimi*, dont il à este parle cy dessus. Et ainsi est declaire le quatriesme article.

LE

Digitized by Google

LE CINCQVIESME ARTICLE.

QVintement, il est à declairer, de qui le Roy de France tient son Royaume, cest assauoir, sil le tient domme ou de Dieu. Et se il le tient de Dieu, cest assauoir, se il le doit recongnoistre à tenir de son Vicaire? A quoy nous respondons briefment, que il tient & possidе son Royaume de Dieu tant seulement sans aucun moyen, en tele maniere, que il ne le tient de quelque homme, ne quil ne le tient du Vicaire de Ihesu Christ, ne en tant comme homme, ne en tant comme son Vicaire. Pour prouuer ceste proposition ou conclusion, prenons le tesmoingnage de ce meismes Pape Innocent le Tiers, ou chapitre *Per venerabilem, Extra Qui filii sunt legittimi*, en parlant du Roy de France, & dit ainsi: *Le Roy*, dit il, *ne recongnoist point de souuerain en temporalite ou es choses temporeles.* Et se tu dis, quil ne le recongnoisse point de fait, toutes voies le deuroit il recongnoistre de droit: nous te respondons par interempcion, & le te nyons, & disons, que il ne le doit point faire. Car oncques nulz Francoys ne furent subgects ne à lEmpereur ne à autre, sy comme il se prouue par les anciennes hystoires; cest assauoir que apres la destruccion de Troyes, douze mille Troyens vindrent es parties de Pannonie, que nous appellons Hongrie, la ou il edifierent vne cite appellee Sicambre, en la quele il demourerent iusques au temps de Valentinien lEmpereur tous iours rebelles à lEmpire de Romme. Et quant il en furent boutes hors par le dit Empereur, pour ce quil ne vouloient paier le trehu aus Rommains, si comme faisoient les nacions autres, il habiterent es finages de Germainne & d'Alemaingne. Les quiex comme ce Valentinien se fust efforcie de les mettre en subgeccion par plusieurs batailles, & ne les peust subiuguer par quelque maniere, il les appella *Frans* Et de la sen vindrent habiter es parties de Galle: & pour ceste cause lappellerent France. Il ne vouldrent estre subgects aus Rommains, ne à autres quelconques. Et suppose, que en aucuns temps il eussent este subgects à lEmpereur ou au Pape, toutes voies ont il de puis tenu le Royaume paisiblemet, & lont prescript de tel temps, quil nen sont tenus den respondre à aucun. Car meismes contre lesglise de Romme cuert prescription de cent ans, sy comme il se treuve *Extra de praescriptionibus*, ou chapitre *Ad audientiam* en la fin, ou quel il est ainsi dit: *Contre la quele*, cest assauoir lesglise de Romme, *prescription ne cuert point, se elle nest de cent ans.* Apres nous declairons le titre de la iuste & franche possession, par lequel le Roy de France tient sont Royaume de present, & ses predecesseurs ont tenu iusques icy, & encore le tendront ses successeurs perpetuelement à laide de Dieu le tout puissant, sans recongnoissance daucun souuerain, par raisons inconuincibles. Premierement, la sainte onccion preuve ce iuste tittre, la quele onccion fu enuoye du ciel & diuinement, par laquele les Roys sont tousiours enoins en temps conuenables. Nest pas clairement approuve le Royaume de Dieu, du quel les Roys sont consacres de don diuin? Secondement, ce meismes preuvent les appers miracles, les quiex sont magnifestement nottoires à tout le monde, & nottoirement magnifestes. Dont nostre seigneur le Roy en respondant de son iuste titre puet dire celle parole de leuvangille, laquele nostre Seigneur Ihesu Crist respondi contre les fraudes des Iuifs, en disant ainsi: *Se vous ne me voules croire, crees en mes euvres.* Car tout aussi comme par droit deredite le filz succede au pere en adopcion de Royaume, pareillement aussi comme par vne maniere de droit deredite succede lun Roy à lautre en semblable puissance de faire ces meismes miracles, les quiex Dieu fait par eulz aussi comme par ses menistres. Tiercement, ce meismes preuve en nos Roys la bonte de la vie, la grandeur de la renommee, la ferueur ou ardeur de deuocion, la purete de la foy Crestienne, qui tousiours à este au Royaume de France es Roys par dessus tous les Roys & Royaumes de ce monde. Nous disons doncques, que nostre seigneur le Roy de France tient & possidе son Royaume par ce meismes titre, & par ce meismes droit, que le tint monseigneur saint Louys, le quel en nos temps le Siege de Romme canoniza & mist ou cathologue des Sains, par la sainte vie quil mena, & par les miracles quil fist, des quiex la Court de Romme fu enfourmee. Responde doncques à la question proposee pour nous, monseigneur saint Louys, sa tres sainte vie, & ses tres appers miracles.

CY FINENT LES ARTICLES DE CESTE QVESTION.

CY APRES SENSVYVENT LES ARGVMENS *pour le Pappe, au contraire de ce que nous auons dit cy dessus: & les solucions de ces meismes Argumens.*

COntre ce, que nous auons dit cy dessus, len argue en maintes manieres, tant par raisons & argumens, comme par les drois Canons & Ciuilz, en prouvant que le Roy de France, & tous les Roys vniuersaument soyent & doient estre subgects du Pape quant à la temporalite, ou aus choses temporeles.

LA PREMIERE RAISON.

PRemierement len argue ainsi, selonc monseigneur saint Denys; *Lesglise militant est examplee & figuree à la semblance de lesglise triumphant, selonc la parole, qui est dicte en Exxode, ou il est dit; Regarde & fay*

Digitized by Google

Selonc lexamplaire, qui ta esté monstré en la montaigne. Or est il ainsi, que en lesglise triumphant il ny à que vn seul & souverain Ierarche, au quel tous, tant les Angres comme les hommes obbeissent & entendent en toutes choses. Et par consequent en leglise militant à vn seul & souverain Ierarche, au quel tous tant clers comme lais, tant Roys comme autres, sont tenus dobeir en toutes choses esperitueles & temporeles. Or nen il ay nul tel fors le Pape. Quare, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet respondre à cest argument en ceste maniere, & dire, que ce nest pas chose semblable du Ierarche celestien & terrien. Car ce Ierarche celestien pour sa souveraine perfection se souffit par soy meismes à gouverner toute celle monarche celestienne : mais le Ierarche terrien pour son imperfection ne souffist pas par soy à gouverner ensemble les choses esperitueles & terriennes. Pour la quele chose l Apostre dit en tele maniere : *Nul*, dit il, *qui milite ou serue à Dieu, ne se doit impliquer ou enbesogner des besoingnes seculieres.* Et monseigneur saint Ambroise dit, que *ceulz, qui se occupent es choses terriennes, ne puent sauoir les choses celestiennes; pour ce*, dist il, *que les choses terriennes reculent le curage, & perturbent de la contemplation des choses celestiennes.* Et ce preuve monseigneur saint Bernard asses largement & longuement en son traittie, quil fist au Pape Eugenius, en son liure le quel sapelle *De consideratione.* Comme doncques il appartienne au Pape, & soit chose expedient dentendre premierement & souverainement aux choses esperitueles & diuines, son courage & sa pensee ne doit point encliner au gouvernement des choses temporeles. Dont il aduint, que iasoit ce que Moyses, qui bailla la Loy ancienne, fust tres eslesve en contemplacion, & acoustume dauoir diuins responsons, & ouyr les paroles diuines : Car nostre Seigneur parloit à li face à face, en tele maniere, comme vn homme à acoustume de parler à son ami, sy comme il appert *Numerorum duodecimo* : toutesvoies ne fu il pas souffisant dentendere aus besoignes terriennes & temporeles, sy comme Ietro son serouge li dist, en li disant teles paroles : *Tu te consumes*, dist il, *& gastes par fol labour; est ceste besoingne, que tu emprens, est par dessus tes forces, & par dessus ta puissance. Soiez*, dist il, *au peuple es choses qui appartiennent à Dieu*, & cetera. Pour laquele chose Moyses ordena Princes, qui qui iugeroient des choses temporeles du peuple. Apres en celle Ierarchie celestienne à souverainne paix concorde & vnifomite de volentes: mais cy sont dissencions, plais, descordes & fraudes sanz nombre & pource ce nest pas chose semblable de celle la, & de ceste cy.

LA SECONDE RAISON.

ITem selonc ce meismes monseigneur saint Denys: *Toute multitude est ramenee à vnite, aussi comme elle procede de vnite.* Or est il ainsi, que toute la multitude des Prelas & des Princes est ramenee à vn souverain, le quel est sur tous Princes & Prelas. Et il nen ya nulz autre que le Pape. Ergo, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet respondre à cest argument, & dire, que tout aussi comme les choses temporeles sont pour le corps, & le corps pour lame, par teles manieres, que toutes ces basses choses se doivent ordener aux biens de lame, ou autrement lomme ne vseroit pas droitement des choses temporeles mais qui plus est en abuseroit : tout aussi la puissance temporele est en aucune maniere ordenee à lesperituele, cest assauoir en esperituaute. & par ceste manire la multitude est ramenee à vnite.

LA TIERCE RAISON.

DErrechief, tout aussi comme il est vn seul createur de toutes choses temporeles & esperitueles, par le quel toutes choses viennent à estre, & aussi vne fin, à laquele toutes choses sont ordenees aussi comme à terme final, si comme l Apostre le tesmoingne Apocalipsis primo, qui dit: *Ego sum alpha & Ω, principium & finis* : tout aussi ya il vn, qui est gouuerneur & recteur tant des choses tempores le comme des esperitueles. Mais il ya difference en ce, que Dieu ne puet auoir Vicarie en creacion, pour ce que nulle creature ne puet estre la derreniere fin à complissant toutes choses. Mais en la gubernaciõ ou gouuernement du mõde la creature puet aider, sy cõme dit l Appostre, qui dit, *Nous sommes aide de Dieu.* Et pour ce ou gouuernement du monde Dieu puet auoir Vicarie, & par consequent vn seul dessous Dieu est son Vicarie, le quel à le gouuernemẽt de tout luniuersel, & quãt aus choses temporeles & quant aus esperitueles.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn respont ainsi à cest argument. Quant len argue, que il est vn createur, len respont, que ce nest pas semblable. Car creacion est de produire de non estre à estre, ou il à distance infinie. & pource en creacion est requise puissance infinie, la quele ne puet estre fors vn seul principe ou commencement tressimple & trespuissant. Mais ou gouuernement de ces choses basses nest pas requise puissance infinie, pour ce que toutes choses y sont finies & determinees. toutes voies pource, que les choses esperitueles & temporeles sont moult diuerses entre eulx, pour ceste cause ont il mestier de

Digitized by Google

de diuers gouverneurs, cest assauoir esperituel & temporel ou terrien. Ou len puet encores ainsi dire, que ne la creacion, ne la derreniere perfection, la quele est par beatitude, ne sont point communicables aus creatures, pource que lun requiert puissance infinie, & lautre bonte infinie. Or est ainsi, que la gubernacion fu communicable: & pource que Dieu soit gouverner de tout vniuersel ou de toute vniuersite, toutesvoies voult il que ce monde feust gouverne par les sains Angres & par les hommes.

LA QVATRIESME RAISON.

APres, en vn corps naturel à vn chief tant seulement, ou quel tous les sens ont vigueur ou vertu, & lequel chief gouverne tous les membres: & par consequent en vn corps mistique, lequel est lesglise, sera tant seulement vn chief, ou autrement ce seroit chose monstruese, que lesglise est deux chiefs, aussi comme ce seroit chose monstruese en vn corps naturel.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet respondre à cest argument. & dire, que il ya vn seul chief de toute esglise, aussi comme il est vne coulombe, cest assauoir lesglise: mais nous disons que ce chief est Ihesu Crist, lequel seul est proprement le chief de leglise, & du quel lune & lautre puissance est diriuee, sy comme dit lApostre *ad Ephesios secundo*, ou il dit: *Omnia subiecit sub pedibus eius*, cest à dire, *quil mist toutes choses soubz ses pies*: & ce chief, qui est sur toute lesglise, lequel est son corps, il donna. Et neantmoins puet len dire, que le Pape est chief de lesglise & tant comme il est principal entre les menistres de lesglise, du quel depent toute lordenance esperituele, comme à principal Vicarie de Ihesu Crist; aussi comme len dit, que lesglise de Romme est chief des eglises: mais il nest pas chief quant au gouvernement des choses temporeles, mais vn chacun Roy est chief de son Royaume, & Empereur de son Empire.

LA CINQVIESME RAISON.

DErrechief, en toutes manieres ou especes de choses, qui sont ordenees ensemble, à vne chose petite, à quoy toutes choses sont ramenees: & par consequent en lesglise, la quele doit estre ordenee sur toutes choses, est de necessite dauoir vn, au quel par & lequel tous les autres sont ordenes: mais il nya nul, qui le puist estre fors le Pape. Quare, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn respont à cest argument par ceste maniere, que cel vn, au quel toute luniuersite des Crestiens est ramenee par reduccion derreniere, consonmatiue & finale, cest Dieu seulement, lequel seul puet terminer tout appetit, & accomplir tout desir: toutesvoies est le Pape dessoubz Dieu ce trespetit vn seul & indiuisible, à quoy tous le Crestiens regardent & entendent, quant aux choses qui sont necessaires & expediens à leur salut, cest assauoir aux choses esperitueles, aussi comme est le Roy en son Royaume quant aus choses temporeles.

LA SIXIESME RAISON.

DErrechief, des le commencement du monde len ne list pas que lumain lignage eust que vn souverain gouverneur, qui estoit deuant tous, sy comme il appert en diuers estas: & per consequent à present doit estre vn souverain gouverneur sur tous. Ceste proposition se preuve en plusieurs manieres. Premierement en estat dinnocence. Il est certain, que Adam fu prepose deuant tous: & encore fust, sil feust tousiours demoure en innocence. Apres le pechie, en lestat de la loy de nature, Noe en son temps fu sur tous les autres. Et apres Abraham, Isaac, & Iacob ot seignouire sur le peuple de Dieu, & furent Prestres, & offroyent à nostre Seigneur les hosties & sacrifices. Semblablement Melchysedech Roy de Salem fu Prestre de Dieu le souverain. Dont len dit & nostre seigneur Ihesu Crist fu *Prestre selonc lordre de Melchysedech*, au quel aussi Abraham le Patriarche offry les dismes, sy comme il est dit *Genesis quarto decimo*, en signe quil estoit son subgect quant à la temporalite. Semblablement en la loy de Moyse se treuve, que Moyses ot lune & lautre puissance, & vsa de lun & de lautre glaiue. Et par plus forte raison en lestat de la loy de leuangille en doit auoir vn, qui doit auoir lune & lautre puissance.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

CEst argument à plusieurs parties, & pour ce à sa declaracion fault il donner à chascune dycelles especiaux responses. Et pour ce quant il parle premierement dAdam, & de lestat dinnocence, & cetera; len puet dire, que toutes choses eussent este communes en cest estat, ne aucun neust dit aucune chose estre sene, & aussi eust este la paix & concorde, ne il ny eust eu fraude, freeur, ne rapine, iniuries, ne iniquites: Et par ce comme tous les hommes eussent este esperiteulz, il ny eust eu nulle iuridiccion temporelle. Mais il ne fu pas ainsi apres le pechie, ne nest aussi à present, comme mout diniustices soient faites, & abondent fraudes & iniquites: & pource nest ce pas semblable. Toutesvoies est il bien en la prelacion esperituele, sy comme il est es sains Angres, & eust eu la diuers degres

Digitized by Google

donneur, selonc les degrés & ordres des dignites. Car de tant comme aucun precedast les autres en bonte & en sapience, de tant eust il este plus honnoure. Et quant est de ce, qui est dit en largement de Noe, len respont, que Dieu auant le deluge gouverna toutes choses par soy meismes, & donna à lomme, quil auoit fourme, certains commandemens, & si imposa painne à celi, qui les trespasseroit, sy comme nous lisons *Genesis secundo & tertio*. Et apres il pugny par soy meismes ceulz, qui delinquerent iusques au temps de Noe, sy comme il appert de Caym & de Lamech. Mais depuis le temps de Noe il commenca à gouverner ses creatures par menistres, des quiex Noe fu le premier. Et ce appert par ce, que nostre Seigneur li commist le gouvernement de larche, par laquele lesglise estoit figuree, sy comme dit monseigneur saint Pierre. Dieu aussi bailla loy à Noe & à ses filz, & leur commist certaine rectorie. Et en celle Rectorie succederent Patriarches, Ducs, & Iuges, Roys & Prestres, & autres, qui pour le temps furent gouverneurs du temple des Iuyfs. Toutesvoies à proprement parler, iusques à Moyse ne fu point de vraye Prestrise. Car len list, que Aaron fu institue le premier Prestre souverain par le commandement diuin, & les autres Prestres plus bas sont institues par ordenance diuine en la loy de Moyse. Mais Noe, Abraham, Isaac & Iacob ne furent pas Prestres, iasoit ce que Abraham par le commandement de Dieu leuast plusieurs autieux; & que len lise, que la il eust offert à nostre Seigneur plusieurs hosties. Et Abel, Gedeon, Iepte, Dauid, & plusieurs autres offrirent plusieurs hosties, & firent plusieurs sacrefices, des quiex il est certain que il ne furet point Prestres. De Moyse nest il nulle doubte, que il fist par plusieurs foys sacrefices & immola, & sacrefia plusieurs bestes, & toutesvoies ne fu il pas Prestre. Et ny fait riens ce, qui est dit ou Psautier, ou il est dit: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*, & cetera, cest à dire, que *Moyses & Aaron sont entre ses Prestres*. Car la Glose dit: *Moyses est nomme entre les Prestres de Dieu, non pas quil fust Prestre, mais pource que il offry ses veus, & supplia pour le pueple*. Et par ce suppose que len die que Noe, Abraham, Isaac & Iacob fussent Princes sur le pueple de Dieu, toutesvoies ne furent il pas Prestres, si comme dit est; se len ne dit trop largement estre Prestre quiconcques offre à nostre Seigneur sacrefice de loange, & les esperis troubles en lautel de leur cuer, ce que font tous les iustes. En ceste maniere le dit monseigneur saint Pierre à tous bons Crestiens: *Vous estes*, dit il, *gens esleus, & si estes Prestrise royal*. Car tous les bons Crestiens, & les loyaulx de Ihesu Crist en tant comme il sont vn auecques le chief Ihesu Crist, lequel est Roy & Prestre, sont roys & prestres en li. Et ce que len dit de Melchysedech, cest assauoir que il fu & Roy & Prestre, iay dit que cest vray, si comme la sainte escripture le tesmoingne, mais toutesvoies ne fu il pas monarche, ne not pas la monarche ou seignourie de tout le monde, mais fu seulement Roy de Salem: mais Dieu lenuoya deuant à prefigurer Ihesu Crist, non pas seulement quant à lune & lautre dignete, cest assauoir Sacerdotal & Royal, mais aussi lenuoya il quant à plusieurs autres choses, sy comme l'Appostre le demonstre *ad Hebreos septimo*, cest assauoir, que il est interprete *roy de iuste & roy de paix*. Il est aussi descript *sans pere, sans mere, sans genealogie, sans auoir commencement ne fin*, en prefigurant Ihesu Crist, qui est roy des roys, & par le quel les Roys regnent, au quel il est dit ou Psaultier: Tu es Sacerdos *in aeternum* secundum ordinem Melchysedech, cest à dire, *tu yes prestre pardurable ou à tousiours selonc lordre de Melchysedech*. Et à ce Melchysedech donna Abraham les dismes, non pas quil y fust tenus de necessite de cens ou de droit censel, mais par donacion de propre volente, comme len treuve, que il fust en riens sont subgect; ou par auenture comme celi, qui estoit enlumine de Dieu, aouroit Ihesu Crist, lequel il entendoit estre prefigure par li. Apres quant len arguoit de Moyse, que il ot & lune & lautre iuridiccion, & vsa de lun glayve & de lautre, len puet respondre, que vrayement il fu Duc & Prince du pueple, mais il ne fu pas Prestre, si comme nous lauons dit. Car auant que il voulsist prendre de Dieu la seignourie du pueple, Aaron fust adiouste auecques li pour le solacier & conforter: lequel Aaron depuis fu institue le souverain Prestre du commandement de Dieu. Et par ce il orent distinctes offices & puissances distinctees lun de lautre, par tele maniere, que lun nvsurpoint point loffice de lautre. Mais pour ce que le pueple des Iuyfs estoit charnel, en vsant de sacrifices charnelz, & que il ne sentoit ou assauouroit que choses charneles ou temporeles, pour ce leur sembloit il que la seignourie temporele estoit greigneur que la prestrise. Et pour ce Aaron obeissoit à Moyse, & le reprenoit Moyses comme son subgect ou dessoubz li. Mais ou pueple Crestien, qui entent la loy esperituelement, & non pas charnelement ne temporelement, la puissance esperituele doit estre iugiee estre plus digne & plus haulte que la temporele.

LA SEPTIESME RAISON.

ITem, Ihesu Crist, qui est chief de lesglise, fu ne de la lignee Sacerdotal & Royal, en vnissant en soy de lune & de lautre dignete: & par consequent sont Vicaire aura lune & lautre dignete, par tele maniere que tous les Roys li seront subgects, si comme li sont tous les Evesques.

LA HVYTIESME RAISON.

ITem, nostre seigneur vsa de lune & de lautre puissance; cest assauoir de la temporale, quant il chassa hors du temple ceulz, qui y vendoient & achetoient, sy comme il appert *Iohannis secundo*: & de lesperituele ou Pontifical il vsa, quant il offri son propre corps, sacrifice à Dieu, sy comme l'Appostre le dit *ad Hebraeos nono*, ou il dit: *Christus assistens Pontifex*, & cetera: & per consequent son Vicaire vsera de lune & de lautre puissance.

Digitized by Google

LA SOLVCION DE LA PREMIERE de ces II. Raisons.

LEn puet respondre par ceste maniere à ces argumens, que Ihesu Crist voult naistre de lune & de lautre lignee, pour ce que de droit de succession & de heritage il estoit & Roy & Prestre, & de li comme de chief estoit à diriver & lune & lautre puissance: mais il nest pas necessite, que les choses, qui sont ou chief, soient vnies es membres, mais qui plus est les choses, qui sont vnies ou chief, sont deuisees es membres. Et les perfections, qui sont ensemble en Dieu, ou qui plus sont ce meismes que est Dieu, distribuees par chascune creature, ont participacion particuliere de eulz, & sont distinguees diuersement en diuerses creatures.

LA SOLVCION DE LA SECOND de ces II. Raisons.

APres, ad ce que len dit, que Ihesu Crist vsa de lune & de lautre puissance, len puet respondre que il le fist à fin que il demonstrast que lune & lautre puissance procedoit dune fontaine, cest assauoir de li: ou len puet dire autrement, que il voult excercer loffice de Prestre, & instituer la dignete de Prestrise: mais il nusa point de la temporele pour mettre hors ces vendeurs & acheteurs du temple. Car ce fu plus loffice de Prestre que de Roy, cest assauoir à purgier & nettoyer le temple de tieux vendeurs & acheteurs, si comme il dit cy dessus. Quant len le queroit pour le faire Roy, en senfuyant il refusa la hautesse de lestat Royal, à fin que il demonstrast par exemple magnifest que son Vicaire & tous ses successeurs le refusassent par semblable maniere. Il ne voult pas doncques quil fussent Roys, ne que il appliquassent à eulz dignete Royal, ne ne la deissent à eulz appartenir. Mais ce nest pas à delaissier, que comme Ihesu Crist en son enfance souffri, que len creust quil fust Roy, & se fist querir comme Roy, sy comme il appert *Mathei secundo*, ou il est dit: *Vbi est qui natus est Rex Iudeorum?* cest à dire, *Ou est celi qui est ne Roy des Iuifs?* & se souffri aourer des Roys, & pres de sa passion voult quil fust clame Roy, & estre honnoure du pueple vrayement comme Roy. Et apres li pendent en la croix estre intitule comme Roy de tiltre de Royal dignete, quant Pilate escripst ces mos en vn tabliau, & lattacha sur la croix, ou quel estoient escriptes ces paroles en Hebreu, en Grec & en Latin, *Ihesus Nazarenus Rex Iudeorum*, en voulant que len creust quil fust Roy en verite, ia soit quil ne vousist vser de la dignete Royal, mais leust refusee quant len la li offri. Dont en sa passion quant Pilate li demanda par especial, se il estoit Roy? il ne nya pas, que il ne le fust: mais toutesvoies ad ce que il demonstrast appertement, que aussi en larticle de la mort il ne vouloit pas vser de celle puissance, il respondi en ceste maniere: *Mon royaume*, dit il, *nest pas de ce monde. Car se ce monde estoit mon royaume, mes menistres resisteroient en tout & par tout à ce que ie ne fusse baille aux Iuyfs.*

LA NVEFESME RAISON.

ITem, il semble que nostre Seigneur commeist lune & lautre puissance à monseigneur saint Pierre, quant il li dist; *Tu es Pierre, & sur ceste pierre ie edissieray mon esglise.* Car tout aussi comme en vn edifice materiel il ya vne premiere pierre & fondamẽtele, tout aussi doit il auoir en lesglise vn principal Prince, qui doit estre le fondement de toute lesglise.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet dire, que celle fermete de pierre, sur la quele lesglise doit estre fondee, nest pas seigneurie ou dominacion temporele, mais est linmuable establete de la foy Crestienne, sy comme nostre Seigneur le dit, quant il dist à monseigneur saint Pierre: *Pierre*, dist il, *iay prie pour toy, à fin que ta foy ne deffaille.* Car quant il dist: *Tu es Petrus*, & cetera, il ne fust nulle mencion de la puissance temporele, mais seulement de la puissance esperituele, la quele est à lyer & à absouldre des pechies en ce qui regarde la conscience.

LA DIXIESME RAISON.

APres, ou temps de la passion Ihesu Crist ses disciples li monstrerent deux glayves en disant: *Ecce gladij duo hic:* & il leur respondi, quil souffisoit. Par les quiex deux glayves selonc la doctrine de Sains sont signifiees deux puissances, qui sont en lesglise devers le saint Pere, des que les & de lune & de lautre il puet vser contre quelconcques personnes en cas de eminent necessite, soit contre les Roys ou contre les Empereurs.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

A Cest argumẽt len puet respondre en ceste maniere, cest assavoir que se nous ottroyons, que ces deux glayves signifient deux puissances en lesglise, nous dirons que en verite elles sont deux; mais les Princes terriens en ont lune, & que le Pape ha lautre. Car len ne dit pas, que saint Pierre eust deux glaives, mais vn tant seulement, si comme nostre Sauveur Ihesu Crist le demonstra, en li disant: *Remet*, dist il, *ton glayve en son fourrel*: mais nostre Sauveur le reprinst, non pas quil ne le deust

Digitized by Google

traire en temps convenable, quant il en feroit neccessite, mais pour ce que il le facha non en temps ne par maniere convenable. Car le iuge de leglise ne doit point vser du glaive esperituel, se ce nest par grant deliberacion & en grant neccessite.

LONZIESME RAISON.

DEtrechief, le nombre de deux est infame, pource que il est le commencement de diuision. Or est il ainsi, que diuision est fontaine & commencement de toute discencion. & par consequent se en lesglise auoit deux puissances distinctees ou deuisees en deux personnes, desquelles lune ne despendroit point de lautre, il auroit tres grant confusion en lesglise.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

A Cest argument len puet respondre par ceste maniere, cestassauoir que tout aussi comme le nombre de deux est infame selonc vne maniere daccepcion, pour ce quil est commencement de diuision, aussi est il nombre sacre selonc lautre accepcion pour les deux tables des dix Commandemens: en la premiere des queles sont contenus les commandemens, qui ordennent la creature à amer Dieu; en la seconde sont les commandemens, qui lordennent à amer son prouchain. Ou que cest pour les deux commandemens de charite, si comme monseigneur saint Gregoire le met sur lexposiccion de celle esuangile *Luca decimo*, ou il est dit; *Misit eos binos & binos ante faciem suam*, & cetera: qui dit ainsi; *Il sont*, dit il, *deux commandemens de charite, cest assauoir lamour de Dieu, & celle de son prouchain*. Or est il ainsi, que ces deux puissances estoient deuisees & separees du tout, par tele maniere que lune ne despendist point de lautre, ceste dualite seroit occasion de diuision. Or nest il pas doubte, que entre ces deux puissances ha vne dependence mutuele. Car la temporele ha mestier de lesperituele pour lame, & lesperituele ha besoing de la temporele pour lusaige des choses temporeles. Et ce se treuve expressement ou chapitre *Cum ad verum*, 96, *distinctione*.

LA DOVZIESME RAISON.

ITem, ce meismes se preuve en maintes manieres par les drois canons. Et premierement par le chapitre *Omnes*, *vicesima secunda distinctione*, ou il est dit ainsi: *Celi seul fonda lesglise de Romme, & lesleua sur la pierre de la foy, la quele naissoit incontinent: qui commist ensemble à monseigneur saint Pierre Classelier de la vie perdurable les drois de lempire terrien & celestien: & lequel vse du preuilege de ce li, de lauctorite du quel il est conferme & aidie. Par quoy il ne pas doubte, quiconcques destrait à quelque esglise son droit, il fait iniustice: & mais celi qui sefforce doster à lesglise de Romme le priuilege, qui li à ceste donne de ce souverain chief de toutes les esglises, celi pour certain chiet en heresie. Et comme celi soit appelle iniuste, len doit dire que il est herite*.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet ainsi respondre à cest argument, cest assauoir que ou il est question de la puissance du saint Pere en temporalite ou es choses temporeles, le tesmoingnage de lEmpereur pour le Pape est de grant vertu: mais il nest pas moult efficax ne de grant vertu pour soy meismes, se son dit nest conferme & approuve par raison ou par auctorite de la saincte escripture; & meismement quant lEmpereur dit le contraire, & aussi les autres Papes, si comme il est en ce propos. Quare, & cetera.

AVTRE SOLVCION DE CESTE MAISME RAISON.

TOutesvoies puet len entendre sainnement les paroles de ce decret, cest assauoir que nostre Seigneur commist à monseigneur saint Pierre ensemble les drois de lempire terrien & celestien, en tant comme il li donna puissance de lier & deslier en terre, la sentence du quel lyer ou deslyer est approuvee es cielx. Et exposent les Gloses celle parole, qui li fu dicte en la tradicion des clefs, cest assauoir *tout ce que tu auras lye en terre, sera lye ou ciel*, & cetera.

AVTRE SOLVCION DE CESTE MEISME RAISON.

OV autrement len puet dire, que comme *len doye entendre les paroles selonc la materie subgette*, selonc ce que dit le Phylosophe, & lentencion de Gracien en toute celle distinction soit de demonstrer la hautesse ou preeminence du saint Siege de Romme au regart des Sieges des Patriarches, pour ce que le saint Siege de Romme les institua & leur donna lauctorite que il ont. Par quoy les Sieges des Patriarches tout ce quil ont de puissance & dauctorite, ce vient du saint Siege de Rome.

AVTRE SOLVCION DE CESTE MEISME RAISON.

APres, les Sieges des Patriarches ont leurs puissances & auctorites limitees en aucune partie du monde, mais le siege de Romme la par tout le monde. Car tant comme la puissance temporele de lEmpire sestent en lonc & en le, autant sestent la grandeur de la puissance du saint siege de Romme. Et quiconcques sefforce doster ce singulier preuilege en affermant, que les Patriarches neussent pas leur puissance & auctorite du saint Siege de Romme, ou que le Pape & le saint Siege neust pas puissance esperituele par tout, celi qui ce diroit, seroit à bon droit tenus pour herite.

LA

LA TREZIESME RAISON.

ITem, ou chapitre *Fundamenta*, *Extra de electione*, *libro sexto*, Pape Boniface dit en ceste maniere: *Comme lEmpereur Constantin*, dit il, *ou quart iour apres ce quil fu baptisie avecques tous ses Satrapes, & tout le Senat, les plus grans & tout le pueple en delaissant la cite de Romme, & en loctroiant en la personne de Pape Sevestre pour li & pour ses successeurs, en decernant par estatut ou sanccion pragmatique, que dores en auant celle cite deuoit estre disposee & ordenee par eulx, declaira la monarche de celle cite de lune & de lautre puissance appartenir aux Papes de Romme, comme celi qui ne cuidoit pas que ce fust chose iuste ne conuenable, que ou lempereur du ciel auoit institue la prince de la prestrise & le chief de la religion Crestienne, que en ce lieu lEmpereur terrien eust puissance.*

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet respondre à ceste obieccion & dire ainsi, que le Pape se dit estre seigneur de la temporalite par linstitucion diuine ou de Dieu, que le necessite est il de dire, que il ait la monarche en la cite de Romme de lune puissance & de lautre? Et se tu dis, que Constantin ne institua pas celle monarche, mais que il la declaira tant seulement, & que pour ce cy est mis cautement ce mot *declararet*, cest à dire *desclarast*: ie respons, que la monarche de tout le monde quant à lune puissance & à lautre, ne fu pas ottroyee à saint Pierre, ne à ses successeurs, par institucion diuine, si comme il à este declaire cy dessus; mais il puet la auoir monarche par la donacion de Constantin, en lentendent par ceste maniere, cest assauoir que comme le Pape eust la puissance esperituele, tant en la cite comme ailleurs par tout le monde, & Constantin eust la temporele, il transporta au Pape celle puissance temporele, que il auoit en la cite, ad ce que lune & lautre puissance, qui estoit en deux personnes en celle cite, fust au Pape tant seulement, si comme nous disons, que vn Evesque est seigneur temporel & esperituel en sa cite, & par ce il est monarche en ce lieu, entenant lune & lautre puissance. Et ainsi nous confessons, que le Pape ha la monarche de lune & de lautre puissance en la cite de Romme, & non pas par tout.

LA QVATORZIESME RAISON.

ITem, *nonagesima sexta distinctione*, ou chapitre *Constantinus*, est ainsi dit: *Constantin lEmpereur donna au Pape la couronne & toute la dignete, que il auoit à la cite de Romme, en Italie, & en toutes les parties doccident.* Et ou chapitre ensuyuant, du quel est prins ce qui est dit ou chapitre *Fundamenta*, est dit ainsi: *Nos ordenons en decernant, que Pape Seuestre & ses Successeurs tiengnent la seignourie tant sur les quatre sieges comme sur toutes les esglises de Dieu par tout le monde: & que le Pape de la sainte esglise de Romme soit le plus hault & le plus souverain & Prince sur tous les Prestres du monde.* Et apres en ce meismes lieu il est ainsi dit: *Vesci*, dit Constantin, *que nous donnons & delaissons au tressainct Seuestre Pape de Romme, nostre Palays, nostre cite de Romme, & toutes les prouinces des regions dItalie ou des parties doccident: & decernons, quil en soit ordene & dispose par li & par ses successeurs: & ottroyons quil demeure au droit de lesglise de Romme.* Et apres sensuit: *Pour ce*, dit il, *que ce nest pas chose raisonnable, que ou lieu, ou la seignourie & prince de la Prestrise & le chief de la religion Crestienne à este constitue par lEmpereur celestien, que la lEmpereur terrien eust quelconque puissance.*

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

IE respons, que de ceste donnacion, qui fu faite par Constantin, plusieurs Iuristes dient communement, que elle ne valu pas par plusieurs raisons. Premierement pour ce, que lEmpereur est tousiours appelle *Auguste*, pource que son propos & son entencion est tousiours daccroistre lEmpire de Romme, & non pas lamenuyser. Et pource semble il que la donnacion ne valu pas. Meismement comme elle feust trop grant & trop excessiue. Secondement pour ce que lEmpereur ha ladministration de la chose publique, si comme les drois le dient. Tiercement pour ce quil ne pot faire preiudice à ses successeurs, quil ne la peussent rappeller, pour ce que *Par in parem non habet imperiū*, cest à dire, que *vn homme na point de commandement, empire ou seignourie sur son pareil.* Quartement: car celle raison, par laquele il en pot donner vne partie, par celle meismes raison en pourroit donner son successeur vne autre partie, & par ce seroit detrenchie lEmpire. Et ces choses se treuvent in *autentica Quomodo oporteat Episcopos & Clericos, & cetera, in principio, collatione prima*, *en la Glose.* Car iasoit ce que la dicte donnacion vaulsist, toutesvoies ne fu point lesglise en possession, fors de la porcion de celle terre, laquele est appellee *le patremoine saint Pierre.*

AVTRE SOLVCION DE CESTE *meisme Raison.*

DErrechief, ceste donnacion ne pot valoir quant à ceulx, qui nestoient point subgects de lEmpire de Romme, pour ce quil ne pot donner ce qui nestoit pas sien. Or est il certain, que lors les Francoys nestoient point subgects à lEmpire, si cõme dessus est dit. Ou suppose quil fussent ses subgects, ce que nous ne confessons pas, toutesvoies est courue perscripcion de treslong temps contre lEmpereur & le Pape, si comme il à este monstre cy dessus.

Digitized by Google

LA QVINZIESME RAISON.

ITem, le Pape puet absouldre les vassaulx du serement de fidelite, le quel est deu au Seigneur temporel : la quele chose ne seroit point, se il nauoit puissance es choses temporeles.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

IE respons à cest argument, & dy, que ou cas, ou quel il puet auoir accion contre le Prince, il puet aussi absouldre les vassaulx de serement de fidelite: ou qui plus est les puet declairer estre absoulz, si comme en cas de heresie, de diuision de la foy, ou de contumace contre lesglise de Romme.

LA XVI. RAISON.

ITem, le Pape Zacharie deposa le Roy de France, si comme il appert *quindecima, quaestione quarta, capitulo Alius*. Quare, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet respondre, que len list quelque part, que oncques il deposast le Roy de France, mais si comme aucuns dient, il conseilla bien quil fu depose. Car comme len li demandast, le quel deuoit miex regner, ou celi qui faisoit les besoignes du Royaume, ou celi qui nen faisoit riens ? Il respondi, que le premier deuoit miex regner. Et ceste responce eue, le Roy Hildericus fu depose par les Barons du Royaume de France, & fu Pepin ordene & ennoint en Roy.

AVTRE SOLVCION DE CESTE MAISME RAISON.

OV si comme les autres dient, ce Roy Hyldericus ne fu pas depose, mais de sa volente entra en vne Abbaye, & la feny sa vie comme Moyne : & que lors les Barons du temps de lelection de Pepin & de son institution, à sauoir se il leur loisoit à ce faire, enprindrent conseil au Pape, iasoit ce quil le peussent faire & ordener sanz son conseil. Et de ce len puet veoir plus plainnement en ce, que ie, qui ay translate ceste euvre, en ay escript sur ce pas en la translacion du liure, qui sapelle REX PACIFICVS, lequel est par deuers vous.

LA XVII. RAISON.

ITem, *Extra de immunitate ecclesiae, capitulo primo, libro sexto*, est dit ainsi, que *il ne loist point à ceulx, qui ont iuridiccion temporele, ou qui exercent iuridiccion seculier de contraindre en quelque maniere les esglises, ou les personnes desglise à vendre ou aliener ou mettre hors de leur main les possessions, quil ont acquises, ou acquerront dores en auant*. Or est ainsi, que le Pape ne pourroit ces choses ordener, sil nestoit seigneur de toute la temporalite. Quare, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

IE respons à cest argument, que ceste constitucion nouvele nest pas approuvee par les Princes ; & que quant elle venra à discucion, il ne lapprouveront en quelque maniere. Car par ceste maniere les personnes desglise pourroient acquerir tant de possessiones, que ce venroit ou domage & preiudice intollerable des Princes, & de la chose publique.

ADICION.

ET neant moins pour y respondre plainnement, il est certain, que non obstant la dicte constitucion le Roy de France, les Dux, Contes, Princes, & Barons, & autres Seigneurs, vsent chascun iour du contraire.

LA XVIII. RAISON.

ITem, len dit, que le Pape, qui est Vicarie de Dieu & son Leutenant en terre, à plainne puissance. Or est il ainsi, que il nauroit vne plainne puissance, se il nestoit seigneur de toute la temporalite & esperitualite, ad ce quie len puist de li dire vrayement ce ver du Psautier: *Domini est terra & plenitudo eius*, cest à dire, que *la terre & la plenitude dycelle est nostre Seigneur ou de nostre Seigneur*.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

IE dy que la solucion de cest argument appert par ce qui à este dit cy dessus ou corps de ceste question. Car si comme dit est, comme nostre Seigneur Ihesu Christ eust treble puissance, cest assauoir, des corps, des ames, & des choses terriênes. Il vsa de la premiere puissance, mais il ne la cômist point: de la seconde il vsa, & la commist: de la tierce ne il nen vsa, ne il ne la voult cômettre. Par quoy il appert, que le Pape na pas la puissance sur les corps humains, ne sur les choses temporeles, mais seulement de lier & deslier les ames. Ne encore quant aux ames ne puet len pas dire, que il ait plaine puissance, se ce nest en liant & en desliant, & la clef non errant. Car il ne puet creer les ames, ne leur infonder grace, ne sauver, ne damner, ne remettre les pechies, se ce nest ministeriument.

Digitized by Google

ment. Et pource puet len dire, que il ha plaine puissance es choses esperitueles tant seulement, & non pas absoluement, mais la au regart des Prelas, qui sont plus bas & desoubz li, les quelz sont appellez à vne partie de ceste cure ou entente.

LA XIX. RAISON.

ITem, celi qui puet le plus, puet le mains. Or est il ainsi, que les choses esperitueles sont plus grans, cest à dire plus dignes, que les choses temporeles. Quare, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

A Cest argument ie respons ainsi, que celle proposicion, ou il est dit : *Qui puet le plus, il puet le mains*, & cetera, cest vraye es choses, qui son dun meisme genre, comme se le Roy puet combatre vne cite, il puet combatre vn chastel : mais elle nest pas vraye es choses, qui sont de diuers genre. Car il ne sensuyt pas, que celi qui puet engendre vn homme, puit engendre vne mouche. Comme doncques les choses esperitueles & temporeles soient de diuers genres, il ne sensuit pas, que celi qui ha la puissance es choses esperitueles, layt es choses temporeles.

AVTRE SOLVCION DE CESTE MEISME RAISON.

DEtrechief, celle proposicion ne tient pas es choses, qui viennent par seule commission & delegacion. Car nous voyons, que es Cours des Princes est commise aux confesseurs la cure & gouvernement des ames, & aux Mires & Physiciens la cure des corps : & toutesvoies ne sensuyt il pas, que se le Confesseur puet le plus, cest assauoir es ames, que pour ce il puist le moins, cest assauoir es corps. Quare, & cetera.

LA VINTIESME RAISON.

ITem, l'Apostre *prima ad Corinthios sexto* dit ainsi : *Ne sauez vous pas*, dit il, *que nous iugerons les Angres ? & par plus forte raison choses seculieres* : aussi comme se il deist : se nous pouons iuger les choses esperitueles, nous pouons par plus forte raison & deuös iuger les choses seculieres. Quare, & cetera.

LA SOLVCION DE CESTE RAISON.

LEn puet respondre ainsi ad cest argument, que l'Appostre reprenoit lors ceulz, qui de nouvel estoient convertis à la foy, pource que pour les debas & besoingnes, quil avoient entre eulz des choses terriennes, delaissiez les iuges Crestiens ou contempnez, il aloient querre leur iugement aux iuges Payens, aussi comme sil neussent aucuns Crestiens, qui fussent iuges souffisans à iuger & determiner de teles choses. Et pour ce en les reprenant l'Appostre dit ainsi : *Se vous auez*, dit il, *hommes esperitueles entroduis souffisamment à iuger de plus grans choses & plus fortes, par plus forte raison vous deuroient il souffire à iuger & determiner de mendres choses*, cest assauoir des choses terriennes & temporeles.

LEXCVSACION DE CELI, QVI FIST CE TRAICTIE.

TOutes les choses & singulieres, dit il, que nous auons dictes cy dessus, soient dictes sans preiudice de meilleur iugement par maniere doppinion tant seulement, & non pas en sentenciant, ne en determinant folement. Et iasoit ce que plusieurs raisons, que nous auons admenees pour la premiere partie, se puissent souldre, & ne concluent pas de necessite, pour ce que len ne puet pas admener demonstracions en ceste matiere : toutesvoies ne les auons nous pas solues pour cause de briefte.

PHL

PHILOTHEI ACHILLINI
CONSILIARII REGII,
Somnium Viridarii,
DE IVRISDICTIONE REGIA & Sacerdotali.

LIBER PRIMVS.

A*Vdite ſomnium meum, quod vidi*, Geneſis 37. capite. Licet ſcriptum ſit, *non augurabimini nec obſeruabitis ſomnia*: Leuitici 19. capite. Et alibi reprobetur fictor ſomniorum Deuteronomii 19. capite & etiam 34. ſomnia multos errare faciunt. non tamen hæc ſic ſcripta concipio, vt ex toto ſuo genere ſomnia ſint reprobata. Cum philoſophus naturalium rerum indagator eximius in totum ipſa non reprobet. Cum etiam Nabugodonoſor ſomniando veridica præuiderit, *Danielis ſecundo*. Audite ergo Princeps ſereniſſime, ſomnium meum. Cum vigilans ſæpe ſoleam admirari, ac crebra mecum diſputatione conferre, huius ætatis gentibus tanta proteruitas vnde proceſſerit, quo modernorum ingenia ſint à Deo deprauata, vt in diuiſionem inter vtrumque brachium ſuſcitando prorumpant indefeſſe. Cum tamen inter ſe tanta debeat eſſe vnio & caritas, vt vnum ſit ouile & vnus paſtor; & tanta fraternitas, quod altera poteſtas alterius ſemper egeat auxilio. Quippe enim duo ſunt, quibus hic mundus regitur, ſacerdotium & regnum. Sacerdos orat, rex imperat: Sacerdos delicta dimittit, rex errata punit: Sacerdos animas ligat & ſoluit, rex corpora cruciat & occidit. vterque diuinæ legis executor ſuum iuſtitiæ debitum cuique tribuit, dum cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Sane filios hominum decent arma & ſagittæ; filios Dei orationes, vota & ſacrificia, vt carbones ignis ſuccendantur ab eis. vita enim paſtoris doctrina paſcualis eſt ouis, & rigor punientis pax eſt popularis. Dumque hinc inde mutua verborum inter duos viros vtriuſque iuris canonici & ciuilis radiis perluſtratos huius rei ſermo, in præſentia maieſtatis veſtræ ſemel traheretur, ſcilicet, An iſtæ poteſtates ſint diuiſæ, an ſubordinatæ & quæ inter eas conuenientia naſceretur, magno diei ſpacio alterna diſputatione conſumpto, proxima nocte ſequente caſus nouitate mirabilis eſt ortus. Nam cum ſopore langore oculi premerentur, & membra defeſſa ſomnii ſuauitatis ſuauitas allexiſſet, vidi in viridario amœno valde & delectabili liliis & aliis floribus variis decorato dominationem veſtram maieſtatis regalis collocatam. Aſpexi inſuper ad latus maieſtatis eiuſdem duas reginas fulgidiſſimas, à dextris vnam habitu regulari decoratam, & hæc Spiritualis poteſtas vocabatur. A ſiniſtra alteram habitu ſeculari, honeſtiſſimo tamen, indutam, & hæc Poteſtas ſecularis pingebatur: & ambæ (ſi dignum ſit cæleſtia) flere & ingemiſcere videbantur, & ad vos illuſtriſſimum Principem & Regem Francorum dominum Karolum Quintum hoc nomine, velut ſolem iuſtitiæ ſuper cathedram refulgentem, oculos ſupplices ac lacrimantes dirigebant, vocem ſuam tanquam tubam ſonoroſam his verſibus exaltantes.

Ad te confugimus rex pius aſpice noſtros
Planctus, nos æqua mundum ſub lege tenemus.
Præmia virtutis meritis damus, & mala prauis
——ſubdentes vno ore.

Princeps piiſſime, nos ambæ ſumus ſorores & Altiſſimi filiæ, inter nos pacem atque concordiam deſiderabiliter affectantes. Sed inimicus homo more ſolito inter miniſtros noſtros zizaniam nititur ſeminare. cum tamen omnium communitati deſiderabilis debeat eſſe tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium procuratur. hæc bonarum artium decora mater, hæc facultas prætendit mores, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam quæſiſſe minime ſentitur. Quod beati Iob ſententia proteſtatur, cum dicit: *habeto pacem & per hoc habebis fructus optimos.* Hanc ſi quidem Chriſtus Dei filius ſui noui natalis ſignum & nuncium fore determinatum, dum militiæ cæleſtis & oraculo voluit decantari. *Gloria in altiſsimis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sunt

tis. Sunt igitur pacis & tranquillitatis fructus optimi: opposito verò litis importabilia nocumenta. propter quod singuli fratres, magistri, collegia & communitates se inuicem iuuare tenentur, tam supernæ caritatis affectu, quam vinculo societatis humanæ. quod etiam Plato nos admonet, teste Tullio de offic. libro primo, dum dicit, *non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici.* & ad id magis obligatur intendere, cui altissimus harum rerum intelligentiam amplius inspirauit. grauiter velut ingratus hoc sciens & potens peccat omittens, teste Iacobo canonicorum quarto capite, cum dicit, *scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi.*

Cum igitur tibi Karolo regi Francorum Deus dederit talentum ingenii, veram fidem, & fortunam bonorum exteriorum: & veraciter tibi possint applicari verba Bernardi ad magistrum Galterum de Claromonte, *genus clarum, corpus aptum, forma euidens, ingenium velox, eruditionis vtilitas, & morum honestas in te resplendent: & gloriosa dicta sunt:* si tibi vsurpas, est qui quærat & iudicet, testante veritate, & fama proclamante, quæ omnino veritate non caret. Et vt dicitur VII. Ethimologiarum, *in te antiqui generis regia nobilitas non degenerat, neque perit, sed clarius fulget, melius viget, & iocundius floret vita morum.* & melius dicamus: in tantum, quod vena laudabilis illustris sic gloriosa in transmissione seruet originem, quod dictis & factis in te nobilitas generis apparet in moribus, liberalitas muneris præfulget in omnibus, humilitas cæterisque respondet communibus, & claritas operis refloret virtutibus. Porro inter innumerabilia dona, quæ tibi contulit altissimus, hæc excedunt omnia. Nam cum esses quasi modo genitus infans & adolescentulus populum acephalum in se monstruosè diuisum prudentissimè direxisti, nunc in virga ferrea, cum duræ fuerit ceruicis: nunc in virga vigiliarum, cum fuerit cordis pigri: nunc in virga virtutis, quam misit Dominus ex Sion. dominare in medio inimicorum tuorum, & persecutiones edoma extrinsecas illorum, qui tecum dulces ceperant cibos: vt accedat quod legitur in Psalmo, *à iuuentute Domino superasti.* Quid plura? nunquid Hispania de Rege persecutore militantis ecclesiæ, auxilio diuino & tuo mediante, in regem catholicum est translata? Nunquid tota Aquitania, & plures partes Picardiæ in breui tempore & repente per te de manibus Anglicorum receperunt libertatem? & modo satis admirabili & aliàs inaudito, cum castra inexpugnabilia & alia loca vi armata fuerunt occupata? Nunquid Britannia tua testabitur miracula, quæ ad nutum tuum domino Iohanni de Monte forti quondam Duce suo, aduersario tuo, Anglico adhærente, exacto, ad te totaliter est conuersa? Nunquid Anglicorum superbiam, & eorum cornua ad nubes nuper exaltata, depressisti? quæ omnia si diligenter attendantur attento facto & attento modo, non sine miraculo à domino facta esse dignoscuntur, ex tuis precibus & meritis obtenta. Nam dum orabat Moyses, vincebat populus. 45. *distin. c. disciplina.*

Attende igitur, Princeps Christianissime, cum præ cæteris tot ac tantis sis dotatus virtutibus, & applica aures tuas ad preces nostras, ministros ad concordiam reducendo. Sunt enim plurimi ministri, qui sunt de ecclesia, tamen odiunt ecclesiam, à qua plurima bona recipiunt, & ad altiora totis adhuc hanc domini conatibus anhelant, quorum plures iurisdictionem extinguerent ecclesię, si possent. sic sunt plurimi in gremiis dominorum secularium enutriti: sed *vt mus impera, serpens in gremio, ignis in sinu,* suis se consueuerunt hospitibus exhibere. illi ac isti vtramque curiam vellent extinguere, forsan vt in suis possint liberius perseuerare nequitiis. hæc faciunt, vt inuidi, qui felicibus aliorum torquentur successibus, iuxta illud Horatii:

Inuidus alterius rebus marcessit opimis.

Aut hæc faciunt, quia subiecti. serui enim dominos odiunt sed subiecti. iuxta illud Alexandri libro octauo:

Afferet tellus stellas, septemque triones
Alluet Occeanus, & siccum piscis amabit,
Quam serui domino sint verus nexus amorum.

Et inter eos nulla est concordia, licet extra pax ostendatur, odio intus confligitur.

Pacem vultus habet, agitatam præcordia bellum.

Hæc tamen dicuntur de seruis violenter subiugatis. de facili igitur subditi loquuntur contra superiores, qui tamen viuere non possunt sine aliquo domino. domini enim necessarii sunt mundo: & si nulli essent modo iudices ecclesiastici vel temporales, oporteret quod cito fierent, vt pax seruaretur, & ecclesiastica sacramenta ministrarentur. vel hoc faciunt, vt adulatores dominis ecclesiasticis aut temporalibus ponentes, os in cælum, lingua eorum gradiente super terram, detrahentes, nouos dominos siue curas ecclesiasticas vel temporales siue potestates (quod est difficile) fabricantes.

Cum igitur, Princeps serenissime, vos sic ambæ reginæ fuissent allocutæ, ipsis auditis, fulgido vultu ad pacis osculum assumpsistis, dicens eis: Reginæ deuotissimæ, vt Karolus lacrymis vestris sum compassus: & ideo vt Dei vicarius & iudex in temporalibus, iustitiam & fauorem, si res

Digitized by Google

suspicione careret, libenter impenderem. Hortor tamen vt mentem vestram ministrorum diuisio non exagitet, attendentes quod ab antiquo clerici & layci oppido sunt infesti. nec sunt veri, sed pseudo ministri, qui vos sic exasperant & diuidunt. Creditæ, matronæ venerandæ, quod in curia seculari sæpe precio & precibus, ignorantibus Dominis, postpositis gradibus, iudices & ministri altum quærunt ascensum: & sic de facili per pecuniam sunt ingressi, ipsos susurrat pecunia. orphei lira, carmen amphitrionis, musa virgilii, voce pecuniæ suffocantur, quid plura vbi nummus loquitur, Tulliani eloquii tuba raucescit? vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea: nummus vincit: nummus regnat: nummus imperat vniuersis: pari forma & in curia ecclesiastica non quantum quisque mereatur, sed quantum dare sufficiat, sæpius extimatur. Si igitur auri sacra fames penetralia veneranda proserperit, quid denique poterit tutum esse aut securum? reginæ amantissimæ, à curiis vestris non prius nequicia hæc & diuisio communis hostis succedetur perfectè: neque perniciosi, quos hactenus producit, fructus arescent, nisi suæ causæ radices extirpentur. Tales igitur eligatis vobis ministros & iudices, quos labor prolixior & scientia perfectior fecerint anteire, Deum timentes, & non pretereuntes terminos, quos posuerunt patres antiqui. In hiis cessabit prophanus ardor auaritiæ: isti reddent quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo. & sic erit huius multitudinis credentium cor vnum & anima vna, iuxta illud Matthei.6. vbi veritas pro fidelibus orat ad Patrem, *volo*, inquit, *vt ipsi sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus*. reginæ illustrissimæ, aduocatos ergo quærite, & iura vestra in medio producite non vt causam iudicem, sed vt ministros vestros ad concordiam, si possibile sit, amicabiliter reducam. iudex enim vester in cœlis habitat. Tunc regina, quæ Potestas spiritualis nuncupata est, sibi assumpsit in aduocatum vnum Clericum profundissimæ scientiæ tantæque solicitudinis sufficientem. Potestas autem secularis sibi elegit Militem variis scienciis multiformiter decoratum. Vnde, princeps metuendissime, dictis aduocatis incepistis dicere: vos ambos in visceribus Christi requiro, ne sitis de numero illorum aduocatorum, de quibus Cassiodorus. *Hii sunt qui causas protendunt, adhibiti impediunt, prætermissi fastidiunt, admoniti obliuiscuntur, locupletati subdunt apud causidicos silentium venale, & est lingua eorum damnifica, nisi funibus argenteis ligetur*. sed vnusquisque vestrum seriosè ac succinctè veritatem pandat suæ causæ. Et volo, Domine clerice, quoniam clericis est defferendum, quod primo ducatis tripudium & modo dyalectico. Nam primo vnicam facietis rationem. ad quam miles indilate respondebit. & sic deinceps, quousque sermonibus ac conquestionibus vestris finem volueritis imponere. Versauice pari forma miles partem tenebit opponentis: Clericus verò partem respondentis, & sic quilibet erit actor, & quilibet reus, vt in communi diuidundo iudicio. Communio namque hanc peperit diuisionem. Sic itaque alter alterum congreditur, varias rationes naturales & theologicas, canonicas & ciuiles, allegantes, quas in scrinio pectoris secundum modulum ingenii mei & memoriæ, prout infra latius declarabo, recollegi. Tandem tamen inter eos tanta rixa inde est suborta, quod de verbis quasi ad verbera processerunt. vnde perplexitate constrictus propter conflictum rationum, quem iuuarem militem vel clericum, ignorabam. sic sum à somno vehementer excitatus. in isto igitur opere, annuente Domino, sic procedam, videlicet nil tamen pro vna parte vel altera asserendo, sed solum excitatus à somno, quæ dormiens vidi, vestræ maiestati referendo. nec est intentionis meæ, sermones meos coloribus rethoricis velare, sed dimittam stellatum Latinum & rethoricam curiosam, planis vtendo verbis, quibus dicti aduocati suis disputationibus vsi fuerunt placitando.

Verum, princeps Christianissime, quia, vt dicit Cassiodorus epistolarum variarum libro tertio episto.6. *Sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat, ita præclara egregie de patribus dicta confirmat*. laudabilis enim vena suam seruat originem, & fideliter posteris tradidit, quæ in gloriosa transmissione promeruit. vnde & philosophus ad propositum secundo Rethorice. ca.22. dicit. *Ad laudandum aliquem sumenda est dignitas progenitorum*. Nam vt dicit Aristoteles tertio polit. capitulo 19. *meliores est verisimile eos esse qui ex melioribus generantur*. quia ingenuitas est virtus generis: & secundum veritatem nobiles, maxime reges, debent habere quasi ignatam prudentiam clariorem, clementiam dulciorem, audaciam fortiorem, iustitiam veriorem. Hinc est quod ego humilis seruitor vester in spe tantæ nobilitatis, refulgentia bonitatis, clementia claritatis, intelligentia, & humilitatis beniuolentia sertum ex variis floribus dicti Viridarii duxi componendum, vna cum somno meo minus sufficienter concepto vestræ regiæ celsitudini fiducius præsentandum. Cum re vera spes vestræ humilitatis gratiosæ ad supplendum nobilitatis generosæ, ad excusandum vestræ subtilitatis ingeniosæ, ad corrigendū vestræ bonitatis virtuosæ, ad conducendū penuriæ & timiditati cordis, & intellectus mei, audaciam inchoandi, potentiam complendi contulerunt auxilium pariter & iuuamen. Maxime quia, vt melius nouit alta profunditas vestra, hoc opus tanti est ponderis, vt veraciter possim dicere cum illo Philippo expositore super Iob sic dicente, *aggredior pater mi opus arduum & difficile*. Cum sim igitur, princeps metuendissime, vir tenuis studii, rudis ingenii, inculti eloquii, me suscitetis trepidantem, corrigatis delinquentem, & scriptorem vestrum confortetis pariter & iuuetis: quia istius minimi tractatus, quem *somnium viridarii* volo nuncupari, omnia vestro relinquentur examini, vt maior vobis & iustior corrigendi quam mihi scribendi gloria debeatur.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. I.

MIror, optime miles, paucis diebus tempora immutata: sepultam iustitiam, euersas leges naturales, theologicas, canonicas & ciuiles.

Miles. CAP. II.

GRandia verba sunt ista & ego laicus, qui quamuis paucas litteras puer ego didicerim, vt tam alta verba à me possint intelligi: Et ideo venerande clerice. si mecum desideratis contendere, pleniorem oportebit accipere stilum.

Clericus. CAP. III.

ÆTate mea vidi ecclesiam in honore magno apud Reges & notabiles vniuersos haberi: & nūc video, econtra; miseranda ecclesia facta est sub tributo & vobis omnibus præda. exiguntur à nobis multa: damnatur illa bona nostra, si non damus, rapiuntur à vobis, conculcantur iura nostra, libertates infringuntur. & laici, & maxime milites, clericorum sortem multiplici detractione deprauant, vitam & eorum opera ducentes in opprobrium & contemptum. Sane in deprauatione ordinis nostri non multum eorum extollentia promouetur: qui si milites essent, quæ militum professio esset, agnoscerent, deferrent clericis, & se à curialitate verborum quadam puellari modestia temperarent. Porro ordo militum nunc est, ordinem, non tenere. Nam cuius os maiori verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius iurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei velificat, qui ecclesiam non veretur: iste hodie in cætu militum fortior & nominatior reputatur. Militaris hodie disciplina, quam Vegetius & plerique alii docuerunt, prorsus euanuit, & se in quandam delinquendi libertatem & scurrilitatis speciem deformauit. Olim se iuramenti vinculo milites obligabant pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, & quod vitæ propriæ vtilitatem publicam præferrent, se filios ecclesiæ atque ad honorem sacerdotii, & tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium accepisse, porro in contrarium res versa est. Nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, destruunt patrimonium crucifixi, spoliant & prædantur subiectos sibi pauperes miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, vt in doloribus alienis per illicitos appetitus extraordinarias impleant voluptates. refert Lucas, quod milites accedentes ad Iesum interrogauerunt eum dicentes, Magister quid faciemus? vos neminem, inquit, concusseritis, atque calumniam non faciatis, qui contra inimicos crucis Christi vires suas exercere debuerunt, potibus & ebrietatibus pugnant, vacant ocio, & crapulę, vitamque degenerem immunditiam transigentes, nomen & officium militiæ dehonestant. Nil damnabilius in milite, quam ocium, per quod vsus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fastidiunt, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus animus applicatur. bella & conflictus equestres depingi faciunt in salis, vt se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi aut videre non audent. eleganter Scipio Affricanus, sicut Iulius Pontinus refert, *cum scutum cuiusdam vidisset auro & gemmis adornatum, dixit se non admirari si tanta diligentia adornasset, in quo plus præsidii quam in ense haberet.* Non in auro & lapidibus debet scutum militis decorari: sed scutum diuulsum habeat fractam galeam, hebetē gladium, faciem vulneratam. Porro tamen, nostri milites ab expeditione sine vulnere & cicatrice, sanis & integris armis, per Dei gratiam reuertuntur. curritur ad videndum conflictum. crateras igitur statuunt, & vina coronant, atque exhausta canunt prælia Marte graui.

Illic Æacides, illic tendebat Vlixes,
Et purgant fluido pergama tota mero.

Garriunt igitur & laxant procaces linguas in detractationem hominum innocentium, deseuiunt in Christos Domini, refferunt & conterunt labores suos & ocia sacerdotum. datur itaque inter eos sententia, & communi lege sancitur vt decimas auferant, vt ecclesiæ & clero non deferant, vt excommunicationem non timeant, vt Deum non reuereantur, vt iniuriis afficiant sacerdotes, & quicquid in vsus ecclesiæ cessit de largitione à iure paternæ liberalitatis euacuarent. veruntamē magnus Dominus & laudabilis, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei: ipse filios faciet filios hominum pauperum, & humiliabit calumniatorem, tollensque virgam peccatorum & desuper sortem iustorum arguet pro mansuetudine terræ, & obstruet os loquentium iniqua, deicietq; omnem extollentiam superborum.

Miles. CAP. IV.

QVod milites corripitis, vel est affectio, vel detractio. si affectio, mihi acceptiora essent vestra verbera, quam eorum vbera quæ me lactarunt. Sed vtinam semper corripiat nos iustus in misericordia, oleum autem peccatorum non impinguet caput. militum vitam deprauatissimam reputatis. Sed Domine clerice, fortasse dicatis: rogo trabem prius ab oculis clericorum eiiciatis, quam festucam ab oculis militum. prouocatus silere non possum mores, vitam clericorum: vos prælati & clerici nostri temporis à Deo estis superbi & elati, quod in vobis verificabitur illud, quod alibi scriptum est, quod radices superbarum gentium arescent. Deus enim perdit memoriam superborum, & relinquit memoriam humilium. Tantæ quidem grauitatis est vrgentium peccatorum, vt à cœlorum culmine tanquam grauissima plumbi moles centrū terræ penetrauit. Et illud

Digitized by Google

Iob: *Si ascenderit in cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur*. Tempore autem Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, prælati erant Christi vicarii, sequentes eius vestigia, signis & virtutibus coruscantes, & degentes sub quadam paupere vita, & per ipsorum prædicationes & opera quasi totum mundum ad suam conuertebant doctrinam & vitam. Nunc vero cateruatim populum vobis commissum ducitis ad inferos. De modernis igitur prælatis potest dici, *regnauerunt sed non ex me*, nec cum Apostolis in laboribus & ærumnis sunt. Paulus enim semel lapidatus fuit, ter naufragium passus est nocte ac die in profundo maris, & quam plurima alia pro Dei ecclesia subiit pericula, vt in *quadam sua Epistola* apertius declaratur. vos enim nunquam degustatis amarum, & ideo dulcedinem gustare non meremini. dicit namq; Beatus Gregorius *tribulationes quoque seu aduersitates quandoque veniunt abundantius super iustos quam super iniustos*, sicut & fulminis impetus & venti rabies ecclesias citius & campanalia concassat quã vilissima prostibula. Dicit enim Gregorius, quod *nullum est signum euidentius æternæ damnationis, quam cõtinua prosperitas*. Non estis ergo socii tribulationum Apostolorũ, nec debetis esse participes consolationis æternæ: quia secundũ naturam onus & emolumentũ concomitantur se ad inuicem, regulantur secundum naturam. *ff. de regulis iuris*. Item nunquid est scriptum? *pauper & inops laudabunt nomẽn Domini*: Iacob. 2. Nonne pauperes elegit Dominus? Cur ergo coaceruant totis affectibus clerici diuitias? quæ etiam diuitiæ pungitiuis comparentur spinis? Et cur temporalia nituntur vendicare? Nunquid scriptum est, *facilius est camelum per acus foramen transire, quam cœlorum diuitem intrare regnum*? Diogenes, Socrates, Thebanusq; cum plurimis Philosophis diuitias contempserunt. Consules Romani & rhetores nonnulli diuitias sunt mirabiliter aspernati Pro hiis Valerii Maximi legantur scripta *de factis memorabilibus virorum illustrium*. & etiam sententia clamat Aristotelis in primo libro ethicorum *quod multi propter diuitias periere*. Clericis dominia rerum temporalium appetentibus possunt dici verba legis ciuilis, *professio tua & desiderium ad inuicem se discrepant*. Sed quid? hoc non aduertentes moderni clerici, sed illud Ouidii sine titulo:

Curia pauperibus clausa est, dat census honores.

De paupertatis miseria gradatim ascendunt ad culmen honorum, & ad summa fastigia dignitatum, per astutas practicas, & fallaces fabricas, & per hypocrisin, adulationes, & mendacia, periuria, proditiones, fraudes, Symonias, & cæteras nequitias ampliores. Luxuriose viuentes in delitiis & fruitionibus corporalibus, ducunt dies suos. se *Deos, sanctos, & sanctissimos* appellantes sibi ædificant palatia omni amœnitate spectabilia, imaginũ varietate & statuarũ & quia sumptuositatem affectant, comedunt Cibaria, & bibunt vina omni curiositate exquisita. thesauros sibi coaceruant infinitos. Non sicut ille, qui dicebat, argentum & aurum non est mihi: sed aurea secula repararunt, caritatem amiserunt, Lucifero adhærentes dignis beneficia non conferunt, quin potius ad honores ecclesiasticos promouent indignos: & contra Dei præcepta distribuũt beneficia & honores: & prece, aut precio, aut pro turpi seruitio, vel fauore ad ecclesiasticas dignitates, reprobando dignos, indigne promouent indignos: vt pote gartiones; lenones, aut etiam ipsorum nepotes vel filios proprios, vt tanquam hæreditatem possideant sanctuarium Dei: munera recipiunt: curam habentes pecuniarum non animarum, domum Christi faciunt speluncam latronum. Omnis abusus, omnis iniqua extorsio in foro ecclesiastico plus centies exercetur quam apud seculares tyrannos. iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo. Laici iam de fide hæsitant: & si sibi quandoque predicauerint clerici, sed negligenter & raro, non tamen credunt, quoniam manifeste vident, quod quasi quilibet clericorum eius, quod prædicat, contrarium operatur: quia clerici ipso facto ostendunt se aliud credere quam prædicant. Et laici clericorum vestigia & vitia inde sequentes, qui tanquam signum positi sunt ad sagittam, in pelagus vitiorum & ad funereas ædes baratri ipsorum confluit assidue maxima multitudo. Sileto ergo clerice, & ori vestro imponatis silentium, nec de facili credant Reges, cuius consilium sint clerici, iniusta vobiscum agere, aut apud eos perire ius vestrum.

Clericus. CAP. V.

PRimo certe contra omne ius iniurias immensas sustinemus: conculcantur iura nostra: libertates infringuntur.

Miles. CAP. VI.

SCire vellem, quid vocatis ius, cum habeat significationes?

Clericus. CAP. VII.

IVs voco, decreta patrum, & statuta Romanorum pontificum.

Miles. CAP. VIII.

QVæ illi statuerunt, si de temporalibus statuerunt, vobis possunt iura esse; nobis vero non sunt. Nullus quidẽ potest de hiis statuere, de quibus constat ipsum Dominiũ non habere, sicut nec Francorũ Rex statuere potest super imperiũ, nec Imperator super regnum. & quemadmodum

terrarum

terrarum principes non possunt aliquid statuere de spiritualibus vestris super quibus non acceperunt potestatem, sic nec vos de temporalibus eorum, super quæ non habetis auctoritatẽ. vnde friuolum est, quicquid de temporalibus statuitis, super quæ potestatem non accepistis. vnde risus venit mihi magnus, quotiens mente reuolno Papæ Bonifacii. 8. statutum, quo cauetur, *quod ipse est & esse debet super omnes principatus & regna.* Nam de facili potest sibi sic ius acquirere super rem aliquam, cum non restat nisi scribere, quia totum erit suum cum scripserit, & sic totum erit vestrum, vbi statuere nihil aliud sit quam sic teneri velle, & nihil aliud est ius habere, quam velle. non habet igitur, nisi vt scribat; hoc volo ius esse, cum voluerit castrum meum, villam meam, agrum meum. nec latet vos sapientem clericum, ad quid vos ducat ista disputatio.

Clericus. CAP. IX.

SAtis acute, Domine miles, & versute contra nos ista protulistis. & ad hoc totius sermonis vestri decursus, quantum intelligo, tendit, quod Dominus Papa de vestris temporalibus nihil potest statuere, quia non constat eum de rebus temporalibus potestatem vel Dominium accepisse. & si hoc ex nostris volumus probare dictis aut scripturis, pro nihilo ducitis, quia nostrum scribere, vt dicitis, Dominium nobis aut potestatem, quæ aliunde non venerat, non potuit ascribere. Sed si Christianus vultis verus reputari, non negabitis, Christum rerum omnium Dominum verum esse, cui dictum est in Psalmo, *postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Etiam scriptum est quod *ipse est Rex regum & Dominus dominantium.* ista non sunt nostra sed Dei verba, nec nos eas sumpsimus, sed ea misit Deus, & dictauit Spiritus Sanctus. Et quis dubitat illum posse statuere, quem constat vniuersorum Dominum esse?

Miles. CAP. X.

NVllo modo dictæ potestati vel damnationi resisto: quia Christianus sum & ego esse volo. Et ideo si per diuinas scripturas ostenditis, summos pontifices esse super omnia temporalia dominos; necessarium est principes summis sacerdotibus pontificibus tam in temporalibus quam spiritualibus esse subiectos omnes.

Clericus. CAP. XI.

DE facili ex superioribus poterit hoc ostendi. tenet enim fides nostra, Petrum Apostolum pro se & suis successoribus institutum esse vicarium Iesu Christi. & certe plenus vicarius idem potest facere, quod Dominus est, cum in illa actione nulla potestatis diminutione vicarius est constitutus. Si ergo non negatis, Christum de temporalibus vestris posse statuere, qui Dominus est cœli & terræ, non poteritis sine rubore eandem potestatem Christi vicario denegare.

Miles. CAP. XII.

AVdiui à viris sanctis atque doctissimis duo tempora in Christo distingui: vnum humilitatis, & alterum potestatis. humilitatis vsque ad suam passionem, potestatis post suam resurrectionem, postquam ipse dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra,* Matth. vltimo. c. Petrus igitur constitutus est vicarius pro statu humilitatis, non pro statu gloriæ & maiestatis. non enim factus est vicarius ad ea, quæ Christus modo agit in gloria, quia nobis illa ignorata sunt, sed ad ea mittenda, quæ Christus egit in terra, quia illa nobis necessaria sunt. Illam igitur potestatem suo vicario contulit, quam homo mortalis exercuit, non autem illam, quam glorificatus accepit. & vt ista per scripturas, quas inducitis, ostendamus, de eisdem scripturis vobis testimonia proferemus. ipse enim Christus dicit Pilato, *regnum meum non est de hoc mundo. & quod non venit ministrari, sed ministrare.* Testimonium adeo manifestum est, vt hominem resistentem possit confundere, & ceruicẽ quamlibet duram obterrere. adhuc dicit quidam de turba Iesu; *Magister dic fratri meo vt mecum diuidat hæreditatem. at ille dixit, Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos?* Lucæ. 12. ca. videtur igitur aperte, Christum super temporalibus nec iudicem nec diuisorem esse constitutum, sed in statu illo susceptæ dispensationis nec temporale regnum habuit, nec etiam appetiuit. Et in commissione Petro facta non claues regni terrarum tradidit sed claues regni cœlorum. & Hebræorum pontifices constat regibus fuisse subditos. & vt sciatis Christi vicarium ad spirituale regnum, non ad temporale regnum, fuisse assumptum, ab Apostolo Paulo recipiatis clarum testimonium. Dicit enim sic, *omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, non in hiis quæ sunt ad Dominium gubernandum* (terrenum imperium) *sed vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* & quamquam possint aliqua temporalia per ipsos pontifices dispensari, satis tamen patet, quod non debent in regnis terrenis Principalibus gubernandum se implicare. nec auctoritates per vos, Domine clerice, superius allegatæ, *postula à me* &c. & quod *ipse est Rex regum* &c. quia non ad statum primũ pertinet, sed ad secundũ. in quo primo statu, sicut clare patuit, nullam potestatem exercuit: imo à se penitus abdicauit, & in hiis solũ, & non aliis, quæ ad dispensationẽ nostræ salutis pertinet; Petrũ sibi vicariũ destinauit: quẽ nec militẽ fecit, nec coronauit in regem, sed in sacerdotem & episcopũ ordinauit. quod si vultis adhuc contendere, Christo vicariũ & eandẽ potestatem in tẽporalibus habuisse, quã Christus habebat in cœlis, non quã exercebat in terris, ista pertinacia non erit vobis sine honorabilis. Cõstat enim cuilibet fideli à Deo capienti, quod si Deus pecuniã suã, domũ aut vineam suã, aut agrũ alii

Digitized by Google

cuilibet vellet daret, nulla petita ratione, nulla expectata cognitione, statim deberet obedire. Sic igitur contenditis, papam hanc eandem potestatem habere? igitur contendere necesse est, quod omnia nostra sunt vestra, & nostra potestis sine causæ cognitione, cui volueritis nepotulo, vel consanguineo concedere, tollere principatum & regna, & eis dare pro libito voluntatis. Sed quam absurda sint ista, vos videte. Et vtrum vobis placerent si fierent, respondete. Tenendum est igitur, quod non accepit tantam potestatem in temporalibus ipse Christi vicarius: sed eam solam, quam in sua humilitate Christus exercuit & ostendit.

Clericus. CAP. XIII.

NEgatis, ô Miles, ecclesiam cognoscere de peccato; quod absit. nam qui hoc negauerit, & pœnitentiam & confessionem abnegabit. Sed quod iniuste agitur, peccatum est: alias & Papa qui habet cognoscere de peccato, cognoscet vtique de iusto, & iniusto. Cum igitur iustum & iniustum in negotiis rerũ temporalium locum habeat, sic consequens est, vt & de causis temporalibus debeat iudicare.

Miles. CAP. XIV.

ARgumentum illud est cornutum, cuius vanitas & infirmitas per argumentum simile repellenda est, in suspendendis latronibus aliis damnandis habetur iustum & iniustum, & hoc etiam peccatum. igitur &c. ratione peccati debet de sanguine iudicare. sed planum est, quod non. igitur argumentum leui ratione sufflatum. Nunc restat vobis ostendere, quomodo vestra cognitio, Domine clerice, se debeat circa iustum & iniustum habere. nullum dubium, quin iustum & iniustum secundum leges humanas, quæ de talibus sapiunt, sit de temporalibus iudicandis, secundum quas & sub quibus subiectis omnibus est videndum. Manifestum est igitur, illum secundum leges debere iudicare & de iusto & iniusto cognoscere, cuius est leges concedere; & habere interpretari, exponere, custodiri facere, & seruare, & grauare cum videbitur & mollire Si igitur vos in iudicio temporalium simul vultis cum eo concurrere, imo perniciose contendere, & in cognoscendo de iusto & iniusto, iam contra scripturam vestram aratis in boue & asino. Et cum principe dicente, hoc est iustum, pontifex dicet, hoc est iniustum, fiet quod dicit Abacuc Propheta, *in principio, factum est iudicium & contradictio & potentior propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsq; ad finem iudicium in terra.* Et ego ostendam vobis secundum Paulum, vbi vestra cognitio debet incipere. princeps de suo iure, de iusto & iniusto cognoscet, & eius finem vnusquisq; sicut tenetur attendet, & ei obediet, sicut præcipitur *Deut.* 17. *c.* Si quis autem tumens superbia non obediuerit eius imperio, nec princeps, cuius officium fuerit iudicandi, habet potestatem resistendi & coercendi: tunc incipit vestra cognitio, quia tunc attendere debet vestra monitio, dicente Paulo ad Titum. 3. c. *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.* cum *omnis anima* dicit & nullum vt videtis excludere videtur. Vbi maleficia & scelera manifesta sunt, veluti prædæ & rapinæ, & similia, nec est qui velit aut possit corrigere, non nego vos in hiis casibus debere & posse vestram potentiam exercere: sed non de iusto & iniusto, quia de hoc non habetis cognoscere, aut manum ad hoc apponere. sed cum manifestum fuerit, aut per sententiam iuris aut euidentiam oculorum, quæ nulla eget cognitione, tunc poterit ad vos ea materia & forma, quibus dictum est, pertinere alias si propter peccati colligantiã vultis de talibus cognoscere, non restat nisi foros principum claudere, seculares leges & decreta principum destruere, & vestra solum reseruare. Artare vos, & vrgere volo vna noua quæstione. Vtrum vestri est esse de causa matrimonii cognoscere? Et ego nunc Parisium vado pro quadam hæreditate, quam peto ratione vxoris meæ, quæ habet in ea succedere. videtis quia ratione matrimonii mihi competit hanc hæreditatem petere. Nunquid propter matrimonii colligantiam, de quo debetis cognoscere, debeo coram vobis de hæreditate litigare? imo plane dico vobis omnibus clericis inhibendo, ne vobis cognitionem de dote contra Deum & iustitiam vsurpetis. Cum promissio dotis vere & pure seu mere sit pactio tẽporalis, & sæpe firmetur & firmari possit regalibus institutis. patet ergo, quod est vanum & friuolum, quod ex tali vicinitate rerum velitis vobis fingere colligantiam in cognitione causarum: quamuis ad hæc omnia vnum solum vobis debeat sufficere, quod supra memorauimus Lucæ primo. c. dicente Domino Iesu, *O homo, quis me constituit iudicem & diuisorem inter vos?* ostendit enim quod secundum illam potestatem, quam homo mortalis exercuit non pertinebat ad eum de hæreditate iudicare.

Clericus. CAP. XV.

NOnne debent temporalia spiritualibus deseruire, igitur debent esse subiecta. spiritualis potestas temporalem debet regere potestatem.

Miles. CAP. XVI.

VEre debent semper temporalia spiritualibus deseruire suo casu: quia tenentur Dei cultoribus necessaria ministrare. Nam hoc omne genus quasi innatũ habuit, & institutũ, & hoc naturali iure decernit Natura naturans, vt ministrantibus creatori diuina seu celebrantibus necessaria ministrentur, & honores debiti, & vitæ necessaria præbeatur, vt patet ex Pharaonis exẽplo *Gen.* 47. *c.* Et lex, quã Domin' Moysi tradidit, sacerdotibus abundanter & caute prouidit, nõ tamen Dominiũ aut re-

Digitized by Google

aut regnum temporale commisit. Et Apostolus ad Corinth. 8. c. *spiritualia vobis seminamus, non est magnum si carnalia vestra vescamur* seu *metamus* Si vultis scire, quale dominium præbet ministerium, accipite per ordinem verba Christi, & Apostoli eius Pauli. dicit enim Christus de discipulis ad prædicandū missis, *dignus est mercenarius mercede sua*, & Paulus de se ipso & de cæteris Apostolis, *quis militat stipendiis suis*? quasi dicat, nullus. Et infra, *scriptum est in lege Moysi, Non alligabis os bouis triturantis*, ecce quibus vos comparauit Paulus amplius: vtique operariis & stipendiariis. Nunquid operarii & stipendiarii sunt Paulo rerū Domini? videtis quod temporalia vobis conceduntur non ad Dominuim, sed ad vitæ subsidium, & de spiritualibus ministrari sumptum. Et ex lege Moysi comparamini boui trituranti, cui satis est accipere pabulum, quanquam ipse suo labore impleat horreum. Et quod dicitis, spiritualem potestatem regere temporalem, iam vobis est superius ex Apostolo Paulo responsum, ibi, quod *omnis pontifex pro hominibus constituitur in hiis quæ sunt ad Deum*, & in hiis quæ habetis vos regere, scilicet quæ sunt ad Deum. sed nec ad ecclesiam in hiis, quæ foris sunt, pertinet iudicare. quod si adhuc contenditis, summum potificem superiorem esse per omnia, in derisiones innumerabiles incidetis Si enim Papa, cum creatur, fit Dominus omnium; simili ratione creaturæ episcopum erit creare illius patriæ Dominum; & sacerdos meus erit Dominus castri mei & Dominus meus: quia sicut potestas Domini Papæ est in toto ita potestas eorum est in parte cui præest. ergo cessare est bonum ab hac stultitia, quæ ab omnibus irridetur & tantis testimoniis & rationibus confutatur. Nam in veteri lege didicimus, non sacerdotes à Regibus, sed Reges, à sacerdotibus & Prophetis & principes adorari, & eos ad se vocari, & quæ placebant Regibus imperari: & hiis interdum, qui errauerant, puta dispensatione temporalium, increpari, 1. *Regum. c. 2. & quarto Reg. 12. ca.*

Clericus. CAP. XVII.

MIror quod dicitis, super dispensatione temporalium Regem arguisse pontificem.

Miles. CAP. XVIII.

VOs excitatis canem dormientem, & cogitis me loqui de iis, quæ ante non cogitaui.

Clericus. CAP. XIX.

EXcitare canes & latrare vos nescitis.

Miles. CAP. XX.

QVia nescitis vti humilitate & patientia principum, timeo quod post iustum latratum merito sentiatis & morsum.

Clericus. CAP. XXI.

QVid inter est regum super dispensatione nostrorum temporalium: ipsi sua habeant, & nobis nostra dimittant.

Miles. CAP. XXII.

INterest nostra militum per omnem modum. nunquid interest mea circa salutem animæ meę per omnia cogitare? Nunquid non interest nostra pro parentibus mortuis suffragia postulare? Et nunquid vobis à nostris parentibus ad hoc sunt temporalia data & copiosissima ministrata, vt in cultum Dei totaliter expendantur? Sed certe nihil facitis inde, sed omnia vestris necessitatibus applicatis, quæ per eleemosynas & opera charitatis in visceribus pauperum claudere deberetis. Nunquid esset necessarium, vt per huiusmodi sanctissima opera mortui iuuarentur, & saluarentur viui? Nonne cum ea perperam expenditis, superflueq; consumitis, & ea contra intentionem dantium & etiam quodammodo accipientium dispergitis, male vtendo, viuos & mortuos mirabiliter derogatis. Nonne ei, qui non vult militare, auffertur digne stipendium? & certe vassallus non implens seruitium merito perdit feudum. & vt vobis imponam super hac quæstione silentium, & quod super hoc nostrum sit dolere & remedium apponere seu adhibere, accipite fortissimum & arctissimum casum scripturæ sacræ 2. *lib. parali.* 24. *c.* Legitur enim sic de Rege Ioab; *fecit enim quod bonum est coram cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis.* & de eodem Rege legitur. 4. Regum. 12. c. *vocauit Rex Ioab Ioiadam pontificem dicens, quare sacra tecta non instauratis templi? nolite sic pecuniam accipere à populo amplius iuxta ordinationem vestram: sed ad populi administrationem vel templi reddite eam: quia prohibiti sunt sacerdotes accipere pecuniam vltra à populo.* videtis ergo quod laudatur Ioab, qui curam accepit vt oblationes iuxta intentionem offerentium expenderentur in cultum diuinum, hoc est ad instaurationem templi. laudat enim Regem Ioab Deus, vt ostenderet exemplum quod non cupiditate, sed pietate: non ambitione, sed religione, id faceret. ad tollendum suspicionem, Rex testem volebat habere pontificem: cumque viderent minimam pecuniam in gazophylatio, ascendebant scriba Regis & pontifex, effundebant & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini. Ecce laudata est Regis cura & religio, quæ curam gessit, vt bona illius veteris ecclesiæ & saluarentur solicite;

Digitized by Google

& expenderentur religiose. Scio quod durum sit vobis hoc audire, tamen cum nihil vobis refferã, nisi verba scripturæ. Dictum est enim supra vobis, quod hæc omnia suscepistis ad vitæ subsidium, ad sanctæ militiæ stipendium; quibus duobus dicit apostolus se contentum: & quicquid super est, in pios vsus pauperum & miserorum, erogantes expendatis. quod si non faciatis, multum nostra interest de eisdem curam habere, ne animas mortuorum salutemque viuorum defraudetis.

Clericus. CAP. XXIII.

REx iste Ioab sibi bona non tulit, sed in vsus Ecclesiasticos expendit: sed vos hodie bona nostra tollitis, quæ non in religiosos vsus, sed militares tumultus & bellicos expenditis. vnde exemplum, quod induxistis, nostris non aduersatur operibus, nisi vestram violentiam aliunde coloretis.

Miles. CAP. XXIV.

SEmper in malum vestrum contra stimulum recalcitratis nec est hoc vobis molestum quod de rebus ecclesiæ seu bonis secum tollunt nepotuli vestri & consanguinei, aliæque personæ interdũ minus honestæ: sed vobis omnino est intollerabile & molestum, quod Rex mansuerè petat à vobis & pro gratia accipit pro vestra salute & pro deffensione ecclesiæ & bonorum vestrorum.

Clericus. CAP. XXV.

ME miserum, pellemque meam cum carnibus tollitis, & hoc salutem appellatis.

Miles. CAP. XXVI.

NE pro strepitu sed pacienter audite. considerate vicinos vestros suis egentes, & ad vestra aspirantes. si defficeret Regis potestas qualis esset requies vestra? nonne nobiles egeni & prodigi, si consumpsissent sua, conuerterentur ad vestra? ergo Regia manus est murus. videtur pax Regis, vestra salus: quæ si deesset, aut forsitã esset substracta pax vestra; Salus regis vel peccatis vestris exigentibus à vobis discederet, & vicinis super bona vestra crassantibus, nunc vigentibus nunc cõminantibus, nunc inuadẽtibus: nunc consumẽtibus atq; vastãtibus bona vestra: cogeremini omnibus seruire, si nolletis bona vestra prorsus & funditus perire. quantis velletis tunc redimere, quod manus regia rediret, sicut prius? videtur igitur, cum pauca Regi traditis, quo modo salutem vestram redimatis quãdo omnia bona vestra despẽdẽda saluatis. sed sicut vos semper fuistis beneficiis ingrati sic estis nunc in vestris profectibus querulosi. quod si manus hostilis Rege tradente Regnũ inuaderet nõne omnes predis & rapinis interiretis? & ferocitatem barbaricam vobis importabilẽ sentiretis? relictis sedibus attriti & attoniti fugeretis? & totum perderet, nunc in minimis doletis? quod si Reges & principes suis expensis? & periculis tenerentur vos deffendere, seque morti grãtis pro vobis exponere, vos sub vmbra quiescere, comedere splendide, iocunde bibere, super lectos ornatos quiescere, dormire quiete & in stramentis mollibus: ergo & vos estis soli vere Domini, Reges verò & principes serui vestri. aliquando pro vobis & res & personas offerunt morti. si datur personis ecclesiasticis requies, non est magnum, si personis seruant opes. hoc dicitis esse durum: sed non quiescitis, donec more solito conuicti fueritis ac etiam confutati diuinis, quibus non potestis obuiare, scripturis. Nam de Rege Ioab superius memorato habetur quarti Regum. 12. ca. *quamobrem tulit Ioab Rex Iuda omnia sanctifica, quæ consecrauerant Iosaphat & Ioram & Ochasia pater eius Rex Iuda, & quæ obtulerat vniuersum argentum quod inueniri potuit in thesauris templi Domini & palatio Regis.* & eodem modo legitur quarto Regum. 18. ca. de Ezechia Rege sancto: *in tempore illo primo fregit Ezechiel columnas tẽpli Domini & auri, quas ipse affixerat, & dedit eas Regi assiriorũ,* quod si dicatis, Ezechiel egit male. respondeo quod Ezechiel *non reprehenditur in omnibus operibus suis seu aliquo eorum, præter quam in legatione principum Babilonis.* quis ergo damnabit eum? non ergo parcendũ materiali ecclesiæ, vbi discrimen imminet genti Christianæ, quod sanctus Ezechiel intellexit & fideliter adimpleuit. Si enim bona vestra sint ecclesiæ, & populus in ecclesia est, iustissime, vbi salus populi pendet, expendenda sunt: Nam templum spirituale, quod est homo, dignius est materiali templo lapideo: nec hiis quæ dedicata sunt templo, vt salus reddatur & pax periclitanti populo, nec blandiandum est ecclesiarum superfluitati, imo succurrendũ tantæ necessitati. nec vos clerici debetis exasperare Regem in mansuetudine vobiscum compatientem, & solita beniuolentia vos regentem. Cauete à verbis Salomonis quod ira Regis nuncius mortis.

Clericus. CAP. XXVII.

SI possunt reuocari, quæ semel sunt donata, ergo mutari possunt omnia vota.

Miles. CAP. XXVIII.

HOc non est ea, quæ data sunt, reuocare, sed ad illos vsus, quibus ordinatæ sunt applicare. Quæ enim sunt Deo data, eo ipso sunt piis vsibus dedicata. quid enim sanctius est quam Christiani populi salus? & quam pacem subditis & fidelibus emere? Cum ergo in hiis bona ecclesiæ expenduntur, veris vsibus, quibus fuerant dedicata, redduntur.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. XXIX.

SI adeo scripturas sacras recipitis, quare libertates nostras infringitis; quis libertates nos ex ipsis constat traxisse scripturis. Dominus enim interrogauit Petrum Matthei 17. cap. *reges terræ à quibus recipiunt tributũ, à filiis an ab alienis, & ille dixit, ab alienis. dicit illi Iesus, ergo liberi sunt filii. vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare & piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inueniens staterem, sumens illũ da pro me & pro te.* videtis miles, quod clerici Christi seruicio mancipati, sunt liberi omninò?

Miles. CAP. XXX.

QVamuis verbo Euangelii possit faciliter responderi, ad præsens cõcedo, quod clerici in suis personis sunt liberi. dico tamen, quod non coniugati, non vita & conuersatione laici, quod non ad honorem domini sed in fraudem domini sunt tonsurati. Clerici Christum sequentes, vt Petrus, & altaribus sacris mancipati, isti quidem sunt liberi & per priuilegium principum. Nam ab origine ecclesiæ, dicit Paulus ad Romanos 14. cap. *omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita.* & post ibidem dicitur, *reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Sed, vt dixi, nunc estis in personis liberi, quia Christi officio estis applicati. Nunquid per hoc eadem libertate gaudebunt agri vestri? Si enim ecclesia emit censualem agrum, nunquid ille, cui soluendus est census, perdet eum?

Clericus. CAP. XXXI.

NOn de censibus, sed de exactionibus sermo est.

Miles. CAP. XXXII.

SIcut ergo super certos agros habeo certum annuum censum sic Rex Franciæ in regno suo pro defensione patriæ seu reipublicæ, cum oportunum fuerit, pro arbitrio voluntatis potest leuare tributum. Clara enim ratione conceditur, vt respublica reipublicæ sumptibus, deffendatur. & quæcunque pars gaudet istã defensione. sic ergo non minus iuste possessiones obligatæ seu subditæ sint ad onus publicum, quam ad annuum censum: ad quemcunque transeunt, semper erunt cum onere *l. fi. ff. de contrahen. empt. & ven.* quod si dicitis, quod contra hoc præscripsistis longæua vsus libertate: Respondemus, quod quanto benignitate principum sit libertas vestra longior, tanto, vt apparet, vbi necessitas eminet, debet esse voluntas pronior ad subueniendum. Nam docet experiẽtia, quod multæ ciuitates & loca priuilegiis & longæua cõsuetudine ab omni exactione tutæ, soluerunt & soluũt hodie, quod placuit principi pro defensione regni.

Clericus. CAP. XXXIII.

NVnquid per regem tollendæ sunt gratiæ per reges & prædecessores suos concessæ, & per bonorum principum priuilegia sanctæ Dei ecclesiæ concessa.

Miles. CAP. XXXIV.

FAteor & verum est, amplissima vobis priuilegia per principes indulta. scire debetis, quod quicquid ratione reipublicæ faciunt, ad vtilitatem reipublicę suum debent habere intentum, in tantum quod salutem reipublicæ saluti propriæ, quod est in principe gloriosissimum, anteponunt. vnde constat eos nihil posse imposterum concedere quod reipublicæ valeat derogare. plane colligitur in omnibus priuilegiis hoc exemplum, quod vbi indultum priuilegium in posterum sit reipublicæ nociturum, non valeat. Et priuilegium, quod incipit tendere in noxam, est reuocandum. *ca. suggestum extra, de decimis,* 63, *di.* §. *verum.*

Clericus. CAP. XXXV.

SAltem priuilegia per Imperatorem concessa nequeunt reges etiam Franciæ reuocare: quia illius est reuocare, cuius fuit cõcedere. Et nulli, vt videtur, vertitur in dubium, quin Imperator vbique terrarum sua potuerit priuilegia concedere, cum omnes reges & principes debeant subesse Imperatori in temporalibus, quo ad administrationem & executionem. mundi enim Dominus est. *ff. ad l. Rod. de iact. l. deprecatio. C. de quadri. præscript. l. bene à Zenone.* rem enim vnius potest alteri dare. *ff. de rei ven. l. Item si verberatum. ff. de euictio. l. lucius.* populus enim in eum transtulit suam potestatẽ, *insti. de iure naturali. § sed quod princips. ff. de origi. iur. l. 2.* §. *igitur.* populus enim elegit principem, vt apparet in Saule, 1. *Reg. 9. ca.* 8. *q.* 1. *c. Moyses,* & ibi no. necessarium enim fuit per vnum reipublicæ prouideri. *ff. de origine Iur. le.* 2. §. *nouissime.* Nam multi de facili dissentiũt. sub Imperatore enim subsunt omnes nationes. 11. *q.* 1. *§. hoc si quis.* totius orbis obtinet monarchiam 12. *q.* 2. *c. futurum.* Et merito, quia Imperium à cælesti Maiestate fuit traditum, *C. de veteri Iure. enucle. l.* 1 *in prin.* Sacerdotium enim & imperium ex eodem fonte processerunt, vt in *auct. quomodo oportet episco. &c.* §. 1. Imperatorem enim Deus misit legem animatam in terris, in *auct. de consul. § fi. colla. quarta* Et ideo de cælo imperium cõstituit, vt difficilibus legem imponat, & generi humano distribuat, in *auctentica, de fide instru. & car.* §. *quid igitur colla.* 6. Et sic cum à Deo fuit institutum imperium, quia nulla potestas quin à Deo fuerit instituta, *de homicide. c. pro humani.* §. 1. *l.* 6. Qui ei resistit, ordinationi Dei resistit 11. 3. *c. qui resistit.* Qui enim præceptum Imperatoris contemnit, sibi ipsi iudicium acquirit, & inter homines pœnas luit. omnia enim sibi licent, & sua sunt vniuersa 22. *q.* 2. *conuenior.* hoc etiam probatur, 3. *cap. per venerabi.*

Digitized by Google

lem,vbi dicitur quod Rex Franciæ de facto non recognoſcit ſuperiorem, quaſi dicat de iure debere recognoſcere.& habet Imperator auctoritatem ab ecclesia, quæ imperium transtulit de Græcis ad germanos,*extra de electio.c.venerabilem*.

Miles. CAP. XXXVI.

CLerici ſatis verſute vultis de primo ad vltimum concludere, quod Rex Franciæ ſit ſubditus in temporalibus Romanæ eccleſiæ.vnde ſciendũ eſt, quod ius eſt vnum generale continens in ſe multas ſpecies.1.*di.*§.*eſt autem.&c.Jus generale*.Aliud eſt diuinũ,aliud eſt humanum.100.*d. ca.*2. Ius autem diuinum continet & legem veterem & nouam,id eſt Euangelicam. & de lege veteri videtur, quod Imperator non habeat poteſtatem nec inuenio quod Imperator ſit Dominus.ita enim proceſſit imperium Romanorum.inceperant enim à tempore, quo populus in eum tranſtulit poteſtatẽ, in dicta.*l.*2.*ff.de origine iur.*qui cuncta creauit,vt habetur *Gen.*2.*c.* Dominus eſt omnium, vt dicitur in Pſalmo, *Domini eſt terra*.Item à principio per ſemet ipſum rexit & Iuriſdictionem exercuit,& ſicut factor rem ſuã gubernat & regit,& homini dedit præcepta & perhibitiones,*Gen.*2.*ca.* ipſis tranſgredietibus pœnã impoſuit,vt habetur *Gen.*3.*c.*quia expulit eos à paradiſo,& per ſe puniuit,& multos alios:tamen quia propter hominem cuncta creauerat *Gen.* 1.*c. C.de vſu.l.in pecudum*, ea ſibi conceſit,vt in Pſalmo,*cælum cæli Domino,terram autem dedit filiis hominum* Et quia comunio parit diſcordiam,*ff.de lega.*2.*l.cum pater.*§.*dulciſsimis*, voluit quod occupanti concederetur, vt habetur Deuteronomii. 13. cap. *quamcunque terram calcauerit pes tuus, tua ſit*. & de lege iſta promiſſa fuerunt regna,vt apparet in Dauid,in Saule,& Salomone,& pluribus aliis approbatis *extra.de ſacra vnctione.c.*1.*verſiculo*.vnde in veteri teſtamento ibi enumerat aliquos reges vnctos de mandato Domini, vt dicitur Proue.8.*ca.per me reges regnant & potentes ſcribunt iuſtitiam*.& in Pſalmo,*Deus iudicium tuum regi da*. & in pluribus locis fit mentio de regibus,ſed nihil inuenio de Imperatore,quia nec illo tempore fuit imperium,ſed poſt ea per multa tempora incepit, de lege noua ſeu Euangelica etiam nihil inuenio, pro quod videatur imperium approbatum.de regibus inuenio 1.Petri 2.c.*Deum timete, regem honorificate*.Et illud.*ſubditi eſtote omnipotenti ſiue regi tanquam præcellenti, & ducibus ab eo miſſis. extra de maio.& obe.c.ſolitæ* Et ſciendum quod omnes monarchiæ ab initio pro volentiam & vſurpationem inceperunt,& dignum fuit vt propter violentiam ſuam regnum de gente in gentem transferretur,*Eccleſiaſt.* 10.*c.* Et factum eſt regnũ huiuſmodi donum Domini Dei noſtri & Chriſti filii eius, qui viuit & regnat in ſecula,*Apoca.*11.*cap.*Sibi enim *data eſt omnis poteſtas,in cælo & in terra*, Matthei.vltimo,vt impleatur illud Ezechiel.87. cap. *faciam eos gentem vnam, & erit vnus Rex omnibus imperans, & non amplius erunt duæ gentes*. vnde gloſa Daniel.2.c.dicit quod *ſicut ab initio nil fortius Romanorũ imperio,ſic in fine nil debilius inuenietur*.non obſtat illud Matth.22.c.*reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*,per quæ dicunt aliqui imperium eſſe approbatum,quia non iubet ei reddere omnia, ſed quæ ſunt ſua.ſi ergo dicit ſua omnia,prohibet reliquum,quoniam hæc dictio *quæ* reſtringit, arg.*C. de ſum. trin. l.* 1.ibi, *quos clementia* &c. Et ideo cum Iudæi tentantes Ieſum interrogarent eum,ſi liceret cenſum dare Cęſari.Primò voluit videre nummiſma.& cum interrogaret,*cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio eius*? Et ipſi reſpondiſſent, Cæſaris:tũc dixit eis,*reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Imaginem enim ſuam iuſſit ei reddi:vt habetur in *eodem c.*& forte vt ſcandalum euitaret, ſicut propter vitandum ſcandalum ipſe voluit ſoluere tributum, *Matth.*17.*c.*Ex quibus ſatis colligitur, monarchiam & Dominium per ipſum Imperatorem obtentum eſſe. Nam prima dominia fuerunt ex permiſſione diuina occupata & diſtincta per patres noſtros, vt eſt dictum:& reges inſtituti, & aliqui auctoritate diuina,quod patet etiam in rege Franciæ tam in armorum miſſione, quam ex ſacramentiſſima cælicus miſſa vnctione,necnon ex approbatione, ac ſanctæ Dei eccleſiæ veridica canonizatione.Non licuit ergo Imperatori, nec hodiernis diebus liceret regibus antedictis, Mariæ Chriſtianiſſimo regi Francorum,Dominium ſeu ſuperioritatem regni ſui auferre, & ſibi applicare : lege naturali diuina hæc prohibente,quæ habet,*quod tibi non vis alteri non facias*, Matth.7.c. quia non licet tranſgredi terminos quos poſuerunt patres noſtri.*prouerb.*22.*c.* qui terram diuiſerunt, vt patet in Abraham & Loth, vt ſupradictum eſt.& inter præcepta Domini violentia prohibetur, 14.*q.*5.*c.pœnale*. & ſic cum peccauerit eam illicite occupando.Et non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum,*extra de regu.iur.c.peccatum*. Si peteret reſtitutionem, poſſet ſibi dici,quod dolo faceret, quia petit quod reſtiturus eſſet Chriſto. nec poſſeſſio nec detentio debet ſibi reſtitui, etiamſi conſtaret eum poſſediſſe,& ſpoliatum fuiſſe,cum ſit perſumtio iuris, quod eam occupauit iniuſte, & ſic non eſſet ſibi reſtitutio facienda,*extra de reſtit.ſpo.c. Ad decimas l.* 6.hoc eſt notorium, quia in legibus ſuis continetur,quod per violentiam habuerit, vt. *C.de offi.præfecti prætorio Affrica.l.in nomine Domini.* & ita patebit.

Modo eſt videndum,an Imperator poſſit probare Dominium ſiue monarchiam iure humano. Circa quod aduertendum, quod ſunt plures ſpecies iuriſ.quia eſt ius naturale primæuum, eſt ius gẽtium,& ius ciuile:& eſt etiam ius canonicum.*ff.de iuſtitia.& iure.*1.*prima.*§.*penultimo & fi.c.ius ciuile. in di.* Et de iure naturali primæuo nec ſunt regna nec imperium, quia illud ius conſiſtit in his quæ omnibus animalibus tam rationalibus quam irrationabilibus communia ſunt:vt eſt maris & feminæ coniunctio,& liberorum procreatio.*ff.de iuſti.& iure.l.*1.§.*ius naturale*. De iure gentium,quod etiam naturale dicitur,*inſti.de rerum diu.*§.*quod enim*:cum ad vtilitatem hominum Deus cuncta creauerit. *ff.de vſur.l.in pecudum*:& de iure iſto diſtincta ſunt dominia & regna condita. *ff.de iuſtitia. & iur.l.*

Ex

Digitized by Google

Ex hoc iure. Et sic cum de iure isto sint reges & de iure ciuili solum sint Imperatores, quia per populum Romanum, vt infra patebit: reges titulum habent, cum à iure quodammodo naturali quadam prouidentia sunt instituti, quod ius semper firmum atque immutabile perseuerat, *insti. de iure naturali. §. quod vero.* De iure ciuili est sciendum, quod ius ciuile dicitur proprium cuiuslibet ciuitatis. *ff. de acqui. re. do. l.* 1. §. 1. sed cum simpliciter ius ciuile dicimus, ius Romanorum per excellentiam intelligimus, *insti. de iure naturali. §. sed quotiens.* Sed si ius cuiuslibet ciuitatis consideremus, de illo non est dubium, quod multæ ciuitates & reges fecerunt leges & constitutiones quod non subessent Imperatori. Et refertur, quod Hispani fecerunt vnam legem, quod quicunque allegaret legem Imperatoris in iudicio capite puniretur. Si consideremus ius ciuile Romanorum, quod diuiditur in sex species: scilicet leges, plebiscita, senatus consulta, principum placita, magistratuum edicta, *eodem ti. §. scriptum,* quæ omnia ab ipso papa seu Imperatore receperunt auctoritatem. *C. de leg. l. fina. & ff eo l. nō ambigitur.* de isto, si volumus, de facili possumus nos expedire: quia non debet credi illis, quorum repellerentur auctores, *extra de hereticis. c. fraternitatis:* & *de testamentis. c. licet ex quadam.* nec plus debet credi mortuæ voci quam viuæ: leges enim sunt mortuæ voces principis, in *auctentica. de consul. §. fin. coll.* 4. Et sic populo Romano vel Imperatori, si hoc dicerent, non crederetur: quia factum proprium ipsorum est, in quo nullus Idoneus testis inuenitur. *Digest. de testi. l. nullus.* Et iuste posset eis dici, quod de seipsis testimonium prohibuerunt, & testimonium eorum verum non est. Et multo minus crederetur legibus vel scripturis suis, in *c. licet ex quadam. & c. fraternitatis* superius allegato. Sed etiam clarius patet de iustitia regis Franciæ. & secundum leges Imperatorum possumus nos defendere. Et sic ex suis codicibus conuincemus eum 14. *di. c. sincera.* Nam aut ipse aget petitorio aut possessorio. si petitorio, debet se probare Dominiū de iure gentiū vel ciuili acquisiuisse. *ff. de rei vēdi. l. in rem actio.* Videndum ergo, qualiter acquisiuit Dominium. & si dicatur, quod per electionē populi Romani. Respondeo: quod populus non potuit plus iuris in eum transferre quam habuit. *Digest. de acqui. re. do. l. traditio:* sed populus de iure non habuit Dominium: ergo nec ipse. quod populus autem de iure non habuit Dominium, licet pars sua debeat hoc probare, & nisi probet sequi debeat absolutio, etiam si possidens non sit Dominus. *C. de rei vendi. l. res alienas,* cuilibet notorium est de iure populum violenter & iniuste detinere Dominium: assumamus onus probationis. Et ideo videamus, qualiter habuit Dominium mundi & Iurisdictionem. Certum est, quod ciuitas Romana ædificata fuit per Romulum & Remum, qui erāt fratres & reges: *ff. de origi. iur. l.* 1. *in princ.* & not. *ff. de rerū di. l. fi.* Et qui Iurisdictionem habuerunt & separauerunt, vt in eisdem legibus habetur: Imo vnus interfecit alium quia fecit contra interdictū vt habetur in dicta *l. fi. & 7. q. 1. c. in apibus.* Et de iure videntur habuisse Iurisdictionem, cum locum ædificauerunt, sicut dicitur in *auctentica de quæstore. § si vero forsan.* Et quod ipsi expulerunt Dominium suum, nec fuit iustum nec licitum: & sic non potuerunt in Imperatorem transferre, quod non habebant: nec præscriptione se possent iuuare ipsi, nec successores sui, quia omnes malam fidem habuerunt, & omnes videntur successores viciorum & culpæ. *ff. de diuer. temporis. prescript. l. cum heredes.* præterea reges Franciæ ab infidelibus per violentiam & litem duram acquisierunt & fecerunt sua. de iure gen. *l. postliminiū. ff. de cap. & postli. reuer. c. quod super his, extra de voto & voti redemp.* nec tempore, quo reges Franciæ subditos subiugarūt, erant Imperatores: & dictos subditos proprio sanguine sine Imperatoris suffragio subiugarunt. Nec obstat. Domine clerice, quod in quadam lege per vos allegata ipse se vocat *mundi Dominum.* quia alibi fatetur ipse, & multi erant hostes, aliqui fœderati alii reges alii amici. *ff. de cap. & post. re. l. postliminiū. C. de sum. tri. l. prima & in proœmio digestorum in principio.* nec obstat, quod dicitis, quod imperium fuit à Deo institutum, quia hoc non inuenio per legem nouam seu veterem. Et forte hoc debet intelligi permissiuē. quia non est potestas nisi à Deo iuxta illud, *non haberes potestatē, nisi datum esset tibi desuper.* Et benedictus Deus, nos gaudemus quodam modo possessorio & libertate. *ff. de rei vendic. l. is qui:* & tanto tempore, cuius memoria hominū in contrariū non existit: & ad defensionē nostram possumus plures exceptiones opponere & contrarias. *ff. de excep. l. nemo.* & licet non probetur exceptio, sufficit probare de tempore: *ff. de vsur. l. cum de in rem verso.* Præterea possumus dicere, quod qui terram habuerūt, conuersi sunt ad fidē, & sic Dominiū & Iurisdictionē retinuerūt, vt dicit Innocen. *extra de voto. & voti redemp. c. quod super his.* nec obstat, quod in iure canonico legitur, quod ecclesia à Græcis in germanos imperiū trāstulit, *extra de elec. c. venerabilem,* quia ex hoc non probatur, quod Imperator sit Dominus mundi, nec quod ecclesia plus videtur sibi concessisse ex ista translatione, quam à natura habuit. Nec obstat quod in apibus est vnus princeps: quia nec ego dico, quod in vno regno sint duo reges: sed in quolibet regno vnus rex. nec prohibet hoc, *dictum c.* Imo permittit. Nec omnes grues de mūdo sequuntur vnam, sed vna congregatio sequitur vnam, & alia aliam: sic in quolibet regno erit vnus rex. Nec obstat quod dicitur, Imperatori licent omnia, & ipsius sint vniuersa 13. *q.* 2. *c. conuenior,* quia illa erat allegatio partis, vt ibi patet: nam 8. *dist. c. quo iure* dicitur, quod iura humana Imperatorum sunt & etiam regum, vt probatur statim in *eodem. c.* vbi per Imperatores & reges seculi & per iura regum possidentur possessiones. nec obstat quod dicitur, quod habuit per electionē papæ: & principes per electionē assumuntur, vt apparet in Saule. 1. *Reg.* 9. *c. & 8. q.* 1. *c. Moyses.* Et posito, quod de iure debeant eligi, nō tamen illa iura probant, quod vnus populus possit eligere principem, qui dominetur toti mundo: quia posito, quod sibi possit eligere Dominum, non tamen sequitur aliis. Nec obstat quod dicitur, q̄ sub eo sunt omnes nationes 11. *q.* 1. *§. si quis,* quia illud est dictum Gratiani qui refert Imperatorem Carolum sic dixisse. nec obstat quod dicitur, quod totius mundi obtinet monarchiā 12. *q.* 2. *c. futurā:*

Digitized by Google

Nam ibi dicitur, quod princeps Romanus, qui totius mundi monarchiam tenebat. & hoc non negatur, quin tenuerit, sed negatur quod iuste tenuerit. nam & Parthi & Tyrii, & Græci tenuerunt, & non sunt nunc Domini nec omnis qui tenet est Dominus nec etiam possidens. *C. de probat. l. cum res.* Nec obstat. 11 *q.* 3. § *Imperatores*, vbi dicitur, quod qui præceptum Imperatoris contemnit, iudicium sibi acquirit: quia non loquitur solum de Imperatore, sed de quolibet alio seu principe veritatē iubente. & probatur per illud quod sequitur, *qui facere noluerit quod ei per cor ipsa veritas* &c. *Cor enim regis in manu Dei est & vbi voluerit, inclinabit illud*: in epistola *inter claras*. & sic intelligitur illud. *c. qui resistit, ea. q.* nec obstat. *c. venerabilem, de electione*, vt dicitur quod Rex Franciæ de facto non recognoscit superiorem, quia Dominus: quia nec de facto nec de iure, vt patet per supradicta. nec obstat *dicta glo.* quia dicta eius licet videantur rationabilia, non tamen sunt auctorizabilia 9. *di. c. denique* 11. *q. c. nolite.* Ex quibus clare concluditur, regem Franciæ in nullo subesse Imperatori: & per consequens nec Romanæ ecclesiæ in temporalibus, saltem ex illo capite, quia Imperator subest papæ: & sic priuilegia per Imperatorem ecclesiæ concessa, non se extendunt ad regnum Franciæ, quia extra territorium ius dicenti non paretur impune. Et Domine clerice, satis videtur argumentum vestrum plenum blasfemiæ. quoniam, vt videtur, aut originem ignoratis regni: aut, quod videtur verius, ipsius altitudini inuidetis. Caroli igitur magni registrum inspiciatis, & Historias probatissimas reuoluatis, & sic inuenietis regnum Franciæ dignissima conditione imperii partem esse, & pari diuisione ab eo discretum, & æquali dignitate & auctoritate à quingentis annis insignitum. quicquid igitur priuilegii & dignitatis imperii nomine in parte vna, hoc etiā regnum Franciæ in alia. Cum enim regnū Franciæ à reliqua imperii parte discessit, in quam de facto, & si non de iure, per rationes iam tactas, adhærebat, quicquid in parte dictum imperiū quondam obtinuit, aut iure altitudinis aut potestatis exercuit, hoc principi seu Francorū regi in eadem plenitudine cessit. Et ideo sicut omnia, quæ infra terminos imperii sunt, subiecta esse noscuntur imperio, sic quæ infra terminos regni, regno. & sicut Imperator super totum imperium suum habet leges condere, addere eis, aut diminuere: sic & Rex Francorum inter subditos suos locum sibi vendicare posset, eisdem addere vel diminuere: aut dictis legibus penitus reiectis & abolitis, nouas, si voluerit, promulgare, cum sit summus & verus Imperator in temporalibus in regno suo. Et ideo Domine clerice, linguam vestram cohercete, & agnoscite regē Franciæ Christianissimum legibus, consuetudinibus, priuilegiis & libertatibus regia potestate præesse: posse insuper addere & diminuere legibus imperialibus, & secundum exigentiam temporum nouas pro necessitate & salute populi condere. Et ideo si aliquid pro salute regni tuenda videritis istis temporibus immutari, patienter & æquanimiter hoc sustineatis, Paulo apostolo hoc dicente ad Romanos 13. *c. qui potestati resistit diuinæ ordinationi resistit.*

Clericus. Cap. XXXVII.

Saltem & si Imperatori rex Franciæ in nullo sit subiectus, per iam allegata per vos satis alte & profunde: hoc tamen non potestis negare, quin omnis potestas huius seculi Romano pontifici etiam in temporalibus sit subiecta. Et præmitto vnum fundamentum, quod in habentibus ordinem essentialem in vniuerso necesse est deuenire ad vnum principium, à quo omnia dependent. & propterea demonstratur vnus Deus, à quo dependent cælum & tota natura, *de sum. tri. c.* 1. Et si non esset textus iuris, demonstratur per pilosophū 12. metaphisicæ, vbi dicitur: *Entia desiderant optime disponi; & multitudo principatuum est mala.* Princeps ergo debet esse vnus: & probatur 7. *q.* 1. *c. in apibus*: sed princeps temporalis non potest esse in isto principatu, quia incapax est Iurisdictionis spiritualis *c. decernimus de indic.* ergo necessarium est dicere, quod papa præsit: quia in eo non repugnat habere Dominiū in temporalibus, vt infra plenius declarabitur. Et illud probatur circumscripto & quolibet textu canonico & ciuili: scilicet quod sit vnum solum principium à quo omnia dependent. Nam si essent duo aut plura principia, tunc essent vniformia & vniformiter agerent, sit quod quicquid posset vnum & reliquum. Et tunc cum vnum esset necessarium, alterum esset superfluum. & hoc est resecandum in naturalibus & in positiuis, vt hæc patent in *proœmio Gregorianæ compilationis: & de proba. c.* 1. Aut essent difformia & repugnantia, & tunc vnum foret alterius destructiuum. Et tunc esse principii destrueretur hoc supposito, tanquam vno principio per se noto. probo, quod papa præsit nedum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Et primo sic: principatus papalis est principatus animarum 21. *di. c. in nouo & c. nouit, de iudiciis*: principatus autem Imperatoris vel etiam regis est rerum temporaliū præcindendo à spiritualibus, quorū totaliter est incapax 86. *dist. c. bene quidē, de conscientia c. cum ecclesia*: principatum obtinet papa principaliter & radicaliter in temporalibus: temporalia ordinātur in spiritualia, tanquam in finem proprium, & anima est præciosior corpore 12 *q.* 1. *c præcipimus. & c. cum infirmitas de pæ. & remiss.* Et concludit bene hæc ratio. Nam si bene consideremus situm rerum in vniuerso, omnia quæ creata sunt in terra seu infra globum cælestem sunt propter hominem vt propter finem: hoc probatur. *ff. de vsuris. l. in pecudum. & l.* 2. *ff. de statu. ho.* Surgit naturalis ratio, & demonstratio. nam in habentibus situm in vniuerso imperfectum, ordinatur in magis perfectum sicut in finē suum: vt probatur 1. *physicorum. & 7. metaphysicæ*: sed homo est nobilissimus specierum, infra globum cælestem. ergo cæteræ species ordinantur in hanc vt in finem. in homine enim sunt corpus & anima 32. *q.* 2. *c. Moyses.* & corpus ordinatur in animam sicut in finem perfectum: & potentiæ animæ ad inuicem subordinantur: vt potentia vegetatiua in speculatiuam, & sensitiua in intellectiuam, vt pote perfectissimē corpus informantem; vt *l.* 1. *C. de sum. trin. & si. ca.* Ergo inductiue demōstratur, quod omnia terrestria sunt propter animam rationalem.

Miles.

Milei. CAP. XXXVIII.

SIcut dicitur Prouerbiorum 16. *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, sicut etiam omnia quę in mundo sunt voluit propter hominem operari. & inde est quod sicut voluit hominem formare ad Imaginem & similitudinem suam, sic etiam voluit quod in homine inueniretur quædam similitudo quæ totius mundi esset repræsentatiua. vnde etiā homo Gręce *microcosmus* dicitur, quod interpretatur minor mundus, secundū quod dicunt Isidorus Papias. Microcosmus autem iste mundi maioris similitudinem repræsentat. vnde sicut in maiori mundo inuenitur duplex natura, spiritualis videlicet vt angelica, & corporalis, vt terrena: sic in homine ad ipsius constitutionem conueniunt natura spiritualis, scilicet anima, & corporalis, scilicet corpus & eius membra. quantum igitur ad animā hominis, repræsentatur in ipso natura spiritualis & angelica: vt sicut in angelis inuenitur triplex Ierarchia, sic in homine quantum ad animam est triplex potentia, quæ sunt memoratiua seu memoria, intelligentia & voluntas, secundum quas est Imago in homine, quæ in nulla creatura alia ab angelis inuenitur. Quantum autem ad corpus ipsius pertinet, repræsentatur natura corporalis & terrena, sub qua cuncti homines, quamdiu sunt peregrinantes in mortali corpore, quod aggrauat hominem, continentur. Et hoc videtur Apostolus innuere ad Roman. 12. c. *Multi vnum corpus sumus in Christo.* in corpore autem humano sic est, quod cum in eo sint partes plurimæ, membra & diuersa, sunt tamen duo membra principalia, videlicet cor & caput, quorum sunt varia officia & distincta: & sicut in corpore humano cordis & capitis sunt distinctæ cooperationes, sicut in regimine mūdano sunt distinctę Iurisdictiones, scilicet spiritualis quæ represētatur in capite, & tēporalis quæ repræsentantur in corde: sic in regimine maioris mundi omnes in Christo sumus vnū corpus. huius corporis caput est Romanus pontifex, quia sicut in capite vigent sensus, quibus cætera membra reguntur: & sicut ex capite deriuantur nerui, quibus ipsorum membrorum compagines ad inuicem connectuntur, secundum Isidorum *l.10. Etymol.c.2.* sic in capite, scilicet Romano pontifice, qui omnibus præesse noscitur, spiritualiter vigere debet distinctio & sapientia, quibus Christi fideles, qui sunt membra ecclesiæ, dirigantur. Sed in libro de animalibus 12. dicit, *quod in corde est principium venarum deferentium ad membra sanguinem*, sine quo non est vita 30. *q.2.c. Moysen.* Item dicit idem Philosophus lib.16. quod *in generatione corporis animalis primo creatur cor antequam caput.* Dominus autē temporalis, sicut Rex in regno, recte dicitur fundamentum, propter soliditatem & firmitatem iustitiæ, quæ in imperio debet esse stabilis, & ab isto corde, scilicet seculari principe, procedunt tanquā à principio venæ per quas venas defertur substantia temporalis per singulas partes corporis. Ex his clare respondetur ad suppositum & ad argumentum. Et fateor, quod necesse est supponere vnum principiū seu vnum corpus. & in isto corpore est caput Romanus pontifex, vt est dictum: cuius capitis officium est versari circa maiora, scilicet spiritualia solum, quia per discretionem & sapientiam debet mebra ecclesiæ dirigere ad opera salutis. vnde ad ipsum tanquā ad caput spectat omnibus fidelibus dare sensum discretionis 45. *dist.c. sit rector.* Et etiam in isto principatu est cor, scilicet rex: cuius cordis officium est per venas vel singulas partes corporis substantiam temporalem deferre, & de ipsa ordinare. Et secundum quod caput non debet se de officio cordis intromittere, nec econtra. Sic nec Romanus pontifex debet se de temporalibus intromittere, nec rex de spiritualibus, ne alteruter eorū falcē imponat in messem alienam, *c. nouit extra de iudi. c. quæ in ecclesiarum de constitu. c. bene quidem 96. di.*

Clericus. CAP. XXXIX.

PRincipatus papæ est directio, & principaliter spiritualium: *qui filii sunt legi. c. causam quæ, de iudic. c. nouit.* Imperatoris principatus est temporalium, *C. de præscrip. 30. vel 40 an. l. bene à Zenone. c. solitæ extra de maioritate & obe.* Sed temporalia ordinantur in spiritualia, tanquam in finem. 1 *q.3 c. si quis obiecerit.* & si non essent textus legum vel canonum, hoc probatur per Philosophum 2. & 3 *de anima.* nam quæ insunt causis, insunt causatis; & gubernans finem dirigit & ordinat omnia ordinata in finem. *ff. de procur. l. ad rem, de testi. cogen. c. præterea.* Et probat Philosophus 3. & 4. *Ethicorum.* Si ergo papa obtinet principatum, obtinet radicaliter in temporalibus, quæ ordinantur in ea tanquam in finem proprium.

Miles. CAP. XL.

HÆc ratio non concludit papam fore Dominum in temporalibus: sed solum, principatū papalē fore nobiliorem principatu seculari. Et ad hoc, quod dicitur, *quæ insunt causatis insunt causis*, & *gubernans finem* &c. Dicō quod quadruplex est causa, videlicet materialis & formalis: & istæ duæ sunt intrinsecæ. Aliæ duæ sunt extrinsecæ, videlicet efficiens & finalis. Si ergo intelligatur illud, *quæ insunt causatis insunt causis*, de causa materiali, nō est verum. Materia enim, quantū est de se, nō est nisi potentia pura. Et ii actus qui sunt in composito, non insunt causæ materiali. Similiter etiam de formali: forma enim de se est simplex & ideo ea quæ sunt in composito, sicut compositionem habentia, non debent dici in forma, quia iam non esset simplex. de efficienti causa etiam vero videmus aliqua esse in causante, quæ non sunt etiam in causa: sol enim causa est effectiua istorum terræ nascentiū, & tamen in eis inuenitur humiditas, viriditas, & alia de quibus certum est quod in sole non sunt. De finali etiam causa patet aliqualiter non esse verū. Nam in his quæ ad finem sunt, inuenitur motus: propter quod illud verbum, *quæ insunt causatis insunt causis*, nō potest simpliciter intelligi, nisi fiat aliqua additio, vtpote secundū relationem vel secundum virtutem vt in causa efficiente: vel secundum intentionem, vt in causa finali. Non est ergo verum simpliciter, dicere quod potestas spiritualis causa

sit potestatis temporalis seu secularis, secundũ quod causa recipitur in proposito, vt est dictum. Nam causa prior eo cuius est causa. reges autem habentes potestatem temporalem, prius fuerunt quam pontifices habentes potestatem spiritualem, secundum quod inferius alias latius declarabitur.

Clericus. Cap. XLI.

APud illum & illum solum consistit principatus vniuersi orbis, qui solus dirigit & dirigere potest in finem perfectissimum humanum, cum homo sit finis omnium. *ff. de sta. ho. l. 2. de vsur. l. in pecudum.* Et ille solus est principatus papalis. ergo &c. Probatur sic minor. Nam finis perfectissimus est felicitas, vt scribit Boetius *de consolatione* & Philosophus 1. *&* 10. *Ethicorum.* Et consistit hæc felicitas in actu intellectus. quod demonstratur. felicitas humana est optimum, quod non consistit in potentia: ergo non in actu corporum: quoniam anima nobilior est 12. *q.* 1. *præcipimus.* ergo in actu animæ nõ potẽtiæ vegetatiuę, quoniam illa competit plantis, *de pœnitentia di. 2. c. principium ff. arbo. fur.* cæ. quasi per totum. Relinquitur ergo, quod vltimum hominum bonum ac perfectissimum cõsistit in operatione animæ rationalis informantis corpus humanum 32. *q. 2. cap. Moyses.* in hanc autem felicitatem papa, & solus papa, dirigit hominem & dirigere potest. Nam secundum opinionem gentilium procedunt ea quæ dicta sunt, quod consistit vltima felicitas hominis in his operationibus, & secundum gentiles Philosophos deducta est hæc conclusio. Nam papa, qui solus principatur animabus & earum operationibus, vtpote cunctis spiritualibus: ille enim solus dirigit, & dirigere potest. Si autẽ secundum veritatem & fidem attendamus felicitatem potẽtiæ, quæ insurgit ex spiritualibus, fortius papa dirigere potest cum ipse claues recepit vt liget & soluat 21. *dist. c. in nouo. Matthei* 15. *c.* quod Imperatori nequaquam dicitur esse concessum. Ex quibus luce clarius concluditur principatum papalem fore principatum, & solum vniuersi orbis.

Miles. Cap. XLII.

PRincipatus papalis solus non dirigit nec dirigere potest in finem perfectissimum humanum, sed principatus spiritualis & principatus temporalis simul coniuncti bene dirigunt in finem perfectissimum. Principatus enim spiritualis sine temporali diu stare nõ potest. 1. *q. 3. c. si quis obiecerit.* Mediator Dei & hominũ istas duas potestates discernit, vt Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & põtifex pro cursu temporalium tantummodo rerum legibus imperialibus vteretur, sic quod spiritualis actio à ciuilibus distaret incursibus & Deo militans negotiis secularibus se minime implicaret 10. *di. c. quoniam idem mediator.* Nec in sola & vera commissione regni cælorum venit vel cadit commissio regni terrenorum cum regnum cælorum & terrenorũ ex opposito distinguantur. nec obstat quod dicitur, *quodcunq; ligaueris super terram* &c. quia illa auctoritas intelligitur quantum ad peccata, non quantum ad dominia, & bona temporalia, quibus prohibuit Apostolos implicari. vnde Beatus Bern. ad Eugenium papam. lib. 1. dicit, *ergo non in possessionibus sed in criminibus potestas vestra. propter illa siquidem & non propter has accepistis claues regni cælorum.* Nec obstat quod nequaquã legitur quod potestas regni terreni sit principibus tẽporalibus cõcessa, quia imo reperitur esse concessa principibus temporalibus. primo ab intestato Christo successerũt: quia videtur capere à testatore, à quo testator non abstulit quod auferre potuit. sed Christus non abstulit principibus tẽporalibus Dominium in temporalibus, quod tamen facere potuit: ergo tacite videntur capere Dominium à Christo: Imo etiam videntur capere ex testamento Christi. Christus enim commisit claues regni cælorum ligandi & soluendi quantum ad peccata Petro: ergo videbatur quantum ad temporalia tacite principibus tẽporalibus potestatẽ ligandi & absoluendi committere, aliàs imperfectũ videretur testamentum Christi, quod absonum esset & nepharium dicere, cum ipse non nouerit imperfectum. Imo etiam ex donatione inter viuos hoc videtur principibus temporalibus commisisse Lucæ 22. c. *reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.*

Clericus. Cap. XLIII.

ITem hoc probatur argumento penitus inconuincibili. nam terrestris monarchia est ad instar cælestis monarchiæ à qua dependet. *de sum. tri. c.* 1. Et si non esset textus iuris, probant textus naturalium: *primo cal. primo metaphys. &* 8. *phisicorum*, & deducitur circumscriptis testibus. Nam vnum quodq; tanto perfectius est, quanto magis assimulatur perfectissimo, puta Deo. *de pæn. dist. 2. c. caritas, cũ. c. sequen.* Hoc supposito principio per se noto sic induco. in monarchia cælesti est duplex ordo. est n. ordo corporũ cælestiũ, & est ordo intelligentiarum siue angelorũ ab omni diuisione seu dimẽsione corporea abstractarũ: in machina corporea cælesti est deuenire ad primã spheram, quæ primũ mobile nũcupatur, quia ipsum motũ tota machina inferior circũuoluitur. in ordine autẽ intelligentiarum est deuenire ad primã intelligentiã, à qua cæterę dependent, vt à principio effectiuo, & finali 24. *q. 1. c. immutabilis. 2. q. 1. extra. de sum. Tri.* & singula corpora cælestis machinæ regulãtur à singulis intelligentiis ipsa mouẽtibus, vt cõcludatur ꝙ singula corpora cælestis machinæ depẽdẽt à singulis intelligẽtiis. & singulę intelligẽtiæ depẽdẽt à prima. sic tota illa machina sic depẽdet à prima, quæ est creator omniũ. sic necessario induci debet in machina terrestri, in qua sunt corporea & incorporea, vt corporea regulẽtur ab incorporeis: sic regulatione habita ad terrestria in principatu isto inferiori, erit deuenire ad vnum, qui est regulator omnium incorporalium & corporaliũ à quo dependet tota machina mundana. & iste est principatus animæ rationalis, quæ est primum mouens omnium terrestrium, filiis omnium creatorum sub globo cælesti. & sicut in monarchia cælesti à primo incorporeo tota machina dependet finaliter & effectiue, secundum communem opinionem etiam natu-

Digitized by Google

naturalium, qui posuerunt ab æterno mundum, vt intelligatur effectiue in conseruando, secundum veritatem autem & fidem in producendo; sic in terrestri monarchia totus principatus mundi depēdet à principatu Ecclesiæ, & sicut à fine, in quem omnes mundi principatus resolui debent & ordinari. & per hoc infertur, quod sicut singulæ intelligentiæ regulant singula corpora supernæ machinæ motibus singulis, licet variis secundum intentionem primi motoris, sic singulæ gubernationes terrestris machinæ regulantur iuxta intentionē primi regulantis principatus, vt omnes sint inde dependentes, sicut riuuli à fonte originali.

Miles. CAP. XLIV.

AD id quod arguitur de cælesti monarchia quantum ad ordinem, qui loquitur de Angelis, dicendum est, quod Ierarchia cælestis est de Angelis, Ierarchia terrestris siue Ecclesiastica est de hominibus. & ideo exemplatio Ierarchiæ cælestis ad terrestrem debet esse quantum ad illa, in quibus est conuenientia inter Angelos & homines, & non quantum ad illa in quibus differunt. Conueniunt autē homines cum Angelis non ratione corporis, quia Angeli sunt incorporales, sicut dicit Damascenus lib. 2. de Angelis: *Angelus est substantia intellectualis semper nobilis arbitrio libera & incorporea*: nec ratione temporis, quia Angeli non mensurantur. dicit enim August. 12. de ciuitate Dei *immortalitas Angelorum non transit tempore quasi iam non sit, nec est futura quasi nondum sit*: nec ratione alicuius temporalis, quia talibus non indigent nec vtuntur, sicut dicit Angelus Tobiæ 12. c. *Cum essem vobiscū per voluntatem Dei, videbar vobiscum manducare & bibere: sed ego cibo & potu inuisibili, qui non potest videri ab hominibus, vtor.* sed bene conueniunt homines cum Angelis, quantum ad illam partē hominis, per quam homo est supra corpus & corporalia, videlicet quantum ad spiritum. Quando ergo dicitur Ecclesiastica Ierarchia exemplata est ad similitudinem Ierarchiæ cælestis dico quod verum est in spiritualibus sed in nullo exemplatio ista trahenda est ad temporalia. Et concedo quod sicut in cælesti Ierarchia est vnus, qui præest omnibus spiritualibus, ita in Ecclesia est vnus in omnibus animabus quantum ad ea quæ pertinent ad animam & spiritualitatē: sed non quantum ad ea quæ pertinent ad temporalitatem. nec obstat quod arguitur de cælesti monarchia corporalium, in qua est deuenire ad primam spheram, quæ primum mobile nūcupatur: igitur & in terrestri monarchia necessariū est ponere vnum principatum, ad cuius motum tota machina inferior circumuoluitur. Concedatur hoc. sed huius principatus sunt duo mēbra principalia: caput, per quod intelligitur Romanus Pontifex: & cor, per quod intelligitur Rex. & secundum quod vnum istorum membrorū non debet se de officio alterius intromittere, sic nec Papa de officio Regi commisso: nec econuerso, prout alias latius fuit deductum. Item secundum quod caput non seruit cordi, nisi in quantum sibi competit ex officio eidem commisso ad conseruationem totius compositi, vt spiritum dirigat in finem perfectissimū, sic nec econuerso cor seruit capiti nisi per informationē: sic suo modo sicut Romanus Pontifex minime seruit dominis temporalibus nisi in spiritualibus, in quibus est *seruus seruorum Dei*, sic nec principes temporales dicuntur seruire Romano Pontifici nisi ratione temporaliū, quæ debent viris Ecclesiasticis elargiri, sine quibus spiritualia diu stare non possunt. ad conseruationem igitur huius corporis mistici inter Regem & Papam est mutuum seu reciprocum seruitium. Et hoc aperte videtur ostendere. *c. quoniam idem* 10. *dis.*

Clericus. CAP. XLV.

ITem vnitatem principatus demonstrat natura circumscripto iudicio intellectuali. nam apes ex naturali instinctu. & etiam bruta vnum habent ducem, sic & grues. 7. *quæstio.* 1. *ca. in apibus*, & scribitur de pluribus animalium generibus in *libro historiarum Aristotel.* & si natura hoc insinuat, ergo & naturæ naturanti hoc conuenit, quæ est omnium directrix *Gen. primo cap.* Hac principatus vnitate supposita, sequitur quod papatus est ille, per iam demonstrata.

Miles. CAP. XLVI.

COncedo vnum esse principatum. sed ista vnitas non tollit duplicitatem iurisdictionis, & potest summi *vnum* multis modis. vno modo dicitur aliquando vnū indiuisibilitate, quod non diuiditur nec actu nec potentia vt punctus. alio modo dicitur *vnum* continuitate, quod est vnum actu, & plura potētiā, sicut linea. Tertio modo dicitur *vnum* perfectione, sicut domus vna, vel calciamentū, & huiusmodi, & hoc modo dicitur *vnum*, ad cuius integritatem diuersa requiruntur. & hoc modo sacramentum eucharistiæ dicitur vnum, quamuis in eo diuersa concurrāt: & ex parte formæ, i. verba consecrationis sanguinis. & isto modo dico principatum orbis esse vnum, ad quem principatū plura concurrunt ad hoc vt principatus sit perfectus, & inter cætera duo principalia, scilicet iurisdictio ecclesiastica & temporalis. duplicitas igitur Iurisdictionis non arguit duplicitatem principatus. nec obstat quod de apibus arguitur: quia non omnes apes mundi habent vnum principem, nec omnes grues vnum habent ducem: sed apes vnius loci vnum, apes alterius loci alium. Et sic exemplum non probat illud, ad quod inducitur: imo prima facie intuenti cuilibet probat oppositum; quia per illud infertur, quod naturæ non repugnat quod sint plures principatus in orbe.

Clericus. CAP. XLVII.

COnfirmatur arguendo de paruo mundo ad magnū. Nam homo dicitur microcosmus i. paruus mūdus, vt scribit Philosophus 8. Phisicorum. in homine autem à natura naturante hoc introductū est, quod eodem principio quo regulantur actus & operationes spiritualis humanæ, eodē principio regulantur omnes actus eidem deseruientes. Nam anima rationalis omnes actus suos dirigit & regulat iuxta varietatem potentiarum ipsius. Nam potentia speculatiua speculatur, ratiocinatiua ratiocinatur, & potentia volitiua in bonum dirigitur secundū has potentias: sed in has potentias nō

Digitized by Google

potest nisi subministrata à virtutibus organicis. nec illæ deseruire possunt, nisi organa, quibus iniunguntur, aliis corporalibus nutritiuis resollicentur. Et ptopterea scribitur, quod spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt. 1.q.3.*c.si quis obiecerit.* Hanc autem dispositionem temporalium regulat anima intellectualis. sic est ergo in paruo mundo, microcosmo nuncupato, quod anima rationalis, quæ est spiritualissima, quæ regulat omnes actus spirituales humanos, regulat necessario & consequenter omnia alia temporalia in ipsam, & actus suos ordinat. quare non sic in magno mundo. id est in orbe terrestri dicemus, quod princeps animarum & omnium spiritualium regulet omnia tẽporalia eisdem deseruientia, vt sic dicamus ipsum principatum Papalem habere instar vnius spiritualis diuinæ intelligentiæ, viuificantis totum orbem, cui omnia terrestria subiiciantur, & ab ea regulantur.

Miles. CAP. XLVIII.

DEus formauit hominem ad imaginem & similitudinem suam, & voluit quod in homine inueniretur quædam similitudo, quæ totius mundi esset repræsentatiua, & ideo minor mundus vocatur, vnde cum in homine per caput potest figurari iurisdictio ecclesiastica, per cor iurisdictio temporalis prout alias fuit tactum. sicut igitur manet vnitas corporis humani, & si membra habeat plurima, & diuersa officia habentia: sic manet vnitas principatus vniuersi, quamuis diuersæ sint iurisdictiones. Dico igitur, quod sicut in homine est anima rationalis, quæ omnes actus suos dirigit & regulat iuxta varietatem potentiarium ipsius. Nam potentia speculatiua speculatur, ratiocinatiua ratiocinatur, potentia volitiua in bonum dirigit: sic & Christus qui est sponsus cuiuslibet animæ fidelis principatum vniuersi orbis dirigit & regulat iuxta varietatem potentiarum ipsius. Nam potentia spiritualis seu ecclesiastica versatur circa spiritualia; potentia temporalis circa temporalia ministrando, diuidendo, & iustitiam cuilibet inter quodlibet membrum corporis per indigentiam & rationem faciendo. vnde secundum quod anima rationalis habet diuersos actus, vt est dictum, sic pari forma istæ duæ potentiæ, spiritualis & temporalis, debent habere diuersos & separatos actus.

Clericus CAP. XLIX.

NEcessario qui principatur spiritualibus, habet principare temporalibus. Nam qui principatur temporalibus, dirigit & regulat in bonum vltimum perfectum. hoc enim est de natura optimi principatus, vt scribitur. 1.*& 2. politicorum. & 1. œconomicorũ*, & probatur. 7.*q.1.c.licet & c.sicut.* ad ipsius ergo gubernationem spectat cognito finis optimi, in quem dirigit, & mediorum per quæ deuenitur ad finem. hæc autem media procedunt ex vsu temporalium vel eorum abusu. 47. *dis.c. omnes & c. sicut hii.* ergo necessario ad principem spiritualium spectat principatus temporalium. Patet exemplum familiare. medicus, qui in arte peritus dirigit hominem ægrotum in sanitatem, & ipsius intentio principalis ad hunc finem, non potest dirigere finaliter nisi applicationem remediorum alterantium simpliciũ medicaminum. spectat ergo principaliter ad cognitionem medici & ipsorum applicatio, cum ad ipsum spectet cognitio complexionis & discrasiæ, licet apothecarius manualiter ad iussum medici ipsa ministraliter præparet & disponat. Medicus tamen auctorizando omnia disponit & regulat. *de pœn. di. vi. c. sacerdos, de pœn. di. 1. c. mensuram & c. medicamentum*: sic a simili principatus papalis est directiuus spiritualium in finem suum, & ad eius directionem est opus temporalibus auctorizabiliter. ergo habet regulare temporalia, & super hiis leges promulgare, licet Imperator ad eius iussum in illis administret & principetur.

Miles. CAP. L.

COncedendum est quod principatus Papalis concernit temporalia, prout de necessario concernit spiritualia, cum ab eorum vsu vel abusu surgit peccatum, prout dicunt textus, quod ratione peccati omnes causæ spectant ad forum ecclesiasticum. *c. nouit. de iudi. & c. per venerabilem, qui filii sunt legitimi*: tamen principaliter disponendo & auctorizando nihil spectat ad Papã quantum ad temporalia, cum duo sint genera hominum per se principaliter distincta. 12.*q.1.c. duo sunt.* 19.*q.3.c. duæ. de regula. c. licet.*

Clericus. CAP. LI.

APud illum consistit principatus vniuersi orbis, qui principando magis assimilatur primo, à quo dependet cœlũ & tota natura. hoc patet vnum quodq; tãto perfectius est quanto magis assimilatur perfectissimo, *de pœn. di. 2. c. caritas & c. a principium.* talis est principatus Papalis: principaliter dirigit hominem, qui est finis omnium genitorum & corruptibilium, quæ sunt in massa inferiori, in cognitionem & dilectionem Dei. & per hos actus assimilatur quis Deo, quoniam perfectissima operatio Dei est sui ipsius cognitio & dilectio, vt etiam sentiunt gentiles Philosophi, vt scribitur. 12 Metaphisicæ, ibi *monet autem sicut amabile & desiderabile etiam.* igitur principatus Papalis est principatus principans & salus vniuersi orbis.

Miles. CAP. LII.

QVando arguitis, quod apud illum consistit Principatus vniuersi orbis, qui principando magis assimilatur primo, à quo dependet cœlum & tota natura, hoc negatur. Et ad probationem, quãdo dicitur & *vnũ quodq; perfectius est quando magis assimilatur perfectissimo*: fateor hoc. Et volo, quod ex hoc concludatur, quod principatus Papalis sit perfectior & nobilior principatu terrestri. Sed nolo, quod ex præmissis inferatur, quod principatus Papalis debeat preesse in temporalibus & spiritualibus, secundum quod in simili male inferretur, quod principatus regni Franciæ perfectior nobilior & potentior sit principatu regni Hispaniæ, ergo rex Franciæ præest & dominatur regi Hispaniæ.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. LIII.

ILle principatus est summus principatus & solus in vniuerso terrestri, qui attingit omnem gradum vltimæ perfectionis in via. talis est principatus ecclesiæ: ergo &c. maior patet de se. minor probatur: vltima perfectio acquisibilis in via est existens in actu intellectus contemplatiui & intellectus practici circa regulationem omnium actuum humanorum, vt recte quidem operetur in seipso & vt bene operetur propter bonum publicum, cum in hoc finaliter tendat quælibet virtus moralis. Et propterea iusticia legalis formaliter est omnis virtus non differens à singulis virtutibus, nisi sicut totum à partibus singulis. Circa hoc autem versatur principaliter principatus ecclesiæ. versatur enim circa contemplationem, & maxime primi contemplabilis, ex quo fidem supponit, quæ est cognitio diuinitatis & sic circa contemplationem: & maxime primi contemplabilis, ex quo fidem supponit. quæ est cognitio diuinitatis ex reuelatione, vt *cap. 1. de sum. tri.* Et sic circa fidem, quæ est cognitio diuinitatis. & sic circa contemplationem ipsius, cognoscendo per fidem & diligendo, *de pœn. di. 2. cap. caritas & cap. sequentibus.* Præmissæ ergo rationes concludunt supposita vnitate principatus in orbe terrestri, vt supra est deductum, immo per se notum. Et supposito, quod principatus ecclesiæ sit principatus animarum rationalium & spiritualium eisdem annexarum, quod principatus ecclesiæ sit principatus totius orbis, & quo ad temporalia & quo ad spiritualia: & quod principatus Imperatoris siue regis sit subministrans & deseruiens & mobilis & reuocabilis ad iussum ecclesiæ. Et probatur circumscripta lege canonica, ne dicatur quod hoc probetur lege papali. Et sic producantur testes de familia sua & circumscripta, etiam fide & veritate legis diuinæ & testamenti: immo hoc demonstratum est ex meris naturalibus & testmoniis & testibus gẽtilium philosophorũ.

Miles. CAP. LIIII.

CHristus habuit excellentiam super omnem creaturam auctoritatiue, non tamẽ executiue. nam inter homines apparuit in forma serui, in humana natura passibili propter ministerium nostræ redemptionis adimplendum, sicut fuerat prædictum per Esaiam. 54. c. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* si Christus apparuit in forma serui, multo magis & ipsius vicarius Romanus Pontifex debet apparere vt seruus respectu temporalium, non vt Dominus. vnde principatus ecclesiæ est summus in temporalibus ratione eminentiæ dignitatis, non ratione prærogatiuæ iurisdictionis. Exemplum familiare magister in theologia habet. vacare circa speculatiuam, & circa actus intellectus speculatiui, & intellectus practici circa regulationem actuum humanorum, vt recte quilibet operetur in seipso: & versatur circa contemplationem primi contemplabilis, quę est cognitio diuinitatis ex reuelationibus. *cap. 1. de sum. tri. & fi. ca.* & sic magister in theologia potest dici medicus animæ & est superior medico corporis, qui habet vacare circa practicam & sanitatem corporis. & dico superior ratione eminentiæ dignitatis. Narratio dignitatis, vt in sessionibus & honoribus theologus præcederet medicum. sic suo modo principatus ecclesiasticus superior est in temporalibus principatu terrestri ratione prærogatiuæ dignitatis non ratione iurisdictionis.

Clericus CAP. LV.

IN perfecta gubernatione vniuersi orbis necessario est deuenire ad vnum principium, à quo omnia gubernentur. Et propterea populus Romanus transtulit omnia seu omnimodam potestatẽ in vnum. *ff. de origine iur. l. 2. §. ex actis 9. q. 3. ca. cuncta per mundum.* MILES. Non sequitur: populus Romanus tempore sui regiminis transtulit omnimodã potestatem in vnum: ergo ita erat faciendum. non enim exemplis est iudicandum *l. licet ff. de offic. præsid. l. nemo. ff. de sententi. & interlo. omnium iud.* illud autem factum humanum fuit & possibile. idem iudicium humanum in hoc decipiebatur, quod fallit & fallitur. male igitur arguitur de iudiciis humanis ad iudicia Dei, quæ nec fallunt nec falluntur, quia non potest tanta similitudo inter ista iudicia notari, quin maior sit dissimilitudo notanda. *ca. damnamus in fi. de sum. tri. & fi. ca.* Præmissis naturaliter demonstratis licet transire ad testimonia legis diuæ & ad testimonia legis humanæ positiuæ, ex quibus habent fomentum demonstrationes naturales.

Clericus CAP. LVI.

COnsiderata igitur lege diuina & discussa monarchiæ mundi, hoc aperte probatur. nam vt scribitur Gen. 1. ca. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & omnia quæ in eis sunt. Angelicam & humanam naturam, spiritualia & temporalia & omnia gubernabat, sicut & factor, gubernat rem factam, & homini quem creauit dedit præcepta & transgredienti pœnam imposuit, & statim exortum est ius naturale progrediens ex naturali intelligentia. *6. dis. in principio. ff. de iustitia & iur. l. 1.* pœnam imposuit transgredientibus Gen. 2. cap. ibi *ex omni ligno* &c. Et primis parentibus pœnam imposuit perseipsum Gen. 3. cap. ibi *mulieri dixit* &c. Et ibi Adæ quoque dixit &c. temporis transcursu puniuit Cayn, Lamech & quosdam alios *Gen. 4. cap.* Et sic vsque ad tempora Noe per seipsum rexit mundum nec apparet ius monarchiæ alicui monarchę concessum. Tempore verò Noe cepit per ministros mundum gubernare & Noe fuit monarcha terrestris. Nam commisit gubernationem Archæ ei, vt scribitur *Gen. 5. & 6. cap.* Vnde per Archam significatur militans ecclesia. in hac autem monarchia successerunt Patriarchæ, principes & reges sacerdotes, & alii qui pro tempore fuerũt in regimine populi Iudæorum, & sic durauit vsq. ad Christum saluatorem nostrum. & ille fuit dominus natu-

Digitized by Google

ralis & Rex, de quo scribitur in Psalmo, *Deus iudicium tuum regi da.* ipse enim fuit plenus dominus temporalium & spiritualium, vtpote quia verus Deus & creator omnium, quia constituit sibi vicarium Petrum & eius successores, dicens Petro, *vade, pasce oues meas.* Et illud, *quodcunque ligaueris* &c. *Matth.16.c. de elec.c. significasti.21.di.c. in nono.* & sic in Petrum & successores suos translatum fuit imperium & monarchia terrestris, quæ erat penes Saluatorem nostrum. sed illa erat plena & libera temporalium & spiritualium, cum ipsius veri Dei & factoris omnium sit plenitudo orbis terræ, *de deci.c. tua.* igitur principatus ecclesiæ, attento illo discursu, & origine monarchiæ procedendo vsque ad tempus Christi, attento etiam ipso Christo vicarium constituente. Et hoc plene deducit Innocen. *extra de foro compe.cap.licet.*

Miles. CAP. LVII.

FAteor totum discursum regiminis, prout in præcedente ratione continetur, sed dum in fine argumenti concluditur, quod Christus Petrum constituit vicarium, & transtulit in eum imperiũ & monarchiam terrestrem, dicens *pasce oues meas*, & illud *quodcunque ligaueris* &c. dico hic, quod in vera & sola commissione regni cælorum non venit, nec cadit commissio regni terrenorum, cum regnum cælorum & regnum terrenorum ex opposito distinguantur. sed sic est, quod commisit beato Petro & eius successoribus claues regni cælorum, & non claues regni terrenorum. Et si dicatur, quod dixit beato Petro, *quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis* &c. hoc non valet, quia intelligitur quantum ad peccata non quantum ad dominia & bona temporalia seu negocia secularia, quibus noluit Petrum seu cæteros Apostolos implicari. vnde beatus Bernardus ad Eugenium Papam lib.1. *ergo non in possessionibus sed in criminibus potestas vestra. propter illa siquidem & non propter has accepistis claues regni cœlorum.* Et rursum illa verba, *quodcunque ligaueris super terram* &c. non intelliguntur de potestate iurisdictionis, sed solum de potestate ordinis, quæ maxima est finis alterius & principatus apostolis permissi, fundata super dignissima potestate, quæ est conficere corpus Christi, & confessiones pœnitentium audire. vbi est bene aduertendum quod in peccatore vere pœnitente: i. de peccato commisso dolente, vbi est bene aduertendum, quod solus Deus aliqua operatur etiam absque sacerdotis aliquo ministerio, mentis videlicet illuminationem, culpæ seu peccati contritionem, & æternæ damnationis remissionem. Alia vero sunt, quæ Deus in peccatore non secundum se solum operatur, sed per ministerium sacerdotis, sicut ostendere in ecclesiæ facie quis solutus vel ligatus habeatur in hoc seculo, ligandus vel soluendus in alio. primo cuius Deus peccata retinuerit, aut cuius dimiserit. amplius est & aliud, quod Deus operatur circa peccatorem per ministerium sacerdotis, commutationem scilicet pœnæ purgatorii debitæ peccatori pro statu futuri seculi in aliquam satisfactionem temporalem. ipsa enim relaxat aut partem aut totum, iuxta satisfactionem iniunctam & pœnitentis contricionem: quæ omnia per sacerdotem fieri debent cum claue potestatis secundum discretionem. Et secundum hoc intelligitur illud, *quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis: &, quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis.* Aliquando enim ostendunt ligatos vel solutos presbyteri, qui tamen non sunt apud Deum: interdum indignos ligant vel soluunt, & indignos sacramentis admittunt & dignos arcent, sed intelligendum est in illis quorum merita solui vel ligari postulant. quoscunque ergo soluunt vel ligant adhibẽtes claues discretionis reorum meritis, soluuntur vel ligantur in cælis, id est, apud Deum: quia diuino iudicio sententia sacerdotis sic progressa approbatur & confirmatur. Ecce qualis & quantus est vsus apostolorum clauium. Ad cuius ampliorem etiam habendam euidentiam inducemus exemplum seu comparationem familiarem, satisque etiam verbis & sententiæ Christi & sanctorum concordare videtur. verbũ enim Dei dimittit, sacerdos vero officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet. sacerdos enim est tanquam clauiger cælestis iudicis: & potest æquiparari clauigero mundani iudicis. Nam sicut per verbum siue sententiam iudicis huius seculi damnatur & absoluitur reus à culpa & pœna ciuili, sic per verbum diuinum aliquis simpliciter aut ligatur culpa & debito damnationis seu pœnæ pro statu futuri seculi. Et sicut actione clauigeri mũdani iudicis nemo à ciuili culpa aut pœna soluitur aut dãnatur, per ipsam tamen actionem, qua carcerẽ claudit vel apperit, reus ostenditur solutus vel ligatus, sic quasi per sacerdotis actionem vnusquisq; soluitur aut ligatur culpa & debito damnationis ęternę sed ostẽdetur in facie ecclesiæ quis solutus aut ligatus habeatur à Deo, dum sacerdotis benedictionẽ accipit & ad sacramentorum communionẽ admittitur. Et ideo sicut clauiger mũdani iudicis aperiendo vel claudendo carcerem, officium suum exhibet, illius tamen iudiciariæ potestatis absoluendi vel damnandi iura exercet, quoniam & si de facto carcerem aperiret reo non absoluto per iudicem, ipsumq; populo absolutum suo verbo nunciaret, non propter hoc reus ille absolutus esset à pœna & culpa ciuili. Et è contra si carcerem aperire recusaret suoq; verbo nunciaret non esse absolutũ vel dãnatum, quem vere iudex per suam absoluisset sententiã, non propter hoc ille debitor esset culpæ vel pœnæ ciuilis. Sic proportionabiliter sacerdos clauiger cœlestis iudicis officium suũ exhibet per absolutionem seu absolutionis aut ligamenti seu maledictionis verbalem pronunciationem, quod si vere damnandos per supernum iudicem vel iam damnatos sacerdos ipse ignorantia aut aliàs, aut vtrosq; absolutos vel absoluendos pronunciauerit, aut è contra, non tamen propter hoc erunt primi soluti aut secundi damnati, eo quod clauẽ aut claues cũ discretione non adhibuisset reorum meritis. Ille igitur solus iura potestatis exercet in hiis, & iudex est coactiuam habens potestatem, qui solus nec falli humanis cogitationibus & operationibus potest, quoniam vt in psalmo: *omnia nuda & aperta sunt in oculis eius & qui solus nec quicquam vult peruerse quoniã iustus es domine & omnia iudicia tua iusta.*

sunt.

Digitized by Google

sunt. & omnes viæ tuæ misericordia & veritas. vnde Iacobi. 4. cap. *vnus est legislator qui potest perdere & liberare.* quod Iacobus nec de se ipso, nec de aliquo dicit apostolorum, cum tamen esset vnus de hiis tribus, qui videbantur columnæ ecclesiæ, vt dicit apostolus *ad Gal. 2. cap.* Voluit autem Christus huiusmodi sententias per ipsum latas aut ferendas in alio seculo per sacerdotes pronunciari, vt ex hoc peccatores in hoc mundo terreantur, & à sceleribus & criminibus reuocētur ad pœnitentiam; quomodo si medicus corporalis sanitatis, cui docendi & operandi secundum artem medicinæ potestas est data, ex institutione iudicis seu legislatoris humani de futuris sanis aut morituris iudicium secundum medicinalem scientiam in populo promulgaret, vt ex hoc homines sobrie ducerent vitam, & ab intemperatis reuocarentur propter corporis sanitatem conseruandam aut acquirendā, & mortem declinandam; præcepta quoque seu documenta talia exhiberet: præciperet vtique talia medicus obseruari, & ex obseruatione sanos & transgressores morituros iudicaret, quos ille neque sanaret aut informaret principaliter, ministerium tamen aliquod exhiberet, nec rursum posset medicus sua auctoritate sanum aut infirmum ad talia facienda cuicunque sanitati corporali conferentia cōpellere, sed solum exhortari, docere atque terrere per suum iudicium pronosticum eis annunciando sanitatem ex ipsorum obseruatione, mortem vero aut ægritudinem ex talium transgressione. hic etiam proportionaliter medicus animarum, sacerdos scilicet, de hiis quæ ad æternam salutem animæ perducuntur, vel mortem æternam vel pœnam temporalem pro statu futuri seculi, ad quæ cum iudicio neminem arcere potest nec debet in hoc seculo, sed habet auctoritatem docendi & operandi quemadmodum medicus, non tamen per potentiam coactiuam. sic enim Christus vocauit se medicum principem *Lucæ.* 5. Dicit de se loquens, *non egent medico qui sani sunt sed qui male habent.* nec dicit, iudice indigent, quoniam in mundum non venerat ad exercendum de litigiosis iudicium coactiuū, vt fuit sæpe superius dictum, sed viuos & mortuos tali iudicio iudicaturus est in die illa, de qua dicit apostolus. 2. ad Timoth. vltimo capitulo: *de reliquo reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex.* tunc enim coacto iudicio pœnas infliget hiis, qui legem latam per ipsum immediate in hoc seculo transgressi fuerunt. Et propterea signanter dixit Christus Petro: *tibi dabo claues regni cælorum,* nec dicit, *tibi dabo iudicium regni cælorum.* Et vide iam, vt iam tetigi, eum clauigero mundani iudicis comparari.

Clericus. CAP. LVII.

PAtet quod Noe & filiis eius rectoriam dedit *Gen. 9. ca.* & officium sacerdotis exercuit post egressum Archæ antequam leges populo daret Genesis. 8. cap. *Et edificauit Noe altare domino,* quod est officium sacerdotis. & sic fuit Noe primus, cui commissa fuit monarchia terrestris, & officium sacerdotis.

Miles. CAP. LVIII.

NOn legimus quod Noe fuerit primus sacerdos, secundum quod nec Moyses fuit sacerdos vel Pontifex, vnxit tamen visibilitate Aaron, quem fecit Pontificem cum filiis eius, quos fecit sacerdotes, vt hoc habetur *Leuitici. 7. cap.* & habetur 21. *distin.* §. *primo.* Erat tamen Moyses dignior illis virtute, & maior in omnibus: quia in illis ordinibus non erat character, nec illi sacerdotes habuerūt claues, sed tantum offerebant pro populo: & erant mediatores populi ad dominum, quod multo melius faciebat Moyses. Sic enim Noe dignior erat ceteris virtute, & maior in omnibus. Et propterea officium sacerdotis exercebat, non quod sacerdos esset, nec tunc (vt est dictum) erant veri sacerdotes, qui haberent potestatem ligandi & absoluendi. Et sic non mirum, si vtramque potestatē Noe pro tempore suo exercuit, temporalem & spiritualem, cum nulla esset in hoc repugnantia, quod isto duplici officio fungeretur, nec aliqua inhibitio ex parte superioris: hodie vero cum veritas patefacta est, & veritas de terra orta est, reperitur verum sacerdotium habens potestatem ligandi & soluendi. 21. *distin. c. in nouo.* & sic militans Deo non debet se negociis secularibus implicare, *extra ne clerici vel monachi* per totum. Et insuper Christi Prophetico Lucæ 22. cap. *Reges gentium dominantur eis & qui potestatem habent super illo benefici vocantur, vos autem non sic.*

Clericus. CAP. LIX.

HAnc autem conclusionem deducit multis mediis Hostiensis in *c. per venerabilem, qui filii sunt legi.* Præmittamus vnum tamen, quod ipse proposuit in *ca. vnico de sacra. vnct.* Et fuit deductio cuiusdam fratris Alexandri de Ordine Minorum, cuius verba sunt hæc. Militans ecclesia est fideliū multitudo siue vniuersitas Christianorum, *de conse. di. 1. c. ecclesia. 7. q. 1. c. nouacianus:* habens duo latera, scilicet dextrum clericorum ministrantium quæ ad spiritualem vitam pertinent: sinistrum laicorum tractantium necessaria terrenæ vitæ. Item est duplex potestas spiritualis videlicet, quæ caput habet summum Pontificem: & secularis, quæ caput habet regem. Ad hoc facit *de æta. & quali. c. penul.* Spiritualis autem prior est temporali in tribus, dignitate vel auctoritate. Nam spiritus maior est & dignior quam corpus. hoc probatur *de transl. prela. cap. in.* 2. vnde Abraam Patriarcha vt minor obtulit, & Melchisedech benedixit illi vt maior, *ad Hebre. 7. cap. & 21. distin. ca. denique in fine.* Secundo est maior, quia prior in institutione. vnde sacerdotium Melchisedech præcessit legem scriptam, *de consti. c. translato,* cum ibidem notatis. facit quod scribitur *Exod. 18. cap. in fine.* Item per sacerdotium Deo ordinante & iubente ordinata fuit regalis potestas. 1. *Regum* 8. *ca.* dicit Dominus ad Samuelem, *constitue super eos regem.* Et ad idem facit. *Exod. 10. capitulo.* Tertio est prior potestate seu auctoritate, quia spiritualis terrestrem instituit & iudicat, & quod ipsa spiritualis si deuiat à nemine iudicatur.

Digitized by Google

9.q.in ca.nemo.& c.aliorum. Et hanc maioritatem probat Hostiensis pluribus mediis. primo per ordinem scripturæ & legem humanæ in *autentica quomodo oportet episcopos collat.1.C.de sacrosanct.eccle.l.fi.* Priores enim tempore & maiores inferioribus præponuntur, *de nouo codi.fa.l.1.de maio.& obe.c.1.* Secundo ratione subiecti.scilicet animæ quæ præponenda est omnibus rebus humanis. *C.de sacrosanc. eccle.l.sancimus.* propter quod dicitur *omnia animalia sibi subsistunt.* Nam anima facta est ad Dei seruitium, reliqua vero ad seruitiū animæ. Et solet dici quod *cum quis habet rusticum habet & bouem:* & sic qui regit animas, vt est Papa, non excluditur ab hiis qui subsunt animabus: non sic è conuerso. *ff. de adil.edict.l.iustissime.* Quarto ratione fortitudinis, *de transla.episco.ca.1.* vnde quamuis spiritualis sit accessoria alicui principali, dominatur, *de iur.iur.c.debitores.* Quinto quia princeps temporalis nedū sub est Papę, sed etiā simplici sacerdoti, qui ipsum soluit & ligat & iudicat. *de pœ.& remis.c.omnis vtriusq.* cum tamen nullus clericus quantumcunq; minimus, vtens priuilegio clericali, alicui laico possit personaliter subesse. *11.q.1.c.inolita.& c.placuit, de foro competenti.c.si diligenti.* Septimo pluribus auctoritatibus, quæ ponuntur *extra de maio.& obe.c.solita.* Octauo diuino oraculo, antiquitate, diuturna consuetudine approbata, *de transla.epi.c.quanto.* Item hoc probatur ex vi fidei. sicut enim ponere duo principia est hæreticum. *24.q.2 ca.plur.versi.Tridoniā:* sic ponere duos vicarios generales in orbe terrestri repugnat fidei. Ex hiis concluditur, principatum ecclesiæ fore plenum principatum totius orbis spiritualium & temporalium. *Miles.* CAP. LX.

ILlud quod in argumento præcedenti infertur, videlicet quod militans ecclesia habet duo latera, non obstat. Nam videtur facere pro parte contraria eius, ad quam inducitur, sed quod postea dicitur, quod spiritualis prior & maior est in tribus. Primo in dignitate vel maioritate spiritus fateor, hac ratione dignitatis prærogatiuæ maior est spiritualis potestas, non ratione iurisdictionis prærogatiuæ loquendo de temporalibus. Quod vlterius arguitur, quod prior sit institutione, non necessario concludit ergo maior: quia matrimonium fuit primum sacramentum, Deo auctore in paradiso terrestri institutum. *26.dist.c.deinde.c.quod votum, de voto & voti redemptione lib.6.* Et tamē non sequitur, quod maius sit institutione, immo inferius, *de transla.epi.* quasi per totum. nec argumentum ab ordine semper concludit in iure. *l.nec enim.ff.de solu.* quod concedatur ista maioritas intelligendo, quod prius ratione dignitatis prærogatiuæ, non ratione iurisdictionis in temporalibus, cum distinctæ sint potestates. *c.quoniam idem 10.di.* nec obstat, quod per sacerdotium Deo iubente ordinata fuit regalis potestas, sit à sacerdotio institutum seu instituta: immo potius à Deo, quia qui mandatam iurisdictionē suscepit, proprium nihil habet, sed eius qui mandauit iurisdictione vtitur. *l.1.§.qui mandatum.ff. de offic.eius cui mandata est iurisdictio.* Item ad hoc facit. *l.item eorum.§.1.ff.quod cuiusq; vniuersi.* rursum quod dicitur, quod est prior auctoritate, spiritualis terrestrem instituit & destituit: hoc potest negari quantum ad regem Franciæ saltem, & ad similes reges seu principes seculares. esto enim quod Papa instituat & destituat, non tamen regem Franciæ potest deponere. & ad hoc. *c.alius.16.q.6.* alibi infra respondebitur. & cum Hosti. probat hanc auctoritatem ratione ordinis legis diuinæ & humanæ. Respondeo vt prius, quod argumentum non concludit necessario; vel aliter, maioritas concedatur ratione prærogatiuæ dignitatis, non ratione prærogatiuæ iurisdictionis, Nec obstat, quod ratione subiecti maioritas. fateor enim hanc maioritatem intelligendo vt prius, nec ille qui præest animæ debet se de temporalibus intromittere, ne, dum vtrumq; nitatur, neutrū bene peragatur. *C.de assesso.l.nemo.* amplius quod dicitur, quod est fortior spiritualis temporali, concedo attēto subiecto suo, quia versatur circa spiritualia: temporalis vero circa temporalia. nec obstat quod dicitur, quod Princeps temporalis subest nedum Papæ, sed etiam simplici sacerdoti. Verum est in foro animæ: & intelligēdo potestatem clauium, secundum quod latius statim in alio argumento fuit tactum, nec obstat quod dicitur, quod illud probatur ex vi fidei, quia ponere duo principia est hæreticum. dico quod ponere duo principatus non est hæreticum, nec per hoc ponuntur duo principia, sed vnū, scilicet ille qui est principium cuiuslibet principatus: quia non est potestas nisi à Deo. quamuis enim sint duo genera hominum, & duo genera principatuum in orbe, manet vnitas primi principii, quod est causa omniū principatuum. & illa vnitate manēte surgunt immo surgere debent varia genera subiectorum, quod patet. manente enim vnitate creatorum surgunt difformia genera entiū sc. corporea & incorporea, cælestia & terrestria. hæc entiū difformitas arguit perfectionem vniuersi & principatus. immo hæc difformitas procedit iussu primi principantis, & ex ipsis rectissima politia. sunt enim duo genera hominum clerici & layci: & clericorum duo genera, scilicet religiosi & seculares. Nam seculares temporalibus se immiscent, & immiscere debent ipsa ordinando in finem suum, sc. in finem spiritualium: & sic temporalia tractāt ipsa operando & subministrando spiritualibus: quibus clerici immediatius tēdunt, imò nec tēporalibus se immiscere debent, nisi ad vsum spiritualiū, *ne clerici vel monachi* per totum. & quoniam de prioritate Romani pontificis in prioribus fit mentio, est aduertendum, quod Romanus Pontifex & ipsius ecclesia quādiu locus habitabilis existit, pluribus congruentiis vniuersis videtur præferri ecclesiis. Primo quidem propter episcopi sui primi beati Petri & Pauli & vtriusq; excellentem fidem & caritatē & familiaritatē, & per apostolos reliquos illis impensam reuerentiā. Deinde vero propter Romanæ vrbis solemnitatē, & quod dudum super ceteras obtinuit principalitatē, & abundātiā in ipsa virorū illustriū sanctorum atq; doctorū fidei Christianæ, & omniū aliarū ecclesiarū in augmento fidei & eius vnitate seruandi curam diligentē atq; laborem assiduū præbuerunt. rursum & propter populi sui & principis generalē tunc monarchiam, & auctoritatē coactiuam super reliquos omnes mundi principantes & populos, qui de obseruatione fidei & eorū quæ per generalia deferebantur consilia soli poterant omnibus coactiuum facere præceptum, & illius vbilibet trans-

Digitized by Google

gressores arcere: sic quoque fecerunt, & ecclesiam de modico in tam magnam auxerunt, quam ab ipsorum aliquibus postmodum persecutionem fideles sint passi. quandoque propter quorundã malitiam sacerdotum. demum vero congruit episcopo Romano & ipsi ecclesiæ principalitas propter consuetudinem, eo quod habent episcopum & ecclesiam fideles omnes præ ceteris didicerunt seu cõsueuerunt amplius revereri, & illius exhortationibus atque monitionibus ad virtutes & Dei reuerentiã exhortari, eius increpationibus & cõminationibus æternæ damnationis à viciis & scelerib. reuocari. auctoritas autem instituendi prioritatem hanc ad legislatorem sc. dominum temporalem pertinet, dictum enim primi Constantini Romanorum imperatoris insertũ est codici Isidori: in quo continetur inter cetera series hæc: *atque decernentes sancimus atque diffinimus nos* (videlicet Imperator Romanus) *vt principatum teneat ecclesia Romana, scilicet tam super quatuor principales seu præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam & Ierosolymitanam, quamque super omnes in vniverso orbe terrarum, & Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ extiterit, celsior & Princeps cunctis sacerdotibus mundi totius exstat, & eius iudicio quæcunque ad cultum Dei vel fidei stabilitatem procuranda fuerint disponantur*. dixit autem signanter, *procuranda per ipsum fidei sive legis divinæ stabilitatem*, nec secundum suam aut suæ solius ecclesiæ sive collegii sententiæ determinandam: quoniam, vt pridẽ diximus, sollicitare & inquirere opiniones emergentes circa scripturas & fidem, quæ schisma vel aliud scandalum ferre possunt, ac fidelium quietem & veritatem denunciare turbare: idq; denũciare fideli legislatori, nec Noe ceteris coepiscopis & fidelibus iuris diuini peritis etiam laicis, vt superius est expressum. in arduis enim & in hiis maximè, quæ omnes tangunt, debent omnes seu principaliores ipsorum euocari. Amplius, sicut in ciuili congregatione studiosioribus ac magis approbatis viris à suis conciuibus nulla tamen sibi auctoritate subiectis, sed propter solam reuerentiam, quæ ampliori virtuti & ætati deberi videtur, prærogatiua sedendi, loquendi & deliberandi conceditur, & in aliis honoribus deffertur quam pluribus, hic verisimile valde ac iuxta scripturæ seriem propter iam dictas causas ceteri Apostoli Petro deferebant. primus enim inter alios proposuisse legitur. Vnde fortassis à quibusdam sanctis dictus est *os & vertex Apostolorum*, quamuis nulla fuissent sibi auctoritate subiecti, non propter suam electionem. ipsi enim sic sibi præferri voluerunt, vt abbatem ante priorem monachi & præsidem populus. Sciendum itaq; quod ecclesia Romana ab inicio sui vsq; ad tempora Constantini, obtinuit licite prioritatem hanc, ex aliarum ecclesiarũ quasi electionis præbẽtium eidem consensum & obedientiã, sponte tamẽ, non quidẽ quia eidẽ forent aliqua auctoritate subiectæ, sed propter Apostolorũ Petri & Pauli præeminentiã caritatis & in fide constantiã. Et rursũ, propter multitudinẽ soléniũ personarũ in eo honestate præpollẽtiũ atq; doctrina qui ẽt propter ipsorum caritatem immensam curam & solicitudinem assumpserunt aliarum ecclesiarum prælatos & singulares fideles alios instruere & fraternè monere. hiis autem ipsorum monita tanquam doctorũ suscipientibus, ipsorum etiam ordinationes circa ecclesiasticum ritum, quoniam vtiles videbantur, postmodum susceperunt, & demũ ipsorum mandatis sub ecclesiastica censura excommunicationis vel interdicti, propter fidelium vnitatem seruandam obedierunt. quæ siquidem obedientia spontanea per longam consuetudinem obtinuit vim electionis cuiusdam. vnde licet circa initiũ ecclesiæ reliqui episcopi & ecclesiæ fideliũ neq; diuina neq; humana aliqua lege obligarentur obedire mandatis vel institutis ecclesiæ vel episcopi Romanorũ plusquam econuerso: inualescente tamen hac vtili & rationabili consuetudine, qua fideles in veritate amplius seruabantur, eo quod tunc fideli caruerunt legislatore ipsos ad ordinẽ reducente ac in vnitate seruante, obligati fuerũt posteri lege diuina ad obedientiam in licitis & honestis, ac si demum episcopum & ecclesiam per electionem sibi iudicem statuissent circa ecclesiasticum ritũ: & hoc præsertim vsq; in hæc tẽpora, quibus potuissent publice cõgregari, & de statu ecclesiæ perfectionis ordinare de cõtentiosis actibus. Hãc igitur prioritatẽ Romanus põtifex & ipsius ecclesia licite ab initio per quandã sui caritatẽ & solicitudinẽ obtinere cepit, quę postmodũ propter consuetã deuotionẽ, reuerentiam & obedientiã spontaneam electionis quasi robur assumpsit. Nunquã enim ex scriptura colligi potest, quod ex pręcepto Christi vel consilio aut alicuius Apostolorũ ecclesię vel episcopi reliqui subesse deberent ecclesiæ vel episcopo Romanorũ etiam ecclesiastico ritui; quod tamẽ, si necessitas fuisset, debitum ad salutẽ fidelium, quẽadmodũ asserunt iam quidam Romanorũ episcopi, nec solum circa ecclesiasticũ ritum, verum etiã in iuribus coactiuis, non tantũ super clericos verum etiã super seculares principatus quoslibet, quomodo est credibile Christũ & ipsos Apostolos hoc prętermisisse. sed quoniã Christus & ipsi Apostoli aperte statuerunt oppositum, præsertim in iurisdictionibus coactiuis secundũ quod pluries est ostẽsum, tẽpore Constantini primi Romanorũ Imperatoris, qui propter Christi fidẽ & baptismum assũpsit, imo fideles inceperunt publice congregari, & dubia circa fidẽ diffinire, & ecclesiasticum ritum ordinare, vt ex synodi codice apparet, *c. de primitiua ecclesia, in synodo Nycena*. ab hoc si quidem Constantino per edictum imperiale, iuxta laudabilem & antiquam consuetudinem obtinuit episcopus & ecclesia Romanorum prioritatem, quam sibi super alias conueniens & rationabile est competere, prout ex iam dictis euidenciis comprobatur: & vltra prioritatẽ hanc, quarũdam prouinciarum possessiones atq; dominia. quãuis ante tempora Constantini & post etiam, Romanorũ episcopi suis *epistolis* siue *decretalibus* quibusdã prioritatẽ, quam super alios illis conuenire monstramus electione vel constitutionibus principiũ. sibi singulariter absque requisitione legislatoris humani, fidelis collegii cuiusquam, vel personæ singularis cuiusuis, præeminentiæ dignitatis existat, docuerunt diuina lege deberi; cuius tamen oppositum superius est ostensum. Post tempora vero Constantini primi Imperatoris, & præcipue in imperiali sede vacante, hanc sibi deberi prioritatem quandoque lege

duina, quandoque vero constitutione principum suis *epistolis* affirmantur. insuper episcoporum aliqui confirmantes de omni iurisdictione coactiua super omnes mundi ministros ecclesiarum & ipsorum collegia, quo vtentes tanquam sibi conuenienti ex concessione principis, quod diu potens extitit Romanorum princeps ipsiusque regnum & plena sedes, principatu vere deducto in seditionem, & præcipue imperiali sede vacante, per temporum interualla functi sunt hac potestate tanquã sibi diuina lege concessa. sic etiam suis epistolis expresserunt sibi conuenire temporalium omnium dispositionem seu distributionem pro voto absque collegii cuiusquam aut personæ singularis cuiuscunque dignitatis vel auctoritatis requisitione & consensu, quibus etiam ipsorum modernorum excessibus non contenti suis expresserunt *epistolis* siue *decretalibus* auctoritatem siue iurisdictionem coactiuam supremam super omnes mundi principatus, populos & singulares personas sibi lege diuina deberi: sic quidem vt nullus principantium prædictorum iurisdictionem coactiuam, quam vocant ipsi *gladium temporalem*, præterquam contra ipsorum dictamen seu consensum licite valeat exercere. præter autem aut contrarium facientes, aut populos excommunicationis vel interdicti sententiæ vocaliter pronunciando subiectos, asserunt se solos in mundo Christi vicarios, qui fuit *Rex regum & dominus dominantium*: hoc latenter intendentes, quod sibi debitum dictum titulum *plenitudinis potestatis*, propter quod etiam ad suam auctoritatem pertinere dicunt omnia mundi regna & principatus conferre & auferre licite posse regibus & aliis principantibus imperia atque regna omnia titulo supradicto plenitudinis videlicet datæ potestatis à *Christo*.

Clericus CAP. LXII.

LEgitur *Luce.22.ca.* quod cum Christus dixisset Apostolis, *qui non habet gladium vendat tunicam & emat gladium*, Petrus Apostolus respondit Domino: *Ecce duo gladii hic.* respondit Christus *satis est.* Ex quibus videtur quod beatus Petrus duplicem iurisdictionẽ habuit per duplicem gladiũ, spiritualem videlicet & temporalem. & hoc argumentum fecit beatus Bernardus ad Eugenium Papam.

Miles. CAP. LXIII.

DIxit Christus Apostolis, *qui non habet gladium vendat tunicam & emat*, non dixit *gladios*, per hoc innuens quod ecclesia habet duplicem gladium, quod euidenter apparet, dum Christus dicit Petro, *repone gladium tuum in vaginam suam*, nolens quod gladio suo materiali vteretur. Et sic dicatur, Christus dixit *gladium tuum*. ergo gladius erat Petri, quamuis exsequutionem inhiberet sibi pro tunc, quia non expediebat, secundum quod nec semper expedit etiam habenti exercitium gladii tẽporalis quolibet tempore vti eo. *c. latores de cle. exco. & c. vt constitueretur. l. di.* Ad hoc posset dici, quod gladius ille materialis, quem euaginabat Petrus, erat suus, sed non iurisdictio temporalis per gladium designata. vel aliter, *meum* & *tuum* quandoque improprie recipiuntur, secundum quod bubulci & pastores vocantur pecora sua & oues suas ratione custodiæ, secundum quod notauit Acursius. *ff. de abige. l. 1.*

Clericus. CAP. LXIIII.

PApa habet plenitudinem iurisdictionis per hoc, quod est Domini nostri Iesu Christi vicarius, qui dicebat in euangelio, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* vt patet Math. vlt. c. & Apoc. 19. c. scribitur de Christo, quod est *in eius vestimento & femore scriptum, rex regũ, Dominus Dominantiũ.*

Miles. CAP. LXV.

DIco quod Christus quod non habuit nec habere voluit Dominum in temporalibus. nam *Luce.* 22. c. dicitur quod cum quidam de turba dixisset Christo, *dic fratri meo, vt mecum diuidat hereditatem*, Christus respondit ei; *homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos*? quasi dicat, nullus. Si Christus igitur non habuit exercitium in temporalibus, admiratione dignum est, cur sibi assumit Episcopus vel presbyter aliquis, quicunq; sit ille, maiorem aut aliam auctoritatẽ quam Christus vel eius Apostoli habuerunt in hoc seculo. ipsi enim in forma seruorum iudicati sunt per mundi principes: eorum vero successores præsbyteri non solum principibus subesse recusant contra Christi & Apostolorum exemplum seu præceptum, verum etiam principibus & potestatibus supremis coactiua iurisdictione se præesse dicunt, cum tamen dixerit Christus Math. 10. *Et ante reges & principes ducemini propter me*: nec dicit, præsides ac duces eritis. & infra subiungit, *non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum.* nullum igitur iudicium coactiuum in hoc seculo episcopus aut aliquis presbyter exercere potest. fuit etiam hæc sententia Famosi philosophi quarto pol. c. 12 inquit enim, *propter quod non omnes neque electos neque socialis ponendos principes*, puta sacerdotes. rursum si Christus voluisset sacerdotes coactiuam habere iurisdictionem in hoc seculo, tradidisset vtiq; noua lege specialia præcepta, quemadmodum Moysi fecit antiqua lege, quem oraculo suo & non per hominẽ Deus principem Iudæorum iudicem coactiuum instituit, sicut habetur *Actuum* 6. c. per quod etiam Deus illi lege tradidit obseruandorum in statu & pro statu vitæ præsentis ad contentiones hominũ dirimẽdas, præcepta talium spiritualia continentẽ, ad quæ sic quidem obseruanda cõpellebantur & arcebantur homines in hoc seculo per Moysem, & ipsius substitutos iudices coactiuos; minime vero per sacerdotes aliquem, sicut *Exo.* 2. c. Ergo euidenter apparet verum, quod huiusmodi præcepta in euangelica lege non tradidit Christus, sed tradẽda vel tradita supposuit in humanis legibus, & principatus omnem humanam animam obedire præcepit, in hiis saltem quæ non aduersarentur legi salutis æternæ, vt in Euangelio ipse dicit, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.* per *Cæsarem* significans quemlibet

Digitized by Google

libet principantem. & Apostolus, nec reiterare piget, quod *omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*. cum igitur nec in lege gratiæ tradita sint præcepta spiritualia pro contentiosis actibus hominum dirimendis in hoc sæculo, relinquitur talia diffiniri debere per humanas leges tantummodo & per iudices secundum eas ab humano legislatore potestatem habentes. cum hoc stat tamen, quod Christus est rex regum & dominus dominantium, sed non dominus dominans quo ad exercitium in temporalibus, multo minus Christi vicarius erit dominus dominans in temporalibus.

Clericus CAP. LXVI.

SVmmus pontifex nouæ legis non est minor pontifice veteris legis sed ille habuit potestatẽ & auctoritatem in spiritualibus & temporalibus. Moyses quidem fuit iudex populi in temporalibus, & cum hoc fuit sacerdos. vnde propheta Dauid: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*. de principatu vero eius habetur in lege veteri, qualiter iudicabat & quomodo: & in nouo testamento de eodem *Actorum 6.c.* Item Melchisedech rex Salem Sacerdos Dei altissimi &c. *Genesis 14.c.* Iste habuit vtrũque gladium: spiritualem, quia fuit sacerdos; temporalem, quia iudicabat populum. vnde patet. 1. Regum 1.c. *Iste Hely iudicauit decem annis populum Israel*. & hæc erat figura sacerdotii nouæ legis. vnde Apostolus ad Corinth. 10.c. *hæc omnia in figura contingebant illis*. & ad Heb. c. 10. dixit, *vmbram habet enim lex futurorum bonorum*.

Miles, CAP. LXVII.

AD istam rationem respondeo, prout superius respondebatur ad rationem.

Clericus. CAP. LXVIII.

BEatus Bernhardus *de consideratione* ad Eugenium Papam, pertractans illud verbum Domini, *pasce oues meas*, dicit sic: *pasce oues meas, inquit nihil distinguitur, vt nihil excipit*. in 4. libro *de Consideratione* ad eundem Papam Eugenium innuit expresse, Papam habere vtrumque gladium. vnde ibidem dicit sic alloquens Papam, quod *tu denuo vsurpare gladium temptas, quẽ semel iussus es reponere in vaginam, tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur verbum Domini sic dicentis, conuerte gladium tuum in vaginam. tuus igitur & ipse euaginandus. alioquin si nullo modo ad eum pertineret, dicentibus Apostolis, ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus, satis est: sed, & nimis est. vterque igitur ecclesiæ & spiritualis. scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro ecclesia ille vero ab ecclesia exercendus: iste sacerdotis, ille manu militis, sed sane ad nutum sacerdotis ecclesiæ.* Sanctus igitur Bernardus illius fuit opinionis, scilicet quod vterque gladius pertineret ad Papam.

Miles. CAP. LXIX.

CVm Christus dixit, *pasce oues meas*, concedo oues quod omnes dicit loquendo de pastura spirituali, quæ pertinet ad vicarium Christi. vnde propter hanc pasturam principaliter Christus incarnatus fuit & natus de virgine, vt nos pastura spirituali reficeret verbo pariter & exemplo, nec de pastura temporali seu regno mundano multum curauit. Et propterea beatus Ambrosius super Io. 18. c. *regnum meum non est de hoc mundo*, dicit sic: *bene terrena declinat sic, qui propter cœlestia descenderat*. Nec obstat, quod de verbo *tuum* arguitur, quia potest responderi prout ad rationem dicebatur. Ad id quod amplius dicebatur, quod Papa habet vtrumque gladium, nonnulli hoc fatentur, sed quod beatus Bernardus hoc intelligit, gladium materialem videlicet sine aliquo exercitio, vel aliter, dico quod nullam scripturam irreuocabiliter veram credere vel fateri tenemur de necessitate salutis, nisi eas quæ *canonicæ* appellantur, aut eis quæ ad has ex necessitate sequuntur, aut scripturarum sacrarum sensum dubium habentium eis interpretationibus seu determinationibus, quæ per generale fidelium seu catholicorum consilium essent factæ in hiis præsertim, in quibus error damnationem æternam inducerent, quales sunt articuli fidei Christianæ. quod autem sacris scripturis sit veritatis præstanda credulitas & confessio, per se notum supponitur omnibus Christianis: quod vero ipsarum interpretationibus sic factis, vt diximus, eadem sit præstanda credulitas, satis apparet, quoniam ab eodem spiritu nobis reuelatur, pie tenendum videtur. quod etiam ex scriptura & etiam infallibili deductione firmata ostendere possumus. ex scriptura quidem dicente, veritate, Matth. 2. & vltim. cap. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad seculi consummationem*. vbi Rabanus: *ex hoc intelligitur quod vsque in finem seculi non sunt defecturi in mundo, qui diuina mansione & inhabitatione sunt digni, quibus videlicet ad fidei conseruationem Spiritum sanctum pie tenendum est semper adesse*. vnde Hieronymus, *qui ergo vsque ad consummationem seculi cum discipulis se esse promittit, & ad illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum*. rursum videtur Hieronymus in *expositione catholicæ fidei*, sensisse, quod continetur in corpore Bibliæ scripturam sacram vocari, cum dixit: *nouum & vetus Testamentum recipimus in eorum librorum numero, quos ecclesia catholica tradidit auctoritas*. intellexit ergo beatus Hieronymus per *canonicas scripturas* illud solum, quod in corpore Bibliæ continetur, non quidem *decretales* aut *decreta Romanorum Pontificum* & suorum collegii clericorum, neque alia quæuis humana statuta de humanis actibus & humano spiritu adinuenta, cuiuscunq; auctoritatis, scientiæ vel sanctitatis ipsorum auctores extiterunt, nisi à Deo condendi ea specialem habeãt potestatẽ. hoc siquidem aperte ponitur in decretis. 9 *distin. cap. ego solis*. Nam in canone condendo non tam sanctitas seu scientia quam diuina auctoritas requiritur. 20. *distin.* §. *primo & c. primo. Canon* enim regula est & mensura. nec Augustinus, qui tantæ fuit sanctitatis, scientiæ & auctoritatis, suas traditiones canonicas appellare præsumpsit. hoc enim impium videtur esse, & sacrilegii modus

Digitized by Google

quidem, quoniam in humana traditione dicta vel scripta error est vel contingere potest seu falsum, quod in canone secundum veritatem dico, aut eiusmodi quem per generale concilium canonicæ scripturæ interpretatione facta dicimus nullatenus euenire. vnde ex concilio Carthaginens. tertio propheticum reperitur rationabile valde, *ne sub nomine harum canonicarum alia scriptura legatur*. Vnde dicitur ibidem, & in Isidori codice continetur series hæc: *Item placuit vt præter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt autem canonicæ scripturæ genesis*, & cetere quæ de volumine Bibliæ numerantur. cum reuerentia, igitur beati Bernardi loquendo, quantæcunque sanctitatis extiterit, scripturis suis humano spiritu prolatis non semper est fides irretractabiliter adhibenda. Vnde & beatus Augustinus librum *Retractationum* fecit.

Clericus. CAP. LXX.

RVrsum in decretis. 10. distin. cap. suscepistis, *nec libertatem verbi libenter accipitis*. & post pauca inquit, *vobis iustũ videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis spiritualia superentur*. ex hiis infert Gratianus, *ecce quod constitutiones principum ecclesiasticis legibus postponendæ sunt*. de eminentia quoque sacerdotum *super principes seculares habetur* in decret. 98. *dist. c. quis dubitet*, vbi dicitur in rubro, *regum & principum patres & magistri sacerdotes sunt*. & sequitur in nigro, *quis dubitet, Sacerdotes Christi regum & principum omniumque fidelium patres & magistros censeri: nonne miserabilis insania conspicitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare* &c. Et Gelasius Papa Anastasio Imperatori, & ponitur *eadem. di. c. duo*, vbi innuitur, quod sacerdotalis dignitas præfertur principibus. vbi etiam refertur, quomodo *beatus Innocentius Papa Archadium Imperatorem, quia consensit, quod beatus Chrysostomus à sua sede pelleretur, excommunicauit*. ibidem subditur: *Ambrosius, licet sanctus, non tamen vniuersalis ecclesiæ episcopus, Theodosium Imperatorem excommunicans ab ecclesia expulit: qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam preciosius sit plumbo, quam regia potestate sit celsior ordo sacerdotalis*. & sequenti. c. dicitur in rubro, *Imperatores Pontificibus debent subesse*: & in nigro subditur, *Si Imperator catholicus est, quod salua pace ipsi dicimus, non præsul ecclesiæ sed filius est.*

Miles. CAP. LXXI.

IN causis spiritualibus & in hiis quæ tangunt salutem animæ, canones & constitutiones Papales legibus secularibus præferuntur. Et hoc etiam est quod dicitur, quod leges non dedignantur sacros canones imitari. *de no. oper. nunci. c.* 1. Sed in temporalibus leges seculares canonibus præferuntur: nec Papa posset legem imperialem vel regalem reuocare, in hiis quæ non sunt de temporali iurisdictione sua, vt Bernardus notat *extra. de testa. c. relatum*. nec obstat quod sacerdotes patres & magistri sunt principum temporalium, quia illud intelligitur in foro pœnitentiali, *de pæ. & remis. c. omnis*. Et concedendum est quod debent anteferri tanquam patres spirituales, & ratione prærogatiuæ dignitatis, non ratione iurisdictionis.

Clericus. CAP. LXXII.

PApa deponere potest ex causa rationabili principes temporales, vt patet. 15. q. 6. *c. alius*, vbi habetur quod *Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ potestati inutilis erat, regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius loco substituit, omnesq́; Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit*. Ex hoc argui potest, quod si eos deponere potest, habet iurisdictionem aliquam super eos, & sic priuare potest temporali gladio & temporalibus quæ ei aliquo modo subsunt. Et notetur quod non solum istum leguntur summi Pontifices deposuisse, sed etiam alios, quod de Imperatore Frederico & pluribus aliis planum est. Item 76. *di. c. Imperator*, dicitur episcopis caput subdere principem solitum esse & non de eorum capitibus iudicare, vt & *extra de elec. c. venerabilem* dicit Papa sic: *sed illis principibus ius & potestatem eligendi regem & imperatorem postmodum promouendum recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos huiusmodi ius ac potestas ab apostolica sede peruenit, qua Romanum imperium in persona magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos: sic & Princeps recognoscere debet, & vtique recognoscit*. Et sequitur quod quinque *recognouerunt in nostra præsentia quod ius & auctoritas examinandi personam & regem promouendi ad imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, sacramus & coronamus. Est enim generaliter obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid si Principes non solum in concordia sed etiam in discordia sacrilegum vel excommunicatum in regem, Tyrannum vel fatuum hæreticum eligant vel paganum, nos inungere vel sacrare seu consecrare ac coronare hominem huiusmodi debemus? absit omnino*. hoc ibi. Ex quibus patet, quod Papa transtulit imperium, & quod ipse est supra imperatorem. ibidem quoque glo. dicit: *sic legitur in Chronicis, quod cum Romana ecclesia opprimeretur ab Astulpho rege Lombardorum, petiit auxilium à Constantino & Leone filio eius Imperatoribus Constantinopolitanis. Et cum nollet patrocinari ecclesiæ, Stephanus Papa secundus, natione Romanus, transtulit imperium ad Carolum magnum. Coronatus autem est à Leone Papa*. Et infra subdit glo. *in Germanos. i. Theutonicos. sic igitur regnum mundi translatum est ad Theutonicos. Nam ipsi habent regnum Romana ecclesia. de conse. di. 6. c. in die hoc ibi glo.*

Miles.

Digitized by Google

Miles. Cap. LXXIII.

CVm arguitis de Zacharia Papa, qui deposuit Regem Franciæ, dicendum est quod hoc non est verum. hoc enim nunquam permisissent Barones regni Franciæ, vnde & Ioan. in *apparatu decreti* super illo verbo *deposuit*, glosat.1. *deponentibus consentiit.* Et certe secundum veritatem historiæ magis debent glosari *deposuit*, id est, deponere volentibus consuluit. Pipinus enim misit ad Papam, non sicut ad temporalis regni dominum, sed sicut ad virum sapientem ad habendum consilium: quia consilium eius ratione status summi Pontificii videbatur esse multum auctenticum, sicut apparet ex verbis illius historiæ quæ sunt ista. *Pipinus Rex Francorum misit legatos ad Zachariam Papam, consulendum quis potius Rex esse aut dici deberet, qui magnos pro regni pace sustineret labores, an qui deditus solaciis solo nomine esset contentus. Cui idem Pontifex rescripsit, illum potius appellari regem, qui bene rempublicam regeret. qua responsione Pontificis tantum Franci animati, Childerico rege in monasterio detruso, & monastico tegmine palliato, Pipinum regem constituerunt.* quod autem dicitur de Frederico, quem deposuit Innocen. Papa.iv. de ipso potest dici, quod à Papa recepit approbationem seu confirmationem & coronam. *c. venerabilem de elect.* nihil autem horum est in Rege Franciæ. igitur non est simile. nam in penitus diuersis non cadit illa conditio *l. si domus. ff. de serui. vrba. prædi.*

Clericus. Cap. LXXIV.

AMplius expressa sunt verba Nicolai Papæ scribentis Mediolanensibus, & ponuntur. 22. *dist. c. omnes*, vbi dicitur, *Omnes siue Patriarchæ, & cuiuslibet apicis siue metropolitani primatus, aut archiepiscopatus cathedram siue ecclesiam cuiuslibet ordinis dignitatem instituit Romana ecclesia. Illam vero solus ipse fundauit & simpliciter petram mox fidei nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperii iura concessit. Non igitur qualibet terrena sententia: sed verbum, quo institutum est cælum & terra, quo denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit ecclesiam, illius certe priuilegio, illius auctoritate fulcitur. vnde non est dubium quod quisquis cuilibet ecclesiæ ius suum detrahit, iniusticiam facit: qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur. Et cum ille vocetur iniustus, hic dicendus est hæreticus. fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ est mater fidei, & illius contumax inuenitur. vnde sanctus Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam ecclesiam profitetur.* Ex quibus clare concluditur, quod beatus Petrus fuit terreni cælestisque imperii ministrator.

Miles. Cap. LXXV.

REspondeo ad illa verba, quæ magis artant ad propositum, *qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperii iura commisit.* nam debent intelligi per decretum Anacleti Papæ. *di. 21. in nouo*, quia illa commissio facta fuit Petro, quando dominus dixit illi, *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* &, *tibi dabo claues regni cælorum*, sicut habetur in illo, *c. in nouo*, cuius omnia verba sumpta sunt de *Matth. 16. c.* vbi post præmissa verba sequitur: *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ecce quomodo cõmissum est terrenum imperium Petro, videlicet ita, quod in terris potest ligare & soluere: quod certe necessario debet intelligi non temporaliter sed spiritualiter. & hoc apparet per hoc quod sequitur, *& quodcunque ligaueris* &c. Nam in cælis nullum locum potest habere ligamen, vel absolutio temporalis. Et vere qui illud ius ligandi vel absoluendi substrahit, hic in hæresim labitur.

Clericus. Cap. LXXVI.

RVrsum minister superioris legis est super ministro inferioris legis, spiritus quoque super carnem: sed Papa est minister superioris legis: igitur &c.

Miles. Cap. LXXVI.

DIco quod minister superioris legis si sit simpliciter & absolute superior, est super ministrum inferioris legis, scilicet super reges & principes temporales, nisi in spiritualibus tantum: & sic argumentum peccat, & ad fallaciam secundum quid ad simpliciter.

Clericus. Cap. LXXVII.

AMplius ne solus hanc opinionem somniasse videar, alicuius doctoris in Theologia opinionem allegare pro hac parte proposui. Pro quo est sciendum, quod hæc opinio non est noua, sed antiqua. vnde etiam Iacobus de Viterbio in suis *quæstionibus de quolibetis* hanc opinionem tenuit, & probat sic, *quod spiritualis*, inquit, *potestas temporali superior est, non solum dignitate, sed etiam causalitate, patet sic. quæ insunt causatis, insunt causis, sicut dicit Dionysius de diuinis nominibus. igitur oportet potestatem temporalem in ecclesia residere apud illum, qui est summus vniuersalis ecclesiæ prælatus. maior autem huius rationis sic declaratur. quod vero spiritualis potestas sit superior in dignitate satis est manifestũ & ab omnibus comprobatum, 96. dist. cap. duo proprie, vbi dicitur: non tam preciosius est aurum plumbo quam regia potestate ordo sacerdotalis est superior. patet quod causalitate sit superior, quia à spirituali potestate dependet temporalis, sicut à causa. Primo enim hoc apparere potest ex ordine rerũ. videmus enim in rebus, quod corpora reguntur per spiritualia & ab ipsis dependent, sicut à causa, quod quidem considerari potest in diuersis. Nam corpora*

Digitized by Google

cælestia per Angelos administrantur, & in homine, in quo anima corpus regit & mouet similiter & spiritualis potestas causalitatem habet super temporalem & temporalis à spirituali tanquam à causa dependet: cum temporalis magis propter regimen vitæ temporalis, spiritualis propter regimen vitæ spiritualis. Hanc autem rationem tangit Hugo in lib. 2. de Sacramentis, vbi distinguit duas vitas, scilicet corporalem, qua corpus viuit ex anima; & spiritualem, qua anima viuit ex Deo: & duorum bonorum genera deseruientium duplici vitæ bona scilicet terrena & cælestia quæ spiritualia respiciunt: duplicem personam, scilicet laicorum & clericorum: & duplicem potestatem, scilicet spiritualem & temporalem: In quarum vtraque licet sint diuersi gradus, ad vnum tamen caput referuntur. Et hanc duplicem potestatem comparans ad inuicem dicit, quod quantum vita spiritualis dignior est terrena & spiritus quam corpus, tantum spiritualis potestas terrenam siue secularem potestatem honore & dignitate præcedit. nam spiritualis potestas terrenam potestatem etiam instituere habet: & iudicare habet, si bona non fuerit. ipsa vero à Deo prima instituta fuit & cum deuiat, à solo Deo iudicari potest, secundum quod scriptum est, spiritualis diiudicat omnia; & ipse à nemine iudicatur. Insuper hoc potest ostendi ex ordinatione inferiorum artium. videmus enim in inferioribus artibus ordinari, quod ars principalis imperat aliis artibus inferioribus ordinatis in ipsam. potestates autem prædictæ sunt velut artes, quæ est de primo regimine subditorum, & maximè quantum ad animam est ars artium: cap. cum sit ars artium. extra. de ætat. & quali. finis autem, quem videre debet tam spiritualis potestas quam temporalis seu secularis, est in bonum humanum fidelium directiuum quod est, viuere virtuose. & potestas secularis intendit bonum multitudinis humanæ ad quod potest intendere naturaliter: potestas verò spiritualis intendit bonum multitudinis supernaturale scilicet æternam beatitudinem, & in ipsam dirigit. Supernaturalis autem finis potentior est & principalior quocunque alio fine. quare & spiritualis potestas est superior potestate seculari. Et hoc, quia hoc supernaturale sequitur virtute & operatione, qui nos in hanc gloriam introducit. ideo est vicarius Christi simpliciter superior non solum dignitate sed etiam causalitate, secundum enim quod superior præcepit inferiori, qualiter debeat operari, sic & spiritualis potestas imperat seculari. hinc est quod Papa tradidit leges principibus secularibus, secundum quas etiam iurisdictionem temporalem exequi & exercere debeant: nec possunt seculares principes aliunde leges accipere. nisi prius per Papam fuerint approbatæ. hinc etiam est, quod spiritualis potestas regale sacerdotium dicitur, quia Christus est rex & sacerdos. Ideoque ipsius vicarius potestatem habet regalem & sacerdotalem, & per ipsum regalis potestas instituitur, ordinatur, sanctificatur & benedicitur. vnde in veteri testamēto, sicut dicit Hugo in lib. prædicto, post sacerdotium iubente Deo regalis potestas ordinata est, & adhuc in Ecclesia sacerdotalis dignitas regalem potestatem sanctificat per benedictionem, & confirmat per institutionem. Hæc autem ratio confirmari potest per Augustinum in libro de ciuitate Dei, cap. 21 vbi dicit, quod sine iustitia non potest regi res publica recta & vera, cuius modi debet esse res populi Christiani in qua spectat de iure gubernatio ad Papam, qui est vicarius Christi. Et sic patet, quod cum potestas spiritualis sit superior seculari, Papa habet vtramque potestatem à Deo immediate, scilicet spiritualem & temporalem.

Miles. Cap. LXXVIII.

Concedo quod spiritualis potestas sit maior dignitate, sed quod sit maior causalitate, nego. immo ambæ potestates, spiritualis & temporalis, ab eodem fonte, scilicet à Deo, immediate processerunt. 10. *distin. c. quoniam.* item in *Authentica quomodo oportet epi. circa principium collat. 1.* Et ad probationem, per exemplum de angelis: corpora cælestia per angelos administrantur. Dico quod monarchia terrestris est de hominibus. Et ideo exemplatio, Hierarchiæ cælestis ad terrestrem debet esse quantitatiue ad illa, in quibus est conuenientia inter homines & Angelos, non autem quantum ad illa in quibus differunt. Conueniunt autem homines cum Angelis non ratione corporis, quia incorporales sunt. & hoc potest videri in solutione argumenti. nec obstat exemplum de homine, in quo anima corpus regit, sic spiritualis potestas debet regere temporalem, quia hoc concedo in hiis, quæ concernunt animam. spiritualis enim potestas sic dicitur, quia circa spiritualia versatur, nec nomen esset consonans rei, sic circa temporalia versaretur, vel hiis præesset. spiritualis igitur potestas dominatur in spiritualibus, temporalis autem in temporalibus. Ad id quod dicitur, quod principalis finis aliis imperat artibus, ad quas pertinent fines secundarii, eò quod mediante potestate seculari populus potest virtuose viuere. Nam potestas secularis per pœnas & prœmia, & per lèges intendit homines facere bonos & virtuosos. & operatores bonorum, vt scribitur. 11. *Ethi. & ff. de iustitia & iure. l. 1. §. 1.* potestas enim iurisdictionis ad hoc ordinantur, vt homines arceantur à malis, & inducantur ad bonum. vnde 1. *Petr. 2. cap.* dicitur de potestate iurisdictionis, quod est *ad vindictam maiorum laudem verò bonorum. 4. di. c. factæ sunt leges.* per virtutes enim morales & acquisitas, & maximè per prudentiam & iustitiam, quæ debent esse in rege, potest sufficienter regi & dirigi vita præsens moralis & politica sic præcise accepta, sed quia vita fidelium Christianorum non intendit solum ad bona & mala præsentis vitæ, immo principaliter intendit ad bona futuræ, necessaria fuit aliqua potestas, ad quam pertineat eos ad finem prædictum dirigere, & deuiantes corrigere, & ad rectam viam reducere, non solum exhortationibus, sed pœnis congruentibus. & quia ad hoc non sufficit potestas secularis, quæ de se non nouit de pœnis & prœmiis vitæ futuræ nec de meritis seu demeritum, quæ ad eas perducunt seu adducunt. ideo post eam necessaria est illa potestas, quæ communi nomine vocatur potestas spiritualis, quę pœnam comminatur gehennalem, potestas temporalis corporalem. 11. *q. 1. c. qui resistit.* Ex præmissis igitur concluditur, quod potestas spiritualis non imperat seu præcipit potestati seculari, vbi bene & iuste per virtutes morales, prudentiam & iustitiam, vitam præsentem politicam regit & dirigit, nec regimen vergit in detrimentum salutis æternæ

sed vbi

sed vbi princeps secularis & leges suas vel alias vellet se de spiritualibus intromittere, vel aliquid circa subditos facere in detrimentum salutis æternæ, tunc necessaria est potestas spiritualis, quæ hoc casu potestati seculari imperat & præcipit. & hoc est quod dicit Innoc. IV. *extra de iudic. c. nouit.* Ad hoc quod dicitur, quod Papa tradidit leges principibus secularibus, secundum quas debeant viuere, quoniam illud est falsum, immo nec leges Imperatoris seu regis posset Papa reuocare, vt no. Ber. in *c. relatum de testamentis.* Et si aliqua iura hoc dicant, quod tradat leges principibus secularibus, intelliguntur circa spiritualia, & non alias. Et quod dicitur, quod Princeps secularis seu principes seculares non possunt aliunde leges accipere, nisi prius per Papam fuerint approbatæ: hoc posset cõcedi de Imperatore, quem Papa confirmat & coronat, & in quem Papa de Græcis potestatem transtulit imperialem: hoc autem non concederetur de rege Franciæ, quem nec confirmat nec coronat, nec sibi quo ad tẽporalia subest in aliquo. immo econtra ecclesia Gallicana subest regi Franciæ quo ad temporalia. & docet etiam experientia, quod reges Franciæ à tanto tempore, quod non est memoria in contrarium, leges & constitutiones regales fecerunt, quæ nunquam per Romanum Pontificem, sicut nec oportet, fuerunt approbatæ. non obstat, quod per sacerdotium iubente Deo regalis potestas sit ordinata; adeo quod si episcopus commiserit certas personas suæ diœcesis ordinandas, mandans videtur potius ordinare quam mandatarius, quo ad titulum & vitæ necessaria ministranda. *c. si episcopus ver. si vero de praben. li. 6.*

Clericus. CAP. LXXIX.

RVrsum Imperator subest Papæ, & iurat ei obedientiam, per consequens multomagis alii terreni reges & principes vniuersi, qui sibi iure communi subsunt. *l. bene à Zenone. C. de quadri. pra. l. deprecatio. ff. ad l. rodiam de iactu.*

Miles. CAP. LXXX.

POtest concedi, quod Imperator iuret Papæ, & concesso sine veritatis præiudicio, quod quia ab eodem confirmatur & coronatur, quod propterea eidem subsit: non sequitur, quod ceteri principes iuramento fidelitatis Romano Pontifici sint astricti, vel eidem subsint. quamuis enim dicatur. 11. q. 1. *c. futuram*, quod imperator totius mundi tenebat monarchiam, nõ negatur quod tenuerit, sed negatur quod iuste tenuerit. Nam & Persę & Siri & Græci tenuerunt, qui nunc non sunt domini. nec omnis qui tenet est dominus nec possidens. *l. cum res. C. de probatio.* cum ibi notatis. non est bona cõsequentia, quod si imperator iuret & subsit Papæ, ergo Rex Franciæ, qui nullum recognoscit superiorem in terris. ante enim fuerunt regis quam imperatores. vnde prima dominia fuerunt ex permissione diuina distincta & occupata per patres nostros. Et ideo Deutero. 2 & 13. c. dicitur, *quamcũque terram calcauerit pes tuus, tua sit.* Et de lege ista permissi fuerunt reges, vt patet in Dauid, Saule & Salomone, & pluribus aliis *extra de sacra. vnct. cap. vnico. §. vnde in veteri*: vbi enumerat aliquos reges vnctos de mandato domini. Non licuit ergo imperatori dominia à regibus auferre, & sibi appropriare, lege naturali hoc prohibente, ibi *hoc faciat aliis quod tibi vis fieri.* Math. 2. c. nec licuit eis transgredi terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri, *Prov. 7. c. De sepul. cap. 1.* vnde nec lege veteri vel diuina reperitur aliquid, per quod imperium videatur approbari. de regibus autem reperitur legẽ veteri, vt in Psal. *Deus iudicium tuum regi da.* & illud, *per me reges regnant* &c. Et lege noua. 1. Petr. 2. c. *Deum timete, regem honorificate.*

Clericus. CAP. LXXXI.

RVrsum arguitur, quod Papa potest de peccatis iudicare, & per ablationem temporalium reges punire, & potest regem ad pacem vel treugas cogere, sicut expresse patet *extra de iudic. c. nouit*, vbi satis habetur de causa inter regem Franciæ & regem Angliæ. Et si nulla lege canonica vel ciuili hoc caueretur expresse, hoc tamen de plenitudine potestatis sibi à Christo commissa potest & debet sine quacumque reprehensione, per illa verba, *pasce oues meas*, & per illa, *quodcunque ligaueris super terram* &c. De cuius potestatis plenitudine nullus debet hęsitare vel ipsam in dubium reuocare. nam hoc esset os in cœlum ponere lingua sua super terram gradiente, *21. di. c. finali.* Et an leges possit Romanus Pontifex facere, in dubium reuocare crimen sacrilegii est & hæreticum. *19. dist. cap. nulli fas.* insuper nefas est dubitare, vtrum idem Romanus pontifex possit pro libito voluntatis de omnibus beneficiis ecclesiasticis instituendo & destituendo disponere. & hoc obtinet ex eadem plenitudine potestatis.

Miles. CAP. LXXXII.

COncedo quod de peccatis potest iudicare Romanus pontifex. quia ratione peccati quilibet est de foro ecclesiæ. *ca. omnis vtriusq; sexus, de pœn. & re capitulo. aliorum & capitu. cuncta per mundum.* 9. q. 3. & etiam ratione fidei fractæ vel iuramenti in foro ecclesiæ potest cognoscere; quia tunc causa dicitur spiritualis. Et esto, quod priuet reges tunc vel puniat per ablationem temporalium, non tamen sequitur, quod sit Dominus in temporalibus, quia ex illa condemnatione nihil acquiritur fisco ecclesiæ, quia videmus quod iudex puniuit aliquem subditum sibi ratione delicti & priuat bonis, alibi existentibus, quæ non sunt sub Dominio iudicantis, nec per ipsum in ipsis fit executio. *ca. postulasti, extra de foro competen.* Et cum infra subditur, quod & si nulla lege hoc cauetur expresse, hoc tamen posset Papa de plenitudine potestatis, leges insuper condere & ecclesiastica beneficia distribuere prò libito voluntatis. Dolens vobis refero, Romani pontifices beneficia ecclesiastica distribuere pro libito. Romani pontifices diuinum seruitiũ corrumpunt, dolens, exclusis prouinciæ sacerdotib. eligendi episcopum seu archiepiscopũ sibi auctoritatẽ reseruando, qua siquidẽ reseruatione irritas & inanes esse decernant electiones quaslibet quamuis rite factas de sufficientibus & approbatis

Digitized by Google

personis, horum vice instituendo de suæ plenitudine potestatis ignorantes & potentissimæ legis diuinæ ignaros Idiotas, & in disciplinatos, & plerunque mente corruptos, & notorie criminosos, qui plebibus, quibus præficiuntur, non cõmunicant idiomate seu sermone, precio vel præcordio, vel amore, timore seu obsequio exhibito corrupti tales præficiũt. respõdeat Romanus iste pontifex, quomodo pastor talis oues suas vocabit nominatim mores ipsorum cognoscendo, per ipsorum confessiones, & quos arguere oportet reprehendendo? aut quomodo sequuntur oues eius vocẽ prædicationis ac doctrinæ intelligendo? nec modo propter defectum seu raritatem hominum qualis erat antiquis temporibus, oportet & alienis prouinciis mendicare pastores. quis .n. non admirabitur aut stupebit litterarum & diuinarum scripturarum ignaros, iuniorum morum, & inexpertos indisciplinatos & quandoque criminosos ad maiores ecclesiæ thronos seu choros esse præfectos, simoniaca prauitate vel prece potentium, timore, obsequio vel sanguinis affinitate, repulsis aut neglectis doctoribus viris honestate probitatis & (quod referre pudet quamuis non pigeat, quia verum) episcopi moderni nec prædicare populo verbum Dei, nec hereticorum, si qui apparuerint, erroribus aduersari doctrinis, sed in prædictis euentibus imprudenter mendicant aliorum doctrinas, cum tamen dicat doctor gentium. *1. ad Thi. 3. cap.* de reliquis vero dignitatibus inferioribus, Abbatibus, prioribus, ac reliquis ecclesiarum Prælatis seu Curatis, testem inuoco Deum immortalem, innumerosam ipsorum multitudinem vidi vitæ atque doctrinæ sufficientis expertem, sic etiam vt grammaticè nesciant ipsorum quam plures congruum proferre sermonem. Istis de plenitudine potestatis plerumque conceduntur ecclesiæ dignitates. verum quia hæc plenitudo potestatis vniuersalitatem quandam importare videtur, & voluntariis potestatibus censetur emanare, expediens duxi plenitudinem potestatis in modos varios vniuersalis voluntariæ potestatis modos distinguere. Est igitur, & intelligi vere potest, vno modo *potestatis plenitudo* secundum significationem seu virtutem sermonis ea, quæ cuilibet actui possibilis est sanctissima, quæ soli Christo conuenire videtur. vnde Mathei. vlti. cap. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Secundo verò modo potest intelligi *plenitudo potestatis* ad propositum magis ea, secundum quam liceat homini exercere quemlibet suum actum voluntarium imperatum, & in quemlibet hominem, & rem quamlibet exteriorem existentem hominum potestatem siue ordinabilem ad vsum eorum: vel ea rursum secundum quam quidem liceat in omnem actum iam dictum, quamuis non super quemlibet, aut rem omnem humanæ potestati subiectam: vel amplius ea, secundum quam liceat non omne in actum exercere, sed determinatum specie siue modo secundum omnem volentis impetum super quemlibet hominem & rem omnem humanæ subditam potestati. Tertio vero modo intelligi potest plenitudo potestatis ea, quæ supremæ iurisdictionis coactiuæ super omnes mundi principatus, populos, communitates, collegia aut singulares personas: aut rursum in aliquem horum secundum omnem impetum voluntatis. Quarto vero modo intelligi potest ea, quæ dicta est secundum dictum modum super omnes mundi clericos tantum, ipsosque omnes ad ecclesiastica officia instituendi, ponendi seu priuandi, & ecclesiastica beneficia distribuendi, aut secundum modum iam dictum. Quinto modo potest intelligi, vt ea quæ sacerdotibus competit, puta potestas ligandi & absoluendi homines à culpis & pœnis, excommunicandi & interdicendi, & reconciliandi, de qua dictum est supra, vbi respõdebatur ad rationem. Sexto quidem potest intelligi de ea, qua manus licet imponere omnibus ad ecclesiasticos ordines suscipiendos, & ecclesiastica sacramenta conferenda vel prohibenda. Septimo intelligi potest ea, quæ sit interpretandi scripturarum sensus, præsertim in hiis quæ sunt de necessitate salutis, & veros à falsis, sanos ab insanis diffinire seu determinare, ritumque omnem ecclesiasticum ordinandi, & ordinatorum obseruationes vel sub anathemate generaliter facere præceptum. Octauo vero & vltimo modo, quantum nostro proposito attinet, intelligi potest plenitudo potestatis ea, quæ versatur circa curam animarum generaliter, quo ad omnes mundi populos & prouincias. posset autem rursum plenitudo potestatis intelligi secundum vnam quamque dictionum prædictarum ea, quæ nulla sit determinata lege: nõ plena vero, quæ foret determinata per leges humanas aut diuinas, sub qua &c. recta ratio potest conuenienter comprehendi. Hiis itaque plenæ po potestatis dictionibus sic præmissis, dico, plenitudinem potestatis secundum iam primos duos modos Episcopo cuiquam Romano vel alteri, præterquam Christo siue Deo, minime competere, de quibus quidem & propter rei euidentiam, & quoniam certificatum est ex diuina & humana & omni humana scientia, pertranseo. De tertio vero modo ex variis sacræ scripturæ testimoniis plene est ostensum & pluries, quod ille modus plenitudinis potestatis minime spectet ad Romanum pontificem De quinto sexto & septimo modis plenitudinis potestatis fateor, quod ex quadam consuetudine longæua obtinuit, quod rationẽ Episcodi potestatem habent instituendi & distribuendi seu seruandi omnia beneficia mundi. Item ligandi & absoluendi homines in foro pœnitentiæ. Item manus imponendi ad ecclesiasticos ordines promouendis. Item interpretandi diuinarum scripturarum sensus. Item curam habere pastoralem omnium fidelium, quæ omnia debent intelligi claue discretionis, & dictamine rectæ rationis operante, alias non. Quid enim, si Romanus Pontifex indignis & criminosis ecclesiastica conferat beneficia? dignos sine demeritis à beneficiis destituat? beneficia diuersarũ diœcesum sine causa suæ collationi siue dispositioni reseruat? necnon superiorum dignitatum electiones etiam dignorum cassat, & prouisionẽ sibi reseruat præficiens plerunq; indignos & alienigenas, qui nec linguam nouerunt ouium, quibus præficiuntur in pastores? omnia bona clericorum decedentium sibi reseruat singulas ecclesias spoliando? Quid si indigne aliquos

ligat

ligat vel abſoluit? Quid ſi indignis manum imponit ipſos ad ordines promouendo? quid ſi ipſe ſolus vel forſan cum paucis cardinalibus ſenſus dubios ſcripturarum, in hiis præſertim quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, determinat dicens, de plenitudine poteſtatis hoc ſibi competere? abſit à ſeculo error iſte. Imo hoc eſſet de plenitudine tempeſtatis horrendæ. Noſtis namque, quod vbi mandatarius fines excedit mandati, nihil agit. Chriſtus dominus & Saluator noſter nunquam talia ſibi commiſit vel mandauit. vnde vero & à qua ſignificatione per Romanum Pontificem primum exordium ſumptum eſt huius aſcribendi ſibi tituli *plenitudinis poteſtatis*, cum tamen ſecundum nullam dictarum ſignificationum illi conueniat, conſequenter dicendum eſt. Videtur autem titulus iſte à Romano Pontifice ſecundum octauam ſignificationem primum aſſumptus, & ſuæ cuiuſdam apparentis conuenientiæ extitiſſe Chriſti oraculum, quod habetur Ioan. 21. cap. dum beatum Petrum alloquens inquit, *paſce oues meas*. amplius ex eo quod Matth. 16. cap. ad eundem ſingulariter dixit, *tibi dabo claues regni cælorum* &c. rurſum ex eo quod Ioan. 18. cap. *Conuerte tuum gladium in vaginam*. Amplius ex diſcipulorum reſponſo ad Chriſtum: *ecce duo gladii*. Ex quibus ſi quidem ſecundum ſuas interpretationes volunt vniuerſitatem totam & totius orbis, omnium Chriſti fidelium, ſoli Petro fuiſſe commiſſam, & ſic cuilibet Romano Pontifici tanquam beati Petri vicario ſingulari: reliquis vero Apoſtolis & ipſorum ſucceſſoribus Epiſcopis vero non totam vel totius orbis vniuerſitatem omnium, ſed ſingulis determinatam, & ſingulis gregem atque prouinciam gubernandam fuiſſe commiſſam: intellecta ergo fuit ab initio *plenitudo poteſtatis*, adminiſtratio ſeu cura omnium animarum. ſecundum hanc ſignificationem aſſumpta ſibi prædicatione tituli huius, quamuis non ſecundum verum ſcripturæ ſenſum ex præſumptione quadam, ſi fas ſit dicere, tranſiuit in aliam: Romanus epiſcopus fortaſſe quæſtus gratia vel alterius commodi, vel excellentiæ ſuper alios vſurpando, aſſumendo videlicet ac publice prædicando ſe ſolum ſingulariter à pœnis debitis ſeu infligendis pro ſtatu futuri ſeculi iuxta peccatorum demerita ſuo verbo vel ſatisfactione peccatores abſoluere poſſe. Hiis autem ſic ſumptis ſub quodam velamine pietatis, primo quidem ex caritate ſollicitari & curare de omnibus videantur. Secundo vero, vt omnibus miſereri poſſe ac velle credantur, præcipue imperiali ſede vacante, titulum hunc conſequenter extenderunt Romanorum epiſcopi: primum quidem ad ordinandum circa eccleſiaſticum ritum, lationes legum quaſdam in clericos, ab initio vocata *decreta*. Deinde vero per modum exhortationum & rogationum ordinationes quaſdam laicis ſuaſerunt, ieiuniorum certis temporibus, abſtinentiæ ciborum quorundam propter diuinum ſuffragium & miſericordiam impetrandam, & quaſdam tollendas tunc ab hominibus epidymias & ſæuas tempeſtates, ſicut ex Legenda Beati Gregorii & quorundam aliorum ſanctorum ſatis apparet. has autem ſuſcipientibus laicis ſponte, & propter deuotionem obſeruantibus, inueterata talium conſuetudine, ordinationes iam dictas, rogationes per modum præcepti inceperunt indicere: ſic vt earum tranſgreſſores abſque humani legislatoris licentia anathematis ſeu excommunicationis pœna ferirentur. Creſcente autem ipſorum appetitu amplius dominandi, attendentibus etiam, deuotis fidelibus eorum verbis territis propter ignauiam & diuinæ legis imperitiam, & beneficium abſolutionis petentibus (nam ad ea, quæ per ſacerdotes indicebantur, obligari credebant metu damnationis æternæ) præſumpſerunt vlterius epiſcopi Romanorum cum ſuo clericorum cœtu quædam edicta ſiue ordinationes circa ciuiles actus ſtatuere, quibus ſeipſos & ipſorum ordinem ſiue officium clericatus aſſumentes, quoſdam etiam mere laicos, pronunciauerunt eſſe exemptos ab oneribus publicis, ad hoc promouentes officium ſeculares & coniugatos, qui facile ſunt allecti vt immunitatibus gaudeant onerum publicorum. vnde non modicam ciuilis multitudinis ſibi ſubiecerunt particulam, eandem ſubſtrahendo principantium poteſtati. rurſumque ampliorem ſubſtrahere ſtudentes aliis pronunciauerunt edictis, anathematis pœna ferri eos, qui perſonales iniurias qualeſcunque intulerunt hiis, qui clericorum collegio ſunt aſcripti ſic quoque clericis iniuriam inferentes per excommunicationē in templis publicè diffamantes, nec minus perſequentes eoſdem requirunt humanarum legum pœnis arceri. horum autem deteſtabilius & ſacerdotum officium execrabile, quod Romanorum epiſcopi & reliqui, vt ſuam ampliant iuriſdictionem, & per hanc ſibi quæſtum turpiſſimum in Dei contemptum & principatum præiudicium manifeſtum tam laicos quam clericos vel negligentes vel etiam imponentes perſoluere debita pecuniaria, quibus ad certū temporis terminum. fuerunt obligati, excommunicant & excludunt ab eccleſiaſticis ſacramentis, quos Chriſtus & ſancti Apoſtoli multi exhortationibus, pœnis & laboribus, ac demū martyriis, præcioſis ſanguinibus infra eccleſiam poſuerunt. non enim ſic fecit, qui omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucri faceret, ſed propter ſola crimina grauia voluit peccatores à reliquorum fideliū precludi conſortio, vt *vt 1. ad Corinthi.* clare patet. Quibus etiam non contenti, ſed ſecularium contra Chriſti & Apoſtolorum præceptum aut conſilium, petentes faſtigia, in legumlationes ſeorſum ab hiis, qui ciuium vniuerſitatem proruperunt, omnem clerum ab hiis decernentes exemptum, ciuile ſchiſma & principantium ſuppremorū pluralitatem inducentes ex ipſis, quá velut impoſſibile humanæ quieti certam habuimus experientiam. hæc enim peſtilentiæ Italici regni radix eſt & origo, ex qua cuncta ſcandala germinauerunt & prodierunt, & qua ſtante ciuiles nunquam ibi ceſſabunt diſcordiæ. poteſtatem autem hanc, ad quam paulatim & latenter præuaricatione ſubintrauit, conſuetudine aut abuſione dudum detinuit Romanorum epiſcopus, eandéque ſibi per principem formidans reuocari, & merito propter commiſſos exceſſus, creationem atque promotionem Romani principis in tantam prorupit audaciam vt ſuis edictis expreſſerint, Romanorum principem ſibi fidelitatis

iuramento astringi, tanquam coactiua iurisdictione astrictum, vt ex suarum narrationum, quas *decretales* appellant, plenius continetur. rursum in ti. *de re iudi. cap. pastoralis in cle.* palam se inspicientibus offert. qua præcipiti sententia imperatorem Romanum diffamarunt. has siquidem ordinationes non ausi fuerunt Romanorum episcopi cum suis cardinalibus vocare *leges*, sed *decretales* appellauerunt, quamuis eisdem homines ad pœnam obligare intendant pro statu præsentis seculi, quemadmodum intendunt hic legislatores humani, & ab initio vocabulo *legum* non audebant exprimere, formidantes resistentiam & correctionem legislatoris prædicti, quoniam ex hoc in legislatores commiserunt crimen quod læsæ maiestatis vocauerunt. rursum ab initio ordinationes prædictas *iura canonica*, vt ex vocabuli colore quamuis impie appositi magis haberentur auctenticæ & in maiorem reuerentiam & obedientiam. sic igitur si posteriores significationes plenitudinis potestatis de se prædicant Romanorum pontifices, per has quam plurima in ciuili ordine monstruosa committerentur contra legem diuinam pariter & humanam, ac contra dictamen rectæ rationis.

Clericus. Cap. LXXXIII.

Sicut dicitur Genesis primo cap. *In firmamento cœli*, per quod figuratur ecclesia, *fecit Deus duo luminaria magna* scilicet *solem*, per quem figuratur ecclesia seu auctoritas pontificalis, & *lunam*, per quam intelligitur potestas regalis, quæ nullam iurisdictionem habet. nam luna in firmamento nihil habet, nisi quod recipit à sole. ergo potestas regalis nullam iurisdictionem habet, quam non recipiat à summo Pontifice. ergo summus Pontifex habet iurisdictionem omnium, etiam temporalem. Et ponitur ista ratio *extra de maio. & obe. ca. solitæ.*

Miles. Cap. LXXXIV.

AD euidentiam illius, quod arguitis de duobus luminariis firmamenti: notandum, quod sicut Gregorius dicit 15. libro moralium, *sacra scriptura omnes scientias suo locutionis more transcendit, quia vno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.* ex quo assumunt theologi Doctores, quod duplex est sensus sacræ scripturæ, scilicet historicus, qui dicitur litteralis, & misticus qui dicitur spiritualis. qui diuiditur in tres, scilicet anagogicum, allegoricum, & moralem; quorum medius, scilicet allegoricus, est quando ea quæ sunt veteris legis signãt ea quæ sunt nouæ legis. sed inter omnes prædictos sacræ scripturæ sensus non est nisi vnus, scilicet historicus vel litteralis, ex quo possit trahi argumentum, sicut dicit Augustinus in *epistola contra Vicentium Donatistam*. Dico igitur, quod illa expositio duorum luminarum, quæ ponitur in decretali *solitæ* non est expositio tangens sensum historicum siue literalem, sed solũmodo misticum & spirituale, videlicet allegoricum vnde ex hoc non debet trahi aliquod argumentum. Est etiam ad hoc alia responsio. Nam licet sol sit luminare maius, & luna luminare minus: licet & luna lumen non habeat, nisi à sole, sunt tamen aliqua, super quę luna habet efficaciam, super quæ sol nihil potest, vel saltem non tantum quantum luna: vtpote super aquarũ maris attractionem, super roris in aere generationem, super humani corporis dispositionem, quantum ad mutationem lunæ, secundum nutrimentum & detrimentũ ipsius. vnde concludendo, maioritatem luminaris maioris, id est auctoritatem sacerdotis, super luminare minus .i. super potestatem regalem, non concluditur, quod auctoritas Pontificalis sit super potestatẽ regiã, vel sibi de potestate regis debeat aliquid vsurpare. Verumtamẽ quia illa expositio de illis duobus luminaribus ad hoc videtur tendere, videlicet quod auctoritas sacerdotalis sit dignior quam potestas regalis, & quod regalis potestas nihil iurisdictionis habeat nisi quantum sibi deriuatur ab auctoritate Pontificali. Circa ista duo, est aliquantulum insistendum. Et quantum ad primum, sciendum est, quod si de dignitate agitur, auctoritas sacerdotalis dignior est quam sit potestas regalis, vel quæcunque potestas alia secularis, sicut spiritus dignior est corpore. Et istam dignitatẽ recognoscunt omnes fideles & catholici principes, non solum de papa, archiepiscopis & episcopis, sed etiã de sacerdotibus simplicibus in omnibus spiritualia tangentibus humiliter, inclinando & genu flectendo etiam corã ipsis, secundũ quod se offert tempus deuotionis vel offerendo vel confitendo vel absolutionem petendo. Et hanc dignitatem, non autem aliquam donationem temporalem, recognoscebat Valentinianus Imperator, quando suffraganeis Mediolanesis ecclesię dicit; *talẽ in pontificali sede constituere procurate, cui & nos gubernantes imperium sincere nostra capita submittamus, & eius monita cũ tanquam homines delinquerimus suscipiamus necessario, velut medicamina curantis*, extra *de iudi. cap. nouit*. Quia igitur conceditur ab omnibus, quod dignior est auctoritas pontificalis, quam potestas regalis, frustra conatus est hoc tamen exquisite probare, inducens conclusiones Ptolomei, in 5 *lib. almagesti*, de maioritate solis respectu terrę & de maioritate terrę respectu lunę. Et concludens quod auctoritas pontificalis maior est auctoritate regali species milies & septingenties & quadragesies & vltra, vt ait Post. in *apparatu suo, super decretali solitæ, quam posuit in summã sua, qui filii sunt legitimi.* Quantum autem est de secundo, ad quod videtur tendere illa secunda expositio, videlicet quod potestas regalis deriuetur ab auctoritate pontificali, patet hoc non esse. Nunquam enim prius deriuatur à posteriori, sed econuerso. Prius autem fuerunt reges, quam summi pontifices, sicut docent historiæ facientes de regibus & summis pontificibus mentionem.

Clericus. Cap LXXXV.

ITem in decretis *di. cap. duo sunt*, sicut dicit Gelasius Papa Anastasio Imperatori, *duo sunt, quibus hic mundus regitur, auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas nostri. itaque inter hæc ex illo-*

ex illorum te pendere iudicio. ergo imperator subest iurisdictioni Papæ & si imperator: ergo multo fortius alii Christiani.

Miles. CAP. LXXXVI.

AD decretum Gelasii dicendum est, quod vis illius decreti est in illis verbis, *nosti itaq. tu* (scilicet Imperator) *ex illorum* (scilicet pontificum) *te pendere iudicio.* Nam ex hoc concluditur, quod Imperator subsit iudicio summi pontificis. Et hoc bene concedendum est; sed hoc est in spiritualibus, non tamen in temporalibus. si etiam concedatur, quod in temporalibus de Imperatore, non propter hoc idem concludendum est de rege Franciæ, propter causas alias tactas.

Clericus. CAP. LXXXVII.

HÆc conclusio fortificari potest per Augustinum in lib. de ciuitate Dei. cap. 21. vbi dicit, *quod sine iusticia non potest regi respublica & recta vera, cuiusmodi debet esse res populi Christiani, in qua spectat de iure gubernatio ad Papam, qui est vicarius Dei.* Et sic patet, quod potestas etiam spiritualis qualitate sit superior seculari, ita quod Papa vtramque potestatem habet immediate à Deo.

Miles. CAP. LXXXVIII.

DVm arguitis, quod *vera iusticia non est in republica*, cuius Christus non est rector potens & verax Deus. Sed quando dicitur, *Papa est Christi vicarius*, dico quod verũ est in spiritualibus, sed bene habet aliũ vicarium in temporalibus, videlicet potestatem temporalem, quæ cum sit à Deo, quia *non est potestas nisi à Deo*, potest dici vices Dei gerere in regimine temporali.

Clericus. CAP. LXXXIX.

HIeremias fuit de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathot, in terra Beniamin, sicut habetur *Hiere.* 1. *cap.* Et tamen iste constitutus est à Deo superior gentibus & regnis. vnde dixit ei Dominus in eodem. cap. *Ecce constitui te hodie super gentes & regna*, ergo est de ordinatione diuina, quod aliquis de sacerdotibus habeat superiore super gentes & regna: sed non nisi Papa, qui est summus sacerdos. ergo Papa est superior omnibus, etiam quantum ad temporalia, cum regna sint temporalia. & habetur hæc ratio in *c. solite de maio. & obe.*

Miles. CAP. XC.

QVamuis Innocentius Papa tertius illam auctoritatem ad suam volũtatem exponat in illa decretali *solita*, sunt tamen aliæ & suo proposito valde contrariæ expositiones. nam expositio glosalis est ista: *Ecce constitui te hodie super gentes. & super regna, vt euellas mala & destruas, & dissipes regna Diaboli, & ædifices ecclesiam & plantes bonum.* Ecce intelligere potest, qualiter secundum istam expositionem datum est Hieremiæ super gentes & regna dominium aliquod vel iurisdictio temporalis. potest ergo dici ad argumentum ad illa verba: *Constitui te super gentes & regna*, data est sibi potestas quantum ad officium prædicationis & correctionis in spiritualibus, non quantum ad dominium alicuius iurisdictionis in temporalibus. Et hoc satis expresse ostendit beatus Bernhardus in libro. 2. *de Consideratione* ad Eugenium Papam. cap. 4. loquens Eugenio Papæ dicit sic: *faciant te superiorem. dissimulare nequimus. non enim ad dominandum opinor. Nam propheta cum semel leuaretur, audiuit, vt euellas & ædifices & plantes quid horum fastum sonat rusticum? magis sudoris stemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, vt multum sentiamus, mysterium non dominium datum de vobis impositum sensimus.* Et post pauca sequitur: *disce exemplo prophetico præsidere non iam ad imperandum quam ad fatigandum, quod tempus requirit. disce, sarculo tibi opus esse non sceptro, vt Satias propheta, & quidem ille non negaturus ascendit, sed extirpaturus.* huc vsque verba beati Bernardi.

Clericus. CAP. XCI.

SPiritualis iudicat omnia ad Corinth. 2. ca. sed Papa spiritualis est & dominus spiritualis. ergo habet iudicare omnia, & de omnibus, etiam temporalibus.

Miles. CAP. XCII.

APostolus non loquitur ibi de iudicio coactiuæ iurisdictionis, quod competit alicui per supernam impositionem, de quo intendimus ad præsens, sed loquitur de iudicio discretionis, quod habetur per internam inspirationem, & hoc satis apparet per glossam super illum locum: *ipsa enim interna inspiratio facit hominem de omnibus iudicare. hoc est discrete sapere & sentire, secundum illud. Ioan. vnctio eius docet nos de omnibus.* propter quod apparet, quod auctoritas illa non facit ad propositum nostrum.

Clericus. CAP. XCIII.

AMplius, qui potest maius, potest etiam id quod minus est. *extra. de dona. inter virum & vxorem. c. per vestras.* sed maior est potestas spiritualis quam temporalis. ergo Papa, qui super omnes habet potestatem spiritualem, super omnes etiam habet potestatem temporalem. probatio minoris. 16. *dist. c. duo quippe*, vbi dicitur, *non tam pretiosius est aurum plumbo quam ordo sacerdotalis altior quam regia potestas.*

Miles. CAP. XCIV.

AD id quod arguitur, *qui potest quod est maius potest etiam id quod est minus*, dico quod illud non est semper verum. nam corpus Christi conficere multo maius est quam excommunicare vel ab excommunicatione absoluere, sicut sunt aliqui sacerdotes nullam iurisdictionem habentes. oportet ergo illud verbum exponere, vt dicamus, quod veritatem habeat in hiis quæ inter se ordinata sunt, & hoc quandam dependentiam habet, sicut in officiis ordinum ecclesiasticorũ. quia enim

inter se ordinata sunt, certe qui habet ministrare in ordinibus non sacris, quod est minus, & qui habet ministrare in officio sacerdotis quod est plus, potest etiam ministrare in officio Diaconi, quod est minus. in proposito autem non est ita. Nam iurisdictio spiritualis, quam habet Papa, & iurisdictio temporalis, quam habet Rex in suo regno, omnino distinctæ sunt, ita quod sicut Rex non habet se intromittere de iurisdictione spirituali, ita nec Papa se intromittere habet de iurisdictione temporali, quæ residet penes Regem. vnde non est inter istas mutua dependentia, nisi quantum ad mutuam defensionem, quam sibi tenentur mutuo exhibere, cum necessarium fuerit, ad vnam quamque pertinet. vnde bene valet regi res publica tam spiritualiter quam temporaliter. Et ista satis probari possunt per ea quæ habentur. 10 *di. cap. quoniam idem.* tam in textu quam in glossis.

Clericus. CAP. XCV.

NOn confirmatur quis nisi à superiore, *extra de elec. c. nihil.* sed Imperator confirmatur per Papã in iurisdictione imperiali, quæ est temporalis, sicut expresse patet *extra de elec. c. venerabilem.* ergo Papa superior est Imperatore etiam in temporalibus, & per consequens quolibet alio Christiano.

Miles. CAP. XCVI.

DIcunt aliqui quod, sicut cardinalis Hostiensis confirmat Papam, & tamen post confirmationem nullam iurisdictionem habet spiritualem super ipsum Papam, ita Papa confirmat imperatorem & etiam coronat, & tamen post confirmationem seu coronationẽ nullam habet super eum iurisdictionem temporalem. Ego tamen dico, quod quicquid sit de Imperatore, nunquam tamen super regem Franciæ habet Papa vel habuit aliquam iurisdictionem temporalem. Et hoc, quia ipse rex habuit regnum non per electionem, sed per successionem, nec vnquam à Papa recepit confirmationem. vnde patet, quod non bene concluditur: Papa est superior in temporalibus Imperatore, ergo & quolibet Christiano, quia aliquæ causæ sunt in Imperatore, quare sit subditus Papæ in temporalibus, quæ non inueniuntur in aliis regibus, sicut in rege Franciæ & Hispaniæ, & similibus. & fuit etiam in rege Angliæ aliquando, videlicet vsque ad tempus regis Iohannis, qui dicebatur *Sine terra*, sicut apparet per inspectionem Chronicarum. vnde etiam illa decre. *qui filii sunt legi. c. causam, qua*, facta fuit ante tempus illius Iohannis regis Angliæ, sicut notat Hostiensis in *apparatu suo super eadem decretali.*

Clericus. CAP. XCVII.

ITem nullus potest legitimare aliquem ad honores & dignitates temporales, nisi habeat super ipsum dominium temporale. sed Papa potest omnes legitimare, videlicet quantum ad honores temporales, sicut patet *extra, qui filii sunt legitimi.* ergo Papa habet super omnes dominium temporale.

Miles. CAP. XCVIII.

BErnardus in *apparatu* suo dicit quod *Papa potest legitimare quantum ad honores & dignitates aliquas temporales illos, qui sunt de sua iurisdictione temporali. Et per hoc intelliguntur esse legitimi, vt possint esse iudices, & habere huiusmodi honores, quos antea non habebant: tamen non potest legitimare aliquem quantum ad hoc, vt possit succedere in hereditate tanquam legitimus heres, qui non sit de sua temporali iurisdictione.* & in hac sententia, sicut notatur ibi, fuerunt Laurentius, Vincentius & Tancretus. primum non probat in Papa aliquod dominium temporale super illos, qui non sunt de sua temporali iurisdictione: sed secundum bene probaret, si esset. vel aliter, quum dixit, *nullus potest aliquem legitimare quantum ad honores & dignitates temporales, nisi super ipsum habeat dominium temporale*, dico, quod verum est, si accipiatur *legitimare* directo & debito iure. Et quando dicitur, quod Papa hoc potest, dico quod non, nisi indirecte & per quandam reuerentiam non necessariam, sed congruam. Potest enim legitimare quantum ad spiritualia. & certe consequutiuum est, quod qui est legitimus quantum ad spiritualia, quæ maiora sunt, intelligitur etiam legitimus quantum ad honores etiam temporales propter quandam reuerentiam, quæ debet exhiberi Papæ, quam etiam exhibuerunt plures principes temporales variis ex causis, quibus stricto iure minime tenebantur.

Clericus. CAP. XCIX.

ITem Deutero. 17. cap. *qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui in eo tempore domino Deo ministrat, decreto iudicis morietur.* Ex hoc concluditur, quod omnes tenentur in omnibus obedire, sicut superiori, illi qui est sacerdos & iudex omnium: sed talis est Papa vicarius Christi, qui est iudex viuorum atque mortuorum, sicut dicitur *Actorum 10. cap.* ergo Papa superior est omnibus in temporalibus. Et hanc rationem tangere videtur Innocent. Papa tertius *extra, qui filii sunt legitimi c. per venerabilem.*

Miles. CAP. C.

AD illud *si quis superbierit* &c. Dicendum est, quod satis ordinate duo ibi tanguntur, scilicet imperium sacerdotis & decretum iudicis: ita quod primo tangitur iurisdictio spiritualis, & in secundo iurisdictio temporalis. & certe nolens obedire decreto iudicis, id est, illius qui habet iurisdictionem temporalẽ, morietur temporaliter mortem corporaliter sustinendo naturalẽ vel ciuilem secundum varietatem casuum, in quibus cõmittitur inobedientia. Ex quibus patet, quod ex auctoritate illa non potest concludi superioritas Papæ respectu omnium in temporalibus, sed potius concluditur contrarium. in scripturis siquidem ab eisdem Romanis Pontificibus approbatis reperitur priuilegiũ quoddam Constantini Romanorũ imperatoris, quo Beato Syluestro Romanorũ

Ponti-

Digitized by Google

Pontifici concessit iurisdictionem coactiuam ecclesiæ Romanæ super omnes mundi ecclesias reliquosque presbyteros seu episcopos omnescunq; confessionem illam fateantur fuisse validam quilibet Romanorum Papa: & cum eo quilibet aliorum Episcoporum seu presbyterorum reliqui quæ cœtus, consequenter cum eis concedendum est, eundem Constantinũ hanc iurisdictionem seu potestatem in eos primitus habuisse, præsertim cum ad ipsos virtute verborum scripturæ nulla talis iurisdictio in quemquam clericum vel laicum pertinere noscatur. Et hoc est quod Beatus Bernardus expresse dicit ad Eugenium Papam in libro de consideratione lib. 2. c. 4. inquit ibi, *Petrus hic est, qui noscitur processisse aliquando vel geminis ornatus vel sericis, nec tectus auro, nec vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus ministris: absque hiis tamen satis credidit posse impleri mandatum; Si amas me, pasce oues meas. in hiis enim secularibus apparatibus & potestatibus successisti non Petro, sed Constantino.*

Clericus. CAP. CI.

RVrsum quod vniuersale dominium in temporalibus & spiritualibus sit penes ecclesiam patet: nam vna est ecclesia, iuxta illud canticorum. 6. cap. *vna est columba mea, perfecta mea*, & vna sponsa debet habere vnum sponsum & vnicum dominum. ergo ecclesia debet habere vnum sponsi vicarium, qui etiam sit dominus omnium.

Miles. CAP. CII.

DIcendum est, quod illa vnitas non tollit duplicitatem iurisdictionis: sed ponit simplicitatem intentionis tollendo duplicitatem simulationis. Vnde glo. super illud verbum, *vna, scilicet simplicitate.* ista igitur vnitas non infert vniuersale dominium fore penes Romanum Pontificem. Et rogo diligenter attendat vicarius Petri verba beati Bernardi ad Eugenium Papam: *vt mihi videtur dispensatio tibi super illum, id est, super orbem terrarum tibi tradita est, non data est possessio. si pergis vsurpare, & hic contradicit tibi, qui dicit; meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. non tu ille de quo propheta: & erit omnis terra possessio eius. Christus hic est qui possessionem sibi vendicat & iure creationis & merito redemptionis. Cui enim alteri dictum est: postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. possessionem & dominium cede tu, curam illius habe, & pars tua hac. vltra ne extendas manum. quid,* inquit, *non negas præesse, & dominari vetas? plane sic, quasi non bene præsit, qui præest in solicitudine. nunquid & villa villico & paruulus subiectus est pædagogo, non tamen iste, nec is domini sui dominus est. ita & tu præsis, vt fidelis prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues. præsis vt prosis, præsis vt seruus fidelis & prudens quem constituit dominus super familiam suam. ad quid? vt det illis escam in tempore, hoc est vt dispenses, imperes, hoc fac: vt dominari non affectes.* Et post pauca: *addo tamen & hoc. nam nullum tibi venenum nullum gladium plus formido quam libidinem dominandi.* hucvsque verba Bernardi in quibus apparet, quod Papa nec habet nec appetere debet dominium temporale. Rursum si Romanus Pontifex aut alter aliquis Episcopus seu sacerdos exemptus esset à coactiuo principantiũ iudicio, & esset iudex homini absque humani legislatoris, principis temporalis auctoritate, possetque omnes templorum ministros, quos *clericos* vocant communi nomine, à principum iurisdictione separare, sibiq; subiicere, quemadmodum faciunt modernis temporibus Romani Pontifices, sequitur per necessitatem principantium secularium iurisdictionem quasi totaliter annulari. quod reputandum est graue inconueniens omnibus principibus & communitatibus, quoniam Christianam religioné priuat iure suo. Rursum hanc inconuenientiam sic ostendo: quoniam lege diuina prohibitum non reperitur, quin imo concessum, presbyterum aut Episcopum esse qui habet vxorem, præsertim si non plures habuerit, sed illud fuit solum prohibitum lege Romani Pontificis: tunc quod humana lege seu constitutione statutum est, eadem auctoritate reuocari potest. Poterit ergo Romanus Pontifex, qui se legislatorem facit, aut de suæ plenitudine potestatis, presbyteris omnibus, subdiaconibus vxorem concedere; nec solum hiis, verum etiam aliis non ordinatis ad sacros, qui *simplices clerici* nuncupantur. Quin imo & hiis decentius, quod de facto Bonifacius. VIII. fecisse videtur, vt sibi potentiam secularem adaugeret. Omnis enim qui virginem duxerat vxorem & vnicam, ascripsit cœtui clericorum, & per suas ordinationes, quas *decretales* appellant, ascribi decreuit: neque adhuc hiis clausibus limitibus quosdam, quos in Italia *Fratres Gaudentes*, alibi vero *Benignos* appellant, similiter ab humanis legibus rite & recte latis exemptos fecerunt. sic quoque *Fratres Hospitalariorum* & reliquos plures ordines, & eos qui *de Alto passu* vocantur. sic etiam de ceteris pari ratione facere possent. quod si omnes homines hoc ipso exempti sunt à principantium iurisdictione, quæ etiam talibus sic exemptis immunitates quasdam omnium publicorum onerum seu ciuilium tributorum, verisimile valde videtur, maiorem multitudinem ad horum collegium declinare? præcipue cum ad hoc tam litteratos indifferenter assumant. Est enim quilibet pronus ad proprium commodum prosequendum, & incommodum fugiendum. maiori vero multitudine seu pluralitate ad clericorum collegium declinante, principantium iurisdictio & coactiua potestas inualida remanebit, & onera publica supportari debentur quis illa supportabit? quasi dicat, nullus. quod est grauissimum inconueniens & politiæ corruptiuum. qui enim gaudet honoribus & commodis ciuilibus, vt pace ac tutela legislatoris humani ab oneribus & iurisdictione non debet eximi absque determinatione legislatoris eiusdem. Vnde Apostolus ad Romanos. 13. capite. *Et propter hoc ipsum tributa præstatis* propter quod si quidem euitandum fateri oportet veritatem, iurisdictionem in Episcopos seu presbyteros & clericos omnes legislatoris

Digitized by Google

auctoritate principatū habere, ne principatuum etiam pluralitate inordinatam politiam solui contingat, vbi aduertendum, quod quidam est iudex coactiuam habens potestatem transgressorum secundum legem diuinam & etiam humanorum actuum. Hic autem vnicus est Christus, & nullus alius. Vnde Iacobi. 4. c. *vnus est legislator & iudex qui potest perdere & liberare.* Vnde huius iudicis coactiua potestas in quemque non exercetur in hoc seculo ad pœnam seu supplicium. Est autem alius secundum Euangelicam scripturam iudex, qui Doctor est in hoc seculo diuinæ legis & agendorum seu fugiendorum, quæ sunt ad vitam æternam consequendam & vel pœnam declinandam, non tamen habens coactiuam potestatem in hoc seculo arcendi quemquam ad præceptorum obseruationem. Frustra enim ad hoc quemquam cogeret, quoniam obseruatori talium coacto nihil proficerent ad æternam vitam. Ideoque iudex iste conuenienter assimilatur medico, cui data est potestas docendi atque præcipiendi & pronosticandi de hiis, quæ sunt vtilia fieri vel obmitti ad corporalem sanitatem consequendam, & mortem aut ægritudinem declinandam. Non enim ordinauit Christus arceri quemquam ad legislatæ per ipsum obseruationem in hoc seculo. & propterea nec iudicem habentem potestatem huius legis transgressorum constituit. Vnde Apostolus. 2. ad Timoth. 3. cap. dicit, *omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum & corripiendum, ad erudiendum in iustitia*, nusquam autem dicit Apostolus, ad cogendum vel puniendum in hoc seculo. Dicatis ergo, quo iure Romanus coactiuam sibi ascribit potestatem? obiiciet quis imperfectionem Euangelicæ legis, si per ipsam, vt diximus, regulari nequeant actus humani contentiosi, diriguntur in agendis vel declinandis pro statu vitæ præsentis; non autem dicamus, quod per Legem Euangelicam sufficienter diriguntur in agendis vel declinandis in vita præsenti, pro statu tamen venturi seculi seu æternæ salutis consequendæ atque supplicii declinandi propter quæ lata est non quidem pro contentiosis actibus hominum reducendis ad æqualitatem aut commensurationem debitam pro statu seu sufficientia vitæ præsentis, eo quod Christus in mundum non venit ad tales actus regulandos pro vita præsenti, sed futura tantummodo. & propterea diuersa est temporalium & humanorum regula actuum regula diuersimode dirigens ad hos fines. lex enim diuina nullomodo docet contendere aut repetere in iudicio, licet non prohibeat: ideoque nec de talibus spiritualia dedit præcepta: regula vero legis humanæ hoc docet, & transgressores arceri præcipit.

Clericus. CAP. CIV.

Amplius, dispositiones & statuta papalia sunt altioris gradus & perfectionis quam statuta & dispositiones principum temporalium. statuta namque ipsorum non ducunt in sufficienter felicitatem Politicam, quæ est status omnium virtutum, & exclusio quorumcunque reproborum. Permittunt enim vsuras, quod patet cuilibet intuenti per *ti. de vsur. ff. & C.* & aliis variis passibus iuris ciuilis discurrendo, quod lex canonica seu papalis reprobat seu detestatur: Numquid videmus ad oculum, quod Rex Franciæ expresse approbat vsuras, quia licentiam Iudæis impertitur dandi ad vsuras, & plura priuilegia super petitione dictarum vsurarum damnabiliter concedit eisdem, quod nec ipse potest, immo nec Romanus Pontifex. *cap. super eo, de vsuris.* Vtinam diligenter attenderet princeps ille Christianissimus, quam graue sit tales Iudæos super vsuris petendis auctorisare seu priuilegia eiusdem impertiri. nam vsuræ sunt damnatæ etiam lege morali circumscripta lege diuina & canonica, sed solum considerato dictamine rectæ rationis. repugnat enim naturæ rei artificiatæ parere partum, per quem se multiplicet, cum hoc conueniat solum naturalibus. denarius autem est res artificialis: ergo non potest producere partum, quod quærit contractus vsurarius. Item vsus pecuniæ est inseparabilis à pecunia, cum eius finis sit vsus & consumptio. *ff. de re. quæ vsu. con.* per totum. Separationem, autem quærit contractus vsurarius, scilicet venditionem vsus, salua manente pecunia sortis. modo repugnat dictamini rectæ rationis lucrum quærere ex alieno, vt *l. nam & natura. ff. de condi. indebi.* hoc autem quærit contractus vsurarius, cum per mutuum transferatur dominium *l. 2. ff. si certum pe.* & tamen ex eo quærit lucrum. Quarto repugnat naturæ & cursui naturalium omnibus communi. nam contractus vsurarius vendidit tempus, cum tempus sit mensura motus cælestis, quo omnia corpora gubernantur. hiis rationibus mouentur naturales philosophi ad damnandum vsuras circumscripta qualibet lege. cum lege igitur morali pariter & diuina veteri, quibus subsunt & reguntur Iudei, vsuræ sint indistincte prohibitæ quo iure poterunt Iudæi in ista nephanda iniusta iniquitate sustineri? Et si tu dicas mihi, quod contingit aliquid permitti dupliciter. vno modo, est simplex permittens siue indulgens pœnam *4. di. cap. denique.* Secundo permittitur aliquid secundum quod lex canonica permittit Iudæos in ritibus suis, non tamen propter hoc positiue approbat. *45. dis. cap. qui sincera.* Tertio conceditur, cum permittitur positiue, & iuuamen præstatur, sicut aliquando ecclesia permittit clericum occidi à potestate seculari, & iuuamen præstat, *de crimine fal. ad falsariorum.* Dices ergo, quod Rex Franciæ permittit Iudæos dare ad vsuras primo modo, quod pœnam non imponit: sic & lex ciuilis vsuras taliter permittit. Istud mihi non sufficit, quia lex ciuilis & Rex Franciæ permittunt vsuras non solum primo modo permissionis, quia lex ciuilis permittit modum legitimum vsurarum & reprobat illegitimum. *C. de vsu. l. eos. & l. si non sortem. ff. de condi. inde.* Sic & ordinatio Regalis permittit Iudæos vsque ad certum & legitimum modum dare ad vsuras, puniat autem dantes vltra legitimum & taxatum modum. Item lex ciuilis permittit eas in iudicio peti: sic & ordinatio regalis permittit Iudæum vsuras petere in iudicio. Rursum vtinam attenderet, quam periculosa sit eorum conuersatio mulieribus Christianis,

stianis, quæ pro nobis luendis & aliis pignoribus damnabiliter miscentur cum eisdem fama publica hoc attestante & sacerdotibus, qui Christianorum audiunt confessiones, in quantum officium ipsorum generaliter reuelare neminem prodendo permittit. ergo talibus Iudæis, qui abutuntur priuilegiis regalibus eisdem concessis, potest princeps sana conscientia omnia bona auferre, quia in detestationem fidei Christianæ talia nephanda & plurima sortilegia perpetrant indefesse. Serui enim fuerunt per mortem Christi. *extra. de iudic. c. & si Iudæos*, quod fuit mandatum executioni per Constantinum. Et notauit hoc *eo. tit. cap. consuluit*, & ex hoc dicit Archi. 40. *di. cap. sinceram*, quod Princeps, qui est eorum dominus, potest eos vendere. ergo multo magis expellere extra regnum suum, ar. *C. si seruus ex. l. 1.* Et ob istam rationem dicit Archi. 54. *di. c. fraternitatem*, quod potest eis auferre bona, quod non habeant nisi vt peculium, *extra. de Iuda. c. Iudæi*, vbi dicit, quod *si conuertantur, non sunt eorum bona auferenda.* Ergo à contrario sensu, si non conuertantur, possunt eis auferri. melius facit *eod. titu. cap. sicut*, vbi dicit, quod non sunt molestandi, nec priuandi bonis sine licentia terrenæ potestatis: ergo cum licentia sic. Præterea isti sustinentur ex pietate & gratia, vt in *c. & si Iudæos*: non ergo debet quis ad necessitatem duci. *ff. de offi. proconsul. l. solent, in fine.* Nam sufficit in paucis, vt amicis laboribus succurratur. *C. de nego. gest. l. tutori*, nec est de quo possint conqueri, quia *habuerunt gratiam, velut alieni*, vt dicit Boetius in libro *de consideratione.* & hoc indubitanter videtur verum, vbi maxime Christianum assumeret periculum vel scandalum, & notauit Innocen. *extra. de vo. c. quod super hiis.* Nam cum abusi fuerunt gratia, priuilegia merentur amittere, tanquam ingrati, in *dicto. cap. & si Iudæos.* Hoc satis figuratum videtur in illa ancilla, à qua ipsi descenderunt: quia ex eo, quod superbe & ingrate se habuit erga dominam suam, per quam ecclesia designatur, fuit expulsa. Nam dictum fuit, *eijce ancillam & filium eius. 24. q. 4. c. si ecclesia.*

Miles. CAP. CIV.

SCio quod vsuræ sunt iure diuino & etiam lege morali prohibitæ Iudæis & quibuscunque. Et ignorauit Rex Franciæ seu quiuis alius dominus temporalis Iudæos priuilegiet vel in iudicio audiat vsuras exigentes: sed hoc credo, quamuis multiplicare inconueniens non sit soluere. quod si ita sit, hoc faciunt domini temporales ad instar ecclesiæ Romanæ, quæ tali collatione ipsos tollerat, & lucra recipit ab eisdem. Insuper nec bona sunt Iudæis auferenda. Nam quiete degentibus super imperio molestia inferri non debet, nec sunt bona auferenda. *C. de Iudæis. l. nullus extra. de Iudæis. c. multorum*, & contra Christianos præscribunt. 15. *q. 3. ca. rogo.* & sic cum iuste possideant bona, non sunt eis auferenda, vt notatur. 33. *q. 7. c. si de rebus.* & ibi Archi. Et princeps si sine causa eis bona auferat, peccat: quia licet sit Dominus, quo ad protectionem non tamen vt eos sine iusta causa spoliet, vt notat. *C. de quadri. præscript. l. bene à Zenone*, & notatur *extra de immu. eccle. c. quia plerique.* Vnde dicit ipse Ho. *extra, de vo. c. quod super hiis*, quod Papa non debet eis bona auferre, imo debet eos quandiu potest tolerare. 45. *dist. c. quæ sinceram, & extra. de Iudæis. c. & si Iudæos.* Et est ratio; vt per eorum consortium eos delucrari possimus. 23. *q. 4. ca. infideles.* & ar. 11. *q. 3. cap. ad mensam & extra. de diuortiis. cap. gaudemus & cap. quanto.* Et maxime tolerandi sunt Iudæi, quia vtiles sunt fidei nostræ. Vnde dicit Augustinus super psalmo 40. *Iudæi tanquam capsarii nostri nobis seruiunt. Nam studentibus nobis codices portant, vt per eorum codices, in quibus sunt leges & Prophetæ, & per quos Christus prædicatus est, fidem nostram probemus cum paganis & infidelibus.* Nam cum codices nostri eis sint suspecti, melius eos per codices suos conuincimus. Et Hiero. in Homilia dicit, quod *in fine mundi à Christo illuminabuntur.* & si de toto mundo expellerentur, non remanerent aliqui, cum tamen lex dicat quod tunc reliquiæ Israel saluæ fient, & quod tollerari debeant, probat Augustinus super Psalm. 11. vbi dicit, quod *fuit figuratum in illo Caim qui fratrem suum occidit: & ideo accepit signum ne interficeretur: vt sic iste peruersus populus sic significatus non occidatur, imo toleretur.* Et hæc vera, vbi quiete viuerent & non insurgeret aliquod scandalum fidei Christianæ ex eorum conuersatione. & si Principi assisterem, & daretur loquendi audacia, consulerem quod hiis diebus considerata eorum malicia & conuersatione nephandi cum Christianis de regno procul expellerentur ad instar illius ancillæ, à qua descenderunt, quæ quia ingratè se habuit erga dominam suam, tandem fuit expulsa. pro quocunque enim lucro pecuniario ipsos amplius non tolerare cum detrimento populi Christiani, nedum temporali verum etiam spirituali animarum. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ patiatur detrimentum? *c. Mattheus. extra. de symon.* & si de vno latere princeps lucretur & locupletur ab eisdem, ex alio latere decuplum perdit, quia ex eorum vsuris, & iniquitate depauperantur subditi. modo dicit lex ciuilis quod *abundabit imperium si subditos habeat locupletes.*

Clericus. CAP. CV.

ITem lex ciuilis permittit in casibus diuortium: lex canonica in totum prohibet quo ad dissolutionem vinculi: quia *quos Deus coniunxit homo non separet.* Et hic distinguendum, quæ lex magis accedat veræ prudentiæ humanæ circumscripta lege & de fide diuina attenta sola naturali, intelligentia humana & ampliando discutiamus. Quid melius, an vnũ virũ copulari vni mulieri indiuisibiliter, & vnã mulierẽ vni viro: an vnũ virũ plurib. mulieribus? Et primo apparet melius, vnũ virũ iungi plurib. mulieribus, & sic lex ciuilis est melior, quę fecũdius tẽdit ad liberorũ procreationẽ. hoc .n. est de

bonis matrimonii. *de con. ap. c. finali.* Hoc enim euenit ex dictamine iuris naturalis. *ff. de iustitia & iure. l. 1.* contra ius naturale est, vt fiat perpetuatio in specie, quia impossibile est fieri in vno indiuiduo, vt quod homo plures mulieres possit impraegnare. Item sicut vir se habet ad mulierem, sic materia ad formam, vt scribit philosophus *primo Physicorum.* conuenit quod habetur. 34. *q. 1. c. cum caput.* & vna forma ex sui natura coniungitur pluribus multiplicationibus. Nam forma multiplicatur multiplicatione partium materiae, vt scribit philosophus. 1. & 2. *metaphysica* & Commentator *in libro de substātia orbis*, & Plato posuit vnitatem ex parte formę. conuenit lex *proponebatur. ff. de iudic. l. mortuo, eodem titulo.* Item illa coniunctio est melior, à qua procedit potentior actus generalis, cum iste sit actus copulae coniugalis, *de frigi. & malefi. c. laudabilem.* hoc autem euenit si vnus pluribus coniungatur. Nam si vni tantum copuletur, possibile est quod sterili & ad generationem inhabili. si autem pluribus, si vna est inhabilis, alia erit habilis. Item si vnus vni soli, surgit ocium in natura quod natura, abhorret. 1. *Physicorum & c. 2. extra de probatio. l. ampliorem. § sed in refutatoriis. C. de appellati.* probatur. *cap. 2.* Nam si vnus vni tantum copuletur, ociosae erunt operationes coniugales, cum amplius impraegnari non possit: quod euitabitur, si alteri copuletur. Item illa coniunctio est perfectior, quae magis pertingit ad bene viuere, cum hoc sit finis mundi. *ff. de iusticia & iure l. iusticia §. iuris praecepta.* Si autem habeat plures, surgit melius viuere. Nam plures melius curabunt eius vitam, quam vna sola. si pluribus coniungaretur, erit certior de pluribus & melioribus filiis, qui sunt pars domesticae communionis seu cōmunicationis. haec omnia faciūt ad bene viuere, vt scribitur *primo & secundo Oeconomicorum.* facit. *l. liberorum ff. de verborum significatio l. fina. C. de impu. & ali. sub.* Item illa coniunctio est melior quae magis accedit naturalitati, cum ars imitetur naturam, *ff. de adoptio. l. 1. 6. di. ca. nasci.* sed naturaliter magis inclinatur pluribus quam vni copulae, quod demonstratur etiam in brutis animalibus, quae indifferenter pluribus eiusdem generis commiscentur. Item illa coniunctio est melior, quae magis participat de esse diuino, cum vnum quodque sit melius, cum magis appropinquat ad naturam finalis boni, vt scribitur, 12. *metaphysica*, & *de poen. distin. 2. cap. si enim.* Ex hiis clare concluditur, quod melior est consideratio legis ciuilis seu temporalis, quae certis canonibus permittit diuortium: & quae etiam permittit concubinatum, quam legis canonicae, quae ista simpliciter inhibet & detestatur.

Mile. CAP. CVI.

HAEc dubitatio fuit difficilis apud antiquos philosophantes, & fuit difficultas propter varietatem legum. Nam quidam praeceperunt vitam indiuiduam, & quidam non. Et vno tempore praeceptum vnum, alio tempore aliud. Nam Socrates & Plato dixerunt, quod melius est ad esse politicum, quod vnus vir copuletur pluribus mulieribus, & vna mulier pluribus viris, quam solus cum sola. Nam dicunt ipsi, quod in optima politia mulieres & pueri debent esse communes, & de communitate mulierum hoc videtur dicere canon. *cap. dilectissimus.* 12. *q.* 1. saluo, quod ibi exponitur, *praeterquam ad commercium carnale.* Et mouentur, quia ad esse ciuitatis & politicae gubernationis requiritur, quod sit maxime vna, & sit maxima amicitia inter omnes. Haec autem vnio est causa maximae vnitatis. hoc recitat philosophus. 2. *Politicorum & 2. Oeconomicorum*, tollendo motiua Socratis. Primo enim cum dicitur, quod ciuitas debet esse vna, dicit Philosophus, quod cum ciuitas sit quaedam multitudo aggrauatiua, non requiritur ibi omnimoda vnio. Nam posset esse tanta, quod non remaneret formalitas ciuitatis, quia posset deueniri ad vnionem domus vel hominis, quae sunt domestica & monostica vnio, & non Politica, nisi inclusiue: non est ergo vera sic indistincte illa ratio de amicitia non concludit. Nam si etiam essent communia, non foret maior amicitia, immo discordia, cum communio sit mater discordiae. *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de legat. 2. de parrochianis. cap. primo.* Item non esset tanta solicitudo circa gubernationem rerum, quia vt dicit lex: naturale vitiū est, quod commune est contemni. *Cod. qui & quand. quarta pars l. prima.* Item si vxores & filii essent communes, sequerentur multa absurda. Nam filii violarent matres, occiderent procreantes, & econtra. Item tolleretur debita amicitia patris ad filium: quia non maiorem haberet ad vnum quā ad alium, propter indifferentem communionem. hoc praemisso videtur quod circumscripta fide, quae est ipsa veritas, attenta intelligentia humana sola & ipsa rectitudine, vnus vir debet cum vna sola iungi & indiuisibiliter, sic etiam vna mulier vni viro. Probantur haec. Nam illa est melior coniunctio, quae magis tendit ad generationem perfectam. haec supra demonstrata talis est, si vnus vni indiuisibiliter coniungatur. Hoc probatur. Nam si vnus pluribus commisceatur, vel nullum vel imperfectos generabit, quia debilitabitur & spiritus resolueretur. Et si dicas, non simul attendet alteri seu intendet: haec obiectio non valet, quia vt scribit Philosophus. 2. *Oeconomicorum*, vir debet sufficere mulieri in coitu. si ergo vna deberet expectare, donec altera impraegnaretur, non satisfaceret, & ipsa forte alios admitteret, & vtrumque absurdum. Item illa coniunctio est melior, quae tendit magis ad prolis generationem & ipsius educationem. *ff. de insti. & iur. l. 1. §. ius naturale. de conuersi. infidelium cap. 2.* hoc autem probatur si vnus vni indiuisibiliter coniungatur. Nam si vnus pluribus copularetur, vna procuraret nocumentum filiis: hoc enim conuenit nouercis. *l. 3. de inoffi. testamen.* Nam *nouerca* dicitur quasi noua Archa. Item foret seditio domestica, cum sit mulier naturaliter dissona maxime carnali. Item illa coniunctio est melior, quae magis accedit ad vnitatem domesticam: sic est, si solus soli. & alias propter aequalitatem graduum plurium cessabit ordo domesticus, & intercedet discordia, vt supra: ergo &c. Item illa coniunctio est melior, quae maiorem includit amicitiam. Hoc autem euenit, cum solus soli indiuisibiliter coniungitur. Probatur maior, quia

ior, quia

ior, quia vir & vxor debent esse perfecti amici, vt scribitur 8. *Ethicorum.* Nam sunt effecti vna caro. probatur minor. Nam perfecta amicitia est inter duos. Non enim potest quis esse perfectus amicus plurium, vt scribit Philosophus. 9. *Ethicorum.* Item illo modo non debet vir copulari vxori, quo deseritur ordo domesticus. sic euenit si vnus pluribus. Et sic concluditur, quod circumscripta fide & lege diuina vnus vni mulieri indiuisibiliter debet copulari, attenta sola humana intelligentia, & dictamine rectæ rationis. & per hoc infertur, quod lex canonica magis accedit ad veram prudentiam quam ciuilis, permittens diuortium & etiam concubinatum. Et hæc fuit sententia philosophorum. 2. *Politicorum.* & 1. & 2. *Oeconom.* Ad rationes in contrarium facile est respondere. Ad primam dicendum est, quod licet in pluribus iungendo posset plures procreare, tamen fieret magna resolutio, & non sic perfectos generaret, vt dictum est. Item non solum propter generationem, sed educationem & enutritionem. sufficit ergo vna vni. In brutis autem secus, quia illa solum propter generationem: homines autem sequuntur rectam & bonam vitam. Et quod vnum brutum habeat plures femellas, non repugnat generationi: quia secundum naturales, femellæ brutorum non habent tantum appetitum libidinis coitus, sicut mulier, nec masculus brutorum est tantæ potentiæ in generatione, sicut homo secundum quantitatem. primum scribit philosophus in 9. *libro de Historiis Animalium:* Secundum scribit in *libro de Problematibus.* Ad aliam dicendum, quod licet mulier sit sterilis, hoc raro euenit, & sermones in naturalibus & moralibus sunt intelligendi, vt in pluribus: vt scribitur *primo Ethicorum.* quia ergo plus mali sequeretur, si pluribus copularetur quam quod sic remaneat cum sterili, surgit inductio regulæ infallibilis. Ad aliam dicendum, quod sicut vna forma non perficit nisi vnam materiam, sic vnus vir vnam mulierem: & sic facit pro. Ad aliam dicendum est, quod nihil est ociosum secundum speciem, sed secundum indiuiduum tantum, & vt in paucioribus hoc euenit: vt patet 2. *Physicorum.* de obseruantia antiquorum dicendum est, quod plures mulieres minus curarent de vno viro, quam vna sola, vt patet per experientiam. Ad aliam dicendum est, quod homo inclinatur in plures non intelligẽtia naturali vel humana, sed propter appetitum brutalem. Hanc autem humanam intelligentiam approbat lex diuina, introducens sacramentum matrimonii. Patet igitur ex præmissis, quod lex canonica prohibens diuortium magis accedit prudentiæ naturali bonæ Politiæ totius vniuersi, quam lex ciuilis quæ diuortium approbat pluribus casibus & permittit.

Clericus. CAP. CVII.

RVrsum principes temporales suis legibus & constitutionibus permittunt, immo expresse approbant duella, quæ iure naturali pariter & diuino detestabilia sunt & quamplurimum abhorrenda. & talis abusus est in præscriptibilis, quia inuitat ad delicta. scilicet ad arma & rixam, Contra legem etiam, ciuilem. quia bonus iudex non debet permittere illos ad arma prosilire, quos sua auctoritate potest refrenare. *L. æquissimum. ff. de vsufru.* & delictorum fit quædam occasio. & de hoc dicit textus legis, dum dicit: *Itaque nec fortitudinem manus appellet solum. Et si quis ab ea iusticiam subtrahat, delictorum erit occasio &c.* hæc leguntur in *autentica, vt omnes obedeant iudicibus prouinciarum in principio collat. 6.* Talis autem est abusio huius duelli: quia subtrahit iustitiam à fortitudine. ergo non est inductibilis nec præscriptibilis, vtpote quæ delictorum est occasio, & animarum & corporũ sæpe pericula eueniunt seu proueniunt, vt *extra de tornea, c.* 1. Item per eam contra euangelium Deus tentatur, vt 2. *q.* 5. *c. Monarchia:* & extra, *de purgat. vulgari,* quasi per totum. Tertio videtur iure ciuili prohibita, vt *C. de gladi. l. vnica. lib.* 11. quicquid notet glo. ordinaria. *ff. ad l. acquil. l. qua actione. §. si quis in colluctа.* Item fit duellum aut propter odii exaggerationem, aut propter in publico gloriam consequendam, aut propter purgationem alicuius criminis. & dico quod duellum vtroque modo sumptum est omnino prohibitum iure naturali, vt sumitur ius naturale pro instinctu naturæ proueniens ex naturali intelligentia, quæ appellatur *naturalis æquitas,* vt *capit. ius naturale.* 1. *di.* Et probatur quo ad primam speciem duelli, quæ fit propter odii exaggerationem: quia hoc est vnum præceptum legis naturalis diuinæ, scilicet *non occides.* Et si detur instantia de Samsone & similibus 23. *q.* 5. *ca. si non licet,* non obstat: quia hoc fuit Spiritus sancti inductione, vt scribit Augustinus in præallegato. *ca. preterea.* hoc est inhibitum lege canonica. *extra de homi.* quasi per totum: & lege ciuili. *ff.* & *C. ad l. Corneliam de sicca.* Et si dicas; illa iura non tangunt istum casum duelli, quæ loquuntur de Homicidio voluntario: istud autem genus duelli prouenit ex dispositione naturæ & non voluntarie. Dico, quod licet naturalis dispositio corporea hoc inducat, tamen naturalis rationis dictamen disponit in contrarium, cui magis est obediendum. Nam illa naturalis dispositio non necessitat, cum remaneat homini liberum arbitrium. 23. *q.* 4. *cap. Nabuchodonosor.* Vnde Ptolomæus: *Anima sapiens dominabitur astris.* alias dici posset de singulis generibus viciorum, quod quia homines naturaliter ad singula vicia inclinantur, vt quidam superbi, quidam luxuriosi, quidam auari, & sic de singulis, deberent excusari, quod est falsum. Nam semper remanet homini liberum arbitrium, vt est dictum: & sic patet quod ista species duelli vtroque iure est prohibita. Nunc de secunda, quæ fit propter gloriam consequendam, est dicendum, quod est etiam vtroque iure prohibita. & hoc probatur sic. ille actus à iure diuino prohibetur, qui est alienus à fonte caritatis. Nam caritas est fundamentum omnium virtutum, *de pœn. dist.* 2. *cap. caritas* Sed pugnare contra proximum est alienum à caritate: quia caritas est dilectio Dei & proximi ergo &c. Item duellum est inhibitum iure gentium, quod sic probatur. quia illud est prohibitum iure gentium, quod tendit in destructionem vniuersi. illud genus duelli est huiusmodi: ergo &c. Probatur maior. Nam æquitas naturalis, super qua

fundatur ius gentium, tendit in conseruationem & augmentum vniuersi. *ff. de iustitia & iure. l. 1. §. ius naturale & l. ex hoc iure.* minor patet: quia illud genus duelli tendit in destructionem hominis, quæ est nobilissima pars vniuersi, immo finis omnium productorum à natura. *l. in pecudum. ff. de vsuris.* ergo est inhibitum iure gentium. Præterea est inhibitum iure canonico. *de cle. pug. in duel.* in rubro & nigro. Nunc de tertio genere duelli, quod dicitur purgatorium, & istud stricte & proprie apud vulgares duellum appellatur: & est etiam prohibitum iure diuino: quod sic probatur. Ille actus est prohibitus iure diuino, per quem fit tentatio sed hoc duellum est huiusmodi: ergo &c. Maior apparet: quia scribitur: *Non tentabis dominum Deum tuum &c.* Minor apparet: quia tunc tentatur Deus, cum perquiritur aliquid contra naturam, quod non est producibile, nisi miraculo diuino: sic est in proposito in hoc duello purgatorio. Nam naturale est, quod fortior & ingentior vincat minus fortem. Sic igitur Deus tentatur vt miraculum faciat. iure gentium est inhibitum, quod probatur. Nam ille actus est inhibitus iure gentium quod repugnat naturali æquitati. sed duellum purgatorium est huiusmodi: ergo &c. Maior patet de se: & minor probatur. Nam æquitas iuris gentium est delinquentes punire, inscientes absolui: & in duello purgatorio contingit quandoque totum contrarium, vt docet experientia. ergo iure gentium est inhibitum. patet, quod iure canonico sit prohibitum, *de pur. vulgari. c. 1. & 2.* Item potest confirmari quo ad, vltimam speciem. Nam aut dicitur permissum in causa criminali aut in causa ciuili, non ciuili, vt *l. negantes, de actio. & obliga.* Nec criminali: quia aut probatur contra illum qui prouocatur aut non. si præbetur, non restat nisi ferre sententiam. *C. de pe. l. qui sententiam & l. ne dum*: aut est præsumptio nec plene probatur, tunc secundum ordinem iuris ad tormenta est procedendum *ff. & C. de quæsti.* per totum: aut nullo modo probatur: Et tunc actore non probante reus venit absoluendus. *l. qui accusant. C. de eden.* Et in criminalibus debent probationes luce meridiana clariores esse *l. fi. C. de proba.* Præterea in iudicio æquitas est seruanda. *cap. nouit. de iudi.* sed sic est regulariter, quod vnus est fortior altero ergo in duello æquitas non seruatur. peccant igitur Domini temporales duella admittentes. Et vtinam ad ea quæ dicta sunt diligenter aduertant.

Miles. CAP. CVIII.

NOn imponatis iure ciuili quod sic indistincte duella admittat. immo iure ciuili est regulariter duellum inhibitum. fallit in duobus casibus per Fredericum introductis, qui habentur *de pace tenen. & eius violatur collat. prima*, puta si quis intra tempora pacis hominem occidit, punitur pœna capitali vt fractor pacis, nisi per duellum se deffenderit. *cap. si quis hominem. §. si quis alium.* Et in iure digestorum videtur iure quodammodo duellum permissum. *ff. ad l. acqui. l. hac actione. §. si quis in colluctatione*: vbi cessat actio pœnalis contra occidentem in duello, quando duo pugiles colluctantur. lege noua codicis videtur inhibitum *l. vna. C. de gladi. lib. 11.* Quid ergo dicendum? nunquid lex illa noua codicis corrigit legem digestorum? hic aduertendum, quod potest fieri pugna non cruenta, vbi non tenditur ad sanguinis effusionem, vt aliqui brachiis colluctant, vel similibus modis. Et hoc genus colluctandi non est inhibitum iure veteri, nec etiam nouo codicis: immo permissum propter populi recreationem. *C. de specta.* quasi per totum. *li. 11. de impensis ludo. eod. lib.* Potest etiam fieri pugna vsq; ad sanguinis effusionem, vt in duello. & ista iure nouo est inhibita, *de gladi. l. 1.* prius alleg. Sed tūc fortissime instabis. tu dicis, quod iure gentium duellum est inhibitum, sed permissum iure ciuili: vt *§. si quis in colluctatione* prius alleg. Ius ciuile non est alia æquitas ab æquitate iuris gentium, addens nouam speciem. *l. ius ciuile. ff. de iustitia & iure.* ergo si est inhibitum iure gentium, non erit permissum iure ciuili: alias ius ciuile repugnaret iuri gentium. Istud contrarium est difficile. Et pro solutione contrarii huius præmitto triplicem permissionem. Est enim quædam permissio simplex, quæ remittit & indulget, de qua habetur. *4. di. ca. denique.* Secunda permissio est, quæ tollit impedimenta eius quod permittit, vt textus dicit, quod *Iudæi permittuntur habitare inter nos.* Nam tolluntur impedimenta impedientia, ne possint secundum ritus eorum habitare nobiscum. *45. di. ca. qui sincera.* reperitur tertia permissio, quæ præstat iuuamen actui permisso, quod non faciebat secunda: immo solum impedimentum tollebat. Nunc in proposito, si bene ponderentur verba in *§. si quis in colluctatione*, & subditur ratio: *quia non fit iniuriæ causa.* igitur illa permissio pœnæ responsoria est. hic ergo nulla, repugnantia est, quod ius gentium inhibeat, & lex ciuilis pœnam remittat. Nam pœna homicidii imponitur propter dolum. modo in *§. si quis in colluctatione*, cessat dolus, vt est dictum, quamuis consuetudine aliquarum partium, quæ tamen corruptela potius est censenda, duellum sit permissum. Vnde piissimus Rex Franciæ modernus Carolus V. vix autem nunquam in duellis permittit partes ad arma prosilire: sed quantum in eo est ipsas in concordiam reducit atque pacem.

Clericus. CAP. CIX.

QVoniam in prioribus de bello particulari, scilicet de duello fit mentio, nunc volo vobis militibus ostendere, vnde bellum primo habuit ortum. Vbi aduertendum, quod primo spirituale habuit ortum in paradiso. Nam creator cæli & terræ Luciferum in superbiam propter defectum caritatis de throno eiectum cælesti ad centrum terræ eiecit, vt pulchræ deducit Gregorius. *de pœn. dist. 2. principium enim.* vnde volunt dicere aliqui, quod ex illo spirituali bello creatoris contra Luciferum ortum habuit bellum humanum. Nam in vno quoque genere est deuenire ad vnum, quod sit principium & mensura illius generis in repugnantia bonorum contra mala, & est deuenire

ad pri-

Digitized by Google

ad primum principatum.& illud eſt altiſſimus Deus noſter. Principium autem viciorum & princeps eſt diabolus. Et volunt aliqui dicere, quod bella corporalia terreſtria habent bella cæleſtia correſpondentia. Nam, vt dicit Philoſophus, neceſſe eſt hunc mundum contiguum eſſe elationibus ſuperioribus, vt omnis eius virtus inde regatur 1. *metaphi.* igitur omnis actus inferior dirigitur à ſuper celeſtibus,& ibi eſt pugna & repugnantia virtualis inſurgens propter varietatem corporum cęleſtiũ. Vnde reperiuntur ciuitates naturaliter odioſæ ſe habentes nullis tamẽ demeritis vel offenſa præcedentibus. Sic reperiuntur ciuitates, gentes & regna, quæ ſe naturaliter diligunt. Cum igitur bella oriantur propter odia, ſequitur quod bella cauſantur à motibus corporum cæleſtium, quæ operantur in his inferioribus attenta neceſſitate materialis & corporeæ naturæ. tamen homo rationalis poteſt reſiſtere quia anima ſapiens dominabitur aſtris *c. nabuchodonoſor. & ca. vaſtiore* 18. *q.* 4. in hoc tamen nihil aſſero: ſed credo id quod credit & tenet militans eccleſia. dixi ergo, quod eſt ſpirituale humanũ bellum: quod poteſt exemplificari Theologice & moraliter. Theologice ſci. ſpirituale bellũ eſt repugnantia exorta propter inuidiam & repugnantiam diaboli propter rationalem creaturam habẽs fomitem à & peccato originali. de hoc bello ſpirituali loquitur Apoſtolus. ad Ro. 7. c. *Induite vos armatura Dei, vt poſſitis reſiſtere aduerſus arma diaboli.* Moraliter autem exponendo ſpirituale: humanũ bellum exortum eſt propter repugnantiã rationis & appetitus? ſenſitiui. vnde Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. palea ſed penſandum.* 6. *di.* Vnde multiplex ratio cõſueuit aſſignari: quia malum poteſt quis pro ſe bonum autem non poteſt quis ſine gratia. Alia ratio propter fomitem originalis peccati impellentẽ ad mala. Alia ratio; quod facilius inclinatur quis ad malum quam ad bonum. Nam bonum conſiſtit in medio: vitium autem in extremis ad medium ſit tranſitus vnica via, tamen ad extrema pluribus. immo bella terreſtria ortum habuerunt iure diuino. Nam omnis facultas tendens in bonũ à Deo poſitiue nedum permiſſiue deriuatur: ſed facultas belli iuſti indicendi tendit in bonum: ergo à Deo poſitiue venit. Probatur maior: nam omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum 1. *q.* 1. *c. quam pio.* Probatur minor. nam indictio belli iuſti tendit in pacem & quietem vniuerſi: quia bella gerimus vt pacẽ habeamus. eſto ergo bellando pacificus & eos quos expugnas ad pacis vnitatem vincendo perducas 23. *q.* 1. *c. noli.* Eſt igitur finis belli pax & tranquillitas vniuerſi. ergo infertur, à Deo bella originaliter & poſitiue perueniſſe. Quid plura? nunquid hoc patet aſpectis mundi generationibus? Nã à principio creationis mundi vſq; ad tempora Noe Deus per ſemetipſum malos exterminabat, vt patet de Cain, & Lameth & quibuſdã aliis, de quibus legibus *Gen.* 4. *&* 5. *c.* Ex præmiſſis videtur bella originaliter de iure diuino ortum habuiſſe. dicunt tamen aliqui, quod bella orta ſunt iure gentiũ, Iſidorus 1. *diſt. ius gentium*, Hermogenianus Iuriſconſultus *l. ex hoc iure. ff. de iuſtitia & iure.* tamen credo, vt ſuperius præmiſi, quod non ſolum ortum habuerunt ex æquitate naturalis & humanæ intelligentiæ creatæ, Imo diſpoſitiue à natura naturante, quæ non ſolum influit ſuper actus humanos, Imo etiã ſuper quibuſcunque animatis & in animatis. vt ſit verum dicere, quod bella habuerunt ortum à iure naturali etiam vt ſic diſtinguitur contra ius gentium. Et quod hoc ſit verum probatur ſic. Cuilibet naturali creaturæ eſt inſita naturalis inclinatio ad excluſionẽ cuiuſcunque ſibi repugnantis: hoc patet inducẽdo in ſingulis naturalibus ſimplicibus & mixtis. nam aquæ inſitũ eſt reſiſtere igni, & econtra, propter repugnantiam qualitatum, & ſic in ſingulis elementis. hoc patet in mutis in brutis, vbi ex naturali repugnantia complexionum vnum inclinatur naturaliter ad occiſionem alterius, ſicut in rationali creatura inſita eſt inclinatio à natura, & etiam circumſcripto intellectuali dictamine rationis ad profugandũ quodcunq; ſibi repugnans. quod hoc ſibi verum probatur. Nam natura omnium productiua non minus debet eſſe ſolicita in conſeruatione rationalis creaturæ quam aliorum productorum, cum ipſa cæteris ſit nobilior, vt *c. cum infirmitas de pæ. & re.* & aliæ creaturæ ſint ſibi ſubiectæ *l. in pecudum. ff. de vſur.* ergo ex hac inclinatione naturali primordialiter habuit ortum bellum. Cum bellum ſit contentio exorta propter tollendam repugnantiam, & à iure naturali inducta ſit illa inclinatio naturalis circumſcripta naturali intelligentiæ: tamen inclinatio illa regulatur per dictamen rectæ rationis, ſicut diximus, in ſingulis actibus, qui debentur hominibus naturaliter. exempla in cibo potu & coitu, quãuis naturaliter debeantur hominibus, regulantur tamen dictamine rectæ rationis. Et eſt attendendum, quod principi licitũ eſt indicere bellum, in *auctentica. de armis, coll.* 6. Et eſt ratio, qui nemini ſine licentia principis licet violare iura. violat autẽ iura, qui propria auctoritate ius ſibi dicit. ſoli ergo principi, qui ſuperiorẽ nõ recognoſcit, licet bellũ indicere, cũ nõ habeat ad quẽ recurrat pro iuſtitia ſua. arg. *c. licet in fi. de elec. C. de iudic. l. nulli* 23. *q.* 4. *c. Dominus.* notauit Innocen. *c. olim. extra. de reſti. ſpo.* Et hoc verum, quando nec indicens nec ille cui indicitur, recognoſcit ſuperiorem: alioquin ſi indicens bellum recognoſcat ſuperiorem, bellum non poteſt indicere ſinẽ licentia ſuperioris, vt notauit Innocen. In *c. olim*, alleg. facit, *vt armo. vſus l.* 1 *lib.* 11. Si autem ille, cui indicetur, recognoſcat & non indicens, Dominus ſuus videtur primo requirendus, vt faciat iuſtitiam *c. Dominus* ſuperius allegato.

Miles. CAP. CX.

REuerende Clerice, plene informaſtis me, quo iure bella fuerunt orta, & quis poſſit bellum indicere, quia princeps qui non recognoſcit ſuperiorem in terris. Dubito circa hoc, an princeps eccleſiaſticus, ſcilicet Romanus pontifex, poſſit bellum contra Sarracenos indicere, nec non contra Chriſtianos occupantes patrimonium eccleſiæ, & an poſſit & debeat tali caſu iuuantibus eccleſiam


Digitized by Google

suas indulgentias impartiri. Et videtur quod Sarracenis volentibus in pace viuere non sit molestia inferenda. *C. de Paga. l. Christianus*: per hoc quod notauit Inn. *extra de vo. c. quod super his*: quia non est quis compellendus ad fidem. 45. *distin. capi. de Iudæis & c. qui sinceram*, & contra persequentes tantum videtur indici bellum 23. *q. fi. c. dispar.* & per hoc quod dicit Apostolus ad Romanos, *vobis iam bella vltra non sunt carnalia peragenda.* 23. *q.* 3. *in fi.* & ibi notauit hoc Archi. & Malachiæ 7. cap. *ab ortu*, inquit, *solis vsque ad occasum magnum est nomẽ meũ in gentibus, & in omni loco sanctificatur & offertur nomine meo oblatio multa.* Et illud, *constitues Principes super omnem terram*. nec eorum potestas fuit arctata vel limitata, sed dilatata ab ortu solis vsque ad occasum, à mari vsque ad occasum, à mari vsque ad mare; & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum seu fines. Item nihil ad papam de his quæ foris sunt. 2. *q.* 1. *cap. multi in fi.* quia & Iurisdictiones & possessiones sunt apud eos. Nam ab origine Deus propter creaturam rationalem dominia & possiones introduxit, & super bonos & malos facit suũ solem oriri. *Matth.* 5. *&* 6. *c.* Idem videtur, quod nec contra occupantes patrimonium ecclesiæ possit papa arma assumere, quia *arma clericorum sunt orationes & lachryma.*

Clericus. Cap. CXI.

SEd quod contra Sarracenos sit bellum licitum probatur sic: quia ipsi impugnant Christianos, & tunc non est dubium vt in *c. dispar* allegato. Nam tunc licitum est vim vi repellere. nã quod quis ob defensionem facit, iuste fecisse existimatur. *ff. de iustitia & iur. l. vt vim*: aut ipsi nõ impugnant, & adhuc dico, quod bellũ potest eis iuste inferri, quia verisimiliter videtur & verisimile est, quod quãdocunque ipsi opportunitatem habeant, impugnabunt & persequentur Christianos & ecclesiã. melius est enim præuenire quàm præueniri, & ante tempus occurrere quam post causam vulneratã remedium quærere. *C. in quibus causis resti. in integrum. non est necess. l.* 1. *fin.* Naturaliter enim videtur eis inesse, quod Christianos impugnent. vnde dicit Magister in Historia scholastica in *c. de fuga*, quod *id quod scribitur Gen.* 16. *de patre eorum Ismuel, à quo ipsi descenderunt* (vt notatur *extra de iudæ. c. & si Iudæos*) *sit manus eius contra omnes, & manus eorum contra eum: in regione fratrum suorum figit tentoria, verificatur in Sarracenis, qui de genere eorũ descenderunt. Nam ipsi impugnant omnes.* Esto ergo, quod aliquãdo sint in pace, & nos non inquietent, quia tamen verisimiliter timetur quod in futurum pacem perturbabunt, non est indulgendum 23. *q.* 1. *c. noli. in fi.* Et hoc maximè dico contra Sarracenos in Hispania degẽtes, supposito quod in futurum vellent esse in pace, adhuc bellum est licitum & iustum. Nam tota illa prouincia Hispaniæ fuit Christianorum, fuerunt ibi ecclesiæ, monasteria & alia pia loca, vbi laudabiliter nomen Christi celebrabatur, & isti Sarraceni violenter occuparunt eam, nos spoliantes permissione diuina propter peccata nostræ libidinis 56 *distin. cap. si gens Anglorum* 63. *distin. c. Adrianus.* Et sic cum nos agamus ad recuperationem patriæ, à qua sumus per violentiam spoliati, licitum est bellũ, vt in *c. dispar* alleg. Et hoc debet iudicari defensio & non inuasio, arg. *C. vnde* 6. *l.* 1. Et hoc etiam tenet Inno. in *cap. quod super his*, quia *vbi terra fuit aliquando Christianorum, bellum fuit licitum.* ipse magis stricte locutus est in materia ista. Nam tenet quod Iurisdictio & Dominium possint hodie esse penes infideles. Hostiens. tamen tenet contrarium. Et salua veritate, videtur quod opinio Hostiens. sit verior. nam ratio Innoc. videtur habere locum in terra Orientali, quæ hodie à Sarracenis detinetur & occupatur. Nam non est locus, in quo nomen Christi non fuerit laudatum & cultum. vnde de Apostolis dicimus, *in omnem terram exiuit sonus eorum.* ita & ipse saluator dicit: *Eritis mihi testes in omni Iudea & Samaria & vsq; ad vltimum terræ* 43. *dis. can. extumatur.* de Christo enim verificatur illud: *omnes reges terræ adorabunt, & omnes reges seruient ei.* 23. *q.* 4. *cap. displicet.* Ideo dicit Ho. quod hodie non est Iurisdictio neque Dominium nec honor, nec potestas penes infideles. nam per aduẽtum Christi translata fuerũt in Christianos. Transfertur enim regnum de gente in gentem propter iniustitias 23. *q. fi. c. de rebus.* Omnia enim subdita sunt Christo, *oues & boues, insuper vniuersa pecora cãpi*, vt habetur in Psalmo, vbi dicit glo. *omnia dicit quia nec cœlestia nec terrena dimisit*, arg. 19. *di. c. si Romanorum.* per *oues* enim intelligimus Christianos, quorum pastor dicitur esse ipse saluator, qui dixit, *ego sum pastor bonus, pastor bonus est qui animam suam ponit pro ouibus suis.* Matth. 10. *cap.* 24. *quæstio.* 3. *c. tres personas.* has commisit suis successoribus pascendas 8. *q.* 1. *cap. in scripturis.* sed per *boues & pecora campi* intelligimus Sarracenos. tanquam enim bestiæ Deo relicto colunt Idola. & Sarraceni ad litteram vocantur *bestiæ*, quia & ille Ismael pater eorũ vocatur à Domino *Onager*. Et est ratio, quia futurum erat, vt qui de genere suo descenderent, omnem bestiarum rabiem supergrederentur, & mansuetorum numerus contereretur ab eis. in sacris enim locis iugulabunt sacerdotes, & ibidem cum mulieribus dormient. Et hoc narrat Magister in *Historia scholastica in prædicto. c. in fuga.* Et vere omnem hanc seuitiam permittente Deo experti sunt in illa prouincia Hispaniæ, arg. 7. *quæst.* 1. *capit. sciscitaris.* Et licet istæ bestiæ quo ad pastum Petro non videantur esse commissę, sunt tamen pedibus eius subiectæ quo ad Dominium & potestatem. vnde de ecclesia intelligitur illud quod Abraham dicit Sarę vxori suæ conquerenti de ista maledicta Agar ancilla, quæ eam contemnebat: Ecce, inquit, *ancilla tua in manu tua. vtere illa*, vt legitur *Gen.* 16. *c.* per Sarã enim istam sancta Dei Ecclesia Catholica significatur: per *Agar* ancillam illam maledictam secta Mahometi, quæ ab ea traxit originem 23. *quæstio* 4. *cap. quando & c. si ecclesia vtatur.* & præcepit Dominus vt eiiceretur & repelleretur, & filii eius ab hæreditate & possessione, ne partem habeant cum filiis liberæ. 32. *quæstio* 4 *cap. recurrat. & cap. dicit Sara.* Nam cum sint filii ancillæ & sic serui. Nam partus sequitur ventrem. *ff. de statu hominũ.*

l. in serno



l. in seruorum, immo serui à Domino reprobantur extra. *de iudæis. capitu. & si iudæos.* & serui nō sunt capaces Iurisdictionis Dominii vel bonorum *ff. de iudi. l. cum prætor. & l. serui. §. si in seruum. ff. de arbi. & de acqui. re. do. l. liber homo.* Et sic cum bellum istud tendat ad defensionem fidei & recuperationem illius terræ, qua fuimus spoliati, & in qua colebatur Christus, & sic ad ampliationem fidei & eiectionem istius maledictæ ancillæ & liberorum eius, nulli venit in dubium, quin sit bellum licitum. Ideo Romani pontifices semper approbarunt istam guerram inducendo & horando reges ad istam guerram, & concedendo eis multa subsidia & spiritualia & corporalia, & non sine causa. quia & concilium generale videtur æquare merito istā guerrā facientes 33. *quæstio. si. cap. pessima in fi.* Et facit quod notauit Archidiaconus 23. *quæstio. 4. cap. visis.* potest ergo Romanus pontifex licite & iuste indulgentias nedum transeuntibus vltra mare pro recuperatione terræ sacræ concedere; sed etiam volentibus aggredi Hispaniam contra Sarracenos ibidem commorantes. & eisdem rationibus potest indulgentias impartiri transeuntibus ad partes Italiæ pro recuperatione patrimonii Beati Petri nunc tyrannicè occupati, & quotiens in futurum casus similis alias eminebit.

Miles. CAP. CXII.

NE sit vobis molestum, venerande clerice, si iterum occurrat mihi aliud dubiū, super quod volo per vos informari. Nunquid Christianus possit sine peccato ad defensionem suam vti auxilio siue adiutorio infidelium? Et videtur quod non, iuxta illud in Psalmo, *ne impio præbes auxilium & his qui Dominum oderant ne iungeris.* & rex Ierusalem fuit per prophetam reprehensus, qui voluit se iungere cum regibus Israel, *Isaia, 37. cap. & 23. q. 3. cap. 1. & c. maximianus.*

Clericus. CAP. CXIII.

COntrarium est verum. nam quod quis ob tutelam sui corporis fecerit, iure fecisse videtur. *ff. de iustitia & iur. l. vt vim.* Maximè si se aliter deffendere nequit. & ista habentur. *ff. ad. l. aquiliam. l. scientiam. §. qui cum aliter*, vel si iuste timet quod se aliter tueri non potest, *eo. tit. l. si quis fumo.* ignoscēdum est illi, qui qualitercunque sanguinem suum redimere voluit. *C. de bonis eorum & c. l. 1.* nec solū cum infidelibus & dolosis possumus inimicos impugnare; sed etiam per dolum 22. *q. 2. cap. vtilem* 23. *q. 2. c. Dominus.* nam & canes in ecclesia propter pacem ecclesiæ toleramus 23. *q. 4. cap. quidam.* exemplo Domini qui cum malis quandoque fecit vindictam, 22. *q. 5. §. hinc notandum.* Nam sicut videmus econtra, quia in bello iusto fideles iuuant infideles 11. *q. 3. cap. Iulianus.* Et ad deffensionem fructuū terræ vtimur arte Mathematica *C. de Matth. l. horum*; cum tamen sit vtroque testamento prohibita. & Paulus vt ad defensionem suam procuraret Phariseos, dixit se Pharisæum; *Actorum* 23. *c.* & petiit à præside milites, quorum auxilio seruaretur illæsus 23. *q. 4. cap. maximiani.* Machabei, qui fuerunt sancti viri & pugiles fidei erant cum Romanis, vt mutuo se iuuarent. 1. *Macha* 8. c. & tamen Romani erāt pagani. & tempore necessitatis communicamus cum excommunicatis. & Salomon ligna pro ædificando templo recepit ab infidelibus. Et ad primum argumentum in contrarium respondetur, quod ibi bellum fuit iniustum. Ad secundum quod illi de Israel volebant educere eos de Iudæa & Ierusalem ad adorandum vitulos aureos 23. *q. 3. sex & c. sequenti.* & inter malos procuranda est diuisio & dissentio. Nam, vt dicit Beatus Gregorius in moralibus, *sicut noxium est si vnitas desit bonis, sic & perniciosum si non desit malis.* peruersos quippe vnitas corroborat, cum concordat, & tanto magis incorruptibiles quanto vnanimes facit. & ideo ille Paulus dixit se Pharisæum, & diuisio facta est inter Phariseos & liberationem est cōsequutus, *Actorum* 23. *c.* vbi dicit glo. quod *sicut vnitas bonorum vtilis est, sic vnitas malorum semper bonis nociua est*: & propter tales saluator. Lucæ 22. ca. dixit, quod *non venit pacem dare in terra sed separationem.* Vnde Isa. 63. c. *Dissolue colligationes impietatis, & fasciculos deprimentes*: & iam in hostes discordiam ponere, seu procurare sapientis est de hoc Isidorus in *lib. de summo bono*: 68. *c. de malorum concordia.*

Miles. CAP. CXIV.

VLterius occurrit dubium, vtrum in bellis licitum sit vti insidiis ad victoriam consequendam. & videtur quod sic. nam inquit Augustinus i *Cum bellum iustum aggreditur, non refert an aperte vel insidiis quis ad iustitiam peruenerit*: per id etiam quod habetur *Ioan. 8. cap.*

Clericus. CAP. CXV.

DOmine Miles hostis quod insidiæ rumpunt fidem, quæ seruanda est etiam hosti 24. *q. 1. cap. noli.* Circa hoc tamen dico, quod insidiæ proprie dicuntur quæ tendunt ad fallendum aliquem. sed dupliciter contingit aliquē falli, vno modo, vt si dicatur ei falsum, vel si decipiatur contra promissum: istis insidiis nunquam vtendum est etiam contra hostem, quia & inter hostes sunt quædam fœdera seruanda. Alio modo potest falli, vt quia non aperuimus ipsi propositum nostrum, vel ponimus insidias in nemore vel alias: & hoc est licitum, ex quo contra pactum non venimus. Vnde illud est vnum ex principalibus mandatis inter milites, quod secretum non aperiamus hostibus 23. *q. 2. c. Dominus*: hoc idem tenet Iohannes *c. vtiles* 22. *q. 2.* vbi hoc videtur satis innuere. Quoniam de bellis & duellis sit aliqualiter mentio, quæ vt in pluribus & sæpius inter illos, qui communi nomine Nobiles appellantur, consueuerunt exerceri, intentionis meæ est, vobis Domine Miles, luce clarius ostendere, quod nullus debeat dici *Nobilis* à natiuitate. Et primo sic. nam Iob. 14. c. legitur, *mortius*



Digitized by Google

sunt Nobiles: ignobiles fuerunt filii eorum, & non interierunt. præterea quæ ex natiuitate habentur, non possunt tolli per principem, *insti. de iure naturali.* §. *sed naturalia*, sed nobilitas potest immutari quia si filia senatoris nubat plebeio, perdit nobilitatem. *l. fœmina. ff. de sena. l. 1. & l. mulieres. C. de digni. libro* 11. Item si esset dare hanc nobilitatem prouenientem à parentibus, tunc arguatur sic: aut primus parens fuit nobilis aut ignobilis. si primo modo, omnes erimus nobiles. si secundo modo, omnes ignobiles, quod est falsum. Et sic originaliter vnus nō videtur altero nobilior: quia omnes sumus de eodē parente scilicet Adam. Item dicit Plato, vt recitat Seneca ad Lucillum, *esse neminem regem non ex seruis esse ortum & neminem seruum non ex regibus esse ortum.* Confirmatur per vnam legem, quæ dicit quod decies milies ex pauperibus diuites & ex diuitibus processerunt manes, in *auctentica. vt omnes obedi. iudi. prouinc. §. 1. colla. vnica.* Quandoque enim lex vel princeps dat dignitatem seu nobilitatem. *lib. 1. de dignitatibus* allegatam.

Miles. CAP. CXVI.

MIror clerice ex eo, quod nobilitatem sic abnegatis. dicitur enim Ecclesiastici. 10. c. *Beata terra cuius rex nobilis est.* glo. *id est de stirpe regia.* ad hoc. *l. 1. C. de digni. lib.* 12. *l. senatoris filium. ff. de senatoribus*, quæ omnes innuunt nobilitatem generis. Et si quæratis, vnde primo processit ista nobilitas generis Respondeo nunc succinctè & forsan ita latius, quod à nobilitate morum vel virtutum vere vel præsumptiue, cum aliqui erant virtuosi & probi, tunc populi siue principes in signum nobilitatis seu virtutis sibi concessæ inter possessiones, vt in signum probitatis seu meriti tenentur in feudū cum posteris suis, & descendentes ex eis *Nobiles* possunt vocari. Et potest induci exemplū sacræ scripturæ. Dominus enim assumpsit de pascuis sequentem gregem, & cōstituit eum in regem, per cuius regni adeptionem omnes ex eo descendentes *Nobilissimi* appellantur, vt in Psalmo: *Elegit Dauid seruum suum de gregibus ouium de post fetantes accepit eum.* Item prædia assignantur militibus in signū virtutis. *ff. de rei vendi. l. Item si verberatum.* §. 2. *de enic. l. lucius de fund. limi. l.* 2. & 3. probatur. *ff. de censi. l.* 1. Ad contraria: ea quæ sunt iuris naturalis non possunt tolli per Imperatorem, &c. Dico, quod Imperator vel rex non possunt totum ius naturale immutare: sed bene possunt iuri naturali derogare, vt patet in seruitute, quia omnes homines iure naturali nascebantur liberi, tamen huic iuri naturali derogatur per seruitutem, vel aliter non derogatur iuri naturali, sed obumbratur in hac parte. Ad aliud: omnes sumus ab Adam, non sequitur, quoniam aliqui sunt dotati maiori virtute quam alii. Ad auctoritatem Platonis, concedo satis quod per præfatum modum nobilitas potest acquiri & continuari in descendentibus, sic per dissuetudinem & non vsum potest amitti & annullari nobilitas. Ex his infero, quod potest præscribi nobilitas, quod potest sic probari: quia si seruus gerat se pro libero, præscribit libertatē: ergo à simili, si aliquis cum prædecessoribus suis gesserit se pro libero nobili, poterit præscribere nobilitatem. *C. de præscrip. longi. tempo. l.* 2. dico, tanto tempore quod nō extet memoria in contrarium. *ff. de aqua coti. & æsti. l. hoc iure.* §. *ductus aquæ.* vnde quasi possidetur ista nobilitas, arg. *legis si quis diuturno ff. si serui. vendi.*

Clericus. CAP. CXVII.

SVpposita ergo nobilitate, quæro. rex diligebat vnum ignobilem, & volebat eum nobilitare. ignobilis ille renuebat asserens, quod nunquam de genere suo aliquis militauit, nec ipse primus inciperet, nihilominus rex dedit sibi supra collum, dicens verba assueta, *Miles esto.* Vtrum ergo iste erit nobilis. & videtur quod sic. Pro cuius euidentia suppono, quod nobilitas, quæ datur per principē, infertur in alium ex mera gratia concedentis, non ex aliqua necessitate ex meritis illius, cui conceditur, proueniente, in *auctentica. vt iudi. sine quoquo suffrag.* §. *Itaque* 1. *q.* 1. *c. gratia.* Certæ causæ tamen possunt impellere concedentem ad hoc faciendum, Imo propter virtutem illius cui conceditur. *l. vt virtutum præmia. C. de statu & Ima.* aliquando etiam propter actum vitiosum illius, cui conceditur. *ff. de origine iuris. l.* 2. §. *præterea cum apius*, ibi *propter furtū quis consecutus fuit dignitatem & officiū.* Et hoc videmus quandoque per experientiam accidere, quod principes seculares & ecclesiastici nobilitāt & exaltant malemeritos, propter eorum actus vitiosos atque demerita: male tamen, quia peccant mortaliter præferendo indignos dignis. Tertio conceditur nobilitas nulla consideratione habita ad virtutes seu vitia, vt in muliere, quæ nobilitatur propter maritum. *l.* 1. *de digni.* superius allegata: & mater propter filium *l.* 1. *ff. de sena.* Ex quibus sequitur, quod nobilitas cadit in ignorantes: quia, vt dictum est, nobilitas cadit in acceptione illius, qui nobilitatem confert. & non illius qui recipit: sicut dilectio mea, per quam accepto te in amicum, potest contingere te penitus ignorante. quod patet in eo, qui vt statim nascitur nobilis est, licet consensu careat, vt in *auctentica de defen. ciui.* §. *sed iterum.* & merito poterit acquiri nobilitas, cum sit actus, qui dependet ex sola voluntate concedentis & nō recipientis. Ex quibus potest inferri, quod aliquis possit nobilitari in puncto mortis, quia potest cōferri ignoranti, sicut & legatum. *l. cum pater.* §. *surdo. ff. de leg.* 2. videtur ergo quod iste nobilis militabit, velit nolit.

Miles. CAP. CXVIII.

CRedo totum contrarium, quia & si illa nobilitas dependeat ex voluntate concedentis, dico tamen quod terminatur in personā illius, qui debet effici nobilis. & videtur quasi quidam cōtractus, qui non potest perfici, nisi ex consensu voluntatū contrahentiū: dico vere vel præsumptiue *l.* 1. §. 1. *Digest. de pac. & l.* 3. *C. qui mili. pos.* Et per hoc respondetur ad contraria. Nec obstat, quod arguitur

de

Digitized by Google

de illo, qui vt statim nascitur nobilis est, quia hoc contingit in nobilitate generis, quæ ratione sanguinis defertur & transfertur in alium etiam ignorantem, quemadmodum & alia iura sanguinis, quibus nec pacto renunciari potest *l. iura sanguinis. ff. de pactis.* Nos autem loquimur de nobilitate, quæ de nouo confertur pro principem.

Clericus. CAP. CXX.

SEd nunc instantius quæro, qualiter rex vel quiuis alius de vno puro rustico possit facere militẽ & nobilem? Et videtur quod nullo modo, quia veritatem rex vel Imperator non potest immutare, quia propter nostrum affirmare vel negare nihil mutatur in re, secundum Philosophum. arg. *leg. 2. ff. de vsufruc. ea. re. quæ vsu consumuntur.*

Miles. CAP. CXXI.

POtest distingui, quia aut loquimur de nobilitate relata ad progenitores, quod natus sit ex nobili parentela. Et tunc dicendum est, quod illud est impossibile, quod natus sit ex nobili pentela, quia illud factum est nec in fieri esse potest *l. in bello. §. facta. ff. de cap.* vel loquimur de nobilitate relata ad se ipsum: & tunc dico, quod Imperator bene potest vel rex aliquem nobilitare faciendo eum militem, vel aliàs. Et hoc videtur dicere Lex de illo, qui ius aureorum anulorũ impetrauit, quod honor eius auctus est: conditio autem non immutata. *ff. de condi. indebi. l. falsa demonstratio.* faciunt iura. *ff. de natali. resti. l. 1. & fin. & C. de proxi. sacro. scrini. l. iubemus.* & sic habebit imaginẽ nobilitatis, quo ad opinionem tamen vulgi quodammodo rusticus remanebit, arg. *l. 2. C. de iure aureorum anulo.* quam opinionem nec papa nec Imperator immutare posset, *extra. de Sy. c. per tuas. 2.* Ad rationes respondeo, quod re vera non mutat, sed bene conditionat quo ad effectus generales.

Clericus. CAP. CXXII.

RVrsum circa istam nobilitatem quæro. quidam miles creatus per regem serenissimum in armis, de genere tamen ignobili: alius est de genere nobili, de se tamen non est nobilis, quia non exercet actus strenuos, sed sedet iuxta caminum: quis istorum præfertur in honoribus, sessionibus & similibus, videtur quod nobilis nobilitate generis præferatur in honoribus, quia qui potiora iura allegat, est præferendus *l. 1. C. de edic. diui Adri. tollendo:* sed iste allegat ius naturale, quod est fortius quã nobilitas accidentalis. *ergo &c. insti. de rerum di. §. singulorum. 5. di. quasi per totum.*

Miles. CAP. CXXIII.

VIdetur contrarium, quod magis commendatur quis de facto proprio quam alieno. *ff. de ope. li. l. cum patronus. §. cum libertus,* iuncta. *l. nec adiecit, pro socio.* Etiam magis infamatur de facto suo quã alieno. *l. furti § si quis alieno. ff. de his qui no. infa.* sed sic est quod iste nobilitatus de nouo de suo proprio facto commendatur. ergo &c. Item facit auctoritas Socratis: *si laudas aliquem quia generosus, parentes eius laudas: si quia diues, diuitias laudas: si quia formosus, expecta modicum, & non erit: sed si laudas aliquem, quia virtuosus, tunc ipsum hominem laudas.* facit. *C. de diuer. offi. l. ad splendidioris.* Item dicit Lex, quod vrbana mancipia recognoscuntur non ex loco vrbano seu rustico sed ex operibus ipsorum. Nam qui operam rusticam exercet, rusticus est: qui vrbanam, vrbanus dicetur. Non igitur ex loco natiuitatis, sed ex operibus & virtutibus vnusquisque gratiam sibi comparat, quia Adam extra Paradisum creatus est: Eua vero in Paradiso. 40 *di. c. illud & c. qualibet ea. di.* Quid Paradiso iocundius: quid cælo securius? & tamen homo de Paradiso, Angelus de cælo cecidit. Ex quibus videtur, istum strenuum militem præferri debere. Finaliter tamen, Domine clerice, rationibus vestris concedendo, quod nobilis nobilitate generis præferendus est, nisi tanta esset illius strenuitatis prærogatiua, quod secundum opinionem omnium non immerito deberet anteferri, vt aliis cederet in exemplum. Hoc potest probari per vnam legem, quæ dicit quod vnus debet alium præcellere in gradu secundũ tempora, nisi sit alius qui labore vincat. Nam si testimonio. 15. primatum ius ordinis sit probatum, præferendus est. Et hoc, nisi à proximis sacrorum scriniorum aliquis sit geitus, quia tunc solet facilius anteferri, per. *l. vnicuique. C. de proxi. sacra. scrini. l. 12.* Et illud est de consuetudine, quæ est optima legum interpres. Contraria vero concluserunt de nobilitate theologica, quo ad Deum, de qua supra tetigi. Et est aduertendum de ista nobilitate, quod plures fuerunt antiquorũ opiniones. vna enim fuit opinio, quod *nobilitas sit antiqua possessio æris seu diuitiarum, cum pulcris moribus seu regiminibus.* Sed ista opinio ab aliquibus reprobatur, quia diuitiæ non possunt dare nec auferre nobilitatem. quod apparet, quia diuitiæ de se sunt viles, & quod vile est nobilitari non potest. Vilitas autem earum apparet quia diuitiæ congregatæ non quetunt animum, sed maiorem curam tribuunt. Et præterea pluribus aliis modis contingit nobilitas quam istis. Sed contra istorum reprobationem posset argui: quia diuitiæ conferunt ad magnanimitatem, quæ est virtus mortalis, vt habetur per sanctum Thomam. in *secunda secundæ. q. c. 28.* & Philosophum 4. *Ethycorum,* vbi tractat de nobilitate. Itẽ quicquid confert ad fœlicitatem, confert ad nobilitatem, secundum eundem, sed diuitiæ conferũt ad fœlicitatem, quia sine eis non contingit hominem esse fœlicẽ, secundũ Philosophum *primo Ethicorum.* Et videtur approbare Philosophus *quinto Politicorum* circa principium, vbi sic ait. *Nobiles esse videntur, quibus existunt progenitores, virtus & diuitiæ.* Finaliter tamen concludo, quod diuitiæ nõ sunt nobilitas seu dignitas, nec nobilitatem possunt dare directè, possunt tamen esse causa remota, ob

Digitized by Google

quam nobilitas possit contingere. & sic concludunt rationes in oppositũ. Secunda opinio fuit quod solum antiqui boni mores faciunt quem nobilem. istorum opinio reprobatur. Nam isti videntur præsupponere, quod ex vili patre non potest descendere nobilis filius. quod patet, quia requirunt antiquitatem, & sic sequeretur quod omnes sumus nobiles vel omnes ignobiles, quia primus parens fuit nobilis: ergo omnes nobiles. Si primus parens fuerit ignobilis: ergo omnes ignobiles, quia nunquam in persona alicuius potuit incipere nobilitas secundum illam opinionem. Aut ipsi habet dicere, quod mundus fuit ab æterno cum multitudine hominum, quod est falsum & contra fidem Christianam. sic reprobant aliqui dictã opinionem. Sed tamen quantum ad veritatem, illud quod est dictum, quod ex vili patre non possit nasci nobilis filius. nam requiritur antiquitas morum &c. non videtur esse verum. nam ista potest esse in vno homine. quia si durauerit longo tempore 10. vel 9. annis in bonis moribus, censentur antiqui boni mores, *ff. de leg. l. de quibus*. vnde ex istis actibus virtuosis non erit nobilis. nec est verum vnum consequens, quod ponunt sic quod omnes essemus nobiles aut ignobiles. Pone enim: quidam fuit nobilis. nobilitas eius transit in filios, nisi pro eorum delicta amittant. nam propter delicta quis infamatur, & propter infamiam perditur dignitas & nobilitas, vt *l. 1 & l. quotiens. C. de digni. lib. 12*. Si ergo aliquis ex filiis se gessit virtuose, retinet nobilitatem: si viuit vitiose, perdit nobilitatem, & erit plebeius. Et ita fuit de facto in Cain, qui occidit Abel fratrẽ suum, qui perdidit patris nobilitatem, vt habetur *Gen. 4. c.* Et de hoc multa exempla ponuntur per Maximum Valerium sub rubrica *qui à parentibus degenerantur*. Item pone, ex eodẽ patre nobili nasci vnum filium legitimũ, alium bastardum. certe ad legitimum transit nobilitas, non spurium, vt *ff. de statu ho. l. cum legitime, & de sena. l. liberos*. Exemplum in Abraham, qui habuit filium legitimũ, & filiũ ex ancilla, *Gen. 21. c. licet*. ergo istæ reprehensiones verum videntur concludere, veruntamen non arbitror quod antiquitas morum sit nobilitas, nec nobilitatem facit, sed potest esse causa nobilitatis. Tertia opinio fuit, quod illi dicantur nobiles, qui descendunt ex parentibus nobilibus, puta patre vel auo licet ipse descendens sit modicæ conditionis. istud reprehendunt illi eisdem rationibus, quibus reprehendunt prædictam opinionem. vt videtur prædicta opinio præsupponere, quod non sit nobilis, nisi qui nascitur ex nobili, & quod ex rustico non possit nasci nobilis. Pone enim: vnus rusticus incepit esse valens & probus homo & tenere statũ nobilitatis, certe ipse non erit nobilis quia illa rusticitas non potuit perfecte purgari in eo, sed filii & nepotes erũt nobiles, sicut quotidie videmus in rusticis peruenientibus ad aliquem gradum ciuilitatis. Vnde ex patre ignobili, sed tamen valenti, nascitur filius vel nepos nobilis. Vnde sciendum est, quod ex parentibus nobilibus quandoque nascitur filius bonus & virtuose viuens, & iste erit nobilis: quandoque nascitur filius reprobus, qui habet mores malos, ex quibus est infamis, & tunc perdit nobilitatem, vt *l. 1. C. de digni* allega. Quandoq; nascitur filius, qui non habet bonos mores nec malos, forte cæcus & mutus, vel forsitan demens, & in isto casu talis retinet nobilitatem. *l. cum prætor. ff. de iudic.* Quarta fuit opinio, quod vbicunque est virtus, ibi est nobilitas, & intellige de virtutibus, qua homo fœlix efficitur. habet ergo hæc opinio, quod omnis anima prædestinata Deo est nobilis. Et hæc est vera nobilitas, qua nobilitate pauci reperiuntur nobiles. Videamus an hæc opinio sit vera, & ostendo quod non. Pone aliquem propter sua delicta esse infamem, & sic in eo nõ cadit dignitas vel nobilitas, vt est dictum. postea reuersus ad bonos mores est effectus virtuosus. Iste secundum hanc opinionem erit nobilis, quod est falsum, nisi restituatur à principe, vt *l. imperialis. C. de nuptiis.* Item pone aliquem virtuosum condemnatum de crimine contra veritatem, quod infamat; certe iste erit nobilis secundum istam opinionem, quod est falsum, cum infamis sit. *ff. de his qui no. infa. l. athletas in fin.* Item pone, ex vno rege nasci vnũ filium, qui futurus est reprobus. certe iste secundum istam opinionem non erit nobilis, quod est falsum, quia saltem interim antequam vitia committat erit nobilis, vt *l. senator. C. de digni. libro 12.* Item sequeretur, quod seruus virtuosus esset nobilis, quod est falsum *l. si. C. qui mili. non pos.* Præterea falsitas huius opinionis patet auctoritate diuinæ scripturæ. dicitur enim Ecclesiastici 10. c. *à principe stultum positum in sublimi dignitate*. ergo est nobilis quamuis stultus. Præterea si vera esset ista opinio, sequeretur quod nullus rusticus esset virtuosus vel prædestinatus in salutem, quia si esset virtuosus vel prædestinatus, ergo nobilis & non plebeius. Hoc probatur auctoritate Philosophi 4. *Ethicorum*, qui dicit quod *sunt quidam homines virtuosi, qui tamen sunt nobilitate priuata*. Insuper potest esse rusticus vel seruus prudens, fortis, temperatus in his, quæ sibi incumbunt nesciret tamen dominari. certe iste non est nobilis, vt dicit Philosophus in *libro Politicorum c. 9.* ergo est nobilitas, vbicunque est virtus. Quid igitur dicemus? pro euidentia huius habemus ponere tres nobilitates. Prima est Theologica & spiritualis. Secunda est nobilitas naturalis. Tertia est nobilitas politica & ciuilis. De prima, scilicet de nobilitate Theologica & spirituali, est quærendum in conspectu æterni iudicis, apud quem nulla est secretorum obumbratio, nec aliquid latet. nec est verum quod dicit opinio prædicta. Nam apud Deum nobilis est omnis ille, qui est in gratia. non enim potest esse in caritate sine gratia faciend. Item omnis qui est virtuosus ea virtute, quæ facit aliquem felicem, est nobilis. Istos autem nobiles non possumus hic perfecte cognoscere, nisi per reuelationem. dicit enim Ecclesiastes 9. cap. *Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit.* Et multi sunt prædestinati, qui apud nos sunt ignobiles vt patet per Apostolum 1. *ad Corinthi.* 4. *cap.* Istam ergo nobilitatem Theologis relinquamus disputandam. Secundo dicit, quod est nobilitas naturalis, quæ potest considerari duobus modis. primo, prout congruit animalibus rationalibus & irrationalibus, & aliis etiam sensu carentibus. & isto modo dicuntur nobilia & ignobilia secundum bonitatem operationum, vt in bru-

in brutis patet. Dicimus enim quosdam canes nobiliores aliis: quasdam aues similiter nobiliores aliis etiam eiusdem speciei, idem de cæteris animabilibus, idē de pomis. & eodē modo inter artifices dicimus, quosdā nobiles, qui sunt magis instructi; alios ignobiles, qui sunt ignari. *C. de condi. in publ. or. l. 1. lib. 10. & de postula. l. prouidendū.* Et isto modo seruus & ancilla potest esse nobilis. *Leuitici 19. c. ibi, ancilla nobilis.* Et de hac loquitur Philosophus. 5. *ethicorum. c. quinto* in principio. & de hac nobilitate non quærimus, quia per hanc nō possumus discernere nobilē à plebeio, sed Dei iudicio hoc & merito relinquimus. Secundo potest cōsiderari prout cadit in hominibus hæc nobilitas naturalis seu tēporalis id est, naturali ratione inducta, quod iuristæ appellant *de iure gentium primaeuo*, quod apparet: quia solis hominibus conuenit. Et de ista nobilitate dicit Philosophus libro politicorū. c. 4. *nihil aliud quā veritas seu bonitas & malitia distinguit seruum & liberū, nobiles & ignobiles.* hoc autē non est intelligendū de omni virtute, sed de ea virtute, quæ cōpetit aliquibus, prout apti sunt dominari, non de ea quæ competit eis, prout apti sunt subiici, vt patet per Philosophum *primo politicorum. 9. c.* Dicendum est, quod talis nobilitas est virtus, prout competit hiis, qui apti sunt præesse seu dominari. Qualiter ergo describetur dignitas seu nobilitas. potest discribi sic, secundum quod Hostien. describit Dignitatē *extra. de preben. & digni.* dicit quod *est praeminentia quædā:* idem posset dici de nobilitate. Sed certe nimis generaliter loquitur: quia & serui habent præeminentiā, vt sunt ordinarii vel vicarii, & etiā plebei & rustici habent præeminentiā. Innocen. vero tertius. *c. de multa de preben.* dicit, quod *illa est dignitas qua reputatur dignitas, & si non reputatur dignitas, non est dignitas.* idē potest dici de nobilitate. Istud tamen non probat rationibus, & nimis generaliter loquitur, tamen veritati propinquus est. Quid ergo dicendū? nobilitas apud nos inuenta est ad similitudinē & imitationē illius nobilitatis, quæ est apud Deū, arg. *l. imperialis* circa principiū. *C. de nup.* Sicut ergo apud Deū ille est nobilis, quē Deus sui gratia sibi gratū fecit: ita in foro isto ille est nobilis, quē princeps vel lex sui gratia sibi gratū fecit: non tamen potest esse similitudo per omnia. Et ideo de hac nobilitate, prout intelligitur apud Deū, relinquitur Theologis: de nobilitate autē quæ est apud nos, ponā diffinitionē, & examinabo eā, & sic apparebit theorica & practica huius materiæ. *Nobilitas est qualitas illata per principatū tenentē, qua quis vltra alios honestos plebeios acceptus ostenditur.* Examinemus ista verba. Dixi quod *nobilitas est qualitas.* hoc apparet esse verū, quia potest adesse vel abesse subiecto præter subiecti corruptionem. hoc apparet in muliere plebeia, quæ nubit nobili, statim efficitur nobilis. *l. mulier C. de digni. lib. 12.* Et in hiis, in quibus imperator vel Rex de nouo concedit dignitatem, vt patet quasi per *totum librum. 12. C.* vt in muliere nobili quæ nubit plebeio, vt *l. 1. C. de digni.* quæ perdit dignitatem. Et sic est possibile, quod aliqua parte tēporis quis sit nobilis, aliqua ignobilis: quod est verum. Pone Sarracenū vel Angelicū nobilē captū à nobis: certe erit ignobilis apud nos, quia seruꝰ. Idē si aliquis de nostris nobilibus caperetur ab eis, & de facto in ciuitate Perusii in Italia, si quis plebeius efficiatur miles, habetur pro nobili: sed in ciuitate Florentiæ remanet popularis. Et hoc est expressum in *l. munerū. § 1. ff. de mune. & hono.* sequitur in prædicta diffinitione, *illata.* hoc ideo ponitur, quia nullus potest habere auctoritatem à se ipso, sed oportet quod ab alio conferatur, *extra. de institu. c. fi.* Et qui eā sibi assumit, incidit in crimen falsi, vt *l. 2 circa finē. ad l. Iuliā maiestatis.* Et nobilitas confertur in aliquē ex mera gratiā conferentis, non ex aliqua necessitate, quæ sibi imponatur ratione alicuius meriti ex parte recipientis, vt est tactū & latius declaratū. Causæ ergo concedendi alicui nobilitatem possunt esse triplicis generis. Primo propter actus virtuosos, secundū quod possunt poni plura exempla per *totum librum. 12. codicis.* Secundo propter actus vitiosos, vt patet in *l. 2. §. postea cū apiis* superius alleg. Tertio conceditur ista nobilitas nec ꝑpter vitia nec virtutes, vt patet in nobilitate, quæ procedit ratione generis: vt in illa quę conceditur mulieri ignobili, quæ nubit nobili, & in matre senatoris. *ff. de sena. l. 1.* Et per hoc infertur, quod nobilitas non est virtus, quia potest cadere in ignorantem: est tamen signum virtutis, quia credendum est principatum tenentem, qui potest aliquem in dignitatem seu nobilitatē constituere hoc facere propter virtutē vt *ff. de offi. præto. l. 1.* Sequitur in diffinitione *principatum tenentē.* hoc dicit, quia nullus nisi ille qui tenet principatum potest concedere nobilitatē, arg. *extra. de elec. c. 1. libro. 6.* Item principatū tenentē intelligo generaliter, siue sit ille qui tenet principatum omniū, vt Deus qui istas, dignitates & nobilitates tēporales immediate confert, vt habetur. 1. *& 2. Regum.* Itē de imperatore, rege seu alio quocunq; non recognoscente superiorē in terris. Et est etiā de aliis principibus inferioribus, vt est Marchio, Dux vel Comes, qui habent auctoritatem concedēdi seu condendi leges in suos subditos. Et idē de quolibet populo, qui habet auctoritatem condendi leges seu concedendi, vt *ff. de mune. & ho. l. 1.* circa principiū. quod patet, quia lege conceditur nobilitas, per *totū librum. 12. codicis.* Et idem de ciuitatibus, quibus princeps concedit leges facere, vt *l. omnes populi. ff. de iusti. & iure.* ergo &c. Ex prædictis inferuntur multa. Primo, quod prædicti magni Barones, licet non sint milites, possunt milites facere. Et circa hoc dubitatur, Vtrum Rex vel alius habens potestatem nobilitandi aliquē, possit nobilitare extra territorium suum? Et videtur quod non, quia ibi est vt priuatus. *l. fi. ff. de iurisdictione omniū iudi.* In contrariū est veritas, quia ea quę sunt voluntarię iurisdictionis possunt exerceri extra territoriū. *l. 2. de offi. proconsul.* Vltimus, si quæratur qualiter simplex miles nullā etiam iurisdictionē habens potest non subditū facere militē respondeo, ꝙ hoc facit ratione cōsuetudinis, ꝗ habet vim legis sequitur in diffinitione, *qua vltra alios plebeios &c.* hoc ideo dixi, cum plebeiorū quidam dicuntur honesti, quidem viles *ff. de pœnis l. capitalium §. 1. & de incendi. ruina & naufra. l. pedius. §. 1.* licet igitur isti honesti sint magis accepti quā viles, ta-

men propter hoc nõ sunt nobiles, nec desinunt esse plebei. requiritur ergo ꝙ sit acceptus vltra honestos plebeios. Dixi in diffinitione *acceptus* hoc not. quia nobilitas consistit in hoc, ꝙ superior facit quem sibi gratum & acceptum. Sequitur in diffinitione, *ostenditur*. hoc ideo, quia si per mille annos quis viueret cum omnibus virtutibus, & princeps eum diligeret, tamen plebeius remaneret, donec ei conferatur aliqua dignitas seu nobilitas, per quam distinguatur à plebeio. Et hæc ostensio fit expressis verbis principis, & aliquando re ipsa & ipso facto: vt si concedatur alicui aliquod officium, quod habet dignitatem annexam seu nobilitatem, vt si concederet alicui Comitatũ, Ducatum, vel Marchionatum, vel similem, *de mune. & hono. l. honori. libro* 10. *Codicis. Quis dicitur dux vel marchio. c. primo*. Sed si quæratur, quæ sint ista officia, quæ habent nobilitatem annexam? respõdeo, quod hodie illud officium habet nobilitatem annexam seu dignitatem, quod in vniuersitate illa seu patria, vbi de hoc agitur, dignitatem habere reputatur. Hoc probatur auctoritate Innocen. in *c. de multa, extra. de praben.* & per totum. *ff. de mune. & hono. l. fi.* in principio, vbi quæstura, quæ in aliqua ciuitate inter honores non habetur. Infertur ergo ex illo textu. quod ad reputationem vniuersitatis est recurrendum vtrum aliquod officium habeat dignitatem annexam. Concluditur ergo, quod nobilitas reputatur ex acceptatione principis, & etiam populi

Clericus. CAP. CXXIV.

HOrum gratia, quia nobiles solent in vexillis & aliis arma portare. de insigniis & armis per vos, reuerende miles, nisi vobis generet tædium, nunc volo informari. Et primo, vtrum talia insignia in vexillis & clipeis & aliis licitum sit deferre?

Miles. CAP. CXXV.

AD hoc respondeo, quod quædam sunt insignia dignitatis vel officii, quæ potest portare quilibet habens dignitatem illam vel officium, vt exemplum in insigniis proconsulum & legatorum, vt *l. 1. ff. de offi. proconsul. & de re. diui. l. sanctum.* & ista insignia potest portare quilibet, qui habet illam dignitatem: aliis autem portare non licet, alioquin crimen falsi possent incurrere. *ff. de fal. l. eos. §. fi.* Et ideo puto, quod illi qui portant insignia Doctoratus, cum non sint, incurrunt crimẽ falsi, vtpote si deferant birretum rotundum vel calcaria deaurata. sic nec licet simplici Scutifero deaurata ornamenta portare vel deferre. Quædam sunt insignia alicuius singularis dignitatis, vt videmus, quilibet Rex, quilibet princeps, & cæteri potentiores habent sua arma & sua insignia, & ista nemini alio licet deferre vel suis rebus depingere, vt in *auctentica. de mandatis principum. §. oportet.* & hoc nisi de mandato principis seu officialium suorum super hoc habentium potestatẽ. Quot sunt insignia seu arma priuatorum hominum? nobilium popularium ciuitatis quidam reperiuntur, qui habent arma & insignia, quę portant ex concessione imperatoris vel regis. & quin eis liceat portare talia insignia, nõ est dubium, de principis enim potestate disputare instar sacrilegii est. *C. de sacri. l.* 2. Quidam autem arma seu insignia sua auctoritate assumunt. Et istis an liceat videndum est. Et primo videtur, quod liceat: sicut enim nomina inuenta sunt ad recognoscendum homines vt *C. de ingenu. ma. l. ad recognoscendos*, ita etiam & ista insignia inuenta sunt ad hoc. *ff. de re. diui. l. sanctum.* sed talia nomina cuilibet sibi licet imponere ad placitum, vt dicta. *l. ad recognoscendum, & de fals. l. falsi* in principio. Et ista insignia cuilibet licet portare & depingere in suo tantum & non in alieno, argu. *extra. de exces. prala. c. dilecta.* cum ibi notatis.

Clericus. CAP. CXXVI.

SEd iuxta hoc quæro vnus portat certa insignia; alius portat eadem, vtrum hoc liceat. Et videtur quod sic, quia potest quis assumere nomen alterius. *ff. ad trebel. l. facto. §. si vero nominis*: & possunt esse plures eiusdem nominis, vt *l. duo sunt ticii ff. de testa. tu.* ergo potest quis assumere arma alterius, & plures eadem insignia portare.

Miles CAP. CXXVII.

AD decisionem prædictorum præmitto quod si signum alienum portare vergat in alterius præiudicium vel iacturan, quia forsitan ille cum vituperio portabit seu vituperosè tractabat, arg. *C. de iudi. l. iudices. & C. de epi. audi. l. minimè.* Et est expressum *extra. de exces. prala. c. dilecta.* Et de hoc potest conqueri ille, cuius arma sic deferuntur, vt *C. de his qua pœna no. l.* 1. Item Iudex ex officio suo, si videat ex hoc scandalum posse deuenire seu deceptionem subditorum, potest prohibere, arg. *C. de la. li. tol. l.* 1. *§. hoc quidem*, vbi circa eos qui pileati antecedunt aliqua statuit Iudex, ne populus decipiatur. His præmissis in quæstione proposita distingue. Nam quandoque vnus assumit arma, quæ alter portauit ab antiquo, ille tamen qui ab antiquo portauit non potest lædi per talem assumptionem. Exemplum vnus Theutonicus venit Parisius, & inuenit quendam nobilem Gallicum portantem similia insignia seu arma suorum antiquorũ. Et de hoc volebat conqueri. certe non potest. tanta enim distantia inter vtriusque domicilium &c. Quandoque potest contingere, quod alterius multum interest. Quid enim, si homo odii plenus, cuius vitæ plures insidiantur, assumpsit arma hominis pacifici: certe illius interest & poterit illũ facere prohiberi. sicut enim potest peti prohibitio, ne ipsius arma vel signum vituperosè portetur, vt dictum est: multo potius potest peti prohibitio ex hoc, ne propter vnitatẽ armorũ vnius, alius pro alio occidatur vel alius iniurietur. Item si & hoc pudor primi aliquomodo lederetur, argu. dictæ leg. *minime*. Et hoc per officium iudicis, ad quem spectat quies popularium. *ff. de offi. prafecti vrbis. l. 1. §. quies quoq.* Quandoq; potest contingere, quod multorum de populo interest, Ponamus exemplũ in aliis signis, quã in illis quæ portantur pro armis. pone quendã fabrũ ditissimum;

nnum, qui in gladiis & aliis suis operibus faciat certa signa, ex quibus opus illius Magistri esse dignoscitur,& ex hoc tales merces melius venduntur.puto quod si aliquis faceret tale signũ, quod posset prohiberi,quia nedum faber,sed etiam populus deciperetur.Acciperet enim populus opus vnius pro opere alterius,arg.dictæ legis *persona de la.li.tolle*.Eadẽ ratione dico in signis,quibus vtũtur notarii,vt *C.de accep.l.nemo*. Idem in signis,quibus vtuntur mercatores. Idem in signis,quibus vtuntur fabricatores cartarum de papiro,& similium,per easdem rationes. Et hoc similiter expediretur iudicis officio,vt est dictum.

Clericus. CAP. CXXVIII.

SEd rogo,quid prosunt ista arma?& quid conferunt sic concessa per principem,vt est dictum?

Miles. CAP. CXXIX.

REspondeo, quod multum conferunt, quia talia arma sunt maioris nobilitatis, sic concessa à principe,quam si ea propria auctoritate assumeret.sic diximus in testamento facto cora principe,quod est maioris nobilitatis. *C.de testa.l.omnium.* Secundo quia posset ab alio prohiberi illa portare,argu.*ff.de mino.l.minor autem Magistratus* in principio. Tertio quia si duo assumpsissent eadem arma seu eadem insignia nec de prioritate seu posterioritate apparet præferretur ille, qui obtinuit à principe,vt *ff.de excu.tuto.l.si duo.*Quarto quia si esset in exercitu vel alio loco,& quæratur quis deberet præcedere:præcedere debet defferens arma à principe concessa.*ff.de alb.scriben.l.fi.& extra de maio.& obe.c.per tuas.*& intellige cæteris paribus. scilicet quod ille qui habuit arma à principe sit æqualis dignitatis,alios præferretur existens in maiori dignitate,ar.*ff.de alb.scriben.*

Clericus. CAP. CXXX.

VLterius quæro,qualiter ista arma seu insignia transeant ad successores?

Miles. CAP. CXXXI.

REspondeo,quædam sunt vnius domus seu agnationis,& ista transeunt ad omnes de agnatione descendentes,siue sint hæredes patris siue aui siue non.ar. *ff.de relig.l.familiaria & l.sequenti.* nec per diuisionem potest assignari vni.ar. *C.de relig.l.si sepulchrum.* Ad cognatos vero seu alios affines non transeunt,ar.*C.de relig.l.iis familiarium.* Et vtrum ad bastardos talia insignia seu arma trãsferantur?videtur quod non:quia non sunt de familia vel agnatione, vt *l.pronuntiatio.ff.de verb.significatione.*Contrarium tamen obseruatur de consuetudine in aliquibus partibus, cui standũ est, cum sit satis rationabilis.Nam morbo laborant alieno *l.si.C.de na.ex li.ven.*& nasci de adulterio nõ est culpa geniti,sed gignentis *c.nasci 55.di.§.1.*Nouem naturales tantum fuerunt assumpti in Romanum pontificem. Et est aduertendum,quod quando multiplicantur hii, qui de eadem domo seu agnatione descendunt,expedit quod portent aliquas differentias, secundum quod magis & minus distant à stipite,vt inter se discernantur, sicut nomini additur pronomen.

Clericus. CAP. CXXXII.

NVnc Domine miles petitionibus seu quæstionibus meis circa ista arma seu insignia volo finem imponere.Et solum superest mihi vnum dubium,quis color in armis apud vos milites reputetur nobilior?

Miles. CAP. CXXXIII.

CIrca hoc est diligenter aduertendũ, quod vnus color dicitur nobilior alio seu altero respectu eius quod repræsentat vel secundum se.Primo modo color aureus est nobilior.per eũ enim repræsentatur lux,si quis enim vellet figurare radios solis,quod est corpus maxime luminosũ, hoc nõ posset conuenientius facere quam per radios aureos.constat enim quod nil luce nobilius.*C.de sum.tri.& fi.ca.Epistola inter claras,*& in *autentica habita. C.ne filius pro patre.* Et ideo in sacra scriptura pro re maxime excellentiæ sol figuratur,vt ibi *fulgebunt iusti sicut sol.* Et propter huiusmodi nobilitatẽ nulli licet portare vestes auratas,nisi soli principi vt *C.de vesti.holo.l.1.& 2.* quãuis hodiernis tẽporibus consuetudo se habeat in contrarium:& fastus mundanus insaciabilis,qui etiam episcopi Deõ ad instar antiqui patris sui se vellet comparari.Sequens color nobilis est color purpureus seu rubeus,qui figurat ignem,qui est summum elementum & nobilius elementorum,& est corpus post solem secundario luminosum,& propter eius nobilitatem nulli licet portare vestes tales nisi principi vt *c.de vestib.holo.l.3.4.& 5.& in dicta l.3.* exprimitur hunc colorem esse nobiliorẽ aliis.Sequens color est Azureus per eum enim figuratur aër, quod est corpus dyaphanum & maxime receptiuum lucis, & sequens elementum post ignem nobilius. vnde prædicti colores propter illud quod repugnant,dicũtur nobiliores.Qualiter autem colores secundũ se dicantur nobiliores? dico quod sicut lux est nobilissima,cuius contrariũ dicuntur tenebræ,vt sint vilissimæ, sic in coloribus secundum se color albus est nobilior,quia maxime appropinquat luci.Color niger est infimus,quia maxime appropinquat tenebris. Colores autem sunt magis vel minus nobiles secundum quod plus vel minus appropinquant albedini vel nigredini.Istud videtur de mente Aristotelis in *libro de sensu.& sensato.*

Clericus. CAP. CXXXIV.

DE armis & insigniis regnum & principum,& aliorum potentium nobilium plura & conuenienter tetigistis.Conuenienter enim vt tales ab aliis quibusdam insigniis cognoscatur. Hii enim sunt,qui in rebus publicis ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, Deo seruiunt, parentes ac patriam saluant,salutẽ reipublicæ vitæ propriæ præferentes. Et vtinam modernis tempori-

Digitized by Google

bus principes temporales, Imperatores, Reges, Marchiones, Duces, Comites, Barones, & generaliter omnes Nobiles sint tales. Sed proh dolor, quasi omnes tyrannisant, quod per singula discurrendo luce clarius ostenditur. *Tyrannus* enim græce, latine debet frons vel angustia. vnde frontes Reges tyranni vocantur. Nam Reges pessimi & improbi luxuriose dictationem, cupiditatẽ & crudelissimam dominationem in populis exercentes *à tyro quod est angustia, quia angustiant & cruciant sit nos*, secundũ Hugutionem. *tyrus* interpretatur *angustia siue tribulatio vel plasmatio aut fortitudo*, vt patet in Interpretationibus Bibliæ, quæ omnia in malo congruunt tyranno. Et diffinitur tyrannus secundum Greg. in Moralibus li. 12. *proprie tyrãnus dicitur qui in cõmuni republica non iure principatur. Sed secundum est, quod omnis superbus vt tyrannus exercet. Nam quidam nonnunquã in republica, hic per acceptum dignitatis & potentiam, alius in prouincia, alius in ciuitate, alius in domo propria nequitiã exercet*, & post pauca; *apud se tyrannus cui iniquitas dominatur intus: quia & si exterius non affliget proximos, intrinsecus tamen habere potestatem appetit vt affligat*. Hæc sunt verba Gregorii. hęc discutiamus. Sicut enim Imperator Romanorum vel Rex per electionẽ rite & recte sine iure hæreditario assumptus est verus & iustus Dominus: ita si quis vult alium locum iniuste tenere, proprie tyrannus appellatur. Hoc contingit, primo, quia caret titulo, quia non est electus, vel est electus sed nõ de iure, vel electus & reprobatus: *de elect. c. venerabilem*, vel electus coronatus postea reprobatus iusto iudicio, vt *extra de re iudic. c. Apostolicæ*. Et vt dicitur de Saule rege. 1. *Reg*. 14. *c*. vbi Samuel Propheta sic ait: *stulte egisti, nec custodisti mãdata Dei tui, quæ præcepit tibi. quod si non fecisses contra ea, tunc præparasset Dominus tuũ regnũ super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget*. Hoc idem patet in rege Franciæ per Romanum pontificem deposito. 15. *q*. 6. *c. alius*. Ex quo apparet, quod propter peccata Rex priuatur regno, & tunc tyrãnus est, si amplius regimini se immisceat. Et est aduertendũ, quod quinque sunt species tyrannorum. est tyrannus generalis in communi republica Romanorum: alius regni, qui regno nõ iure principatur: alius ciuitatis: alius vnius domus. Sed vtrum in vna vicinia dicatur quis tyrannus? respondendum est, quod non, vt patet ex verbis Gregorii, qui hanc tyrannidis speciem non posuit. hoc etiam probatur ratione. regimen tyranni pessimum est oppositũ recto regimini Regis naturalis seu alius iuste regentis. apparet ergo quod vbi non est regimẽ, ibi non potest esse tyrannus. Cum igitur in regno, prouincia & ciuitate cadat regimen, ibi cadit tyrannia. sed in vicinia non conuenit esse Rex vel regimen aliquod per modũ iurisdictionis. ideo ibi non cadit tyrannus, quia vicinia non regitur per vnum sed per illum qui totam ciuitatem regit. Et licet in vicinia sint aliqui magis potentes, qui alios opprimunt, non tamen dicũtur tyranni: sed sunt illis potentiores, de quibus in. *l*. 3. *in principio. ff. de alie. mu. indi. causa facta*. Sed contra prædicta posset dici: communiter enim in qualibet ciuitate contingit, quod diuisio fit per quarterias vel parochias: & in qualibet parte sunt aliqui, qui vocantur capitanei vel syndici, qui præsunt negotiis illius partiũ ciuitatis, de quibus notatur. *ff. de pactis. l. item Magistratus*. ergo cum ibi sit regimen, apparet quod ibi poterit esse tyrannus. Respondeo: tales non habent Iurisdictionem, licet quandoq; eis aliqualis coertio permittatur pro quibusdã exactionibus faciendis, & maleficiis denuntiãdis. isti enim dicuntur familiares illius, qui regit ciuitatem; & sic non principatur sed principanti famulantur, & sic non possunt dici tyranni, sed Domini potentiores. Et sic ratione officii possunt timorẽ inducere, & incidunt in constitutionem illam. *l. si per impressionem. C. quod metus causa*. Sed nunc examinemus qualiter in domo propria quis dicatur tyrannus. Et videtur quod nullomodo, quia ibi non exercet Iurisdictionem: ergo &c. In contrarium sunt verba Gregorii vbi supra. in domo propria potest dici pater familias habere aliquam Iurisdictionem in seruos & filios, vt *l. serui & filii. ff. de furt. C. de pa. po. l. congruentium*. Item maior seu antiquior domus quodommodo quandam iurisdictionem habet in vxorem & liberos, etiam antiquior frater & patronus in minores, qui sunt in eadem vel alia domo. *C. de emenda. propinquorum. l*. 1. Ergo si in illa domo non iure principatur, dicitur tyrannus. Et ideo si quis de familia faceret aliquem contractum metu illius, qui est tyrannus in domo rescinderetur sicut factum metu. *ff. quarum rerum actio non da. l*. 1. §. *contraria*. Possumus etiam tyrannum in domo dicere Abbatem alicuius monasterii, qui in eo iure nõ principatur, vt quia intrusus, *extra de praben. c. eum. qui li. 6*. vel licet habeat titulum, tyrannice tamen regit & gubernat. Nunc autem de tyranno ciuitatis. & dicitur ille, qui in ciuitate non iure principatur. Sicut autem non iure principari multis modis contingit, ita tyrannorum multiplices sunt species. Nam quidam est tyrannus aperte & manifeste: quod potest contingere quandoq; ex parte tituli, quandoque ex parte exercitii. Est igitur tyrannus manifestus ex defectu tituli: primo si ciuitas vel castrum, quod inuaditur, non habet ius eligendi rectorem: si aliquis in illa pro rectore se gerit sine licentia superioris, tyrannus est & incurrit pœnam. l. Iul. maiestatis. *l*. 3. *in fi*. Idem si finito officio eo inuito ad quem spectat remouetur in eo. Nunc autem videndum est, qualiter violentiam vel metum inferant in populum: respondeo, si intrinsecus fiat contra ciuitatem sine iussu superioris, vt dicta. *l*. 2. *ff. ad l. Iul. Maiestatis*, vel si cum gente forensi expugnant ciuitatem, vt *ff. ad. l. Iul. de vi publica. l*. 3. vel si cum hominibus eiusdem ciuitatis ficto timore facit se eligi in Dominum: tunc tamen plus dubitationis habet, quia maior pars videtur hoc facere. maior autem pars videtur esse ex eo, quod obtinet. Sed videndum est in hoc casu contingere quem esse tyrannum manifestum ex defectu tituli, & per vim & metum esse creatum. Quid enim si cum modica gente occupauit fortalicia ciuitatis, quibus occupatis iustus metus cadit in populum? Certe per metum electus est, ar. *extra de restit. spoli. c. pisanis*. Sed quid si cum maiori parte capituli non obtinuit, sed fuit gens vilis & abiectæ conditionis? certe ex hoc non videtur factus

à maiori parte populi. tales enim debent esse decuriones vel de consilio, vt *C. de digni. l. neque li.* 12. Vel pone, quod cum modica gente expulit vel occidit vnum vel plures de maioribus ciuitatis, propter quod alius populus iuste timet, quia scriptum est, *percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* & hunc esse iustum metum in populum, multum probatur antiquis historiis, vt patet in *lib. Iudith.* Talis ergo est tyrannus manifestus ex defectu tituli. 1. *q.* 1. *c. principatus.* 14. *q.* 4. *c. neq.*, vbi dicitur quod etiam si ex post facto bene regat, tyrannus est. Et etiam ad electionem sunt vocandi, qui habent vocem in electione. quod si contempti fuerint talis electio est cassanda, *extra de elec. c. quod sicut.* Rursum incidit dubium, an gesta per tales tyrannos valeant? Et constat quod illa quæ fiunt per tales, tanquam iurisdictionem habentes non valent. *C. de sacrosanct. Ecclesia. l. decernimus.* Itē de hiis quæ fiunt per officiales suos, eadem ratio est, vt est expressum *extra de schismat. c.* 1. de aliis autem contractibus vel quasi, qui fiunt durante tempore suo, valent & effectualiter tenent, nisi metus ipsius causam dederit contractui vel quasi contractui. Amplius inuestigandum est de tyranno manifesto ex parte exercitii, licet iustum habeat titulum. quamuis iste improprie dicatur tyrannus, vt 14. *q.* 4. *c. neq.*, tamen ex parte exercitii proprie est tyrannus. quia opera tyrannica facit. hoc est, quia opera eius non tendunt ad bonum commune, sed propriū istius tyranni. istud enim non iuste principari. Sed vt modus probandi facilius habeatur, ad actus magis particulares descendamus. Et consistunt isti actus primo, quia subditos affligit. quos actus enumerat Philosophus *quinto Politicorum* & Egidius de Roma in lib. *de regimine principum.* Tyranni enim potentes & valentiores ciuitatis perimere faciunt, ne cōtra ipsos possint insurgere. videmus etiam quod propinquos & consanguineos occidunt, quod signum est pessimum tyranni. quod est verū nisi ex iusta causa, vt fecit Romulus vt *l. fi. ff. de re. dim.* Quis enim dubitet, quod si aliquis esset in ciuitate potens criminosus & seditiosus, de ciuitate expelli debet à quolibet iusto iudice? *ff. de pœn. l. capitalium.* §. *solent.* tunc cū hoc fiat ex causa, non est actus tyrannicus. Secundus actus tyrannicorum est. Nam sapiētes destruunt, ne cognoscentes eorum mala opera arguant, & populos contra eos euocent. iste est actus tyrannicus, cū sine causa hoc fiat. Tertius actus, quia disciplinā & studium spernunt, & non solum sapientes spernunt, sed operantur, ne per studium fiant sapientes. semper enim timent per sapientes reprehendi & istud est intelligendum de studiis ipsi ciuitati congruentibus. *ff. de excu. tu. l. duas.* §. *est autem.* Si autē prohibent studium, ad quod ciuitas non est apta, non esset actus tyrannicus. Nam talia studia sita in locis inconuenientibus dicuntur in iure *studia adulterina*, in *proœmio digestorum.* §. *hæc autem tria.* Quartus actus tyrannicus est: quia congregationes licitas non permittunt. timent enim, ne contra ipsos insurgant. quod est verum, nisi ex causa prohibent. Quid enim, si aliqua cōgregatio licita delinquit? certe poterit de iure dissolui. *ff. de re mili. l.* 3. §. *si plures.* videntur enim sub prætextu religionis aliquos congregari, & statum ciuitatis turbari. ex qualitatibus enim circunstantiis conuinci poterit, an istas congregationes impedire sit actus tyrannicus vel non. Quintus actus tyrannicus est; quia solent per ciuitates habere multos exploratores cum enim cognoscant se male agere, semper credunt, quod de ipsis homines male loquantur, & contra eos machinentur, iuxta illud:

Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

Et propter hoc tales delatores libenter audiunt. habere tamen tales exploratores posset esse actus iusti rectoris, si hoc ad debitum finem faciat. *ff. de officio præfecti vrbis. l.* 1. §. *pluraliter*, recte enim iudex habet exploratores, vt corrigat delicta, & alia quæ iniuste fiunt in ciuitate. tyrannus autem habet exploratores, ne status eius lædatur. omnia enim refert ad propriam, non ad publicam vtilitaté. Sextus actus tyrannicus est, quia nititur fouere diuisionem inter subditos, vt quilibet partium timens de alia contra eum non insurgat & talis actus est simpliciter tyrannicus: quoniam ad iustum iudicem principaliter spectat quies ciuium, vt *l.* 1. §. *quies. ff. de officio præ. l. congruit*, in principio, *de mandatis prin.* §. *deinde conuenient*, vbi hoc magis expresse ponitur. Septimus actus tyrannicus est, quia procurant subditos facere pauperes, vt sic operentur & faciant operas suas mechanicas: & ne contra eos possint aliquid machinari. iste actus simpliciter est actus tyrannicus. nam rectus iudex non debet subditos affligere grauaminibus realibus vel personalibus. vt *C. ad l. Iul. repe. l. iubemus. & l. fi.* Et in *Authentica de man. Prin.* §. *illud.* Octauus actus tyrannicus est; quia procurant bella, & nutrire bellatores; & mittere ad partes extraneas; ita quod intenti de illa non cogitent contra eum. & quod per bella homines depauperentur, planum est. quærunt etiam vt habeant bellatores, quando eis expedit. Et certum est, quod procreare bella intrinseca populi est actus tyrannicus. Bella vero extrinseca possunt esse iusta quandoque, secundū quod alias in prioribus fuit tactum. Bellum vero iniustum simpliciter est actus tyrannicus. *c. olim*, cum ibi notat. *extra. de rest. spo.* Nonus actus tyrannicus est, quod custodiam sui non faciunt per suos ciues, sed per forenses. timent de ciuibus. tamen aliquando iste actus posset esse iustus. potest enim populus ita esse indomitus & ita peruersus, quod Dominus etiā iustus non potest de eo confidere, quod maxime solet contingere in ciuitatib. quæ de nouo recuperantur per multos Dominos. Et ideo Imperatores quandoque expellebāt omnes homines de vna ciuitate, & ponebāt alios, vt *C. de mune. fi. l. circa.* Sicut videmus quādoque iustos Dominos facere munitiones & fortalitia in ciuitate. Ista enim sunt iura regalia, vt 10. *col. quæ sint regalia. c.* 1. Decimus actus tyrannicus est, cū in ciuitate sunt partes, & adhæret vni & sic cum illa nititur affligere aliam. Et iste est actus tyrannicus simpliciter, cū vltimus finis ciuitatis sit pax & quies ciuium, vt dictū est. Omnia enim prædicta sunt signa ad probandū tyrannidē sed principaliter illa duo, sc. conseruare ciuitatē in diuisione & depauperare subditos & eos affligere in personis & reb. sunt actus tyrānici & detestabiles in quolibet principante. Et est sciendū, quod tales tyranni

Digitized by Google

siue sint Marchiones, Duces, Comites vel Barones, deberent per suos superiores deponi. Namque tyranni tenent populum in seruitute: modo ad superiorem spectat populum de seruitute eruere. *C. de offi. præfecti præ. affri. l. in nomine Domini*, ibi *fortissimos eiiciemus*. Et quæ dicta sunt de tyranno, possunt adaptari ad tyrannum regni.

Miles. CAP. CXXXV.

FActa omnium dominorum secularium nequeo neque volo sustinere. Scio namque quod plures sunt tiranni & pessimi: sed solum de præsenti Christianissimum regem Francorum Carolũ quintum ab isto vitio tyrannidis proposui excusare. Et diligenter attendite, an opera istius regis nostri sint tyrannica. Primo namque nemo est argutior eo in consiliis, in eloquio tersior, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in aduersis, quem semel dilexit vix odit; quem vero semel exosum habuit, vix in gratiã familiaritatis admittit, vix tamen pœnitenti redeunti claudit gremiũ; quotiens potest à curis & solicitudinibus respirare secreta se occupat lectione, aut in cuneo clericorũ aliquem modũ quæstionis laborat euoluere. Nam apud eum est quotidiana litteratissimorum conuersatio, & iugis discussio quæstionum. nullus rege nostro honestior, in loquendo vrbanior, moderatior in bibendo: nullus magnificentior in donis. Ideoque quasi vnguentum effusum est nomen eius, & eleemosinas ipsius enarrat omnis ecclesia sanctorum. Rex noster pacificus, virtuosus in bellis, gloriosus in pace, super omnia huius mundi desideria zelatur & procurat pacem populi sui; & ad pacẽ populi pertinet quicquid cogitat, quicquid agitur, quicquid agit, vt quiescat populus suus labores anxios & enormes incessantur assumit. Ad pacem populi spectat quod consilia vocat, confirmat, fœdera quot amicitias iungit? quot superbos humiliat? quot prælia minatur? pro principibus terrores incutit. Ad pacem populi spectat immensitas illa pecuniarum quam donat, quam recipit, quam congregat, quam dispergit in muris, in propugnaculis, in munitionibus, in fossatis, in clausuris ferarum & piscium, in palatiorum ædificiis, nullus subtilior nullusque magnificentior inuenitur. Pater eius potentissimus & nobilissimus: sed iste paternis facultatibus superaddens in fortitudine manus eius Ducatum Aquitaniæ. Ducatum Britãniæ acquisiuit, nullus mansuetior est afflictis, nullus affabilior pauperibus, nullus importabilior est superbis. quadam enim dignitatis imagine semper studuit opprimere fastidiosos, oppressos erigere, & aduersus superbiæ timorem continuas persecutiones & molestias suscitare. has & alias tam animi quam corporis dotes, quibus ipsum natura egregie prę cęteris insigniuit, tango summo tenus, non describo. meam enim profiteor insufficientiam. Nec illud sub silentio prætermittam. nam cum experimento didicerit, quantæ cõmoditates asseruit regno suo, ex eo quod litteralibus disciplinis suæ prouincias adolescentiæ imbuerit. Hinc est quod Dominum Carolum Delphinum Viennensem, filium suum primogenitum, litteris atque disciplinis solerter & prudentissime fecit erudiri, vt sic cum hominem Carolus quintus egressus fuerit, surgat sextus, nedum regni, sed & prudentiæ successor paternalis & heres. matrimonium enim sic est honestum, vt humano generi artificiose inducat immortalitatem Nam filius patrẽ repræsentat, in *auctentica de nuptiis in collat.* 4. Nam generatio ad hoc est adinuenta, vt quod in se perpetuari non poterat, in suo simili perpetuaretur, secundum Philosophum. Et non immerito filii maxime regum debent scolasticis disciplinis erudiri. Nam si respublica regenda est, prælia committenda sunt, si castra metanda, si Machinæ erigendæ, si propugnacula facienda: denique si quies libertatis, si iustitiæ cultus, si reuerentia legum, si gentium amicitiæ sunt firmandæ: libri hæc omnia erudiunt ad profectum. Rex equidem sine litteris natus, est nauta sine remigio, & volucris sine pennis. Recensent historiæ quantum Iulio Cæsari contulerit litteras didicisse. in litterali studio tantus fuit, vt quaternas dictaret simul Epistolas. quantus in iure ciuili peritus fuerit, Leges Romanorum indicant quam iugiter in Philosophia exercuerit, prædicat subtilitas bissextilis Doctrina Aristotelis & continuum sub eo exercitium Magnum magnificauit & extulit Alexandrum. Teste etiam Salomone, *melior est sapientia cunctis opibus preciosis: & omne desiderabile non potest ei comparari.* Rex idem pacificus illam super salutem & omnem pulcritudinem se dilexisse fatetur: & cum ea bona sibi pariter euenisse omnia gratulatur. Rex, cui omne iudicium in populo datum est, quomodo iudicabit populum in lege Domini, si legem Domini non cognouit? Meditatio & exercitatio Dauid tota erat in lege Domini, in iustificationibus & mandatis. *in lege*, inquit, *tua meditatus sum & lex tua meditatio mea est*: sic & alii Reges Ezechias, Iosias, & alii sanctissimi Reges custodiebant testimonium & præceptum, quod dedit illis. De Iosia Rege legitur, quod cum in eius præsentia Deuteronomiũ lectum fuisset, humiliauit se & fleuit corã Domino, eo quod legem Domini non seruasset, pepigitque fœdus cum Domino, quod ambularet in viis eius de cætero, quod & fecit. Procedebant de stola Euangelii Constantinus, Theodosius, Iustinianus & Leo, atque alii Christianissimi Principes, qui populum receperunt in lege Domini in fortitudine armorum, nec minus militia litterarum. non video qualiter Iudex perseueret in regno, aut iudicet populos in æquitate, nisi consilio litteralis prudentiæ muniatur. sapientia enim dicit: *Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.* & ibidem: *Rex qui iudicat in æquitate populos, & sapientia pauperes, thronus eius in æternum manebit*, quia Dauid postulauit à Domino, vt sapientiam & scientiam doceatur, ideo Dominus se in eo virum secundum cor suum inuenisse testatur. Cumque eum postmodum in regale solium sublimasset, continua temporum successione regnum Dei perpetuum pollicetur, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Idem, *& ponam in seculum seculi semen*.

Digitized by Google

semen eius & thronus eius sicut dies cœli. Si autem dereliquerint filii eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Ex prædictis manifeste cognoscitur, quod per imprudentiam filiorum regna fortium transferuntur ad exteros. nam iuxta Sapientiæ verbum: *à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias.* Et percurramus à primo rege in Israel. vnde vita Saul & Ionathæ & omnium succedentium quasi tela araneæ in breui succissa est: & quanto amplius intumuerunt aduersus scientiam Dei, tanto grauius deiecit eos dum alleuarentur. non est cõsilium aduersus sapientiam Dei. frustra curritur ad munitiones & potentium armatorum, dominus est qui iudicat reges terræ: qui aufert spiritum principum: & non est qui de manu eius possit eruere. Loquitur dominus per prophetam, *erudimini qui iudicatis terram.* Vnde beatus Iob deterrendo reges inuitat: *si audierint*, inquit, *reges vocem domini, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium & comburentur stultitia.* Ecce quam terribilis est finis regum, qui eruditionem domini non admittunt. Ecce qualiter stultitia siue illiteratura Regum cedit eis in perniciem, ipsorumque præsidentium temeritas frequenter subiectos præcipitat in ruinã. Temeraria Dauid præsumptio in numeratione populi fuit illius magnæ pestis occasio, qua 80. milia de populo interierunt pro peccato Saul in montibus Gelboe cecidit. culpa Ieroboam & in populum redundauit, potentia domini non minor est in potentissimo regno transferendo, quam in tugurio pauperis euertendo. quis in Græcia potentior fuit Alexandro? & tamen ei successisse legitur, non suus sed saltatricis filius successorem Iulio Cæsari fecit adoptio, non natura. Cæsareæ domus totum relegamus & reuoluamus progressum, & inueniemus quia in breui periit memoria eorum, & ad inferos descenderunt. nouissime autem, quid diebus nostris Petro potentissimo regi Hispaniæ euenerit, nemo est qui ignoret, qui per fratrem suum naturalem Henricum gladio interemptus, dictum Henricum dimisit heredem. Quid insuper contigerit domino Iohanni de Monte forti nuper Duci Britanniæ notum est omnibus. isti namque, quoniam à se scientiam Dei repulerunt, & ipsi repulsi sunt, eisque aut hostes aut ignoti & extranei viri, vel alii non sui successerunt. hoc diligenter attendens Christianissimus rex Franciæ filium suum primogenitum, vt est dictum, disciplinis litteralibus fecit diligentius erudiri, ne post eum degeneret & more tyrannico regnum gubernet. Claret igitur ex præmissis, si Serenissimus Rex noster in suo populo tyrannus non est. & claret etiã cuiusdã philosophi inuitatus exemplo, quod nõ minoris curæ est sibi, cuius regiminis sit rex, respublica post decessum suum quam nunc sit. viuat igitur dominus meus rex in æternum.

Clericus. CAP. CXXXVI.

EX præmissis mihi insurgit vnum dubium. An expediat quod filii regum in pluribus & variis libris informentur? Et an expediat reges plures habere libros? Et videtur quod non: quoniam multitudo librorum & auctorum & omnis generis voluminum aliquid habet vagum & instabile, vt dicit Seneca. *nusquam est qui vbicunque est. & vitam in peregrinatione agentibus euenit, qui multa habent hospitia, amicitias nullas. nec prodest cibus sumptus, qui statim euomit: nec calescit pubertas, quæ sæpe trãsfertur. nec aliquid est ita vtile quod in transitu prosit: nec venit ad cicatricem vulnus, in quo plura tentantur remedia.* Et Seneca in libro de beneficiis c. 2. *plus solet prodesse, si præcepta pauca teneas, & illa in promptu habeas quam si multa didiceris & illa in promptu non habeas. fastidientis & non proficientis est omnia circuire, & faciendi plures libros nullus est finis.* Ex quibus videtur, quod non expedit, quod filii regum maxime in pluribus voluminibus seu libris informentur, nec etiam expedit reges habere plures libros.

Miles. CAP. CXXXVII.

FRagilis est rerum memoria, & rerum turbini non sufficiens; & *quantum recipit tantum necesse est vt amittat*, vt ait Seneca. Et ideo dicit *lex. Cod. de veteri iur. enucle. l. 2. §. si quid, quod omnia habere in memoria potius est diuinitatis quam humanitatis*: ideo necessarii sunt libri. Et ideo dicebat Io. in epistola 40. *Vtinam tractatuum haberem volumina vt tarditatem ingenii eruditionis diligentia compensarem.* Et ille versificator dicebat:

Haurit aquas cribris clericus absque libris.

Et Hieron. in quadam epistola: *multa in manum recipio, vt à multis multa cognoscam.* nam, vt dicit, *sapiens vir in multis expertus multa cogitat. qui autem non est expertus quid scit?* quasi dicat nihil. Vnde dicit Policraticus lib. 7. cap. 9. quod *esse aliquid vtilius ad scientiam acquirenti, facile non credit sine lectione auctoris hominem litteratum posse fieri.* Ad hoc nos prouocant exempla maiorum, qui multum fuerunt curiosi circa habendos multos libros. vnde narrat August. lib. 6. quod *licet Plato tenuis esset pecunia, tamen tres libros Pithagoræ philosophi decem milibus denariorum emit.* Et narratio, quod beatus Thomas de Aquino dicit, *quod magis vellet Chrisostomũ super Matt. quam ciuitatẽ Parisiensem.* Expedit cuilibet studioso habere multos libros, vt ex eorum lectione doctior sit. Et Hispani solent in hoc esse curiosi vnde narrat Ioannes, quod Hispani volentes habere copiam librorum suorum inuitauerunt eum, & dederunt ei vinum rubeum mixtum cum albo, vt inebriatus citius commodaret eis libros, vt ipse notauit. *C. de dolo l. dolum*, sed vt dicit Hieronimus in prologo suo Esdræ: *Inuidi libenter occulte legunt quæ publice latrant.* patet igitur quod expedit plura habere diuina libros plures.

Clericus. CAP. CXXXVIII.

EX prius dictis principes seu reges actibus tyrannicis debent abstinere, nec etiam debent esse

Digitized by Google

nimis clementes: quia omnes qui recte iudicant, stateram in manibus gestant. 45. *di. ca. omnis* : *quia medium tenuere beati*, & extrema sunt vitiosa. iuxta quod quæro, quid sit minus malum in principe, vt quod habeat in se nimiam clementiam, vel nimiam iusticiam quæ declinet ad tyrannidem. Et videtur quod minus malum sit reipublicæ quod habeat in se nimiam clementiam. Nam sic est in spiritualibus. igitur idem erit in bono regimine temporalium. tenet consequentia: quia Imperator est Christi vicarius in temporalibus. *C. de veteri iure enucle. l. 2. §. sed quia diuinæ*. probatur minor, similiter & consequentia. Nam dicit Iustinianus, quod *ad exemplum Christi vult imitari suam nimiam clementiam*. Ita enim credimus Dei beneuolentiam & circa genus humanum clementiam, quam non est possibile imitari, qui cotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur. vnde nimia Christi clementia magis nobis profuit quam nimia eius iustitia, quia secundum meram iustitiam omnes filii Adæ debebamus damnari nec poteramus reparari, nisi per nimiam clementiam. igitur clementia magis eligenda.

Mila. CAP. CXXXIX.

CONtrarium videtur verius, quanto aliquid est melius, tanto magis expedit, quamuis excedat à suis terminis, tendens ad extremum, quam expediat illud, quod non est de se ita bonum, si similiter declinet à suo gradu. sed iustitia est homini: quia sine ea nullus potest secure in ciuitate remanere & ipsa sublata de medio omnia mala committuntur, & in *autentica. vt iudic. sine quoq. suffra. §. hoc quoq.*: & in *proemio decretalium*. non sic de clementia. Ergo iustitia in suo debito gradu magis expedit quam clementia, si excedat cæteris magis expediet. Secundo dicit philosophus, quod *iustitia docet regulam recte agibilium*: non sic de clementia. Ergo &c. Tertio, sicut bonum publicum præcellit bonum priuatum 5. *q. 1. c. scias*: sic legalis iustitia præcellit particulares virtutes. Et hoc est quod dicit philosophus. 6. ethicorum quod *præclarissima virtutum est iustitia*. Et hoc idem voluit canon: *summum bonum in rebus est iustitiam colere*. 12. q. 2. c. *cum deuotissima* apparet igitur quod ista virtus, quæ est iustitia, dum est in debito gradu, non dico punctuali, sed habita consideratione personarum secundum gradum & gradum. *ff. de mune. & ho. l. vt gradatim*. 8. *q.* 1 *cap. licet*, alias virtutes morales sequitur. quod si excedat ab illo gradu, considerando tamen culpam in puniendo, vt infra declarabo, quod debeat præcellere alias virtutes etiam à recto gradu deuiantes, dico cæteris paribus, quod sic procedit quæstio. Quarto per nimiam clementiam contemnitur commune bonum, cuius contemtu omnia mala oriuntur sumpto generali argumento *de consti. c. nam concupiscentiam*: quia contemnitur Iustitia. ergo præferenda nimiæ clementiæ. hic attendendum quod *clementia denotat* quandam animi lenitatem circa diminutionem pœnarum. vnde ipsa dulcedo effectus inclinat hominem ad mitigationem, pertinet ad clementiam, & concernit actum interiorem hominis. *l. respiciendum. ff. de pœnis*. 45. *di. c. disciplina*, & cum conuenit cum misericordia, videretur quasi synonima. & talis clementia, quæ est mixta cum iustitia, est laudabilis, vt in *iuribus alleg*. Sed est alia clementia sine iustitia, & talis est abusiua, seu abusiue loquendo dicitur clemētia, quia omnino deuiat à iustitia, & talis reprobatur in iure. *l. eleganter §. idem labeo ff. de dolo. l. si hominem. ff. de pœn*. Præterea est reperire sæuitiam, quæ vocatur *feritas* seu *ferocitas*, à feris bestiis quæ dicuntur sæuæ. *ff. de pœn. l. 1. §. bestias*. Eæ enim fere nocent hominibus, & eorum cadaueribus pascuntur. quibus non immerito comparantur sæui principes & iudices, qui in pœnis infligendis nullam ponderant, sed solam delectationem in hominum cruciatu & tormētis: quia qui non facit decentia homini rationali, non meretur dici homo imo bestia, in *autentica de mo.* in principio glo. *decentem*. Et hoc prouenit eis ex quadā assuefactione seu corruptione naturę, sicut & aliæ affectiones bestiales *l. nemo. C. de epi. audien. Vt non luxuriāt contra naturā tollat*. 6. 12. *q. 1. c. omnis ætas*. Nam secundum quod dicit Philosophus. 2. ethicorum *ex assuefactione nobis virtutes insunt quędam*. pulcre deducit Gregorius. *c. dum scientiam. de pœn. di.* 2. Nam primo herba crescit, deinde spicam producit postea stipulam & granum. sic homo ex assuefactione gradatim efficitur virtuosus, & per contrariam assuefactionem mali, redditur malus & vitiosus. Sed opponitur clemētiæ secundo modo sumptæ, quia est quodammodo bestialis in suo genere, sicut & ista, vt ęst supra deductum. Est etiam *crudelitas*, quæ à cruditate dicitur. Nam sicut ea, quæ sunt bene decocta in genere suo, consueuerunt habere suauem saporem, cruda autem asperam & ameram: sic clementia permixta cum iustitia dulcis est & suauis. crudelitas, quia non est permixta cum clementia, cruda & aspera. Ponderat tamen culpam in puniendo, sed excessiue & vltra modum, & sic discrepat à sæuitia, quæ non considerat culpam in puniendo. Et opponitur ista crudelitas clementiæ primo sumptæ tanquam asperum suaui, vt est probatum. procedit ergo quæstio in clementia primo modo sumpta dum excedit à suis terminis declinando ad secundam clementiam, quæ bestialis est. talis clementia sic excedēs potest vocari nimia. in quæstione proposita procedit ex illa parte in crudelitate, quæ considerat culpam puniendi excessiue tamē. Et talis crudelitas potest *nimia iustitia* nuncupari. Quibus præmissis pro euidentia terminorum eligo illam partem, quod nimis damnosum sit reipublicæ, quod princeps habeat nimiam iustitiam in se & hoc iuribus pro parte illa allegatis. Non obstat lex Imperialis in contrarium allegata, quia ipsamet videtur respondere & soluere. Verum enim est, quod Christi sumus imitatores in terris, in quantum nostræ fuit possibile, vt ibi, non in omnibus. Nam *iudicia Dei abyssus multa*, vt in Psalmo, & tanta non posset esse similitudo creatoris ad creaturam, quin maior sit dissimilitudo notanda. c. *damnamus* vltra medium *extra de sum. tri. c. gaudemus. de diuor*. Et præterea illa Christi clementia potest intelligi de clementia permixta cum iustitia. & hoc vult dicere psalmista, *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*, transsumptiue. 45. *di. c. disciplina*.

Clericus

Clericus. CAP. CXL.

RVrsum Reuerende miles, quia superius visus fuistis regem Franciæ modernum ab actibus tyrannicis excusare. Quæro quo iure potest rex Franciæ gabellas, impositiones, & alia onera importabilia & subditis impossibilia imponere? Nunquid realia & etiam personalia? nunquid iste actus est tyrannicus? tenet enim per hoc populum in seruitute, cum potius eos deberet à iure seruitutis eximere. *C. de offici. præfect. affri. l. in nomine domini*, ibi, *fortissimos viros tyrannos & eximus.*

Miles. CAP. CXLI.

QVia quæritis, quo iure rex Franciæ possit gabellas, impositiones & alia onera extraordinaria subditis indicere? Respondeo, per textum. in *c. si quibusdam. §. præterea, extra. de verborum signific.* vbi dicitur, quod *omnia pedagia sint interdicta, quæ non apparent imperatorum aut regum largitione concessa, vel antiqua consuetudine à tempore cuius non extat memoria introducta.* patet igitur, quod reges, maxime qui non cognoscunt superiorem in terris, possunt tales exactiones introducere, cuiusmodi est rex Franciæ. Hoc expresse notauit Innocent. in *c. innouamus, extra de censi.* reges enim possunt imponere noua pædagia vel impositiones: peccant tamē si hoc faciant sine causa. Cum causa enim imponuntur, vt pro defensione reipublicæ contra prædones in terra, vel contra piratas in aqua: vel pro defensione fidei & patriæ, contra paganos vel hæreticos vel alia simili causa. Si recipiens faciat illud, propter quod fuit impositum, libere & sine scrupulo conscientiæ potest recipere. alioquin si in alios vsus conuertantur, sanguis & sudor laborum subditorum de manibus dominorum in die iudicii exigetur, & clamor ipsorum tunc exaltabitur in æternum. Nunc enim in isto seculo pauper, dum non habet quid offerat, nedum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *c. pauper. 11. q. 3.* Vnde sciendum, quod regulariter non debet dominus petere à subditis, nisi ea de quibus ante eum & eius antecessores plane ac bona fide sine dolo & coactione conuenit. omnia ergo ab initio imposita, dummodo non sint turpia vel contra Deum possunt peti & debent solui. Quia quilibet in traditione rei suæ legem, quam vult, potest apponere. *c. 1. extra de pactis.* Et isti sunt reditus ordinarii regum & aliorum principum. Et quicquid subditus de hiis reditibus ordinariis sine domini voluntate substraheret vel diminueret vel celaret, sicut fur restituere teneretur, iuxta dictum Saluatoris, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* &c. Credendum enim est, quod iusta de causa isti reditus fuerunt principibus concessi, scilicet pro defensione patriæ, pro iustitia inter populum exercenda & similibus de causis: ita tamen quod Dominus compleat illud, propter quod dicti reditus fuerunt instituti. Si enim princeps iustitiam denegaret subditis, vtpote appellantes non reciperet, vel patriam non defenderet, tales reditus ordinarii, Gabellæ, impositiones, foagia, & similia, si sint inducti tales reditus extraordinarii iusta de causa, scilicet pro defensione patriæ, nec eo modo defendatur quo possit & debet, nec reditus ad illum vsum, sed in alium conuertatur, tunc tales reditus ordinarii iuste possent denegari, imo iure scripto super dictamine rectæ rationis fundato merito à regimine tanquam indignus foret deponendus. Et si in regimine totius regni sic negligeret, omnino deponendus: & liceret populo alium principem eligere, si in parte regni solum hoc negligeret, liceret populo illius loci alium sibi principem eligere, maxime quando talis esset princeps, qui superiorem non recognosceret in terris. Exercitus enim sibi ducem elegit, *tertia di. cap. legimus.* Sed si populus in hoc sit remissus amore timore deponere, saltem dictus princeps in foro pœnitentiæ inducendus est ad restitutionem. Et si apparet ex aliquibus indiciis vel circumstantiis, quia restitutio sit impossibilis vel difficilis, vtpote quia dictos iam reditus sic iniustè perceptos in alios vsus conuerterint, Consuli posset talibus principibus, quod in contemplationem remitterent subditis aliquam seruitutem, quæ communiter leuaret, verbi gratia remittat foagia, si illa recipiat in regno suo. seruitus enim illorum foagiorum est pauperibus intolerabilis, propter multiplices excessus exactorum, ipsis etiam dominis sæpe ignorantibus & insciis. Clarum est enim, & docet experientia, quod quando foagia ab initio fuerunt indicta, taxatæ fuerunt parrochiæ secundum numerum focorum. Et tunc pone, in vna parrochia tempore taxationis erant centum foca: quæ tunc imposita ad centū Francos, cursu temporis superuenientibus pestilentiis & mortalitatibus & guerris validioribus, tunc in illa parrochia supersunt 20 foca, vel forsan decem tantum, vel pauciora: nihilominus exactores talium tributorum seu foagiorum compellunt dictos viginti, vel decem superstites ad soluendum integraliter centum Francos, vt sic onus excedentium vel recedentium vel decedentium eis sine emolumento contra omnia iura & contra rectum dictamen rationis accrescat. insuper, vt est de more, pauper vltra diuitem vbique vexatur & specialiter in istis foagiis. Nam cum diues deberet subleuare pauperem è conuerso contra naturam & omnimodam rationem per compatres & commatres amore vel odio pauper releuat diuitem. & dum non habet quid offerat, contra veritatem opprimitur. & sic in istis foagiis nulla æqualitas, imo inæqualitas obseruatur, & ibi nulla pietas, sed impietas horribilis inhabitat. Nuper enim vidi requestam cuiusdam mulierculæ viduæ, quæ septem habebat filios ac filias: quæ suam exponebat querelam contra vnum exactorem foagiorum, qui cum sibi vna sola superlectilis & culcitra superessent, vbi dicti filii & filiæ iacebant, ille exactor & dictos pueros inhumaniter de lecto eiecit & pro foagio soluendo venditioni exposuit, & ita dictæ pauperculæ viduæ cum septem filiis nihil penitus remansit. supplicabat sibi de remedio prouideri. In aliis vero exactionibus semper aliquid remanet soluenti:

Digitized by Google

quia si pro libra soluat duodecim denarios saltem sibi remanent decemnouem solidi: si tredecimam partem soluat, remanent sibi duodecim: si sextam partem remanent sibi quinque. Et idem de quacunque exactione, quæ soluitur per quotam partem hic autem in istis foagiis quandoque nihil superest soluenti. Consulatur cuilibet principi in foro conscientiæ, quod à tali iugo seruitutis suum liberet populum, maximè in compensationem suorum defectuum, & remissionem peccatorum, vt si quando neglexerit populum deffendere, iustitiam exhibere, vel si prouentus ordinarios vel extraordinarios in alios vsus conuerterit quàm in illos, in quos ex debito officii tenebatur. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ patiatur detrimentum? *c. Matheus extra. de Symonia.* qua conscientia potest quis in sudore vultus alieni sibi thesauros infinitos congregare? Scio tamen, quod sunt quædam causæ, propter quas potest princeps & licitè tallias nouas subditis imponere. vna est pro defensione patriæ, cum inuaditur ab hostibus iniuste. *extra. de immu. eccle. c. peruenit.* Altera est, si dominus vult ire in exercitũ indictum ab ecclesia contra schismaticos, hæreticos seu Sarracenos, nec de suo sine graui damno expensas facere posset. Tertia est, si dominus in guerra vel in bello iusto ex parte eius sit ab hostibus captus, nec de suo sine graui damno redemptionem soluere possit. Item quando dominus filium militem facit, vel filiam nuptui tradit, vel nouam terram comparat. Ista enim respiciunt commoda subditorum, quia ex talibus dominus fit potentior, vel ditior, ac per hoc parcere poterit subditis in futurum. & non videtur quod pro talibus possit recipere à subditis, vbi est constitutum vel consuetum, dummodo recipiat moderatè. Si autem dominus velit ad aleas ludere, vel vltra vires in voluptatibus, vestibus, hospitibus, castris non necessariis ad tuitionem reipublicæ ædificandis expendere, non debet propterea à subditis aliquid extorquere. quod si fecerit, ad restitutionem tenetur. Et idem si sit captus in bello iniusto, quia totam redemptionem vel partem non potest à subditis exigere. Alii vero distingũt circa talias imponendas dominis. aut subditi sunt serui, aut liberi. Si serui, domini simpliciter possunt eis facere seu imponere etiam propter bonum dominorum tantum: & serui tenentur dictis dominis obedire, quia seruus & res eius sunt possessio domini. vnde Philosophus primo Politicorum dicit quod *seruus est res possessa.* Et ideo si fugiat, domino debet restitui. *de seruis non ords. c. de seruorum.* Si autem sunt liberi, ita quod dominus dominetur politicè, aut dominus ille est Rex vel Princeps, aut dominus inferior. si sit rex, potest auctoritate sua propria pro vtilitate boni communis de nouo tallias imponere, compensata subditorum facultate. *ff. de publi. & vectigal. l. vectigalia.* quod debet intelligi, nisi facultates sufficiant regi vel principi pro defensione reipublicæ. Si autem illæ talliæ nullo modo sint ad vtilitatem boni communis, nec rex, nec princeps, potest eas imponere. quod si imposuerit, subditi non tenentur obedire, quia potestatis suæ limites exit. Si autem sit inferior, nõ potest subditis tallias imponere: & si imposuerit, cum exit limites potestatis suæ, subditi non tenentur obedire: maxime quando sine consensu regis vel principis imponuntur. & hoc est expressum *extra. de censi. c. innouamus. C. noua vectiga. inscio princip. insti non pos. l. 1. 2. 3. & 4.* Sciendum est etiam, quod aliquando talliæ, quæ de nouo imponuntur, sunt directe ad vtilitatem boni communis: puta quando sunt pro defensione fidei vel regni: quandoque vero indirecte, & non ita aperte, vt quando aliqua iniuria infertur regi extra regnum suum, vt puta quia ab aduersariis detinetur frater regis vel filius, vel aliqua terra quæ de nouo deuoluta est regi, occupatur violenter ab aduersariis: tunc rex potest imponere subditis tallias mediantibus quibus possit fratrem vel filium seu terras recuperare hoc enim redundat in vtilitatem subditorum: quia cum Rex viriliter impugnat aduersarios, ex hoc ipse magis honoratur, & ab aduersariis timetur, & per consequens eius subditi fideles gaudent, & bona sua securius possident. vnde ergo in tali casu si ad hoc regis nõ sufficiant facultates, potest à subditis auxilium moderatũ implorare. videtur tamen quod negotio expedito si regis facultates augeantur, & aliquæ communitates notabiles sint grauatæ, Rex eis subuenire debet, sicut sibi in sua necessitate subuenerunt. Cum enim caput patiatur, & membra alia subministrant, & similiter econuerso caput aliis membris. Sciendum etiam, quod quia facultates regum sunt eis concessæ propter promotionem & defensionem communis vtilitatis. si facultates regis sufficiant pro defensione regni vel fidei, non debent in illo casu subditos talliare. Non tamen est dicendum, facultates regis sufficere, quando non potest regnum vel fidem deffendere, nisi ita depauperetur, quod sibi nihil remaneat in thesauro, quo se iuuare posset, si iterum infra breue tempus ab aliis aduersariis inuaderetur, maxime si plurimos habeat insidiatores. tali enim regi est necessarius thesaurus pecuniæ; quia aduersarii scientes eum sic esse munitum, magis timebunt eum, & ex consequenti magis pacifice possidebit regnum suum, ar. *l. 1. ff. vbi pu. & mu. edu. debet,* licet multo magis sibi proficiat thesaurizare amorem subditorum quam aurum vel argentum.

Clericus. CAP. CXLII.

Reuerende miles, nunc aduertatis & verba mea auribus percipite. Illi soli in magnatum gratiã admittuntur, qui eos palpant diuitiis, gabellis & impositionibus. tales ampliant principes immensis largitionibus atq; beneficiis, quos potius torquere debuerant, & à præsumptione adulandi deterrere. Legitur quod Athenienses Thimogoriã inter officia salutationis Dario adulantẽ capitali supplicio affecerũt. Lacedæmoniorũ etiã senatus Aristolũ interimi iussit, ideo quod maluit viris detrahere occulte, quã publice & cõstanter arguere, atq; in hiis tã adulatoribus quã detractoribus silentium indixerunt. Porro laudatur hodie peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.

mordatissi-

Digitized by Google

mordatissimus detractor in absentia nihil principaliter proponit: sed quod placere existimat verba oris eius iniquitas, negat quis, nego: ait, aio. si dixeris æstuo, sudat: si frigesceris, tremulat: flet cum flentibus: ridet cum ridentibus. Quid, apponetur ad hanc linguam dolosam: vtinam apponantur sagittę qui eam transfodiant, & carbones quę eam incendant, vtinam in seraphin, qui cęlesti carbone Prophetæ labia emundasti, gehennali flamma totum os & linguā emundando destruens. sic & laborant hodie nostri Curiales in labore & ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis fluuium, periculis pontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione, in lassitudine corporis atque variis vitæ discriminibus, in quibus gloriam martirii merentur, si hoc pro Christi nomine sustineret. Nunc autē sicut martyres, similiter incliti professores, per multas tribulationes intrant in regnū cælorum: hii autem per multas tribulationes promerentur infernum. domina quidem ambitio, quæ ad amorem diuitiarum acquisitiones plures excitat facit eos plures labores insensibiliter sustinere, & semper paratus appetit ampliores. Scio quia eos, qui in curia regis morantur, aut potius moriūtur, spes regiæ liberalitatis frequenter exhilarat, quę quandoq; in multos magnifice se effundit. Sperat autē vnusquisq; sibi euenturū, quod videt pluribus euenisse. sub ista duplici expectatione & incerta, tædiosa delectant, grauia leuigantur, amara dulcescunt, expensas etiam quamuis auari non sentiunt:

Sic vt non perdat, non cessat perdere lusor
Et reuocat cupidus alea blanda manus.

Illud in curia detestabile est, quia magis diligunt, minus diliguntur, imperiti etiam & omnino inutiles elongatioribus donis atque beneficiis ampliantur, diuitiæ accumulantur diuitibus. Nec est qui respiciat ad inopem & mendicum. Heliseus vasa implebat vacua & difficientibus vasis vacuis stetit oleum: in curia vero contemnuntur vasa vacua & plena implentur ligna in siluas & aquas in Maria deferuntur. Sane licet obsequium & reuerentiam debeant prælati ecclesiastici principibus, & maxime regi tanquam præcellenti, tamen efficacius possent in eccclesiis deseruire principibus quam in castris. Nec deberent reges & cæteri principes à suis ecclesiis eos aduocare in diuini officii præiudicium & grauamen. simpliciores & alii illiterati, qui in ecclesiis residere non tenentur, si in obsequio regiæ maiestatis militare proponunt, non arbitror hoc absurdum.

Miles. CAP. CLXIII.

Adulatores & detractores excusare non intendo. Scio quod curiales per multas tribulationes transeunt & quam plures miserias patiuntur. ista est vita humana quædam militia super terram. nec aliter virtutum præmia cuique tribui oportet, quia

Dulcia non meruit qui non gustauit amara.

si igitur dignè principi seruiant, secundum Deum & saluam conscientiam, in isto vel alio seculo præmia consequentur. Qui autem reges arguitis, quod Episcopos ad se aduocant, & ipsos suos faciunt consiliarios, non est quidem nouum, quod regum consiliis intersint Episcopi. sicut enim honestate & sapientia ceteros antecedunt, sic expeditiores & efficatiores in reipublicæ administratione censentur, quia sicut scriptū est: *Minus salubriter disponitur regnum quod non regitur consilio sapientum.* Scriptum est enim, *væ terræ cuius Rex puer est, cuius principes mane comedunt. Beata est terra cuius Rex sensatus est & cuius principes vescuntur tempore suo*: in quo notatur consiliis principum eos debere assistere, qui sciant, velint & possint patientibus compati: patriæ ac populi saluti proficere, erudire ad iustitiam reges, imminentibus periculis accusare & quadam auctoritate potestatiua præsumptionem malignantium cohibere. Nec vobis clericis debet esse molestum, si regum consilio intersint prælati, quia forsitan nisi præfati Episcopi essent consiliarii regii, aliqui laici, qui clericis oppido sunt infesti, supra dorsum ecclesiæ sæpius fabricarent. In hoc ergo est Rex laudandus, qui tales sibi consiliarios assumit, qui reddant, *quæ sunt cæsaris cæsari & quæ sunt Dei Deo.* Nunc enim si ecclesiæ attentatur iniuria, auctoritate pontificali corripitur; aut si ad hoc Ecclesiastica censura non sufficit, spiritualis gladii defectus materiali suppletur, & ad eorum arbitrium animaduersio exercetur. Si quando regis indignatio aduersus personas ecclesiasticas exardescit, Episcoporum precibus temperatur. istis mediantibus iudicarius rigor admittitur, pauperum ecclesiarum dignitas erigitur, firmatur in clero libertas, pax in populis, in monasteriis quies, iustitia libere exercetur, augetur laycorum deuotio, religio fouetur, diriguntur iudicia, leges acceptantur, decreta Romana vim obtinent & possessiones ecclesiasticæ dilatantur. Sed vtinam caueant omnes & singuli Episcopi, nedum Rex ambulans in simplicitate aliquem eorum in suæ familiaritatis sacrarium atque in vnitatem amicitiæ, & vinculum fœderis acceptauerit, aduersus dictum principem omnes cogitationes suæ sunt in malum. *Væ* dicit ecclesiasticus, *duplici corde atque labiis scelestis*, sæpe enim dum princeps omnes cogitationes in signum amoris alicui effundit, & eum quasi se alterum reputat, ipsum proditorie decipit. O detestanda proditio hic est alter Iudas, qui osculo filium hominis tradidit. Amplius, quia curialium vitam videmini detestari: *rogo consideretis singulorum iudicia, studia, vota, consilia, officia, dicta & vetita seu merita.* Et tunc secundum quod refert Petrus Blesen. in quadam sua epistola: *recipietis & videbitis omnia repugnantia & varietate quadam confusa. Quidam enim sunt qui sine omni periculo & labore viuere possent, certa mortis pericula & labores importabiles amplectuntur vt viuant. Quidam more Tantalico in aquis sitiunt, dum inter opulentias inedia se affligunt. Quidam se voto continentiæ astruxerunt, & iuxta Prophetam tanquam emissarii ad vxores hinniunt alienas. Quidam cum infinita congregauerint, sed nihil reputant congregasse. Quidam studiose inquirunt, nec inuenire sufficiunt, qualiter modi-*

cula quam habent substantia consumatur. Quidam honores appetunt & ad eos trahuntur inuiti. Quidam laudes hominum vilipendunt, & in hoc sunt laudabiles. Quidam in omni tempore venerantur famam seculi, & omni tempore sunt infames. Quidam per labores requiem quærunt. qui in requie requiem inuenire non possunt. Quidam apud alios venerabiles sunt, qui apud se vilescunt. Quidam plus de se linguæ adulanti quam conscientiæ suæ credunt. Quidam se tyrannica vsurpatione magnificant. Quidam ibi trepidant, vbi non est timor. Quidam in periculo mortis certissimè sunt securi. Quidam non quiescunt, donec rem habeant concupitam: quã cum habuerint, vilem reputant & abiectam. Quidam rem, quam non concupierunt adepti, inæstimabilem in ipsa concipiunt voluptatem. Quidam simpliciter viuunt, & in omnibus prosperantur. Quidam versantur in dolis, & in eos quilibet aduersatur. Quidam pro libito suo viuunt, & semper sunt sani. Quidam à regulis Hypocratis non deuiant, & semper sunt infirmi. Quidam insipientiam simulando, sapiunt. Quidam minus sapiendo desipiunt. Quidam à Philosophia sinu ad arma prosiliunt. Quidam in claustrali ac scolari quiete migrantes, quotidiana membrorum fatigatione se frangunt. Quidam in litigiis & contradictionibus gloriantur. Quidam, si eos opportuerit litigare, torquentur. Quidam in rebus nugatoriis sunt circumspecti, in arduis autem & quæ maturo indigent consilio, pœnitus inconsulti. Quidam amicis & domesticis sunt graues: & inimicos humiliter venerantur. Quidam verissime amicorum professores & inimicos verissime prosequuntur. Quidam superbe se humiliant. Quidam humiliter se exaltant. Quidam in suis mendaciis gloriosi sunt. Quidam semper laborant esse veridici, qui mendacissimi reputantur. Quidam ea semper deferunt, quæ deferri non expedit, & vbique sunt præcipites vbi res seueriores consilio indigent. Quidam in pernicie animæ coniurantes curam corporis in deliciis agunt. Quidam zelantes salutem animæ corpori mæsto & afflicto non parcunt. Quidam de crastino nunquam cogitant. Quidam in vniuersis oculos prouidentiæ dirigunt in futurum. Quidam de propri? patrimonium Christi congregant. Quidam Christum pauperem sequuntur, vt de Christi patrimonio suis nepotibus thesaurisent. Quidam interius simplices, exterius sunt astuti, vt sc. inter fratres vinculum sociale concilient. Quidam exterius mansueti murmurant interius, vt fraternæ societatis dissuãt vnitatem. Quidam constantes ad horam insaniunt. Quidam dissimilatorio vultu palliant ad tempus iniurias & abscondunt. Quidam sub risu fictitio plorant. Quidam sub hypocrisi lamentatione exaltant. quosdam ad damnatos honores inducit ambitio: Quidam nihil honores reputant sine lucro. Quidam libentius donant semper ingratis. Quidam libentius mutuant debitoribus nunquam soluturis. Quidam omnes libros reuoluunt & nihil addiscunt. sed & quidam omnia imprudenter agunt, & ipsis pro voto succedit. Quidam omnia consilio disponunt, & semper in contrarium eis cedit. Quidam nobilitatem suam magnificat, quem facta humiliant: & quandoque apud principes acceptior est fatuus & ignobilis, quam nobilis & prudens. Quidam omnem solicitudinem à se prorsus excutiunt. Quidam non solum suis, sed etiam alienis negotiis se minus sufficienter inuoluunt. Quidam omnia consilio alieno disponunt. Quidam in omnibus sequuntur propriæ voluntatis arbitrium. Quidam negotia licet ardua nunquam solicitant. Quidam in rebus etiam nugatoriis quadam curiositate se torquent. Quidam vt alienis parcant expensis, se ipsos euacuant. Quidam de alieno prodigi, de proprio sunt auari. Quidam satis tenues multa vestimenta faciunt & consumunt. Quidam, quod deterius est, multa ædificia incipiunt, nec consumunt. Quidam comedunt, vt ieiunent. Quidam ieiunant, vt comedant. Et qui per vniuersa extimentur, si linguis hominum loquar, aut angelorum, dissonantias habitantium in hac terra dissimilitudinis recensere non potero: cum vnusquisque non tantum à proximis dissentiat, sed discedat à seipso.

Clericus. CAP. CXLIV.

PRæterea miles carissime, nunquid propter peccata regis Franciæ tanta strages & pestilentia guerræ, famis & mortalitatis contingit in populo, Gallicano? peccauit enim Dauid populum numerando, & octoginta milia de populo diuina indignatione percussi sunt. patet ergo quod propter peccatum principis populus frequenter patitur. quomodo enim ab hac culpa poteritis excusare?

Miles. CAP. CXLV.

COnstanter asseritis, quasi spiritum habeatis Prophetiæ & Dei arcana prænoueritis, quod ex delicto nostri principis euenerit, quod commissas sibi prouincias tanta hostilitatis & pestilentiæ turbo concusserit. ille qui aufert spiritum principum, terribilis est in iudiciis suis, ita inscrutabilis est in consiliis super filiis hominum. Quis enim nouit sensum domini, aut quis eius consiliarius fuit? non minus delicta populorum, quam principis, materiam malorum præsentium arbitror extitisse. Legimus sæpe populos, sæpe reges, nunc pro se nunc pro aliis diuinæ animaduersionis sententiam incurrisse. *Comedit princeps vuam acerbam: & dentes populi obstupescunt.* peccauit Dauid populum numerando, & octoginta milia perierunt de populo, vt est dictum. frequenter etiam propter membrorum immoderantiá caput affligitur: & propter iniquitatẽ plebis pœna principibus irrogatur, & vniuersitas plerumq; ob vnius paucorumve delictũ. Nam propter peccatũ Achar populus anathema incurrit: quia Gad & Ruben & dimidia tribus Manasse in terra Chanaá ędificauerũt altare & ira Dei vniuersaliter descendit super populũ. vltionem suam sæpe inchoat Dominus à sanctuario suo, & qui potens est punitur frequenter. & in eos qui præsunt durius excandescit. Hely pro pietate filiorũ sella euersa fractisque ceruicibus expirauit. Vtinam ergo tam princeps quam populus gallicanus se tantũ reũ discriminis arbitretur. Vtinã cũ rege Dauid rex noster humilietur, & dicat angelo percussori, *in me conuertere gladiũ. Ego enim sum qui peccaui.* vtinã subiecti cũ populo Niniuitarũ se peccasse procla-

Digitized by Google

proclamant, ac cœlestis irę iudicium in planctu & gemitu & in cilicii asperitate declinent. Vtinam plorent sacerdotes inter vestibulum & altare dicentes: *parce domine, parce populo tuo* Sed proh dolor plures hodie principes seculares & ecclesiastici, necnon & infiniti alii inferiores reatum suum minime recognoscunt, nec flagella domini æquanimiter sustinent, imo omnimodam fœlicitatē suam vellent in hoc seculo adipisci, forsan aliam fœlicitatem non sperantes: cum naturales philosophi & pagani aliam fœlicitatem sperarent post mortem. dicit enim Aristot. 2. lib. de anima, *intellectum separari ab aliis, sicut perpetuum à corruptibili post mortem.* Item primo Ethicorum dicit, quòd *hiis qui desiuiunt prosunt occupationes amicorum.* cui concordat Augu. in canone *c. non extimemus.* quod non esset, si nullum haberet esse reale post mortem. Idem Aristoteles in lib. *de pomo*, siue *de morte sua* fertur discipulis prædicasse fœlicitatem futuram, quamuis alii dicant quòd Aristoteles in 1. *Ethicorum*, hæc assertiue negauit. Nam tractans de fœlicitate, tractauit de ea in quantum possibile esset eam inuestigari per rationes & inuentiones humanas. Nec aliquis in hac vita potest dici fœlix, sed solum cum moritur, si fuerit in hac vita virtuosus, quia dū viuit potest fœlicitas humana seu mundana mutari in miseriā. Sed fœlicitas est apud firmum & stabilissimum. cui cōcordat canon *de pœn. di. 2. c. dum sanctā cum sequentibus.* secundum enim Bœtium in libro de consolatione, *fœlicitas omnium bonorum congregatione perficitur.* vera ergo & infallibilis fœlicitas est post mortem. sustineat ergo vnusquisq; flagellum Domini, & aduersam fortunam æquo animo in hoc sæculo, & hoc cedet sibi ad gloriam in futuro. imo antiqui Philosophi & pagani voluntarie mortificauerunt omnia huius mundi desideria in cibo, potu & aliis delectationibus & carnalibus & mundanis, vt fierent virtuosi 12. *q. 2. cap. gloria episcopi & c. Socrates.* Et etiam aduersam fortunam patiēter tollerabant. quanto magis in hiis præpollere debet verus Christianus. Non tamen assero, quod aduersitates sint appetendæ, sed si contingerent patienter sunt sustinendæ. Sicut enim quædam sunt salubertima bonis, quæ tamen sunt mortifera malis. Sic quędam sunt perfectis expedientia, quæ tamen imperfectis periculosa noscuntur. martyrium enim non habet annexum, quod fugiendo perfecti nōn habeant ipsum recipere, & tamen ad hoc non debent se exponere imperfecti: teste Beda, qui super illo Matth. 26. ca. *discipuli omnes eo relicto* &c. *Qui sic*, ait, *fugiendo docent eos, qui ad supplicia minus sentiunt se idoneos, vt fugiant, quod tutius est, quam se discrimini exponere.* sic in proposito propter periculum patientiæ nullus debet aduersam fortunam appetere.

Clericus. CAP. CXLVI.

SEd nunc ad propositum principale redeuntes: quando plenitudinem potestatis Papæ videmini abnegare, rogo respondeatis ad illam auctoritatem, quam posuit Innoc. 3. *de maio. & obed. c. soliuæ* vbi narrat, quod dicit dominus ad Petrum, *quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis* &c. Ex quibus verbis plane concluditur plenitudo potestatis Petri & successorum eius.

Miles. CAP. CXLVII.

ILla verba Innoc. præalleg. pro plenitudine potestatis Papalis aliis verbis eiusdem, nisi sanè exponantur, repugnare videntur. dixit enim *extra. qui filii sunt legi. c. causam: nos attendentes quod ad regem pertinet non ad ecclesiam de talibus possessionibus iudicare*, &c. Ex quibus verbis colligitur quod ad Papam, quæ est ecclesia vel caput ecclesiæ non pertinet de possessionibus iudicare & per consequens non habet in temporalibus talem plenitudinem aliis Decretalibus eiusdem Innoc. patenter potest colligi. Sane igitur exponenda sunt verba dicti Inno. cum dicit quod *Christus nihil excepit cum dicit Petro, quodcunque ligaueritis* &c. Vno modo exponitur, quod intelligat, quod Christus dixit Petro, *quodcunque ligaueritis* &c. nihil excepit vocaliter & expresse, alibi tamen & aliis verbis & exēplis ostendit excipienda esse plura. Alio modo exponitur, quod Christus nihil excepit, subaudi de hiis quæ sunt necessaria regimini fidelium, & non præiudicant iuribus & libertatibus aliorum. Et ideo per ista verba, *quodcunque ligaueris*, &c. Christus non permisit potestatem Petro, nisi necessariam regimini fidelium, nec præiudicabilem aliis, præsertim enormiter seu notabiliter non abutentibus iuribus & libertatibus, nec damnabiliter negligentibus ius suum vnicuiq; exhibere.

Clericus. CAP. CXLVIII.

SEd nunquid Ieremiæ. 1. c. dicitur *Ecce constitui te super gentes & regna*, non distinguendo inter gentes & gentes, nec inter regna & regna, quæ auctoritas aliàs fuit alleg.

Miles. CAP. CXLIX.

SOphistica est illa allegatio propter multa. primo quia summo sacerdoti nullatenus fuit dictum: *Ecce constitui te super gentes & regna.* Dictum enim fuit Ieremiæ qui non erat supremus sacerdos. Secundo quia licet Ieremias fuerit sacerdos, tamen nunquam sibi, in quantum fuit sacerdos, sed in quantum erat Propheta, dicta fuerunt verba præmissa. vnde idem præmisit Dominus, *Prophetam in gentibus dedi te.* Tertio: quia Ieremias nequaquam talem exercuit potestatem, nec dixit populis, se recepisse potestatem talem à Deo. qui vult ergo concludere per ista verba, quod Papa habeat talem plenitudinem potestatis, concludit quod quilibet sacerdos & etiā propheta habet à Deo talem plenitudinē potestatis. Quarto non videtur concludere allegatio supradicta, quia licet ea quę ad spiritualia ac cęlestia spectant, plenius debeant refulgere in

Digitized by Google

supremo pontifice nouæ legis, quã in supremo sacerdote veteris legis, non tamen ea quæ ad terrena seu temporalia spectare noscuntur. Alioquin sicut sacerdos veteris legis, ita etiam sacerdos & summus pontifex nouæ legis congruentur matrimonio vterentur. & sicut in veteri lege summus sacerdos bellicis armis necibus hominũ, truncationibus membrorũ vindictæ sanguinis immiscuit se de cæter, ita debet vel etiam summus sacerdos nouæ legis se talibus implicare, quæ tamen omnia & similia absurda sunt censenda. quamobrem ex potestate & dominio, quod habuit in temporalibus sacerdos supremus veteris legis, concludi non potest quod Papa in temporalibus aliquã habuerit potestatẽ, quia nec sibi nec aliis necessaria est credẽda auctoritas. ergo Ihere. ad propositũ non cõcludit, quod licet in illis verbis nõ addatur, exceptio addẽda est ad alia verba Inno. diuersimode respondet. quidam enim, vt videtur eis, verba eius sane intelligunt, dicentes eum intelligere quod in æternũ Christi pontificiũ longe maioris potestatis & etiam in temporalibus casualiter non regulariter, quã pontificem veteris legis. & ideo si dictum est pontifici veteris legis: *Ecce constitui te super gentes & regna*, hoc est vt casualiter etiam in temporalibus super gentes & super regna iurisdictionem assumens non in præiudicium regum & principum sua legitimi vtentium potestate. Et hæc fuit intentio sua, quam colligunt ex verbis dicti Innocen. quem sequitur. relinquitur ergo, Romanum põtificem saltem casualiter excercere. &c. Quibus verbis innuitur, quod non nisi casualiter. Ex quo sequitur, quod papa non habet regulariter prædictam plenitudinem potestatis. Alii non curant prædictũ Innocentium excusare, præsertim cum in illa *decretali* plurima hæretica dixerit & inexcusabilia. dicit enim quod extra ecclesiam nulla est à Deo ordinata potestas, nec aliqua iurisdictio seu potestas est concessa licet extra ecclesiam est concessa, id est, permissa tantummodo. Et quod nulla potestas temporalis regiminis potest extra ecclesiam reperiri. quæ omnia, vt isti dicunt, sunt hæretica. & ad euidentiam allegationum ipsorum. Et primo videndum, quod secundum ipsos ante aduentum Christi & post apud infideles fuit vnum dominium temporalium, & vna & legitima ac ordinata potestas, & gladii temporalis vna iurisdictio tẽporalis, non tamen permissa à Deo. Qualiter Deus permittit tyrannos, prædones & inuasores aliarum rerum & iurium sibi potestatem & dominium vsurpare, quamuis infideles talem potestatem habentes illegitime vsi fuerant freqũter aut semper. sed abusus vtentis & legitima potestas habentis in nullo sibi obuiant aut repugnant, sed simul in eundẽ hominem cadere possunt, teste Augustino. 14. *q.* 5. *c. neque enim*, vbi dicit, *nec vituperatur ordo regiæ potestatis, si rex tyrannica crudelitate sæuiat.* Aliud autem est in ista potestate velle iuste, vti & aliud iusta potestate iniuste velle vti Ex quibus patet quod recta potestas & abusus eiusdem iuste compatiũtur se in eodem. quare esto, quod omnia ædificarent extra ecclesiam ad gehennã: & quod infideles penitus abuterentur omnium potestate, non tamen sequeretur quod propter hoc amitterent veram & legitimam potestatem, & quod apud infideles ante aduentũ Christi & post non fuerit vera potestas gladii materialis & verum dominium rerum temporalium. Probatur. nam vt habetur *Deut.* 2. *c.* dominus dedit filiis Esau & filiis Ammon, qui erant infideles, terras & regiones, quas eis auferre fidelibus non licebat. Amplius, qui præcepto spirituali dominio in regem vngitur, non solum habet à Deo potestatem gladii materialis permissam, sed etiam concessam, quare vnctio regalis legitima nõ est sine legitima potestate. Dominus autem præcepit Heliæ, vt habetur. 3. *li. Regum.* 2. *c.* vt vngeret Azael regem super Syriam, qui tamen infidelis erat. Azael ergo legitimam habuit potestatem, de quo ibidem subiungitur: *quicunque fugerit gladium Azael, occidet eum Iesu.* Rursum, ille habet verũ dominium temporalium rerum & non solum permissam potestatem, cui Christus voluit reddere dominium temporale, vt suum, dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* &c. Constat autem quod Cæsar ille, scilicet Tiberius, erat infidelis, & tamen habuit tẽpore Christi verum & legitimum dominiũ rerum temporalium. Amplius, ille cui fideles non solum propter periculum euitandum, sed propter cõscientiam, debent esse subiecti, habent verãm & legitimã potestatem. potestatibus autem infidelibus debebant Christiani tempore apostolorum esse subiecti non solum propter periculum euitandum, sed etiam propter conscientiam, teste apostolo ad Rom. 13. c. Cum dicit, *subditi estote nõ solum propter conscientiam* &c. Subdit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* voluit ergo fideles esse subiectos etiam infidelibus, & dicit quod *non est potestas nisi à Deo. quæ autem sunt à Deo ordinata sunt.* & intellexit aperte, quod potestas, quæ erat apud infideles, erat ordinata à Deo, & non solum permissa. & de illa potestate dicit: *Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Vnde illud de potestate cõcessa non permissa debet esse extra ecclesiam. ergo apud infideles potestas legitima & concessa non permissa tantummodo potest reperiri, licet infideles vti in pluribus illa potestate abutantur, quemadmodum nonnulli infideles peccatores, tamen habentes potestatem legitimam, sæpius abutuntur ea. hanc sententiam de potestate concessa & data à Deo tam infidelibus quam fidelibus malis tenere videtur & asserere Augustinus, *decimo de ciuitate Dei.* Credunt ergo sic opinantes, Innoc. minime posse excusari, nec verba eius ad alium intellectum, quam sonant, non reputant exponenda, quia nõ sequitur, quod pontificium nouæ legis fuerit maioris potestatis in temporalibus, quam sacerdotiũ Aaron: imo regulariter est minoris potestatis in temporalibus. Nam & plura temporalia & maiora ex ordinatione diuina assignata fuerunt sacerdotio veteris legis, quam sacerdotio nouæ legis. tamen quia pontificium Petri non fuit talis potestatis cum põtificio Christi: Christus enim auctoritate sui pontificii noua potuit instituere sacramẽta, quod nequaquam potuit Petrus. Potuit enim Christus in multis dispensare, in quibus Petrus dispensandi non habuit potestatem: quia tamen Pontificio fungenti non erat dictum à Deo: *Ecce constitui te super gentes & regna*, quia Ieremias non erat Pontifex sed de sacerdotibus minoribus.

Clericus.

Clericus. CAP. CL.

PRæterea quod Romanus pontifex hanc plenitudinem potestatis habebat, patet 1. ad Corinth. 5. c. *Nescitis quomodo angelos Dei iudicabitis, quanto magis secularia.* ergo Papa habet plenitudinem potestatis. ex quibus etiam sequitur, quod si alios habeat iudicare, nullus nisi solus Deus ipsum iudicabit, quod probatur. 9. q. 3. c. *Nemo iudicabit ipsa sedes iusticiam temperare neque ab Augusto neque ab omni clero iudicabitur ea causa & q. ca. aliorum*, dicitur *aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedis istius præsulem sine quæstione suo seruauit arbitrio ea causa. & q. ca. facta* dicitur, *facta autem subditorum iudicantur à nobis, nostra vero à Deo iudicantur.* Papa igitur iudicem superiorem non habet in terris, sed videtur iudex omnium aliorum.

Miles. CAP. CLI.

DOmine clerice, hanc rationem superius allegastis, sed quia ipsa vobis cordi est, ad eam pluribus modis respondeo. Vnde ibi non loquebatur Apostolus in persona propria, vel summi Pontificis, vel etiam clericorum, sed in persona omnium fidelium clericorum & laycorum: quia de cœtu fidelium constituendi sunt iudices, qui debeant secularia iudicare. nec Apostolus dicit prędicta verba pro prælatis tantùmodo, nec præcipue pro summo Pontifice. sed dicit ista in persona cōmunitatis fidelium. imo etiam Christus, qui constituit Petrum summum Pontificē cunctorum fidelium, non constituit eum ad dominandum, sed ad pascēdum fideles: non propter vtilitatem fideliū, nec voluit propter pericula euitanda fideles esse subiectos successoribus Petri, nisi in necessariis saluis libertatibus & iuribus non solum fidelium sed etiam infidelium, vt est dictum. insuper dicunt aliqui, Innocen. tertium errare in prædicta decretali *solita*: cum dicit, quod *intelliguntur minora subesse, quibus subdita sunt maiora*, quia hoc non est in vniuersaliter & absque omni exceptione, licet sit verū in multis. Nam episcopi regulariter sunt subiecti Archiepiscopo suo, & tamen subditi episcoporum non sunt subiecti Archiepiscopo, nisi in casibus. sæpe etiam maiora decent aliquos, quos minima nō decent, teste Gregorio. 19. *libro moralium*, nequaquam igitur ex hoc, quod Papa est iudex in spiritualibus, sequitur quod habeat regulariter secularia iudicare. Ex hoc tamen concludi potest, quod in casu, cum non est alius inferioris gradus, qui ex officio possit & velit secularia negotia iudicare, Papa potest se huiusmodi iudicio immiscere, quemadmodum vnum membrum corporis naturalis officium alterius membri ipso deficiente vel non valente actum suum exercere, si potest, assumit. Qui enim non potest pedibus ambulare, manibus reptare conatur. Et qui non potest manibus percutere, dentibus mordere molitur.

Clericus. CAP. CLII.

AMplius quod Romanus Pontifex super principes temporales habeat plenitudinem potestatis, patet. Nam in veteri testamento tam apud Iudæos quam etiam gentiles Pontificalis auctoritas præferebatur dignitati regali: & reges Pontificibus honorem detulerunt, quibus etiam subiecti fuerunt. Vnde Samuel Saulem vnxit regem, & sibi omnem quam habuit contulit potestatem: qui Dauid etiam postea reprobato Saule regem constituit. Ioiada etiam sacerdos vnxit Ioas regem. Alexander etiam Magnus reuerentiam Ioiadæ Pontifici Iudæorum exhibuit. Imperatores etiam deuoti supra alios, scilicet Constantinus, Iustinianus & Carolus Magnus deuoti & subiecti fuerunt ecclesiæ. ergo Imperator & quilibet princeps secularis est inferior Papa, & subiectus eidem.

Miles. CAP. CLIII.

AD ista potest responderi vno modo. Esto, quod in veteri lege Pontificalis auctoritas prælata fuisset etiam in temporalibus dignitati regali: non tamen esset præferenda in noua lege. quia auctoritas pontificalis in noua lege spiritualior est & magis à terrenis negotiis elongata, quam fuerit auctoritas pontificalis in veteri lege, quemadmodum lex noua magis spiritualis est quam lex vetus. Et si ex aduerso dicatur quod scripturæ veteris testamenti actus & opera euangelica imitantur, quia quæcunq; in ea scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, *ad Rom 9. c.* ergo qualiter se habuit in veteri testamento Rex ad pontificem, sic debet habere Rex in nouo testamento ad Papam. Sed certe sic allegare est inconueniens & absurdum: quia sic sequeretur, quod circumcisionem & distinctionem ciborum, & alia ceremonialia veteris legis deberet ecclesia imitari: & quod sicut sacerdotes veteris legis intendebant armis, & iudicium sanguinis exercebant ita deberet Papa in talibus occupari. Nequaquam igitur actus & opera, quæ fecerunt patres in antiquo testamento, imitari tenentur Christiani, nisi quo ad moralia, ad quæ indispensabiliter omnes homines obligantur. Cum autem dicit Apostolus, *quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam &c.* non vt ita per omnia ad litteram faciamus, sed vt per pacientiam & consolationem scripturarū spem habeamus, & illa secundum spiritualem, non carnalem intelligentiam impleamus. Secundo respondetur, quod in veteri testamento sacerdotalis gradus non præferebatur dignitati regali in temporalibus regulariter disponendis, licet prę-latus fuerit quantum ad sacrificia offerenda Deo: & ea quæ à regali præfertur, non quo ad iurisdictionem & cultum diuinum spectarent, quemadmodum in noua lege auctoritas pontificalis dignitati regali præfertur, non quo ad iurisdictionem & regimen temporale. Ista enim nequaquam negant potestatem pontificalem esse præferendam omni potestati seculari: sed dicunt, ipsam non esse præferendam in temporalibus, extra casum necessitatis quando layci potestatem sibi cōmissam stre-

Digitized by Google

nuè ac ritè & legitimè administrant. Cum vero arguitur, quod Samuel, cum esset summus sacerdos & Pontifex in Irael, Saul de communi genere regem instituit & propter delictum destituit: Reuerende clerice, caueatis ne contra sacram scripturam talia asseratis. Samuel enim non erat summus Pontifex, nec summus sacerdos in Israel: sed iudex tantummodo. imo nec sacerdos, vt colligitur in *primo libro paralipome*. Secundo quia Samuel non constituit Saul Regem tanquam pollens gradu & dignitate eminentiori, præsertim in temporalibus, quam sit dignitas regalis: sed tanquam diuino præcepto obediens. Vnde *quart. regum 9. cap.* quidam de filiis prophetarum ad mandatum Elisæi vnxit Hieu in regem Israel, & tamen nec iste, nec Elisæus Propheta maior erat, præsertim in temporalibus, dignitate regali. Ex quo, vt videtur, euidenter concluditur, quod per vnctionem inferri non potest, quod Imperator vel quicunq; Rex in nouo testamento sit inferior illo, qui vngit eum. Et consimiliter ex hoc, quod Samuel vnxit Saul in regem, inferri non potest, quod Samuel esset in temporalibus superior Saule, cũ functus fuerit officio, qui est inferior dignitate regali. nec etiã esto, quod Samuel deposuisset de mandato Dei Saulẽ, fuisset eo quantum ad publicam potestatem & iurisdictionem temporalem superior: quia nõ deposuit eum tanquã superior, sed tanquam exercens in hoc mandatum Dei, qualiter rusticus de mandato Dei posset imperatorem, imo & Papã deponere, quamuis nulla alia potestas nec in spiritualibus nec in temporalibus sibi concederetur à Deo. Item non est verum dicere, quod Samuel Saulem deposuit. Nam in *libro regum* non legitur quod Samuel deposuit Saulem, sed quod Deus eum deposuit, & quod hoc Samuel Sauli nunciauit. dicitur enim 1. *Regum*, quod dicit Samuel ad Saul: *pro eo quod abiecisti sermonem Domini abiecit te Dominus, ne regnes.* & post pauca Samuel ad Saulem: *non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus ne sis rex super Israel.* Ex quibus verbis non habetur, quod Samuel deposuerit Saulem. Et ideo ex ista depositione concludi non potest, quod Papa possit Imperatorem, vel regem, de plenitudine potestatis ad libitum deponere, nisi in casu, scilicet quando illi, ad quos spectat, nollent eum deponere, quamuis indignum, vel non possent, vel alias hoc committerent Romano Pontifici. secundum quod de Zacharia legitur, qui deposuit regem Franciæ, id est, deponentibus consensit. 15. *q. 6. c. alius*. Illud autem quod adducitur de Ioiada sacerdote, qui, vt legitur, 2. Regum. cap. 10. *fecit & vnxit Ioas regem*, non concludit, quod Ioiada fuerit superior rege, præsertim quo ad iurisdictionem temporalẽ, quia sæpe videtur in scripturis diuinis & aliis, quod aliqui fecerunt & constituerunt reges, qui tamen regibus superiores non fuerunt: imo erant subiecti ipsis regibus constitutis ab eis. Nam filii Israel cõstituerunt Ieroboam regem. 3. *Regum. 23. cap. &* 4. *Regum. 9. c.* dicitur, quod populus Iudæ constituit Zachariam regem pro patre eius. & 33. *di. c. legimus*, dixit Hieronymus, quod exercitus sibi fecit & elegit Imperatorem. Ex quibus aliisq; innumeris colligitur, quod inferiores constituunt regem, cui sunt subiecti. Quare ex hoc, quod Ioiadas vnxit Ioas, inferri non potest, quod Ioiadas fuerit quo ad iurisdictionem temporalem superior eo. Nec obstat quod dicitur de Alexãdro, qui reuerentiam fecit Ioiadæ: quia hoc fecit non tanquam superiori in temporalibus, sed quia sacerdos erat supremus: quemadmodum imperatores & reges & alii principes etiam spiritualibus sacerdotibus reuerentiam immissis exhibent genu flectendo, osculando manus eorum, quos tamẽ superiores in tẽporalibus minime recognoscunt. Vnde nonnulli mirantur, quod quicunq; literati per gentiles & ethnicos probare conantur Papam esse superiorem in temporalibus Imperatore vel rege, cum apud omnes ethnicos & gentiles imperatores & reges, qui nõ erant sacerdotes gentiliũ, semper se super sacerdotes reputarunt, præsertim quo ad ea disponenda, quæ ad cultum deorum suorũ minime pertinebant: & tamen multi eorum non modicã reuerentiam & honorem sacerdotibus exhibebant, licet quidam eorum interdum inhonorauerunt sacerdotes, sicut legitur de Pompeio, qui reuerentiã debitam templo Dei & sacerdoti non exhibuit, & ideo non immerito prosperitatẽ ex tunc non habuit consuetam. Non obstat quod allegatur de Constantino, Iustiniano & Carolo magno. Nam illud contra vos facere dignoscitur. Nam licet isti Imperatores deuoti extiterint non solum summis Pontificibus, sed etiam sacerdotibus, & clericis vniuersis, nequaquam tamen se subiectos clero & temporalibus putabant, sed pro superioribus eis se gerebant. Et de Constantino quidẽ hoc expresse videtur per illud sumptum ex gestis Syluestri Papæ, quod ponitur in decret. *di. 96. c. Constantinus*, vbi plures donationes fecit ecclesiæ Romanæ, quas frustra fecisset, si prius domina fuisset in tẽporalibus. Insuper quod de Iustiniano inducitis, mirandum videtur, domine clerice, & forsan leges Iustiniani ignoratis, cum nullus fuerit Imperator Christianus nec ante Iustinianum, nec post, qui tam magnã potestatem super reges & personas Papæ & clericorum, etiam super illa quæ Papa vendicat siue ex collatione siue ex resignatione Constantini tribuerit, sicut Iustinianus in legibus ab eo editis. statuit enim & iussit & præcepit in suis legibus plura circa personas & bona clericorum & circa ecclesias & bona mobilia & immobilia earundẽ. *C. de sacrosanct. eccles.* per totum, *de epi. & cle.* per totum. & in *auctenti. de sanctis. epi.* per totum. In *auctentica de electi.* per totum, & pluribus aliis locis innumerabilibus. Ex quibus patet, quod superiorem se putabat in temporalibus, etiam spectantibus ad ecclesias & personas ecclesiasticas. Nam ad solum superiorem spectat legem condere. *Institu. de iure na. gen. & ciui. §. sed quod principi.* Non obstat etiam quod de Carolo magno subditur. quia non legitur quod se reputauit inferiorem in temporalibus supremo Pontifice. Cuius signum est, quod reges Franciæ qui dicunt se successores ipsius, superiorem in temporalibus minime recognoscunt, *extra qui filii sint legitimi. c. per venerabilẽ*. Nec obstat *c. in memoriam* 19. *di.* quod est eiusdem Caroli. Ex quibus verbis, vt videtur, habetur quod idẽ Carolus inferiorem se summo Pontifice reputauit. Nõ

enim

Digitized by Google

enim arbitratus est Carolus quod apostolica sedes poterat sibi regulariter aliquod magnum in temporalibus imponere, sed in spiritualibus, quod in *eodem c.* insinuare videtur, cum præmittit: *in memoriam Petri apostoli beati honoremus sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debet & magistra rationis.* Ex quibus verbis videtur, quod in spiritualibus apostolica sedes est mater & magistra ex præalleg. per vos nullo modo concluditur, quod Papa sit superior in temporalibus, quamuis enim Christus nō solum sacerdos, sed etiam rex supremus, habens in temporalibus plenitudinē potestatis, non tamen sequitur, quod talem iurisdictionem suam quam Christus habebat in terris, in suum vicarium trāstulerit. raro enim aut nunquam aliquis suam iurisdictionem totam suo vicario cōmiserit imo de nonnullis apparet quod semper de necessitate vicarius minor est potestate, qnam ipse cuius est vicarius. Vnde propter hanc intentionem plenius astruendam oportet nos non latere, quod ex hac inquisitione non quæritur quid Christus, qui verus Deus & verus homo, habuit & habeat in hoc seculo potestatis & auctoritatis: & quid aut quantū horum conferre potuerit beato Petro ac reliquis apostolis & eorū successoribus episcopis & presbyteris: quoniā de hiis non dubitant Christiani fideles: sed volumus & debemus inquirere, quā potestatē & auctoritatē excercendā in hoc seculo Christus eisdem contulit de facto, & à qua eos excluserit & prohibuit consilio vel precepto. Eos autem talem potestatē & auctoritatem à Christo tenemur credere, qualem per verba scripturæ sibi traditā elicere possumus, non aliam. Certum est enim omnibus Christi fidelibus, quod Christus, qui verus Deus & verus homo, potuit nedum apostolis verum etiam quibuscunq; aliis auctoritatem seu iurisdictionem coactiuā in hoc seculo super omnes mundi principes seu principatus & singulares personas habentibus, & ampliorem fortasse, vt creandi entia, destruendi atque reparandi cælum & terram, & quæ in eis sunt, & etiam angelis simpliciter imperandi, quod tamen Christus eis non contulit, nec conferre decreuit. Vnde Augustinus in sermone de verbis domini super Matth. sic inquit; *Discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde.* Ideo me secundum præsentem intentionem ostendere sufficit, quod Christus ipse non venit in mundum dominari hominibus, nec ipsis principari temporaliter, sed magis subiici secundum statum huius seculi: quin imo quod à tali iudicio seu principatu secundum propositum excludere voluit & excludit seipsum & apostolos ac discipulos, consequenter Romanos Pontifices & ceteros episcopos ab omni principatu seu mundano iudicio exclusit, exemplo, consilio & præcepto Christus, quod secundum quod sæpius fuit allegatum coram Pilato dixit; *regnum meum non est de hoc mundo,* i. regnare non veni regimine temporali, quomodo regnant mundani principes seu iudices. subdens, *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent vtique, ne traderer Iudæis.* Ac sic argueret Christus: Si venissem regnare mundano iudicio seu coactiuo, haberem ministros huius decertatores, quemadmodum ceteri reges habent. Sed tales non habeo. quasi diceret apertius: Audite Iudæi & gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quid vultis amplius? venite credendo ad regnum, quod non est de hoc mundo. Quid enim est regnum eius, nisi credētes in eum? Ecce de quo regno docere atq; disponere venit, quoniam de actibus, quibus peruenitur ad regnum æternum.

Clericus. CAP. CLIV.

RVrsum sicut anima habet plenitudinem potestatis à corpore, & vtitur corpore tanquam instrumento, sic potestas spiritualis habet plenitudinem potestatis super principibus & potestatibus temporalibus, & vtitur eis tanquam instrumentis.

Miles. CAP. CLV.

QVamuis, quantum ad multa, sicut anima se habet ad corpus, sic spiritualia habent se ad temporalia, sed non quantum ad omnia: quia sicut anima est nobilior corpore, ita spiritualia tēporalibus sunt nobiliora & digniora. Et sicut anima quantum ad multa regit corpus, ita temporalia in multis sunt secundum exigentiam spiritualium disponenda. sed anima rationalis nō habet plenissimam potestatem super corpus, quia quam plures operationes habet corpus, quæ non sunt in potestate animæ rationalis. Ita habens potestatem in spiritualibus, non habet plenissimam potestatem in temporalibus. Et ideo in Papa, qui habet supremā potestatem in spiritualibus, non cadit nec cadere debet suprema potestas laycalis, licet dignior sit illo, in quem cadit suprema potestas laycalis.

Clericus. CAP. CLVI.

RVrsus in eum, qui omnibus secularibus legibus est solutus, & cuius leges non dignantur quascunque leges laycorum seu secularium imitari, cadit quo ad rem potestas laycalis suprema. Papa autem legibus quibuscunque positiuis est solutus: eius leges imitari minime dedignantur, ergo suprema potestas laicalis cadit in Papam.

Miles. CAP. CLVII.

PApa non est solutus nisi quadam exceptione quibuscunque legibus mere positiuis à supremis pontificibus institutis: quia par in parem non habet imperium nec minor in maiorem. Solutus est etiam legibus quorumcunq; generalium conciliorum ac Imperatorum, regum ac aliorū quorumcunq;, quę conditæ essent super his, quę ad propria iura & libertates aliorū. quęcunq; enim statuta essent à conciliis generalibus & aliis quibuscunque super hiis, quæ in spiritualibus de necessitate facienda sunt pro regenda congregatione fidelium: Papa est solutus talibus legibus mere positiuis, quia non tenetur eas seruare, & posset abrogare & adnullare. Papa enim est maior consilio

Digitized by Google

generali legibus autem institutis, quæ iura & libertates ac res respiciunt aliorum, non est Papa solutus. Nam dummodo de se non sint iniquæ, Papa eas abrogare non potest. Si enim Imperator aut Rex aut aliquis iura vel res proprias tribuit Papæ certas leges & pacta rationabilia imponendo: si propter res illas vel iura voluit recipere dictas leges & pacta, tenetur obseruare, *extra. de condi. ap. cap. verum.*

Clericus. CAP. CLXXVIII.

ITem iste, cui oportet vniuersitatem fidelium spiritualium ac secularium absque omni exceptione in omnibus obedire, fungitur suprema potestate laicali quo ad rem Papæ autē oportet vniuersitatem fidelium spiritualium atque secularium absque omni exceptione in omnibus obedire, prout ex sacris canonibus colligitur. 12. *di. cap. quod Apostolicis.* 19. *di. c. cum memoriam.* ergo &c.

Miles. CAP. CLXXIX.

REspondeo, quod non est necessarium vniuersitatem fidelium sine omni exceptione obedire sibi in hiis, quæ necessaria sunt in congregatione fidelium saluis iuribus & libertatibus aliorum. Et si quæratur, quis habet iudicare, quæ necessaria sunt regimini fidelium? Respondeo, quod hoc iudicare per simplicem notitiam vel doctrinam spectat ad sapientes in lege diuina peritos, & in humanis scientiis excellentes, & rationis iudicio eminentes, quicunque fuerint, siue subditi, siue prælati, siue seculares, siue religiosi, siue magistri, siue pauperes, siue diuites & potentes. Hoc autem auctoritatiue & iudicialiter spectat principaliter ad Romanum Pontificem de consilio sapienpientum, qui si iudicando errauerit, sapientes, immo quicunq; ipsum errare cognouerint, resistere obligantur pro loco & tempore & aliis circumstantiis debitis obseruatis. Et hoc licet vnicuique pro gradu suo & statu suo: quia aliter debent ei resistere eruditi aliter prælati, aliter reges, aliter principes, & aliter simplices & temporali potentia destituti.

Clericus. CAP. CLXXX.

ITem, in illum cadit potestas laycalis suprema, de cuius iudicio aut facto nulli penitus est licitum iudicare vel ab eo appellare. 9. *q.* 3. *c. cuncta per mundum & c. sancta.* quod est dicendum de Papa. ergo cadit potestas laycalis suprema, ad quam omnes appellant. 9. *q.* 6. *c. ad Romanam*, & nullus ab ea appellat.

Miles. CAP. CLXXXI.

IN casu est licitum & de iudicio summi Pontificis iudicare, & ab eo etiam appellare. quod probatur sic: licet in casu iudicare de persona Papæ, ergo & de iudicio eius. antecedens patet per decretum Papæ Bonifacii. 40. *q.* 5. *c. si Papa.* in tribus enim casibus tenetur Papa humanum subire iudicium secundum quosdam. primo in casu hæresis, sicut dicit *prælleg. cap.* Sed refert, an sit in veritate hæreticus, vel an sit de hæresi solummodo accusatus. Si enim est in veritate hæreticus, ipso facto & iure scilicet tam diuino quam humano, est Papatu priuatus & omni dignitate ecclesiastica destitutus. quod sit iure diuino Papatu priuatus, sic probatur: quia ille, qui non est de corpore ecclesiæ, non est verum caput ecclesiæ: nullus ergo hæreticus est verum caput ecclesiæ. Et si quæreret aliquis, coram quo iudice possit vel debeat Papa de hæresi conuinci vel accusari? dicunt quidam, quod Papa coram Diocesano suo, in cuius diocæsi commoratur, debet de hæresi conuinci: quia Papæ hæretico nullum priuilegium est concessum, & reatus omnem honorem excludit. *in l. C. vbi se. vel clarissimi* Et ratione delicti sortitur quis forum. *cap.* 1. *de rap.* Si autem Episcopus, in cuius Diocesi hoc noluerit vel nequiuerit, hoc spectat ad alios coepiscopos Zelo fidei accesos, vt habetur. 21. *di. cap. nunc autem.* Si autem Episcopi vel noluerint vel nequiuerint Papam hæreticum iudicare, hoc spectat ad Imperatorem vel regem. Nam vt notauit *gl.* 17. *d. c. nec licuit vbicunque deficit potestas ecclesiastica, recurrendum est ad secularem.* Et sicut notat glosa. 2. *q.* 6. *c. præsul*: *Non requiruntur tot testes contra Papam quod requiruntur contra Episcopos & cardinales ratione eccellentiæ.* imo duo sufficiunt: & in hoc est deterioris conditionis, quam sint inferiores prælati. Et est ratio, quia ipse sine comparatione aliorum creatus est. Et ideo sine spe veniæ condemnandus, vt Diabolus, *de pœn. di.* 2. *cap. principium*, sic in causa hæresis Papa magnitudinem periculi, quod emineret vniuersali ecclesiæ, si Papa efficeretur hæreticus, vtpote qui propter auctoritatem & potestatem alios putatur excellere, plurimos ad suam hæresim & nequitiam trahere valeat: rationabile est vt propter hoc deterioris cōditionis omnibus aliis hoc casu existat. Secundo tenetur Papa humanum subire iudicium, quandocunque crimen eius quodcunque est notorium & scandalizetur ecclesia & ipse est incorrigibilis. Et tunc propter reuerentiam officii, quo fungitur, non est ipso facto priuatus, sed monendus. quod si non audierit, dicendum est ecclesiæ, id est, congregationi cardinalium, qui possunt facilius conuenire ad iudicandum. quod si ecclesia noluerit iudicare, ad principem temporalem catholicum cōgnitio deuoluitur. Tertio, vt dicunt quidam, tenetur Papa humanum subire iudicium, si res aut iura aliorum inuadit aut detinet minus iuste. Et si quæratur ab eis, coram quo hoc casu respondere tenetur? Respondent, quod tunc teneatur se submittere alicuius iudicio neutri parti suspecto: aut eligere arbitros de voluntate alterius partis, qui inter eos potestatem habeant iudicandi. Concludunt ergo isti ex præmissis, quod ex quo Papa in tribus casibus supradictis tenetur humanum subire iudicium:

Digitized by Google

iudicium: in eisdem casibus, quibus tenetur humanum subire iudicium, licitum est vnicuiq; ab eo appellare in iudicio, vel extra ad iudicium prouocare. Nam pro oppressis vel verisimiliter opprimi metuentibus adinuenta est appellatio, quæ est super iure naturali fundata. nam est quædã defensio, quę cuilibet de iure naturali est permissa. Dicunt igitur isti quod si Papa factus hæreticus gerat se pro Papa, ab omni sententia, quã tulit in quacunq; causa ab omni grauamine quod intulerit vel cõminatus fuerit, licet omni homini appellare cuius interest; nõ tanquã à iudice, sed tanquã à non iudice, nullam habente ecclesiasticam potestatem: quia omnis hęreticus quantumcunque occultus est omni ecclesiastica potestate priuatus, eodem iure dignitate seculari si quam haberet. quia ecclesiasticam dignitatem nemo potest habere, nisi saltem de numero sit congregationis fidelium: secularem dignitatem etiam supremam infidelis posset habere, sic vt de facto vere habuit tempore Christi & Apostolorum, vt alias in prioribus fuit dictum. Et hinc est quod à Papa hæretico, licet grauato appellare. Sed Imperator vel Rex alius efficiatur hæreticus, non licet iure diuino ab eo appellare tanquam à non iudice seculari: licet secundum quosdam hoc liceat iure humano vel canonico. patet ergo, quod licet singulariter sit licitum de persona Papæ & de eius iudicio iudicare, nec ab ipso appellare, casualiter tamẽ hoc potest. ad omnes autem canones, qui in contrarium possent adduci, vel de factis eius non est iudicandum vel ab eo appellandum: verum est regulariter, sed casualiter sic: licet cuilibet iudicare de manifestis eius criminibus non quidem iudicialem sententiam proferendo, sed ipsa cordialiter detestando, & ipsa nullatenus excusando, & multominus illicite defferendo. Ad hoc posset allegari Bern. *extra de regulis iuris. c. estote.* & Hieronimus 11. *q.* 3. *c. si quis dixerit.*

Clericus. CAP. CLXXXII.

AMplius videtur indubitanter tenendum quod omne regimen & imperium sit à Papa, & taliter quod de plenitudine potestatis possit, quandocunque placuerit, Imperatorem seu regem instituere, & etiam pro libito voluntatis destituere, vt placet, absque causa, & etiam sine culpa, & eidem alium subrogare, & sibiipsi Imperium retinere siue regnum. aliter non haberet plenitudinem potestatis, sed haberet potestatem per iura alia quam diuina limitatam. tamen hanc opinionem non assero neceam firmiter asserere catholicum reputatem. Dico igitur aliter quod omne regnum & Imperium est à Papa propter hoc, quia Papa habet quandam aliam plenitudinem potestatis, non tamẽ sine exceptione eorũ, quæ nõ sunt prohibita. Non enim potest omnia, quæ nõ sunt prohibita sine exceptione, neq; per ius diuinum neq; per ius naturale nec enim potest aliquem priuare iure suo sine culpa, nisi subsit causa. licet tamen reges & principes ita iuste regna & principatus habentes absq; culpa, nisi subsit causa, nequaquã possit regnis suis atq;, principatibus priuare de plenitudine potestatis suæ tamen si esset aliquis, qui regem, principem aut caput in temporalibus non haberet, cum non solum expediens, sed etiam necessarium sit cuilibet populo etiam in temporalibus habere caput, à quo in necessitate regatur, posset Papa de plenitudine potestatis absq; nominatione, electione, vel consensu eorum ipsis caput præfigere minorem vel maiorem dignitatem vel potestatem tribuendo eidem. Et ex ista plenitudine potestatis habet Papa potestatem super Imperatorem vel regem: sed nõ posset sine culpa, nisi subsit causa necessaria, priuare Imperio, nec posset ad libitum suum Imperium vel regnum transferre de gente in gentem: sed pro culpa vel ex causa potest Imperatorẽ vel regem quibuscunq; aliis minime requisitis deponere, si hoc sit necessariũ vtilitati cõmuni & non solũ expediens, potest de plenitudine potestatis de gente in gentem, vel de domo in domum, aut de persona in personam transferre Imperium siue regnũ: sed etiam ex causa aliqua euidenti, si necessaria fuerit bono communi, vt nullus ad regimen vel Imperium eligatur, potest ordinare & præcipere, vt quamdiu necessarium fuerit huius electio differatur. & isto modo Imperium vel regnum est Papæ, nõ quia Papa super ipsum habeat plenitudinẽ illam, de qua dictum est superius, & sæpius, per quã scilicet possit eum deponere sine caussa. Et secundum hoc dico, quod Papa potest corrigere Imperatorẽ vel regem, quandocunq; corrigendus; & omnia facere circa tẽporalia, quæcunq; sunt necessaria bono cõmuni, licet non possit aliquem priuare suo iure sine culpa, nisi subsit causa. Et secundũ hoc Papa nullam habet potestatẽ à Christo, nisi saluis non solum iuribus, sed etiam libertatibus aliorũ. Et ideò Papa non potest ea, etiam quę necessaria sunt cõmuni vtilitati, in tẽporalibus, quandiu sunt Domini tẽporales, qui ipsa possunt & volunt vtiliter expedire. Insuper si esset aliquis Imperator vel Rex corrigendus, aut etiã deponendus propter defectum vel crimen, qui vel quod ad pura spiritualia minime pertinent: Papa auctoritate sibi concessa è Christo se intromittere non deberet, nisi propter impotentiam, vel malitiam vel negligentiam laycorum. Papa enim totaliter debet circa spiritualia vacare, & non circa temporalia, quamdiu inueniuntur layci, qui ea possint iure & legitime expedire. Hic tamen aduertendum, quod si imperium vel omne regnum iure diuino sit à Papa, secundũ quod est dictum, quia non debet negari, si negaretur; tamen hoc non potest negari, quin iure humano, scilicet ex voluntaria concessione Romanorum, imperium sit à Papa, qui omnem potestatem, quam habuerunt super imperium, Romano Pontifici concesserunt, vel ex præscriptione legitima, quam summus Pontifex ius & potestatem seu Imperium acquisiuit. Et hinc est, quod licet iure diuino papa non maiorem potestatem habeat super imperium, quam super regna quæcunque tamen iure humano maiorem obtinet potestatem. Et licet supra dictum sit quod omnis humana creatura

Digitized by Google

subsit Papæ & omni potestati spirituali, non tamen sequitur, quod habeat dominium omnium rerũ temporalium. Ad cuius declarationem sciendum est, quod duplex est dominium. Est enim quoddam dominium iure diuino, aliud iure humano. 8. *di. c. quo iure dominium*. diuinum est illud, quod est apud Deum supra omnem creaturam, ipse enim Deus creator est omnium vniuersorum. qui enim manet in æternum, creauit omnia simul. Item Gen. 1. c. *In principio creauit Deus cælum & terram*. Isto iure diuino *domini est terra & plenitudo eius*, vt in Psalmo, *extra de deci. c. tua nobis*. Istud dominium est verum dominium simplex & absolutum, & vnus est dominus omnium creaturarum Deus. Et ideo proprie loquendo omnes creaturæ, proprietates, res & possessiones, & bona alia, in nullius bonis sunt vere, absolute & proprie, nisi solius Dei. Aliud est dominium, quod secundum legistas vocatur *legale dominium*. & ita notauit Accursius *ff. de verbor. signif. l. recte*. secundum vero canonistas vocatur *humanum*, vt in dicto. *c. quo iure*. De isto legali vel humano dominio dicit Compostellanus, in *c. quæ in ecclesiarum, de constitutio.* quod à iure gentium descendunt dominia: sed per leges principum distinguntur modi, per quos rerum dominia acquiruntur. *ff. de acquir. rerum dominio* per totum. mihi autẽ videtur, quod dominium verum legale vel humanum fuit à Deo collatum humanæ creaturæ: & nõ fuit ab initio introductum iure gentium vel ciuili. Nam Deus omnia, quæ creauit, fecit propter rationalem creaturam, & omnia subiecit humanæ creaturæ *Gen. 2. c.* Et sic reseruato sibi vniuersali & vero dominio omnium creaturarum, huius dominii vtilitatẽ concessit ab initio quo ad vsum: quod videtur intelligere Accur. *C. de iure doti. l. in rebus*, super verbo *naturali*: vbi dicit, quod iure primæuo non distinguebãtur dominia, nisi quantum ad vsum: iure gentium vsibus priorum parentum introductum fuit, quod terræ diuiderentur & appropriarentur, vt vnusquisq; quod suum erat sciret. Vnde lex dicit, quod iure gentium dominia sunt distincta: non dicit, introducta, vt *l. ex hoc iure. ff. de iustitia & iure.* Cum ergo iure gentium diuidebantur dominia, sequitur quod ante fuerant cõmunia. *ff. communi. diuid. l.* 4. circa principiũ. Vnde ex concessione diuina creatur quoddã dominium legale vel humanum, quod respectu veri dominii non dicitur dominium, sed in se consideratum verum dicitur. Istud verum dominium legale vel humanum, prout erat in communi, non debet dici iure gen. sed diuini: prout vero cuilibet appropriatur vel acquiritur hoc dominium sic consideratum, est iure gentium: & tale dominium non est apud populum tantum, sed apud omnes qui iuste acquirunt. Ex quo semel acquisitum est, non licet cuiq; principi ecclesiastico vel seculari acquirẽti auferre vel occupare sine iusta causa, quia esset contra ius naturale diuinum, quo vnicuiq; dictum est: *Ne facias alteri quod tibi non vis fieri*, vt in principio *decretorum*. Et dominus dicit in Euangelio: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. 9. q. 3. c. nullus.* Facit ad hoc. *C. de cohar. l. si quis. libro* 11. Et hoc intelligo sine causa: quia ex iusta causa posset aliquis priuari ab homine, vel à iure tali dominio. *ff. de reli. & sumpt. fune. l. si quis sepulchrum. & C. de bonis damna.* quasi per totum. Item est notandum, quod nonnulli dixerunt, quod suprema potestas laycalis proprietatẽ sibi proprie propriam nõ habet immediate à Deo, quia habet propriam à Deo mediante populi potestate. Et hoc idem dicunt de quolibet principe temporali. Hic tamen ponderandum est, aliquam potestatem esse immediate à Deo tripliciter posse intelligi. vno modo, vt detur à Deo solo absque donatione vel ministerio creaturæ quemadmodum Moyses habuit ducatũ immediatè à Deo, & filii Israel proprietatem terrę promissionis, & Petrus summũ sacerdotium, & 12 apostoli apostolatũ. Secundo modo potest esse immediate à Deo, quia à solo Deo datur non tamen absq; ministerio hominis. per quẽ modũ summus pontifex quilibet post Petrum potestatẽ & pontificium habet à Deo immediate, quia quãuis non habeat potestatem illam absq; electione legitima, electores tamen illi sibi potestatem non tribuunt, sed solus Deus. sic qui baptizatur, gratiam accipit à solo Deo, non tamen sine ministerio baptizantis, & tamen baptizans non creat gratiam illam. Sic plebanus habet ecclesiam suam à solo Episcopo, & tamen nõ sine præsentatione patroni. Tertio modo intelligitur aliquis habere proprietatem proprie propriam à solo Deo, quia licet eam à principio habuerit ex concessione vel donatione aut resignatione alicuius. tamen postquam sibi data vel resignata est, à solo Deo dependet ita quod solus Deus quantum ad huiusmodi potestatem vel proprietatem est eo superior. sic secundum quosdam papa dicitur habere dominium seu proprietatem rerum temporaliũ, nec concessę sunt à fidelibus Romano pontifici immediatè à solo Deo: quia licet primo à Deo receperit ex largitate fidelium tamen postquam eas nullus alius quidquam iuris habet in eis nisi solus Deus ita quod prædia & ciuitates & res alias, quas sibi dederunt fideles, non ab homine sed à solo Deo tenet, ita vt superiorem in temporalibus istis post Deum non recognoscat. sic etiam quando erat solus Noe cum filiis & vxoribus, res quas tunc habebat siue iure hæreditario siue emptione vel donatione aliorum aut quovis alio modo, à solo Deo tenebat: nec in huiusmodi temporalibus tunc superiorem habebat, licet habuisset ante diluuium in huiusmodi superiorem, regem scilicet aut alium dominum principalẽ, quo fuisset inferior. illorum ergo, qui tenent hanc opinionẽ, imperium esse à papa, quidã sunt, qui dicunt, quòd imperiũ seu regnum est in aliis, quæ postea Imperator seu rex habet proprietatẽ proprie propriã in bonis, quę habuit antequã obtineret imperiũ seu regnum, & in aliis quæ postea per se & sibi nõ dignitati acquireret. proprissime accipiẽdo proprietatẽ suprema potestas laycalis nullã proprietatẽ habet. quare de proprietate strictissime sumpta potest eã habẽs facere quod vult. *1. q. 1. c. eos. Insti. de rer. diui. §. per traditionẽ.* & quicquid fecerit de ea, ipsã sibene vel male exponẽdo vel legãdo, vel quomodolibet alienando, quãvis cũ graui peccato talis facere valeat, tamẽ ad restitutionẽ nõ tenetur, sed sufficit quòd aliis modis Deo satisfaciat de peccato. hoc autẽ Imperator vel Rex, quæ supremam potestatẽ obtinet de

iuribus

iuribus & rebus Imperii seu regii nequaquam facere potest: quia si dissipauerit ea, & non expenderit ea ad vtilitatem Imperii vel regni, & communis vtilitatis, ipsa restituere de bonis propriis obligatur. Et ideo secundum istos potestas suprema laycalis, sicut nec potestas suprema spiritualis, nec mediate vel immediate à Deo vel ab alio habet potestatem. sibi propriam. cuius ratio assignatur, quia potestas suprema laycalis est principatus regalis secundum perfectissimum modum principatus, & habet hoc principaliter vt instituatur propter commune bonum subditorum, & non propter bonum proprium principantis, vt videtur dicere Aristoteles *octauo Ethicorum*. quare non potest ea expendere, nisi pro communi vtilitate subiectorum. Et si aliter expenderit, ad restitutionem tenetur. Nam qui bona concessa ab aliquibus ad certos vsus in alios contra voluntatem concedentium consumpserit, restituere eadem, si potest, astringitur. Alia est opinio, quod suprema potestas laycalis. habet aliquam proprietatem. nam constitutus in suprema potestate eadem illis bonis abundare debet, quibus actus virtutum politicarum valeat exercere. inter autem virtutes politicas necessarium est in potestate laycali constituto vt liberalitatem exerceat. Nam, vt dicit Aristoteles octauo Ethicorum, *principatus & potentatus possidentibus necessarii sunt amici*: quia, vt dicit ibidē, *bona fortuna quanto maior tanto minus secura*. Nam, vt habetur *extra. de accu. ca. qualiter & quando*. Et quemadmodum ecclesiastici odium multorum incurrunt & insidias patiuntur, sic etiam reges & principes, qui interdum iudicium sanguinis habent in potentes & diuites exercere, multas eis libenter parant insidias, quia pro sua defensione & potestate in malos intrepide exercenda summe indigere noscuntur amicis. Amici autem maxime acquiruntur & conseruantur per munificentiam & liberalitatē, teste Salomone, qui Prou. 19. c. ait, *multi colunt personam potentis & amici sunt dona tribuentes*. Et iterū ibidem, *diuitiæ adducunt amicos plurimos*. ergo actus virtutis liberalitatis est necessarius constitutis in suprema potestate laycali: quia cum potestas laycalis suprema debeat esse sibiipsi & fungenti sufficiens tātis bonis abundare, vt præeminens in ea actum liberalitatis valeat exercere, cuius actus scilicet dare posse spectat ad proprietatem habentem. Quare suprema potestas proprietatem strictissime accepto vocabulo debet habere.

Miles. CAP. CLXIII.

PLurima vix pedem figendo tetigistis, sed plura per vos tacta intermittēdo. Dico, quod nec Imperator nec Rex habet proprietatem proprie propriā ab homine. ergo habet eam à Deo solo. consequentia manifesta videtur. Antecedens probatur. nā si haberet eam ab homine, vel haberet eam ab electoribus, aut à coronatore, aut confirmatore. non ab electoribus, quia generaliter electores non dant præcise ius electo. Nam electus indiget ab homine confirmari. *ca. venerabilem de elect.* sicut nec electores dant sibi potestatem, sed faciunt eum capacem recipiendi hāc dignitatem immediate à Deo, neq; proprietatem. ergo neq; dignitatē recipit Imperator ab electoribus. Nec habet eam à coronatore, quia coronator, quando non est confirmator, non dat coronato proprietatem alicuius rei tēporalis, sicut nec consecrator dat consecrato aliquā proprietatē vel etiam administrationē alicuius rei tēporalis seu spiritualis. ergo Imperator à coronatore, qui nō est cōfirmator nullā recipit ꝓprietatē, nec habet eam à confirmatore, quia cōfirmatione nō indiget. Et discurrat canonista per totū corpus iuris canonici, & nunquam reperiet decretum seu decretalem, quod vel quæ dicat, quod Papa Imperatorem seu regem confirmet, sed bene dicunt quod eum examinat & approbat: sed nunquā vtitur verbo *confirmationis*. verum de duplici dominio in prioribus per vos facta est mentio: verum est, quod duplex est dominium, scilicet diuinum & humanū. diuinum dominium est ius plenū possidendi mundum, ac mediante possessione libere vtendi omnibus contentis in ipso. dominiū humanum seu dominium Adæ fuit rationalis mortalis creaturæ ius seu auctoritas originalis possidendi naturaliter res sibi à natura subiectas, & eis plene vtendi, siue eas licite pro libito voluntatis disponendi per quod intellige dictarum rerum consumtionem, locationem, commodationem, depositionem, pignorationem, venditionem, defensionem, multiplicationem, & similia. dixi *rationalis creaturæ*: quia dominium soli rationali creaturæ competit, *dominium* enim dicitur à *domo*. & à domo *dominus* deriuatur, eo quod præsit domui & domum gubernat seu regit. quod irrationabili creaturæ competere non potest, licet aliqualis assumptio rerum pro sustentatione suæ naturæ illi conueniat: nec etiam angelis bonis seu malis, quia non habent corpora, quæ pro sua necessitate talibus indigeant. auctoritas ergo siue ius soli conuenit rationali creaturæ: potestas siue facultas irrationabili competit. Et est hic attendendum, quod (sicut supra monstratum est) à principio creationis humanæ nō fuit principatus terrestris vsq; ad tempora Noe: sed Deus immediate puniebat, vt patet in Cain & Lamech, & similibus: nec fuerunt leges, sed solum dictamine rationis quilibet gubernabatur, & erat regulariter inclinatio cuiuslibet in bonum propter bonitatem & rectitudinem humanæ creaturæ, transcursu temporū fuit deprauata humana natura, & viribus corporeis minorata. Et tunc fuit opus legibus, & datæ fuerunt per Moysen. Et post temporum cursus ampliata hominū prauitate emanarūt leges positiuæ ciuiles & canonicæ. Hæc autē supponunt immutabilitatē totius cōditionis humanæ, & in statum deteriorem corporeū & animalē. quod patet primo ex legum dispositione, quarum tūc nō erat opus. post successiue multipliciter quotidie promulgatur nec sufficiūt, vt refrenentur prauitas humana, vt patet in *procemio decretaliū*. hoc etiā patet ex scriptura diuina. Nā antiquitus erāt homines lōgioris vitę & robustiores, vt gygātes, vnde Solinus de mirabilibus mūdi ait: *Corrupta nāq; successiue nostri tēporis per nascentium detrimenta* &c. Itē mūdus senescit & corrumpitur continue. Et propterea scribitur *primo Meteo.* vbi nunc est aridum, olim fuit mare, & è contra. Item vnū quodq; debi-

Digitized by Google

litatur secundum quod plus distat à suo principio, vt scribitur in *libro de causis*. Sed natura humana hodierna multum distat à suo principio etiam secundum veritatem & fidem, quæ ponit mundi creationem. multum enim distat ab Adam & ab initio creationis. Et propterea scribunt medici, quod Elleborus albus tempore isto est intollerabilis, & sic venenum propter debilitatem naturæ. Item *secundo de historiis animalium* dicitur, quod animalia paucos dentes habentia sunt breuioris vitæ. Vnde homines antiquitus solebant habere 32. dentes, alii vero 28. hodiernis diebus adhuc pauciores. ergo natura humana minorata est, attenta corporis complexione. Nam Mathusalem vixit nongentis & 30 annis, qui nunquam tamen propter breuitatem vitæ voluit domum construere. Noe nongẽcentum annis. Quod potest etiam persuaderi. nam cum natura humana non possit perpetuari in se ipsa, incerta est solicitudo diuina dans ei virtutem generatiuam, vt seruaretur in spem quod nō posset seruari indiuidualiter, vt scribitur in 3. *libro de anima*. Et ideo Deus, cuius est quodam ordine cuncta disponere, vt scribitur. 2. *de anima*. 12. *Metaphys.* naturam sic produxit humanam, vt debilitando procedens finiatur, vt tandem vita corporali relicta, quæ est corruptibilis & accidentalis, post cum eo fruatur vita æterna, quæ est per se & nullo extrinseco egens adminiculo. Ex quibus satis patet, quod potestas maxime ecclesiastica, quæ est spiritualis, non debet dominia in temporalibus appetere, sed circa ea, quæ spectant ad vitam æternam, totis viribus se deberet applicare, cum ista temporalia sint transitoria, vita autem illa manet in æternum. Amplius nec debent se de depositione imperatorum seu regum temporalium intromittere, prout in prioribus plenius fuit dictum, quantumcunq; rex vel imperator sit dignus depositione propter defectum quemcunq; vel crimen, quod non est inter spiritualia crimina computandum. Et ideo si imperator vel rex committit crimen dilapidationis vel destructionis imperii seu regni, aut damnabilis negligentiæ imperii vel regni, vel tyrannidis, seu quodcunq; aliud, propter quod non inmerito deponi meruerit, Papa non deberet eum deponere, sed populus, à quo suam recipit potestatem tacite vel expresse, nisi illi ad quos spectat nollent aut nō possent facere iustitiæ complementum. Nec obstat *c. alius*. 15. *q*. 3. quia Gallici dubii forsitan de propria potestate Papam tanquam sapientem duxerũt consulendum. Nondum tunc temporis vigebat studium Parisius, nec Francia tot prudentibus prout nunc est adhuc erat repleta. Sed forte diceret aliquis, quod Innocen. tertius deposuit Othonẽ quartum ab imperio, & Innocen. quartus deposuit Fredericũ imperatorem. Ad hoc quidem dicunt, quod Innocen. tertius & Innocen. quartus illas depositiones fecerunt auctoritate Romanorum, ad quos spectat correctio imperatoris Alii dicunt, quod specialiter Innocent. quartus deposuit Fredericum auctoritate consilii generalis, quia in casu hæresis specialiter habet super omnes Christianos potestatem. Alii dicunt, quod vterque male processit vsurpando sibi potestatem, quam non habuit, secundum quod sæpe faciunt Romani Pontifices, vt notauit glo. *extra de foro compe. c. si quis*, dicens in hæc verba: *Papa, siue sint negligentes* (layci) *siue non, quotidie concedit litteras clericis contra laycos super quacunque quæstione: & ita vsurpat iurisdictionem aliorum*. propter quam vsurpationem dicunt ordinem Christianitatis esse confusum, quia omnis ordo iurisdictionis confunditur, si vnicuiq; iurisdictio sua illæsa non seruetur, secundum quod testantur canonicæ sanctiones. 11. *q*. 1. *c peruenit*. Et ex ista vsurpatione populorum strages, vastationes ciuitatũ, regionum & terrarum, & aliæ desolationes innumerabiles solent cõtingere, prout diebus nostris in Italia docet experientia satis abhorrenda. fatentur tamẽ, quod papa potest transferre imperium vel regnum de gente in gentem casualiter, vt quia non est alius superior, vel aliter: aut imperium vel regnum est transferendum de gente in gentem propter aliquod crimen spirituale gentis, puta si gens illa inficiatur hæretica prauitate, vel ad legem Iudæorum, vel ritum gentilium, vel sectam aliam conuerteretur, vel propter aliud simile: vel propter crimẽ seculare, vt propter negligentiam aut defectũ alium, propter quod etiam iudicio sapientum gentilium vel Christianorũ gens illa non esset digna aliàs gubernare. si transferendum esset imperium vel regnum propter crimen spirituale: dicunt quidem, quod Papa potest iure diuino transferre imperium siue regnũ, quia ipse in spiritualibus & annexis eis habet plenitudinem potestatis, quantum ad ea quę sunt de necessitate facieda. Alii dicunt, quòd papa in hoc casu non potest transferre imperium siue regnum, nisi layci fuerint damnabiliter negligentes, vel fauentes genti à qua necesse est transferri imperium vel regnum. sed in hoc casu spectat ad papam de crimine spirituali cognoscere & denunciare illis ad quos spectat, vt ipsum deponant. quod si noluerint vel non potuerint, iure diuino est deuoluta potestas transferendi ad summum pontificem: & hoc, quia ipse habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia quæ sunt de necessitate facienda. Si verò imperium transferendum esset de gente in gentem propter crimen aliquod seculare vel defectum alium, papa auctoritate propria talem translationem non posset facere, nisi illos, ad quos spectaret, damnabiliter essent negligentes. Qualiter autem de facto fuit processum, quando translatum fuit imperium de Græcis in Germanos, & an iuste vel iniuste processit, posset huius rei certitudinem habere, qui acta illius temporis reperiret: licet tamen pro facto papæ, & etiam cuiuslibet iudicis, donec probetur contrarium, sit præsumendum, *extra, de renunc. cap. in præsentia*. Vnde si papa absque iusta causa vel auctoritate propria ea facere attentauerit, falcem damnabiliter immisit in messem alienam. Si autem causa manifesta exigente eam fecerit, vt quia illi, ad quos spectabat, scilicet Romani, erant damnabiliter negligentes, iuste processit, quia tanta necessitate potuit negligentiam eorumdem supplere. Insuper quamuis papa Imperatorem examinet, non tamen sequitur, quòd sit superior Imperatore in temporali. examinat enim secundum aliquos, vt sciat an debeat ipsum pro Imperatore reputare; & vt aliis, si

necesse

Digitized by Google

necesse fuerit, valeat per certitudinem indicare, quòd sit ei tanquam vero Imperatori obediendum, non vt ei aliquam tribuat potestatem, sed coronam imperialẽ tantummodo, si electus voluerit eam ab ipso recipere. exemplum in illis, qui litteras papales, imperiales seu regales visitant, non tanquam superiores approbant vel reprobant eas, aut aliquid tribuunt eis potestatis seu vigoris, sed visitant vt sciant an sint veræ vel falsæ. Sic ergo videtur quibusdam, quòd per examinationem non potest ostendi, quòd imperium sit à papa, nec etiam per inunctionem, consecrationem, coronationem hoc ostẽdi potest. nam videmus quòd alii reges consecrantur, inunguntur & coronãtur ab archiepiscopis vel episcopis, à quibus tamen regna sua minime tenent. Amplius nec hoc potest ostendi ratione iuramenti. nam Imperator non tenetur iurare summo pontifici tanquam vassalus: sed econtra papa, si vult retinere temporalia, quę sibi imperatores dederunt, tenetur iurare tanquã vassalus imperatori. Dictũ enim fuit omnibus presbyteris: *reddite quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Vnde iuramẽtum, quod imperator facit Papæ, non est fidelitatis. i. homagii, sed fidelis deffensionis, quale iuramentum præstant alii reges in regnis suis iurantes, quod fideliter deffendent ecclesiam, qui tamen non ab ecclesia tenent regna sua in feudũ. Sed quęret aliquis, an imperator teneatur Papæ ad huiusmodi iuramentũ præstandum fidelis deffensionis? quidam dicunt quod sic, alii tenent contrariũ. Et si fecerit ex deuotione vel simplicitate vel alia causa quacunque, successores suos ad hoc non potuit obligare, cum non habet par in parem, nec minor in maiorem imperium. licet enim Imperator sit papalis aduocatus, id est defensor Romanæ ecclesiæ, sicut & patroni ecclesiarum sunt aduocati earum, tamen in nullo est Imperator magis subiectus papæ quam alii reges. alii autem reges ad tale iuramentũ minime obligantur: ergo nec Imperator. Rursum sicut qui in ius succedit alterius, eo iure vti debet quo ille, *ext. de reg. iu. c. si quis*: ita qui in ius succedit alterius, dignitate & libertatibus gaudere debet, quo iure ille gaudebat. Sed Imperator Romanus succedit in ius, quia Imperatores Romani fideles & etiam infideles tale iuramentum minime præstare tenebãtur: ergo Imperator nunc huiusmodi iuramentum, nisi voluerit, præstare non tenetur.

Clericus. CAP. CLXIV.

AMplius patet, quòd ad Romanum pontificem spectet, quòd committat administrationem in temporalibus nedum Imperatori sed cuilibet principi temporali. nec sine cõmissione Romani pontificis potest aliquis princeps temporalis iurisdictionem exercere. quod probatur sic: Supposita plenitudine potestatis, quam dedit sibi Christus, aliter propter opus Dei sibi cõmissum faceret negligenter, nec imitaretur Christum, dicentem Ioh. 18. c. *pater opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem.* Et quod iurisdictionem minime valeant exercere, nisi prius commissam à Romano põtifice, probatur. nam qui assumit officium dignitatis honoris etiam secularis absq; principe, ad quem spectat de huiusmodi officio ordinare, de ambitione merito est notandus ab initio aut in secularibus dignitatibus & legibus etiam cuilibet reprobatur. Si ergo ad papam ex institutione Christi spectat de huiusmodi officiis ordinare, illicite sine papa exercet eadẽ. rursum secundum Apostolum ad Hebr. 5. c. *Nemo sibi sumat honorem*, quòd non tantum de honore spirituali, sed etiam de seculari debet intelligi. *c qualiter de elect. l. si quanquam. C. de episc. & cler.*

Miles. CAP. CLXV.

HAnc plenitudinem potestatis semper supponitis, & verum est quòd vno impossibili posito in esse, necessarium est plura sequi. sed quantum ad veritatem, non videtur hanc plenitudinem debere concedi. quod probatur sic. Nam repugnat optimo principatui solummodo seruos habere subiectos. sed nonnullis apparet, quòd non stat cum puritate optimi principatus, quemcunque subditum præsertim inuitum absque culpa sua esse seruum. Nam principatus optimus propter bonũ subditorum est principaliter institutus. Principatus autem seruorum est principaliter propter bonum principantis. quare huiusmodi principatus non est optimus iudicandus. Rursum principatus institutus contra naturam non est optimus existimandus. sed contra naturam est, vt quis maioribus & æqualibus & sibi similibus, vel de quibus spes probabilis est, quòd futuri sint maiores aut sibi æquales virtute & sapientia principentur tanquam seruis, vt ait Aristoteles *tertio Politicorum*. talis enim debet eligi in principem seu prælatum, cuius comparatio cæteri grex dicantur. & pro hoc. 1. *q.* 1. *c. vilissimus.* quare optimo principatui repugnare videtur, quod omnes subiecti sint serui. Ad quod etiam probandum videtur sufficere ratio Aristotelis *primo Politicorum*, qua probare nititur, quod melior est principatus hominum quam bestiarum. liberi autem sunt meliores quam serui. quare principatus seruorũ non est optimus iudicandus. Sed contra ista forsan aliquis obiiceret, quod optimo principatui non repugnat perfectissima obedientia in subiectis. tunc enim optimus principatus nõ posset in religione perfectissima, quæ obedientiam perfectissimam promitteret reperiri, cum veri religiosi dicantur serui. 12. *q.* 2. *c. non dicatis.* Respondeo, quod religio perfectissima non promittit simpliciter in omnibus obedire, secundum quod non tenentur serui in omnibus obedire. Alias enim posset prælatus religiosam huiusmodi vitam ducere secularem perfectissimã. igitur religio promittit in omnibus obedire, quæ non sunt contra Deum & regulam suam, præsertim in hiis quæ ad Deum & bonos mores pertinent. Ex istis ergo infertur, principatui. repugnare, quod principans illam habeat plenitudinem potestatis, vt scilicet de iure si possit omnia valeat præcipere. Nam sic omnes subiecti habenti plenitudinem potestatis sunt serui ipsius, secundum strictissimam significationem vocabuli. Nam hac potestate nullus dominus super seruos potest maiorẽ habere de iure. sed optimo principatui repugnat, quod omnes subiecti sint serui. ergo repugnat, quod Papa huiusmodi plenitudi-

Digitized by Google

nem potestatis habeat. Ex illa igitur sibi non potest vendicare, quod administrationem in temporalibus dominiis, dominis temporalibus ipse solus committat. Et si quaeratis iuxta praemissa, quae sint illa quae optimo principatui conueniant? Ad huius euidentiam ante omnia est sciendum, quod licet ad principantem, de quo est sermo, multa pertineant, videlicet iura sua vnicuiq; tribuere & seruare, leges condere necessarias atque iustas, iudices superiores & alios inferiores constituere, quales artes & à quibus in communitate sibi subiecta debeant exerceri omnium virtutum actus praecipere & alia multa: tamen ad hoc videtur principaliter institutus, vt corrigat & puniat delinquentes. si enim in aliqua communitate nullus pro delicto seu culpa puniri deberet, monitor ad bonum & Doctor sufficeret, & principatus omnis superfluus videretur. lex enim videretur institui nō propter bonos, sed propter malos puniendos & corrigendos, teste apostolo. 1. *ad Timoth. 1. cap. Lex iustis non est posita sed iniustis.* ergo princeps principaliter non propter bonos, sed propter malos praeesse debet. Et hoc idem sapiens Ecclesiastici 7. c. videtur innuere: *Noli quaerere fieri iudex, vbi non valeas disrumpere iniquitates.*

Clericus. Cap. CLXVI.

Rursum dico, quod rex accipit aliquam potestatem super temporalia à persona ecclesiastica ex eo, quod à persona ecclesiastica inungitur. exemplum in rege Franciae, qui inungitur ab archiepiscopo Remensi. quod probatur sic. sicut se habet vnctio regalis ad regem, sic vnctio sacerdotalis ad sacerdotem, & episcopalis ad episcopum. sed per vnctionem sacerdotalem & episcopalem potestas accipitur: ergo similiter & per vnctionem regalem. sed clarum est, quod non recipit potestatem spiritualem: ergo rex ex eo, quod inungitur, accipit aliqualiter potestatē in temporalilibus seu temporalem. Item sicut natura nihil facit frustra, ita rationabile operans nihil facit frustra. quare talis vnctio regis non fit frustra. sed frustra fieret & ridiculose, nisi per ipsam, aliquam potestatem acciperet: & non accipit aliquam potestatem nisi super temporalia: ergo. &c.

Miles. Cap. CLXVII.

Rex haereditarie succedens non aliquam potestatem accipit super temporalia ex eo, quod à persona ecclesiastica inungitur. quod probatur. Nam omnes reges haereditarie succedentes in eodem regno habent eandem super temporalia potestatem in eodem regno. Aliter enim vnus non esset verus successor & verus haeres alterius. sed in multis regnis fuerunt plures reges sibi haereditarie succedentes, quorum aliqui fuerunt vncti, & aliqui non erant inuncti. Nam aliqui fuerunt reges pagani, qui non fuerunt inuncti, quia reges paganorum non inunguntur: aliqui autem fuerunt fideles & Christiani & inuncti, quia communiter reges Christiani inunguntur. ergo per hoc, quod rex haereditarie succedens vngitur, non recipit super temporalia potestatem ex eo quod à persona ecclesiastica inungitur. Confirmatur: eadem vnctio, à quocunque conferatur, habet eundem effectum, sicut baptismus, siue conferatur à persona ecclesiastica, siue layca, siue etiam à muliere habet eundē effectum. ergo vnctio regalis habet eundem effectum siue conferatur à persona ecclesiastica, siue alia. ergo vnctio ex hoc, quod conferatur à persona ecclesiastica, non dat vncto super temporalia aliquam potestatem. Sed forte dicet quis, quod vnctio regalis non potest conferri, nisi à persona ecclesiastica, sicut nec vnctio sacerdotalis & episcopalis. Hic forte diceretur, quod vnctio regalis posset conferri à persona non ecclesiastica, quia vnctio regalis introducta est ex veteri testamento. in veteri autem testamento aliquando vnctio regalis conferebatur à sacerdote vel Leuita, quibus in nouo testamento succedunt ecclesiasticae personae. nam Samuel, qui fuit Leuita, vnxit de praecepto Dei Saulem & Dauid in reges. Et Sadoc sacerdos vnxit Salomonem. Nonnunquam verò vnctio regalis fiebat ab aliis. Praeceptum enim fuit Helyae vt vngeret Asael regem super Syriam. Quare & nunc posset à persona non ecclesiastica inungi. nec obstat, quod in oppositum arguebatur. quia non est necesse, quod quantum ad omnia sic se habeat vnctio regalis ad regem, sicut se habet vnctio sacerdotalis ad sacerdotem, & episcopalis ad episcopum. Vnctio enim sacerdotalis & etiam episcopalis est ex institutione diuina: vnctio vero regalis, licet in Veteri Testamento fuerit, ex praecepto Dei, tamen in noua lege fuit ex institutione humana. Et ideo nullam potestatem dat super temporalia illa vnctio regalis, nisi hoc per voluntatem humanam fuerit voluntariè ordinatum. quare si per ordinationem humanam non est institutum, vt vnctio regalis det potestatem super temporalia, nullam sibi dabit. nec etiam obstat, quod allegabatur, quod vnctio regalis sit frustra. Dicendum est, quod non sit frustra. quamuis enim vnctio nullam det super temporalia potestatem, tamen aliud operatur. potest enim fieri vnctio, vt rex in maiori reuerentia ac veneratione habeatur, quemadmodum in coronatione & in vnctione regum fiunt conuiuia magna & solennitates aliae, vt reges in maiori honore habeantur, & vt regalis magnificentia ostendatur, sicut rex Assuerus, vt habetur *Hester 1. cap.* fecit magnum conuiuium vt ostenderet magnas diuitias ad ostensionem & gloriam regni sui.

Clericus. Cap. CLXVIII.

Qvamuis in multis regnis fuerint plures reges sibi succedentes, quorum aliqui fuerunt inuncti & alii non, posset vno modo dici, quod reges pagani, qui non fuerunt inuncti, non fuerunt veri reges: quia, vt dicit Innoc. IV. *extra ecclesiam non est verum dominium nec potestas ordinata & concessa sed tantummodo permissa.* vel aliter, reges pagani, qui non fuerunt vncti, fuerunt veri reges, quia pagani sicut nō tenentur ad constitutiones ecclesiasticas, vt *extr. de diuor. c. gaudemus*, sic constitutionibus Christia-

Digitized by Google

Christianorum non arctantur. tamen Christiani non possunt fieri veri reges, nisi vngantur, quia ex quo sunt Christiani, ad consuetudinem Christianorum obligantur, sicut & constitutiones ecclesiasticas seruare tenentur. Et cùm vltra allegatur, quòd vnctio regalis potest fieri ab alio, quàm à persona ecclesiastica: hoc non videtur continere veritatem, quia illa quæ sunt propria legi diuinæ, non debent fieri nisi à ministris legis diuinæ, cuius fuerunt sacerdotes & Leuitæ in Veteri Testamento, & personæ ecclesiasticæ in nouo. Et cum arguitur, quòd Helyas debuit vngere aliquos in reges, & filius prophetæ qui non erat sacerdos nec Leuita vnxit Heu regem super Israel. Dico, quod nō habetur in canone Bibliæ Helyam & filium prophetæ supradictos non fuisse sacerdotes nec Leuitas.

Miles. CLXIX.

Videtur, quòd vnctio regis seu imperialis sit ad bene esse, & non de necessitate, & per consequens non disputandum an fiat à persona ecclesiastica vel alia. quod probatur sic. Quando aliquid est in aliquo per proximationem ad alterum, illud est potentius & efficacius altero: sed in aliquibus dignitatibus est spirituale propter maiorem approximationem ad principes, qui ex sola electione plenissimum ius habent, sicut habet in dignitate patriciatus & consulatus. ergo multo fortius hoc idem erat in principe. Prima est per se nota. Secunda probatur in *Authent. constitutiones qua de dig. à patri. potest. §.1. Instit. qui. mo. ius pa. pote. solui. §. filius. C. de decur. l. vlt. lib.* 10. Secundo hoc confirmatur. non debet cui quod plus licet quod minus est non licere, vt *ff. de regulis iuris, l. non debet.* sed maius quod est in Imperatore seu rege est facultas legem generalem condendi, vt *C. de legi. l. vltim.* sed hoc potest Imperator statim post electionem, vt *ff. de excu. tu. l. sed & reprobari. §. de philosophis*, ibi, *de hiis omnibus diuus pater meus mox ingrediens ciuitatem*, &c. Qua ratione hoc Imperator potest statim post electionem, eadem ratione rex hæreditariè succedens hoc poterit statim ante vnctionem, mortuo patre suo. quia non plus iuris tribuit electio electo, quam paterna successio filio: cum inter patrem & filium continuetur dominium, & mortuus saisit viuum. Item electio, quæ fit hodie per principes & prælatos de Imperatore, successit loco illius quæ fiebat olim per populum. ergo eiusdem debet esse naturæ *Instu. de actio. §. fuerat.* Sed illa nullo actu extrinseco expectato perfectum ius transferebat, vt *ff. de orig. iuris. l. 2. §. deinde quia difficile.* 14. *distinct. c. legimus.* Igitur & ista. sic erit à simili in rege hæreditariè succedente. Amplius: contrarium tenenti potest dici, quòd erubescat quis sine lege, vt dicitur *de treuga & pa. §. consideremus.* Dicas mihi quæso tenens contrarium, quid dicit. *c. venerabilem, de elect.* per quod potius tua fundatur opinio? ibi enim dicit textus, quod papa inungit, consecrat & coronat Imperatorem, actum confirmationis obmittens, quod fuisset facile dicere, si vidisset *cap. ad audientiam de deci. extra.* Textus ergo ille videtur innuere, quod ex sola electione Imperator sortiatur ius, quod competit confirmatis, nondum tamen vnctis siue consecratis. sed confirmatis competunt omnia, quę sunt iurisdictionis, vt *extra. de elec. c. nosti. & c. transmissa,* qua ratione hoc in imperatore electo, hoc in rege iure hereditario succedente. Ex quibus omnibus luce clarius ostenditur, quod vnctio regalis non fit de necessitate, sed de bene esse solum, & per consequens vnctio regalis nullam tribuit potestatem in temporalibus.

Clericus. CAP. CLXX.

Saltem & si non per vnctionem rex hæreditarie succedens aliquam recipiat potestatem super temporalia, tamen videretur quod per coronationem aliquam recipiat potestatem in temporalibus. Et hoc quia quanto maior est dignitas, tanto in adeptione eius debet adhiberi maior solennitas, sine qua haberi non potest. sed dignitas regalis est maior quam militia. Circa militiam autem quando quis adipiscitur eam, debet aliqua solennitas adhiberi, sine qua nemo fit miles. ergo multo magis quando aliquis fit rex, aliqua solennitas est, puta coronatio, quia sola coronatio videtur esse solennitas, quæ est communis omnibus regibus, quæ adhibetur circa omnes paganos. ergo ex eo, quod aliquis coronatur, accipit regiam dignitatem. sed dignitas regia non est sine potestate super temporalia. ergo rex hæreditarie succedens ex eo quod coronatur aliquam recipit potestatem super temporalia.

Miles. CAP. CLXXI.

Rex hæreditarie succedens nullam recipit potestatem super temporalia ex eo quod coronatur. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod licet sint diuersi modi principatus regalis, sicut docet docet Aristoteles in *Politic.* Nullus tamen principatus regalis assimilatur in multis principatui naturali: sed omnis principatus regalis est ex institutione positiua diuina vel humana. diuina patet. 3. *libro Regum.* in quo habemus, quod Deus per Samuelem instituit principatum regalem. De humana patet tam in veteri quam in nouo testamento, quam in aliis historiis atque gestis, in quibus legitur, quomodo plures fuerunt per voluntatem facti. propter quod ad sciendum, quā potestatem rex hæreditarie succedens super tēporalia habeat, & quando eā recipit, considerandū est, si est possibile, quomodo principatus regalis fuerit ab initio institutus. Si aūt nō est memoria, quomodo huiusmodi regnū fuerit ab initio institutū, attendēda est cōsuetudo, de cuius initio hominū memoria nō existit, & illa est seruāda, dūmodo sit rationabilis, neq; cōtra leges superiores, ad quas seruādas rex hmōi teneretur. Si vero ex aliquo euētu ignoraretur huiusmodi cōsuetudo, vel ēt primus rex moreretur antequā per cōstitutionē ordinaretur, queadmodū ibi rex hæreditarie succedēs seruare deberet, accipiedū & seruādū esset illud, q rationabilius esset p bono cōmuni totius regni. quia sicut benigniora,

Digitized by Google

ita rationabiliora & vtiliora sunt in huiusmodi præferanda. Ex isto respondetur, quod non est necessarium, quod Rex hæreditarie succedens aliquam recipiat super temporalia potestatem ex hoc, quod coronatur siue à persona ecclesiastica siue ab alia. tripliciter enim potestas regalis instituitur, vno modo per voluntatem & ordinationem populi: quia quilibet populus carens proprio, qui non est subiectus imperatori vel alteri, potest de iuregentium Regem sibi instituere. 94. *d. c. legimus.* Alio modo potest institui principatus regalis per imperatorem vel regem, qui diuersos populos habet sibi subiectos. Imperator enim potest nouos facere reges in prouinciis, quæ non habent reges. Rex etiam habens sub se diuersas prouincias, posset reges creare. Tertio modo potest institui principatus regalis per acquirentem plenum dominium super regionem quæ conuenienter posset habere regem. Si enim aliquis potens per emptionem vel bellum iustum, vel alio modo acquirit plenum dominium super prouincia aliqua, si per superiorem suum minime prohibetur, potest sibi nomen & rem regis assumere, vel alii dare. Si primo modo instituatur principatus regalis, sicut in voluntate populi est ordinare, quod reges fiant per generis successionem vel per electionem, sic in voluntate eiusdem est, si ordinauerit reges hæreditarie succedentes, quod defuncto rege alius hæreditarie successurus statim ante omnem coronationem vel aliam quamcunque solennitatem habeat omnem potestatem debitam super temporalia, vel solummodo huiusmodi potestatem accipiat per coronationem vel aliam solennitatem fiendam circa ipsum. cuius ratio est, quia sicut quilibet in traditione seu donatione rei suæ potest imponere pactum vel legem, quam vult, & in re propria quilibet est moderator & dispositor: ita instituendo voluntarie principatum regalem & sponte se subdentes regi & successoribus eius possunt ponere legem, quam volunt, dum modo non sit irrationabilis & iniqua, nec contra iura superioris. quare populus subdens seipsum alicui tanquam regi & hæredibus eius potest ponere legem, vt quilibet rex hæreditarie successurus statim defuncto prædecessore habeat omnem, quam habiturus est super temporalia potestatem absque omni solennitate. poterit etiam ponere legem, vt Rex hæreditarie successurus ante coronationem non habeat super temporalia potestatem. Et propter eandem rationem dicitur, quod siue imperator siue rex alius constituat in aliquo regno regem, siue acquirens super aliquam regionem verum dominium constituat regem, potest constituere suis successoribus legem, vt scilicet rex hæreditarie succedens statim habeat omnem, quam habiturus est super temporalia, potestatem. Et ita per coronationem vel ante coronationem potest cõferri aliqua potestas super temporalia. Et si per ipsam nulla conferatur potestas, coronatio non fit nisi ad solennitaté, vt rex in maiori honore, timore vel amore habeatur. hoc confirmatur, quia feminæ coronantur & reginæ vocantur, & tamen per huiusmodi coronationem nullam recipiunt super temporalia potestatem. ergo nõ est de natura coronationis, quod per ipsam detur aliqua potestas super temporalia. Et idem probatur, quia per vnctionem & consecrationem nulla datur potestas super temporalia, quia reginæ vnguntur & consecrantur, & per vnctionem & consecrationem nullam recipiunt super temporalia potestatem. Nam secundum leges ciuiles ab omnibus ciuilibus & publicis officiis feminæ sunt remotæ. vnde non possunt esse iudices, nec magistratum gerere, nec adoptare, nec postulare, nec fideiubere, nec arbitræ esse, licet secundum consuetudinem in quibusdam regionibus valeant iudicare.

Clericus. CAP. CLXXII.

RVrsum saltem rex hæreditarie succedens ex hoc, quod à persona ecclesiastica inungitur, consecratur & coronatur, consequitur gratiam domini spiritualis. pro quo potest taliter allegari. nulli debetur reuerentia ac timor spiritualis & honor, nisi propter aliquam eminentiam corporalem seu secularem vel spiritualé. sed regi vncto & consecrato debetur spiritualis reuerentia, timor & honor, teste Dauid rege, qui, vt habetur. 1. *Regum.* 24. noluit mittere manum & occidere Saul, quia erat vnctus, dicens, *propitius sit mihi dominus ne faciam rem hanc domino meo Christo, vt mittam manum meam in eum qui Christus domini est.* Ex quibus verbis habetur, quod ideo Dauid reuerebatur, quia erat *Christus*, i. vnctus domini: vnde & propter hoc in tanta habuit eum reuerentia, quod percussit cor suum eo quod occidit adolescentem, qui dicit se occidisse Saul, vt habetur. 2. *Reg.* 1. *ca.* dicens ei, *quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum domini. vocansque Dauid vnum de pueris suis, vt accedens irrueret in eum. qui percussit illum & mortuus est. Et ait ad illum Dauid, sanguis tuus super caput tuum. os enim tuum loquutum est aduersum te, dicens, ego interfeci Christum domini.* Et si dicatur, quod ideo habuit Dauid Saul in reuerentia, honore & timore, quia per vnctionem factus fuit rex: & ita propter regiam dignitatem talia sibi exhibuit, & ab aliis voluit exhiberi: hoc non habet veritatem, quia non propter regiam dignitatem, sed propter vnctionem ipsam, in quantum erat diuinitus instituta, censuit Sauli talia exhibenda: secundum quod verba præallegata apertè sonare videntur. quod etiam probatur per hoc, quod Dauid aliis regibus, qui erant solummodo reges, & non vncti, non exhibuit talia, nec reputauit ab aliis exhibenda, quia nonnullos censuit occidendos. Amplius potest taliter allegari. supernaturalis curatio ægritudinis corporalis est gratia doni spiritualis; quibusdam autem regibus, vtpote regi Franciæ, sicut fertur, per vnctionem regalem confertur potestas curandi & sanandi specialiter scrophulas patientes. ergo per huiusmodi vnctionem rex consequitur gratiam doni spiritualis.

Miles. CAP. CLXXIII.

VIdetur quod rex hæreditariè succedens non consequatur aliquam doni spiritualis gratiam. pro quo potest taliter allegari, per sola sacramenta diuinitus instituta, non autem humanitus instituta,

ctuta, consequitur quis gratiam doni spiritualis. vnctio autem, consecratio & coronatio regalis, quæ circa reges hæreditariè succedentes fiunt, non sunt diuinitus, sed humanitus institutæ, quia nec sunt institutæ in Veteri Testamento: tunc enim ecclesia exercens iudaizaret: nec sunt institutæ in Nouo Testamento, sicut patet legenti totum Nouum Testamentum: ergo per temporalia rex non consequitur aliquam gratiam doni spiritualis. Rursum per vnctionem, quæ in Veteri Testamento de præcepto Dei fiebat, non consequebatur Rex gratiam doni spiritualis: ergo multominus per vnctionẽ, consecrationem & coronationem, quæ per ordinationem humanam & non de præcepto Dei circa reges, non consequitur Rex hæreditariè succedens gratiam doni spiritualis. vnctio autem in Veteri Testamento de præcepto Dei fiebat etiam circa reges infideles: nam vt allegatum est prius, Deus præcepit Helyæ vt vngeret Azael regem super Syriam: ergo in Veteri Testamento per vnctionem non consequebatur rex gratiam doni spiritualis. nec obstat quod allegabatur, quod in Veteri Testamento debebatur reuerentia specialis, timor, amor & honor regi vncto, quia hoc non erat propter ipsam vnctionem. Et quia per ipsam consequeretur vnctus aliquam gratiam doni spiritualis, debebatur vncto talis reuerentia timor & honor. Nam quamuis Saul, quando fuit vnctus, recepisset huiusmodi gratiam, tamen quando fuit exagitatus à spiritu malo, perdidisset eam, & tamen postea Dauid voluit ipsum in reuerentia & timore habere & haberi. debebatur igitur sibi reuerentia & honor nõ propter gratiã doni spiritualis, sed quia huiusmodi vnctionem recepit de præcepto Dei, & quia per ipsam sibi dignitas regia conferebatur, à qua non erat depositus quamdiu vixit. quod enim dicit Samuel. 1: *Ierem. 17. c.* ad Saulem, *pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex*, & consimilia verba, non debent intelligi sic, vt Saul tunc fuerit regno priuatus, sed quia tunc fuit ordinatum in præsentia diuina, vt tradendum esset alteri regnum. Nec etiam obstat illud, quod Rex Franciæ habet gratiam curandi à strophulis, quia non habet illam potestatem propter vnctionẽ regalem, quia multi alii reges quamuis inungantur, huiusmodi gratia minime decorantur: sed habet rex Franciæ huiusmodi gratiam propter aliam causam, quæ nos latet, nec potest ab homine indagari: Ex præmissis ergo patet, quod quamuis ex bona intentione & proposito, quo rex vnctus seu consecratus & coronatus intendit ista suscipere ad honorem Dei & ad vtilitatẽ populi sibi subiecti, si est in caritate gratiam vel augmentum gratiæ mereatur: tamen inuncto, consecrato & coronato nõ habet regi specialiter conferre aliquod donum spirituale, sed propter bonam intentionẽ prodesse possunt & spiritualiter. quemadmodum omnes solennitates. etiam corporales, quæ fiunt circa nouos milites, circa nuptias, intronizationes prælatorum, & etiam secularium potestatũ: circa Magistros, quando magistrantur, & circa quæcunque alia, quæ cum solennitate fiunt, prodesse possunt, & specialiter si absque permixtione vnitatis, dissolutionis & nequitiæ fiant, cum debitis circunstantiis ad honorem Dei; & vt talia, quæ laudabilia vel vtilia sunt censenda, deuotione & veneratione debita habeantur. quamuis asserentes oppositum dicant, quod etiam per sacramentum seu sacramenta humanitus instituta potest quis cõsequi gratiam doni spiritualis, vt per catechismũ assequitur catechumenus fidei rudimentum, & per exorcismum expellitur ab exorcizato potestas diaboli. Similiter per subdiaconatum & acolitatum, cum sint ecclesiastici ordines, consequitur quis gratiam doni spiritualis, & tamen non sunt diuinitus, sed solummodo, humanitus instituti. Vnde in decretis. 21. di. sic habetur: *Leuitas autem ab apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus, subdiaconos & acolitos procedente tempore etiam sibi constituerunt.* quicquid tamen sit de aliis regibus, de Rege Franciæ nullatenus videtur hæsitandum, quin gratiam doni spiritualis per inunctionem, coronationem & consecrationem consequatur, cum ex ampulla cælitus per angelum missa inũgitur & consecratur. Ex quibus apparet, quod non ex institutione humana, solum sed diuina rex Franciæ inungitur, consecratur & coronatur, quod etiam confirmatur ex modo ad modum mirabili, quo ad arma Franciæ adinuenta. Nam, vt narrant historiæ, cum antiquitus reges Franciæ ante commissionẽ consueuerunt tres buffones marinos deferre, dicti tres buffones in tria lilia mirabiliter sunt conuersi.

Clericus. CAP. CLXXIV.

VLterius videretur, quod rex hæreditarie succedẽs suo coronatori aliqualiter sit subiectus. quod probatur sic. illi est rex hæreditarie succedens aliquo modo subiectus, ad quem spectat examinatio personæ ipsius regis, quia examinatio personæ alicuius regis non spectat ad inferiorem, nec ad parem, sed ad superiorem. Examinatio autem personæ regis hæreditarie succedentis pertinet ad coronatorem suum, teste Innoc. 3. qui, vt legitur, *extra de elect. c. venerabilem*, ait: *est enim generaliter aut regulariter obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat.* cum ergo ad coronatorem regis hæreditarie succedentis spectet impositio manus, sequitur quod ad ipsum pertinet examinatio personæ, & per consequens huiusmodi Rex suo coronatori in aliquo est subiectus.

Miles. CAP. CLXXV.

REx hæreditarie succedens suo coronatori in aliquo non est subiectus. Et arguitur sic. ille Rex hæreditarie succedens suo coronatori in aliquo non est subiectus, qui nihil iuris aut potentiæ seu potestatis à suo coronatore recipit. sed coronator nihil iuris aut potestatis tribuit regi hæreditarie succedenti. ergo. &c. Item rex hæreditarie succedens non tenet regnum à coronatore suo, tum quia non est vasallus eius, cum non præstet ei iuramentum homagii: tum quia prædecessores regis

Digitized by Google

hęreditarie succedentis, qui in pluribus regnis fuerũt infideles, sicut patet in regnis Francorũ & Hyspanorum, & aliis multis, qui non tenebant regna ab aliquo coronatore, & per consequens nec reges hęreditarie succedẽtes tenent eadẽ regna ab aliquo coronatore. Aliter enim nõ essent veri successores primorũ regũ, & deteriores seu deterioris cõditionis essent fideles reges quã infideles fuerũt. ergo reges hereditarie succedẽtes in nullo sunt subiecti coronatoribus suis. item nullus subiectus est illi à quo subiectionis & fidelitatis recipit iuramentũ. coronator autẽ regis hęreditarie succedẽtis sicut cęteri episcopi eiusdem regni iuramentũ subiectionis & fidelitatis pro temporalibus, quę à rege tenet, præstat ipsi regi. ergo rex in nullo coronatori suo est subiectus. Item rex coronatori suo in nullo est subiectus, probatur: quia inungi, consecrari & ordinari non sunt subiectionis. probatur. Nam Papa si non est sacerdos vel episcopus, quando eligitur, postea vngitur, consecratur, coronatur & ordinatur: & tamen consecratori & ordinatori suo in nullo est subiectus. Metropolitanus etiam consecratur à suffraganeis, quibus non est subiectus. Episcopus etiam consecratur ab aliis episcopis quibus non est subiectus. Pueri etiam regum & aliorũ tam nobilium quam ignobiliũ baptizantur à presbyteris, quibus non sunt subiecti. ergo multominus coronatori rex erit subiectus.

Clericus. CAP. CLXXVI.

SEd nunc circa hoc dubito, vtrũ si rex hæreditarie succedẽs coronaretur ab alio archiepiscopo quã ab eo, qui antiquitus eum coronare consueuerit, vel si sibi ipsi coronam imponeret, nunquid per hoc perderet titulum vel potestatẽ regalem. i. nunquid per hoc fit dignus, vt priuetur per sententiã potestate regali? Et videtur quod sic, quia qui non intrat per ostium ad aliquã dignitatem, nihil iuris acquirit. Vnde qui symoniace acquirunt dignitates ecclesiasticas, nihil iuris acquirunt, sed sic est in proposito in eo, qui nõ coronatur debito modo. ergo &c. Itẽ qui perpetua debet damnari infamia, & incarcerari, & in exilium deportari, perdere debet titulum vel dignitatem regalem. Sed rex talis, cum sit sacrilegus, vni ecclesiæ minuendo seu aufferendo, debet perpetua damnari infamia, & incarcerari & in exilium deponi seu deportari. 22. *q* 4. *c. attendendum.* ergo debet perdere titulum vel potestatem regalem.

Miles. CAP. CLXXVII.

HAnc opinionem sic distincte veram esse non opinor, sed dico sic. Archiepiscopus aliquis aut coronat regem de iure, aut ex mera gratia, & tenet hæc distinctio per hoc, quod aliquis Archiepiscopus non coronat regem quemcunq; ex iure diuino vel naturali sibi debito: quia quantũ ad ius diuinum omnes episcopi sunt pares & ęquales. ius enim naturale cõmune est omnibus. 1. *di. c. ius naturale.* Iure autẽ diuino inter Archiepiscopũ & episcopum nulla est differentia. Et Archiepiscopus coronat licite aliquẽ regem. aut hoc habet à se aut ab alio. non à se, quia qua ratione vnus Archiepiscopus hoc posset habere à se, & etiã alius, quia nõ est maior ratio de vno quã de alio, cũ omnes Archiepiscopi, præsertim si vnus non subest alteri, sunt pares. si autem hoc habet ab alio, siue hoc habeat à rege coronato vel coronando, siue à populo regni, siue ab alio rege, si Rex coronandus in hoc sit subiectus alii, siue à Papa, siue à quocunque alio vel populo, collegio vel vniuersitate, hoc potest habere de pura gratia, quę ad libitũ cõcedentis valeat reuocari, vel ex donatione huiusmodi iuris coronandi talem regem, qui ad libitum concedentis vel successorũ non debeat reuocari. Si tamẽ concedens talem habeat potestatẽ concedendi huiusmodi ius, vt nec ipse nec successor valeat reuocare. circa hoc enim possunt esse opiniones, pręsertim de papa, Imperatore & rege, quia secundũ vnã opinionẽ neuter ipsorũ potest concedere alicui priuilegiũ, ius vel libertatẽ, quin successor ea reuocare possit. Alia vero est opinio, quod sicut papa, Imperator seu rex potest donare res temporales, quas successor reuocare nõ potest, sic potest concedere priuilegia, iura & libertates, quę & quas successor reuocare nõ valeat. siue igitur ius coronandi regem sic possit dari alicui, quod à nullo valeat tale reuocari libere, siue non possit sic dari, tamen sic dari potest, quod à nullo inferiori possit renouari: & absq; noua donatione vel gratia tẽpore oportuno potest vti huiusmodi donatione, nisi à cõcedente prohibeatur. Insuper quantũ ad propositũ, multũ refert, an Rex talis coronatus ab alio archiepiscopo, quam ab eo qui antiquitus eum coronare consueuit, vel sibi coronam imposuit. Nam potest coronari sine culpa & cum culpa. Sine culpa potest coronari, si ex pura gratia & donatione regũ coronatorũ, maxime cum protestatione conuenienti præmissa, vel etiã ex pura gratia imperatoris, regis vel populi, hoc casu posset sine culpa ab alio coronari, ar. *l. si tutor. C. de neg. gestis.* Item si nõ esset amplius talis sedes Archiepiscopalis, vel sedes vacaret, & non posset de Archiepiscopo conuenienti prouideri, vel Archiepiscopus esset absens, vel infirmus, vel alio impedimento legitimo impeditus, quod non posset congruo tempore coronare regẽ, posset Rex sine culpa ab alio coronari. nõ enim in fauorẽ Archiepiscopi deberet coronatio regis per tempus minus prolixum differri, maxime si esset talis Rex, qui ante coronationẽ suam nõ posset potestatẽ suam regiã excercere, quia talis fauor esset iniustus, iniquus & reipublicæ periculosus. Cum culpa autẽ talis Rex ab alio coronatur, si Archiepiscopus habet ius coronandi ipsum, & non apparet aliqua ratio, quare potestate coronandi regem etiam illa vice priuari deberet; quia nemo sine culpa est priuandus iure suo. *cap. cognoscentes, extra de constitut.* Præterea præmittendum est, an Rex talis, qui non sine culpa coronatur ab alio, quam ab illo Archiepiscopo, qui antiquitus coronare consueuerit, sit corrigibilis aut incorrigibilis. Quibus distinctionibus sic præmissis, possunt formari diuersi articuli, quorum primus est. An si talis Rex coronaretur ab alio Archiepiscopo, quam ab illo, qui antiquitus de pura gratia non de iure coronare

ronare consueuit, per hoc perderet vel dignus esset perdere titulum vel potestatẽ regalem? Ad quem articulum dicunt, quod non: quia cum denegatur alicui id quod habuit duntaxat de gratia, nullum fit ei præiudicium. tempus enim non inducit obligationem, *extra de censi. c. peruenit.* Et quod quis dat de gratia, potest reuocare, *extra de postula. præla. c. bonę.* 10. *q.* 2. *c. precaria*: in dubio tamen si non apparuerit, an ex mera gratia, præsumendum est quod de iure, & potest Archiepiscopus per se præscriptionem allegare. Secundus articulus est: si aliquis Archiepiscopus de iure debeat coronare talem regem, an Rex pro culpa Archiepiscopi vel ex causa posset priuare Archiepiscopum iure coronandi? Circa hoc potest esse opinionũ diuersitas: vna, quia Rex pro culpa & ex causa potest priuare Archiepiscopũ. Et probatur sic: idem iuris videtur esse de reuocatione iuris donati, & de reuocatione rei donatę: quia eadem ratio est de vtraq;. vbi autem est eadẽ ratio, debet esse idem ius, *extra de constitu. c. translato.* sed res donatę alicui propter culpam & ingratitudinem reuocari potest, *extra de dona. cap. vlti.* Ergo similiter ius coronandi propter culpam & ingratitudinem potest reuocari à rege. Alia est opinio, quod istud ius nõ potest reuacari à rege, quia sacrilegus est, qui vult ea quę ecclesiis sunt concessa reuocare. 17. *q.* 4. *c. sunt qui & c. sacrilegium.* Alia est opinio, quæ respondet per distinctionem, quia aut Archiepiscopus talis habet ius coronandi regem à regibus prædecessoribus talis regis, aut apostolo vel superiore, vel ab imperatore, vel alio cui tales reges sint subiecti. Si habet ius coronãdi à regibus eiusdẽ regni rex pro culpa Archiepiscopi, præsertim à pluribus Archiepiscopis iterata, poterit Archiepiscopũ huiusmodi iure priuare, quod à prędecessoribus fuerat liberaliter concessũ reuocãdo: quia si priuatus potest rẽ donatã reuocare propter certas culpas, multomagis rex, qui est in suprema dignitate seculari, poterit iura sic cõcessa reuocare. Si autẽ Archiepiscopus habet ius coronãdi ab imperatore, seu ab alio cui tales reges sunt subiecti, rex nõ potest huiusmodi iura reuocare, sed imperator, vel ille alius superior rege tali, propter culpam poterit huiusmodi ius reuocare. nec obstat, quod pro alia opinione allegatur, quòd sacrilegus est ille, qui vult renouare ea quæ ecclesiis sunt concessa. Et potest dici vno modo, quod ille est sacrilegus, qui sine culpa & absq; causa vult reuocare ea quæ ecclesiis sunt concessa, aliàs secus. Nam quantumcunq; aliqua sint concessa, si incipiunt esse nociua, extirpari debent. quod enim ratione caret, extirpandum est. 68. *di. c. corepiscopi*: propter quod si illa quæ sunt cõcessa ecclesiis, siue sint iura, siue priuilegia, siue res & libertates, si incipiunt esse onerosa, extirpari debent. Ad hoc facit 63. *di. c. verum & c. Adrianus.* Itẽ priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. 11. *q.* 3. *c. priuilegiũ.* si igitur ecclesiæ abutuntur priuilegiis eis concessis, ipsæ merentur amittere. Item persona ecclesiastica propter culpam debet perdere priuilegium clericale. ergo à simili, ecclesia propter culpam potest perdere priuilegiũ: quia idẽ iuris est in toto & in parte. Item ecclesia propter fauorem alterius ecclesiæ potest perdere priuilegiũ & ius suum. 22. *di. c. renouantes*: ergo multofortius propter culpam potest perdere priuilegium: quia idem iuris est in toto & in parte simili: cum multomagis sit quis priuandus iure suo propter culpã propriam, quam propter fauorem alterius. Item illis priuilegia sunt decurtanda, qui præceptis superioris obuiare non timent, *extra de priuileg. c. dilecti.* Ecclesiæ igitur propter culpam inobedientiæ & irreuerentiæ priuari possunt sibi concessis. Item cõmunitas secularis propter culpam potest iuste priuari priuilegio & honore sibi concessis. Ciuitas enim propter occisionem episcopi sui priuatur dignitate episcopali. 25. *q.* 2. *c. ita nos.* In quo casu ecclesia etiam priuata fuit honore episcopali, non propter delictum ciuitatis: quare multofortius ecclesia propter delictum proprium potest priuari sibi cõcessis. Item frustra petit debitum, qui quod debet non impendit. si igitur ecclesiæ laycis non impendunt, quod debent, frustra petunt ab eis iura sua seruari. Item layci, imperatores, reges & principes, qui ecclesias iuribus, honoribus & priuilegiis illustrarũt, ex sola donatione non magis quantum ad ecclesias sunt subiecti, quam subditi dominis suis: quia ecclesiæ non dominantur layci, iuxta illud Petri, *non dominantes in clero*, & per consequens multominus in populo. sed, vt dicit glo. 22. *di. c. vlt. super. c. de fort. ma.* eadem fide tenetur quis subdito suo, sicut subditus domino. 25. *di. c esto subiectus*, *extra de iureiuran. c. peruenit.* & si non fecerit, priuatur dominio, quod habet in vasallo, & transit in feudũ ad superiorem, vt in *lib. de feudis. quemadmodum feudum amittatur.* ergo multomagis ecclesiæ, si non fuerint fideles laycis, qui eis iura, libertates & priuilegia concesserunt, possunt iuste priuari sibi concessis. Itẽ hosti non seruanti fidem, fides non est seruanda: cum etiã illi non sit fides seruanda, qui contra fidem versatur. *extra de iureiuran. c peruenit.* Si igitur ecclesiæ non seruando fidem laycis incipiãt hostiliter persequi eos, non est eis fides seruanda, & per consequens priuari possunt illis, quæ sunt sibi à principibus temporalibus concessa. Sed forsitan, reuerende ecclesiastice, istis omnibus allegatis per me respondebitis vno modo, quod quamuis personæ ecclesiasticæ possint committere culpã, tamen ecclesiæ non possunt aliquam culpam incurrere, quia sicut ecclesia non potest errare contra fidem, ita non potest culpa aliqua inquinari, cum sit sine macula. Sed hæc ratio impugnatur, quia quamuis ecclesia vniuersalis, quæ est congregatio generalis cunctorum fidelium, non possit errare contra fidem, nec aliqua culpa maculari, tamen ecclesiæ particulares possunt taliter contra fidem & bonos mores errare, ita vt etiam sint à catholicis deserendæ. Aliter dicitur, quod licet nulla ecclesia debeat priuari eis, quæ sunt sibi concessa, tamen quælibet persona de ecclesia propter culpam debet priuari illis, quæ ecclesiæ sunt concessa. Et ideo quilibet archiepiscopus propter culpam potest priuari iuste potestate coronandi regem, licet ecclesia huiusmodi iuste priuari non debeat. Tertius articulus, an rex talis, qui non absque culpa sua coronaretur ab alio archiepiscopo, quam ab eo qui antiquitus eum coronare consueuit, vel sibi episcopi coronam imponere, per hoc perderet vel dignus esset perdere titulũ vel potestatẽ regalẽ, quamuis obstinatus & incorrigibilis nullatenus appareret?

Digitized by Google

Et respondendũ est quod non: quia talis culpa regis est sacrilegium nõ quidẽ ratione personæ, qualis sacrilegium committit quis, qui verberat aut occidit clericum vel religiosam personã, sed esset solũmodo sacrilegiũ ratione iuris publici, quia scilicet talis rex in hoc facto esset trãsgressor iuris publici, quod consistit in sacris & sacerdotibus 1. *di.c.ius publicũ*. quia videlicet auffert Archiepiscopo, qui cõsueuit coronare regem, ius suum. pœna autem huius sacrilegii neq; secundum leges seculares, neq; secundum canones est depositio à regno. ergo rex talis, si est corrigibilis, non est dignus propter huiusmodi culpam perdere titulum vel potestatem regalem, sicut nec propter alias species sacrilegii est dignus huiusmodi pœna. Quartus articulus potest esse, an rex propter huiusmodi culpam, si est incorrigibilis, sit dignus huiusmodi pœna? & est vna opinio quod sic: pro qua opinione potest taliter allegari, dicit glo. *di.40 super c.si papa*, quod *si notorium est crimen papæ, propter quod scandalizaretur ecclesia, potuit papa accusari & deponi*. multo magis quilibet alius siue regali siue qualibet alia potestate seu dignitate præfulgeat, & pro quocunque crimine, si est incorrigibilis, est dignus à dignitate sua deponi. Ex quo cõcluditur, quod rex talis pro huiusmodi sacrilegio, si est incorrigibilis, dignus est perdere titulum vel potestatẽ regalem. Et etiam quilibet siue sit clericus siue sit laicus, cuiuscunque fuerit status, etiam Papa propter hæresin est à dignitate sua deponendus. potest deponere omnes tam clericos quam laicos à dignitatibus suis. sed rex talis propter huiusmodi sacrilegium potest excommunicari: & si est incorrigibilis in excommunicatione & vltra annum persistat, erit inter hæreticos computandus. Scismaticus autem in scismate perseuerans censetur hæreticus, vt notauit glo. 24. *q.* 1. super *c.1.* Ex quibus colligitur, quod talis rex propter huiusmodi sacrilegium si fuerit incorrigibilis, præsertim in excõmunicatione per annum persisteret, est inter hæreticos computandus, & per consequens dignus perdere titulum seu potestatem regalem. Et alia opinio, quod rex pro tali sacrilegio quamuis sit incorrigibilis, non potest perdere titulum seu potestatem regalem, pro qua potest taliter allegari. talis rex incorrigibilis absque grauissimo scandalo eius non posset à regia dignitate deponi. sed pro scandalo euitando cessat rigor iudicii, cum & propter scandalum sit desistendum à iure *extra de præscript.c.nihil.* Et propter scandalum etiam cibus, qui magis necessarius est, quam vt talis rex incorrigibilis perdat titulum vel potestatem, sit dimittendus, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 8. c. *Si esca scandalizaret fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*. ergo quamuis rex esset dignus amittere titulum vel potestatem regalem, tamen propter scandalum euitandũ hoc erit dissimulandum. Sed forsan dicet aliquis, quod quando scandalum nascitur non ex ignorantia sed ex malitia, iustitia non est obmittenda: quia hoc noceret bono communi, quia daret malis audaciam delinquendi. Nam facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquẽdi, *extra de vita & honesta. cleri. c.vt clericorum*. Sed ad istud respondetur. Nam vt habetur. 50. *distin.c. vt constituerunt*, propter graues dissentionum censuras, cum non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacet, detrahendum est aliquid seueritati: siue ergo scandalum ex ignorantia siue ex malitia oriatur, seueritas punitionis deberet dimitti. si igitur ex depositione talis Regis à titulo & à dignitate regali immineret populorum strages, propter scandalum euitandum seueritas iustitiæ esset dimittenda.

Clericus. CAP. CLXXVIII.

NVnc autem quoniam in superioribus dictum est, quod Rex hæreditarie succedens ante coronationem potest omnia, quæ pertinent ad Regem quo ad executionem: quæro, Domine miles, an idem sit censendum de imperatore, videlicet quod ante coronationem habeat administrationem? Et luce clarius probatur quod non. Et primo sic: nihil operatur antequam sit. *ff. de col. bo. l. vlti.* sed Imperator in coronatione dicitur oriri, & per consequens incipere esse, vt *C. de feriis. l. omnes:* ibi, *vel ortus Imperii protulerant* &c. ergo ante hoc non operatur quæ ad Imperatorem pertinent. Secundo probatur sic: furtiuus est omnino actus vel violentus, vel alias illicitus, qui exercetur in re præter voluntatem domini vel custodis. *ff. de acquiren. posses. l. si ex stipulatione*: sed sic est, quod viceclauigero beati Petri tradita sunt vtriusque regni gubernacula cælestis & terreni. 22. *di. c. omnes, extra de re iu. c. ad apostolicæ.* quicunque ergo sine voluntate successoris beati Petri, terreni regni gubernaculum assumit, rem illicitam committit. Etsi dicatur, hoc Romani Pontifices statuerunt, ergo non est eis credendum. Respondetur, quod si quis enumeraret mundi regimina vsque ad natiuitatem Christi, inueniret ita esse. Et ne immorer verbis superfluis, hoc bene probatur per rationem Innocen. *extra de foro compe. c. licet.* Item, nullum imperfectum operatur perfecte: quia si operaretur perfecte, iam diceretur perfectum, quia ex ædificatione operationis aliquid cognoscitur perfectum. *L. ædificia. §. perfecisse ff. de verborum signi.* Perfectum autem non est extra quod est dare aliquam particulam, vt dicit Philosophus. 5. *Metaphys.* Et hoc videtur dicere lex ciuilis, quæ dicit: *neque enim vllum balneum aut vllum theatrum, aut vllum stadium fecisse intelligitur, qui ei propriam formam, quæ ex consummatione contingit, non dederit, vt ff. ad l. falcid. l. is qui quadringenta. §. quidem.* sed constat, quod ante approbationem, inunctionem & coronationem aliqua pars dignitati imperii deest. Alioquin esset ista superflua, quod nemo sanæ mentis probabit *ff. de capti. & postli. reuer.* ergo non potest perfecte imperialiter operari. Item, quotiens sunt duo gradus successiui adinuicem subordinati, existens in primo non debet attingere ea quæ sunt vltimi: sicut diaconus non debet attingere ea quæ sunt presbyteri vel episcopi. 93. *di. c. diaconus. ar. C. de testa. l. consulta diualia.* sed in electo in imperatorem est considerare duos gradus. vnum, in quo est quia rex: & alterum, ad quem promouendus est. sc. imperium, vt dicitur in *c. venerabilem, extra de elect.* & clarius. 23. *di. c. in nomine domini*, ibi, *dilectissimi filii nostri Henrici qui in præsentiarũ rex habetur & futurus Imperator domino concedente speratur.* &c. Existens igitur in

primo

Digitized by Google

primo gradu scil.regis,non vsurpabit sibi ea quæ sunt secundi gradus sc.imperii. Confirmatur.princeps est minimũ & immaturæ digestionis,qui ante efficacẽ cõmissionẽ gladio vtitur,vt *ff. de offi. procon. & leg. l.obseruare.§.vlti.*& ante administrationis decretum se administrationi impudẽter immiscet. *C.arbi.tu.l.fi.*sed vt plures seu pluries deductũ est superius,vterq; gladius est penes ecclesiam. nõ ergo sine auctoritate ecclesiæ,scil.papæ,potest quis se administrationi gladii temporalis immiscere. ergo huiusmodi cõmissionem nõ imperialiter administrat, qui in se præcipitanter & ex auaritiæ & ambitionis cæcitate demergit,vt hæc & alia ad hanc materiam clarius ponuntur in extrauaganti *vnam secundã* Bonifacii.8. Præterea in testamento considerantur tria tempora,tẽpus testamenti, tempus mortis & tẽpus aditionis hæreditatis. Vnde testamentum nascitur,cum cõditur. *C. de testa. l. antiquitus.* Confirmatur,cũ testator moritur. *c.cũ matre.extra.de cele.missa.* Sed vltima profectione personæ cõfirmatur,cũ hæreditas aditur. *ff. de stip.seruorũ.l.si seruus cõmunis,in fin.primi respon.* Et ante hãc vltimã perfectionem vires testamenti nullæ sunt. *ff. de reg.iur.l.nemo.* sic vires cuiuscũq; electi, in qua probatio electi requiritur quantum ad hoc,vt electus aliquid exequi possit,nullæ sunt. Vnde in iure dicitur, *si militiæ nomen dare vultis,asserte vos eis qui probãdi ius habent. C.qui mili.non pos.l.1.de re. mili.l.neminem.* Et in vltimis quantum ad executionem censetur omnis actus extrinsecus confirmationem expectans. *C.de confirma.tu.l.1.*

Miles. CAP. CLXXIX.

HIc est considerandũ,quod secundum vnã opinionem,quod inter regem Romanorũ & Imperatorem est differentia. Nã primo est electus Rex Romanorum quam sit Imperator. Nam postea est in Imperatorẽ promouendus. 21. *di.c.in nomine Domini.* ꝙ non esset verum,si nulla esset realis distinctio inter regẽ Romanorũ & Imperatorẽ,sed verbalis tantummodo:quod videretur absurdum, quia tunc esset lex imposita verbis & non rebus. Distinctio enim nominum declarat differentiã rerum. *l.si idem. C.de codicill.c.cler.21.dist.promotio.* ergo ad imperiũ,quę fit per vnctionẽ & coronationẽ imperialem,non fit propter nomen imperatoris tantũmodo consequendũ, sed imperator post vnctionem & coronationem huiusmodi cõsequitur potestatẽ imperialem in omnibus regnis & prouinciis,præsertim occidentalibus,q̃ non erant sub potestate Caroli magni ante tempus translationis imperii, & adhuc non sunt sub potestate imperii & de facto. In Italia autem & in aliis terris & prouinciis,quæ ante vnctionem & coronationẽ imperialem subiecta erant Carolo magno & Octauiano;primo,habet Rex Romanorũ eandem potestatem ante vnctionẽ imperialem, quã & postea habiturus est. Et ideo imperator nõ tenet prouincias & terras subiectas regno & imperio,quas tenuit Carolus magnus siue iure hæreditario siue iure belli ante translationem imperii in ipsum factam per Papã. Sed imperator tenet à Papa nomen imperatoris & iura imperialia siue potestatẽ imperialem in aliis prouinciis & terris,quæ non erant sub potestate Caroli ante tempus translationis imperii in ipsum,nec hodie subsunt de facto. Et hoc modo imperator tenet imperiũ à Papa virtute translationis imperii in ipsum. Et ratione illius nominis ac virium huius recipit ab eo vnctionem & cõronationem imperialem. Sic etiam potestas eligendi imperatorem,vt electus ab eis, cõsequatur nomen imperatoris & potestatem imperialem seu actus imperatori reseruatos exercendi in aliis prouinciis ac terris,quæ de facto non subsunt regno & imperio Romanorum, & quas nõ habuit Carolus magnus tẽpore translationis imperii,peruenit ad principes electores per ecclesiam. Et quo ad ista consequenda Rex Romanorum petere consueuit à Papa & ecclesia Romana post electionem suam sibi vnctionem & coronationem impendi. Alia est opinio,quæ videtur dicere,quod inter Reges Romanorum & imperatorem est solum verbalis differentia,vt sint diuersorum nominum, sed eiusdem officii seu potestatis. Quemadmodũ de Primatibus & patriarchis solet dici. Vnde & imperatores antiquitus,antequã esset dubitatio an esset distinctio inter regem Romanorũ & imperatorẽ, aliquando vocabantur *reges*,& aliquando *imperatores*; & aliquando *regnũ*, & aliquando *imperiũ* vocabatur. quemadmodũ ante imperiũ Romanorũ aliquando *potestas*,aliquando *regnũ*,aliquando *imperiũ* vocabatur,sicut patet ex *lib. Iud.c.11.& 2.* Et pro ista opinione potest taliter allegari in initio imperii Romanorũ & per plurima tẽpora postea,inter imperatorem & regem Romanorum, seu inter regnũ Romanorum & imperium nulla erat distinctio,sed ista erant nomina eiusdẽ potestatis, ergo & nũc sunt. Antecedens nõ videtur aliqua probatione indigere. nã in nouo testamento, in quo sæpe de regno Romanorũ & imperio fit mentio,nec in scripturis aliis vsq; ad tẽpora fere moderna,nulla insinuatur nec explicite inter regnũ & imperiũ Romanorũ distinctio. Cõsequẽtia probatur, quia reges Romanorũ vsq; ad tẽpora ista fuerunt successores illorũ,qui primo nõ solũmodo reges,sed etiam imperatores Romanorum vocati fuerunt,puta Iulii Cæsaris, Octauiani Augusti,& cæterorũ qui ab istis duobus vocabantur *cæsares & augusti*. Et in signũ,ꝙ illorũ sint successores omnes vsq; ad tempora ista *Augusti* & *Cæsares* vocantur. Rex aũt,qui alteri regi in aliquo regno succedit,eodẽ iure,quo ille,vti debet. *extra.de regu.iur.c.si quis,lib.6.* alias verus successor non esset. Primi autem reges Romanorum fuerunt vsi omni iure in tẽporalibus,quo imperator,postquam vnctionem & coronationem vti potest. ergo vltimi reges Romanorum & omnes qui fuerunt veri imperatores, veri sunt successores, habuerunt & habent omnem potestatem, quam habet imperator post vnctionem & coronationem. Istæ duæ opiniones discordant in hoc: quia prima opinio videtur asserere, quod imperatores,qui fuerunt post Carolũ magnum,nihil iuris habuerunt in regno & imperio, nisi inquantum sunt eiusdem Caroli successores: sed sunt successores nõ solummodo inquantũ fuit imperator, sed etiã inquantum fuit Rex Francorum hæreditariæ succedẽs patri suo Pipino, qui deposito Childerico rege Francorũ subrogatus. & inquantũ idẽ Carolus per bella iusta & licita sibi multas terras & prouincias subiugauit,& regno Francorum adiunxit. Secunda autẽ opinio tenet,quod imperato-

Digitized by Google

res & reges Romanorum inquantũ imperatores & reges Romanorũ, qui fuerunt post Carolũ magnum, fuerunt principaliter successores primorũ imperatorũ & regũ Romanorũ, quorum nonnulli fuerunt tẽporibus Christi & Apostolorũ. non fuerunt autẽ inquantum imperatores & reges Romanorũ successores Caroli, nisi inquantum Carolus fuit successor primorũ imperatorum & regũ Romanorum & aliorum, qui fuerunt post primos, & nõ inquantum erat Rex Francorũ: queadmodum si filius imperatoris ad imperiũ electi & assumpti fuerat postea imperator, dupliciter succederet patri, inquantũ pater erat imperator, quo ad terras seu regna ante imperiũ prius possessas per patrẽ, inquantũ filius succedit patri, quia si filius, ergo hæres. Et ex hoc videl. quod imperatores post Carolũ fuerunt successores primorũ imperatorum & regum Romanorum, præsertim illorũ, qui fuerunt tẽpore Christi & Apostolorũ, allegatio adducta superius. quod imperatores & reges Romanorũ multo magis vigorẽ habere videtur, ex hoc, quod sũt successores Caroli magni. Cuius ratio est, quia certius notũ est, quod illi infideles erant veri imperatores & reges Romanorũ, quã quod Carolus fuerit verus imperator & Rex Romanorũ: quia de illo vero imperio seu regno testimoniũ maius habemus, cũ testimoniũ Dei maius sit quã testimonium hominum. Nam de vero imperio seu regno illo infidelium habemus testimoniũ Christi & Spiritus Sancti, qui in Iohanne baptista & Apostolis loquebatur. dixit enim Christus de Tyberio cæsare: *Reddite quæ sunt cæsaris cæsari* &c. Non dixit, reddite quæ Cæsar dicit esse sua: sed dixit, *quæ sunt cæsaris*. Iohannes etiam Baptista, vt habetur Lucæ. 3. c. dicit publicanis militibus, qui officia & stipendia à Tybetio cæsare acceperunt. *nihil amplius faciatis quã constitutũ est vobis, contenti estote stipẽdiis vestris.* Ex quibus colligitur, quod ille Tyberius erat verus imperator & Rex Romanorũ. De Octauiano autẽ primo Augusto dicit Lucas Euangelista: *Exiit edictũ à cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Et beatus populus ait: *ad tribunal Cæsaris appello, vbi me oportet iudicari.* Tantũ autẽ testimoniũ nõ habemus de Carolo, sed longe minus de vero imperio seu regno quocunq; ipsius habemus, præsertim quantũ ad regnũ Francorum. Vnde etiam quidam ex historiis & Chronicis nituntur probare, quod non verum, sed tantũmodo vsurpatum sit. Cum primi reges Francorũ, in quorum loco successit Carolus magnus, eiusdẽ regni fuerunt inuasores, aut successores eorum, qui terras eiusdẽ regni & prouincias cõtra obedientiam, quam imperatori debebat sibi cõtumaciter vsurpabant. Nã legitur in Chronica Eusebii, quod à quibusdam profugis extraxerunt originẽ propter victoriam, quã habuerunt de Alamanis, à Valentiniano Imperatore per decem annos facti liberi ab omni tributo & Franci vocati. Post expletũ decennium tributum soluere recusantes, missos ab imperatore ad accipiendum tributum occiderũt, & postea ab imperatoris exercitu debellati transierunt Rhenum, & Romanos in eo tẽpore in gallia per suos magistratus vsq; ad Ligerim fluuiũ imperabant, bello aggressi partim ipsos occiderunt, partim etiam fugarunt. Postea captis vrbibus Forniaco, Cameraco, ac postremo totã galliam & germaniam ab Aquitania vsq; Bauariã sibi vendicarunt. Primus autem Rex Francorũ fuit Pharamundus, nepos Priami, sub quo & cũ Duce suo Anthenore fuit prædicta victoria. Et ab illo tẽpore Germani vocabantur Frãci. De illo ergo Pharamundo descenderunt reges Franciæ vsq; ad tẽpora Childerici regis, qui fuit vltimus de genere illo. quo deposito Pipinꝰ pater Caroli magni substitutus est eidẽ. Ex his colligitur, quod regnũ Francorũ à tyrãnico incepit initio: & videtur, quod nunquã fuerit iustũ & verũ regnũ, quia hoc fiebat aut per præscriptionem, aut electionẽ, & consensum seu voluntatem populi Francorum, aut per substitutionem Pipini Childerico iam deposito. non per præscriptionem legitimam: tum quia possessor malæ fidei vllo tẽpore nõ præscribit, *extra. de Reg. iur. c. possessor. lib. 6. & c. fi. extra. de præscript.* Franci aũt in principio bonã fidẽ nullo modo habuerunt, cũ per violentiã terras subiectas imperio inuaserint, possiderint. quare origo præscriptionis extitit vitiosa, & per consequẽs præscriptio vera nõ fuit, quia etiã contra obedientiã vel subiectionẽ cõtra publicã vtilitatẽ & contra res principis nõ currit præscriptio. sed Franci constituendo sibi regẽ in obedientes imperatori cõtra publicã vtilitatẽ fecerunt ius imperii, quod est ius publicum ac vtilissimũ, minuẽdo, ac terras & res principis, scil. imperatoris, sibi vsurpauerunt iniuste. Quare regnũ Francorum per præscriptionẽ legitimã nullatenus factum fuit verum regnum: quia quãuis populus nõ habens superiorẽ scil. regem, si careat rẽge, possit cõstituere regem proprium de iure gentium, tamen populus habens de iure quamuis nõ de facto, non potest sibi cõstituere alium regẽ. Populus autẽ Francorum de iure habuit superiorẽ, scil: imperatorem, cuius est constituere regẽ in terris subiectis imperio. habuerunt etiam regẽ, saltẽ imperatorẽ. ergo populus Francorũ absq; auctoritate imperatoris non poterat sibi constituere regẽ. Et ita regnũ Francorum non fuit de iure verum regnum, etiam per voluntatem populi Francorum, nec fuit verum regnum per substitutionem ipsi Childerico regi factam: quia aut ista substitutio facta fuit à populo Francorum, aut à Papa, si à populo Francorum, nulla fuit: quia populus Francorũ potest sibi constituere regem, non autem aliquem substituere alteri in regem. Sed populus Francorum, sicut probatum est, propter hoc quod de iure subiectus fuit imperatori, non potuit sibi regẽ eligere nec substituere. Si illa substitutio fiebat à Papa; dicet aliqui, quod etiã de iure nulla fuit, quia sic sine causa tollere iura imperatoris non potuit, vt ipse Papa testatur *extra. de iudic. c. nouit:* quia tũc consimili ratione posset in quocunq; regno constituere regem: & ita nomen imperatoris, ad quem solum spectat conferre regiam dignitatem, sibi vsurpare valeret. Cuius contrarium habetur, *96. di. c. cum ad verum.* Et si forsitan dixeritis, quod licet Papa non posit regulariter constituere regem, hoc tamen casualiter potest: scillicet in casu necessitatis constituere, qualis fuit, quando Pipinus fuit constitutus Rex Francorũ. Hic dici posset, quod esto, quod Papa hoc posit in casu necessitatis constituere regẽ: hoc tamen non potest in præiudiciũ illius vel illorum, ad quẽ vel ad quos spectat institutio, præsertim illo vel illis inconsulto vel incõsultis. Hoc etiam nõ potuit, quando per alium

modum possunt pericula præcaueri,& communis vtilitatis procurari. sed sic est, quod quando Pipinus factus fuit Rex,institutio regum spectabat ad imperatorem. Et si ipse fuerit negligens,potestas constituendi regē non deuoluebatur ad Papam, qui iuxta auctoritatem Apostoli & Canones sacros non debet se secularibus negotiis implicare:sed deuoluebatur ad Romanos.& si ipsi fuissent negligentes,deuoluebatur ad Francos.in casu autem necessitatis, omnibus negligentibus, deuoluta fuisset ad Papam.Item per alium modum quam instituendo Regem, qui natus actus reseruatos imperatori exerceret,poterant in terris Francorū pericula præcaueri, & procurari vtilitas communis.ergo tunc non fuit casus,in quo Papa haberet potestatē constituendi regē. Sane prædicta de regno Francorum etiam secundū opinionē secundam tantummodo allegando siue arguendo dicta sunt.quia opinio secunda hoc nō tenet, licet dicat, quod imperatores magis gloriari possunt se esse successores imperatorū & Regum Romanorū, qui fuerunt tempore Christi & Apostolorū successorum illorum.Secundo discordant prima & secunda in hoc,quod opinio prima tenet, sicut quod per te recitatum est supra:quod Rex Romanorū ante vnctionē & coronationem imperialem habet eandem potestatē in omnibus terris & prouinciis,quam habet imperator post vnctionem & coronationē imperialem.quia ante vnctionem & coronationem imperialem habet ex electione principum eandē potestatem,quam habet imperator in Italia & aliis prouinciis & terris subiectis imperio.Secunda autem opinio distinguens inter regnum Romanorum & regnum Francorum : & inter regem Francorū & regem Romanorum:licet prædicta pro parte veritatem possint continere, tamē veritatem non habent quantum ad omnia.Carolus enim ante vnctionem & coronationem imperialem & translationem imperii fuit Rex Francorum & Patricius Romanorū.sicut patet 62. *di. c. adrianus & c. in synodo*,& tamen ante Rex non fuit Romanorum.Et ideo inquantum Rex Romanorū omnem potestatē habuit, inquantum imperator. quare successores eius non aliam potestatem habent inquantū reges Romanorū & inquantū imperatores.Nulla ergo debet esse distinctio inter regē Romanorū & imperatorē.Sed forte dicet aliquis,quod forte quātū ad terras, quas obtinuit Carolus antequā esset imperator,& quantū ad aliquas alias,debet esse aliqua distinctio:quia habuit regiā potestatē in illis terris & prouinciis antequā esset Imperator: successores eius ante quā sint imperatores,in illis prouinciis,quas tenuit Carolus antequā esset imperator, habent regiā potestatē.Hic respondetur secundū secūdā opinionē,quod Carolus antequā esset imperator aliquas terras & possessiones occupauit inquantū Rex Francorū hæreditario iure,aliquas occupauit inquantum expugnator & debellator detentorum iniustorum quarundā prouinciarum & terrarum, qui propter tyrannides & iniurias,quas contra innocētes perperam exercebant, digni erant à quocunq; Domino præualente potentia licito bello priuari & pœnitus extirpari.in ipsis terris & prouinciis Carol⁹ habuit potestatē illo iure, quo alii reges in regnis suis potestate regia decorantur in suis terris.& vt in nonnullis apparet Carolus antequā fuisset imperator,non habuit regiam potestatē.licet enim iusta bella gerentes sæpe faciunt sua quæcunq; capiunt ab hostibus,tamen istud non est vsquequaq; & ymmo taliter verū,sed aliquas exceptiones habet.quarum vna est secundum quosdam,quando bellū iniustum est.Nam quicunq; aliqua capit in tali bello, tenetur ad restitutionē & ad satisfactionē de omni damno & iniuria.Alia causa est,quando ille, contra quē geritur iustū bellum,offert ius & vult satisfacere. Alia est,quando habens iustum bellum,capit rē alterius ab hoste iniuste detentam.res enim aut seruus innocentis,aut etiam innocens homo,si detinetur ab hoste,& postea capiatur à iuste pugnante,non transit in Dominiū capientis. Alia potest esse quando subditi vel vasalli alicuius Domini ex causa siue authoritate Domini pugnant contra inuasores vel detentores rerū siue mobiliū siue immobiliū. Non enim tales iustū bellū habentes faciunt sua illa,quæ capiūt.Carolus itaq; licet per bella iusta occupauerit multas prouincias & terras,tamē nō potuit per huiusmodi iusta bella facere eas suas,quia pertinebat ad ius & Dominiū imperatoris. Et forte aliquæ earū ad ius & Dominiū aliquorū aliorū, qui non poterit per Carolū priuari iure,quod habebat in eis,veruntamē Carol⁹ licite potuit terras illas occupare,& fructus percipere,quousq; satisfactū fuisset sibi de dāno,labore & expensis & operis suis & suorū ; Præsertim si veri Domini terrarū illarū ipsas modo debito minime repetebāt.sicut autē per huiusmodi occupationē nō potuit verum Dominiū earum saltē principale acquirere,ita nec per eam in eis potuit dignitatē regiam adipisci.Sed postquā fuit imperator factus, nactus fuit in eis imperialē & regiam potestatē.quamobrē quia imperatores successores Caroli non succedebant Carolo inquantū erat Francorum Rex,nec inquantum per iusta bella terras aliquas & prouincias occupauit,sed solummodo inquantum erat imperator,qui diuidens terras, quas occupauit,aliquas assignauit imperio,vt imperator successor suus omnes illas eodem iure possideret: aliquas vero contulit cuidam filio suo aut nepoti.ideo imperatores seu Romanorū reges successores Caroli eodē iure vel diuerso possidēt omnes terras sibi subiectas,quo possidebat Carolus in quantū erat imperator:& quas possidere debent inquantū reges Romanorū seu imperatores. Vt autē sciatur,quare dicatur eodem iure vel diuerso,est notandū,ꝙ Carolus, sicut & quilibet alius imperator, nō habebat omnino idē ius seu potestatē in omnib. terris sibi subiectis. Quædā enim erant solummodo imperii nō alicuius alterius regis aut principis uel Domini:quæ quasi quædā stipendia erant imperatori pro imperialibus laboribus,ac etiā pro hiis exequēdis,quæ ad imperiale spectant officiū assignata,de quib. habebat potestatē faciendi quæcūq; volebat: præsertim vbi videret reipublicæ impedire,& in destructionem seu mutilationem aut diminutionem imperii nullatenus redundare. Aliæ vero terræ erant aliorum regum & principum vel dominorum , in quibus eo quod alii reges & principes ac Domini non erant sui imperatores,sed liberi,propter quorum etiam aliorū vtilitatem

imperium, si erat optimus principatus, fuit principaliter institutum. quare imperator vltra tributum ordinatum non poterat ab eisdem aliquid licite exigere, nisi propter vtilitatem publicã procurandam. Ex hiis colligitur, quod Carolus antequam esset imperator, non habuit regalem in Italia potestatem. Et ideo Italia non fuit vnquam adiecta regno Germanorum, sed aliquo tempore tã Italia quam germania fuit imperio pro dictis causis deputata ad onera imperii supportanda. Ex hiis etiam diligenter attentis patent responsiones in oppositum factæ.

Clericus. CAP. CLXXX.

Ista opinio nullo modo potest stare, quia secundum eam sequeretur, quod regnum Francorum cessasset post Carolum magnum, quia videtur ꝙ in regno Francorum nullus successit Carolo nisi imperator. sed, vt dicit prædicta opinio, nullus imperator successit Carolo inquãtum erat Rex Francorum, sed solummodo inquantum erat imperator. ergo regnum Francorum ex tunc cessauit

Miles. CAP. CLXXXI.

Respondent aliqui, quod regnum Francorũ, quod sic primitus vocabatur, cuius caput & principium fuit in Theutonica, & antequam Carolus fuit imperator, ipse fuit Rex, & post mortẽ Caroli desiit esse regimen. vnde & per multa tempora postea nullus fuit Rex Francorum. Carolus enim non solum regimen Francorum, sed etiam imperium pro parte diuisit. Nam Carolus magnꝰ cum morbo & senectute grauaretur, congregatis solenniter Aquisgrani proceribus de toto regno Francorum, Ludouicum filium suum Acquitaniæ consortem sibi totius regni, Imperialis nominis hæredem sub anno Domini DCCCXIII. constituit, impositoq; capiti eius diademate imperatorem & Augustum appellari iussit. post hæc ipse Ludouicus mortuo patre suo generale consilium fecit Aquisgrani sub anno Domini DCCCXXII. habens filium primogenitum Lotarium, totius imperii sui constituit hæredem; & cæteros Reges appellans, vnum Acquitaniæ scilicet Pipinum, alterum Bauariȩ scilicet Ludouicum præfecit. Quarto vero filio scilicet Carolo, Retiam & Burgundiã posthæc concessit, Idem vero Lotharius post mortem Ludouici imperatoris assumpto sibi Pipino filio fratris sui Pipini, cum Ludouico & Carolo fratribus suis occasione discordiæ inter ipsos super diuisione regni Francorum subortæ apud pagum Altissiodorensem bellum grauissimum commisit: tamen Ludouicus & Carolus non sine graui dispendio suorum vicerunt. post hoc autem bellũ supradicti fratres inter se pacifici regnum & imperium Francorum sub anno domini DCCCXLII. diuiserunt, hoc modo. Carolus habuit regnum occidentale Francorũ à Britannico mari vsq; ad Mosã fluuium, & vocatus fuit Rex Galliæ. Ludouicus habuit occidentale regnum Frãcorum, scil. totam Germaniã vsq; ad Rheni fluenta, & nõnullas ciuitates cum adiacentibus pagis transRhenũ, & vocatꝰ est Rex Germaniæ. Lotharius vero primogenitus Imperator vocabatur, & à Mosa vsq; ad Rhenum fluuium, quasi medius inter duos incedens, sortitus est, quæ vsq; ad hodiernum diem Lothoringia in eius nomine solita est appellari. Habuit etiam Prouinciam & omnia regna Italiæ cum vrbe Romana. sed Pipino filio fratris ipsorũ Acquitania cessit. Ex hiis aliisq; pluribus colligitur, quod regnum Francorum cessauit omnino. & quod terræ quæ immediate subiectæ erant Carolo, tã imperium quàm regnum Francorum, multis modis diuisæ fuerunt. Et ideo nec in regno nec in aliqua parte ipsius aliquis succesit Carolo inquantum Carolus fuit Rex Francorum: sed vnus filiorum suorũ succesit, & inquantũ erat imperator in parte imperii, & in regno vel in parte regni Francorum. non tamẽ vocabatur Rex Francorum, sed tantũmodo imperator, vel tam imperator quantum Rex Acquitanniæ quã Imperator. alter vero filius Caroli vel nepos succesit Carolo in parte, quæ fuerat imperii inquantũ Carolus erat imperator, habens potestatẽ separandi partem imperii ab imperio, & non immediate sed mediate esset subiecta imperatori. Italia enim, quæ prius fuerat pars imperii immediate subiecta Imperatori, nullũ alium regẽ habens Dominũ tunc data fuit Bernardo nepoti Caroli, qui fuit Rex super Italiã constitutus. Postea vero regnum Francorũ fuit aliis modis diuisum, sicut patet per prædicta, ita tamen ꝙ in illis temporibus & multis aliis postea nullus vocabatur Rex Francorum. Ex quibus omnibus duo inferuntur. primum est: quod regnum Francorum, tyrannicum habuit initium. & similiter si aduertamus processum scripturæ sacræ, inueniemus quod potestas iurisdictionis secularis, quantum ad quatuor imperia, videlicet Assyriorũ & Caldæorum, Medorũ & Persarum, Græcorum & Romanorũ, non fuerunt à principio legitime introducta, sed per violentiã vsurpata. de imperio enim Assiriorũ & Caldæorũ patet. hoc enim incepit à Nemroth, de quo dicitur *Gen.10.c.* quod ipse *incepit esse potens in terra & erat robustus venator coram Domino.* id est, oppressor hominum, sicut ibidem exponitur per Magistrum historiarum. Vnde per violentiam & oppresionem aliorum acquisiuit sibi regnum & imperium. & fuit principium regni eius Babilon & Aroth & Thalamie, de quã egressus est Assur, qui ædificauit Niniuen, vt in *eodem. c.* dicitur. De imperio autem medorum & persarum, quod fuit introductum per violentiam, patet *Daniel.5.c.* vbi legitur, quod interfecto Balthasar rege Babylonis translatũ est regnũ & imperium in Medos & Persas. Post imperium medorum & persarum succesit imperium græcorum non per viam legitimæ electionis seu hæreditariæ succesionis, sed per metum & violentiam, sicut clare patet in principio *primi libri machabæorum*, vbi dicitur, quod Alexander Rex græcorum percussit Darium regem persarum & medorum, & constituit prælia multa, & interfecit reges terræ, & sic obtinuit imperium. De imperio autem Romanorum clare patet ex Chronicis diuersisque historiis, quod insurrexit per potentiam secularem. Ex quibus patet, quod potestas secularis quantum ad quatuor imperia sibi inuicem succedentia, non fuit à principio legitime

legitime

Vltime introducta. in signum huius, quatuor imperia seu regna ostensa sunt Danieli in visione sub similitudine non hominum sed bestiarum, quia non insurrexerunt per viã rationis, sed impetu sensualitatis, quantum ad primam sui originem. *Et nullum violentum perpetuũ*, secundum Philosophũ. Sed quantum ad veritatem, regnum Franciæ nunc præ cæteris regnis totius orbis est benedictum. esto, quod à principio violentũ habuit initium. processu tamẽ temporis reductum est ad statum legitimum, primò accedente populi consensu tacito vel expresso. patet enim, quod deposito Chelderico rege Francorum de consensu populi Pipinus fuit eidem subrogatus. quæ quidem subrogatio sic expressa tacito demum consensu populi concessa hactenus extitit confirmata. Constat enim ex iam dictis, cum primus principatus ante tempora Pipini fuerit violẽtus, & contra voluntatem populi, licuit populo sibi alium principem seu regem eligere. 94. *di. c. legimus*. regnum enim Israel legitimum habuit initium. Nam Saul primus Rex electus fuit auctoritate domini, vt quia ex consensu populi. eo autem reprobato propter inobedientiam, electus fuit Dauid à Deo, & vnctus per Samuelem, vt legitur *primo cap. Regum.* 16. & filii eius successerunt sibi ex ordinatione Dei. Constat autem, quod Rex Pipinus ex consensu populi, vt est dictum, fuit electus in regem. nec aliquando propter inobedientiam ipse seu descendentes ab eo deponi metuerunt. sed ex ordinatione diuina Reges Franciæ inunguntur & consecrantur ex ampulla cælitus per angelum transmissa. Quid plura? nunquid hanc successionem iure hæreditario fore legitimam beati Ludouici testantur miracula? Considerentur insuper inter cætera, quæ & quanta contulerit Altissimus Regi nostro Carolo quinto, de quibus sufficiat remissio ad ea, quæ fuerunt dicta supra in *prohemio*. Ex quibus luce clarius concludetur, regnum Franciæ modernum non fore vsurpatum seu violentum, sed permissione & gratia diuina concessum Nec obstat, quod prius subdebatur, quod à tẽpore Caroli magni desiit esse regnum propter illam diuisionem, quam fecit inter filios, nec aliquis sibi successit in regno Franciæ tanquam Carolo, sed tanquam imperatori vnde regnum Franciæ erat pars imperii. respondeo, supposito sine præiudicio. quod Carolus potuerit regnum Franciæ vnire imperio, saltem per illam diuisionem regnum Franciæ factum fuit imperium: quia qua ratione altera particula imperii nomen retinuit imperii, eadem ratione & regnum Franciæ, cum esset portio imperii nobilissima. Et ad hoc facit exemplum legale. *l. quod in rerum. ff. de lega.* 1. Nam si ex destinatione patrisfamilias vna domus diuidatur in duas partes, quælibet pars diuisa retinebit nomen domus. sic & in proposito, quælibet portio imperii diuisi nomen retinebit imperii. Et per consequens Rex Franciæ potest dici Imperator in regno suo, cum neminem recognoscat in superiorem, in *c. venerabilem, qui filii sunt legitimi*. Sed reputo longe honorabilius, quod Rex Franciæ vocet se regem Franciæ quam imperatorem Franciæ. Primo, quia sic est consuetum, & ita fecerunt prædecessores sui. Et secundum. quod dicit lex ciuilis, *in rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas antequam recedatur ab eo quod diu æquũ visum est ff. de legi. l. in rebus*. Insuper lege diuina permissa & adinuenta fuerunt regna, vt patet in Dauid, Saule & Salomone, & pluribus aliis approbatis, vt patet *extra de sacra vnct. c. vnico. § in veteri*: Et prouerbiorum. 8. c. dicitur, *per me Reges regnãt*. & in pluribus locis veteris testamenti fit mentio de regibus. Sed non inuenitur de imperatore aliqua mentio. Quia nec illo tempore fuit imperium, sed postea per multa tempora incepit. In lege etiam noua seu euangelica dicitur 1. petri. 2. c. *Deum timete, regem honorificate*. Nomen igitur regis est antiquius & honorabilius, cum vtraq; lege sit approbatũ. Nomen vero *imperatoris* est ab inuentione noua introductum. Altissimus creator noster se vocat *regem regum*, non imperatorem imperatorum. Insuper quã dulce sit nomen regis Franciæ, proclamat omnis terra, nedum fidelium, sed etiam infidelium. Nam citra & vltra mare nomen istius regni super omnia regna & imperia est plurimum exaltatum.

Clericus. CAP. CLXXXII.

Circa prædicta moueo quæstiones. Prima erit, quomodo Carolus, ex quo dictus fuit *Augustus* ab augẽdo, poterat diuidendo minuere imperiũ? Secunda, qua potestate aut iure filiũ suũ constituere potuit imperatorẽ? Tertia an quilibet imperator successor Caroli habeat eandẽ potestatẽ?

Miles. CAP. CLXXXIII.

Ad primam istarum quæstionum, respondeo secundum opinionem secundã, de qua prius fuit mẽtio, quod Carolus inquãtum fuit Imperator, habuit tam plenam administrationẽ in rebus imperii, vt non solum posset de hiis facere pro suo arbitrio voluntatis, quicquid conferret ad bonũ cõmune, sed etiã vt posset facere de hiis quicquid nõ esset in dispendiũ boni cõmunis. Et ideo quia separatio Italiæ ab aliis terris & prouinciis immediate subiectis imperatori non erat dispẽdium boni cõmunis, ideo forte vidit Carolus, quod erat expediens bono cõmuni eam à terris aliis separare, præsertim cum ipse subiecisset regnũ Francorum immediate imperatori, quod prius non erat ei immediate subiectum. Vtrum tamen hoc potuerit facere, grande est dubiũ. Et videtur quod non per notata per Hostien. *extra de maio. & obe. c. dilecti*. quicquid sit, potuerit vel non, per illam diuisionem, quam fecit Carolus inter filios, regnũ Franciæ rediit ad primam naturam. *c. ab exordio. 25. di.* Et ita poterat merito *Augustus* ab augendo appellari. Non obstante, quod Italiam, quæ erat parua respectu aliarum terrarum, separasset. Vnde secundum quod ciuitates aliquas potuit facere liberas absque decreto imperii, ita potuit Italiam tali modo ab aliis prouinciis immediate subiectis imperatori separare. Ad secundam respondetur, quod Carolus primus potuit filium suũ constituere imperatorem eodem iure & potestate, quo & qua Iulius primus Cæsar & octauianus primus Augustus, & alii quam plures successores eorũ quandoq; filios suos, quandoq; alios fecerunt

Digitized by Google

interdum successores, nonnunquam consortes imperii. Ex quo enim translatum fuit imperium, in Germanos in personam Caroli magni, omne ius & omnẽ potestatem, quod & quam habuerunt priores imperatores, habuit & Carolus magnus. Et si quæratur, à quo fuit facta ista translatio? vna est opinio, quod fuit facta à Papa. Et hæc opinio fulcitur per decretalem *venerabilem extra. de electione.* Alii dicunt quod translatio facta fuit principaliter à populo Romano, cuius pars est Papa & etiam clerus. Quod quædam Chronica insinuare videtur, in qua sic legitur, *ipsa die natalis Domini, cum Rex Franciæ ante missam ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: Carolo summo augusto à Deo coronato, magno & pacifico imperatori, vita & victoria.* Quæ verba videntur innuere, quod Leo Papa coronauit Carolum de voluntate & ordinatione populi Romani, ad quẽ spectabat De Imperio ordinare, quare translatio imperii de græcis in germanos, facta fuit à populo Romano, non excluso Papa. quod videtur posse probari sic. Ad illos spectat translatio imperii principaliter, si transferri debet, à quibus fuit imperium institutum. sed à Romanis & non à Papa fuit imperium institutũ. ergo à Romanis & non à Papa debet fieri translatio imperii: quia ad potestatem Papæ non pertinet regulariter se de temporalibus intromittere, ne videatur iuribus secularium derogare. quamuis igitur Papa casualiter deficientibus Romanis, quia scilicet nollent in casu necessitatis transferre imperium, posset Papa propter necessitatem transferre imperium, tamen quando Romani essent parati in casu necessitatis transferre imperium, Papa auctoritate propria hoc non posset, nec deberet, licet vna cum aliis Romanis inquantũ Romanus posset transferre imperium. Cum igitur, vt apparet, ex prædicta Chronica, Romani essent parati transferre imperium, Papa tunc auctoritate propria transferre imperiũ non potuit. Et ad decretalem illam *venerabilem* respondetur quod verba illa Innocen. sicut plura alia eius ibi & alibi sint exponenda, ne verbis eius & aliis locis contraria demonstrarentur, quia non dicit quod Apostolica sedes Romanum imperium in personam magnifici Caroli à græcis transtulit in garmanos: quia Papa auctoritate Romanorum coronauit Carolum in imperatorem: vel quia populus Romanus Papæ potestatem tribuit transferendi: vel quia Papa persuasit seu consuluit fieri translationem in germanos. Quare autem fuit facta dicta translatio, non est modo tractandum. Effectus autem dictæ translationis est, quod Carolus per prædictam translationẽ habuit potestatem de iure, licet non de facto, in omnibus quæ Octauiano subiectæ fuerũt prouinciis seu terris, & in prouinciis etiam quas sibi antea per bella licita subiugauerat. sed forte quæreret aliquis, quomodo fuit imperium translatum in germanos? Nunquid sic, quod nullus vnquã deberet esse imperator, nisi Germanus sit? respondetur quod sicut Romanum imperium non fuit translatum de Græcis ita quod nullus vnquã græcus deberet esse imperator in Germanis: talis enim ordinatio seu translatio optimo modo prouidendi imperio de imperatore obuiaret, & potestati imperatoris non modicum derogaret: quia tunc non habuisset Carolus, nec aliquis alius post eum potestatem promouendi imperatorem alium quam Germanum: cum tamen de facto aliqui alii quam Germani electi fuerunt. Alfonsus enim Rex Castellæ fuit electus, & aliqui alii. quis enim dubitat, quin Rex Franciæ etiam possit eligi in imperatorem? Ad tertiam quæstionem respondetur, quod quilibet imperator successor Caroli eandem habuit potestatem, quam habuit Carolus vel quicunq; prædecessor Caroli, tam quantum ad dandum aliquam partem imperii, dummodo remaneant imperio sufficientes terræ & prouinciæ ad omnia onera imperii sustinenda: quam quantum ad potestatẽ constituendi filium suum vel alium imperatorem. quorum vtrunq; probatur. Nam qui in iure succedit alterius, eodem iure quo ille vti potest. Aliter enim non esset vera successio. ergo quilibet imperator successor Caroli quantum ad illa duo, secundum quod quantum ad alia quæcunq; potest vti eadem potestate, quo & qua Carolus & quicunque prædecessor suus vsus fuerit. Et specialiter probatur secundum: scilicet de potestate constituendi imperatorem, per hoc quod sæpe de facto fit, quod per rationem reprobari non potest. Successores Caroli tam ante institutionem Principũ Electorum quam post, tam filios suos quam alios constituerunt imperatores & consortes imperii vel successores. Sicut in Chronica Ottonis Frisen. & in nonnullis aliis quibusdam gestis Imperatorum vsq; ad Fridericum legitur. Nam Ludouicus primus filius Caroli magni fecit Lotharium filium suum imperatorem & idem Lotharius filium suum Ludouicum constituit imperatorem, qui simul fuerunt Augusti, vt habetur *di. 63. c. Adrianus*

Clericus. CAP. CLXXXIV.

CONtra prædicta dupliciter opponitur. Primo, quia secundum hoc imperatores fierent per successionem, & non per electionem. quod repugnat optimo principatui, qualis debet esse principatus imperialis. Secundo, quia secundum ista Imperator deberet eligere Romanum pontificẽ, quia illã potestatẽ habuit Carolus magnus, vt 63. *di. c. Adrianus.* ergo per prædicta Imperator modernus eandem habet potestatem, quod tamen est manifeste falsum.

Miles. CAP. CLXXXV.

AD primam istarum obiectionum respondeo secundum opinionem. Optimus modus prouidendi simpliciter de imperatore est per electionem & non per successionem. Et non legitur, quod alius fuerit aliter constitutus Imperator. Vnde etiam filii imperatorum facti fuerunt imperatores per electionem, sed non semper per electionem illorum, quibus regulariter erat eligendi data potestas vacante imperio, Sed sæpe proprios filios vel alios imperatores constituerunt: quia non minorem potestatem habet imperator super imperium quam quicunque alii inferiores. Ad secundam obiectionem diuersimode respondetur. Dicitur enim vno modo,

quod

quod quilibet Imperator post Carolum & post Octauianũ primum Augustũ habuit potestatem eligendi supremum pontificem: quia sicuti patet. *63. d.c.in Synodo*, potestas ordinãdi supremum pontificem data fuit Octauiano & successoribus eius. quare potestas ordinandi Apostolicã sedem pertinet ad ius publicũ, quod est in sacris, sacerdotibus & magistratibus. quare Imperatoribus, qui inter Magistratus supremũ locum obtinere noscuntur, istud ius cõpetit. Nec iuri publico pacto derogari potest, *extra de foro compe.c.si diligenti.* quare Imperatores tali iuri minime renuntiare potuerunt. Sed ista solutio forsan non procedit per §. *verum.63. di.c.* Aliter dicitur quod istud priuilegium Caroli & Octauiani fuit personale, vel saltem quod Imperatores potuerunt renunciare illi priuilegio. Similiter dicitur, quod nec Carolus nec Octauianus habuit potestatem eligendi supremũ pontificem, inquãtum erant Imperatores: quia primi Imperatores, quorum Carolus & Octauianus fuerunt successores, potestatem illam nullatenus habuerunt. Et ideo potestas eligendi papam non cõpetebat eis inquantum erant Imperatores, sed inquantum erant Romani Christiani, quibus alii Romani Christiani commiserunt vices suas. eodem modo dicitur inuestitura Episcoporũ & Archiepiscoporum spiritualiter secundum quandã opinionem, quæ veritatẽ habet quantum ad temporalium collationem, quam facere Imperator præsertim in terris sibi subiectis, & non papa, potuerunt. ergo renuntiare, Imo & papa ex causa superueniente illam potestatem sic concessam, cum tenderit in noxã, poterat reuocare. *§.verum.63.di.superius allegata. & c.suggestum extra.de decimis.* Præterea hic est aduertẽdum, quod nunquam aliquis factus fuit Imperator Romanorũ, nisi per electionẽ, & proprie loquẽdo nõ pro successionem filii Imperatorum, qui facti fuerunt Imperatores, per electionẽ patrũ suorũ vel aliorum ad imperii fastigium promoti fuerunt. Vnde Ludouicus filius Caroli non iure primogenituræ, nec aliquo iure proprio alio, sed per electionẽ patris factus fuit Imperator. Vnde si pater decessisset, & nullum ad imperium elegisset, Ludouicus, si filius fuisset primogenitus, quãuis habuisset ius vendicandi regnũ Francorũ iure primogenituræ, quo iure in regnis occidentibus succedunt primogeniti patribus, non tamen habuisset ius vendicandi imperium seu regnum Romanorũ. In hoc enim, quod regnum Romanorum nemo assequitur per successionem seu per electionem, ipsum optimo modo regalis monarchiæ magno appropinquat. Insuper videretur, quod nõ plures Imperator teneat à papa terras, quæ non erant subiectæ Carolo magno ante vnctionem imperialem ipsius, quã tenebat alias per dictum Carolum prius possessas. Quia iure naturali vna terra non est magis subiecta papæ quã alia seu aliæ iure enim naturali omnia communia, & cõmunis omnis possessio est, & omnium vna libertas *di.1.c.ius naturale.* nec iure diuino aliquę terræ sunt magis subiectæ Iurisdictioni papæ quam aliæ. iure enim diuino Domini est terra & plenitudo eius. pauperes & diuites vna terra portat. *8.di.c. quo iure.* In scripturis enim Diuinis nullatenus inuenimus, quod Deus magis subiecerit Iurisdictioni papæ terras, quæ non erant subiectæ Carolo ante coronationem Imperialem quã alias; quia plures illarum terrarũ nec de iure nec de facto vmquã fuerant Christianorum, quia incolę earundẽ nunquam fuerant conuersi ad fidem: & per consequens papa super ipsas nullam habuit iurisdictionem, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 5. c. *Quid ad nos iudicare de his quæ foris sunt*? Nec iure humano terræ illæ sunt magis subiectæ Iurisdictioni papæ quã aliæ, quia nec iure ciuili: nec iure canonico: quia de hoc iure ciuili nihil habetur: nec iure canonico, quia papa, cuius est cõdere canones, non habet huiusmodi potestatẽ, vt regna & prouincias possit sibi subicere. tunc enim posset quodcunq; regnum subicere Iurisdictioni suæ. Et ita posset omnia regna suæ subicere potestati, & omniũ regnorũ iura perturbare cuius contrariũ ipse asserit in *c.nouit, extra.de iud.* Nõ ergo iure scripto erãt subiectę: patet etiam, quia nec iure nõ scripto, scilicet cõsuetudine, quia super hoc nulla consuetudo processit. Imperatores enim prædecessores Caroli non magis recognoscebant à papa illas terras, quę non erant subiectæ Carolo, quã alias. nec inuenitur quod alias tenuerit à papa; imo minus videtur ꝙ tenuerint illas terras à papa, quæ non erant subiectæ Carolo magno, quam Italia & alia regna occidẽtalia, quæ erant subiecta Carolo: quia c.illud *Constantinus di.26.* sonare videtur quod Cõstantinus dederit papæ Siluestro & successoribus eius omnes Italiæ & occidẽtaliũ regionum prouincias, ciuitates & loca, & non oriẽtaliũ regionũ? Quare si Imperatores prædecessores Caroli aliquas tenuerint à papa, potissime Italiã & occidentalia regna tenere debuerunt à papa. Sed forte diceret quis, quod virtute translationis Imperii in Carolum magnũ factæ per papam, Carolus tenuit à papa illas terras, quæ prius non erant illi subiectæ, & non illas quæ erant sibi subiectę, quia in illis habuit solummodo potestatem imperialẽ per translationẽ imperii factam per papã. quare specialiter illas habuit à papa, propter quod illas tenuit à papa & non alias. Hic diuersimode respõdeo. vno modo, ꝙ illa translatio non fuit facta à Papa, sed à Romanis, quorũ ab initio fuit imperium, & à quibus imperator primitus accepit imperium, qui omnem potestatem suam regendi propter bonũ cõmune transtulerunt in imperatorẽ, non tamen transtulerunt ius ipsũ & potestatẽ dominandi seu regendi, nec à se abdicauerũt omnẽ potestatem casualiter disponendi de imperio. Si enim hoc, fecissent se seruos imperatorũ strictissime accipiendo verbũ seu vocabulũ serui, & ita nullatenus liberi remansissent. Et per consequẽs imperator non habuisset principatũ regalẽ, sed pure domesticũ. Quare secundũ istam responsionem Imperator virtute illius translationis imperii nullas terras tenet à Papa. Aliter respõdeo: quod quãuis illa translatio fuisset facta à Papa, tamen ex hoc non sequitur, quod Imperator quascunq; terras debeat tenere à Papa. Quia sicut Papa imperium de gręcis transtulit in Carolum, ita transtulit regnũ Francorum de Childerico rege in pipinum patrem Caroli: quia; vt dicunt aliqui, illum deposuit, & istum sibi substituit. sed non obstante tali translatione, regnũ Francorum nunquã fuit Papæ subiectum, vt in prioribus fuit alias plenius tactum. ergo consimiliter in proposito. Sed dicet aliquis: &

mnis transferens de iure rem aliquam ab vno in alium, habet de iure potestatem aliquam super eandem rem. Si ergo Papa de iure transtulit imperium de græcis in Carolum magnum, habuit aliquā potestatem de iure super imperium. quare Carolus debuit recognoscere imperium à Papa: & per consequēs tenuit aliquas terras à Papa. Hic respōdeo, quod omnis transferēs de iure regulariter vel casualiter habet aliquā potestatē super eandē rem. Et ideo si Papa transtulit imperiū, saltē habuit casualiter aliquā potestatē super imperiū: sed non ex hoc sequitur, quod Imperator debeat tenere imperiū vel alias terras eius à Papa. Quia ita potest res de iure transferri ab vno in aliū, vt transferendo minime transferatur postquā translata est. Sicut patet in venditione & donatione, per quas sæpe fit translatio terrarū & iuriū, quæ postea à transferēte nō tenentur. Si ergo Papa fecit dictā donationē seu translationē, Carolus habuit imperiū à Papa tanquā ab illo, à quo ab initio habuit imperiū: non tanquā ab illo, à quo teneret imperiū vel aliquas terras eius: queādmodū donatarius, si vult esse gratus, tenetur recognoscere rem donatā à donatore, tanquā ab illo à quo tenet ipsam, quia sæpe donatarius nō tenet rem donatā à donatore. Istud vltimū & per consequēs conclusio principalis, scilicet quod Imperator nō teneat imperiū à Papa, confirmatur. verbū indefinite prolatū generaliter est intelligendū 19. *di. c. si Romanorū*. sed in *c. coronatio, & in c. veniale extra de elec.* indefinite dictū est, quod imperiū translatū est de Græcis in Germanos. ergo generaliter debet intelligi, vt nō restringatur ad modum talem transferendi, vt aliquas terras teneat Imperator à Papa, at aliquas nō. Tenet ergo Imperator vel omnes terras imperii à Papa, vel nullas sed non tenet terras ante coronationem per Carolum possessas, secundum quod superius est deductum: ergo nullas.

Clericus. CAP. CLXXXVI.

NVnc, miles amantissime, quoniam in præcedentibus regem Franciæ à tyrannide & à violentia visus fuistis totis viribus excusare, & ipsum laudibus præ cæteris regibus extollere: quæro, quo iure & qua conscientia rex modernus Carolus quintus regnū Franciæ teneat occupatū? planum est enim, & in omnibus regnicolis notissimū, quod sint plures proximiores stipiti regio, quā sit ipse, mulieres, & etiam masculini ex mulieribus descēdētes: & sic videretur, quod mulieres stipiti proximiores deberent ipsum excludere. vel esto, quod mulieres seu fœminæ non possint eum excludere obstante cōsuetudine, saltem masculini nati ex fœminis proximioribus rationabiliter & de iure ipsum debent excludere. Et hoc probatur iure diuino. Nam patet, quia post mortē Saphant filiæ suæ repræsentauerunt personā suā, & successerunt ei. 4. *Reg. 1. c.* Secūdo quod filius natus ex fœmina proximiori deberet ipsum excludere, probatur. statuta & consuetudines secularium plerumq; iniqua statuuntur, vt patet *c. quæ in ecclesiarū extra de constitutio. de Re iudi. c. cum causa. & c. graue de censi. de re iudi.* Et idcirco inquantū sunt fauorabilia, ampliātur; inquantū odiosa, restringuntur. & per hoc deciditur vna quæstio. Statutum est de facto, quod mater nō succedet filio: nunquid succedit filiæ? & certe cū statutum sit odiosum, & in præiudicium matris, & contra ius, restringendum est, vt non excludatur à successione filiæ *c. mulieres de sententia excommunicationis.* in proposito, odiosum est fœminam excludere à regni successione, & iuri cōmuni repugnans, vt iura manifeste probant, quia sublata est differentia sexus *C. de suis & legi. auctentica in successione.* Nec enim debent propter hoc puniri, quia fœminæ natæ sunt. *C. de legi. hæredi. l. penulti.* Quid enim peccauit natura, quia masculos non procreauit. *C. de liberis prate. vel exhæredatis. l. maximū.* Faciamus igitur interpretationē talem, quæ iuri communi, inquantū possit, conueniat, & cōsuetudinē non offendat. quia talis debet fieri interpretatio, quæ iuri communi priuilegio, si possit, conueniat. *c. cum dilectus, de consuetudine.* Tertio, hodie si procreatur descendentes per lineam fœmineā. vt pote nepotes ex filia, sine insertione alicuius de causis approbatis nullum est testamentū, vt in *auctentica, Vt cum de appella. cogno. §. illud quoq;, colla.* 8. quamuis isti nepotes præcedebantur à matre tempore conditi testamenti propter identitatem rationis. Vt sicut in linea paterna subditæ personæ alium ad rumpendū testamentum admittāt, sic & in linea materna. Sic à simili in proposito: Et si filia sit in medio tāquā impediēs, quia nō succedit in regno, tamē causa subiecta impediente de medio admittatur natus ex filia, vt succedat in regno. quarto, si depositio suspēsa sit propter superuenientē causam impedientē existentiā & cōtinuationē ipsius, si desinat causa impeditiua, insurgit depositio. *ff. de admen. leg. l. in causa & l. sequenti.* Nā legatum intercisum propter inimicitias superueniētes viuente testatore, si cesset & redeat in amicitiā, idem insurgit legatū. à simili, cum dispositio in regno succedendi respectu filiæ sit suspensa propter inhabilitatē ipsius, illa filia sublata de medio naturaliter vel cuilibet non curo, quia quod nullum est impedimentum patrare nō potest, vt in regula iuris insurgat effectus dispositionis, & succedat filius eius, qui proximior & masculus. Quinto, vbi aliquid est aptum natum cōtinuatiue producere aliquē effectum, si intercedat actus discontinuatiuus, illo subducto de medio fit vnio extremorum hic casus *legis sicut. C. de præscrip. 30. vel 40. anno.* Nā inchoata præscriptione, si superueniat pupillaris ætas, quæ faciat dormitare præscriptionē, tempore dormitationis sublato de medio, fit extremorum vnio ad præscriptionem complendā. Sic à simili, sublata filia de medio insurgat dispositio consuetudinis, quæ habet quod masculus proximior succedat in regno. Sexto, vbi aliquid cessat propter destructionē subiecti destructi, si idē destructum instauretur ex eisdem causis, illo instaurato surgit idē actus, & desinit ipsius cessatio. *ff. de verb. obligat. l. inter stipulantē. §. areā. ff. de solut.* Sic à simili infertur in proposito, propter disiunctionē subiecti seu inhabilitationē materiæ ex parte filiæ cessat dispositio succedendi in regno, si ex isto subiecto sic inhabili seu destructo instauretur seu procreetur masculus, habeat effectus dispositionis locū, & succedat quia proximior masculus. Septimo, si vinco vincentem te, non sequetur, ergo

Digitized by Google

vinco te.*c. auctoritate martini, de conces. preben. l. 6.* quod tamen .c. facit pro & contra. Remotiores masculi ex linea masculina descendentes bene vincunt filiam in successione regni, sed nõ sequitur, ergo filium. Vbi aduertendũ, quod inter casum nostrum & *c. auctoritate martini* multũ refert. gratia cuius præmitto, quod illa quæ sunt iuris cõmunis, & ei inhæret, extensibiliora sunt iis, quæ ex priuilegio procedunt & iuri communi repugnant, arg. *ff. de actis. & obliga. l. in honorariis. & l. eius. ff. de testa. milit.* Modo in *c. auctoritate martini* secundus impetrans inchoat victoriam suam de iure cõmuni, quia ex prioritate temporis contra tertium. Sed in hoc casu nostro remotior masculus non inchoat victoriã suam contra filiam iure cõmuni, sed iure speciali consuetudinario ergo restringendum, nec habebit locum illud vulgatũ: *Si vinco vincentem te.* &c. Proprie locum habet, quando ego, qui vinco te, habeo causam à te, tunc mediante illa causa vinco illum, quẽ tu vincis. & ita loquitur *Lex de di. & tēpo. præscript. l. de accessionibus.* vel quando tu, quem vinco, & ille quẽ vincis, estis eiusdem generis, rationis vel ordinis. tunc enim quæ ratio facit me te vincere faciet me omnes vincere, quos tu vincis, vt patet in exemplo *ff. ad tertull. l. æquissimum, penulti. §. vbi auus,* manumissor siue emancipator nepotis vincit patrem in successione nepotis. Certe eadẽ ratione vel maiori, quod vincit patrẽ, vincet tunc & matrẽ, quæ est eiusdem gradus cum patre, quia ambo in primo. Non sic in priuilegiato in successione, quia pater vel est vel fuit in capite agnatorum: Mater autem in capite cognatorum. idem est videre in exemplo *ff. Ad tertull. l. 2. §. obicere,* vbi mater vincit in successione filii omnes agnatos: igitur & patrem in adoptione: dato quod desierit esse agnatus, cum agnatio esset causa ad successionem vocans. Sed vbi hæc non sunt, cessat regula, vt in duobus creditoribus, quorum vnus est prior tempore, habet hypothecam expressam, alter vero est posterior in tempore, sed habet priuilegium, puta restitutionis, qui præfertur primo vt *ff. qui po. in pig. habe. l. interdum.* Hoc patet etiam in *auctentica, qui. mo. na. effi. sui & legitimi. §. discretis,* vbi naturalis in duabus partibus vincit agnatos, & tamen non vincit coniugem, quæ vincitur ab agnatis: quia agnati & coniunx nõ sunt eiusdem ordinis, quia remotior vincit patrem iure priuilegiato, non tamen filium, quia non sunt eiusdem ordinis seu rationis. Octauo, priuilegium concessum alicui & posteriori debet intelligi de masculis & fœminis. igitur illud priuilegiũ vel consuetudo, quæ deffert ius succedẽdi in regno solis masculis, intelligetur vniformiter de masculis natis ex vtraq; linea, cum in hoc non offendatur consuetudo nec ius cõmune. Nono, vbi non est defectus ex parte agentis, nec in forma ipsius actus, non debet impediri ipsius effectus, *de sum. Trini. & fide Catho. c. primo.* Et hoc est quod dicitur in alia facultate, actus actiuorum sunt in patiẽte & disposito, *de Reg. iur. c. veram. li. 6.* sed sic est, quod omne quod non est prohibitum in materia permissibili, censetur esse permissum. Sed materiam istam in masculis proximis intelligo esse permissam, cum sit certorũ casuum perhibitorium, in quo casu nõ reperitur masculus prohibitus: igitur &c. Decimo, ordinario facta sub vna specie nõ intelligitur facta in alia, imo videtur esse exclusa, vt notauit Dinus *de Reg. iur. c. plus semper l. 6.* Facit, quia in separatis nõ cadit illatio: & Separatorũ separata est ratio *c. idcirco de cõsecrat. eccle. vel altaris lib. 6. l. si domus. ff. de serui. vrba. prædi.* Ratio autẽ consuetudinis prohibẽtis filias in feudo succedere est, quia Dominus eis se non posset iuuare, seu Dominos non possent iuuare. Quæ cessat in masculis, quia sic à simili modo introducta videtur consuetudo, quod solus masculus succedat in regno, quia melius per masculum procuratur salus reipublicæ quam per fœminam. Hæc ratio cessat in nato ex filia: ergo &c. *l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patrona. l. cum cessante. de appella.* Nec obstat. *§. sed notandum, de his qui feu. da. pos. coll.* 10. vbi allegaretur casus huius quęstionis, quod filius filiæ nõ succedat & *de gradi. success. in feu. § filias,* ibi. *proles enim fœmini sexus.* Nam ibi tractatur de feudo, cuius superior cognoscitur, propter cuius superioris fauorem consuetudo feudalis succedendi ad filias non extenditur nec ad filiarum filias. Quoniã res de facili reuertitur ad naturam *l. si vnus. §. sed quod in specie ff. de pactis* Sed constat quod à principio filiæ non succedebant in feudo, in *auctentica de his qui feu. da. pos. §. sed antiquissimo.* Secus in casu nostro, si loquamur de successione regni, qui non recognoscat superiorem in terris. Vndecimo, clausula anteferri est odiosa. notatur per Cõposte. *extra. de rescrip. c. causam que,* sed in proposito clausula anteferri in successione regni potest verificari in masculo nato ex fœmina: igitur &c. quia quotiens vniuersalis propositio sine captione accipi potest, ad id quod minimũ captionis habet referri debet. *ff. de regulis iuris. l. quotiens.* Duodecimo, quod mulier possit succedere in regno, patet. Nam iure ciuile filia repræsentat personam patris, in *auctentica cessante C. de suis & legi. here.* Decimotertio, iure diuino filia repræsentat patrem, quia scriptum est in *genesi,* quod frater debebat accipere vxorem relictam fratris ad hoc, vt frater suscitaret fratri semen seu prolem, & vt ille qui inde nasceretur masculus vel fœmina repræsentaret personam defuncti. & sic repræsentabat personam illius, qui reuera non erat pater suus. Fortiori ratione ille, qui est verus filius vel filia naturalis & legitimus, debet repræsentare personam patris. Decimquarto, ratione publicæ vtilitatis statutum est, quod solus masculus succedat in regno, & super hoc consuetudo est introducta contra fœminas non contra masculos. Decimoquinto, consuetudo quod masculus succedit in regno non distinguit ex qua linea descendat. ergo pro obmisso habetur. tunc arguo sic: Casus non expressus à lege, testatore vel contrahente, pro obmisso habetur. *ff. solu. ma. l. si cum dotem, de libe. & posthu. l. comodissime.* succedet igitur natus ex filia, quia proximior & masculus.

Miles. CAP. CLXXXVII.

Secundum Isidorum, prius est vt nostra firmemus, deinde obiecta confutemus. Idcirco partem re-

gis nostri luce clarius variis rationibus fundabimus & demum ad obiecta respondebimus. Et primo sic: quod obstat patri vel matri, obstat filio. *ff. de re iudi. l. in his & l. aliud. §. fin. & l. nemo plus commodi.* Sed in proposito, filia propter inhabilitatem vel defectum sexus non succedit in regno: ergo nec filius eius. Secundo, paria sunt inhabilem esse & nullo modo esse. *ff. quod cuiusque vniuers. l. 1. §. fin. de translat. epi. c. inter corporalia*, ibi, *sicut iuxta communem modum loquendi* &c. Sed filia ista est inhabilis, vt patet ex consuetudine regni Franciæ cunctis notissima. Igitur filius eius non succedet, cum si nunquam fuisset in rerum natura, impossibile foret filium eius succedere potuisse. Tertio, filius cum patre seu matre eadem persona reputatur, à Deo quod vbi vnus stat vel est, alter stare vel esse videtur. *C. de agri. & censi. l. cum satis libro* 11. & vox vnius, vox alterius esse censetur, *Insti. de inuti. stipu. §. ei qui.* propter quod videtur, quod magis debeat considerari inhabilitas matris in successione regni, quam habilitas filii sui. quod pulchre sic demonstratur. Emancipatus emancipato de iure communi confert. suppono igitur, quod emancipatus veniens ad successionem cum fratre in potestate constituto, cum aliis filiis alterius fratris defuncti in potestate similiter constitutis, quorum filiorũ in potestate vnus erat, & alius emancipatus: quæritur, nunquid dictus emancipatus huic etiam emancipato nepoti suo confert? Lex dicit, quod sic, non considerato defectu emancipationis, qui est in ipso nepote, sed considerato patre, cuius personam repræsentat, cuius gratia sibi confertur. Hæc probantur *ff. de coll. bo. l. 1. § portionis, & eo. titu. l. si nepotes. ff. de coniungen. cũ emanci. lib. l. 1. § si filius,* circa finem. in proposito ergo potius debet considerari & contemplari habilitas vel inhabilitas matris, per quam successio quæritur, quam ipsius filii. Quarto, confirmo per casum legis. Quidem habẽs fratrẽ consanguineum tantũ, vel vterinũ tantum, vel nepotes, ab intestato sine liberis est defunctus. modo quæritur, quis admittatur ad defuncti successionem? si consideremus defuncti fratris consanguinei & vterini filios, cui nec consanguinei sunt nec vterini defuncto, de cuius successione agitur, non excluderet consanguineum vel vterinum tantum, sed propter omnimodam repræsentationem personæ patris primum ius obtinent, & dictum consanguineum vel vterinum tantum excludunt de iure, in *authentica de hæredi. quæ ab intesta. deferuntur. § si igitur defunctus coll. 9.* Concludo à simili, considerari personam matris, & sic medium per quod, & non personam filii eius in successione huiusmodi regni. Quinto, non delatũ nec quæsitũ ius nõ transfertur. *C. de cadu. tollen. l. vnica. § pro secundo:* sed filiæ nullum ius potuit acquiri in successione regni: ergo nullum potuit transmittere, arg. *l. qui tabernas. ff. de contrahen. empt. c. daibertum. 1. q. 7. c. ad dissoluendum de despon. impuberum.* Sexto, medium prędiũ, quod non seruit, impedit seruitutẽ. *l. qui sella. § si. ff. de serui. rusti. prædi.* ergo mater media inhabilis impediet translationẽ successionis in filium, cum de extremo ad extremum nõ fiat transitus nisi per medium inhabilem. & ideo dicit Lex, quod nepos ex filia non est in potestate patris auiq; : quia filia neminem potest habere in potestate. *§. si sunctio § filia. insti. de adopt.* Secundo etiã præmitto quod regulariter cuilibet ciui Romano libera potestas sit disponendi vsque ad dodrantem. *ff. ad l. fal. l. 1. in principio, & de verborum signifi. l. sæpe.* Aliqua tamen sunt ab huiusmodi regula excepta, de quibus nequit testator disponere, sed relinquuntur dispositioni iuris cõmunis. Aliqua enim sunt, quæ ad scriptos hæredes non transeunt, sed generi seu liberis reseruantur, sicut ius patronatus & stipulatio certarum operarum à liberto. *C. de la. li. tol. l. vnica. § & si sub conditione, & ff. de ope. lib. l. si operarum.* & huiusmodi naturæ videtur feudum esse, quia dans feudum nõ solum cogitauit de persona eius cui dat, sed de genere posterorum, quia in hoc considerando quietam & pacificam familiam in obsequium sibi eligendo. arg. *ff. de ali. & ciba. leg. l. cum vnus*, circa principium, & est expressum. 10. *collatione de na. succe. feu. c. vnico*, &c, *qualiter poterat feudum alienari. c. vnico. § donare.* hinc est quod est diuisio in Baroniis locum non habet, ne per diuisionem minutatim diuiso obsequio, Dominus de proprio seruitio defraudaretur, arg. *ff. de ali. & ciba. leg. l. solet. & ff. famil. hercis. l. plane. ff. de iure patronatũ. l. Cornelia pia.* nec in regnis vel ducatibus. Et est expressum *de prohi. feu. alie. per Fredericum. c. præterea ducatus.* arg. *extra de preben. c. maioribus.* & in hoc casu ius primogenituræ locum habet, de quo *Gen.* 15. *c. ad Hebræos.* 12. *c. 7. q. 1. c. quam periculosum de vot. & vot. redemp. c. licet*, & ibi per Hostien. Et iste debet esse masculus, *de feu. & qui feu. dare pos. c. vnico. § hoc quoque.* Tunc arguo, ius commune est quod masculus succedat in regno, prout superius est expressum: quod & consuetudine roboratum est, vt ne fœminæ nec eorum filii, nisi specialiter dictum sit vt ad eas pertineat: textus est planus *de feu. & qui feu. dare pos. c. vnico & §. hoc quoque* prius allega. & *de gra. succes. in § filia* 10. *collatione.* Maneat igitur hæc Lex communis, nisi quatenus reperitur eidem lege alia vel cõsuetudine derogatũ *ff. de adimen. & transfe. leg. l. alumne. § qui filias. C. de testa. l. sanximus.* Et idem confirmatur, quia qui nascitur, patris non matris familiam sequitur, *insti. de leg. agna. tu. § 1.* Sic ergo, prout dictum est, in feudo infeudans contemplatur feudatarium & eius hæredes masculos, vt quietam & pacatam habeat familiam. Nam præsumitur, quod filius sequatur conditionem patris potius, quam matris, arg. no. *l. quisquis. C. ad l. iul. ma.* sic debet concludi in regno ex præmissis. Octauo, beneficium succedendi in regno seu feudo hodie nouo iure protenditur in infinitum descendentibus ex masculis, *de feu. & qui feu. dare pos. circa fi.* ergo à simili idem in regno, quod soli masculi ex linea masculina descendentes succedere debent. Nono, vbi pater vni ex filiis libertum assignauit. qui filius, si moriatur, hanc assignationem liberti transmittit ad liberos & ad descendentes ab eis, nec fratres eius admittuntur quamdiu descendentes ab eo habiles reperiuntur, vt patet *ff. de assigna. lib. l. 3.* cum duabus legibus sequen. Hæc autem regni assignatio, vt ita dixerim, facta est. masculus ergo, quamdiu reperiuntur descedentes ab eo masculi, debet excludi à linea fœminea: Imo nec cessantibus masculis deberent in regno descendentes ex li-

nea

Digitized by Google

nea fœminea succedere, vt colligitur ex aliis argumentis superius tactis. Decimo, vbi pater vel mater ex aliqua inhabilitate vel mascula à successione repellitur, nec eius filius admittitur. & hoc de inhabilitate patris vel matris contracta ante natiuitatem filii; vt patet. *C. de fal. l. diuo marcho.* Sed clarum est & necessarium dicere, quod natus iste fuit genitus post inhabilitatem matris succedendi in regno: ergo &c. Vndecimo, si natus filiæ succederet in regno, esset propter quandam continuationem dominii huius regni de persona matris ad filium: quia viuente matre videntur quidã filii domini rerum. Imò nec distinguitur pater à filio, simili ratione nec mater à filio *l. furiosa ff. de cura. furio-si, ff. de liber. & posth. l. in suis.* Sed nec in actu nec in habitu fuit regnum acquisitum filiæ. igitur hoc sub ratione continuationis dominii in filium per matrem transmitti non potuit; quamuis filius ab ea descendens ante aditam hæreditatem transmittat querelam ad filium suum; quamuis nondum præparatam *C. de in offic. testa. l. si quis filium.* hoc facit, quia habitu eam habebat. Sed quod non est nec actu nec habitu, transmitti non potest. Duodecimo, regnum videtur de natura feudi paterni seu antiqui, quia ratione solius parentelæ procedit; quod transferatur ad masculos descendentes primo; & secundo ad transuersales; & nunquam ad fœminas, *de gradu succe. in feu.* §. 1. & arg. *ff. de interdictis & rele. l. 2. ff. de sena. l. emancipatum.* §. *fi. & de iure patro. l. diui fratres.* Decimotertio, vbi deffidentibus masculis ex pacto feudum transit ad fœminam, si taliter paciscens duabus relictis filiabus sine masculis moriatur, & altera ex filiabus habeat masculum, ille excludit materteram: quod est mirabile; cum iam ex pacto transierit ad fœminam, in *auctentica, de eo qui sibi vel hæredi suis mas. & fœmi. inuesti. acci.* iuncta glo. sua. Multo magis in proposito, vbi nullum pactum & nulla conuentio est, quod transeat ad fœminã semper masculi excludunt lineam fœmininam & descedentes ex ea. & pro hoc facit. *c. episcopum vel abbatem.* §. *quoniam etiam collatio.* 10.

Nunc autem restat respondere ad rationes partis aduersæ. Et primo ad primam de Saphant, cuius filiæ personam suam repræsentauerunt in successione. respondeo, quod saphant erat quidam pauper homo, qui colligebat ligna in sabbato, & fuit mortuus in peccato, nec erat aliquis proximior masculus quã dictæ filiæ. Et est etiam aliud in successione regni, vbi soli masculi debent succedere, maximè quando hoc habet consuetudo. Ad secundum, vbi dicitur quod statuta & consuetudines secularium plerumq; sunt iniqua, & ideo restringenda. Ista posset esse vera. sed cum vlterius subditur, quod cõsuetudo quod solus masculus succedat in regno & nõ fœmina, repugnat iuri cõmuni: hoc est falsum: Imo fauorabilis & magis procuratur salus totius reipublicæ per masculum quam per fœminam. Ad tertiam seu tertium, quartum, quintum & ad sextum argumenta: respondeo, quod sublata causa impedimenti extrinseca de medio, surgit, cõtinuatur & habet effectũ dispositio. sic procedunt cõtraria: Sed hic loquitur de causa intrinseca seu productiua actus, quæ est inhabilis à sui creatione & continuatione in progressu & in fine: quia nunquã potest mulier in regno Frãciæ, maximè obstante cõsuetudine, succedere: sic per consequẽs nec ad hæredẽ transmittere. Ad septimũ respondetur, quod vbicunq; mater expellitur propter inhabilitatem suam, eadem & pari ratione filius eius habens seu prætendens causam ab ipsa *l. diuo marcho. C. de fal.* qui vincit igitur matrem, vincit quemlibet habentem causam ab ipsa. Ad Octauum, fateor quod appellatione posteritatis continentur nedũ masculi, sed & fœminæ, maximè in priuilegio principis, quod est large interpretandum *c. decet de regulis iuris li. 6. l. fi. ff. de consti. princ.* Sed in successione regni virtute consuetudinis verbum *posteritatis* restringitur ad masculos, & sic debet intelligi de eis & descendẽtibus ex eis, vt est expressum superius. Ad Nonum, negetur quod hic sit habilitas ex parte fœminæ, vt supra probatũ est. Et quod dicitur, ꝙ edictum est prohibitoriũ certarum personarũ; dico, quod esto, quod expresse nõ prohibeat cõsuetudo natum ex fœmina succedere in regno, tamẽ implicite & virtualiter satis prohibet filium, dum matrẽ prohibet per medium, cuius filius deberet succedere, & non aliter. Ad decimũ, quando arguitur quod statutũ de vna specie ad aliam nõ extẽditur, verum est. sed hic versatur cõsuetudo circa eandẽ speciẽ, scilicet fœminas & per consequens circa filios earundẽ. Et quando dicitur, quod cessat ratio, quia masculus est & potest procurare salutem reipublicæ; hoc non obstat, quia adhuc cessat in eo consideratio, quia volunt iura concedẽdo quod solus masculus succedat in regno & in feudo, pari forma quod hoc fieret contẽplando familiã ipsius masculi & descendentes per lineã masculinam: quia, vt dicit Lex, qui nascitur, patris nõ matris familiã sequitur, *insti. de legi. agna. tu.* §. 1. Quod videmus practicari in armis, quia non matris sed patris quis defert arma. idem in cognominibus, & multis similibus. Ad vndecimũ respondeo quod illa clausula *anteferri* quod masculus succedat in regno nõ est odiosa: Imo quã plurimum fauorabilis reipublicæ, secundũ quod supra tangebatur respondẽdo ad secundã rationẽ. Ad duodecimum, vbi arguitur de auctentica *cessante*, per quã videtur, quod filia repræsentet personã patris, non obstat pluribus rationibus. Primo, quia rex Franciæ seu regnum nõ astringitur legibus Imperatorum. Rex n. Frãciæ nõ recognoscit superiorẽ in terris, in *c. per venerabilẽ, qui filii sunt legi.* Itẽ dicta auctẽtica *cessante* nihil facit ad propositũ: quia loquitur in rebus nõ feudalib⁹: nec etiã loquitur in regnis, in quib. alia ratio reformat pactum. Et propterea superuenerunt iura secundæ collationis, quæ prouident in feudalibus, quib. nõ erat antiquitus prouisum, vbi dicitur, quod masculus maximè in feudo paterno debet succedere. eadẽ ratione & maiori in regno. Itẽ dicta *auctẽtica* loquitur in rebus diuisibilibus sui natura: nõ autẽ loquitur in regno indiuisibili, vt in illa constitutione Frederici §. *præterea ducatus.* Ad decimumtertiũ, dicitur quod frater debebat recipere relictã fratris sui: ad hoc, vt suscitaret semẽ fratris. Dico. quod illa ratio facit ad opinionẽ nostrã: quia Deus promisit Abrahæ quod in semine eius benedicerentur omnes gentes. Et ad illum finẽ ne linea masculina Abrahæ deficeret, Deus ordinauit quod frater reciperet relictã fratris, vt suscitaret semen fratris sui, quia fœmi-

Digitized by Google

næ non reputabâtur verum semen promissionis: nec adhuc secundum rationem hodie reputatur linea fœminina ad perpetuationem essentiæ lineæ masculinæ. Insuper secundum legem moralem ad gubernationẽ populi & consulendum reipublicæ, melior & constantior debet eligi. 8. *q.* 1. *c. licet*. Sed constat quod mulier ex sui natura est inconstans. Nouem enim sunt vitia mulierũ. Primo, laborant contra propria cõmoda. *C. de spon. l.* 4. Secundo, quia genus mulierum est auarissimum. *C. de dona. ante nup. l. si à sponso. & ff. ad Velleia. l. sed si ego, in fi.* Tertio, quod voluntates earum sunt mométaneæ. *C. de in offic testa. l. filia.* vnde,

Quid vento leuius? mulier, quid muliere? nihil.

Quarto, quod malæ sunt, *ff. de offic. proconsul. l. obseruare.* Quinto, quod nimis sunt loquaces, vt *l.* 1. §. *sexum ff. de postula.* Sexto, quod omnes præsumuntur falsæ, & ideo à testificatione testamentorum prohibentur, vt *insti. de testa.* §. *testes.* Septimo, quia semper faciunt vetita. vnde nituntur in vetitum, faciuntque negatum: semper prona rei quæ prohibetur, vt *extra de matri. contrac. contra inter. eccles.* Octauo, quia volunt propriam turpitudinem allegare, *extra de diuortiis. c. ex litteris.* Nono, quia nimis sunt astutæ. & ideo dicit Lex, quod satis debet esse aliquis contentus, si possit immunis recedere à contractibus earum. vt *ff. de iure. decur. l. quotiens in fi.* Vnde Augustinus: *fœmina instabilis bestia, amabile odium, viri confusio, fomentum sceleris, origo litium, & ad omne scelus causam inueniens.* Cum igitur fœminæ tales habeant conditiones, masculi vero regulariter habent conditiones contrarias: sequitur quod ad regimen reipublicę masculi sunt præferendi mulieribus. Item secundum Philosophos, mulieres non debent assumi ad regendum rempublicam. Nam conditiones earum repugnant regimini reipublicæ. Ad hoc facit *Lex fœmina ff. de tutel. & l. fœmina ff. de reg. iur.* Plura enim incumbunt circa bonum regimen reipublicæ, de quibus mulieres non possent se intromittere. Et similiter inconueniens grande foret, quod principatus Franciæ gubernaretur per mulierem. nec mulier iure scripto potest succedere in regno, nec etiam iudicare potest. *l. cum prætor. ff. de iudi.* nec propter fragilitatem sexus posset iuuare seu defendere rempublicam. Nunquid exemplum habemus in benedicta Virgine Maria, quæ & si proximior fuerit filio suo Saluatori nostro, tamen non successit ei in regimine populi spirituali, nec etiam temporali, nec etiam iudicabit in die iudicii, sed Apostoli fuerunt instituti ad regendum populum in spiritualibus, & iudicabũt cum Christo in die iudicii. Et quod mulier non debeat succedere in aliquo principatu, patet *quarto Regum* 5. *c.* & Apostolus dicit, *estote subiecti regi tanquam præcellenti & ducibus tanquam ab eo missis.* Et est prohibitum iure diuino, & etiam per Apostolum, quod mulieres non dominentur super homines, nec debent mulieres docere vel iudicare. Ad decimumquartũ argumentum, quando dicitur, quod cõsuetudo præscripta est contra fœminas, non contra masculos: respondetur, quod consuetudo præscripta contra fœminas videtur similiter præscripta contra filios. quia destructo antecedenti seu fundamento, destruuntur omnia, quæ sequuntur ex eo. Et fœmina non delatum, non quæsitum ius transferre non potuit in filium. *C. de cadu. tollen. l. vnica.* §. *pro secundo.* Sed mulieri, secundum quod est sæpius dictum, nullum ius potuit acquiri in regno. ergo in filium nullũ potuit transmittere. Nec de extremo ad extremũ obmisso medio inhabili fit transitus. sed mulier est mediũ inhabile succedendi in regno ergo illud nõ trãsferret in filium. Insuper ius primogenituræ, quod est personale, nõ est transmissibile in hæredem *ff. de regulis iuris. l. in omnibus.* Et hic aduertendum, quod istud ius primogenituræ maximè in regnis fuit introductum, vt conseruaretur vnitas multitudinis seu populi, quæ dicitur pax: in qua bonum & salus multitudinis consistit, dicente Cassiodoro: *omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt & vtilitas gentium custoditur. sic bonarum artium decora mater hoc mortalium genus multiplicat, facultates protendit, mores extollit.* Et Legislator dixit: *congruit bono & graui præsidi curare patriam pacificam, quietamq; esse, quam regit, prouinciam.* Nam pace remota socialis vitæ perit vtilitas: quinimò multitudo dissentiens, si sibi ipsi est onerosa, & per consequens nihil habet honesti, opus fuit & est ad vnitatem & pacem huiusmodi inducendam & seruandam aliquo regente & dirigente, per quem ipsa multitudo dirigatur & regatur. vnde Salomon dicit: *vbi non est gubernator, corruit populus.* Quanto igitur regnum efficacius fuit ad vnitatem & pacem conseruandam, tanto vtilius: manifestum autem est, quod efficacius vnitatem efficere & conseruare potest masculus quam fœmina, & vnus etiã masculus quam plures in pluribus, requiritur enim vnio ad hoc, quod modo debito regi possit. vniri vero dicũtur plura propter appropriationem ad vnum multis existentibus in vna vniuersitate, seu multitudine paribus rectoribus. Et vno quoque id, quod sibi foret delectabile, prouidentibus, multitudo illa de facili dispergeretur, & vnitas subsistere non posset in ea. sic & in natura videmus, quam ars imitatur, vt *insti. de adopti.* §. *in moram.* Nam in membrorum pluritate est vnicum caput. quod si plura in eodem corpore reperiantur, dicetur esse monstrum *ff. de statu homi. l. non sunt liberi.* & in toto vniuerso vnus Deus factor & rector est, vt ait Philosophus 12. *methaphysica.* Exemplum quoque de vnitate huiusmodi in populo habetur ex diuina scriptura, vbi Deus per Ezechielem dixit *seruus meus Dauid rex super eos erit: & pastor vnus erit omnium illorum.* Et pro munere promittit populo suo, quod *ponet sibi caput vnum,* & quod *princeps vnus erit in medio eorum.* His quoque considerationibus prohibuit Papa in generali concilio, quod vna eademq; ciuitas siue diæcesis diuersos nõ haberet episcopos, ne vnũ corpus diuersa videretur habere capita, quod esset mõstrũ. Et à canone sancitum est, quod singulæ prouinciæ singulos Archiepiscopos habeant, vt *extra de offi. ordi. c. quoniam plerisq;.* & Romano populo, cum rectus esset per plures, necessariũ visum est reipublicæ per vnũ consuli, *ff. de origine iuris. l.* 2. §. *deinde.* His itaque considerationibus inductũ est, vt in vno regno

vnum

vnum caput præsit, quod populum regat & dirigat, & vnitatem & pacem inter ipsos nutriat & conseruet. Et quamuis aliquibus visum est probabilius, in hoc rationibus non carentibus, quod huiusmodi caput per electionẽ foret assumendũ, tamen obtentum & vsitatum est & esse vtilius approbatur, quod iure hęreditario per successionem in vno regno vnicus rex habeatur. Primo, quia mortuo principali capite, videlicet rege, discordiæ de facili poterant exoriri, quis poterat in principale caput regiminis substitui. Et ideo vtile fuit certam prosapiã determinare, ex qua semper assumeretur ipsum principale caput s. vnicus rex, sicut etiam habetur in simili. *ff. de mu. & ho. l. vt gradatim.* §. *& si lege & l. scripto* in principio. Et iterum: quia dissensio esse potuisset, quis ex ipsa prosapia assumeretur in regem vtile fuit determinare, quis mortuo rege regnare deberet. Et rationabiliter visum est, quod vnus ex filiis, & quidẽ primogenitus ipsius regis. Et hoc duplici ratione, primo, vt rex viuens præsciens aliquem ex filiis suis regnare debere, plus curet de vtilitate & ampliatione regni sui. Secundo, quia pluribus existentibus filiis rationabile visum fuit, quod primogenitus in regimine succedat. Nam natura dedit eidem hos quidem seniores, hos quidem iuniores: quorum hos quidẽ subiici, hos quidẽ principari decet: nec indignari debet iuuenis secũdũ ætatẽ subditũ fore valetiori, honestũ enim est iunioribus ministrare senioribus & obedire vt ait Philosophus *septimo politicorũ*, & facit. *ff. de fide instru. l. finali.* hoc etiam suadet dilectio maior, quam pater communiter habet ad primogenitum, vt pater ampliori solicitudine de bono regni curet, sciens eum ad filiũ plus dilectum peruenturum. Si quis igitur diligenter attendat rationes prædictas, ob quas inductum extitit ius primogenituræ, ipsum ius principaliter ratione regiminis fuit introductum, vt vnitas regiminis in regno esset, per quam pax & quies populi in regno conseruaretur. & ita in regnis, ducatibus & similibus dignitatibus locum habet, quibus maius versatur periculum, & in quibus pax & vnitas maior requiritur. in aliis vero ius commune obseruetur, vt æqualiter inter ipsos hæreditas diuidatur.

Clericus. CAP. CLXXXVIII.

AMplius quæro, quo iure Rex Franciæ modernus Ducatum Britanniæ Domino Iohanni de Mõte forti, vero & legitimo Duce expulso, sine causæ cognitione, teneat occupatum? Et primo videtur, quod ante omnia sit restituendus, *de resti. spo. a. in literis.* 2. *q.* 2. & 3. *q.* 1. per totum. Secundo, nemo debet priuari possessione sua sine causæ cognitione, *c.* 2. *de rescriptis & c. ex literis.* Vnde regula est, quod nunquam quis potest priuari possessione sua, saltem colorata, nisi eo primitus vocato. *c. licet.* 2. *de preben. lib.* 6. Vnde & si sententia iuris priuaret eum proprietate ipso iure, non tamen sententia iuris priuaret eum possessione, vt est casus expressus in dicto *c. licet.* & omnis actus iudicialis ab illa parte, quæ de in ius vocando appellatur, incipit. *instit. de pœn. te. litigan.* §. *fi. c. quoniam extra de proba.* & sic eum non intercesserit causæ cognitio, igitur restituendus. Tertio, rex iuris ordinem non seruauit, quia ad regem non spectabat eum propter feloniam priuare, sed ad pares, titulo, *Quo tempore miles inuestituram petere debet. c.* 3. & *de prohi. feu. alie. per Fredericum. c. imperialem.* nec poterat iudex esse in causa sua. *Cod. vt nemo priuatus*, in rubro & in nigro. Quarto, sicut per priuatum, sic & per iudicem potest fieri violentia. ad quod faciunt notata per Innocent. 4. *c. ex conquestione de resti. spo. c. conquerente.* Vnde si inuadetur colonus, vt fructuum perceptio impediatur, licet vti interdicto vnde vi pro recuperanda possessione. *ff. de vi & vi armata, l* 2. § *item si non vsufructus.* sed fructuum perceptio, quos subditi Ducatus Britanniæ percipiebant à domino suo, consistunt in pluribus, vt notatur 22. *q.* 5. *c. de forma*, & per regem impeditur. igitur saltem eis, vt videtur, nomine suo competit vtile interdictum vnde vi pro iuribus istis recuperandis contra regem. *l.* 1. §. *hoc interdictum de vi & vi ar.* Ex præmissis ergo euidenter concluditur, quod esto, quod dictus dominus Iohannes de Monte forti nullum ius habeat in Ducatu Britanniæ quo ad proprietatem, vel propter defectum tituli, vel alias: tamen ante omnia venit restituendus. Sed nunc luce clarius ostenditur, quod ipse sit verus Dux Britanniæ. Et primo sic. Planũ est, quod Arturus Dux Britanniæ habuit duos filios, scilicet Iohannẽ & Comitem de Monteforti. vnde dictus Iohannes tanquam primogenitus successit Arturo. qui quidem Iohannes sine hærede proprii corporis viam vniuersæ carnis fuit ingressus. & erat dictus Comes frater naturalis & legitimus dicti Ducis Iohannis, & proximior in gradu & consanguinitate ab illo latere, vnde Ducatus descẽdebat. Vnde sciendum, quod dictus Dux Iohannes diu ante mortẽ suam timens ne aliqua controuersia super Ducatu post decessum suum nasceretur, declarauit & expressit inter viuos voluntatem suam, videlicet quod dictus frater & Comes succederet eo casu, quod sine prole legitima sui corporis decederet, & esset sibi hæres vniuersalis & solus. Item tractu temporis suũ condidit testamentum, & dictum Comitem fratrem suum instituit hæredem vniuersalem in toto Ducatu Britanniæ. Et quod debeat succedere probatur iure diuino, naturali, morali, ciuili, & canonico. iure diuino probatur per legem, quam tradidit Dominus Moysi & præcepit omnibus obseruãdam, quæ dicit, quod *si aliquis moriatur sine filio masculo, hæreditas debet venire ad filias. & vbi non habet filias, veniet hæreditas ad fratres.* Sed sic est, quod dictus Dux non habebat filium vel filiam, nec alium fratrem, præter dictum Comitem: ergo. &c. Item 4. Reg. 5. c. dicitur: *mortuus est rex Occosias & regnauit Ioram frater eius. non enim habebat filium.* Quare concluditur, quod frater debet succedere filio deficiente. Et hæc iura sunt naturalia & immutabilia. 5. *di.* §. 1. *Item iure naturali.* Planum est enim, quod successio defertur iure sanguinis *l. scripto. C. vnde liberi.* & per consequens prius defertur proximiori. sed nulli dubium quin dictus Comes, quia frater & in secundo gradu sit proximior dicto Duci Iohanni, quam filia fratris, quæ est in tertio gradu iure ciuili, quã ille qui est proximior ab vno latere in gradu est proximior consanguinitate, & per consequens in successione. Sed sic est, quod dictus Co-

N

mes est proximior gradu in quãuis hoc ab vno latere tantũ quã sit filia fratris dicti Iohannis, quãtumuis attineat ab vtroq; latere. igitur propinquior debet esse in successione. Amplius sibi debetur Ducat⁹ lege morali. nulli enim dubium, quin secundũ legem moralẽ ad gubernationem populi debet constantior assumi: sed mulier sui natura est inconstans: ergo debet à successione Ducatus repelli. Insuper secundũ iura ciuilia frater excludit omnes collaterales: sed sic est, quod filia fratris est collateralis. ergo dictus Comes fraterque eam in successione Ducatus excludet. Hoc enim videmus in successione iuris patronatus, in successione feudi & in tutella deferẽda. Quibus omnibus frater excludit omnes collaterales de iure. ff. & C. frater. ex parte patris solum quærebat testamentum fratris: sed nepotes vtriusque coniuncti non quærebant testamenta auunculi: igitur dictus Comes præferendus est nepoti. Et maxime, quia secundum iura feudalia mulier non succedit in feudo. Præterea supposito sine præiudicio, quod mulier succedat in feudo ex conuentione seu ex consuetudine: tamẽ hoc esset intelligendũ, vbi nullus esset proximior ex illa linea, ex qua feudũ descendit. sed clarum est, quod dictus Comes & proximior masculus ex illo latere, vnde hereditas descendit. ergo. &c. Amplius hoc apparet iure canonico. nam iura cononica approbant iura, quæ loquuntur de feudis, quibus dictus Comes debet præferri, quia proximior masculus. Item iure canonico, vbi Rex decedit sine filio masculo, quãuis filiã habuerit, frater tamen in successione regni excludet dictam filiam. sed certum est, quod antiquitus Britanniæ Ducatus fuit regnum, & adhuc tenet iura & nobilitates regni circa subiectos, prout apparet, quia vtitur regalia in episcopatibus sui Ducatus, & facit monetam, & habet piscaturas in mari, & pisces regales, & potest crimina remittere, & ad patriam restituere. Et est certum, secundum quod patet ex antiquis Chronicis, quod plures reges fuerunt antiquitus in Britannia, rex Salomon & plures alii. nec est dicendum, quod nobilitatem Ducatus amiserit ex eo, quod nunc tenet in paritate regis Franciæ, quia superueniens dignitas præcedentem non tollit. Et maxime quia dum rex Britanniæ submisit se regi Franciæ, iura regalia & aliæ nobilitates fuerunt, sibi reseruatæ, secundum quod patet ex antiquis historiis Britanniæ. Ex præmissis sequitur, quod si filia in regno non succedit, nec etiam in Ducatu Britanniæ poterit succedere. Præterea secundum generalem consuetudinem Franciæ mortuus saisit viuum proximum in gradu ex illo latere, ex quo successio descendit: & excluduntur omnes alii remotiores in gradu, quamuis sint vtrinq; coniuncti. Insuper secundum consuetudinem mulier non succedit in hæreditate descendente à latere, quamdiu sunt proximiores, maxime in feudis. sed heæ consuetudines habent locum in regno Franciæ: per consequens in Ducatu Britanniæ, quia membra caput sequuntur. Item in Ducatu Britanniæ postquam Ducatus fuit factus feudalis, semper quotiens se casus obtulit, masculus successit exclusis feminis etiam in eodem gradu existentibus: quia mulier non succedit in feudo, secundum quod ex rationibus supradictis clarius demonstratur. quibus addantur etiam omnes rationes, quæ superius fuerunt allegatæ de successione regni Franciæ, videlicet quod mulier non possit succedere in regno. Ex præmissis duo principaliter concludo. Primo, quod dominus Iohannes de Monteforti, quia spoliatus & expulsus extra Ducatum Britanniæ iniuste & sine causæ cognitione, ante omnia est restituendus. Secundo, quia dictus Iohannes de Monteforti est verus & legitimus Dux Britanniæ, & per consequens rex Franciæ modernus contra iura naturalia, ciuilia & canonica, nec non contra consuetudinem regni Franciæ iniuste contra Deum & iustitiã dictum Ducatum Britanniæ tenet occupatum. Vlterius nunc clare volo ostendere, quod rex Franciæ, esto, quod iuste teneat dictum Ducatum, habito respectu ad Dominam de Pentheuria & liberos eius quondam vxorẽ piæ recordationis Karoli de Blaisio, ipsum tamen Ducatum iniuste tenet occupatum. Et hoc probatur iure diuino, naturali, morali, ciuili & canonico, necnon & iure consuetudinario. iure diuino, primò. Nam post mortem Saphant filiæ eius repræsentauerunt personam eius. 3. *Regum* 1. *cap.* Secundo, successio debetur iure naturali & ratione sanguinis. & quanto est maior coniunctioni sanguinis, tãto magis debetur successio illi magis coniuncto. sed sic est, quod dominus Guido de Britannia, pater dictæ Dominæ de Pentheuria, erat frater ex parte patris & matris domini Iohannis Ducis Britãniæ, & dictus Comes erat frater ex parte patris solum. & sic dicta Domina vxor Karoli est magis coniuncta, quia ex vtroq; latere: Comes ex altero tantum. Tertio, coniunctio patris & matris est certior ex parte patris quam ex parte matris. *l. quia. ff. de in ius. vo.* sed dicta Domina est coniuncta ex vtroq; latere, vt est dictum; Comes ex parte patris tantũ. ergo dicta Domina in successione Ducatus erit præferenda, quia certior est coniunctio. Quarto, duo vincula fortiora sunt vno. *c. 1. extra. de treu. & pace.* sed dicta Domina est duobus vinculis coniuncta, Comes vero vno vinculo tantum. ergo dicta Domina erit præferenda. Quinto, iure ciuili patet, quod filia repræsentat personam patris, in *Auctẽtica. cessan. C. de suis & legi. hered.* Sexto, dictus dominus Karolus post completum matrimoniũ inter eũ & dictã Dominam iurauit præsente domino Iohanne Duce Britanniæ & omnibus Baronibus Britãniæ, quod seruaret iura & cõsuetudines patriæ, & quod post mortem ipsius Ducis ipse portaret arma plana Britãnię tãquã verus Dominus successor Ducatus Britãniæ. & ad hoc expresse suũ dederũt assensũ dicti Dux & Barones. Septimo, iure canonico planũ est, quod mulier potest in Ducatu succedere. Octauo, hoc probatur iure consuetudinario. Et ad hoc potest allegari triplex cõsuetudo. prima est, & quæ est notoria inter Nobiles Britãniæ, quia primogenitus succedit in feudis, exclusis secũdogenitis: Et hęc cõsuetudo ꝓbatur iure diuino, quia vt in *lib. Gen.* legitur Isaac habuit duos filios Esau & Iacob. qui quidẽ Esau renũtiauit iuri primogeniturę, trãsũptiue. 7. *q.* 1. *c. quã periculosũ.* Sed clarũ est, ꝙ Dn. Guido de Britãnia fuit primogenitus, quã dict⁹ Comes de Mõteforti. igitur ipse in successione Duca-

ducatus fuit præferendus. igitur & dicta Domina filia sua erit in illa successione præferenda. Secunda consuetudo est, quia si primogenitus moriatur sine herede proprii corporis, secundogenitus debet succedere. sed Dominus Iohannes primogenitus & dux Britanniæ decessit sine legitimo herede proprii corporis. igitur dictus Dominus Guido secūdo, genitus debuit succedere, per cōsequēs & filia sua, scilicet dicta Domina vxor domini Caroli. Tertia cōsuetudo, quæ est in Britānia, est talis, quod filius vel filia fratris germani primogeniti repræsentat personā patris sui, & venit ad successionem, exclusis fratribus secundogenitis. sed sic est, quod dicta dōmina vxor Caroli erat filia domini Guidonis primogeniti, respectu dicti Comitis, de Monte forti. ergo repræsentabat personam patris, & veniet ad successionem excluso dicto secundogenito Comite de Monte forti. Ex quibus omnibus luce clarius demonstratur, dictam dominam relictam Caroli esse veram & legitimam heredem totius Ducatus Britanniæ: & per consequēs rex Francię modernus contra iura diuina, naturalia, moralia, ciuilia & canonica, contra consuetudines legitime præscriptas, contra Deum & iustitiam, & si non habito respectu ad dictum dominum Iohannem de Monte forti, saltem habito respectu ad dictam Dominam, dictum Ducatum detinet occupatum. Sed statim dicet aliquis, quod supposito sine præiudicio, quod hiis rationibus dicta Domina ius habuit in Ducatu Britanniæ: tamen in tractatu pacis nuper habito inter dictum dominum Iohannē ex vna parte, & dictam Dominā ex altera, iuri, si quod habuit in Ducatu, renuntiauit. Et sic amplius regressum habere non poterit, 7. q. c 1. *quam periculosum* Respondeo: quod hæc renuntiatio fuit conditionalis, vt in dicto tractatu pacis plenius continetur: quæ quidem conditio, quæ debebat per dictum dominum Comitem adimpleri, nō fuit adimpleta, & stetit per eum: & sic pro non adiecta debebat haberi, secundum sanctiones canonicas pariter & ciuiles. Ex quo concluditur, quod propter feloniā dicti domini Iohannis de Monte forti seu inobedientiam, proditionē seu læsam Maiestatem dictus Ducatus minime confiscari potuerit: quia res, quæ cadit in restitutione, non potest confiscari vel alienari. *C. cōmunia de leg. Authent. res quæ.* Sed, vt est dictum, in defectum conditionis non adimpletæ Ducatus debebat dictæ Dominæ restitui. igitur non potuit propter culpam dicti domini Iohannis confiscari. Insuper secundum quod in tractatu dictæ pacis continetur, vbi dictus dominus Iohānes de Monteforti sine legitimo hærede proprii corporis decederet, Ducatus debebat reuerti ad dictam Dominam & suos hæredes legitimos. non potuit ergo propter feloniam dicti domini Iohannis de Monte forti qualitercunq; confiscari.

Miles. CAP. CLXXXIX.

EX præmissis tria elicio per vos principaliter tacta. Primo, quod rex Franciæ sine causæ cognitione dominum Iohannem de Monte forti de Ducatu Britanniæ eiecit & iniuste spoliauit. Et sic ante omnia tenetur eum restituere. Secundo, quia dominus Iohannes est verus & legitimus hæres Ducatus Britanniæ. Tertio, esto quod habito respectu ad dictum dominum Iohannem de Monte forti rex sæpe dictum Ducatum iuste possideret, tamen negari non posset, quin iniuste possideret seu detineret habito respectu ad Dominam de Pentheuria, ad quam Ducatus noscitur pertinere. Quantū ad primum: luce clarius ostendi potest, quod rex Franciæ secundum Deum & iustitiam Ducatū Britanniæ possideat, & sic ad restitutionem minime tenetur. Et primo sic. criminis iniquitas impedit restitutionem. 12. *q.* 1. *c. votum.* huiusmodi est crimen rebellionis seu læsæ Maiestatis. sed dominus Iohāmes de Monte forti est rebellis & proditor manifestus, & sic regalem læsit Maiestatem. igitur restituendus non est. Secundo, propter criminis euidentiam impeditur restitutio. 2. *q.* 1. *c. manifesta. & c. de manifesta. & c. euidentia.* de actu huiusmodi est hæc rebellio dicti domini Iohannis de Monte forti, ergo. &c. Tertio, videtur quod rex potuit procedere ad instar locatorum, qui inuecta & illata includit propria auctoritate. *ff. de damn. infec. l. vtique in quibus causis pignus cōtra.* Nam homo meus siue colonus videtur assimilari seruo. *C. de hiis qui ad ecclesiam confugiunt, lege præsenti.* §. *sane. Cod. de agrico. & cen. l. ne diutius*: sed in seruo potestatem habeo, quam volo exercere. *ff. de his qui sui vel alieni iuris sunt. l. si. ff. de pecul. l. sed & si damnum.* §. *præterea.* maxime hæc vera in rege, cuius iurisdictio est suprema in suo regno, si superiorem non recognoscat, & sic non potest habere recursus ad superiorem, iuxta *c. licet in fi. de elect.* & sic non obstaret *l. ordinata. ff. de li. causa.* Quarto, læsæ Maiestatis cognitio spectat ad principem. *l. penulti. & fi. C. ad l. iul. Maiestatis*: & ei bona debent confiscari, in *Authentica, vt nulli iudicum in fi.* 9. *coll.* Cum enim omnia à principe descenderunt, 8. *distin. c. quo iure*: non mirum si propter delictum in eum commissum, reuertantur ad ipsum, quia res de facili reuertitur ad primæuum statum, 35. *di. c. ab exordio.* Et si mater rogata restituere post mortem filio suo condemnetur, & eius bona publicentur, non ad filium sed ad fiscum ea viuente applicatur hæreditas. *ff. de iure fisci. l. statuis.* § *fi.* Ex quibus duo inferuntur, scilicet quod regis est cognitio, & sibi fiet confiscatio in causa rebellionis iuste. ergo manum posuit, & sic cessat restitutio: quia iuris executio non habet iniuriam. *l. iniuriarum. ff. de iniur. l. cum ecclesia, de elect.* Si subditi vellent restitui, non deberent audiri, quia ei soli, qui possidebat, competit restitutio seu interdictum vnde vi: sed isti non possidebant, sed possidebantur. ergo &c. Probatur primum per ea quæ no. & leg. in *c. cum ad sedem, de resti. spo.* Clarum est secundum ar. *l. sic euenit. ff. ad l. Iul. de adulter.* Quinto magna est differentia, vtrum violentia fiat à iudice vel à priuato. Nam si violentia fieret à priuato, non esset possessionis restitutio retardanda, prætextu exceptionis proprietatis obiectę, etiam si vellet de iure proprietatis immediate docere de vi. & vi. ar. *l.* 1. *& l.* 3. §. *in literis de resti. spoli.* Sed vbi fit spoliatio à iudice, maxime vbi proprietatis causa est probata, obiectus proprietatis impedit restitutionem, vt est videre in muliere, quæ petebat se restitui in possessionem matrimonii, in *c. significasti. de diuor.* Sed in proposito, vtile dominium Ducatus confusum fuit

Digitized by Google

cum directo propter feloniam notorie commissam per dictum Dominum Iohannem. igitur impediet restitutionem. Sexto, cessat restitutio, vbi res peruenit ad eum, cui debebat tradi seu restitui. Sed Ducatus ratione offensæ & rebellionis manifestæ erat confiscatus & debebat tradi regi: igitur debet restitutio impediri, per dictum *cap. cum dilectus. §. verum.* & quod ibi nota. *de ordi. cogni. l. si quis emptionis titulo. §. si autem. C. de præscrip. 30. vel 40. anno.* Ex quibus omnibus quo ad primum euidenter concluditur, quod dictus Dominus Iohannes de Monte forti minime est restituendus. Nunc autem quo ad secundum, vbi pluribus modis fuit deductum, quod dictus Dominus Iohannes de monte forti est verus & legitimus heres in toto Ducatu Britanniæ, hæc omnia pro ista parte allegata faciunt pro Rege Franciæ & ad exclusionem dictæ Dominæ de Pentheuria & descendentium ab ea. Nam si ipse erat verus & legitimus Dux, per iam dicta; dictus Ducatus propter proditionem & manifestam ipsius proditionem seu rebellionem potuit eandem in commissum, ipsius enim proditio & rebellio omnibus regnicolis est manifesta, quod nec ipse aliqua tergiuersatione posset etiam celare, cum regem & dominum suum superiorem suis litteris duxerit defendendũ. patet etiam, quæ & quãta grauamina suis subditis, talliis & aliis extraordinariis exactionibus, inferebat. propter quæ etiam circumscripta qualibet proditione seu rebellione poterat & debebat Rex Franciæ dictum Dominũ Iohannem priuare Ducatu: quia Domini, qui diu talia agunt, tenent populum in seruitute: sed ad superiorem pertinet populum de seruitute eruere vt. *C. de offi. præfec. præto. affri. l. 1. circa principium.* Et ad superiorem spectat tyrannos deponere. *C. de offi. præ. præto. affri l. in nomine domini.* Iohannem de monte forti eiecit tum ratione proditionis ac rebellionis manifestæ, tum etiam ratione tyrannidis intolerabilis, quam in subditos exercebat. Nunc ergo ad tertium, in quo videtur probatum, quod supposito, quod habito respectu ad sæpe dictum Iohannem de monte forti Rex Ducatum iuste possideret, tamen habito respectu ad dominam de Pentheuria ipsum Ducatum iniuste detinet occupatum. respondeo, & primo ad primum, quando allegatur, quod post mortem Saphaat filiæ suæ repræsentauerunt personam suam in successione, Sapphaat erat vnus pauper homo, & fuit mortuus in peccato, nec erant sibi propinquiores quam filiæ supradictę. Hic autem loquitur de successione Ducatus, & vbi etiam dictus Comes erat propinquior in recta linea. Ad secundum, vbi dicitur, quod successio debetur ratione sanguinis & magis coniuncto. ista ratio bene intellecta facit contra Dominam & pro Comite, quia planum est, quod dictus Comes erat propinquior Duci Iohanni, quam esset dicta Domina, quæ solum erat neptis. Nec obstat illud, quod allegatur, quod pater dictæ Dominæ erat ex vtroq; latere coniunctus Duci Iohanni: Comes verò ex altero tantum, quia sufficiebat quod esset coniunctus ex illo latere, ex quo Ducatus descendebat. Ad tertiam rationem, dum dicitur, quod coniunctio est certior ex parte matris quam ex parte patris. Respondeo, quod hæc ratiõ facit contra dictam Dominam, quia generationem patris sui reddit incertam. nihil ergo potest iuris vendicare in illo Ducatu, cum ex parte patris sui descendat. Ad quartum, quo arguitur de duobus vinculis, quæ sunt fortiora vno. respondeo, quod alterum ex istis duobus vinculis nihil ligat vel addit ad propositum; scilicet vinculum ex parte matris Domini Ducis Iohannis & Domini Guidonis de Britannia patris dictæ Dominæ, quia ex latere dictæ matris Ducatus non descendebat. Nunc ad quintam rationem de autentica *cessante.* Respondeo, quod illa autentica nihil facit ad propositum, quia non loquitur de feudalibus & maxime in Ducatibus. Et quia, quantum ad hoc, non erat sufficienter prouisum in feudalibus, iura feudalia decimæ collationis superuenerunt, vbi disponitur, quod mulier non succedit specialiter in feudo paterno. Vnde in materia feudorum appellationę *hæredis* masculi tantum comprehenduntur. dicta autentica loquitur in rebus diuisibilibus sui natura. Item dicta Authentica non ligat regem vel regnum, sed in vim rationis tantum. Ad septimum, vbi dicitur, quod pòst completum matrimonium dictus dominus Karolus iurauit portare arma. &c. Respõdeo, quod esto, quod sic factum fuerit, hoc fuit dicto Comitę minime vocato: & sic sibi non poterat aliquod præiudicium generare. Ad octauum, quod iure canonico mulier potest in Ducatu succedere, hoc posset veritatem continere masculis deficientibus. sed hic nõ deficit masculus, & dictus Comes nedum est masculus, sed etiam proximior. non inmerito ergo dictam Dominã debet excludere. Ad nonum, vbi allegatur triplex consuetudo. Et primo ad primam consuetudinẽ, quæ habet quod primogenitus excludit secundogenitos. Respõdeo, quod supposito, quod illa consuetudo locũ habeat in Britãnia, hoc est verũ inter subditos, sed nõ habet locũ in capite, sc. in Duce, quia tantũ præscriptũ quantũ possessum. Et illa auctoritas allegata de Esau & Iacob nihil facit ad propositũ, quia loquit̃ de alia primogenitura quã de iure succedẽdi. quia primogenitus tunc primo seruiebat in tẽplo, & præferebat in aliis cerimoniis, vt patet in antiquo testamento. quãuis .n. Iacob per benedictionẽ paternã habuit iura primogenituræ: Esau tamẽ successit patri in hæreditate, & sic illa auctoritas modicũ facit ad propositũ. Ad secundam, vbi dicitur, quod si primogenitus moriatur sine hærede proprii corporis &c. Respondeo, quod secundũ veritatẽ rationis & iuris, si aliquis primogenitus moriatur antequã aliquod ius fuerit sibi acquisitũ, perinde reputatur ac si nunquã in reb' humanis fuerit: quia nullũ ius habebat in eo, quod tenebat viuens. nec in rẽ nec in spe, cũ esset collateralis, prout est in casu nostro. Ad tertiam consuetudinẽ, quæ allegatur, quod filius vel filia primogeniti repræsentat patrẽ. Respõdeo, quod dicta consuetudo nunquam obtinuit in cõtradictorio iudicio. Itẽ nec consuetudo illa ligat superiorem, alioquin sequeretur, quod non posset statuere in contrariũ. Item consuetudo ex eo ligat, quod populus suam declarat voluntatem, quia velit eam ligare. *l. de quibus ff. de legi.* sed constat quod consensus populi nõ ligat superiorẽ. ergo. &c. Itẽ Ducatus Britãniæ est alterius conditionis quã sint Baroniæ. quia tenet à rege in paritate. debet ergo iudicari & regulari secundũ caput. & nõ secundũ mẽbra. Ex quibus omnib' sequitur, quod dictus Comes de Monteforti fuit verus Dux Britãniæ,

Digitized by Google

&c non dicta Domina, & sic Ducatus ex facto suo potuit cadere in commissum: non obstante etiam quod conditiones in tractatu appositæ non fuerint adimpletæ: quia & si dictus Ducatus subiacebat restitutioni, hoc erat quantum ad possessionem tantum, & non quantum ad proprietatem. Et etiam si per dictum dominum Iohannem de Monte forti conditiones non fuerant adimpletæ, hoc non parabat sibi præiudicium, quo ad proprietatem, sed quo ad possessionem tantum. potuit ergo Ducatus per factum suum cadere in commissum. Et sic concluditur, quod rex Franciæ secundum Deum & iustitiam detinet Ducatum Britanniæ antedictum. Concluditur super hoc, quo ad factum principaliter intentum, si sermonibus vestris vultis finem imponere, quod Ecclesia super omnes nec habet nec appetit dominium temporale.

EXPLICIT LIBER PRIMVS SOMNII VIRIDARII.

INCIPIT LIBER SECVNDVS SOMNII VIRIDARII.

Miles. CAP. I.

DOmine clerice, vertamus mantellum, & viceuersa partem sustineatis respondentis, ego vero opponentis. in qua luce clarius ostendã excessus, grauamina & vsurpationes, quos prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ regni Franciæ vel eorum officiales & iudices pro ipsis fecerunt, & faciunt, in præiudicium iurisdictionis temporalis regis, & Baronum, ac aliorum dominorum temporalium. Et inter cæteros excessus illum silentio non prætermittemus. Et quæro, domine clerice, quo iure Romanus Pontifex se asserit dominum in temporalibus, quia in euangelio Lucæ 22. ca. dicit Saluator noster, *reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, illi benefici vocantur: vos autem non sic*? Ex quo concluditur, quod Saluator interdicebat dominium in temporalibus suis Apostolis, per consequens & Romano Pontifici & suis successoribus: quia non maiori potestate fungitur Romanus Pontifex, quam beatus Petrus. Et Matth. 5. cap. dixit Christus Apostolis, *principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent inter eos: non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et quicunque inter vos vult esse primus, sit sicut seruus. Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, & dare animam in redemptionem pro multis.* hæc omnia habentur Lucæ 22. c. Et sic Christus non venit temporaliter dominari, sed subiici: nec temporaliter iudicare sed iudicari: iuxta illud Psalmistæ; *& vincas cum iudicaris.*

Clericus. CAP. II.

MIles venerande, hiis verbis voluit Apostolos inducere ad humilitatem, & quod non superbirent, voluitque quod in diuersarum rerum temporalium non faciliter susciperent executionẽ immediatam. voluit igitur Christus, quod Apostoli specialiter ostenderent aliis humilitatem, & sic essent humiliores, quam reges & principes seculares, quorum officium est dominari immediate super temporalibus. licet enim Christus esset rex & dominus omnium, non tamen voluit potestatem regalem in temporalibus immediate exercere. cuius rationem assignat beatus Ambrosius super illo Iohannis 18. cap. *regnum meum non est de hoc mundo*, dicens: *bene terrena declinat, qui propter cælestia descendit.*

Miles. CAP. III.

CHristus & beatus Petrus soluerunt tributum Cæsaris, vt patet Math. 17. c. vbi dicitur, *accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum & dixerunt, magister vester non soluit didragma?* Et infra sequitur, Iesus Christus *dicit ad Petrum, vade ad mare & mitte hamum in eum, piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto eius ore inueniens stateram. illum dabis pro me & pro te.* sic ergo Christus & Petrus tributum soluerunt.

Clericus. CAP. IV.

SCio quod Christus soluit tributum propter suam humilitatem, & vt neminem scandalizaret: & propter eandem rationem voluit quod Petrus solueret. & quod hæc solutio non sit dominatoria, patet Math. 17. c. vbi dicitur sic, *quid tibi videtur Simon, reges terræ à quibus tributum accipiunt vel censum, à filiis suis an ab alienis? & ille dixit: ab alienis. dixit illi Christus, ergo liberi sunt filii vt non soluant. vt non autem scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum in eum, piscem qui primus ascenderit tolle* &c. Ecce enim dicit Christus, *vt non scandalizemus.* non enim tenebatur de iure soluere, quod patet per glo. ibidem, in qua sic dicitur, *Dominus noster secundum carnem filius regis erat ex Dauid natus. ergo vt filius regis tributa non debebat.* Soluit igitur tributum, & noluit certare pro regno temporali. & in hoc abstulit omnem suspicionem sic, quod non suspicari debet aliquis, quod Christus principaliter quæsierit regnum temporale aut terrenum, sed magis spiritualia & cælestia. ideo de suo principali regno dicebat: *regnum meum non est de hoc mundo*, quamuis etiam confessus fuerit, se esse regem. vnde Pilato dicenti, *ergo Rex es tu*? Respondit Iesus, *tu dixisti quia rex sum ego & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Item profunde intuenti, quamuis ecclesia soluerit tributum, non infringit quin Papa sit dominus in temporalibus: quia ratione ecclesiæ Papa potest soluere alicui sibi sub-

Digitized by Google

iecto aliquod tributum. Ecclesiæ etiam soluerunt tributum Imperatori seu regi non in signum dominii, sed pro pace & quiete, quia debet ecclesiam defensare, & ecclesiam & sibi subiectos potest aliquibus suffragiis adiuuare.

Miles. Cap. V.

IN *decretis*.10.*di*.vbi tractatur de officio summi Pontificis & Cæsaris, dicitur sic, quod *quia idem mediator Dei & hominum Iesus Christus sic actibus propriis ac dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discernit, propria, volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferiora demergi, vt etiam imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro casu temporalium tantummodo imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret visceribus, & Deo militans minime se negotiis secularibus implicaret*. Et ibi videtur velle decretum, quod Papa non est super imperatorem nec econtra, sed vnus alio indiget. Vnde ibi dixit in glo. super verbo *discernit*: *Nota ergo quod potestates sunt distincta, & est argumentum quod imperium non habeatur à Papa & quod Papa non habeat vtrumque gladium. Nam exercitus facit sibi imperatorem, 93.di.c.legimus. Et imperium à solo Deo habetur.34.q.4.c.quasitum.*

Clericus. Cap. VI.

HIc est sciendum, quod ecclesia est vnus populus & vnum corpus misticum: & idcirco oportet esse in ea vnum caput, quod omnibus aliis membris præsideat. Multitudo enim principatuum non ad inuicem dependentium non est bona. vnus ergo debet esse princeps, qui præsideat in temporalibus & spiritualibus. Et licet vtraque potestas resideat penes Papam, diuersimode tamen, quia in spiritualibus est apud ipsum secundum primariam auctoritatem & secundum immediatam executionem. Temporalis autem solum secundum primariam auctoritatem, non secundum executionem immediatam; ne militans Deo negotiis se implicet secularibus; ne temporalia impediant spiritualia. Quanto enim spiritualis potestas est magis libera, tanto magis rebus diuinis potest esse intenta. Habet igitur Papa vtramque potestatem, sed executionem temporalis iurisdictionis tradidit principibus secularibus. Et sic per hoc respondetur ad dictum decretum: quod officia sunt distincta, quantum ad immediatam executionem, & sic potest dari distinctio satis rationabilis dicendo, quod potestates Imperatoris seu Regis & Romani Pontificis sunt distinctæ: quod potest intelligi dupliciter. vno modo sic, quod sint distinctæ vna ab alia & neutra reducatur ad aliam tanquam in superiorem vel priorem: & sic non concedo eas esse distinctas. Alio modo possunt distinctæ dici quantum ad fines propinquos, sicut finis potestatis Papæ est ordinare & regere spiritualia: & finis potestatis Imperatoris seu regis bene gubernare temporalia, & sic quodammodo dicerentur potestates distinctæ in se, non quo ad auctoritatem primariam sed quo ad executionem immediatam. Ad verba Glossæ, cum dicit, *quod Imperator non habet Imperium à Papa*: dico, quod illud sic est intelligendū quod Imperium institutum à Deo est, non præcise auctoritate humana. Et cum vlterius dicit Glo. quod Papa non habet vtrumq; gladium, illud, si veritatem habeat, debet intelligi, quod Dominus Papa non habet executionem immediatā vtriusq; gladii, quamuis secundum primariam auctoritatem ad ipsum spectet vterq; gladius. Dicit enim beatus Bernardus expresse ad Eugenium libro quarto: *tuus est ergo vterque gladius, spiritualis scilicet & temporalis*. vt 8.*dist.c.primo*.

Miles. Cap. VII.

GLossa dicit.11.q.1.c.magnum: *Ego credo potestates esse distinctas, licet Papa quandoq; vtramque potestatem assumat sibi, scilicet cum aliquem legitimat in temporalibus, qui filii sunt legitimi. cap. per venerabilem. Sed illud fit ad petitionem regis, qui hoc ipsum fecisse potuit: vt ibi dicitur*. per quod innuitur, quod ex se hoc facere non potuisset, nisi ad petitionem regis.

Clericus. Cap. VIII.

DIcendum est, quod in hoc bene facit Dominus Papa, quod executionem immediatam in temporalibus sibi non assumit de facili, nisi causa satis vigeat, vel nisi rogatus existat: ne ipse, qui principaliter in ecclesia Dei in spiritualibus Deo militat negociis se implicet secularibus.

Miles. Cap. IX.

DIcit Glossa decreti, quod *quamuis à iudice seculari quandoq; appelletur ad Papam, hoc fit propter defectum iudicis secularis; vt exprimitur extra. de foro compe. capit. licet. Et vacante Imperio supplet vicem Imperatoris*. Ex quo concluditur, quod Papa non est Dominus in temporalibus quia ad ipsum non appellatur nisi casualiter, vt est dictum.

Clericus. Cap. X.

CErte ista, quæ allegat Glo. bene intellecta faciunt contra conclusionem Glosę. Nam si propter defectum iurisdictionis appelletur à seculari iudice ad Papam: item si vacante Imperio supplet

Digitized by Google

suppleet Papa vicem Imperii, euidenter concluditur, quod Papa in temporalibus habet superiorem. alias enim ad eum non appellaretur, cum appellatio requirat maiorem iudicem. *l. praefecti. ff. de minori.* & regulariter superioris est suppellere inferioris negligentiam seu defectum vel absentiam.

Miles. CAP. XI.

QVid plura? probatur ergo 96. *di. c. cum ad verum*, vbi dicitur, *cum ad verum ventum est, vltra sibi nec imperator iura pontificatus, nec pontifex iura imperatoris sibi vsurpant.* Et etiam glo. super isto verbo *vsurpant* dicit, *argumento quod istae potestates sunt diuisae. quia imperator non habet gladium à Papa. 26. di. c. duo. & c. si imperator.*

Clericus. CAP. XII.

GLossa in praeallegato *c. cum ad verum.* videtur soluere. dicit enim. quod *potestates sunt distinctae quo ad exercitium*, ex quo videtur innuere, quod non quo ad primariam auctoritatem, sed quo ad executionem tantum.

Miles. CAP. XIII.

PApa accepit potestatem ab Imperatore, vt patet. 96. *di. c. Constantinus*, vbi dicitur quod Imperator Constantinus quarta die sui baptismi priuilegium Romanae Ecclesiae contulit. & quod talia accepit ab Imperatore, habetur in vita beati Siluestri Papae.

Clericus. CAP. XIIII.

DIco, quod immediate à Deo, secundum quod patet. 21. *di. c. nono*, & ipse Constantinus ex magna affectione, quam habuit ad ecclesiam, ei voluit quasi quandam adhibere firmitatem: quoniam quarto die sui baptismatis vna cum omnibus Satrapis & vniuerso senatu, optimatibus etiam, & cum cuncto populo, in persona beati Siluestri sibi Romanam concedendo, vrbem relinquens ab eo & successoribus eius per pragmaticum constitutum disponendam esse. Dico ergo, quod Papa in temporalibus non habuit primariam potestatem ab imperatore, sed Imperator aliquam executionem, quam habebat immediate, dimisit ecclesiae ex certa causa & deuotione bona. potuit enim Papae & cardinalibus dimittere Romanam ecclesiam, vt habetur *de elect. c. fundamenta. lib. 6.* Decet namque ipsi Romano Pontifici per fratres suos sacrosanctae Ro. eccle. cardinales, qui ibi in executione officii sacerdotalis sibi coadiutores existunt, libera permittere officia. decet ipsis in nullo vacillare iudicio, vt fratres ipsos nullius potestatis secularis metus exerceat, nullus temporalis fauor absorbeat, nullus eis terror emineat, vel eos à veri consilii soliditate remoueat. Quibus consideratis executionem in temporalibus, quam Romae & in suis districtibus exercebat Imperator, à se abdicauit, & ecclesiae Romanae penitus & in perpetuum dereliquit.

Miles. CAP. XV.

PRaeterea. 97. *di.* Imperator Honorius deuotus & fidelis catholicus sic scribit Papae: *victor & inclitus triumphator semper Augustus sancto ac venerabili vrbis Romanae Papae, scripta beatitudinis tuae deuota reuerentia gratulatione suscepimus, quibus recensitum egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quia sanctimoniam tuam post longum incommodum optata didicimus redditam* &c. Nec reprehenditur Imperator, quia sic scripsit Papae se eidem praeferendo, sed potius ad eius laudem videtur recitari. igitur sequitur arguendo ab ordine, quod argumentum concludit in iure. *c. mandato. de praeben. libro 6.* quod Imperator sit superior & maior Romano Pontifice.

Clericus. CAP. XVI.

POtest responderi secundum quod ibi dicit glo. quod forsan hic fuit mos in primitiua ecclesia, qui modo non obseruatur. Constat enim quod imperatores non praeponunt se Romanis Pontificibus, quibus iurant obedientiam, & à quibus coronantur. forsan igitur in primitiua ecclesia potestas summi Pontificis non erat adhuc plene manifesta. & idcirco scribebatur ei aliter, quam nunc, dũ veritas illucescit. Item & aliter, si quis Imperator, Rex vel Princeps secularis ex arrogantia praeposuerit se Romano Pontifici in epistolis aut scripturis, non quod factum est, sed quod fieri debuit, debet attendi. *l. licet. ff. de offic. praesi.* Non est ergo illud trahendum in consequentiam.

Miles. CAP. XVII.

EXpresse videmus, quod Papa non intromittit se de brachio seculari, nec eorum officia instituit, nec eorum bona distribuit: imo si circa temporalia velimus aliquod priuilegiũ habere, non concedetur nobis à Papa, nisi rex consentiat, aut Papa super hoc deprecetur. Et si Papa vellet ab aliquo Duce auferre Ducatum, diceretur se intromittere de eo, quod ad ipsum minime spectaret.

Clericus. CAP. XVIII.

DIco, quod si Papa, non se intromitteret de brachio seculari, benefaceret: quia executionum immediatum spectat ad illos, qui negotiis secularibus possunt se implicare. Et per hoc responderi potest de priuilegiis: quod bene facit Papa, si in hiis exspectet consensum Regis. Item cũ dicitur consequenter, quod si vellet deponere Duces & Comites, diceretur se intromittere de hiis,

quæ ad ipsum non spectant. Dicendum est, quod sibi communi lege non incumbunt quo ad executionem immediatam. vnde illi Principes vel Duces habentes Imperatorem vel regem super se, & certis causis exigentibus ipsos Duces & Principes deponere potest. Et dico vlterius, quod esto, quod nō posset Princeps deponere pro suæ beneplacito voluntatis, & sine causa rationabili: nō ex hoc sequitur, quin non habeat dominium super eos. Nam multi reges dominantur super multos, quos tamen non possunt deponere pro suo beneplacito voluntatis. Vnde ista consequentia nō valet: Rex dominatur tali; ergo potest deponere eum, quandocunq; sibi placebit. Nunquid quilibet Archiepiscopus suffraganeum suum omni hora deponere & mutare post secundum suæ beneplacitum voluntatis? absit.

Miles. CAP. XIX.

SIcut Episcopi in suis particularibus diocesibus præsunt, sic Papa in vniuersali ecclesia. sed illi non sunt super omnia temporalia suæ diœcesis, sed subsunt multis regibus, principibus temporalibus in multis obedire, & ad mandatum regis tenentur obedire & ad guerrā venire, prout expresse volunt canonicæ sanctiones. Et hoc est obseruatum à tanto tempore, quod non est memoria in contrarium in regno Franciæ. ergo nec Papa in vniuersali ecclesia dominium in temporalibus habet.

Clericus. CAP. XX.

HIc potest dici vno modo, quod imo habent episcopi aliquod dominium in temporalibus suę diœcesis. vbi etiam homines temporalia possidentes sunt subiecti. Nam propter certa peccata potest Episcopus homines suæ diœcesis priuare bonis. eos excommunicare, & priuare communione suorum & aliorum hominum causa legitima interueniente: & sic habet aliquod dominium. Sed adhuc esto, quod assumptum esset verum, dico quod aliud est de vicario generali: quia iste conuincitur habere superioritatem & potestatem dignissimam. Vnde aliud fuit de beato Petro & de aliis. Iste enim fuit Princeps Apostolorum & eminentiorem habuit potestatem quam alii. vnde 22. *di. ca. sacrosancta* dicit Papa Anacletus: *inter Apostolos quadam fuit discretio potestatis, licet omnes essent Apostoli. Petro tamen concessum est vt Cephas, id est caput esset, & principatū teneret Apostolatus: qui & eandem formam suis successoribus reliquis episcopis tenendum tradiderunt. & non solum hoc in nouo testamento est constitutum: sed etiam in veteri testamento fuit. vnde scriptum est: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* Et post pauca sequitur: *hac vero Apostolica sedes caput & cardo, vt præfatum est, à Deo & non ab aliis constituta. Et sicut cardine hostium regitur, sic huius sancta Apostolicæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ dispositione domini reguntur. nec Petrus eminentius præsidet in vniuersali ecclesia, quam cæteri Episcopi suis particularibus diœcesibus.*

Miles. CAP. XXI.

SI verum esset, quod Papa esset Dominus in temporalibus, ipse posset fundare monasteria, & alia beneficia indifferenter de bonis militum, Burgensium & aliorum quorumcunque: quod est manifeste falsum: & omnes in hoc sibi contradicerent, nec esset dicenda talis elemosina, quæ fieret de alieno. 1. *q.* 1. *c. non putanda.*

Clericus. CAP. XXII.

SIc potest dici faciliter, quod consequentia efficaciter non probatur. Nam Rex vel Imperator est, quod sit Dominus vel Imperator in temporalibus super Principes alios & Burgenses, non tamen potest de eorum bonis pro suæ disponere beneplacito voluntatis. dicerem tamen, quod exigente causa rationabili Papa posset fundare ecclesiam de bonis alicuius militis vel Burgensis; quia & maiora licerent Papæ, secundum quod & princeps temporalis in casu potest bona subditorum militibus assignare *l. si fundus. ff. de euic. l. item* §. *si verberatum in fi. ff. ad l. Aquil.*

Miles. CAP. XXIII.

VIdemus, quod Papa emit villas & iurisdictiones temporales, & per consequens non ad eum prius spectabant: quia quod meum est, amplius meum fieri non potest, *Insti. de acti.* §. *sic itaque.*

Clericus. CAP. XXIIII.

DIco, quod Papa in omnibus temporalibus sibi subiectis non habet immediatam executionem. Ideo potest emere ratione vtilitatis immediate consequendæ. Rex etiam Franciæ potest emere multa temporalia regni sui. numquid ipse emit cibaria & vina & villas Apostolicas regni sui? quorum habet dominium in temporalibus quo ad superioritatem, non tamen dominium immediatum, & illud potest emere.

Miles. CAP. XXXV.

HAbere dominium in temporalibus videtur contradicere perfectioni Apostolorum. reliquerunt enim omnia. vnde beatus Petrus non fuit minus perfectus quam alii qui omnia reliquerūt. vnde ipse dixit Christo: *ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te quid ergo erit nobis?* Ex eo quod traditæ sunt sibi claues regni cœlorum, habetur quod ipse fuerit minus perfectus. dicit enim magister & Dominus Christus: *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Nunquid

quid beatus Petrus fuit specialis discipulus? clarum est, quod sic: quia nemo se implicans negotiis secularibus & respiciens retro aptus est regno Dei. quomodo præsumitis Petrum esse discipulum ditissimum, & esse dominum dominorum in temporalibus: & eum regem dicetis super reges, dominum super dominos, qui seruus est seruorum?

Clericus. CAP. XXVI.

POtest responderi, quod Apostolica perfectio non consistebat in hoc, quod nullum dominiũ haberet. Constat enim, quod Christi dominium habebant in spiritualibus. quantum ad temporalia, dico quod quicquid sit de possessione, cum vita tamen Apostolica stat habere multa in communi tanquam nihil habentes & omnia possidentes. vnde quando aliquis venit ad statum monachalem, ipse renunciat omnibus quæ possidet, & promittit voluntariam paupertatem. Sed si efficiatur abbas, nunquid ipse præsidebit monasterio & rebus temporalibus monasterii? taceo de illis, de quibus certum est, quod habent iurisdictiones temporales. Dico quod beatus Petrus potuit præsidere vniuersali ecclesiæ modo præmisso ita bene vel melius quam vnus abbas vel vnus episcopus, qui monasterio vel diœcesi in spiritualibus & temporalibus, & sic non contradicit vitæ Apostolicæ vel eorum perfectioni. Et circa hoc possent aliqua recitari: sed transeo causa breuitatis.

Nam breuis orator pretiosus regis in aula.

Miles. CAP. XXVII.

ITa bene fuit dictum cæteris Apostolis, sicut Petro, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* & per huiusmodi titulum non habuerunt ipsum dominium vniuersalis dominii. quare nec beatus Petrus.

Clericus. CAP. XXVIII.

AD hoc dico, sicut dicitur. 22. *dist. c. sacrosancta*, licet omnes essent Apostoli, Petrus tamen fuit caput, Cephas & princeps Apostolorum. *Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claues regni cælorum.* sibi igitur dicitur hoc in singulari. Item dicitur sibi in singulari, *quicquid ligaueris super terram erit ligatum & in cælis.*

Miles. CAP. XXIX.

SI illa conclusio esset vera, quod ecclesia haberet dominium in temporalibus, sic ecclesia solueret sibiipsi decimas, cum tamen inter soluentem & recipientem debeat esse differentia, ar. *c. si extra de insti.* nec clerici clericis soluunt decimas. *c. nouum genus, de decimis.*

Clericus. CAP. XXX.

POtest dici secundum quod in simili videmus, quod rex dominatur in regno suo, potest tamen aliqua emere in regno suo: & re empta per eum aliud habet dominium quam prius haberet, scilicet appropriatius & specialius. Sic licet Papa sit dominus in temporalibus, tamen aliqua res sui dominii temporalis potest sibi dari & appropriatius acquiri quam prius. & isto modo ecclesiæ seu Papæ possunt dari decimæ & habet tunc ecclesia aliquod specialius ius in illis quã prius haberet: quia prius res erat sua ratione vniuersalis dominii, nunc ratione singularis tituli.

Miles. CAP. XXXI.

ALibi dicit Imperator, *ego quidem mundi dominus sum. l. deprecatio. ff. ad. l. rodi. de iactu.* & ad hoc. *l. bene à zenone. C. de quadri. prescri.*

Clericus. CAP. XXXII.

VNo modo potest dici, quod Imperatori quantum ad hoc non est credendum, quia perhibet testimonium de se ipso, & in causa sua, quando ipse dicit, quod est dominus mundi; vel aliter dico, quod illud dictum intelligitur, quod est dominus quantum ad exercitium in temporalibus quãtum ad subditos, rex quantum ad suos: sed non quantum ad primariam auctoritatẽ: quia penes Romanum Pontificem est quantum ad primariam auctoritatem.

Miles. CAP. XXXIII.

NUnquid *de maio. & obe c. solita* dicit Papa, *non intendimus negare, quin Imperator præcellat illos duntaxat, qui ab illo tẽporalia receperunt, sed summus Pontifex in spiritualibus antecellit.* clare igitur Romanus Pontifex concludit, quod Rex prærogatiuam habet in temporalibus.

Clericus. CAP. XXXIIII.

ILlud argumentum portat solutionem suam. dicit enim, quod præcellit illos duntaxat, qui ab illo temporalia receperunt. hoc intelligitur sic, quod illis qui præeminent, qui sub eo officia exercent secularia. Et etiam præeminent super principes seculares, qui temporaliter Imperatori subiecta administrãt: sed nõ vt intelligitur, quod si Imperator vel Rex det aliquid Papæ, quod ipse sit Dominus Papæ. Illud etiam quod additur, quod Papa in spiritualibus antecellit, est verum, quod licet Papa sit Dominus in spiritualibus & temporalibus, directius tamen & per prius eius officium concernit spiritualia, & etiam immediatam executionem in spiritualibus habet. Sed in temporalibus Rex habet executionem immediatam.

Digitized by Google

Miles. CAP. XXXV.

PApa non est super paganos, secundum apostolicas sanctiones: sed solummodo super Christianos. ergo non est dominus temporalis omnium.

Clericus. CAP. XXXVI.

REspondeo, quod Papa aliquo modo super paganos habet dominium, & in multis habet eos punire & cogere, & in multis casibus, qui faciliter poni & enumerari possent. Papa tamen specialiori modo præsidet fidelibus quam paganis, eiusque officium aliquo modo concernit fideles, quod non concernit infideles nec paganos.

Miles. CAP. XXXVII.

SEcundum beatum Bernardum libro *de disputatione & precepto* quilibet fidelis est Dominus ipsius Papæ. vnde dicit, quod *nulla miserabilior est seruitus quam vndique ante & retro respicere dominos suos.* vult enim quod Papa sit *seruus seruorum Dei*, & quod quilibet seruus Dei sit dominus ipsius Papæ. non est ergo dominus aliorum, qui est seruus seruorum, arg. *l. sic euenit. ff. de adulte.*

Clericus. CAP. XXXVIII.

EX dictis philosophi *primo politicorum*, cui concordant canonicę sanctiones simul & ciuiles: *seruitus* multis modis recipitur. quidam enim sunt serui secundum naturam: alii per beniuolentiam: alii per denominationem extrinsecam: alii per violentiam: alii per indigentiam: alii per malitiam. *Serui* per naturam sunt illi, qui carent discretione sic quod non essent habiles ad principandum, nec ad nobiles actiones exercendum: sed sunt corpore robusti, vt grossas & robustas actiones exerceat. Et per oppositum *liberi* dicuntur vigentes intellectu, & sicut corpus seruit naturaliter animæ, cum sit nobilior. *c. cum infirmitas, de pœn. & remiss.* sic vigentes corpore carentes intellectu naturaliter seruiũt vigentibus intellectu. *Serui* propter beniuolentiam sunt viri vigentes intellectu, qui sua sponte se exponunt propter bonum virtutis ad seruiendum reipublicæ. Et obmissis aliis speciebus seruitutũ, quæ non faciunt ad propositum, dico quod isto modo dicitur Papa *seruus seruorum Dei*, quia sponte sua se exponit propter bonum virtutis ad seruiendum reipublicæ. Et ex humilitate dictus fuit *seruus seruorum Dei* propter administrationem: etiam quia tenetur ex officio seruis Dei. & sic ille, cui aliquis obligatur in aliquo seruitio, potest dici aliquomodo ei dominus. Igitur serui dei dicuntur aliquo modo Domini ipsius papę. dicitur eorum seruus illomodo, quod habet illis aliquomodo ministrare & seruire. Sed stat cum hoc, quod eminentius dicitur eorum dominus & iudex ipsorum, quibus ipse scilicet pręsidet, & quos habet in multis iudicare, & ad quę habent tanquã ad superiorem recurrere. Maiori ergo eminentia dicitur illorum Dominus, quam ipsi dicantur domini ipsius. Videmus etiam simile, quod rex in multis habet seruire & ministrare populo vel subiectis suis, quamuis sit eorum Dominus & superior. Ex quibus clare patet solutio, qualiter intelligatur quod Romanus pontifex sit *seruus seruorum Dei*, &c.

Miles. CAP. XXXIX.

IN sola & vera commissione regni cælorum non venit nec cadit commissio regni terrenorum: cum regnum cælorum & regnum terrenorum ex oppositio distinguantur. Sed sic est, quod Christus promisit beato Petro & successoribus suis in personam illius claues regni cælorum, & non claues regni terrenorum. Et si dicatur, quod Christus dicit Petro, *quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis* &c. Hoc non valet, quia intelligitur quantum ad peccata, non quantũ ad Dominiũ & bona tẽporalia. Sed negotia secularia, quibus prohibuit Apostolos implicari, sicut ipsemet saluator exponit dicens, Io. 20. c. *accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. Vnde & beatus Bernardus ad Eugenium Papam lib. 1. dicit, *non in possessionibus sed in criminibus potestas vestra: propter illa siquidem & non propter has accepistis claues regni cœlorum.* Quare sequitur, quod in criminibus & non in possessionibus est eorum potestas. Non habent ergo Dominium in temporalibus.

Clericus. CAP. XL.

QVando arguitur, quod in commissione regni cælestis non committitur gubernatio regni terreni: dico, quod cui cõmisit Dominus maius, cõmisit & quod minus est. vnde in collatione clauium cælestium interueniebat traditio terrenorum in vim necessariæ consequentiæ, modo quo dictũ est superius, nec oportebat aliquid exprimere de collatione regni terreni, quia hoc satis subintelligebatur. Christus etiam directius ei commisit spiritualia: quia & quo ad auctoritatem & quo ad executionem immediatam. Et idcirco plus fecit mentionem de collatione regni cælestis, quam de collatione regni terreni: quia etiam spiritualia sunt digniora: & noluit eos negotiis implicare secularibus seu terrenis. Tacuit quoque de regno terreno per hoc ostendens, quod spiritualia sunt magis ponderanda & cælestia quam terrena. Et cum dicitur vltra, quod beatus Bernardus dicit, *in criminibus & non in possessionibus est potestas vestra*; iuxta illud etiam quod Apostolis dictum est, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. hic dico, quod beatus Bernardus vult, quod non debent se nimium occupare circa possessiones terrenas, & quod iudicare de ipsis possessionibus quo ad execu-

Digitized by Google

ad executionem spectat ad dominos temporales, & non ad ecclesiam, nisi necessitas vrgeat. Et, vt dicit Bernardus, non congruit clericis iudicare de terrenis, non quia indigni sunt, sed quia indignum est ipsos talibus se immiscere. Audiatis etiam, quid Apostolus censeat dicens: *si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicatis?* Ex quibus patet, quod non debent clerici nimis communiter & vltro talibus iudiciis rerum temporalium incumbere, vt dictum est: sed executionē immediatam principibus terrenis dimittere.

Miles. CAP. XLI.

VIcarius Christi non habuit maiorem plenitudinem potestatis, quam habuit ipse Christus, cuius est Vicarius: sed Christus non habuit nec habere voluit dominium in temporalibus. Nam Lucæ 12. c. dicitur, quod cum quidam de turba dixisset Christo, *dic fratri meo, vt mecum diuidat hæreditatem.* Christus respondit ei: *O homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos, seu super vos?* quasi dicat, quod nullus. Et similiter, vt legitur Io. 6. c. *Iesus autem cum cognouisset quod venturi essent vt raperent & fabricarent & facerent eum regem, fugit in montem ipse solus*: quod vtique non fecisset, si regnum terrenum quæsiuisset.

Clericus. CAP. XLII.

CVm dicitur, quod Christus non fuit Dominus, nego hoc. & cum allegatur, quod Christus noluit diuidere inter fratres seu iudicare: & quod fugit in montem: dicendum est, quod Christus spiritualiter Apostolis ostendebat signa humilitatis. Et licet esset verissimus rex, noluit exercere officium regalis potestatis, nec pro illa certare voluit, quia principalius vacabat spiritualibus, ostendens quod executionem immediatam in huiusmodi terrenis debebant Apostoli aliis dimittere. Si enim rex & dominus non cupiebat in temporalibus vacare, docebat clericos spiritualia amplecti & temporalia fugere.

Miles. CAP. XLIII.

PRæterea Io. 8. c. legitur, quod Christus in iudicium constitutus seu in iudicem respondit: *regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent vtique, vt non traderer Iudæis.* Super quo dicit Chrysostomus: *hoc dicit, qui non tenet regnum, sicut hii reges terreni tenent: sed quoniam desuper habet principatum, qui non est humanus, sed multo maior & clarior.* Et tunc arguatur sic secundum regulam iuris: Nemo plus iuris potest transferre in alium, quam ipse habebat: & saluator dixit: *regnum suum non esse ex hoc mundo*: innuens se non habere principatum humanum. liquet ergo quod nec in Papam transferre voluit temporale, & humanum regnum siue dominium.

Clericus. CAP. XLIV.

QVamuis dixerit coram Pilato: *regnum meum non est de hoc mundo*: non negauit propter hoc se esse regem, imo expresse postea concessit. Nam cum Pilatus dixisset ei: *ergo rex es tu?* respondit. *tu dicis: quia rex sum ego. In hoc enim natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* nec dicit: *regnum meum non est de hoc mundo*, cum regnum eius sit in cælo & in terra: sed dixit, *regnū meum non est de hoc mundo*, quia nec electione humana: nec successione humana, seu paterna fuit rex, sed vnione beata, quamuis parum aut nihil quasi huiusmodi iurisdictionem exercuerit in temporalibus. Et dico, parum, quia quandoque fecit flagella de funiculis, & eiecit ementes & vendentes de templo: & nummulariorum mensas euertit. vnde Iudæi dixerunt ei: *dic nobis, in qua potestate hoc facis.* Veruntamen quia principaliter venerat nos redimere & saluare, quasi omnes actus eius versabantur circa eruditionem nostram: & pauci aut nulli circa exercitium cuiuscunq; iudicii seu iurisdictionis: non quia vtramque potestatem non haberet, sed vt saluti nostræ totaliter intenderet, sic dicitur Io. c. 3. *non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* expleto itaq; sacramento nostræ salutis per mortem Christi & eius resurrectionem, Christus commisit Petro regimen ecclesiæ tamen quantum erat necessarium, & expediebat ad regimē eiusdem. Et quia vtraq; potestas temporalis & spiritualis est ad hoc necessaria, ideo vtramq; potestatem contulit Petro. de spirituali nullus Christianus dubitat, de temporali patet. Nam Petrus damnauit iudicialiter Ananiam, Saphiram, propter crimen furti & mendacii, *Actuum c. 5.*

Miles. CAP. XLV.

DIcitur Iohan. 1. cap. cum Pilatus dixisset Christo: *nescis quia potestatem habeo crucifigere te & potestatem dimittere te?* respondit Iesus: *Non haberes in me potestatem nisi datum esset tibi desuper.* quæ verba tractans Augustinus in sermone *de vno martyre* dicit: *sic quis dedit desuper potestatem Deus, qui est Deus pater & filius & spiritus sanctus. vt ergo omnium potestas in Deum, ab ipso Deo accepit potestatem.* Augustinus. & sic Pilatus habuit aliquam potestatem iurisdictionis super Christum: & sic Christus non habuit dominium vniuersalis iurisdictionis: quia tunc Pilatus nō habuisset potestatē super Christū.

Clericus. CAP. XLVI.

DIco quod non est sic intelligendum, quod Pilatus sic habuit potestatem in Christum, quod fuit eius superior, cum potius Christus eius esset superior: Deus tamen permittebat, quod Pilatus licet iniuste iudicaret Christum, & haberet potestatem in eum. sic seruus habet quandoque potestatem occidendi iniuste Dominum proprium, & naturaliter seruus & quilibet alius habent potestatem sæuiendi in seipsum, quamuis talis potestas sit iniusta & in-

Digitized by Google

ordinata, vt dicit lex ciui. *l. sed & si damnum. § sed & si ff. de pecul.* Item etiam si aliquis nequiquam modò occideret episcopum suum, aut patrem suum, haberet aliquam potestatē in eum. permittebat quoque Christus se esse sub potestate illius Pilati; & Deus pater hoc permittebat: sed non ex hoc sequitur, quod de iure & ordinata potestate ille Pilatus esset iudex & Dominus Domini Iesu Christi. Multi etiam dixerunt, quod potestas Pilati, qua potuit liberare Christum, erat à Deo. vnde & potestas male faciendi est à Deo, cum omnis potestas sit à Deo, quamuis ipsum peccatum non sit à Deo.

Miles. CAP. XLVII.

BEatus Bernardus ad Eugenium Papam. 4. lib. de consuetudine dicit sic: *Nunquid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? quod habeo, hoc tibi do, quid illud vnum scio non est mirum cum ipse dicat argentum & aurum non est mihi. esto ergo, vt alia quacunque ratione tibi vendices, sed non apostolico iure. nec enim ille dare quod non habuit potuit. quod habuit dedit solicitudinem, vt dixit, super ecclesiis. nunquid dominationē? Audi Christum: non dominantes,* inquit, *in clerum; sed forma facti gregis. & non dictum sola humilitate putes. nunquid in veritate vox Euangelii vox Domini est in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur? & infert; vos autem non sic! Planum est quod apostolis interdicitur dominatus. istum ergo cur tibi vsurpare audes, aut dominans apostolatum aut apostolatum dominatū? plane ab vtroque prohiberis: sed vtrum simul habere voles, perdes vtrumque. Alioquin non te contentum illorum numero putes, de quibus conqueritur Deus pater sic: regnauerunt & non ex me. principes extiterunt & non cognoui. Audiamus edictum. Qui maior est vestrum fiat sicut minor. forma apostolica, hoc est, dominatio interdicitur.*

Clericus. CAP. XLVIII.

AD istud cum dicit Bernardus, quod aurum non relinquit beatus Petrus, respondeo vno modo sic, quod hoc verum forsan in proprio: sed bene relinquit aurum in communi. Sed aliter volo dicere; quod si Papa hoc habeat non apostolico iure, hoc est intelligendum sic, videlicet si concernimus beatum Petrum, qui de facto non habebat argentum nec aurum, quia ille dicebat, *argentum & aurum non est mihi:* Papa non habet aurum, & sic non, quatenus præcise insisteret circa vestigia Petri, habet aurum. Vnde & habendo aurum non confirmat se, vt sic illi qui aurum non habebat: sed cum hoc stat, quod potest aurum habere, & cum vltra subiungitur, quod *non dominetur in clero*, hoc nō obstat, quia constat, quod esset dominus & superior maxime in clero. vult tamen apostolus & beatus Bernardus, quod debet ostendere humilitatis exemplum, quamuis sit dominus. Vnde Christus dicebat: *si ego dominus & magister laui pedes* &c. vos, inquam, vocatis me Magister, & dominus voluit se ministratorem gerere ostendens humilitatem. *Ego,* inquit, *sum in medio vestrum tanquā qui ministrat.*

Miles. CAP. XLIX.

ALibi scriptum est, *dabit illi dominus sedem Dauid patris eius* &c. *Et regni eius non erit finis.*

Clericus. CAP. L.

HOc modicum artat, quia esto quod regnū temporale deficeret, non tamen desinit esse rex. nec sequitur, dedit illi regnum sempiternum, ergo non dedit regnum temporale. Vnde vacat hic argumentum à contrario sensu: quia contrarium est expressum in iure. vnde ex hac affirmatiue sequitur aliquis. Deus dedit illi aliquod bonum temporale, esto adhuc quod assumptum foret verum, de quo transeo pro nunc.

Miles. CAP. LI.

LEgitur Lucæ. 1. c. quod angelus dixit beatæ Mariæ de Christo, *dabit illi dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo iacob in æternum: Et regni eius non erit finis.* sed planum est, quod regnum temporale habebit finem. ergo non habuit dominum in temporalibus, & per consequens nec Romanus pontifex.

Clericus. CAP. LII.

AD istud respondeo vt supra, non sequitur: *regnabit in domo Iacob in æternum*, ergo non habebit temporale dominium, consequentia non esset bona. nam vtrunque simul poterat possidere vnum temporale, & aliud in æternum.

Miles. CAP. LIII.

AD Hebr. 9. cap. dicitur, quod *Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum.* id est, non huius creationis. *Futurorum*, inquit, *bonorum pontifex* & non præsentium, sed spiritualium quę permanent. tale autem fuit Christi regnum & pontificium, quale eius tabernaculum. Tabernaculum autem Christi non fuit huius creationis vel terrenum, sed spirituale. quare nec eius vicarius est in temporalibus dominus.

Clericus. CAP. LIV.

DIco quod Christus fuit pontifex spiritualium & non temporalium tantum. Christus enim rex est in ecclesia triumphanti, & rex fuit in ecclesia militanti secundum quod pluribus auctoritatibus infra latius ostendetur.

Miles. CAP. LV.

DOminium vniuersalis iurisdictionis derogat & obuiat Apostolicę paupertati, charitati & humilitati.

Digitized by Google

litati. & q paupertas Apostolica consistat in voluntaria renunciatione & expoliatione regni & imperii temporalis,& cuiuscunque terreni,patet Lucæ.9.c. *omnis ex vobis,qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet,non potest meus esse discipulus*. Et Matth.19.c. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus:& veni & sequere me*:vendita autem & pauperibus data nō remansissent amplius in potestate & dominio vendentis. Constat autem, quod Christus impleuit & perfecit prædictum consilium paupertatis, quod docuit & proposuit. alias ipse non fuit perfectus, nec de genere perfectorum,quod est nephas dicere & contra illud Actuū 1.c. *Cœpit Iesus facere & docere*. præmissum autē paupertatis consilium includit voluntariā renunciationē & spoliationē bonorum temporaliū. Potestas autem vniuersalis regni & terreni imperii includit vtile dominium bonorum temporaliū. Renuntiatio autem vniuersalis dominii bonorum temporaliū & retentio vniuersalis dominii ipsorum obuiat ratione adinuicem,& repugnat:quia retentio vniuersalis dominii regni vel imperii temporalis apostolicæ paupertati obuiare & repugnare videtur.vnde Beatus Hilarius super Psalmo 69. dicit sic:*Egenus & pauper sum. Dominus adiuuat me. Nec est regni paupertatis, nec est regni opulentia paupertatis:atque inopia professio adiuuari. itaque rogat in forma tamen obedientiæ vsque ad crucis mortem factus est Christus*.hæc Hylarius.ex quibus concluditur,quod Christus non habuit Dominium in temporalibus nec de illis curauit.&c.

Clericus. CAP. LVI.

DIco,quod aliqua habere potuit in communi,vt supra tactum est: omnibus enim Apostolis erant omnia communia. Et per hoc ad omnia ista respondetur, quando dicitur, quod hæc obuiant paupertati Apostolorum. nam aliqua habebant in communi, quamuis aliquod proprium non haberent.

Miles. CAP. LVII.

ILla quæ Apostoli summa perfectione veritatis semel reliquerunt, dicentes: *dimisimus omnia & sequuti sumus te*:testante illa virtutis perfectione, amplius non sumpserunt, sed in personis omnium Apostolorū ex summa perfectione ipsorum potest dici, *ecce nos relinquimus omnia & sequuti sumus te*, quæ verba pertractans Beatus Augustinus 7.lib.de ciuitate Dei dicit sic:*Dixerant enim illi potentes.scilicet Apostoli,dimisimus omnia & sequuti sumus te. Hoc votū potentissime vouerant*.qui autem sibi retinēt, vniuersale dominium omniū temporalium, nequaquā omnia reliquisse videntur.& de illis Apostolis scribit Beatus Hiero.ad Alediam:*vis esse perfecta? fac quod fecerunt Apostoli. & vis tenere gladium virtutis? omnia quæ habes da filiis, da propinquis*.hæc Hiero. Et ita Apostoli omnia temporalia relinquerūt perfecte & dimiserunt, nō solum quo ad effectum voluntatis, sed etiam quo ad dominium proprietatis. Et qui omnia vendit & pauperibus distribuit omnia relinquit & dimittit, non solū voluntatis affectu,sed etiam proprietatis dominio & potestatis affectu. Qui autem sibi reseruat vtile dominiū cuiuslibet regni & temporalis imperii, nullatenus potest veraciter dici omnia reliquisse perfecte & dimisisse.& ita retentio dominii terreni atq; imperii derogat & obuiat Apostolicæ paupertati. vnde Beatus Hiero.ad Nepotianum scribens dicit:*illud dico, quod episcopi sciant se sacerdotes esse non dominos*.

Clericus. CAP. LVIII.

POtest dici vt supra, Apostoli voluntarie abdicarunt à se dominium in proprio, non in communi.

Miles. CAP. LIX.

HOc obuiat Apostolicæ humilitati,quia Christus humilitatis summę fundator omnem altitudinem huius seculi contempsit & funditus despexit.Ideo saluator 8.c.Cupidos,auaros & timidos & superbos huius seculi irridens ait:*vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet,vbi caput suum reclinet*,quæ verba pertractans Beatus Hiero. dicit sic: *Quid me propter diuitias & seculi lucra cupis sequi? cum tanta sim paupertatis, vt nec hospitiolum quod vt eo vtar, habeo*.hæc Hiero.

Clericus. CAP. LX.

SI Dominus ex amore & perfectione virtutis paruum hospiciolum habere noluit, quanto magis ex eodē virtutis amore & perfectione amplissimū imperium totius mundi habere recusauit. si enim dominium vnius domunculæ impedit à culmine & celsitudine perfectæ virtutis, quanto magis vniuersale Dominium totius orbis distrahit & impedit ab apice summæ virtutis? Et propter hæc Christus, cum Iudæi vellent eum rapere & facere regem, ex humilitate fugit in montem ne regnum terrenum omni humilitate vacuum suscipere cogeretur, vt prius dictū est. quod pulchre dicit Beatus Gregorius 1.lib.super pastorali sic: *Nolite plures Magistri fieri,fratres mei.hic ipse Dei hominumque mediator regnum vitauit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam conscendens ante secula regnat in cœlis. Scriptum quippe est, hic qui cū cognouisset quia venturi erant vt raperent eum & facerent eum regem, fugit in montem ipse solus. qui enim principari melius hominibus sine culpa potuisset, qui omnes in vnum regit, quos ipse creauerat? sed quia idcirco apparuit in carne, vt non solum per passionem nos redimeret, verum etiam per conuersionem doceret exemplum se sequentibus præbens. rex igitur fieri noluit, ad crucis patibulum sponte conuenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam opprobriosæ mortis petiit, vt membra eius discerent fauores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere*. hæc Gregorius.

Clericus. CAP. LXI.

CVm dicitur, quod hoc obuiat Apostolicæ humilitati, dico quod nō. dominari n. modo, quo supra scilicet in communi, non obuiat humilitati Apostolicæ. vnde & abbates & viri ecclesiastici,

qui renunciauerunt ex voto omnibus terrenis, præsident in ecclesia tanquã nihil habentes & omnia possidentes. Dicit quoq; sapiens Salomon prouer.13.c. *Est diues cum nil habeat, & est pauper cũ in multis diuitiis habundat.* aduertatur quoq; sæpe superius fuisse dictũ, quod Papa nõ habet executionẽ in temporalibus immediatam, & hoc in signum humilitatis. hæ autem auctoritates superius allegatæ quæ loquũtur de humilitate Christi, non sunt cõtra me. Christus in hoc humilitatẽ summã ostendebat, nec executionẽ immediatã in secularibus officiis habebat, sed eam fugiendã verbo & opere declarabat, nolens pro terreno dominio certare, malens humilitatis exemplum ostendere Apostolis, quamuis notissimum sit eum fuisse regem in temporalibus. Pilatus enim dixit Iudæis: *regem vestrum crucifigam?* Io.19. Item scripsit titulũ, *Iesus nazarenus rex iudaorum*, Græcè, Ebraicè, & Latinè, *Io.19 c.* nec sequitur, si fuerit rex cælestis, quin fuerit super temporalia seu cælestia, ideo dicebat, *regnum suũ*, scilicet principale, *non esse de hoc mundo*.

Miles. Cap. LXII.

QVod Christus non habuit Dominium in temporalibus, probatur per Beatum Augustinum, exponentem illud Psalm. *In Cathedra pestilencia non sedit*, dixit sic: *Regnum terrenũ cum superbia noluit.* Et in epistola ad fratres mendicantes scribit sic dicens: *Non terreno regno decoratus Christus et terrenis opibus diues, nec Christus vlla terrena fœlicitate refulgens, sed Christus crucifixus per totum terrarũ orbem prædicatur.* Aug. li. de Cathe. rudibus, dixit sic: *omnia ergo terrena contempsit homo factus Dominus Christus. vt enim contemnendo monstraret & omnia terrena mala suscepit, quæ præcipiendo suscipiebat, vt nec in illis quæreretur fœlicitas. Natus enim de Maria, quæ quamuis viro intacta permansit virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat: omnemque typum carnalis voluptatis extinxit. Natus est in Bethleem, quæ inter omnes ciuitates Iudeæ ita erat exigua, vt hodie quoque villa appelletur. pauper etiam factus est, cuius sunt omnia. & per quem creata sunt omnia: nec quisquam, cum in eum crediderit, de terrenis diuiciis auderet extolli. noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia superauerat, quam sempiternum eis regnum vniuersa terra testatur.* hæc Augustinus. Ex quibus manifeste sequitur, quod Christus non præfuit in temporalibus, imo pauperrimus extitit.

Clericus. Cap. LXIII.

VT prius; hæc omnia fecit Christus nobis humilitatis exemplum relinquens. rex enim erat & in temporalibus. vnde Lucæ 19. c. dicitur sic; *cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus est qui venit rex in nomine Domini. pax in terra & gloria in excelsis.*

Miles. Cap. LXIV.

BEatus Hiero. super Matth. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* dicit sic: *Dominus dicit, regnum meum non est de hoc mundo. omnis enim honor terrenus spumæ aquæ glacie comparatur.* Et ita regnum temporale obuiat Apostolicæ humilitati.

Clericus. Cap. LXV.

VT obstat; dominari in communi non obuiat Apostolicæ humilitati.

Miles. Cap. LXVI.

TAle regnum & imperium obuiat Apostolicæ caritati, quoniam Apostolica caritas erat principes seculi ad fidem attrahere Catholicam, & inducere, & nõ eos à fide retrahere. Si autem Christus & Apostoli regnum & imperium totius orbis sibi vendicassent, tunc Christus principes seculi à fide retraxisset, qui bona & regna non libenter dimittebant: imo ad fidei persecutionem occasionaliter prouocassent. sicut Herodes timens propter Christum natum regnum perdere, ad Christi & innocentium persecutionem & necem cõuertitur. Et hoc quidem valde pulchre dicit Beatus Aug. super Iohannem, pertractans verba Christi *regnum meum non est de hoc mundo*, sic inquiens: *hoc est, quod bonus Magister scire nos voluit. Audite ergo Iudæi & gentes, audite circumcisio, audite præputiũ, audite omnia regna terræ. Non impedio dominationẽ vestram in hoc mundo, nolite timere metu vanissimo, quo Herodes ille maior, qui cum Christus natus nunciaretur, expauit & tot infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit. Quid vultis amplius? venite ad regnũ, quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite seruire metuendo. dicit quidem in prophetia sua: ego quidem constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius: sed Syon illa & mons ille non est de hoc mundo.*

Clericus. Cap. LXVII.

CVm dicitur, quod habere dominium in temporalibus obuiat Apostolicæ caritati: quia hoc esset retrahere principes &c. Dico quod hoc non conuincit, imo sicut Christus erat Dominus totius orbis, non tamen prohibebat reges regnare & imperia sua gubernare, nec eis executionem in rebus temporalibus auferre volebat, debebant ne minus conuerti ad fidem? imo citius debebant conuerti ad fidem, considerãtes quod ille Dominus omnium permittebat illos libere dominari. Dicemus ne, quod regibus infidelibus sit prædicandum, quod Christus non est Dominus in temporalibus, vt citius conuertantur ad fidem secundum assertionem huius argumenti? Dicendũ esset quod non, ne

tardius

tardius veniant ad fidem ex hoc, quod eis anunciaretur, quod aliquem haberet superiorem in temporalibus, ipsi autem superiorem recusant. Ponamus enim aliquem regem, qui Dominum nullũ esse simpliciter secum credat, aut qui reputet se Deum, secundum quod de quibusdam legitur. Nunquid illis esset prædicandũ, quod ipse non esset Deus, sed vnus Deus super ipsum? clarum est quod sic. per falsas enim adulationes, infideles non sunt ad fidem attrahendi: nec bona intentione venirent ad fidem. qui si sciret, quod Christus esset in temporalibus super eum superior, non conuerteretur ad fidem. stare ergo potest, quod aliquis esset Dominus vtilis in temporalibus & spiritualibus: sed huiusmodi dominii executionem nõ haberet, sed eam dimitteret subditis. Herodes ergo vano timore timuit, ne illam executionem vellet habere Christus, quam tamen noluit, sed principibus temporalibus dimisit, vt est in argumento satis probatum. & stante illa veritate possunt homines & principes ad fidem trahi, esto quod eis annunciaretur, quod haberent regem super se. Item & si non ratio facta in oppositum teneret, pari ratione dicerem, quod non esset infidelibus prædicandum, quod illi qui veniunt de fidelitate ad baptismum, deberent renunciare terrenis diuitiis & pompis, &c. Et hoc enim obuiat caritati. Primo, quia hoc audientes non facile conuerterentur ad fidem. Nam audientes quod oporteret relinquere, quod tamen est falsum dicendum est enim illis, sicut adolescenti Christus dixit: *vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni & sequere me. facilius* enim *est camelum per foramen acus intrare, quam diuitem intrare regnum cœlorum.*

Miles. CAP. LXVIII.

QVod Papa non habet dominium in temporalibus, ostenditur. duo enim non possunt esse reges siue Domini eiusdem rei in solidũ, arg. *l. vt certo. §. si duobus. ff. commo.* Sed planum est, quod rex Franciæ dicitur Dominus in temporalibus regni sui. ergo impossibile est Papam esse Dominum, vt Beatus Hiero. scribit *ad Rusti.* & notat glo. *l. si. ff. de re. diui.*

Clericus. CAP. LXIX.

FAteor, quod duo non possunt esse Domini eiusdem rei in solidum, & eodem genere dominii: sed diuersis bene. vnde Papa habet Dominium in temporalibus quo ad primariam auctoritatem, nõ quo ad executionem: Sed rex habet Dominium quo ad executionem immediatam, vt alias latius est declaratum.

Miles. CAP. LXX.

SAnctus Leo Papa in sermone in octabis Epiphaniæ, loquens de principibus Iudæorum ait sic: *oporteret eos cum Herode carnaliter sapuisse, vt regnum Christi omne huiusmodi potestatibus, vt & temporalem isti saperent ducem, & terrenum metuerent,* &c. Ex his clare patet secundum Leonem Papam, quod ponere & dogmatizare Christi regnum fuisse temporale & terrenũ, sapit errorem Herodis & Iudæorũ, propter quem errorem in Christi mortẽ & necem inclinati sunt. quia carnalis error multos adhuc sectatores habet & defensores.

Clericus. CAP. LXXI.

DIco, quod ponẽ & dogmatizare Christi regnum temporale & terrenum quo ad executionem actualem, satis sapit errorem Herodis & Iudæorũ: sed ponere regnum suum temporale quo ad primariam auctoritatem, est ipsa veritas & Catholicum. Duplex est enim regnum terrenum, æternũ & temporale, vt superius sæpe fuit declaratum.

Miles. CAP. LXXII.

BEatus Chrysostomus super Matth. in Homilia 6. dicit sic: *qui autem magi & à stella eius discunt quod rex Iudæorum fuit, nimirum quod huiusmodi fuit regni rex, quemadmodum & Pilato dixit: regnum meum non est de hoc mundo,* &c. *Denique monstrauit iste neq; miles neque princeps neque iumentorum iugum; neq; aliquid tale habebat circa semetipsum humile, inopem vitam pertransibat.* hæc Chrysostomus. Ex quibus patet, quod nullum habuit dominium in temporalibus, & per consequens nec Petrus.

Clericus. CAP. LXXIII.

VT prius, verum est quo ad executionem, sed tamen rex erat in temporalibus verissimus, *in eius famore & vestimento est scriptum, rex regum & Dominus dominantium,* Apocalypsis 19. c.

Miles. CAP. LXXIV.

IN commentario super Matthæum dicit Iohannes Chrysostomus: *Si igitur regem terrenum quærentes inuenissent, magis confundendi fuerunt, quia tanti itineris laborem sine causa susceperant. nunc autem quia cælestem regem quærebant, & si nihil regale videbant in eo, tantum solius stellæ testimonio contenti gaudebant. ad hoc autem si quasi terrenum eum regem quæsiuissent, inuenientes eum apud eum mansissent sicut fieri solet in seculo, vt proprio rege relicto conferant se ad alienum. hunc autem adorauerunt, & ad suum reuersi sunt, vt isti haberent cælestẽ regem animarum suarũ, illum autem terrenum.* hæc Io. Chrysostomus. Ex quibus infertur manifeste quod Christus erat rex cœlestis & non temporalis.

Clericus. CAP. LXXV.

ADhuc vt prius: vnde dicti reges à stella ducti gratia spiritus sancti informati ipsum sciebant re-

gem cælestem.& nihilominus sciebant eum regem terrenum seu temporalem. Sed cum Herode vano timore non fuerunt perterriti. sciebant enim quod executionem huius regni terreni sibi non assumeret, sed eam regibus temporalibus dimitteret. Et sic debent intelligi verba Chrisostomi. Item patet quod Messias, scilicet Christus, sine originali peccato est natus de semine Dauid, quia in Psal. *Misericordias Domini*, describitur status Messiæ, quemadmodum humanitatem assumeret de Dauid in sanctitate & sine peccato, vbi dicit: *exaltaui electum de plebe mea. & inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum*: & exponit quod humana natura nō erat assumpta in personam Dauid regis, sed in personam filii descendentis ab eo. vnde sequitur, *semel iuraui in sancto meo, semen eius in æternum manebit*. Sed diceret aliquis, non loquitur hic Propheta determinate de Christo nostro. Respondeo, ꝙ hic dicitur de filio Dauid, qui nascetur sine originali peccato, quia vnctus scilicet sanctus hoc specialiter exprimit de Christo nostro. Et ibi dicitur: *Spiritus sanctus superueniet in te*. Et concludit Lucæ 1. c. quod ille filius Dauid, qui factus est sine orginali peccato seu culpa, nascetur. ibi enim sequitur, quod Christus nascetur *ex Spiritu sancto*. Et sequitur, *& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius*. i. qui factus est ex semine Dauid secundum carnem ex virgine. Ex quibus sequitur, quod Christus habuit regnum temporale & sedem Dauid patris eius.

Miles. CAP. LXXVI.

SI aliquis est Dominus temporalis, ad ipsum spectat iudicare de hæreditatibus & possessionibus. igitur à destructione consequentis ille qui non habet vbique, sed in certo loco, iudicare de hæreditatibus & possessionibus, non est vbique Dominus temporalis. quod autem Papa non habeat vbique de possessionibus iudicare, patet *extra, qui filii sunt legi. c. causam qua*, vbi Alexander Papa inducit sic: *nos attendentes quod ad regem pertinet non ad ecclesiam* &c. Et hoc idem probatur per decretalem *lator, eo. ti.* Ex quibus patet euidenter, quod ad regem nō ad Romanum potificem pertinet iudicare in temporalibus, vt hoc plene fatetur Papa vbi supra.

Clericus. CAP. LXXVII.

MAnifestum est quod, qui dicit Christum non habuisse omnem Iurisdictionem temporalem & spiritualem, contradicit Euangelio. Matth. vlti. c. vbi legitur Christum dixisse, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Et Apocali. 1. c. dicitur, *princeps regum terræ*. Sed plene contingit, quod habens potestatem Iurisdictionis non vtitur ea in propria persona, nec decet quantum ad omnia, Imo minora debent committi minoribus, & mediocra mediocribus, & maiora supremis, secundum quod consultum fuit Moysi *Exo.* 18. *c.* quod constitueret iudices, qui minora & faciliora iudicarent tantummodo & difficiliora remitterent Moysi iudicanda. vnde licet Christus haberet omnimodam potestatem, tamen summum opus, propter quod venerat, erat instruere nos de fide sua, & de redemptione nostra per ipsum facienda, propter quod circa ista minima, scilicet hæreditates diuidendas & cætera temporalia, nolebat vacare, sed dimittebat hæc minoribus exequenda, scilicet regibus temporalibus. Et ideo paruipendebat dictum illius, qui petebat hæreditatem diuidi inter se & fratrem suum *Lucæ* 12. quia ad minorem poterat recurrere, per hoc plana est responsio ad iura prius allegata: quia Romanus pontifex ad instar Christi dimittit hæc exequenda per dominos temporales, minora minoribus committendo.

Miles. CAP. LXXVIII.

VAssallus non recognoscens se feudum tenere à domino, ipso iure feudum ipsum amittit. hoc enim est notatum & per leges probatum, vt titulo *de feudis* & per Inno. 3. *qui filii sunt legi. c. per venerabilem*, vbi loquitur de rege Franciæ. ergo si Papa esset eius verus Dominus temporalis, iam ab illo tempore regno suo fuisset priuatus. contrarium videmus. ergo Papa saltem in rege Franciæ temporalem non habet Iurisdictionem.

Clericus. CAP. LXXIX.

HÆc recognitio & iura humana, quæ allegantur, locū sibi vendicāt, & obseruant inter inferiores principes temporales, qui executionem realem habent & appetunt in temporalibus, nec ligant Deum vel ipsius vicarium in terris. arg. *l. digna vox. C. de legi. l. princeps. ff. e. ti.* Christus ergo vel ipsius vicarius de ista recognitione verbali, quam faciunt Domini temporales suis superioribus, non multum curat: sed potius considerat recognitionem realem. quia temporibus retro actis reges Franciæ, fecerunt ecclesiæ Romanæ recognitionem, fuerunt enim reges veri & singulares pugiles & protectores ac etiam defensores ecclesiæ Romanæ: & per Dei gratiam sic erunt vsque in finem seculi rebus ipsis. ergo ipso facto bene recognoscunt, quæ recognitio realis quantum ad Deum maior reputatur.

Miles. CAP. LXXX.

PEr Dominum feudi debet inuestiri quicunque tenet feudum ab aliquo & ratione feudi debet Domino aliquā reuerentiam. Sic patet & notatur *extra, de feudis c. experta*. Sed infiniti sunt reges & Domini temporales, qui nec in personis suis nec in personis prædecessorum vmquam in regnis suis receperunt inuestituram à Papa, nec de terris suis sibi fecerunt aliquam reuerentiam seu redeuentiam temporalem, licet exhibuerint ei sicut spirituali patri reuerentiam, sicut rex Franciæ, Castellæ, & aliqui alii. ergo saltem quantum ad illos & illorum regna non est Dominus temporalis.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. LXXXI.

RESpondeo ad argumentum immediate factum. Christus enim fuit verus rex omnium etiam in temporalibus. dictum est enim per Prophetam: *Dicite filiæ Syon: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam.* Vnde Magi stella duce recognouerunt eum in regem, & reuerentiam sibi fecerūt, offerentes eidem aurum, thus & mirrham. Sed hanc recognitionem verbalem vel redeuentiam ab aliis regibus non exegit, quia ob aliam causam venerat, scilicet propter nostram salutem, vt superius sæpius est deductum. & ne videretur honores temporales quærere, fugit, cum populus vellet eum facere regem, propter duo: primo, quia cum ille rex esset ex se, noluit istum regnum habere ab hominibus. Secundo, vt daret exemplum fugiendi honores mundi, quando conferūtur intuitu commodi temporalis. turbæ enim voluerunt Christum facere regem, quoniā pauerat eos quinq; panibus & duobus piscibus. Sic & Papa his de causis hanc recognitionem vel redeuentiam non debet appetere à principibus secularibus, quia omnis Christi actio sua debet esse instructio; maxime & cum in signum vniuersalis Dominii Christus sibi reseruauerit decimas *c. tuā de decimis.* Et per hoc satis recognoscunt eum in Dominum & superiorem etiam in temporalibus, quia de suis temporalibus hanc recognitionem faciunt decimalem.

Miles. CAP. LXXXII.

NOmina debent esse consonantia rebus, *de praben. c. cum secundum Apostolum*, & *Insti. de leg. ca-nin. tol.* sed Papa non nominatur ab imperio temporali, sed à spirituali dignitate. *Papa* enim dicitur quasi *pater patrum.* nec cognominatur à temporali dominio, sed ab humili seruitute, vocat enim Papa se *seruum seruorum Dei*, secundum institutionem beatissimi patris Grægorii. ergo realiter in Papa non est dominium temporale super omnes.

Clericus. CAP. LXXXIII.

IN habentibus situm in vniuerso, imperfectum ordinatur in magis perfectum, vt probatur *primo politicorum & 7. metaphysic.* vnde temporalia vt minus perfecta ordinantur in spiritualia tanquam magis perfecta *c. cum infirmitas; de pœn. & remis.* & in cōposito semper actus debet denominari à potentiori seu nobiliori *l. quæritur, hermofroditum ff. de sta. ho.* Nam magis dignum trahit ad se minus dignum *c. quod in dubiis. de conse eccle. vel alta.* Papa igitur, qui est Dominus in tēporalibus & in spiritualibus debet potius denominari ab imperio spirituali, tanquā à digniori, quā ab imperio temporali, tanquam minus digno. nec desinit propter hoc nomē esse consonans rei in ipso: & ex humilitate vocat se *seruum seruorum Dei*, vt supra fuit alias tactum.

Miles. CAP. LXXXIV.

DIcitur Apoca. 2. c. *Nemo militans Deo se implicat negotiis secularibus.* sed nemo in ecclesia Dei magis debet militare Deo quam Papa. ergo minus implicare se debet negotiis secularibus. sed Iurisdictio temporalis, & præcipue omnium, est summe implicatiua in negotiis secularibus. ergo Papa non habet super omnes Iurisdictionem temporalem.

Clericus. CAP. LXXXV.

DIco quod Papa non habet Iurisdictionem in temporalibus negotiis quantum ad executionem, quia hoc esset se implicare negotiis secularibus: sed bene habet Iurisdictionem in temporalibus quantum ad imperii potestatem & dominationem, quæ potestas demandari debet executioni ad imperium ipsius per principes seculares. & hæc solutio iuuatur per auctoritatem Beati Bernardi lib. 4. de consideratione ad Eugenium Papam c. 3. qui dicit, *quare tu denuo vsurpare gladium temptas, quem semel iussus es reponere in vaginam: quem tamen qui tuum negat, non satis videtur attendere verbum Domini dicentis sic: conuertere gladium tuum in vaginam tuus ergo est, & si non tua manu euaginandus. Alioquin & si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis, ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est; sed, nimis est. vterque igitur ecclesiæ est, spiritualis scilicet gladius & materialis.* hæc Bernardus.

Miles. CAP. LXXXVI.

DOminium & ministerium ex opposito se habent ita, quod nec Domino debet imponi ministerium, nec minister sibi debet vsurpare dominium. Sed ex ordinatione Christi, qui maior est in ecclesia, non debet vsurpare vel sibi vendicare temporale dominium. quod autem maior in ecclesia debeat exercere temporaliter humile ministerium, probatur per Euangelium *Lucæ 22. c.* vbi cum esset contentio inter discipulos de maioritate, dixit Dominus sic: *qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sit ministrator.* & paucis interpositis: *ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*

Clericus. CAP. LXXXVII.

COncedo quod dominium & ministerium ex opposito se habent recipiendo proprie dominium & ministerium, & prout ministerium est necessarium respectu dominii, secundum quod verus seruus respectu Domini sic procedit argumentum. sed quandoque improprie recipitur ministerium

Digitized by Google

secundum quod est quando aliquis voluntarium assumit ministerium sibi paris vel inferioris. quod fit aliquando gratia humilitatis, & cum quis insequitur consilium Christi in illa auctoritate prius allegata, *qui maior est in vobis fiat sicut minor* &c. Et si isto modo Papa fiat minister non propterea desinit esse Dominus vniuersalis in temporalibus, quia sic propter suam humilitatem & propter actum meritorium in se reportaret damnum, quod foret satis absurdum, & contra *c. sane, extra de renun.*

Miles. CAP. LXXXVIII.

AD Dominum temporalem pertinet iudicare de feudis vbi est Dominus temporalis. sed ad Papam non pertinet vbique iudicare de feudis: quia in regno Franciæ non habet hoc locum. ergo Papa non est vbique Dominus temporalis. maior probatur *extra de foro compe. c. ex transmissa*, vbi Innocen. Papa tertius fecit causam feudi terminari. probatio minoris habetur *extra de iudi. c. nouit*, vbi Innocen. Papa tertius dicit sic: *non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum regem Franciæ spectat iudicium.*

Clericus. CAP. LXXXIX.

BEne contingit quandoque, quod habens potestatem Iurisdictionis non semper vtitur ea: nec decenter quantum ad omnia, imo minora sunt committenda minoribus. Vnde Apostoli dixerunt Actuum 6. c. *non est æquum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis.* & propter hoc Christus, licet haberet omnimodam potestatem, tamen summum opus, ad quod venerat, fuit nos instruere in fide & redemptione nostra per ipsum facienda. Propter hoc igitur noluit se de istis temporalibus intromittere, sed hoc dimisit inferioribus seu minoribus, & per consequens nec ipse vicarius eius debet se intromittere. sic loquuntur iura in contrarium allegata.

Miles. CAP. XC.

HOc confirmatur per decretalem Innocen. 3. *licet, de foro compe.* vbi Innocen. tertius dicit sic *scilicet quando à laicis Versellen. littera super rebus præcipue, quæ forum seculare contingunt, à sede Apostolica contingeret impetrari, sublato appellationis obstaculo decernas irritas & inanes.* Ex quo euidenter concluditur, quod Papa non intendit se de temporalibus intromittere.

Clericus. CAP. XCI.

VT prius; planum est, quod Papa est Dominus quoad auctoritatem, sed non quo ad executionem, propter rationes sæpe dictas, ne se negotiis implicet secularibus. Et sic:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Et ne promiscue rerum turbarentur officia. *l. consulta diualia. C. de testa.* sic enim minus posset vacare circa spiritualia intentus circa negotia secularia.

Miles. CAP. XCII.

AD illum qui est superior omnium Dominus in temporalibus appellari potest & debet de iure communi cum appellatur à iudice ciuili seu seculari, non potest appellari ad Papam. ergo Papa non est Dominus temporalis omnium. maior plana est. Et potest probari per ea quæ habentur in *c. dilecti, de appella.* probatur minor per decretalem *duobus, de appellatio.* Papa Innocen. quartus dicit sic: *quod quæris, si à ciuili iudice ante iudicium vel post ad nostram audientiam fuerit appellatum, an huiusmodi appellatio teneat? tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali Iurisdictioni subiecti quod sic. in aliis vero, etsi de consuetudine teneat secundum iuris rigorem, credimus non tenere.*

Clericus. CAP. XCIII.

IVre communi canonico & ciuili gradualis debet esse, appellatio *l. Imperatores ff. de appella. c. dilecti extra eo. ti.* Saluo quod in spiritualibus, quia maius in his versatur periculum, omnis oppressus obmisso medio appellat ad sedem Apostolicam *c. ad Romanam* 2. *q.* 11. ad propositum: non negat Papa in illa decretali *duobus*, quin ad vltimum ab vltimo recognoscente superiorem in terris possit ad eum appellari. Sed videtur dicere quod obmisso medio, scilicet Domino temporali, non debet ad ipsum appellari, quamuis illud de facto nõ obseruetur. vel aliter soluitur; si appellationes à Dominis temporalibus emissas reciperet, sic assumeret executionem in temporalibus, quod noluit episcopus, vt sæpe dictum est: ergo nec ipsius vicarius debet hoc appetere.

Miles. CAP. XCIV.

PLus dominationis non habet Papa ratione qua Papa, quam habuerit Petrus postquam super ipsum fundata est ecclesia, & à Christo sibi traditæ sunt claues regni cælorum. quod autem non habuerit temporale dominium, patet per illud quod habetur *Actuum* 3. *c.* vbi dicitur illi claudo ab vtero matris suæ, qui intendebat in Petrum & Iohannem, sperans se accepturum, *argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do.* Constat quod nihil temporale sibi dedit: igitur nullum dominium habebat in temporalibus.

Clericus. CAP. XCV.

PEtrus non habebat aurum nec argentum in proprio, sed bene in communi. vnde & Christus habebat

habebat loculos à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuebat, vt habetur. 12. *q.* 1. *c. habebat.* & patet per id, quod in eius persona Psalmista dicit, *qui manducat meum panem, leuabit calcaneum suum contra me.* Et recitatur *Iohanis.* 13. *c.* quod autem vnum habuit saltem in cœna illa, in qua eucharistiæ instituit sacramentum, patet, de quo habetur *Matth.* 17. *& Luca.* 22. *c.* ergo ille qui dicit Christum Iesum nostrum non habuisse dominium aliquod temporalium, scripturis prædictis veteris & noui testamenti contradicit expresse.

Miles. CAP. XCVI.

IVdicare est actus pertinens ad iurisdictionem. Vnde qui non habet aliquem iudicare, non videtur eum aliquam iurisdictionem habere. Ex quo sic arguitur. nihil à Christo commissum est Papæ super mundum, nisi illud propter quod venit in mundum, non vt iudicet mundum, quod pertinet ad iurisdictionem temporalem: Sed vt saluetur mundus per ipsum, quod pertinet ad iurisdictionem spiritualem, sicut habetur in euangelio Io. 3. c. vbi dicitur sic: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* ergo à Christo non est Papæ super mundum quantum ad iurisdictionem temporalem Dominium commissum.

Clericus. CAP. XCVII.

SCio quod Deus venit in mundum principaliter vt saluet mundum. illud fuit summum opus, ad quod venerat. Sed cum obstat, quod mundum iudicare poterat, quamuis paucos iudicauerit eiecit enim vendentes & ementes de templo, & mensas nummulariorum subuertit, vt narrat Innocen. quartus in *c. licet, de foro compe.* postquam Deus creauit cœlum & terram, mundum per se ipsum in spiritualibus & temporalibus, secundum quod factor rem suam gubernabat, & hominibus pœnitentiam imposuit *Gen.* 3. *c.* scil. Adæ & vxori suæ, vt ibi patet. sic & Cain puniuit, & Lameth *Gen.* 4. *c.* Et sic vsq; ad Noe rexit mundum per se. à tempore Noe cepit Deus regere creaturas suas per ministros suos. quorũ Primus fuit rector populi & gubernator Archæ *Gen.* 6. *&* 7. *c.* Et quamuis non legatur, quod Noe sacerdos fuerit, officium tamen sacerdotis exercuit. Ædificauit enim Noe altare Domino *Gen.* 8 *c.* In hac autem vicaria successerunt. Noe patriarchæ, iudices, reges & sacerdotes, qui pro tempore fuerunt, scilicet in regnum populi Iudæorum. & sic *iudicium tuum regi da.* & ipse Iesus Christus vicarium suum constituit Petrum, & successores suos, dicens, *pasce oues meas:* non dixit has vel illas, nec de pastura spirituali vel temporali: generaliter ergo debet intelligi de quacunque pastura, quæ requiritur ad esse corporis humani. Et sic non potest dici, quin officium iudicandi in temporalibus sibi videatur commisisse. necesse est enim in casibus ad Romanum pontificem etiam in temporalibus recurrere, vtpote quia de facto minores iudices non possunt sententias suas exequi: vel quia domini tẽporales negligunt vel nolunt iustitiam exercere. *c. per uenit qui filii sunt legitimi:* & multis aliis casibus notatis per Innocen. *c. licet* superius allegato.

Miles. CAP. XCVIII.

NVnquam illud debet sibi vendicare vicarius, quod plane & plene ad se non pertinere voluit & expressit eius Dominus, cuius vices gerit, sicut habetur Matth. 10. c. *non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum. sufficit discipulo, vt sit sicut magister,* si saluator Magister & Dominus voluit & expressit se non habere regnum, quod est mundanum & temporale; sicut apparet in euangelio Io. 18. c. *Regnum meum non est de hoc mundo* &c. Ergo nec quicunque Papa vendicare sibi deberet ex Christi vicaria, quod habeat temporale regnum, nec per consequens quod habeat super omnes temporale dominium.

Clericus. CAP. XCIX.

HÆc ratio super alia forma superius fuit tacta & soluta. vnde non dicit *regnum meum non est in hoc mundo:* sed cum regnum Christi sit in cælo & in terra: Isaias enim Deo Prophetauit Isa. 33. c. sic dicens: *Dominus Iudex noster Dominus legifer Dominus Rex noster ipse veniet & saluabit nos.* Sed dixit Christus, *regnum meum non est de hoc mundo:* quia non electione humana, nec successione mũdana fuit Rex. In vicarium suum ergo transtulit regnum temporale, quod prius habebat, sed non executionem.

Miles. CAP. C.

POst hoc potest probari ex ordinatione populi Israelitici. ordinauit enim populum Israeliticum vt regeretur. Primo per Duces & sacerdotes. vnde Moyses, qui primo rexit populum suum, fuit dux. populi enim & non alii dixit Dominus Exod. 32. c. *vade & duc populum istum quo locutus sum tibi.* Aaron vero frater eius fuit sacerdos primus. Vnde dictum fuit Moysi Exod. 28. c. *applica ad te Aaron fratrem tuũ cum filiis de medio filiorũ Israel, vt sacerdotio fungatur mihi.* Moyses igitur dux fuit exemplum populo Israel, & Aaron sacerdos. quamuis etiam ipse Moyses sacerdos fuisse legatur secundum illud Psalm. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius;* & 22. di. c. *sacrosancta.* & Hieronymus super Leuitico: *si quis vult sacerdos esse non tam vocabulo pro merito imitetur Moysen & Aaron.* Igitur sacerdotii vtriusque habuit iurisdictionem spiritualem. Sed sacerdotium magis proprie residebat penes Aaron, qui hostias offerebat Domino, quod non faciebat Moyses. Vnde glo. super illo verbo *Moyses & Aaron in sacerdotibus, Moyses sacerdos, qui si non hostias, vota tamen populi obtulit: & populo supplicauit.* Quis autem iurisdictio temporalis tẽporaliter fuit in Moyse, hoc

apparet ex nomine officii. Dux enim secundum Hysidorum est officium seculare. Item hoc apparet ex hiis, qui successerunt Moysi in ducatu populi successit Iosue, demum iudices, postea reges, de quibus certum est quod exercuerũt iurisdictionem temporalem Item hoc patet ex commissione à Domino facta ipsi Moysi. Dominus enim sibi commisit diuisionem hæreditatum & possessionum inter filios Israel. Diuisio autem hæreditatum & possessionum pertinet ad Dominium temporale. primum patet, scilicet quod Dominus commisit Moysi diuisionem hæreditatum & possessionum: dicitur enim Numeri. 36. c. quod *accesserunt principes familiares galaad, locutiq; sunt Moysi coram principibus atque dixerunt: tibi domino nostro precepit Dominus vt terram sorte diuideres Israel & filiabus saphaat fratris nostri dares possessionem debitam.* secundum videlicet quod diuisio hæreditatum & possessionum pertineat ad iurisdictionem temporalem, patet per Aug. super Iohannem: *iure humano habetur, hæc villa mea est: hic seruus meus est. iura autem humana, iura imperatorum sunt: quia ipsa iura humana per imperatores & reges seculi Deus distribuit humano generi.* sequitur: *Apostolus voluit seruiri regibus: voluit honorari reges: & dixit, reges reueremini. noli igitur dicere, quid mihi & regi? & possessiones per iura regum possidentur.* & habetur. 8. *di. c. quo iure.* Ex quibus patet, quod diuisio hæreditatum & possessionum pertinet ad iurisdictionem temporalem, cuiusmodi est iurisdictio imperatorum & regum. patet ergo, quod Moyses habuit super populum Dei iurisdictionem temporalem. Nunquam autem legitur, quod Moyses vel Aaron de ducatu seu iurisdictione pertinente ad Moysem se intromiserit, imo vocabat Moysem dominum suum vnde. Exo. 32. c. quando Moyses reuersus est de monte, in quo locutus fuerat cum Domino turbatus de vitulo conflatili, quem fecerat populus, dixit ei Aaron, *non indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quia pronus sit ad malum.* cum autem iurisdictio summi regni in scriptura sacra intelligatur per virgam, iuxta illud Psalm. *reges eos in virga ferrea*, hoc est inflexibili iustitia, secundum glosam. iurisdictio ista duplex est insignata in duplici virga, de qua legitur in veteri testamento. Legitur enim Exodi. 3. c. quod Moyses in manu tenuit virgam, cum dicitur ibi, *reuersus est Moyses in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua.* Item legitur numeri. 17. c. quod *Moyses inuenit germinasse virgam, percussa est terra Ægypti corporibus.* vnde ipsa designat iurisdictionem temporalem. secunda solum reposita est in tabernaculum testimonii, sicut legitur Numeri. 17. c. & in Archa testamenti, sicut habetur propter quod ad Hebræ. 9. c. & super illo verbo *& virga Aaron quæ floruit*, dicit glo. *potestas sacerdotalis.* Ex hiis concluditur, quod sacerdos quicunque iurisdictionem habens in spiritualibus sicut Aaron, nunquam super illum qui iurisdictionem habet temporalem, sicut Moyses, debet sibi vendicare Dominium vel aliquam iurisdictionem.

Clericus. CAP. CI.

DIco quod ex ordinatione populi Israelitici, & ex hiis quæ in isto argumento tacta sunt, satis habeo propositum. Moyses enim sacerdos fuisse legitur vt in Psalmo: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* Et Hiero. supra Leuit. *Si quis vult sacerdos esse, non tam vocabulo quam merito imitetur Moysen.* Sed quod dicitur, in persona Moysi, qui sacerdos erat, cõcurrit vtraq; auctoritas seu potestas in spiritualibus scil. & temporalibus. Et primo quod potestatem habuit spiritualem, probatur in pluribus locis legis veteris, in quibus legitur quod ipse sacrificia Domino obtulit: & Aaron & filios eius consecrauit in sacerdotes. quod autem fuerit dux & princeps populi, habens plenitudinem totius iurisdictionis in populo Dei quantum ad temporalia, patet in veteri lege. *Exod. Leuitico. Numeris. &* *Deuteronomio*, in quibus legitur nullũ iudicasse populũ, nisi Moyses vel substituti per eum, videlicet septuaginta viri, de quibus legitur *Numeri 4. c.* & alii de quibus legitur. *Exo. 18. c.* Et sic patet, quod officium sacerdotis non exclusit Moysen ab officio iudicis in temporalibus: sed potius reddidit eũ magis idoneum tanquam magis familiarem Deo, cuius est omne iudicium. Item Samuel simul fuit sacerdos & princeps populi in temporalibus, sicut apparet ex *primo libro regum.* tempore machabeorum reductum est regnum ad sacerdotes: & idem fuerunt pontifices & reges seu duces populi, habentes regimen tam in spiritualibus quam in temporalibus: sicut legitur. 1. & 2. *machabæorum* de Matath. & filiis eius videlicet Iuda machabeo, Ionatha, Symone & Iohanne filio symonis qui in omnibus tam in temporalibus quam in spiritualibus tribuerunt opera Dei. fuit igitur dux populi Moyses in temporalibus: quia officium ducis est officium temporale, vt est in argumento probatum. Et nihilominus fuit rector populi in spiritualibus, secundum quod pluribus auctoritatibus & exemplis supra fuit demonstratum. Ex quibus potest quilibet ad formam argumenti faciliter respondere.

Miles. CAP. CII.

PRius fuit iurisdictio temporalis quam spiritualis, secũdum enim quod cor prius creatur seu formatur quã caput secundũ naturam; Sic prius fuit iurisdictio temporalis in regibus quã fuerit iurisdictio spiritualis in sacerdotibus: sicut patet per Beatũ Augustinũ. in libro *de ciuitate Dei.* 18. c. vbi refert ne antiquissimis regnorum initiis. sicut ergo in corpore humano sunt duæ partes principales, distincta & diuersa officia habentes, scilicet caput & cor, ita quod vna de officio alterius se non intromittit, sic in orbe sunt duæ iurisdictiones distinctæ spiritualis, sc. & tẽporalis, habentes officia distincta. Vnde sicut nõ est aliquis Dominus tẽporalis, qui se debeat reputare patrẽ & Dominũ in spiritualibus, ita non est aliquis Dominus vel pater spiritualis, qui se debeat reputare Dominũ in temporalibus. Itẽ sicut videmus in corpore hũano, ꝙ carẽtia capitis seu cordis esset causa dissolutionis & mortis: sic cessatio alterius istarũ iurisdictionũ esset causa distinctionis totius esse per vniuersum mundum,

mundum.proprietas autem capitis attribuitur habenti iurisdictionem spiritualem, quia sicut in capite vigent sensus, quibus cætera membra reguntur & à capite diriguntur nerui quibus ipsorũ mẽbrorum compagines committuntur, secundum quod dicit Isidorus in *libro quarto Ethimologiarum c.2.* sic in Papa, qui omnib. præesse noscitur, spiritualiter vigere debet discretio & sapiẽtia, qua Christi fideles, qui sunt membra ecclesiæ, dirigantur ad opera salutis. Vnde & ad ipsum tanquam ad caput spectat omnibus fidelibus dare sensum discretionis per gratiosam eruditionem & sanã doctrinam, secundum illud Gregorii in *registro*, & probatur.43.*dist.c.sit rector.* verum autem ab isto capite deriuati sunt scilicet diuersi gradus & ordines ecclesiastici, quibus secundum eorum diuersa & distincta officia membra ecclesiæ suo vero capiti scilicet Christo & sibi inuicem quasi in quibusdam connexis compaginibus colligantur, vt in vnitate fidei faciant vnum corpus. Quis autem cordis proprietas attribuatur proprie illi, qui iurisdictionem temporalem exercet, probatur: dicit enim Isidorus, quod *cor est totius corporis fundamentũ.* & Aristoteles in lib. de animalibus. 12. c. dicit quod *in corde est principium venarum deferentium ad multa membra sanguinem, sine quo non est vita* Item dicit hoc 16.c. quod *in generatione corporis animalis primo creatur cor etiam antequam caput.* Dominus autem temporalis sicut Rex in regno, imperator in imperio, recte dicitur fundamentum, propter soliditatem & firmitatem iustitiæ, quæ in ipso esse debet, sine qua respublica non potest esse stabilis, sicut nec ædificium sine fundamento. Et in signum huius videlicet, quod Dominus in temporalibus sit quasi fundamentum reipublicæ, legimus & refert Isido. libro. 9. c.3. quod reges apud græcos ob hanc causam *basiles*, quia tanquam bases populum sustinebant. Item Domini temporales fundatores dicuntur ecclesiarum. quod non dicitur de prælatis ecclesiarum, nisi inquantum habet aliquod Dominium temporale. ab isto corde, scilicet seculari principe, procedunt tanquam à principio venæ, id est, leges, statuta & consuetudines legitimæ per quas defertur ad partes singulas totius corporis, hoc est communitatibus reipublicæ, substantia temporalis, & sicut in humano corpore sine sanguine non est vita, sic nec sine substantia temporali posset subsistere vita 1.*q.3.c.si quis obiecerit.*

Clericus. CAP. CIII.

QVando arguitur, quod prius fuit iurisdictio tẽporalis quam spiritualis, hoc potest negari: quia ab initio seculi Deus rexit per se mundum in spiritualibus & temporalibus, deinde commisit regimen Noe & aliis patriarchis in spiritualibus & temporalibus, Moysi etiam & aliis, vt statim fuit tactum. Respondeo ad illud argumentum immediate etiam concesso, quod prior fuit tempore iurisdictio temporalis quam spiritualis, non tamen sequitur quin iurisdictio temporalis subsit spirituali. argumentum enim ab ordine non semper concludit in iure *l.nec enim.ff.de soluti.* notatur. in *c. sit rector* 43.*di.in fi.* Clarum est enim quod ab initio creauit Deus cælum & terram, volatilia cæli & pecora terræ; omnia tamen propter hominẽ, vt patet *Gen.1.c.l.in pecudum.ff.de vsur.* & vltimo creauit hominem. Et nihilominus homo vltimo creatus nobilior est & præest etiam creatis ante ipsum: sic iurisdictio spiritualis præest temporali, etiam concesso quod temporalis præcesserit & sic nõ obstat quod arguitur de corde, quamuis illud simile sit pulchrum & mulceat aures audientium. Et quamuis spiritualia non possint esse sine temporalibus, secundum quod caput sine corde, non ex hoc sequitur, quod iurisdictio temporalis dignior sit quam ecclesiasticus principatus vel spiritualis: quia, sic sequeretur quod quia faber sine malleo & incude non potest fabricare, quod illa instrumenta sint nobiliora fabro, quod manifeste est falsum. Sic in proposito princeps secularis est, tanquam instrumentum spiritualium, & ordinatur in spiritualia tanquam in finem.

Miles. CAP. CIV.

QVod diuisio huius temporalis substantiæ pertineat ad reges & principes exercentes iustitiam, patet per beatum Hieronymum super Hieremiam, & est 23.*q.5.c. Regum*, vbi dicitur, quod *Regum est proprium facere iudicium & iustitiam & liberare de manu calumniantium vi oppressos.* hoc idẽ probatur per beatum Augustinum 14.*q.7.c.quicunq.*

Clericus. CAP. CV.

VOlo quod ad ipsos spectet facere iudicium & iustitiam quo ad executionem, non autem quo ad auctoritatem primariam, vt alias & sæpe fuit tactum: sicut dominorum de Parlamento regis Franciæ est facere iudicium & iustitiam etiam & in eisdem casibus, in quibus spectet facere iudicium & iustitiam. Sic suo modo per hoc quod dicitur, *regum est proprium facere iudicium & iustitiam*, non excluditur Romanus pontifex, cum istæ potestates sint subordinatæ: quamuis ex ordinatione & exemplo Christi cum executionem principibus temporalibus dimiserit. *l.lator.& c.causam, qui fi lii sint legi. & c.nouit. de iudi.*

Miles. CAP. CVI.

ITem & quod ecclesia non sit domina in temporalibus; patet: Nam Aaron aliquando volente domino, vsus est virga Moysi, id est, iurisdictione temporali: sicut in afflictione Ægyptiorum per plagas multiplices, tamen de expressa auctoritate Moysi. sic etiam qui nunc vocatus est ad iurisdictionem spiritualem, sicut Aaron, bene vsum habet alicuius iurisdictionis temporalis: sicut Papa & prælati alii alicubi: sed non nisi quantum datum est sibi vel permissum vel

Digitized by Google

ab illis qui habent temporalium potestatem, videlicet ab imperatoribus, regibus & aliis principibus, de quibus quod potestatem habeant in temporalibus & super ecclesiam probatur. 23 q. 5. c. *princeps*, vbi dicit sic, *sæpe per regimen terrenum cœleste perficit, vt qui intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam agunt, rigore principum terreantur. quia disciplinam, quam ecclesia vultis excercere, non prævalet ceruicibus superborum, potestas principalis imponat, & vt veriorem mereatur virtutem potestatis impar ciatur. Cognoscant principes seculi Deo se rationem reddituros esse propter ecclesiam, quam à Christo tuendam recipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina ecclesiæ per principes fideles siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit.* huc vsque verba Isidori. Ex quibus sequitur, quod ecclesia quantum ad temporalia, potestati regum & principum est tradita & subiecta. nec vacat mysterio, quod cum ab illo Propheta, qui fuit de sacerdotibus, qui erant in anathoth, videlicet Hieremia, quod viderit ipse se non virgas sed virgam vigilantem, id est iurisdictionem spiritualem debet respicere, in qua multum est necessarium esse vigilem & solicitum, secundum illud Apostoli *ad Corinth.* 11. *c.*

Clericus. CAP. CVII.

ISTud argumentum supponit quo ad primam partem, quod Moyses exercebat iurisdictionem secularem, sic quod non spirituale: & Aaron similiter solam spiritualem. sic quod non teporalem: quod tamen quo ad primum est falsum. Nam Moyses vtramque iurisdictionem exercebat, & tamen sacerdos erat, secundum quod superius est probatum, Aaron habebat iurisdictionem in Spiritualibus tantum: nec repugnat quod duo simul iurisdictionem habeant in spiritualibus, vtpote per præuentionem, vt est videre aliquando in episcopo & archidiacono. nec poterat Aaron de iurisdictione temporali commissa à Domino Moysi se intromittere: nimirum quia iurisdictio ecclesiastica & etiam secularis confunditur, nisi vnicuique iurisdictio sua illæsa reseruetur, *c. peruenit.* 11. *q.* 1. modo soli Moysi tunc à domino erat in temporalibus commissa: & ita Aaron nisi ex speciali commissione non debebat se intromittere. Nec obstat quod vlterius dicitur in verbis Isidori quod ecclesiam à Christo tuendam susceperunt principes temporales. Fateor hoc quod à Christo omnis potestas est mediate vel immediate. Vnde principes seculares hanc potestatem receperunt à Domino mediate tamen, scilicet mediante Papa. Hoc patet in imperatore qui approbatur & Romano pontifice *c. venerabilem. de elect.* in rege Franciæ qui consecratur ab ecclesia, & sic de aliis principibus terrarum, qui iurisdictionem & administrationem recipiunt ab ecclesia, vno vel alio modo tacito, vel expresso. Nec obstat quod de Hieremia dicitur seu arguitur, qui vidit virgam vigilantem & non virgas: quia principes ecclesiastici quo ad exercitium debent esse intenti circa iurisdictionem spiritualem tantum, & non circa temporalem, quamuis & temporalem habeant iurisdictionẽ quo ad primariam auctoritatem.

Miles. CAP. CVIII.

NVnc recurremus ad tempus regiminis populi Israelitici. Certum est enim, quod tunc reges in temporalibus præsidebant; sacerdotes & Prophetæ spiritualia regebant: & nunquam in illo tempore fuit sacerdos vel Propheta, qui tanquam dominium habens præceperit aliquid regibus licet bene legatur annunciasse regibus præcepta domini: sicut legitur de Saule. si reges sint veri domini, præcipiebant dominis & Prophetis & sacerdotibus: & ne dicatur quod hoc fecerunt mali reges non exercentes iurisdictionem, sed sæuientes in tyrannidem: ostendi potest de tribus melioribus, qui vnquam regnauerunt super populum, videlicet de Dauid, Ezechia & Iosia. De Dauid enim legitur quod præcepit Sadoch sacerdoti, & Nathan Prophetæ. libro Regum. 1. c. *tollite vobiscum seruum Dei vestri vocans se dominum eorum & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite in Sion & vngat eum sibi Sadoch sacerdos & Nathan in regem.* De Ezechia vero legitur *Regum.* 19. *c.* quod *Ezechias ingressus est domum Domini & misit Aliachim præpositum domus suæ.* & sequitur, *dicitque eis Isaias: hæc dicito Domino nostro. nolite timere de rege.* etiam Iosia legitur 3. Regum. 22. c. *Cum audisset Rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua & præcepit Ezechiæ sacerdoti & Achor filio Nucha & Saphan scribæ & Achiæ seruo regis dicens: ite & consulite Dominum.* Ecce isti tres reges super omnes, qui vnquam rexerunt populum Domini meliores, imperando, præcipiendo, mittendo, se ostendunt, sicut & vere erant post Deum, Dominos temporales, super quos nec Prophetæ nec sacerdos vnquam acceptauerunt aliquid, quod esset in diminutionem temporalis: sequitur quod Papa pater spiritualis omnium Christianorum non est Dominus omnium temporalium.

Clericus. CAP. CIX.

QVamuis de hiis tribus regibus legatur quod præceperint sacerdotibus, non tamẽ infertur, quin Papa habeat superioritatem in temporalibus: quia nullus ipsorũ sacerdotum nec talem nec tantam habebat potestatem, qualem & quantam habet Romanus pontifex hodiernis temporibus. Item prædicti reges præcipiebant dictis sacerdotibus ratione executionis, quam in temporalibus exercebant. Et isto respectu vocabant se dicti reges Dominos sacerdotum: nec poterant dicti reges melius ea, quæ dicta sunt, committere quam verbis imperatiui modi. Si enim Rex Franciæ seu quilibet alius vellet aliquid sacerdoti committere, diceret, ite accipite vel facite, nec propterea debet inferri quod aliquam per hoc haberet superioritatem.

Miles.

Digitized by Google

Miles. CAP. CX.

PRæterea quod Imperator siue Rex non cognoscens superiorem in terris, sit Dominus in temporalibus, probatur *C. de præscrip. quadri. l. bene. à zenone. ff. ad l. rod. de iact. l. deprecatio.* ibi, *ego quidem mundi Dominus sum.* 19. q. 7. c. *conuenior*, & ibi notatur. populus enim in principem transtulit omnẽ potestatẽ, *Insti. de iure. na. gen. & ciuili.* §. *sed quod principi. ff. de orig. iur. l. 2.* §. *deinde cum esset.* iura enim humana regum sunt: nec alio iure possideri possunt. Nam si dicas, *quid mihi & regi?* Audi Augustinũ dicentem: *nihil ergo tibi & possessioni.* 8. di. c *quo iure* superius allegato.

Clericus. CAP. CXI.

SI Imperator legem faciendo dicat se Dominum mundi vt in *l. deprecatio*, sibi non est credendũ; quia domesticum est testimonium, & nullus in causa sua est idoneus testis. vel aliter: Dominus est quo ad executionem seu administrationem, secundum quod veri ecclesiastici quandoq; Domini vocantur ratione administrationis: & tamen alibi procuratores vocantur. *c. 2. de dona.* sicut & bubulci dicunt animalia sua ratione custodiæ, notauit Accur. *ff. de abig. l. 1.* & sic faciliter potest respondri ad omnia iura superius allegata.

Miles. CAP. CXII.

CLerici sunt subiecti regi, & non Romano pontifici. probatur. Nam vnusquisq; nascitur subditus regi & ad vtilitatem reipublicæ. primum notorium est: quia ante natiuitatem caracter ordinis clericalis non confertur, secundum quod nec baptismum, arg. eorum quæ notantur. 5 *q. 4. c. ad eius vero:* secundum patet, videlicet quod reipublicæ nascitur. *l. 1. ff. solu. matri.* quis ergo potuit eũ in præiudicium regis & reipublicæ à iurisdictione eximere regia? non Papa, vt videtur: multo minus quiuis episcopus. Nam si in potestate Papæ & episcoporum esset, reges sic priuare omnibus subditis suis, omnes ordinando litteratos & illiteratos, quia collatio facta illiterato, etiam puero vnius diei facta, teneret quamuis fieri non deberet, *de æta. & quali. or. c. 4. & enul. li. 6.* cum ibi notatis. Et tamẽ hoc foret absurdum. igitur omnes clerici sunt quo ad iurisdictionẽ subiecti regi, quia laici nati sunt

Clericus. CAP. CXIII.

DIco quod clerici per assumptionem cælestis militiæ corpus & animam Dei seruitio dedicarũt: & in sortem Christi transtulerunt. 12. *q. 1. c. Imperator.* Dici etiam posset, quod princeps hoc priuilegium eis concessit, & à sua iurisdictione exemit, in *autentica. vt clerici apud proprios episcopos.* §. *si vero colla. 6. de sanctis. episcopis.* § *si quis, contra clericum*, quæ leges sunt per ecclesiam receptæ & approbatæ. *di. 10. c. si in adiutorium*, & notauit Inno. *de maio. & obe. c. si quis.* & cum omnes causæ etiam laicorum ab initio tractarentur etiam coram sacerdotibus, *Deuterono. 18. c. & c. per venerabilem. qui filii sunt legiti.* non videtur fieri iniuria, si res redeat ad suum primæuum statum, scil. quod clerici coram iudicibus ecclesiasticis solum conueniantur, arg. *ff. de pactis. l. si vnus.* §. *pactum. c. ab exordio.* 35. *di.* Et ex hiis concluditur. quod nulla sit iniuria regi vel reipublicæ si clerici coram suis episcopis solum conueniantur. Item & aliter ad illud absurdũ respondetur: quod raro contingeret ille casus, quod omnes laici fierent clerici, & ideo illum casum non debet considerare legislator; *l. nam ad ea cum l. sequen. ff. de leg.*

Miles. CAP. CXIV.

NVnquid notat Inno. *de foro compe. c. postulasti.* quod constitutio regis ligat possessiones clericorum, arg. 8. *di. c. quæ contra mores.* ratione enim temporalium clerici regibus sunt subiecti. 11. *q. 1.* §. *his ita.* 23. *q. 3.* § *si mundũ. de maio. & obe. c. solitæ. C. de episcopis. & cle. l. de his.* Et si ecclesia aliquid teneat in feudum à Domino temporali, cogitur respondere, *extra de iudic. c. cæterum extra. de iudic. c. ex transmissa.* §. *verum.*

Clericus. CAP. CXV.

ILlud quod notat Inno. habet locum quo ad onera realia, quæ directe recipiunt rem, vt *ff. de mune. & hono. l. munerum.* §. *patrimoniorum.* 11. *q. 1. c. tributum.* Vnde quia domini temporales habent executionem in temporalibus ecclesiæ: & clerici soluũt onera realia. alias nisi soluerent realia onera, impedirent & turbarent potestatem iurisdictionis temporalis quo ad executionem; quod noluit Christus, dicens; *reddite quæ sunt cæsaris cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Matth. 22. c.

Miles. CAP. CXVI.

DEus duas iurisdictiones distinxit, arg. *de conse. di. 3. c. celebritatem.* Nam in eadẽ ciuitate duo sunt populi, scilicet clericorum & laicorũ. 12. *q. 1. c. duo:* & duæ vitæ, carnalis scilicet & spiritualis, *de renun. c. nisi cum pridem.* §. *penulti*: duo genera militum, scilicet ecclesiæ & seculi. *l. di. c. clericum qui paganum*: pontificalis & regalis potestas. 96. *di. cap. duo.* & sic duæ iurisdictiones, diuina scilicet & humana. maxima enim in omnibus sunt dona Dei superna collata; sacerdotium diuinis ministrans, imperium humanis præsidens, ab vno eodemque principio, in *authentica quomodo oportet episcopi & cle. in principio colla. prima.* duo enim sunt gladii, spiritualis scilicet & materialis. 30. *q. 6. c. auctoritate.* non dixit saluator alterum fore superfluum, sed dixit, *satis est*; Lu-

Digitized by Google

cæ 12.c. per hoc duas iurisdictiones denotans esse necessarias: & ne vni præsidens alteram vsurparet. Petrum volentem vti materiali gladio, vt suum magistrum à Iudæorum iniuriis defensaret, reprehendit dicens: *converte gladium tuum in locum suum*, & vsurpanti iurisdictionem alterius pœnam esse comminatus, cum addidit: *omnis qui gladium accipit*, scilicet ad alterius iurisdictionem spectantem, *gladio peribit*.

Clericus. CAP. CXVII.

COnceditur quod duæ sunt iurisdictiones & distinctæ quo ad executionem. Nam executio iurisdictionis spiritualis est penes ecclesiam, temporalis penes reges & principes seculares: sed non quo ad primariam auctoritatem, vt dictum est superius.

Miles. CAP. CXVIII.

GLadium spiritualem habet ecclesia 33.*q*.2.*c.inter hæc*. Rex vero habet materialem gladium. vnde de Domino dixit Apostolus ad Ro. 13.*c. quod nō sine causa gladiū portat*: & ratione huius gladii omnis anima ei iubetur esse subiecta. 1.*petri*.2.*c. de cēs.c. omnis anima*, & omnis qui præter eius auctoritatē gladiū acceperit, gladio peribit. 33.*q*.7.*c.imperii*. Nam cum ad verum ventum est, nec imperator iura pontificis accipit: nec pōtifex iura imperatoris vsurpet, quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus propriis officia potestatis discernit vtraq;, vt Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus egeant, & pōtifices pro casu temporalium reū tantummodo imperialibus legibus vtantur. 96 *di.c. cum ad ecclesiam*, ne promiscuis actibus rerū turbentur officia. *C. de testa.l. consulta*. indecorum est enim, si vnum membrum alterius membri fungatur officio. 89. *di.c.primo*.

Clericus. CAP. CXIX.

LIcet duo sint gladii & distincti, vnus in spiritualibus & alius in tēporibus, vt in iuribus allegatis: hoc intelligendum est quo ad executionem. vnde secundum quod Rex non habet executionem gladii spiritualis: sic nec Papa gladii materialis. sed tamen cum hoc stat, quod vnus gladius subordinatur alteri, temporalis videlicet spirituali: quia tēporalia sunt creata propter spiritualia 1. *q*.3.*c.si quis obiecerit*. finis igitur nobilior est, quam ordinata in finem: & ordinata in finem subsunt fini tanquam potentiori & prædominanti.

Miles. CAP. CXX.

IVdex secularis de re spirituali iudicare non potest de iudiciis. c. decreuimus. sic nec econtra Iudex ecclesiasticus de temporalibus se intromittere non potest, vt contrariorum sit eadem disciplina secundum Philosophum. & *ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris. l.*1.§.*videmus*.

Clericus. CAP. CXXI.

NOn est par eademq; ratio iudicis secularis & ecclesiastici. secularis est omnino incapax iurisdictionis ecclesiasticæ vel spiritualis. *c. decreuimus* allegato: vnde nec spiritualia possidere potest *c. causam. de præscript*. sed ecclesiasticus Iudex est bene capax iurisdictionis temporalis. nam ab initio causæ etiam temporalis iurisdictionis omnes tractabantur coram sacerdotibus, vt *c. per venerabilem, qui filii sunt legi*. Nec istæ duæ iurisdictiones contrariantur, imo ad inuicem se compatiuntur in eodem subiecto, secundum quod infra latius deducitur.

Miles. CAP. CXXII.

INtentio Imperatoris seu regis fundatur seu est fundata de iure communi in temporalibus: faciunt notata per Inno. *de offi. archi. c. fi.* & quod no. Archi. 23.*q.fi.*§.*quamuis*. Si ergo ecclesia dicat se priuilegio vel præscriptione munitam in temporalibus quo ad vniuersale Dominiū, hoc debet ostēdere priuileg. *c. cū personæ lib.*6.*c.*1.*de præbē. eo. lib.* Et ideo si de hoc resuscitaretur quæstio inter Romanum pontificem & regem, sapienter Rex faciet, si non constituat se actorem sed reum, vt notauit Inno. *de verbo. signi. ex parte*: & sic actor forum rei sequetur, *de foro compe. c. si clericus*.

Clericus. CAP. CXXIII.

INtentio regis vel imperatoris est de iure communi fundata in illis, qui sibi subsunt & subesse possunt: secus in illis qui iure communi non subsunt, vt sunt clerici. *c. si diligenti, de foro compe*. Et ideo tales non tenentur ire corām rege etiam vocati ad declinandum forum: cum notorium sit, quod clericus non potest coram iudice seculari conueniri. 11.*q*.1.*c. nullus Episcopus*. 15.*q*.4.*c*.2. ibi Archi. Et licet sit intentio regis fundata quo ad executionem in temporalibus, non tamen quo ad primariam auctoritatem, secundum quod iam fuit latius declaratum.

Miles. CAP. CXXIV.

ITem quod Rex sit Dominus in temporalibus patet, quia causa appellationis Dominum superiorem semper requirit. *l. præfecti. ff. de minoribus*: sed ab episcopo appellatur ad regem in temporalibus, *de appella. c. Romana*. §. *de rebus. li*. 6. ergo ipse est superior in temporalibus.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. Cap. CXXV.

SVperior est quo ad quid, scilicet quo ad executionem & iustitiam faciendam, quod est proprium Regum 23 *q.5.c.Regum*. Sed non est simpliciter dominus. ratione igitur executionis in temporalibus, quam habet rex in temporalibus, episcopus appellat ad eum in temporalibus, quæ tenet episcopus nomine ecclesiæ, vt faciat iustitiam & exequatur. in hoc enim rex est minister Dei & ecclesiæ: mirum ergo si ecclesia requirat ministrum suum vt sibi ministret.

Miles. Cap. CXXVI.

HOc colligitur ex humili responsione Christi: legimus in Luca 12.c. quod quidam venit ad Iesum & dixit ei: *Magister, dic fratri meo vt mecum diuidat hæreditatem: at ille dixit ei. O homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* ostendens per hoc quod ad ipsum non spectabat iudicium vel iurisdictio de diuisione hæreditatis. vnde Ambrosius super illo verbo dicit sic: *bene terrena declinat qui propter diuina descenderat: nec iudex dignatur esse litium, nec arbiter facultatum*. Ex quibus potest argui sic. *Non est discipulus super magistrum: nec seruus super dominum: & sufficit*, id est, sufficere debet *discipulo vt sit sicut magister eius*, Math.10.c: sic ergo maioritatem iudicandi in temporalibus, sicut de diuisione hæreditatis, noluit in hoc mundo habere Christus. vnde, *quis me constituit iudicē aut diuisorem super vos*, sciens quod velle iudicare vel iurisdictionem habere procedit ex radice auaritiæ: statim dixit ad Apostolos, *videte & cauete ab omni auaritia*, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet.

Clericus. Cap. CXXVII.

SVmmum opus propter quod venerat, erat instruere nos de fide. propter quod dictum est illi, qui petebat diuidi hæreditatem inter se & fratrem suum, quia ad minores poterat iudices recurrere.

Miles. Cap. CXXVIII.

ITem quod sola potestas regalis sufficiat quo ad bonam politiam humanam in temporalibus, probatur. Nam potestas iurisdictionis temporalis ad hoc ordinatur, vt homines arceantur à malo & inducantur ad bonum: vnde Petri 2.c. dicitur de potestate iurisdictionis temporalis quod est *ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. 4.di.c.factæ sunt leges*. Et ad Romanos 13.c. dicitur *vis non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex ea. Nam principes non sunt timendi ratione boni operis sed mali*. sed sic est quod bona, ad quæ facienda debent induci, & mala à quibus homines debent arceri, possunt pertinere ad præsentem vitam & bonum regimen ciuile & politicum, etiam circumscripta vlteriori vita, quam omnes fideles expectamus: sufficit igitur quo ad temporalia regimen principis secularis.

Clericus. Cap. CXXIX.

DIco quod si bona ad quæ homines debent induci & mala à quibus homines debent arceri, pertinerent solum ad præsentem vitam & ciuilem & politicam, sufficeret ad regimen populi potestas iurisdictionis secularis: nec alia esset necessaria. Cuius ratio est, quia per virtutes morales & acquisitas, & maxime per prudentiam quæ debet esse in rectore: potest sufficienter vita præsens moralis regi: & politica sic præcise accepta. sed hæc possunt & debent inesse principi seculari habenti potestatem regendi populum quantum ad præsentem vitam ciuilem & politicam. Et sic nulla potestas esset necessaria politica & ciuilis vita sic accepta, sed quia vita fidelium & Christianorum non tendit solum ad bona & mala præsentis vitæ, imo principaliter tendit ad bona futuræ vitæ. Et ad ea acquirenda ordinantur omnia bona vitæ præsentis, secundum illud Math.7. ca. *primum quærite regnum Dei & iustitiam eius*. Et summe horrenda est illa pœna quæ post mortem animæ & corpori infligitur, iuxta illud Math.10. cap. *Timete illum qui potest animam & corpus mittere in gehennam*. Et idem habetur *Luca.12.c.& 11.q.3.c.nolite de pœ.di.c.dum sanctam:* vbi sic est regnum Dei. Ideo inter fideles & Christianos ne exorbitent à fine in quem intendunt: & si errauerint in via reducantur ad ea: necessaria est aliqua virtus seu potestas, ad quam pertineat eos ad finem prædictum dirigere & dementes corrigere & ad rectam viam reducere. Et quia ad hoc non sufficit potestas secularis, quæ de se nihil nouit de pœnis & præmiis vitæ futuræ: nec de meritis vel demeritis quæ ad eas perducunt. Ideo præter eas inter Christianos necessaria est alia potestas, quæ communi nomine vocatur potestas spiritualis: quæ habet executionem in spiritualibus: secularis autem in temporalibus.

Miles. Cap. CXXX.

QVod impossibile sit, quod Romanus Pontifex sit superior in temporalibus & spiritualibus: probatur. quia duæ species oppositæ & distinctæ eiusdem generis, non se compatiuntur in eodem subiecto: sicut homo & asinus: albedo & nigredo. Sed hæ duæ potestates siue iurisdictiones sunt duæ species eiusdem generis: ergo non se compatiuntur in eadem persona. ad hoc facit. *ff. pro socio. l. si alia* circa principium: ibi, cum dicit, *neque enim eidem & pro suo & clam possidere potest*. & quod ibi notatur, ad idem facit quod legitur & notatur. 12 *q.2.c.cum humilitatis*. Igitur iste duæ potestates non possunt concurrere in persona Romani pontificis.

Digitized by Google

Clericus. CAP. CXXXI.

QVando dicitur quod duæ species eiusdem generis non compatiuntur se &c. dicendum est quod ista ratio deficit in se: & facientes eam contradicunt sibiipsis. deficit in se, quia maior non erit vniuersaliter vera: sed solum in illis in quibus ex spirituali ratione inuenitur repugnantia essendi: verbi gratia in omnibus hiis naturaliter per se subsistentibus est repugnandum essendi in eodem subiecto: quia quælibet ex natura sua nata est constituere proprium substantiuum suppositum: vt homo, asinus. Item in oppositis est repugnantia ex natura oppositionis. hiis autem exclusis species eiusdem generis proximi possunt esse simul in eodem subiecto, vt patet in virtutibus tam moralibus quam intellectualibus. potest enim homo habere omnes virtutes morales, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, & sic de aliis: imo qui habet vnam perfecte, habet omnes, vt patet. *6. Ethi.* Cum igitur potestas regiminis tam spiritualis quam temporalis imitatur vel debeat inniti virtuti: maxime prudentiæ & iustitiæ, quæ debent esse in rectore, patet quod istæ duæ potestates decenter possunt in Romano Pontifice sine aliqua repugnantia concurrere.

Miles. CAP. CXXXII.

ANte fuit Imperium quam Apostolatus, & quamuis Imperator coronam recipiat à Papa, gladium tamen ab altari. *93. di. c. legimus.*

Clericus. CAP. CXXXIII.

POsito pro vero quod prius fuerit Imperium quam Apostolatus seu Papatus, tamen non sequitur, quin imperium seu regnum quodlibet subsit potestati ecclesiasticæ: quia quodlibet regnum & imperium ordinatur in spiritualia & propter spiritualia, vt est superius latius deductum.

Miles. CAP. CXXXIV.

CHristus dixit in euangelio Matth. 22. c. *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo*, per hoc innuens diuisionem iurisdictionum: quod temporalia debebant dimitti iudicibus secularibus, & spiritualia iudicibus ecclesiasticis.

Clericus. CAP. CXXXV.

SEcundum veritatem Euangelii intentio Christi in illo loco non fuit facere distinctionem iurisdictionum, sed respondere quæstioni temptatiuæ Iudæorũ, qui cum putarent se esse solos de populo dei, aliis existentibus paganis & ydolatris: non credebant aliqui eorum, quod tenerentur soluere censũ cęsari pagano imperatori: sed immunes esse à censibus & tributis cultus dei veri Et ideo herodiani, qui erant de gente imperatoris, venerunt proponentes hanc quęstionẽ, *licet censum dare Cæsari an non?* vt si diceret, non, accusarent eum apud Cæsarem seu imperatorem. si diceret sic, accusarent eum apud principes sacerdotum tanquam dicentẽ contra libertatem cultus dei. Iesus autem sciens nequitiam eorum, ostenso sibi numismate census, insculpta imagine Cæsaris, respondit eis dicens: *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*, id est, reddite Cæsari censum sibi debitum, & Deo cultum in oblationibus & sacrificiis, secundum ritum legis. Loquebatur igitur de redditione debitorum & non de diuisione iurisdictionis. sed dato, quod loqueretur de diuisione iurisdictionum, cum hoc stat quod iurisdictio Dei, quæ est summa & ad omnia se extendit, & ab ipso iurisdictio seculariũ principum dependet. *Non est enim potestas nisi à Deo:* Ad Romanos 13. ca. Igitur iurisdictio prælatorum, quam in terris exercent vice Dei, est summa inter omnes & ad omnes se extendit, & ab ipsa omnis illa iurisdictio dependet.

Miles. CAP. CXXXVI.

POtestas spiritualis indiget temporali multotiens. 23. *q. 5. c. administratores. c. 1. de offi. or. c. nec licuit.* 17 *dist.* ergo spiritualis non dominatur temporali: imo tanquam suum in omnibus necessitatibus posset temporalem iurisdictionem recipere.

Clericus. CAP. CXXXVII.

FAteor quod spiritualis indiget temporali & tanquam suum recipit & suffragium inuocat brachii secularis, vt in iuribus allegatis: nec est bona consequentia indiget temporali, ergo non dominatur ei. quod ego indigeo temporalibus quæ possideo: & tamen cum hoc stat quod dominium habeo in illis.

Miles. CAP. CXXXVIII.

SI potestas spiritualis dominaretur temporali, haberet dominium temporalium. sed dominium earumdem rerum non potest simul & semel esse in solidum, & in eodem tempore apud plures. *ff. commodati. l. si certo. §. si duobus vehiculum:* ergo nullus alius habet dominium: quod est falsum.

Clericus. CAP. CXXXIX.

DVo in solidum eodem genere dominii non possunt eandem rem possidere in solidum, sed diuersæ genere dominii, secundum quod inferius latius declarabo.

Miles. CAP. CXL.

DIxit dominus Math. 10. c. *nolite possidere aurum.* & Lucæ 10. *Nolite portare sacculum.* & Lucæ 9. c. *nihil tuleritis.* Et Math. 6. c. præcepit Dominus *ne quis tolleret in via.*

Cleri-

Digitized by Google

Clericus. CAP. CXLI.

ISte auctoritates allegatæ intelliguntur pro illo tempore, quo Christus incepit publice prædicare contemptũ mundi & ad pœnitentiã homines inuitare. Et Apostolos, qui fuerunt prima & principaliora mẽbra corporis mistici catholicæ ecclesiæ ad statũ perfectionis vocare. sicut habetur *Math.* 10.c. quod vocauit Petrum & Andream fratrem eius: & Iohannẽ fratrem eius, quibus dixit: *venite post me & faciam vos fieri piscatores hominũ.* & intelliguntur pro illo tempore, quo Christus eos constituit Apostolos, mittens eos ad prædicandum, formam perfectionis dans, dicens, *nolite possidere aurum* &c. Non autem intelliguntur pro illo tempore, quo fuerunt Apostoli prælati ecclesiæ militantis instituti, & cura animarum eis commissa. nam huiusmodi prælatio & cura non fuit eis tradita ante mortem Christi: sed post mortem & resurrectionem, vt habetur expresse. *l. di. capit. considerandum,* in textu & in glo. in verbo *proposuit.* Et *extra de elect. ca. significasti.* Et notatur. 21 *dist. ca. in nouo* in glo. ordinaria. tunc enim non negatur habere aurum. & eodem modo hoc licitum est viris & prælatis ecclesiasticis.

Miles. CAP. CXLII.

PRælati non sunt Domini, sed procuratores & dispensatores, vt *de dona. ca.* 2. 20. *q.* 1. *c. si primatus.* quomodo prælatus aliquis quærit dominium super res non ecclesiasticas, videlicet super regna & terras regum & principum plus enim super res ecclesiasticas habent quam habeant super seculares: & tamen non sunt Domini rerum ecclesiasticarum, vt est probatum. ergo multominus rerum secularium. vnde dicebat Augustinus, & ponitur. 23 q. 8. cap. *quod autem,* loquens de rebus ecclesiæ; *non illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem gerimus non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.* Et idem dicitur. 3. q. 1. c *si.* 11. q. 2. *cap. sine exceptione:* & Prosper. li. de vita contemplatiua sic dicit: *scientes viri sancti nihil aliud esse omnes res ecclesiæ: nisi vota fidelium & precia peccatorum & patrimonia pauperum, non eas vendicauerunt in vsus suos vt proprias, sed vt commendatas pauperibus erogauerunt.*

Clericus. CAP. CXLIII.

SCio quod viri ecclesiastici Domini non sunt, vt sibi possideant Dominium rerum ecclesiasticarum vel eas à possessoribus vendicent nomine proprio: sed secundum quod pater vendicat filium adiecta causa de iure quiritum. l. Romanorum. *l.* 1. §. *per hanc ff. de rei vendi.* sic prælatus ecclesiæ adiecta causa de iure canonum vendicat rem ecclesiasticam scilicet nomine ecclesiæ. *cap. littera extra de arat.* quandoq; enim ecclesia dicitur Domina rerum ecclesiasticarum, quandoq; Deus, quandoq; prælatus, diuersis respectibus, notat Inno. *c. cum super, de causa possessionis & proprietat.*

Miles. CAP. CXLIV.

NOn potest prælatus habere iurisdictionem coactiuam in temporalibus. patet, nam Papa non habuit maiorem iurisdictionem coactiuam in temporalibus, quam habuit Christus, cuius est vicarius, sed Christus non habuit in quantum homo mortalis iurisdictionem coactiuam scilicet in tẽporalibus: quia iurisdictio coactiua sine diuiciis & adiutorio diuitiarum conuenienter exerceri nõ potest: & per consequens inutiliter & superflue retineretur. Christus autem omnes diuitias necessarias ad iurisdictionem coactiuam penitus abdicauit victu & vestitu contentus. ergo iurisdictionem coactiuam in quantum homo mortalis non habuit: quia ipso te stante *ministrare venit non ministrari.* ergo non venit iurisdictionem coactiuam exercere: ergo eam non habuit.

Clericus. CAP. CXLV.

DIco quod imo iurisdictionem coactiuam exercuit, quãuis raro, quia ob aliud venerat: propter nostram salutem videlicet, quod erat summum opus intentum per ipsum: non iudicare actus humanos. quod autem iurisdictionem exercuerit coactiuam, patet, quoniam ementes & vendentes eiecit de templo: & violenter *Math.* 21. *Marci* 5. *Luca & Iohannis* 2. *capitulis.*

Miles. CAP. CXLVI.

ITem quod iurisdictionem coactiuam non habuit Christus: probatur: quia Christus opus, quod pater sibi imposuit, consummauit ipso testante Ioh. 17. c. *consummaui opus quod dedisti mihi vt facerem.* ergo Christus in quantum homo iurisdictionem coactiuam à patre non recepit, quia si eam accepisset: nec eam exercuisset: de malitia seu negligentia redargui potuisset: quia officium iurisdictionis sine exercitio occupasset. nec esset verum illud dictum suum: *consummaui opus quod dedisti mihi vt facerem.*

Clericus. CAP. CXLVII.

DIco quod Christus in quantum homo mortalis iurisdictionem coactiuam recepit à patre & eam aliquando exercuit vt euangelica testatur historia, vt in solutione præcedentis articuli fuit tactum. sed pater principaliter opus iurisdictionis coactiuæ sibi non commisit: sed ob aliud eum principaliter misit, propter nostram salutem & fidem suam nobis exponendam: circa quod principaliter & vt in pluribus vacabat: minora, scilicet iurisdictionem coactiuam quo ad executionem, minoribus dimittebat.

Digitized by Google

Miles. CAP. CXLVIII.

NOnnulli discipuli Christi grauiter deliquerunt apostatantes à fide quam susceperant. Io. 6. vbi sic legitur, *& multi discipulorum abierunt retro.* non ergo propter materię defectum: sed propter defectum iurisdictionis coactiuę & carentiam Christus in delinquentes potestatem aut vindictam nequaquam exercuit. Ex hiis concluditur, quod Christus inquantum homo mortalis iurisdictionem non habuit coactiuam: ergo nec summus Pontifex Christi vicarius iurisdictionem habuit vel habet coactiuam.

Clericus. CAP. CXLIX.

POtest responderi, quod & si non ratione defectus materiæ hoc obmisit: nec certe propter iurisdictionis coactiuæ carentiam vel defectum. quamuis enim Rex Franciæ circa maiora & magis necessaria impeditus non semper iurisdictione sua vteretur: non propterea careret iurisdictione: sic nec Christus circa maiora impeditus, & si non semper vsus sit iurisdictione, non caruit ipsa iurisdictione.

Miles. CAP. CL.

ORigines super illo Matth. 21. *cap. reges gentium. &c. Aut scitis, quia principes gentium dominantur eorum & non contenti tamen regere suos subditos sed violenter eis dominari nituntur. vos estis mei. non erant hæc corporalia: omnia corporalia in necessitate sunt posita: spiritualia verò in voluntate. sic & qui principes sunt spirituales prælati: principatus eorum in dilectione penitus debent esse: non in timore.* Ex quibus verbis datur intelligi quod totus principatus prælatorum ecclesiæ: & per consequens summi Pontificis in voluntate & dilectione non in timore debet consistere. diligi debent non timeri, qui iurisdictione vtuntur, à malis timentur. igitur prælati iurisdictione coactiua in temporalibus vti non debent. Item Chrysostomus ibidem hoc sentire videtur: *principes mundi non sunt vt dominentur minoribus scilicet & eos seruituti subiiciant & expolient & vsq; ad mortē eis vtantur ad suam voluntatem.* principes ecclesiæ minoribus seruiunt & ministrant. ergo in eos iurisdictionem coactiuā exercere non valent.

Clericus. CAP. CLI.

VErum est quod principatus prælatorum ecclesiæ debent esse non in timore: & à malis magis diligi quam timeri debent: quia exercitium iurisdictionis coactiuæ non habent, propter quam solum mali timent. *l. capitatium in fi. ff. de pœn.* iuxta illud. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ:* habent tamen ea habitu: maxime Romanus Pontifex verus Christi vicarius, cui cœlestis terreniq; imperii Christus iurisdictionem cōmisit. Et per hoc respondetur, ad auctoritates Origenis & Chrysostomi.

Miles. CAP. CLII.

AMbrosius. 23. q. 7. c. *conuenior*, dicit sic: *dolere potero, flere potero, gemere potero, aduersus arma milites Gothos, quia lachrimæ meæ arma mea sunt: talia. n. instrumenta sunt sacerdotis: aliter enim nec debeo nec possum resistere.* Ex quibus verbis videtur quod sacerdos ex orationibus & lacrymis debet malis resistere: & non per potentiam temporalem & per consequens non habet iurisdictionem coactiuam.

Clericus. CAP. CLIII.

CErtum est quod certis ex causis licet clericis arma recipere materialia, scilicet pro defensione. *c. olim. de restitu. spoli. c. dilecto. de sen. exco. li. 6.* & iurisdictionem coactiuam in criminalibus exercere etiam contra personas laycas, si altam habeant iurisdictionem in temporalibus: tunc eam per alium exercebunt arma eorum quæ notantur. *c. clericis & c. sententiam extra ne cle. vel monachi.* Non obstat. *c. conuenior*, quia regulariter non licet clerico vti armis nisi in quatuor casibus notatis in prædicto *c. dilecto* per Iohannem de Bar. Et est vnus ratione feudi vel iurisdictionis temporalis. Et per hoc multa iura ad concordiam reducuntur. 23. *q. 7. c. 1. & q. 3. in principio.*

Miles. CAP. CLIV.

CHrysostomus in libro suo Dialogorum, qui *de dignitate sacerdotali* nuncupatur libro 2. c. 3. ait: *Hi qui foris sunt iudices in ambiguis quoscunq; cum deuiderint ostendunt in eis plurimam potestatem: & inuitos à priorum morum prauitate compescunt: in ecclesia vero non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora conuerti: quia nec nobis à legibus data est talis potestas, vt auctoritate sententiæ cohibeamus homines.* clarius dici non posset, quod ecclesia non habet iurisdictionem coactiuam in temporalibus, cum in ecclesia nullus debeat ad meliora cogi.

Clericus. CAP. CLV.

ISta auctoritas Chrysostomi bene vult, quod sacerdotes habeant executionē iurisdictionis spiritualis actualiter, in qua nullus ad fidem trahitur inuitus: quia voluntarium militem quærit dominus. 23. *q. 5. c. ad fidem & c. sicut Iudæi.* Deinde seculares vero iudices habeant executionem iurisdictionis temporalis: in qua quis à priorum morum prauitate trahitur inuitus. vt quos Dei timor à malo non reuocat, saltem secularis coerceat disciplina. Habent igitur iudices seculares executionem vt ministri: quod non possunt negare: igitur & vt ministri ecclesiæ militantis, in qua Christus vnum instituit vicarium, & non plures. 21. *di. c. in nouo.*

Miles.

Digitized by Google

Miles. CAP. CLVI.

PApa non habet maiorem iurisdictionem auctoritate Christi, quam habuit beatus Petrus. Sed beatus Petrus iurisdictionem coactiuam non habuit ex ordinatione Christi. maior est manifesta: minor probatur auctoritate beati Bernardi: qui in libro ad Eugenium ait: *vbi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum vt diuisor terminorum aut diuisor terrarum stetisse. lego Apostolos sedisse iudicantes non lego.* Et post pauca; *quare contendunt iudicare de terrenis possessiunculis hominum qui in cælestibus & Angelos iudicabunt.* ergo in criminibus non in possessionibus est iurisdictio vestra propter illa accepistis claues regni cælorum, priuaricatores vtique exclusuri non possessores, vt sciatis quia filius hominis potestatem habet in terra dimittere peccata &c. quæ nam tibi maior dignitas videtur dimittendi peccata an prædia diuidendi: sed non est comparatio. habent hæc infima & terrena iudices suos & principes terræ, quod fines alienos inuaditis, quod falcem vestram in alienam messem extenditis.

Clericus. CAP. CLVII.

COncedo maiorem & ad minorem respondeo. ad auctoritatem beati Bernardi dico, quod auctoritas illa sic debet intelligi, quod clerici non debent se de terrenis intromittere, qui circa maiora debent vacare, scilicet spiritualia, qui etiam angelos iudicabunt. nec hoc dicit ex defectu potestatis, quam habeant clerici in terrenis, nec ex indignitate vel ex insufficientia eorum hoc procedit, sed magis ex impertinentia. vnde Bernardus post omnia verba prædicta dicit *non quia indignum vos: sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis.*

Miles. CAP. CLVIII.

HOc Gregorius sentire videtur tractans illa verba Apostoli *secularia igitur iudicia si habuistis* &c. in moralibus ait. *Hii terrenas causas exercent qui exterarum rerum sapientiam perceperunt*: Qui autem spiritualibus dotati sunt, terrenis non debent negotiis implicari. Cum igitur Apostoli maximis bonis fuerint dotati ipsi non erant circa causas & lites hominum occupati: igitur nec viri ecclesiastici, qui locum tenent Apostolorum.

Clericus. CAP. CLIX.

EXecutionem non habent regulariter clerici in temporalibus: non ex defectu potestatis vel ex indignitate, sed ex impertinentia officii sui, qui circa maiora debent vacare, vt statim respondendo ad aliud contrarium fuit tactum.

Miles. CAP. CLX.

IMperator fuit iudex ordinarius sancti Petri: ergo est iudex ordinarius Papæ, qui est Christi vicarius. Et probatur hoc, quod omnes Apostoli quantum ad hoc vt essent subiecti vel non subiecti iurisdictioni Imperatoris, erant pares: sed beatus Paulus fuit subiectus iurisdictioni Imperatoris. Nam ad Cæsarem tanquam ad suum superiorem appellauit: ergo beatus Petrus fuit subiectus eidem: per consequens & Papa eadem ratione & Regi Franciæ, qui est Imperator in regno suo, nec superiorem recognoscit in terris. Et si dicatur, quod beatus Paulus hoc fecit cautè, vt insidias euaderet: hoc impugnatur secundum beatum Ambrosium, vt habetur 22.q.fin.c.canonice: *non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est: & in factis mentimur sicut & verbis.* beatus Paulus igitur si non erat verè subiectus Imperatori, facto mentiebatur, cum simulauerit se iudicium Cæsaris appellando: sed nephas esset tale crimen beato Paulo imponere: igitur beatus Paulus verè fuit Imperatori subiectus. igitur & beatus Petrus: & per consequens Romanus Pontifex. Item cardinales eligunt Romanum Pontificem, *de elec. cap. licet, & cap. vbi maius periculum est. li. 6.* sed ipsi non habent Dominium in temporalibus, iuxta illud, *reges gentium dominantur eorum* &cet. Igitur nec Papa ab ipsis electus potest habere dominium in temporalibus. tenet consequentia: quia nemo plus iuris transfert in alium quam ipse habeat. *l. qui tabernas ff. de contrahen. empt. & ven.* Item si Papa à Christo reciperet potestatem & non ab homine à nemine deponeretur, etiam in nullo casu; cum ipsius sit destitutio, ad quem spectat institutio: *quia nihil tam naturale quam vnum quodque dissolui eo genere quo ligatum est*, vt *ff. de reg. iur. l. nihil.* Et tamen propter hæresim Papa ab homine deponitur, 40. *di. capu. si Papa.* igitur Papa ab homine recipit potestatem, non à Christo.

Clericus. CAP. CLXI.

CLarum est, quod Papa primo à Christo recepit potestatem 21. *di. c. in nouo.* Ius verò eligendi Papam translatum est in cardinales tanquam in ministros. Et primo per beatum Siluestrum. Et quicunq; non ab ipsis eligitur vel præficitur, nō Apostolicus sed Apostaticus vocatur. 23. *dist. c. In nomine Domini.* Et quamuis ab ipsis eligatur tanquam à ministris Dei: non tamen sequitur, quod eligentes necessario eandem debeant habere potestatem, quam recepit electus ministerio ipsorum: quia non sunt sui ministri: sed solum instrumentum Dei: quantum ad hoc videmus enim in aliis inferioribus electionibus, quod canonici eligentes Episcopum non habent nec eandem talem potestatem quam habet Episcopus. Et hæc est ratio, quare canonici suum superiorem non deponunt, quam-

Digitized by Google

uis eum eligant: quia ipsi non dant illi illam dignitatem eligendo, sed superior suus confirmando. Deus ergo per Cardinales, tanquam per organum suum, Romanum Potificem constituit sibi vicarium suum. Nec obstat quod ab homine propter hæresim deponitur. Nam non est vera depositio, quæ fit tunc ab homine; sed est quædam declaratio depositionis factæ ab ipso Deo: iuxta illud *qui non crediderit iam iudicatus est*. Nam eo ipso, quod est hæreticus, non Apostolicus, sed Apostaticus est censendus. Et sic quia hæreticus, præcisus est ab Ecclesia. non potest autem caput à corpore præcisum quam diu est præcisum, caput esse illius corporis.

Miles. Cap. CLXII.

SI reges & Domini temporales non haberent immediatè à Christo potestatem & auctoritatē, sed à Romano Pontifice, reges essent ipsius bailliui seu præpositi & ipsos posset deponere ad libitum voluntatis & sine causa. Nam Rex potest ad libitum voluntatis remouere præpositum & bailliuum: & Papa legatum & delegatum suum & sine culpa. sed de se est notum, quod Papa non posset regem Franciæ sine causa deponere. quamuis enim viri Ecclesiastici faciliter per Papam à suis beneficiis possunt remoueri: quia donatarii nō cēsentur, sed procuratores *c. 2. de donat.* reges tamē & Imperatores donatarii vocantur seu Domini. *l. deprecatio. ff. ad l. Ro. de iac. l. bene à Zenone. C. de quadri. præscrip.* Et à Christo videntur Dominium obtinere. *per ipsum* enim *reges regnant & potentes scribunt iustitiam*: epistola *inter claras. C. de sum. trini.* Et sicut sine causa, tali dominio priuari non possunt: ar. eorum quæ notantur per Innocen. in *c. qua in ecclesiarum, de constitutionibus.*

Clericus. Cap. CLXIII.

OMnis potestas iurisdictionis in aliqua communione ab illo dependet, qui præest illi communitati cum plenitudine potestatis: quod probatur in Moyse, qui præerat synagogæ, & omnimodam iudiciariam potestatem committebat, *Exod. 18. c.* sed sic est quod Papa præest in communitate omnium Christianorum. *c. cuncta per mundum. & c. per principalem. 9. q. 3. in nono. 21. di.* Igitur omnis legalis potestas ab eo dependet, & sequitur. ergo erunt tanquam bailliui seu præpositi, imo sunt tanquam donatarii seu procuratores in rem suam, vt in iuribus superius allegatis. sed sic sine causa deponi non poterunt. Et illa auctoritas *per me reges regnant*, &c. deberet intelligi, scilicet mediatè vel immediatè.

Miles. Cap. CLXIV.

BEatus Dionysius de ecclesiastica Hierarchia dicit quod *omnis Hierarchia immediatè reducitur ad Christum, & in ipso terminatur omnis nostra Hierarchia ornatus.* Et Commentator ibi dicit, quod *vniuersa Hierarchia Angelica & humana in Domino Iesu consummatur: quia est caput hominum & Angelorum secundum Apostolum.* temporalis ergo potestas residens penes principes temporales, immediatè emanat à Christo, non à Romano Pontifice.

Clericus. Cap. CLXV.

OMnis ecclesiastica Hierarchia humana & Angelica reducitur ad Christū: concedo, sicut in perficientem & consummantem principaliter quo ad omnem iurisdictionis potestatem: quia non est potestas nisi à Deo. non autem reducitur ad Papam, nec ad alium viuum hominem, tanquam in perficientem & consummantem principaliter. quod igitur dicitur quod *omnis Hierarchia consummatur & terminatur in Iesu*: intelligendum est, scilicet in suo proprio fine, à quo dependent omnes principatus mediatè vel immediatè. Sed non oportet quod omnes immediatè terminētur pro tempore post ascensionem. pro quo posuit alium vicarium, scilicet Petrum, loco sui per illa verba: *pasce oues meas.* i. accipe potestatem custodiendi, regendi & disponendi ouile meum, quantum ad omnia necessaria & vtilia ad salutem directè vel indirectè, principaliter vel secundariò, quæ est potestas Papalis. Vnde Christus per illa verba fecit eum verum episcopum, & verum Papam, & verum dominū in temporalibus, sine quibus diu spiritualia regere non potuisset nec dispensare: & in hoc plus habuit Petrus cæteris episcopis, & etiam dominis tēporalibus quibuscunque, quia immediatè à Christo fuit ordinatus & institutus. Cæteri vero episcopi & etiam successores sui, nec non principes tēporales, ab ipso tanquam à fonte mediate vel immediate ordinationem receperunt & potestatem.

Miles. Cap. CLXVI.

AD Romanos 13. ca. dicitur, *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Non ait, *sublimiori* in singulari, sed *sublimioribus* in plurali: quia ex hoc plures denotans potestates, spiritualem scilicet & temporalem, & in diuersis suppositis, non in eodem.

Clericus. Cap. CLXVII.

APostolus non intendebat per hoc dicere, quin Papa sit sublimissimus & solus post Deum altissimus in omnem terram: Sed cum eo sunt sublimes, vt sunt potestates seculares, quibus subest omnis anima, etiam clerici: & debent obedire ratione executionis & iurisdictionis, quā habet in temporalibus, *c. verum, de foro compe.* Et sunt sublimiores, prælati scilicet ecclesiastici, quibus subest omnis anima ratione peccati. *c. omnis vtriusq; sexus, de pe. & remis. c. nouit, de iudiciis.* Sed Papa præest omnibus, & est sublimissimus: & aliæ potestates ecclesiasticæ & temporales subordinantur suæ potestati tanquam præexcellenti.

Miles. CAP. CLXVIII.

QVod Petrus non præfuit omnibus,& per consequens nec Romanus Pontifex,patet. Nam cæteri Apostoli cum Petro pari consortio honorem & potestatem acceperunt à Christo 21. *di.c.in nono.* hoc saltem patet in Petro & Paulo,qui æquales fuerunt nam Ambrosius *6.q.7.c.beati*, dicit sic: *Petrus & Paulus eminent inter vniuersos & peculiari quadam prærogatiua præcesserunt. Verum inter eos quis cui præponatur incertum est.puto enim illos æquales esse meritis qui æquales sunt in possessione.*

Clericus. CAP. CLXIX.

ÆQuales fuerunt quo ad potestatē ordinis sacerdotalis:sed non æquales quo ad potestatē iurisdictionis: quia Petrus præfuit omnibus.sic notatur.21.*di.c.in nono* allegato. Qui æquales fuerunt meritis,vt in prædicto. *c.beati.* sed non in aliis. Vnde beatus Hieronymus dicit sic: *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet nisi se non imparem sciret.* Et subiungit Gratianus,*hoc non est de officio ecclesiasticæ dignitatis: sed de puritate vitæ & sanctitate conuersationis intelligitur. Solus enim Petrus inter Apostolos primatum gerebat.2.q.6.c.Paulus & c.puto.*

Miles. CAP. CLXX.

ITem, quod beatus Petrus nulla ratione iurisdictionis habeat prærogatiuam vltra beatum Paulum, probatur arguendo à stilo Romanæ curiæ: quod quidem argumentum concludit in iure. *c. quam graui.de crimine falsi.* Nam in bullis Apostolicis, indulgentiis, & similibus dicitur sic: *de beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi centum dies de pœnis relaxamus.* Ex quo concluditur quod pares sunt in potestate iurisdictionis.

Clericus. CAP. CLXXI.

SOlus Petrus fuit superior,& omnes alii sibi subditi: & etiam Paulus. Sed ideo in gestis spiritualibus Paulus Petro coniungitur, quia vrbem Romanam sub martyrio consecrauerunt, & in passione socii fuerunt.22.*dist.c.sacrosancta.*

Miles. CAP. CLXXII.

VIdetur quod Iacobus fuerit maior Petro: quia ille, qui iudicat, inter omnes videtur maior & prælatus. Sed Iacobus tulit sententiam in quæstione legalium,*Actuum 15.c.* Petro & Paulo allegantibus,dicens: *ego indico,omnes qui ex gentibus conuertuntur.*

Clericus. CAP. CLXXIII.

IVdicauit non tanquam iudex omnium; sed tanquam iudex illius loci spiritualis. Non quin Petrus potuisset iudicare, si voluisset: Sed quia voluit sibi deferre in loco suo, sicut Papa, quando est in ciuitate aliqua, non propter hoc auffert officialem nec curiam episcopo loci: sed de hiis quæ ibi emergunt iudicium dimittit episcopo loci.

Miles. CAP. CLXXIV.

VIdetur quod Romanus Pontifex non præsit omnibus: sed quod ecclesia sit maior Romano Pontifice,quia nullus mittitur ab inferiore. sed in primitiua ecclesia Petrus legitur missus ab Apostolis & senioribus, sicut dicitur Actuum: *miserunt Petrum & Iohannem*, &c. Ergo Petrus non fuit maior nec superior illis,sed econuerso.

Clericus. CAP. CLXXV.

MIssio per auctoritatem est à superiore, sicut Papa mittit legatum, & Rex balliuum: sed missio per consilium potest esse per inferiorem seu ab inferiore: & sic consiliū dicitur mittere regem, quando vadit alicubi, de consilio etiam subditorum, qui per consilium monent ipsum ad illuc proficiscendum. Et sic Apostoli & seniores miserunt Petrum per consilium suum suadentes ei pro salute populi illuc ire.

Miles. CAP. CLXXVI.

VIdetur quod Romanus Pontifex nullum primatum seu dominium habuit à Christo: sed sola voluntate & concessione aliorum Apostolorum. dicitur enim 21.*di.c.in nono*: *ipsumq́ esse Principem eorum voluerunt*, id est Apostoli voluerunt Petrum esse Principem suum, & per consequens tota ecclesia, cuius ipsi fuerunt prælati.&c.

Clericus. CAP. CLXXVII.

VOluntate antecedente seu causante.vnde videtur ostendi posse, beatum Petrum potestatem siue auctoritate immediate per Christum non per hominem aut homines alios sibi tradita superiorem fuisse ceteris Apostolis: & per consequens successores ipsius successoribus illorum. videtur autem hoc primum ex *Matthei* 18. *capite*.dum ad ipsum Christus singulariter inquit: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus,& super hanc petrā ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebūt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorū*,&c. Per quæ verba Christus expressisse videtur beatum Petrum

futurum caput & fundamentum ecclesiæ: præsertim mortuo Christo. vbi glo. *specialiter eam scilicet potestatem Petro concessit, vt nos imitaret. ideo enim eum principem Apostolorum constituit: vt ecclesia vnum principalem haberet Christi vicarium, ad quem diuersa membra ecclesiæ recurrerent, si forte inter se dissentirent. quod si diuersa capita ecclesiæ essent, vnitatis vinculum rumperetur.* Amplius ostenditur id ex Lucæ 22.c. cum ad ipsum Christus specialiter inquit: *Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficeret fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Suorum igitur fratrum Apostolorum & aliorum fidelium, prima cura pastoralis & confirmatio beato Petro commissa fuit propter suæ fidei firmitatem: pro qua ne deficeret, Christus singulariter orasse videtur. vbi glo. *confirma fratres tuos, cum te principem Apostolorum constituerim.* Hoc autem non solum intelligendum est de Apostolis, qui tunc erant, vt roborarentur à Petro, sed de omnibus fidelibus. Et parum infra subdit, *per pœnitentiam obtinuit Petrus, scilicet vt esset antistes mundi.* rursum hoc ostenditur Iohannis 21.c. inquit enim Christus ad ipsum singulariter: *pasce oues meas: pasce agnos meos: pasce oues meas*, ter replicans idem verbum non determinate. Ergo omnibus vniuersaliter ouium pastor immediate à Christo institutus videtur. vbi Chrysostomus inquit: *sic eximius enim Apostolorum erat Petrus & os discipulorum. vnde deleta negatione committit ei prælationem fratrum.* Deinde confirmatur hoc auctoritate plurimorum sanctorum super illo Iohannis 21. *si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu autem sequere me.* Inquit enim Augustinus: *duas vitas sibi diuinitus prædicatas nouit ecclesia: quarum vna est in fide: alia in spe. ista scilicet in fide signata est per Apostolum Petrum & per sui Apostolatus primatum.* Rursum Theodosius ibidem: *Cunctorum fidelium prælaturam sibi instituit.* Chrysostomus autem dixerit: *qualiter igitur Iacobus thronum assumpsit Hierosolymitanum, id vtique dicam, quoniam Petrum orbis terrarum instituit magistrum.* & infra inquit, *huic scilicet Petro & præpositura fratrum tradita est.* Amplius, quoniam si Christus ecclesiæ caput non instituisset, in ipsius absentia acephalam reliquisset: nec videretur eam ordinasse secundum meliorem dispositionem aut optimam. Nunc autem ipsam optime dispositam & ordinatam reliquit. Credendum est igitur, ei caput aliquod instituisse tenendum: non aliud conuenientius Beato Petro. Igitur fuit ipse Petrus determinatione immediate cæteris Apostolis auctoritate superior. Demum vero idem in spem conuertere ostendentes Paulum Beato Petro dignitate siue auctoritate non fuisse parem. ad Gal. enim 2.c. habetur hæc series. *Deinde*, inquit Paulus, *post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.* & parum infra eodem subdit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis euangelium, quod prædico in gentibus seorsum, aut hiis qui videbantur esse aliquid, ne forte in vacuum currerem.* Vbi glossator ostendit, *Paulum non habuisse securitatem euangelii, nisi esset auctoritate Petri confirmatum.* Cum igitur Paulus securitatem euangelii sumpsit à Petro secundum glossam, apparet ipsum non fuisse parem Petro in auctoritate. Vnde per necessitatem sequi videtur ex hoc, quod ex aliis supradictis reliquos mūdi episcopos Romano episcopo tanquam singulari successori Beati Petri diuina ordinatione fore subiectos: ecclesiam quoque Romanam sic aliarum ecclesiarum caput & aliarum esse iudicem & Pastorem. Hoc rursum ratione confirmo, quoniam fides vna est secundum Apostolum *ad Ephe. 4 c.* Et ecclesia vna, vbi vnum caput atque principium, quo nullomodo conuenientius aut æque conueniens Romano Pontifici, singulari successori Beati Petri, qui petra fuit, supra quam Christus se dixit suam ecclesiam fundaturum. Amplius: nam sicut in vnico templo vel in vnica diœcesi oportet vnum episcopum esse, vt ex epistola Hieronymus ad Euandrum patet: sic eo magis necessarium est in vniuersa Christi ecclesia vnicum esse caput, propter fidelium vnitatem seruandam. vnde Iohannis 10. cap. *Et erit vnum ouile & vnus pastor.* Ex prædictis autem per necessitatem sequi videtur, Romanum episcopum solum causam effectiuam primam esse institutionis secundariæ aliarum ecclesiarum propter suam vniuersalem auctoritatem super reliquos omnes episcopos, & aliarum ecclesiarum siue templorum ministros. cui siquidem sententiæ suffragatur auctoritas Ambrosii dicentis, *ecclesia Dei est: Cæsari vtique non debet ascribi.* quod basilicarum traditionis Cæsaris esse non potest, eo minus cuiusuis principatus seu principantis. Erit igitur auctoritas hæc illius, qui caput est & & primus omnium sacerdotum, Romani Pontificis auctoritate diuina & nullius principis hoc ius esse potest. Hinc etiam necessario sequi videtur ipsius auctoritatem fore distribuendi seu conferendi beneficia seu ecclesiastica temporalia. Ex prædictis etiam inferri videtur, posse eiusdem Romani Pontificis iurisdictionem fore coactiuam super reliquos omnes mundi episcopos, & reliquos templorum ministros. sunt enim sibi diuina ordinatione subiecti, vt ex prædictis rationibus palam est. Amplius, potest & debet auctoritas concilii scripturas sacras dubias determinare, diffinire atque interpretari. Et hæc videtur fuisse sententia Hierony. in epistola, in titulo *de expositione fidei catholicæ* sic inquit: *Hæc fides est, Papa beatissime, quam in ecclesia catholica didicimus, quam semper tenuimus, in qua sumus, si imperite aut parum incaute aliquod forte positum est, emēdari cupimus à te qui Petri fidem ac sedem tenes. Sin autem hæc nostra tui confessio apostolatus, tuo iudicio comprobatur, quicunq; me maculare voluerit, se imperitum, vel maliuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* De potestate autem statuendi quæ ad ecclesiasticum ritum pertinent ad æternam salutem, apparet ex articulo Christi *Lucæ* 10.c. inquit enim Apostolis: & in ipsorum personis cunctis episcopis siue presbyteris: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit me spernit: & spernit eum qui me misit.* Sicut igitur de necessitate salutis sacerdotum obseruanda statuta, hiis quidem potestatibus assignatis Romano Pontifici, ex eis collationem faciens Beatus Bernardus ad Eugeniū Papam de consideratione. lib. 2.

Digitized by Google

Nunc iam repetenda reliquia, si quæ sint loci, quem deseruimus: age indagemus adhuc diligenter quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in ecclesia Dei, qui es sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Et subdit infra eadem continuata sententia, *nec modo omnium pastor. Unde id probem quaeris. Ex verbo domini: cui enim non dico episcoporum sed etiam Apostolorum absolutè & indistinctè tota commissa sunt oues? si me amas Petre, pasce oues meas.* & parum infra subiungit, *cui non planum designasse oues? nihil excipitur, vbi vel distinguitur.* Et infra rursum eodem, *inde est quod alii singuli singulas exortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columna vna, ecclesia vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens.* Demum vero concludens ait: *ergo iuxta canones tuos alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es: aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nunquid, si causa extitit, tu episcopo cælum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere etiam & tradere Sathanæ potes? stat ergo inconcussum priuilegium tuum. Et tam in dictis clauibus quam in aliis commendatis.* Neque solum in ecclesiasticos ministros, & episcopos, sacerdotes & inferiores ordines dicit beatus Bernardus Romanum pontificem iurisdictionem habere coactiuam, verum etiam super omnes principates, quem temporalem gladiũ eidem episcopo videtur ascribere. Vnde idem ad eundem Eugenium. lib. 7. c. 4. sic ait, *quid denuo vsurpare gladium temptas, quem semel iussus es reponere in vaginam?*

Miles. CAP. CLXXIX.

ITem Christus tribuens potestatem ad eucharistiæ sacramentum, inquit ad eos: *hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam cõmemorationem*, i. hoc faciendi potestatem habete. Nec dixit hæc verba plus ad beatum Petrum quam ad alios. Non enim dixit Christus. *fac & aliis tribuas potestatem faciendi*, sed dixit, *facite* in plurali, & omnibus indifferenter. Idem quoque per omnia censendum est de clauium potestate Iohannis. 2. c. Christus dicit apostolis. *sicut misit me pater & ego mitto vos.* Deinde dixit, *accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retinentur.* nec dicit Petro nec alicui apostolo singulariter *mitto te.* Et multa alia possent sacræ scripturæ subiici exempla, quæ breuitatis causa sub silentio prætermitto, quod amplius exprimens apostolus ad hanc quæstionem diffiniendam, vt videlicet non crederet aliquem apostolorum hanc habuisse prærogatiuam seu auctoritatem super alios, eam expresse remouens à Petro, de quo fortasse videbatur hoc magis propter aliqua sibi à Christo singulariter dicta. Et quia senior aliis erat. 2. ad Galatas inquit sic: *mihi enim qui videbantur mihi esse aliquid nihil contulerunt: sed econtra cum vidissent quod cum creditum esset mihi euangelium præputii, sicut Petro in apostolatum circumcisionis: qui enim operatus est mihi inter gentes. & cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas Iohannes qui videbantur columnæ templi, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis* &c. Qui ergo operatus fuit Petro in apostolatum, operatus fuit & Paulo: hic autem fuit Christus. ergo huiusmodi officium non suscepit à Petro. Et similiter nec Apostoli reliqui. rursum confirmans hoc Apostolus ait: *Notum enim vobis facio Euangelium, fratres, quod Euangelisatum est à me: quia non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud neque dedici: sed per reuelationem Iesu Christi.* ecce quod Paulus nõ fuit inferior Petro.

Clericus. CAP. CLXXX.

SIngulariter Christus inquit ad Petrum *pasce oues meas, agnos meos, pasce oues meas*, ter replicans idem verbum, nõ determinans. ergo omnibus omnium pastor immediatè à Christo institutus videtur, per hoc. ergo ad rationem vestram responderi potest iunctis aliis pluribus auctoritatibus in alia solutione immediatè latius tactis, quas breuitatis causa non repeto.

Miles. CAP. CLXXXI.

RVrsum quoniam in superioribus capitulis dictum est, quod principes sunt ministri vicarii Dei & non ipsius Dei immediatè. patet expressè contrarium per apostolum dicentem, *principes enim ministri Dei sunt*, nec dixit, ministri nostri sunt, nec Cephæ aut alterius episcopi. Et ideo nec in iudicio coactiuo subiecti sunt alicui episcopo seu presbytero: sed magis econuerso: nec per consequens debent personæ ecclesiasticæ iurisdictionem temporalem contra Deum & iustitiam sibi damnabiliter vsurpare, quod faciunt incessanter, secundum quod latius in sequentibus declarabo.

Clericus. CAP. CLXXXII.

NOn ponit Apostolus, quod princeps sit minister Dei per abnegationem, sic scilicet quod sint Dei ministri & non sui vicarii. per hoc namq;, quod ipsi sunt ministri vicarii Dei, satis sunt ministri, & ipsius Dei.

Miles. CAP. CLXXXIII.

PRæterea clarum est, quod cognitio personarum laycarum pertinet ad iudicem secularem exceptis casibus spiritualibus: nihilominus officiales prælatorum faciunt eos citari coram se ad instantiam partis: Et si dictæ personæ laycæ declinent iurisdictionem officialium, vel si Domini temporales, quibus subiiciuntur, requirant eos remitti coram eis tanquam Dominis

Digitized by Google

vel iudicibus suis temporalibus, dicti officiales hoc renuunt adimplere per excommunicationis sententiam dictas partes ad procedendum coram ipsis compellentes.

Clericus. CAP. CLXXXIV.

CErtum est quod de iure & consuetudine notorie præscripta cognitio talium actionum personalium pertinet ad ecclesiam, & sic nemini facit iniuriam. si iure suo vtatur, maxime ratione peccati, quod committitur in retinendo illud, ad quod tenetur aliquis ad soluendum. *c. nouit*, *extra de iudiciis.*

Miles. CAP. CLXXXV.

SEd nunc dicatis, quo iure officiales prælatorum faciunt moneri personas laycas ad instantiam clericorum dicentium se esse impeditos in rebus suis hæreditariis per dictos laicos. Et si dicti laici asserant coram dictis officialibus, quod hoc tangit realitatem, & ita sit in veritate, & super hoc petant iudicem secularem, dicti officiales monent eos sub pœna pecuniaria, ne super hoc vadant coram iudice seculari.

Clericus. CAP. CLXXXVI.

QVia quæritis, quo iure? respondeo quod tam de iure communi scripto, quam de consuetudine legitime præscripta hoc possunt facere. Si enim in hæreditate clerici per laicum aliqua fiat iniuria, in hoc committatur sacrilegium, cuius ad ecclesiam duntaxat cognitio pertinet. 24. *q.3.c.si quis de parentibus.* Et faciunt notata in §. *sacrilegium.* 17.*q.*4.

Miles. CAP. CLXXXVII.

NVnquid iure communi cognitio causarum, quæ tangunt realitatem, siue sint in possessionibus siue in proprietate, pertinent ad iudicem temporalem? Et tamen officiales prælatorum impediendo iurisdictionem secularem nituntur sibi attribuere cognitionem causarum realium, specialiter super possessione & omnibus interdictis.

Clericus. CAP. CLXXXVIII.

REspondeo, quod iurisdictio causarum ciuilium, de quibus agitur, pertinet ad ecclesiam Iure diuino & humano. diuino iure probatur à tempore Adam vsque ad Christum, per ea quæ notantur per Innocen. *extra de foro compe.c.licet*: & à tempore Christi citra, hæc iurisdictio fuit beato Petro commissa & eius successoribus. 23 *di.c.omnes. Math.*17.*cap.* Et qualiter etiam in terris catholicorum principum istud ius obtinuit & obtinet, probatur. 2.*q.*5 *c.si quis. presbyt.* 11. *q.*1.*c.realium.* Et istud ius confirmauerunt imperatores, vt patet in corpore Autheuticorum: *vt diffe. iudi.* §. *si tamen colla.* 9. dicit etiam canon, quod beatus Petrus præcipiebat omnes principes terræ & cæteros homines terræ episcopis obedire, *extra de maio. & obe.c.omnes.* quare sequitur quod non est facienda diuisio, vt hæc ecclesiis auferentur. Et si in tyrannorum regum terris status iste fuerit ecclesiæ inuiolabiliter obseruatus: quanto magis in regno Franciæ benedicto hoc debet obseruari, *extra de iudi.* in parte decisa. Præterea leges Theodosii imperatoris & Karoli magni hanc iurisdictionem ecclesiæ confirmauerunt, *extra de iudi.c.nouit.* 11.*q.*1.*c.quicunque & c.sequenti.* in quo.c. cauetur expresse, quod idem Karolus rex Franciæ & imperator in Francia specialiter hoc ius constituit. Præterea de consuetudine a tanto tempore quod de contrario memoria hominum non existit, hæc iurisdictio pertinet ad ecclesiam Gallicanam omnium regum Christianorum tempore priorem. Quis ergo audebit hanc consuetudinem violare? sacrilegium esset. 11. *di.c.*1. *& c.sequentibus eiusdem di.* Item non miretur aliquis si in regno Franciæ nobiliori totius orbis hæc prærogatiua ecclesiis debeatur. In hoc enim sua nobilitas & potentia decoratur. arg. in Authentica *vt iudices sine quoque suffra.* circa principium. *colla.*2. Præterea dominus rex in coronatione sua iurauit ad sancta Dei euangelia priuilegium canonum seruare ecclesiæ: omnes barones vel quasi sunt fideles ecclesiæ & iurauerunt fidelitatem: sub qua fidelitate tenentur per iuramentum iura ista seruare. Cum igitur omne iuramentum, quod non tendit in detrimentum salutis æternæ, sit seruandum: Istud quod est in fauorem ecclesiarum præstitum, multo magis est seruandum, *extra de iure iuran.c.si verò.* Item beatus Ludouicus, Philippus Aragonensis, Philippus Pulcher, Ludouicus, Magnus Carolus, priuilegia & libertates & consuetudines ecclesiæ confirmauerunt. Et omnes isti in suis coronationibus iurauerunt, vt supra. Quis ergo pro nunc, aut in futurum audebit alicui Regi Franciæ absque damnatione propria contrarium suadere, maxime in istis concessionibus, declarationibus & confirmationibus ecclesiæ? cui in donationibus immensitas est mensura. in autentica *de non alie. aut permu. re. ecclesia* §. *si minus. colla.*2.

Miles. CAP. CLXXXIX.

HÆc priuilegia per viros ecclesiasticos quamplurimum extenduntur, nam dum laycus turbatur vel impeditur per aliquem clericum in possessione terræ suæ, & propter hoc impetrat adiornamentum à iudice seculari in casu nouitatis, vel alias officiales prælatorum impediendo in casu nouitatis iurisdictionem temporalem, faciunt moneri ad instantiam clerici iudicem secularem & partes vt post adiornamentum cessent sub pœna pecuniaria & certæ pecuniæ quantitate.

Clericus. CAP. CXC.

VBi clericus impedimentum vel violentiam committit, laycus est actor & clericus reus: & cum de iure & consuetudine actor debeat sequi forum rei, non est irrationabile, maxime in illis ecclesiis, quæ de consuetudine hoc habent, si de talibus ecclesia cognitionem habeat: alias enim sequeretur, quod iudices seculares pro voluntate sua haberent cognitionem clericorum, pro eo quod dicerent, hoc vel illud esse casus nouitatis: maxime quia in talibus impedimentis & violẽtiis habent locum interdicta, quæ sunt personalia: facit. *c. si clericus de foro competenti.*

Miles. CAP. CXCI.

ITem officiales prælatorum impediendo iurisdictionem secularem nituntur habere cognitionem tractatuum initorum in curia seculari per litteras, aut sine litteris.

Clericus. CAP. CXCII.

DIco quod si talium contractuum petitiones sint personales de iure: maxime vbi est transgressio iuramenti vel fides mentita, de quibus etiam habet solum cognoscere, nulla fit iniuria, & licet etiam ibi non esset iuramenti vel fidei transgressio, adhuc ratione personalitatis potest ad ecclesiam cognitio pertinere.

Miles. CAP. CXCIII.

PRælati faciunt concilia prouincialia, & statuta synodalia: in quibus conciliis & statutis plura faciunt & ordinant in grande præiudicium iurisdictionis temporalis, de qua eis no pertinet quoquo modo statuere seu alias se intromittere.

Clericus. CAP. CXCIV.

PRælati nihil statuunt quod temporalitatem tangat, nisi quatenus commissarum eis tangit animarum salutem, & pro iuribus & libertatibus ecclesiæ conseruandis. & hoc eis licitum est. Probatur. 18. *di. per totum. & in autentica de sanctis episcopis §. vt autem. col. 9.*

Miles. CAP. CXCV.

ITem Officiales faciunt citari plures personas ex officio super aliquibus, quæ sibi imponunt respõsuras, de quibus impositas cognitionem sibi asserunt pertinere. & quando sic citati ad diem veniunt sibi vt præmittitur assignatam, negant maleficia proposita contra eos. tunc dicti officiales ipsos detinent incarceratos: nec permittunt eos recedere: licet de talibus eis impositis pertineat recredentia: & licet captio & detentio laycorum non ad eos spectet, sed ad iudices seculares.

Clericus. CAP. CXCVI.

NVllus prælatus si sciret officialem suum talia perpetrare, aliqualiter hoc sustineret, nisi esset de maleficiis, quorum cognitio & correctio ad ecclesiam pertineret de iure vel consuetudine: & etiam in casibus vbi recredentia non deberet fieri. Et si quis esset, qui in speciali vellet super istis conueniri, prælati erunt parati veritate plenius inquisita prout iustum fuerit facere emendari & apponere remedium opportunum.

Miles. CAP. CXCVII.

SEd dicatis, quare in casibus supradictis licet per inquisitionem & processus factos per officiales prædictos contra laycos sic captos & detentos, idem layci repetiantur pueri & innocentes, & ab imposito sibi maleficio absoluantur: nihilominus dicti officiales nolunt eos expedire, donec pro scripturis processuum satisfactionem faciant de magna pecuniæ quantitate, cum de iure in tali casu eis ad expensas restituendas minime teneantur.

Clericus. CAP. CXCVIII.

AD hoc respondeo, quod si prælati scirent ista per officiales suos perpetrari nunquam illa sustinerent: sed vbi illi, contra quos procedunt seu proceditur, petunt copiam processuum sibi fieri, tenetur petens eam soluere: aut si super imposito sibi maleficio condemnetur, debet restituere promotori. Si verò per iudicem absoluatur, & promotor maliciose & per fraudem hoc false suggesserit contra ipsum, debent ei expensæ restitui. sed vbi mere ex officio iudicis proceditur, siue sit per infamiam publicam siue ad denuntiationem alicuius vel alias secundum quod ei licitum est, & de iure iudex in hoc casu cuiquam expensas reddere non tenetur.

Miles. CAP. CXCIX.

NVnc respondeatis, quo iure officiales prælatorum mittant notarios iuratos pro recipiendis obligationibus & contractibus in villis, iurisdictionibus atq; locis Dominorum temporalium: & sic nituntur impedire iurisdictionem temporalem, cum extra sedem suam obligationes non debeant recipere vel contractus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. CC.

DIco quod tam ratione naturali quam iure scripto in terris Dominorum temporalium Episcopi habent iurisdictionem suam spiritualem, sicut Dominus temporalis iurisdictionem temporale: & nulli fertur iniuria, si tales notarii recipiant contractus illorum, qui volunt se in foro Ecclesiæ obligare: & hoc est pro communi & publica vtilitate. quia multi magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quam vinculum temporale: & ante aliquando dimitterent contractus facere, sine quibus non possent viuere, quam se submitterent curiæ seculari seu temporali. Et ad hoc facit *de offi. ordi. c. cum Episcopus, lib. 6.* nam ista sunt voluntariæ iurisdictionis *l. 2 ff. de offi. proconsulis & leg.*

Miles. CAP. CCI.

SEd cum trina debeat esse monitio canonica: vnde est hoc, quod officiales moderni per solam citationem excommunicationis sententia fulminant ex vnica contumacia duntaxat?

Clericus. CAP. CCII.

NVlla excõmunicationis sententia debet ferri, nisi citatio vel monitio canonica præcesserit. sed sæpe contingit quod propter periculum animarum vel corporum vel alias quia causa est rationabilis, fit vna citatio peremptoria, quæ trinæ monitioni æquipollet, & propter talem defectum seu contumaciam potest licite sententia excommunicationis proferri.

Miles. CAP. CCIII.

CAntum est in iure, quod ad impossibile nullus obligatur: & tamen videmus, quod in curia Ecclesiæ concluditur vna obligatio *de nisi*, qua quis immediate obligatur & excommunicatur, nisi certa die soluerit, cum tamen sæpe hoc soluere nequat, & sic ad impossibile obligatur.

Clericus. CAP. CCIV.

ILla obligatio *de nisi* est forma iuris & pro communi vtilitate adinuenta: nec sequitur ex hoc inconueniens: maxime qui in talibus nunquam fertur nec debet ferri sententia, nisi post sufficientem terminum ad hoc de consensu contrahentium assignatum: & ad hoc facit *c. præterea, extra de appella.* cum ibi notatis.

Miles. CAP. CCV.

QVandocunque aliqui excommunicantur, & tales sic excommunicati non satisfaciunt de summis contentis in executionibus memoratis incontinenti reaggrauantur. Et tunc iidem prælati vel eorum officiales faciant moneri iudices seculares, quod sub pœna excõmunicationis cõpellãt per captationem bonorum tales sic excommunicatos ad faciendum se absolui, & ad debitum persoluendum. Et vbi iudices seculares non obediunt monitioni huiusmodi, ipsi excommunicantur, nec possunt absolui nisi satisfaciant plenarie de debito.

Clericus. CAP. CCVI.

ECclesia brachio suo spirituali contra tales procedendo fecit quod potuit: & tunc habet recurrere ad brachium seculare. & hoc de iure diuino & humano conceditur. Et si propter malitiam vel negligentiam Dominus temporalis omittat facta sibi super hoc monitione parere: & talem excommunicatum cõpellere, propter quod debitorem contingit debitũ amittere, in quo excõmunicatus tenebatur ei: non est inconueniens, si sufficienti monitione præmissa per sententiam excommunicationis procedatur contra ipsum. Et si de damnis illatis antequam mereatur absolui faciat satisfactionem condignam: in talibus enim de iure diuino & humano brachium temporale spirituali obedire tenetur: maxime vbi quis in excommunicatione extitit vltra annum, de quo in statuto beati Ludouici mentio fit expressa.

Miles. CAP. CCVII.

SI baillivi, præpositi, vel seruientes regis, aut alii iudices seculares, talibus monitionibus inalitauerint, nec inueniant aliqua bona penes excommunicatos prædictos: tunc dicti bailliui, præpositi aut seruientes ire expensis suis tenentur ad curiam prælatorum, & ibi iuramentum patrare, quod nulla bona inueniant penes excommunicatos. Alioquin denuntiantur excommunicati: & per sententiam excommunicationis compelluntur ad satisfaciendum de debito pro ipsis excommunicatis.

Clericus. CAP. CCVIII.

DE iure & consuetudine tenentur in hoc iudices seculares ecclesiastico iudici obedire: & debent expensis propriis ad se excusandum venire: sed si talis monitio malitiose vel indebite ad suggestionem alicuius fuerit impetrata: talis suggerens expensas restituere tenetur. Expensæ vero, quæ fiunt in executione contra excõmunicatos facta per præfatos iudices seculares, excommunicatus ille debet ad satisfaciendum compelli.

Miles. CAP. CCIX.

ECce nunc alium excessum officialium. Si duo laici sint in processu alicuius temporalis Domini in actione reali vel personali: si contingat quod altera partium diffugiendo appellet ad curiam alicuius

alicuius prælati post magnos processus factos & lite contestata: officiales prælatorum nituntur habere cognitionem talium causarum, tam in reali quam in personali; & virtute monitionum & sententiarum faciunt desistere Dominum temporalem à cognitione causæ, post huiusmodi appellatione; quod nisi fecerit, excommunicatur & trahitur ad emendam. Ex quibus tẽporalis iurisdictio impeditur. & Rex amittit ressortũ suũ: quia nullus appellat ab officiali prælatorũ ad curiã regiam.

Clericus. CAP. CCX.

SI in curia temporali prælatorum vel subditorum suorum fiat processus, aut detur iudicium temporale, & super huiusmodi processu appellatio ordinaria emittatur aut ratione falsi iudicii vel alias: debet talis apppellatio ordinaria remitti ad examen sui iudicis temporalis. Sed si laicus nõ per viam appellationis ordinariæ, sed quia magis eligit curiam ecclesiasticam quam temporalem, sicut de iure licitum est: tunc nullum inconueniens sequeretur, si officialis, ad quem veniret talis cognitio tanquam officialis & Iudex ordinarius cognitionem haberet. Et sic in Romensi & Laudunensi, & multis aliis Regni Franciæ ecclesiis obseruatur.

Miles. CAP. CCXI.

VIdemus quod si aliquis laycus in villa regis faciat arrestari suum debitorem laycum per iudicẽ secularem loci: si arrestatus appellet illos, qui arrestant eum vel faciunt arrestari. officiales volunt habere talem cognitionem, & si aliquid attemptetur contra appellationem, ipsi nituntur exigere & leuare emendam à iustitia, sicut ab ipso cui factum fuerat arrestum. Et si gentes regiæ compellant eos ad desistendum, ipsi excommunicant eas.

Clericus. CAP. CCXII.

DIco quod si talia fierent sicut in isto continetur, nisi aliquæ ecclesiæ de consuetudine hoc haberent, quæ consuetudo est obseruanda, maxime vbi tale fieret sub saluo conductu curiæ & sine fraude, & quod arrestatus non esset clericus, prælati nollent talia sustinere.

Miles. CAP. CCXIII.

NOnnulli prælati habent magnam multitudinem officialium, quos vocant præpositos clericorum: qui quidem officiales faciunt communiter citationes viua voce contra quascunq; personas in dominio regis & alibi sine commissione: licet in qualibet diœcesi debeat esse vna sola sedes, vbi cognoscatur de causis. & ex hoc accidit pluries, quod multæ personæ coram eis sine causa citantur ad finem, quod redimant se de magna pecuniæ quantitate, quod est in magno præiudicio regis & subditorum, ac iurisdictionis temporalis eorundem.

Clericus. CAP. CCXIV.

TAm de iure quam de consuetudine legitime præscriptis prælatus in quacunq; parte diœcesis suę potest habere præpositos & alias personas ad iurisdictionem ecclesiasticam exercendam: siue sit in citationibus, siue in captionibus personarum ecclesiasticarum vel cognitione causarum quæ ad forum ecclesiæ pertinent: & potest Prælatus talibus illã, quæ sibi videtur, concedere potestatem. quare si tales iuxta concessionem eis factam citationes faciunt aut personas ecclesiasticas capiunt delinquentes: siue cognitione causarum seu aliquocunq; modo ecclesiasticam iurisdictionẽ exercerent, nulla fit iniuria. quemadmodum enim Dominus temporalis vbicunq; in terra sua potest habere gẽtes & iusticiarios suos: & eadem ratione Iudex spiritualis. Sed si tales commissarii abusi fuerint in aliquo seu etiam de præsenti abutantur, parati erunt prælati tales abusus corrigere & apponere remedium opportunum. vel si alicubi sit talium commissariorũ nimia multitudo, ipsi de sufficienti numero prouidebunt. Cæterum si tales commissarii iuxta potestatem sibi commissam arrestauerunt in casu sibi licito & permisso bona mobilia clericorum, sequuntur possidentis personam tam de iure quam de communi consuetudine. Et hoc etiam in statutis regum Franciæ plenius continetur. Et per hoc etiam infertur, quod sine præiudicio iurisdictionis secularis officiales prælatorũ seu eorum deputati possunt sigillare domos clericorum in villis regiis & aliorum dominorum temporalium.

Miles. CAP. CCXV.

EXcedunt prælati & eorum officiales: quia compellunt personas laycas ad dandum assecuramentum clericis eorum in curia ecclesiastica.

Clericus. CAP. CCXVI.

EXcedunt prælati in iustitia & dominio regis & subditorum suorum faciunt fieri inuentaria de bonis decedentium laycorum.

Miles. CAP. CCXVII.

DE iure & consuetudine clericus potest malefactorem suum vel alium, à quo verisimiliter dubitat sibi iniuriam irrogari, coram iudice ecclesiastico conuenire: quia vbi per talem committetur maleficium in personam clerici, etiam tanquam de sacrilegio, cognosceret super maleficio memorato. ergo fortiori ratione potest prouidere dando assecuramenta, ne maleficia committantur, maxime in ecclesiis vbi de consuetudine hoc habetur. Si autem hoc esset inter duos laycos, deberet consuetudo obseruari: quæ etiam concordat in hoc cum iure communi, per quod ecclesiastici iudices debent pacem apponere, cum melius sit ante tempus peccati prouidere, quam culpam post exi-

tum vindicare *l. si. C. in quibus cau. resti. integ. non esse necessaria*: ad quod faciunt *extra de treu. & pace* per totum.

Clericus. CAP. CCXVIII.

PAtet ex institutionibus sanctorum patrum, nec non imperatorum & regum: quod quilibet prælatus in sua diœcesi est executor legitimus testamentorum: maxime elapso certo termino in iure expresso *l. nulli. C. de epi. & cle. & extra de testa. c. tua & c. nos quidem.* Vnde si contigerit, quod executio testamenti venerit ad prælatum, non est inconueniens, si ex quo ad eum pertineret principale, pertineat & bonorum accessorium, siue sit in inuentariis, siue in aliis spiritualibus faciendum in locis, vbi sic de consuetudine obseruatur: alias enim non potest fieri legitime executio testamēti.

Miles. CAP. CCXIX.

ITem officiales nitūtur cognoscere de actionibus hypothecariis, quæ sunt reales vel saltem mixtæ.

Clericus. CAP. CCXX.

AD hoc respondeo, quod si hypothecaria procedunt ex contractu, vbi fit iuramentum, vel fidei interpositio: & inde fiat directe petitio super re obligata: talis petitio esset potius personalis quam realis. Et in hoc casu nulla fieret iniuria quantum ad hypothecarias, quæ sunt mere reales: & debet consuetudo seruari: quod si nulla fuerit consuetudo, tunc ius scriptum est in talibus imitandum & approbandum. facit. *C. de præscript.* 30. *vel* 40 *anno. l. cum notissimi. extra de iureiuran. c. si vero.*

Miles. CAP. CCXXI.

PRæterea excedunt prælati dum nituntur habere cognitionem personarum laycarum commorantium in domibus vel leprosariis villarum regis & subditorum suorum: vel extra villas prædictas, licet domino regi vel eius subditis memoratis pertineat cognitio eiusdem. Et dant dicti prælati vel eorum officiales monitiones cum magnis pœnis pecuniariis & sententiarum excommunicationis: quod nullus trahat dictas personas laycas ad aliam curiam quam ad curiam prælatorum.

Clericus. CAP. CCXXII.

SI tales personæ sint perpetuo deuotæ hospitalium seu domorum huiusmodi, sic quod factæ sint de foro ecclesiæ, tunc talium cognitio pertinet ad prælatos. de aliis vero, qui non essent talis conditionis, nisi priuilegium seu consuetudo aliud daret ecclesiis, prælati nollent nec etiam possent de talibus cognitionem assumere.

Miles. CAP. CCXXIII.

QVid plura? nunquid prælati de die in diem nituntur iurisdictionem secularem pœnitus eneruare. Nam ad finem quod iurisdictio ecclesiastica augmentetur, prælati faciunt magnam multitudinem tonsurari, pueros illiteratos, seruorum filios, & etiam coniugatos, necnon de illegitimo matrimonio procreatos: quod est etiam contra eorum constitutiones canonicas, per quod eorum ministerium vilipenditur.

Clericus. CAP. CCXXIV.

QVanto plures fuerint in seruitio Dei constituti, tanto melius potest diuinum seruitium celebrari. Et bene cauebunt sibi prælati domino concedente, quod non conferent personis insufficientibus vel indignis. Nullus enim prælatus bonæ conscientiæ faceret ea, quæ in prædicto articulo continentur. Et non dubium, quod super huiusmodi tonsuris conferendis Domini temporales plures requestas consueuerunt facere & importunas.

Miles. CAP. CCXXV.

EXcedunt prælati: nam faciunt gagiari & compelli per suos præpositos, clericos, mulieres, viduas, & nituntur habere cognitionem earum: nec non cognitionē puellarum, sibi applicare bona earum quando moriuntur pupilli, sicut de maioribus ætate quando decedunt ab intestato: quorum quidem cognitio pertinet ad regem: quia tales personæ & bona earum sunt sub salua gardia regis.

Clericus. CAP. CCXXVI.

TAm de iure diuino quam humano gardia talium miserabilium personarū quantum ad violentias & saisinas pertinent ad ecclesiam: Et sic etiā de consuetudine obseruatur in ecclesiis Gallicanis quantum ad bona intestatorum & pupillorum. Dico quod in illis ecclesiis, vbi esset super hoc consuetudo specialis, deberet consuetudo obseruari. vbi autem nulla esset consuetudo, quantum tangeret petitionem cognitionis, ecclesia nolet nec deberet se intromittere, nisi haberet hoc ex priuilegio aut consuetudine speciali. ad hoc facit. 24. q. 3. *c. si quis de pœnitentibus extra de foro compe. c. ex tenore.*

Miles. CAP. CCXXVII.

ITem excedunt prælati, cum faciunt capi per præpositos suos in dominio regis & alibi iuris ordine non seruato plures personas laycas, imponendo eis quod in aliquo casu commiserunt aliquid contra fidem: & faciunt eas poni & detineri in carcere suo, cum tamen Domino regi talium personarum captio & detētio debeat pertinere, donec super facto prædicto prædictæ personæ antea fuerint de crimine conuictæ.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. CCXXVIII.

VBi layco tale crimen malitiose imponeretur, prout in articulo prædicto continetur, hoc esset detestabile. sed vbi aliquis habetur suspectus super articulis fidei, ad ecclesiam in hoc casu debet cognitio pertinere: & per consequens ad inquisitionem & ad alios processus faciendos oportet iudicem ecclesiasticum esse de persona saisitum : & lata sententia contra eum debet expediri brachio seculari. quare in hiis nulla iniuria irrogatur, maxime in locis, vbi sic de consuetudine obseruatur à tanto tempore, quod in contrarium memoria hominum non existit.

Miles. CAP. CCXXIX.

ITem prælati vel eorum officiales currunt iurisdictiones suas per villas regias : licet extra sedem suam non debeant sedere pro tribunali seu iurisdictionem aliquam exercere.

Clericus. CAP. CCXXX.

PRælati possunt habere in quacunque parte diœcesis suæ cathedram, & pro tribunali sedere, tam de iure scripto quam de consuetudine, secundum quod superius est ostensum. quare nulli fit iniuria: nam iure suo vtuntur.

Miles. CAP. CCXXXI.

DVm prælati vel eorum officiales faciunt moneri compositos iustitiarios seu seruientes regios super aliquo faciendo, per eos faciunt in suis monitionibus magnam pecuniæ quantitatem apponi, applicandam prælatis, nisi fiat & compleatur quod eisdem iniungitur : & cum hoc pœnam sententiæ excommunicationis ibidem apponunt, quod est in præiudicium regis & subditorum.

Clericus. CAP. CCXXXII.

LIcitum est eis tales pœnas imponere tam de iure quam de consuetudine. quia ex quo licet sententiam excommunicationis proferre, quæ est maior: nam non est in ecclesia Dei maior pœna quam excommunicationis: licebit pœnam pecuniariam quæ est minor. Item ex quo tali iudici ecclesiastico subditi existunt; & sic est eorum ordinarius Iudex, ipse potest in tali casu pœnam pecuniariam vel aliam secundum quod sibi videbitur expedire, apponere. & ad hoc concordant iura diuina pariter & humana. Deus enim aliquando tales pœnas infligebat. *Leuitici. 3. & 5. c. Exod. 23. q. 5. c. prodest extra de pœ. c. licet & c. suam 23. q. 5. c. si vos 17. q. 4. c. quisquis. c. si quis in atrio.*

Miles. CAP. CCXXXIII.

EXcedunt prælati vel eorum officiales. nam cum in curiis suis contra aliquam personam procedunt, dum deficiunt sibi testes: faciunt plures personas laycas ad ferendum testimonium in curiis suis euocari: sint burgenses seu cuiuscunque conditionis existant: & tamen pro expensis eisdem nihil volunt ministrare: quod si vocati non venerint, illa die excommunicantur.

Clericus. CAP. CCXXXIV.

TAles sic vocati tenentur venire. alias possunt excommunicari & iuste quia veritatem celare peccatum est. *c. 1. de crimine falsi*, eis tamen debent expensæ ministrari: saluis consuetudinibus specialibus, vbi proceditur contra suspectos in fide vel aliis casibus specialibus: vel aliud de consuetudine obseruetur.

Miles. CAP. CCXXXV.

ITem excedunt prælati, quia si aliquis malefactor capiatur per aliquem iusticiarium regium saisitus de furto suo: & ille cuius est res furtiua veniat coram gentibus regiis, & probet rem furatam esse suam: & propter hoc expediatur eidem per gentes regias; si ex post facto dicant prælati vel eorum officiales malefactorem esse clericum : episcopi faciunt compelli per monitiones & citationes suas, prædictas gentes regias ad restituendum eis rem furtiuam antedictam : quod nisi fecerint, excommunicantur.

Clericus. CAP. CCXXXVI.

CVm solum ad ecclesiam pertineat cognitio de criminibus clericorum : layci non possunt nec debent se intromittere de rebus furatis per eos : quia illi pertinet accessorium, ad quem spectat principale. alias enim layci indirecte haberent cognitionem clericorum, & multi possent fingere notorium, quod non esset. & ad hoc *extra de dona. post. c. prudentia de regu. iuris. c. cum principale.*

Miles. CAP. CCXXXVII.

EXcedunt officiales. Nam si contingat quod gentes regiæ capiant aliquem malefactorem pro certo crimine per eundem perpetrato : si idem malefactor dicat, se clericum, licet tonsuram non defferat nec habitum clericalem, officiales prælatorum faciunt incontinenti capientes & detinentes compelli per excommunicationis sententiam ad restituendum sibi malefactorem prædictum tanquam clericum suum.

Clericus. CAP. CCXXXVIII.

TAles clerici non coniugati pro eo, quod nõ deferunt tonsuram vel habitum clerico congruentem non amittunt priuilegium clericale. vnde si sit notum iudici ecclesiastico talem esse clericum,

Digitized by Google

vel fama sit super hoc, idem Iudex sine cuiusquam iniuria potest ad restitutionem talis clerici compellere iudicem secularem. Sed si dubium esset talem esse clericum vel non esse: & captus fuerit in habitu laycali: ad ecclesiam pertinet cognitio, & detentio ad iudicem secularem, secundũ quod iura apperte dicunt *extra de sen. exco. c. si Iudex li. 6. C. de tabu. l. fi. de aqua duc. l. vlt. lib.* II.

Miles. CAP. CCXXXIX.

SI gentes regiæ vel alii iudices seculares ceperint aliquem malefactorem, latronem vel homicidam, qui tonsuram deferat clericalem, eumque restituãt dictis prælatis: idem malefactor postmodum satis cito expeditur, licet cognouerit factum suum: & licet aliqui layci, qui cum eo fuerint socii in maleficio, propter hoc fuerint iusticiati & executati, eumque accusauerint de maleficio memorato: itaque malefactores ad maleficia perpetranda facilius inclinantur.

Clericus. CAP. CCXL.

DIco quod si maleficia eis imposita notoria essent per confessionem vel alias, & remanerent impunita, malum esset: sed communiter accidit, quod cum layci capiunt aliquem clericum, licet non sit eis licitum de iure tamen postquam iudici ecclesiastico reddunt, de nullo maleficio dictum iudicem ecclesiasticum informant, propter quod causam rationabilem detentionis reperiat Iudex ecclesiasticus: & tunc non potest talem sine metu excommunicationis detinere.

Miles. CAP. CCXLI.

ITem si quis dolendo proponat & dicat coram officiali alicuius prælati, se pluribus bonis mobilibus spoliatum fuisse: officialis incontinenti dabit monitionem contra illum, per quem dixerit se spoliatum, & virtute monitionis huiusmodi per aliquem de præpositis clericorũ monebitur quod restituat contenta in monitione præfata: Aut quod iuret, vtrum spoliauerit conquerentem de hiis, de quibus est conquestus. Et si iurare renuat coram præposito antedicto, idem præpositus incontinenti monitionem sigillat, & excommunicat illum qui iurare noluit: nec poterit absolui postea, donec satisfecerit de omnibus in monitione contentis, de quibus conquerens se prius dixerat spoliatum.

Clericus. CAP. CCXLII.

TAles monitiones non concedunt communiter iudices ecclesiastici, nisi super factis notoriis: vel in casu vbi illi, contra quos tales monitiones dantur, essent super aliquo crimine diffamati. Vnde quotiens iudices memorati aut eorum commissarii talibus sic diffamatis iniungunt, quod satisfaciant aut veniant se per iuramentum coram eis super impositis maleficiis purgaturi: & ipsi non obediunt iudicibus aut eorum commissariis in prædictis, nec allegant causam rationabilem, quare ad hoc minime teneantur: tales sunt de iure & ratione conuicti. quare nulla fit iniuria; sed in causa spoliationis debet iuramento actoris fides plenarie adhiberi.

Miles. CAP. CCXLIII.

ITem excedunt prælati: quia si aliquis detinetur pro delicto suo captus in curia alicuius iudicis secularis: licet captus sit seu fuerit in habitu laycali, & sine tonsura, & quod gesserit se antea per totam vitã tanquam laycus: pro eo solum aduocabit se pro clerico, quia meliorem expeditionem habebit super delicto suo per dictos officiales quam iudices seculares, & quia delictum suum remanebit impunitum, dicti officiales faciunt moneri iudicem secularem, vt malefactorem cito eis restituat atq; reddat: alioquin cessabitur incontinenti à diuinis per totam vitam, vbi sic captus detinebitur. Et pro euitandis periculis, quæ venirent vel venire possent ratione dicti cessus, oportet quod iidem iudices reddant malefactorem in præiudicium iurisdictionis temporalis, & specialiter iurisdictionis regis, ad quem cognitio posset venire in casu ressorti.

Clericus. CAP. CCXLIV.

CLerici non coniugati, licet habitum vel tonsuram clerico congruentes non deferant, non amittunt priuilegium clericale *c. si Iudex laycus* cum ibi notatis. *extra. de sententia excommunicationis. lib. 6.*

Miles. CAP. CCXLV.

QVando aliquis malefactor redditur iudici ecclesiastico per iudices seculares itãquam clericus: amici malefactoris veniunt ad officiales prælatorum, & concordant cum eis pro certa pecuniæ quantitate: & sic dicti officiales expediunt malefactores sine punitione delictorum, licet notoria sint, & postea peiora committunt prioribus malefactores ante dicti.

Clericus. CAP. CCXLVI.

VBi maleficium esset notorium vel manifestum, & tale vel tantum propter quod perpetua pœnitentia ei deberet imponi: non esset rationabile, quod pœna pecuniaria tale maleficium pertransiret: sed nullum est inconueniens, si iusta de causa dicti officiales pœnam corporis in pœnam pecuniariam conuertunt: quia hoc volunt iura tam canonica quam ciuilia.

Miles. CAP. CCXLVII.

PRæterea quando clerici coniugati, mercatores vel alii cuiuscunq; officii vel ministerii existant, trahuntur in causam coram iudice seculari pro aliquo delicto: ipsi clerici impetrant ab officiali quandam

quandam

Digitized by Google

quandam monitionem, & adducunt secum quendam presbyterum, per quem faciūt moneri iudicem secularem sub pœnis centum librarum & excommunicationis, ne curiæ cognitionem teneat de talibus clericis memoratis, & ne molestent eos in corpore vel in bonis. Et si dictus Iudex postea detinuerit eos, cessabitur ibidem in continenti à celebratione diuinorum, licet hoc pro facto mercaturarum suarum existat.

Clericus. CAP. CCXLVIII.

SI clerici coniugati deferunt tonsuram & vestes clerico congruentes, & in tali habitu capiantur per iudicem secularem, tam de iure diuino quam humano & consuetudine notoriè præscripta tales clerici, quantum ad delicta, sunt de foro ecclesiæ: & officiales nullam faciunt iniuriam Dominis temporalibus, si compellunt eos per sententiam excommunicationis ad desistendum à cognitione talium delictorum, licet delictum fuerit commissum circa mercaturam: quia quocunq; modo delinquat, pertinet ad prælatos cognitio.

Miles. CAP. CCXLIX.

EXcedunt officiales, citationes concedentes sine numero contra personas laycas, ad comparendum personaliter coram eis, ad assecurandum personas totaliter incognitas. Et si cognitæ sint, in citatione continetur quod ille qui citatus est, moneatur sub magna pœna ne illum, qui sic citari fecit, eum pendente citatione trahat coram iudice seculari.

Clericus. CAP. CCL.

SI tale quid fieret ad requestam layci contra laycum: maxime vbi ecclesia hoc haberet ex consuetudine spaciali: nulla fieret iniuria, si ecclesia prohiberet etiam sub pœna, ne pendente citatione faceret eum coram alio iudice conueniri: quia posset aliàs magnum scandalum exoriri.

Miles. CAP. CCLI.

ITem cum quis excommunicatus est in aliquo loco, dicti officiales dant citationes personales super participantibus: & faciunt citari totam patriam ad vnam vel duas leucas circumquaque, & tales citantur qui non nouerunt excommunicatū. Vnde 40. 60. 80. vel centum personæ vocantur, purgaturæ se super participatione prædicta. Et ex hoc sequitur, quod probi homines & antiqui redimunt se de duobus solidis vel pluribus, pro euitandis laboribus & expensis. Et multæ vineæ & terræ dimittuntur incultæ & plures boni homines loca propria dimiserunt.

Clericus. CAP. CCLII.

NOn est intentionis prælatorum, quod ea quæ continentur in articulo prædicto, debeant sustineri: nec credunt quod eorum officiales illo modo procedant, maxime quia aliqui prælati in suis diœcesibus statuta ediderunt, per quę talia fieri prohibentur: & alii, qui nondum hoc fecerunt, salubriter super hiis erunt parati pro tempore prouidere: tamen de iure participatio cum excōmunicatis absq; tamen populi iniusto grauamine, potest prohiberi per iudices ecclesiasticos & puniri.

Miles. CAP. CCLIII.

DIcti officiales imponunt personis famæ laudabilis & honestæ conuersationis, quod sunt vsurarii, & sic eos cum dictis officialibus concordare oportet pro euitandis eorum infamia & labore.

Clericus. CAP. CCLIV.

SI officiales alias secundum formam iuris in hiis procederent, maxime vbi persona, contra quam procederetur, non esset diffamata: nullus prælatus vellet quoquomodo talia sustinere. & si quis in speciali vellet conqueri super isto ipsi prælati erunt parati, quod male actum est facere iustè & debitè emendari.

Miles. CAP. CCLV.

PRæterea dicti officiales faciunt citari aliquem probum hominem coniugatum. & imponunt ei quod adulteratus est cum aliqua muliere. & similiter mulierem aliquam coniugatam, imponendo sibi quod adulterata est cum alio viro in perpetuam infamiam, odium & opprobrium ipsorum coniugum: & cum hoc extortionem pecuniarum recipiunt ab eisdem.

Clericus. CAP. CCLVI.

FAteor quod nunquam talia fieri debent, nisi super factis notoriis vel manifestis, aut vbi tales, contra quos proceditur, essent publicè diffamati seu in aliis casibus à iure permissis.

Miles. CAP. CCLVII.

GRauamina, quæ capitula siuè abbates, priores, hospitalarii, & aliæ personæ ecclesiasticæ regni Franciæ faciunt contra populum, talia sunt, quia faciunt citari plures burgenses & alios in pluribus locis & diuersis per priuilegia, in quibus quam plurimum damnificatur populus, & grauabitur in posterum nisi remedium apponatur.

Clericus. CAP. CCLVIII.

DIsplicet prælatis, si religiosi prædicti faciunt aliquid indebitum vel iniustum: & libenter apponerent remedium in subditis suis, quilibet prout ad eum pertinebit.

Q 5

Digitized by Google

Miles. CAP. CCLIX.

IVdices ecclesiastici in quocunque casu nituntur habere cognitionem iniuriarum, siue in factis siue in verbis commissa sit iniuria clericis: nec non & vxores clericorum, licet sint mercatores, & eorum mulieres similiter mercatrices. Et si aliquando tales clericorum coniuges per iudices laycorum capientur, officiales faciunt cessum apponi.

Clericus. CAP. CCLX.

IN locis vbi de consuetudine speciali vxor clerici esset de foro ecclesiæ, quia ad hoc etiam iura imperialia concordant, nulla fieret iniuria, si cognitio talium mulierum retineretur, etiam quantum ad cognitionem iniuriarum inter laycos: quia emendæ iniuriarum petuntur per viam actionis generalis. Et ad hæc probanda facit. *ff. de iurisdi. om. iudi. l. penul. c. de insti. l. vlti. ff. ad muni. l. ea. C. de epi. & cle. l. 2.*

Miles. CAP. CCLXI.

IVdices ecclesiastici volunt habere cognitionem bonorum tam mobilium quam immobilium viduarum. Et si contingat, quod aliqua vidua mercatrix in villa regis per viam arresti aliquam personam laycam coram iudice seculari faciat conueniri, & iam tamdiu sit in causa processum, quod persona layca fuerit per sententiam iudicis in petitione viduæ condemnata: si veniat ad notitiam iudicis ecclesiastici, quod vidua ipsa in aliena curia suum conueniat debitorem: ipse Iudex trahit ipsam ad emendam, & compellit eam per monitiones & sententias. Et hoc in regno Franciæ maxime solet contingere.

Clericus. CAP. CCLXII.

PRælati nunquam intendunt dictum articulum prout proponitur sustinere: quia istud est irrationabile, nisi de consuetudine speciali aut priuilegio fuisset aliquibus ecclesiis illud ius acquisitum.

Miles. CAP. CCLXIII.

ITem plures habitatores diœcesium dictorum prælatorum vocat alter alterum ad curiam officialis: & ex quadam appellatione volagia nituntur officiales de talibus appellationibus cognoscere in præiudicium regis & subditorum.

Clericus. CAP. CCLXIV.

SI in curia temporali prælatorum fiat processus, & super huiusmodi processu vel iudicio appellatio ordinaria aut ratione falsi iudicii vel alias sequeretur: debet talis appellatio remitti ad examen sui iudicis temporalis. sed si laycus non per viam appellationis ordinariæ: sed quia magis eligit curiam ecclesiasticam quam secularem: tunc nullum inconueniens sequeretur, si officialis, ad quẽ veniret, cognitionem reciperet: & sic de iure & consuetudine obseruatur.

Miles. CAP. CCLXV.

ITem si quis in præsenti briga, vbi sanguinis effusio facta fuerit, capiatur per aliquem iudicem secularem pro puniendo: si laycus sit vel si clericus, & restituatur iudici ecclesiastico, si taliter captus appellet ad curiam, officialis de hiis nititur habere cognitionem, etiam de layco sicut de clerico. Et cum hoc etiam nititur emendam exigere à iudice seculari, qui prædictam fecit captionẽ. Et si talia sic permittantur, nunquam malefactores caperentur: quia incontinenti appellarent, & postea fugerent: & per consequens maleficia remanerent impunita.

Clericus. CAP. CCLXVI.

VBi layci capiuntur in tali fraganti delicto, tales appellationes, de quibus in prædicto articulo fit mentio, non essent ab ecclesia admittendæ: nisi in aliquibus ecclesiis ex priuilegio vel ex consuetudine aliud esset ius acquisitum. Sed si in delicto huiusmodi clericus caperetur per iustitiã secularem, officiales possunt, imo debent, contra iustitiam secularem procedere: alias enim priuilegium ecclesiasticum perderetur. Nec possunt etiam tales captiones fieri absque metu excommunicationis à canone propter hoc incurrendæ.

Miles. CAP. CCLXVII.

ITem si iudices ecclesiastici faciunt citari plures personas ex officio, non admittuntur per procuratorem. Et si ad diem sibi assignatam accedant, imponitur eis quod sunt vsurarii: & nisi respondeant ad voluntatem promotorum, in carcere detruduntur, licet sint puri layci & innocentes.

Clericus. CAP. CCLXVIII.

QVando laycus est super vsura publicè diffamatus officialis potest & debet contra talem ad inquisitionem procedere. Et si requisitus coram dicto officiali contumaciter neglexerit respondere, ad arrestum corporis potest procedere contra ipsum. Sed post responsionem factam, debet fieri recredentia corporis, nisi alia causa subsit rationabilis, propter quã debeat artius detineri.

Miles. CAP. CCLXIX.

OFficiales per seruientes suos faciunt capi clericos absque hoc quod iustitiam loci faciant super hoc requiri. Et si super hoc impediantur per aliquos, ipsi compellunt eos per sententiam excõmunicationis ad desistendum ab impedimento prædicto.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. CCLXX.

DE iure diuino & humano licitum est prælatis & eorum iudicibus capere clericos suos vbicunq; quia secundum quod superius fuit dictum non est dare locum, vbi nō sit iurisdictio spiritualis. Vnde talis captio clericorum, quæ est spiritualis, est de foro ecclesiæ potest ergo & debet fieri per iudicem ecclesiasticum, & non per alium quemcumque. Et nisi ita fieret, maleficia clericorum sæpe remanerent impunita, cum per laycos non possent puniri absque sententia excommunicationis à canone propter hoc incurrenda.

Miles. CAP. CCLXXI.

QVotiens aliqui iudices temporales capiunt aliquem qui posteà reperitur & redditur tanquam clericus iudici suo ecclesiastico sine difficultate quacunque: nihilominus dicti officiales faciunt dictos iudices excommunicatos à canone iudicari.

Clericus. CAP. CCLXXII.

NVlli Domino vel iudici seculari licitum est in quocunque casu clericos capere, quare si tales clericos capientes declarantur per iudicem ecclesiasticum sententiam canonis incurrisse, nulla fit iniuria. Et contra illos est grauius procedendum, qui clericos & presbiteros capiunt indifferenter & maliciose, ac in Dei contumeliam & contemptum.

Miles. CAP. CCLXXIII.

ITem excedunt prælati, qui aliquando criminosis tonsuras conferunt, quando veniunt ad eos metu intrusionis carceris & punitionis alicuius delicti quod antea perpetrauerant.

Clericus. CAP. CCLXXIV.

SI ita fieret, prout in articulo continetur, non esset vtique sustinendum: tamen in quacumque ætate potest prælatus personis litteratis omni fraude, & alio canonico impedimento cessantibus tonsuras conferre.

Miles. CAP. CCLXXV.

ITem si contingat, quod aliquis homo regis vel alterius cuiuscunque excommunicatus existat, & velit facere se absolui, gentes prælatorum exigent ab eo emendam ad arbitrium eorundem, & talem & adeò excessiuam, quod plures excommunicati cum non habeant vnde soluant, in excommunicatione decedunt, & si signa in eis pœnitentiæ appareant: quod est contra iura canonica, cum extra posse nullus obligetur, & gratis deberent absolui, si non habeant vnde soluant, secundum Doctores in *c. Odoardus, de soluti. regula peccatum de regulis iuris libro sexto.*

Clericus. CAP. CCLXXVI.

ITem sententia excommunicationis fertur propter mortale peccatum. Et sic oportet excommunicato, si petat absolui, quod imponatur pœna & pœnitentia pro peccato: quia nō remittitur peccatum, nisi Deo & ecclesiæ fiat condigna satisfactio. vnde antequam talis excommunicatus mereatur absolui, oportet quod satisfaciat aut pœna corporali aut pecuniaria. Et sic in foro pœnitentiali obseruatur specialiter in quibusdam locis, vbi sunt pœnæ taxatæ. Et sic æquo animo excommunicationem sustineant, quamuis impotens ad soluendum, tamen medicinalis est ei.

Miles. CAP. CCLXXVII.

POstquam inter duas partes ad inuicem contendentes mota est super possessione alicuius rei immobilis controuersia, & res contentiosa posita est ad manum regis per aliquem seruientem regium: iudices ecclesiæ nituntur monere seruientem prædictum, nè turbet alteram partium in possessione prædicta: quod si fecerit, episcopi excommunicant eum.

Clericus. CAP. CCLXXVIII.

AD hoc respondeo, quod si duo laici ad inuicem contenderent, & hoc fieret sine fraude & nō pro impediendo iurisdictionem ecclesiasticam: prælati iniuste agerent, quod in articulo prædicto continetur, nisi de consuetudine seu priuilegio aliquæ ecclesiæ aliud obtinerent, & vbi ambo essent clerici, aut alter eorum, vt superius est expressum.

Miles. CAP. CCLXXIX.

ITem si aliquis iusticiarius laicus pro certa & iniusta causa ad requestā partis apponat manū suam in rebus hæreditariis clericorum: iudices ecclesiæ & eorum ministri faciūt monitiones in scriptis, & monent dictum iusticiarium laicum sub pœna excommunicationis & sub pœna pecuniaria, vt à rebus memoratis manum suam amoueat, iniunguntq; eidem iusticiario, vt alteram partium de prædictis gaudere permittat: alias ipsum excōmunicatū denunciant: à qua sententia absolui non potest, nisi redimat se ad arbitrium officialis prædictorū: in magno præiudicio totius populi & diminutione iurisdictionis & ressorti Domini nostri regis.

Clericus. CAP. CCLXXX.

HEreditaria clericorum sine causa rationabili aut maliciose aut pro impediendo iurisdictionem ecclesiasticam ponuntur ad manum iusticiæ secularis specialiter quando fit per violentiam & de facto ac sine causæ cognitione. iure communi namque spectat cognitio ad ecclesiā, alioquin layci omnem iurisdictionem clericorum vsurparent; quia vbi non possent clericos compellere, ipsi procederent ad captionem bonorum. Et sic, quantum ad hoc, priuilegium clericorum deperiret.

Miles. CAP. CCLXXXI.

IVdices ecclesiastici quã citius audiunt, quod aliquis dives decessit, vel sit in proximo decedendi, ipsi mittunt litteras clausas capellano suo, quod nullatenus ipse audeat eum inhumanare, licet testamentum fecerit & ecclesiastica sacramenta receperit. Et post modum cum amici defuncti accedunt sciturí causam, quare sepultura denegatur; dicti officiales asserunt quod idem defunctus fuerat vsurarius, vel quod mandata ecclesiæ non seruauit. Et tamen faciunt tantum corpus super terrã teneri, quod oportet amicos redimere pro magna pecuniæ quantitate, antequam ipsum possint facere sepeliri.

Clericus. CAP. CCLXXXII.

VSurario manifesto debet denegari ecclesiastica sepultura, quare nullam iniuriam faciunt officiales talibus sepulturam denegando, donec restituerint, vel cautio sufficiens data fuerit de restituendo illud, quod per tale peccatum fuerat acquisitum. sed si pro exactione habenda duntaxat imponerent alicui tale crimen: & propter hoc interdicerent ei sepulturã, prælati ista nullomodo fieri permitterent, nisi ad eorum noticiam non perueniret: nec est inconueniens, vbi aliquis decedit vsurarius manifestus, si ecclesiæ teneatur satisfacere ratione peccati manifeste commissi.

Miles. CAP. CCLXXXIII.

IVdices ecclesiastici sibi appropriare nituntur cognitionem clericorum coniugatorum, mercatorum qui sunt manopetarii (quorum cognitio pertinet ad iudicem secularem specialiter sub facto mercanciarum seu mercaturarum suarum) in præiudicium iurisdictionis secularis.

Clericus. CAP. CCLXXXIV.

DIco quod si talis actio seu petitio veniret ex maleficio seu delicto, prælati nollent laycum in tali petitione turbare, nisi aliquibus ecclesiis ex consuetudine priuilegio seu compositione ius illud fuerit in contrario acquisitum.

Miles. CAP. CCLXXXV.

IVdices ecclesiastici pluries ponunt interdictum in villis regiis diuinum officium cessare facientes contra priuilegia, quæ à summis pontificibus, regibus Franciæ sunt concessa.

Clericus. CAP. CCLXXXVI.

PRiuilegia Domini regis vellent omnes prælati inuiolabiliter obseruare: sed satis vellent, quod dicta priuilegia eisdem exhiberentur, cum tenor priuilegii sic facti debeat diligenter attendi. c. *porro extra priuilegio.*

Miles. CAP. CCLXXXVII.

ECclesiastici iudices pro custodienda temporalitate sua faciunt clericos bailliuos & seruientes suos, & quando delinquunt, non possunt puniri sicut deberent, propter quod iusticia non potest obseruari.

Clericus. CAP. CCLXXXVIII.

LIcitum est prælatis tam de iure quam ratione: & etiam hoc cedit ad vtilitatem communis iustitiæ, habere suos ministros pro custodienda temporalitate sua, qui clerici melius sciunt & possunt vnicuique iustitiam reddere quam layci, qui litteras non nouerunt: hoc etiam sæpe ex necessitate eis incumbit: quia non inueniunt laycos ad hoc sufficientes, qui velint eorum officia assumere vel propter alias causas latentes.

Miles. CAP. CCLXXXIX.

IVdices ecclesiastici habent procuratores, qui si teneant aliquem sententiæ excommunicationis vinculo innodatum, siue sit iusta sententia siue iniusta, ipsi faciunt monitiones fieri, quod nullus operetur vel faciat officium qualecunque cum eodem: propter quod sæpe terræ remanent incultæ in præiudicium reipublicæ.

Clericus. CAP. CCXC.

EA quæ in articulo prædicto continentur, possunt fieri iure communi cum participare cum excommunicatis sit mortale peccatum, maximè post monitionem super hoc sibi factam. Et hic est vnus modus participationis, operari vel negociari cum excommunicato.

Miles. CAP. CCXCI.

OFficiales ecclesiastici non permittunt, quin imo iurare faciunt omnes aduocatos curiarum suarum, quod nullus litigabit sine eorum licentia contra eos, propter quod ius pauperum multotiens perit: nec causas regias nisi de ipsorum licentia ausi sunt iudicialiter sustinere.

Clericus. CAP. CCXCII.

SI talia fierent, prout in articulo continentur, prælatus non immerito displiceret: nec credunt prælati, quod aliquis iudex ecclesiasticus talia perpetraret, nisi esset de familiari aut pensionario proprio, vel de alieno, qui teneretur eidem iudici ratione fidelitatis aut iuramenti præstari consueti pro aliquo honore aut aliqua iusta causã.

Miles.

Digitized by Google

Miles. CAP. CCXCIII.

PRæterea iura, de quibus superius in pluribus, & variis articulis fit mentio, sunt in præscriptibilia? Nam sunt iura regalia *l. comperit. C. de præscripti.* 30. *vel* 40. *anno.* nec princeps posset talis iura à se abdicare: cum iurauerit in coronatione sua, iura regni non alienare, & alienata reuocare *c. constitutionis, cum c. sequen.* 10. *di.* cum ibidem notatis, quemadmodum nec rex Franciæ posset à se ressortum seu causam appellationis subditorũ abdicare. notauit Hostien. in *c. dilecti de maio. & obe.* quod si aliquis Dominus velit terram suam subiicere alieno Domiho, admittitur contradictio hominum atq; subditorum suorum: quia interest subditorum tot non habere Dominos, & etiam Dominum non mutare. ad idem *c. fi. de maio. & obe ff. de appella. l. non tantum*: quia quod omnes tangit: ab omnibus debet approbari. Et videtur expressum quod Dominus sine voluntate vassalli non transferat feudum in alium, in *libro feudorum, de feu. non alie. c. imperialem.* Et de hoc videtur casus expressus *extra de iure iuran. c. intelligo.* imo nec in casu nostro hæc videtur valere consuetudo: nam consuetudo ad hoc, quod effectum consuetudinis habeat, oportet quod sit rationabilis. hæc autẽ non est huiusmodi, per quã exuitur subditus, ne sit sub capite suo. Item oportet quod sit præscripta. Sed hæc non est præscriptibilis: quia sine possessione præscriptio non procedit: nemo autem potest in se præscribere obedientiam. Rursum oportet, quod sit inducta sciente eo, qui super hoc legem condere posset. Præterea si ecclesia allegat in talibus præscriptionem propter solam regis negligentiam: & hoc fieri non potest, quia contra obedientiam non præscribitur: & faciunt notata in *c. inter vos de consuetudine*, vbi notauit Collectarius, quod si mille annis ordinarius non vteretur iuribus in subditum: nõ propter hoc priuaretur: aut etiam propter resistentiam ecclesia gauisa est ista libertate & tunc fuerunt in mala fide possidentes: & sic non procedebat præscriptio. Insuper communiter dicunt & allegãt clerici, quod sunt exempti à iurisdictione seculari. ergo necessario sequitur ex confessione ipsorum, quod aliquãdo fuerunt subiecti. Amplius quod rex Franciæ talia non possit in ecclesiam alienare: nec etiam ressortum, de quo superius est expressum, clare ostenditur. Nam sic rex Franciæ, qui dicitur in regno suo verus Imperator, non posset dici Augustus, quasi regnum augens: sed potius angustus, quasi regnum diminuens: cuius oppositum debet esse in quolibet Imperatore siue rege: saltem intentione debet regnum augere, vt in *prohemio institutionum & digestorum.* Item rex talia alienãdo non potest astringere successorem: quia par in parem non habet imperium *ff. ad Trebel. l. ille à quo. §. tempestiuum de ele. c. innotuit. & c. fi. extra de rescript. lib.* 6. Item ne turbetur officium spirituale, si se intromitteret de temporali iurisdictione *C. de epi. & cle. l. placet* 16. *q.* 1. *c. placet.* Hanc opinionem tenuit Accursius glosator iuris ciuilis in donatione facta à Constantino ecclesiæ Romanæ prædictis rationibus motus. quã opinionem communiter sequuntur Legistæ patres antiqui. Et fortissimum est argumentũ in Imperatore, quod non potuerit illam alienationẽ in Siluestrum Romanum pontificẽ facere: quia non poterat à se iurisdictionem & ressortum, nisi in manibus populi, à quo eam receperat, abdicare *ff. de offi. præsidis l. legatus de orig. iur. l.* 2. *§. sed cum placuisset:* sicut dicitur in tutore, qui licet administrationẽ habeat, non tamen à se abdicat tutelã, licet actorẽ constituat: sicut dicimus de episcopo *de renunciat. c. nisi cum pridem. de translatione episcopi, per totum.* hiisdem rationibus, nec rex Franciæ potuit tacite vel expresse tales alienationes in ecclesiam facere, in præiudiciũ regni sui: nec eisdem rationibus posset hodie ressortum à se abdicare ipso rege manẽte: quia hoc est ei impossibile iure diuino pariter & humano. Sicut dicitur in simili quod seruo manente seruo, non potest tutor dari.

Clericus. CAP. CCXCIV.

ANte omnia præmitto quod res, de quibus fit sermo, sunt præscriptibiles & consuetudine acquisibiles. quod ratione probatur & auctoritate. ratione sic: priuilegiũ seu præscriptio & cõsuetudo tanti temporis, cuius contrarii memoria non existit, paribus passibus ambulant. & ideo quod potest per vnum puta per priuilegium, concedi, potest per aliud, *de aqua coti. æsti. l. hoc iure. §. ductus aquæ. C. de fundi. patri. l. vlti. li.* 11. *c. nouit, extra de iudic.* & ibi per Innocen. sed constat exemptionẽ priuilegio cõcedi, ergo &c. *de priuileg. c. cũ olim.* Auctoritate probatur, vt notatur per Innocen. *c. cũ non liceat de præscripti.* Et per Hostien. *eo. tit. c. cum ex officio.* Cum ergo dicitur, quod oportet, quod cõsuetudo sit rationabilis, concedo: & cum subditur, hæc nõ est huiusmodi, nego: non enim est irrationabile, quod est priuilegio concessibile. vt *C. de priuileg. scolar. l.* 2. sed hoc est concessibile: ergo non est irrationabile. Et cum vltra subditur, quod hoc non potest præscribi, quia nec possideri, ergo &c. Nego, quia libertatem bene quis possidet in se ipso *C. de præscriptione quæ pro liber. vel contra*, in rubro & in nigro *Digest. de liber. causa l. liberis. §. vltimo.* Et hanc non præscribit sibi ipsi: sed alteri, puta ecclesiæ Romanæ: argumentũ expressum *ff. de statu seruo l. seruus communis*: ergo ecclesiæ particulares contra regem Franciæ seu alios principes temporales in se alteri quam ecclesiæ Romanæ præscribere libertatem non possunt. Præterea cum subditur, quod necessaria est scientia eius, qui potest super hoc legem condere: respondetur, quod non est verũ in inductione omnis consuetudinis. notatur 4. *di. c. in istis.* Et quando dicitur, quod requiritur scientia eius, qui potest legem condere, habet locum in ea consuetudine, quæ expresse contradicit legi, arg. *ff. de colla. li. illi. l. si.* Hæc autem non cõtradicit legi, per quã inducitur ꝙ aliqua ecclesia sit à iurisdictione seculari exẽpta, & sic Romanæ ecclesiæ subdita. Est n. valde irrationabile vt illuc, vnde exeunt, fulmina reuertantur. Romanæ. n. ecclesiæ omnis ecclesia immediate subest: quia vniuersalis cura omniũ cõmissa fuit Petro 2. *q.* 7. *c. puto.* Et hoc expresse notauit Iohan. Monach. *de elec. c. si eo tẽpore lib.* 6. Et per eũ nihil de nouo acquiritur, licet

Digitized by Google

expresse notauit Iohan. Monach *de elec. c. si eo tempore lib. 6.* Et per eum nihil de nouo acquiritur, licet alius excludatur, vt notatur 16. q. 3. *c. volumus.* quod ergo dicitur in *c. cum ex officii*, & *c. cum non liceat*, quod contra obedientiam non præscribitur, verum est, per subditum remanentem subditum: sed si dicat se sibi respectu huius libertatem præstitisse, & alteri subiectionem in se nequaquam est, prohibita, sed concessa, vt est probatum supra. Sicut dicimus, quod summus pontifex non potest cum monacho dispensare. quod habeat proprium: sed potest facere de monacho non monachũ, vt statu mutato incipiat habere proprium, *extra de statu monachorum c. cum ad monasterium*, in fi. Sic dico in proposito, quod subditus manens subditus non potest præscribere contra obedientiam: quia ex hoc resultaret quædam implicatio contradictionis: scilicet quod esset subditus & non subditus, contra legem *ff. de libe. causa l. cum duobus.* rursum cum dicitur, quod aut ecclesia allegabat negligentiam regis, & hoc fieri non potest: aut propter resistentiã, & tunc ecclesia possidet cum mala fide, & sic non procedit: respondetur, & concedo primum quod per solam negligentiã non præscriberet ecclesia libertatem sibiipsi contra regem per rationes tactas: sed bene alteri, scilicet Romanæ, secundum quod superius est expressum. Secundum autẽ simpliciter non concedo, scilicet quod resistentia præscriptionem impediat, Imo inducit, vt *ff. de seruit. vrba. prædi. l. hoc autem*, *extra de verbo. signifi. c. abbatem.* & ibi notatur. Nec de necessitate sequitur talem resistentiã mala fides, *extra de iure patro. c. cura*: Præsertim in tanti temporis præscriptione seu possessione, cuius contrarii memoria non existit; vbi bona fides præsumitur: vt notauit Innocen. *extra de in integrũ restitu. c. cum venissent.* Ad aliud vero dicitur, quod clerici dicunt se exemptos à iurisdictione seculari: ergo aliquando subfuerunt: respondetur, quod ista ratio est omnino impertinens, non enim quæritur, an subfuerint: sed an subsint de præsenti. Nec obstat, quod per hoc cõfitentur se subditos: quia exemptio præsupponit subiectionem: & proponens non videtur aliquid de intentione aduersarii fateri, *regula, iuris exceptionem*, *extra de regul. iuris li. 6. l. non vtique ff. de excep.* Præterea attendendum est, quod duplex est exceptio, vna quæ tollit vinculum contractum, & ita procedit argumentum: alia quæ impedit contrahendum *ff. de verbo. obli. l. decem:* & hoc modo argumentum non procedit. Et ita loquitur *extra. de priuilegi. c. ex parte.* ibi, *ab ipsa sui fundatione liberum extitit & exemptum*, &c. Rursum cum dicitur, quod talia iura à se non possunt abdicare: contrariũ videntur expresse solennes Doctores iuris ciuilis tenere in simili quæstione, videlicet in donatione Constantini facta in personam Siluestri papæ, ecclesiæ Romanæ quod valeat & teneat. Isti autem Doctores sunt Guillermus de Cuno & Iacobus de Butriga. in *prohemio. digestorum*, Ioh in *c. ego Lodoycus 6. q. 3.* Et idem Laurentius ibi, Ioh. de Aur. & Archidi. motiua eorum probant per textum *l. cum multa C. de bo. quæ libe. & l. fi. C. de præscrip. & l. 1. eo. titu. in auctentica de non alienan. §. fiminus*, probant: quia Imperator seu rex in patrimonialibus seu fiscalibus habet plenum dominium *ff. ad l. Rod. de iact. l. deprecatio. & l. bene à Zenone de quadri. præscrip. insti. quibus modis aliena licet in principio insti. de rerum diui §. per traditionem.* Item probatur in *auctentica de deffen. ciui. §. si interim.* Item Imperator habuit iurisdictionem per legem regiam: cuius forma fuit, quod per vnum administraretur res publica: *de origine iuris. l. 2. §. nouissime.* Rex autem Franciæ ab infidelibus regnum in virtute potentiæ suæ occupauit. quis ergo dubitabit, an iste vel ille possit alienare partem regni sui vel ressortum? Item esto, quod Imperator seu rex non haberet dominium, sed administrationem solum: id possent saltem in ecclesiam alienare: quia ab ecclesia receperunt instructionem fidei: ergo potuerunt solenne munus concedere eidem. *Digest. de administra. tu. l. plurimum §. in primis C. de sacro sanct. eccle. l. iubemus.* sed quantum ad veritatem, procedunt ista argumenta in gubernatione rerum & dominio earum transferendo: quod potest Imperator seu rex Franciæ. sed fortius est dubium de abdicatione iurisdictionis seu ressorti, quam vel quod non videtur quod Imperator vel etiam rex Frãciæ possit à se abdicare: sicut dicitur in tutore, qui licet administrationem habeat, non tamen à se abdicat tutelam, licet actorem constituat, & etiam per iura pro contraria parte allegata. quamuis tamẽ expresse rex nequeat ressortum à se penitus abdicare: non tamen sequitur, quin ressortum sit præscriptibile: quia multa potest præscriptio, quæ non potest pactum, vt *Digest. de serui. vrba. prædi. proprium*? & est ratio quia pacto tanquam iure priuati existente ius publicum euelli non potest: vt *ff. de pactis l. ius publicum:* Præscriptio vero de bono publico introducta est. *Digest. de vsu l. 1.* & ideo per eam facilius aliud ius publicum tolli potest. arg. *insti. de legi. agna. tut. §. vlti.* præterea præscriptio habet, quicquid habet pactum & tacitus consensus eius contra quem præscribitur, vt *Digest. de verbo. signi. l. alienationes*, & vltra habet assistentiam iuris publici. & ideo vocatur legalis alienatio, quæ aliquando est permissa, vbi etiam procedens ab homine est inhibita, vt *Digest. de re. eo. qui sub tu. vel cu. sunt. l. 2.* Dico ergo in hac vulgata contentione, donationem factam à Constantino ecclesiæ Romanæ de iurisdictione & iuribus temporalibus non valuisse ex vi donationis: sed habuisse vim remissionis & bonæ fidei recognitionis: similiter nec donationes factæ à regibus Franciæ particularibus ecclesiis valent ex vi donationis, sed habent vim remissionis ac bonæ fidei recognitionis. Nam si principatus ecclesiæ est principatus totius orbis temporalium & spiritualium, vt sæpe fuit demonstratũ: imperialis seu regalis est administralis & deseruiens, mobilis & reuocabilis iussu principat', Etiã infertur ꝙ gubernatio auctorizabilis omniũ tẽporaliũ fuit ecclesiæ: & sic nõ potuit Imperator donare ecclesiæ quod suũ erat: nec rex Frãciæ similiter. nunquã n. dominiũ illarum rerum fuit abdicatũ de manibus ecclesiæ. nõ potuit ergo Imperator vel rex dominiũ transferre, quo carebat *ff. de acquiren. re. dominio l. traditio. 1. q. 7. c. daibertum: nec potuit* Dominum facere qui Do-

minus

minus præerat *C. de contrahen. empt. & vendit. l. cum res.* Non valent tales donationes: sed quasi possessionis iurium & possessionis bonorum traditiones vsurpatorũ per principes seculares. Et fuit bonæ fidei recognitio. Ad hoc enim tenebatur Constantinus & cæteri reges temporales ad restitutionẽ vsurpatorum ecclesiæ & eius principatui. hæc enim vsurpatio fuit non hominis sed Dei spoliatio: cum omnia sint Dei & ipsius vicarii *c. tua de decimis.* & spiritu Dei flante Constantinus remisit: sic & reges Franciæ remiserunt ecclesiis particularibus plura iura ab eisdem vsurpata: vt sic res iterum in statum reuerteretur pristinum 25. *distin. c. ab exordio.* nec potuit Imperator seu rex quicunque imperii siue regni sui temporis diuturnitate sibi ius introducere, cum tanto grauiora sint peccata &c. *c. cum, de consuetudine.* cũ hæc vsurpatio nedum repugnet iuri positiuo, Imo & diuino, Imo & ipsi Deo spoliato. licet administratio temporalis, quæ fit nutu principantis: & eius nutu Imperator vel rex exerceat vt aduocatus vel defensor, *de electio. c. venerabilem de maio. & obedi. c. solitæ:* nec pondero, quod dicit Iohan. 63. *distin. ca. ego Lodouicus:* videlicet quod donatio Lodouici fuit cõfirmatio donationis Constantini: quia nec valuit donatio Constantini ex vi donationis, cum omnia sint ecclesiæ, vt antea supra demõnstratum est. nec pondero, quod imperium & regnum sit à Deo, vt in *autentica, quomodo oportet epi. circa principium*: quia non debet inferri: ergo principatus ille scilicet temporalis est, in quem alii principatus resoluuntur: nam & alii principatus quicunque inferiores sunt à Deo. Nec pondero, quod scribitur *ecce duo gladii* &c. quia non debet inferri: ergo sunt duo principatus æque principales: quoniam hoc est impossibile, vt supra deductum est. Sed secularis principatus est ministralis & subseruiens principatui militantis ecclesiæ. Nec pondero, quod Christus saluator inquit, Petro, *repone gladium tuum in vaginam:* quia non debet inferri, quod hoc significaret carentiam gladii temporalis seu potestatis vel ipsius abdicationem: sed designauit, quoniam Christus saluator venerat adimplere voluntatem patris, videlicet pati humanitatem pro salute humani generis. noluit ergo resisti gladio: quoniam si voluisset, inconuincibiliter poterat, vt sequitur in Euangelio. poterat legiones Angelorum inuocare, vt ibi sequitur. nec pondero, quod sint duo luminaria, *de maioritate & obedientia c. solitæ:* quoniam ille textus probat intentum principalem: & æquiparatur principatus secularis luminari minori, scilicet lunæ: & principatus ecclesiæ luminari maiori, scilicet soli. sic directè se habet principatus secularis ad ecclesiasticum, sicut luna ad solem. Nam ad motum lunæ ad varios aspectus ad solem augetur & minuitur ipsius lumen, vt lumen apparens lunæ procedit ab infusione solaris luminis & radiis ipsius: sic à potestate ecclesiastica procedit potestas secularis: & augeri debet & minui ad iussum & nutum ecclesiastici. Item motus verus lunæ elicitur ex motu solis: sic motus & progressio potestatis secularis mensuratur radicaliter à vero principatu ecclesiæ à quo regulantur. Item luna præest nocti, nec ipsius lumen discernitur lumine solari in hemisperio diffuso: vt pote eius lumine confuso sub solari. sic potestas secularis in conspectu ecclesiasticæ confunditur & obumbratur, nisi ad iussum eius iubetur *23. q. 5. c. administratores & c. Regum & c. princeps.* Hic tamẽ obicietur: nam dicit papa, non ponendam falcem in messem alienam: quod reputat cum se intromittit de temporalibus: *qui filii sunt legitimi c. causamque,* ergo fatetur papa iurisdictionem temporalem & causas ipsius fore messem alienam: ergo non suam. *C. vnde vi. l. cum querebatur.* Et præterea papa habet patrimonium temporale & temporalem iurisdictionẽ ex donatione Imperatoris, & ibi exerceret temporalia, & in illis solus. Et in illis inhibet principi seculari exercere: & iuramentum recipit ab eo de non exercendo. vt in *cle. Romani de iureiuran.* ergo fateri videtur, residuum fore Imperatorum & aliorum principum secularium: *extra de præscript. c. nonne.* Pro euidentia in solutione prædictorum est attendendum, quod principatus ecclesiæ habet duplicem potestatem: habet enim potestatem liberam, qua Christus saluator generaliter ipsum prætulit cuncto populo: & tunc est principatus liberę prælationis: & hanc potestatem à se abdicare non potest, nec alteri concedere. Et dixi abdicare in alium transferendo: sed bene renunciando, *de renun. c. 1. lib. 6.* Nec hanc potestatem potest alter præscribere 94. *distin. c. qui cathedram.* 24 *q. 1. c. ex sola c. scisma.* nam hoc esset præscribere contra obedientiam. Imo huius potestatis diuinitus infusæ nullus est capax præter vicarium. Habet & papa aliam potestatem limitatam & restrictam ad certum obiectum tam in temporalibus quam in spiritualibus: habet enim papa temporale dominium demensa: in quo specialem habet temporalem iurisdictionem præcisam & distinctam. habet enim in spiritualibus specialem potestatem in ecclesiis & locis exemptis & immediatè subiectis: habet enim spiritualem in ecclesia Lateranensi, quæ est specialiter Patriarchalis & sponsa spiritualis Romani pontificis, vt no. Archidi. *de præscript. cap. 2. libro 6.* Et hæc potestas relata ad obiecta singularia est concessibilis & præscriptibilis: vt dicunt textus, quod spacio 40. annorum præscribitur contra ecclesiam Romanam: vt *C. de præscript. c. ad audientiam:* & quantumcunque præscriptum fuerit huic potestati sic relatæ: adhuc remanet prima generalis potestas. & quantumcunque concessit vel donauerit aliquid de hiis, & in alium transtulerit, semper immanet illa generalis potestas inabdicabilis, & infusa illa non ab hominis sed Dei pendet arbitro 21. *distin. c. in nouo.* Et vigore illius generalis potestatis reuocare posset omnes præscriptiones, translationes etiam quorumcunque concessorum & præscriptorum cum in hoc gerat vicem seu vices Dei (cuius est plenitudo orbis vniuersi) & possit quod Deus in terris. Et credo hanc potestatem nutu diuino introductam ad perfectum esse principatus orbis. Hoc sic præmisso statim infertur, quod hæc sic se compatiuntur, quod principatus ecclesiæ sit principatus summus in orbe & spiritualium & secularium attenta illa generali pote-

state. Et cum Imperatori concesserit gladium temporalium limitatum: vel qualitercunque aliter habuit Imperator, vel rex quicunque, si habet nutu principantis ecclesiæ, detinet iuste: si alias, tyrannicè occupat. cum vniformitas debeat esse totius ad partes: & turpis est pars, quæ suo non congruit vniuerso *c. cū non deceat, de præscript.* per hoc respondetur ad obiecta: cum n. dicit papa, nolle ponere falcem in messam alienam, vocat attenta illa potestate limitata concessa vel permissa quo ad exercitium, non autem est aliena attenta potestate generali diuina, cui nihil est alienum: cum ipsius sit plenitudo orbis *c. tua, de deci.* quod exemplo potest naturaliter, moraliter, & legaliter demonstrari. naturaliter, videmus in corpore humano quod singula organa visus, auditus, olfactus, & singulorum sensuum. hæ enim virtutes ad se inuicem relatæ sunt & distinctæ & diuersæ. sed anima sensitiua, cuius sunt hæ virtutes, est vna: & omnes virtutes sunt vnitæ in substantia animæ cum virtute spiritus directi ad singula organa. est ergo varietas relatiue ad organa singula, in quibus sit spirituum alteratio propter operationum varietatē: & tamen manet vnitas in substantia animæ, à qua est originaliter hæc operationū multiformitas. sic in principatu vniuersi orbis relatione habita ad diuersa obiecta gubernabilia, variantur limitatæ potentiæ. nam aliud est obiectum temporale, aliud spirituale. Et spirituale etiā variatur, sicut & temporale, manēte vnitate illius principatus. Primū exemplum morale & politicū in particulari politia vnius ciuitatis vel regni est vna virtus potestas regitiua totius: & ab ea dependent multiformes potestates regitiuæ villarum, castrorum & vniuersitatum. Et variantur secundum varietatem obiectorum: quæ omnes variæ potestates non multiformantur in prima potestate regitiua. rex enim vna potestate regali gubernat regnum totum & singula membra regni: licet sit difformitas habita membrorum adinuicem. Sic euidenter posset dari exemplum in Iconomica: vt scribitur *Iconomicorum primo.* & tamen in domo multiformitas officiorum, quæ tamen omnia tendunt in vnum: & ab vna potestate dependent. sic in proposito, in principatu vniuersi patet exemplum legale. Nam potestas institoris est multiformis, relatione habita ad varietatem commissorum, & est vna potestas principalis, à qua dependent singulæ *ff. de insti. per totum.* Quid ergo miri ex particularibus naturalibus & moralibus infertur ad totum principatum? cum ergo dicit papa, nolle ponere falcem in messem alienam, non intelligit, nec intelligere potuit. i. suæ generali potestati non subiectam, sed alienam relatione habita ad administrationem limitatem temporalium sibi commissam & permissam: quæ tamen sua est originaliter. Et per hoc respondetur ad id quod agebatur, quoniam papa habet singulare patrimonium hoc tamen non excludit generalem potestatem omnium temporalium. Sicut rex habet quædam in domanio suo: & tamen non excludit vniuersale dominium regni sui. per hoc etiam patet solutio ad id quod dicitur, quod Christus abiecit à se temporalia: debet enim hoc sane intelligi. Nam Christus non abiecit à se dominium generale orbis. hoc enim non erat possibile: sicut nec est possibile, Deum facere se non esse Deum: quod plusquam implicat & diuinæ potentiæ derogat: Christus vt Deus verus à se non abdicauit vniuersum dominium orbis: sed Christus abiecit abusus temporaliū impedientiū salutē & fœlicitatē patriæ. hoc n. docuit & prædicauit spiritu infuso: & Apostoli per vniuersum orbē missi prædicauerunt & docuerunt. Nā ecclesia habet & habuit aurum 12. *q. 1. aurum habet ecclesia.* habuit & habet temporalia 12. *q. 1. c. videntes.* & fuerunt & sunt necessaria sub ordinatiue spiritualibus 1. *q. 3. c. si quis obiecerit.* Amplius ex permissis dependet decisio alterius quæstionis: An lex papalis possit corrigere legem ciuilem Imperatoris vel regis? vt pote in numero testium circa testamenta, in præscriptionibus. & pluribus aliis: de quibus generaliter subiicietur. & quod hoc possit, probatur sic: Imperator vel rex potest. ergo & papa, tenet cōsequentia, quia potestas Imperatoris seu regis depēdet à potestate papali, vt est supra deductum. Si enim potest reuocare potestatem legem condendi: ergo & ipsam legem iam conditam. Sed est dubium de modo reuocandi, an scilicet legem canonicam condendo, ipso facto videatur tollere legem ciuilem contrariam: an sit necessaria expressio legis ciuilis, vel quod reuocare velit. Hic est attendendum, quod licet principatus orbis, attenta illa diuina potestate limitata Imperatoris, habet potestatem, territorium, & messem suam distinctam à messe temporali limitatæ ecclesiæ, & à messe spirituali, licet totum subsit illi potestati generali papæ, quæ domina est. & ex illa potestate Imperator, & rex Franciæ habent potestatem legem condendi, quæ ligat in territorio suo, vbi non contradicit Lex canonica 10. *di. c. si in adiutorium, de causa possess. & proprie. c. 1. de noui operis nunciatiō. c.* 1. tamē vbi eorum obseruantia introduceret peccatum mortale, tunc non essent leges nuncupandæ: quia tales non consonant illi potestati generali principatus ecclesiæ: à qua potestate pendet imperialis & regalis, vt supra est deductum. Sic lex canonica emanat à principatu ecclesiæ ex sua potestate limitata relata ad messem spiritualium & temporalium, quæ sunt de proprio patrimonio, quæ ligat spiritualia & quæcunque ecclesiastica & temporalia de illo patrimonio. Et seruantur tales leges in patrimonio Imperatoris seu regis, si Lex contraria imperialis vel regalis inducat mortale: & sit Lex contraria non inducens mortale: stabitur cuilibet in foro suo. Hic tamen dubium, si principatus ecclesiæ potest reuocare leges ciuiles: ergo condendo legem canonicam contrariam legi ciuili, statim reuocata est Lex ciuilis, alio non expresso *ff. de legi. l. non dubium de constitutio. c. primo. libr. 6.* ergo semper stabitur legi canonicæ, si contrarietur legi ciuili. hic attendendum, quod correctio legis generalis per aliam generalem non expressa alia correcta procedit in virtute principatus limitati, vt Imperator legem promulgando tollat contrariam illa non expressa, vt in *c. 1. statim allegato.* Sed papa condendo legem contrariam legi ciuili non inducenti mortale, non tollit ciuilem: ratio, quia papa condendo legem canonicam simpliciter illam condit concernendo messem suam tantum: cui applicā-

do sua

do sua est limitata potestas. & sic non intendit ingredi patrimonium commissum Imperatori alio non expresso. hoc ergo non euenit, quod ignoret: quia attenta generali potestate sua, omnia iura etiam ciuilia sunt in scrinio pectoris sui virtualiter. Imo & sic intelligendo omnia iura ciuilia sunt canonica. Sed hoc euenit, quia hoc nō intendit, sed promulgando iura concernit obiectū suæ administrationi cōmissum. Ius enim nihil aliud est quā ordinatio principis directiua subditorum. sic ergo sicut sunt duo patrimonia temporalia, scilicet ecclesiæ & Imperatoris siue regis, relata ad duas potestates limitatas: sic duplices leges, canonicæ scilicet & ciuiles. Hæc tamen duo patrimonia, relata ad generalem potestatem principatus ecclesiæ, sunt vnum patrimonium: & ex illa potestate generali principatus ecclesiæ reuocare posset leges cum illa dependeat ab illa potestate diuina. & hoc dicunt textus, cum dicunt, quod iura diuinitus per ora principum diuulgata, id est, influit ab illa potestate infusa principatui ecclesiæ ministraliter per ora principum: sed reuocādo debet hoc exprimi. Et sic potest concludi, principatū ecclesiæ posse reuocare omnes leges. sed hoc debet exprimi: alias non reuocat, nisi lex ciuilis inducat mortale. vnde concludo vnam generalem conclusionem, quod papa tollit legem ciuilem generaliter, vbi foret lex canonica ciuili contraria, si canonica habeat maius fomentum æquitatis. & hoc vbi disponit circa idē, nec insurgit alia æquitas rationis ex parte dispositi. moueor ad huiusmodi inductionem: nam suppono, quod dispositio iuris canonici repugnans legi ciuili fundatur super fundamēta naturalis æquitatis: alias non saperet naturā constitutionis canonicæ, cum reuera constitutio canonica non dictat aliquid præter æquitatem iuris naturalis insurgentis ex dictamine rationis rectæ: vt notatur in *regula, pactum de regu. iuris li. 6.* Sic ergo dico, quod constitutio ciuilis canonicæ repugnans, iniquitatem cōtinens, obuians æquitati legis canonicæ, debet corrigi: & maximè per principatū ecclesiæ ipsam tolerante principe seculari: cum ad eius officiū, vtpote gerentis vices Dei, spectet omne dissonum æquitati naturali absorbere: cum naturalis æquitas effluat ab intelligentia diuina. *6. dist. in principio.*

Miles. CAP. CCXCV.

FRater charissimè, ex præmissis per vos tactis infero (cum messes & iurisdictiones Imperatoris & regis & cuiuslibet Domini tēporalis ex vna parte, & ecclesiæ ex altera, sint distinctæ) quod papa non potest aliquem legitimare quo ad temporalia, quæ tenentur sub Imperatore seu alio rege temporali: quia extra territorium &c. *l. 1. ff. de iurisdictione omnium iudi.* Et patet per Bern. in *c. per venerabilem, qui filii sunt legi.* quia sic immitteret falcem in messem alienā *6. q. 3. c. scriptū.* Et subditur ibi, quod aliqui extendunt illam legitimationem quo ad honores: non quo ad hæreditates. Et secundū Host. lata est ratio diuersitatis, quia si habilitetur quo ad honores seculares, nulli præiudicatur: Imo reipublicę cōsulitur. Et si habilitetur ad successiones tēporales, præiudicatur hæredi legitimo. per primum prouidetur reipublicæ. Probatur per *l. generaliter qua spurios & l. spurii ff. de Decur.* quod per secundum præiudicetur, patet in *auctentica, de mandatis prin. §. oportet colla. 2.* Inno. in *c. per venerabilem:* varie loquitur. dicit primo, posse dici, quod dispensatio per papā in spiritualibus intelligitur dispensatum in actibus legitimis, vt possit esse iudex, ferre testimonium. ergo non poterit dispensare, all. *ei lator, eo ti.* Subdit, quod legitimatus & restitutus famæ in quocunq; foro ecclesiastico & ciuili omnia poterit facere, super quibus habebat potestatē dispēsandi: poterit enim in omni foro ferre testimonium, & ad ciuiles honores vocari: nisi talia quæ sint in alterius præiudicium, vt legitimatus ab vno primate principe vel ciuitate, non obtinebit ab intestato bona in territorio alterius principis vel primatis. sic enim præiudicaretur consanguineis & cōiunctis defuncti vel fisco. Item legitimatus à iudice seculari per hoc non admittetur ad ordines ecclesiasticos vel ad spiritualia. hæc fuit mens Inno.

Clericus. CAP. CCXCVI.

MIles reuerende, hic pondero duo primo, quis possit legitimare. Et dico, quod solus papa seu Imperator vel rex. Probatur: nam legitimatio originalis filiorum habet ortum à matrimonio *ff. de his qui sunt sui vel alie. iuris. l. filium, extra, qui filii sunt legitimi c. tanta.* Tunc ille potest solus legitimare, qui potest solus circa matrimonia dispensare. talis est solus papa. Et in hoc nihil potest princeps secularis *de ordi. cogni. c. tuam. qui filii sunt legi. c. causam.* cum matrimonium sit sacramentum, & institutum à Deo, *de diuor. c. gaudemus.* & sic solus ipse vicarius de hoc se intromittit. quod confirmatur: nam secundum leges ciuiles filii duorum fratrum contrahunt licite: & filii ex tali matrimonio sunt legitimi, & tamen papa per suam constitutionem illud matrimonium reprobat, *de consan. & affi. c. non debet.* ergo talis potestas circa matrimonii vinculum est penes papam. ergo facultas legitimandi est penes eum solum. Potest tamen Imperator vel rex dispēsare cum illegitimo, quod succedat in patrimonialibus: cum in illis habeant potestatem disponendi tanquam administrator, vt est dictum. Et hoc multum refert, aliquem habilitare & aliquē legitimare. Nam omnes textus intelligitur de habilitatione, in *auctentica, qui. modis na. effici. sui. & legi.* & quod notatur in *c. per tuas. qui filii sunt legi.* Imo no. Hostien. in *c. per venerabilem* quod papa illegitimos sine effectu matrimoniali vel consensu iuris vel facti non legitimat: quia non potest supplere consensum, vbi non fuit, cum non possit supplere defectum iuris naturalis. faciunt notata per Innocen. & Hostien. in *c. quod sicut, de electione.* quod licet illos habilitare possit ad spiritualia & temporalia ad minus in temporali patrimonio ecclesiæ: secus vbi fuit matrimonium inualidum de iure, obstante impedimento iuris positiui, *de concessi*

Digitized by Google

praben.c.proposuit. Stat ergo, quod solus papa vere legitime, & non Imperator vel rex: licet habilitet illegitimum, vt perinde sit ac si esset natus de legitimo matrimonio, & succedat, & ad honores promoueatur intra territorium habilitatis tantum. Sed legitimatus à papa vera legitimatione concernente purgationem defectus solennitatis matrimonii est habilis. ergo ad omnia & in quolibet territorio. hoc probatur per *c. tanta. qui filii sunt legitimi.* nam legitimatio trahitur ad tempus contracti matrimonii. Item si papa habet principatum plenum quo ad omnia, vt supra monstratum est: satis sequitur, quod habilitatus per eum censetur per eum in quolibet patrimonio legitimatus. Matrimonium enim est à Deo institutum & in paradiso terrestri *c. quod votum. de vo. & vo. redempt. lib. 6.*

Miles. CAP. CCXCVII.

SI matrimonium sit à Deo auctore institutum: nunquid magis placet Deo matrimonium quam virginitas? Et videtur quod sic. Et pendet dubium, an virginitas sit virtus moralis circumscripta lege diuina: & apparet quod non. Nam virtutes quæruntur ex actibus 2. *Ethycorum* 28. *q.* §. *ex his.* virginitas autem mere procedit à natura. item virginitas magis conuenit iuuenibus: *de despon. inpube. c. puberes & 2. c. sequen. despon. c. iuuenibus:* aut maximè in puberibus non conueniunt virtutes morales 12. *q.* 1. *c. omnis at.as*: 22. *q. c. paruuli.* Item virtus consistit in medio, *de consue. c. ex parte.* virginitas autem est extremum, quia abdicat omnem actum venereum. Item in illo casu contingit male vti virtute. virginitate autem malè vti contingit. Nam si primi parentes virgines fuissent, male vsi fuissent. Item virtus perdita reparatur, *de pœn. di. 2. per totum.* virginitas autem perdita non restauratur: Imo hoc posse non conuenit Deo, vt in *c. si Paulus* 32. *q* 5. Item nulla virtus inclinat contra finem, ad quem natura ordinauit, quia finis habet naturam optimi. sed natura ordinauit membra genitalia ad coitum propter prolis generationem: huic autem repugnat virginitas. Item tendit ad corruptionem vniuersi. Item repugnat matrimonio instituto à Deo. & sic concluditur, legem papalem ex capite, quo approbat virginitatem, totaliter deuiare à prudentia humana.

Clericus. CAP. CCXCVIII.

HIc attendendum, quod virginitas potest sumi duobus modis: vno modo pro integritate concernente corporeitatem: alio modo pro habitu electiuo, qui plus eligit sic à venereis abstinendo. sumendo primo modo virginitas non est virtus moralis. Si autem sumatur secundo modo pro habitu electiuo: tunc dicunt quidam quod est virtus moralis. Item dicunt quod est distincta à castitate viduali. Probatur prima conclusio: quia virginitati sumptæ pro habitu electiuo seu intellectiuo conuenit descriptio virtutis. Pro cuius euidentia est notandum, quod natura non ordinauit actus venereos ad conseruationem indiuidui, sed speciei, vt scribitur in 2. *li. de anima.* Naturalia autem sunt terminata ad maximum & minimum, vt scribitur *primo phisicorum: & in clemen. ad nostram, de hæreticis: & in l. fi. C. de sacrosanct. eccle.* Et hoc specialiter debet concedi in hominum multitudine. natura enim facit de possibilibus quod melius est: & non habundat in superfluis nec deficit in necessariis. Constat autem quod humanæ naturæ propter complexionis subtilitatem & operum sibi debitorum multitudinem, & per consequens organorum corporalium diuersitatem, tot ac tantæ sunt indigentiæ, quos natura non suppleuit, sed rationem, quam dedit homini vt suppleret, reliquit: quod vnus homo vel duo aut centum vel pauci non sufficerent ad hanc replendam indigentiam. pluribus enim indigentiis indigemus, quorum artifices adinuicem permittentes pro suis operibus habere possit ea, de quibus indigent operibus aliorum. propter quod concludi potest, quod sicut in toto mundo, sicut si erat in primæua constitutione mundi siue in aliquo climate non esset hominum multitudo sufficiens ad indigentias supplendas, regula naturæ & recta ratio non prohibent abstinendum ab actu venereo: & virginitatem prohibent seu inhibent. quia nihil eorum, quæ præter naturam sunt, est bonum, vt scribitur 7. *politicorum.* naturæ enim sagacitas ordinauit ad speciei multiplicationem & permanentias. posset & esse tanta multitudo, quod si vlterius exerceret, terra non esset sufficiens ministrare cibum hominibus. propter quod illo tempore naturæ vis & ordo permitteret, Imo iuberet continere. Cum igitur hiis temporibus sit genus humanum multiplicatum sufficienter, & dictamine rationis sit concors ordini naturæ, recta ratio permittit, imo persuadet per totam vitam abstinere. Et sic bene infertur, quod velle frangere integritatem corporis decorantem corpus, antequam sit opportunum, aut vbi aut quando non apparet seu oportet: tenet vnum extremum vituperabile. Nolle etiam frangere pro necessitate humani generis saluanda & multiplicanda tempore defectus: tenet aliud extremum. similiter nolle frangere aut frangere velle cum circumstatiis debitis: tenet medietatem, quæ est virtus moralis circumscripta qualibet lege diuina, & est temperantia. Item virginalis abstinentia iuuat ad opera virtutum exercenda. Melius enim potest vacare contemplationi abstinens venereis, quam se immiscens. Quod autē distinguatur à viduali castitate, patet: quia virginitas est habitus electiuus integritatis; quo caret vidualis castitas. Castitas autem vidualis est habitus electiuus perpetuæ abstinentiæ à venereis: nec negari potest, quin cum virginitate stet virtus temperantiæ: imo aliquibus personis expedit vel decet abstinere à veneris coitibus: puta leprosis, ne alios inficiāt *c. quemadmodum de iure iuran. de coniugio leprosorum c.* 1. Egenis non sufficientibus ad prolem nutriendam: ægrotantibus, quorum saluti obest coitus, de quibus non esset verissimile, quod possent prolem nisi defectuosam & orbatam generare. Stat ergo conclusio, scilicet virginitatem cum debitis circunstantiis fore virtutē moralem, nec legem canonicā hanc approbantem [illegible]

tem

Digitized by Google

tem recedere à vera prudentia humana. Hæc autem virtus replet paradisum, sicut nuptiæ terram 32. *q.1.c.nuptia.* hæc sola est potens animas Deo præsentare in *auctentica.de leno.colla.*3. illa est principium aliarum virtutum, in *auctentica, quomodo oportet epi.* §. *neque autem.* & illa defert laureolam. 37. *q.5.c.si Paulus.* Stat ergo, quod virginitas est (circumscripta fide) virtus moralis.

Miles. CAP. CCXCIX.

SEd nunquid concubinatus per legem nomen assumpsit: & extra pœnam legis est *l. in concubinatu ff. de cõcubi.* Quid ergo dicitis, quod virginitas sit virtus moralis. Et Dominus Ricardus Malumbra dicit disputando, quod à iure antiquo primæuo omnis coniunctio maris & fœminæ erat legitima: & proles nata erat legitima, vt in *auctentica, qui.mod.nat.effi.legi.* §. *licet.* Postea superuenerũt leges, quæ aliquas coniunctiones approbauerunt expresſè, vt matrimoniales: & filii ex illis coniunctionibus sunt legitimi. Quasdam reprobauerunt expresſè, vt adulterinas, incestuosas: & filii nati ex illis non sunt legitimũ, nec vocantur filii *ff. de his qui sunt sui vel alie.iur. l. sui, in fi.* Nec per subsequens matrimonium legitimantur, vt *c.tanta, qui filii sunt legi.* Quædam autem est coniunctio, quæ à lege non est approbata nec reprobata, vt concubinarius coitus: & filii nati ex tali coitu remanent in primæuo statu: & ideo vocantur naturales, & per subsequens matrimonium legitimantur. Et hoc vult dicere textus prius allega. quod à lege concubinatus nomen assumpsit: non quod per legem sit approbatus: sed stat in primæuo iure naturali.

Clericus. CAP. CCC.

HIc attendendum, quod loquendo de iure positiuo etiam antiquissimo non procedunt illa quæ dicta sunt. Sed loquendo de iure naturali, primæuo post corruptam naturam humanam per peccatum primorum parentum procedere possent: quia ex illo antiquo iure nullus coitus fuit damnatus. Sed postea humano genere multiplicato: superuenit damnatio & approbatio. Stat tamen quod lex positiua ciuilis approbat concubinatus: & ex hoc non accedit ad naturam veræ prudentiæ humanæ etiã lege diuina circumscripta: quod patet ex supra demonstratis. Nam ex dictamine rectæ rationis vnus homo debet iungi vni mulieri indiuisibiliter non pluribus: hæc autem est coniunctio matrimonialis, non concubinatiua. Lex ergo canonica concubinalem reprobans, & solam matrimonialem coniunctionem approbans, accedit ad veram prudentiam humanam: & etiam circumscripta lege diuina.

Miles. CAP. CCCI.

NVnc reuerende clerice per vos volo informari, an lex canonica seu papalis approbans vitæ austeritatem, vt in regulis Mendicantibus & Cartusiensibus, & similibus, deuient à rectitudine rationis & tramite humanæ prudentiæ. Et memor quod sicinam insensibilitas est vitium morale, vt scribit Philosophus *tertio Ethicorum*: & illa consistit circa extinctionem delectationis tactus & gustus vltra debitum: vt pote potum, cibum & actus venereos subtrahendo, corpus macerando: & hoc vitium est contra naturam, & contra bonos mores. Est enim contra naturam inferiorem, scilicet vegetatiuam in capiendo alimentum minus debite. Secundo est contra naturam mediam, id est, sensitiuam, in minus debito delectando & concupiscendo: & est contra naturam superiorem, scilicet intellectualem, quia ratio intellectualis excedit in hoc, scilicet quantum oportet, & quomodo, cũ aliis circunstantiis, est contra bonos mores: quia impedit actum prudentiæ non solum ex eo quia opponitur temperantiæ: sed quia generaliter debilitantur organa virtutum sensitiuarum. Et sic male administrant intellectui virtutes sensitiuæ & intellectiuæ. Cum nostrum intelligere sit fantasmata speculari, vt scribit Philosophus 2. *de anima.* Et sic impeditur prudentia, quæ est recta ratio agibilium: & specialiter impeditur actus fortitudinis, cum corpore debilitato non possint exerceri actus bellici. Et est valde inhumanum, cum impediat hominem, non solum secundũ quod est homo, sed secũdũ quod est animal. Et de isto vitio scribit Seneca 81. ad Lucillũ: *videamus ne ista per quæ ad rationẽ parare volumus ridicula & odiosa: sicut nempe propositum nostrum est secundum naturũ viuere, sed contra naturam est, vt puta torquere corpus & faciles adire mundicias, & cibis non tantum vilibus vti, sed incultis & horridis; quemadmodũ desiderare delutias luxuria & ua vsitatas, & non fugere dementia est.* ergo videtur, quod lex papalis seu canonica hoc approbans in totum deuiet à vera prudentia. Et per hoc infertur, quod status religiosorum hanc amplectentium, & maximè hæremitatum, nec non Cartusiensium, in totum exorbitet à dictamine rectæ rationis.

Clericus. CAP. CCCII.

PRo euidentia huius est aduertendum, quod insensibilitas potest sumi dupliciter. Quomodo, pro omnimoda carentia delectationum sensibilium circa factum, tactum & gustum. Primo modo credo in homine sano insensibilitatem esse impossibilem, cum naturaliter insurgãt passiones appetitus, vt in *palea, sed pensandum. 6. di.* Secundo est possibilis & modus generationis illius habitus contingere potest. Nam homo percipiens turpitudinem & mala contingere ex nimia ingurgitatione & potatione per intellectũ iudicare potest, quod delectationes cibi & potus sunt omnino in quantum natura potest reiiciendæ vel abiciendæ. Sed sunt plures, qui ex sua complexione appetunt cibaria praua & naturæ inepta. & prouenit hoc ex radice necessitatis ex super cælestibus: quod non discutio, quia alterius est doctrinæ & non propositi. Item est attendendum, quod lex canonica non

Digitized by Google

approbat insensibilitatem, vt est talis habitus ad praua appetenda & inepta naturæ: nec ad pauciora quam natura requirat: sed approbat temperantiam, quæ est habitus inclinans ad appetendum apta & sufficientia: & ad reprobandum excessiua in quanto & quali. Et hoc probatur expresse de conse. di. 5. *Nihil enim sic iocundum est sicut cibus bene digestus aut decoctus: nihil sic salutẽ inducit vel sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. sufficientia quippe cum nutrimento sospitatem simul procreat & voluptatem. Ex habundantia vero morbum facit & molestias ingerit, & ægritudines generat & facit. quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo ciborum: magis autem multo hominum peiora fames facit: quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali. Excessus vero ciborum consumit, computrescere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diurna. Et tunc eum morte crudeli consumit.* Ecce iste textus damnat sensibilitatem, sic & intemperantiam, & approbat temperantiam. Et hoc probat textus Hieronym. 3. *c. sequenti*: & incipit *ne tales & c. legimus*: & est tamen attendendum, quod virtus temperantiæ consistit in quodam medio, sicut & quælibet alia virtus moralis. Et istud medium non est medium rei, sed medium quo ad nos: & scribit Philosophus *secundo Ethycorum* eadem. hæc medietas non est status monachorum & aliorum religiosorum, quibus non incumbit aliquod onus graue corpore: sed solum onus contemplationis & orationis in hiis iudicatur abstinentia & ieiunia, vt remittatur robur & decor corporalis: non tamen fiat tanta detractio, quod remittatur seu consumatur vsus rationis, ne ægritudines incidant. hoc consonat dictamini rectæ rationis, maximè tendenti ad fruitionem æternæ beatitudinis. Est igitur status clericorum secularium, quibus plus oneris corporalis incumbit circa agibilia: istis minor indicitur abstinentia, tamen maior quam secularibus aliis. Et status secularium istis minor, & maximè principantibus, & militantibus, & manu operatoribus, & aliis, quibus incumbit labores corporales supportare: foret ergo virium mortale talibus, quod est virtus religiosis & aliis ecclesiasticis personis. Fateor tamen, quod attenta veritate & fide Catholica, quælibet abstinentia, dum tamen non sit offensiua vsus rationis, vel inductiua mortis vel etiam ægritudinis, in quolibet etiam principante propter contemplationem diuinæ Maiestatis est meritoria: sed moraliter loquutus sum, vt appareat legem canonicam circumscripta fide ac diuina lege non dissonare à vera prudẽtia humana, vt supra discussum est. Quod abstinentiæ & mortificationes delectationum sensualium cum circumstantiis debitis, quas lex canonica inducit, non dissonent à vera prudentia humana, probet textus Philosophorũ. Nam Aristoteles in libro *de morte sua* dicit quod Philosophus purus & perfectus mortificauit omnia desideria sua in commessatione, potu & coitu. Et ideo *secundo Ethycorum* dicitur, quod si volumus acquirere virtutes, oportet nos habere delectationes: sicut senes plebis Romanorum se habebant ad eam, quod non solum volebant Helenam tangere, sed nec videre staturam ipsius, & concordat Philosophus 8. *Physicorum*, vbi dicit, quod cum homo perfectus & sanctus speculatiuus viderit vilitatẽ appetituum sensibilium, eiicit eas omnino & odiet odio maximo. consonat ergo lex canonica textibus Philosophorum: & sic circumscripta lege diuina & fide, quæ est ipsa veritas, implicat veram humanam prudentiam, & in nullo discrepat ab ea.

Miles. Cap. CCCIII.

AD propositum principale redeundo, quoniam stylus plus debito fuit forsitan euagatus, temporalia non sunt hæreditas Christi: quoniam regnum suum non est de hoc mundo. Nec insuper sunt hæreditas Apostolorum eius, quod conseruandum successoribus suis episcopis dimiserunt. nec sunt iura sponsæ Christi, fastigia imperialia nec dominia temporalia, quę sub huiusmodi verborum sophisticè moderni Romanorum pontifices, vt se defendant, de plenitudine potestatis talia se asserunt obtinere. quid enim de temporalium dispensatione dicemus? cum debeant pauperibus, impotentibus, aliisque personis miserabilibus dispensari, quod neminem quasi latet, conuertuntur in eos vsus & verius abusus dixero, de quibus aliàs sermo.

Clericus. Cap. CCCIV.

QVoniam vis huius argumenti consistit in hoc, quod temporalia non sunt hæreditas Christi: & per consequens quod Christus nullum habuit dominium temporale, nec etiam ipsi Apostoli: Aduertendum, quod cuiusdam hæretici hæc fuit opinio: sed nunc manifeste sacra scriptura attestante contrarium ostenditur. multi quidem Prophetæ eum regem futurum populi Israelitici, & per consequens habere regni dominium prophetauerunt. Isaiæ 33. c. sic dicens: *ecce Dominus iudex noster, ipse veniet & saluabit nos.* Item per os Hieremiæ Prophetę Deus Hieremiæ. 13 q. c. dixit ita: *suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex: & sapiens erit.* & sequitur: *& per hoc est quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Iste enim est lapis abscisus de monte sine manibus, cui Deus dedit regnũ quod in æternum non dissipabitur: vt habetur *Danielis* 2. c. Item Zachar. 9. c. de eo dicitur sic: *Exulta satis filia Syon, iubila filia Ierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ.* de hoc Dauid in multis locis prophetauit. Vnde in quodam loco de persona eius sic dicit: *Ecce constitutus sum rex ab eo* &c. eumque futurum in multis locis prophetizauit. Vnde totus Psalmus, *Eructauit cor meum.* loquitur de rege isto, & sponsa eius, scilicet ecclesia. & alii multi specialiter loquuntur de rege huiusmodi satis clare. De hoc etiã Salomon in Cantico 3. c. dicit sic: *Egredimini filiæ Syon, & videte regẽ Salomonẽ* &c. De hoc etiam antequã conciperetur. Gabriel

Archan-

Digitized by Google

Archangelus, vt legitur Lucæ secundo capit. dixit: *dabit ei Dominus regnum Dauid patris eius: & regnabit*.& cætera. vnde & eo nato Angelus ad pastores Lucæ 2. c. dixit, *natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus*.id est, Rex & Dominus. etiam nato illi tres magi Euangelici, *Matthei 2.c.* perhibuerunt testimonium sic dicentes: *vbi est qui natus est rex Iudæorum?* Item ille Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat, dixit ei, Iohannis 1. cap. *tu es filius Dei, tu es Rex Israel*. Pilatus quoque in superscriptione scripsit: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Quam quidem superscriptionem scribens non sine diuino instinctu Iudæis instantibus. quod non scriberet *Rex Iudæorum* ipsos audire noluit: sed respondit *quod scripsi, scripsi*. Hoc etiam saluator cõfessus fuit. *Io*.18.*c*.cũ enim Pilatus interrogaret eum, vtrum esset rex Iudæorum, respondit ei, *regnum meum non est de hoc mundo*. Ex quo Pilatus concludens dixit, *ergo rex es tu*. Iesus respondit, *regnum meum non est hinc*, Non dixit *non est hic*: sed dixit *non est hinc*, quasi diceret, regnum meum à mundo non habeo, sicut nec habebat: imo à Deo, sicut Angelus eius genitrici prædixerat dicens. Lucæ 1. *Dabit ei Dominus sedem Dauid*, &c. Et hoc Beatus Petrus Actuum 2.c. expressè testatur dicens: *certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis*. in quibus verbis Petrus clare concludit de Iesu, videlicet quod regnum suum à mundo non habuit, sed à Deo: in eo quod dixit, *quod fecit Deus Iesum*, id est regem. per *Christum*, regem intelligimus vnctum: quia *Christus* interpretatur vnctus. Et quia reges inungi consueuerunt: & per *Iesum* intelligimus regem: vnde ostenditur ibi manifeste, quod hoc est regnum Christi non terrenum. Item concludit Petrus ex verbis prædictis, quod Iesus inquantum homo subsistens in diuino supposito fuerit Dominus & rex situs. Constat enim quod inquantum Deus crucifixus non fuit, sed inquantum homo. Et ideo cum rex & Dominus situs crucifixus fuerit inquantum homo: sequitur quod sibi regnum & dominium tanquam homini Deus sibi concessit. hoc etiam superposuit Angelus loquens eo nato pastoribus, dicens: *natus est nobis hodie saluator qui est Christus Dominus*: id est Rex & Dominus. vbi aduertendum, quod illud quod Gabriel Angelus Christo nondũ nato dixerat de futuro, dicẽs matri suæ, *dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius*, &c. Angelus iste eo nato dixit pastoribus per verba de præsenti, dicens: *hodie natus est nobis saluator qui est Christus Dominus*. hoc Augustinus in lib. de concordia Euangelistarum in prohemio expressè testatur dicens: *Dominus Iesus Christus vnus verus rex: vnus verus sacerdos est*. Et Paulus plus dixit sic: *sed & hominem qui Christus est & sacerdos effectus est: cui dedit Deus sedem Dauid patris sui & regni eius non erit finis*. Item saluator fuit Dominus temporalium omnium vnde de eo dicitur, Isaiæ 16. *Emitte Domine dominatorem terræ*. Item Matth. 5.c. dixit sic: *& tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim egredietur qui sit dominator in Israel: & egressum eius ab initio a diebus æternitatis*. Malachiæ vero 3. c. de eo dicitur sic: *statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis*. Item Iohan. 13. c. ipsa veritas dicit: *vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim*. Item Matth. 21.c. dicit: *Ite in castellum quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et si quid aliquis vobis dixerit: dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos*. Hoc quoque Beatus Iohannes Apocal. 19. testatur dicens: *habet scriptum in vestimento suo: rex regum & Dominus dominantium*. hoc insuper Apostoli in suo simbolo confitentur dicentes: *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum*. hoc etiam sancti patres in simbolo, quod cantatur in Missa, protestantur expressè ibi: *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum*. Per præmissa autem seculi vniuersale dominium habuit Iesus inquantum Deus ab æterno, eo ipso quod Deus pater genuit eum: inquantum homo ex tempore, scilicet ab instanti conceptionis suæ ex Dei donatione, vt patet ex prædictis. Nihilominus habuit dominium aliquarum rerum temporalium non ab instanti suæ conceptionis, sed postea successiuis modis aliis: vtpote ex collatione fidelium vel emptione acquisita. Et quæ sint illa videamus. Nullus autem de hiis potest testimonium perhibere, quam Apostoli & discipuli eius. videamus ergo quid super hoc ipsi dicunt specialiter à tempore, quo cœpit miracula facere & prædicare. certe narrant ipsi habuisse aliqua, licet pauca. habuit itaque vestimenta. vnde legitur Matth. 17. c. in transfiguratione sua *vestimenta eius facta esse alba sicut nix*. Item Iohannis 13.c. dicitur sic de eo: *surgit à cæna, & posuit vestimenta* &c. Item Iohannis 19.c. in persona eius legitur, *partiti sunt sibi vestimenta mea & in vestem meam miserunt sortem*. Et ad idem sanctus *Matth*. 27.c. Item Beatus Iohannes baptista de eo loquens dicit: *cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere*. Marci 1. c. recitatur ipsum dixisse: *cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum*. Item Iohannis 1.c. recitatur dixisse: *non sum dignus soluere corrigiam calceamenti*. Item Iohannes supponit ipsum loculos habuisse, in quibus Iudas, quæ mittebat, portauit. Vnde Iohannis 13.c. cũ dixisset Iudæ Iesus, *quod facis, fac citius*. Quidam putarunt, *quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus ea quæ opus nobis sunt ad diem festum aut de egenis aliquid daret*. Et quod loculi essent Iesu, patet per Augustinum dicentem, *habebat Dominus loculos à fidelibus oblatos conseruans, & suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuebat*. Et habetur 12.*q*.1.*c*. *habebat*.: & patet per id quod in eius persona Psalmista dixit: *qui manducat panem mecum leuabit calcaneum suum contra me*. Et recitatur Iohannis 13. primo, quod autem Dominium interdum habuerit, patet: quod ad minus in re illa habuit, in qua eucharistiæ instituit sacramentum, de quo habetur *Matth*. 26. *c*. *Marci*. 14. *Lucæ*. 22. *c*. Iste ergo hæreticus, dicendo Christum Iesum Dominum nostrum non habuisse dominium aliquod temporalium, scripturis prædictis veteris & noui testamenti contradixit expressè. Et si velit dicere, quod ille regno & dominio renunciauit expressè, ostendat

Digitized by Google

illud si sciat. quod tamen per sacram scripturam non poterit, imo contrarium sacra scriptura supponit expressè, quæ supponit eum non longe à possessione sua dixisse: *vos vocatis me Magister & Domine: & bene dicitis: sum etenim.* Item illud Matth. 21. capitulo, vbi Dominus duobus discipulis dixit, *ite in castellum quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea, soluite & adducite mihi. Et si quis aliquid vobis dixerit: dicite quia Dominus his opus habet.* Item tempore passionis se regem cognouit, vt probatum est supra. Item Dauid in persona eius legitur dixisse etiam pro tempore passionis, *diuiserunt sibi vestimenta mea*, &c. Et recitatur Matth. 27. Ex quibus euidenter apparet, ipsum regno & dominio non renunciasse prædictis, imo videtur quod non potuerit renunciare: & si fecisset, contra ordinationem patris fecisset. dicitur enim Danielis secundo capit. vbi de eius regno fit mentio: *suscitauit Deus cæli regnum eius, vt alteri non crederetur.* Item Danielis 7. capitulo dicitur sic: *dedit ei potestatem & honorem & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ei seruient: & eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.* Sed dicit ille hæreticus, quod est contra sacram scripturam: quia in plerisque locis dicit Christum fuisse pauperem & egenum. Ad quod dicendum, quod dici non debet esse contra sacram scripturam. In tot locis scriptura sacra testatur apertè: sed econtra merito potest dici. Sed dicere contrarium est dicere contra sacram scripturam: & mendaces reddere tot Prophetas, Angelum, & Apostolos, ac ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui tamen veritas est & vita. Illud autem quod scriptura sacra dicit, ipsum fuisse pauperem & egenum, potius carentia est dicendum. quia non carentia dominii fecit eum pauperem egenum, sed potius carentia perceptionis fructus, & obuentionis rerum quarum Dominus erat. Vnde habens tale Dominium potest egenus & pauper reputari merito: quod patet ad sensum. si enim Rex Franciæ non renunciando regno se à regno absentaret, & post lapsum alicuius temporis incognitus rediret ad illud: si pro rege non gereret, nec aliqua emolumenta perciperet dicti regni, sed in domo regia reciperet vnus alienus ex gratiâ necessaria vitæ suæ, talis vtique licet Rex & Dominus, posset mendicus & pauper reputari. Hinc est quod Apostolus ad Galat. tertio capit. dicit: quod *hæres quamdiu est, paruulus non differt à seruo, cum tamen sit Dominus omnium.* sic quamuis Rex regum & Dominus dominantium quo ad perceptionem fructuum regni & rerum temporaliũ, nisi in valde paucis, pro rege vel Domino se nõ gessit: propter quod merito pauper dici potuit voluntarius & egenus, non propter dominii carentiam siue regni: sed propterea quia se eorum fructibus, & prouentibus non iuuabat. Nunc autem de Apostolis est videndum, vtrum habuerint dominium aliquarum rerum in proprio vel communi. quo ad ista, videtur distinguendũ inter tempus, quo Apostoli fuerunt cum redemptore nostro dum viueret, & tempus post eius mortem. Si quæratur, vtrum in tempore, quo cum redemptore nostro fuerunt, habuerunt aliqua: videtur adhuc distinguendum inter tempus antequam ad prædicandũ mitterentur, & tempus missionis eius, quo in prædicatione fuerunt, & tempus postquam sunt à prædicatione reuersi. Si consideretur primum tempus antequam ad prædicandum mittentur: non videtur quod eis habere aliqua præsertim ad vitæ sustentationem pertinentia interdictum sit: quod apparet ex forma vocationis eorum. cum enim ad discipulatum vocati fuerunt, forma vocationis Petri & Andreæ, vt patet Matth. 4. capit. fuit hæc: *venite post me: & faciam vos fieri piscatores hominum* Et sequitur: *at illi continuo relictis rethibus secuti sunt eum.* de Iacobo autem & Iohanne in eodem c. dicitur non aliud, nisi quod vocauit eos, & sequitur: *illi autem statim relictis retibus & patre sequuti sunt eum.* forma autem Matthei fuit hæc: *sequere me*: & sequitur, quod *relictis omnibus surgens secutus est eum.* forma autem vocationis Philippi noscitur fuisse talis: *sequere me*: vt habetur Iohannis 1. capit. Ex forma autem vocationis prædictorum, vel ex eis quæ ipsi fecisse tunc leguntur, non apparet quod ipsi renunciauerint omnibus bonis suis. de Petro enim & Andrea legitur non quod tunc reliquerint nisi retia sua. Et tamen legitur *Marci, Matthæi & Iohannis 8. cap.* quod post prædicta Iesus ægrediens de synagoga venit in domum Symonis & Andreæ cum Iacobo & Iohanne, vbi curauit socrum Petri de febribus. de Iacobo autem & Iohanne non legitur quod tunc relinquerint nisi retia & patrem: quæ quidem retia videntur fuisse patris eorum, qui viuebat, potius quam ipsorum. de Philippo autem non legitur quod tunc reliquerit aliquid, de Mattheo autem legitur quod *relictis omnibus secutus est eum*, &c. Præterea tamẽ Iesus miserat duodecim, quos Apostolos vocauerat. legimus eis interdixisse aliqua: videlicet vt non possiderent aurum, neque argentum, neque ex eis vterentur in zonis suis, & alia nonnulla: ex quibus patet quod ante missionem illam ipsis interdicta non erant: alias frustra in remissione fuissent eis talia interdicta. de discipulis autem constat quod habuerunt aliqua multa. de Ioseph Matth. legitur *Iohan. 19. capit.* quod erat discipulus Iesu, *Matth. 27. capit.* dicitur quod erat diues homo ex discipulis Iesu. Item constat quod Symon leprosus erat de discipulis Iesu: & tamen legitur *Matthei 26. capitulo* quod Iesus in Bethania erat in domo eius. Item Lazarus Martha & Maria Magdalena, qui erant multa bona habentes. Vnde legitur de eis *Iohannes 11. cap.* quod castrum dictum Bethania erat Mariæ Magdalenæ & Marthæ: & quod ei in Bethania fecerunt cænam magnam, in qua Martha ministrabat. Lazarus erat autem de ministrantibus seu distribuentibus vel discumbentibus cum eo. Maria Magdalena, accepta vna libra vnguenti nardi pistici preciosi vnxit pedes Iesu & extersit capillis suis pedes eius. Thabita, quæ interpretatur Dorcas, quam Petrus suscitauit à mortuis, legitur *Actuum. 9. capitulo*, quod erat discipula & plena operibus bonis, & eleemosinas faciebat: & quod omnes viduæ flentes ostenderẽt Petro tunicas quas fecerat eis Dorcas. Ex quibus patet, quod ista, non obstante discipulatu,

tempo-

Digitized by Google

temporalia habebat, vnde eleemosinas prædictas faciebat: nec reperimus, quod Dominus noster aliam legem discipulis dederit, & aliam Apostolis suis. imo beatus Clemens in quadam epistola sua cuius pars recitatur 12. *q. prima c. dilectissimis*, expressè supponit, quod eadem erat Apostolorum & discipulorum secta, dicens: *communis vita videtur omnibus esse necessaria: & maxime hiis qui vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari voluerint.* Item, nec cum ipsos Apostolos & discipulos fecit, videtur eis dixisse aliam quam prius habuerat potestatem aliquam eis tribuisse. Vnde cum eos Apostolos ordinauit, legitur Matth. 12. capit. discipulis, *dedit illis potestatem spirituum immundorum: vt docerent eos & curarent omnium languorem & omnium infirmitatem.* Si vero consideretur tempus, quo missi fuerunt ad prædicandum, videtur quod illo tempore, quod aliqua fuerunt eis habere interdicta. Legitur enim Matthæi 10. capitulo, quod illos duodecim Apostolos misit, præcipiens & dicens: *nolite possidere aurum neq; argentum neq; pecuniam in zonis vestris: non peram in via neque duas tunicas neque calciamenta neque virgam.* Marci vero sexto capitulo legitur sic dixisse: *& vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos: & præcepit eis, ne quid tollerent in via, neque virgam tantum, non peram, non panem: neque in zona eis, sed calciatos sandaliis & ne induerentur duabus tunicis.* Lucæ vero nono capitulo legitur sic dixisse: *misit illos* scilicet duodecim Apostolos *predicare regnum Dei: & sanare infirmos: & ait ad illos, nihil tuleritis in via neque virgã, neque peram, neque panem, neq; pecuniam, neq; duas tunicas habeatis.* Ex quibus patet, quod pro tempore prædicto tantum prædicta fuerunt eis interdicta. Augustinus tamen dixit expressè in libro *de concordia euangelistarum*, quod illud non fuit præceptum sed potestas data recipiendi necessaria ab eis, quibus Euangelium prædicabant, quam seruare Apostolis noluit vel etiam non seruare. Alias autem Apostolus Paulus transgressor huius præcepti extitisset: quia plurimum ab illis, quibus prædicabat, non recipiebat necessaria: sed illa vel recipiebat ab aliis, vel ea suis manibus acquirebat. Sicut patet *primo ad Corinth. 9. capitulo, ad Philipenses quarto capitulo: & ad Thessalonicen. tertio: & Actuum. 20. capitulo*, vbi dicitur: *argentum & aurum non est mihi: aut vestem nullius concupiui sicut quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ.* Præterea quod illud præceptum fuerit temporale, satis innuitur Lucæ vigesimosecundo capitulo, vbi Apostolis dixit: *quando misi vos sine pera & sacculo, nunquid aliquid defuit vobis?* Præterea discipuli 70. quando scilicet misit eos, dixit: *nolite portare sacculum.* in quo pecunia consueuit portari: *neque peram*, in qua consueuerunt alimenta portari: *neque calciamenta*: & de illis certum est quod multi ex discipulis erant multa habentes, vt patet ex prædictis. Si autem consideremus tempus post reuersionem, tunc videtur quod eis licuit habere præmissa, saltem in communi. habuerunt enim Apostoli, postquam fuerunt reuersi de prædicatione, panes & pisces, vt patet in miraculis panum & piscium, quæ facta fuerunt postquam de prædicatione ad Iesum redierunt, vt patet Marci 6. c. vbi de Apostolis postquam à prædicatione redierant, dicitur sic: *& conuenientes Apostoli ad Iesum renunciauerunt illi omnia quæ egerant & docuerant*: scilicet in prædicatione, ad quam missi fuerant, & dum reuersi fuerunt & rationem Domino reddiderunt de ea. Et post eundem c. sequitur miraculum quinque panum & duorum piscium, vbi Apostoli, cum Dominus dixisset eis quod darent turbæ manducare, dixerunt: *euntes emamus ducentis denariis panes & dabimus illis manducare.* Lucæ 1. c. dicitur sic: *Et reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcumq; fecerant*: & post sequitur eodem c. miraculum prædictum quinq; panum: vbi dicitur, quod cum Dominus dixisset Apostolis, *vos date illis manducare*: illi dixerunt: *non sunt nobis plures quam quinque panes & duo pisces: nisi forte nos eamus & emamus omni turbæ escas.* Ex quibus patet, quod ex quo reuersi sunt à prædicatione Apostoli, quod habuerunt & panes & pisces, & pecuniam, de qua tantæ turbæ (quanta erat illa) poterant emere cibos. Itẽ postquam redierunt de prædicatione, habuerunt pecunias. Iohannis 4. c. dicitur, quod Iesu sedente super fontem Iacob, discipuli eius abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent. Et sic patet, quod pecuniam habebant, cum emptio mediante pecunia fiat. *Deutero.* enim 1. c. dicitur. Et cum tunc temporis Apostoli de prædicatione fuerant, vt videtur, reuersi, cum in c. præalle. Iesus discipulis dixerit: *ego misi vos metere quod non laborastis. Alii laborant: & vos in labores eorum introistis.* supponit quoque euidenter scriptura Euangelica ipsos post reuersionem prædictam sacculos in quibus probatur pecunia, & plures tunicas habuisse legitur enim. Lucæ 22. Dominum nostrum Iesum Christum Apostolis dixisse: *qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat tunicam suam & emat gladium.* Et sequitur quod Apostoli dixerunt ei: *ecce duo gladii hic*: ex quo videtur, quod duos gladios habebant. Petrus quoq; legitur Iohannis 18. c. gladium habuisse: vbi dicitur, quod *Petrus habens gladium eduxerit eum & percussit pontificis seruum*: cui Dominus dixit, *mitte gladium tuum in vaginam.* Si autẽ quæratur de tẽpore post mortẽ Christi: videtur adhuc distinguendum inter tẽpus ante missionẽ spiritus Sancti non legitur, quoquo ad præmissa circa eos aliquid fuerit immutatũ: sed quod iuxta præceptũ Domini nostri dicentis Luc. vltimo: *vos autem sedete in ciuitate quousq; induamini virtute ex alto.* Expectauerũt in ciuitate aduentũ spirit' Sancti. Si autẽ quæratur de tẽpore post missionẽ Spiritus Sãcti. videtur adhuc distinguendũ inter illos, qui ex Iudæis cõuersi sunt in primitiuã ecclesiam Hierosolymam, & inter gentiles. quo ad conuersos ex Iudæis, videtur quod Apostoli & discipuli Christi ex vna parte: & illi qui postea ad prædicationem Petri & miracula fuerunt conuersi: omnia quæ habebant sibi inuicem communicauerant. Item quod nullus ipsorum proprium sibi retinuit: sed omnia fuerunt effecta cõmunia. Et intelligo, quod quo ad Dominum illa fuerunt communicata, vt probatur *Actuũ. 2. c. & 4.* & sæpius est ostensum. Et hæreticus

dicit, quod ista esse communia intelligitur de turba discipulorum, inter quos erant omnia communia quæ habebant: non de Apostolis, quia nihil habebant in temporalibus nec in proprio nec in communi, si tantum in rebus, vbi consumptionem simplicē vsumfructū. dicimus quod hoc dicendo Apostolos credentium numero euidenter non concludit. Dicitur enim *Actuum*. 2. quod omnes qui credebant erant pariter & habebant communia omnia. si ergo omnibus credentibus erant omnia communia: sequitur quod si Apostolis non erant communia, quod Apostoli credentes non erant: quod est falsum. Imo sicut ipsi inter credentes principaliores erant, sic eis omnis communio principalis existebat. vnde sicut principalioribus pecuniæ agrorum & domorum venditorum ante pedes Apostolorum ponebantur, vt legitur *Actuum*. 4. c. Et hoc expresse probatur per epistolam Clementis recitatam pro parte 12. q. 1. c. *dilectissimis*: in qua beatus Clemens scribens discipulis Ierosolimis habitantibus cum beato Iacobo Hierosolimitano episcopo dicit: *si dictum Apostoli eorum, quod discipuli vna nobiscum & vobiscum communem vitam duxerunt (vt enim nostis) erat multitudo eorum cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum ante nostrum de his quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed omnia nobis erant communia.* hoc satis clare notatur, quod Apostoli & eorum discipuli illa, quæ habebant. communicauerunt Iudæis in Hierusalem conuersis & econtra. Vnde Hiero. ibi, *talem fuisse ecclesiam credentium primo in Christum; qualem nunc monachi etiam imitantur & cupiunt: vt nunquam sit eis proprium, nullus inter eos diues, nullus pauper. patrimonium diuidatis: orationi vacetis & psalmis, doctrina continue insistatis*. Lucas manifeste refert cum dicit: *quotquot erant possessores agrorum aut domorum* &c. Et expresse quoque innuit & supponit, quod ante illam communionem habere poterant Apostoli & discipuli eorum aliqua in proprio seu in communi. quantum autem ad conuersos ex gentibus seu gentilibus: non videtur quod ipsi sibi inuicem communicauerint sua: imo videtur quod ipsi retinuerint sibi propria sicut prius: vt probatur de Corinth. ad Corinth. 1. c. fi. in principio: vbi dicitur sic. *de collectis autem qui fuerunt mihi, sicut ordinaui in ecclesiis Galatiæ: ita & vos facite per vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se reponat ac recondat quia placuerit sibi.* Item ad Philipenses 4. c. Apostolus sic dicit: *scitis autem & vos Philipenses quod in principio euangelii quando profectus sum à macedonia, ratione dati & accepti nulla mihi communicauit ecclesia. nisi vos soli: quia Thessalis semel & bis in vsum misistis mihi.* Et sequitur, *repleti sumus acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis.* Item *Actuum* 11. c. legitur quod cum Achabus Propheta in Antiochia in præsentia Barnabæ & Sauli significasset per spiritum, famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum: discipuli prout quilibet habebat, proposuerunt singuli ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. quod & fecerunt: mittentes seniores per manus Barnabæ & Sauli. & hoc est quod Augustinus in libro *de doctrina Christiana* dicit expresse sic dicens: *tam capaces extiterunt spiritus Sancti, qui primo ex Iudæis crediderunt, ex quibus facta est prima ecclesia Hierosolima, vt omnia sua venderent, eorumque precium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent: seque totos dedicauerunt Deo, tamen quod templum nouum in orationibus, & fractione panis spiritualis & corporalis, qui prius veteri templo seruiebant, quod nullus ecclesias gentium fecisse scriptum est: quia non tam prope erant qui simulacra manu facta pro Deo habebant. Et quo intelligimus magnam vtilitatem fuisse Iudæis sub lege tanquam sub pædagogo constitutos, vt signum quo temporaliter eis carnaliter seruientibus erant impositi vnius Dei cultum, qui fecit cœlum & terram, opinionem obseruantium religarent.*

Miles. CAP. CCCV.

RVrsum luce clarius ostenditur, quod potestas spiritualis suprema & laycalis suprema, ex natura rei simul in eodē esse non possunt: sed potestas spiritualis suprema & laycalis suprema ex opposito distinguntur. nam vna concernit temporalia, & alia spiritualia; quæ ex opposito distinguntur. igitur &c.

Clericus. CAP. CCCVI.

NVnquam illa, quæ sunt diuersi generis, vel quæ ex opposito distinguntur, & tamen cadunt in eundem hominem: sic suo modo potest concludi de potestate spirituali & temporali: & si diuersæ sunt & ex opposito distinguantur, tamen non repugnat, quin in eodem subiecto possint stare, secundum quod superius & plenius fuit tactum.

Miles. CAP. CCCVII.

AMplius potestates illę, quæ duo capita diuersorum corporum constituunt, simul in eodem esse non possunt: sicut nec idem homo potest simul esse duo corpora diuersorum. Potestas autem spiritualis suprema & laycalis suprema constituunt duo capita corporum diuersorum, scilicet imperatorem vel regem & Papam, quæ sunt duo capita diuersorum corporum, scilicet clericorum & laycorum, quæ distincta debent esse.

Clericus. CAP. CCCVIII.

QVamuis sint duo genera hominum clerici & layci: tamen vnum corpus sunt, iuxta illud Apostoli ad Ro. 12. c. *omnes vnum corpus sumus in Christo*: licet debeant esse distincti clerici & layci propter multitudinem Christianorum, quæ nunc est per Dei gratiam. tamen putant quidā, quod non esset possibile clericos vel laycos auerti à fide: & solummodo remanent vnum genus eorum, secundum quod posset ex natura rei idem homo habere tam potestatem spiritualē quam laycalem.

Miles.

Digitized by Google

Miles. CAP. CCCIX.

Rursus ex natura rei suprema potestate. at idem respectu eiusdem non potest esse pater & filius. fungens potestate laycali suprema est filius ecclesiæ, si est fidelis, vt dicitur 98. *di. c. si Imperator.* Si autem est infidelis, neq; filius est ecclesiæ: neq; pater summus pontifex pater est vniuersalis ecclesiæ. ergo istæ duæ potestates non possunt cadere in eundem.

Clericus. CAP. CCCX.

Respondetur quod Imperator vel Rex non debet esse summus prælatus spiritualis. ideo quia est fidelis vel filius ecclesiæ, sed hoc non est ex natura potestatis quam habet. Et ideo quantum est ex natura potestatis illius supremæ: posset esse pater & non filius ecclesiæ. decretum autem loquitur, secundum modum qui seruari debet circa imperatorem: non qui conuenit ex natura rei.

Miles. CAP. CCCXI.

Vlterius, idem homo non est sibi ipsi subiectus nec esse potest: sed ex natura rei Imperator vel Rex fungens potestate laycali est subiectus & inferior Papa: cum etiam episcopo inferiori Papæ submittat caput. 83. *dist. c. valentinianus.* ergo istæ potestates non possunt cadere in eundem, scil. Romanum pontificem, quia sic esset sibi ipsi subiectus.

Clericus. CAP. CCCXII.

Nam est subiectus Papæ ex natura illius potestatis: sed qui habet potestatem illam laycalem debet carere potestate spirituali suprema, quam habet Romanus pontifex. Et ideo de facto in spiritualibus minor est Romano pontifice, non ex natura potestatis. Potestas igitur suprema spiritualis & potestas laycalis suprema cadunt in eundem hominem, scil. in Romanum pontificem: nõ quod idem homo sit supremus pontifex, scil. Papa, & laycus secũdum quod idem homo pollet potestate spirituali suprema: & tanta potestate vel maiori respectu secularium tam rerum quam personarum, quantum Imperator, Rex vel quicunq; laycus habere potest. hoc videntur dicere illi qui ponunt, quod Papa habet in spiritualibus & temporalibus talem plenitudinẽ potestatis: vt omnia possit quæ non sunt expressè contra legem diuinam, nec contra ius naturale: licet fuerint contra ius gentium, ciuile, & canonicum, quod licet interdum ipsa faciendo vel vniendo quæcunq; ex natura rei indifferentia sunt & non sunt ex natura rei contra legem Dei, quam tenent Christiani in noua lege, nec in lege naturæ peccaret vel propter intentionem corruptam, vel propter ignorantiam affectatam, vel crassam & supinam, vel ex quacunque alia causa: cum ista, quæ de facto tenerent, essent ab aliis adimplenda. multa enim fieri non debent, imo absque peccato fieri nequaquam possunt, tamen facta tenent. Quamuis igitur non debeat se de temporalibus intromittere sine causa: si de facto se intromittat, facta per eum tenent & valent. fuit tamen quorundam opinio, quod de facto istæ duæ potestates non cadunt in eundem hominem, nec cadere debent. Non ex eo, quod sic ex natura rei ex opposito distinguantur, quomodo formaliter & simul possint cadere in eundem: nam omnis potestas spiritualis, quæ competit fungenti potestate spirituali, aut competit sibi ratione ordinis, aut ratione administrationis: sed res potestatis laycalis nec ordini nec administrationi repugnat. ergo quantum est ex natura, simul cadere possunt in eundem, in quem cadit potestas spiritualis suprema. quod enim ordini non repugnet, patet. nam potestas laycalis suprema non videtur ex rei natura maiorem repugnantiam habere ad ordinem sacerdotalem vel quemcunque aliũ, quod non suprema: sed potestas laycalis non suprema quantum est ex natura rei nullam repugnantiam habet ad quemcunque ordinem. Alioquin si aliquis Rex vel aliquis Dominus laycus fieret sacerdos vel Episcopus, aut Papa ipso facto amitteret omnem potestatem temporalem, quam habuisset super quamcunque rem vel personam: quod videtur absurdum. Item matrimonium ordini non repugnat. vnde in primitiua ecclesia sacerdotes & episcopi licite habuerunt vxores. ergo quantum est ex natura rei potestas laycalis suprema, quantum ad regem, potestati spirituali non repugnat, cum matrimonium ad actum carnalem magis distantem à spiritualibus quam potestas laycalis in temporalibus ordinetur. Sed habet hæc opinio, quod istæ duæ potestates nec cadunt nec cadere possunt seu debent in eundem hominem: quodquidem non accidit ex natura rei, sed ex ordinatione rei & iure diuino, quo cauetur, ne idem homo præsit secularibus negotiis & diuinis: sed casualiter fungens potestate suprema ea, quæ sunt potestatis laycalis supremæ valeat exercere *c. licet, ex tra; de foro compe.* vbi Iudex ecclesiasticus supplet defectum & negligentiam potestatis laycalis. Et assignant tres rationes, quare Christus ordinauit istas duas potestates distinctas competere personis. Prima est, ne si Imperator vel pontifex haberet vtramque potestatem, per superbiam caderent & in infernum sicut multis contigit demergerentur. nam si omnes haberent eadem officia, superbirent, ita quod iterum demergerentur in infernum. Secunda ratio est, vt distinctæ personæ distinctas potestates supremas habentes, scilicet Imperator vel pontifex, se inuicem caritatiue debeant iuuare. Tertia ratio est, ne militans Deo se implicet secularibus negotiis: sed istorum opinio vel ratio clericis non placet: quoniam nec ex ordinatione Christi, nec ex natura rei repugnat, quod istæ potestates in personam summi pontificis simul valeant concurrere.

Digitized by Google

Miles. CAP. CCCXIII.

RVrſus ad poteſtatem ſecularem ſupremam vel laycalem ſpectat armis intendere, & iudicium ſanguinis excercere, teſte Apoſtolo ad Romanos 13. c. *Non ſine cauſa gladium portat & Dei miniſter eſt.* Hinc Cyprianus ait, vt habetur 24. q. 5. c. *Rex*, ait: *Rex debet furta cohibere, & adulteria punire, homicidas & periuros non ſinere viuere.*. Hinc Aug. contra Manicheos 23. q. 1. c. *quod culpatur*, dicit. quod *belli ſuſcipiendi auctoritas pœnes principes eſt*, & per conſequens primo eſt pœnes principem ſecularem ſupremum. hinc Salomon prouerb. 20. c. ait, *Rex qui ſedet in ſolio iudicii, diſſipat omne malum in circuitu ſuo.* & iterum, *diſſipat impios Rex ſapiens.* ſed Chriſtus verbo & exemplo iudicium ſanguinis ſuo vicario & prælatis aliis ſpiritualibus interdicit. Petro enim dicit, *Repone gladium tuum in vaginam.* quod patet pluribus aliis rationibus ſupra plenius deductis. Ex quibus clare concluditur, quod poteſtas ſecularis non cadit in perſonam ſummi pontificis. Amplius, dicere quod Papa talem habeat in ſpiritualibus & temporalibus plenitudinem poteſtatis, vt vniuerſa abſque omnium exceptione poſſit, videtur contra ius diuinum, quod de neceſſitate ſalutis ſeruare tenetur quilibet fidelis Chriſtianus: necnon contra ius naturale, quod indiſpenſabile: hoc inſuper repugnat iuri humano, canonico & ciuili, ac etiam dictamini rectę rationis. Hoc probatur ſic. lex Euangelica eſt lex libertatis, reſpectu Moſaycæ legis. quod ſaltem neceſſariè debet intelligi, vt non ſit tantæ ſeruitutis neq; in temporalibus neq; ſaltem in ſpiritualibus, quo ad ceremonias & obſeruantias exteriores, quantæ fuerit lex Moſayca: ita quod quamuis Chriſtiani quidam vel omnes per ſe vel alios ex cauſa de nouo emergente ſeruituti poſſent ſubiugari tantæ vel maiori: cum communitas fidelium per legẽ euangelicam nequaquam tantæ ſeruituti tenetur; nec aliquis mortalis virtute euangelicæ legis, præſertim ſine culpa, & abſq; cauſa manifeſta & rationabili, poteſt eã tantæ ſubdere ſeruituti: & ſi quicunq; hoc attentare præſumpſerit, quod facit, ipſo etiam iure diuino nullum eſt. Sed ſi Papa haberet talem plenitudinem poteſtatis à Chriſto & euangelica lege, lex euangelica eſſet intolerabilis ſeruitutis, & multo maioris quam lex Moſayca. omnes enim eſſent per ipſam ſerui, ita quod Papa haberet tantã poteſtatem ſuper omnes Chriſtianos, quantũ vnquã habuit vel habere potuit quicunq; Dominus temporalis ſuper ſeruos ſuos. Et Papa poſſet quoſcunq; reges & alios dare & vendere, & quorumcunq; ſubdere ſeruituti. poſſet & Papa plures ceremonias & obſeruantias exteriores imponere communitati fidelium, quam fuerint ſtatutæ in veteri lege: & ita lex Euangelica eſſet incomparabiliter maioris ſeruitutis quam lex Moſayca: quod eſſet valde abſurdum. ergo Papa non habet talem plenitudinem poteſtatis. Quis autem lex Euangelica ſit lex libertatis, hoc teſtatur Iacobus in *canonica ſua c.* 1. Et Apoſtolus Paulus *ad Galat.* 3. *c.* & beatus Petrus & Iaco. *Actuum* 1. *c.* Inno. 3. *c. extra de regula c. licet.* Rurſum quod Papa in temporalibus non habeat talem plenitudinem poteſtatis, ſacri Canones teſtari videntur. Nam ille non habet in temporalibus talem plenitudinẽ poteſtatem, cuius iuriſdictioni temporali aliquæ terræ ſubſunt, & aliquæ non. Papæ autem, quo ad iuriſdictionem temporalem, aliquæ terræ ſunt ſubiectæ, & non omnes. *extra de hæreticis. c. vergẽtes, ergo* &c. Item contra illum, qui habet talem plenitudinem in temporalibus poteſtatis, non currit præſcriptio. Contra Papam autem quo ad temporalia, currit præſcriptio, ſaltem centenaria; *extra. de præſcript. c. ſi diligenti.* Præterea ille non habet in temporalibus ſaltem plenitudinem poteſtatis, qui feuda & alia bona temporalia eccleſiæ Romanæ pro libito voluntatis non poteſt alienare: Papa autem non poteſt alienare bona eccleſiæ Romanæ 12. *q.* 2. *c non liceat.* ergo &c. Amplius hoc iure ciuili videtur poſſe oſtendi. Nam ſi Papa haberet talem plenitudinem poteſtatis, imperiũ & omnia regna mundi eſſent à Papa: quod videtur obuiare legibus, cum dicatur *imperium à Deo* in autentica *quomodo opor. epi. in principio, colla. prima.* Præterea hoc probatur euidenti ratione. Nam principatus papalis non minus reſpicit vtilitatem fidelium ſubditorum, quam principatus ſecula: ſed ſecundũ Ariſtotelẽ in *politicis*, principatus ſecularium temperatus, iuſtus & rectus eſt inſtitutus, principaliter propter bonum commune ſubditorum: ergo multomagis principatus papalis eſt principaliter inſtitus à Chriſto propter commune bonum cunctorum fidelium. Sed ſi Papa haberet talem plenitudinem poteſtatis principatus in ſuis, non eſſet propter bonum commune, ſed propter proprium commodum ipſius: tum quia per talem principatum magis eſſet prouiſum Papæ quam ſubditis, & eſſet magis dicendus mercenarius, qui quærit proprium lucrum, quam paſtor: tum quia talis principatus eſſet periculoſus ſubditis, quia ſi Papa haberet talem plenitudinẽ poteſtatis, ipſe omnes Chriſtianos extra caſum neceſſitatis vniuerſis rebus & libertatibus ſpoliaret, ac laboribus, ſeruitutibus & oneribus immenſis ſubiiceret. & ſi talem haberet poteſtatem, non liceret eis Papæ reſiſtere, ſed tenerentur de neceſſitate ſalutis parere. quod abſonũ videretur, & in eis ſatis periculoſum. ergo Papa non habet talem plenitudinẽ poteſtatis. Præterea plenitudo poteſtatis totalis eſt in omnibus ſupremis pontificibus, illa videlicet, quã habuit à Chriſto ratione papatus: ſed aliqui fuerunt ſupremi pontifices & adhuc poſſunt eſſe, qui non erant capaces huius plenitudinis poteſtatis: puta monachi & alii religioſi de religionibus perfecti aſſumpti. & ſic religioſi tales non ſunt capaces proprietatis & Dominii, neque temporalium rerum, neque perſonarum: cum per votum paupertatis, à quo abſolui non poſſunt, *extra de ſtatu monachorum, c. cum ad monaſterium talem proprietatem abdicauerunt*: quæ cum in tali plenitudine prædicta, poteſtatis neceſſario includitur. ergo nullus Papa ex poteſtate ſibi conceſſa à Chriſto habet huius plenitudinem poteſtatis. Sed forte diceret aliquis, quod monachus vel alius religioſus ad papatum aſſumptus, eſt ſimpliciter abſolutus

à voto

Digitized by Google

à voto paupertatis. quod videtur taliter posse probari. ita necessario annexum & religioni perfectæ votum obedientiæ, sicut votum paupertatis. sed religiosus ad papatum assumptus est simpliciter absolutus à voto obedientiæ, nec plus tenetur prælato suo, quam si semper fuisset secularis: ergo est etiam absolutus ab abdicatione proprietatis & voto. Sed certe, quantum ad veritatem, videtur quod religiosus assumptus ad papatum non sit simpliciter absolutus: nec est ita liber, sicut si semper fuisset secularis: tum quia licet tempore papatus sui non teneatur obedire prælatis ordinis sui, tamē tenetur regulæ quam vouit. ergo ad substantialia & illa quæ non impediunt officium, ad quod est assumptus. quia esto, quod totum votum obedientiæ nō respicit proprie illa, quæ præcipiuntur soluto & præcipi possunt à prælatis: tamen religiosus factus Papa, non est ita liber à prælatis ordinis eiusdem, sicut si fuisset semper secularis. quare si talis Papa efficeretur hæreticus, vel pro alio crimine, in quo appareret incorrigibilis & scandalizaretur ecclesia, deponeretur per sententiā, vel sponte renunciaret papatui: ipso facto & iure efficeretur de obedientia prælatorum ordinis sui. Et ita papa talis, quia non potest effici non Papa, non est ita liber ab obedientia prælatorum ordinis sui, sicut si nunquā fuisset religiosus: & ideo non est simpliciter à voto obedientiæ absolutus. quare absque nouo voto potest & tenetur ad obedientiam prælatorum reuerti. nec mirum, quia vnaquæq; res de facili ad propriam reuertitur naturam *c. ab exordio. 35. disti.* cum igitur votum paupertatis sit de substantia religionis, & exercitium pontificalis officii nequaquam impediat: tenendum videtur, quod talis religiosus ad Papatum assumptus proprietatem habere non possit, præsertim extra casum necessitatis. Rursum nec Christus per illa verba, *quodcunq; ligaueris* &c. dedit vel promisit Petro talem plenitudinem potestatis. talis enim potestas nec Papæ nec subditis expediret: sed periculosa esset Papæ, quia videns se talem habere potestatem, superbiret, vt superius alias fuit tactum. periculosa subditis, quia cum inter fideles sint multi naturaliter debiles & infirmi, pleriq; sunt qui onera, quę eis absque culpa sua & sine causa Papa posset eis imponere? absq; maxima difficultate sufferre non possent. quare tale iugum eis nimis onerosum existeret, & timendum esset ne ante iugum obedientiæ omnino abiicerent, quam talia onera sustinerent. Cum igitur Christus non dedit Papæ aliquam potestatem sibi periculosam vel subditis: ergo nunquam talem sibi contulit plenitudinem potestatis. per illa ergo verba sibi solum contulit potestatem respectu peccatorum, secundum quod in superioribus plenius fuit dictum. Papa ergo nulla potestate sibi data à Christo potest tollere iura & libertates imperatorum & regum, & aliorum quorumcunque clericorum & laycorum, ipsis inuitis, sine culpa & absque causa extra casum necessitatis, vel vtilitatis, quæ valeat parificari necessitati: dum modo libertates & iura non sint contra legem diuinam, ad quam Christiani tenentur, quamuis essent contra illam quæ in veteri testamento continetur, ad quam Christiani minime tenentur vel obligantur: nec contra ius naturale, præsertim si sint consonæ iuri diuino, naturæ, vel gentium. Insuper nec habet Papa secundum aliquos potestatem infligendi pœnam corporalem pro aliquo scelere, nisi quando hoc conuenit & expedit communi vtilitati fidelium, saluo iure dominorum & principum temporalium negligenter & damnabiliter non excercentium potestatem: quia si alii iudices, ad quos spectat damnare reos, parati sunt facere iustitiæ complementum, Papa de eorum subditis puniendis in præiudicium ipsorum nullatenus habet potestatem sibi collatam à Christo. si etiam subditi vel etiam quicunque in sublimitate constituti nequaquam suis iuribus aut libertatibus abutuntur, Papa eos extra casum necessitatis priuare non debet. itaque secundum istos habet Papa plenitudinem potestatis, quando ista potestas nec bono communi nec proprio præiudicat: dicit enim Christus, *reddite omnibus debita: cui tributum, tributum. cui vectigal, vectigal.* Si ergo debita sint reddenda, ergo libertates & iura sine culpa & absque causa alicui tolli non possunt. Sed de hiis omnibus allegatis supersedeo, & ad istud respondeatis. quantum ad omnimodam abdicationem proprietatis & dominii rerum temporalium, fuerunt Apostoli ad statum primi hominis reuocati: sed primus homo & posteri, si stetissent in originali iustitia, habuissent vsum rerum vsu consumptibilium, siue proprietatem & dominium earundem, secundum beatum Clementem. Ad quod probandum potest induci *c. dilectissimis*, 12. *q.* 1. Quare dicere, Romanum pontificem habere dominium aliquod in temporalibus, vitæ repugnat Apostolorum, quam summe tenetur imitari Romanus, pontifex.

Clericus. CAP. CCCXIV.

Certe quod allegatis, miles reuerende, quod primi parentes in statu innocentiæ nullum habuerunt dominium, sed tantum simplicem vsumfructum, contradicit scripturæ Genesis. 1. c. dicit: vbi dixit Dominus primus parentibus, *crescite & multiplicamini & replete terram & subiicite eam.* alia littera loco eius quod supra dicitur, *& subiicite eam,* habet, *& dominamini ei:* & illam sequitur Augustinus in libro *supra Genesin ad litteram* & in libro *de ciuitate Dei* 14. *c. &* 21. Et sequitur, *& dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* Ex quibus euidenter apparet primos parentes post benedictionem illam, (*crescite & multiplicamini, & dominamini piscibus maris & volatilibus cœli & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram*) dominium in statu innocentiæ habuisse. Et si quæratur, vtrum dominium illud proprium fuerit vel commune? videtur dicendū quod tempore illius benedictionis prædictæ solus Adā formatus erat, & non Eua, sicut ordo scripturæ sacræ euidenter innuit. cū illa benedictio

Digitized by Google

fuerit data extra Paradisum existenti: Eua vero formata fuit in Paradiso, Adam in paradisum translato, vt patet *Genes. c.1.* Videtur enim quod ante formationem Euæ dominium temporalium Adæ proprium fuerit, non commune. Commune enim esse non potuit, cum solus tempore illo fuerit: & respectu vnius, qui nunquam alios socios habuit, nihil commune dici possit. Et hoc videtur expressè dici Ecclesiastic.17.c. vbi dicitur sic: *Deus creauit hominem de terra: & secundum imaginem suam fecit illum.* Et sequitur: *dedit ei potestatem eorum quæ sunt super terram, & posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiis & volatilibus.* Ex quibus patet, quod solus dominatus fuit ex quo sequitur, ipsum solum pro illo tempore dominia habuisse. Et secundum Dionysium in libro de diuinis nominibus. c. 12. *à dominio dicitur Dominus, dominans & dominator.* Vnde cum de solo Adam dicatur, quod dominatus est bestiariis & volatilibus: constat quod dominium fuit ipsius proprium, & non commune. sequitur, *creauit ex ipso adiutorium sibi simile,* scilicet Euam, & tunc fuit dominium inter eos commune. Nec obstat *c. dilectissimi.* in contrarium allegatum: per illud enim concludi non potest, quod primi parentes dominium temporalium non habuerunt: sed quod illud non habuerunt diuisim. Imo ex auctoritate Philosophi, quam beatus Clemens in eodem capitulo adducit, concluditur euidenter ipsos habuisse dominium in communi. Philosophus enim dicit quod *sicut non potest diuidi aer neque splendor solis, ita neque aliqua quæ communiter data sunt ad habendum, diuidi debent.* Ex quibus verbis clare patet per Philosophum, ista temporalia data fuisse communiter omnibus ad habendum. Et si data fuerunt ab illo, qui dare potuit, vtpote à Deo, & ei qui capax fuit sicut homo, sequitur quod eorum dominium factum fuit. nec Philosophus inducit comparationem aeris & splendoris solis ad temporalia respectu Dominii: vt sicut non habebant dominium aeris & splendoris solis, sic nec haberent dominium temporalium rerum. Sed super respectu indiuisionis tantum illam comparationem inducit. sic enim dicit: *& sicut non potest diuidi aer, neque splendor: ita nec reliqua quæ communiter data sunt hominibus ad habendum, diuidi debent, sed communia sunt habenda.* Porro est aliud dominium ciuile vel humanum, per quod contenditur & in iudicio litigatur. 8. *distin. c. quo iure,* vbi dicitur, quod *iure humano hæc villa mea est, hic seruus meus est, hæc domus mea est.* facit præallegatum. *c. dilectissimis,* vbi dicitur: *sicut communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus communia esse debent, sed per iniquitatem alius dicit hoc esse suum: & alius illud. & sic inter mortales facta est diuisio,* id est modus agendi, & formulæ sunt iure positiuo introductæ. iure enim diuino non humano fuerunt rerum dominia, secundum quod aliàs fuit tactum, primitus introducta. ius enim diuinum est, quod in scripturis diuinis habemus: humanum ius, quod habemus in legibus regũ. In scripturis autem habemus diuinis, quod antequã reges regum, imo etiã antequam leges essent, res aliquæ alicuius erant: ergo iure diuino aliquis dicere poterat, aliquid suum esse. maior patet per *c. quo iure,* præallegato. minor autem probatur etiam in innocentiæ statu. dicitur enim, quod Adam in statu innocentiæ antequam Eua formaretur, solus Dominium habuit rerum temporalium. commune enim dominium, cum solus esset, pro illo tempore habere non potuit, cum communio plures requirere dignoscatur. Ad idem, quod Adam fuerit, facit Sapientiæ. 9. c. vbi dicitur sic: *Deus patrum nostrorum & diuina misericordia omnia bona, quæ fecisti verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta est* &c. Item quod post lapsum primorum parentum ante diluuium & antequam essent reges, potuit aliquis dicere, hoc est meum, Probatur *Genesis.* 3. *c.* vbi Deus ad Adam dixit, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo,* ergo patet, quod Adam tunc potuit dicere *panem suum.* Et tamen tunc non erant reges, imo nec homines alii, nisi soli primi parentes. De Abel quoq;, qui fuit secundogenitus primorum parentum, dicitur *Gen.* 4. *c.* quod Abel *obtulit de primogenitis gregis sui.* Ex quo patet, quod Abel potuit dicere, iste grex est meus. Item quod post diluuium sine iure regum aliquis potuerit dicere suum, patet. legitur enim *Gen.* 9. *c.* quod Noe vineam plantauit, & vinum ex ea productum bibit: puta, quod nullus sapiens negabit, quin vineæ Dominus fuerit & etiam vini. Et tamen tunc non legimus regem aliquem extitisse. Item *Gen.* 12. *c.* dicit Dominus ad Abraham existentem in terra Canaan, *semini tuo dabo terram hanc:* quod fecit. Constat autem, quod illi de semine suo potuerunt dicere, terra ista nostra est, & non per hoc, quod iura regum volunt: quia eam ex collatione Dei habuerũt, non regum. Item *Gen.* 26. *c.* cum descendisset Isaac in Geralis, dicit Dominus ei: *tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has:* quarum regionũ ipse & semen eius nõ ex iure regum, sed ex collatione Dei habuerunt. Præterea *Numeri* 21. *c.* dicitur, quod *vnus quisq; quod in prædicta terra rapuerat, suũ erat:* quod nõ erat per iura regũ, cum ille populus Israeliticus tunc aliquẽ regem nõ haberet, sed dux eius Moyses tantũ esset. & Threnorũ 33. c. Dominus ad Moysen dixit: *præcipe filiis Israel, & dic ad eos, quando transieritis Iordanem, intrantes terram Canaan, dispergite compertos habitatores illius: ego dedi vobis illam in possessionem, quam diuidatis vobis sorte:* quod fecerunt, vt legitur, *Iosua.* 13. *c.* quilibet ergo illorum post diuisionem illius terræ potuit illam, quæ ad eum obuenit, dicere suam esse: & hoc non iure regum, sed diuino: cum tunc temporis, vt dictum est, regibus non regeretur populus. Item Threnorum 35. c. Dominus ad Moysen dixit: *præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbia per circuitum, & ipsi in vrbibus maneant, & suburbia sint pro pecoribus, & iumentis.* quod & fecerunt, vt legitur *Iosua* 14. *c.* Ex quibus patet, quod cũ Dominus præcepit filiis Israel dare Leuitis de possessionibus suis, quod filii Israel antequam darent possessiones suas, illas poterant dicere suas esse: & leuitæ, ex quo fuerunt sibi datæ. Et hoc non per iura regum, cum reges non haberent,

Digitized by Google

haberent, sed per ordinationem diuinam. Ex quibus omnibus patet, quod in scripturis sacris habemus, quod aliquis & in statu innocentiæ & post lapsum primorum parentum, & ante diluuium dicere potuit, & sine iure regum, aliquid esse suum. & quod iure diuino sint dominia aliqua, probatur, 24.q.9.ca.1. Adhuc & quod nullo iure humano, sed solum diuino dominium rerum temporalium potuerit hominibus dari, patet. constat enim, quod rem aliquam aliquis dare non potest, nisi cuius est, vel alius eius voluntate. nec dubium, quin Deus omnium temporalium vel iure creationis. quia illa de nihilo creauerat, vel iure factionis, quia de sua materia illa fecerat, Dominus esset. ergo nullus Rex de illorum dominio, nisi de voluntate Dei, potuit ordinare. vnde patet, quod neque iure naturali primæuo, si ponatur de illo iure, quod omnibus animantibus est commune: tamen illud ius nihil statuit sed inclinat seu dirigit ad aliqua, puta omnibus animantibus coitum facientibus: nec iure gentium, nec iure regum seu imperatorum, fuit Dominium rerum temporalium introductum, sed per Deum qui est & erat earum rerum Dominus, fuit collatum primis parentibus, vt patet, *Gene.c.* quarum rerum Adam, quamdiu solus erat fuit (1. antequam Eua formaretur) solus, vt videtur, erat Dominus, vt superius est ostensum. Verum est tamen, quod de iure gentium & ciuili multi modi sunt acquirendi Dominium. Et nonnulla per iura ciuilia seu temporalia fuerant introducta. Item modus agendi pro rebus istis temporalibus in iudicio: & forma circa proponendi ius suum in iudicio, fuit per iura ciuilia introductus. Ex prædictis itaque patet, quod non obstat. *c. quo iure* in contrarium allegatum: quod loquitur de iure agendi in iudicio, cuius formulas ciuile ius & non aliud introduxit. Et hoc voluit dicere Augustinus in illo. *c. quo iure*, quando dicit: *tolle iura imperatorum, & quis audet dicere, hac villa est mea: meus est iste seruus: mea est hac domus?* quasi dicat, nullus potest in iudicio proponere hoc nisi per imperatorem, seu imperatorum iura, quod ius actionum formulas introduxit. Vel potest dici, quod hoc dicebat Augustinus, cum hæreticis disputando, non quod hoc pro veritate teneret, scilicet quod dominium de iure diuino non esset. & quod ita sit, patet quia. 23 q.7.c.1. idem ipse Augustinus contrarium dixit expressè, vbi sic dicit: *quamuis res, quæcunque teneretur non ritè, à quocunque possideri posset, nisi vel iure diuino, quo cuncta iustorum sunt: vel iure humano, quod in potestate est regum & terra* &c. Item non obstat. 12.q.1.*c. dilectissimis*, vbi dicit sic: *communis vsus omnium qua sunt in hoc mundo, communis omnibus esse debuit: sed per iniquitatem alius dicit hoc esse suum, alius istud. Et sic inter mortales facta est diuisio.* Et hoc dicunt aliqui, quod diuisio temporalium est facta per ius humanum, quod dicitur iniquum & contra æquitatem iuris naturalis, dicimus, quod hoc est falsum: quia per iniquitatem non intelligitur ius gentium, cum sit æquum: sed intelligitur peccatum primorum parentum, per quod natura corrupta fuit, & post non fuit contracta communibus, sed sibi, propria voluit possideri.

Miles. CAP. CCCXV.

AMplius quo iure in criminibus ecclesiasticis potest episcopus laycum punire vel capere? & videtur quod solum per ecclesiasticam censuram possit eum coercere, *extra de foro compe. cap. cum laycus. lib. 6.* 2. arg. *extra. de offi. ordi. cap. cum episcopus eo. libro.* vbi licet dicat generaliter, quod episcopus de causis ad forum ecclesiasticum spectantibus in quolibet loco sui episcopatus possit cognoscere: tamen quando loquitur de captione, statim restringit ad clericos. idem videtur sentire. *extra de pœnis c. quamuis l.6.* Et hoc idè videtur de iure ciuili, vbi dicitur, quod non potest cognoscere sine præside, *in autentica, de mand. princ. §. si verò canonicum, collat.* 3. pro hoc videtur facere. *C. de sacrosanct. eccle. l placet*, vbi iudex ecclesiasticus secularem excommunicat. Ex quibus videtur, quod iudex ecclesiasticus solum possit cohercere laycum per censuram ecclesiasticam.

Clericus. CAP. CCCXVI.

IN contrarium est ipsa veritas. Nam ratione delicti factus est de foro ecclesiæ. *C. de Epi. & Cle. autentica, nulla communitas*, & ibi notatur, *extra. de foro compe. cap. cum sit generale.* Ad Episcopum ergo spectat laycum siue clericum non solum corrigere, sed punire: dum tamen ad hoc vocet brachium seculare, *extra de officio ordinarii. capite* 1. & ibi per glosam & per Innocen. videtur etiam textus. *C. de Epi. & cle. auctentica, causa qua fit cum Monacho.* & nomine censuræ ecclesiasticæ, excommunicatio, interdictum & suspentio continetur, *extra. de verb. signifi. c. quarenti.* quæ tendunt ad correctionem non ad pœnam, vt ibi notat Io. Andreæ. Et hoc patet in hæresi, quod est crimen ecclesiasticum: & facit *extra. de panis c. fœlicis lib. 6.* Ex præmissis igitur concluditur, quod ad Episcopum spectat captio & punitio in criminibus ecclesiasticis, vt pote in crimine hæresis, vel si quis sit nigromanticus, vel Dæmones inuocet. Præterea inter cæteros defectus, excessus & crimina, quos sæpissime seu quæ committunt reges & principes & cæteri Domini temporales, nõnunquam Phitones consulunt Astrologis infallibiliter credunt, somnia curant, sortilegia & innumerabiles obseruationes seu obseruantias superstitiosas contra Dei præcepta custodiunt & obseruant. Circa quod quæro primo, Vtrum diuinare sit peccatum? respondeo quod sic. vnde Deutero. 24. *ca.* dicitur *non sit qui prohibitiones consulat neque diuinos.* & 26.q.5. dicitur: *qui diuinationes expetunt, sub regulis quinquennii iacent secundum gradus pœnitentia diffinitos.* Circa quod aduertendum, quod *diuinator* non dicitur, si quis prænunciet ea, quæ necessario vel vt in pluribus eueniunt, quæ humana ratione prænosci possunt: sicut Astrologi ex consideratione causarum prænuntiant infallibiter eclipses: & ex consideratione stellarum prænuntiant coniecturaliter pluuias & siccitates: & medici sanitatem & mortem: & ita euenit, vt in pluribus. Et non videtur etiã *diuinatio*, si quis aliqua futura contingentia Deo

reuelante cognoscat: tunc enim ipse non diuinat, id est quod diuinum est facit; sed magis quod diuinum est suscipit. tunc enim videtur *diuinare*, quando indebito modo sibi pronunciationē euentus futurorum vsurpat: puta quando post Dei manifestam reuelationem prænunciare præsumit aliqua futura contingentia ad vtrumlibet, vt sunt illa quæ dependent ex libero arbitrio, vel etiā contingentia, vt in paucioribus, vt sunt quę per accidens cōtingunt, siue in rebus humanis siue in rebus naturalibus, sicut quod lapide cadēte fiat terręmotus: & quod homine fodiente thesaurus inueniatur. Pręscire enim talia est solius Dei. Vnde Isa. 41. *annunciate quæ futura sunt in futurum & sciemus quoniam dii estis.* Vnde Isidorus lib. ethymologiarum dicit: quod *diuini dicti sunt quasi Deo pleni deitate quasi se plenos simulant, & astutia quadam hominibus coniecturant futura.* vnde secundum Hieronymum super Math. *diuinatio semper accipitur in malam partem.* sed contra hoc posset obiici, quod Augustinus dicit De libero arbitrio, *quis audet dicere aliquam disciplinam esse malam?* sed aliquæ artes sunt diuinatiuæ, vt patet per philosophum in libro *de memoria.* ergo videtur quod diuinatio non sit peccatum. Respondeo, quod aliquæ artes sunt ad prænoscendum futuros euentus, qui ex necessitate vel frequenter proueniunt, quæ non pertinent ad diuinationem. sunt aliæ artes ad cognoscendum futuros euētus, qui ex necessitate vel frequenter eueniunt, vel non frequenter eueniunt, nec ex necessitate, & tales artes sunt fallaces, & ex deceptione Dæmonis introductæ, vt ait Augu. 21. *de ciuitate Dei.* Præterea sciendum, quod omnis diuinatio vtitur ad præcognitionem euentus futuri aliquo Dæmonum consilio & auxilio. quodquidem expresse quandoq; imploratur: quandoq; autem præter hominis petitionem se Dæmon ingerit occulte vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicet falsitati aut vanitati. Et est vna inquisitio futurorum, cum quis futura prænoscere temptat. Vnde prænosci non possunt. Dæmones autem expresse inuocati solent futura prænunciare multipliciter: quandoq; quibusdā præsagiis, apparitionibus seu aspectui & auditui hominum ingerētes & ad prænuntiandū futura. Et hęc species dicitur *præsagium* ex eo, quod oculi hominū præstringuntur: Quandoq; per somnia: & hæc dicitur *diuinatio somniorum.* Quandoq; per mortuorum aliquorum apparitionem, & hæc dicitur *nigromantia*, & dicitur à *nigros* Græce, quod est mors Latine, mantia vero diuinatio: quia quibusdā præcantationibus adhibito sanguine videntur resuscitari mortui, & diuinare, & ad interrogata respondere. Quandoque enim prænunciant futura per homines viuos, vt patet in arrepticiis. Et hæc vocatur *diuinatio phitonica*: quia scilicet fit per *phitones*, qui sic dicti sunt, vt dicit hystoria, à *phiton* Apoline, qui dicitur actor fuisse diuinandi. Quandoq; per aliquas figuras vel signa, quæ apparent in rebus inanimatis: quæ quidem si appareant in aliquo corpore terræ, in igne vel in ferro vel lapide posito, dicitur *geomantia*, à *geos*, quod est terra. si autem in aqua, dicitur *hydromantia*, ab *ydros* quod est aqua. Si in aere, *airemantia*. Si in igne, *pyromantia*, à *pir* quod est ignis. Si autē in visceribus animalium immolatorum in aris Dæmonum, dicitur *aruspicium*, quasi inspectio in aris. Diuinatio vero, quæ fit sine expressa Dæmonum inuocatione, diuiditur in duo genera. quorum primum est, quando prænoscendum aliquid in dispositionibus aliarum rerum. Et si quidem aliquis nitatur prænoscere futura ex consideratione & motu siderum, hoc pertinet ad Astrologos. Si vero ex consideratione dierum, vel horarum, vel aurarum, etiam dicūtur *aruspices*; qui scilicet dies & horas in negociis & operibus agendis obseruant. Notandum tamen, quod obseruare tempus quandoq; est infidelitatis, vt in hiis quæ pure dependent à libero arbitrio. Quandoq; necessitatis propter præceptum vt in nuptiis celebrandis. quandoq; sagacitatis, vt in hiis quæ causam habent naturalem, vt in potioribus munitionibus & similibus. Si vero per motus vel voces auium, vel naturalium animaliū quorumcunque, siue per sternutationes hominum, vel saltus membrorum, hæc pertinent generaliter ad *augurium*, quod sic dicitur quasi *auigerium*, à gestu vel garritu auium, sicut aruspicium ab inspectione auium: quorum primum pertinet ad aures, secundum ad oculos. in auibus enim huiusmodi prę cipue solent considerari. Si vero huiusmodi consideratio fiat circa verba hominum alia intentione dicta quod quis torquet ad futura, quæ vult cognoscere, dicitur *omen.* Si vero considerentur aliquæ dispositiones figurarum in aliquibus corporibus visui occurrentes, erit alia species diuinationis. Nam ex lineamentis manus considerantes diuinatio sumpta, dicitur *chiromantia*. *ciros* enim Græce dicitur, manus Latine. Ad secundum autem genus diuinationis, quod est sine expressa Dæmonum inuocatione, pertinet diuinatio, quæ fit ex consideratione eorum, quæ eueniunt ex quibusdam, quæ seriose fiunt ab hominibus ad cognoscendum seu inquirendum aliquod occultum, siue per considerationem punctorum, quod pertinet ad artem nigromantiæ: siue ex consideratione figurarum, quæ veniunt ex plumbo liquefacto in aquam proiecto: siue ex quibusdam schedulis scriptis vel nō scriptis in occulto appositis, dum consideratur si quisquam accipiat, vel etiam ex festucis inęqualibus præpositis, quis maiorem vel minorem accipiat: vel etiam ex taxillorum proiectione quis plura puncta proiciat: quę omnia *sortium* nomen habent. vnde nomine *sortilegii* continentur. Sic igitur patet triplex esse genus diuinationis, quorum primum est per manifestam Dæmonum inuocationē, secundum per solam considerationem dispositionis vel motus alicuius rei, tertium est dum facimus aliquid vt nobis manifestaretur aliquid occultum. Primum pertinet ad nigromanticos, Secundum ad augures, Tertium ad sortilegos. Sub quolibet autem horum multa continentur, vt patet ex dictis. Omnes autem modos prædictos ponit Augustinus, vt habetur 26. *q.* 4. *c. igitur genus. & q.* 5. *c. Nec mirū c. Episcop. & q.* 7. *c. non obseruetis.*

Miles. CAP. CCCXVII.

Contra superdicta obiicitur multipliciter. animæ enim sanctorum non satisfaciunt illicitæ interrogati-

terrogationi: sed Sauli interroganti de euentu futuri belli per mulierem Phitonisam, Samuel apparuit & futurum bellum prædixit. ergo diuinatio, quæ fit per inuocationē dæmonū, non est peccatū. Præterea aues aliquos futuros euentus naturaliter cognoscunt, secundum id Iere. 8. c. *miluus in cælo cognouit tempus suum*: sed naturalis cognitio est infallibilis, & à Deo. Ergo vti cognitione auium ad prænoscenda futura (quod *augurari* dicitur) non est illicitum. Præterea Gedeon ponitur in numero sanctorum, vt ponitur ad *Hebr*.11.*c*. qui tamen visus fuit omine: & ex hoc quod audiuit interpretationem cuiusdam somnii, vt legitur *Iudicum* 7.*ca*. & similiter Aliezer seruus Abrahæ vt legitur *Genes*.24.*c*. Ergo videtur quod talis diuinatio non sit illicita.

Clericus. CAP. CCCXVIII.

Respondeo ad primum, quod sicut Augustinus dicit ad Simplicianum: *non absurdum est credere aliqua ex dispositione diuina esse permissa*, non dominante arte magica vel potentia, sed ex dispositione occulta, quæ Phitonisam & Saulem latebat. Ad secundum est dicendum, quod illa scriptura loquitur de cognitione auium respectu eorum, quæ pertinent ad eas: & ad hoc earum motus & voces considerare non est illicitum: puta ex hoc, quod cornica crocitat, pluuiam esse futuram indicat. Ad tertium dicitur, quod Gedeon obseruauit recitationem & expositionem somnii, accipiens eam pro omine, quasi ordinata ad sui instructionem à diuina prouidentia. & similiter Aliezer attendit verba puellæ oratione ad Deum præmissa. Ad hoc est notandum, quod in noua lege mens hominis arcetur à temporalium sollicitudine. Et ideò in noua lege non est aliquid institutum ad præcognitionem futurorum euentuum: & de temporalibus rebus. in veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant consultationes de futuris. vnde dicitur Isa. 8. c. *cum dixerint ad vos, quærite à Phitonibus & diuinis, qui strident in incantationibus*: subdit quasi rationem: *nunquid non populus requiret à Deo suo visionem pro viuis & mortuis?* fuerunt tamen etiam in noua lege aliqui prophetæ spiritus prophetiæ habentes, qui multa de futuris euentibus prædixerunt.

Miles. CAP. CCCXIX.

Sed nunc reuerende clerice, quæro: vtrum secundum aliquam scripturam diuinam seu humanam Dæmones habeant aliquam cognitionem futurorum?

Clericus. CAP. CCCXX.

Futurorum triplex est genus. quædam enim futura habent determinatam causam & infallibilem, vt illa quæ attenduntur circa motum corporum superiorum, in quibus est determinatio, & omnis impedimenti remotio. Et talia possunt certitudinaliter sciri, non solum à Deo & in Deo, sed etiam in creatura, & hoc in sua causa, sicut tempus eclipsis & consimilium. Quædam habent causam determinatam, sed tamen fallibilem, vt illa quæ sunt secundum inferiorem naturam: quæ ideo habent causam determinatam, quia intentio naturæ mouet determinatæ ad vnum: ideò verò fallibile, quia multiplex potest occurrere impedimentū, quia ager seminatus, si terra pinguis est & bona dispositio superiorum corporum, afferet fructum pinguē. Et ista possunt quodāmodo præsciri. non tantū à Deo, sed etiam à creatura, quę nouit naturas rerum superiorum & inferiorum: non tamen ità certitudinaliter, sicut prædicta. quędam habent causam indeterminatā & infallibilē, sicut ea quę sunt à voluntate nostra, quæ indeterminata est: propter hoc quod est ad opposita & fallabilis: etiam quia possunt volenti perficere occurrere multa impedimenta: & talia non possunt certitudinaliter sciri ab aliqua creatura in seipso, sed solum à Deo vel per reuelationem diuinam. vnde Daniel. *li* 2. *c*. 4. dicit, quod *futura neque Angeli neque Dæmones cognouerunt*, scilicet naturali cognitione: & loquitur de futuris contingentibus. Ratio autem huius est ista. quia cognitio creaturæ pendet ex re, quando igitur res incerta est & in se & in sua causa: ideò creatura non potest illam certitudinaliter noscere aut præscire: diuina autem cognitio non pendet à re aliqua: imo omnia quæ nouit, secundum modum veritatis nouit: & quia sua veritas est certissima, cognoscit contingentia vt necessaria: & sicut certissime nouit, ita potest certitudinaliter demonstrare & reuelare. ideò hæc præcognitio futurorum vel Dei est vel à Deo. ideò cum talia futura prædicuntur, dicitur diuinatio: quia talis est actus diuinus, & quia Diaboli super hoc maxime conantur ostendere hoc in se habere, & in se dicere, quod Dæmones per se ipsos futura contingentia præsciant certitudinaliter, & hoc est eis attribuere, quod Dei est ideò est ibi infidelitas, & infidelitati frequenter annexa idololatria: ideò diuinatio est prohibita. quamuis autem Dæmones non possint per se ipsos futura contingentia præscire certitudinaliter, tamen frequenter vera prædicunt, quia euentum futurorum aliqualiter sciunt, sicut dicit Augustinus. in *tertio super Genes*. aut enim sensus acrimonia, aut multa experientia, aut dolosa cautela, aut aliena doctrina. Sensus acrimonia, vt quandoq; vident diligenter & considerant ad quid inclinetur affectio nostra, vel quæ sint inducentia vel retrahentia. Experientia temporum, quia ex talibus vidit accidentalia. dolosa cautela, quando proponit aliquid facere, & prædicit quasi alius sit facturus. doctrina aliena, quando iusto Dei iudicio permittitur ab Angelis addiscere. Et sic patet, quod Dæmones futura contingentia possunt aliqualiter præsentire, non tamen possunt certitudinaliter præscire. Et si obiiciatur, quod Astronomi vel mathematici per cursum astrorum præcognoscunt & dicunt multa futura, & videmus quod in multis vera dicunt: sed maior est intelligentia in Angelis. ergo &c. Respondeo, quod Astronomi mathematici frequenter dicunt vera coniecturando vel secundum le-

Digitized by Google

gem astrorum vel secundum diaboli commercium. Secundum legem astrorum, vt quando stella dominatur, quæ habet impressionem super diuersos humores, disponit secundum hoc homines ad diuersos mores & affectiones. Secundum diaboli commercium, vt quando volunt vim astrorum vltra prætendere: ad id vltra quod possunt. tunc enim, nisi diabolus adesset, ita frequenter falsum dicerent sicut verum: tunc enim in toto auxilio dæmonum frequenter falsa prædicunt & decipiunt: sed tanta est dæmonum astutia, quod ita sciunt occultare fraudem suam, vt ostendant errorem fuisse defectum fuisse in astronomo considerante, non in arte vel diabolo assistente. In hoc ergo est ratio, quod astronomi de contingentibus habentibus causam fallibilem & indeterminatam, non præsciunt vera, nisi ex coniectura: & diabolus ex maiori coniectura illa præsciuit, non tamen certitudinaliter.

Miles. CAP. CCCXXI.

MOdo iuxta præmissa quæro, vtrum dæmones præsciant pluuias, tonitrua, pruinas, grandines, & similia?

Clericus. CAP. CCCXXII.

QVidam dicunt, quod licet dæmones per suam naturalem virtutem habeant futurorum talium valde probabilem coniecturam, eo quod eorum causæ sunt naturales & determinatæ (vt in pluribus euenit) tamen quia prædictæ causæ sunt impedibiles, ideo huiusmodi futurorum certam præcognitionem per suam naturalem virtutem habere non possunt. Et si dicatur eis, quod impedimentum, quando venit per causam naturalem, quæ de necessitate operatur, naturaliter præsciri potest: dicunt quod cursus causæ impedientis aliquem effectum, & causa quæ ex se erat nata producere illum effectum, quandoque est per accidens, & à casu. & ita naturaliter præsciri non potest. Vnde talis concursus non habet aliquam naturalem causam pro se. Pro hac etiam opinione videtur philosophus *6. metaphysic.* reprobans illam opinionem, quæ habet, quod omnia veniant de necessitate. Si enim concursus causarum naturalium semper esset de necessitate, omnes effectus naturales euenirent de necessitate. quod philosophus reputat falsum. alia vero opinio tenet contrarium: quia natura de necessitate operatur. Et ideo omnes effectus naturales, nisi impediantur per liberum arbitrium, vel angelicum, vel humanum, de necessitate eueniunt, præsupposita influentia naturali, quæ necessaria est ad conseruationem nostræ creaturæ & ipsius operationem. Vnde si natura disponit nubem ad pluuiam, de necessitate resoluetur in pluuiam, nisi superueniat aliqua causa fortior naturali, quasi hoc de necessitate impediatur. A causa ergo necessaria eueniunt, & à causa necessaria impediuntur. Cum ergo dæmones sciant vertibilitatem naturalem elementorum, & corporum cælestium, & motum & cursum & coniunctionem planetarum inter se & cum stellis fixis, præscire possunt per suam virtutem sub certitudine futurum euentum istarum impressionum naturalium, & futurum impedimentum, ne dispositio ad eos reducatur ad actum. pro ista opinione facit, quod videmus formicas imminente pluuia portare granum in cauernam, quia præsciunt futuram pluuiam: ergo multo magis diabolus ista præcognoscere potest. Qui vellet tenere primam opinionem, posset respondere ad istud de formicis: quod illud non faciunt, quia futuram pluuiam præcognoscant, sed quia sciunt ea, quæ pluuiam de propinquo futuram antecedunt, faciunt quandam munitionem, per quam quod naturali instinctu mouerentur ad portandum granum in cauernam. patet ergo, quod illud faciunt propter hoc quod præsens est: non propter hoc, quod est futurum.

Miles. CAP. CCCXXIII.

NVnc vlterius quæro, vtrum dæmones sciant cogitationes cordium humanorum?

Clericus. CAP. CCCXXIV.

COgitationes cordis possunt cognosci dupliciter. Vno modo in suo effectu: & sic non solum ab angelo, sed etiam ab homine cognosci possunt, & tanto subtilius quanto effectus huiusmodi sunt minus occulti. Cognoscitur autem cogitatio cordium non solum per actum exteriorem, sed etiam per mutationem vultus, & etiam medici per quasdam affectiones, vt per pulsum, cognoscere possunt: & multo magis angeli vel etiam dæmones quanto subtilius huiusmodi imitationes occultas corporales perpendunt. Vnde Aug. dicit in *lib. de diuinationibus dæmonum*, quod aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatas, sed etiam cogitatione conceptas, cum signo quodam ex animo exprimuntur in corpore tota facilitate prædicant, quamuis in *libro retractationum* hoc dicat non esse asserendum, quomodo hoc fiat. Alio modo possunt cognosci cogitationes prout sunt in intellectu: & affectiones prout sunt in voluntate. & sic solus Deus cogitationes cordium & affectiones voluntatum cognoscere potest. Cuius ratio est, quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subiacet, & ipse in eam solus operari potest. Et ideo quæ in voluntate sunt, vel quæ ex voluntate dependent, soli Deo sunt nota.

Miles. CAP. CCCXXV.

VOlo insuper informari, Vtrum hominibus liceat vti ministerio vel arte dæmonum ad cognoscendum futura vel aliquid aliud &c.

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. CCCXXVI.

RESpondeo, vti ministerio diaboli potest intelligi vno modo virtute diuina & aliqua licita imperando: & hoc modo licet. Vnde Paulus, vt habetur *Actuum* 16.c. imperauit spiritui malo, qui erat in puella Phitonisa, exire: & exiuit eadem hora. Alio modo ipsum familiariter vel amicabiliter inuocando: & hoc modo est illicitum, & omnibus prohibitum. Primo lege diuina: vnde *Leuitici* 19. c. præcipitur occidi qui sciscitat magos & ariolos. Secundo lege positiua: vt patet. *26.q.2. & q.5. per totum: & extra de male. & mathe.* Tertio idē videtur lege naturæ, eo quod diabolus est obstinatus aduersarius summi principis nostri, scilicet Dei, & ab ecclesia irreuocabiliter præcisus, & ita mendax & fallax. quod si aliquando dicat veritatem, aut dicit eam compulsus à Deo: aut vt sibi magis credatur in mendacio, vt sic decipiat cautelosius. & ideo qui familiariter inuocat eum, peccat directe cōtra Deum, & contra ecclesiam, & contra se ipsum, cum diabolus sit humani generis pessimus inimicus. Est autem ibi peccatum aut infidelitas, vt si credendo diabolo dominium aliquod attribuatur ei: aut idolatriæ, vt in oblationibus & sacrificiis: aut saltem in obedientia, quia facit contra prohibitionem Dei & ecclesiæ, vt supra dictum est. Et quia artes magicæ fiunt cum quibusdam dæmonum inuocationibus, vel quibusdam commerciis cum dæmonibus, & ideo vti magicis artibus est prohibitum tanquam illicitum & prophanum. Et amplius notandum, in characteribus, quæ à nonnullis fiunt, est grande peccatum: quia fiunt ad dæmonum ministerium implorandum, quod non est licitum. Et si quæratur, vnde habent virtutem tales characteres? Dicendum est, quod non habent ex se, sed ex diabolica potestate. sic enim diabolus pepigit cum hiis, qui fiunt sibi familiares, quod talia signa recognoscent: & ad talia se præsentes offerent. ostendit autem & fingit per illa se cogi, vt ostendat aliquid esse virtutis in istis artibus, in quibus sunt multa nephanda: scilicet quod quandoq; fingit se esse inclusum in vno anulo, & ibi ad interrogata per familiarem suum respondet, vt per hæc, & similia abducat hominem à fide & à cultu diuino; nec hoc facit diabolus, quia in illis delectetur, sed potius in infidelitate facientium.

Miles. CAP. CCCXXVII.

POstea quia matemathici dicunt euentum aliquorum futurorum ex astris pendere & prænosci posse, ideo quæro aliqua de impositione astrorum respectu hominium & dæmonum. Et primo, vtrum ex impressione luminarium cælestium causetur in hominibus diuersitas morum?

Clericus. CAP. CCCXXVIII.

MOres hominum & euentus futurorum à sideribus causari dupliciter possunt intelligi, aut necessario & sufficienter, aut dispositiue & contingenter. Si dicatur primo modo: sic non tantum est falsum sed hæreticum, quia repugnat Christianæ religioni, quia veritas fidei in hoc errore saluari non potest. Dum enim ponit omnia à sideribus euenire, tollit meritum: & per consequens primum tollit gratiam, & per consequens gloriam. Tum quia honestas morum per hunc errorem præiudicium patitur, dum culpa peccantis in sidera refunditur, & licentia male faciendi sine reprehensione redditur, & homo ad adorandum & colendum sydera incuruatur. Si autem dicatur, mores hominum à dispositionibus syderum variari dispositiue & contingenter: sic potest habere varietatem, quia nec rationi nec fidei repugnat. planum est enim, quod dispositio corporis varia multum facit ad variationem affectionum & morum animæ. Vnde colerici sunt iracundi: & sanguinei sunt benigni: & melancholici sunt inuidi: & fleumatici pigri. Hoc autem non est necessarium: anima enim dominatur suo corpori, maxime quando est adiuta per gratiam. multos enim videmus colericos mansuetos: melancholicos benignos. Quoniam ergo virtus corporum cælestium operatur ad mixtionem & qualitatem complexionum: hinc est quod per consequens operatur quodāmodo ad qualitatem morum; valde tamen de longinquo. plenius. n. facit ad qualitatem cōplexionis virtus naturæ inferioris quam virtus sideris. Vnde Augustinus in *quinto de ciuitate Dei*, in solutione cuiusdam quæstionis de duobus fratribus, qui simul infirmabantur & curabantur: cum quæreret, vnde hoc esset? magis commendat rationem Hipocratis quam Astronomi. Hipocras enim respondit, quod hoc erat propter similitudinem complexionis. & Astronomus respondit, quod hoc erat propter idemptitatem constellationis. Melius enim respondit medicus, quia causam reddit magis propriam & magis propinquam. Sic ergo dicendum, quod impressiones syderum aliquo modo disponunt ad veritatem morum; non quidem dispositione necessaria & proxima sufficiente, sed remota & contingente. Et si obiciatur contra prædicta, quod philosophus lib. *de proprietatibus elementorum* dicit, quod *regna vacua facta sunt, & terra depopulata apud coniunctionem Iouis & Saturni:* sed talia non dependent ex libero arbitrio. ergo &c. Respondeo quod hoc dicit philosophus, non quia homines nequiuerint resistere influentiæ illius constellationis ad dissentionem inclinantis, sed quia noluerunt. quia, sicut dicit Ptolomæus in Almagesti: *sapiens homo dominabitur astris.* quamuis autem coniunctio Iouis & Saturni, eo quod Saturnus habuit influentiam melancholicam, Iupiter autem immittit valde bonam influentiam, potest ad rixam vel discordias homines inclinare: cui tamen inclinationi homines per libertatem arbitrii possunt resistere, & satis faciliter cum adiutorio Dei contraire. Et si iterum obiciatur illud quod Damascenus. lib. 2. c. 6. dicit: *constituunt multotiens & cometa signa quædam mortis regum.* ergo &c. Respondeo, quidam dicunt quod cometa nec naturaliter gene-

Digitized by Google

ratur, nec est vna de stellis in firmamento, positis. vnde nec eius significatio est naturalis. vnde Dani. lib. 2. c. 6. dicit, quod *cometæ non sunt ex iis, quæ a principio genita sunt astra, sed diuina iussione secundum ipsum tempus constituuntur*, & rursum dissoluuntur. hæc Daniel. prænunciat autem Deus per tale signum mortē regis plus quam aliorum, tum quia est persona cōmunis, tum quia ex hoc potest oriri perturbatio regni, de cuius custodia magis solicitantur angeli propter commune bonum. Alii sunt, [illegible] am physicam sequuntur, quibus videtur quod stella cometa sit impressio sicca & calida geni[illegible] feriori parte aeris: propter quæ igne & calore seu vapore calido & sicco, globus illius vapo[illegible] tus apparet corpus stellæ. Partes autem ilius vaporis discontinuatæ circa illum globum & in [illegible] protensæ in suis extremitatibus illi globo coniunctæ sunt quasi eius concæ. Et secundum hanc positionem signat & creat, non per se sed per accidens, mortalitatem prouenientem ex infirmitatibus calidis & siccis, quia vehemens distemperata siccitas consueta est comitari cometæ generationem. Et quia, vt in pluribus, diuites nutriuntur calidis & siccis; ideo illo tempore multi diuites moriuntur, inter quos mors regum & principum est magis notabilis. Insuper est notandum, quod iudicia Astronomorum ex astris per aliquam dispositionem habent aliquam probabilitatem, non tamen necessitatem. Probabilitatem autem habent maiorem in actibus naturæ quam voluntatis: & in actibus hominum generalibus, sicut vnius gentis seu prouinciæ, quam in particularibus vnius personæ: quia maior effectus stellarum imprimitur in totam vnam gentem, quam in vnum hominem: & quia maior pars gentis vnius magis insequitur affectiones naturalis corporis quam vnius singularis hominis. Amplius sciendum quod fuit quorundam mathematicorum opinio, quod ex vi positionis siderum necessario causatur in hominibus diuersitas morum: ita quod talis est vnusquisque in moribus, qualem facit eum esse dispositio syderum, in qua est conceptus vel natus: & istam vim vocauerunt nomine *fati*. sed hæc opinio non est falsa solum, sed etiam hæretica & omnino detestanda, vt ex supradictis patet. vnde *fatum* secundum acceptionem istam nihil aliud est. Et secundum quod dicit Gregorius in Homilia Epiphaniæ, *Absit à fidelium cordibus vt fatum aliquid esse dicatur*. Alio modo potest dici *fatum* dispositio seu ordinatio causarum secundarum ad producendos effectus. Potest autem ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari. vno modo secundū quod est à Deo: & sic dicitur prouidentia. Alio modo secundum quod est in modum seu in causis, id est modus ordinatus à Deo ad effectus aliquos producendos: & sic actionem fati. Et hoc modo Boecius loquens de fato quarto de consolatione dicit: quod *fatum est rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus*. Sed tamen sancti Doctores hoc nomine vti recusauerunt propter illos, qui ad vim positionis syderum retorquebant. vnde Augustinus 5. de ciuitate Dei dicit, *si propterea quisque res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fatum vocat, sententiam teneat & linguam corrigat*.

Miles. CAP. CCCXXIX.

AMplius quæro, vtrum corpora cælestia possint in dæmones aliquid imprimere?

Clericus. CAP. CCCXXX.

DÆmones sunt superiores ordine naturæ quam corpora cælestia. Agens autem est superius patiente, vt dicit Augustinus 22. *c. super Genes.* Ex quo sequitur, quod dæmones non subiiciuntur motibus seu dispositionibus corporum cælestium. Et si dicatur contra, quod dæmones secundū augmenta lunæ vexant aliquos homines, qui propter hoc lunatici dicuntur, vt patet *Mat.* 4. *& 18. c.* sed hoc non esset, vt videtur, nisi dæmones corporibus cælestibus subiaceret. Respondeo, quod dæmones propter augmenta lunæ vexant homines: Primo quidem ad hoc, vt infament creaturam Dei, scilicet lunam, vt Hieronymus & Chrysostomus dicunt. Secundo, quia non possunt operari, nisi mediantibus virtutibus naturalibus, in suis operibus considerant corporum aptitudines ad effectus intentos. manifestum est autem, quod cerebrum est humidissimum omnium corporis partium. vt Aristoteles dicit. Et ideo maxime subiicitur operationi lunæ, quæ ex sua proprietate habet nouā humiditatem. in cerebro autem perficiuntur vires animales: & ideo dæmones secundum augmenta lunæ perturbant homines, & inducunt fantasiam, quando considerant cerebrum ad hoc esse dispositum.

Miles. CAP. CCCXXXI.

POstea quæro de diuinatione per somnia: vtrum aliquis in somniando possit præuidere futura?

Clericus. CAP. CCCXXXII.

FVturorum, secundum quod pertinent ad præsens, est quadruplex differentia. Quædam enim futura habent causam naturalem in homine somniante: vt sunt illa, quæ proueniunt ex aliquibus causis, quæ sunt in homine, sicut febris ex abundantia coleræ nimis incensæ, & huiusmodi futura præuidentur in somniis. Aliquando per causam naturalem & determinatam, eo quod natura repræsentat in somniis animæ aliquas dispositiones, quæ sunt in corpore, ex quibus postea contingit infirmitas, vnde quandoque contingit, quod in homine, in quo superabundat colera nimis incensa, repræsentatur animæ in somnis imaginatio febris futuræ. vnde Aristoteles in libro de somno & vigilia dicit: quod *quando somnia sunt ex his, ex quibus componuntur, sunt signa vel sanitatis vel ægritudinis secundū eorum differentias*: vt si quis somniet de occupationibus igneis, signū est ꝙ prædominetur in eo colera, si de aereis, signum est sanguinis, vt de volatu & huiusmodi. Si aque vel

alce-

alterius liquoris aquei, ſignum eſt fleumatis. Si de terris, ſignum eſt melancholiæ. Et ideo quandoque per ſomnia iuuantur medici ad cognoſcendum diſpoſitiones corporis. Quædam vero futura habent cauſam naturalem extra hominem ſomniantem, vt ſunt illa, quæ proueniunt ex aliqua determinata influentia corporum cæleſtium, vt vehemens aeris ſiccitas, vel nimia abundantia imbriũ, & multa alia. & huiuſmodi etiam futura quandoque præuidentur in ſomniis per aliquam cauſam naturalem determinatam. quandoque enim influentia cæli & elementorum impreſſionem facit in corpore hominis ex aquæ impreſſione: quandoque repræſentatur homini in ſomniis imago alicuius effectus futuri extra hominem, qui prouenit ex eadem influentia: nec hoc videtur abſurdum: videmus enim in aliquibus brutis, quod ex inſtinctu naturali pluuiam & ventum futurum apprehendunt, vt eſt dictum. licet autem hæc ſomnia & præcedentia ſint ſigna futurorum, non tamen oportuit quod illa ſignificanter ſemper eueniant, quia ex aliqua alia cauſa ſuperueniente poterunt impediri. vnde quandoque propter nimiam abundantiam ardentis caloris in corpore ſomniat homo ſe febricitare: & tamen non ſequitur febris propter aliquam cauſam ſuperuenientem, quæ temperat calorem illum, vel quia apponitur remedium medicinæ. Similiter quandoque propter diſpoſitionem cæli & elementorum, quæ quantum eſt ex ſua parte habent pluuiam cauſare, fit impreſſio in homine, per quam ſomniat pluuiam; nec tamen ſequitur pluuia, impediente aliqua cauſa ſuperueniente. quædam autem futura habent cauſam voluntariam in homine ſomniante, vt ſunt illa, quæ dependent ex opere ſomniantis, & huiuſmodi futura non præuidentur in ſomniis per aliquam cauſam determinatam naturalem: ſed quandoque præuidentur à caſu, vt cum homo eſt aliquid voluntarie facturus, de quo nunquam voluntatem faciendi nec aliquam inclinationem ad hoc habuit. ſi homo ſomniat ſe aliquid tale facere, à caſu eſt, niſi habeat per reuelationem. vnde talia ſomnia non ſunt ſigna nec cauſa futurorũ, ſed dicuntur accidentia ſiue cauſalia. quandoq; autem præuidentur per aliquam cauſam determinatam ex voluntate creatâ: vt homo in vigilia multum ſolicitus fuit de aliquo opere faciendo, & vehementer illud adimplere deſiderauit, & cum magna inueſtigatione inquiſiuit modum, per quem hoc facere poſſet: & non potens modum adinuenire, obdormiuit in tali ſollicitudine. Et ex hiis cauſatur quandoque in anima diſpoſitio, per quam ſomniat ſe illud opus facere: & contingit quandoque, quod quia in vigilia facta erat præparatio ad inueniendum modum faciendi, in ſomno propter ſedationem motuum exteriorum & interiorum, circa auroram, repræſentatur animæ modus ille, quem in vigilia non potuit inuenire. vnde accidit quod in vigilia ſe præparat ad faciendum opus, quod non feciſſet, eo quod in vigilia modum faciendi non poterat reperire. Quædam vero futura habent cauſam voluntariam in aliquibus hominibus ab ipſo ſomniante & in remotis partibus, vt ſcilicet illa, quæ illi homines facere diſpoſuerunt: & talia præuideri non poſſunt inſomniis per aliquam cauſam naturalem: ſed ſi aliquis homo præſomniat aliquid, quod poſtea contingat in remotis partibus per cauſam voluntariam, hoc eſt à caſu. Et ideo huiuſmodi ſomnia, ſecundum philoſophum in libro *de ſomno & vigilia*, dicuntur *accidentia*, vel *caſus*, & hoc intelligo, niſi illa futura reuelentur dormienti per aliquam cauſam voluntariam, ſicut per diuinam reuelationem immediatè vel mediantè miniſterio angelorum. vnde, vt dicit philoſophus in libro de ſomno & vigilia, *ſomnia non ſunt omnino contemnenda: nec etiam de hiis omnino debemus curare*. Si quis ergo vtatur ſomniis ad prænoſcenda futura, ſcilicet quod ſomnia procedunt ex reuelatione diuina, vel ex naturali cauſa intrinſeca vel extrinſeca, quantum poteſt ſe extendere virtus: non erit illicita talis diuinatio. Si autem huiuſmodi diuinatio cauſetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus habentur pacta tacita vel expreſſa, quia ad hoc inuocantur, eſt illicita diuinatio & ſuperſtitio. prohibetur igitur curioſa obſeruatio ſomniorum, & temerarium eſt initi ſomniis: quoniam difficile eſt cognoſcere, quando accidunt ex cauſis naturalibus, vel ſuper naturalibus: & quando ex Angelis bonis vel malis. vnde ſacra ſcriptura reprehendit eos, qui confidunt in ſomniis. &c.

Miles. CAP. CCCXXXIII.

NVnc autem de ſortilegiis volo quærere, vtrum diuinatio ſortium ſit licita?

Clericus. CAP. CCCXXXIIII.

REſpondeo, quod ſicut ſupra dictum eſt, *ſortes* proprie dicuntur cum aliquid fit, vt eius euentu conſiderato aliquid occultum innoteſcat. Et eſt aduertendum, quod actus humani, qui requiruntur ad ſortum, non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum: nec etiam euentus ipſorum actuum. vnde ſi quis ea intentione vtatur, quaſi huiuſmodi actus humani, qui ad ſortes requiruntur, ex diſpoſitione ſtellarum effectum ſortiantur, vana & falſa erit opinio: & per conſequens ſuggeſtione dæmonum non carebit. & per hoc diuinatio talis ſuperſtitioſa & vana erit. videtur permiſſum, quod ſi aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, ſortibus vti velint ad diuiſionem quaſi expo[illegible]ntes fortunæ quiſque accipiet partem. Quandoque autem expectatur ſors ex dæmonibus, ſicu[illegible]gitur Ezech. 11. c. quod *Rex Babylonis ſtetit in biuio in capite duarum viarum, & mittentes ſagittas interrogauit Idola & ea conſuluit*. Et tales ſortes ſunt illicitæ & ſecundum canones prohibentur. Quandoq; verò expectatur à Deo, ſecundũ illud prouerbiorũ. 16. c. *Sortes mittũtur in ſignũ, ſed à domino temperantur*. Et talis ſors nõ eſt aliquid mali. Vlterius eſt aduertẽdũ, quod ſors poteſt ſumi tripliciter: vno modo pro electione gratuita, vt in pſalmo: *in manibus tuis ſortes meæ*. Et ad Eph. 1. c. *in qua ſorte vocati ſumus*. Alio

Digitized by Google

modo pro eo, quod est iudicium diuinæ voluntatis, vt Actuum 1.c. *cecidit sors super Matthiam*. Et sic dicit Augustinus: *sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate posita diuinam indicans voluntatem*. 26.q.2.c. sors enim operantium ipsum prout est in fieri, est res dubia; sed postquam est in facto, est res certa & indicium diuinæ voluntatis. sors primo modo non est aliquid mali: nec etiam secundo modo est aliquid mali in se continere. vnde prohibetur, ne sub hac specie homines in ydolatriam labantur, 26.*q*.2.§.*hiis ita*. Tertius potest sumi, prout est nomen vlterius diuinatum ad significandum diuinationem, secundum quod dicit Leo Papa tertius, quod *sors nihil aliud est quam diuinatio & maleficium à sanctis patribus damnata*. Et secundũ hoc non est licita, nec credenda, nec exercenda, vt in dicto §. *hiis ita & cap. sequenti*. Et ideò hoc non modo prohibetur sub anathematis interdicto. Sciendum etiam, quod in sortibus secundo modo dictis peccatum potest accidere quadrupliciter. primo, si sine vlla necessitate ad sortes recurratur. hoc enim videtur ad Dei temptationem pertinere. vnde Augustinus super Lucam: *Qui sorte eligitur, humano indicio non comprehenditur*. Secundo, etiam si quis in necessitate absque reuerentia sortibus vtatur. vnde Beda super actus Apostolorum: *Si qui in necessitate positi Deum putant vt sortibus Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi fratrum collecto cœtu & precibus ad Deum fusis egisse*. Tertio, si diuina oracula ad terrena negocia committantur. Vnde Aug. dicit ad inquisitiones Ianuarii: *hii qui de paginis euangelicis sortes legunt: & si adoptandum sit, vt illud potius faciant quam ad dæmonia consulenda conuertant seu concurrant: ita tamen mihi displicet consuetudo, & ad negocia secularia & ad vitæ huius varietatem conuertere diuina oracula*. Quarto, si aliqui sortibus vtantur in electionibus ecclesiasticis, quæ fieri debent ex inspiratione spiritus sancti. vnde sicut dicit Beda super actu: *Matthias ante pentecostem ordinatus est sorte? quare, scilicet quia plenitudo sancti spiritus nondum erat effusa in ecclesia*. Septem autem diaconi postea non sorte sed Apostolorum electione sunt ordinati. secus autem est in dignitatibus temporalibus, quæ ad terrena disponenda ordinantur: in quarum electione sortibus homines plerunque vtuntur, sicut & in temporalium rerum diuisione. Si necessitas immineat, licitum est cum debita reuerentia diuinum iudicium implorare. Innocen. etiam *extra.eo.c.* causam dicit, quod licet vti sortibus pro litibus dirimendis, 16.*q*.1.*cap. sors*. Et idem Host. & hoc intelligendum est secundum eum de sorte simplicium paleis vel huiusmodi, & in temporalibus rebus, & sine aliqua superstitione.

Miles. CAP. CCCXXXV.

POstea quæro de superstitione obseruantiarum. Et primo, vtrum vti obseruantiis artis notoriæ sit licitum.

Clericus. CAP. CCCXXXVI.

REspondeo, quod ars notoria est illicita & inefficax. illicita quidem est, quia vtitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent in se virtutem causandi scientiam: sicut in inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum: nec talia sunt signa diuinitus instituta, sicut sunt sacramentalia signa restat ergo, quod sunt signa vana & superuacua: & per consequens continentia quædam peccata significationum cum dæmonibus præhabita. ergo ars notoria est Christiano penitus interdicta & fugienda, sicut & aliæ artes nugatoriæ vel nouæ superstitionis. 2. *de doctrina Christiana*. Est enim huiusmodi ars inefficax ad scientiam acquirendam. cum enim per huiusmodi artem non intendatur acquisitio scientiæ secundum modum hominum naturalem, scilicet adinueniendo & addiscendo: consequens est, quod iste effectus expectetur à Deo vel à dæmonibus. certum est aliquos à Deo sapientiam & scientiam per infusionem habuisse, sicut de Salomone legitur *tertio Regum* 3.*c*. Christus etiam dixit discipulis suis Lucæ 21.c. *ego dabo vobis os & sapientiam*. Ad dæmones autem non pertinet illuminare intellectum: acquisitio autem sapientiæ & scientiæ fit per illuminationem intellectus.

Miles. CAP. CCCXXXVII.

AMplius quæro, an obseruationes ordinatæ ad corporum mutationem, vt ad sanitatem vel aliquid tale, sint licitæ?

Clericus. CAP. CCCXXXVIII.

AVgustinus in libro *de doctrina Christiana* dicit, quod *ad superstitionem pertinent volumina magicarum artium, & litura & remedia, quæ medicorum condemnat scientia, siue in imprecationibus siue in quibusdam seu quibuscunque modis, quos characteres vocant, siue in quibusdam rebus suspendendis atque infigendis*: hæc Augustinus. Nam in hiis, quæ fiunt ad aliquos effectus corporales inducendos, considerandum est, vtrum naturaliter videatur posse tales effectus creare. sic enim non erit illicitum. licet enim [illegible]s naturales ad inducendum effectus proprios exhibere. si autem non videantur naturaliter posse tales effectus creare, consequens est, quod non adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causæ, sed tanquam vt signa: & sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita. Et si obiiciatur, quod sicut corpora naturalia subiiciuntur corporibus cælestibus, ita & corpora artificialia, vt imagines. ergo sicut illa, ita & ista sortiuntur aliquas virtutes ex impressione corporum cælestium ad aliquos effectus causandos. Respõdeo: quod naturales virtutes corporũ naturalium

Digitized by Google

ralium subsequuntur substantiales formas ipsorum, quas sortiuntur ex impressione corporum cælestium: & ideò ex earundem impressione sortiuntur quasdam virtutes actuales seu actiuas: sed formæ corporum artificialium procedunt ex conceptione artificis. Et ideò cum nihil aliud sit quam compositio, ordo & figura, vt dicitur. 2. *phys.* non possunt naturalem virtutem ad agendum habere. Et inde est, quod ex impressione corporum cælestium, secundum quod sunt artificialia, nullam sortiuntur virtutem, sed tantum secundum materiam naturalem.

Miles. CAP. CCCXXXIX.

QVid dicemus de quibusdem mulieribus sceleratis, quæ credunt se & profitentur cum Diana Dea paganorum nocturnis horis, & cum Herodiade, & cum nimia multitudine mulierum equitare super quasdam bestias: & multarum terrarum spacia in tempestæ noctis silentio pertransire: eiusque iussionibus obedire, velut Dominæ, & cunctis noctibus ad eius seruitium euocari? asserunt etiam ab illis aliquas creaturas in melius vel deterius permutari: aut in aliam speciem & similitudinem transformari.

Clericus. CAP. CCCXL.

REspondeo, quod non à diuino spiritu sed maligno talia fantasmata mentibus fidelium irrogantur. Diabolus enim, cum animam alicuius per talem credulitatem subiugauerit sibi, transfigurans se in Angelum lucis, & transformans se in diuersarum personarum species atq; similitudines, mentem quam captiuatam tenet multipliciter deludit. nec debet aliquis vel aliqua in tantam venire stulticiam, vt credat, hæc omnia quæ in somniis & spiritu fiunt, etiam in corpore accidere, cum etiam Paulus nō auderet asserere, quod fuerit raptus in corpore cum etiam audierit veritatem, proculdubio infideles essent & pagano deterior. 27. *q.* 5. *c. Episcopi.*

Miles. CAP. CCCXLI.

SEd nunc quæro, vtrum obseruantiæ, quæ ordinantur ad præcognoscendum aliqua infortunia, sint licitæ?

Clericus. CAP. CCCXLII.

DIco quod non. dicit enim Augustinus in 2. *l. de doctrina christiana*, quod ad pacta cum Dæmonibus inita pertinent multa inutilia vanarum obseruationum, vt si quis, dum se calciat, sternutauerit: vel ad domum suam cum vestis à muribus roditur. omnes enim huiusmodi obseruationes attendunt homines non vt quasdam causas, sed vt quædam signa euentuum futurorum bonorum vel malorum: aut obseruantur sicut signa à Deo tradita, cum non sint introducta auctoritate diuina, sed magis ex vanitate humana, cooperata Dæmoniū malicia, qui nituntur animos huiusmodi vanitatibus implicari. Et istæ obseruantiæ videntur esse aliquæ idololatriæ, secundum quas obseruantur auguria. Et si obiiciatur, quod irrationabile est negare illud, quod quasi omnes experiuntur, quod aliqua tempora, vel verba audita, vel concursus hominum, siue animalium aliquid præsagium habent alicuius boni vel mali futuri: ergo non videtur illicitum illa obseruare. Respondeo, quod à principio in istis obseruationibus experti sunt homines aliquid veri à casu accidere, sed postea cum homines incipiunt huiusmodi obseruantiis animum applicare, multa secundum huiusmodi obseruationes eueniunt per deceptionem Dæmonum, vt huiusmodi obseruationibus homines implicati curiosiores faciāt, & se magis erroris perniciosi multiplicibus laqueis ingerant, vt dicit Augustinus in 2. *lib. de doctrina Christiana.* dicit etiam hoc fieri permissione diuina, vt illi qui hoc audiunt & vident, probentur in qua fide sunt apud Deum. Et probat hoc auctoritate Deuterono. 14. capite. *si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium dicat, & prædixerit signum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos: non audies verba eius. temptat enim vos Deus vester, vt palam sciat vtrum diligatis eum aut non.* 26. q. 5. c. *nec mirum circa finem.*

Miles. CAP. CCCXLIII.

QVæro, vtrum infortunium accidens alicui possit ingerere dolorem eius amico nihil de hoc scienti?

Clericus. CAP. CCCXLIIII.

COntingit hominem tristari & angustari eius amico remoto infortunium aliquod patiente quandoque à casu: scilicet quia in illa hora, qua suus amicus infortunium patitur, melancolica in eo mouetur, per cuius motum melancolici tum excitatur & ex consequenti mente grauatur, licet infortunium amici nihil ad hoc penitus operetur. Quandoque verò hoc contingit ex aliqua causa voluntaria determinata, Diabolus enim, quia conatur homines inducere ad opiniones superstitiosas, quandoque affligit hominem ponderositate & tristitia illa hora, qua amicus eius remotus infortunium patitur, vt extimet hoc amici infortunium, quod patitur, naturaliter sibi euenisse. Quandoque etiam hoc accidit ex aliqua probabili suspicione: vt cum quis amicum scit esse in taberna cum inimicis suis, probabiliter dubitabit eum inuadi ab inimicis. Et ex hoc quandoque in illa hora, qua amicus eius ab inimicis opprimitur, in eo timor & angustia generatur, quia ille dolor est post aliquam cognitionem.

Digitized by Google

Miles. CAP. CCCXLV.

NVnc quæro, vtrum herbæ vel harmoniæ possint impedire dæmones à vexatione hominum?

Clericus. CAP. CCCXLVI.

HErbæ vel Harmoniæ sua naturali virtute non possunt totaliter expellere vexationem, quia diabolus posset hominem vexare, si sibi permitteretur à Deo, vel angelis bonis: possunt tamen illam vexationem mitigare. & ita parua posset esse vexatio illa, quia possent illam penitus excludere. Et hoc quidem facerent non agendo in ipsum dæmonem, cum sit spiritus separatus, in quem nō potest naturaliter agere corpus: sed agendo in ipsum vexatum à dæmone. certum est enim, quod herbæ & Harmoniæ multum possunt immutare depositionem: & ex consequenti motus sensualitatis. Et patet de herbis, cum quædam inclinent ad lætitiam, quædam ad tristitiam: & sic de aliis. hoc etiam patet de harmoniis per philosophum. 8. *politicorum*: vbi vult, quod diuersæ harmoniæ habent prouocare diuersas passiones in homine. hoc etiam patet & refert Boetius in *Musica* sua: & Actor *de ortu scientiarum*, vbi loquens de vtilitate musicæ dicit, quod *valet ad curandum & alleuiandum infirmitates*. & ita patet, quod herbæ & harmoniæ quandoque causare possunt in homine dispositionem contrariam illi vexationi, qua diabolus hominem vexare conatur. Ex quo sequitur, quod ceteris paribus sit vexatio debilior. herbæ tamen vel armoniæ non possunt dispositionem in homine causare, propter quam homo à nullo vexari possit dæmone, si permitteretur quod dyabolus mouendo solum motu locali vapores & ipsos spiritus inordinato motu, posset hominem multum vexare. herbæ autem vel armoniæ nullam dispositionem causare possent in homine sua naturali virtute, per quem prohiberetur dæmon prædictam commotionem facere. Contingit enim, quod quandoque diabolus non permittitur hominem vexare, nisi vexatione ita parua, quod per aliquam forte dispositionem ad contrarium totaliter tolleretur. Et tunc aliquæ herbæ vel harmoniæ possent corpus hominis ad contrarium ita disponere, quod illa vexatio totaliter amoueretur. verbi gratia, diabolus posset quandoque hominem vexare vexatione tristitiæ ita debiliter, quod per aliquas herbas vel armonias, quæ haberent causare delectationem & diffusionem spirituum (qui sunt motus contrarii tristitiæ) totaliter amoueretur illa tristitia. Quod autem Augustinus secundo libro *de doctrina Christiana* condemnat ligaturas, & quædam alia, de quibus ibi diffusius scribit, hoc attribuens arti magicæ, hoc est quantum ad illud, in quo non possunt ex sua naturali virtute. quod patet per hoc, quod dicit sic: *ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, atque omnia remedia quæ medicorum condemnat disciplina*: in quo satis patet, quod illa condemnat quantum ad hoc, respectu cuius non habent aliquam efficaciam ex sua naturali virtute. Ad illud, quod habetur *primo Regum 16. c.* quod Saul, qui vexabatur à dæmone, alleuiabatur quando Dauid citharam percutiebat coram eo: & quod recedebat spiritus malus. Sciendum, quod bene verum est, quod per tactum citharæ virtute naturali illius harmoniæ alleuiabatur aliquantulum afflictio Saulis, in quantum illa harmonia aliqualiter dulcorabat appetitum eius per auditum: per quam dulcorationem reddebatur minus aptus ad illam vexationē. sed quod spiritus malus recederet à Saule, quando Dauid citharizabat coram eo, hoc erat propter vim crucis. quod satis expresse dicitur in glossa, vbi dicitur sic: *erat Dauid canticis musicæ eruditus, diuersorum sonorum rationabilis, moderatusque concentus vnitatem essentiæ significat, quæ variis modis quotidie resonat. Dauid in citharam suam malignum spiritum compescuit, & non quia tanta esset vis in cithara, sed in signo crucis, quæ in ligno & cordarum extentione gerebatur, quæ iam tunc dæmones effugabat.*

Miles. CAP. CCCXLVII.

MOdo dubito, vtrum liceat alicui ad collum diuina verba suspendere: quod quotidie faciunt quamplurimum maxime seculares.

Clericus. CAP. CCCXLVIII.

IN omnibus incantationibus vel scripturis suspensis duo cauenda videntur. Primo, quod profertur vel scribitur; quia si est aliquid ad inuocationem dæmonum pertinens, superstitiosum est & illicitum. & cauendum est ne ponantur ignota nomina, ne sub illis lateat aliquod illicitum. Vnde Chrysostomus dicit super Math. quod *Pharisæorum magnificantium fimbrias aliqua nomina Hebraica Angelorum confingunt, & conscribunt, & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur*. Cauendum est etiam, ne aliquid falsum contineatur: quia sic eius effectus expectari non posset à Deo, qui non est testis alicuius falsitatis. Secundo, cauendum est, ne in verbis sacris ibi contineantur aliqua vana, vt aliqui characteres inscripti præter signum crucis. aut ne spes habeatur in modo scribendi, vel ligendi, vel in quacunque hominum vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertinet; quia hoc videretur superstitiosum. Alias autem videntur licitum. Vnde 26. q. 5. c. *non liceat Christianis*, dicitur, quod *non liceat Christianis in collectionibus herbarum medicinalium aliquas obseruationes attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, aut oratione dominica, vt tantum creator omnium Deus honoretur*. Et si obiicitur contra prædicta, quod liceat diuina verba ad collum suspendere, quia non minus operantur verba sacra in corporibus serpentum & aliorum animalium, sed incantationes quandam efficaciam habent ad repellendum seu reprimendum serpentes, & vel ad sanandum quædā animalia, vnde Psal.

facit

ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non audiet &c. Reſpondeo, quod etiam in incantationibus ſerpentum vel quorumcunque animalium, ſi reſpectus habeatur tantum ad verba ſacra & virtutem diuinam, non eſt illicitum. ſed plerumque tales incantationes habent illicitas obſeruantias, & per dæmones ſortiuntur effectum. & præcipue in ſerpentibus: quia ſerpens fuit primum dæmonis inſtrumentum ad hominem decipiendum. Si vero quæratur, quid de verſiculis, qui fiunt in aſcentione: & crucibus, quæ fiunt in ramis palmarum? Reſpondeo, quod non ſunt reprobanda, cum non cõtineant niſi verba Euangelica & memoriam paſſionis Chriſti. Sed ſuperſtitioſum eſſet, ſi crederetur minor efficacia, ſi ſcribantur vel fiant poſt lectum Euangelium, vel poſt miſſam, vel illa die.

Miles. Cap. CCCXLIX.

SEd quid de carminatricibus aut carminatoribus, qui carminant infirmos, aut pueros, vel aliud, nunquid tales peccant mortaliter?

Clericus. Cap. CCCL.

SI nihil ſuperſtitioſum dicant aut doceant aut faciant, ſed tantum vtantur licitis precibus & adiurationibus, ſicut per paſſionem & crucem & ſimilia: non videtur, quod peccent mortaliter, niſi talia fecerint poſt prohibitionem ſibi ab eccleſia factam. Sed credo, quod prohibendi ſunt viri & mulieres à talibus, quia multa inutilia & ſuperſtitioſa ſolent admiſcere, niſi forte ſit Sacerdos religioſus & diſcretus, aut etiam laycus, ſiue vir ſiue mulier excellentis vitæ & probatæ diſcretionis, qui fuſa oratione licita ſuper infirmum, non ſuper pomum vel pirum aut cingulum aut ſimilia, ſuper infirmantes manum imponat, iuxta illud Matth. vltimo cap. *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* nec ſunt tales perſonæ prohibendæ, niſi forte timeatur, quod ad exemplum illorum indiſcreti & ſuperſtitioſi carminatores, ſibi vſurpent abuſum, tenentes ſe exemplo illorum hoc poſſe licitè facere. De portatione vero reliquiarum dico, quod ſi portentur ad fiduciam Dei & ſanctorum, non erit illicitum. Si autem circa hoc attendatur aliquid aliud vanum, vt puta quia vas ſit triangulare, vel aliquid aliud huiuſmodi, quod non pertineat ad reuerentiam Dei & ſanctorum, ſuperſtitioſum erit & illicitum.

Miles. Cap. CCCLI.

QVid erit de ſacerdotibus, qui cauſa doloris permoti aut altare veſtibus ſacris exuunt, aut qualibet lugubri aſpernunt, aut conſueta luminaria ſubſtrahunt, aut altare aut crucifixum ſpinis circundant? Quid etiam de illis, qui pro viuis ſcienter cantant miſſas defunctorum, vel ſub nomine illorum quos odiunt feretrum cum exequiis mortuorum ponunt, vel alia ſimilia faciunt, vt illi citius moriantur?

Clericus. Cap. CCCLII.

AD hoc dico, quod aliquid prædictorum ſi fiat propter odium priuatum, grauiſſime peccat qui facit: & niſi per legitimam pœnitentiam ſe purgauerit, debet deponi. Si autem propter cauſam communem, puta quia metuit contaminationem ſacrorum ordinum, vel ſubuerſionem fidei, vel hoſtilitatem, vel obſidionem, vel diuinorum iudiciorũ ſententiam metuit, & ideo tale quid fecit, non dicitur peccare: quia in tali facto plus humilitas, qua Deus placatur, quam interni liuoris doloſitas declaratur. Hoc etiam conſuetudo eccleſiæ tenet, vnde ſolet cantare: *Deus, venerunt gentes.* & inſignum triſtitiæ vidi bene ſancta altaria ſpoliare. hæc tamen diſcutio fallit in illis, qui ſcienter pro viuis celebrant officium defunctorum. Nam tales ſi fuerint detecti, indiſtinctè debent deponi, & ad agendum pœnitentiam tam ipſe Sacerdos, quam ille qui ad hoc ipſum incitauit debet exilii perpetui ergaſtulo ſiue monaſterio relegari, *26 q.5.c.quodcunque.* Fallit etiam diſtinctio in illis, qui altare vel crucifixum ſpinis circumdant: quia omnis talis abuſus indiſtinctè penitus reprobatur, & diſtrictius prohibetur, & eſt grauiter puniendus, vt *extra de offic. ordi. c. canonice, libro 6.*

Miles. Cap. CCCLIII.

QVoniam de impreſſione aſtrorum eſt aliqualiter tactum, teuoco in dubiũ, Vtrum ſit vtile principi vel cuicunque alii inferiori principe dare operam & vacare circa ſcientiam Aſtrologiæ? Et euidenter probatur, quod ſic: per ipſam namque ſcimus & præuidemus futura bona & mala, ſi ſunt bona, per prudentiam noſtram poſſumus cælum iuuare, & ea augmentare, ſecundum Ptolomæum: ſi ſint mala, poſſumus in totum vel in parte præcauere. Malum enim non euitatur, niſi prius cognitum, & iacula præuiſa minus ferire ſolent. In ſuper Ptholomæus ait, quod *ſapiens homo dominabitur aſtris.* Item quod hoc ſit principi vtile ex antiquis conuincitur hiſtoriis. in ſacris enim ſcripturis reperitur, quod ſancti patres vtebantur ſorte, vt per hoc haberent notitiam futurorum, vt apparet *Ioſue 7.c.* Et Ioſeph prænoſticauit ſterilitatem futuram. Item in hiſtoriis Romanorum (ſecũdum quod narrat maxime Titus Liuius) patet, quod tempore guerræ & in aliis arduis Romani vtebantur ſorte, auguriis & diuinationibus.

Clericus. Cap. CCCLIV.

PRæcognoſcere aliquam mutationem aeris, eſt vtile: de fortunis ſpiritualibus iudicare eſt difficile, imo & periculoſum. Sæpe enim timor & imaginatio talis diuinationis futurorũ cauſat infortunium: & faciunt hominem obliuiſci circumſtantias, quibus mediantibus talia infortunia prudenter potuiſſent præcaueri, quod autem arguitur, quod licitum eſt ſic vti ſorte, breuiter pertranſeo

Digitized by Google

propter ea, quæ in prioribus latius fuerunt tacta. Et supposito, quod aliqui & sancti patres diuina permissione seu dispositione vsi fuerint sorte, illud non est trahendum in consequentiā; arg. 5. *c. gaudemus extra. de diuor.* Nec obstat, quod de historiis Romanorum arguitur; quia dum erant in maiori prosperitate sua, vtebantur talibus auguriis & diuinationibus ex suggestione diaboli, qui prosperitati eorum quam plurimum inuidebat; & ideo corruerunt. Itē dicit beatus Augustinus, quod *Deus dedit tantam potentiam & dominationem Romanis propter magnam affectionem, quam habebant ad bonum commune, nec propter tales diuinationes aliquid de contingentibus ad bonam practicam pro commune vtilitate obmittebant.* Item sæpe tempore prosperitatis suæ male contingebat eis; & causa infortunii sui forsan erat responsio augurii sui. nec etiam principes eorum vacabant circa Astrologiam, sed presbyteri templorum, qui ad hoc erant specialiter destinati.

Miles. CAP. CCCLV.

AMplius reuerende clerice, probo quod possibile sit per Astrologiam iudicare de futuris, & ea præcognoscere. Bruta enim animalia præcognoscunt futura: olor enim cantat, quando præsentit mortem: delphinus præsentit tempestatem maritimam: & equus bellum antequam fiat. Si ergo bruta præsentiunt futura, quanto magis homo rationalis potens est adinuenire artem, mediante qua possit iudicare de futuris. Item ista monarchia inferior gubernatur per corpora cælestia. Et ad sciendum motus corporum cælestium adinuenta est Astrologia, quæ videtur vana & inutilis, nisi ipsa mediante præcognoscerentur futura: quod esset absurdum, cum ars & natura nihil adinueniunt frustra.

Clericus. CAP. CCCLVI.

AD id quod arguitur de brutis animalibus, quæ præsentiunt futura: Respondeo, bruta animalia & homo se habent tanquam excedentia & excessa. homo enim nascitur nudus, impotens, ignarus: sed non sic de aliis brutis, non sequitur ergo, quod si Deus dotauerit bruta in aliquo, quod hominem similiter in eadem dotauerit. Deus plura fecit homini: quia contulit sibi rationem & memoriam, per quod potest acquirere prudentiam humanam, & considerare præterita, præsentia, & futura, quæ verisimiliter possunt euenire. Nec obstat, quod subdebatur, quod alias videretur Astrologia inutilis, nisi per eam sciremus iudicare de futuris. Dico, quod finis principalior Astrologiæ est, quia dat notitiam Dei creatoris. Nam secundum Isidorum, *est ordinata vltima inter scientias seculares ad finem, quod ostendatur quod cogitatio humana debet esse remota à rebus terrestribus, & magis debet vacare contemplationi.* & beatus Paulus in vna *epistola ad Romanos*: & beatus Dionysius in vna alia *epistola*, quam fecit, fatentur, quod illud quod ipsi sciuerunt de astrologia, fecit eos conuerti ad fidem Christi. Scire ergo motum cæli, & corporum cælestium situm & ordinationem, est quamplurimum delectabile, amabile, decens & vtile in Principe, & quocunque alio inferiore. Nam secundum sententiam philosophi, *si delectabile est scire ordinationem & descriptionem vnius nobilis palatii vel vnius pulchri montis: quanto delectabilius, excellentius & amabilius est habere notitiam machinæ celestis, quæ superat in pulchritudine omnia visibilia?* iudicia tamen astrorum sunt inscrutabilia, & plurimos deceperunt, & adhuc decipiunt. Vnde generaliter tales ordinationes sunt inhibitæ in pluribus locis sacræ scripturæ. Et præcipit sacra scriptura, quod illi, qui de illa se intromittunt, occidantur. sanctus Augustinus, Ambrosius, Origenes, & generaliter omnes sancti doctores ecclesiæ detestantur & reprobant tales diuinationes, cum sint contrariæ saluti animæ ac fidei catholicæ, vt patet 25. q. 5. *quasi per totum.* debet igitur vnusquisque christianus à talibus abstinere. Vnde quidam excellens auctor, Stacius nomine, loquens in metro de ista præsenti materia altè & profundè plangit, & quærit vnde mundo & tristibus mortalibus hæc infirmitas, iste miserabilis amor, & maledictum desiderium contigerint, quod velint inuestigare fortunas futuras seu venturas? Et ait, quod nunquam fuit donum Dei: sed hoc facit auida mens nostra. Nam secundum Chrysostomum, *genus humanum nimis appetit scire futura*: Narrant historiæ. quod Iulius Cæsar nunquam voluit adhibere fidem talibus diuinationibus. Et Cato, qui vocabatur rigidus, vnus de sapientioribus vrbis Romanæ, cum ingressus esset templum, milites sui monuerunt eum vt interrogaret Iouem de fortunis. hoc noluit facere dicens, quod Deus dederat nobis talentum ingenii naturalis recognoscendi ea, quæ nobis erant necessaria. de talibus enim sortilegiis & futuris inuestigare pertinet ad meticulosos & infortunatos homines. nec hoc cadit in constante & virtuoso homine. Item secundum Isidorum, *Astrologia* (quæ tamen videtur rationabilior inter omnes artes diuinatorias, quantum ad partem diuinatoriam futurorum) *non solum inter doctores fidei christianæ detestatur, sed etiam inter paganos.* Plato enim, & Aristoteles, & plures alii philosophi concordi sententia damnauerunt eam. Item in libro politicorū dicitur, quod *Astrologia est nobilis scientia & gloriosa, quando tenetur in suis terminis: sed quando extēditur vltra terminos & metas ipsius, scilicet ad coniecturationes, & diuinationes futurorum, & ad tales vanitates: tunc est contra philosophiam, & etiā bonos mores.* Item magna fatuitas est credere, quod astrologus sciat de futuris iudicare in fortuniis bonis seu malis, quæ dependent ex voluntate mutabili: & tamen nesciat, quale tempus fiet crastina die, quod tamen habent causam certam & immutabilem: & insuper isti astrologi tenent, quod omnia eueniant de necessitate, quod est damnatissimum & contrarium fidei Christianæ. Ex præmissis clarè concluditur, quod reges Christiani, & cæteri principes, qui debent esse pugiles fidei Christianæ, nō debent intendere nec fidem adhibere talibus artibus. Virgilius enim, prout refert Tullius, fuit sapienti-

Digitized by Google

entissimus & expertissimus in omnibus scientiis: & docuit, quales artes & scientiæ debeant vigere in principe: hoc dixit esse reuelatum miraculosè. Primo, principes non debet ponere intentionem ad imagines faciendas: nec debet princeps esse astrologus, nec vacare circa aliquam scientiã mathematicã: nec debet princeps esse aduocatus, rethoricus vel logicus. Et subdit Virgilius: *tu princeps Romanorum memor esto quod facias gubernari populum per prudentes: qui sint tales, qui artes adinueniant & studia: quibus mediantibus populus in pace, tranquillitate & quiete gubernetur.* Hæc est sententia Virgilii pulchrè per eum tradita in metro. principale ergo studium boni principis est gubernare populum per scientiam politicam, & bonum consilium prudentum.

Miles. CAP. CCCLVII.

RVrsum venerande clerice, hiis non obstantibus, & per vos allegatis exemplis antiquorum, clarè probatur quod non videtur absonum in principe, si circa astrologiam vacet & intendat. nobiles enim principes Alexandriæ & Ægypti posuerunt intentionem suam in talibus scientiis, prout narrat Isidorus & Hugo de sancto victore, adeo quod libros composuerunt, per quos hodiernis diebus memoria censetur perpetua. Item ille nobilis princeps Abraham tradidit Ægyptiis, & docuit astrologiam, prout narrat Iosephus in *libro antiquitatum*. Item in antiquis historiis reperitur, quod Moyses fuit magnus astrologus. Item Salomon dicit de se ipso, quod faciebat dispositionem & motum stellarum cœli. prout refert in *libro sapientiæ*. Item Tulius dicit de regibus Græciæ quod astrologos habebant in magna reuerentia & honore. Itẽ Rex Ptholomæus fecit plures *libros astrologiæ*. Rex Alphunsus Hispaniæ composuit plures *tabulas Astrologiæ*. Ex quibus clarè patet, quod non est nouum, nec etiam inconueniens, regem circa Astrologiam vacare, & in ea studere, dummodo regimen reipublicæ in aliquo non derogetur.

Clericus. CAP. CCCLVIII.

REspondeo ad id, quod allegatis de exemplis principum: & dico quod plura opuscula intitulantur à nominibus principum, quæ tamen non compilauerunt. maximè isti *libri Diuinationum* intitulantur à Salomone, & ab aliis auctoribus formosis, ad finem, vt maior fides eisdem adhibeatur. Item verum est, quod aliqui principes dilexerunt astrologiam: & fecerunt astrologos libros compilare, qui intitulabantur ab ipsis regibus: vt patet in *talibus Alphunsi*. Item veritas est, quod aliqui principes habuerunt tales scientias ex spirituali domo & gratia Dei, vt fuerunt Noë & Moyses, Salomon & plures alii. Et propterea dicit Iosephus, quod dedit Deus pluribus eorum diutius viuere propter communem vtilitatem, vt populum instruerent per Astrologiam: & alias scientias à Deo in ipsos infusas. Nec propterea sequitur, quod principes moderni debeant quantum ad hoc eorum vestigia imitari, cum sint breuissimæ vitæ, & habeant circa necessaria ad salutem suam, & populi potius intendere. Insuper experientia nos informat, quod principes, qui in talibus scientiis vacauerunt, malè finierunt, & malè fuerunt fortunati: Athelus Rex Hispaniæ, qui fuit magnus astrologus, ignominiosè fuit de regno suo eiectus. Item narratur in *Vita philosophorum*, de quodam philosopho, vocato Tales, qui fecit se duci extra domum suam vt videret & contemplaretur stellas: qui dum duceretur per vetulam, cecidit in foueam: tunc dicit vetula: *O Thales Thales, tu nescis videre ad pedes tuos, qualiter poteris cœlestia cognoscere?* Item narratur, quod Rex Iacobus Maioritarum, quando recessit de Auinione, fecit eligi horam recessus sui per astrologos: & tamen in illo viagio perdidit regnum. Sic igitur scientia principis Christiani, & cuiuslibet fidelis, nil debet futurum inquirere: sed illius dispositioni humiliter obedire, qui disponit omnia suauiter: cuius consiliarius nemo fuit. non possumus ei dicere, cur ita facis? Dominus est. quod bonum est in oculis suis faciat: non laboremus ei. nocet dicere, cur ita facis. tempora vel momenta? quæ pater posuit in potestate sua. futurorum enim explorare notitiam auguriis vel aliis illicitis modis, dyabolica tentatio est, & æternæ damnationis occasio. os enim Domini locutum est, populum Israel instruentis: *Cum egressus,* inquit, *fueris terram, quam Dominus, daturus est tibi: caue ne imiteris abominationes gentium. non inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam suam ducendo per ignem. Non sit qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria. non sit maleficus vel incantator. nemo per phitones aut diuinos quærat à mortuis veritatem. omnia hæc abominabitur Dominus. Si surrexerit,* inquit, *in medio vestri propheta aut qui dilexerit somnium vidisse & prædixerit signum, & euenerit: non audias.* non curent igitur fideles Christiani tales diuinationes vel somnia: nec errore illorum inuoluantur, qui occursum leporis timent, qui mulierem sparsis crinibus qui hominem orbatum oculis, aut mutilatum pede, aut imbarbem aut cuculatum habere obuiam detestantur: qui de iocundo gloriantur auspicio, si eis lupus occursauerit, aut columba, si à sinistra in dextram auis sancti Martini volauerit, si hominem gibosum obuiam habuerint, aut leprosum: hæc & similia vana sunt, & ab omni Christiano præcauenda.

Miles. CAP. CCCLIX.

VIdeo ergo ex præmissis, quod tales diuinationes astrologicæ, sortilegia, necnon aliæ obseruantiæ superstitiosæ, sunt prohibitæ cuilibet fidei Christiano. Sed nunc quæro, vtrum contrarium facientes sint aliquali pœna plectendi?

Clericus. CAP. CCCLX.

TAles sunt variis pœnis plectendi, vt patet cuilibet intuenti, *extra de sortilegiis, quasi per totum,* & *C. de malefic. & mathemath. quasi per totum,* vt notauit Hostiensis in *summa*

Digitized by Google

de sortilegiis. §. *quæ sit pœna.* de quibus sufficiat præmissio. secundum vnam pœnam ipsorum solum stylo prosequi, scil. pœnam sententiæ excommunicationis, cum non sit maior in ecclesia Dei. Isti enim diuinatores, sortilegi & mathematici, si moniti non desistant sunt excommunicandi *16. q. 5. c. nullus oportet, & c. si quis episcopus aut presbyter & q. 5. c. amoueatur.* Et non immerito hæc pœna excommunicationis est contra eos infligenda ad instar Luciferi & suorũ sequacium. nam ad instar primorum parentum, quorum sunt imitatores in hac parte. prout enim Lucifer & sui sequaces, etiam primi parentes violauerunt ea, quæ diuina maiestas in signum singularis prærogatiuæ sibi specialiter reseruauerat, & temerariè nimis vsurparunt: & ideo excommunicati fuerunt, & eiecti de paradiso cœlesti ac terrestri: sic & isti nituntur ea, quæ creator cœli & terræ sibi specialiter reseruauit, scil. cognoscere futura tempora & momenta, quę posuit solus in potestate sua, sibi per falsas practicas & vanas deceptiones applicare: non immerito ergo tales à consortio fidelium tanquam oues morbidæ sunt eiiciendæ, ne gregem dominicum inficiant. Isti enim peccant contra creatorem cœli & terræ: & contra dispositionem agentium naturalium: applicantes agentia naturalia ad alium vsum, quam natura naturans disposuit. Et ideo rationabiliter pœna introducta ad instar dispositionum naturalium debent puniri. Potest enim probabiliter persuaderi, quod ecclesia trahit pœnam excommunicationis ad instar dispositionis agentium naturalium: vt ars imitatur naturam, vt *l. adoptio. ff. de adoptio.* videmus enim quod vbi est vnum corpus informatum, vna forma vnita totius, durat donec singulæ partes vniformiter regulentur. Sed cum partes difformiter regulentur, totum dissoluitur, nisi partes ad vniformitatem reducantur: vel nisi pars, quæ reduci non potest, à toto corpore eradicetur, & alia conformis introducatur. Videmus exemplum in corpore humano. Nam cum omnes honores sub vnitate formæ humanæ sunt, durat æqualitas ipsius: sed cum aliqui peccant in quanto vel quali, est opus eradicatione vel reductione: aliàs sequitur ægritudo totius & extinctio: quia humor infectus per contrarium alium inficeret. Et sic in singulis naturalibus simplicibus & mixtis posset discurri. Sic directè in proposito, omnium Catholicorum collectio siue tota militans ecclesia est vnum corpus informatum, vna forma scilicet fide, informata virtutibus Theologicis & moralibus: & donec singula membra vniformiter regulentur, durat æqualitas corporis mistici. sed cum aliqua membra irregulariter se habent respectu totius, tunc est opus reductione vel eradicatione, alias corpus inficeretur. Et propter hoc militans ecclesia ortum sumendo à naturalibus ad sui perseuerentiam adinuenit hoc genus censuræ: & cum aliquis de corpore Christi mistico deuiat, moneatur, & sic reducatur *c. sacro. extra de senten. excom.* quod si reduci noluerit, eiiciatur de corpore, ne per contactum alios inficiat. & ista est excommunicatio, & fit aliquando à toto corpore totaliter, & hæc est maior excõmunicatio: aliquando à parte corporis, & hæc est minor. sic aliquando humor eradicatur totaliter de toto corpore humano: aliquando non eradicatur totaliter, sed à certo loco deuiatur. & sicut eradicatio totalis humoris & deuiatio aliquando fit à natura sine hominis ministerio. aliquando cum hominis ministerio, scil. cum fertur ab homine: & sicut carnes putridæ inficiant. idcirco resecantur *24. q. 3. c. resecanda*: sicut aliquando in corpore humano insurgit humorum multitudo peccantium contra naturam: & totum corpus excommunicetur. Et hic morbus vniuersalis appellatur. aliquando particularis tantũ in corpore Christi mistici incipit membrorum peccantium multitudo contra vnitatem, vt fiat dissolutio, cum fuerint scismata in ecclesia. Vnde hic aduertendum, quod excõmunicatio, quæ est separatio à Deo tantum, fertur à Deo tantum: vbi põderandum, quod collegium omnium Catholicorum est vnum corpus: & appellatur corpus Christi misticũ & informatum forma. hoc probatur *3. q. 4. c. Engelcundã. & 11 q. 3. c. nihil.* Et istud corpus misticum Christi est informatum forma diuina id est, fide Catholica virtutibus informata, vel spiritu vitali Christi. Nã licet sint membra multa in corpore illo mistico, tamen omnia illa membra viuificantur eodem spiritu, scil. vitali Catholicæ fidei informata operibus virtutũ: & donec sub illa sic informata mẽbra degunt. tunc sunt vnũ corpus, & ad illam vnitatẽ omnes tendere debent prædicantes, sicut scribitur in Exod. 4. c. *vesti sacerdotis iungitur mala punica*: id est mala granata, vnitas fidei intelligitur. nam sicut in malo granato multa sunt grana sub eodẽ cortice: sic sub eadẽ fide multa sunt membra cooperta illa fide, vt pulchrè declarat Gregorius, & transumptiuè habetur in Canone *c. sit rector. 43. di.* Si autem aliquod membrum recesserit ab illo cortice, id est fide vel operibus virtuosis ipsam informantibus, quod contingit per mortale peccatum etiam vnum solum: nam offendens in vno factus est omnium reus *Iacobi 2. c. & c. defleat de regulis iuris.* Etiam si sic separetur Christi à corpore mistico, nec viuit spiritu vitali Christi, vt pulchrè probat Augustinus *super Io. cap. nihil 11. q. 4.* sic inquiens: *Qui enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius.* si non est membrum, non vegetatur spiritu eius. Ex præmissis concluditur, quod excommunicatio, quæ est tantum separatio à Deo: à Deo tantum lata est. nam statim cum desinit viuere illo Dei spiritu, non est amplius membrum eius. Et quod dixi, quod Collegium Catholicorum est vnum corpus, & dicitur corpus Christi misticum, vt in Canone *Engelcundam, 3. quæst. 4.* Quæro qualiter sit vnum corpus, quod erit præambulum ad infra dicenda. Vbi sciendum, quod sicut in vero corpore humano sunt membra multiforma ad singula officia tendentia *89. distin. c. 1.* & sicut ibi est anima & corpus viuificatum, vt *32. quæst. 2. cap. Moyses & c. sequenti & cle. prima de summa trinitate & fide cat.* vt sicut ibi sunt quatuor elementa ad minus virtualiter ad ipsius mixtionẽ subtilissimè ex naturalibus agentibus superius & terrestribus redacta, vt in *c. in quandam de cele. missarũ*: sic in corpore mistico sunt diuersa membra in suas operationes tendentia: ibi est corpus viuificatũ, & etiam viuificans. Vbi sciendũ, q̃ sicut partium

[illegible] veri corporis humani quædam sunt partes ab aliis regulatæ: quædam autem sunt partes aliæ regulantes (vt sunt membra principalia) & aliæ sunt partes corporis, quæ simplices nuncupantur: sic in corpore mistico sunt partes simplices & regulatæ, vt personæ laycæ sicut oues regendæ. *secunda quast. septim. capitulo oues.* Membra autem principalia & organica sunt ministri ecclesiæ: & inter ipsos est caput vicarius Christi Romanus pontifex 21. *distin. c. cleros & c. in nono.* Et sicut à capite descendunt Spiritus deferentes virtutem naturalem toti corpori (vt dicunt naturales) sic à Romano pontifice ad totum corpus misticum: & singulos de corpore velut à capite tota potestas emanat & defluit 19. *distin. c. ita Dominus.* Et sicut in capite humano naturali sunt quatuor sedes fundantes quatuor virtutes interiores (vt habetur in *secundo de Anima*) sic in capite corporis mistici debent esse quatuor virtutes cardinales, vel saltem duæ tantum deberent esse ad instar cardinum, super quibus defertur hostium. sed quia huiusmodi corporis mistici multa erant messis & operarii pauci electi sunt 72. *discipuli 21. dist. c. in nono*, in quorum loco successerunt episcopi 68. *distin. c. quorum vices*: & sic ista sunt membra organica huius corporis: scilicet cardinales & episcopi. sunt & alia membra organica, sicut sunt ministri ecclesiæ inferiores episcopis, de quibus & eorum officiis 21. *di. capit. cleros.* Dixi secundo, quod sicut in vero corpore humano est anima viuificans & corpus viuificatum: sic in corpore mistico est anima viuificans scilicet Christus; siue fides operibus virtutum informata. ipse enim est vitam præstans cunctis de corpore, cum ipse dicit in Euangelio: *ego sum via* 8. dist capitulo *consuetudo*: corpus autem viuificatum est collectio fidelium in hoc corpore viuificato. Et sicut corpus verum naturale viuificatur ab exteriori potu & cibo assumptis: sic in hoc corpore est verus cibus saluatiuus animæ, corpus Christi, verus panis: *Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Dixit tertio, quod sicut in vero corpore naturali sunt quatuor elementa: sic in hoc corpore militantis ecclesiæ sunt quatuor Euangelia, licet vnum sit Euangelium secundum quatuor auctores: & quatuor elementa seu Euangelia continent quicquid vitale in corpore Etiam ex hiis elementis insurgunt riuuli epistolarum, verum quia sicut ad conseruationem veri corporis naturalis & ipsius sanationem compatitur infirmitatem, ne altissimus in necessariis deficeret, ab eo processit ars tradens modum conseruandi & curandi, quæ medicina nuncupatur: sic vt hoc totum misticum conseruetur & partes egrotæ curentur; ab eo prodiit scientia tradens modum conseruatiuum huius mistici corporis. Et hæc est scientia Canonum & legalium constitutionum, quæ per ora principum diuinitus promulgata est *C. de lon. temp. præscript. l. fi.* 16. *quæstione prima, capitulo placuit* 8. *distin. capitulo quo iure.* Ad hoc enim factæ sunt leges, *quarta dist. c. factæ sunt leges.* Et sicut sunt Canones conseruatiui & curatiui corporis naturalis humani, concernentes totam speciem humanam in latitudine complexionis suæ. Et hii vocantur Canones Generales, & secundum varietatem regionum, indiuidualium complexionum, & variarum circunstantiarum per artifices variantur media applicando, 29. *distin. c. sciendum, & c. sequen. & c. vt continetur l. dist.* Sic in corpore mistico propter varietatem regionum & circumstantiarum ad seruanda singula corpora vniuersitatum, quæ sunt partes magni corporis mistici, variæ constitutiones sunt introductæ. Et sicut sunt deputati medici circa conseruationem corporis humani secundum artem operantes: sic ministri sunt deputati circa conseruationem huius corporis militantis ecclesiæ, scilicet episcopi & alii iudices ecclesiastici. Circa quod est aduertendum, quod si hæc cura fiat, vt quilibet de corpore propter se tantum Deo iungatur: sic est fori pœnitentialis. si autem fiat vt tota collectio conseruetur, quod fieri non posset, si pars partem inficeret, sic est fori contentiosi. Et licet ministri secundum Canones sic operentur, tamen hoc faciunt vt ministri; quia principalis operans est Christus 11. *q.* 3. *c. nemo contemnat.* Et licet videat hic aliqualiter metas iuris excessisse; hoc feci, vt inferrem, quod ad instar naturalis dispositionis hæc sententia excommunicationis traxit originem. Ex hiis patet ergo, qualiter à Deo & solum ab illo fertur hæc excommunicatione: & in hac deductione intendo solum ex dispositione humani corporis naturalis elicere dispositionẽ mistici, quia supra probatum est, quod singuli de corpore militantis ecclesiæ cibantur cibo spirituali corpore Christi: & Christus præsentatur in ministris ecclesiæ: & per eos præsentatur cibus sacramentalis. Inde est quod iniiciens manus violentas in clericum, violat Christum. Vnde dictum est, *qui vos tangit, me tangit.* 2. *q.* 1. *c. actio* 7. *q.* 1. *c. qui vos violant.* Qui igitur nititur destruere ministerium sacramentalis cibi: iustum fuit, vt illo cibo priuaretur; & in eo in quo delinquit puniretur *c. literas de res. & quasi.* Et si quis etiam principi non obediuerit, morte moriatur. A Christo igitur mediante Canone, vel ministro Christi emanauit excommunicatio sicut dicitur in corpore humano; si quis humor patiatur destrasiam, debet eradicari, ne totum corpus inficiat: sic in hoc corpore mistico debet membrum putridum eradicari.

Miles. CAP. CCCLXI.

IVxta prædicta quæro; vtrum minister Dei iudex ecclesiasticus possit iniuste excommunicare: probatur quod non, quia iudicium ecclesiæ debet se conformare iudicio Dei 11. *q.* 3. *c. reuera.* 2. *q.* 1. *c. Deus omnipotens, de sen. excom. c. à nobis* 2. sed Deus nullũ ligat iniuste 11. *q.* 3. *c. secundũ, de pœni. di.* 4. *c. si ex bono*, cũ similibus. ergo &c. Itẽ auctoritate Petri nullus potest aliquẽ ligare nisi quẽ Petrus ligaret 24. *q.* 1. *c. manet* Item ligare iniuste est vitiosum: sed in ecclesia etiam militante non debet esse macula vel ruga. 21. *distin. c. quamuis de pœn. distin. c. ecclesiã.* ergo &c. Item deficiente causa, propter quam aliquid potest esse, cessat & illud 70. *di.* §. *hiis omnibus, de Biga. c. debitum. ff. de Iure patro. l. adigero.* §. *quãuis.* sed causa excõmunicationis debet esse mortale peccatum 11. *q.* 3. *c. nemo episcoporum*

& c. certum. hoc cessat, vbi iniuste profertur. ergo &c. Item arguendo ab effectu. vanum enim est, quod debito careat effectu, *de electi. c. commissa. ver. porro lib. 6.* Sed excommunicatio iniuste prolata caret effectu excommunicationis, qui est, vt per eam tradatur quis Sathanæ, & substrahatur Dei gratia 11. *q. 3. c. audi. & c. nihil.* sed ista cessant in iniusta excommunicatione, vt per se patet. igitur &c. Item iusta ligat: ergo iniusta non ligabit, per locum ab oppositis 9. *di. c. 1. 32. di. c. hospitalitatem.* Item casus est in terminis, vt videtur 11. *q. 3. c. cui est.*

Clericus. CAP. CCCLXII.

IN oppositum est *c. sententia pastoris* 11. *q. 3.* Solutio contraria: multa fieri non debent, facta tamen tenent, *de regula. c. ad Apostolicam.* fateor ergo, quod iniustè nullus debet excommunicari: & sic procedunt tres primæ rationes. Et ideo faciens est in culpa, & pœnam meretur. 11. *q. 3. c. temerarium.* sed nihilominus excommunicatus est ligatus. vt *de rescriptis c. ab excommunicato*, cum ibi notatis. Gratianus 11. *q. 3. §. cum ergo*, hoc intellexit, quando quis propter aliquam culpam est dignus excōmunicari. sed cum intentio excommunicatoris attendatur, & pro alia culpa nō intendebat excommunicare, non potest procedere dictum Gratiani. dico ergo sententiam iniustam ligare. Ad cuius euidentiam sciendum, quod interdum dicitur excommunicatio nulla: aliquando iniusta. tunc dicitur nulla, quando in agente vel patiente est inhabilitas. de prima patet, vt quia non Iudex, vel quia talem iurisdictionem exercere non potest 24 *q. 1. c. audiuimus* facit 26 *di. c. bene quidem*, *de sen. excom. c. si quem.* & sic loquitur capit. allegatum in contrarium: ibi sententia lata fuit ab hæretico, qui iurisdictionem non habet. de secunda patet, vt puta, si is, in quem fertur, est talis qui non potest delinquere, vt infans vel furiosus, saltem si hoc est notorium. no. Innocen. *extra de senten. excom. c. romana.* vel quia non est capax huius sententiæ, quia infidelis, & sic non est de corpore militantis ecclesiæ, *extra. de diuorti. cap. gaudemus* 2 *q. 1. c. multa.* hoc enim casu si agens esset habilis, ex quo patiens est dispositus ad suscipiendam huiusmodi actionem, nullum est quod agitur, 31. *di. c. ad hac. de baptismo c. maiorum*, in fi. Idem est, vbi in ipsa error intolerabilis exprimitur, vt quia excommunicatur quis, quia facit quod est bonum: vel quia non facit malum, vt in *c. per tuas de sen. excom. & c. venerabilibus. eo ti. lib. 6.* Si enim ecclesia per talem sententiam vellet ligare, cum appareat ex forma sententiæ. quod subditus non debeat parere, videtur per consequens peccatum, de quo sibi constaret, approbare vt licitum: & hoc dicere non esset bene Catholicum. iniusta dicitur sententia, cum non seruatur ordo, vel non subest causa, vel non rationabilis, vel cum nulla intentione, vel non zelo iusticiæ profertur. 11. *q. 3. § cum ergo*, tamen si habilitas est ex parte agentis & patientis, & cessat erroris expressio, tunc valet, quod ideo procedit. vt claues ecclesiæ in maiori reuerentia habeantur 11 *q. 3. c. nemo contemnat*: & vt homo per meritum obedientiæ crescat 11. *q. 3. c. quid ergo.* vnde & si proferens peccet, tamen obediens iuste facit 22. *quæst. 1. c. quid culpantur*: & non contemnendo meretur. vnde talis sententia est animæ medicina 14. *q. 3. c. notandum* 11. *q. 3. §. cum ergo.* patet ergo quod sic parendo licet sit ligatus apud ecclesiam militantem, non tamen apud Deum. *de resti. spolia. c. literas, de sen. excommu. c. inquisitioni.* sed contemnendo ligaretur apud Deum, vt in prædicto *§. cum ergo* & in decretali *per tuas.* pareat ergo 19. *c. in memoriam di. c. contra morem.* Per prædicta respōdetur ad prima quatuor contraria & ad *c. cum enim.* Ad quintum dico, quod habet locum in excommunicatione iusta. vnde ibi præsupponitur culpa, vt patet in *c. audi.* Item iniuste quis admittit illa, quæ sunt ex parte ecclesiæ militantis, per quæ disponitur ad gratiam Dei: & sic potest dici, quod excommunicato iniustè subtrahitur gratia Dei. Ad aliud dico, quod licet iustum & iniustū sint contraria secundum se: tamen non potest respectu huius termini ligare. vnde si est iusta, sequitur quod ligat, ergo quæ non ligat, non est iusta. sed non sequitur id quod opponendo dicebatur. Ex prædictis igitur patet, quod hæc excommunicationis sententia toleranti est medicinalis: *de sen. excommunica. lib. 6. c. cum medicinalis*, corpus enim per ipsam traditur Sathanæ, vt Spiritus eius saluus fiat 11. *q. 3. c. audi.* Et hæc excommunicationis sententia, fertur propter cōtumaciam & propter mortale peccatum 11. *q. 3. c. nemo episcoporum.* & per obedientiam & contritionem de peccato purgatur contumacia, & deletur peccatum *§. ferrum 1. di. & regula peccatis, extra de regul. iuris lib. 6.* ecclesia enim redeunti nunquam claudit gremium, *epistola inter claras. C. de sum. tri. & fi. Catholica.*

Miles. CAP. CCCLXIII.

IVxta præmissa quæro. Quidam suggestione dyabolica fecit se Antipapam, vt alias visum fuit. & intelligo cum opere subsecuto, quia creauit cardinales, episcopos, & fecit alia ad summum pontificem spectantia quantum in se fuit. planum est quod secundum sanctiones Canonicas iste est excommunicatus, & variis pœnis plectendus. Sed quæro, nunquid eidem pœnitenti sit danda venia? Et videtur quod non: quia suis demeritis consideratis nulla fere pœna inueniretur sufficiens. Et posset dici, quod licet pœnitentia admittatur ad sacramenta ecclesiæ, quæ non claudit gremium redeunti, vt in *epistola inter claras* superius alleg. non tamen exuitur à pœna fori exterioris *extra de hæreti. c. super eo, lib. 6.* pœnitentia enim pœnitenti tali & tanto peccato desinit esse nocens *ff. de fun. l. qui ea mente & C. de Apostat. l. 3.* & ibi notatur. cum etiam non solum inchoauerit, vt est dictum *ff. de ui bo. rap. l. penul.* Et si aliquid obmiserit, hoc fuit quia non potuit *ff. ad leg. Pomp. de parri. l. 1. in fine.*

Clericus.

Digitized by Google

Clericus. CAP. CCCLXIV.

Videtur hiis non obstantibus, quod sanctitas sedis Apostolicę piè ac clementer deberet ad veniā recipere. dicit enim Valerius Maximus narrans clementiam Scipionis erga regem Armeniæ quem tenebat captiuum, qui multum offendebat rempublicam Romanorum: *licet egregium sit hostem eiicere, maioris tamen laudis est scire misereri.* Et cum iste miser Antipapa infelicior sit omnibus aliis, & delictum suum directè respicit personam & statum Romani pontificis, tanto sibi reputabibitur ad maiorem laudem si misereatur. Nam vt dicit Seneca in primo libro de clementia: *nullum decet habere clementiam, sicut principem.* vnde dicit ille sanctissimus Imperator, quod *Nihil tam peculiare est imperialis maiestatis, sicut humanitas C. de dona. inter virum & vxorem l. fi.* & *de nupt. l. imperialis.* & si hoc dicatur de principe seculari & temporali, multo magis de principe ecclesiæ, cui sanctitas ignoscendi gloriam derelinquit. *C. de episcopi & cle. l. si quis in hoc.* vnde ad laudem Octauiani dicitur, quod erat verus clemens in omnes, austerus in paucos. Hoc etiam expedit propter magnam vtilitatem, quæ ex hoc potest contingere ecclesiæ & fidei. Nam per hoc rebelles & infideles ecclesiæ facilius reducentur. videntes enim, quod ita clementer & piè sedes Apostolica se habeat circa istum Antipapam, qui vltra alios deliquit, & fuit caput scandali, & petra offensionis: confidenter poterunt sperare, quia benignius se habebit circa eos, si ad obedientiam veniant. Nam dicit Seneca primo libro de clementia: *multos vna vincit clementia, quos seueritas non potuit subiugare.* vbi narrat de quodam, qui multa fecit contra hostes: & videns quod non poterat proficere, consuluit vxorem suam. quæ dixit ei: fac sicut medici facere solent: nam vbi vident, quod vsitata remedia non prosunt, vtuntur contrariis. & tu hucusque vsus es potentia, & nihil profecisti: nunc vtaris clementia. & ipse vsus fuit consilio vxoris suæ: & sic omnes sibi subiecit. Deus igitur, qui ex sola sui benignitate per vias incognitas inimicos ecclesiæ confundit, & eos tradit plebi in opprobrium: sic scismaticos eccclesiæ tradet in manibus eius. sed quia ipse saluator noster clementissimus est & misericors, sequatur ipsius vicarius eius vestigia, qui nostri quotidie miseretur *l. imperialis C. de nupt.* & dictū Antipapam cum sequacibus seu quoscumq; scismaticos ad gremium & vnitatem matris ecclesiæ recipiat: quia per hoc sedes Apostolica omnes alios deuincet: iuxta illud quod dicit Salustius de cæsare, *quia nos armis subiecerat sed clementia magis vincit.* Sed sciendum, quod in clementia sunt gradus, propter quos videtur, quod licet non debeat esse modica, tamen non multum debet esse emolliens vel effusa, vt 45. *distincti. c. disciplina.* sedes igitur Apostolica contra talem Antipapam, si quando insurrexerit (quod absit) & alios scismaticos ecclesiæ quorum plures in Italico solo pullulant hodie, misceat lenitatem cum seueritate. sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate seuiens: sit pietas, non plusquā expediat parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiam cum seueritate sociatam. videmus amantem piè, & districtè seuientē. certè cum populus Israeliticus ante Dei oculos pene innumerabilem extraxisset offensam, ita vt eius rector audisset: *descende, peccauit populus tuus.* ac si ei diuina vox diceret: qui in tali peccato lapsus est, meus non est. atque subiungeret: *dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & delebo eos: faciamque te in gentem magnam:* ipse semel & iterum populo, cui præerat se ad impetum Dei irascentis opponens ait: *Aut dimitte eis hanc noxiam: aut facias delere me de libro tuo quem scripsisti.* Pensemus ergo quibus visceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petiit. Sed tantum iste, qui tanto eius populi amore constringitur circa eius culpas, pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. mox vt culpæ venia daretur, obtinuit rectitudinis zelo succensus inquit: *Ponat vnus vir gladium super femur suum. Ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum: & occidat quisque fratrem & amicum & proximum suum. Ceciderunt die illa. 23. milia hominum.* intus arsit igne amoris: foris accensus est zelo seueritatis. tanti fuit pietas, vt se pro illis corā Domino morti offerre non dubitaret; tanta seueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat, ipse iudicii gladio feriret. Et hic diligenter attendendum, quod forsitan istæ scissuræ, quæ in Italia inualescunt & pullulant hodie, causantur propter absentiam sedis Apostolicæ. in mundo enim isto Deus duas habet domos siue ecclesias, principales & peculiares, pro quibus multum fecit: & quas multum dilexit: & à quibus propter peccata hominum videtur faciem auertisse. Et ideo nimis sunt afflictæ & desolatæ. Vna est ecclesia Romana, quam ipse solus fundauit; vt dicit Canon *vicesima secunda distincti. c.* 1. & sanguine illorum beatorum Apostolorum fundatorum nostræ fidei dedicauit. Alia est ecclesia Hierosolyma, quam ipse suo baptismo & sanguine consecrauit. Dei igitur potentia, quæ magna est, qui res omnes desperatas quando sibi placet producit ad effectum: qui beatum Petrum fugientem ab vrbe Romana reuocauit: tangat cor præsentis Romani pontificis ad visitandum sacro sanctam ecclesiam Romanam. Proprie enim & conuenienter nunc summus pontifex posset & deberet dicere illud, quod dicit ille, cuius locum tenet in terris, scilicet *tempus est vt reuertar ad illum qui me misit.* Deus enim Romanum pontificem misit ad partes citra montanas propter aliquas necessitates tunc occurrentes: tempus est ergo vt amodo sanctitas sua reuertatur ad eum qui misit ipsum: & ad sponsam suam prædilectam: & visitet & consoletur eam: & reparet suum patrimonium & suam domum, quæ multipliciter nunc est collapsa. diu enim est quod sedes Apostolica agros irrigauit alienos: tempus est vt irriget suos, qui sitiunt temporaliter & spiritualiter. Et fateor nec possem negare, quin plures aliæ ciuitates inueniantur magis delicatæ & maiori tranquillitate, & ciues

Digitized by Google

melius concordes & melius dispositi ad pacem & tranquillitatem: sed Deus noluit ecclesiam suam fundare in magnis deliciis, & in magna tranquillitate. quia si voluisset, sciuisset & potuisset. nauicula enim Petri in mari est posita, & non in terra: vt frequenter procellis & tempestatibus agitetur. tamen bene scimus quod ei nocere non possunt: quia protectorem habet illum, cui mare & venti obediunt. nec longiora quæramus exempla. nunquid à memoria hominum non excedit, quanta fuerunt facta retro actis temporibus in Lumbardia? Intrauit Bauarus & cum magna potentia contra ecclesiam. & ille maledictus Petrus de Coruaris sedem Petri occupans cardinales habuit, notarios & officiales, & magnam curiam, & sequaces. Vere etiam multi iusti qui remoti erant, habuerunt malas temptationes: & benedictus Deus, quia dies illius fuerunt abreuiati, quia si diutius durasset, damnum fuisset non modicum fidei Christianæ. Verum quia medicus non est necessarius sanis, sed male habentibus: modo partes Franciæ inter cæteras, imo super cæteras partes Christianitatis in vnitate fidei super firmam petram sunt firmatæ. recedat ergo sanctitas Apostolica & visitet infirmos, & curet eos. ibi enim erit honor & gloria: ibi erit lucrum: ibi erit meritum sienim patria Romana esset delectabilis & in magna tranquillitate, & concordia: quale tunc esset meritum: Dei enim filius non venit propter iustos, sed propter peccatores. fide enim tenemus quod de omnibus sumus reddituri rationem, etiam de verbo ocioso inquiret rationem: multomagis de sua ecclesia, quam tantum dilexit, pro qua obtulit se velle mori antequam deseretur. Et si ignorantia non excuset peccatorum, multominus excusabit eum scientia. Et si scientia, multomagis requisitio. Sponsa enim requisiuit sponsum, clamat, requirit subsidium, postulat defensionem. cum qua conscientia poterit Papa denegare quin visitet & defendat eam? *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis*: & si animam suam, multomagis debet sustinere pro eis aliquam incommoditatem. Papa est pastor: nec est bonus mercenarius, qui fugit & dimittit oues. sedes enim Apostolica non in suo solo, sed in alieno sedet: Et tamen Constantinus, dum dedit vrbem beato Siluestro, vna ex rationibus principalioribus fuit motus, quia non erat dignum, quod vbi sederet vicarius Christi, aliquis haberet terrenam potestatem, *extra de electio. c. fundamenta, lib. 6.* Ad hoc igitur deberet sanitas Apostolica multiplici ratione inclinari. Primo propter diuinã iussionẽ. Secundo propter loci dispositionẽ. Tertio propter sedis prærogatiuam. Quarto propter coniugii vim & fidem impulsiuam. Quinto propter prædecessorum imitationem. Sexto forsan propter diuinam reuelationem. Septimo propter multiplicem aliam rationem. Primo namq; constat, quod iussu Saluatoris Petrus vrbem fugiens ad ipsam rediit, & interrogans eũ: *Domine quo vadis*? respondit, *vado Romam iterum crucifigi*: & sic ad locum ipsum pro cuius est reuersus. promptus siquidem ad moriendum & iussum Domini exequendum: & ibi crucifixus est, cuius effusione sanguinis fundata, confirmata & consecrata est sacro sancta Romana ecclesia. Qui locum ergo tenet beati Petri, debet ad iussum Domini eius vestigia imitari. & Romam iterum redire, vt se murum præbeat pro domo Israel, etiamsi oportuerit eũ ibidem crucifigi. Secundo dixi quod propter loci dispositionem debet ibidem redire, quia vrbs ipsa caput orbis est, & ad modum orbis disposita. Sicut enim in orbe sunt patriarchales ecclesię, vt notatur per Doctores 3. *c. fundamenta de elec. lib. 6.* mirũ quia locus ille est, quæ elegit Dominus *c. per venerabilem, qui filii sunt legitimi.* Et sicut saluator, cuius vices Romanus pontifex gerit in terris, non nouit opus imperfectionis, *de baptismo c. maiores §. sed adhuc*: ideo Papa tendere debet ad id, quod est perfectius, scilicet ad caput orbis, & ad locum qui magis instar orbis repræsentatur, vt quasi similitudo orbis in vrbe dicitur expressa, vt accedat quod legitur *de pœn. di. 1. c. principium.* & sic morando in vrbe, in toto orbe repræsentatiuè morari videatur, *extra. de cle. non resi. c. ex parte.* Et semper caput tanquam venerabilius, carius debet obseruari. *ff. de religiosis. l. cum in diuersis. l. eos C. de aquæduc.* Tertio propter sedis prærogatiuam. constat enim quod sacro sancta Romana ecclesia cruore martyrii Apostolorum Petri & Pauli consecrata est prima caput omnium aliarum mater & domina est effecta: & super omnes alias obtinet monarchiam 21. *dist. c. 1. & 2.* Ista est enim, in qua Domin' totius ecclesiæ principatum posuit 11. *di. c. nolite*, & secundum aliquos attẽta diuina dispositione sedes Apostolica alibi non potest transferri *c. fundamẽta de elect. libro 6.* Quarto dixi, quod debet redire propter coniugii spiritualis vim & fidem compulsiuam. constat autem quod coniugium spirituale est contractum inter Romanũ pontificem & ecclesiam Romanam, ratione cuius maior est vnio inter ipsum & ipsam sponsam, quã inter virum & suam vxorem, cum ista vnio sit spiritualis, illa vero carnalis *de translatione episc. c. inter corporalia.* Igitur si propter coniugiũ carnale tenetur homo relinquere patrem & matrem, & adherere vxori suæ. *Gen. 20. c.* multo magis propter coniugium spirituale suam sponsam sequi tenetur *ff. de an. lega. l. mæuia*, & debitum soluere. in quo casu nulla exceptio reperitur *de coniugiis lepro. c. quoniam.* Nam socii debent esse diuinæ & humanæ domus. *C. de crimi. expila. hæredi. l. aduersus.* Quos igitur Deus coniunxit, homo non separet. 23. *q.* 2. *c. quos Deus.* Quinto dixi, quod redire tenetur propter sanctorum prædecessorum imitationẽ: quorum plures hactenus, nisi paucis diebus citra, in eadem vrbe & ecclesia residerunt: quorum vestigia non immerito Papa debet & tenetur imitari 2. *quæstione* 5. *capitulo Nos sanctorum.* Hoc enim egerunt, vt posteris daretur in exemplum *exemplo enim didici disciplinam*, prouerbiorum 24. c. imitatur ergo Petrum, qui suo cruore eam consecrauit 6. *q.* 1. *c. imitare Petrum.* Sexto dixi, quod hoc forsan debent facere propter diuinam reuelationem: licet hoc asserere non audeam: sed sic multi diebus hodiernis loquuntur. Deus est enim in cœlo reuelans misteria, *Daniel.* 2. *c.* qui forsitan hoc auriculæ Papæ reuelauit 1. *Regum.* 9. *c.* iuxta illud. *reuelabo oculos meos: & considerabo*

Digitized by Google

rabo mirabilia de lege tua. sicut factus sermo ad Abraham per visionem, *Genes. 22. c.* si in vrbem Romanam & ad sedem tuam. vrbs enim illa sancta est, in qua sanctorũ Apostolorũ Petri & Pauli corpora requiescunt: quæ principatum obtinet: & caput omnium nationũ, scilicet vt vbi erat caput superstitionis, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi principes gentilium habitabant, illic ecclesiarũ principes morarentur 2. *q.* 7. *c. beati*. & vbi prima Cathedra Petri consistit. Septimo dixi, quod hoc debet propter multiplicem aliam rationem. Primo ad hoc solum sufficit voluntas Romani pontificis, iuxta illud: *an non licet mihi facere de meo quod volo*? Matth. 2. c. Secundo forsan propter conscientiam, qua forte ducitur, contra quam non valet resistere, *de resti. spo. c. literas*. Tertio, quia hoc faciendo nihil noui facit, sed rem ad statum pristinum suum reducit. *Digest. de pactis l. si vnus §. quod in specie.* iuxta illud *reuertere ad terram patrum tuorum*. Genes. 31. c. Et, *redi in domum tuam*, Lucæ 8. cap. Et illud: *reducet Dominus eum in domo eius* 2. Reg. 29. c. Quarto forsan propter voti exsolutionẽ, iuxta illud: *vota mea reddam in conspectu timentium eum*. Ex his omnibus luce clarius concluditur, quod Romanus pontifex totis conatibus debet illam sacrosanctam Romanam ecclesiã appetere: & maxime modernis temporibus penitus desolatam effectualiter consolari & visitare.

Miles. CAP. CCCLXV.

HIc mihi datur materia replicandi. & *quis conceptum verbum vel sermonem continere potest?* Iob. 4. c: rationes namque superius allegatæ super recessu Romani pontificis minus recte concludunt: Nec rationes dici meruerunt, sed occasiones. Consideret quæso Romanus pontifex & diligenti meditatione reuoluat factum quod nunquam aggreditur locum à quo nunc egreditur. & iste namque locus tueri & sanctior in eligibilis locus gratiosior: ille odiosior. & quod locus Franciæ sit sanctior vrbe, si fas sit dicere, quod ratione maioris sanctitatis sit eligibilior. Probatur. siue loquamur de tempore ante fidem. legitur enim in libro Iulii Cæsaris *de bello Gallorum*, quod in signum & præsagium magnæ religionis in Francia habentur *Druides, qui diuinis rebus intererant, sacrificia priuata ac publica procurabant, ac religiones interpretabantur*. Et post multa subdit: *natio Gallorum est admodum dedita religionibus*. Ex quibus apparet proprie in figura etiam ante tempus fidei summam religionem & perfectissimam venturam in Franciam. iuxta illud quod dicit Apostolus: *omnia in figura contingebant illis*. de tempore vero fidei constat de pluribus prærogatiuis ipsius regni. post namque decoratur ipsum regnum sacrosanctis reliquiis: in quibus, & per quas Saluator noster benedictus Iesus Christus pro nobis immolatus triumphauit & mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, scilicet sanctissimum crucis vexillum: & illa dignissima corona spinea, quæ caput sanctissimum saluatoris nostri ornauit & pupugit. Et illud lanceæ ferrum omni veneratione dignissimum, quod eius latus sanctissimum perforauit, vnde exiit sanguis & aqua. *de consecra. di. 2. c. dupliciter*. Et claui illi sanctissimi, qui manus & pedes dignissimos perforauerunt: corrigiæ, quibus fustigatus est. Et titulus ille solennis *Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ*. Tabula etiam lignea superposita capiti Christi in sepulcro, cuius capitis sanctissimi impressio patet quasi esset cerea, quæ tabula adhuc residet sanguine præciosissimo Saluatoris nostri rubricata ista sunt arma Saluatoris. Et sic:

Vexilla regis prodeunt:
Fulget crucis mysterium, &c.

Prout Ecclesia cantat. Et

Pange lingua gloriosi prælium certaminis.

Quæ reliquiæ preciosissimæ hoc tempore in Francia secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt. *ad Rom. 2. c.* vt verificetur quod alibi dictum est de Hierusalẽ, *egredientur reliquiæ* 4. Reg 19. Et alibi: *dimittant reliquias hæreditatis meæ*. 4. Reg. 21. c. Ex his patet hunc locum sanctiorem esse & à saluatore nostro prælectũ. Nam sicut terra illa sancta reputatur, quam Christus principaliter reputauit: quia tamen postquam fuit corpus glorificatum & desiit in terris conuersari: citra tamen sui præciosissimi corporis communionem, quam in sacramento altaris omnibus sua diuina largitate communicauit: nulla temporali digniori præsentia hanc Franciæ patriam decorare potuit vel dotare vel consecrare, quam suarum sanctarũ prædictarum reliquiarum præsentia munire: quod sic declarari potest. Si enim Archa fœderis veteris testamẽti Philistinos ipsam occupantes percussit plagis variis, tanquã indignos detentione Archæ ipsius: & cum ipsam remisissent Bersamites, qui ipsam receperunt, & violauerunt sacrificia, etiam propter indignitatem percussit plaga magna, donec reducta esset in Galaam in domo Aminadab, in qua pacificã elegit mansionem. Sic etiam istæ sanctæ reliquiæ perpetuæ & sanctam hic elegisse videntur mansionem quasi in loco sanctiori. Quod autem hæ reliquiæ preciosiores sint illis reliquiis, quæ erant in Archa, apparet: quia in illa erant virga Moysis & tabulæ legis. de virga autem Moysis quomodo sit figurata in cruce, patet per Orignem sic dicentem super Exodo: Homelia 4. *puto quod virga Moysi per quam geruntur hæc omnia, fustigatio & verberatio Ægyptiorum, per quam Ægyptus subiicitur & Pharaò superatur, Christus sit per quam mundus hic vixit & princeps huius mundi cum principatibus & potestatibus triumphantur, vt de ipsa dicatur: sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui*. Item super Exodo. Homilia 8. *quid timent crucem Christi in qua exuti sunt principatus eorum & potestates?* Timor ergo & tremor cadent super eos, cum signum viderint in nobis fideliter fixum & magnitudinem brachii illius, quod tamen expandit in cruce. Manna autem plus quam manna hodie habemus. Nam, vt dicit Ambrosius in libro de sacramentis, *re vera magnum mirabile est quod Deus pluit manna patribus & quotidie cæli pascebantur ali-*

Digitized by Google

mento. Vnde dictum est, panem Angelorum manducauit homo. Sed tamen qui manducauerunt panem illum in deserto, mortui sunt. Ista autē esca, quā accipimus: iste panis verus qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam ministrat. Et quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum & corpus Christi est. Consideremus, vtrum dignior sit panis Angelorum, an caro Christi: quæ vtique est corpus vitæ. hoc manna de cælo, id supra cælum: illud cæli, hic Domini cælorum: illud corruptioni obnoxium si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione. quicunque religiose gustauerit, corruptionem sentire non poterit: illis aqua de Petra fluxit, nobis sanguis de latere Christi emanauit. Iudæus sitit & bibit, tu cum biberis sitire non poteris: & illud in vmbra id est in figura, hoc est in veritate. si illud quod miraris vmbra est, potior lux quam vmbra: veritas, quam figura: corpus, quam manna de cælo. *de conse. distin. 2. c. reuera.* Tabulas autem legis habemus, scilicet Euangelia, vt sic dicatur quod ista est vera Archa, illa figuratiua. Item in sancto Dionysio reperitur manna sanctum secundum Vincen. in *spe. historiali* qui dicit quod illud non est manna deserti, sed illud est manna, quod emanauit quando Beatus Karolus magnus reposuit flores spinarum coronæ Christi: & illi flores conuersi sunt in manna. Et de hoc habetur in *historia* eiusdem *Beati Karoli.* quin imo istæ reliquiæ videntur excedere reliquias Apostolorum Petri & Pauli piscatorum & prædicatorum, quod probatur ex multis. Primo quia verisimiliter credendū est, quod illæ reliquiæ sint sanctiores, quæ in die iudicii sperantur adesse, vt sentit Io. Chrysostomus in sermone *de inuentione sanctæ crucis,* iuxta illud: *hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandam venerit.* ab ipso saluatore & Angelis eisdem assistentibus continuo conseruentur. Et quod eisdem assistat diuina præsentia, cum multiplici Angelorum comitiua; quasi præcipuus Domini thesaurus in terra: cuius thesauri Christus cum suis Angelis, & Christianissimus Rex Franciæ custos existit specialis. vnde de isto rege tanquam custode istarum reliquiarum dicere potest Christus: quod ipse rex est Magister sacrorum scriniorum nostræ liberalitatis beniuolentia tribuenda qui nostræ quodammodo assistere Maiestati videtur *C. de magi. sac. scri. l. vnica. lib. duodecimo.* Vnde de rege nostro & populo suo dici potest illud quod scribitur in *l. vnica. C. de præpositis labo.* & erat *laba* vel *labor* signum vel vexillum Constantini Imperatoris dignissimum, quod componi fecerat ex lapidibus, vt dicit glosa. Et dicit textus sic: *qui præpositi labarum. i. signorum imperialium in nostro iudicio promouentur, clarissimi sunt & inter electos. Nam & prærogatiua digni sunt quos nostri lateris comitatus illustrat.* C. *de præposito labo. l. vnica.* Rex iste & suus populus præpositus signo & vexillo preciosissimi Imperatoris nostri Saluatoris Iesu Christi, qui per hoc signum triumphauit, diuino iudicio ad id sunt promoti. ideo inter electos, id est inter cæteros principes & populos à Christo electos, clarissimi sunt, & ampliori prærogatiua digni: quos diuini lateris, id est signorum diuinorum comitatus illustrat. Hæc igitur sunt fœlicissima fœlicitatis ornamenta. *C. de consulibus l. ordinem libro duodecimo.* quibus honorariis insignibus principali munificentia locus iste est decoratus, id est diuina largitate *C. de consulibus l. nemini.* viuat igitur rex noster: viuat suus populus dignis laudibus attollendus *C. de offi. recto. prouin. l. 3.* vnde dicere potest ecclesia agens in rebus scilicet *talibus post palmam laborum emeriti principatus honore remuneramus C. de prin. agen. in rebus l. vnica.* Palmam enim laborum in dictarum reliquiarum assecutione obtinuit. Vnde de ipsis dicere potest Christus: *Nec enim alieni sunt à puluere & labore castrorum, quos signa & arma nostra concomittantur C. de sacro. pala. peca. l. vnica libro duodecimo.* Vnde de ipsis potest adaptari, quod dicebat Dominus Moysi: *Et erit signum in manu tua & monumentum ante oculos tuos vt Lex Dei semper sit in ore tuo,* Exodi decimotertio cap. Istæ enim reliquiæ sunt signa redemptionis & monumentum proprium ante oculos nostros, vt semper sit lex Dei in ore huius regis & sui populi. quia illa sunt signa vera legis, vt dicatur terra Franciæ *est quasi paradisus Domini,* Gen. 13. *vere enim Dominus est in loco isto.* Gen. 28. c. *locus enim iste in quo stas terra sancta est.* Exodi: & Iosue. 5. c. Actuum 7. c. vt dicitur, quia *ibi fides quærenda est, vbi Christus est habitator.* 24. q. 1. c. *qui dignior.* Vnde dici potest, *pactum esse sempiternum inter me & filios Israel signumque perpetuum,* scilicet per istas sanctas reliquias, Exodi. 31. c. *habemus enim signum Dei viui,* Apoc. 7. c. *hoc est signum salutis quod habemus,* sapientiæ 18. c. Nec est prætermittenda illa tunica inconsutilis desuper contexta per totum, qua etiam decoratur ipsum regnum: quæ designat ecclesiam & ecclesiæ ipsius vnitatem: vt testatur Bonifacius in *extrauaganti, Vnam sanctam;* & illa fuisse pie creditur, ad cuius fimbriæ tactum mulier illa, quæ fluxum sanguinis per duodecim annos passa fuerat, sana & salua facta fuit, de qua habetur *Matth.* 7. c. 5. *di. c. ad eius vero.* Patet igitur, qualiter Christianissimus Rex Francorum cum suo populo & terra, diuino thesauro est munitus: Et à Deo in conseruatione tam preciosarū reliquiarum & iocalium nostræ fidei, nostræque redemptionis & totius ecclesiæ typum gerentium à Deo nunc est prælectus: & per consequens ipsum suumque populum, & suam terram præeligere vel saltem eidem adhærere præ cæteris regibus & nationibus Romanus pontifex obligatur. *sufficit* enim *discipulo, vt sit sicut Magister: & seruus sicut Dominus eius.* omnis enim Christi actio nostra est instructio. *c. significasti. extra de elect.* Maiorem enim feruorem dilectionis habuit Christus ad regem Franciæ & suos regnicolas, quam ad quoscunque mundi principes seu populos, quod ex testimonio sacræ scripturæ euidenter approbatur: quia qui plus dat, & cui plus donatur, plus diligere censetur: & amplius donans etiam plus diligere indicatur, prout testatur Euangelium de muliere peccatrice. *Luca* 7. c. Hunc enim regem nostrum Christum prædilexisse credendum est, quem suorum præcipuorum iocalium & insigniorum hæredem instituit *Digest. de confirma. tu. l. si patronus.* Non enim dubium est honorem saluatorem nostrum huic regi adhibuisse, cui ipse talia reliquit. *Digest. de iudic. l. sed & si susceperit:* Et quamquam locus Vrbis dicatur à Domino electus, tamen illa electio præsenti electioni diuinæ non derogat. Nam legimus

Deum

Deum elegisse ciuitatem Syon, & habitationem sibi, iuxta illud quod legitur in Psalmo: *quoniam elegit Dominus Syon: elegit eam in habitationem sibi: Hec requies mea in seculum seculi: hic habitabo quoniam elegi eam.* Et alibi: *fundamenta eius in montibus sanctis diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei* &c. Et alibi: *Exulta & lauda habitatio Syon: quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Alibi habetur, quod *Dominus elegit ciuitatem Ierusalem* 3. Reg. 2. c. Quid plura? si dicatur, quod vrbs fuit sacro cruore Apostolorum Petri & Pauli consecrata (prout supra proponitur) nonne illæ caluariæ locus prope Ierusalem, & ipsa ciuitas est à Deo amplius gloriosa passione saluatoris nostri, & suo precioso sanguine consecrata, cuius vnica sola gutta sufficiebat ad totius generis humani redemptionem, vt notatur *extra. de tempo. ordi. c. ex tenore?* Vnde Christus videtur fuisse episcopus Hierosolymitanus: quia ibi tanquam verus sacerdos & episcopus se obtulit pro nobis in ara crucis. ex qua oblatione conuersi sumus ad eum, sicut ad pastorem & episcopum animarum nostrarum, vt scribitur *prima Petri*, & sic quia papa est eius vicarius, Hierosolymitanus episcopus per excellentiam dici deberet. Nunc etiam pariter hanc terram Franciæ prætulisse videtur Dominus vrbi per istarum sacrarum exhibitionem & præsentiam. Non enim loca vel ordines creatori nostro proximos faciunt: sed merita bona coniungunt, aut mala disiungunt 40. *di. cap. non loca.* non ergo debet attendi locus vrbis: sed bona merita, per quæ Deo magis coniuncti sumus, & per quæ sibi in præsentia dictarum reliquiarum sanctissimarum appropinquare videmur, prout est supra probatum. Et quamquam quo ad administrationem ecclesia Romana sit prælata Antiochiæ, Antiochena tamen ecclesia fuit prior, & in ipsa prius resedit Petrus; & in ipsa prius Cathedra sancti Petri erecta est, quæ postea Romam translata est. 24. *q. 1. c. rogamus.* 7. *q. 1. mutationes.* per hoc tamen nō negatur Franciæ fuisse æqualis meriti: Imo amplioris quam Romana. Sicut dicit Cyprianus, *æquiparatur Petro quo ad martyrii coronam. Et si distet Cathedrarum gratia, vna est tamen martyrum gloria* 7. q. 1. c. *puto.* Vnde de vrbe Romana & improbitate gentis illius videri non possunt verba Bernardi ad Eugenium: *Vnde ad Deum impii, in sanctum temerarii, inuicem seditiosi, in vicinos æmuli, in extraneos inhumani, superioribus infideles, inferioribus importabiles, ad petendum inuerecundi, ad negandum frontosi, importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint. docuerunt linguam suam loqui grandia, cum operentur exigua: largissimi promissores, parcissimi exhibitores, blandissimi detractores, simplicissimi dissimulatores & malignissimi proditores.* Roma à prædonibus & latronibus fuit constructa. vnde adhuc retinet primordium. Nam

Romanus rodit: quas rodere non valet, odit.

Nec est qui se abscondat à rosura eius. Insuper attendere debemus illud Bernardi ad Eugenium: *alibi scio vbi habitas: crudeles & infideles sunt tecum: lupi non oues sunt. tu cum pastor sis si fieri possit, conuertas eos ne ipsi subuertant te.* & paulo post: *Fateor istum populum vsque ad hunc extitisse dura fronte & indomito corde. vnum est quod te absoluit: egisti cum populo illo, vt possis dicere, popule meus, quid tibi debui facere & non feci? sic fecisti & non profecisti. Et quid dicas, exi de Vr Caldæorum? & dico quod oportet me aliis ciuitatibus euangelizare: puto nec pœnitebit exilii orbe commutato.* Item Gregorius papa in Dyalogo non tacuit Prophetiam Beati Benedicti, qui asseruisse fertur, quod *Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscationibus ac turbinibus ac terræ motu marcesset.* quod etiam tunc dicebat imminere. Ex quibus concluditur, quod locus iste, scilicet Roma nec à Deo deputatus, & per consequens à suo vicario deferendus. Et vbicunque papa suam eliget mansionem, ibi Roma erit, cum sit vniuersalis totius ecclesiæ episcopus: maxime quia orbis maior est vrbe 93. *di. c. legimus.* ideoq; orbē pro vrbe deserere non tenetur. Dicebatur secundo, quod iste locus est fidelior & tutior. Legitur enim in *Chronicis Romanorum pontificum*, quod Siluester 23 Constantinum Imperatorem baptizauit: qui etiam pacem ecclesiæ reddidit. nam antea vigente persecutione penè omnes pontifices, qui in sede Romana præfuerunt, martyrium subierunt. Et recitatur in *Speculo historiali lib. 9. c.* 91. ex Chronicis Romanorum pontificum. vnde adhuc adaptari potest quod dicebat: *Domine prophetas tuos occiderunt: altaria suffoderunt: & ego relictus sum solus: & quærunt animam meam.* ad Corin. 2. c. vnde aduertat sancta mater Romana ecclesia recordetur sui debiti & immensorum beneficiorum susceptorum hactenus à Christianissimis Francorum regibus, nec ingratitudinis labē contrahat, quæ semper dilexit iustitiam & vidit æquitatem. de qua dictum est: *dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Primo si quidem Stephano papa auxilia petente à Pipino rege Francorū illustrissimo contra Lombardos ipse Pipinus cum præfato papa vallato Francorum exercitu dictos Lombardos deuixit. nec non Chronicas intuentibus luce clarius apparebit, quod nouem vicibus papam à sede Romana expulsum reges Franciæ strenuissimè ad suam sedem restituarunt, prout in *Chronica Martiniana* latius continetur. patet igitur per prædictas Chronicas, quomodo reges Francorū fideles fuerunt Romanis pontificibus & ecclesiæ: quomodo sumptuosè, laboriosè & virtuosè pro ipsis decertauerunt, quomodo ipsos à morte liberauerunt. Ex quibus ipsorum fidelitas & Romanorum pontificum tutum refugium euidentissimè approbantur. vnde ipsis regibus potest dici illud q̄ dicit Christus de regulo: *Amē dico vobis quia nō reperi tantā fidem in Israel.* Lucæ 7. c. Sic igitur Rex Francorū & populus suus sunt fidelissimi, dupliciter à fide dicti. Primo quia fidelitatē ecclesiæ Romanis pontificibus exhibuerunt. Secundo à fide & deuotione exhibita creatori. nec mirum: quia super omnes creaturas orbis habent reges Franciæ prærogatiuam. primo ex sacratissima vnctione speciali diuina, non humana, qua inungitur rex ipse, propter quam sanctificatus est: vt accedat quod legitur Leuit. 21. c. *oleum sanctæ vnctionis Dei super eū est: quia ego Dominus qui sanctifico eum.* Et *immutauit ei Dominus cor aliud*, primi Reg. 20. c. de ipso verificatur dictum Psalmistę

dilexisti iustitiam & odisti iniquitatē, propter ea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Scutum etiā à Domino suscepit, & arma tanquam pugil & athleta præcipuus, Domino dicente ei: *Sume arma mea & ingredere præliū*, tertii Reg. 22. c. vnde, *scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eū Domine*, Psal. 5. Videmus rege istum sanctum morbos curantem à Deo prælectum fidelissimū Christianū, qui suis meritis talia stipendia, dominia & vicinitatē summi patris acquisiuit. Vnde durū videtur filiū talem piissimū stipendiis longo tēpore quæsitis absq; culpa cariturū. *C. de vestit. olobo. l. fi.* vnde ex prædictis patet, quod locus iste Franciæ est locus refugii ecclesiæ Romanæ: Roma vero locus excidii. Item patet locum istū esse locum concilii: Romam vero esse locū exilii. Itē dixi, quod locus iste est in omnibus præeligibilior pluribus rationibus. Primo siquidē floret locus iste studiis præ cæteris regionibus vniuersis. hic enim est verus fons sapientiæ fluēs, currens diriuans incessanter: à quo erumpūt alui clarissimi infrascripti. Primo quidē alueus Grammaticæ, quæ verbis & sermonibus congruitatem tribuit, & ab ipsa à puero vsq; ad senem à minori vsq; ad maiorē potum hauriunt vniuersi. Secundo alueus Dialecticæ vel Logicę secludēs verū à falso, quasi omniū scientiarū methodus: de quo nisi quis potauerit, de facili in præcipicium cadit. Tertio alueus rethoricæ, gratum sermonē faciens & ornatū atque oratorē reddens beniuolū & acceptū ipsius enim dulcedo mentem ligat & allicit: & aures singulorum inebriat. Quarto alueus poetriæ mira noua placida atq; mulcenda fingens, & entibus non entia sæpe miscens. Quinto ab isto fonte procedit fluuius Phylosophiæ naturalis & moralis. Ab hoc insuper alueo emanant riuuli clarissimi; videlicet riuulus arithmeticæ designans vim metrorū atque modum numerorū: musicæ de tonis vocum mensuram & concordiā sonorum: geometriæ terram & ipsius periculis certissimè mensurantis: perspectiuæ visibiliū quorumcunque modos & difficultates pandentis: Astrologiæ cursum & motum ineffabilē astrorum: Philosophiæ rerum naturas & mores scire quærentis: Metaphisicę quoque altius prospicientis primas cognoscere formas: Ethicæ mores hominū communes docentis: monasticæ regimen sui ipsius: Iconomicæ gubernationē domi: politicæ ciuitatis populi siue regni: iuris etiā canonici siue ciuilis, quorū sanctionibus & statutis respublica salubriter regitur & gubernatur: Medicinæ etiam sanitatē humanis corporibus propinantis. quid plura? ab isto fonte purissimo clare manat fluuius sacratissimæ Theologiæ, videlicet diuinitus de cæli vertice missus, scientia scientiarū & regimen animarū. Vnde per Beatum Karolū magnum studiū fuit translatū de Roma parisius. Itē locus iste Franciæ est eligibilior propter maiorē conuenientiam, quam habet cum orbe: quia in medio orbis. Masilia enim est in medio orbis situata, vt per mensuratores mappæ mundi clarius demonstratur. Forsan dici posset non improbabiliter, quod magis decet Romanum pontificē per orbem proficisci, quā Romæ residere. scribitur enim Matth. 5. c. quod *circuibat Iesus Galilæam docens in synagogis eorum & prædicans Euangelium.* per consequens & eius vicarius non debet in vno loco residere, sed circuire, & vniuersalē ecclesiam visitare. Præterea papa est episcopus ecclesiæ vniuersalis: ergo vniuersalem ecclesiam tenetur visitare. Præterea Lucę 4. c. dicebat turbis volentibus eum retinere seu detinere: *aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum.* Absit igitur quod Romanus pontifex eiectis considerabilibus supradictis Romam proficiscatur iterum crucifigi. Et quamuis partem, reuerende clerice, in detractionem sedis Apostolicæ videamini astruere (quia non residet in debito loco scilicet Romæ) hanc partem debuissetis potius sustinere in fauorem regis Franciæ & totius patriæ.

Clericus. CAP. CCCLXVI.

QVamuis Romani sint homines duræ ceruicis, non tamen pro qualibet culpa debet pastor gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem & dimittit oues & fugit. Imitetur ergo Romanus pontifex Petrum, & reuertatur ad locū, vnde exiit 7. *q.* 1. *c. Imitare*, & ad instar sancti Thomæ præbeat se murum pro domo Israel, & pro speciali patrimonio Beati Petri. Nam & si vniuersale habeat dominium totius orbis, prout pluribus & variis rationibus superius est deductum, singularius tamen & peculiarius dominium habet in vrbe, in toto districtu suo dignoscitur obtinere.

SOMNIANS.

POstquam sic dormieram, soporatus sum & exsurrexi. Suscipite igitur, Principum princeps serenissimè, hoc admirandum somnium, à minimo ex familiaribus pedibus Maiestatis vestrę humiliter oblatum; corrigendum, reformandum, ac si visum fuerit, totaliter reiiciendum: in hoc potius attendentes oblati tenorem, quā intellectus somniantis imbecillitatem. cum enim duo principaliter animaduerterem, Primo cui somnium meum duxerim præsentandum: Secundo profundissimam somnii materiam. Quo ad primum, *attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso*, Isaiæ 38. cap. proferre namque valeo verbum Iacob ad Esau, *vidi faciem tuam quasi vultum Dei*, Genes. 33. cap. Imperatores enim & reges apud Romanos dii vocabantur, vt ex *gestis* legimus *Romanorum*. ideo *præ pauore cecidi in faciem meam*, Iudith 13. c. *timor & tremor tenuit me*, Iob. quarto capit. eo quod *timore repletus in extasi constitutus*, Actuum tertio capit. Hinc quod Isaias, postquam sedentem Dominum super solium excelsum atque eleuatum vidit: postquam Seraphin duabus aliis faciem velare pedes & duabus volare

lare conspexit, ad seipsum rediens ait: *ve mihi: quia vir pollutus labiis ego sum.* & subdit, *& regem Dominum exercituum vidi oculis meis*, Isaiæ sexto cap. facies enim vestra, princeps, facit *sicut sol lucet in virtute sua*, Apocalypsi primo cap. cum sitis verus pugil fidei Christianę nihil est enim quod lumine clarior præfulgeat quam recta fides in principe, in *epistola inter claras. C. de summa trinitate & fide Catholica*. Et ideo non immerito *Karolus* est nomen vestrum, quod potest interpretari quasi clara lux: & per consequens *Illustrissimus* re & nomine dici meremini. Et hic est, quod *in præsentia tantæ Maiestatis confundor leuare faciem*, Esdræ cap. quarto. Quo ad secundum, scilicet profundissimam somnii materiã, considero quod hæc præsens materia concernit & quam plurimum tangit sacrosanctam Romanam ecclesiam, quo supra solidam Petram fundata est. Et ideo ruere non potest. 24. q. 1. *c. loquitur.* & licet nauicula Petri possit fluctuare, perire non potest. 24. *q.* 1. *c. non turbatur.* Nam vera religio casui subiacere non potest, in *epistola inter claras* prius allegata. Hæc ecclesia Romana multis gaudet priuilegiis, in *Auten. Vt ecclesia Rom. centum anno. gaudeat priuilegiis.* Illa enim est fons sacerdotii, vt in prædicta *Auctentica in principio* continetur. illam ecclesiam Imperator cælestis instituit. *c. fundamenta de elec. lib.* 6. Ecclesia illa, iubente Domino, ab Antiochia in Romam translata est. 24. *q.* 1. *c. rogamus.* illam solus Deus fundauit, & ipsius priuilegio fungitur 22. *di. c.* 1. imo dicit textus, quod *nõ ab Apostolis. sed ab ipso saluatore nostro primatum obtinuit.* ea. di. c. *sacrosancta.* illum locum Deus singulariter elegit: nec à Petro deseri voluit; Dum ipsum fugientem ad vrbem reuocauit. *c. per venerabilem. qui filii sunt legi.* Istam enim ecclesiam diuina prouidentia incommutabili dispositione aliis prætulit ecclesiis. in *prohemio sexti libri.* Ista insuper est mater & refugium singulare omnium Christianorum, 2. *q.* 6. *c. ad Romanam.* Considero etiam, quod hæc materia, princeps serenissime, concernit principes temporales, & principue vos, princeps principum secularium illustrissime. Qui quidem principes & Domini temporales ad bonum commune debent intendere, non priuatum. Alioquin enim regimen ipsorum esset iniustum & peruersum. vnde Dominus talibus rectoribus comminatur per Ezechielem 34. c. *ve pastoribus qui se ipsos pascebãt*, quasi sua propria commoda quærentes 8. *q.* 1. *c. sunt in ecclesia.* Et quantum antiqui reges & nobiles pro republica laborauerunt, refert Valerius *lib.* 9. de Codro rege Atheniensium. quod cum instaret bellum inter Athenienses. & polonenses. & accepisset responsum à diis quod illi essent victores, quorum dux occideretur: hoc audiens Codrus in habitu pauperis transiit ad hostes seque obiecit necem per iurgia prouocando. maluit enim mori dum sui vincerent, quam suis viuere superatis. & pro republica filiis etiam propriis non parcebant, vt narrat Valerius *lib.* 8. & Augustinus in libro *de ciuitate Dei lib.* 5. *c.* 18. de Bruto, qui filios suos ad palum religatos securi percuti iussit, quia dominationem Tarquinii à se repulsam reducere volebant. quorum regum & principum sic virtuosè exercentium præmium est, honor & gloria, spirituales & perpetui, non transitorii mundani. Nihil enim in rebus humanis fragilius, cum dependeant ex opinionibus hominum ac verbis, quibus nihil mutabilius in hoc mundo. gloria humana, quæ flos fœni dicitur, *prima Petri. c.* 1. cupido enim humanæ gloriæ aufert animi magnitudinem. Nam qui fauorem hominum quærit, necesse est in omni, quod facit aut dicit, quod eorum deseruiat voluntati: & sic seruus efficitur singulorum 1 *di. c. si quis Dyaconus.* propter quod Tullius in libro de offic. dicit, *cauendam libidinem gloriæ. eripit namque animi libertatem.* non est igitur competens præmium regi, præter tot labores & solicitudines humanam assequi gloriam: sed quia minister Dei dicitur populum gubernando. reges enim regni Dei ministri esse dicuntur *Sapientia* 6. *c.* conueniens est vt præmium spectet à Deo 23. *q.* 4. *c. si non ex fide.* interdum tamen remunerat eos bonis temporalibus 15. *q.* 3. § *hinc.* Notandum secundum Tullium, præmia sunt bonis & malis communia, *Ezechia.* 29. *c.* Regibus autem bonis mercedem dabit æternam, prima Petri 5. c. vbi, *pascite qui in vobis est gregem Domini: vt cum venerit princeps pastorum*, scilicet Christus, *percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam.* 95. di. c. *esto.* de qua corona Isaiæ. 28. cap. *Erit Dominus sertũ exaltationis & Diadema gloriæ: & beatitudinem obtinebunt qui officium Dei laudabiliter exequentur.* Tum quia se & alios regunt, tum quia bonum multitudinis nobilius est quam vnius, tum etiam à Deo datur præmium cuicunque priuatæ personæ, si egenti subueniat, si discordantes pacificet, si oppressos à potente eripiat. Quanto magis laudandus est ab omnibus hominibus & præmiandus est à Deo, qui regnum latum pacificè gaudere violentiam cohibet, iustitiam seruat, & disponit quid sit agendum à subditis suis legibus & præceptis. Difficultas namq; quæ principibus eminet ad bene agendum eos maiori præmio dignos facit 40 *di. c. ante omnia.* Vnde secundum Gregorium, *quid est regimen multitudinis, nisi tempestas maris?* quieto namque mari nonne dirigit etiam imperitus? sed peritus nauta se confundit turbatus fluctibus tempestatis. & ideo, vt dicit Vegetius de re militari, *nullus est quem oporteat plura & meliora sapere, quam principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis.* Tunc enim Plato orbem terrarum Beatum fore dicit, cum prudenter regnare vel sapere reges cœpissent. Idem dicit Valerius *lib.* 7. Boetius *lib.* 1. *de consolatione.* tria enim fecerunt Romanos ductores gentium, scilicet prudentia, exercitatio & fides, quã electi reipublicæ impendebant. Prudentia, enim (*quæ est virtus maxima*, vt ait Tullius in rethorica sua lib. 3.) est rerum bonarum malarumque scientia: cuius partes sunt tres; memoria per quam recolit ea quæ facta sunt: intelligentia per quam animus concipit ea quæ sunt: prouidentia per quam prouidet aliquis quid facturus sit. Et omnia ista viguerunt in antiquis, & debent esse in quolibet principe. memoria namque ipsius debet esse consideratio propriæ condicionis & diuinæ sublimitatis: Vt non efferatur animus supra se: nec contra Deum vel ipsius ecclesiam: iugiter meditetur suam

conditionem. vt enim dicitur in vita Io. Os aurei, *antiquitus quam cito Imperator coronabatur, egrediebantur ad eum ædificatores monumentorum dicentes, de quali metallo iubet imperium tuum tibi fieri monimentum? insinuantes quod tanquam homo corruptibilis & transitorius animã sua haberet commissum sibi regimen disponendo. meditatio* namq; *mortis summa Philosophia est*, vt ait Plato. intelligentia autem fuit in antiquis. refert enim Valerius *lib.* 7. de illo rege subtilis iudicii, qui traditum sibi Diadema prius quã capiti imponeret retentũ diu considerasse ac dixisse: *O nobilis corona magis quam fœlix: quam si quis penitus cognoscat, quam multis solicitudinibus & periculis sis referta, nec humi iacentẽ tollere vellet. quia qui præest tibi, cum solicitudine præest.* Sic etiam & prouidentia viguit in antiquis, secundum quod ex variis probatur historiis: quod breuitatis causa pertranseo. Et erit præmium excellentis regis bene gubernantis, vt legitur Zachariæ 13. c. *Domus Dauid.* i. Regis bene regentis erit sicut, Domus Dei. quia sicut benè regendo Dei officium gessit in populo, ita ei propinquus in præmio inhærebit. Verum princeps serenissime, quando obmissis aliis virtutibus, quæ Dei gratia insunt vestræ regiæ Maiestati, deuotio, sapientia, liberalitas atque humilitas florent in vobis. vos (vt firmiter teneo) tali præmio facient aliqualiter esse participem. deuotionem namque vestram experientia manifestat. Nam, vt ait Philosophus, *vnusquisque talis est, qualia loquitur, & sic viuit, & sic operatur,* quarto Ethicorum iuxta finem. & de antiquorum prosapia ab antiquo descendistis. vnde Greg. in registro epistola 6. scribit Childerico regi Francorum inquiens in hæc verba: *quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna regni vestri pro facto culmine extollit. sicut enim magna lampadis splendor in tetra noctis obscuritate sui luminis claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscurã perfidiam rutilat & coruscat.* Quicquid autem cæteri reges se gloriantur habere, habetis. sed ipsi in hac re vehementius superantur. quoniam hoc principale bonum, quod habetis, non habent. Estis autem in sapientia, similis Salomoni, qui placuit Deo, quia cor docile petiit à Deo, vt posset eius populum iudicare, 3. *Reg.* 3. *c.* O quantum, serenissime princeps & Domine, ad istam sapientiam habendam antiqui nobiles laborabant. Nato enim Alexandro scripsit pater eius Aristoteli epistolam in hæc verba: *Natum mihi filiũ scio: ex quo quidẽ diis gratias ago non tantũ pro eo quod natus est, quantũ pro eo quod natus est temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore vt educatus, enutritus à te, dignus existat regni susceptione.* & nimirum si eam sapientiam appetetur informari. cum sine sapientia stare principatus non valeat. Ait enim Sapient. 4. c. *per me reges regnant.* & in epistola *inter claras C. de sum. tri. & fi. ca.* Vnde rex Romanorum hortatus est regem Francorum, vt filios suos liberalibus disciplinis instrui procuraret, vt in *Gestis* legimus *Romanorũ.* Et in laudẽ Theodosii Imperatoris scribitur in lib. 2. in historia tripartita: *aiunt*, inquit, *per diem corpore exercitari, subiectorum negotia disceptare, iudicare simul & agere seorsum modo publicè quæ sunt agenda considerare.* ideo antiqui principes magistros suos habebant ipsos instruentes liberalibus disciplinis: sicut Traianus Policiaticum, Nero, Senecam, Aristotelem Alexander. Estis autem, princeps Christianissime, in liberalitate similis Tito Imperatori, à cuius facie nullus tristis discessit. *recordatus enim super cœnã, nihil tota die illa dedisset, gemens dixit; amici hunc diem perdidi*, vt hæc & alia de eius nimia liberalitate in *gestis* legitur *Romanorum.* Estis insuper in legalitate & fidelitate similis Abrahæ, de quo legimus, *Abraham in temptatione fidelis inuentus est*, 1. Machab. 2. c. propter quod credo vos & semen vestrum portas inimicorum vestrorum imposterum possidere, vt Abrahæ Deum legimus promisisse *Gen.* 22. *c.* quantum autem hæc virtus viguerit in antiquis de legalitate Fabricii refert Hugo Floriacens. in historia Romanorum: quod *medicus Piri de nocte venit ad Fabricium inimicum suum, & Dominum suum se veneno occisurum promisit quem Fabricius vinctum remisit ad Pirum, & omnia quæ sibi dixerat indicauit. & Pirum dixisse fertur: iste est Fabricius, qui difficilius à legalitate quam sol à cursu suo auerti posset.* & hæc verba, illustrissimè princeps & Domine, sine adulatione (vt mihi constat) possunt dici de vestra regia Maiestate. Ad hanc autem legalitatem seruãdam monebat Aristoteles Alexandrum in Secretis secretorũ Aristotelis, dicẽs: *O iustissime Imperator, serua fidem datam & fœdera confirmata.* Nam si in fœdere infringendo aliquid boni eueniat; spes tamen mala. humilitate autem sequamini vestigia Saluatoris de se dicentis: *mitis sum: & humilis corde.* Matth. 11. c. potẽtibus autem viris, & maximè regibus, vt ait Grego. 21. lib. moralium c. 13. *magna est virtus humilitatis considerata qualitate conditionis.* omnes namque homines natura æquales sumus, natura æquales genuit omnes, sed variante meritorum ordine alios aliis occulta dispensatio postponit: rex autem humilis, qui venturum iudicem cogitat, indesinenter rationũ suarum causas in melius paret. Nam qui æternum regem & Dominũ tremore cordis metuet, iura temporalis dominii, super subiectos moderari compellitur. perpendit enim nihil esse quod temporaliter præest cæteris, quando illi ad reddẽdũ rationem subest qui sine fine dominatur. Hinc propheta ad videnda sublimia raptus *filius hominis* vocatus est Ezechiel. 2. c. vt eleuatus ad cælestia se esse hominẽ recognosceret. Ac si enim diuina vox verbis apertioribus ammoneat dicens: memento quid sis, ne de hiis ad quæ respexeris extollaris. Istis autem virtutibus Deus reges in solio collocat in perpetuum, *Iob.* 36. *c.* Dixi igitur prius, quod cum duo inter cætera considerem, cui somnium duxi exponendũ & etiam materiæ profunditatem præsens negotium vltra vires meas est, nec istud solus valerem sustinere, *Exods.* 18. *c.* ad instar Moysis Domino dicentis & conquerentis: *quare imposuisti pondus vniuersi populi supra me*, Numeri 2. c. *solus negotium hoc enim solus sustinere non valebo*, Deuteron. 1. c. Et, vt loquar cum Seneca, *hactenus meam ignorantiam ignoraui.* Nunc autem ad opus descendens, quod prius superficialiter intellexi, meum compellor videre defectum, vt merito possim dicere cum illo Iob, quod *timor quem timebã euenit mihi & quod verebar accidit*, Iob. 4. c. Et in faciem cecidi ego enim, *qui cinis & puluis sum*, vt de se Abraham dicebat

cebat *Genes.* 18. *c.* videns & considerans vestram regiam celsitudinem. Considerans insuper materiæ profunditatem. si in præsentis somnii recitatione deficiam. maiestas regia nõ miretur. Cum etiã, sicut hii qui per insaniam à mente translati sunt non iam res ipsas sed fantasias passionis suæ vident. 47. *di. c. sicut hii*, sic etiam in somniis dyabolica suggestione homo sæpe alienari contingit à mente, vt non res ipsas, id est, ipsam veritatem videat, sed diabolicæ temptationis videt imaginem 6. *di. c. testamentum*. Somnium igitur fantasticum recitaui; ipsam dispositionem atq; ordinationem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ pœnitus relinquendo. Nunc enim excitatus à somno & vigilans loquor, illudque credo, teneo & firmiter profiteor, quod ipsa sacrosancta ecclesia Romana credit, tenet atque profitetur. nec non & illud teneo & credo verum, quod ipsa duxit statuendum in extrauaganti quæ incipit *Unam sanctam*. Princeps ergo illustrissimè præ cæteris pugil ecclesiæ (vt in prohemio superius recitaui) dictas reginas, videlicet Potestatem Ecclesiasticam & secularem, vt in somniis videtur, ad pacis osculum lachrimis earum compatienter & humiliter accepistis, promittens earum ministros ad concordia & ad viam, si possibile foret, reducere veritatis. vtinam id, quod in somniis, vt mihi videbatur, promisistis, excitatus à somno videam cum effectu, vt sic pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & totius consolationis, qui facit pacem & concordiam in sublimibus suis, *Iob.* 25. *c.* intercessione maiestatis vestræ mediante corda dictorum ministrorum iurisdictionis ecclesiasticæ & temporalis, sic ad pacem inclinare & excitare dignetur, quod vestri diligẽtia ingeniiq; potentia & feruore ipsorum corda sic faciat concordia, quod pax firma celeri & vtilis, prout subditorum salus desiderat & exigit, subsequatur. Suspiciat igitur damnationis vestræ fulgorosa maiestas præsens hoc somnium, ex quo nisi fallor luce clarius potestis concipere, quæ & qualis sit potestas ecclesiastica & etiam secularis. Et quicquid de hac materia alibi quæritur, hic plenius inuenitur. Insuper ex prius . . . per præfatos aduocatos allegatis sum summo atque sanctissimo . . . necnon vestræ regiæ celsitudini verba Canonis. Nunc . . . . . iudica causam tuam non . . . . . lige in sinu tuo causam . . . . ea. Suscipiat igitur . . . . illustres reginas & . . . . . : . . . . bertatibus suis protegat, tueatur & defendat, quod ministri eius vnus de iurisdictione alterius nihil vsurpet; nec excedant terminos, quos posuerunt patres antiqui. nullus secularis potestatis metus ecclesiæ ministros exterreat, nullus tẽporalis fauor iura ipsius absorbeat, sed sub protectione alarum vestrarum ecclesia sub fœlici regimine præseruetur à noxiis, & optatis semper proficiat incrementis. Suscipiat, inquam, regia celsitudo dictas illustres Reginas, vt sicut de earum lacte plura fœcundę suscepistis, sic nunc super throno regalis folii refulgentes à malignantiũ incursibus sub vmbra alarum Seraphicarum seruetis, vt sic altissimus trinus & vnus, à quo earum potestas emanauit, vestram regiam maiestatem conseruet & protegat cum posteris, & beatissimè iungat ecclesiæ triumphanti. Amen.

LIBER SOMNII VIRIDARII, CVIVS VTILITAS FVSCOS VSQVE CELEBRATVR AD INDOS, HIC FINEM CAPIT OPTATVM.

PARISIENSIS, OXONIENSIS, PRAGENSIS ET ROMANÆ VNIVERSITATVM.

Epistola.

DE AVCTORITATE IMPERATORIS IN schismate Paparum tollendo, & vera Ecclesiæ libertate adserenda.

Anno Domini MCCCLXXX.

Beatissimo VRBANO diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici; & Illustrissimo WENZELAO Romanorum Imperatori Semper-Augusto,

Vniuersitates Parisiensis, Oxoniensis, Pragensis, & Romana Generalitas, salutem, & perpetuæ fidelitatis seruitium cum amore.

MOYSES noster dominus Iesus Christus, de aquis, siue tribulationibus mundi huius assumptus, cum in montem subiit, omnibus dixit; *Habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit questionis, referatis ad ipsos.* Per Aaron ergo & Hur, vos ambos, stat Zelus & auctoritas ecclesiæ super populum DEI. Ad vos referendæ sunt læsiones fidei, præsentium scandala, & pericula posteriorum; ad vos (nulli dubium) spectat tollere scandala

Digitized by Google

de regno, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Igitur querelam ad vestram deductam notitiam, iacturam, atq; scissuram per nostros principes sacerdotum introductam, cur siletis, cur dissimulatis, tot & tantis sapientum suffulti consiliis? Nobis autem perscrutantibus aliquibus armatis difficile non videtur rectum iudicium inuenire, propter quod aliqua subnectere curamus, & primo schisma vnum ponitur in historia Damaso ascripta, in qua quinquagesimus tertius Papa ponitur Symmachus, natione Sardus, qui sedit annis xv. & fuit temporibus Theodorici Regis & Anastasii, Imperatoris, & cæpit secundum Bernardum Guidonis, qui multas meditatus fuit historias, anno Domini 500. Hic sub contentione ordinatus est vno die cum Laurentio, ex qua causa separatus est clerus, & diuisus est etiam senatus, alii cum Symmacho, alii verò cum Laurentio, & facta contentione hoc constituerunt, vt ambo Rauennam pergerent ad iudicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introissent, hoc iudicium æquitatis inuenit, vt qui primus ordinatus fuisset, vel vbi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede Apostolica, quam tamen æquitatem in Symmachum inuenit cognitio veritatis, & præsul factus est. Sed non minus memorandum in eadem Damasi Chronica etiam habetur, cauetur enim ibidem de Syluerio Papa LX, ibidem, & qui cæpit secundum Bernardum Guidonis anno Domini D.XXXVII, quòd leuatus est à tyranno Theodoto sine deliberatione decreti, qui Theodotus corruptus pecunia dato tali timore indixit clero, vt qui non consentiret in huiusmodi ordinationem, gladio puniretur. Sacerdotes quidem non subscripserunt in eum secundum morem antiquum, nec decretum confirmauerunt ante ordinationem. Iam ordinato sub vi & metu, propter adunationem Ecclesiæ & religionis, postmodum subscripserunt presbyteri, vtinam sic fecissent nostri Principes sacerdotum, vtinam & si tu Domine Vrbane male (vt prætendunt) electus fuisses, quòd absit, te iam ordinato sub vi & metu propter adunationem Ecclesiæ & religionis, postmodum te acceptassent. Supradictum autem Syluerium consequenter Vigilius Diaconus apocrisiarius in Constantinopoli, & Belisarius patritius, iussu Theodoræ imperatricis (quia Anthemium Episcopum Constantinopolitanum hæreticum, quem Agapetus prædecessor Syluerii deposuerat, volebat sedi suæ restituere) deposuerunt, monachum ipsum fecerunt, & in exilium miserunt, pane tribulationis, & aqua angustiæ ipsum sustentante, & confessor mortuus est. Qui Vigilius eidem Syluerio successit circa annum Domini DXL, secundum Bernardum Guidonis, de quo etiam scribit sic; *Hunc Vigilium Papam quemadmodum & prædecessorem suum Theodora imperatrix propter Anthemium Episcopum Constantinopolitanum commendatum persecuta est, vnde de mandato ipsius Romæ captus de Ecclesia sancta Cæcilia, vbi missam celebrabat, ductus est ignominiosè Constantinopolim, vbi cum nollet secundum promissionem suam Anthemium Episcopum restituere colaphizatus de Ecclesia Sancta Sophia, in quam fugerat, abstrahitur, & misso fune in collum, per totam ciuitatem à mane vsque ad vesperam tractus, missus est in exilium.* Hic Vigilius constat quòd malè intrauit, quia viuente adhuc Syluerio, quia per vim & impressionem ambitiosè, quia per eius consilium Syluerius fuit relegatus: quia tamen pœnituit de facto, pro fide exilium passus, feliciter terminauit, & tandem reuocatus à principe, id est Imperatore Iustiniano, dum per Siciliam redit, moritur. De cuius reuocatione modus scribitur in supradicta Chronica Damaso Papæ ascripta sic: *Tunc temporis misit Imperator Iustinianus Narsem Eunuchum, cubicularium suum in Italiam, vt cum Gothis pugnaret, & Deus donauit ei victoriam, & occisus est Rex & multitudo Gothorum. tunc adunatus clerus, rogauerunt Narsem, vt vna cum eius suggestione rogaret Principem, si adhuc viueret Vigilius Papa, & presbyteri, qui fuerunt in exilio, reuerterentur, & Imperator lætus affectus est, & omnes in exercitu eius, mox misit per diuersa loca, vbi fuerunt exiliati, adduxit eos dicens, Vultis recipere Vigilium, vt sit Papa vester? Responderunt omnes gratias agentes; Imperet Deus pietati tuæ, restitue nobis Vigilium, & quando transierit de hoc sæculo, donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster. Tunc dimisit omnes cum Vigilio.* Hæc ibi & consequenter dictum Pelagium habuerunt.

Ex quibus multæ conclusiones corolariè inferri possent, sed prætterimus. Vtinam tamen constantiam Syluerii & Vigilii, nostri Principes Sacerdotum (si ita sit, quod per impressionem Vrbanum elegerunt) imitati essent, magis enim hic cadebat, quam in restitutione vnius Episcopi in sede sua. Sed tamen ex dictis Chronicis extrahi potest ius tuum Imperator, in electione ipsa summorum Pontificum. In Chronica autem supra dicta Damasi de Pelagio 2. dicitur: *Hic ordinatur accepta iussione Principis.* Et dictus Bernardus Guidonis dicit, quòd cæpit anno Domini DLXXX. & quod ordinatus fuit absque iussione Principis, & recitata dissensione subdit: *Dum tanta fit rerum confusio gregis, tunc fungens archidiaconatus officio ad papatum eligitur, quem quidem honorem studens omnimodè declinare multa fuga latibula attentauit, sed tandem comprehenditur, dumque interim expectatur Imperatoris assensus* &c. Nota ergo, quòd in electione beati & magni Gregorii, qui cæpit anno Domini DXXIII, non regis Franciæ, non Hispaniæ, sed Imperatoris assensus expectabatur. Quod nisi sanctum & iustum foret, non tolerasset ipse sanctus; sed tunc erant Imperatores. Vnde (vt dicunt communiter omnes chronicæ) Bonifacius quartus, qui cæpit circa annum Domini DCVII. impetrauit à Phoca Cæsare Augusto, *vt ecclesia sancti Petri Apostoli Romæ caput esset omnium ecclesiarum, quia Constantinopolitana primam se omnium scribebat.* Supradictæ etiam Chronicæ de Vitalino referunt, qui cæpit circa annum Domini DCLVI, quod ipse nuncios suos direxit Constantinopolim ad Imperatorem iuxta consuetudinem, significans de sua ordinatione, qui & ipsi Imperatori Romam venienti occurrit cum clero suo quinque milliaria ab vrbe Roma. De Benedicto secundo

eundo scribit Bernardus Guidonis, quod ab imperatore factus est Papa, & cæpit circa annum Domini DCLXXXV. In dicta autem Chronica, quæ Damaso inscribitur, sic de isto dicit; *Hic suscepit ex iussione Constantini magni principis ad venerabilem clerum & populum, atque felicem exercitum Romanæ ciuitatis, vt ille, qui electus fuerit in sede Apostolica absque tarditate pontifex ordinetur*. Sed & tandem translato imperio de Græcis in Francos, quod fuit circa annum Domini DCCCII. euolutis annis circiter CCCCLXVIII. ex quo Syluester Constantinum baptizauit, & Constantinopolim Imperialem sedem transtulit, Imperatores non priuati sunt iure suo, vt apparet. Vnde Bernardus Guidonis inspectis quam plurimis Chronicis, & gestis summorum Pontificum approbatis, de Hadriano primo, qui cæpit circa annum Domini DCCLXII. ita scribit; *Carolus de Longobardis victoria adepta, totaque Italia subiugata, Romam redit, synodumque cum Adriano Papa, &* CLIII. *Episcopis religiosis, & Abbatibus multis constituit, in qua Adrianus Papa cum vniuersa synodo dedit Carolo ius, & potestatem eligendi pontificem & sedem Apostolicam ordinandi, insuper Archiepiscopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere diffinit, & vt nisi à Rege laudaretur & inuestiretur, episcopus à nemine consecraretur, anathematizauit omnes huic decreto rebelles, & iussit bona eorum (nisi resipiscerent) publicari.* De hoc etiam habetur in Decreto *dist*. LXIII. *Adrianus*. Ipse tamen Carolus per Leonem ipsius Adriani immediatè successorem coronatus est Imperator. Consequenter autem Nicolai primi, qui cæpit anno Domini DCCCLVIII, ordinationem Ludouicus Imperator sua præsentia roborauit. Sic istud antiquum ius Imperatorum transiuit vna cum Imperio in Francos, quod quidē ius supra dicta Synodus propriè non dedit, sed approbauit verius, & confirmauit, & per multos annos immobile mansit vsque ad Adrianum quartum, qui cæpit circa annum Domini DCCCLXXXIV, qui constituit, *vt Imperator non se intromitteret de electione Papæ*, vt dicit Bernardus Guidonis. Sed & iterum Leo octauus, qui cæpit anno Domini DCCCCLXII. propter Romanorum malitiam, qui suos intrudebant, statuit, *vt nullus Papa fieret, nisi de assensu Imperatoris*; imo etiam donationes factas à Iustiniano imperatore, Pippino, & Carolo, & aliis ecclesiæ Romanæ in regno Italiæ, de consensu Cardinalium, Episcoporū, Presbyterorum, Diaconorum, & totius Cleri, & populi Romani Othoni imperatori remisit, & sibi suisque successoribus concessit, & largitus est, vt regnum Italicum ab inuasoribus liberarent & perpetuo tuerentur. Supradicto iure, supradicta antiqua consuetudine, atque etiam priuilegio etiam Henricus Imperator vsus est tempore Benedicti noni, qui cæpit circa annum Domini MXXXIV. nam dictus Benedictus habito papatu, cum esset rudis literarum, alterum Papam ad vices ecclesiastici officii exequendas secum consecrari fecit; quod cum multis non placeret, tertius super inducitur, qui postmodum Gregorius VI. dictus est, qui solus vices duorum impleret. Vno itaque contra duos, & duobus contra vnum de papatu altereantibus, Henricus Imperator contra eos Romam accedit, & eis canonica, & imperiali censura depositis, Suydegerum Bambergensem episcopum, qui Clemens Secundus appellatus est, in papatum substituit, Romanis sibi promittentibus & iurantibus, *se sine ipsius consensu nunquam Romanum Pontificem electuros*. Et hinc etiam postmodum Leonem IX, qui cæpit circa annum Domini ML. Papam fecit. Vnde in hoc scribit Bernardus Guidonis: *Romani ex prima consuetudine, postquam petiissent ab Imperatore Henrico Pontificem sibi dari, cum Imperator nullum Theutonicorum ad hoc, vt reciperet, posset inducere, Episcopum Tullensem Brunonem nomine, virum simplicem & bonum ad hoc inclinauit. hic tamen fatua conscientia resignauit, & iterum electus est.*

Schismata etiam legimus Imperatores sedasse, vt tempore Alexandri secundi, qui cœpit anno Domini D. LXII; vel circa, contra quem à Cardinalibus concorditer electum insurrexit Cadulus Parmensis Episcopus ab omnibus fere Episcopis Lombardiæ electus, qui asserebant, *Papam non debere eligi nisi de paradiso Italiæ*, & cum inter eos longa fuisset altercatio, demum Alexander ad rogatum Imperatoris Henrici descendit in Lombardiam, & in Mantua consilio solenniter celebrato, Alexander in sede apostolica recollocatur. Iterum tempore Innocentii secundi, qui cœpit circa annum Domini M. C. XXX, ipso à maiori parte Cardinalium electo, contra quem insurrexit petrus Leonis, dictus Anacletus, electus à minori parte, se potentior ob generis nobilitatem. quare oportuit Innocentium in Franciam diuerti. Tandem tamen circa annum Domini M. C. XXXII. Lotharius Secundus Imperator expeditionem in Italiam parauit, & cum episcopis & Archiepiscopis Innocentium Romam deducens in Episcopio Lateranensi in sede Pontificali potenter collocat. De his plura requirere volenti gesta summorum Pontificum occurrere poterunt, & in decreto *Dist*. LXIII. *principali Reatina, nobis, lectis, Agathon, Adrianus, in Synodo, cum longe, quiq.*

Et nonne Romana ecclesia tenetur Imperatori tanquam suo patrono? & Imperator Ecclesiam fouere, & defensare tanquam suus verus patronus? certè sic. Et cum Imperialis maiestas multiplici gaudeat priuilegio; minoris & deterioris videretur conditionis, quam priuata persona, quæ ex constitutione, fundatione, dotatione nanciscitur ius Patronatus. Patronis verò concessum est, vt prælatos in Ecclesiis sui patronatus eligant. Cum ergo Imperator sentiat onus patronatus, vt quia tenetur eum defendere, sentire debet honorem & emolimentum; & ob hoc patronatus ius si de Apostolici fide dubitat Imperator, debet ei tanquam examinatori suæ fidei confessionem exponere, XXV. *quæst*. I. *Satagendum*. Etsi quid iniustè committit, imperiali iudicio emendare promittit, *secunda*. *quæst*. 7. *Nos*. O ergo Domine patrone,

iudica secundum exempla suprapposita, vel alias iusto iudicio Conciliū conuoca (nam ad te hoc spectare, plena sunt infinita volumina) & quod ibi conclusum fuerit, potenter executioni demanda. Nam schismatici ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Dic audacter nostro nouo Herodi cum Ioanne; *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, maximè viuentis. Exurge ergo, nec parcat phinees Israëlitæ cum Madianita fornicanti. Nam Apostolus, *mulier viuente viro alligata est legi viri, & adultera nominabitur si fuerit cum alio viro.* Aliæ viæ concordari videri possent aliquibus, vel quod Christianitatem ex æquo inter se diuiderent, vel ambo simul Episcopi Romani sint, vel omnes ex æquo. Nam secundum quod dicit Innocentius Papa in sermone anniuersarii consecrationis Papæ, qui incipit, *Qui habet sponsam: Vnus Episcopatus habere potest duos Episcopos, & vnus Episcopus duos habere Episcopatus*; *& ne* (dicit ipse) *longè petantur exempla, vnus & idem est Hostiensis & Vercellensis Episcopus, utraque simul Ecclesia nupsit eidem. Rursus Hipponensis Ecclesia, quæ coniuncta Valerio erat, ipso viuente nupsit etiam Augustino, qui non tam successit, quam accessit.* Salua tamen reuerentia cuiuscunque in hac materia aliter sentientis, nobis attendentibus verba Hieronymi melius videtur vnitas reducenda. Dicit enim beatus Hyeronimus in commentario super epistolam ad Titum super illo verbo, *Oportet Episcopum sine crimine esse*, in hunc modum: *Antequam Diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum Ecclesiæ gubernabantur. postquam verò vnusquisque eos, quos baptizauerat, putabat suos, non Christi, in toto orbe decretum est, ut vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Et paulò post sequitur: *Hæc propterea ostendimus, & vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem sollicitudinem esse delatam.* Et item idem Hieronymus libro primo contra Iouinianum; *At dicis super Petrum fundatur Ecclesia. Licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & æquè super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Tollantur ergo schismatum occasiones, pater beatissime Vrbane, generale concilium ne refugias (vt te facere fingunt, & mentiuntur schismatici) & constanter patere Robertum intrusum suas proponere allegationes, licet sui adhærentes publicè prædicauerint, te in tuis nō esse audiendū. Scimus enim te mediante tua bona iustitia obtenturum. Sed quia gremium suum nunquam redeuntibus claudit Ecclesia, obsecramus clementiam tuam, vt si proprio errore deposito, & praua intentione depulsa, ad vnitatem Ecclesiæ reuerti voluerint ipsi schismatici, in tua communione recepti, indignationis tuæ remoueas aculeos, & benigni animi gratiam condonare digneris. Qualitercunque tamen res se habeat, credimus facilius cælum exterminari, & terram perire posse, quam aliquid mali sanctam Ecclesiam pati. Vnde dominus; *cælum & terra transibunt*, &c. & alibi: *ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua.* & alibi: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Ipsa enim Ecclesia sancta DEO charior est quam cælum. Nam non Ecclesia propter cælum, sed propter Ecclesiam cælum. Ipsa persecutionibus proficit, afflictionibus semper augetur, sanguine martyrum rigatur, tristitia magis erigitur, angustiâ dilatatur, fletibus pascitur, ieiuniis reficitur, & inde crescit vnde mundus minuitur, cui prosperum crementum concedere dignetur ipsa Trinitas, Deus vnus, AMEN.

M. IOHANNIS HVS THEOLOGI ET RECTORIS IN ACADEMIA PRAGENSI,

Determinatio,

DE ABLATIONE TEMPORALIUM à Clericis.

Anno Domini MCCCCX.

AD honorem omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, pro inuestiganda veritate, & ad profectum sanctæ matris Ecclesiæ, iuxta congregationem Vniuersitatis nostræ Pragensis, quæ cauens nè veritati faceret præiudicium, condemnationi XLV. Articulorum Iohannis Wicleff consentire distulit, optans vsque hodie prædictorum articulorum, & singillatim cuiuslibet articuli condemnationis huius rationem. Vnde & semper rationem expetit, eò quòd dicit in Canone Damasus Papa dist. 68. cap. Chorepiscopi: *Quod ratione caret, extirpari necesse est.* Ex quo videtur, quòd condemnatio XLV. Articulorum, si ratione caret pro quolibet articulo, est necessariò extirpanda. Quòd si quis obiecerit: Rationem de qualibet re expetere, est diuinæ potentiæ derogare. Ad istam obiectionem respondet Magister Vilhelmus in sua Philosophia

libro. I.

Digitized by Google

libro 1. prope finem, tractans illud Genesis 2. *Formauit Deus hominem, de limo terræ*, vbi dicit: *Nam in quo scriptura diuina contrarii sumus, si quod in illa dictum est esse factum, quare factum sit explicemus? Si enim vnus sapiens dicat aliquid esse factum, & non explicet qualiter; alter verò dicat hoc idem & explicet, quæ in hoc cõtrarietas? Sed quoniam ipsi nesciunt vires naturæ, vt ignorantiæ suæ socios omnes habeant, nolunt aliquẽ eas inquirere, sed vt rusticos nos credere, nec rationem quærere, vt iam impleatur illud Propheticum; Erit sacerdos sicut populus. Nos autem dicimus in omnibus rationem esse quærendam, si potest inueniri. Si autem alicui deficiat, quod diuina pagina affirmat, sancto Spiritui & fidei esse mandandum. Nam Moyses ait: Si agnus non posset comedi, non statim comburetur igne, sed prius conuocet vicinum, qui domui suæ coniũctus est. Et si nec isti sufficiant ad esum agni, tunc demum igne comburatur, quia cum de diuinitate aliquid inquirimus, si ad illud comprehendendum non sufficimus, vicinum domui nostræ coniunctum conuocemus, id est, commanentem in eadem fide catholica inquiramus. Sin autem neque nos, nec ille ad illud comprehendendum sufficimus, tunc igne fidei comburatur. Sed isti multos habentes vicinos domui suæ coniunctos ex superbia nolunt aliquem conuocare maluntque nescire, quàm ab illo quærere, & si aliquem inquirentem sciant, illum esse hæreticum clamant, plus de suo caputio præsumentes, quàm sua sapientia confidentes. Sed quæso, ne habitui credas iam enim in eis completum est, quod Satyricus ait: Fronti nulla fides, Quis enim non vitiis abundat tristibus, obscænis? Et iterum: Rarus sermo illi magna libido tacendi.* Hæc Vilhelmus. Ipsi, audiant quos hæc parabola tangat. Ego enim cũ Magistris, Baccalauriis, & Studẽtibus nostræ vniuersitatis rẽ difficilẽ considerans XLV. articulorũ condemnationũ sine ratione, propter quàm deberemus cõsentire, grauem reputans, vicinos conuoco Doctores vniuersitatis nostræ, & quoscunq; alios, qui vellẽt obiicere, vt possemus rationem condemnationis nunc istius articuli *de ablatione temporalium* inuenire.

Protestor tamen, quòd non est intentionis meæ, sicut nec vniuersitatis, suadere quòd Principes vel sæculares Domini auferant bona à clero, quando volunt, & qualiter volunt, & conuertant quò volunt, sed intentionis nostræ est scrutari. Si articulus de ablatione temporalium à Clero potest habere sensum verum, in quo est indamnabiliter sustinendus. Vnde proponitur sub hac forma XVII. articulus de numero XLV. Articulorum M. IOANNIS WICLEF.

Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.

I. Suadetur sic. Reges veteris testamenti auferebant bona temporalia ad nutum diuinum ab Ecclesiasticis, id est, à sacerdotibus delinquentibus. igitur & Reges noui Testamenti possunt similiter facere ad nutum diuinum habitualiter delinquentibus sacerdotibus nouæ legis. Consequẽtia tenet à simili, & antecedens patet. Primò de Salomone 3. *Reg.* 2. qui Abiathar summum sacerdotem deposuit, eo quòd adhæsit Adoniæ fratri Salomonis, quòd esset rex irrequisito Dauid & ipso Salomone, qui regnare debuit. Ipsum autem Sadoch sacerdotem loco Abiathar posuit, qui Adoniæ non consensit de consensu Abiathar, & non consensu Sadoch, vt habetur 3. *Reg.* 1. vbi dicitur: *Adonias autem filius Agith eleuabatur dicens: Ego regnabo, fecitque sibi currus & equites, & quadraginta viros, qui ante eum currerent, nec corripuit eum pater suus aliquando dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem & ipse pulcher valdè, secundus natu post Absolon. Et sermo eius cum Ioab filio Saruiæ & Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ. Sadoch verò sacerdos & Banayas filius Ioiadæ, & Nathan propheta, & Semei, & Cerethi, & Felethi, & Robur exercitus Dauid, non erat cum Adonia.* Ecce causa depositionis Abiathar de sacerdotio fuit, quia partem tenuit Adoniæ, vt esset Rex contra Salomonem filium seniorem regis Dauid. vnde 3. Reg. 2. scribitur: *Abiathar sacerdoti dixit rex: Vade in Anatoth agrum tuum. Et quidem vir mortis, sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem ab omnibus, in quibus laborauit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Sylo.* Ecce Rex Salomon sapientissimus, secundum sapientiam à Deo sibi datam, exercuit suam iurisdictionem in præfatum sacerdotem, deponendo eum de sacerdotio, & imponendo loco sui Sadoch sacerdotem. Hoc autem fuit maius, quam auferre temporalia. Si ergo in lege Christi iam currente, Episcopus similiter contra hæredem regni excederet, volens, alium in regem præficere, cur non haberet Rex vel hæres posse auferendi temporalia ab ipso taliter delinquente?

II. Item, patet hoc de Rege Nabuchdonozor, qui habuit potestatem à Deo ducendi filios Israel cum eorum sacerdotibus & Leuitis in captiuitatem Babilonicam, videlicet 4. *Reg.* 25.

III. Item 4. Reg. 12. legitur: *Iosias Rex Iuda deuotissimus, secundum prudentiam Dei tulit omnia consecrata, quæ consecrauerat Iosaphat & Ioram & Ochosias patres eius reges Iuda, & quæ ipse contulerat & vniuersum argentum, quod inueniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio Regis, misitque Azahel Regi Siriæ, recessit ab Hierusalem.* Ecce quòd iste sanctus Rex exercuit potestatiuam iurisdictionem in auferendo non solum temporalia sacerdotum, sed etiam quæ erant consecrata in templo Domini, ad procurandum bonum pacis reipublicæ.

IV. Item, 4. Reg. 18. legitur, quòd sanctus rex *Ezechias dedit omne, argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assiriorum*, nec ex hoc à Domino reprehensus est, sicut propter alia peccata reprehendebatur, videlicet 2. *Para.* 32. Cum ergo in tempore necessitatis cuncta debent esse communia Christianis, sequitur, quod Domini seculares in casu necessitatis, & in multis currentibus casibus, licitè possunt auferre bona temporalia à clero habitualiter delinquente.

Digitized by Google

V. Item, Confirmatur. Nam *Matthæi* 12. legitur, quod discipuli Iesu euellentes spicas ad sedandam suam esuriem, manducauerunt in Sabbatho, Pharisæis calumniantibus & contra dicentibus, quibus Christus respondit. *Nonne legistis quid fecit Dauid, quando esuriuit, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Domini, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neq; his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Patet Historia 1. *Reg.* 21. Et præceptum *Deutero.* 12. Ex qua sententia patet, quod licet in tempore necessitatis vti quantumlibet consecratis, aliàs filii omnia temporalia dando ad consecrationem templi, non tenerentur subuenire parentibus, quod est contra Euangelium *Matthæi* 16. vbi corripit Saluator Pharisæos, quod propter traditionem suam transgrediebantur mandatum Dei.

VI. Item, Titus & Vespasianus Principes sæculares habuerunt potestatem à Deo concessam 24. annis, post ascensionem Domini, ad auferendũ temporalia à sacerdotibus, qui in Sanctum Domini deliquerunt, & de facto etiam vitã eis abstulerunt, & vt multis videtur meritoriè ad Dei beneplacitum hoc fecerunt, vel facere potuerunt. Igitur cum moderni sacerdotes tantum vel amplius possunt delinquere in Christum Domini, sequitur, quod ex Dei beneplacito sæculares Domini parem pœnam eis poterint infligere pro delicto.

VII. Item, saluator Rex regum & summus Pontifex cum suis discipulis dedit tributum Cæsari, videlicet *Matth.* 17. & præcepit dare ipsi Cæsari Scribis & Pharisæis vt patet *Matth.* 22. In quo dedit exemplum sacerdotibus posteris vt regibus dent tributum. Vnde quoad hoc, beatus Ambrosius libro 4. super Lucam, super illo verbo Lucæ 5. *Laxate retia*, ita loquitur: *Est & aliud Apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari iubet Dominus dicens: Mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit tolle.* Et tunc ad propositum dicit. *Magnum quidem est & spirituale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluendum? & ille censum soluit, qui nihil possidebat, tu autem qui seculi sequens lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? cur te supra seculum quadam animi arrogantia feras, cum seculo sis misera cupiditate subiectus?* Hæc Ambrosius, & ponitur 11. *quæst.* 1. *Magnum quidem.*

VIII. Idem, super illud Lucæ 20. *Ostendite mihi denarium, cuius habet imaginem*, dicit: *Si Christus non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, reddidit mundo quod erat mundi, Et tu si non vis obnoxius esse Cæsari, noli habere quæ mundi sunt, sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil debere Regi terreno, relinque hæc omnia & sequere Christum.* Si ergo omnes Ecclesiastici diuitias habentes, debet subesse iurisdictioni regum, & dare eis temporalia, sequitur, quòd Reges licitè secundum auctoritatem eis concessam, possunt auferre ab eis temporalia. Hinc Paulus cognoscens se esse sub Iurisdictione Cæsaris, appellauit ad Cæsarem, vt patet Actorum 25. *Ad tribunal*, inquit, *Cæsaris sto, ibi oportet me iudicari.* Vnde *dist.* 8. *cap. Quo iure*, allegat Ambrosius, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Ad cuius confirmationem dicitur Danie. 2. *Deus cæli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri, volucresq; cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit*

IX. Idem 11. quæst. 1. *Si tributum quærit Imperator, non negamus, agri Ecclesiæ soluant tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum, tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono sed non nego.* Hæc Ambrosius, expresse ostendens, quod Dominus secularis habet potestatem ad libitum tollere agros Ecclesiæ, & per consequens Domini seculares habent potestatem ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.

X. Item Augustinus: *Si dicis, quid nobis & Imperatori? Sed iam, vt dixi, de Iure humano agitur. Apostolus voluit seruire Regibus, honorare reges & dixit: Reges reueremini. Noli dicere, quid mihi & regi? quid tibi ergo & possessioni, per iura regum possidentur possessiones, dixisti, quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas, quia ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur.* Hæc Augustinus *dist.* 8. Ex cuius verbis manifestè habetur, quid rex super bonis Ecclesiæ habet potestatem, & per consequens potest ea auferre à Clero habitualiter delinquente.

XI. Item, Augustinus Epistola 33. ad Bonifacium: *Quis*, inquit, *sobrius nostris dicat Regibus: nolite curare in regno nostro à quo teneatur, vel à quo oppugnetur Ecclesia Domini non ad vos pertinet, quis velit esse siue religiosus siue sacrilegus, quibus dici potest: Nonne ad nos pertinet in regno nostro, quis velit esse pudicus, quis impudicus?* Ecce ostendit iste Sanctus, quòd Regum est compescere sacrilegos, & per consequens insolentes Clericos per ablationem temporalium ipsis habitualiter deliquentibus.

XII. Item, secundum eundem 23. *quæst.* 7. *Si de rebus*, bona temporalia Domini sæculares possunt licitè auferre ab hæreticis, sed quia stat in casu iam de valde possibili, quod Clerici multi sunt Simoniaci & sic hæretici, igitur sæculares Domini possunt valde licitè auferre ab eis bona temporalia. *Quid*, inquit, Augustinus, *indignum si ea quæ tenebant hæretici, secundum voluntatem Domini Catholici tenent, cum ad omnes iniquos illa vox domini est Matthæi 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam eius? An frustra scriptum est Sapient. 11. Labores impiorum iusti edent?* Et quantum ad obiectum de concupiscentia rei alienæ, dicit Augustinus, quòd ista euidentia septem nationes, quæ male vtebantur in terra promissionis, & expulsæ potestate diuina possent obiicere Dei populo occupanti, & ipsi Iudæi, à quibus ablatum est regnum secundum verbum Domini, & datum genti facienti iustitiam, possent obiicere Christi Ecclesiæ de concupiscentia alieni, sed responsio Augustini est: *Non*, inquit, *concupiscimus aliena, quia illius imperio, cuius sunt omnia, facta, sunt nostra.*

Digitized by Google

nostra. Pari euidentia Clericis habitualiter delinquentibus bona temporalia facta sunt aliorum Ecclesiæ ad profectum. Facit ad hoc 14. *quæst.* 4. secundum Augustinum: *Infideli nec obulus est, fideli autem totus mundus, diuitiarum est.* Nonne igitur omnes, qui sibi videntur habere conquisita, eisque vti nesciunt, alienum possidere conuincimus, hoc enim certè alienum non est, quod iure possidetur, hoc autem iure, quod iustè & hoc iuste quod bene. Omne ergo quod male possidetur, alienum est, male autem possidet, qui male vtitur. Si ergo clerus bonis temporalibus habitualiter abutitur, temporales Domini ad arbitrium suum secundum charitatis regulam possunt tollere bona temporalia à clero taliter delinquente. Tunc enim iuxta allegationem iam dictam clerus non iuste possidet bona temporalia. Temporales autem Domini procedentes secundum charitatis regulam iuste possident illa temporalia, cum iustorum sunt omnia 1. Corinthiorum 3. *Omnia*, inquit Apostolus, *vestra sunt.* Et 23. quæst. 7. cap. 1. *Iure diuino omnia sunt iustorum.*

XIII. Item, Ex quo Clerici ratione possessionum sunt Imperatori vel Regi obnoxii, sequitur, quod ipsis habitualiter delinquentibus possessiones ab ipso Imperatore vel rege licite possunt tolli. Consequentia tenet, quia aliàs non subessent Imperatori vel regi. Et antecedens patet 11. *quæst.* 1. *Parag. His ita respondetur*, vbi dicitur: *Clerici ex officio Episcopo sunt suppositi, ex possessionibus Imperatori sunt obnoxii, ab Episcopo vnctionem, decimationes & primitias accipiunt, ab Imperatore vero possessiones nanciscuntur.* Vt ergo prædia possideantur, Imperiali lege factum est. Patet, quod clerici ex prædiorum possessionibus Imperatori sunt obnoxii.

XIV. Item, Seculares Domini possunt auferre bona temporalia à Simoniacis, cum sint hæretici, ergo articulus verus. Antecedens patet, quia Domini seculares possunt Simoniacos respuere, & si non resipiscant, opprimere. nam dicit Decretum Pascasii Papæ 1. quæst. vltima: *Patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus esse respuendos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos*, vbi dicit Glosa, *ab exteris, id est, à Laicis, qui habent potestatē hanc extra cleri Ecclesiam.* & *dist.* 17. *Non licuit*: & 23. *quæst.* 5. *Principes.* Et patet quòd Domini temporales possunt bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.

XV. Item Beatus Gregorius in Registro libro 7. cap. 9. Reginæ Francorum ita scribit: *Cum scriptum sit, iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum. Tunc regnum stabile creditur cum culpa, quæ cognoscitur citius emendatur. Ideo cum causa ruinæ populi sint sacerdotes mali, quis enim pro peccatis populi intercessor se obiiciat, si sacerdos, qui exorare debuit, grauiora committat? Ac in vestris partibus sacerdotes impudicè & nequiter conuersantur. Ad hæc vlciscenda debemus ardenter confugere, ne paucorum facinus sit multorum perditio. Et sequitur, personam, si præcipis, cum vestræ autoritatis assensu transmittimus, qui vnà cum aliis sacerdotibus hæc, & subtiliter quærere, & secundum Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda, quæ diximus, quia qui emendare potest, & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus vestris quos cupitis regnare, prouidete prouinciis, & priusquam creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissime cogitate.* Et proximo cap. scribit Regi Francorum: *Quicquid ad Dei nostri, quicquid ad Ecclesiarum reuerentiam, quicquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, studiosè statui velitis, in omnibus custodiri. Vnde ergo iterum nos pulsamus, vt congregari synodum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, carnalia in sacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæresis prauitatem omnium Episcoporum difficilimam damnari, atque argui, vestris amputari finibus faciatis, ne plus illic pecuniam obtinere quàm præcepta Dominica permittatis.* Ecce quam sollicitè beatus Gregorius hortatur Reginam & Regem, vt vicia Cleri corrigant, ne sint participes delicti ex negligentia, & qualiter debent corrigere subditos; Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum aduersarios studet esse solliciti. Sed quia iuste bellando contra exteriores hostes licet eorum bona, dum perseuerant in malitia, tollere: Ergo & clericorum interiorum. Tenet consequentia, cum inimici domestici sunt plus nociui.

XVI. Item, Arguitur sic: Si Deus est, Domini temporales possunt meritoriè ac legitimè auferre bona temporalia à clero habitualiter delinquente. Pro isto supponamus, quod loquamur de posse, vt loquitur scripta rectissima & summe autentica Matthæi 3. *Potens est Deus de lapidibus istis filios Abrahæ suscitare.* Quo posito, arguitur. Nam, si Deus est, ipse est omnipotens; & si sic, ipse potest dare Dominis sæcularibus potestatem huiusmodi, & per consequens ipsi possunt legitimè & meritorie, sic vti huiusmodi potestate. Sed ne forte dicatur, quòd probatio ex remoto, sit impertinens, ostenditur, quod Domini temporales habent potestatem subtrahendi suas eleemosinas collatas Ecclesiæ, ipsa illis eleemosinis abutente, vt probabitur posterius. Et primo sic. Licet Regibus, in casibus limitatis à iure, auferre temporalia à viris Ecclesiasticis ipsis habitualiter abutentibus. Probatur. Nam ad opera maioris misericordiæ dominis temporalibus magis facilia, sunt ipsi amplius obligati. Sed foret in casu maior eleemosina, atque facilius dominium temporale subtrahere eleemosinā suam ab ædificante ad Gehennam per eius abusum, quàm donare dictam eleemosinam ad subsidium corporale. Ergo assumptum verum. Vnde primo secundum legem Christi specificatur ista sententia 2. Thessal. 3. vbi Apostolus sic scribit: *Cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet.* Ius ergo naturæ licentiat habentes regnorum gubernacula rectificare abusus temporalium, qui præcipue destruerent regna sua, siue domini temporales siue quicunque alii dotauerunt Ecclesiam temporalibus. Licet eis in casu auferre bona temporalia medicinaliter, ad cauenda peccata, non obstante excommunicatione, vel alia censura Ecclesiastica. Cum non nisi sub conditione, scilicet implicita, sint dotati. Patet ex hoc, quòd per se conditio consequens ad dotati-

Digitized by Google

casio Ecclesiastico relinquendi sæculum, & religiosæ tendendi in Deum: Iste casus non negabitur à fideli simo temporalium non cæcato. Nam secundum Augustinum, *Expedit multos incidisse in manifesta peccata, vt cognoscentes fragilitatem propriam, viuant humilius, & dolendum peccatum caueant cautius peccare de cætero.* Multò magis ergò expedit multos fuisse pauperes & caruisse ciuili dominio. Admisso ergo casu, patet, quòd Rex facit bonum opus de genere. sed omne tale potest benè fieri. Ergo potest benè auferre ab Ecclesiastico dicta bona. Si enim maior pars operum malorum de genere potest benefieri, multò magis quodcunque bonum opus de genere. Non enim repugnat charitati vel gratiæ, quòd ab illa procedat huiusmodi opus bonum, nec dubium, quin Deus in tali casu daret Regi potentiam, quam æternaliter ordinaret ad perficiendum eius beneplacitum. Posito ergò quòd Rex & Clerus regnent in cælo, foret notitia & gaudium de subtractione tali temporalium. Licet modò propter cæcitatem puerilem appareat nobis grossis hominibus esse damniferum, &c.

XXX. Item, Si hoc est error: Domini temporales possunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus tunc est etiam falsum contra rectam vitationem Ecclesiæ, & sic hæresis, eo quòd in scriptura sacra est omnis veritas, vt sæpè asserit Augustinus, & per consequens, cum error iste sit falsitas, sequitur, quòd sit illi scripturæ sacræ contrarius. Et certum est, quòd pertinaciter defensatur, quia Reges & Principes credunt, quod ad Regaliam suam pertineat ita posse. Nam dato opposito, sequitur quòd viri Ecclesiastici, cùm sint valdè peccabiles, possunt regna & populum eorum destruere; sine hoc, quòd Regibus liceat Clero resistere, vel eius Eleemosynam per ablationem propriæ eleemosinæ, quæ est ignis ad hoc excitans, impugnare, Rex autem non posset licitè punire corpora talium proditorum, si non posset licitè subtrahere sua temporalia ab ipsis plus aliena, super quibus habet speciale dominium, & sic cum illa potestas sit regalia Regis præcipua, idem foret ipsam infringere, & regimen regni subdolè impugnare.

XXXI. Item, cum multi Reges valdè nobiles atque catholici crebrius exercuerunt illam potentiam, idem esset secundum talem formam assumptum eius asserere, & hæreticare eorum vitam ac animam postmodum condemnare, quòd hæredes Regum & specialiter eorum filii viriliter impugnarent. Sic enim ad similitudinem Pharisæorum & sacerdotum impetentium Christum de hæresi, imponerent Regi suo, de quo habent tantum temporale subsidium, errorem & hæresin manifestam. Sed Deus mouebit cor Regis si sibi placuerit ad destruendam istam vesaniam.

XXXII. Item, vel sunt Ecclesiastici capitales Domini redituum & bonorum temporalium, quæ Rex eis donauerat, vel econtrà. Si primo modo sequitur cum veris quòd illi Ecclesiastici sunt in maiori parte capitales Domini regi nostri: & sic quò ad temporalia, Regi non subiecti, quod videtur ipsos sentire. Prima consequentia ex eo videtur patere, quòd quartam vel tertiam partem redituum retinent viri Ecclesiastici Regni nostri. Et hinc est, quòd nolunt vocari presbyteri, sed Domini Prælati, Domini Præpositi, Domini Canonici, Domini Plebani, Domini Presbyteri. Et si quispiam vocauerit Presbyterum, continuè irascitur, ac si eum præconem vocauerit vel tortorem. Si verò Ecclesiastici non sunt capitales Domini redituum & bonorum temporalium, quæ eis Rex donauerat, vt volunt sancti, qui dicunt Ecclesiasticos non esse Dominos sed procuratores pauperum. tunc relinquitur, quòd Rex est bonorum illorum capitalis Dominus, & per consequens ea poterit auferre ab Ecclesiasticis delinquentibus, & Christi pauperibus erogare. Et hinc dicit Canon quòd tempore necessitatis, vt meliora prospiciant, res Ecclesiæ à sacerdotibus distrahi possunt. 12. *quæst.* 2. *cap. Sicut Ecclesia*, §. *secundo*. Vnde beatus Ambrosius limitat casus in quibus etiam vasa Ecclesiæ consecrata vendere & confringere licet, vt patet *dist.* 96. Plane quæcunque in auro vel in gemmis vel in argento necnon & vestibus minus apta vsibus videbuntur, Ecclesiæque seruari, ac diu permanere non possunt sub iusta æstimatione vendantur, & erogatio religioni pauperum proficiat. Et illud latè prosequitur ipse Ambrosius *libro* 5. *de officiis*, &c.

XXXIII. Item, multi Reges sæpe abstulerunt temporalia simpliciter à Clero delinquente, vt patet ex destructione Templariorum, & ex aliis multis ablationibus priuatis, & nec vnquam abstulerunt sic legitimè, nec potuerunt legitimè sic auferre, vt patet per aduersarios. Ergo in hoc fecerunt, qualiter non potuerunt legitimè facere. Ex quo sequitur vltrà: quòd in hoc fecerunt, qualiter non potuerunt meritoriè vel de lege Dei facere. Et cum omne opus humanum ex deliberatione procedens sit legitimum vel illegitimum, meritorium vel demeritorium, sequitur quòd illegitimè vel demeritoriè sic fecerunt. Et vltrà sequitur, quòd inciderunt, vt sic, in errorem periculosum, quia tam corporis quàm animæ damnabiliter perditiuum. Et quòd error iste sit directè contrarius catholicæ veritati, patet tripliciter. Primò, quia Reges sic faciendo fecerunt, quod non licuit, nec licere potuit. Secundo, quia iniustè abstulerunt aliena, contra mandatum secundæ tabulæ. Et tertio, quia fecerunt ista non in charitate contra veritatem catholicam Apostoli 1. Corinth. 15. *Omnia vestra in charitate fiant.* Et totum antecedens ab aduersariis est concedendum. Et supposito errore isto in facto, si Reges pertinaciter illum defenderunt, volentes ex sua potestate tanquam legitima, sic temporalia ab Ecclesiasticis delinquentibus tollere, tunc fuerunt in hæresi. Ex quo vlterius sequitur, quod Reges in sic faciendo pertinaciter

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt hæretici. Quod si illud vsque ad mortem defenderunt, sequitur, quod decesserunt hæretici & damnati. Ex quo vlterius sequitur, quòd Clerici possessionati, qui credunt iam dicta, non orarent pro dictis Regibus iam defunctis.

XXXIV. Item, Imperator vel Rex nedum potuit, sed decuit eum sic dotasse Ecclesiam; vt licitè posset subtrahere eleemosinas suas in casu, quo earum abusus, vergat in detrimentum regni & subtractionem prædicationis Euangelii. Supponitur ergo, quòd sub illa conditione aliquam Ecclesiam sic dotauit. Ex istis sic arguitur: Si Imperator vel Rex secundum istam formam dotasset Pragensem Ecclesiam, licitè potuisset, pro detrimento regni, pro contemptu regio, & pro subtractione prædicationis Euangelii, suam eleemosinam subtraxisse. Sed cum ista conditione ipse Imperator vel Rex potuit dotasse Pragensem Ecclesiam; Ergo potuit pro contemptu Cleri datam eleemosinam licitè subtraxisse. Cum ergo illa conditio fuisset licita & honesta, consuetudoque Regis & Regni, docent in facto conditionem illam fuisse adiectam, videtur nimis præsumptuosa assertio, quòd ipsi Principes nostri non possent ab eis auferre temporalia quantumcunque deliquerint. Imò cum simpliciter necessario potuerunt talem conditionem adiicere, & iterum simpliciter necessariò eleemosinarii possent tantum, vt supra dictum est, delinquere, Patet quod ipsi Principes nostri simpliciter necessariò potuerunt suas eleemosinas subtrahere, periculo possibili imminente, & per idem sequitur, quod potuerunt cum possibilibus paribus subtrahere in futurum.

XXXV. Item, Rex Bohemiæ vel Imperator dotans Ecclesiam suam, nec debuit nec potuit ipsam dotare ad eneruationem vel deteriorationem regni sui. Cum omnis potestas sit à Deo, quæ non potest dare potentiam ad hunc finem. Sed sic contingeret, supposito, quòd Rex vel Imperator absolutè dotasset suam Ecclesiam, non subintelligendo conditionem supra dictam. Ergo oportuit conditionem illam subintelligi, & per consequens, quando contemptus Cleri accidit, Rex accipiēdo temporalia in manus suas, non facit Clero illi iniuriam, cum conditio ex defectu Cleri dissoluitur. Minor autem argumenti sic ostenditur. Si omnia illa bona, quibus dotatur nostra Ecclesia immediatè & directè pertinerent ad Papam, sic quòd Rex non habeat interesse in possessionibus, vel personis, cum plus quam quarta pars Regni sit deuoluta ad manum mortuam: Sequitur, quòd Rex noster non sit Rex totius Bohemiæ, cum plus quàm quarta pars pro Clericis in manu mortua est decisa. Imò cum quotidie possessiones accrescunt Clero, & decrescunt Baronibus, Militibus, & aliis sæcularibus, potest euenire de facili, quod tota possessio ad Clericos Regni Bohemiæ deuoluatur, vt in Rheno contigit. Quo posito, Regis nostri & Baronum dominium extinguetur, & per consequens Regalia. Regi enim non licet, vt inquiunt Clerici, interponere de Clero, vel possessionibus suis, quantumcunque deliquerit, nec Regi licet subtrahere temporalia eorum, quantumcunque abusus vergat ad Regni periculum, quia (vt inquiunt) exempti sunt à Iurisdictione Regis tam in corpore quàm in bonis, & immediatè subiecti Papæ. Et hinc facientes in Regno insolentias, nolunt à Rege corrigi, quasi sint boni vel mali angeli, sibi in Regno suo non subiecti.

XXXVI. Item, iuxta Decretum beati Gregorii 11. quæst. 3. *Priuilegium omnino debet amittere, qui sibi permissa abutitur potestate.* Sed omnis clericus abutens eleemosinis Regis, sibi permissa abutitur potestate. Cum ergo illa dotatio sit priuilegium, sequitur, quòd illud omnino debet amittere, sed per quem nisi per Regem priuilegiantem? Illius enim est priuilegium interpretari & defendere, cuius est condere.

XXXVII. Confirmatur ex illo Matthæi 23. *Omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.* Cum rex tenetur sic abundare ex titulo iustitiæ, videtur quòd ab eo debet causari ablatio sui eleemosinarii. Supposito quòd contingat eum videri habere eleemosynas, quas non habet.

XXXVIII. Confirmatur etiam ex lege debiti eleemosynæ spiritualis. Nam rex tenetur tam ex iure Dei, quàm regni, seruare, quantum sufficit legiis suis iustitiam, & debitum opus spiritualis misericordiæ, sed præcipuum opus talis misericordiæ Regi pertinens, foret castigatio coactiua, ad continuandum suas eleemosinas. Ergo illud debet impendere. Vnde Clerici, qui offenduntur maximè ad verbum de ablatione temporalium, vendicant quòd seculares defendant eleemosinas suorum progenitorum in suo robore permanentes, quod non fit, nisi dum Ecclesia habet profectum ex modo eleemosinandi, sic, quòd collata remaneat in ratione priuilegii, vel eleemosinæ, quod extinguitur, dum eleemosinarii eleemosinis abutuntur, iuxta decretum beati Gregorii in præcedenti confirmatione allegatum. Si ergo domini temporales, vt eleemosinati Clerici vendicant, tenentur continuare eleemosinas patrum, quorũ sunt hæredes, tunc tenentur ad omne inde sequens formari, quia aliter, contra possibilitatem obligationis diuinæ forent ad contradictoria obligati, scilicet ad faciendum ipsas eleemosinas, & ad defendendum ipsarum abusum in discolis, secundum quam rationem carent forma eleemosinæ. Ergo cum Reges & seculares domini tenentur seruare Eleemosynas suorum progenitorum in sua perpetuitate, tenentur insuper ex lege spiritualis Eleemosynæ suos legios castigare. Tenentur etiam ex obligatione, qua tenentur subditis suis facere iustitiam & extinguere iniurias, quæ vergunt periculosissimè ad sui populi detrimentum. Patet quòd tenentur in casu bona sua sanctæ Ecclesiæ restituere, & à contemptoribus Dei sui & regni auferre. Hoc enim fuit pactum dotationis primæuæ. Vnde si cùm istis paribus Rex noster non habet potestatem ad faciendum in clero suo opus misericordiæ castigandi, non habet sufficientiam super toto Regno nostro policitè dominandi. imò si bene attendimus ad scripturam sacram, & dicta de priuilegiis Ec-

Digitized by Google

clesię cognoscemus, quod sonat in priuilegiũ Regis, quod habeat potentiã taliter Clericos coercere, & Clerici habent priuilegium, eò quod habent talem Præpositum, cui sic meritoriè possunt subdi.

XXXIX. Item, Reges, Principes & omnes Domini temporales teneantur ad fraternam correptionem assistente circumstantia, correptione huiusmodi requirente: sed potest esse quòd Clericus delinquat cum tali circumstantia, quòd correptio fraterna efficacissima foret temporalia, quibus abutitur, prudenter diripere. Igitur potest esse, quod Domini temporales de lege Christi teneantur hoc facere. Nec valet dicere, quòd Papæ dispensatio, priuilegiatio, vel exemptio hoc excludit, quia absit catholicum optare, quod liceat Christi vicario per suas traditiones statuere, quòd priuet vel impediat practicam legis Christi, ac Dominos temporales præpediat à correctione Ecclesiæ proficua. Non enim licet homini quemquam eximere, sic vt quantumcunq; peccauerit, non liceat ipsum potenti corrigere.

Vnde beatus Bernardus *li.3 ad Eugenium Papã*, dispensationem, quę non est ad vtilitatem communẽ, vocat dissipationẽ. Vnde dicit: *Quid, inquis, prohibes dispensare? nõ, sed dissipare. Non sum tã rudis, vt ignorẽ vos positos dispensatores, sed in ædificationem, nõ in destructionẽ. Deniq; quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio, vbi vtilitas prouocat, dispẽsatio laudabilis, vtilitas dico cõmunis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio.* Ecce ex his dictis huius sancti patet, quòd non est fidelis dispensatio, priuilegiatio, vel exemptio, sed crudelis dissipatio, si eximuntur Clerici, vt quantumcunque peccauerint, non debeãt ab aliquo corripi, præter Papam. Quæ enim vtilitas Ecclesiæ, vt Clerici tanquam tauri indomiti lasciuiant, & tanquam equi emissarii ad vxores proximorum hinniant, sine hoc, quòd ipsis grauiter delinquentibus iugum vel frenum Domini imponatur per Principes? Non enim debet eis priuilegatio, dispensatio, vel exemptio esse autoritas ad peccandum. Nam 23. *quæst.* 4. sub autoritate Augustini dicitur: *Qui peccat, non peccat legis autoritate sed contra legis autoritatem.*

XL. Item, Adiectio temporalium communiter non est ita propinqua vltimæ necessitati saluationis pœnitentiæ corporeæ, sicut subtractio abusi est propinqua vltimæ necessitati saluationis perpetuæ tam corporis quàm animæ. Sicut est opus maioris misericordiæ auferre gladium à phrenetico volente seipsum occidere: Quam dare gladium persecuto ad defendendum se à volente eum occidere: quia peius foret hominem occidi sic à se ipso, quàm occidi ab alio. Quia primum est damnabile, secundum meritorium siue iustum. Et ad propositum est beatus Augustinus 5. quæst. 5. *Non omnis*, inquit, *qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Meliora enim sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere.* Et sequitur ad propositum: *Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus negligat iustitiam quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitia seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat & qui letargicum excitat, ambobus molestus ambos amat.* Hæc Augustinus. Cuius exemplo si domini temporales obligantur ad dandum eleemosinam Clericis, vt debitè ministrent in suo officio, etiam obligantur ex lege charitatis, quòd Clericis abutentibus datis eleemosinis, ipsas auferunt ab eis, ne per abusum earum animas proprias occidant. Vnde inter omnia peccata, à quibus magis timendum est in superioribus regni nostri Bohemiæ, sunt cæca pietas, falsa misericordia, & consentanea omissio, siue ex negligentia, siue quod maxime horrendum est, quando venditur consensus criminis, & iniustè per Cleri eleemosinam defenditur hostis Christi. Vnde Augustinus ad Macedonium Epistola. 3. *misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus. Non enim opem fert, qui ad peccandum iuuat, sed potius subuertit & opprimit.* Vnde mirabile est, quare Clericus dum pedi eius os vel spina infigitur, sinit sæcularem ipsam extrahere, vt possit debitè ambulare, & non sic sinit dum diuitiæ affectum subuertunt ipsas abstrahere, vt possit rectè in Christi vestigiis ambulans animã saluare, forte per hoc ostẽdit quòd plus diligit pedis plantam, quàm propriam animam. Si enim plus diligeret animam, tunc rapinam bonorum temporalium cum gaudio sustineret, Sic enim fecerunt noui Christiani, ad quos scribit Apostolus Heb. 10. *Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Imò ex quo Saluator suus non habens culpam in se rapinam vestimentorum suorum, imò & mortem acerbissimam, & ignominiosissimam humiliter & beneuolè sustinuit, moueret eum etiam sua culpa, & exemplum sui capitis, vt ablationem huiusmodi patientissime sustineret. Sed ex quo tam grauiter contrà ablationẽ Mãmonæ iniquitatis remurmurat, quomodo opprobria, alapas, sputa, colaphos, martyrium & mortem diram pro Christi nomine sustineret? Non pensat talis Clericus dictum Ambrosii libro *de contemptu mundi*, quo dicit: *O miser homo quanta fraude illuderis, quanto dolore deciperis, aut quanto laqueo irretiris, qui times tibi mundanam auferri substantiam & non times tibi auferre animam tuam excellentissimam creaturam?*

XLI. Item, Deus non posset esse, nisi possit permittere Ecclesiasticos ad tantum delinquere, quod mereantur à suis possessionibus spoliari, nec posset spoliationem causare, nisi posset facere tẽporales Dominos meritoriè exequi causam illã. Ergo articulus verus. Sed forte dicitur, quòd per additionẽ istius particulæ, quæ possunt ad arbitrium eorum sic facere, tollitur omnis instãtia supra dicta. Sed attenta vera logica & Methaphysica, patet quòd planè sequitur, quod si Rex & Domini non possunt ad arbitrium eorum facere sic, tunc non possunt sic facere, quia illud arbitrium vel est potestas iudiciaria, vel actus iudiciarius huiusmodi potestatis, & quodcunque detur, si Domini temporales non possunt sic facere secundũ potestatẽ huiusmodi, siue actum, tunc omnino sic facere non possunt

non possunt. Quia si oporteret exspectare arbitrium Romani Pontificis, vel arbitrium Archiepiscoporum, vel Clericorum omnium Regni nostri, Rex, vel sæculares regni non haberent huiusmodi potestatem, sed resideret in clericis capitalibus & dominis eorundem, & sic Rex non foret Rex Bohemiæ, nec aliqui eius Magnates domini temporales, cum necessario totum eorum seruitium foret reducibile ad clerum, & per consequens ipse clerus foret sæculariter Dominus supra Regem, quod directè obuiat legi Christi. Nam Lucæ 22. dicit Saluator, *Reges gentium dominatur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic.* Super quo dicit Bernhardus libro ad Eugenium Papam: *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus.*

XLII. Item, Sicut Ecclesiastici à Regibus & Ducibus gratãter laudem suscipiunt ex bono suo opere, sic debent ab eis, dũ delinquunt, gratanter suscipere vindictam ex malo suo opere. Tenet consequẽtia, quia plus prodest homini vindicta pro peccato humiliter accepta, quã laus pro bono opere. Vnde Beatus Gregorius scribit Mauritio Imperatori ipsum persequenti dicẽs: *Credo quòd omnipotentem Deum tantò vobis magis placatis, quanto me male ei seruientem affligitis.* Si ergò iste sanctus Papa tam humiliter sine delicto, ab Imperatore afflictionem suscepit, cur clerus delinquens à Rege vel Ducibus cui vel quibus tenetur subesse, vindictam humiliter non sustineret? cum dicat immediatus Christi Vicarius 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Vnde isti regulæ intendens Leo Papa subiecit se Lodouico Augusto, vt scribitur 2. quæst. 7. sub his verbis: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iusta legis tramitem non conseruauimus, vestro ac vestrorum missorum cuncta volumus emendare iudicio. Quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus, certè non veritatis discipuli, sed quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magistri.* Et dist. 10. Imperatori de obedientia ita scribit: *De capitulis vel præceptis Imperialibus nostris nostrorumque prædecessorum Pontificum* (Glo. *id est Imperatorum, qui in modum Pontificum vnguntur*) *irrefragabiliter custodiendis & obseruandis, quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse vobis quilibet aliter dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo esse mendacem.* Ecce iste deuotus sanctus Papa vocans Imperatores Pontifices, subiecit se iuxta Petri Apostoli regulam, tam ad obedientiam quàm ad vindictam. Cur ergò Clerus Regni Bohemiæ non se sic subiiceret Regi, propter Deum in obedientia, & si delinqueret in vindicta, nec solum Regi, sed Ducibus, nec solum ducibus, sed omni humanæ creaturæ? quia quanto se humiliaret sic in sæculo propter Deum, tanto exaltaretur amplius apud ipsum. Sed quid impedit nisi superbia, qua se extollit Antichristus supra humillimum Dominum Iesum Christum.

XLIII. Item, videtur patere supra dicta sententia de ablatione temporalium, ex prophetia Hyldegardis virginis, quam ponit in suis libris sub Eugenio Papa in Concilio Treuerensi, præsentibus multis Episcopis Francorum, Italiæ & Almaniæ approbatis, cui etiam beatus Bernhardus interfuit, quæ virgo prophetans loquitur isto modo: *Ipsi reges & alii sæculares diuino iudicio, excitati acriter se opponent, atque super eos irruentes dicent: Nolumus hos regnare super nos cum prædiis & agris & aliis sæcularibus rebus, super quas Principes constituti sumus. Et quomodo decet, vt tonsi cum stolis & casulis suis plures milites, vel plura & pulchriora arma quàm nos habeant? Sed & nec conueniens est, vt Clericus miles sit, & miles Clericus. Vnde abstrahamus eis, quod non rectè, sed iniustè habent.* Et infrà: *Omnipotens enim pater rectè diuisit omnia, cœlum scilicet cælestibus, & terram terrestribus, atque hoc modo iusta diuisio inter filios hominum fit, videlicet, quod spirituales homines ea habeant, quæ ad ipsos respiciunt. Seculares autem ea, quæ eis conueniunt, ita, quod neutra pars istarum aliam per rapinam opprimat. Deus enim non præcepit vt tunica & pallium alteri filio daretur, & alter nudus maneret, sed iussit, vt isti pallium, illi tunica tribueretur. Pallium itaque sæculares propter amplitudinem sæcularis curæ, & propter filios suos, qui semper crescunt & multiplicantur, habeant, tunicam verò spirituali populo concedit, ne in vestitu deficiat, & ne plusquam necesse est possideat. Quapropter iudicamus & eligimus, vt omnia, quæ prædicta sunt ratione diuidantur, atque vbi pallium cum tunica inuenitur, ibi pallium subtrahatur, & indigentibus detur, ne per inopiam consumantur.* Hæc virgo supra dicta Hyldegardis, planè prædicens ablationem temporalium ab Ecclesiasticis per sæculares Dominos, & ostendens propter quid futura sit ablatio huiusmodi, & qualis debeat esse rerum ablatarum diuisio, ne inutiliter consumantur. Item, Hugo libro 2. de sacramentis parte 2. capit. 3. & 7. *Laici,* inquit, *quia terrena & terrenæ vitæ necessaria tractant, pars corporis Christi sinistra sunt. Clerici verò, quoniam ea quæ ad spiritualem vitam pertinent, dispensant, quasi dextra pars sunt corporis Christi.* Et pòst interpretando, vtrumque terminum inquit: *Clericus nisi Deum, & ea quæ ad Deum spectant, habere non debet, cui statutum est decimis & oblationibus, quæ Deo offeruntur, sustentari. Laicis verò Christianis fidelibus terrena possidere conceditur, sed Clericis spiritualia committuntur, sicut fuit in veteri testamento.* Et cap. 7. declarat, quomodo quædam Ecclesiæ Christi deuotione fidelium conceduntur *saluo iure terrenæ potestatis, ne fiat confusio, Cum nihil inordinatum approbare potest Deus. Vnde quandoque concedunt Principes terreni nudum vsum Ecclesiæ, & quandoque vsum & potestatem exercendæ iustitiæ, quòd Clericus per Ecclesiasticas personas, aut indiuidua Cleri talia exercere non potest, potest tamen habere personas Laicas ministras ad illud officium, sic tamen,* vt inquit, *vt idipsum quod potestatem habet, à Principe terreno se*

habere cognoscat, & ipsas possessiones nunquam à regia potestate elongari posse intelligat, quin (si ratio postulauerit aut necessitas) illæ ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium. Quia sicut regia potestas patrocinium, quod debet alteri, alienare non debet, sic ipsa possessio etiam ab Ecclesiasticis personis obtenta, obsequium quod regiæ potestatis patrocinio debetur, iure negari non potest. Hæc Hugo.

INITIVM

DISCEPTATIONIS CVIVSDAM GRÆCI, ET QVORVNDAM Caldenariorum ex veteri Româ.

CALDENARIVS.

CVm sancta Romana ecclesia primitiua sit omnium ecclesiarum, earumque mater simul & sit & vocetur, quòd primò eam rexerit Petrus magnus ille Apostolorum antesignanus: Constantinopolitana verò ecclesia, secundum ab hac locum obtineat, filiaque illius vocetur; quonam pacto & quâ de causâ filia ita à matre resiliit?

GRÆCVS.

Si æquis animis audire velitis, id quod vos veluti honoris causâ de coryphæo Apostolorum adfertis, in contrarium potius vergere intelligetis. Primum quidem, quòd totius orbis doctorem & magistrum, qui prædicationis suæ initium à Iudæâ fecit, Romæ autem Apostolatus sui cursum peregit, tali vestrâ propositione solius Romæ magistrum fuisse statuitis. atque ita etiam Seruatoris ad illum promissionem, quam sancti patres vniuersaliter de omnibus qui crediderunt & credunt interpretantur, vos ad solam Romam coarctatis, violentaque interpretatione torquetis. Quo concesso, reliquum est omnino, eam quæ Romæ est tantum, non autem vniuersam fidelium Ecclesiam sibi adaptasse Seruatorem, ædificationemque huius tanquam super petram Petri doctrinam promisisse. At verò qui ita & sentiunt & loquuntur, qualē honorem Apostolorum Coryphæo deferant, ipsimet considerate. Nam si eam ob causam vestra Ecclesia Romana caput & mater omnium Ecclesiarum censetur & est, quòd Petrus Apostolorum Coryphæus, pastor illius rectorque sit vocatus: multo certè æquius fuerit Antiochiam eiusmodi titulos consequi, quippe quæ antea à Coryphæo Apostolorum edocta fuerit, & obedienter eius prædicationem sit amplexa; quòdque eius incolæ primi æquissimis animis *Christianorum* appellationem susceperint; ideoque etiam Antiochia per excellentiam θεόπολις, id est, *vrbs Dei*, sit vocata. aut certè Hierosolymitanam Ecclesiam, cui magnus ille ac primus Pontifex, salutis nostræ dux & dominus Iesus Christus contigit, quippe qui sermonem veritatis in eâ prædicauit & docuit, seque ipsum pro nobis voluntariam victimam obtulit; eamque ob causam id consequuta est, vt mater omnium Ecclesiarum vocaretur. An non enim qui ita & sentiunt & loquuntur, seruum Domino, & Apostolum, hoc est *missum*, eo qui misit maiorem, contra Christi doctrinam tradunt? Quocirca non ob eam quam vos existimatis causam, sed propter regni & monarchiæ honorem, quo etiam ante Apostolorum prædicationem vetus Roma prædita, & totius orbis terrarum principatum nacta erat, primatum in reliquas Ecclesias huic cessisse ex rebus ipsis cognoscimus. Nam post prædicationem, consentaneum omnino erat, vt conuenienter regno, Episcopatui etiam huius vrbis honor & prærogatiua sedis præ aliis omnibus Ecclesiis deferretur. Immò verò maiorem quoque huic quàm illi honorem tribuere conatum fuisse Constantinum illum magnum scimus. quando ex illâ in hanc verè magnam vrbem omnia regni insignia transtulit, eamque proprio suo nomine insigniuit, & reginam vrbium vocari voluit.

CALDENARIVS.

Cur non igitur vestræ Ecclesiæ, quæ seipsam à capite suo auulsit; matri verò huius, quæ nullam diuulsionis causam dedit, sed potius ob auulsionem dolet, causam scandalorum adscribere conamini?

GRÆCVS.

Ex sua ipsius conscientiâ respondeat vestra reuerentia. Cùm Seruator noster eum, *qui patrem aut matrem plusquam ipsum diligit, indignum se* indicet: Vestra autem Ecclesia nescio quo pacto tentarit puro frumento, hoc est, Dominicæ doctrinæ & Apostolorum ac Patrum traditioni asseminare zizania: si verò nostra Ecclesia primum quidem tale zizanium variis modis euellere conata sit (neque potuerit ab eâ quæ iam semen susceperat) rursusque ei indiuulsè adhærere, propter filialem ergà illam affectum: quo pacto non ipsa sibi ipsi reuerentiam erga communem dominum, & patrem, ac creatorem meritò vendicet, parti verò vestræ Ecclesiæ scandalorum causam rectè adscribat?

BAR-

BARLAAMI MONACHI DE PAPÆ PRINCIPATV LIBELLVS.

CAPVT I.

QVI scientiarum, Francisce, cognitione pollent; cum illis solis hominibus scientiæ gnarum de quauis quæstione, quæ quidem scientiæ ipsius propria sit, disserere posse, aiunt; qui scientiæ illius obseruant principia: quæ si quis tollat; cum illo, nullo modo posse disputari. Id quod ego in ecclesiasticis quoque vsuuenire rebus, videor animaduertere. Nam qui eisdem principiis vtuntur; de quauis proposita quæstione cum iis demum potest disceptari. contrà verò, cum illis, quibus eadem in confesso non sunt principia, nulla omninò institui potest disputatio. Necesse ergo est, siquidem de rebus controuersis verba facturi simus; eadem admittere principia atque concedere: alioquin vterque nostrum conticescat. Sed enim quia tu rectè profiteris; te, & principia, & ea quæ è principiis ritè demonstrata fuerint, obseruaturum; ac dissentientia minimè admissurum: mei ratus sum officii esse, vt fraternè tecum atque amicè, ex eisdem principiis progressus, de rebus inter nos controuersis disseram. Interea Dei optimi maximi benignitatem supplex oro, vt mentem vtriusque nostrum illustrare velit; mihique veritati consentanea dicere concedat; ac tibi rectè & incorruptè de eisdem iudicare. Tua est etiam à me roganda caritas, vt, vbi aliquid in iis quæ à me dicuntur, quæ tibi minùs arrideant, offenderis, patienter primum id tantisper legas; donec sensum dicti atque sententiam fueris assecutus; deinde, ad principia inter vtrosque posita & concessa, reducas; à quibus siquidem dissentire videris, vel repugnare, redarguere ne dubites; haud ingrata futura est reprehensio nobis. Etenim à fratre & amico redargui multò satius est; quam alterius cuiusquam audire blanditias. Verum enimuerò principiorum tibi & memoriam refricare, alienum nequaquam arbitror. Sunt autem hæc. *Quatuor Euangelia, Apostolorum scripta, Epistolæ vniuersales & particulares; Acta Apostolorum, Ioannis Theologi Apocalypsis: Apostolorum, sanctorum item Patrum, qui in septem illis sacris œcumenicis Synodis conuenere, Canones.* Atque hæc quidem principia sunt. E quibus tum alios redarguere, minimè ambigam; tum redargui me facile patiar.

CAPVT II.

DIsputationem autem sic exordior. Tu affirmas, Dominum nostrum Iesum Christum B. Petro Ecclesiam suam tradidisse; communemque eum pastorem eiusdem ac doctorem instituisse. Romanumque Episcopum, vtpote huius successorem, debere omnibus imperare, præesse omnibus, vt qui in omnes potestatem obtineat: ipsique licere pro amplitudine potestatis suæ, quidquid libuerit decernere; nec fas esse cuiquam illius contradicere placitis: sed omnes omninò teneri ad decreta ipsius, ceu Dei eloquia, sine vlteriore disquisitione, amplexanda. Ego verò B. quidem Petrum totius Ecclesiæ pastorem ac doctorem fuisse vniuersalem; verissimum agnosco. Atqui non ille solus fuit: sed eadem cum illo sorte æqualique honore, duodecim Apostolorum vnusquisq;. Nam sic se res habet. Petro claues regni cœlorum Christus se daturum pollicitus est. quas nihil planè aliud esse, quàm ligandi ac soluendi potestatem, verbis sequentibus apertè declarauit. Verùm, istam vtique potestatem à Domino reliquis quoque Apostolis datam, constat. *Quidquid enim ligaueritis*, inquit, *in hac terra; ligatum erit & in ipsis cælis; & quidquid solueritis in hac terra; in ipsis quoq; cælis solutum erit.* Item, *Accipitote Spiritum Sanctum: quorum peccata dimiseritis, dimittuntur ipsis: quorum detinueritis, detenta sunt.* Sed & sacrosanctum illud diuinissimumq; sacrificium, nequaquã soli Petro, sed omnibus peræq; peragere mandauit. Ait enim, *Hoc facitote in mei recordationem.* Tametsi autem soli Petro dictum fuit; *Pasce oues meas:* dicti tamen illius vis, ad reliquos pariter spectat: prout ex rebus ipsis liquidò patet. Quid enim, quæso, fecit Petrus, quod idem reliqui similiter non fecere? annon post Spiritus Sancti descensum, aliam alius orbis terrarum partem sortitus, errãtes docuit, tenebrisq; obcæcatos illustrauit? nonne Ecclesias constituit? nonne presbyteros creauit? nonne Episcopos? nonne Diaconos? ecquando horum quispiam ista Petri hortatu peregit? nonne vnusquisq; eorum eadem à Domino Christo potestate accepta in quacunq; tandem orbis regione versabatur, docebat; eademq; exercebat ibidem quæ & B. Petrus in quibus locis prædicabat? Porrò si nostræ conuenit pietati non tam ad verborum diuersitatem, quàm ad naturæ rerum cognationem attendere; quid tibi, quæso, videtur illud innuere, *Accipietis virtutem ex alto superueniente super vos Spiritu Sancto; eritisq; mihi testes tũ Hierosolymis, tum in Iudæa tota, ac Samaria, atq; ad extremos vsque fines terræ*; quod omnibus plurali numero est enunciatum? Item illud, *Proficiscimini in omnes gentes, & prædicate Euangelium meum vniuersæ creaturæ: baptizantes illos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: docentes ea omnia obseruare quæ vobis præcepi?* quid? nonne verbis istis omnes, orbis vniuersi pastores ac doctores creauit? Itaque nemo eorum huius vel illius ciuitatis regionisue Episcopus nuncupatus est: sed eandem vbiq; locorũ habuit potestatem. Ipsorum verò successores, quos ordinarãt aliũ alii ciuitati ac regioni; particularis

iam paſtor quiſque cognitus eſt. Sed enim, ſi hæc ita ſe habent, qui fit vt B. Petrus Apoſtolorum princeps, primariæque ſedis appelletur? Attende pauliſper, huiuſque dubitationis ſolutionem afferemus; argumentis non è proprio cerebro depromtis, ſed è diuinis eloquiis. Neque enim nos vmquam de myſteriis nobis commendatis ex humano ingenio dicere aliquid conabimur; ſed neque alios, qui imperitè & audacter id tentauerint, feremus; aut profanis illorum clamoribus aures præbebimus. Animaduerto equidem, Petrum ipſum, cùm opus foret aliquem ad ſupplendum numerum duodecim Apoſtolorum ſurrogari; ſurgere qui primus verba faciat. Similiter etiam à deſcenſu Spiritus Sancti, reperias, vbi primas docendi partes obeat. Illius proinde prærogatiua hæc eſt: alios primo loco dicendi honorem ipſi deferre. Quod ſi ſummarum Eccleſiaſticarum dignitatum partitione facta; aliam Petro datam fuiſſe dixeris, reliquis aliam: rationibus omiſſis, è verbo Dei nobis iſtud demonſtra; paſſiſque vlnis accipiemus. Nam ego ſane non reperio, vnde hoc diſcrimen quis coniiciat: cùm neque ex Domini ſermonibus ad illos habitis; neque ex iis quæ ipſi poſtea factitarunt, illud queat elici. Verùm tu ita mihi videris his in rebus affectus, perinde ac ſi Petrus ſolus ab ipſo Chriſto: reliqui verò Apoſtoli à Petro fuiſſent inſtituti, ac propterea omnes mortales Papæ cogis poteſtati obtemperare; nec permittis cuiquam illius Imperium detrectare: ordinationemque omnem, quam ille non ſanxerit, irritam ducis: quaſi neceſſe omnino ſit, aut omnem omnino ab illo pendere; aut certe quæ non ſit, caſſam nullamque cenſendam. Sed de ordinatione poſtea. Nunc autem concluſis iis, quæ fuſius à nobis ſunt demonſtrata: omnes quidem Apoſtolos, quod ad Eccleſiam attinet, pari eodemque planè fuiſſe honore; ſacri autem illorum duodenarii numeri principem B. Petrum fuiſſe aſſeueramus. hac ſcilicet in re ceteris ſuperior, quòd aliis præſentibus, primas ipſe docendi partes obierit, ac fortaſſe etiam primo loco ſederit.

CAPVT III.

OMnes igitur omninò, vti dictum eſt, ſermonis diſcipuli, paſtores doctoreſque orbis terrarum extitere: particulares autem paſtores, quos *Epiſcopos* appellauere, alium alius ciuitatis conſtituerunt, aut regionis. Verbi gratia, Athenarum Dionyſius, Timotheus Epheſi, Titus Cretæ, alius alius loci paſtor ab Apoſtolis conſtitutus eſt. ſimiliterque S. Clemens Epiſcopus Romæ à Petro eſt ordinatus: qui ſoli ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ quæ erat Romæ, præeſſet, eandemque moderaretur. Verùm enimuero poſtea, cum Dei prouidentia, ius Imperii ad noſtros perueniſſet; piiſſimorum Regum, ſanctorumque Patrum noſtrorum decretis vt Romana ſedes prima eſſet, ideò ſancitum eſt; quòd vrbs illa rerum potiretur; Eccleſiaſque orbis terrarum, vnius Imperio ſubiici, videretur conſentaneum: cum antea Romanus Epiſcopus, vt nec ceterorum quiſquam, nec primus eſſet, nec poſtremus. Quòd ſi tu demonſtrare potes, S. Clementem non Romæ ſolum, ſed vniuerſæ etiam Eccleſiæ Dei paſtorem fuiſſe à Petro conſtitutum; nec illis modo Epiſcopis, quos ceteri Apoſtoli creauerant, debere imperare; verùm iis etiam ipſis, quos primarius ille Apoſtolus in aliis ciuitatibus ordinauerat: ex iis, quæ diximus, principiis, firma ſolidaque argumenta contexito, libenter acquieſcemus. Sin tu tale nihil demonſtrare poteris: nobis autem nihil facilius fuerit, quàm aduerſariā ſententiam rationibus communire firmiſſimis: aut cede, quæſo, veritati; aut ab iniuſta ſaltem contentione deſiſtito. Quis enim vmquam aut Petrum Romæ Epiſcopum dixit; aut Clementem, primarium? Cùmq; multi in multis aliis ciuitatibus Epiſcopi à primario Petro fuerint creati: quænā lex ſolū iubet inter ceteros Romanum Epiſcopum, huius ſucceſſorē appellari, ac reliquis imperare. Et quid obſtat, quo minus Alexandriæ Epiſcopus Petri ſucceſſor habeatur, primaſq; in omnes obtineat? Namque vt Clemens Romæ, ita Marcus Euangeliſta Epiſcopus Alexandriæ factus eſt. FRANCISCVS. Atqui Apoſtolus Romæ vitam diuinitus finiuit. neceſſe ergo eſt, Epiſcopum Romanum, locum illius tenere. BARLAAMVS. Ergo, quandoquidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, mortem Hieroſolymis noſtrâ causâ obiit: Hieroſolymorum Epiſcopus, vtpote qui primarii noſtri Pontificis locum teneat; omnibus præerit. Et quidem tanto maior Romano Epiſcopo, quanto Chriſtus Petro. Præterea, quam abſurdum illud eſt, & à ratione abhorrens; ceterorum quidem Apoſtolorum vnumquemque communem paſtorem ac doctorem orbis terrarum, perinde atque Petrum, fuiſſe: eorum autem neminem, præter ſolum Petrum, ſucceſſorem reliquiſſe? Quod ſi quis ceterorū Apoſtolorum, ſucceſſores voluit relinquere vel Epiſcopos ab ipſis conſtitutos, vel earū Eccleſiarū moderatores, in quibus vnuſquiſq; vitam finiit, aut ad Deum migrauit: qua ratione, omnes à Papa creari iubes? numquid enim dicere potes, ipſos à S. Petro Apoſtolos fuiſſe conſtitutos? Id, ſi verum non eſt: qui fit vt illorum ſucceſſores, à Petri, vti tu appellas, ſucceſſore, ordinari oportere contendas? Atqui verò, reliquos quoque Apoſtolos, ſucceſſores reliquiſſe, in quibus nullus, aut primus, aut poſtremus, fuerit; ſed omnes æquales eiuſdemque planè ordinis; ſi nudè aſſeuerarem, minus fortaſſe credendum mihi exiſtimares: ceterùm teſtem omni exceptione maiorem producenti, nullo modo refragari potes. Sanctus is eſt & diuinus ille Dionyſius Areopagita, in ea quam ad Demophilum monachum epiſtola ſcripſit his verbis, *Tu igitur cupiditati, iracundiæ, ac rationi, prout par eſt moderare: tibi verò ſancti miniſtri; his ſacerdotes; pontifices ſacerdotibus, pontificibus Apoſtoli, Apoſtolorumq; ſucceſſores. quorū ſiquis aliqua officii parte deliquerit, à ſanctis eiuſdem ordinis corrigi poteſt.* Hic igitur æqualis Apoſtolorū, qui res temporis illius probè norat, Apoſtolorum ſucceſſores, ordine pares fuiſſe pronunciat. contra verò tu omnes Papæ imperio ſubiici iubes: qui in alios quidem animaduertat; ipſe autem à nemine prorſus; quidquid egerit ac decreuerit, caſtigetur.

CAPVT

CAPVT IV.

AC Romanam sanè sedem multis postea sæculis, sanctorum Patrum, piissimorumque Imperatorum beneficio, primas fuisse nactam; vel ex eorum ipsorum sanctionibus, hac de re editis, liquido constare potest. Nam si Episcopus Romanus antea primus fuisset, orbisque terrarum pastor, à S. Petro constitutus: numquàm proculdubio diuinissimi illi Imperatores, Constantinus atque Iustinianus, vt de re sui iuris sic promulgassent sanctione, *decernimus vt Romanus Episcopus, primus omnium sacerdotum sit.* Idque adeò primum quia nulla fuisset opus lege: deinde, impietatè sese obstringere videri possent, si Petri potestatem ac iurisdictionem sibi arrogarent, quodq; tot ille antea sæculis sanxerat, id ipsi decernere præsumerent superciliosè.

CAPVT V.

ET verò, vt ad postremam huius nostræ disputationis demonstrationem deueniam; cui nemo, qui quidem sacrosanctos Canones admittit, potest refragari; Quartæ Synodi vicesimus octauus canon sic habet: *Sanctorum Patrum definitionibus vbique insistentes; & modo recitatum canonem sanctissimorum centum quinquaginta Episcoporum agnoscentes: de sanctissima Ecclesia Constantinopolis nouæ Romæ prærogatiuis, nos quoque eadem definimus atque decernimus. Etenim sedi veteris Romæ, propter vrbis illius Imperium, Patres meritò primas detulere. Quinetiam eodem sibi proposito scopo centum illi & quinquaginta Episcopi Deo carissimi, eadem priuilegia ac prærogatiuas in sanctissimam nouæ Romæ sedem contulere. consentaneum rati, vt vrbs, Imperatoria maiestate & Senatu ornata; eisdemque cum vetere imperatrice Roma priuilegiis decorata: in Ecclesiasticis itidem, vt illa, rebus, summam auctoritatem amplissimamq; potestatem, vtpote illi secunda adipisceretur.* Satis ergo apertè ac perspicuè hic canon declarat, & cuius beneficio Romana sedes prima euaserit; & caussam aperit, qua ad id fuere impulsi: Patres videlicet auctores extitisse: eoque adductos, quòd rerum vrbs illa potiretur.

CAPVT VI.

IAm vero prærogatiuarum amplissimæ huiusce vrbis sedis, cum secundæ Synodi canon tertius his verbis meminit; *Verùm Constantinopolitanum Episcopum post Romanum Episcopum, honoris prærogatiuas obtinere*: tum tricesimus sextus Sextæ; *Renouatis centum quinquaginta sanctorum Patrum, in hac diuinitus custodita ac regia vrbe coactorum; item sexcentorum triginta Chalcedone congregatorum, decretis: sancimus, vt sedes Constantinopolitana, eisdem cum veteris Romæ sede fruatur priuilegiis: in rebusque, vt illa, Ecclesiasticis, amplissimam dignitatem summamque potestatem obtineat, vt quæ illi secunda sit. cui proxima, Alexandrina magnificentissimæ vrbis sedes numeratur: tum Antiochena: postremò Hierosolymitana.* Porrò centesima tricesima prima Nouella Iustiniani, piissimi Imperatoris, hæc habet verba; *Sancimus vt sanctissimus veteris Romæ Papa, omnium sacerdotum primus sit: beatissimus autem Constantinopolis, nouæ Romæ, Archiepiscopus, secundo quidem post sanctissimam veteris Romæ sedem ordine sit: sed ceteris omnibus anteponitor.* Quapropter dignitate quidem parem esse decreuerunt, in rebusque Ecclesiasticis, perinde atque illum, summa eminere potestate: sed ordine secundum. Neque tamen ita secundum, vt ab illo crearetur: quandoquidem nec hic nec alius quisquam Patriarcharum à Papa ordinabatur. Etenim leges sanxerunt vt ordinationis Episcoporum summa plenaque auctoritas penes singulos Metropolitas esset: isti autem à Patriarchis constituerentur; illo nimirum cui sedes vnaquæque subiiciebatur. Patriarchas verò à Papa ordinari; nulla lex iussit. Mihi si minus credis, tu saltem ipse sacrosanctos Canones cum diuinorum Apostolorum, tum sacrarum etiam septem œcumenicarum synodorum in manus sume, diligenterque perlege. quod si vllum vspiam canonem repereris, qui Patriarcharum ordinandorum summam auctoritatem Papæ tribuat: indica modò nobis illum; vicerisque ilico. Sin hoc numquam reperire poteris: qua tandem necessitate cogimur vt ea quæ tu è proprio sensu depromis admittamus? Præterea, Hierosolymitani Episcopi qua ratione debent à Papa ordinari? neque enim aut Dei frater Iacobus à Petro ordinatus est: aut huius successorem, par fuit, neminem fuisse, nisi Papa illum creasset.

CAPVT VII.

ILlud autem mirum est vos latere, canones sanxisse, vt, quemadmodum nouæ Romæ Episcopus à Papa secundus ordine est; ita planè Alexandrinus, huic secundus: deinde Alexandrino proximus Antiochenus, Hierosolymitanus denique Antiocheno. Quod si igitur nouæ Romæ Episcopum ideo à Papa constitui necesse sit, quod secundum ab illo gradum obtineat, vnumquemq; profectò Patriarcharum par est deinceps primarium secundarii ordinationis ius penes se habere. Atqui hoc numquam ita factitatum est; nec etiamnum fit. Id quod vetere consuetudine confirmari potest. Patriarcharum enim quisque à propriis quidem Episcopis designabatur; ab eorum autem vno creabatur; prout in hodiernum vsque diem ritè obseruari solet. verbi caussa, noster Patriarcha à metropolita Heracleæ; Hierosolymorum Patriarcha, à metropolita Cæsareæ. similiter & reliqui.

CAPVT VIII.

AC nobis sanè quidem æquum videtur; (neque vos illud infitiabimini, quandoquidem pa-

Digitized by Google

V. Item, Confirmatur. Nam *Matthæi* 12. legitur, quod discipuli Iesu euellentes spicas ad sedandam suam esuriem, manducauerunt in Sabbatho, Pharisæis calumniantibus & contra dicentibus, quibus Christus respondit. *Nonne legistis quid fecit Dauid, quando esuriuit, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Domini, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Patet Historia 1. *Reg.* 21. Et præceptum *Deutero.* 12. Ex qua sententia patet, quod licet in tempore necessitatis vti quantumlibet consecratis, aliàs filii omnia temporalia dando ad consecrationem templi, non tenerentur subuenire parentibus, quod est contra Euangelium *Matthæi* 16. vbi corripit Saluator Pharisæos, quod propter traditionem suam transgrediebantur mandatum Dei.

VI. Item, Titus & Vespasianus Principes sæculares habuerunt potestatem à Deo concessam 24. annis, post ascensionem Domini, ad auferendũ temporalia à sacerdotibus, qui in Sanctum Domini deliquerunt, & de facto etiam vitã eis abstulerunt, & vt multis videtur meritoriè ad Dei beneplacitum hoc fecerunt, vel facere potuerunt. Igitur cum moderni sacerdotes tantum vel amplius possunt delinquere in Christum Domini, sequitur, quod ex Dei beneplacito sæculares Domini parem pœnam eis poterint infligere pro delicto.

VII. Item, saluator Rex regum & summus Pontifex cum suis discipulis dedit tributum Cæsari, videlicet *Matth.* 17. & præcepit dare ipsi Cæsari Scribis & Pharisæis vt patet *Matth.* 22. In quo dedit exemplum sacerdotibus posteris vt regibus dent tributum. Vnde quoad hoc, beatus Ambrosius libro 4. super Lucam, super illo verbo Lucæ 5. *Laxate retia*, ita loquitur: *Est & aliud Apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari iubet Dominus dicens: Mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit tolle.* Et tunc ad propositum dicit. *Magnum quidem est & spirituale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluendum? & ille censum soluit, qui nihil possidebat, tu autem qui seculi sequens lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? cur te supra seculum quadam animi arrogantia feras, cum seculo sis misera cupiditate subiectus?* Hæc Ambrosius, & ponitur 11. *quæst.* 1. *Magnum quidem.*

VIII. Idem, super illud Lucæ 20. *Ostendite mihi denarium, cuius habet imaginem*, dicit: *Si Christus non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, reddidit mundo quod erat mundi, Et tu si non vis obnoxius esse Cæsari, noli habere quæ mundi sunt, sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil debere Regi terreno, relinque hæc omnia & sequere Christum.* Si ergo omnes Ecclesiastici diuitias habentes, debet subesse iurisdictioni regum, & dare eis temporalia, sequitur, quòd Reges licitè secundum auctoritatem eis concessam, possunt auferre ab eis temporalia. Hinc Paulus cognoscens se esse sub Iurisdictione Cæsaris, appellauit ad Cæsarem, vt patet Actorum 25. *Ad tribunal*, inquit, *Cæsaris sto, ibi oportet me iudicari.* Vnde *dist.* 8. *cap. Quo iure*, allegat Ambrosius, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Ad cuius confirmationem dicitur Danie. 2. *Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri, volucresque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit*

IX. Idem 11. quæst. 1 *Si tributum quærit Imperator, non negamus, agri Ecclesiæ soluant tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum, tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono sed non nego.* Hæc Ambrosius, expressè ostendens, quod Dominus secularis habet potestatem ad libitum tollere agros Ecclesiæ, & per consequens Domini seculares habent potestatem ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.

X. Item Augustinus: *Si dicis, quid nobis & Imperatori? Sed iam, vt dixi, de Iure humano agitur. Apostolus voluit seruire Regibus, honorare reges & dixit: Reges reueremini. Noli dicere, quid mihi & regi? quid tibi ergo & possessioni, per iura regum possidentur possessiones, dixisti, quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas, quia ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur.* Hæc Augustinus *dist.* 8. Ex cuius verbis manifestè habetur, quid rex super bonis Ecclesiæ habet potestatem, & per consequens potest eã auferre à Clero habitualiter delinquente.

XI. Item, Augustinus Epistola 33. ad Bonifacium: *Quis*, inquit, *sobrius nostris dicat Regibus: nolite curare in regno nostro à quo teneatur, vel à quo oppugnetur Ecclesia Domini non ad vos pertinet, quis velit esse siue religiosus siue sacrilegus, quibus dici potest: Nonne ad nos pertinet in regno nostro, quis velit esse pudicus, quis impudicus?* Ecce ostendit iste Sanctus, quòd Regum est compescere sacrilegos, & per consequens insolentes Clericos per ablationem temporalium ipsis habitualiter deliquentibus.

XII. Item, secundum eundem 23. *quæst.* 7. *Si de rebus*, bona temporalia Domini sæculares possunt licitæ auferre ab hæreticis, sed quia stat in casu iam de valde possibili, quod Clerici multi sunt Simoniaci & sic hæretici, igitur sæculares Domini possunt valde licitè auferre ab eis bona temporalia. *Quid*, inquit, Augustinus, *indignum si ea quæ tenebant hæretici, secundum voluntatem Domini Catholici tenent, cum ad omnes iniquos illa vox domini est Matthæi 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam eius? An frustra scriptum est Sapient. 11. Labores impiorum iusti edent?* Et quantum ad obiectum de concupiscentia rei alienæ, dicit Augustinus, quòd ista euidentia septem nationes, quæ male vtebantur in terra promissionis, & expulsæ potestate diuina possent obiicere Dei populo occupanti, & ipsi Iudæi, à quibus ablatum est regnum secundum verbum Domini, & datum genti facienti iustitiam, possent obiicere Christi Ecclesiæ de concupiscentia alieni, sed responsio Augustini est: *Non*, inquit, *concupiscimus aliena, quia illius imperio, cuius sunt omnia, facta, sunt nostra.*

Digitized by Google

nostra. Pari euidentia Clericis habitualiter delinquentibus bona temporalia facta sunt aliorum Ecclesiæ ad profectum. Facit ad hoc 14. *quæst*. 4. secundum Augustinum: *Infideli nec obulus est, fideli autem totus mundus, diuitiarum est*. Nonne igitur omnes, qui sibi videntur habere conquisita, eisque vti nesciunt, alienum possidere conuincimus, hoc enim certè alienum non est, quod iure possidetur, hoc autem iure, quod iustè & hoc iuste quod bene. Omne ergo quod male possidetur, alienum est; male autem possidet, qui male vtitur. Si ergo clerus bonis temporalibus habitualiter abutitur, temporales Domini ad arbitrium suum secundum charitatis regulam possunt tollere bona temporalia à clero taliter delinquente. Tunc enim iuxta allegationem iam dictam clerus non iuste possidet bona temporalia. Temporales autem Domini procedentes secundum charitatis regulam iuste possident illa temporalia, cum iustorum sunt omnia 1. Corinthiorum 3. *Omnia*, inquit Apostolus, *vestra sunt*. Et 23. quæst. 7. cap. 1. *Iure diuino omnia sunt iustorum*.

XIII. Item, Ex quo Clerici ratione possessionum sunt Imperatori vel Regi obnoxii, sequitur, quod ipsis habitualiter delinquentibus possessiones ab ipso Imperatore vel rege licite possunt tolli. Consequentia tenet, quia aliàs non subessent Imperatori vel regi. Et antecedens patet 11. *quæst*. 1. *Parag. His ita respondetur*, vbi dicitur: *Clerici ex officio Episcopo sunt suppositi, ex possessionibus Imperatori sunt obnoxii, ab Episcopo vnctionem, decimationes & primitias accipiunt, ab Imperatore vero possessiones nanciscuntur*. Vt ergo prædia possideantur, Imperiali lege factum est. Patet, quod clerici ex prædiorum possessionibus Imperatori sunt obnoxii.

XIV. Item, Seculares Domini possunt auferre bona temporalia à Simoniacis, cum sint hæretici, ergo articulus verus. Antecedens patet, quia Domini seculares possunt Simoniacos respuere, & si non resipiscant, opprimere. nam dicit Decretum Pascasii Papæ 1. quæst. vltima: *Patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus esse respuendos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos*, vbi dicit Glosa, *ab exteris, id est, à Laicis, qui habent potestatẽ hanc extra cleri Ecclesiam*. & *dist*. 17. *Non licuit*: & 23. *quæst*. 5. *Principes*. Et patet quòd Domini temporales possunt bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.

XV. Item Beatus Gregorius in Registro libro 7. cap. 9. Reginæ Francorum ita scribit: *Cum scriptum sit, iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum. Tunc regnum stabile creditur cum culpa, quæ cognoscitur citius emendatur. Ideo cum causa ruinæ populi sint sacerdotes mali, quis enim pro peccatis populi intercessor se obiiciat, si sacerdos, qui exorare debuit, grauiora committat? Ac in vestris partibus sacerdotes impudicè & nequiter conuersantur. ad hac vlciscenda debemus ardenter confugere, ne paucorum facinus sit multorum perditio. Et sequitur, personam, si præcipis, cum vestræ autoritatis assensu transmittimus, qui vnà cum aliis sacerdotibus hæc, & subtiliter quærere, & secundum Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda, quæ diximus, quia qui emendare potest, & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus vestris quos cupitis regnare, prouidete prouinciis, & priusquam creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissime cogitate*. Et proximo cap. scribit Regi Francorum: *Quicquid ad Dei nostri, quicquid ad Ecclesiarum reuerentiam, quicquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, studiosè statui velitis, in omnibus custodiri. Vnde ergo iterum nos pulsamus, vt congregari synodum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, carnalia in sacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæresis prauitatem omnium Episcoporum difficilimam damnari atque argui, vestris amputari finibus faciatis, ne plus illic pecuniam obtinere quàm præcepta Dominica permittatis*. Ecce quam sollicitè beatus Gregorius hortatur Reginam & Regem, vt vicia Cleri corrigant, ne sint participes delicti ex negligentia, & qualiter debent corrigere subditos; Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum aduersarios studet esse solliciti. Sed quia iuste bellando contra exteriores hostes licet eorum bona, dum perseuerant in malitia, tollere: Ergo & clericorum interiorum. Tenet consequentia, cum inimici domestici sunt plus nociui.

XVI. Item, Arguitur sic: Si Deus est, Domini temporales possunt meritoriè ac legitimè auferre bona temporalia à clero habitualiter delinquente. Pro isto supponamus, quod loquamur de posse, vt loquitur scripta rectissima & summe autentica Matthæi 3. *Potens est Deus de lapidibus istis filios Abrahæ suscitare*. Quo posito, arguitur. Nam, si Deus est, ipse est omnipotens; & si sic, ipse potest dare Dominis sæcularibus potestatem huiusmodi, & per consequens ipsi possunt legitimè & meritorie, sic vti huiusmodi potestate. Sed ne forte dicatur, quòd probatio ex remoto, sit impertinens, ostenditur, quod Domini temporales habent potestatem subtrahendi suas eleemosinas collatas Ecclesiæ, ipsa illis eleemosinis abutente, vt probabitur posterius. Et primo sic. Licet Regibus, in casibus limitatis à iure, auferre temporalia à viris Ecclesiasticis ipsis habitualiter abutentibus. Probatur. Nam ad opera maioris misericordiæ dominis temporalibus magis facilia, sunt ipsi amplius obligati. Sed foret in casu maior eleemosina, atque facilius dominium temporale subtrahere eleemosinã suam ab ædificante ad Gehennam per eius abusum, quàm donare dictam eleemosinam ad subsidium corporale. Ergo assumptum verum. Vnde primo secundum legem Christi specificatur ista sententia 2. Thessal. 3. vbi Apostolus sic scribit: *Cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet*. Ius ergo naturæ licentiat habentes regnorum gubernacula rectificare abusus temporalium, qui præcipue destruerent regna sua, siue domini temporales siue quicunque alii dotauerunt Ecclesiam temporalibus. Licet eis in casu auferre bona temporalia medicinaliter, ad cauenda peccata, non obstante excommunicatione, vel alia censura Ecclesiastica. Cum non nisi sub conditione, scilicet implicita, sint dotati. Patet ex hoc, quòd per se conditio consequens ad dotati-

Digitized by Google

onem, vel ad donationem bonorum Ecclesiæ est, vt Deus honoretur. Quæ conditio si defuerit, succedente opposito, patet, quod periit titulus donationis, & per consequens Dominus dans eleemosinam, rectificare debet errorem. Excommunicatio autem non debet obstare iustitiæ complemento. Secundo, secundum legem Canonicam 16. *quæst.* 7. specificatur ista sententia, vbi sic dicitur de filiis ac nepotibus ac honestioribus propinquis eius, qui construxit vel ditauit Ecclesiam, *licitum sit hanc habere solertiam, vt si sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare prouiderint, aut honesta conuentione compescant, aut Episcopo vel Iudici corrigenda denuncient. Quòd si Episcopus talia agere tentet, Metropolitano eius hac insinuare procurent. Si verò Metropolitanus talia gerat, Regis hoc auribus intimare non differant.* Ecce dicit Canon: *Regis auribus intimare non differant.* Ad quid rogo, nisi vt ipse correctionem adhibeat? nec dubium quin correctio Regis pertinentior atque salubrior in hac parte fore, bonorum, quorum ipse est capitalis Dominus, subtractio proportionalis ad delictum.

XVII. Item, Sic arguitur: Licet Dominis secularibus potestative facere correctionem Clericorum per aliquam speciem terrentis disciplinæ suæ potestati seculari pertinentem. Ergo à pari, licet eis potestativè facere huiusmodi correctionem per omnem speciem terrentis disciplinæ, suæ potestati seculari pertinentem. Cum ergo ablatio temporalium est species terrentis disciplinæ pertinens seculari potestati, sequitur, quòd licet eis per illam facere potestativè huiusmodi correctionē, & per consequens sequitur veritas probanda. Patet consequentia, & antecedens per Isidorum. 23. *q.* 5. *Principes*, vbi sic dicitur: *Intra Ecclesiam potestates seculares potestates non essent, nisi vt quod sacerdotes non praualent efficere per doctrina sermonem, potestas hoc imperet per disciplina terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit, vt qui intra Ecclesiam positi, contra fidem & disciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ vtilitas exercere non praualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat.*

XVIII. Item, Omne quòd debet efficere potestatiue finem aliquem per rationalem commensurationem mediorum ad ipsum, potest licitè vbi potestativè subtractione excessus & additione defectus ipsorum mediorum, secundum quod congruit ipsam commensurationem faciendam. Cum ergo seculares Domini debent potestativè efficere necessariam sustentationem Cleri Christi, per rationabilem commensurationem temporalium, quæ tenentur conferre Clero Christi, sequitur quòd possunt licitè vti potestative subtractione & additione ipsorum temporalium, secundum quod congruit propter ipsam commensurationem rationabilem faciendam.

XIX. Item, Licet Clericis potestativè subtrahere sacramenta Ecclesiæ ab Ecclesia Laicorum habitualiter delinquente, eo quod ad officiū Cleri Christi pertinet potestativè ministrare ea Laicis. Ergo cum ad officium Laicorum pertinet ministrare potestativè Clericis Christi temporalia, vt dicit Apostolus 1. *Cor.* 9. sequitur, quòd licet eis subtrahere temporalia potestativè à Clericis habitualiter delinquentibus.

XX. Item, Æque potestativè potest stipendians subtrahere suum stipendium ab indignis operariis, sicut potest conferre ea dignis operariis. Cum ergo temporalia Clericorum sunt stipendia Laicorum, sequitur, quòd æquè potestativè possunt ea subtrahere Laici à Clericis, nolentibus dignè laborare, sicut potuerunt ea conferre potestativè volentibus, dignè laborare, iuxta illud Euangeli: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius*, Matth. 21.

XXI. Item, Licet Dominis secularibus potestativè castigare Laicos delinquentes per ablationem suorum temporalium secundum exigentiam delictorum, eo quod Laici sunt subditi eorum dominio. Cum ergò Clerici sunt etiam subditi secularium Dominorum dominio, vt patet *ad Rom.* 13. & sæpe alibi, sequitur quòd licet eis potestativè castigare Clericos per ablationem suorum temporalium, peccato Clericorum exigente.

XXII. Item, Rectificatio facilima Cleri ad vitam Christi & Apostolorum, & pertinentior Laicis, ne ipsi Clerici viuant Christo contrarie, videtur esse eleemosinarum subtractio, & collatarū ablatio. Probatur: Medicina per cuius adhibitionem aptius sanaretur infirmitas, & magis medenti congrueret, potius est aptanda: huiusmodi foret temporalium ablatio. Ergo articulus verus. Minor videtur pro eo, quòd ex temporalium copia vermis fastus enascitur, exinde etiam cupido accenditur, & gula atque luxuria procreantur. Patet, cum illis abstractis, quodlibet istorum peccatorum tollitur siue minuitur, inducta virtute opposita. Videtur etiam pertinentior Laicis, quia ad hoc non oportet eos in sacerdotes manus violentas mittere, dignitatem sacerdotalem abiicere, nec Clericos in foro iudiciali solenniter iudicare. Videtur etiam ex lege conscientiæ Laicis pertinere, cum omnis faciens opus misericordiæ, debet ad habilitatem sui eleemosinarii diligenter attendere, (aliter enim fouendo discolos, foret particeps sui facinoris.) Vnde si sacerdos non ministrat in spiritualibus, docet Hostiensis, *libro* 3. *de decimis, primitiis & oblationibus*, quòd populus debet sibi subtrahere eleemosinas decimarum.

XXIII. Confirmatur, de Reditibus appropriatis Ecclesiæ, ex *Decreto* 17. *quæsti. vltima, Quicunque.* Vbi ponitur casus, quòd quidam, cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes, retento sibi vsu fructuum, donauit Ecclesiæ, nati sunt sibi filii, reddidit Episcopus necopinanti. Ea, quæ ille donauerat, in potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli. Si ergo ex decreto subtilissimi & sanctissimi Augustini in sermone *de vita Clericorum*, sanctus

Digitized by Google

Sanctus Aurelius Carthaginensis Episcopus non habuit iure diuino potestatem non reddendi collatum Ecclesiæ, propter indigentiam filiorum, qua lege clerici petulantes, superbi, lubrici, & superabundanter possessionati, & ditati, detinent, temporalia in detrimentum sui status, & totius Ecclesiæ militantis, patronis secularibus depauperatis, qui pressi penuria coguntur furari, grauare subditos, & alios spoliare, & sæpius necessitantur mendicare?

XXIV. Item, supponendo, quòd Clerus quantumcunque enormiter posset peccare quocunque genere peccatorum, videlicet de Episcopo Iuda Iscarioth, de religioso Sergio, de Leone Papa hæretico, & multis aliis sacerdotibus, de quibus scriptura sacra & Chronicæ faciunt mentionem, imò quotidiana experientia idem docet, patet, quòd sacerdotibus in Regno Bohemiæ, vt supponitur, enormiter peccantibus, Regis interest, cum sit post Deum supremus dominus Regni Bohemiæ, ipsos sacerdotes corrigere. Sed cum mitissima correctio induratorum in malitia, sit rerum temporalium ablatio, sequitur, quòd licitum est ipsi Regi ipsa temporalia sic auferre. Vnde valde mirabile foret, si sacerdotes equitando, spoliarent virgines & honestas mulieres per violentiam corrumperent, quod in tali casu, arma, equos, balistas, & gladios ipsis recipere non liceret. Et par est ratio, si in mortem Regis vel in destitutionem eius illicitè conspirarent, vel si Regem vellet prodere inimicis.

XXV. Item, quicquid debet Clerus à brachio seculari exigere iuxta legē Christi, debet brachium seculare de eodem perficere. Sed Clerus præpeditus diuitiis, debet exigere à brachio seculari iuuamen, in dispensando illas diuitias. Ergo seculare brachium debet in tali casu de lege Christi subire officium acquirendi, custodiendi & distribuendi omnes huiusmodi diuitias. Minor patet ex hoc, quod nemo debet habere diuitias, nisi de quanto sunt adminicula promouentia ad officium, quod est sibi à Deo limitatum. Ergo in casu, quo secularis possessio præpediret Clerum ab illo officio, debet ipsam amouere. Sic enim fecerunt Apostoli Actor. 6. dicentes: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

XXVI. Confirmatur. Quilibet Christianus sufficiens tenetur suum proximum, in his specialiter, quæ concernunt bonum publicum, adiuuare. sed magnum iuuamen foret Clerò, diuitiarum ablatio, posito, quòd retardent eum ab officio debito suo Deo. Ergo sufficientior ad hoc tenetur ex lege Christi in tali casu bona fortunæ tollere, sed sufficientissimi ad hoc sunt Reges & Domini temporales. Cum ipsi dicuntur vere Domini & possessores rerum temporalium, & indubie hoc specialiter concerneret bonum publicum, cum tali de oneratione bonorum temporalium, quę sunt pondus naturæ Clerum retardans à spirituali officio, & sunt spinæ, vt dicit Saluator *Luca* 8. verbum Dei suffocantes.

XXVII. Item, Reges & sæculares Principes sunt capitales Domini bonorum temporalium, habentes super Ecclesia curam, & ad talem coactionem auferendi præcipuam potestatem, vt patet. 23. *quæstione* 5. *Principes*, Vbi sub auctoritate beati Isidori 30. Ethimologiarum. 53. sic scribitur: *Cognoscant Principes sæculi Deo se debere rationem reddituros propter Ecclesiam, quam Christo tuendam accipiunt.* Et sequitur in eadem quæstione: *Regum est proprium, ferre iudicium atque iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, & peregrino, pupilloque & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, auxilium præbere.* Et sequitur in eadem quæst. *Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & periurios non sinere viuere, filios suos non sinere impiè agere.* Vnde declarando, quando Episcopus abutitur bonis Ecclesiæ, scribit beatus Gregorius, vt recitatur in decretis 16. *quæst.* 7. *Decimas:* Vbi postquam docuit, quòd bona Ecclesiæ debent esse communia, sic subiungit: *Peruenit ad nos fama sinistra, quòd quidam Episcoporum non sacerdotibus propriæ diœcesis decimas & Christianorum oblationes conferant, sed potius Laicalibus personis, militum videlicet siue seruitorum, vel quod grauius est, cōsanguineis. Vnde si quis Episcopus à modò inuentus fuerit, huius diuini præcepti transgressor, inter maximos hæreticos & Antichristos non minus habeatur. Et sicut Nicæna Synodus de Simoniacis censuit, & qui dat Episcopus, & qui recipiunt Laici, sine precio, sine beneficio, æterni incendii ignibus deputentur.* Quis ergo fidelis Rex, Princeps vel Dominus non resisteret talibus maleficis, inficientibus matrem suam. Vnde 3. *quæst.* 2. *Si Episcopus.* Canon sic loquitur: *Quod si male viuendo facultates Ecclesiæ dispersit Episcopus, ab eius patrimonio quousque de dilapidatione rerum Ecclesiasticarum cognoscatur, submouendus est: exemplo tutorum & curatorum qui dum fuerint suspecti, à tutela vel cura remouētur, donec de suspecto cognoscatur.* Doctores tamen dicunt, quod primo probari debet dilapidatio, & ea probata, dari sibi debet adiutor, vsque ad finem litis, sed sic excluderetur à Principe seculari correptio. ideo videtur, quòd deficiente correptione Prælati, Regis interest de bonis suis disponere, iuxta legem ciuilem.

XXVIII. Item, Quodlibet membrum Ecclesiæ debet iuuare quodlibet aliud membrum Ecclesiæ. Sed Domini temporales sunt membra Ecclesiæ cum sacerdotibus possessionatis: ergo debent iuuare eos. Sed in casu possibili præcipuum iuuamentum foret auferre ab illis bona temporalia. Ergo in casu possibili hoc debent. Cum ergo potestas vel gladius, de quo loquitur Apostolus *Ro.* 13. possit ad hæc sufficere, & per consequens superflui eis aliam ponere: videtur quod habent potestatem, quæ in casu ad correptionem Cleri se extendit. Si enim debeo dirigere iumentum inimici errans vel prostratum, videlicet *Exod.* 21. quanto magis in nouo testamento debeo data mihi opportunitate & potentia liberare animam iurati mei illaqueati cum Mammona iniquitatis de fauce diaboli? Pro quo Linconien. *Epistola* 71.

XXIX. Item, Cum quædam potentia sit facti, & quædam Iuris: Ponitur, quod Rex de facto auferat temporalia ab Ecclesiastico Clero delinquente; & ponitur, quod eorum subtractio sit oc-

Digitized by Google

casio Ecclesiastico relinquendi sæculum, & religiosæ tendendi in Deum: Iste casus non negabitur à fideli simo temporalium non cæcato. Nam secundum Augustinum, *Expedit multos incidisse in manifesta peccata, vt cognoscentes fragilitatem propriam, viuant humilius, & dolendum peccatum caueant cautius peccare de cætero.* Multò magis ergò expedit multos fuisse pauperes & caruisse ciuili dominio. Admisso ergo casu, patet, quòd Rex facit bonum opus de genere. sed omne tale potest benefieri. Ergo potest benè aufferre ab Ecclesiastico dicta bona. Si enim maior pars operum malorum de genere potest benefieri, multò magis quodcunque bonum opus de genere. Non enim repugnat charitati vel gratiæ, quòd ab illa procedat huiusmodi opus bonum, nec dubium, quin Deus in tali casu daret Regi potentiam, quam æternaliter ordinaret ad perficiendum eius beneplacitum. Posito ergò quòd Rex & Clerus regnent in cælo, foret notitia & gaudium de subtractione tali temporalium. Licet modò propter cæcitatem puerilem appareat nobis grossis hominibus esse damniferum, &c.

XXX. Item, Si hoc est error: Domini temporales possunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus tunc est etiam falsum contra rectam viationem Ecclesiæ, & sic hæresis, eo quòd in scriptura sacra est omnis veritas, vt sæpè asserit Augustinus, & per consequens, cum error iste sit falsitas, sequitur, quòd sit illi scripturæ sacræ contrarius. Et certum est, quòd pertinaciter defensatur, quia Reges & Principes credunt, quod ad Regaliam suam pertineat ita posse. Nam dato opposito, sequitur quòd viri Ecclesiastici, cùm sint valdè peccabiles, possunt regna & populum eorum destruere; sine hoc, quòd Regibus liceat Clero resistere, vel eius Eleemosynam per ablationem propriæ eleemosinæ, quæ est ignis ad hoc excitans, impugnare, Rex autem non posset licitè punire corpora talium proditorum, si non posset licitè subtrahere sua temporalia ab ipsis plus aliena, super quibus habet speciale dominium, & sic cum illa potestas sit regalia Regis præcipua, idem foret ipsam infringere, & regimen regni subdolè impugnare.

XXXI. Item, cum multi Reges valdè nobiles atque catholici crebrius exercuerunt illam potentiam, idem esset secundum talem formam assumptum eius asserere, & hæreticare eorum vitam ac animam postmodum condemnare, quòd hæredes Regum & specialiter eorum filii viriliter impugnarent. Sic enim ad similitudinem Pharisæorum & sacerdotum impetentium Christum de hæresi, imponerent Regi suo, de quo habent tantum temporale subsidium, errorem & hæresin manifestam. Sed Deus mouebit cor Regis si sibi placuerit ad destruendam istam vesaniam.

XXXII. Item, vel sunt Ecclesiastici capitales Domini redituum & bonorum temporalium, quæ Rex eis donauerat, vel econtrà. Si primo modo sequitur cum veris quòd illi Ecclesiastici sunt in maiori parte capitales Domini regi nostri: & sic quò ad temporalia, Regi non subiecti, quod videtur ipsos sentire. Prima consequentia ex eo videtur patere, quòd quartam vel tertiam partem redituum retinent viri Ecclesiastici Regni nostri. Et hinc est, quòd nolunt vocari presbyteri, sed Domini Prælati, Domini Præpositi, Domini Canonici, Domini Plebani, Domini Presbyteri. Et si quispiam vocauerit Presbyterum, continuè irascitur, ac si eum præconem vocauerit vel tortorem. Si verò Ecclesiastici non sunt capitales Domini redituum & bonorum temporalium, quæ eis Rex donauerat, vt volunt sancti, qui dicunt Ecclesiasticos non esse Dominos sed procuratores pauperum. tunc relinquitur, quòd Rex est bonorum illorum capitalis Dominus, & per consequens ea poterit auferre ab Ecclesiasticis delinquentibus, & Christi pauperibus erogare. Et hinc dicit Canon quòd tempore necessitatis, vt meliora prospiciant, res Ecclesiæ à sacerdotibus distrahi possunt. 12. *quæst.* 2. *cap. Sicut Ecclesia*, §. *secundo.* Vnde beatus Ambrosius limitat casus in quibus etiam vasa Ecclesiæ consecrata vendere & confringere licet, vt patet *dist.* 96. Plane quæcunque in auro vel in gemmis vel in argento necnon & vestibus minus apta visibus videbuntur, Ecclesiæque seruari, ac diu permanere non possunt sub iusta æstimatione vendantur, & erogatio religioni pauperum proficiat. Et illud latè prosequitur ipse Ambrosius *libro* 5. *de officiis*, &c.

XXXIII. Item, multi Reges sæpe abstulerunt temporalia simpliciter à Clero delinquente, vt patet ex destructione Templariorum, & ex aliis multis ablationibus priuatis, & nec vnquam abstulerunt sic legitimè, nec potuerunt legitimè sic auferre, vt patet per aduersarios. Ergo in hoc fecerunt, qualiter non potuerunt legitimè facere. Ex quo sequitur vltrà: quòd in hoc fecerunt, qualiter non potuerunt meritoriè vel de lege Dei facere. Et cum omne opus humanum ex deliberatione procedens sit legitimum vel illegitimum, meritorium vel demeritorium, sequitur quòd illegitimè vel demeritoriè sic fecerunt. Et vltrà sequitur, quòd inciderunt, vt sic, in errorem periculosum, quia tam corporis quàm animæ damnabiliter perditiuum. Et quòd error iste sit directè contrarius catholicæ veritati, patet tripliciter. Primò, quia Reges sic faciendo fecerunt, quod non licuit, nec licere potuit. Secundo, quia iniustè abstulerunt aliena, contra mandatum secundæ tabulæ. Et tertio, quia fecerunt ista non in charitate contra veritatem catholicam Apostoli 1. Corinth. 15. *Omnia vestra in charitate fiant.* Et totum antecedens ab aduersariis est concedendum. Et supposito errore isto in facto, si Reges pertinaciter illum defenderunt, volentes ex sua potestate tanquam legitima, sic temporalia ab Ecclesiasticis delinquentibus tollere, tunc fuerunt in hæresi. Ex quo vlterius sequitur, quod Reges in sic faciendo pertinaciter.

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt hæretici. Quod si illud vsque ad mortem defenderunt, sequitur, quod decesserunt hæretici & damnati. Ex quo vlterius sequitur, quòd Clerici possessionati, qui credunt iam dicta, non orarent pro dictis Regibus iam defunctis.

XXXIV. Item, Imperator vel Rex nedum potuit, sed decuit eum sic dotasse Ecclesiam; vt licitè posset subtrahere eleemosinas suas in casu, quo earum abusus, vergat in detrimentum regni & subtractionem prædicationis Euangelii. Supponitur ergo, quòd sub illa conditione aliquam Ecclesiam sic dotauit. Ex istis sic arguitur: Si Imperator vel Rex secundum istam formam dotasset Pragensem Ecclesiam, licitè potuisset, pro detrimento regni, pro contemptu regio, & pro subtractione prædicationis Euangelii, suam eleemosinam subtraxisse. Sed cum ista conditione ipse Imperator vel Rex potuit dotasse Pragensem Ecclesiam; Ergo potuit pro contemptu Cleri datam eleemosinam licitè subtraxisse. Cum ergo illa conditio fuisset licita & honesta, consuetudoque Regis & Regni, docent in facto conditionem illam fuisse adiectam, videtur nimis præsumptuosa assertio, quòd ipsi Principes nostri non possent ab eis auferre temporalia quantumcunque deliquerint. Imò cum simpliciter necessario potuerunt talem conditionem adiicere, & iterum simpliciter necessariò eleemosinarii possent tantum, vt supra dictum est, delinquere, Patet quod ipsi Principes nostri simpliciter necessariò potuerunt suas eleemosinas subtrahere, periculo possibili imminente, & per idem sequitur, quod potuerunt cum possibilibus paribus subtrahere in futurum.

XXXV. Item, Rex Bohemiæ vel Imperator dotans Ecclesiam suam, nec debuit nec potuit ipsam dotare ad eneruationem vel deteriorationem regni sui. Cum omnis potestas sit à Deo, quæ non potest dare potentiam ad hunc finem. Sed sic contingeret, supposito, quòd Rex vel Imperator absolutè dotasset suam Ecclesiam, non subintelligendo conditionem supra dictam. Ergo oportuit conditionem illam subintelligi, & per consequens, quando contemptus Cleri accidit, Rex accipiēdo temporalia in manus suas, non facit Clero illi iniuriam, cum conditio ex defectu Cleri dissoluitur. Minor autem argumenti sic ostenditur. Si omnia illa bona, quibus dotatur nostra Ecclesia immediatè & directè pertinerent ad Papam, sic quòd Rex non habeat interesse in possessionibus, vel personis, cum plus quam quarta pars Regni sit deuoluta ad manum mortuam: Sequitur, quòd Rex noster non sit Rex totius Bohemiæ, cum plus quàm quarta pars pro Clericis in manu mortua est decisa. Imò cum quotidie possessiones accrescunt Clero, & decrescunt Baronibus, Militibus, & aliis sæcularibus, potest euenire de facili, quod tota possessio ad Clericos Regni Bohemiæ deuoluatur, vt in Rheno contigit. Quo posito, Regis nostri & Baronum dominium extinguetur, & per consequens Regalia. Regi enim non licet, vt inquiunt Clerici, interponere de Clero, vel possessionibus suis, quantumcunque deliquerit, nec Regi licet subtrahere temporalia eorum, quantumcunque abusus vergat ad Regni periculum, quia (vt inquiunt) exempti sunt à Iurisdictione Regis tam in corpore quàm in bonis, & immediatè subiecti Papæ. Et hinc facientes in Regno insolentias, nolunt à Rege corrigi, quasi sint boni vel mali angeli, sibi in Regno suo non subiecti.

XXXVI. Item, iuxta Decretum beati Gregorii 11. quæst. 3. *Priuilegium omnino debet amittere, qui sibi permissa abutitur potestate.* Sed omnis clericus abutens eleemosinis Regis, sibi permissa abutitur potestate. Cum ergo illa dotatio sit priuilegium, sequitur, quòd illud omnino debet amittere, sed per quem nisi per Regem priuilegiantem? Illius enim est priuilegium interpretari & defendere, cuius est condere.

XXXVII. Confirmatur ex illo Matthæi 23. *Omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.* Cum rex tenetur sic abundare ex titulo iustitiæ, videtur quòd ab eo debet causari ablatio sui eleemosinarii. Supposito quòd contingat eum videri habere eleemosynas, quas non habet.

XXXVIII. Confirmatur etiam ex lege debiti eleemosynæ spiritualis. Nam rex tenetur tam ex iure Dei, quàm regni, seruare, quantum sufficit legiis suis iustitiam, & debitum opus spiritualis misericordiæ, sed præcipuum opus talis misericordiæ Regi pertinens, foret castigatio coactiua, ad continuandum suas eleemosinas. Ergo illud debet impendere. Vnde Clerici, qui offenduntur maximè ad verbum de ablatione temporalium, vendicant quòd seculares defendant eleemosinas suorum progenitorum in suo robore permanentes, quod non fit, nisi dum Ecclesia habet profectum ex modo eleemosinandi, sic, quòd collata remaneat in ratione priuilegii, vel eleemosinæ, quod extinguitur, dum eleemosinarii eleemosinis abutuntur, iuxta decretum beati Gregorii in præcedenti confirmatione allegatum. Si ergo domini temporales, vt eleemosinati Clerici vendicant, tenentur continuare eleemosinas patrum, quorū sunt hæredes, tunc tenentur ad omne inde sequens formari, quia aliter, contra possibilitatem obligationis diuinæ forent ad contradictoria obligati, scilicet ad faciendum ipsas eleemosinas, & ad defendendum ipsarum abusum in discolis, secundum quam rationem carent forma eleemosinæ. Ergo cum Reges & seculares domini tenentur seruare Eleemosynas suorum progenitorum in sua perpetuitate, tenentur insuper ex lege spiritualis Eleemosynæ suos legios castigare. Tenentur etiam ex obligatione, qua tenentur subditis suis facere iustitiam & extinguere iniurias, quæ vergunt periculosissimè ad sui populi detrimentum. Patet quòd tenentur in casu bona sua sanctæ Ecclesiæ restituere, & à contemptoribus Dei sui & regni auferre. Hoc enim fuit pactum dotationis primæuæ. Vnde si cùm istis paribus Rex noster non habet potestatem ad faciendum in clero suo opus misericordiæ castigandi, non habet sufficientiam super toto Regno nostro policitè dominandi. imò si bene attendimus ad scripturam sacram, & dicta de priuilegiis Ec-

Digitized by Google

clesię cognoscemus, quod sonat in priuilegiū Regis, quod habeat potentiā taliter Clericos coercere, & Clerici habent priuilegium, eò quod habent talem Præpositum, cui sic meritoriè possunt subdi.

XXXIX. Item, Reges, Principes & omnes Domini temporales teneantur ad fraternam correptionem assistente circumstantia, correptione huiusmodi requirente: sed potest esse quòd Clericus delinquat cum tali circumstantia, quòd correptio fraterna efficacissima foret temporalia, quibus abutitur, prudenter diripere. Igitur potest esse, quod Domini temporales de lege Christi teneantur hoc facere. Nec valet dicere, quòd Papæ dispensatio, priuilegiatio, vel exemptio hoc excludit, quia absit catholicum optare, quod liceat Christi vicario per suas traditiones statuere, quòd priuet vel impediat practicam legis Christi, ac Dominos temporales præpediat à correctione Ecclesiæ proficua. Non enim licet homini quemquam eximere, sic vt quantumcunq; peccauerit, non liceat ipsum potenti corrigere.

Vnde beatus Bernardus *li.3. ad Eugenium Papā*, dispensationem, quę non est ad vtilitatem communē, vocat dissipationē. Vnde dicit: *Quid, inquit, prohibes dispensare? nō, sed dissipare. Non sum tā rudis, vt ignorē vos positos dispensatores, sed in ædificationem, nō in destructionē. Deniq; quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio, vbi vtilitas prouocat, dispēsatio laudabilis, vtilitas dico cōmunis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio.* Ecce ex his dictis huius sancti patet, quòd non est fidelis dispensatio, priuilegiatio, vel exemptio, sed crudelis dissipatio, si eximuntur Clerici, vt quantumcunque peccauerint, non debeāt ab aliquo corripi, præter Papam. Quæ enim vtilitas Ecclesiæ, vt Clerici tanquam tauri indomiti lasciuiant, & tanquam equi emissarii ad vxores proximorum hinniant, sine hoc, quòd ipsis grauiter delinquentibus iugum vel frenum Domini imponatur per Principes? Non enim debet eis priuilegatio, dispensatio, vel exemptio esse autoritas ad peccandum. Nam 23. *quæst.* 4. sub autoritate Augustini dicitur: *Qui peccat, non peccat legis autoritate sed contra legis autoritatem.*

XL. Item, Adiectio temporalium communiter non est ita propinqua vltimæ necessitati saluationis pœnitentiæ corporeæ, sicut subtractio abusi est propinqua vltimæ necessitati saluationis perpetuæ tam corporis quàm animæ. Sicut est opus maioris misericordiæ auferre gladium à phrenetico volente seipsum occidere: Quam dare gladium persecuto ad defendendum se à volente eum occidere: quia peius foret hominem occidi sic à se ipso, quàm occidi ab alio. Quia primum est damnabile, secundum meritorium siue iustum. Et ad propositum est beatus Augustinus 5. quæst. 5. *Non omnis*, inquit, *qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Meliora enim sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere.* Et sequitur ad propositum: *Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus negligat iustitiam quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat & qui letargicum excitat, ambobus molestus ambos amat.* Hæc Augustinus. Cuius exemplo si domini temporales obligantur ad dandum eleemosinam Clericis, vt debitè ministrent in suo officio, etiam obligantur ex lege charitatis, quòd Clericis abutentibus datis eleemosinis, ipsas auferunt ab eis, ne per abusum earum animas proprias occidant. Vnde inter omnia peccata, à quibus magis timendum est in superioribus regni nostri Bohemiæ, sunt cæca pietas, falsa misericordia, & consentanea omissio, siue ex negligentia, siue quod maxime horrendum est, quando venditur consensus criminis, & iniustè per Cleri eleemosinam defenditur hostis Christi. Vnde Augustinus ad Macedonium Epistola. 3. *misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus. Non enim opem fert, qui ad peccandum iuuat, sed potius subuertit & opprimit.* Vnde mirabile est, quare Clericus dum pedi eius os vel spina infigitur, sinit sæcularem ipsam extrahere, vt possit debitè ambulare, & non sic sinit dum diuitiæ affectum subuertunt ipsas abstrahere, vt possit rectè in Christi vestigiis ambulans animā saluare, forte per hoc ostēdit quòd plus diligit pedis plantam, quàm propriam animam. Si enim plus diligeret animam, tunc rapinam bonorum temporalium cum gaudio sustineret, Sic enim fecerunt noui Christiani, ad quos scribit Apostolus Heb. 10. *Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Imò ex quo Saluator suus non habens culpam in se rapinam vestimentorum suorum, imò & mortem acerbissimam, & ignominiosissimam humiliter & beneuolè sustinuit, moueret eum etiam sua culpa, & exemplum sui capitis, vt ablationem huiusmodi patientissime sustineret. Sed ex quo tam grauiter contrà ablationē Māmonæ iniquitatis remurmurat, quomodo opprobria, alapas, sputa, colaphos, martyrium & mortem diram pro Christi nomine sustineret? Non pensat talis Clericus dictum Ambrosii libro *de contemptu mundi*, quo dicit: *O miser homo quanta fraude illuderis, quanto dolore deciperis, aut quanto laqueo irretiris, qui times tibi mundanam auferri substantiam & non times tibi auferre animam tuam excellentissimam creaturam?*

XLI. Item, Deus non posset esse, nisi possit permittere Ecclesiasticos ad tantum delinquere, quod mereantur à suis possessionibus spoliari, nec posset spoliationem causare, nisi posset facere tēporales Dominos meritoriè exequi causam illā. Ergo articulus verus. Sed forte dicitur, quòd per additionē istius particulæ, quæ possunt ad arbitrium eorum sic facere, tollitur omnis instātia supra dicta. Sed attenta vera logica & Methaphysica, patet quòd planè sequitur, quod si Rex & Domini non possunt ad arbitrium eorum facere sic, tunc non possunt sic facere, quia illud arbitrium vel est potestas iudiciaria, vel actus iudiciarius huiusmodi potestatis, & quodcunque detur, si Domini temporales non possunt sic facere secundū potestatē huiusmodi, siue actum, tunc omnino sic facere non possunt

non possunt. Quia si oporteret exspectare arbitrium Romani Pontificis, vel arbitrium Archiepiscoporum, vel Clericorum omnium Regni nostri, Rex, vel sæculares regni non haberent huiusmodi potestatem, sed resideret in clericis capitalibus & dominis eorundem, & sic Rex non foret Rex Bohemiæ, nec aliqui eius Magnates domini temporales, cum necessario totum eorum seruitium foret reducibile ad clerum, & per consequens ipse clerus foret sæculariter Dominus supra Regem, quod directè obuiat legi Christi. Nam Lucæ 22. dicit Saluator, *Reges gentium dominatur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic.* Super quo dicit Bernhardus libro ad Eugenium Papam: *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus.*

XLII. Item, Sicut Ecclesiastici à Regibus & Ducibus gratàter laudem suscipiunt ex bono suo opere, sic debent ab eis, dũ delinquunt, gratanter suscipere vindictam ex malo suo opere. Tenet consequẽtia, quia plus prodest homini vindicta pro peccato humiliter accepta, quã laus pro bono opere. Vnde Beatus Gregorius scribit Mauritio Imperatori ipsum persequenti dicẽs: *Credo quòd omnipotentem Deum tantò vobis magis placatis, quanto me male ei seruientem affligitis.* Si ergò iste sanctus Papa tam humiliter sine delicto, ab Imperatore afflictionem suscepit, cur clerus delinquens à Rege vel Ducibus cui vel quibus tenetur subesse, vindictam humiliter non sustineret? cum dicat immediatus Christi Vicarius 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Vnde isti regulæ intendens Leo Papa subiecit se Lodouico Augusto, vt scribitur 2. quæst. 7. sub his verbis: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro ac vestrorum missorum cuncta volumus emendare iudicio. Quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus, certè non veritatis discipuli, sed quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magistri.* Et dist. 10. Imperatori de obedientia ita scribit: *De capitulis vel præceptis Imperialibus nostris nostrorumque prædecessorum Pontificum* (Glo. *id est Imperatorum, qui in modum Pontificum vnguntur*) *irrefragabiliter custodiendis & obseruandis, quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse vobis quilibet aliter dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo esse mendacem.* Ecce iste deuotus sanctus Papa vocans Imperatores Pontifices, subiecit se iuxta Petri Apostoli regulam, tam ad obedientiam quàm ad vindictam. Cur ergò Clerus Regni Bohemiæ non se sic subiiceret Regi, propter Deum in obedientia, & si delinqueret in vindicta, nec solum Regi, sed Ducibus, nec solum ducibus, sed omni humanæ creaturæ? quia quanto se humiliaret sic in sæculo propter Deum, tanto exaltaretur amplius apud ipsum. Sed quid impedit nisi superbia, qua se extollit Antichristus supra humilissimum Dominum Iesum Christum.

XLIII. Item, videtur patere supra dicta sententia de ablatione temporalium, ex prophetia Hyldegardis virginis, quam ponit in suis libris sub Eugenio Papa in Concilio Treuerensi, præsentibus multis Episcopis Francorum, Italiæ & Almaniæ approbatis, cui etiam beatus Bernhardus interfuit, quæ virgo prophetans loquitur isto modo: *Ipsi reges & alii sæculares diuino iudicio, excitati acriter se opponent, atque super eos irruentes dicent: Nolumus hos regnare super nos cum prædiis & agris & aliis sæcularibus rebus, super quas Principes constituti sumus. Et quomodo decet, vt ipsi cum stolis & casulis suis plures milites, vel plura & pulchriora arma quàm nos habeant? Sed & nec conueniens est, vt Clericus miles sit, & miles Clericus. Vnde abstrahamus eis, quod non rectè, sed iniustè habent.* Et infrà: *Omnipotens enim pater rectè diuisit omnia, cœlum scilicet cælestibus, & terram terrestribus, atque hoc modo iusta diuisio inter filios hominum sit, videlicet, quod spirituales homines eà habeant, quæ ad ipsos respiciunt. Seculares autem ea, quæ eis conueniunt, ita, quod neutra pars istarum aliam per rapinam opprimat. Deus enim non præcepit vt tunica & pallium alteri filio daretur, & alter nudus maneret, sed iussit, vt isti pallium, illi tunica tribueretur. Pallium itaque sæculares propter amplitudinem sæcularis curæ, & propter filios suos, qui semper crescunt & multiplicantur, habeant, tunicam verò spirituali populo concedunt, ne in vestitu deficiat, & ne plusquam necesse est possideat. Quapropter iudicamus & eligimus, vt omnia, quæ prædicta sunt ratione diuidantur, atque vbi pallium cum tunica inuenitur, ibi pallium subtrahatur, & indigentibus detur, ne per inopiam consumantur.* Hæc virgo supra dicta Hyldegardis, planè prædicens ablationem temporalium ab Ecclesiasticis per sæculares Dominos, & ostendens propter quid futura sit ablatio huiusmodi, & qualis debeat esse rerum ablatarum diuisio, ne inutiliter consumantur. Item, Hugo libro 2. de sacramentis parte 2. capit. 3. & 7. *Laici,* inquit, *quia terrena & terrenæ vitæ necessaria tractant, pars corporis Christi sinistra sunt. Clerici verò, quoniam ea quæ ad spiritualem vitam pertinent, dispensant, quasi dextra pars sunt corporis Christi.* Et pòst interpretando, vtrumque terminum inquit: *Clericus nisi Deum, & ea quæ ad Deum spectant, habere non debet, cui statutum est decimis & oblationibus, quæ Deo offeruntur, sustentari. Laicis verò Christianis fidelibus terrena possidere conceditur, sed Clericis spiritualia committuntur, sicut fuit in veteri testamento.* Et cap. 7. declarat, quomodo quædam Ecclesiæ Christi deuotione fidelium conceduntur *saluo iure terrenæ potestatis, ne fiat confusio, Cum nihil inordinatum approbare potest Deus. Vnde quandoque concedunt Principes terreni nudum vsum Ecclesiæ, & quandoque vsum & potestatem exercendæ iustitiæ, quòd Clericus per Ecclesiasticas personas, aut indiuidua Cleri talia exercere non potest, potest tamen habere personas Laicas ministras ad illud officium, sic tamen,* vt inquit, *vt idipsum quod potestatem habet, à Principe terreno se*

Digitized by Google

habere cognoscat, & ipsas possessiones nunquam à regia potestate elongari posse intelligat, quin (si ratio postulauerit aut necessitas) ille ipse possessiones debeant in necessitate obsequium. Quia sicut regia potestas patrocinium, quod debet alteri, alienare non debet, sic ipsa possessio etiam ab Ecclesiasticis personis obtenta, obsequium quod regiæ potestatis patrocinio debetur, iure negari non potest. Hæc Hugo.

INITIVM
DISCEPTATIONIS CVIVSDAM GRÆCI, ET QVORVNDAM
Caldenariorum ex veteri Româ.

CALDENARIVS.

CVm sancta Romana ecclesia primitiua sit omnium ecclesiarum, earumque mater simul & sit & vocetur, quòd primò eam rexerit Petrus magnus ille Apostolorum antesignanus: Constantinopolitana verò ecclesia, secundum ab hac locum obtineat, filiaque illius vocetur; quonam pacto & quâ de causâ filia ita à matre resiliit?

GRÆCVS.

Si æquis animis audire velitis; id quod vos veluti honoris causâ de coryphæo Apostolorum adfertis, in contrarium potius vergere intelligetis. Primum quidem, quòd totius orbis doctorem & magistrum, qui prædicationis suæ initium à Iudæâ fecit, Romæ autem Apostolatus sui cursum peregit, tali vestrâ propositione solius Romæ magistrum fuisse statuitis. atque ita etiam Seruatoris ad illum promissionem, quam sancti patres vniuersaliter de omnibus qui credidissent & credunt interpretantur; vos ad solam Romam coarctatis, violentaque interpretatione torquetis. Quo concesso, reliquum est omnino, eam quæ Romæ est tantum, non autem vniuersam fidelium Ecclesiam sibi adaptasse Seruatorem, ædificationemque huius tanquam super petram Petri doctrinam promisisse. At verò qui ita & sentiunt & loquuntur, qualẽ honorem Apostolorum Coryphæo deferant, ipsimet considerate. Nam si eam ob causam vestra Ecclesia Romana caput & mater omnium Ecclesiarum censetur & est, quòd Petrus Apostolorum Coryphæus, pastor illius rectorque sit vocatus: multo certè æquius fuerit Antiochiam eiusmodi titulos consequi, quippe quæ antea à Coryphæo Apostolorum edocta fuerit, & obedienter eius prædicationem sit amplexa; quódque eius incolæ primi æquissimis animis *Christianorum* appellationem susceperint; ideoque etiam Antiochia per excellentiam θεόπολις, id est, *vrbs Dei*, sit vocata. aut certè Hierosolymitanam Ecclesiam, cui magnus ille ac primus Pontifex, salutis nostræ dux & dominus Iesus Christus contigit, quippe qui sermonem veritatis in eâ prædicauit & docuit, seque ipsum pro nobis voluntariam victimam obtulit; eamque ob causam id consequuta est, vt mater omnium Ecclesiarum vocaretur. An non enim qui ita & sentiunt & loquuntur, seruum Domino, & Apostolum, hoc est *missum*, eo qui misit maiorem, contra Christi doctrinam tradunt? Quocirca non ob eam quam vos existimatis causam, sed propter regni & monarchiæ honorem, quo etiam ante Apostolorum prædicationem vetus Roma prædita, & totius orbis terrarum principatum nacta erat, primatum in reliquas Ecclesias huic cessisse ex rebus ipsis cognoscimus. Nam post prædicationem, consentaneum omnino erat, vt conuenienter regno, Episcopatui etiam huius vrbis honor & prærogatiua sedis præ aliis omnibus Ecclesiis deferretur. Immò verò maiorem quoque huic quàm illi honorem tribuere conatum fuisse Constantinum illum magnum scimus. quando ex illâ in hanc verè magnam vrbem omnia regni insignia transtulit, eamque proprio suo nomine insigniuit, & reginam vrbium vocari voluit.

CALDENARIVS.

Cur non igitur vestræ Ecclesiæ, quæ seipsam à capite suo auulsit; matri verò huius, quæ nullam diuulsionis causam dedit, sed potius ob auulsionem dolet, causam scandalorum adscribere conamini?

GRÆCVS.

Ex sua ipsius conscientiâ respondeat vestra reuerentia. Cùm Seruator noster eum, *qui patrem aut matrem plusquam ipsum diligit, indignum se* indicet: Vestra autem Ecclesia nescio quo pacto tentarit puro frumento, hoc est, Dominicæ doctrinæ & Apostolorum ac Patrum traditioni asseminare zizania: si verè nostra Ecclesia primum quidem tale zizanium variis modis euellere conata sit (neque potuerit ab eâ quæ iam semen susceperat) rursusque ei indiuulsè adhærere, propter filialem ergà illam affectum; quo pacto non ipsa sibi ipsi reuerentiam erga communem dominum, & patrem, ac creatorem meritò vendicet, parti verò vestræ Ecclesiæ scandalorum causam rectè adscribat?

BAR-

BARLAAMI MONACHI DE PAPÆ PRINCIPATV LIBELLVS.

CAPVT I.

QVi scientiarum, Francisce, cognitione pollent; cum illis solis hominibus scientiæ gnarum de quauis quæstione, quæ quidem scientiæ ipsius propria sit, disserere posse, aiunt; qui scientiæ illius obseruant principia: quæ si quis tollat; cum illo, nullo modo posse disputari. Id quod ego in ecclesiasticis quoque vsuuenire rebus, videor animaduertere. Nam qui eisdem principiis vtuntur; de quauis proposita quæstione cum iis demum potest disceptari. contrà verò, cum illis, quibus eadem in confesso non sunt principia, nulla omninò institui potest disputatio. Necesse ergo est, siquidem de rebus controuersis verba facturi simus; eadem admittere principia atque concedere: alioquin vterque nostrum conticescat. Sed enim quia tu rectè profiteris; te, & principia, & ea quæ è principiis ritè demonstrata fuerint, obseruaturum; ac dissentientia minimè admissurum: mei ratus sum officii esse, vt fraternè tecum atque amicè, ex eisdem principiis progressus, de rebus inter nos controuersis disseram. Interea Dei optimi maximi benignitatem supplex oro, vt mentem vtriusque nostrum illustrare velit; mihique veritati consentanea dicere concedat; ac tibi rectè & incorruptè de eisdem iudicare. Tua est etiam à me roganda caritas, vt, vbi aliquid in iis quæ à me dicuntur, quæ tibi minùs arrideant, offenderis, patienter primum id tantisper legas; donec sensum dicti atque sententiam fueris assecutus; deinde, ad principia inter vtrosque posita & concessa, reducas; à quibus siquidem dissentire videris, vel repugnare, redarguere ne dubites; haud ingrata futura est reprehensio nobis. Etenim à fratre & amico redargui multò satius est; quam alterius cuiusquam audire blanditias. Verum enimuerò principiorum tibi & memoriam refricare, alienum nequaquam arbitror. Sunt autem hæc. *Quatuor Euangelia, Apostolorum scripta, Epistolæ vniuersales & particulares; Acta Apostolorum, Ioannis Theologi Apocalypsis: Apostolorum, sanctorum item Patrum, qui in septem illis sacris œcumenicis Synodis conuenere, Canones.* Atque hæc quidem principia sunt. E quibus tum alios redarguere, minimè ambigam; tum redargui me facile patiar.

CAPVT II.

DIsputationem autem sic exordior. Tu affirmas, Dominum nostrum Iesum Christum B. Petro Ecclesiam suam tradidisse; communemque eum pastorem eiusdem ac doctorem instituisse. Romanumque Episcopum, vtpote huius successorem, debere omnibus imperare, præesse omnibus, vt qui in omnes potestatem obtineat: ipsique licere pro amplitudine potestatis suæ, quidquid libuerit decernere; nec fas esse cuiquam illius contradicere placitis: sed omnes omninò teneri ad decreta ipsius, ceu Dei eloquia, sine vlteriore disquisitione, amplexanda. Ego verò B. quidem Petrum totius Ecclesiæ pastorem ac doctorem fuisse vniuersalem; verissimum agnosco. Atqui non ille solus fuit: sed eadem cum illo sorte æqualique honore, duodecim Apostolorum vnusquisq;. Nam sic se res habet. Petro claues regni cœlorum Christus se daturum pollicitus est. quas nihil planè aliud esse, quàm ligandi ac soluendi potestatem, verbis sequentibus apertè declarauit. Verùm, istam vtique potestatem à Domino reliquis quoque Apostolis datam, constat. *Quidquid enim ligaueritis*, inquit, *in hac terra; ligatum erit & in ipsis cælis; & quidquid solueritis in hac terra; in ipsis quoq; cælis solutum erit*. Item, *Accipitote Spiritum Sanctum: quorum peccata dimiseritis, dimittuntur ipsis: quorum detinueritis, detenta sunt*. Sed & sacrosanctum illud diuinissimumq; sacrificium, nequaquã soli Petro, sed omnibus peræq; peragere mandauit. Ait enim, *Hoc facitote in mei recordationem*. Tametsi autem soli Petro dictum fuit; *Pasce oues meas*: dicti tamen illius vis, ad reliquos pariter spectat: prout ex rebus ipsis liquidò patet. Quid enim, quæso, fecit Petrus, quod idem reliqui similiter non fecere? annon post Spiritus Sancti descensum, aliam alius orbis terrarum partem sortitus, errãtes docuit, tenebrisq; obcæcatos illustrauit? nonne Ecclesias constituit? nonne presbyteros creauit? nonne Episcopos? nonne Diaconos? ecquando horum quispiam ista Petri hortatu peregit? nonne vnusquisq; eorum eadem à Domino Christo potestate accepta in qnacunq; tandem orbis regione versabatur, docebat; eademq; exercebat ibidem quæ & B. Petrus in quibus locis prædicabat? Porrò si nostræ conuenit pietati non tam ad verborum diuersitatem, quàm ad naturæ rerum cognationem attendere; quid tibi, quæso, videtur illud innuere, *Accipietis virtutem ex alto superueniente super vos Spiritu Sancto; eritisq; mihi testes tũ Hierosolymis, tum in Iudæa tota, ac Samaria, atq; ad extremos vsque fines terræ*; quod omnibus plurali numero est enunciatum? Item illud, *Proficiscimini in omnes gentes, & prædicate Euangelium meum vniuersæ creaturæ: baptizantes illos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: docentes ea omnia obseruare quæ vobis præcepi*? quid? nonne verbis istis omnes, orbis vniuersi pastores ac doctores creauit? Itaque nemo eorum huius vel illius ciuitatis regionisue Episcopus nuncupatus est: sed eandem vbiq; locorũ habuit potestatem. Ipsorum verò successores, quos ordinarãt aliũ alii ciuitati ac regioni, particulares

iam pastor quisque cognitus est. Sed enim, si hæc ita se habent, qui fit vt B. Petrus Apostolorum princeps, primariæque sedis appelletur? Attende paulisper, huiusque dubitationis solutionem afferemus; argumentis non è proprio cerebro depromtis, sed è diuinis eloquiis. Neque enim nos vnquam de mysteriis nobis commendatis ex humano ingenio dicere aliquid conabimur; sed neque alios, qui imperitè & audacter id tentauerint, feremus; aut profanis illorum clamoribus aures præbebimus. Animaduerto equidem, Petrum ipsum, cùm opus foret aliquem ad supplendum numerum duodecim Apostolorum surrogari; surgere qui primus verba faciat. Similiter etiam à descensu Spiritus Sancti, reperias, vbi primas docendi partes obeat. Illius proinde prærogatiua hæc est: alios primo loco dicendi honorem ipsi deferre. Quod si summarum Ecclesiasticarum dignitatum partitione facta; aliam Petro datam fuisse dixeris, reliquis aliam: rationibus omissis, è verbo Dei nobis istud demonstra; passisque vlnis accipiemus. Nam ego sane non reperio, vnde hoc discrimen quis coniiciat: cùm neque ex Domini sermonibus ad illos habitis; neque ex iis quæ ipsi postea factitarunt, illud queat elici. Verùm tu ita mihi videris his in rebus affectus, perinde ac si Petrus solus ab ipso Christo: reliqui verò Apostoli à Petro fuissent instituti, ac propterea omnes mortales Papæ cogis potestati obtemperare; nec permittis cuiquam illius Imperium detrectare: ordinationemque omnem, quam ille non sanxerit, irritam ducis: quasi necesse omnino sit, aut omnem omnino ab illo pendere; aut certe quæ non sit, cassam nullamque censendam. Sed de ordinatione postea. Nunc autem conclusis iis, quæ fusius à nobis sunt demonstrata: omnes quidem Apostolos, quod ad Ecclesiam attinet, pari eodemque planè fuisse honore; sacri autem illorum duodenarii numeri principem B. Petrum fuisse asseueramus. hac scilicet in re ceteris superior, quòd aliis præsentibus, primas ipse docendi partes obierit, ac fortasse etiam primo loco sederit.

CAPVT III.

OMnes igitur omninò, vti dictum est, sermonis discipuli, pastores doctoresque orbis terrarum exstitere: particulares autem pastores, quos *Episcopos* appellauere, alium alius ciuitatis constituerunt, aut regionis. Verbi gratia, Athenarum Dionysius, Timotheus Ephesi, Titus Cretæ, alius, alius loci pastor ab Apostolis constitutus est. similiterque S. Clemens Episcopus Romæ à Petro est ordinatus: qui soli sacrosanctæ Dei Ecclesiæ quæ erat Romæ, præesset, eandemque moderaretur. Verùm enimuero postea, cum Dei prouidentia, ius Imperii ad nostros peruenisset; piissimorum Regum, sanctorumque Patrum nostrorum decretis vt Romana sedes prima esset, ideò sancitum est; quòd vrbs illa rerum potiretur; Ecclesiasque orbis terrarum, vnius Imperio subiici, videretur consentaneum: cum antea Romanus Episcopus, vt nec ceterorum quisquam, nec primus esset, nec postremus. Quòd si tu demonstrare potes, S. Clementem non Romæ solum, sed vniuersæ etiam Ecclesiæ Dei pastorem fuisse à Petro constitutum; nec illis modo Episcopis, quos ceteri Apostoli creauerant, debere imperare; verùm iis etiam ipsis, quos primarius ille Apostolus in aliis ciuitatibus ordinauerat: ex iis, quæ diximus, principiis, firma solidaque argumenta contexito, libenter acquiescemus. Sin tu tale nihil demonstrare poteris: nobis autem nihil facilius fuerit, quàm aduersariã sententiam rationibus communire firmissimis: aut cede, quæso, veritati; aut ab iniusta saltem contentione desistito. Quis enim vmquam aut Petrum Romæ Episcopum dixit; aut Clementem, primarium? Cùmq; multi in multis aliis ciuitatibus Episcopi à primario Petro fuerint creati: quænã lex solũ iubet inter ceteros Romanum Episcopum, huius successorẽ appellari, ac reliquis imperare. Et quid obstat, quo minus Alexandriæ Episcopus Petri successor habeatur, primasq; in omnes obtineat? Namque vt Clemens Romæ, ita Marcus Euangelista Episcopus Alexandriæ factus est. FRANCISCVS. Atqui Apostolus Romæ vitam diuinitus finiuit. necesse ergo est, Episcopum Romanum, locum illius tenere. BARLAAMVS. Ergo, quandoquidem Dominus noster Iesus Christus, mortem Hierosolymis nostrâ causâ obiit: Hierosolymorum Episcopus, vtpote qui primarii nostri Pontificis locum teneat; omnibus præerit. Et quidem tanto maior Romano Episcopo, quanto Christus Petro. Præterea, quam absurdum illud est, & à ratione abhorrens; ceterorum quidem Apostolorum vnumquemque communem pastorem ac doctorem orbis terrarum, perinde atque Petrum, fuisse: eorum autem neminem, præter solum Petrum, successorem reliquisse? Quod si quis ceterorũ Apostolorum, successores voluit relinquere vel Episcopos ab ipsis constitutos, vel earũ Ecclesiarũ moderatores, in quibus vnusquisq; vitam finiit, aut ad Deum migrauit: qua ratione, omnes à Papa creari iubes? numquid enim dicere potes, ipsos à S. Petro Apostolos fuisse constitutos? Id, si verum non est: qui fit vt illorum successores, à Petri, vti tu appellas, successore, ordinari oportere contendas? Atqui verò, reliquos quoque Apostolos, successores reliquisse, in quibus nullus, aut primus, aut postremus, fuerit; sed omnes æquales eiusdemque planè ordinis; si nudè assererem, minus fortasse credendum mihi existimares: ceterùm testem omni exceptione maiorem producenti, nullo modo refragari potes. Sanctus is est & diuinus ille Dionysius Areopagita, in ea quam ad Demophilum monachum epistola scripsit his verbis, *Tu igitur cupiditati, iracundiæ, ac rationi, prout par est moderare: tibi verò sancti ministri, his sacerdotes; pontifices sacerdotibus, pontificibus Apostoli, Apostolorumq; successores. quorũ siquis aliqua officii parte deliquerit, à sanctis eiusdem ordinis corrigi potest.* Hic igitur æqualis Apostolorũ, qui res temporis illius probè norat, Apostolorum successores, ordine pares fuisse pronunciat. contra verò tu omnes Papæ imperio subiici iubes: qui in alios quidem animaduertat; ipse autem à nemine prorsus, quidquid egerit ac decreuerit, castigetur.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt IV.

AC Romanam sane sedem multis postea seculis, sanctorum Patrum, piissimorumque Imperatorum beneficio, primas fuisse nactam; vel ex eorum ipsorum sanctionibus, hac de re editis, liquido constare potest. Nam si Episcopus Romanus antea primus fuisset, orbisque terrarum pastor, à S.Petro constitutus: numquam proculdubio diuinissimi illi Imperatores, Constantinus atque Iustinianus, vt de re sui iuris sic promulgassent sanctione, *decernimus vt Romanus Episcopus, primus omnium sacerdotum sit.* Idque adeò primum quia nulla fuisset opus lege: deinde, impietate sese obstringere videri possent, si Petri potestatem ac iurisdictionem sibi arrogarent, quodq; tot ille antea sæculis sanxerat, id ipsi decernere præsumerent superciliosè.

Capvt V.

ET verò, vt ad postremam huius nostræ disputationis demonstrationem deueniam; cui nemo, qui quidem sacrosanctos Canones admittit, potest refragari; Quartæ Synodi vicesimus octauus canon sic habet: *Sanctorum Patrum definitionibus vbique insistentes; & modo recitatum canonem sanctissimorum centum quinquaginta Episcoporum agnoscentes: de sanctissima Ecclesia Constantinopolis nouæ Romæ prærogatiuis, nos quoque eadem definimus atque decernimus. Etenim sedi veteris Romæ, propter vrbis illius Imperium, Patres meritò primas detulere.* *Quinetiam eodem sibi proposito scopo centum illi & quinquaginta Episcopi Deo carissimi, eadem priuilegia ac prærogatiuas in sanctissimam nouæ Romæ sedem contulere. consentaneum rati, vt vrbs, Imperatoria maiestate & Senatu ornata; eisdemque cum vetere imperatrice Roma priuilegiis decorata: in Ecclesiasticis itidem, vt illa, rebus, summam auctoritatem amplissimamq; potestatem, vtpote illi secunda adipisceretur.* Satis ergo apertè ac perspicuè hic canon declarat, & cuius beneficio Romana sedes prima euaserit; & causam aperit, qua ad id fuere impulsi: Patres videlicet auctores extitisse: eoque adductos, quòd rerum vrbs illa potiretur.

Capvt VI.

IAm vero prærogatiuarum amplissimæ huiusce vrbis sedis, cum secundæ Synodi canon tertius his verbis meminit; *Verùm Constantinopolitanum Episcopum post Romanum Episcopum, honoris prærogatiuas obtinere:* tum tricesimus sextus Sextæ; *Renouatis centum quinquaginta sanctorum Patrum, in hac diuinitus custodita ac regia vrbe coactorum; item sexcentorum triginta Chalcedone congregatorum, decretis: sancimus, vt sedes Constantinopolitana, eisdem cum veteris Romæ sede fruatur priuilegiis: in rebusque, vt illa, Ecclesiasticis, amplissimam dignitatem summamque potestatem obtineat, vt quæ illi secunda sit. cui proxima, Alexandrina magnificentissimæ vrbis sedes numeratur: tum Antiochena: postremò Hierosolymitana.* Porrò centesima tricesima prima Nouella Iustiniani, piissimi Imperatoris, hæc habet verba; *Sancimus vt sanctissimus veteris Romæ Papa, omnium sacerdotum primus sit: beatissimus autem Constantinopolis, nouæ Romæ, Archiepiscopus, secundo quidem post sanctissimam veteris Romæ sedem ordine sit: sed ceteris omnibus anteponitor.* Quapropter dignitate quidem parem esse decreuerunt, in rebusque Ecclesiasticis, perinde atque illum, summa eminere potestate: sed ordine secundum. Neque tamen ita secundum, vt ab illo crearetur: quandoquidem nec hic nec alius quisquam Patriarcharum à Papa ordinabatur. Etenim leges sanxerunt vt ordinationis Episcoporum summa plenaque auctoritas penes singulos Metropolitas esset: isti autem à Patriarchis constituerentur; illo nimirum cui sedes vnaquæque subiiciebatur. Patriarchas verò à Papa ordinari; nulla lex iussit. Mihi si minus credis, tu saltem ipse sacrosanctos Canones cum diuinorum Apostolorum, tum sacrarum etiam septem œcumenicarum synodorum in manus sume, diligenterque perlege. quod si vllum vspiam canonem repereris, qui Patriarcharum ordinandorum summam auctoritatem Papæ tribuat: indica modò nobis illum; vicerisque ilico. Sin hoc numquam reperire poteris: qua tandem necessitate cogimur vt ea quæ tu è proprio sensu depromis admittamus? Præterea, Hierosolymitani Episcopi qua ratione debent à Papa ordinari? neque enim aut Dei frater Iacobus à Petro ordinatus est: aut huius successorem, par fuit, neminem fuisse; nisi Papa illum creasset.

Capvt VII.

ILlud autem mirum est vos latere, canones sanxisse, vt, quemadmodum nouæ Romæ Episcopus à Papa secundus ordine est; ita planè Alexandrinus, huic secundus: deinde Alexandrino proximus Antiochenus, Hierosolymitanus denique Antiocheno. Quod si igitur nouæ Romæ Episcopum ideo à Papa constitui necesse sit, quod secundum ab illo gradum obtineat, vnumquemq; profectò Patriarcharum par est deinceps primarium secundarii ordinationis ius penes se habere. Atqui hoc numquam ita factitatum est; nec etiamnum fit. Id quod vetere consuetudine confirmari potest. Patriarcharum enim quisque à propriis quidem Episcopis designabatur; ab eorum autem vno creabatur; prout in hodiernum vsque diem ritè obseruari solet. verbi causa, noster Patriarcha à metropolita Heracleæ; Hierosolymorum Patriarcha, à metropolita Cæsareæ. similiter & reliqui.

Capvt VIII.

AC nobis sanè quidem æquum videtur; (neque vos illud infitiabimini, quandoquidem pa-

Digitized by Google

cem nobis Christus sublata inimicitia conciliauit) vt, quam rationem ad Patriarchas Papa tunc habuit, cum vniti fueramus, eandem iam habeat. Quod si igitur tum nemo Patriarcha Patriarcham creabat, neque moris erat vt à Papa ordinarentur Patriarchæ: quo ore id quod nunquam habuistis, nunc vt inuiolatum exigitis? Quocirca nec legibus est consentaneum, nec consonum rationi, nec consuetudini congruum, vt Patriarchæ à Papa constituantur.

CAPVT IX.

QVomodo ergo cæterorum Papa princeps est, siquidem eos non ordinat? quomodo item B. Petrus, cuius successorem Papam esse contendis, princeps Apostolorum censebitur, si eos ipse non ordinarit? Euolutis igitur canonibus, ego hanc tum Papæ prærogatiuam præ aliis fuisse reperio; vt primo sederet loco, primusque frater appellaretur; atque adeò in mysticis diuinæ liturgiæ precibus prima illius mentio fieret. tu si quid amplius dicere habeas; è sacris canonibus id demonstra; minimeque refragabimur. Sed enim id quòd nulla vnquam œcumenica synodus de Romana sede statuit, quartæ synodi decimus septimus canon nouæ Romæ sedi adiudicauit; *Vt in vnaquaque nimirum præfectura si quis Episcopus iniuria aliqua à metropolita fuisset affectus, apud exarchum diœceseos, aut apud sedem Constantinopolitanam iure experiretur.*

CAP. X.

NEque verò, vt quis opinari posset, Papa œcumenicis conciliis præerat, ipsisve leges dictabat: quinimo & ipsemet, & ipsius Ecclesia, totius Concilii pars erat: Concilium autem ipsum, quemadmodum aliis Ecclesiis, ita planè & Romanæ Ecclesiæ leges dabat. Ait enim, *Quia in Romana Ecclesia canonis loco traditum dignouimus, vt qui Diaconi aut Presbyteri ordinandi sunt, cum vxoribus se in posterum rem minime habituros profiteantur: nos, veterem canonem Apostolicæ accurationis & ordinis sequentes; legitima sacrorum virorum cum vxoribus consortia deinceps rata esse volumus: ita vt coniugii vinculum cum vxore, nullo modo tollatur; aut mutua suo tempore societas eis denegetur.* Quinquagesimus autem quintus canon sic habet; *Quandoquidem in Romana Ecclesia, sanctorum quadragesima ieiuniorum tempore, Sabbato ieiunare solemne esse accepimus contra quam Ecclesiasticus ritus, nobis per manus traditus, postulat: sacrosancto huic Concilio placuit, vt canon ille, cuius hæc verba sunt, Si quis clericus deprehensus fuerit, qui vel sacrosancta Dominica, vel Sabbato, præterquam vno & solo, ieiunet; deponatur: si laycus, segregetur: in Romana quoque Ecclesia sancte obseruetur.* Ex his igitur canonibus manifestum est; Concilia, etiam aduersus Romanam Ecclesiam leges condere.

CAPVT XI.

IAm verò solas Occidentales Ecclesias Papæ gubernationi à sanctis Patribus fuisse commendatas reliquas autem Ecclesias alii subiectas Patriarchæ; eos etiam cauisse insuper ne quis in finitimam Ecclesiam quæ ad ipsum minime spectet, inuaderet: quid attinet dicere, cum tot canonibus ista sancita sint? Verùm cæteris omissis, sextum, quæso, & septimum canonem primi Concilii legas: secundum item secundi; ac vicesimum octauum quarti: manifestoque deprehendes, id quòd à me modò dictum est, ita se habere.

CAPVT XII.

CEterùm nec Patriarcharum cuiquam, nec Metropolitarum, ac ne ipsi quidem Papæ fas esse aliquid decernere, aut noui quidquam moliri, sine omnium ipsi subditorum consensu: cum alii permulti canones istud præcipiunt, tum expressè tricesimus quartus canon Apostolorum his verbis: *Cuiusque gentis Episcopum omnes primarium inter se debent agnoscere, ipsumque capitis loco habere: nihilque eo inconsulto agere, quodquidem maioris sit momenti: ea etiam vnumquemque Episcopum tractare decet, quæ ad parœciam ipsius spectent, & ad regiones eidem subiectas. verumtamen nihil illi sibi sine omnium sententia faciendum existimet. Ita enim concordia futura est, Deusque per Dominum Iesum Christum glorificabitur.*

CAPVT XIII.

TV interea quæ quidem de veteris Romę sedis priuilegiis Patres constituerunt, nusquam non inculcas: adeoq; impietatis reos peragis, qui vllo modo audent aduersari: sed quæ iidem de nouæ Romanæ sedis æqualitate, non semel, sed sæpius decreuerunt, nihili facis. Ac probè sane nosti, Patres statuisse vt Papa ceterorum princeps sit: sed eosdem sanxisse vt nouæ Romæ Episcopus iisdem plane quibus ille insigniatur prærogatiuis ac priuilegiis, summamque æquè atque ille, in Ecclesiasticis rebus magnificentiam obtineat: id verò data opera præteris. Deum immortalem, quo pacto ista iustitiæ conueniunt? Ego certè adduci non possum, vt vocem contumeliosam de vobis vnquam proferam: sed si quis (ac reuera quemuis vestrum pauxillum hæc cura torquet) ambitionem vestram incusaret, auarosque ac arrogantes vocitaret: quid tandem isti responderetis? Quòd si igitur Papa nec Patriarcharum constituendorum ius auctoritatemque habet; nec ei licet, absque omnium sententia noui aliquid decernere; quinimo si nostrum Patriarcham, eisdē ornari prærogatiuis, & perinde atque illum summam in rebus Ecclesiasticis auctoritatem ac magnificentiā obtinere; sacrosanctæ leges iubent: qua tandem ratione nos Papę obedire cogitis, qui vt à nostris ipsorum sanctissimis Patriarchis pascamur regamurq;, lege astringimur ac consuetudine? Pręterea, qui fit vt illi obtem-

Digitized by Google

obtemperandum non suadeas, qui sanctorum Patrum scita accurate obseruat, neq; diuersum quid, aut repugnans diuinis decretis, perperam mandat? Sed absit, vt eo nos insaniæ vnquā deueniamus, vt orthodoxum, patrumque vestigiis vbique inhærentem; eo quem patres ipsi detulerunt, honore spoliemus. Sin Papa vester diuinarum legum ac decretorum violator existit: cur damnum ducitis, si nos vobiscum vnà perire nolimus? quod si contenderitis, nihil prohibere, licet hæreticus sit, peruersique decreti auctor; quo minus Petri interim sit successor, clauesque regni cælorum gerat: non magnopere sane refragabimur. Successor nimirum ita erit Petri; vt morbus sanitatis; tempestas, serenitatis; tenebræ, lucis. clauesque regni cælorum geret, non illas quæ aperiunt, sed quæ claudunt; nec eorum cuiquam, qui ipsum sequuntur, introire permittant.

Cap. XIV.

FRANCISCVS. Atqui fieri non potest vt Papa sit hæreticus. BARLAAMVS. Hem, quid ais, mi homo? mortuum video; mihiq; dicis, eum mori non posse? FRANCISCVS. Verum multi Patriarchæ priscis seculis hæretici exstitere: Papa, nullus. BARLAAMVS. Dicat ergo Macedonius; quandoquidem ante ipsum nemo Episcopus Constantinopolitanus hæreticus fuit; proinde ne se quidem esse. Aut potius, vt exemplo magis familiari vtamur, siquis impudicæ illius muliérculæ quæ Papa fuit, causam velit agere; dicat, quandoquidem nulla ante eam fœmina Papa fuit, ne ipsam quidem fuisse. Quæ cum sana rectaque ratione, quo tandem pacto cohærent?

Capvt XV.

SEd enim quia in Romanam ecclesiam ac fidem & vos credere profitemini, & cæteros similiter vultis credere: age de istis quoque rebus disseramus. Romana ecclesia, & Catholica ecclesia, non vnam rem aliquam apud sanctos Patres; sed diuersas ac discrepantes sonat. Nam cum *Catholicam Ecclesiam* dicunt; Christianorum intelligunt cœtum, qui vsquam terrarum, de fide rectè sentiunt; pietatisque dogmata immota & inconcussa obseruant. *Romanam* autem *ecclesiam* cum dicunt, vt illam à cæteris in orbe ecclesiis particularibus distinguant, sic loquuntur. Prout Concilii Carthaginensis centesimus quartus canon habet, his verbis: *De dissensione inter Romanam & Alexandrinam ecclesiam orta; ad sanctissimum Papam Innocentium scribi placuit; vt vtraque ecclesia inter se pacem & concordiam colat, quam Dominus præcipit.* Iam vero pro Catholica ecclesia, Romanam nemo vnquam dixit. *Catholicam* itidem *fidem* cum dicunt; eam vtique intelligunt, quam omnes rectè sentientes Christiani vbicunque locorum profitentur. Christianam autem fidem, Romanam nemo sanæ mentis dixit. quinimo non in Romanam aut fidem aut ecclesiam; sed in Catholicam, seu vniuersalem, atque communem fidem & ecclesiam credere nobis præceperunt. Quam certe fidem ac professionem & obseruauimus hactenus; & deinceps in perpetuum, Deo auctore, obseruabimus. Quid? vllus ne vnquam martyr coram aliquo Tyranno; aut hæreticus quispiam ex errore viæ suæ reuersus, tale aliquid in fidei professione dixit, vt *Credo in Romanam vel fidem, vel ecclesiam?* Quis vnquam talem fidei professionem à quopiam exegit, quæ nostram funditus religionem tolleret? Quocirca nec nobis dicere conuenit, nos *in Romanam ecclesiam credere?* neque vobis, *in Catholicam.* Etenim nobis, qui Catholicæ ecclesiæ leges obseruamus, eiusque traditiones illibatas ac integras custodimus; profiteri, in eam nos ecclesiam credere, cuius & dogmata sequimur, omninò necesse est. Vos verò, qui Catholicæ ecclesiæ traditionibus antiquatis, eisdemque pro nihilo habitis, peregrina nescio quæ & aliena decreta earum loco introducitis: in illam, quam aspernati estis, ecclesiam vos denuo credere; quo iure potestis profiteri? Ecclesiam ergo Romanam, illi alteri è regione oppositam, in medium proferri, necesse fuit: vt ita demum videlicet apertè declararetis, vos à Catholicæ ecclesiæ communione prorsus excidisse. Nam quæ ecclesia Dei vniuersa communiter sanxit, ipsique adeo diuini Apostoli, ac sancti Patres decreuere; ea vos, (non sine rubore & conscientiæ morsu) obseruare profitemini: sed siquis à vobis sciscitetur, qui fiat vt hanc aut illam legem violetis: ad Papæ potestatem, ceu arcem quandam, ilico confugitis. vt Tyranni scilicet solent, qui verbis Martyres cum minus flectere valent; extrema in eos exempla edere, potestate freti, minimè dubitant. Sed de his hactenus.

Capvt XVI.

DEnique quæ fusius à nobis demonstrata sunt, ad certa quædam videntur capita reuocanda; vt ita finis tandem aliquando huic dissertationi imponatur. Primo itaque demonstraui, sanctorum Apostolorum vnumquemque totius orbis terrarum pastorem doctoremque immediatè à Domino Christo fuisse constitutum. Secundo, B. Clementem, non totius orbis Episcopum; sed vt aliū quemuis, Romæ specialiter ac propriè à primario Petro creatum fuisse: sedemque Romanam, nec primam fuisse, nec postremam, atque sanctorum Patrum, Regumque piissimorum legibus primam euasisse. Tertio, vt nouæ Romæ sedes in rebus ecclesiasticis perinde atque illa, summa emineret potestate; eosdem sanciuisse. Quarto, nulla lege præcipi, aut consuetudine obtinuisse, vt Patriarchæ à Papa constituerentur; neque verò ita fuit factitatum aliquando. Quinto, Papam Conciliis minime præfuisse: quinimo Concilia leges ipsius ecclesiæ dictasse. Sexto, diuinos Patres distinctè constituisse, quænam orbis terrarum ecclesiæ subiicerentur Papæ; quæ itidem vnicuique Patriarcharum. Septimo, nemini licere Patriarcharum, aut ipsi Papæ, de rebus grauioribus aliquid, sine omnium sen-

tentia, decernere. Octauo, eum honorem Papæ, Patrum scitis acquiescenti, deferendum; quem definiunt canones: non acquiescentem, vt lupum, ac hostem ecclesiæ meritò fugiendum. Nono, Christianorum esse, vt in Catholicam seu vniuersalem ecclesiam, ac fidem, credant; non autem in particularem: cum ita ab initio sancitum fuerit. Decimo, eos denique qui sanctorum Apostolorum, diuinorumque Patrum traditiones respuunt ac reiiciunt; seque in particularem Ecclesiam & fidem credere profitentur: partem esse à toto Catholicæ Ecclesiæ corpore abscissam, atque emortuam. Contrà verò eos, quibus nil vmquam fuit antiquius Catholicæ Ecclesiæ traditione; sanam demum esse partem, quibus solis fas est dicere, se in Ecclesiam Catholicam credere. Atque hæc quidem fere habui, quæ ad tuam caritatem censui mittenda; habita vbique veritatis ratione; nihilque locutus turbide. Quibus acceptis ac perlectis, siquid interim tibi occurrerit, quod aut omnibus, aut quibusdam, aut vni saltem eorum, opponere possis: ex iis quæ diximus principiis oratio tua fidem faciat; te patienter sumus audituri.

IOANNIS GERSONIS THEOLOGI ET CANCELLARII PARISIENSIS.

COGNOMENTO DOCTORIS CHRISTIANISSIMI.

De Excommunicationis valore opuscula duo.

Discussio illius assertionis Sententia Pastoris etiam iniusta tenenda est, per eundem Cancellarium.

CASVS est: Quidam se gerens pro Commissario Papæ, posuit in suo processu publico assertionem, quæ sequitur: *Sententia nostra etiam si essent iniusta sunt tenenda, & timendæ.* Quæritur super hac assertione. Primo, si sit falsa, & erronea. Secundo, si sit iudicio fidei reprobanda. Tertio, si assertor sit ad iudicium fidei rationabiliter euocandus. Arguitur quod sit vera: quia secundùm B. Gregorium, *Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.* Cui consonat Vrbanus Papa dicens: quod *valde timenda est sententia Episcopi, licet iniustè liget.* Sed Papa nedum est Pastor & Episcopus, sed supremus Pastor & Episcopus. Sed contra est dictum Hieronymi, super epistolam Pauli ad Philemonem, & fundatur in dicto Esa. 5. *Si quis dixerit iniustum iustum, abominabilis est apud Deum.* & Gregor. in Homil. 27. *Ipse ligandi, atque soluendi potestate se priuat, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subditorum iuribus exercet.* Et idem: *Tunc est vera absolutio præsidentis, cum interni Iudicis sequitur arbitrium.* Et idem: *Non debet is pœnam sustinere canonicam, in cuius damnationem non est canonica prolata sententia*, constat autem quod sententia iniusta non est canonica.

PONVNTVR PRO DECISIONE PROPOSITIONES, quæ sequuntur, ad examinandum.

HÆc assertio proposita in processu publico, si sit erronea in fide & moribus, non est dissimulanter prætereunda, cum sit scandalosa, & ex deliberatione posita. Hæc assertio est vna propositio conditionalis includens vnam consequentiam talem, si sententiæ nostræ sunt iniustæ, illæ etiam sunt tenendæ, & timendæ. Hæc assertio conditionalis sic resoluta, si sit falsa, est impossibilis: patet hæc propositio, sicut, & præcedens ex regulis infallibilibus Logicorum: addendo quod assertio prædicta continet istam Vniuersalem, quod omnes sententiæ dicti Commissarii quantumcunque iniustæ sunt tenendæ. Hæc assertio falsa est, quoniam oppositum consequentis stat cum antecedente: quoniam stat, aliquas sententias Pastoris, vel Papæ, & suorum Commissariorum non esse tenendas, immo nec timendas, dũ sunt iniustæ. Et hoc in multis casibus. Primo, si sententia lata sit post appellationẽ legitimam, vt notauit Innocent. III. in *epistola ad Archiepiscopũ Senonen.* Secundo, si contineat errorem intolerabilem: vt notauit idem. Et hoc multipliciter potest euenire, cũ nullus Pastor viuens in terris, immo nec Papa, sit impeccabilis, quin possit abuti sua potestate; cum circundatus sit infirmitate; vt dicitur *ad Hebr.* Vnus casus est: si sententiet expressè, vel etiam implicitè contra fidẽ & Scripturam sacram. Alter, si sententiet in præiudicium veritatis vitæ, & iustitiæ; vt si volens rapere sponsam alterius, ferat in contra nitentes sententiam excommunicationis. Alter, si sententiet in præiudicium iustæ libertatis, vt si volens vsurpare ciuitatem vnius Principis, ferat sententiam excommunicationis in nolentes eam sibi tradere: & ita de multis similibus: vt si excommunicare velit illos qui suo Regi, & suis edictis rationabilibus obediunt. Notauit hæc Innoc. vbi prius: & habetur fundamentaliter, ex infallibili lege diuina, & naturali: cuius deductionem hic

omitti-

omittimus. Hæc assertio est impossibilis: Sequitur hæc ex præcedentibus. Notando quod iura quibus iniri videtur, non loquuntur tali modo conditionali & hypothetico: nec dicunt quod sententia Pastoris sit tenenda: quia longe aliud est dicere, quod sententia aliqua sit timenda, & quod sit tenenda: quia tyrannica iniquitas etiam timeri potest, sed non teneri debet: immo contemni, vel persequi. Hæc assertio censenda est erronea contra bonos mores & canones: patet: quia cum spectet ad mores, & canones (sicut constat) & non est eis conformis in veritate, immò nec esse potest: Sicut patet ex præcedentibus, sequitur quod est eis dissona atque contraria. Hæc assertio debet in fide merito suspecta reputari: patet ex præcedentibus, & hoc accipiendo fidem pro obiecto fidei, pro Scriptura sacra & iure diuino. Hæc assertio reddit assertorem suum in fide suspectum: & ita consequenter ad iudicium fidei rationabiliter euocandum, qui compellendus erit, vel se exponere, vel reuocare, vel (si pertinaciter renuerit) relinquendus erit iustitiæ seculari. Consequenter ad aggrauationem dictæ assertionis, cum protestatione, quòd hoc fit ad finem ciuilem & Ecclesiasticum, & pro defensione Catholicæ veritatis & Ecclesiasticæ libertatis: & non ad ingerendum crimen læsæ Regiæ maiestatis, inferuntur propositiones, quæ sequuntur.

Rex Christianissimus Francorum iurauit in sua consecratione defendere, & tenere iura & libertates Ecclesiarum Regni sui.

Rex idem pluries à viginti annis citra habuit conuocationem, & Concilium Prælatorum, & Vniuersitatem Regni sui: ad quorum deliberationem, & requestum conclusit solemniter per arrestum curiæ suæ supremæ parlamenti, quod Ecclesia Gallicana, in se & in membris suis ad suas antiquas & legitimas libertates reduceretur, nominatim in collatione beneficiorum per ordinarios, & in electionibus faciendis.

Rex idem, & legitimus filius suus nunc regens nouissimè post quatuor, & quinque annos fecerunt idem arrestum solemniter publicari cum adiectione pœnarum in rebelles.

Rex idem debet reputare quod sententiæ cuiusq; Pastoris, etiam Summi Pontificis, factæ, vel latæ in oppositum mediatè, vel immediatè sunt iniustæ: & continent errorem intolerabilem contra publicam iustitiam: & in vsurpationem indebitam: & ex consequenti nec tenendæ sibi sunt, nec necessario timendæ: præsertim cum obtulerit in facie Concilii Generalis Constan. se paratum velle prouidere statui Summi Pontificis, sicut alii Reges, & regna pro parte sua. Dicitur hic quod non necessariò timendæ: quia possunt timeri à timoratis conscientiis in aliquo casu, quamuis non ob hoc sint tenendæ. Multum enim refert dicere quod sint tenendæ, & dicere, quod sint timendæ. Et ideò assertor prædictus qui addit de suo, quod sententiæ Pastoris iniustæ sunt tenendæ, valdè temerariè, & scandalosè, & erroneè videtur fuisse locutus: nec iura, quibus inniti videtur, loquuntur modo suo: immò longe modestius, ita vt possint ad verum sensum reduci, non autem assertio sua modo quo posita est: sicut patet ex propositionibus antedictis.

Rex idem potest se tueri contra procedentes in eum, vel suos, occasione prædicta, sicut contra volentes vsurpare possessiones temporales Regni sui: immò magis quantum spiritualia, & Ecclesiastica potiora sunt temporalibus.

Rex idem debet habere subditos suos (præsertim Ecclesiasticos) fauorabiles in dicta prosecutione: & obedientes, iuxta monitionem Apostolicam debent obedire Regi, tanquam præcellenti, & hoc præcipuè dum vtitur sua legitima potestate in obseruationem proprii iuramenti, & Ecclesiasticæ libertatis tuitionem.

Rex idem debet protegere subditos suos, si præmissorum occasione, & propter obedientiam sibi factam pati habeant, & assumere causam in se. Et sub hac potectione subditi, tam seculares, quam ecclesiastici debent, & possunt in quiete viuere, non plus sapientes, quam oportet.

Rex idem potest rationabiliter conqueri de subditis suis præsertim Ecclesiasticis, si in prædicta reductione libertatum inueniantur tepidi, & tergiuersatores & claudicantes: & potest ab eis per se, aut suos exigere rationes quibus mouentur sentire contra deliberationes nedum Concilii sui, sed suorum Prælatorum, ac Vniuersitatum Regni sui. Cæterum de pœnis per eundem infligendis iubet Ecclesiastica modestia quiescere, nec habere sermonem.

Digitized by Google

ITEM AB EODEM DOMINO CANCELLARIO CIRCA MATEriam excommunicationum, & irregularitatum resolutio.

CONSIDERATIO PRIMA.

Contemptus clauium ecclesiasticarum causat quasi formaliter, & principaliter excommunicationis, vel irregularitatis detrimentum. Sic enim solent communiter Domini Iuristæ dicere; quod irregularitas contrahitur, dum aliquis excommunicatus se immiscet sacris in contemptum clauium. Fundatur autem hæc consideratio principaliter ex illa lege Euangelica Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, sequitur: *dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.*

CONSIDERATIO SECVNDA.

Contemptus clauium potest interuenire multipliciter in aliquo. Vno modo directè, & causaliter: & hoc propriè dicitur fieri ex contemptu: quando scilicet contemptus est causa actionis principaliter: ita quod non fieret actio, nisi esset ad contemptum clauium: quemadmodum si quis dicat Episcopo excommunicanti: *Ego in despectum vestri, & vestri præcepti nihil agam illius quod iubetis.* Alio modo fit contemptus implicitè: quia videlicet est contumax in obedientia: quamuis non ex inobedientia, vel propter non obedire: sed propter aliquod aliud delectabile vel vtile, aliquis peccat contra prælati iussionem: tertio modo dicitur contemptus interpretatiuè omnis voluntaria transgressio cuiuscunque præcepti, & isto modo reperitur contemptus in omni peccato, præsertim mortali, directè, vel indirectè, verè, vel interpretatiuè.

CONSIDERATIO TERTIA.

Contemptus primo modo rationabiliter demeretur excommunicationem, consequenter irregularitatem; similiter & secundus, dum iungitur contumacia Sed tertius contemptus non semper est excommunicationis ecclesiæ, nec consequenter irregularitatis demeritorius. Dicitur, ecclesiæ, notanter: quia omnis peccans mortaliter est à Deo, & apud Deum excommunicatus: sed non semper per ecclesiasticam sanctionem.

CONSIDERATIO QVARTA.

Contemptus neutro modorum prædictorum dicendus est interuenire contra præceptum aliquod prælati: quando manifestè, & notoriè prælatus abutitur in huiusmodi præcepto clauium potestate: & hoc dum scit, & cognoscit ille, qui non obedit: nec aliundè generat in se, vel in aliis scandalosum contemptum clauium: Quoniam in hoc talis non est inobediens clauium potestati: sed erroneo clauium abusui.

CONSIDERATIO QVINTA.

Contemptus clauium magis inuenitur quo ad culpam in prælato, taliter (vt præmittitur) abutente sua potestate: quam in obediente: si comparatio recipiatur abusiua. Est igitur quandoque meritorium, & honorificatiuum Ecclesiasticæ potestatis, quod tali prælato in faciem resistatur cum appositione inculpatæ tutelæ: quemadmodum resistit Paulus Petro.

CONSIDERATIO SEXTA.

Contemptus clauium quandoq; posset inueniri in vno qui non pareret sententiæ sui prælati; vbi, & quando alius in eadem sententia non obediens, nullo modo contemptus esset reus, præsertim apud Deum. Cuius ratio est: quoniam vnus reputat sententiam iustam, aut quomodolibet obediendum illi: alius verò non: sed scit certitudinaliter, aut probabilitate sufficienti, suum prælatum male vti in præiudicium clauium, & in destructionem Ecclesiæ.

CONSIDERATIO SEPTIMA.

Contemptus clauium debet inuestigari ex potestate legitima, & vsu legitimo potestatis illius, qui percipiendo excommunicat, vel irregularitatem comminatur. Alioquin prælati possent inducere qualemcunque vellent super illos seruitutem: si suis sententiis iniquis, & erroneis semper esset obediendum. Et ita patet, quod hoc commune dictum: *Sententia Prælati, vel Iudicis etiam iniusta timenda est*: indiget glossa. Alioquin non est generaliter verum, si timenda dicatur: quia est sustinenda, nec repellenda: immo in casu, pati illam esset asinina patientia, & timor leporinus, & fatuus.

CON-

CONSIDERATIO OCTAVA.

Contemptus clauium plus habet periculi ergo personam Summi Pontificis, quam erga inferiores. Quoniam ab abusibus inferioribus patet recursus ad Papam per appellationis subsidium. & si dicatur quod ita potest à Papa fieri appellatio ad Concilium generale. Dixerunt olim ante Concilium generale Pisanum, & Constantiense quod hoc nullo modo licebat: & allegant iura sua pro se valde (sicut eis videtur) expressa. Sed constanter nunc asseritur, quod est hæresis damnata per Constitutionem expressissimam, & practicatam in Concilio prædicto Constan. prout alibi diffusius est ostensum. Respondetur igitur aliter, quod non pro leuibus causis (vbi etiam liceret) potest aut debet pro appellationibus prosequendis Concilium celebrari: sicut habetur recursus ad Papam.

CONSIDERATIO NONA.

Contemptus clauium non incurritur in multis casibus quibus Papæ mandato non obediretur: dum scilicet abutitur enormissimè, & scandalosissimè potestate sua in destructionem non in ædificationem: sicut tamen dicit Apostolus, ideò potestatem datam esse. Exemplum: si Papa vellet thesauros Ecclesiarum diripere, aut hæreditates vsurpare, aut in seruitutem abiectam clerum, cum suis bonis redigere, & iuribus suis spoliare sine causa, quis diceret ista debere tolerari? Quis non censeret posse dici Papæ: *cur ita facis?* quis non assentiet, *in faciem sibi resistendum?*

CONSIDERATIO DECIMA.

Contemptus clauium etiam non semper inuenitur apud illos, qui nedum non obediunt sententiis excommunicationum promulgatis per Papam, vel suos: sed etiam non est iudicanda esse apud illos, qui per potestatem sæcularem aduersus tales prætensas sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dictat, vt possit vis vi repelli. Constat autem, quod tales excommunicationes non debent dici ius, sed vis & violentia, contra quam fas habet liber, vel homo, vel animus se tueri.

CONSIDERATIO VNDECIMA.

Contemptus clauium, & consequenter excommunicatio, vel irregularitas non incurritur: dum in præmissis casibus dicit aliquis Iuristarum, vel Theologus iuxta conscientiam suam, quod huiusmodi sententiæ non sunt timendæ, vel tenendæ, & hoc præsertim si obseruetur informatio, seu cautela debita, ne sequatur scandalum pusillorum, qui æstimant Papam esse vnum Deum, qui habet potestatem omnem in cœlo, & in terra. Veruntamen expellenda est talium stultitia, per informationes idoneas: qui si nolint acquiescere: ipsi iam sunt iudicandi de scandalo non dato, sed accepto, hoc est de scandalo Pharisæorum, & ex malitia: non pusillorum, & ex simplicitate, vel ignorantia.

CONSIDERATIO DVODECIMA.

Contemptus clauium dicendus est magis foueri, quam tolli: dum debentes abusui clauium resistere, diuiduntur inter se, & impediunt se, vel per stultitiam, vel per ignauiam, ne communi consensu fiat ambulatio in domo Domini: dum alii fauent abusibus, alii tollere volunt. Veritas est, quod omnis via fauorabilis, & humilis tentanda est cum summo Pontifice, dum malè informatus, fert per se, vel suos iniustas sentẽtias: quod desistat & reformet, sed si nihil prodest humilis sedulitas, arripiẽda est virilis, & animosa libertas.

ANTONII DE ROSELLIS IC. ARETINI, ET CONSILIARII CÆSAREI AC PONTIFICII,

Monarchia, siue Tractatus.

DE POTESTATE IMPERATORIS & Papæ.

Tempore Sigismundi Imperatoris & Eugenii Papæ IV. scriptus, & sub Friderico III. Imperatore recensitus atque auctus.

PROHÆMIVM GENERALE.

ETsi diuinæ lacessitæ, Monarchiæ iurium summa fastigia sint, quæ apud paucos alios à mei professione tamen propria alienos autores eximios profundissimè sunt diffusa, vt dulcissimum reputem illa posse ex ingenio meo emungere: cordi tamen est prono animo ob hoc commune præstandum beneficium Deo, præsule, sedula & peruigili industria, moderataque digestione ipsius sancta decisiua referre. Primum, vt vtriusque iuris professoribus, qui ex alienis agris fructus decerpere nequeunt, ac alienis in messibus falces proprias ponere non nouerunt, longissimæ ac subtilissimæ indagationis labor absit. Tum etiam, vt à garrientium quorundam prurientibus linguis, qui his iuribus orthodoxis superna aspernatimente temerariè detrahere non postponunt. De quibus, testante scriptura diuina, scriptum comperitur: *Posuerunt mendacium spem suam: & mendacium operiri sperauerunt.* Et iterum qui secundum prophetiam dicunt: *Domine recede à nobis: viam tuam scire nolumus.* Libera & enucleata restituam; nec spe quæstus, vel vt magistratum sacerdotiumve ambitu consequar, propter quæ ipsi prophani falsa scribendo libenter incespitant, venio ad scribendum: nec vt Principibus aduler (nam ipsam horreo publicam Regum pestem:) quin potius vt temeratorum arrogantiam rusticam veritatis freno compescam, & vt grassantis stultitiæ error amplius non aspiret. Pro voto igitur tanti expeditione religiosi te esse numen certissimum, Federice Dux Austriæ, serenissimè Cæsar, inuoco: quem pro diuini reparatione imperii horrendo, sacrilego, ingenti schismate iam confusi, post fraternum imperium præfecto terrenæ monarchiæ cælitus missum arbitror, vt tui terreni fauore imperii, diuina iura respirent. Tali ergo hoc sancto etiam suffultus præsidio tutè de re tua, publico honestoque iure profectò, à modò disseram.

PROHÆMIVM SPECIALE.

MAximum quidem est donum, quod principium æternum, idemque finis. dux, vector atque semita, noster Deus omnipotens terrestribus rationem animantibus præbet, nos quadam perficiens similitudine perfectione gratiæ, sicut ipse est perfectione naturæ, vt mundus iste sensibilis in mente ipsius creatoris æternaliter ante præfixus, demum creatus vno principio & motore ad superioris amplissimi orbis instar moderetur atque regatur: plurimi tamen humani generis, quos non diuina voluntas protegit, non verax ratio, sed potius brutalis sensualitas, & cuiusdam tyrannidis appetitus à vero abstrahit, excelsi tanti muneris ignari siue potius indigni, hoc secundum diuini muneris beneficium abiicientes, inuideque Romano Cæsari, quæ iusto

Dei

Digitized by Google

Dei iudicio ipsius mundi meritò est moderator & arbiter, detrahentes alius diuersis pluribus in solidū tanquam præfixum aliquod beneficium à Deo collatum, dignitatem hanc ascribere sat agunt. Nam, ipsorum proterui quidam magis proprio fortè ingenio quam veritate vel iure. Et contrà credendum est Pontificis summi, qui veritatis est pater, voluntatem in dubium reuocando, apud quem est vel fuit temporalis imperii monarchia inferiorum omnium corruptibilium, quæ tempore mensurantur sacrum ipsum Pontificem, Christi vicarium in hoc Cæsari anteponere cupiunt. Adhuc verum nonnulli prioribus magis hebetes, quæ historici illustres aliqui referunt, orbis quatuor præmeditátes imperia, Babylonicum, atque Medum, demumque Macedonium, & deinde Romanum. Et quisque generi fortè suo, vt propria iura ipsa vendicando, in dubium hic præterita ista reuocant; quis videlicet primum tanti excelsi solii apices iustè fuerit adeptus. Quæ cuncta, vt veritas elucescat, & nostro Romano Cæsari, triumphatori fœlicissimo, debitus honor cælitus prædestinatus detur, hoc in libello discutienda subiicio: etiam his annectens, vt cunctis garriendi cupiditas arceatur; si Constantino Cæsari in Bisantium referente veneranda signa tropea, ipsam retinuit monarchiam, eiusque posteri, postquam maximè Romanum Imperium Ecclesia transtulit in Germanos, propter quem potestatem oportebit ostendere æternæ vitæ clauigeri, & nostri gloriosissimi Augusti.

PARS PRIMA.

In hoc libro fœliciter incipit tractat⁹ de Potestate Imperatoris ac Papę; & an apud Papam sit potestas vtriusq; gladii; & de materia Conciliorum: qui appellatur Monarchia: Editus per excellentissimum vtriusque iuris Doctorem Dominum Antonium de Rosellis de Aretio.

SVMMARIVM.

Sacra Romana Ecclesiæ Pontificem Maximum, Vicarium Christi, Petri successorem, qui cunctis præest dominium Principatumve divinorum seu spiritualium omnium in orbe amplissimè possidentem, etiam summum esse tenentium temporalia: Romanum quoque Cæsarem in ipsorum secularium cognitione & dominio ab eo & Ecclesia dependere, ita vt apud Christi summum Sacerdotem vtriusque gladii, id est, tam spiritualium quàm temporalium, si non actu, habitu saltem, sit amplissimus Principatus in orbe, roborationibus decem & nouem concluditur.

CAPITVLVM I.

Disceptationem igitur hanc ipsam primū assumens, in qua luminaria duo clarissima, summus Patriarcha & Cæsar Augustus, in concertationē ducuntur, animaduerto quod quidā principiis tantū naturalibus & argumentis scripturæ sanctæ & fundamentalis huius tātę rei excelsæ seriē prodere nituntur, traditionibus Apostolicis omnino postpositis, cū constitutiones ipsę Ecclesiæ fundamentali diuinæ scripturæ sint (vt dicunt) postponendę, vanè forte arbitrantes, pontifices summos in editionibus ipsarū, iuribus ecclesiæ nimiū fauorabiles extitisse. Ipse verò, etsi hoc ipsum nēpe affirmē, fundamentalē diuinā scripturā pontificū canonibus præferendā, tamen venerandas ipsas sacras constitutiones nō excludo, quia arbitrari pontificē errare, vniuersali ecclesia diu supportāte, nephas iudico. Pro veritate dubii igitur hui⁹ primū eruenda, quid à scribentibus dicatur incipio; cū pluribus de causis sunt qui putant, omniū temporaliū administrationē vniuersam, habitu saltem, etsi non actu, apud summū Christi consistere sacerdotē. Et primū ex diuinæ scripturæ sententia in Deuteronomio relata, ad hoc dicendū cōmotos se fore dicūt: & habetur transsumptiue, *qui fi. sint le. c. per venerabilē*, sic inquiente: *Si difficile & ambiguū apud te iudiciū esse prospexeris, inter sanguinē & sanguinē, causam & causā, lepram & leprā, & iudiciū videris variari, venias ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudices qui fuerūt illo tempore, qui iudicabūt tibi iudicii veritatē. Et facies quæcunq; dixerint qui præsunt loco, quē elegit Dominus, sequerisq; eorū sententiā. Qui autē superbierit, nō obediens sacerdotis imperio, qui eo tēpore ministrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur: dicto c. per venerabilē.* Ex quib⁹ verbis denotant, summū pontificē habere spiritualiū & seculariū causarū cognitionē vniuersam. nā *Deuteronomiū* ex vi vocabuli interpretatur secunda lex. & *locus quē elegit Dominus*, sedes est Apostolica, vbi Christus vicariatū constituit: *de transla. c. quanto: de re iudi. c. ad Apostolicā. li. 6. & vt eccle. bene. c. vt nostrum.* Vndē concluditur, quod ipse pontifex tria possit iudicare iudicia, *inter sanguinē & sanguinē*, quod pro criminali intelligitur iudicio: & seculari, quod ciuile dicitur: & *inter causam & causam*, id est, ecclesiasticum & seculare. Ex quibus patet in eo esse seculariū omniū & spiritualium cognitionem. Quod probatur Leuitici 13. c. vbi dicitur: *Quod omne genus lepræ* quod quadruplex est, vt notatur *de pœni. di. 1. §. deniq; v. Moysi spectat ad sacerdotē.* Facit 15. q. 6. c. *auctoritatem.* in fi. vbi papa cuidam Archiepiscopo permittit spiritualis & secularis gladii coertionē contra facinerosos aliquos: quā permissionem vtiq; nō posset facere, si ipse nō haberet in se: quia nemo alii, quod nō habet, permittit, *l. indebiti solu. §. sed si nummi, ff. de condi. inde. de conse. di. 4. c. quomodo. & ff. de pigno. l. si fundus.* §. 1. quod ostenditur in *dicto. c. per venerabilē:* quia ibi papa legittimat filios regis Franciæ, qui de aliena videbantur esse iurisdictione. sed oportet dicere, quod illud facit ex sua amplissima potestate.

Digitized by Google

CAPITULUM II.

SEcundo probant ex littera Geneseos. Nam Deus *fecit duo luminaria magna: vnum quod praeesset diei: alterum vero quod praeesset nocti.* In quibus mysticæ hæc duo regimina significantur: vt *extra de maiorita. & obedien. c. solita.* Ad firmamentũ enim cæli. i. vniuersalis ecclesiæ, fecit duo luminaria, id est duas instituit dignitates scilicet pontificalem & regalem. Et illa quæ præest diebus. i. spiritualibus, pontificalis est: quæ vero carnalibus, cæsarea est. Sed sicut sol per lunam mundũ illuminat, quando per se non potest lumen præstare scilicet noctis tempore; sic pontificalis potestas, cum per se non potest ipsam exercere potestatẽ, puta in sanguinis effusione. 50. *di. clericus*: vel in administratione ista terrenorum; tunc facit per reges & principes seculares. Vnde solus ipse pontifex potestatẽ hanc vniuersalem habere videtur, & ab ipso Imperator & principes cæteri. Pro hoc facit quod habetur in *d. c. solita.* Nam constituit Dominus pontificem super gentes & regna vt euellat & dissipet, & ædificet & plantet. Ex quibus colligitur temporalium & spiritualiũ pontificem habere potestatẽ, licet in exercitio temporalia Cæsari committat; ipsum inungendo, coronando, & approbando: *extra de elec. c. venerabilem*, Et quia per sacerdotes Deus reges in terris facit, vt habetur *Reg. 8. c. in fi. & Genes.* 10. Nam præcepit Dominus Samueli vt constitueret regem super Israel. Item Dominus præcepit Eliæ Prophetæ vt inungeret regem super Siriam: & alium super Israel, vt habetur in *c. 1. ver. vnde in veteri, de sacra vncti.* Facit quod habetur 2. *q. 7. §. item cum Dauid.* Pro hoc facit quod not. Innoc. in *d. c. per venerabilem*: qui dicit, quod *reges seculi subsunt papæ, non Imperatori.*

CAPITULUM. III.

TErtio ratione probatur: nam inferiora regulari debent ad instar superiorum: cum ad imaginem Dei creati sumus, vt 33. *q. 5. hæc imago: de pœnit. di. 2. c. præsentium.* Et Philo. 1. *cal* & *primo Metaphisicæ*: & 8. *Physicorum.* Quod probat Boetius de consolat. dicens: *O fœlix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat.* Sed sicut in supernis est vnus Deus: vt *extra de sum. tri. c. 1. & c. damnamus. & 6. q. 1. Nouatianus.* Et quod late ostendit eloquentissimus Lactantius in libro *de falsa religione* circa principium. Et ratione probatur, negantibus vera principia. Nam si poneres plures deos quod esset hæreticũ, *vt 24. q. fi. quidã ver. Cerdoniani*: aut poneres ista principia, concordia aut discordia. Et si poneres contraria, tunc actione vnius alterũ destrueretur: & operationes essent in diis multociens contrariæ. & si ponis eos concordes: aut ponis æquales, aut inæquales. Si inæquales, tunc qui esset minus perfectus faceret opera imperfecta; quod dicere nephas est: cum opus imperfectionis nõ nouerit etiam ipse qui perfectus est: vt *C. de sum. tri. & fi. ca. epistola Victor. & extra de baptis. maiores.* Si per omnia æquales, ergo vnum superfluum: contra. *§. quibus, prima consti. C.* quod de Deo dici nõ debet: quia in positiuis & naturalibus superfluitas resecatur, vt in *c. 2. de probat. & l. ampliorem. §. in refutatorius. C. de ap.* Est ergo in supernis vnum principium: & ita in terris debet esse vnus Dei vicarius ad eius similitudinem. Et hoc est quod dicit Augustinus in *quæstionibus noui & veteris testamenti*: & habetur in *dic. c. hæc imago* 33. *q.* 5. Pro hoc, quia ecclesia militans assimilatur ecclesiæ triumphanti, vt legitur *de elec. fundamenta, lib. 6.* vnde Io. in Apocal. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem.* q. d. quod Hierusalem terrestris. i. ecclesia militans assimilatur cælesti Hierusalẽ. i. ecclesiæ triumphanti. & sic sicut in superiori triumphanti ecclesia est vnus Deus, ita in militanti ecclesia vnus Dei vicarius. *de hæreti. cle. ad nostram.* & ibi glo. in verbo *ecclesia.* Sed hic vicariatus non Cæsari, sed Apostolico traditus reperitur: vt *extra vt Eccle. bene. vt nostrum: & de transla. c. quanto*: cum ipsius Dei sacerdos personã gerat in ecclesia: *de peni. di. 3. c. sceleratior. § his auctoritatibus. vers. sed quẽ sacerdos*: ergo ipse pontifex solus est Dei vicarius: cui cuncta temporalia & spiritualia subsunt: non vero Cæsar aut alter. Mysticè etiam ostenditur, quia Petrus solus supra mare visus est ad Christũ venire: vt daretur intelligi, quod totum orbem per mare designatum sub sua dominatione habiturus esset, &c.

CAPITULUM IV.

VRgentissimam aliam etiam rationem inducunt. Nam certum est quod vna est ecclesia, vt legitur Canticorum 6 *Vna est columba mea, perfecta mea*: & habetur in *canone* 24. *q. 1. loquitur: de summ. tri. c. 1. §. vna*: ex qua debet eligi Imperator, 24. *q. 1. § sed istud.* & 24. *q. 8. conuenior.* not. in *l. fi. C de inde.* & in *probemio insti. in prin.* & probat tex. in *c. solita, de maio. & obe.* Hæc est Christi tunica inconsutilis, quæ non debet scindi. 24. *q. 1. c. quoniã.* In hac tunica Christi corpus repræsentatur non scindibile, 24. *q. 1. aduocauit*: Hæc est vnica Archa Noe, extra quam quicunque terrestres tempore diluuii reperti sunt, mortui sunt 24. *q. 1. quia ex sola*: & *c. quoniã vetus*: & quæ vnicũ solum rectorem habuit ipsum Noe. hæc est illa vna domus, in qua agni carnes comedi iubentur, & extra fores domus portari prohibentur dictis iuribus. hæc ecclesia est, quæ mater dicitur, cum per baptisma ab ipsa regeneramur 12. *q. 2. qui abstulerit*: & extra quam nec est salus, nec remissio peccatorum. Si ergo est vna ecclesia, & vnum corpus mysticum: ergo vnum debet habere caput, & non plura, *de offi. or. c. quoniam in plerisque*: quia alias esset sicut quoddam monstrum, contra *c. per venerabilem, qui fi. sint le.* Sed caput non est Princeps profecto, sed Papa: vt 9. *q. 3. aliorũ*: & *extra de sacra vnc. c. 2.* Ergo papa solus omnibus & in omnib. præest: & hoc

& hoc mystice probatur, quia Princeps in brachio vel armis inungitur, non in capite; propter quod scriptum est: *Factus est principatus super humerum eius*: vt non Princeps ipse caput, sed sacerdos caput esse intelligatur: *de sacra vnc. c. 1.* qui sacerdos in ipso capite inungitur, sed non princeps. Item ecclesia, quæ vnica dicitur Christi sponsa. 24. q. 1. *loquitur*, in fi. 97. *di. c. 1.* debet vnũ habere virũ & non plures: vt *extra de præben. c. cum non ignores*. C. *de adult. l. eum qui*. Item ipsa ecclesia est summi Dei filia, igitur debet habere patrem vnum, non plures. Item ipsa cuiuslibet regenerati mater, vnica esse debet, cum impossibile sit secundum naturam aliquem singularem ex duabus natum matribus: sicque ecclesia cuiusque singularis per baptisma regenerati mater; & hac de re ecclesia mater dicitur 12. q. 2. c. *qui abstulerit*: debet vna censeri, cum fictio naturam imitetur quantum potest, *l. adoptio, ff. de adop.* & sicut non potest quis natus esse ex duabus matribus, ita nec potest ex duplici (vt ita dixerim) ecclesia esse regeneratus. & hæc potest esse ratio, quare sanctum baptisma non reiteratur. Ex quibus concluditur, in orbe pontificem esse summum patrem, & Orbis verum & vniuersalem vicarium atque Dominum, & cæteros ab ipso vt ab Architectore dependere. alias si poneres separatum Cæsarem ratione temporalium, poneres inferius duo principia, quod esset hæreticum 24. q. fi. c. *quidam*. Ad hoc faciunt quæ infra subnectam: valet quod omnia melius reguntur per vnum 7. q. 1. *in apibus*: ergo ipse pontifex ille vnus censendus est, qui dignioribus & amplioribus præest. Et fere ista omnia relata esse comperi in *extrauaganti, vnam sanctam*: quam nunquam videre potui, nisi opere isto iam perfecto.

CAPITVLVM V.

QVod vero non sit Imperator solus ipse monarcha, fundatur & alia ratione. nam ille solus monarcha dici debet, cui inferiores homines tanquam vni præfixo principio respondeant. sed certum est quod ipsi principi non omnes parere debent nec cogi possunt: quia non clerici, quos ipse non iudicat. 12. q. 1. c. *futuram ecclesiam*: & *extra de iudi. c. clerici*. si ergo non potest inferiores omnes suo complecti dominio, non est ipse summus, cui debeant omnes parere: sicut in hierarchia superiori vbi cælestes omnes intelligentiæ respondent ad suum monarcham immobilem motorem omnium per diuersa officia, ipsi tamen vni Deo parentia. 89. *di. ad hæc*; & 33. q. 5. *hæc imago. de pœni. di. 2. c. principium*. Præterea ipsi principi non subest pontifex, qui à nemine, etiã ab Augusto, in temporalibus iudicari potest: vel etiam ab vniuersali ecclesia, præterquam de hæresi. 9. q. 3. *nemo*. & *extra de elec. c. significasti*. ergo non princeps erit, sed alius qui omnes iudicet & cui omnes pareant. Sed hic profecto iudicãdus est papa, cui quicquid fidelium est vbique submittitur, dum totius corporis, id est, ecclesiæ, caput esse signatur 9. q. 3. *aliorum*. Hoc confirmatur: quia papa de tota potest iudicare ecclesia 9. q. 3. c. *ipsi ergo*. & de Imperatore iudicium dat, qui de ecclesia esse debet 24. q. 8. *conuenior*. Auth. *de non alie. vel permut. re. & § pœn. coll.* 2. quod patet, quia eius sententias nullas declarat, *de re. iudi. cle. pastoralis*: & eum deponit, *de re. iudi. c. ad Apostolica*, li. 6. item & omnes alios clericos & laicos iudicat: cum ecclesia vna sit, 7. q. 1. *Nouatianus*. 24 q. 1. *loquitur*: habens duo latera, dexterum clericorum Deo obsequentium: & laicorum terrena tractantium. cum ergo de tota iudicet ecclesia, dicente Apostolo: *Spiritualis homo iudicat omnia, ipse à nemine iudicatur*: & textum istum demum vidi in dicta decretali, *vnam sanctam*: ergo de omnibus iudicium præbet: & sic ipse solus dici debet monarcha, qui in cunctis omnes iudicat & à nemine iudicatur. nam solus Deus præsul est Apostolicæ sedis. 9. q. 3. *aliorum*. Et quod Papa sit ipse monarcha ostenditur: nam stante concilio fidelium, vbi repræsentatur vniuersalis ecclesia, non synodo præbet auctoritatem Imperator vt prior, sed Pontifex vt summus. 17. *di. §. hinc etiam*. & ea. di. c. *multis*. nam Petrus est qui à Deo regnum recepit, non alius 2. q. 7. c. *Petrus*: & ipse clauiger est, cui potestas omnis à Deo est data terreni & cælestis Imperii. 22. *di. c.* 1. Ad quod bene facit, quod de ipso Petro cantat sancta ecclesia in festo ipsius Cathedræ: *Tu es Pastor omnium Princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi.*

CAPITVLVM VI.

POtest & præcedens sententia roborari, quoniam ille est & dici debet summus monarcha, qui omnibus præsit, & in illis nulli nisi Deo subsit, quia respectu eiusdem subiecti non potest quis esse superior & inferior, vt probatur. 23. *di. c. in nomine Domini*. ibi, *quia sedes Apostolica*: & ipsi vt supremo debet inesse regendi potestas, & inferioribus obsequendi necessitas. 21. *di. § in his omnibus & c. inferior*. Sed hic profecto Cæsar non est, qui minor & inferior est: *de maio. & obe. solitæ*: & cuius iudicium à Papæ dependet iudicio: non econuerso 97. *di. duo sunt*: & maxime cum principum colla submitti videamus genibus sacerdotum: *eadem di. c. si Imperator*: Et quia Christi Sacerdos regum, & principum, omniumque fidelium pater magisterque censetur: ergo miserabilis insaniæ esse videtur si filius patrem, si discipulus magistrum subiugare conetur, dando super omnes primatum & potestatem Cæsari. 96. *di. quis dubitet*: qui tamen ab ipso non solum in terra sed etiam in cælis creditur posse ligari & solui. 24. q. 1. *si Petrus*. & c. *quodcumque*. Imperatores enim subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre: & obsequi solere principes decretis ecclesiæ, non suam episcopis proponere potestatem. 96. *di. si Imperator*. Ex quibus ratione maioritatis concluditur, principatum vniuersum orbis esse apud summum Pontificem, non in Cæsarem, qui filius Papæ dicitur, *de sum. tri. epistola Victor*. 24. q. 8 *conuenior*. & ideo Papa vniuersalem Pastorem omnium populorum se nuncupat, *de re iudica. clemen. pastoralis*: & super omnes asserit retinere ecclesia principatum & magistratum, vt in *prohæmio sexti*: & *extra, de summa trinitate, damnamus*, ad fi. 9. q. 3. *cuncta per mundum*. 22. *di. c. primo*.

Digitized by Google

CAPITVLVM VII.

FAcit & alia ratio. nam pontifex in potestatis plenitudinem est assumptus: hinc est quod semper pallio vtitur, vbi potestas figuratur. *de aucto. & vsu pal. ad honorem*. Cæteri vero prælati & principes sunt in parte non in toto vocati. Si ergo pontifex potestatis habet plenitudinem; ergo non alius alter, cum in solidum duo eiusdem rei non potestas Dominium adipisci, *l. si. vt certo. §. si duobus vehiculis. ff. commo.* Et quod habeat plenitudinem potestatis, ostendit Apostolus, dum inquit: *Nescitis quoniã angelos iudicabitis*: vt *extra qui fi. sint le. per venerabilem. ver. Paulus*. Si ergo pontificibus de Angelis. i. sacerdotibus 36. *di. ca. ecce*. licet aliquid iudicare, quanto magis secularia cuncta negotia iudicabitis: *dicto. c. maximè*. cum ille, qui habet plenitudinem potestatis, omnia habere dicatur, cum adiectione nõ indigeat plenitudo. *6. q. 1. si omnia 96. di. bene quidem ff. de le. l. huiusmodi. §. edas*. & quia si ei est commissa administratio animarum, quæ est ars artium, *de eta. & qua. c. penul.* & quę quidem preciosiores sunt corpore 12. *q. 1. præcipimus. l. sancimus. C. de sacrosan. ec. extra de pe. & remis. cum infirmitas*: quanto ergo magis administratio temporalium, *dicto c. præcipimus*? ex quibus cõcluditur, ius supremi principatus in inferiores esse in sacerdotio, non in imperio seculari.

CAPITVLVM VIII.

QVod sit in sacerdotio, & per pontificem in imperio probatur. Non est dubium, quod pontifex curam habet animarum gregis dominici: vt per verba illa pastoris æterni dicta Petro: *Pasce oues meas*: Io. vl. c. & transumptiue *extra de elec. c. significasti. de maio. & obe. c. solita. C. de sum. tri. epistola inter claras*. Si ergo ipsi est animarum cura commissa; ergo & temporalium & omnium inferiorum, quæ ad vsum hominum sunt comparata, vt vult Philosophus. 1. *Poli*. & probatur in *l. in pecudum. ff. de vsu*. & Psalmista ostendit dicẽs: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. Sed qui habet principale, habet omne ius cõsecutiuum. *ff. de adil. edi. l. iustissime*. Et quia ter agnus ipse cælestis replicauit: *pasce*, oportet intelligi nõ solum de saturatione spirituali rei & exempli, vt Christus fecit. 2. *q. 7. quis ex vobis*. sed etiam de temporali exemplo ipsius Christi, cuius omnis actio est nostra instructio. *de conse. di. 2. c. scriptura*: qui non solum verbo docuit, sed etiam virtute sanauit & corporalibus alimentis refecit 39. *di. §. ecce*. Ex quibus luculenter videtur concludi, & temporalium subiectionem habere pontificem. Hoc confirmatur: quia qui vult necessarium consequens, vult eius antecedens. *ff. de procura. l. ad rem mobilem. & l. ad legatum*: Et qui vnum vult, vult omne per quod peruenitur ad illud *ff. de spon. orat*. Sed si Deus vult pontificem habere curam animarum: & hoc fieri non possit sine administratione temporalium, sine quibus nec spiritualia administrari possunt. 1. *q. 3. ca. si quis obiecerit*. & 32. *q. 2. Moyses*, vult etiam & temporalium, vt dictis iuribus. facit ad hoc 86. *di. fratrem*. & 39. *di. Petrus*. Nam remouetur episcopus qui simplex nescit ecclesiæ negotia secularia administrare. Nam & pontificibus secularium est à iure cura commissa 1. *q. 4. c. quia præsulatus*. Ad hoc facit quia corpus & corporalia ordinantur in animam sicut in finem perfectum: vt probatur in *cle. 1. de sum. tri.* sed papa præest animabus & curis earum: ergo etiam debet participare omnibus corporalibus, quæ sunt ad animarũ finem. Ad hoc quia anima dominatur corpori dominio disposito. i. vero & eo dominio quo dominatur Dominus seruo, aut iumẽto, vt ei non possit resistere: nõ autem dominatur ei illo modo, quo dominatur sensui & potentiæ sensitiuæ: quia illud dominium est sicut dominiũ regis qui dominatur subdito. Et ideo subditus potest regi resistere de facto & ei non parere; & similiter sensus potest esse rebellis & nõ obtemperans rationi *de pœn. di. 1. c. post naufragium*: sed corpus à Deo est sub animæ dominio, vt ei non possit resistere, sicut nec seca instrumentum secantis ipsi secanti. quare sicut pontifex dominiũ habet animarum, sic & pontifex dominari debet temporalibus.

CAPITVLVM IX.

ROborari hæc sententia potest antiquitate & diuturna cõsuetudine approbata. nã Romani Principes diu hanc potestatẽ à summis pontificibus accipere & recipere consueuerũt, ipsis etiã fidelitatis sacramentum præstando, vt 63. *di. tibi Domino*. & *c. ego rex Otto*. & *de iureiur. cle. 1.* sciente & patiente Romano populo. sed talis consuetudo ius præbet. *extra de transl. c. quanto*. item & de ipso ad libitum imperio disponendo: nam ecclesia de Græcis transtulit imperium in Germanos, *extra de elec. per venerabilem. de iur. iur. cle. Romani*. Item & pontifex reges & Impetatores deponit 15. *q. 6. alius. & re iudi. c. ad Apostolica*. Item nullas sententias principis esse declarat, *de re iudi. cle. pastoralis*. quas quidem potestates exercere non posset nec deberet, si ipsi pro prædictis subiecti non essent. Nam ille debet habere potestatem deponendi, qui componendi. Pro hoc, regula iur. *vnum quodque*, vt in *c. 1. de re. iuris*. & quia ille benè dicit qui male dicit; & è conuerso. 21. *di. denique*. Pro hoc, quia leges Imperatorum non sunt supra legem Dei & canonicas sanctiones. vt 10. *di. lege Imperatorum*: nec iudicia ecclesiastica possunt imperiali iudicio dissolui. *d. c. lege*, & c. *non licet*. Pro hoc, quia non decet vt spiritus cedat carni; & quod à terrenis cælestia superentur, vel ab humanis diuina. 10. *di. suscipite*: vbi etiã probatur, quod lege Christi Imperatores sacerdotali subiicit potestati. Ex quibus infertur, principatũ supremum esse in pontifice, non in alio.

CAPITVLVM X.

IStis etiam prædictis annectitur, quia Electores, qui hodie sunt imperii ab ecclesia ipsa susceperũt potestatem, vt *extra de elec. per venerabilem*. quam quidem potestatẽ conferre non potuisset ecclesia, nisi saltim habitu habuisset: quia non confert quis, quæ non habet. *de conse. di. 4. c. quomodo*. Item Electoribus negligentibus pontifex ipse eligit: approbat etiã Cæsaris promouendi, & improbat personam principemque: etiam vngit, examinat, & coronat, vt *d. c. per venerabilem*. Ex quibus ergo infertur,

Digitized by Google

tur, hanc potestatem apud ipsum esse supremum sacerdotem, qui talia confert. Pro hoc, quod ita sit facit quia Christus in sanguine suo fecit pontificem regem & sacerdotes, iuxta illud Petri Apostoli: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* extra *de sacra vnc. c.* 1. Ex quibus infertur, regnum & sacerdotium esse in Christi vicario. Pro hoc quia quæ potest inferior, debet & posse superior: sed imperator potest & habet administrationem vniuersam temporalium, vt *l. deprecatio*, *Digest. ad. l. rodi. de iactu.* 7. *q.* 1. *in apibus.* ergo papa idem debet posse ipsi maior: *de ma. & obe. c. solitæ.* Ad hoc etiam faciat, quia cui maiora, licent & minora: vt in *c. per venerabilem, qui fi. sint le.* 95. *di. illud.* sed papæ omnia spiritualia licent quæ sunt maiora; ergo & temporalia ipsis inferiora. 96. *di. duo sunt.* Ex quibus concluditur, vniuersum orbis imperium in omnibus esse penes orbis summum patriarchã. Pro hoc, quia si ius forte aliquod ante Christi aduentum imperio quæsitum fuit, illud Constantinus transtulit in ecclesiam. 12. *q.* 1. *futuram ecclesiam.* & sic hodie saltim remanet & est in ecclesia non in principe alio seculari, nisi cui per Electores ecclesia confertur dictis iuribus. & hanc sententiam videtur concludere Domini Canonistæ in *c. translato, de consti.*

CAPITVLVM XI.

DE littera etiam *Lucæ* 22. *c.* arguunt, vbi Christo dicente discipulis. *Et qui nõ habet, vendat tunicã, & emat gladium.* Et illis respondentibus: *Ecce Domine duo gladii hic.* Respondit Christus: *Satis est.* Dicunt igitur, per illos duos gladios hæc duo regimina significari, quos discipuli dixerunt esse ibi. i. apud eos. vnde dicunt, quod similiter est hodie apud pontificẽ gladius vterq; & vtraque iurisdictio. Et hoc vult glo. *extra de iudi. nouit.* & in Auten. *quomodo oportet epi.* in prin. licet per illa verba Petro dicta: *Conuerte gladiũ tuũ in vaginã*: de quib. verbis habetur 23. *q.* 1. *in sũma*, dicãt exercitiũ denegato papæ per se immediate, sed per cæsarẽ. facit & est benè notandus tex. *Matth.* 26. *c.* nam dicit, *gladiũ tuũ*, vt detur intelligi quod gladius est pontificis: quia hæc pronomina, *meum tuũ & suũ* significant dominium. *ff. de reli. l. nulla in locũ. l. quintus.* §. *argento, de aur. & ar leg.* not. 8. *di. c.* 1. & 12. *q.* 2. *c. si ergo, in glo.* 1. & sic dominium gladii non videtur velle. Bernardus in. 5. li. de considera. ad euge in quo dicit: *quid tu* in *quid vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es mittere in vaginam? quẽ tamen qui tuũ esse negat, non satis videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuertere gladium tuũ. est ergo tuus, & forsitã tuo nutu etsi non tua manu euaginandus. alioquin & si nullo modo ad te pertineret, non dixisset Dominus ipsis dicentibus Apostolis: Ecce duo gladii hic, satis est, sed potius, nimis est. vterq; igitur est ecclesiæ scilicet spiritualis & materialis; sed is quidem pro ecclesia, ille vero & ab ecclesia est exercendus. ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutũ sacerdotis & iussu Imperatoris.* & verba hæc post hæc omnia scripta, relata cõperi in dicta extra vaganti, *vnam sanctam*, quam demum hoc perfecto opere tantum vidi. vult ergo Bernardus ex his ecclesiam accepisse vtrumq; gladiũ. & hæc verba seu eorũ pars habetur *de iudi. nouit*, in nouella. Et hæc ratio est secundum eos, quare pontifex inungit, examinat & coronat: dicto. *c. venerabilem*: vt gladiũ ab eo recipere recognoscat. Et sic infertur duo hæc esse regimina in Apostolico: & vnum per ipsum in principe, qui ab eo in his dignoscitur dependere. Etiam dicunt hoc ostensum fuisse in magorum oblatione, de qua habetur 36. *di. legimus*, qui obtulerunt ipsi aurum, thus & mirram, ad designandũ ipsum, per thus verum sacerdotem, & per aurum verum principẽ. vnde si Christus rex fuit spiritualiũ & tẽporaliũ: ergo eius vicarius, cui disposuit Christus regnũ, sicut disposuit sibi pater regnũ *Luca* 22. *c.* pro hoc benè facit 96. *di. cum ad verum*, dum dicit quod *Christus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.* non ergo potestatem ipsam, sed potestatis officia: i. exercitiũ separauit. potestas tamen omnis erat apud Christum & Petrum, & sic in successores, licet exercitium sit distinctum & datum cæsari, & quia separare non potuisset si non fuisset vnitum.

CAPITVLVM XII.

AD prædicta firmanda accedat & illud; quia diuina sunt iustorum, & in iustis aufertur regnum & datur genti facienti iustitiam 23. *q.* 7. *c.* 1. & *c. si de rebus.* sed gentiles, vt Romanus populus, erant iniusti, quia sine lumine fidei: ergo eorum regnum datum est merito Christo Iesu aliorũ iustissimo: & deinde sedi eius, *d. ca.* hinc legitur, quod Apostoli causas Christianorum etiam seculares in ecclesia terminabant 11. *q.* 1. *relatum.* quod etiã hodie seruari videtur: quia si secularis iudex est suspectus, ipsi adiungitur episcopus, in *auth. vt in diffi. indi.* §. *si tamẽ, coll.* 9. pro hoc faciat, quia spiritualia tanquã nobiliora vbi temporalibus admiscentur, etiam accessoriè trahunt ad se temporalia, & de ipsis papa disponit etiam in vtroque foro, *extra de iur. iur. c. debitores.* & idem è conuerso: nam ratione spiritualium papa disponit de temporalibus, vt prouidẽdo de matrimoniis, iudicando illa legittima, vel illegittima, disponit de hæreditatibus, *extra qui fi. sint legi. c. quod nobis de clan. de spon. c. cũ inhibitio.* si ergo Papa per consequentiam & de temporalibus disponit, ergo ipsorum est summus iudex sine quibus patens est, quod administratio sibi commissa spiritualium exerceri non potest, 12. *q.* 1. *exemplum Domini*, & *c. habebat Dominus loculos.* & hoc est quod dicitur 1. *q.* 4. *quia præsulatus*, quod pontifex curã gerit etiam temporalium. Ex quibus infertur, quod sicut spiritualium summus est princeps ipse sacerdos, ita etiã secularium, de quibus vel ratione connectionis vel dependentiæ etiam disponit. pro hoc facit, quia quando permissum non potest procedere sine prohibito, quod non licet directo, per consequentiam licet: *C. de iudi. l. quotiens.* Et quia quando aliquid necessario ad positionem alterius venit, quod non directo licet, per consequentiam licet. *l.* 1. *ff. de auct. tuto. ff. de pac. l. si vnus* §. *illud, de vsur. l. si aliena.* §. *hoc videtur de libe. l. si is qui duos in fi.* sed cum sint Papæ commissa omnia spiritualia, ergo & temporalia, quæ, de necessitate in consequentiam veniunt cum sine temporalibus non viuatur, nec spiritualia ministrare possint. vnde ratione dependentiæ Papæ temporalia

Digitized by Google

ſunt commiſſa, licet etiam forte principaliter ipſi eſſent prohibita. ad hoc facit, quia eſt impoſſibile animã rationabilẽ benè dirigi in ſuis operationibus, dum eſt corpori copulata, niſi deſeruiant ei virtutes organicæ: & intellectus non poteſt iuſte operari, niſi deſeruiãt ipſi virtutes ſenſitiuæ: quia noſtrum intelligere eſt fantaſmata ſpeculari, vt in *cle. 1. de ſumma tri.* & habetur 2. & 3. *de anima*, & no. *de conſe. di. 5. c. nihil.* & *c. ſequenti.* Et ipſe virtutes ſenſitiuæ non poſſunt intellectui deſeruire, niſi organa corporea, quibus iungũtur, ſint benè diſpoſita 42. *di. 1.* Et cũ cætera omnia genita ſunt ad ſeruiendũ humano corpori, ideo regulans animas, debet regulare alia cuncta ipſi animæ deſeruientia, & ſic omnia temporalia & terrena, quę ad hominũ vſum ſunt inuenta: *dicta l. in pecudũ, de vſur.* ad hoc facit ratio, quia quandocunque duæ facultates ſic ſe habẽt, quod vna ordinatur ad aliã ſicut ad finem, ille qui principatur fini, debet principari ei quod eſt ad finẽ, vt probatur vi. *dicta l. iuſtiſſime, de edil. edic.* & probant omnia præcedentia iura. Et hæc regula poteſt oſtẽdi in eccleſiaſtica hierarchia, nam cũ ipſa ordinetur ad cæleſtẽ ſicut ad finem, igitur princeps eccleſiaſticæ monarchiæ & eccleſię militãtis eſt ſubiectus principi cæleſtis hierarchiæ & eccleſię triumphantis. *de elec. c. fundamenta militantis eccleſiæ, lib. 6.* Sed facultas rerũ temporaliũ ordinatur ad facultatem ſpiritualiũ ſicut ad finẽ, *9. q. 3. c. ſi quis obiecerit. 32. q. 2. c. Moyſes*, & probat Philoſophus in 2. & 3. *de anima*, & 12. *meta.* ergo ille qui principatur ad facultatẽ temporalium, debet ſubeſſe illi qui principatur in facultate ſpiritualiũ. pro hoc, quia finis imponit neceſſitatẽ his quæ ſunt ad finem ſecundũ Philoſophos. Et hoc eſt quod dicũt iuriſtæ, quod finis trahit ad ſe principiũ *ff. ad munici. l. 3.* not. *16. di. c. quia ſunt, in glo. 3.* & *l. damni infecti. §. ſabini. ff. de dam. infec.* & ſic princeps finis, pro vt eſt papa, qui eſt princeps ſpiritualiũ, imponit neceſſitatẽ principi temporaliũ quæ ſunt ad finẽ. facit *ff. de procu. l. ad rem mobilẽ* & *l. ad legatum*, & Philoſophus 3. & 4. *Ethic.* Ad hoc facit, quia princeps eſt miniſter papæ, quẽ deputauit Deus vt eccleſias contritas atque concuſſas reſtauret, & nouas ædificet, & Dei ſacerdotes veneretur, & contra hæreticos atq; rebelles tueatur: & hæc habentur *de elec. venerabilẽ 63. di. tibi Domino 96. di. c. ſi.* Ex quibus patet quod miniſter eſt pontifex. ſed principalis agẽtis eſt eligere ſibi miniſtros & inſtrumẽta ad finẽ ſuum: & ſic papa ad ſuum vſum debet poſſe ſibi Imperatorem eligere, & corripere, & admonere, & tamquã inferiorẽ excipere. ad hoc *de re. iudi. c. ad Apoſtolicæ, li. 6.* hoc probatur quia fœlicitas hominis ſpeculatiua eſt finis fœlicitatis politicæ, ad quẽ videlicet fœlicitas politica habet reduci, & ordinari. probatur quia ipſa fœlicitas politica nõ eſt vltimus finis & perfectiſſimus hominis, igitur ipſa politica fœlicitas hominis ordinatur in vlteriorẽ & perfectiorẽ hominis finẽ; quia ſicut rerũ ordo in vniuerſo imperfectus ordinatur in magis perfectũ, ſicut in finẽ, vt ſcribitur 1. *Phyſicorũ.* ſic in propoſito, quia nõ eſt perfectior finis hominis quã fœlicitas ſpeculatiua, cũ non ſit perfectior intellectus in homine quã ſpeculatiuus. eſt igitur finis hominis fœlicitatis politicæ ſub fine fœlicitatis ſpeculatiuæ. ſed cũ finis qui non eſt vltimus, ſed ſub vlteriori fine ad ipſum vlteriorẽ finem reducatur & ordinetur, ſequitur quod politica fœlicitas ad fœlicitatẽ ſpeculatiuã ordinetur & reducatur tanquã ad ſuum debitũ finem. hæc eſt ratio & tota intẽtio Euſtratii 10. *Ethy.* ordinantis fœlicitatẽ politicã ad fœlicitatẽ ſpeculatiuã. vnde 10. *Ethic.* Euſtratius vult, quod fœlicitas politica ſit elegibilis propter ſpeculatiuã fœlicitatẽ. vult enim fœlicitatẽ politicam diſpoſitionẽ eſſe & præparationẽ quandam ad fœlicitatẽ ſpeculatiuã. Sed proprius finis papæ, quem intendit per poteſtatem ſummi pontificatus, eſt fœlicitas hominis ſpeculatiua, ad quam ordinatur per virtutes Theologicas. vnde primũ pontificis ſtudium eſſe debet inducere populos ad ſalubrem diuinũ cultum. *Colitur* autem *Deus*, vt inquit Augu. in Enchiridio, *fide, ſpe & caritate.* tales autem virtutes excellunt morales in officio & obiecto, ad quas morales & ad fœlicitatem vitæ politicæ tendere debet finis Imperatoris per poteſtatẽ imperialem. Cum ergo poteſtas imperialis & finis eius ſubordinetur ad pontificalem poteſtatẽ tanquã ad finem eius, ergo poteſtas põtificalis neceſſitat imperialẽ, quæ eſt ad eius finem, vt ante deduxi. Præterea, ſicut intellectus ſpeculatiuus in homine bene diſpoſito præcipit & dominatur intellectui practico, ita poteſtas papalis in mundo bene diſpoſito præcedere debet & dominari poteſtati imperiali. patet: quia bonũ, quod intenditur per poteſtatem papalem, eſt bonũ intellectus ſpeculatiui, cũ ſit illud bonum, per quod maximẽ & principaliſſime Deo coniungimur & vnimur. tale autẽ eſt bonũ intellectus ſpeculatiui, vt exprimit Euſtratius 10. *Ethy.* bonũ autẽ, quod intenditur per poteſtatẽ imperialẽ, eſt bonũ intellectus practici, quod ordinatur ad ipſum tamquã ad ſuum finẽ. ita poteſtas papalis, cuius illud bonũ eſt finis, præcipit poteſtati imperiali, quæ eſt ad finem papalis, & cuius practici ſpeculatiuus eſt finis.

Quod autem intellectus ſpeculatiuus in homine bene diſpoſito præcipiat intellectui practico, ſic patet: in qualibet domo recti regiminis vir præcipit mulieri: igitur in domo mẽtis humanæ, ſi eſt bene diſpoſita, intellectus ſpeculatiuus præcipit intellectui practico. In domo enim humanæ mentis intellectus ſpeculatiuus ſe habet vt vir, qui eſt imago gloria Dei: intellectus autem practicus ſe habet vt mulier, quæ eſt imago & gloria viri, vt vult Auguſtinus in *libro 12. de tri.* exponẽs illud Apoſtoli *vir non debet velare caput ſuum*: & ibi nominat intellectum ſpeculatiuum *partem ſuperiorem*, & practicum *partem inferiorem.* Inſuper ab intellectu ſpeculatiuo Lex imponitur intellectui practico: & quod imponat legem practico intellectui inſinuatur: quoniam ipſe oſtendit quid agendum, quid iubendum, quid vetandum, & cætera alia quæ lege condita continentur. homo vult Auguſt. *libro de veſtra religione*, vbi dicit quod *conditor temporalium legum ſi vir bonus eſt, & ſapiens, conſulit æternam & incommutabilem legem, & ſecundum eius incommutabiles regulas quid pro tempore iubendum vetandumque ſit diſcernit.* ſed conſtat, quod ſolus intellectus ſpeculatiuus conſulere ſufficit æternam & incommutabilem legem, cum ipſa ſit incommutabilis veritas, quæ eſt obiectum ſolius

lius

lius intellectus speculatiui. Iste igitur materialis ordo in homine; vt æterna & incommutabilis Lex primo præcipiat intellectui, qui solus ipsam sufficit intelligere: & iste est intellectus speculatiuus qui præcepta legis æternæ imponit intellectui practico: intellectus autem practicus imponat de cætero aliis inferioribus viribus intrinsecis siue extrinsecis: & ita æterna atque incommutabilis lex interposito intellectu speculatiuo & per ipsius medium præcipit intellectui practico. sed cum bonum intellectus speculatiui sit illud bonum, vt pluries ante dixi, quod intenditur per potestatem summi pontificatus: bonũ vero intellectus practici sit illud bonũ, quod intenditur per potestatem imperialem; sequitur quod, quemadmodũ in homine bene disposito intellectus speculatiuus præcipit intellectui practico, & ei imponit præcepta legis æternæ, ita in mundo bene disposito potestas summi pontificatus præcipere debet potestati imperiali & ei imponere præcepta legis æternæ. Hoc potest sic doceri: Papa habet animarum curam & administrationem, vt supra deduxi, & eius animæ operatio duplex est, est enim operatio intellectus speculatiui, quæ tendit in scire & habere cognitionem veritatis, maxime in contemplatione creatorum. Alia est operatio intellectus practici, & hæc tendit in operando secundum virtutem. & secundum hanc duplicem operationem distincta est duplex vita, contemplatiua & actiua 19. q. 2. c. *duæ sunt*. & in vtraq; cõsistit humana fœlicitas secundum Philosoph. 1. & 9. *Ethi*. & probatur *de pœni. di. 2 caritas*. sed in has fœlicitates Papa solus potest deducere, quia consistunt in anima, & ipsi animarum cura est commissa: ergo hoc ipsum habet respectu intellectus speculatiui & practici. Et similiter hoc dici debet, si attendim' fœlicitatẽ æternæ patriæ, quam consequimur in via per fidem, spem & caritatem, & ex supernaturalibus, secundum Theologos. & fidem hanc solus potest Papa concedere, qui solus claues suscepit vt soluat & liget 21. *di.* 3. *nouo*. Potest & hæc sententia sic doceri: inferiora hæc, vt dixi supra in principio tertii argumenti, debent regulari ad instar superiorum, cum ad imaginem Dei creati sumus 33. *q.* 5. *c. hæc imago*. sed quemadmodum illa superna machina mundi semper bene disposita sic regitur per suos rectores, quod motor immediatus post Deum mouet ad motum & imperium Dei. nam intelligentiã mouens primam speram orbem stellatum, qui est primus motor appropriatus in mouendo, respicit summam intelligentiam, quæ Deus est, ad nutum eius mouet. Motor vero orbis Saturni, qui est secundus in ordine, in mouendo respicit ad motorem primæ speræ, & ad nutum eius mouet secundum exigentiam dispositionis eius. Et si esset possibile, quod intelligentia orbis Saturni esset aliquo modo obliqua siue inordinata, haberet ab ipso motore primæ speræ ordinari & dirigi. sic, inquam, in machina ista inferiore bene duntaxat disposita primus motor & primus rector erit summus pontifex, qui immediatus cæteris respicit seu respicere debet voluntatem diuinam ad legem eius æternam; & secundum nutum eius mouet ex potestate summi pontificatus intendens nos viuere Deo secundum illud quod est in nobis optimum. Secundus autem motor erit Imperator, qui videtur debere mouere ad nutum summi pontificis, vt secundum exigentiam boni, quod intenditur in nobis per potestatem summi pontificis, fiat in nobis dispositio bona per potestatem imperialem. & hæc est bonitas virtutum moralium intenta per leges imperiales. Hæc autem moralis bonitas est dispositio bona ad bonitatem virtutum Theologicarum. Ex quibus videtur quod, quẽadmodum suprema perfectio præcipit dispositionibus ordinatis ad ipsum, ita potestas papalis præcipiat potestati imperiali, quæ subordinatur ad papalem tanquam ad finem. hoc probatur, quia sicut in superiori hierachia est ordo duplex. est enim ordo corporum cœlestiũ, & est ordo intelligentiarum. Corpora autem cœlestia inferiora primæ speræ reducuntur ad primam speram, quæ primũ mobile nuncupatur: quod mobile primum mouet, vt dixi, ad nutum summi Dei, & cætera corpora cœlestia deducuntur ad ipsam primam speram; vt similiter in ordine intelligentiarum est deuenire ad primam intelligentiam, à quo cæteræ dependent vt à principio finali & effectiua 88. *di. ad hæc*, & *de pœni. di.* 4. *c. in domo*. sicut ergo singula corpora cœlestia reguntur à propriis intelligentiis, & singulæ intelligentiæ dependent à prima; & sicut tota machina superior respectu corporum & intelligentiarum dependent à prima intelligentia, quæ fuit & est creatrix omnium: sic igitur debet concludi in hac monarchia terrestri, in qua sunt corpora, & sunt animæ regulantes & regentes, corpora, vt ipse animæ incorporales: & ipsa corpora reducantur ad vnum, qui sit regulator corporaliũ & incorporalium, & à quo dependeat tota machina inferior: Et iste debet esse ille qui est regulator animarum rationabilium. & sic pontifex, qui regat animas & corpora & omnia corporalia & per consequens imperiũ: & si contingat ipsã imperialẽ potestatẽ obliquari vel inordinari in sui administratione officii, debeat per potestatẽ papalẽ reordinari & emendari: & si inemendabilis est, mutari, alienari & tolli, sicut patet, cum recte potestas imperialis de Græcis fuit trãslata in Germanos, *extra de elec. venerabilem*. Ex quibus manifeste insinuatur, Cæsarem à pontifice dependere. igitur recte dicitur, quod pontifici data est potestas terreni & cœlestis imperii 22. *di. c.* 1. & sicut Christus est *princeps regũ terræ*, vt in Apoca. scribitur, ita Papa eius successor debet iuste dici princeps regum terræ. hoc potest etiam sic doceri: homo, qui dicitur minor mundus, & ideo dicitur Microcosmus secundum Philos. 6. *physicorum*, habet animam intellectiuam, quæ omnes actus corporis & animæ & cunctos alios dirigit & regulat iuxta varietatem potentiarũ suarum: nã speculatiua speculatur, ratiocinatiua ratiocinatur, volitiua potentia dirigitur in bonum. & has operationes non potest anima, nisi subministretur à virtutibus organicis & corporeis, quas tamen regulat anima rationalis, quia voluntas imperat membris circa executionem cuiuscunque assequendi, ipsa anima remanente libera 33. *q.* 3. *vas iræ*. Ergo per actus prudentiæ anima circa quæcũq; corporalia apprehendenda vel respu-

Digitized by Google

enda regulas tradit, & inuenit media in prosequendo & fugiendo. & omnem processum circa corporalia regulet & gubernet ipsa anima rationalis in ipso paruo mundo. Sic & in magno mundo, id est, in orbe terrestri, dicimus quod Papa, qui est animarum ductor, regulet etiam terrena & corporalia ipsis animabus deseruientia.

CAPITVLVM XIII.

SAcerdotium etiam quod habeat omnium principatum, vltra etiam ostenditur. nam res quæ ad aliquod esse deducitur per specificatem, in ipsius est specificantis Dominio si ex aliena specificetur materia, dummodo non reducibili ad pristinam formam *l. adeo. §. cum quis. ff. de acquir. re. do.* Sed Deus æternus mundũ hunc sensibilem ex nihilo creauit, vt legitur *Gen. 1. c. & ex de sum. tri. c. 1.* prout ibi dicitur *creator omnium, & de pœni. di. 2. c. principium, de conse. di. 2. panis.* & sic specificationis ratione dicitur Dominus, hoc est quod dicitur in Psal. *Domini est terra & plenitudo eius,* ibi; *Quia ipse super maria fundauit eam.* & est pro hoc: *quia sine ipso factum est nihil,* Io. 1. Item ipse Deus, sicut orbis factor mundum ipsum per se regit, spiritualia & temporalia ministrãdo, sicut & quilibet rei suæ Dominus suam rem gubernat & regit. igitur vt minister mundi homini, quem fecit, præceptum imposuit: *Ex omni ligno comeditis:* & est Gen. 3. c. & dum dixit Adæ: *Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo.* Mulierem etiam puniuit dum inquit: *multiplicabo ærumnas tuas* &c. de pœni. di. 1. c. *serpens,* ibi: *quam indicabilis sibi* &c. Itẽ & per se ipsum puniuit Caym, *de pœni. di. 1. c. & venit,* & Lamech puniuit, & quosdam alios transgressores tanquam ordinarius Iudex compescuit temporaliter, vt *Gen. 7. & 5. c.* mundumq; sic regit vsq; ad Noe. Ipse vero Noe constitutus est à Deo rector populi, q; patet, quia ipsi Domin' gubernationẽ archæ permisit, *Gen. 6. c.* in qua figuratur ecclesia *24. q. 1. quoniã.* & hic primũ per ministros Deus ęternus mundũ regit. Ipseq; Noe vt princeps legẽ subditis dedit, quæ potestas non nisi principi competit *l. 2. §. hoc autem C. de vete. iur. enucle.* Et licet non legatur Noe fuisse sacerdotem, tamen officium sacerdotis exercuit, antequam leges populo daret, *Gen. 8. c.* Ædificauit enim primum officium sacerdotis, quod ante habuit Caym Abel, & in hoc demum dominio & administratione successere deinceps patriarchæ, qui erant iudices & sacerdotes, vt Moyses & Aaron. *22. di. sacrosancta versi. sed in veteri 26. di. ca. si. in princi.* Et quod Moyses à Deo constitutus fuerit Dominus temporalium & spiritualium, probatur. nam ibi inquit Dominus: *Maleficos non patiaris viuere: Exod. 26.* & habentur *23. q. 5. §. huic apparet. in princi.* & *§. non si non licet,* & *de pœni. di. 1. c. periculose in glo.* & *de pœ. di. 2. §. Item obiicitur quod de Moyse.* Item ipse fecit iudiciũ de principibus populi, quos in patibulo suspendi fecit contra solis ortum, & interfici fecit viginti tria milia: *Numeri 33. facit 23. q. 3. §. quod autem,* & *45. di. de pœ. di. 2. §. Item opponitur de Moyse.* Item in montem ascendẽs Moyses inquit senioribus populi: *Habetis Aaron vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eum,* Exod. 23. c. & quia non reperitur ipsum Deum constituisse generalem Dominum super cũctos populos nisi sacerdotes & prophetas, vt dixit Isidor. li. 7. *Etymo.* & habetur *21. di. cleros versi. si pontifex vsq; ad Christum.* Christus vero, qui fuit naturaliter & vere Dominus & Rex noster, iuxta illud: *Deus Iudicium tuum regi da. 93. di. Dominus noster,* ipse vicarium constituit Petrum & successores, & quando claues ipsi dedit regni cœlorum, terq; dixit: *Pasce oues meas. C. de sum. tri. & fide cat. ca. epistola inter Claras:* & sic etiam omnem potestatem temporalium, quam fuisse in exercitio ideo est ante probatum. hinc est quod, vbi necessitas imminet, pro temporalibus ad Papam recurritur; siue sit necessitas iuris, quia alius non sit Iudex; siue de facto, siue iudices minores non possint, aut non velint, vt *extra qui fi. sint legi. c. per venerabilem, de foro compe. licet ex suscepto, & c. ex tenore.* & hoc, idẽ si vacat imperium *d. ioribus.* Ex quibus concluditur, dominium omnium esse & fuisse in Deum & successione in Petrum: eiusq; potestas & alios ab ipso in ipsis dependere. & hoc videtur de sententia Inno. eximii Doctoris & Papæ, *extra de fo. compe. licet ex suscepto:* pro quo facit, quia sacerdos Dei personam in ecclesia gerit, *de pœni. di. 3. c. sceleratior. §. huius ita versi. sed & quem.* Et cum Christus habuerit potestatem à patre communicatam sibi per actum generationis, de qua Apostolus ad Hebræos primo dicens: *Locutus* est, inquit, *pater in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula.* quæ licet possint intelligi de Christo scil. diuinitatem, humanitas tamen Christi etiam habuit ipsam potestatem vniuersalis dominii à Verbo per actum hypostaticæ vnionis, vt quemadmodum ratione vnitatis essentiæ verbum possidet potestatem, quam habet à patre paterno & hæreditario iure, ita ex vnione personali humanitatis Christi ad eius diuinitatem ipsa natura humana in Christo potestatem & iurisdictionem, quas habeat super omnes vniuersaliter creaturas & hæreditatem ipsam iure personalitatis diuinæ habeat: licet Papa longe alio & inferiori modo potestatem sibi concessam à Christo homine, à prædictis modis, dictis de Christo, possideat ipsam, cum tanquam legatus habeat eam, vt patet per Apostolum dicentem: *Legatione fungimur* &c. Et hanc ipsam sententiam voluit etiam Haymo ibidem in glo. in verbo, *constituit hæredem vniuersorum, hoc est, totius mundi seu omnium creaturarum, non tamen secundum diuinitatem, qua coæternus est patri & coæqualis illi in omnipotentia & deitate, in qua æternaliter ipse possidet omnia cum patre: sed potius secundum humanitatem à verbo sumptã constitutus est ille Dominus & hæres super omnem creaturam, sicut ei Deus pater promisit dicens: Postula à me & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Si ergo Christus secundum humanitatem habuit vniuersale dominium, ergo & Petrus & successores, cui disposuit ipse regnum, sicut disposuit sibi pater regnum.

CAPITVLVM XIV.

COadiuuatur & hæc scientia rationibus aliis. nã & natura perfecta redarguit homicidiũ & adulterium Dauid. si ergo de temporali administratione sacerdotis reges corripiunt, *de pœni. di. 1 c. si Agap.* ergo in ipsis regibus præsunt. pro hoc, quia Samuel Agap pinguissimum regem Amalech in frusta concidit: & Daniel iudices à populo constitutos de falso testimonio conuicit, & conuictos damnauit *2. q. 7. §. Item Daniel.* pro hoc etiam, quod legitur *primo Regum,* quod Samuel Saul

Digitized by Google

[illegible] inthronizauit, & deinde deposuit. Si ergo sacerdotes habent potestatem constituendi reges, & regna in alios transferendi 15. *q.6.c. Alius*: sic & summus noster pater humilis antistes accipere & trāsferre. pro hoc, *de re iudi. c. ad Apostolica lib.6*. Et quia imperium de Græcis illis priuatis transtulit in Germanos, *de elec. c. venerabilem*: quam trāslationē necesse habes iuridicam dicere, aliàs omnes post Karolum filium Pipini, cuius tempore hæc fuit facta translatio, oportet te negare nostros habitos Cæsares in Germania fuisse Augustos: quod nephas arbitrari puto. Dicendum est igitur, translationem illam valuisse; & sic concedi oportet, quod disponendi potestas de Romano imperio est principaliter in sacerdotio: quia potestas Papæ cuiuslibet ordinis dignitatem & gradus habet instituere 22. *di. c.*1. ipsam vero solus Christus fundauit, & super Petram fidei mox nascentis erexit. Et beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperii iura commisit. hoc etiam mysticè figuratur. Nam de femore Iacob duo hęc fluxisse regimina non negamus. nam fuit Leui, & Iudas; quorum alter Leui sacerdotii antistes 1. *di. & purgabit*; alter alius temporalis regiminis pater: sed sicut se habuit Leui ad Iudam, ita se habet sacerdotium ad imperium: sed Leui præcessit Iudā natiuitate & auctoritate. ergo & ecclesia imperium præcedit in auctoritate. facit 10. *distin. c. lege imperatoris*. & 96. *si Imperator*, & *C. duo sunt*.

Capitvlvm XV.

FIrmant & hoc potestatem omnem secularium etiam esse penes summi piscatoris successores per verba Cœlestis immaculata, relata mugitu bouis euāngelici 22. *c.* vbi inquit discipulis suis: *nunquid quando misi vos sine sacculo & pera, aliquid defuit vobis?* & respondentibus, *nihil*. iterum dixit: *Nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium*. In quibus verbis dicunt paupertatem iniunctam Apostolis *Matth.* 10. *c.* hic fuisse relaxatam, & per hæc verba ipsis temporalia fuisse concessa, informans Christus discipulos, non eandem esse viuendi formam tempore persecutionis, vt pacis. & hoc videtur velle Beda super illo verbo Lucæ in originali: forte asserens in Matthæo dicta, fuisse ceremonialia, quæ quidem non sunt de perfectione euangelica, cū ipsa moralis esse noscatur. quod idem sentire videtur August. contra Adimatum, dicēs, quod *omnia ista, quæ referente Matthæo fuerunt imposita, spiritualiter sunt intelligenda, ne ipse Dominus contra sua præcepta fecisse videatur, qui etiam loculos habuit, vbi pecunia ad victum necessarium portabatur*. 12. *q.*1. *habebat Dominus loculos*. innuit etiam ibidem, dicta ipsa Matthæi fuisse permissiua, non præceptoria, dū subiungit August. *Non autem iussa sed permissa est, & sic saluatur illud quod Paulus Apostolus manibus victum quæsit*. Ex quibus concluditur, à Christo clericis temporalia fuisse concessa, & secus asserentem in hæresim dicunt incidere Manichæi, qui damnabāt temporalia possidentis; & in hæresim Apostatæ Iuliani. Si ergo discipulis à Christo permissum est Dominium temporalium, igitur pontifex, qui cunctis præerit, etiam summus erit tenentium temporalia.

Capitvlvm XVI.

POtestatem hanc in sacerdotio esse probatur & aliter. Nam si pontifex summam non haberet potestatem temporalium, ergo pro ipsis alteri foret subiectus: quod est falsissimum. nam Papa, præterquam de hæresi, nulli iurisdictioni alicuius pro aliquo crimine vel temporali negotio subiectus est. 93. *di. c. satis euidenter*. nec potest ab aliquo de alio crimine temporaliter puniri 11. *q.* 3. *nemo, & c. aliorum*, cum multis similib. antecedens probatur: quia omnia, quæ sunt vnius generis, oportet vt reducantur ad vnum, quod est in mensura quæ sub ipso genere sunt, vt vult philosophus 3. *phys.* & sic reduci ad vnum oportet tanquam ad mensuram omnium: quia in habentibus ordinem essentialem in vniuerso, à quo omnia habentur, est necesse deueniri ad vnum principium, à quo omnia dependeant; & ideo demonstratur vnus Deus, à quo dependet cœlum & terra & tota natura. *de sum. tri. c.*1. & *l.*1. *C. de summa tri.* & Philosophus 12. *metaphi.* & hoc probatur *Canone* 23. *q.* 4. *c. duo ista nomina* & *ff. de verb. si. l. pronunciatio* §. *familia*, ibi: *sub vnius potestate* & *ver. pater*, & *C. de veteri iure enu. l.*1. Item quando aliqua plura ordinantur ad vnum, necesse est vnum regulare; alios regulari vel regi, vt vult Phil. in suis *Politicis* & probatur in iuribus proximè allegatis: & si aliter diceres, esset dare, quod Papa nullum ordinem respectu temporalium haberet ad alios homines scil. melioritatis vel inferioritatis, & esset acephalus. Contrà notatur in *c. nulla* 93. *di.* & 18. *q.*2. *abbatibus*. Si ergo, quod ante dixi, sic est, & Papa etiam respectu temporalium non est reducibilis ād imperatorem, vt supra in principio ostendi, nec in temporalibus sit à Cæsare Papa regendus, necesse sequitur quod ipse pontifex etiam temporalibus præsit, & ad ipsum imperator reducatur, & ab eo regatur; non econuerso. pro hoc bene faciunt iura, quæ dicunt Papam deponere principem, *de re. iudi. ad Apostolicæ*: 15. *q.*1. *alius*. facit ad hoc optime 96. *di. duo sunt*, ibi *Nostis itaque inter hoc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem* & eadem di. c. *si Imperator*, ibi, *discere conuenit non docere*. pro hoc: quia si aliter ista à spiritualibus essent separata, iam non essemus omnes vnum in Deo, contra Christi verba dicentis: *volo pater vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus*. vt de trini. c. *damnamus*: debet ergo, vt omnes vnum simus, esse vnus omnibus & in omnibus præeminens propter vnionem indissolubilis caritatis, *de summa tri. damnamus*, quæ vnitas non esset, si alteri temporalia, alteri spiritualia diceres fore commissa.

Capitvlvm XVII.

HÆc validius sententia patefit: quoniam Christus fuit Dominus terrenorum & Iudex, vt in Psal. *Deus iudiciū tuū regi da*, & habetur 93. *di. Dominus noster*: & no. Inno. *de voto & voti redem.*

Digitized by Google

c. *quod super his ad prin. magna glo*. & probatur in cantu Ecclesiæ in festo Epiphaniæ, dum dicitur in introitu missæ: *Ecce aduenit dominator Dominus, & in manu eius potestas & imperium*. ergo & Papa vicarius eius, cui disposuit Christus regnum, sicut disposuit sibi pater regnum: *Luc. 22. c.* Antecedens etiam ostenditur: nã sicut Christo in summo omniũ principe fuit simul diuinitas & humanitas 23. *di. qui episcopus*, & *extra de summa tri. c. 1. §. 1.* ita fuit dominiũ tẽporale & spirituale in eo. & hoc est quod scribitur ad Hebræos 1. c. *Constitutus est Christus heres uniuersorum*. & ipsa veritas de se inquit: *Ego Dominus & nullus præter me*, & *meus est orbis*. & *Domini est terra & plenitudo eius*: *ut 8. di. quo iuris*, & *extra de deci. c. tua nobis*. Et quia dominia sunt iustorum, 23. *q. 7. c. 1. & 2.* Nam labores impiorum iusti edunt, & regnum auferetur iniustis, & datur genti facienti iustitiam: *dicto c. 1. & 2.* Quod ostenditur in primo parente, cui ratione suæ innocentiæ datum fuit dominium vniuersi, *Gen. 1. & 2. c.* Quanto ergo magis dominium habuit hoc Christus aliorũ innocentissimus, & parenti quippe primo maior, quẽ sanctificauit pater, & misit in mundum, & cui dictum est: *Dabo tibi gentes hereditatem tuã*, quoniam constitutus est *Dominus hominum & angelorum*, de quo Io. 6. c. dicit quod ei *data est potestas iudicandi corpora*. si igitur Christo data est potestas iudicandi vniuersam carnem ex sua innocentia naturali, & vniuersæ carnis habuit principatum, sic & successor eius pontifex Christi vicarius corporalium & terrenorum, item & spiritualium erit Dominus, cui commissum est regnum Christi, sicut Christus habuit ipse regnum, *di. c. 22.* Pro hoc, quia ipsorum spiritualium & temporalium Deus fuit creator, *de summa tri. c. 1.* ergo ratione specificationis est Domin' *l. adeo §. cũ quis, de acqui. re. dominio*. Pro hoc quia veniens in mundum & ponens animam suam pro redemptione totius humani generis, nos de dominio diaboli eripuit & potestate, sub quo eramus, *de pœni. di. 2. c. princeps vitiorum*: & in suo Dominio vendicauit, *de pœni. di. 4. §. duæ sunt*. & *§. hanc societatem*. ergo vicarius eius hoc habet dominiũ, & non alter. cum duo in solidum eiusdem dominii esse non possunt *l. si. § si duobus vehiculum ff. cõmo*. Et quod Christus Rex & sacerdotes fuerit ostenditur primo in eius incarnatione. II. in eius conuersatione. III. in eius passione & IV. in eius resurrectione. Ex eius in carnatione: quia ex tribu regali traxit originem secundum carnem. ideo dicit August. in *li. de concordia euangelistarum*: quod quia Christus futurus erat Rex: propheta: & sacerdos: ideo diuina prouidentia facta est vt tres euangelistæ qui Christum quantum ad humanam naturam assumptam notificare sumpserunt: hoc ordine inciperent: quia Matthæus incepit à semine regali, dicens: *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid regis*: Marcus vero à vaticinio propheticiali dicens: *Initiũ euangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia propheta*. Lucas vero incipit à sacrificio sacerdotali dicens: *Fuit in diebus Herodis sacerdos quidam nomine Zacharias*. item ostensum fuit eum regem in conuersatione sua, dum Christus dixit: *Quid tibi videtur Petre: reges terræ à quibus recipiunt tributum: à filiis an ab alienis?* Et Petro respõdente: *ab alienis*: Conclusit sic Christus: *ergo filii regũ liberi sunt*. Super quo dicit Hieronymus: quod *Dominus noster & secundũ carnem & secundum spiritum filius regis erat: quia secundũ humanitatem ex Dauid stirpe erat: secũdum diuinitatẽ erat Dei omnipotentis verbũ*. ostensum fuit etiam in eius passione, quãdo intrauit Hierusalem, populi sternebant vestimenta sua, & idẽ de tertio scriptũ est Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullam eius*. Et Pilatus spiritu sancto dictante, posuit titulum cruce: *Iesus: Na. Rex. Iu.* Item potestas regalis ostensa & post resurrectionem, cum diabolum spoliauit, & multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo.

Capitulum XVIII.

Coadiuuatur præcedens conclusio: nam Christo *data est omnis potestas in cœlo & in terra* Matth. vlt. c. *ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Nam in hoc mortuus est Christus, vt dominaretur viuis & mortuis 93. *q. 1. in summa, extra de homicidio c. 1. li. 6.* in nouella, in verbo *gregẽ*. quod quidem est intelligendum, nedum secundum diuinitatem per æternam generationem ex patre, per quam est æqualis patri, verum etiam secundũ humanitatẽ, secundũ quã resurgẽdo à mortuis gloria & honore coronatus est vnde Beda super ipso verbo: *Data est mihi omnis potestas*, inquit: *nõ enim hoc de coæterna patri diuinitate, sed de assumpta loquitur humanitate qua suscipiẽdo minoratus est paulo minus ab angelis: & in qua resurgẽdo à mortuis gloria & honore coronatus est & cõstitutus super operam manuũ patris, & omnia subiecta sunt sub pedibus eius, vt etiam ipsi secundũ humanitatẽ subiectæ essent angelicæ potestates*. quod declarat Apostol' ad Ephe. 1. inquiens: *Suscitans illũ à mortuis & constituens ad dexteram suã in excelsis super omnem principatum, & potestatẽ, & virtutẽ, & damnationẽ, & omnẽ nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius*. quæ quidem ipsi ab instanti conceptionis concessa fuisse credendum est. Nec obuiat quod videtur dicere Apostolus. quod hæc habuit ex merito passionis, & post resurrectionẽ: quia hoc debet intelligi per manifestationem, vt quod ante ignorabatur, post passionem fuerit manifestum. & hoc vult glo. Augu. super illo verbo Apostolico: *Donauit illi nomen, ante resurrectionem*, inquit, *hoc habuit, sed post resurrectionem quod erat in euidenti positum est, vt scirent homines & dæmones*. habuit enim, Christus ex hypostatica vnione. vnde cũ primum vnio facta est, habuit ius dominandi quod æternaliter habuit verbũ ex æterna generatione à patre. vnde Io. in Apoca. de Christo inquit, quod est *princeps regum terræ*. hinc est quod ipse vt & temporalium & spiritualium Dominus, dum in mundo fuit, vtrãq; exercuit iurisdictionem. Nam non solum eloquio increpans. verum facto flagello de funiculis verberans omnes vendentes & ementes ex templo eliminauit 1. *q. 3. c. ex multis*, & *c. vendentes*, cum sequẽtibus *c. & sic imperiali vsus est gladio*. Item & sacerdotali vsus est, cũ se ipsum hostiã præbens discipulis dixit: *hoc est corpus meũ*, de con. di. 2. *sacerdos*, & de sũma tri. c. *firmiter*. §. 1. si ergo Christus fuit vtriusq; iurisdictionis sũmus princeps: nã ipse est ille lapis sine manib. abscissus, qui statuã percus-

Digitized by Google

sit in pedibus, in qua statuæ illæ quatuor sunt monarchiæ figuratiuè Assyriorum, Persarum, Græcorum siue Macedonicorum, ac Romanorum *Dan. 2. c.* Et est notandum, quod eam percussit in pedibus, quia sicut hominis pes vltima pars est, sic Romanorum monarchia vltima fuit, quam Christus percussit, id est, reprobauit, & sibi ratione iusti dominii assumpsit, quod etiam ostendit, quia coram Pilato se semper regem fecit: nec negauit. & Pilatus etiam dictante spiritu Sancto in titulo crucis eum regem fecit: nec hoc moleste ferentibus principibus sacerdotum, veram illam de Christi titulo sententiam amouit. ergo sub sui potestate fuit terrenum imperium & imperator. pro hoc, *de re. in. cle. pastoralis.* nam Christus fuit *Rex regum & Dominus dominantium* Et si fuit Imperator, etiam est, sub potestate Christi. ergo & eius vicarii, quem loco suo constituit principem & pastorem, cum eidem ter dixerit: *Si diligis me, pasce oues meas.* Io. vltimo. c. & transumptiuè. *C. de summa tri. Epistola. inter claros, extra de elec. c. significasti. de ma. & obe. c. solitæ.* Sed absit, quod Imperator non sit de Christi ouibus, nec de grege Petro commisso, cum extra ecclesiam non possit eligi Imperator 23. *q.* 8. *conuenior*, ibi: *Imperator intra ecclesiam est.* & iterum ibi, *si vis diutius imperare, esto Deo subditus.* & in auten. *de non alienan. in §. petit, collat* 2. Si ergo Imperator est de grege Petro commisso, ergo est sub potestate successoris Petri eius nauiculæ exercitoris atque remigeri. pro hoc facit, quia virtutes Theologicæ participantur virtutibus cardinalibus secundum doctrinam Apostoli. Et ideo principatus, qui regitur secundum virtutes theologicas, quæ sunt, fides, spes, & charitas; & qualis est principatus Papæ & spiritualium, debet principari illi principatui, qui regit scil virtutes cardinales, qualis est temporalium principatus, vt imperatoris.

CAPITVLVM XIX.

NE prolixius iura hæc extendam, ad conclusiuam finalem rationem istorum descendo. certum est imperatori electione quæri iura imperii 93. *di. legimus.* sed Electores potestatem habent hãc ab ecclesia, *extra de elec. venerabilem.* ergo ab ecclesia iura imperii consequitur imperator: & sic à Papa, qui est ecclesiæ caput 9. *q.* 3. *aliorum.* Item certum est, quod Electores & ecclesia sunt de familia & ouibus Christi: aliter nõ essent electores. Item sunt in dominio Christi subditi & subiugati; quoniam eidem in baptismate fidem & obedientiam promiserunt, propter quod de Dominio diaboli erepti sunt; & ipsi Domino vendicati *de con. di.* 4. *c. postquam,* & *c. sicut nostis,* cum se. ergo sine Christi licentia vel eius vicarii alterius se Dominio obligare non possunt. pro hoc, quia promissa in baptismate non possunt resoluere, *de con. di.* 4. *c. celebritatem facit, de prohibi. feu. alie. c. imperialem* §. *præterea*; ad fi. pro hoc, quod scribitur *ff. de noui. ope. nuntia l.* 1. §. *& post operis.* Si ergo non possunt se alterius obligare dominio; ergo sequitur, quod nec imperatorem sibi eligere possint absq; Dei licentia vel eius vicarii. & hoc est quod scriptũ in euangelio reperitur, quod filii hominis liberi sunt & à tributo immunes, quod probatur 23. *q.* 8. §. *ecce.* ibi: *tanquam filii summi regis in omni regno liberi sint.* Et si Christ⁹ soluit, fecit ne scandalisarentur, vt scribit August. ad Pollentium, & habetur 28. *q.* 1. *c. iam nunc ver. vnde cum ipse,* cum tamen ante dixit, *cum filii hominum liberi sint.* Matthæi 17. c. & dum Matthæi. 22. c. subdit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,* ostenso sibi prius numismate insinuauit, quod ipsi qui se cæsari voluntariè obligauerant, ad solutionem tributi teneantur Sed cum adueniente Christo facti sumus de ouibus & dominio Christi, nõ possumus ab eius dominio separari; vel alterius nos dominio obligare sine licentia ipsius Christi vel eius vices gerentis in terris: quia Christus dixit: *Fiet vnũ ouile & vnus pastor*: & sic voluit pastorem vnum esse non plures: sed Petrum loco sui pastorem fecit, cum sibi dixit: *Pasce oues meas*: quia & ipse pastor fuit cum de se dixit: *Ego sum pastor bonus*: ex quo sequitur, quod si quid dominii hodie Cæsar habet, illud suscipiat auctoritatẽ & permissu æternæ vitæ clauigeri, sub cuius etiam Dominio sunt qui Cæsari se subiiciunt: ex quibus per hæc ab ecclesia Imperator vt inferior noscitur dependere. Et si secus diceres, esset ecclesiam in temporalib⁹ diuidere, & ab initio Christi pastore segregare, & plures principatus ponere: quod est hæreticum: 24. *q.* 3. *c. quidam ver. Cerdoniani,* & corpus vnum ecclesiæ mysticum ex clericis à dexteris diuina tractantibus, & ex laicis à sinistris temporalia ministrantibus, cõtra Christi votum, qui vult ecclesiæ vnitatem 7. *q.* 1. *Nouatianus* 24 *q.* 1. *loquitur,* cum similibus iuribus plurimis. Et hanc partem videtur determinare Extrauagans Bonifacii octaui, quæ incipit: *vnam sanctam,* quæ est sub titulo *de sum. tri.* quam opere perfecto hoc demum vidi.

SVMMARIVM.

Cæsarem Romanum præ omnibus à Deo dominium hoc seculare & ciuile, coherctionesq; corporales, & non à Pontifice Summo recepisse: neq; Imperium temporalium esse in Sacerdotio, nec esse posse; neq; etiam Christum hoc habuisse, sed illud potius noluisse & abnegasse; neq; nauiculã suã alicui exercitori vnquam commisisse, sed potius ademptum, tantumq; permissum, vt ipse Christus loculos habuit, in quibus habitum ciuilis dominii per Ecclesiam futurum habendi designauit, quantum diuinus cultus non deseriretur inopiâ.

CAPITVLVM XX.

HÆc sunt, quę hi referunt seu referre possunt, concludentes, totius orbis magistratũ apud Christum fuisse summum regem & cognitorem spiritualium & secularium causarum: & deinde in Petrum successoresq; eius Christi vicarios: Astruentes etiam Romanum cæsarem in ipsorum secularium cognitione ab ecclesia dependere, vt artifex inferior ab architectore & in hac sententia vltra Doctores sacræ Theologiæ plurimos, & fere opinione excellentissimos decretorum do-

Digitized by Google

leo fuisse virum maximæ sapientiæ Bartolum in quodam commento, quod edidit super extrauaganti *ad reprimendum* edita à fœlicissimo Augusto Henrico præauo Sigismundi nostri gloriosissimi Monarchæ: in quadam Apostilla quæ incipit: *Totius orbis*, & in *l.1.ff. de requi. re.* Mihi vero ipse, qualis cum his communis sententia sit, qualis aduersa, refero, & absit quod abnegem, Christum Dei filium & summum redemptorem non habuisse omnem potestatem & diuinum Dominium in cœlo & in terra: ipsumque non vnam ecclesiam constituisse, & non vni soli eius vicario curam sui dilectissimi gregis commisisse, in quo etiam grege sit, esseque debeat gloriosissimus imperator à Christi ipso vicario dependens in prædictis, vt filius & inferior. Illud vero ipsum nego, seculare seu ciuile dominium inferiorum terrenorum omnium, secularemue ipsorum potestatem & coercionem, apud Dei (inquam) filium, vt Christum & hominem extitisse: sed assero potius, Christum illa abnegasse & noluisse: nec exercitori alicui nauiculæ suæ per ipsum fuisse commissa: immo ipsis potius adempta tantumque permissa, vt ipse Christus loculos habuit, in quibus habitum ciuilis dominii per ecclesiam futuram habendi designauit, quantum diuinus cultus non desereretur inopia. Et hæc vult Augu. vt habetur 11. *q.1.c. habeat Dominus loculos.* Humana igitur iura ipsa, potestatesque seculares & coertiones Deus æternus per imperatores seculi distribuit generi humano, vt vult Augu. super Ioh. & habetur 8. *di. quo iure.* & sic per Augustum Cæsarem, qui in his omnibus superior & nullo in ipsis noscitur dependere.

Capitvlvm XXI.

SEd quod Christus dominium hoc potestatemque à se abdicauerit, nec habuerit, ostenditur dũ inquit: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq. decertarent vt non traderer Iudæis*, Ioh. 18. & transumptiue 23. *q.3. in summa.* In quibus verbis Christus insinuat, quod eius non est ciuile & seculare regnum. à quibus secularibus regibus, Deo ministrante, & eorũ legibus ciuilia Dominia & seculares potestates processerunt, vt inquit, Aug. super Ioh. & habetur 8. *di. quo iure.* Diuinum autem habuit dominium: sed diuinum Dominium nil habet proprii, sed omnia sunt communia. nec ibi est dare meum, nec tuum: sed omnes Deus de limo terræ fecit: & omnes vna terra supportat, vt ibi: nec in eo sunt necessariæ potestates seculares, quæ sunt positæ ad vindictam malorum, laudem vero bonorum *de maio. & obe. solita.* Cum meo & tuo postposito, omnis tollatur de medio contentio 12. *q.1. dilectissimis.* Fuit ergo regnum Christi spirituale & diuinum. Nam ad illos pertinet regnum huius mundi, qui auxilio humanarum rerũ magis quam diuino præsidio ab imminentibus iniuriis se tuentur, vt 23. *q.3. in sum.* quod Christus hoc de se negat dum dicit: *Ministri mei vtique decertarent* &c. vnde Augu. super hoc de verbo dicit: quod *Christus negauit humanum regnum apud se esse: diuinum autem concessit, cum iterum Pilatũ dicentẽ. Rex es tu? reprehendit: tu dicis. quasi dicat, non me abnego regem, sed tamen ad regnandum non veni temporaliter, vt credis.* Et ideo subdit: *Ego enim ad hoc natus sum, & veni in hunc mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* quasi dicat, non ad dominandum temporaliter: sed ad veritatem dicendum. Et ideo subdit: *Omnis enim qui ex veritate* &c. vnde Chryso. super hoc verbum expresse dicit: quod *Christus manifestè negauit regnum suum esse mundanum & corporale: sed diuinum.* & hoc dicit Chryso. super oblatione illorum regum magorum, quod Christus non erat regnaturus more secularium regum, qui finẽ ponunt in ciuili regimine, sed suum ad hoc ordinauerat Christus regnum vt filios Dei in vnum congregaret, vt dicitur *Io.11.* Regulatur enim Christi regnum ad æternam vitam quærendã, non ad successionem regni huius temporalis. Et secundum alios Christus Rex dicitur illorum, in quibus ipse regnat, & ipsi ei obediunt, non per mundanam potentiam, sed per obedientiam. tales sunt sancti: & isti non sunt de mundo isto temporali, vt *Io.17.c.* ibi: *Non sunt de mundo: sicut & ego non sum de mundo.* & de his habetur 23 *q.8.§. ecce.* vbi dicitur: quod *hi sit Deum & eius hæreditatem accipiunt, vt his nil cum principibus seculi commune sit; quia temporalia penitus abiiciunt, ne eorum occasione legibus imperatorum obnoxii teneantur, sed tanquam filii summi Dei in omni regno liberi sint.* Et hoc scribit Ambro. 24. *q.* 8. *conuenior.* vbi *hæreditatem Christi* appellat *diuina, non temporalia.* hi sunt qui spiritu Dei ducuntur, & non sunt sub lege, *ad Gal.* 4. Et quibus iustis lex scil. secularis non est imposita, 19. *q.2. duæ sunt.* Et sicut ipse Deus est in mundum missus: ita in mundum misit discipulos. Sed tamen cum Christus missus fuerit vt haberet diuinũ regnũ, non mundanũ & seculare seu ciuile dominiũ: ita & Petrus & successores similiter missi sunt, vt habeant diuinũ dominiũ, non humanum. & hoc expressè insinuat ipse põtifex in decre. *nouit. de iudi. in ver. cum*, dũ dicit: *Cum enim non humanæ, sed potius diuinæ constitutioni mutamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.* Quod etiã Christus habere noluerit humanum dominium, patet *Io.6.c.* nam cum cognouisset Christus miraculo facto de quinq; ordeaceis panibus & duobus piscibus, de quo vide 35. *di.§. ecce ad fi.* quod turba quærebant eum regẽ facere, fugit iterum in montem ipse solus. super quo inquit Aug. *Fugit Christus cum voluerunt eum regem facere. Omnia enim humana & terrena contempsit Deus homo Christus, vt ipsa etiam contenenda monstraret.* Ex quibus luculenter apparet, seculari & ciuili Dominio terrenorum humanaque coertione se & discipulos penitus expoliasse. ex quo sequitur, quod si non fuit in Christo, nec etiam in Petro & successoribus.

Capitvlvm XXII.

QVod Christus hoc humanum regnum & ciuile dominium coertionemque non habuerit, ostẽditur. nam iura ipsa humana per imperatores & reges Deus distribuit generi humano 8. *di.*

quo iure. & principibus ipsis seculi datus est gladius ad vindictam malorum, laudem vero bonorum *de maio. & obe. solita* 2.q.7. § *item cum Dauid.* sed Christus in facinorosos hoc nunquam vsus est gladio: ergo non habent. Antecedens, quod nō fuerit vsus, probatur per id quod habetur 13. *di.* §. *quod vero.* Nam cum ipse Christus quæreretur ab Herode vt interficeretur, non patrocinium gladii sibi quæsiuit, qui occulto instinctu potuisset & debuisset tanquam iustus Rex, & bene vtens gladio sibi commisso, in eum conuertere Iudæorum manus, & iustè vindicare paruulorum neces: sed quia nō fecit, vt 45. *di. episcopum*, patet gladium secularem non habuisse. nam si illum tenuisset & suam vagientiumq; puerorum innocentum ab Herode iniquè interfectorum iniuriam non expiasset, iustè fuisset negligentia notandum; quod de Deo non decet dicere 25. *di. deinde:* cum negligentia sit peccatum grauissimum 24. *q.* 1. *officii. Hoc* idem ostenditur. Nam cum à Iudæis lapidibus peteretur, non vindicauit peccata illa gladio, sed abscondit se & exiuit de templo *d. c. quod vero.* & multa delicta tempore Christi perpetrata ab ipso nec gladio vindicata, ibi vide: & dicta sunt: Immo dum percuteretur, non repercutiebat: & dum pateretur, non comminabatur 45. *di. episcopum.* propter quæ colligitur, ad reges seculi pertinere excessuum similium coertionem, qui auxilio humanorum iurium iniurias tuentur: non ad eos, quibus diuini iudicii administratio commissa est. & hoc est quod ipsa veritas docuit discipulos: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam:* vt daret intelligi ipsis, non gladiis ab eis persecutiones vindicandas, sed fuga vitandas *d.* §. *quod vero.* hoc etiam est quod docet Apostolus *Corinth.* 1. *c.* vt iniuriam & fraudem patienter ferant potius quam repetēdo fratres scandalisent, quæ quidem doctrina sana non foret, nisi Deo militantibus, nō his qui gladii tenerent potestatem, ad quos iniurias vlcisci pertinet *d.* § *item cum Dauid.* & *d. c. solita.* & *d.* § *quod vero.* hoc etiam ostendunt scripta 23. *q.* 1. *in prin.* vbi Cœlestis verba referuntur dicentis: *Si quis te angariauerit mille passus, vade secum duo milia.* Et Apostolus inquit: *Non vos defendentes fratres carissimi, sed date locum iræ.* & illud Petro dictum: *Reconde gladium tuum in vaginam.* & iterum illud cum eo interrogāte: *Domine nunquid percutimus in gladio?* Respondit veritas: *Non.* quod quippe ei non negasset, si gladium seculare tenuisset. & facit ad id, quod de beato Andrea legitur. Qui suas non vindicauit iniurias, nec à populo eripi voluit de manu iniqui iudicis. Item & illud: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* & Paulus ad Ro. *Nolite iudicare inuicem.* & multa similia: ex quibus deprehenditur, potestates has seculares Deo ministrantibus fore subtractas, vide in *dicto c.* 1. *in prin.* 23. *q.* 1. & latius 23. *q.* 5. *in princip.*

CAPITVLVM XXIII.

HAnc ipsam scientiam insinuat Bern. ad Euge. dicendo: *Non monstrabunt puto, qui hoc dicerent, vbi aliquando Apostolorum Iudex aliquis sederit hominum. stetisse lego Apostolos iudicandos: iudicantes sedisse non lego:* pro quo facit 10. *di. si in adiutorium*, vbi ponitur de appellatione Pauli, qui tanquā Romanus ciuis Cæsarem appellauit: & sic sub eius iudicio fuit. Hæc idem confirmat Grego. in Mora. inquiens: *Hi terrenas causas iudicent, qui exteriorum rerum scientiam perceperunt: qui autem sunt spiritualibus dotati, terrenis non debent negotiis implicari.* Et hoc est quod voluit canon. notati 11. *q.* 1. *per totum*, vt clerici de secularibus negociis iudicium non dicant inter laicos, sed tantum quantum inter ecclesiasticos tractatur: vt ibi per totum, maximè in § *ex his*, &c.

CAPITVLVM XXIIII.

INsinuant insuper quod potestates has ac dominia Christi & Apostoli non habuerunt verba filii tonitrui relata Matth. 20. c. ibi: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos: sed quicunq; voluerit primus esse, sit secundus.* 93. *di. diaconi.* & hæc verba refert glo. in prohemio decretalium, ibi: *Seruus seruorum Dei.* Ex quibus verbis colligitur, quod summus pontifex, qui est primus, & qui iuxta præcedentem regulam se *seruum seruorum Dei* nuncupat, *de consec. di. c.* 1. *vasa.* & in *prohe. decreta* 6. & *clemen.* non potest potestatem exercere, vt principes gentium potestatem exercent, Christo prohibente, dum dicit: *Non sic erit inter vos.* quasi dicat: Potestatem non exercebitis. quod debet intelligi de potestate scilicet seculari, quæ principibus concessa est ad vindictam malefactorum. *de maio. & obb. c. solita.* & hoc dicit Bern. ad Euge. *lib.* 18. & nota. *extra de iudi. c. nouit*, in nouella, vbi inquit: *Aggredere subditos verbo, non ferro. quid enim vsurpare gladium curas, quem semel iussus es mittere in vaginam?* Et hoc etiam innuit Apostolus 1. ad Thi. 3. dū dicit: *Oportet episcopum esse non percussorem* 45. *di. in prin.* & *c.* 1. 86. *di. non licent.* Nam, vt inquit Paulus Apostolus, *episcopi debent arguere, obsecrare, vel increpare in omni patientia*, non cum ciuili potentia 45. *di. cum beatus.* Nam scire oportet, quod minister noui testamenti, est minister mansuetudinis & sacramenti vnitatis. nam sacramentum altaris repræsentat vnionem Christi & ecclesiæ: quam etiam significat vnio animæ ad corpus: quia anima viuificat corpus, sicut Christus per hoc sacramentum viuificat ecclesiam. Hæc est ergo ratio, quare executio materialis gladii est prohibita sacerdotii, ne diuidat animam à corpore. ille, cui commissum est ministerium vnitatis, non diuisionis.

CAPITVLVM XXV.

AD coadiuuanda prædicta accedat, quod inquit veritas ipsa, Iohan. 17. c. vbi inquit: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Si igitur omnia consummauit quæ sibi dedit pater:

ergo quæ ibi habuit fecit. sed Christus coertiones temporales non exercuit : ergo eas, inquantum homo, non habuit : quia si habuisset, nec eis vsus fuisset, negligentia notari potuisset : quod de Christo dicere nephas est. 25. *di. deinde.* nec etiam mandata sibi omnia à patre consumasset, quod ipse negat, & quod non vsus fuerit, ostenditur. Nam & discipulum habuit furem, proditorem, & sacrilegum 24. q. 1. *non turbatur.* & tamen pro tali delicto eum temporaliter non coercuit 27. *di. c. consulendum.* simile legitur Io. 6. c. *Ex hoc enim multi discipuli retro abierunt,* & habetur *de pœni. di. 4. c. si ex bono in malum.* & *de conse. di. 2. c. forte.* & c. 1. ipse tamen eos de suis facinoribus temporaliter non compescuit. ex quibus colligitur in Christo potestatem secularem vel in eius vicariis successoribus nūquam fuisse. Hoc confirmat autoritas Bedæ super id Matth. dum dicit, *inter vos, qui estis mei, non erit hoc violenter dominari: quoniam sicut omnia carnalia sunt in necessitate posita, spiritualia vero in voluntate: sic & qui principes sunt spirituales, principatus habent in dilectione, non in timore.* sed qui habent carnalē coertionē, timeri debent illud Apostoli ad Ro. 13. *Si malefeceris, time.* sc. potestatem secularem. Pro hoc quia sacerdotum arma sunt lachrymæ 23. q. 8. *conuenior,* & *in prin. in* §. *quod vero.* Non ergo gladius pontifici permissus. Hoc iudicat Apostolus ad Thi. 2. c. & habetur 11. q. 1. §. *ex his,* dum dicit: *Nemo Deo militans implicet se negociis secularibus:* ergo Apostolo prohibente non exercent clerici iurisdictiones seculares, & dominia ciuilia & humana, quæ secularia sunt. hoc significauit Dominus, cum Petro non gladium sed claues concessit 24. q. 1. c. *quodcunq.* & ecclesia non habet gladium 33. q. 2. c. *inter hæc.* quæ claues ad exclusionem excommunicatorum, & ad reconciliationem pœnitentiū sunt concessæ 2. q. 7. §. *item cum Dauid.* & *de maio. & obe. c. solitæ.* & 23. q. 8. *in prin.* vbi expressè dicit, quod non nisi cui à Deo potestas gladii data est, illum exercere licet, & expressè inhibet sacerdotibus. Ex quibus infertur, hæc prædicta non esse in clericis, sed ab habitu & exercitio eorum omnino distincta. pro hoc, quod habetur *Luc. 12. c.* Nam cuidam quærenti à Christo temporale iudicium de diuisione hæreditatis cum fratre suo, Dominus dixit: *Homo quis me constituit iudicem aut diuisorē super vos?* q. d. nullus. & sic videtur quod ipse non habuit in rebus temporale dominium vel iudicium : quia si habuisset, & recusasset, malè fecisset: Item dum dixit: *Quis me constituit?* ostendit quod non erat Iudex secularium causarum : nec est aliquis, nisi qui ab ordinariis constituitur, vel cui à Deo potestas gladii datur 23. q. 3. *in prin.*

CAPITVLVM XXVI.

Fortiori valde ratione, quod Christi regnum intelligi debeat spirituale, non humanū siue terrenum aut ciuile, & similiter successorum eius & Petri. cum enim lex & prophetiæ secundum verborum corticem promittant Christi tempore & per ipsum Christū regnum dari plenum diuitiis & opulentia inæstimabili, & continens mundi in se vniuersale dominiū. & ista submittimus metaforis & figuris magificent. si verum fuisset eius regnum futurum esse debere in potestate vniuersa seculari & ciuili dominio omnium terrenorum, tunc sequeretur necessario quod Christus Deus secundū literam tales seculares diuitias secum debuisset afferre. Sed cum hoc sit falsum, quod Christus dominia hæc secum tulerit, cū ipse non in abundantia secularium diuitiarum ad Hebræos & in mundum venerit, imo in paupertate maxima 35. *di. ecclesiæ.* Nam fertur eum dixisse: *Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vnde caput reclinet.* vnde potissima causa eius exprobationis erat abiectio suæ paupertatis. vnde eius sæpius dicebāt æmuli: *Nonne iste filius fabri est? Nonne mater eius maria dicitur? & fratres eius apud nos sunt?* Necesse habes igitur dicere, has diuitias per prophetas Christi tempore promissas: item regnū ipsum de spiritualibus diuitiis & regno spirituali oportere intelligi: aliàs viam aperies Iudaicæ prauitati, vt audacter assererent superficiei litteræ inhærentes, Christum Messiam nondum venisse, cum Christum, quem verum Messiam credimus, nō secum tulerit vniuersorum dominium seculare atque ciuile: quod est falsissimum & Iudaicum. Hoc quod Christi regnum fuerit tantum spirituale, intelligendum non mundanum & seculare siue ciuile, ostenditur. nam Christus à Prophetis Rex esse promissus est, & habiturus non solum imperium Hierusalem, sed vsque ad fines terræ. Dicitur enim in eius persona in Psal. *Dominabitur à mare vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Item eius tempore restitui debet regnū Israel perpetuo duraturum. Vnde Isa. c. 9. *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & in iustitia, & vsque in sempiternum.* Item 61. c. *Et corona gloria in manu Domini, & diadema regni in manu regni tui, & terra tua non vocabitur amplius desolata.* Sed cum in aduentu Christi nostri Hierusalem ciuitas & populus tunc fuerit sub alieno rege, & postmodum in captiuitate vsque in præsens, & debuerit tunc restitui regnum quod duraret in æternum, cum tamen tūc sit perditum ibidem : & in aduentu Christi seculare seu ciuile regnum nunquam est ipsis restitutum, vt non solum duraret perpetuo, immo nec Christi tempore inceperit, sed regnauit Herodes alienigena. vnde *Actuū* 1. c. cum Christus ascendit in cœlum, multi recolentes scripturas prædictas interrogauerunt, si illo tempore restitueretur regnum Israel. igitur quod dicitur de Christo rege, debet intelligi solum de regno spirituali animarū, non de temporali seu ciuili, vt Iudæi intelligunt. Nā si debuisset esse in habitu etiam apud Christum, fuisset perpetuum & durabile apud omnes : quod non est: & fuisset Hierusalem liberata à dominio Herodis tyrannico, & restituta in Christi dominio & descendentiū in æternū. Præterea si Christi regnū fuisset saltim in habitu seculare seu ciuile mundi huius, quomodo verificatur quod est scriptum: *Diuiserunt sibi vestimenta mea?* Nam si Christus erat tēporalis Rex Iudæorū, quomodo ipsi eū sic tractauerunt, qui erāt in dominio tēporali sibi subditi, & sic eius ministri? cum ipse dicas: *Ministri mei vtiq. decertarent* &c. Item quomodo verificatur scriptura *Reg. 3. c.* de Salomone? Nam dicitur : *Feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor*

Digitized by Google

sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis sit tibi nec post te futurus sit similis tibi. Et sic cum nullus Rex excipiatur futurus, certè Christus non fuisset potentior nec prudentior Salomone, de quo tamē scriptum est, quod *requiescet super eum spiritus sapientiæ.* oportet ergo intelligi regnū Christi fuisse spirituale, in quo fuit omnibus prudentior: non temporale, in quo omnes Salomon præteritos & futuros reges excessit. & quod de spirituali regno in Christo tantum intelligatur, ostendit prophetia Psal. 2. dicens in Christi persona: *Ego constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum eius.* Et vt det intelligi de spirituali regno, subiungit: *Prædicans præceptū eius.* pro hoc, quia nullū temporale potest esse sempiternum, vt notatur in *l. 1. ff. pro socio.* vnde oportet intelligi Christi regnum fuisse spirituale, non tēporale, quod non est perpetuū, & in quo non poterat esse iuxta dicta Dei patris Salomone potentior & prudentior, licet in spirituali sic, cum requieuerit super eum spiritus sapientiæ, vt supra dixi.

CAPITVLVM XXVII.

POtestatem hanc secularem & humanum dominium vniuersi, esse solum apud cæsarem, patefacit Gratianus 2. *q.* 7. *§. item cum David*, vbi dicit: quod *duæ sunt potestates: quibus mundus iste sensibilis regitur, potestas scil. regalis, & sacerdotalis & sicut reges præsunt in causis seculi, ita sacerdotes in causis Dei. Regum* est *corporalem irrogare pœnam, Sacerdotū spiritualem inferre vindictā.* Ex regali vnctione sacerdotibus & prophetis Rex præest in causis seculi: qui tamen eius subditus est in causis Dei. Sicut ergo Ozias à Domino lepra percussus est, quia sacerdotū officia voluit vsurpare, sic sacerdotibus & prophetis regum officia vsurpare non licet. *d. § item cum David.* Nam sicut non sine causa Iudex gladium portat, ita non sine causa claues ecclesiæ sacerdotes accipiunt. illi gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, *de maiori. & obe. solita.* Prælati vero claues ad exclusionem excommunicatorum, & reconciliationem pœnitentium. Ex quibus verbis infertur, Imperiū à Deo esse in principe seculari, nec per hoc ab ecclesia dependere, pro quibus secularibus ipsi sacerdotes inferiores sunt principibus, alias sequeretur, quod idem pro eodem inferior esset & superior: quod est impossibile.

CAPITVLVM XXVIII.

HAnc etiam sententiam docet Nicolaus Papa 96. *di. cum ad verum.* & 10. *di. c. quoniam*, dū inquit: quod *sicut Imperator iura pontificatus non arripuit, ita nec pontifex nomen imperatorū vsurpauit: quoniam mediator Dei & hominum, homo Christus actibus propriis ac dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit: vt imperatores tamen pro æterna vita pontificibus indigerēt, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur; quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militantes minimè se negociis secularibus implicarent: ac vicissim nec rebus diuinis præsidere videretur, quod esset negotiis secularibus implicatus.* ex quo tex. datur intelligi, à Deo officia hæc pfecto fore distincta, & nullum ab altero in suis officiis dependere, sed à Deo vtrunq; immediate procedere. & hoc vult Inno. qui summus fuit pontifex in *d. c. per venerabilem.* & *extra de sen. excom. c. nouerint.* pro quo facit 96. *di. si Imperator*, vbi colligitur: quod etsi ratione fidei Imperator filius sit ecclesiæ, habet tamen priuilegia suæ potestatis, quam pro administrandis legibus publicis diuinitus cōsecutus est. & facit *ea. di. ecclesia mea.* Ad ista facit: quia omnis potestas est à Deo, & est Imperator proconsul siue legatus Dei, in *c. Authen. de fi. instru. § quia vero imperium. C. de veteri iur. enu. l. 2. § si quis igitur.* in *c. Auten. de consu. in fi. de offic. præfec. & Fri. l. in nomine Domini.* In *c. Auten. quomodo oportet epi. in prin.* cum similib. Et qui imperatori resistit, Dei ordinationi resistit. Ex quibus concluditur, imperium habere à Deo immediatè suas iurisdictiones, & pro ipso à nemine dependere.

CAPITVLVM XXIX.

PLus videtur posse liberè dici, quod intantum Imperator præ omnibus habeat à Deo dominium hoc seculare & ciuile, cohertionesq; corporales, vt etiā clerici ipsi se negociis secularibus immiscentes sint imperatori pro ipsis bonis secularibus subditi. Hoc vult Aug. super Io. & habetur *di. 8. quo iure.* Nam leges seculi & dispositiones ipsas terrenorum secundum ciuile & seculare dominiū Deus per imperatores & reges populis constituit: & licet leges tales non comprehendāt iustos, & sic clericos, quia lex non est imposita iusto: *Ad Gal.* 4. Et qui spiritu Dei ducuntur non sunt sub lege 19. *q.* 2. *duæ sunt.* Et hi sunt qui tāquam filii summi regis in omni regno liberi sunt 23. *q.* 8. *§ ecce.* & sunt sancti viri, de quibus supra *in 1. argu.* tamē quatenus clerici se negociis secularibus ipsis immiscent, & quatenus bona aliqua seculari & ciuili dominio quærunt habere propria subditi sunt imperatori & eius legibus. nam & iure & dominio diuina bona defendi proprio iure non possunt, quia illo iure omnia sunt communia, vt ibi, & 12. *q.* 1. *dilectissimi.* Si ergo volunt clerici secularia proprio iure, submittunt se legibus seculi & humanis iuribus: quæ iura quærendi propria vias inuenerunt, vt vult tex. in *dicto § ecce.* 23. *q.* 8. Et hoc ostenditur in Paulo, qui vtens seculari lege tanquam ciuis Romanus cæsarem appellando, se eius vtiq; potestati submisit: quod facere potuit. Pro hoc, 2. *q.* 7. *nos si incompetenter.* Hoc idem vult sanctus Ambrosius. 23. *q.* 8. *conuenior*, vt pro temporalibus bonis, quæ etiam iure proprio clerici possident, soluant Cæsari tributum. hoc idem dicit sensisse Christum, dum inquit: *Imago Cæsaris* &c. vt *d. c. conuenior.* Hoc latius & clarius confirmatur 11. *q.* 1. *§. his*: vbi hoc expressè Gratianus concludit, quod clerici subditi sint principi pro secularibus bonis. Item sanctus Ambro. 11. 1. *si tributum.* & *c. magnum*: vbi dicit, *magnum esse documentum, vt omnes sublimioribus potestatibus sint subiecti; nec constitutiones terreni regis quis putet esse soluendas. si enim censum filius Dei soluit, quis tu tantus es qui putas non esse soluendum?* Et hoc

vt rex.& glo.*extra de cens. c. 2.* vt clerici pro exterioribus principibus sint subiecti, dū dicit, *omnem viuentem animam esse subditam sublimioribus potestatibus.* Ex quibus concluditur, Cæsarem nostrum in administrandis legibus seculi in dispositione humani iuris cunctis animantibus præesse & clericos se in talibus immiscentes, quicunq; sint, ipsi foro subiectos. & in his verificantur Apostoli dicta iubentis seruiri regibus: honorari reges, *d. c. quo iure 8. di. & 11. q. 1. magnum.* hoc volunt iura, quæ dicunt quod humano iure pontifex indiget imperatore, *96. di. cum ad verum 10. di. quoniam.*

CAPITVLVM XXX.

ISTud etiam præcedens dictum confirmat & clarius Vrbanus Papa 24. *q. 8. tributum.* nam piscante Petro, tributum in ore piscis inuentum est, vt ostenderetur, quod de exterioribus terrenis tributum ecclesia reddat: non autem totus piscis iussus est dari, sed tantum staterem gerulum didramatis, vt non ipsa ecclesia, non pontificalis apex detur imperatori: qui apex est in capite, *de sa. vn. c. 1.* sed quod in ore inuenitur, pro Petro & Domino dari iubetur, vt de exterioribus ecclesiæ pro pace & quiete, quia tueri ecclesiam debet Imperator, tributum ei à clericis etiam soluendum sit. ex quibus colligitur, quod pro carnalibus & secularibus, ministeriis pontifex & clerici, quatenus ipsis iuribus se immiscent, subditi sunt Cæsari, 33 *q. 8. tributum.* Et probatur in iuribus proximo superiori argumento notatis.

CAPITVLVM XXXI.

COnfirmatur & ratione, potestates seculares & ciuilia dominia non esse habitu vel exercitio apud pontificem, sed apud solū Cæsarem. & sic impossibile est, quod potestas à Deo data, & per consequens, ordinata, *ad Ro. 13.* & 22. *q. 1. § si etiam 23. q. 1. quid culpatur*, possit primo in malum obiectum & malum actum. Itaq; oportet quod nullo modo nisi per accidens se extendat ad malum faciendum. & hoc, quia ipsa creatio non est à Deo ad opus malum vel imperfectum: *de baptis. c. maiores*: sed si potestas Papæ à Deo creata esset, & haberet obiectum ad vniuersam administrationē temporalium, esset ad malum obiectum, vt per in mixtionem secularium negociorum diuina dimitterentur vel minuerentur, quod est contra veritatem & Dei consilia, qui diuina non temporalia Petro commisit. pro hoc, quod notat ipse pontifex in decre. *nouit. de iudi.* in parte, quæ hodie est remota: vbi Papa dicit, *cum iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare velimus?* & maxime, cum veritas dicat Matt. 6. c. *Nemo potest duobus Dominis seruire, de pæ. di. 2. nemo potest:* & *de pœ. di. 5. c. consideret, ver. non potestis. & sic non potest quis Deo seruire & mamonæ.* quasi dicat: quod diuitiæ & principatus sic fortiter corrumpunt intentiones cordis, quod sunt hominū thesauri, vt Deus. Et ideo ibidem subiungit: *Nolite vobis thesaurizare in terra; nam vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum:* & sic non ad Deum, sed thesaurum. Et ideo in Canonica Io. 2. c. dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* & Ia. 4. dicitur: *Amicitia mundi est Deo inimica.* Pro prædictis bene facit *de cleri. coniu. c. diuersis fallaciis.* Nam igitur inhibetur copula matrimonialis clerico, ne cum habeat quid cogitet quomodo possit placere vxori, minus quæ Dei sunt valeat cogitare. Et ne quasi diuisus in duo, plenam sui habeat potestatem, vt ei à quo stipendium recipit plenius famuletur. sic in administratione temporalium est dicendum, vt ipsis non intelligatur commissa, ne eorum respectu à diuinorū administratione subtrahantur, & minus propter hoc quæ Dei sunt cogitare. Ex quibus infertur, potestatem pontificis non ad vniuersam administrationem temporalium esse ordinatam à Deo, quia sic esset ad malum obiectum, sed ad diuina iudicia ministranda. ex quo infertur, quod eis Cæsarem à Papa nullatenus dependere. Ad hoc facit, quod Petro concessit claues regni cœlorum. sed potestas clauium non se extendit ad dominium temporale: ergo eis commissum non extitit. & hoc probatur *de iudi.* nouit, vbi Papa recusauit de feudo iudicare inter illustrissimum regem Franciæ & gloriosissimum regem Angliæ, tanquam iurisdictio talis non foret sibi à Deo commissa, licet ratione peccati iudicaret ibi.

CAPITVLVM XXXII.

CÆsarem à nullo nisi à Deo pro administratione temporalium dependere probatur. Nam populus Romanus, qui imperio virtutibus meruit aliis anteponi nationibus, cum legibus & armis, pro tuitione reipublicæ creuerit, vt *C. de nouo. C. confir. l. 1.* iustè iura hæc est consecutus Monarchiæ, vt ibi, quod latius tangam in fi. quæstionis libelli huius. sed populus Romanus quod iustè habuit, in principem transtulit, *insti. de iure na. § sed quod principi. l. 1. ff. de consti. prin.* cum necesse foret reipublicæ per vnum consuli, *l. 2. § cum autem. C. de veteri iu. enu.* ergo iustè habuit iura populi Romani ab ipso populo, & à Deo per ipsorum medium: in *Autem. quomodo oportet epi. in prin.* ergo non à Papa. & sic patet, quod ius imperii pro temporalibus à Papa non dependet. hinc est, quod à sententia Cæsaris non appellatur ad antistitem summum, *de ap. si duobus.* quod quippe deberet licere, si Cæsar à pontifice dependeret: sed quia non dependet, non licet. Hoc probatur: quia si iurisdictio principis dependeret à potestate pontificis, tunc non esset distinctum forum ecclesiasticum à seculari, id est, forum Papæ à foro Cæsaris: sicut forum episcopi non facit distinctum forum à foro pontificis, cum sit sub eius iurisdictione. sic ergo imperialis potestas forū sui non distingueret à pontificis foro: q est falsū *extra qui fi. sint legit. c. causam.* & *c. lator. de iudi. nouit.* cū multis si. facit *de fo. compe. c. si clericus.* Nam clericus pro rebus suis vel ecclesiæ suæ non vocat laicum apud episcopū, sed apud forensem laicum iudicē, licet hoc de consuetudine secus sit in nostra ecclesia Aretina. Et hoc etiā ostenditur: quia si potesta humani & carnalis iuris esset in sacerdotio, & per ipsum in imperio; ergo Papa exclusis Electorib', cū vellet, ipse deberet, posset principaliter eligere Cæsarē illis priuatis: quod est falsū, vt in *c. venerabilem.* & notat glo. *de re. iudi. ad Apostolicæ l. 6.* Et hoc etiam ostenditur, quia

quia si pontifex vellet iura imperii secularis funditus tollere, non posset, 23. q. 3. *quaesitum*. Concludamus ergo, iura imperii esse in principe à solo Deo, 23. q. 4. *quaesitum*, 43. *di. sit rector*, & 10. *di. suscipitis*. Et quod pro temporalibus à nemine dependeat, sed omnes se secularibus immiscentes, ab ipso dependere noscantur. quod comprobatur etiam ratione inconuincibili. Nam inuisibilis missio est dignior quam visibilis, & diuina missio longe melior est quam humana, vt *de hereti. c. cum ex iniuncto*. Cum igitur ad bene esse mundi sit opus vna monarchia, 33. q. 5. *hac imago*: & haec Monarchia esse debeat perfecta, quanto melior est possibile secundum perfectionem humanam; cum per hoc magis aequemur monarchiae coelesti, ad cuius similitudinem creati sumus: sequitur vt sit perfectior & melior propter esse immediatè à Deo, quam ab aliquo homine eius vicario.

CAPITVLVM XXXIII.

PArtem hanc etiam valde per id quod scriptum comperi Matth. 22. c. vbi Christus antequam diceret: *Reddite quae sunt Dei Deo*: praemisit, *quae sunt Caesaris Caesari*. Quae verba no. Augusti. contra Manicheos, & transumptiuae 23. q. 8. *conuenior*, & *ea. q. §. ecce*. In quibus verbis significatur, quod nisi prius mundana mundanis relinquatur, non potest quis plene Domino Deo militare. Igitur Isaac in li. de contempla. inquit: *Anticipa soluere omnem colligationem extrinsecam à te, & tunc Deo poteris colligari*. Ex quibus colligitur, quod vt clerici optimè Deo militent, debent esse à secularibus negociis segregati. ipsis enim expedit sapientes fieri, non quidem secundum Apostolum. i. ad Corin. 2. c. *Sapientia huius seculi* & c. 37. *di. § hinc etiam*. & per totam illam distinctionem, sed sapientia Dei quae in ministerio est abscondita, quam nemo principum huius mundi cognouit, quia sapientia seculi stultitia est apud Deum. Quod insinuat Hiero. in quadam epistola dicens: *Quam diu versamur in rebus seculi, & anima nostra possessionum ac redditnum procuratione deuicta est, de Deo libere cogitare non possumus*. Hoc idem imperator sacratissimus Iustinianus inquit dicens: *Opprobriū est eis si velint esse periti disciplinarum forensium, C. de testa. l. consulta diualia*, no. 37. *di. in c. episcopos*. Ex quibus concluditur, quod vt clerici sancti sint, & de sorte Domini, debent à secularibus segregari, & sic reddant imaginē Dei Deo. Et taliter in omni regno sunt liberi iuxta verbum Dei dicentis: *A terrenis exactionibus filii hominum liberi sunt*: dicto. §. *ecce* Et si secularibus se implicant, pro ipsis exterioribus imaginem Caesaris Caesari reddant, 23. q. 8. §. *ecce*. Iuxta sententiam Apostoli: *Soluite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal: vectigal*. facit 11. q. 1. *c. magnum*, & quod no. *extra de censi. c. 2.*

CAPITVLVM XXXIV.

ITem probatur per id *Actuum Apostolorum* 6. Nam Apostoli conuocata multitudine dixerunt: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis* 93. *di. legimus in fi. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus, Nos vero orationi & ministerio verbi Dei instantes erimus*. In quibus nobis datur intelligi, ipsam temporalium dispensationem esse impeditiuam contemplationis & regiminis dominorum. Et est notandum, quod non ad hoc opus exercitii temporalium Apostoli ipsi ministratores elegerunt, sed ius eligendi populo permiserunt. quae videntur inferre, quod non à pontifice, sed à populo, vel quibus concesserit populus, potestas ministrandi temporalis principi Caesari debet concedi &c.

CAPITVLVM XXXV.

COnfirmat praecedentia haec ratio. nam perfectio militantis ecclesiae est cōfirmari coelesti Hierarchiae, prout est rationi magis possibile, secūdum Dionys. in *li. Ecclesiastica & angelica Hierarchia*, & probatur *extra de sum. tri. c. damnamus*, ibi: *Nos perficiens perfectione gratiae Deus in terris, sicut ipse perfectus est perfectione naturae*. & 34. q. 5. *hac imago*. Et ostenditur in oratione dominica Christo dicente: *Fiat voluntas tua sicut in coelo & in terra*. scil. vt nos terrestres adaequemur Monarchiae coelesti. facit quod no. *de elec. c. fundamenta, li. 6*. Et in Apoca. dum dicitur: *Vidi Hierusalem descendentē de coelo* id est ecclesiā militantē, quae assimilatur coelesti triūphanti. sed non possidendo temporalia, ecclesia magis illi Monarchiae adaequatur, cum ibi nullus sit vsus temporalium: ergo similiter & hic: diuerso modo tamen. Nam tantum debet intelligi permissus, quantum infirmitas humana possit sustētari, cum tanta dari non possit similitudo: *dicto c. damnamus*. Et hoc est, quod dicitur, quod Christus mittendo discipulos ad praedicandum sine victualibus fecit eos, quasi de hominibus Angelos i. de Monarchia superiori, quae non indiget temporalium.

CAPITVLVM XXXVI.

VAlidant & hoc quidam imperium non autorisari ab ipsa ecclesia, vel ab ipsa dependere: quia forma est, quae dat esse rei, 1. q. 1. *ca. de tra.* & *de baptismo, c. debitum. ff. ad l. fal. si is qui quadrigenta, §. quidam de ver. sig. l. aedificia. §. perfecisse*. & nullum causatum in esse potest praecedere suam causam: & hoc est iuridice & naturaliter manifestum. Sed iura imperii fuerunt in Romano populo ante ecclesiam: cum legibus & armis iustè iura populus Romanus fuerit adeptus Monarchiae, vt *C. de nouo cod. confir. l. 1.* & hoc fuit antequam esset Christus. Ergo imperium non habet causam formalem vel autorisabilem ab ecclesia: alias sequeretur, quod in se procederet suam causam, vel auctoritatem suae causae, quod est impossibile. pro hoc, *l. obligari de auto. tu.* & quod no. Inno. & Io. Monachus in c. 1. *de re. eccle. non alie lib.* 6. & in *c. cum consuetudinis, de consue.* Ad hoc, quia omnis habilitatio personae debet praecedere actum qui geritur, non sequi: *ff. de le. 3. l. 1. §. sed si filius*. Et hinc est, quod filius, qui adeundum haereditatem censetur in habilis, non potest adire. nisi prius iussus praecedat, *l. si quis mihi bona § iussum, de acquirend. haere.* & si quandoq; actus praecedit potestatē, & ra-

tificatur, tunc ad validitatem actus opus est iuris fictio, quæ fingat retro vt potentia præcesserit actum: aliter non valeret. Et quod ante fuerit imperium quam ecclesia, Christus fundamentum ecclesiæ ostendit, dum pro exterioribus tributum soluit cæsari 11. *q.* 1. *magnum*, quod est subiectionis signum, *extra de censi.c.* 2. & quia moriens secundum ordinationē diuinam à præside Cæsaris orbis vniuersalis Domini voluit iudicari. quæ potestas dici debet fuisse in Christum iuridica: cū dixerit Io. 18. *Nullam haberes erga me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Vnde Aug. super hoc verbo dicit: *Discamus ergo quod dixit, quod & Apostolus docuit: quia non est potestas, nisi à Deo:* Et licet quidā dicant potestatē illam fuisse vsurpatam, non ordinariam; quod forte concedi debet respectu innocentiæ ipsi Christi, quia tanquam filius summi Dei in quolibet regno liber erat, 23. *q.* 8. §. *ecce*: eius tamē respectu, quod in tali punitione fuit deletum peccatū Adæ, in quo omnes peccatores eramus, 23. *q.* 5. *c. si habes*, necesse habes dicere, potestatem ordinariā fuisse: & illam fuisse, qui punitionē iniunxit Christo ordinariam illius Dominitis est, qui Dominus erat totius vniuersi, cui ipse Christus secundum diuinam voluntatem, & purgaret Adæ peccatū, voluntariè se submisit. & quod illa potestas fuerit vniuersalis Domini, & eius qui talem habuerit potestatem, ostenditur. peccatū Adæ omnes nos humani generis peccatores, fecit, vt *dicto c. si habes, de pœ. dist.* 4. *c. peccatū quod ex Adam.* Et hoc dicit Apostolus, quod *per vnum hominem in mundum peccatum intrauit: & per peccatum mors, de consecra. di.* 4. *c. quæritis in fi.* & *c. de generante*, & se, & *c. placuit illi.* Sed si de illo peccato non fuisset per Christi mortem satisfactum, adhuc essemus filii iræ, *de pœ. di.* 4. §. *hanc societatem, de conse. di.* 2. *c. iteratur in fi.* & *di.* 4. *c. firmissimè.* quod est falsum, cum dicat Apostolus *quod per Christum habemus redemptionem, & per sanguinem eius remissionem, peccatorum, extra de sum. tri. c.* 1. ibi: *Pro salute humani generis in ligno crucis passus* &c. de *conse. di* 2 *quia corpus.* & *qui passus est pro nobis*, & *de cele. mis. c. cum morte.* Et in Canonica petri, vbi scriptum est: quod *Christus omnia nostra peccata portauit in ligno. de pœni. di.* 2. *c. si enim in verbo peccatum.* Et ad Ro. 6. dum ait Apostolus: *Omnes vos qui baptisati estis, de conse. di.* 4. *proprie.* & *c. vt ostenditur*, & *de pœ. d. c. qui natus.* & *de pœ. di.* 3. *c. ille Rex, adfi.* ibi: *Deletur per sanguinem crucis*, & *di.* 4. §. *hanc societatem.* Sed si Pilatus non habuisset potestatem ab vniuersali Domino, sicut erat Tiberi Cæsar, vt necesse erat esse, quia peccatum Adæ fuit vniuersale, & sic ab vniuersali Domino puniendum, iam peccatum Adæ non fuisset punitū, nec nos redempti. nam punitio non iuste infertur, nec dicitur punitio, nisi illata ab ordinario, vt Aug. inquit 23. *di.* 3 *c.* 6. *differentia.* & *c. nostri*, & *q.* 5 *c. forte*, in fi. & *ead. q. ille gladium.* Et hæc est ratio, quare Christus à Iudæis vel ab Herode punitus non est: quia non erant præsides principis vniuersi sub quo vniuersale peccatum primi parentis posset tolli. Fateri ergo oportet Pilatum fuisse ordinarium illius, qui fuit Dominus vniuersi: alias Christi punitio non fuisset redemptio peccati Adæ: quod est falsum. Et si fuit ordinarius Cæsaris habentis vniuersum imperium iustè ante ecclesiam fuisse & absq; eius auctoritate. Ex quo infertur, ab ecclesia ergo non dependere, sed à Deo immediatè subsistere, dicente Christo. *Nisi tibi datū esset desuper.* Fateor tamen, quod talis Christi subiectio voluntaria fuit, sicut & Pauli, cum appellauit ad Cæsarem 10. *di. si in adiutorium.* Ex quo malè arguunt, qui archimanditam summum dicunt subiectum Cæsari, quia Christus fuit subiectus Agusto: sed debet dici talis subiectio non necessaria, sed voluntaria, cum qua voluntate & pontifex se potest submittere Cæsari 2. *q.* 7. *nos si incompetenter.* Sed si Papa nō vult subiici Augusto, liber est, 9. *q.* 3. *aliorum.* Hæc tamē argumentatio, etsi subtilis sit, non tamen est necessario vera, siue concludens, nec mihi placet. Nam quemadmodum certo tempore Romanum imperium habuit exordium & potestatem super cæteras potestates terrenas, quæ ipsum etiam iustè præcesserāt, & tenuit primatum in vniuerso dominio temporali, sic ecclesia potuit capere exordiū à certo tempore; esto quod post imperium, etiā quod ante iustè præcessisset: & ex tunc potuit esse data potestas Petro terreni & cœlestis imperii, 22. *di. c.* 1. Et sic fateor, quod ante ecclesiam imperiū ex se habuit autoritatem forte à Deo; post vero cōstitutam ecclesiam, videtur causam formalem ab ecclesia suscepisse. Hoc simile videmus in regibus, qui hodie subsunt Romano imperio, *l. in nomine Domini, de offici. præfec. præto. Afri.* & 7. *q.* 1 *in apibus*: & ab ipso demum solo sunt & causam formalē capiunt siue recipiunt: & qui ei non parent, iniusti sunt. Nam ante Romanum imperium plura fuerant iusta regna, vt reges Israhelitæ, qui inceperunt à Saule, & durauerunt vsq; ad Christum, iuxta sententiam prophetiæ Iacob dicentis: *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est* &c. & tamen præcesserunt Romanum imperium, à quo post ipsum formam & causam habuerunt. Argui ergo posset de imperio Romano ad regnum Iudæorum, quemadmodum supra inducitur de ecclesia ad imperium scilicet existente Romano imperio, quod est causa & etiam forma aliorum regnorum, regnum Israheliticum & alia regna vel non habuissent iurisdictionem iustam, quod est falsum, vt *l. ex hoc iure, de iusti. & iure.* vel si habuissent, non fuerunt postea cum Romano populo iuste, cum antè suam iustam formam habuissent; quod est etiam falsum. Sed oportet dicere, quod imperium Romanum postea habuit principatum & dominium, & tunc cum adeptus est ipsum principatum, quod idem dici posset de ecclesia. Vnde hæc argumentatio nō concludit. hoc potest etiam naturaliter ostendi. sol enim habet virtutem actiuam productiuam & conseruatiuam in istis inferioribus generalibus & corruptibilibus secundum Philosophū. *de generatione & corruptione*: quia sol per accessum à circulo aliquo est causa prædicta in istis inferioribus. Sed quis neget herbam virentem & facientem semen & lignum pomiferum præcessisse solis creationem? Nam sol die quarto creatus fuit: & terra germinans herbam virentem & lignum pomiferū die tertia? sol ergo in sui creatione accepit virtutem actiuam, qua influeret in cuncta germina & vegetabilia

Digitized by Google

tabilis super terram, etiam quæ ante diem tertiã facta fuerunt; à quo tamen sole deinceps reciperet formam, esse & conseruari. & sic in ecclesia, quæ sibi cõparata est, *de maio. & obe. c. solite* posset dici, quod creationem primo introductam, sicut Romanum imperium, accipiat formam, esse & conseruari. vnde hoc argumentum non videtur sufficiens: inhærendum ergo aliis censemus.

CAPITVLVM XXXVII.

HVmanum regnum Cæsaris à solo Deo immediatè dependere subtilissimè insinuatur. vnde aduertere oportet quod humana rationabilis creatura diuinitatis & mortalitatis participat. nam omnis eius pars substantialis est ex anima & corpore: anima enim incorruptibilis & perpetua, vt *extra de sum. tri. c. 1. in cle.* Et iuxta sententiam Philosophi dicentis: *Videtur autem separari hoc ab hoc tanquam perpetuum à corruptibili*; id est anima, quæ est perpetua, à corpore quod corruptibile est: etiam à corpore, in quo mortalitatem participamus. Si ergo homo tanquam medium positus est inter perpetua & corruptibilia, necesse est vt sapiat de vtroque extremo scilicet mortalitatis & immortalitatis, & vtramque naturam participet. Nam triplex est creatura, spiritualis siue angelica, corporalis siue humana, & alia communis scilicet ex spiritu & corpore, vt *extra de sum. tri. c. 1. prim. Resp.* & no. Host. in prologo suæ summæ, ver. *est igitur hac vestra scientia*, ad fi. illius. vnde ius naturale, quod est in homine vt *ff. de insti. & iur. l. 1. § ius naturale*, prout ipse homo est particeps diuinorum, dicitur ius diuinum. pro hoc, 1. *di. c. 1. & c. humanum genus*. Prout autem hoc est in natura, cùm qua participat cæteris corruptibilis animantibus, & per quã habet sensum, motũ, & instinctũ ius, quod est in eo, hoc modo dicitur ius naturale, quod est cõmune omnib. animantibus secundũ Ia. de Are. & Cy. ibi: *ius vero naturale*, quod est in eo prout est homo sapiens & diuinus & humanus, dicitur naturale gentium, de quo *ff. de iusti. & iur. l. 1. § ius gentium*, cum l. se. Sed cùm omnis natura ordinetur ad quendam vltimũ finem, cum finis sit causa causarum in intentione, & est effectus causarum in executione, *35. di. c. ab exordio*: & *c. sexto die*: & not. Io. Ant. in *princi. 6.* Sequitur vt hominis finis duplex sit; vt sicut inter omnia entia solus corruptibilitatem & incorruptibilitatem participat, sic solus in duos fines ordinetur. primus finis hominis, vt est corruptibilis, est huius vitæ transitoriæ: beatitudo tamen qualis potest haberi: & hic finis consistit in operatione propriæ virtutis; & figuratur per terrestrem Paradisum, *de conse. di. 4. c. ecclesia*. Alius finis hominis, in quantum incorruptibili, est beatitudo vitæ æternæ, quæ consistit in fruitione aspectus Dei; ad quam fruitionem propria virtus non potest descendere, nisi diuino adiuta sit lumine. & hic finis pro cælesti Paradiso capitur *dicto c. ecclesia*. Et secundum has considerationes sumptæ sunt à Philosophis tres vitæ. voluerunt enim quod homini, prout communicat omnino cum brutis, competat vita voluptuosa: Sed vt est aliquid in seipso compositus, ex vtraque natura competat ei vita politica: vt autem participat cum substantiis separatis, quas nos angelos nominamus, competat ei vita contemplatiua. Quilibet ergo, vel viuit vt bestia, & de his non est sermo: vel viuit vt homo: vel viuit vt angelus. Et sicut duas viuendi formas probabiles ponunt, sic duplicem fœlicitatem in vita constituunt. nam vitam voluptuosam negant fore vitam fœlicitatẽ politicam & contemplatiuam, vt dicatur quis fœlix politicè, quando est fœlix, vt homo habendo in se prudentiam; quæ est recta ratio agibilium. Ponunt contemplatiuam fœlicitatem, vt dicatur quis fœlix contemplatiuè, quando est super hominem: & quando est fœlix non solum vt homo sed vt est in eo aliquid diuinitatis, & aliquod melius homine in his quæ aguntur: igitur ponunt fœlicitatem politicam: & in his quæ speculantur ponunt fœlicitatem contemplatiuam: & appellant nunc ipsum non hominem, sed homine meliorem. nam age & communicare in actionibus cum aliis competit homini vt homo est: Sed speculari & cognoscere veritatem competit ei, vt est in eo intellectus speculatiuus, qui est quid diuinum, & secundum quem communicamus cum Deo, & cum substantiis separatis Et ideo in *primo Politicorũ* colligitur, quod quilibet aut est homo, aut est homine peior, & tunc bestia: vel est homine melior, & tunc est quid diuinum. & has duas vitas in homine similiter distinguunt Theologi ponentes actiuam vitam & contemplatiuam. Ad has igitur vitas consequendas vel beatitudines seu fœlicitates, & ad hos fines attingendos per diuersa remedia veniri oportet. Nam ad finem beatitudinis terrenæ venimus per physicam, id est, naturalia documenta ista sequendo, & secundum virtutes morales & intellectuales operando. Ad secundum vero finem perducunt pro spiritualia documenta, quæ rationem humanam transcendunt. & istum finem assequimur per virtutes Theologicas scilicet fidem, spem & caritatem. Et licet Deus æternus per dicta sanctorum & prophetarum nobis hos duos fines ostendat, humana tamen natura, quæ procliuis est ad malum ab adolescentia sua 12 *q. 1. omnis ætas & in Auth. de mona. § si vero*. Nam ad motum & actum peccati naturali mouemur instinctu, *Auth. de resti. & ea quæ pa. §. vnam profecto*. plurimum ista prostergat. vnde necesse indigeni homines duplici directiuo, sicut duplex est finis noster in quem tendimus. Primus finis est Cæsar, qui per naturalia documenta & temporales potestates genus humanũ ad temporale fœlicitatẽ dirigit scilicet sedatis tempestatibus nostræ mortalitatis humanæ, nos cum mundo sumus in pacis tranquilitate custodiendo atque seruando. vnde hoc maximũ debet Cæsar curare, vt genus humanũ liberum in pace & tranquillitate quiescat, omni tyrannide ablata atque submissa. pro hoc in *Auth. de hære. & Fal. in prin. & C. de veteri iur. enu. l. 2. §. sed quia* deinde facit *l. 1. C. de offi. præfect. prætorio afri.* vbi dicitur quod sub tali imperio Romano subditi consequuntur libertatem, sub aliis seruitutem. Et in *prohemio decretalium*, vbi probatur quod pax est vnitas subditorũ: debet esse vltimus finis legislatoris. & cõpetit hoc propriè cæsari, qui mũdi huius trãsitorii & temporaliũ curã habere debet; nõ autẽ põtifici, qui esse nõ debet de hoc transitorio mũdo tẽporali

iuxta sententiam veritatis æternæ dicentis: *Rogo pater non sint de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Secundus finis est pontifex summus, qui secundum promissiones sanctorum patrum & fidem & spem, quam debemus habere, genus humanum dirigat ad cælestem patriam, vitam æternā. sed cum istius mundi sensibilis dispositio procedat ad dispositionem cælorū & superiorum, iuxta sententiam Philosoph i primo *metaphy.* & *2. celi*, dum inquit: *necesse est hunc mundū esse contiguū superioribus actionibus, vt omnis virtus inde regatur*: sequitur quod disponere isto fine & directiuo, per quod dirigimur ad beatam æternam vitam consequendam, solum ad illum ipsum spectet, qui cælorum dispositionem introduxit, qui est solus Deus. vnde à Deo solo hic finis, qui est Cæsar noster, disponi debet, nō ab alio. & hoc volunt tex. qui probant quod imperium sit à solo Deo, 10. *di. suscipite. de ma.* & *obe. c. solite. 23. q. 4. quæsitum.* & *in Anth. quomodo oportet epi. in prin.* & *in aut. consti. qua dedi in prin.* cum multis similibus multotiens allegatis. Ex quibus infertur conclusiue, Cæsarem à Deo immediate dependere, non per summi pontificis medium, qui directioni vitæ speculatiuæ & contemplatiuæ dedecus nō potest nec debet actionibus istis mundialibus turbari, vt maximè statim probant iura sequentia.

Capitulum XXXVIII.

NE prolixius diu euager diuersa referendo, vltimas confirmationes induco, vt ostendam imperium temporaliū non esse in sacerdotio nec esse posse. Certum est quod status religionis sine intermissione temporalium est altior perfectior & vltior omni ecclesiæ diuino cultu, quam status secularis ecclesiæ cum intromissione temporalium. hoc vult Augus. de Moribus ecclesiæ, dum dicit de Iob. *Sic amisit enim ille omnes diuitias, & factus est repente pauperrimus, sed in concussum tenuit animum quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in nouo testa. ab istarum possessione cohiberetur, vt perfecti esse possimus.* hoc idem Iero. ad Eliodorum inquit: *Perfectus seruus nil habet præter Christum: aut si aliquid habet præter Christum, perfectus non est.* Et idem in epistola de vita monachi Malchi describens ecclesiam inquit: *Adulta persecutionibus creuit, martyriis coronata fuit: Sed postquam ad Christianos principes venit, potentia & diuitiis maior est facta, sed virtutibus minor.* Hoc etiam probatur 12. q. 1. *duo sunt genera*: vbi insinuatur quod diuinis mancipati officiis debent ab omni strepitu temporalium segregari. Ex hoc enim clerici dicuntur, quia *cleros* Græcæ, Latine sors siue hæreditas dicitur, 21. *di. cleros,* & *dicto c. duo: c.* & *clericus.* quia in sortem vel hæreditatē Dei sunt vocati. sed qui Deum possident vel eius hæreditatem, vt vna cum Propheta dicere possint, *Pars mea Domine*, nil vltra Dominum habere potest quod si quippiam vltra Dominū habuerit, pars eius non erit Dominus, *dicto c. clericus.* Hinc est quod in veteri testamento qui erant in sortem vel in partē Domini vocati, funiculumque erant hæreditatis eius, non accipiebant partes inter cæteras tribus Israel, sed Leuita & sacerdos de altari & decimis substentabantur, *d. c. clericus,* & *23. q. 8* §. *ecce.* & hoc ne forte temporalium impedirentur à cultu diuino 12. *q. 1. cui portio.* quæ in eis prædicta manifestius figurantur ex corona, quam gerunt in capite. nam radendo caput nil aliud ex remotione pilorum figurari dicitur quam remotio temporalium: *dicto c. duo.* quid enim miserius quam propter temporalia Deum contemnere, cum Christus dicat: *Omnia quæ super sunt date & omnia munda sunt,* Lucæ 11. c. & 2. q. 1. c. *quia tua fraternitas.* & licet non abnegem, quod propter infirmitatem humanam ecclesia aurum & temporalia possit possidere, & aliquid temporalium, quod significatur mysticè per paruos pilos capitis, quod nos clerici non abradet. nam etiam Christus viam perfectionis ostendens in altissima contemplatione & paupertate tamen condescendit infirmis, 2. *q. 7.* §. *his ita.* Item & loculos habuit, in quibus designatū est, quod ratione infirmitatis humanæ aurum & temporalia habere possit ecclesia, vt 12. *q. 1. c. exemplum Domini:* & *c. expedit:* & *c. habebat Dominus loculos*: non tamen *hic promissus est vniuersalis administrationis temporalium, vel vt propter hæc Deo seruiat, sed tantum ne propter inopiam iustitia cultus deseratur.* Hæc verba sunt beatissimi Augustini in *dict. c. habebat Dominus loculos.* Si ergo temporalia sunt ecclesiæ permissa non vt propter hoc clericus Deo seruiat & subministret, sed vt pro ea cultus substentetur diuinus: quod clarius insinuat ipse Augustinus 8. *q. 1. sunt in ecclesia*, dum refert Paulum Apostolum dicentem, *sua quærentes: non quæ Iesu Christi*: quasi dicat, qui temporalia principaliter clericando quærunt, non Christum gratis diligunt, non Deum propter Deum quærunt, sed propter temporalia commoda cōsequenda lucris inhiantes, & honores ab hominibus appetentes, vt propter hæc Deo seruiant. quisquis tamen talis est, mercenarius est & inter filios eius se non computet: *dicto c. sunt.* Patet igitur quod non omnis vniuersalis administratio temporalium clerico potest esse commissa, sed tantum quantū diuinus cultus non deseratur inopia. Et hoc innuit Apostolus dicens, *habentes victum & vestitum his contenti simus* 12. q 1. *episcopus.* nam vt inquit hiero. *Aliena rapere conuincitur qui vltra necessaria sibi retinere.* probatur 42. *d.* §. *hortādus.* nec vsus terrenæ solicitudinis cur nos Dei ministros facere debet 49. *di. c. hinc enim* § *gibbosus.* In quorum spem Psalmista dicit in Psalmo. *Incuruatus sum vsquequaque, humiliatus sum*: quia vsus temporalium incuruat & humiliat, dum vacamus terrenis, obmissis cælestibus. Si enim in se vniuersam administrationem temporalium assumeret clericus, iam non per diuina sed per temporalia commoda altissimo ministraret, quod est contra Dei intentionem & commune bonum sanctæ matris ecclesiæ: iuxta illud quod scribitur 96. *di. c. bene quidem de clericis*: videlicet quos à iure dominationis inuasit & iugum disciplinæ ecclesiasticæ fecit respuere: quia tale exercitiū detraheret diuino cultui, essetque claudicare in duas partes, quod non licet 49. *di: c. sacerdotis*, id est, mundana velle & diuina. nam

Deficit

26. *di. Actius*, & quia esset Dei opera facere omnino descendere de perfecto ad imperfectū, quod non decet: sed potius liceret econuerso. Dico quod etsi summus pontifex, qui caput est religionis & pater patrum, vellet in se assumere vniuersam administrationem temporalium, quod nō arbitror, ex quo perfecto statui religionis ex alto detraheretur ad inferiorem statum totalis infirmitatis condescenderemus, & sic tolleretur de medio in ipso totus status altior commutando in inferiorem infirmum immo infirmissimum, contra voluntatem Dei & commune bonum ecclesiæ: & contra id Apostoli dicentis: *Si quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. q. 7. §. *his itaque respondetur*, essetque potius se manum ad aratrum apponere & retrocedere, quod electis Dei minime conueniens est contingere: nam cum obliti sint eorum quæ retro sunt, id est temporalium, quæ sola sunt æterna requirāt, pessimum esset si post exordia boni operis ad priora mala redirent temporalia, & contra sententiā Propheti dicentis. *Non reuertebantur*: & hoc habetur *de pœni. di. 2. nemo & c. non reuertebantur*. Profecto factum tale pro hæresi iudicarē, cum par sit à fide exorbitare, & alios exēplo vel verbo à fide deiicere, 2. q. 7. *c. qui ex vobis: ver. Paulus*. Si enim subuersor ecclesiæ & status sancti clericalis & boni communis eius, debet censeri non solum scismaticus sed plus quam scismaticus, multo magis esset in eo qui habet primo rationē capitis & pastoris 2. q. 7. *nos si incompetenter*. Et quia hoc esset tantum ecclesiam confundere, & eius bonum publicum & tyrannidem exercere, non dubito quod si quispiam, etiam summus pontifex in hoc facto persisteret pertinaciter, quod ei non esset obediendum tanquā papæ, immo esset tanquam hæreticus & tanquam lupus rapax à fidelibus totaliter euitandus, qui taliter nauiculam Petri cum omni susceptione administratione temporalium confundere niteretur. Per hoc, quod scribitur 40. *di. si papa*. Ex quibus concludo, hæreticum & insanum esse dicere quod vniuersalis administratio temporalium sit vel esse possit apud summum pontificem: quin immo apud aliam ecclesiasticam personam, ne ipsi qui Deo vouerunt cultum diuinum per administrationem temporalium ab ipso subtrahantur. & hoc manifestius figurauit ab æterno Deus hæc officia diuidendo in magna duo luminaria, vnum quod præesset diei, id est spiritualibus, alterum vero nocti, id est temporalibus, *extra de maio. & obe. solitæ*. Ex quibus etiam infertur, quod papa vel clericus quiuis alius in sacris constitutus non possit eligi Imperator: Clericus vero in minoribus sic, cum ipsis liceat cessare à diuinis & copulare matrimonio & secularibus omnibus se negotiis immiscere, etiam à se totaliter abdicando ordinem clericalem, vt in c. 1. *de cleri. coniu. li. 6.* Et hæc est ratio, quare quis simpliciter minores ordines suscipiendo cum ordinatione etiam ad titulum sui patrimonii non perdit feudum, & potest secularia exercere: secus si retineret secum beneficium vel sacros ordines susciperet; nam perdit feudum, vt in *c. si clericus, si de feu. fuerit controuer.* quia Deo militans congrue non potest seculo militare: *de bene. amic. c. 1. & dicto c. si clericus.* Illud vero ipsum cachinno pertranseo, quod quidam fugere volentes dicant habitu apud Romanum pontificem esse imperium terrenorū & nostræ mortalitatis, licet non productione immediate ad actum, sed per medium principis Cæsaris, quem dicunt à pontifice suscipere imperium & ipsius administrationes: & sic in eo à pontifice dependere. nam cui denegatur exercitium, & habitus denegatur: multo magis cum virtus consistat in exercitio nō habitu, vt patet *extra de sacra. vnc. c. 1* ibi, *Fides sine operatione mortua est, de pœ. di. 2. c. si n. 1. q. 1. Fertur & Iacobi c. 2.* Facit *de conse. di. 4. c. 5. & fi.* & virtus cuiusque rei consistit nō in solo habitu sed in operatione virtutis secundum Philosoph. *primo Ethi.* licet Seneca in aliquibus epistolis ad Lucillum aliter sentiant. Item administratio temporalium vniuersalis est contra naturam ecclesiæ, vt probant omnia iura præcedentia: ergo auctorisari imperio seculari non est de virtute ecclesiæ, cum virtutes vniuscuiusque rei naturam ipsius rei sequantur propter adeptionem finis. sed hoc esset non adipisci finem ecclesiæ, sed auctorisare imperium seculare: sed potius impedimentū, quia supra mōstratum est quod administratio temporalium retrahit ab administratione diuinorum. Ex quibus cōcluditur, imperium à solo Deo immediate esse in Cæsarem, &c.

SVMMARIVM.

Confutationes roborationum decem & nouem superius memoratarum de potestate Papæ vniuersali in temporalibus.

CAPITVLVM XXXIX.

Refellenda nunc puto ipsa obiecta in parte prima inducta ab his, qui adusti flammis inuidiæ plus sacrosanctæ Romanæ sedi compatiuntur. Quoniam ipse idem Christi vicarius gubernator, qui suis in pluribus decretalibus manifeste testatur, quod non intendit in aliena iurisdictiones aliquas exercere temporales, *extra, de iudi. nouit. de fo. cōpe. licet ex suscepto. & c. ex tenore. extra qui fi. sint le. c. causam, & c. per venerabilem*. Et ad illud Deuteronomii, & quod habetur in *ca. per venerabilem*; respondetur: nam Host. in *sum. de fo. compe.* intelligit hanc autoritatem in pertinentibus ad fidem, vel in causis spectantibus ad decisionem ecclesiæ. Vel responde. Nec negatur pontificem non habere posse secularium cognitionem causarum, & ad ipsum, vt ad summū patrem, cum contingit arduū iuris dubiū, nō sit ad principem Cæsarem & alios recurrendū, vt altitudine consilii ipsius summi pontificis Cæsar vel quiuis alius possit rite obscura etiam secularia terminare. Sed cum infertur: ergo vniuersalis

secularium cognitio & terrenorum est principaliter in pontifice: consequentia nõ est bona, quia assumptum seu prædicatum est de parte aliqua, & consequẽtia infert ad totum; quæ quidẽ non est eadem ratio, vt in parte. sed hic in toto non est eadem ratio: quia si omnis administratio temporalium esse posset in pontifice, iam detraheretur cultui diuino, per ea quæ dixi supra in parte proxima. & licet permiserit Achiæ primo executionẽ temporalium, fateor quod papa habet administrationẽ tẽporalium quatenus ancillantur diuinis, & pro ipsis indiget, 12. *q.* 1. *habebat Dominus loculos*: in aliis vero vniuersaliter non. Et licet legitimauerit regis filios, ex hoc non arguit congrue, ipsum habere vniuersalem potestatem: quia illud igitur est, cum de facto rex Franciæ non recognoscat superiorem: *insti. de pa. po. in fi. cum c. licet ex suscepto. & c. ex tenore*, non tamen habet continuo vniuersalem temporalium dispositionem.

Capitvlvm XL.

SEcundum vero quod dicunt de littera Gene. dicunt quidam hoc nequaquam posse consistere, vt mystice hæc istis duobus principibus comparetur. Nam si hoc esset verum, tunc sequeretur, quod prius fuisset secundum eos accidens quàm subiectum: quod est contra naturale principium. Sed sol & luna die quarta creati sunt, qui significant dignitates istas: homo autem sexto die fuit creatus, cui hæc accidentalia signa inhærent: ergo prius fuissent signa quam signata: & per consequens accidentia quam subiecta: quod est impossibile, cum non possit esse accidens sine subiecto; & ad remotionẽ subiecti sequitur remotio accidentis, *l. 2. ff de vsufru.* præterea dicunt: ista duo regimina sunt hominũ directiua in certos fines, vt ostendi supra in argumentis proximis in eo quod incipit: *humanum regnũ.* sed si homo stetisset in statu innocentiæ, in quo à Deo creatus est, vt *de pœ. di. 1. c. primus homo, & c. Adam. & c. princeps vitiorum. & c. sed nec Adam*, talibus directiuis non indiguisset, cum ista duo regimina sint introducta contra infirmitatem peccati: & homo non solum in die quarta peccator extitit, sed etiam nondum creatus erat simpliciter homo. Nam, vt scribitur secundo de anima, *Obiecta debent præcedere potentias.* Cum enim obiectum istarum dignitatum esset homo in sua infirmitate peccati constitutus: debuit igitur prius esse homo & in infirmitate quã constitutus huiusmodi figuratas dignitates. producere enim ante remedia, hoc fuisset otiosum secundũ istos. Ego vero has responsiones falsas dico. primo autoritate ecclesiæ, quæ sic ista duo luminaria interpretatur, vt significet hæc duo regimina *de ma. & obe. c. solita.* præterea quia, licet dum sol & luna creati fuerunt nõ essent in orbe huiusmodi regimina, & sic non significarent duas has dignitates, tamen cum ipsa regimina primũ in mundum peruenerunt, adueniente signato id quod prius erat in alia qualitate, nunc incipit esse signum. ad hoc tex. bonus *ff. de noua. l. stichum. §. si quis ita.* Nam obligatio nouans non potest esse ante nouatam obligationem, quia sic priuatio habitum præcederet, quod est impossibile, vt ibi notatur. Sed conceptio stipulationis nouantis potest esse ante conceptionem obligationis nouatæ: sed iuris intellectu dicitur præcessisse obligatio nouata ipsam nouantẽ. sic ex intentione Dei & inspectoeius intellectu, qui vult quod per hos duos planetas hæc duo regimina significari, ipsa duo lumina cælestia præcessit homo quantum ad hoc, vt per ipsa significarentur duo ipsa regimina, licet eorũ planetarum conceptio seu creatio ad hunc finem præcesserit ipsum hominem aut homines. Simile videmus in obligatione fideiussoris, quæ non potest esse sine principali, quia interdum obligatio fideiussoris præcedit obligationem principalis, *l. si ita stipulatus. § adhiberi. de fideius.* tamen quo ad effectum nunquam fideiussor incipit prius obligari, quam si obligetur principalis: sic licet hæc planetarum creatio præcesserit, tamen nunquam inceperunt esse signum, nisi signato adueniente, cuius contemplatione secundum intentionem Dei creati erant. Sic etiam beatam virginem Mariam *stellam* scripturæ commemorant. Nunquid beata virgo stellas prioritate præcessit? non certe, sed ipsa adueniente, stella ipsa factum est signum. Præterea nullus dicit, quod hæc duo luminaria sint in veritate illa duo regimina, licet sint figurata vel figuræ duorum regiminum. & ideo figurant accidẽtia quæ in propriis substantiis congruis temporibus à Deo futura præuidebantur. Et si hæc figura esset accidens, non esset accidens rei figuratæ sed figurandæ. & sic figura non debuisset esse ante peccatũ: quia si homo non peccasset, nõ indiguisset tali remedio. Adhuc delirant. nam passio Christi morientis in cruce, & formatio ecclesiæ de latere Christi dormientis in cruce, fuerunt in remedium contra infirmitatem peccati. Et si homo non peccasset, tali remedio non indiguisset: & tamen talis passionis & sacramenti, antequam homo peccaret, figura præcesserat, quando formatio Euæ de latere Adæ dormientis figura fuit formationis ecclesiæ de latere Christi dormientis in cruce. Alia vero vtamur responsione. Dico ergo quod dum hi credunt argumentum pro se inducere, suam confusionem inducunt. Nam licet luna nullum habeat lumẽ à se, nisi à sole, cum sit corpus opacissimum, non tamẽ sequitur quod operatio & effectus lunæ sint à sole: immò sunt à propria intelligentia mouente orbem ipsius lunæ. hoc ostenditur; quia si operationes lunæ essent à sole, ergo essent secundum dispositionẽ solis, quod est falsum, quia sunt contrariæ. fateor tamen, quod quantum ad melius & virtuosius operandum, sicut luna recipit lumen à sole, ita imperium recipit lumen ab ecclesia: lumen dico scilicet fidei, iuxta id Io. 1. c. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem* 21. *di. c. 1. in fi.* Et in symbolo, *lumen de lumine.* Et hoc tamen in administratione temporalium dico Cæsarem ab ecclesia non dependere, sicut nec luna in suis operationibus à solis luminibus non dependet, vnde hoc eorum argumentum potius concludit ad oppositum.

Capitvlvm XLI.

TErtio respondetur rationi, quæ vtique vera est vsque ad vltimam illationem, cum dicunt, quod hic vicariatus non est datus Cæsari sed Apostolico. Nam hoc est falsum, quod imperium terrenorum

norum

norum sit datum Apostolico: immo est ademptū. Et vicariatus eius est in diuinis & diuino dominio, non in humanis, sicut & Christus habuit, vt dixi in argumentis secundę partis, *in* 1.2. *&* 3 *argu.* Et dū subditur: *ergo in terris duo erūt vicarii*, negatur. Nam si clerici & pontifex, prout se non immiscent terrenis, non sunt de mundo, sicut nec Christus fuit de mundo, *Io.*17.*c.* vnde solus Imperator dici debet in terrenis Dei vicarius, & in diuinis pontifex, quæ nō sunt de mundo licet sunt in mundo. Præterea respectu eiusdem regiminis non possunt duo vicarii ordinari, sed respectu diuersorū regiminū possunt duo vicarii distincti ordinari. patet in episcopo, qui ordinat vicarium in temporalibus & alium in spiritualibus: & vnus ab alio non dependet; sed tantum ab episcopo quilibet ipsorum dependentiam habet: quia quæ non sunt eiusdem rationis, vnum nō reducitur ad aliud. sed spiritualis & temporalis iurisdictio non sunt eiusdem rationis: igitur vna ad aliam nō est reducibilis. Et quæ distincta sunt in se & ad distinctos fines ordinantur, vnum nō est ab altero, vt est papatus & imperium distincta in fines diuersos 96.*di.cum ad verum.* & ideo vnum non debet ab alio ordinari, immo immediatè reducuntur ad aliquod certum. Et hic Deus est; à quo immediate sunt papatus & imperium. & ideo Deus æternus duos constituit vicarios, vnū in spiritualibus, alium in temporalibus. Et cum dicis: *ergo præsupponis in terris duos vicarios, & sic duo principia. & hoc est hæreticum*, fit præcedens responsio: quod licet vicariatus papæ sit in mundo, non tamen censendus est de mundo per prædicta. Et licet ambulatio supra mare significet vniuersale dominium Petri in mundo, debet tamē intelligi de dominio, quod habuit Christus vel diuino vel naturali, non de ciuili, vt infra dicam.

CAPITVLVM XLII.

QVartæ rationi respondetur, quod verum est, quod vna est ecclesia habens vnum caput summum pontificem, de qua etiā est Imperator, qui de Christi ouibus est. Et verū est, orbis pontificem patrem. Sed dum subditur: *ergo dependet Imperator ab eo vt inferior*, fateor vario & diuerso modo; quia dico respectu diuinorum, in quibus in terris est papa Christi vicarius, Imperator filius est ecclesiæ & summi pontificis. Sed in temporalibus nil habet commune cum papa, cui nec habitu nec exercitio temporalia sunt commissa vniuersa, sed soli Cæsari. & quod respectu aliquorū possit esse quis subditus & etiam aliis liber, probat tex. *in l.fi. C.de iur. dict. omnium iudi.* Et dum subdis, *ergo in terris erunt duo vicarii*: nego, quia, vt dixi, vicariatus papæ, prout tantū in diuinis mediatur nō censetur de mundo, nec est de mūdo, vt proxime dixi; sed solus vicariatus imperii est de mūdo isto terreno, cui & subiacet papa & clerici, quatenus iure seculi alia quam diuina quærunt sibi bona vt propria quærere 8. *di. quo iure.* 11 *q* 1. *magnum. & c. si tributum* 23 *q.* 8. *conuenior. §. ecce. & eadem q. c. tributum.* Et his etiam respondetur, quod est vnica Dei filia, vnica Dei mater, vnica Dei Archa, vnica sponsa: habet vnicū patrem, vnicū filium, vnicum rectorem, & hæc papa; non tamē ex his sequitur, quod pro administratione temporalium Cæsar à papa potestatem recipiat sic nec inferiores alii in suis actionibus non recipiunt à suis maioribus administrationem, sed à Deo & à se ipsis habent.

CAPITVLVM XLIII.

AD quintam rationem dicendum, quod assumptum est verum primum. Item & illud est verum quod Imperator de clericis & summo pontifice iudicia non præstat. & dum subditur: *ergo non est monarcha*, consequentia non tenet. nam clerici prout se temporalibus non immiscent, & Deo seruiunt, sancti sunt, & liberi in omni regno 23. *q.* 8 *§. ecce.* quia lex non est imposita iustis, & Gala. 2. *&* 19. *q.* 2. *duæ sunt.* & ratio, quia leges seculi & monarchia Imperatoris est à Deo ordinata ad dirimenda litigia, quæ oriuntur ratione secularium negotiorum: & talis potentia in illos non extenditur, qui ipsis se non immiscent. Et hi, vt dixi, nō sunt de mundo, & sic nō sunt sub monarcha mundi. Sed quatenus secularibus se immiscent negotiis, quis hoc dicit ipsos non subiectos legibus seculi pro ipsis saltim secularibus negotiis? cum Augu. contrariū dicat super Io. 8. *di. quo iure.* & Ambro. 11. *q.* 1. *c. magnum.* & Gratianus ibidem *in § his ita. &* 23. *q.* 8. *§. ecce.* Et dum subditur, quod *de tota ecclesia papa iudicat*, hoc verum spiritualiter iudicando: sed temporaliter non. vnde temporalia non exercet in terris imperii, *quisi. sint legi. causam.* & de Imperatore iudicium dat spirituale, sub quo Imperator vt filius est papæ & de ouibus Christi, non temporaliter nisi forte in patrimonio Beati Petri, quod hodie forsan est factum sanctum sanctorum, & quod est datum papæ ab Imperatore pro diuinis sustentandis obsequiis, *de elec. c. fundamenta, li.* 6. Et dum subditur, quod papa auctorizatur cum aliis, fateor quia in ipsis spiritualia & ecclesiastica negotia sunt tractanda, in quibus pontifex ipse monarcha est, non Imperator Augustus. Si autem conciliū pro temporalibus tractandis principaliter celebraretur, tunc audacter dicerem, potestatem concilio non pontificem sed Cæsarē præstare debere, qui in rebus seculi omnibus est monarcha. & hoc potest perpendi in *Pace Constantiæ*: itē & in legibus vniuerso populo datis per Iustinianum principem sacratissimum. Et dum subditur, quod *Petro & papa datum est soli à Deo regnum cælestis & terreni imperii*: respondetur, quod debet intelligi de regno, quod Christus in terris habuit, quod fuit spirituale & diuinum non humanum, cum discipulis disposuerit regnum, sicut pater disposuit sibi regnum, *Luca* 22.*c.* & quod intelligatur de Christi spirituali regno patet per dicta in primo, secundo, tertio argumento vltimæ partis.

CAPITVLVM XLIV.

SExtæ rationi respondetur, faterique oportet pontificem Cæsare superiorem, ipsique filium Cæ-

Digitized by Google

sarem, & omnia in ipsa tecitata vera esse, præterque in consequentia, vt dum subditur: *sed hic profecto Cæsar non est*, hoc verũ non sit. Nam superioritas summi pontificia est in spiritualibus, pro quibus Cæsar filius est ecclesiæ. *C. de summa tri. epistola Victor. & 23. q. 8. c. conuenior.* In quibus ipse Cæsar à pontifice dependet vt filius & inferior. quæ spiritualia quidem temporalibus sunt maiora, sicut sol maior & nobilior est luna, *de ma. & obe. c. solita*: sicut aurum plumbo est nobilius, *96. di. 2. duo sunt.* Et istis respectibus filius Augustus non est præferendus pontifici etiam ratione temporalis suæ potestatis, quia spiritus non debet cedere carni. *10. di. suscipitis, & eadem di. c. lege Imperatores.* Et quod de spiritualibus prædicta intelligantur, ostenditur *96. di. si Imperator*, circa finem, ibi; *non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam.* pro humanis autem Imperator omnibus præest, & pro administrandis humanis legibus, de quibus pontifex se nõ debet intromittere. In quibus si se intromittit, Cæsari pro ipsis temporalibus est inferior. vnde respectu vniuersorum potest quis dici maior & minor, non eiusdem subiecti, vt infra dicam.

CAPITVLVM XLV.

AD septimã rationẽ respondetur, quod pontifex habet plenitudinem potestatis spiritualium, & in hoc nullus insolidum secum est Dominus: Imperator vero temporalium. Et dum fit argumentum à maiori, quia licet iudicat spiritualia, ergo & temporalia: fatendum quatenus spiritualia negotia concernunt, & in certis casibus. vniuersaliter autem, quod pontifex habeat vel habere possit ipsarum cognitionem, non per ea quæ dixi in finalibus argumentis partis vltimæ; quia & argumẽtum à maiori non concludit vniuersaliter, cum veniretur ad absurdum. sed absurdum patet quia cognitio & adminstratio temporalium esset impeditiua exercicii diuinorum: ergo argumẽtatio nõ tenet. facit quod dixi in argumento finali huius vltimæ patris.

CAPITVLVM XLVI.

OCtauæ rationi clara est responsio: quod qui habet principale, habet & consecutiua nisi alteri sint disposita. Sed administratio humanarũ legum & seculi Deus distribuit per principes & reges, nõ per pontifices, *8. di. quo iur. 96. di. si Imperator. & c. duo sunt.* ergo nõ pontifex. pro hoc, quia cõcessio sequentium esset impedimentum concessionis principalis, id est, administratio temporalium esset impeditiua concessionis spiritualium, vt pluries est dictum. igitur non venit in consequentiam id quod esset impedimentum principalis. Et dum arguis à concessione consequentis, vnde dari debet antecedens, & omnẽ per quod peruenitur ad illud, respondetur: nec negatur pontificem nõ habere administrationem temporalium, quatenus diuina sustentetur, quia hoc licet exemplo Christi qui loculos habuit *12. q. 1. c. exemplum Domini. & c. habebat Dominus loculos.* Sed benè negandũ est, pontificem habere vel habere posse vniuersam administrationẽ temporalium. sed de quo est disceptatio nostra, quis inferiorum omnium corruptibilium iura retineat monarchæ: quam non esse in pontifice, sed in Cæsare, pluries est ostensum. nec obstat quod qui principatur fini, debet principari principio eorum quæ sunt ad finem, & sic eorum principem: quia licet hæc sint vera, dico, principatur princeps finis propter ipsum finem, & occasionem ipsius tantũ finis necessitat ea quę sunt ad finẽ. Et sic papa necessitat Cæsarem ad spiritualia, & occasione eorum disponit in consequentiam de temporalibus, *de re iudi. ad Apostolica, li. 6. de iudi. nouit*, cum si. principaliter tamẽ nõ disponit papa de temporalibus ad alios respectus quã ipsius finis. & sic est Imperator subiectus papę in tẽporalibus ratione spiritualium non autem mere ratione ipsorum temporalium. Exemplum præbeo materiale. si est Dominus domus fiendæ, qui habet artifices cum instrumentis, si pręest eis ad domum ipsam construendam quæ est finis ipsius Domini domus, non præerit ad alios vsus vel actus, vt hæc optime probantur in *le. fin. C. de iurisdictio. om. iu.* vbi artifices subsunt rectori vniuersitatis tantum in concernentibus artem ipsam: sic in pontifice. sed nos non negamus Cæsarem subditum pontifici ratione spiritualium, sed absolute negamus temporalia pontifici subiecta, sed Cæsari. nec sequitur, potestas imperialis reducitur & ordinatur ad potestatem papalem, cum finis ipse politicæ, qui est finis potestatis imperialis, reducatur & ordinetur tanquam ad maius bonum ad fœlicitatem speculatiuam, quæ est finis summi pontificatus, tamquam Archytectonica est præceptiua & dominans ac legem imponens ipsi politicæ & potestati imperiali: ergo potestas papalis est imperialis, vel papa habet administrationem temporalium, sicut isti arguentes videntur inferre, quia non sequitur. quis non videt, vnam scientiam alteri subalternari, & vnam reduci & ordinari ad reliquam, absque hoc quod altera prædicetur? similiter ars frenifactiua ordinatur ad artem equestrem, equestris ad militarem, militaris denique ad ciuilem: & ita ad ciuilem omnes artes tales reducuntur, vt vult Philosoph. 1. *Ethy.* non tamen altera prædicatur, vt dicatur equestris est militaris vel contra. nec obstat dicitur de intellectu speculatiuo, in quo repræsentatur pontificalis potestas, & ad quem ordinatur intellectus practicus vt ad suum finem: & sic debet papa posse mandare Imperatori, sicut intellectus speculatiuus cogit & necessitat intellectum practicum: quia licet potestas papalis possit præcipere imperiali, non tamen debet aut potest papa per se ipsum administrare ea quæ sunt imperialis officii, nec illa habet aut habere potest in habitu aut in actu. Et ideo verum est quod scribitur *10. di. quoniam*, quod mediator Dei & hominum homo Christus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discernit. Nequaquam ergo potest ex potestate summi pontificatus, nisi ab Imperatore ipsi committeretur, ea quæ sunt temporalia ministrare, nec eorũ exercitum habet in habitu nec in actu, sicut

nec

Digitized by Google

nec motor superioris orbis stellati orbis Saturni & aliorum inferiorum motionem in habitu nec in actu habet, sed mouentur à propriis ipsorum intelligentiis, licet motor orbis Saturni, si possibile esset ipsum inordinatum fore, ab ipso motore orbis stellati deberet reordinari & corrigi; quod nec nos de Imperatore negamus, quin si deuiet à debito ordine suæ administrationis à Pontifice non possit regulari & corrigi. loquor de liberatione, quæ impediret finem imperii, scilicet vitam politicam, quæ ordinatur ad speculatiuam. vnde si regimen esset ita inordinatum principis, quod tolleret beneficium speculatiuum, vt quia Imperator schismatizaret vel deuiaret in fide, tunc possit à Papa ordinari & corrigi. nec tamen ex hoc sequitur, in habitu nec in actu potestatem imperii esse vel esse posse in ipso Pontifice, immo penitus sunt operationes separatæ atque distinctæ. Et cæsar in temporalibus, nisi à Deo, à nullo noscitur dependere, nisi quatenus necessitetur ad spiritualium & vitæ speculatiuæ finem. hoc potest ostendi, quia vltimus finis hominis inquantum homo, non dico inquantum participat cum substantiis seperatis, sed inquantum homo, est tantum ipse solus intellectus practicus; ergo directiuũ finis hominis inquantum homo, erit potestas ipsa imperialis omnino circumscripta & remota à Papali, sicut remoueretur operatio intellectus speculatiui in homine solum vt homine considerato, & Imperatoris si nec tum non sunt simpliciter corpora & corporalia, sed ad ea quę consistunt in intellectu practico, cuius finis est prudentia, quæ est recta ratio agibilium. vnde tollitur illa argumentatio, quod si Papa præest animabus, ergo & corporibus, cum corpora sunt sub Dominio animæ, Item non nego quod Princeps non debeat reduci ad Pontificem, & quod ab ipso tanquã à primo principio debeat regulari: sed ista regulatio debet esse respectu finis ipsius Pontificis. i. administrationis diuinorum & spiritualium. Et hoc modo si obliquus foret Imperator, emendari & corrigi posset: sed aliis respectibus non dependet ab ipso Pontifice. Item per hoc non dicitur Pontifex habere vel habere posse habitu vel actu administrationem temporalium, quia cum speculatio & bonũ intellectus speculatiui non possit habere, nisi quis penitus abiiciat temporalia & ipsorum curã, quia ipsa impeditiua sunt contemplationis, vt est tex. in *c. diuersis fallaciis, de cle. con.* ita Papa non potest habere bonũ Papatus nisi remotis temporalibus. Et ideò habet illa practicus intellectus, cuius finis est rectè operari, licet in operationibus suis à speculatiuo intellectu habeat ordinari & dirigi. & hoc nos de principe non negamus, ad finem tamen suæ optimæ speculationis. Et ita Papa ad finem fidei nostræ augendæ & conseruandæ. vnde hæc argumenta, quæ videntur colorata, tendũt potius ad oppositũ. Nec enim Pontifici est commissa animarum gubernatio, nisi ad æternam vitam quærendam. Et ex hoc dicitur quasi ad aliam vitam pontem faciens, nõ ad operationes humanas, quia ad ista est positus Imperator, cuius finis est actiua vita & operatio practica intellectus.

CAPITVLVM. XLVII.

NOnæ rationi respondetur negando antecedens. nam non est recipi potestatem imperii à pontificibus, sed à Deo, & per medium Romani populi, quia habet à Romano populo, qui hanc iurisdictionem transtulit in principem, *insti. de iure naturali. §. sed quod principi*: Et hodie per Electores qui eum elegerunt, qui habent ex consuetudine approbata, quæ ius tribuit eligendi, vt in *c. venerabilem, de elec. & in c. ad Apostolica, de re. iu. in 6.* immo etiamsi Papa eligeret, non tribueret ipse potestatem imperii, nisi materialiter, vt dicam in responsione decimæ rationis. Nec etiam Electores tribuunt potestatem, sed Deus, vt ibi dicam. determinant enim potius personam ad talem dignitatem, quam ipsi tribuant potestatem sicut & collegium Cardinalium determinat personam Papæ, nec tamen per electionem ei ius tribuit, vt ibi dicam. & licet ipsi sacramentum præstet, non valet consequentia: ergo Papa est vniuersalis Dominus temporalium. licet pro hoc Papæ efficiatur inferior, quod ego non nego in spiritualibus; in temporalibus non, quia si vellet Cæsar se submittere & Romanum Imperium alteri, vtique non posset, pro hoc *l. legatus ff. de offi. præsi.* Item ad iurandum si non velit compelli, non potest, vt infra dicam. Nec si iurat, est fidelitatis iuramentum, per quod censeatur inferior, vt tangam infra in quæstione, *an potest compelli ad aliquod iuramentum præstandum.* Item non dicunt illa iura, quod Imperator recognoscat potestatem à Papa, sed iurat Papæ, quod sibi fauebit & exaltabit Ecclesiam. Et si hoc esset verum, quod recognosceret à Papa, non est ex potestate summi Pontificatus, sed ex concessione sibi facta ab Imperio, quæ posset reuocari; sicut & alias fuit in Cæsare, qui eligebat Pontificem. *63. di. Adrianus*, & tamen Papæ non erat superior, vt latius ibi dicam. Dum etiam arguitur, quod de Imperio ad libitũ disponit &c. respondetur, quod ratione temporalium hoc Papa non facit nec facere potest, vt est text. *de iudi. nouit.* nisi in consequentiam ratione peccati potest omnes compescere & ad pœnitentiam reuocare, *extra, de iudi. nouit. 11. quæst. 3. prædicandum. 6. q. 1. illis.* & quod dixi ratione peccati, non intelligo, quod pro quolibet peccato Papa temporalia posset ad se reuocare, quia hoc esset subuertere, vniuersam alterius iurisdictionem, contra *c. nouit*: sed intelligo, quando sunt grauia peccata, propter quæ ecclesia potest causas à se reuocare, vt puta denegationem iustitiæ, *de foro compe. c. ex tenore. & c. licet ex suspecto*, vel si crimen sui natura esset ecclesiasticum, vel ratione pacis, vel iuramenti, vel quia sit notorium, vel si proponitur contra imperatorem à miserabili persona: tunc dico, quod ratione peccati ei denunciat Papa. non dico, quod ex istis eum deponat, quia potestatem, quam ab eo non habet, non potest ab eo priuari, nisi staret in sua obstinatione, & incurreret hæresim vel periculum & suspicionem hæresis. Nam tunc posset priuari & declarari, *d. c. Apostolica*, & quod ibi nota. & quod habetur. 40. *di. Papa.* nec mirum, quia Pontifex talibus causis esset ipse deponendus. Et idem si in contemptum clauium Imperator dei-

Digitized by Google

ceret nam posset deponi, 22. *di. c. §. quis autem. & 24. q. 1. hac est fides, v. si autem. & 3. q. c. rogamus, & c. alienus*, Et ratio: quia deierans & per annum perseuerans in excommunicatione, est suspectus de hæresi, & potest deponi: immo si certa sit hæresis, est ipso iure depositus: *de se. exco. c. cum secundum leges. l. 6.* vnde Papa principem non deponit, quia administratio ipsi subdit: sed ratione peccati, per prædicta. Facit quod nota. *de iudi. nouit. & in d. ca. ad Apostolicæ.* vbi quidam expresse tenent, quod à Papa princeps non deponitur pro peccato etiam mortali non data incorrigibilitate. Et istud credo verum: & tunc facit ratione propriæ suæ iurisdictionis spiritualis propter peccatum, non quod præsit vniuersali administrationi temporalium. Simile dico de translatione, quod de priuatione, cum translatio sit priuatio vnius & concessio alterius. Aliis iuribus introductis supra responsum est in e. responsione. &c.

CAPITVLVM XLVIII.

Decimæ rationi respondetur ex text. *dicti c. venerabilem.* Nam Electores in consequentiã habent ab Ecclesia potestatẽ illam eligendi, non quod illa potestas sit in sacerdotio principaliter: quod patet quia non posset pontifex eligere primum do Electoribus non negligentes iure eligendi. *de re. in ca. ad Apostolica. in tex. & glo. pe in fi.* Item non sequitur: Papa examinat, inungit & coronat: ergo habet vniuersalem administrationem temporalium, vel ex hoc Imperator istam potestatem habet: quia eadem de causa diceremus de electoribus, qui cum eligunt, Colonien. Archiepiscopus cum corona ferrea coronat Aquisgrani: & Archiepiscopus Mediolan. eum coronat argentea corona in villa Modoeciæ: & nota. *de iur. iur. cle. Romana.* in glo. *vestigiis.* Et tamen falsissimum esset dicere, hos coronantes vel eligentes habere vniuersam potestatem terreni imperii vel principẽ ab illis habere imperii potestatem. vnde similiter nec hoc infertur in pontifice summo antistite, qui si quam habet iurisdictionem in causis imperii, habet ab ipso imperio: sicut & olim Imperator habeat in causis pontificatus, qui eligebat pontificem cum alio clero: vt no. 23. *di. in nomine Domini.* ibi. *saluo semper honore. & 63. di. in synodo. & in. §. electis & c. Adrianus*; Nec ex hoc tamen maior erat pontifice, vel habet iura põtificatus. non ergo si consecrat vel coronat, facit ex potestate sibi data immediate à Christo, vel potius ab imperio vel eius consensu. Nec ex hoc etiam arguimur, principem à Papa habere huiusmodi potestatem in Papam cum habere potestatem imperii, sicut nec habent ipsi Electores Imperatoris aut Papæ qui eligunt eum. Ex quo sequitur, quod Papa non habet potestatem eligendi & coronãdi Imperatorem, & ex potestate summi pontificatus quam accepit à Christo: sed coronãdi habet ex cõmissione sibi faciam ab Imperio, quæ vtriq; posset ab Imperio reuocari: quemadmodum & Imperator non habet potestatem eligendi Papam ex iurisdictione Imperiali, sed ex autoritate sibi concessa ab Eccelesia, quæ demum reuocata est: *dictis iuribus.* Nam simile videmus in regibus, qui aliquando constituerunt sacerdotes: vt. 1. *Reg. 2. c.* Nam Salomon constituit Sadoch sacerdotem: nec ex hoc Salomon Rex debet dici superior sacerdote in causis Dei, vt 2. *q. 7. §. item cum Dauid*, licet eum constituerit sacerdotem. vel si vis dicere quod habeat pontifex potestatem hanc à Christo, dicas quod habet per illa verba de quibus in *c. per venerabilem. qui si sint le.* quia ratione difficultatis vel ambigui ad Papam recurrendum est: sed quoniam laborat in maiori difficultate genus humanum, quando caret capite: & ideo congruum est, vt tunc pro modico illo tempore succedat pontifex, & sui altitudine consililii generi humano prouideat. Et ideò examinat, approbat personam principis: quia hoc est arduum & ambiguum, quis ad tantum molem subeundum idoneus dici debeat. Et ideò ad ipsum pontificem spectat talem personam iam per electionem determinatam approbare & inũgere, quia talia sacramentalia & spiritualia quodammodo sunt. Et quia princeps esse debet de ouili Ecclesiæ & de ouibus Christi, & ideo Papæ data est facultas examinandi & cognoscendi, si talis esset. Et talis approbatio est impropriè confirmatio: vt *de elec. venerabilem. & de elec. cle. 1.* vbi tex. dicit quod *reputat ipsum idoneum, nominat & denunciat.* Nota quod non dicit, *eligit* vel *confirmat*. & ratio, quia cõfirmatio fit, vt in confirmatum potestas transeat administrandi: *de elec. transmissa. & de elec. c. auaritiæ. li. 6.* sed potestas administrandi in principem transit in ipsum ex sola electione. nam in primæuo iure ex sola electione Romanus populus iurisdictionem transtulit in principem. vnde ex sola electione etiam hodie illam habet. Sed quia tempore hodierno gratiæ Imperator debet esse catholicus, & de ouili ecclesiæ. 24. *q. 8. conuenior*, ideo Papa omnia prædicta facit. non est igitur vt ius aliquod Papa habeat in Imperio, vel quod ex his aut ex hoc à Papa princeps imperium recognoscat, sed vt videatur si de ouibus Christi est & de ouili ecclesiæ vt tantæ dignitatis capax sit. vnde male argumentant, qui ex hoc dicunt principem Cæsarem ab ecclesia propter ista imperium recognoscere. Et ideo credo, quod si princeps esset fidelis, & non excommunicatus, & non sacrilegus, quod Papa nõ posset ipsum improbare allegãdo, quod alius esse posset magis idoneus: quoniam ius eligendi principẽ, vel ipsum confirmandi, vel eius personã determinandi non pertinet ad Papam, vt supra dixi. falsitas hæc etiam patet in collegio cardinalium, quod eligit & confirmat pontificem, & tamen non tribuit potestatẽ dominii ipsi Papæ, sed habet à se & à Deo quod immediatè, in *auten. cõsti. qua de digni. in prin.* & in *auten. quo oport. epi. in prin.* Et idem de eligentibus principem. 23. *q. 4. quæsitum.* alias sequeretur, quod solus Petrus habuisset potestatẽ summi pontificatus immediatè à Christo, & non alius Papa: quod minime verũ est, nec est modo aliquo concedendũ, cũ omnis Papa habeat à Deo immediatè potestatẽ. Et licet cardinales eligãt, tamen ei nõ præbent potestatẽ: quia eligere & confirmare nõ est dare potestatẽ: immo à se & immediatè à Deo habet, vt no. *ff. de iurisd. om. iu. l. & quia. & l. more.* Licet enim eligatur ab electoribus habet tamen suo iure, & non alieno, id est, quia habet de iure, quo principaliter fundatur & radicatur in personam ipsius principis: vt nota. *in d. l. more. & l. & quia.* qui vero habent à iure principaliter radicato in personam alterius sunt delegati. *l. 1. §. qui mandatam. ff de offic.*

Digitized by Google

[illegible] est iurisdi. secundum Bar. in *d. l. more. & l. & quia.* sed hoc vltimum non placet. Nam Cæsar habet à iure, quod erat radicatum in personam populi Romani, qui condidit legem, regimina & ius radicatum in ipso populo transtulit in principem. vnde secundum Bar. Princeps nõ esset ordinarius: quod est falsissimum, vt dixi. ad hoc *l. 1. ff. de consti. princ.* præterea quilibet ordinarius habet à iure principaliter radicato in personam principis, alias si hoc ius radicatum princeps non haberet, alteri non concederet. Et ideò aliter dico, quod solutio glo. *in d. l. & quia*, potest esse vera, quam damnat ibi Bar. quod is habet alieno beneficio, qui habet ab eo, qui non potest ordinariam concedere. Ille autem habet iure proprio, qui habet à lege vel principe, qui potest ordinariam conferre, si ei conferat vt ordinario & iure proprio, i. iure radicato in propriam personam: licet volens dare ordinariam, aliquando conferat delegatam, quando non radicat ius principaliter in personam constituti, si princeps alicui committit vt cognoscat autoritate sua: vt nota. in *prohœmio insti. & in d. l. more. & l. & quia, ibi. 2. q.* Cum ergo iurisdictio, quæ confertur principi, concedatur à lege regia, est principaliter in ipso iurisdictio per se, non per electores, quia per eos est sicut per quoddam instrumentum. & similiter iurisdictio Papę est à Deo immediate, licet per organa eligentium: Nec tamen organa talia sunt conferentia ipsam potestatem, sed Deus seu Romanus populus, qui facit per tales ministros. papatus ergo & imperium prout sunt quid formale, quantum ad officium & auctoritatem, non est per electionem Cardinalium vel electionem imperatoris, sed per Deum, qui potestatem vtriusque discernit, quia sedem Apostolicam ipse constituit: *de tran. præla. quinto.* item & imperium, vt *in auten. quomodo oportet epi. in prin.* nec est mirum, quod dicunt quidam, quod iurisdictio est in Papa, & remanet apud ipsum habitus, & exercitium committit Cæsari: vt notant canonistæ in. *c. nouit. de iudi. & in c. licet ex suscepto. de fo. compe.* quia hoc est falsum. nam si esset hoc verum, tunc Papa posset reuocare iurisdictionem imperialem, per *l. iudicium soluitur, ff. de iudi.* quòd non est verum, vt nota. *de re iudi. c. ad Apostolica.* Cum igitur Papa non possit eligere, nec eligat Imperatorẽ, nec ipsum instituat vel confirmet, nec in potestate ipsum regulet, vel ordinet, nisi quantũ pro fide indiget, vel quatenus fidelis esse debet Imperator: & idem ipsum examinat & idoneum denunciat: sed si delueret aliter, quã speculatiuam vitam impediendo, ipsum non corrigit: patet, quod ab eo Pontifice potestatem non habet. dico tamen quod si consideretur in papatu vel imperio determinatio personæ istius vel illius, quod est quid materiale, isto modo imperium & papatus bene est per electionem, vel ab electoribus, qui eligant magis Petrum quam Iohannem. Et talem potestatem habent Cardinales à Pontifice prædecessore, qui constituit ipsos habere ius eligendi: alias potius ab Ecclesia vniuersali, quam Cardinales & electores in hoc ipsam totam repræsentant, vt 23. *di. in nomine Domini, & de elec. vbi periculum, li. 6.* Et similiter electores imperii habent ab Ecclesia: vt *de elec. venerabilem.* i. ab vniuersali collegio fidelium, & sic à populo Romano: vt nota. Bar. *de cap. l. hostes.* non obstat. quòd Papa est Rex & sacerdos: quia intelligitur de Regno Dei spirituali, quod habuit Christus, vt dixi in. *1. argu. 2. & 3.* huius vltimæ confirmationis. vel ideò dicitur Rex, quia se aliis virtutibus regit, & ita in Deo regnũ habet. *22. q. 1. duæ sunt.* Non autem intelligas de regno isto temporali, quod Christus non habuit: nec per cõsequens Papa, cui Christus disponit regnum, sicut disposuit sibi pater regnum, *Luc. 22. c.* &c.

CAPITVLVM XLIX.

VNdecimæ rationi potest responderi per interemptionem, & quod ille sensus mysticus ibi non sit talis, vt pro duobus illis gladiis hæ duæ significentur dignitates: quia si potestas vniuersalis secularium & coertio fuisset in Christo, & non ea vsus fuisset, & tunc fuisset negligentia notandus: quod dicere de eo est prophanum, vt dixi supra in confirmatione vlt. part. *in 2. argu.* Item quia si talis mysticus sensus caperetur, iam non essent responsiones Christi & discipulorum ad interrogata. Nam Christus in verbis illis, dum dixit: *Qui habet tunicam, vendat & emat gladium*, nil plus voluit dicere, nisi quod sicut prius omnia eis administrata fuerant quando cum discipulis fuit & nil eis defuit, sic nunc tanta eis tribulatio imminere debebat, quod etiam si humano modo vellent eam euadere, nõ solum victualia, quæ designantur perperam, essent eis necessaria, sed arma. Et illis respondentibus: *Ecce duo gladii hic*, respondit: *satis est*; vt eis daret intelligi, quod gladiis pugnandum non erat, etiam imminente Christi passione. quod patet, quia dixit Petro *Conuerte gladium in vaginam. 23 q. 1. in prin.* Et quia ipsi interroganti: *nunquid percutimus in gladio?* tale exercitium denegauit: non quod satis esset ad pugnandum duo gladii contra tot gentes, sed vt insinuaret, quod cum non esset etiam tũc gladiis pugnandum: duo & vnus erant satis. Et iste est sensus literæ verus. Et hoc sentit Beda super hoc verbo, *qui dicit quod paupertas iniuncta Math. 10. c. fuit in casu necessitatis relaxata* vnde non potest eadẽ responsio discipulorum & Christi ad dicta superius, vt illi duo gladii intelligerentur mystice pro istis duabus dignitatibus; quia si discipulorum non congrua responsio fuisset ad dicta Christi, ante ipse Christus eos increpasset: quod non fecit. Possumus tamen dicere, quod illi duo gladii sunt duo testamenta, vetus & nouum, etiam in quibus omnia satis sunt. Vel si intelligimus, quod duo gladii intelliguntur pro iurisdictione spirituali & temporali, quæ erant apud Christum habitu, vt postea vidi expleto hoc opere quod approbando dixit aliquando Papa in decretali, *vnam sanctam*: quæ tamen non est enim aliis in voluminibus incorporata, sed extrauagans. & profecto quod nõ sit incorporata, hoc non est sine ministerio, quia factæ fuerunt postea Clementinæ. Dico quod Christus illas potestates ab initio distinxit, & gladium sc. spiritualem concessit Petro, dum dedit illi claues regni cęlorũ. *24. q. 1. si Petro. & c. quodcunque*: Temporalem vero Cæsari. *26. di. cum ad verum*: ibi vtriusque potestatis officia discernit. vnde concessa Cæsari non cõcessit Petro. & quod iurisdictiones ipsas à principio Deus ipse distinxerit, & separauerit, no. Host. in *sum. in prin. §. vnde habuit originẽ, ad fi. ipsius §. ibi. in ver. quia*

Digitized by Google

quid dicatur. Et hæc ratio est quare cum inhibuit Petro exercitium gladii dixit: *Recōde gladium tuum*. 24.*q*.1.*in summa*: & non dixit *gladios*, vt daret intelligi solum spiritualem esse apud eum, qui nō debet temporaliter exerceri. non etiam secularē esse penes eum, quia tunc dixisset: *gladios reconde*, licet prima responsio plus placeat. vel potest dici quod dū sensus mysticus capitur pro duobus gladiis, quos dixit esse ibi, debet intelligi quod erant *ibi*.i. in ecclesia militāti. & ista sentit tex. in decret. prædicta, *vnam sanctam*, quod sint in ecclesia: & hoc non negatur, quia spiritualis est apud pontificem, qui est caput ecclesiæ, est in ecclesia: & si temporalis est, apud principem est in ecclesia, quia princeps etiam de ecclesia est & esse debet: vt supra pluries dixi. & Christus secularē ipse non habuit, licet in ecclesia fuerit, quia ipse respuit ipsum & habere noluit: & ideo actibus propriis officia vtriusq; prælatis dimiserit: vt ibi. Et licet quidam dicant, quod hæc verba fuerunt ex simplicitate Petri prolata loquētis superficialiter, male dicunt: quia non solum Petri fuerunt verba illa: *Ecce duo gladii hic*, sed omnium discipulorum. vnde argumenta sua de simplicitate Petri summi Archimandritæ parū faciunt ad esse, cum, vt dixi, omnes protulerunt verba illa Christo. Non obstat quod dicitur, quia dixit: *gladiū tuum*, & sic significauit dominium. vnde videtur quod gladius fuerit apud Petrum, quia debet illud intelligi de gladio suo spirituali, quem debet retinere in vaginam non effundendo sanguinem & temporaliter exercere. Nā gladius secularis non tenetur nec debet retineri in vagina, sed debet exerceri ab habente: & si esset penes pontificem, non diceretur illum in vagina retinere vel retineri debere, cū saltim illum exercere debeat Cæsar, & sic ipse pōtifex, si ab eo Cæsar haberet, facere diceretur, nec in vagina retinetur. Argumentū regulæ, *qui per alium*, *de re. iur*. debet intelligi de suo spirituali, vt ipsum effundendo sanguinē non exerceat. hinc dicitur quod ecclesia non habet gladium. 23.*q*.*x*.*c*.*inter hec*. sc. in exercitio temporali, vel gladium ipsum sc. temporalem. Ad illud de mystica oblatione thuris & auri respondent quidam, fatendo Christum Deum fuisse dominum. Sed consequens, quod Vicarius eius habeat, non concedunt dicentes, quod nullus Vicarius æquiualet potestati concedentis. vnde si Christus habuit gubernationem temporalium, non sequitur: ergo & Papa eius Vicarius. Sed hanc responsionē non amplector: quia Christus disposuit discipulis regnum, sicut disposuit sibi pater regnum: *Lu*.22.*c*. Si ergo habuisset tēporalia, ergo illa discipulis dimisisset. præterea non est verū, quod Christus habuit dominia secularia temporalium, coertionesq; seculares, vt supra dixi in confirmatione vltimæ partis. 1. 2. & 3. *arg*. Sed habuit dominium diuinum terrenorum. & isto respectu datum est sibi aurū, vt significaretur dominus: sed nō ciuili dominio, sed diuino. 8. *di*. *quo iure*. Nec obstat quod distinxit officia potestatis, i. exercitia, & sic sequitur, quod vna est potestas, licet exercitia diuersa *d*.*c*. *cum ad verum*. quia dico, quod imo duæ sunt potestates: & hoc probat tex. in *d*.*c*. *cum dicit*: *vtriusque potestas*: & sic significat quod duplex est potestas, quas Christus distinxit: cum tantum vnā voluit, quā Petro dimisit sc. spiritualem. Alteram Cæsari dedit, dum inquit: *imago Cæsaris* & c. 23. *q*. 1 *quid culpatur*. facit. 96. *di*. *si Imperator*. vbi tex. dicit: *Habet Imperator priuilegia sua potestatis*: ergo nō est alterius illa potestas, sed est ipsius Cæsaris ab omni alia distincta. Nec obstat, quod si Christus habuit, ergo & Petrus, cui disposuit sibi regnū, sicut disposuit ei pater regnum. Et sic videtur quod Papa debet de regno tēporali disponere, sicut Christus disposuit. 96. *di*. *cū ad verū*, vbi probatur, ꝙ Christus hęc officia distinxit: quia respondeo, ꝙ eius distinctio non fuit de temporalibus aliqualiter intromittendo vel Cęsaris officiū deputādo, sed actibus propriis. Nam tēporalia penitus contēpsit, & de se eis se in nullo intromisit. & sic officiū quod habebat spiritualiū, à tēporali diuisit. primū voluit spirituale, secundū nullo modo habuit, & penitus renuit propriis actibus, i. renuēdo. sic pontifex renuendo penitus tēporalia actibus propriis debet hæc officia distinguere. Non obstat illa decre. *vnam sanctā*, dum dicit: *Sed certe qui in potestate Petri temporalē gladiū esse negat, male attendat verbū Domini proferentis*: *Conuerte gladiū tuū in vaginā. vterq; ergo est in potestate ecclesia*. Nā iste tex. facit pro principe: quia fateor quod gladius tēporalis est sub pōtestate Papæ, quia ipse Imperator est de ouibus Christi & filius Papæ. Sed sicut filius aduentitia non habet à patre, debet tamen de ipsis disponere secundū consilium patris: ita princeps, licet debeat ad nutū & consilium sacerdotis pontificis mouere gladium, non tamē habet ab ipso pōtifice. Et ideo tex. dum dicit: *Gladiū tuum, debet exponi*, *i*. *ecclesia tua*: quia in ecclesia sua est nō mouendus ab ipso pontifice. & isto modo potest dici suus, quia in ecclesia sua est, sed nō in suo dominio, vel ab ipso mouendus, sed à principe. & quando vult sequi nutum & consiliu pontificis: & ideo pro fide debet semper ipsi Papæ obedire & moueri: sed non pro aliis suo nutu mouere, quia tunc Papa ipse diceretur gladiū ipsum mouere. & ipse pōtifex iurisdictionē talem exercere: vt *in c*. *mulieres*. *de sen. excō*. & *in l*. *pater*. *de manu*. *vindic*. & no. Bar. in *l*. *sed si vnius*. §. *seruus meus*. *ff*. *de iniuriis*. Sed ipsi Papæ est prohibitū exercere gladium temporalē: ergo nec per se nec per alium exercet: quia ēt si per alium faceret, ipse facere diceretur, vt dixi. Vel dic quod hæc nomina possessiua *tuū* & *suū* non semper denotāt dominiū, sed variantur respectu personę loquentis, vel eius cum quo fit locutio, vel respectu rei de qua loquimur vt no. Bar. in *l*. *quintus*. §. *argento*. *ff*. *de auro & argen*. *le*. Et ideò si lego seruo res suas, intelligitur de rebus quas habet & possidet in peculio. *l*. 3. *ff*. *de manumissio*, quæ tamen non sunt in serui dominio. sic in proposito, gladius temporalis est Petri, & Papæ quantum ad potestatem, quam habet faciendi ipsū moueri pro fide, non pro aliis: & hoc modo dicitur Ecclesiæ, & esse papæ, vt verba secūdū certam materiam capiantur: cum, vt dixi, alio modo non sit Ecclesiæ vel ad eius nutum mouendus.

CAPITVLVM L.

DVodecimæ & tertiædecimæ rationi respōdetur: & pōderari subtiliter oportet, quod iura dominii vario & diuerso modo sumuntur in iuribus nostris in proposito. Nam aliquod est dominium quod homini est concessum ratione iustitiæ & suæ innocentiæ & puritatis: quod dominium

prius Adam habuit, & deinde Christus aliorum innocentissimus. Hoc tamen dominium, cum haberetur per sanctos viros & iustos, qui tanquam filii summi regis in omni regno liberi sunt. 23.q.8. *scitis*, non est particulare dominium possessiuum, non coactiuum vel punitiuum, sed est commune omnium istorum in mundo existetium. 12.q.1. *dilectissimis*. 23.q.7.c.1. & 2. & facit, 8. *di. quo iure*. Et hoc naturale potest dici dominium, quo iure omnia sunt communia. 1. *di. ius naturale*. Nam dominia possessiua & particularia cum potestate coercendi delicta, ab iniquitatibus & hominum peccatis processerunt, *dictis iuribus*: propter quæ coercenda Deus potestates constituit seculares. *d.c. quo iure*. Est secundum dominium, quod ab iniquitatibus descendit: quia homines quisque quærebant iure proprio sibi & particulari dominio res quærere. Et secundum istud facta est orbis & rerum diuisio, vt *l. ex hoc iure, ff. de iusti. & iur.* & 1. *di. ius gentium*. Hæc quidem dominia non sunt iustorum. item est dominium diuinum, id est Dei: & hoc similiter non est Dei particulare, sed diuinum & cõmune, quod concessit ipse Deus omnibus pariter animantibus. *d.c. quo iure*. Et hoc vult Scotus, alias Doctor subtilis super *li.4. sen. di.15.q.2.* diuinum ergo dominium & iustorum Christus habuit etiam inquantum Deus & homo. Sed dominium seculare & ciuile omnium terrenorum Christus non habuit, viã perfectionis ostendens: immo tenuit Io.6. habuit tamen & ciuiliter forte loculos, & condescendens in inferius: vt 12.*q.1. habebat dominus loculos*, in quibus habitus pecuniæ per futuram tunc ecclesiam habendus designabatur scilicet tantum vt diuinus cultus non deseretur inopia, *d.c. habebat*. modo fateor quod diuina sunt iustorum, scilicet dominia diuina & naturalia, non humana, quæ consistunt in iure proprii possidendi & malitias coercendi. Item de dominio Dei quod Deus habet, dominium fateor, sed eius dominium est diuinum, vbi omnia sunt cõmunia. 8. *di. quo iure*: quod non habet quid proprii vel coercitiones & potestates seculares. Et licet forte Deus omnipotens vt ordinarius antequam haberet ministros temporaliter aliquos iudicauerit, hæc tamen potestas in Christo, inquantum homo, non fuit, vt docui supra *in 2. argu.* confirmationis vlti. Et si non fuit in eo, nec in Pontifice cui Christus disposuerat regnum, sicut pater ipsi disposuerat regnum: *Luc.22.c.* Et licet dicatur quod Apostoli etiam causas seculares tractauerunt, illud debet intelligi propter defectum iudicis secularis, qui tunc deficiebat inter Christianos. vnde & tunc supplet Pontifex & sacerdotes: *de fo. compe. c. ex tenore*. sed non tamen pro hoc infertur, Pontificem habere terrenorum omnium mortaliũ monarchiam, aliis ibi insertis, ex superioribus patet responsio congrua. & licet sacerdotes veteris testamenti haberent administrationem temporalium, sacerdotes noui Testamenti Deus constituit digniores, cum eis secularium inhibuit curam, vt perpensius spiritualibus vacaret officiis: illi quidem animalia victimabant, isti vero corpus Christi & sanguinem eius offerunt: propter quod expedit, vt eorum manus ab omni sorde mundanorum alienæ sint. pro quo facit *l. di. si post*, 1.*q.1. necesse est*. Ad id de intellectu practico & speculatiuo & de ordinatis ad finem, vt necessitentur à fine, dixi supra in responsione octauæ rationis. Et quod dicitur de minori mundo, dico quod quatenus temporalia veniunt ad finem spiritualium, Papa imponit necessitatem principi, sicut anima rationalis hominis disponit ad suum finem. Nec obstat, si dixit: *omnia temporalia ordinantur ad finem spiritualium*, fateor in habitu sed non in operatione. Et hoc vult tex. in *c. habebat dominus loculos*. 12.*q.1.* vbi tex. vult quod clerici tunc habeant temporalia quantum diuinus cultus non deseratur inopia: & ideo habuit dominus loculos, id est, parua marsupia, in quibus pecuniæ per ecclesiam habendæ designatus est. Non ergo vniuersa temporalia in operatione sunt semper propter spiritualia, licet in habitu sic. Et sic non obstat, si dicitur quod omnia temporalia sunt ad finem spiritualium. Et ideo dicitur quod duo sunt hominum genera. 12.*q.2. duo sunt* &c.

CAPITVLVM LI.

QVartædecimæ rationi responsio est ex text. in *d.* §. *item cum Dauid*. Nam & Nathan Propheta, cum regem redarguit, sacerdotii est executus officium, in quo rege maior erat: non vsurpauit regis officium, in quo erat rege inferior. Monuit enim eum vt per pœnitentiam sua expiaret peccata, non temporaliter tulit in eum sententiam vt tanquam adulter & homicida morti necaretur. vnde ille tex. facit ad oppositum. Item illud Danielis soluitur per nota. 2.*q.6.* §. *item Daniel*. Nam miracula veteris Testamenti sunt admiranda, non in exemplum nostræ actionis trahenda. Nam Samuel interfecit regem Amalech, & ex sacerdotibus nostris non licet effundere sanguinem. Item depositio Saulis nõ fuit facta per Samuelem vt Dei Vicarium, sed vt nuntium, vt facile deprehenditur ex tex. Nam Vicarius est qui in eodem tribunali, vbi ordinarius iudex sedet, sententias profert: vt no. *in c. Romana. de offi. or.* & no. in *l. 1. ff. quis & à quo appe.* Nuncius est qui tanquam pica & organum sibi commissa denunciat *l. & licet. ff. de consti. pecu.* vnde non concludit argu. de nuncio ad Vicarium. præterea, vt supra ostendi, hæc dominia ciuilia & coertiones temporales non fuerunt in Christo: ergo nec in eius Vicario, aliis ibi insertis patet supra responsio. Et ad *c. aliud*. 15.*q.6.* secundum glo. ille tex. facit in oppositum: quia non deposuit ibi Papa regem Franciæ, sed deponentibus consensit. Ad aliud vero mysticum de Leui & Iuda, non est bonum argumentum. præcedit in natiuitate, ergo in auctoritate: quoniam multi sunt maiores natu, qui non solum autoritate non præcedunt: sed etiam à iunioribus præceduntur: vt si Episcopi iuniores sint suis presbyteris: In Esau & Iacob hoc etiam ostenditur. nam Iacob iunior fuit & non prior natu: & tamen in dignitate & auctoritate præcessit Esau.

Digitized by Google

CAPITVLVM LII.

RAtioni quindecimæ, quod fuerit relaxata paupertas, potest multipliciter responderi: quod tantum in causa necessitatis imminentis tempore passionis Christi fuerit facta relaxatio: & ad id quod fuerint cerimonialia & præmissiua, non præceptoria & etiam moralia. No. Ambro. super id Luc. 10. *Nolite portare sacculum* &c. Inquit enim: *si prohibentur aurum possidere, non in vacuum Petrus effusa Domini mandata cum posceretur à paupere, vt ei aliquid pecunia largiret, ait: argentum & aurum non est mihi.* Item super id Lucæ 9. *nil tuleritis in via:* dicit, *Qualis debet esse qui Euangelisat regnum Dei præceptis Euangelicis designatur vt sine virga & pera* &c. Item dicit glo. super Act. 3. & ibi. super id Luc. 10. Et ibi Beda super Lu. 22. c. Et idem Hiero. ad Eusto. Omnes istæ auctoritates dicunt post mortem etiam tale durasse præceptum. Sed si quid concessum per habitum loculorum clericis, debet intelligi tantum quantum diuinus cultus non deseratur inopia, vt vult Au. 12. *q.* 1. *habebat Dominus loculos.*

CAPITVLVM LIII.

SExtædecimæ rationi respondetur, quod Papa non immiscendo se temporalibus nulli subiectus est, tanquam filius summi Regis. 23. *quæst.* 8. §. *ecce.* sed si eis se immiscet, ipsa temporalia sunt subiecta Cæsari, & oportet de ipsis habere censum. 11. *q.* 1. *magnum.* Papa verò tanquam vicarius Dei & prout filius summi Regis à nemine iudicatur, quod non censetur de mundo, cum pater sit iustorum qui non sint de mundo. Et isto respectu nemini subest, etiam si se immisceret temporalibus, quia inspicitur quod est in eò maius. scilicet diuinitas: temporalia tamen sunt Cæsari subdita. vnde pro ipsis inferior est Cæsare, simpliciter ipsum respiciendo in temporalibus siue in diuinis: licet fateatur ratione diuini officii à nullo posse iudicari: & in consequentiam etiam de temporalibus. 9. *q.* 3. *aliorum.* de ipsis tamen exterioribus & terrenis electi Cæsari tributum reale & onera merè realia soluūt, quia transeunt cum onere suo præterquam prædium in quo construitur Ecclesia, vel quod efficitur Dos Ecclesię, quando tale prædium est constitutum Ecclesiæ Dos à Domino tributi. Et hęc potest esse ratio, quare de donatione facta per principem pontifici ipse non debet Cæsari tributum: quia talis donatio facta est Ecclesiæ dos per ipsum principem cui debetur tributum. Sed si fundus esset constitutus dos Ecclesiæ inscio Domino tributi vel non consentiente, tunc debet id ante redimi à tributo. alias etiam dos Ecclesiæ essent effecta tributo: vt no. in. *d. c.* 1. *de censi.* secundum Host. & Doc. quinimo nedum principi, sed & aliis secularibus Dominis tenentur Ecclesiæ ad onera pro exterioribus in Ecclesiam prouentis, ad honera etiam exteriora ordinaria; quæ tamen antequam peruenirent exteriora prædicta ad Ecclesiam, erant iam indicta: vt no. glo. in *Lincola iam ff. ad munici.* Et idem dicas pro indicendis, quando pro talibus oneribus indicendis res erant hypothecatæ, antequam peruenirent ad Ecclesiam: vt si res ipsæ erant affectæ ad certum onus & perpetuum per solidos & libras distribuendum: quia tunc ad Ecclesias transeunt cum onere suo *l. alienatio.* licet si onus non esset ab initio certum, sed erat secundum imminentes necessitates indicendum, tunc cum incertæ obligationi nō accedat hypotheca, etiam si essent res pro futuris oneribus hypothecatæ, tamen non teneientur pro indicendis Ecclesiæ postquam res in ipsas deuenirent. vt hoc no. 11. *q.* 1. *si tributum. & ca. magnum.* 23. *q.* 8. *tributum. & de immuni. Ec. cap.* 1. *li.* 6. vbi per Archi. & in Spe. *de cle. coniu.* & *extra de censi. c.* 1. & sic pro exterioribus subditi sunt Cæsari, & pro secularibus negociis quatenus se immiscent. facit 8. *di. quo iu.* licet si clerici ipsis se non immiscent, liberi sicut Christus sunt & discipuli qui temporalia abiecerant, liberi erant: & si soluerunt tributum, fecerunt, ne scandalisarentur. 8. *q.* 1. *iam nunc.*

CAPITVLVM LIV.

DEcimæ octauæ respondetur vt proximæ: præter vbi dicitur quod Christus vsus est coertionibus secularibus eiiciendo vendentes de templo. Dico quod non est verum, quod Christus coertiones seculares habuerit, vt ostendi in 2. *arg.* confirmationes vltimæ. & ostenditur: quia si habuisset, hic modica fuisset vsus coertione simpliciter verberando funiculis. Et ideò dici oportet potius quòd vsus est officii hostiarii, cui modica est permissa sine sanguinis effusione coertio.

CAPITVLVM LV.

VLtimæ rationi per omnes responsiones factas supra, responsio patet. Nec verum est quod sine licentia Christi non possunt alieno Domino scilicet diuino obligari. Sed obligatio Cæsaris est Dominii secularis. Et ideò Cæsar non potest præcipere vt me à fide vel Dominio Christi alienarem, & si præciperet, non foret ei parendum. 11. *q.* 3. *per totum*, & maxime in *c. Iulianus*. vnde non potest homo obligari vt retrahatur à fide & dominio Christi diuino: humano autem dominio bene potest quis se obligare. nam potest quis pati se vendi liber homo ad precium participandum.

SVMMARIVM.

Conclusio: Pontificem Maximum dominium habere diuinorum & spiritualium: Cæsarem verò terrenorum & temporalium omnium; ex antedictis.

CAPITVLVM LVI.

ENeruatis sic igitur aduersariorum obiectionibus luce clarius ad propositam primam quæstionem patet scil. quod apud Cæsarem est terreni imperii corruptibilium omnium, quæ tempore mensuran-

[...]tur monarchia. Et quid est, si inter nos mortales consideres directiuum illud, quo ratione par[tis] nostræ immortalitatis dirigimur ad æternam vitam quærendam, quæ est Dei visio, & ipsius frui[tio], quam acquirimus speculando & contemplando, quæ est felicitas vltima humanorum, & in qua maxime in contemplatione primi contemplabilis consistit tota vltima hominis perfectio: vt habe[tur] in .10. *Ethic.* & *de regula c. licet.* & 19. *q.* 2. *c. duæ sunt.* his vt sordes mundialibus, & ex terrenis, dico iura ipsa monarchiæ super omnes terrenos esse apud æternæ vitæ clauigerum, & prius fuisse in Dei filium redemptorem, & de ipso in Petrum & cæteros successores. Et hic non humana, non terrena, sed potius cælestis & diuina debet dici monarchia, cum ex hoc dicatur Pontifex quasi pontem ad a[li]am vitam faciens, in quo exigitur non potentatus, sed virtus: non superbia, sed humilitas: non auri congesta pecunia, sed Dei & proximi congesta dilectio, qua morum integritas custoditur & Salua[to]ris præcepta seruantur. sub hoc principatu est Cæsar pontifici vt filius & inferior, & vt vnus ex o[ui]bus gregis dominici Petro commissi & cæteri fideles, vel etiam infideles. Nam omnes homines terreni sunt de ouibus Christi per occasionem, licet non omnes sint de ouili ecclesiæ: vt no. Inno. *ex[tra] de vo. & vo. redem. c. quod super his.* hinc est quod secundum ipsum Inno. si gentilis, qui non habe[r]et nisi legem naturę, contra illam faceret, posset à Papa puniri. Idem in Iudęis, si contra eorum leges venirent, non obstante quod ad Papam non spectat iudicare de his qui foris sunt. 11. *q.* 1. *multi*, quia illud intelligitur excommunicando vel compellendo ad fidem: in qua sola Dei gratia vocari debet. 45. *di. de Iudæis.* Est ergo Papa diuinus monarcha, qui omnibus inferioribus præest animarum respe[ctu] & directionis earum ad æternam vitam quærendam. Si vero consideres directiuum aliud, quo ratione mortalitatis dirigimur ad beatitudinem assequendam transitoriæ vitæ præsentis, quam de[m]um consequimur per potestates temporales compescentes à vitiis genus humanum, & vnicuique secundum iustitiam distribuentes, vitiaque seuerissime vindicantes, & dominia particularia legibus seculi inter priuatos distinguentes, nos sic in pace & tranquillitate seruando, mensurando nos cum prouidentia, quæ est recta ratio agibilium, & actiuæ laudabili vitæ nos secundum prudentiæ præce[p]ta subiicientia: Profecto iura hæc soli Romano Cæsari fœlicissimo Augusto dico competere, qui in terrenis his administrationibus & secularibus dominiis, potestatibus ac coertionibus est omnibus superior & supremus monarcha: pro quibus quicumque sint humani generis, etiam summus Pon[ti]fex, qui diuinam habet monarchiam non mundanam, sed secularia dominia non coertiones ab i[p]so Cæsare dependere noscuntur. vnde merito Cæsar omnes delinquentes potest punire, etiam si ei de facto non pareant: & omnes etiam Gentiles & Iudæi sub ipso sunt. *C. de Iudæ. l. Iudæi.* & no. 1. *di. ius Quiritum.* & *de elec. c. venerabilem.* in glo. quæ incipit. *in Germanos.* Estque terrenorum corruptibi[li]um omnium Princeps, à nullo nisi à Deo immediatè dependens, per medium tamen Romani po[pu]li, qui tanquam Dei minister & instrumentum eius iurisdictionem omnem in ipsum transtulit & imperium habet. *insti. de iure na.* §. *sed quia quod princip[i]. C. de veteri iur. enucle. l.* 1. §. *cum enim.* & no. *de renun. cap.* 1. quoniam verissima est hæc ipsa conclusio: quod bonum vltimum hominis inquantum homo sit operatio solum intellectus practici absque consideratione operationum intellectus specu[la]tiui: licet quatenus homo in vlteriorem finem intenderet prout de immortalitate participat, non esset solus intellectus finis vltimus eius ipse practicus, sed speculatiuus; cuius speculatiui directio pertinet ad Pontificem. Sed sicut recta speculatio impeditur per administrationes temporaliũ, quod figuratum fuit in Maria Magdalena & Martha, vt in Euangelio: *Martha Martha solicita es.* & *de renũ. c. nisi cum pridem:* ita Papale officium turbaretur assumendo administrationem temporalium vniuer[s]am. quemadmodum enim intellectus speculatiuus non assumit, nec debet assumere officium intel[le]ctus practici, cum bene speculare intendit, quia sic desineret esse speculatiuus: ita Papa non debet nec potest assumere officium principis imperatoris, quia desineret esse Papa. Et quamuis, si deuiet princeps à sui recta administratione, possit à Pontifice emendari, hoc non arguit tamẽ pontificẽ ha[b]ere vel habere posse temporalium administrationẽ vniuersam. quemadmodum. n. iudex emendat male gesta subditorum, nec tamen habet dominiũ vel administrationẽ bonorum ipsorum, nec eorũ exercitia, sic Pontifex ipse facit. loquor quod emendat in impedientibus finem ipsius Pontificis. Et ex his confunduntur plurima motiua primo facta. Et quia Papa imperium tollere non potest, nec Imperatorem amouere, nisi quando deuiaret à fide, patet quia Imperator & imperium ab ipso non dependet: quia quæ non possunt ab Homine amoueri, à Deo immediatè sunt. Væ igitur illis & iterũ væ, qui fundamenta ecclesiæ in montibus sanctis, & illa præter quæ nemo aliquod ponere potest, quod est Christus Iesus, veluti in summo angulari lapide solidatæ in arena temporalium fictis alle[g]ationibus fundamento disponere queunt, aut extuantes in maternos concubitus summi Pontifi[ci]s, qui pater est patrum, ad vsurpandum vniuersum temporale imperium conantur violare assen[su]s, & Petri nauiculam temporalium tempestatibus immergentes, ipsam fluctuare continuo sa[t]agant. Sed ô vtinam solos ipsos Papa perfidos subuertentes in hoc Romanum Imperium te[n]eret auctores, quoniam nimium cancerosus iste morbus inualuit. Nam hi aliis etiam pluri[m]is nostro Cæsari detrahentes sub quæsitæ Apostolicis plurimis libertatis colore multos in[fe]lices misere ab ipso deuiare compellunt veræ Dei ordinationi resistentes, & Idolas pro[pri]æ voluptatis adorantes, in tantum vt pauci Italia in vera fidei soliditate sacro imperio assisten[tes]. inter quos paucos vsque adeò connumerare non vereor, conspicuum meritis virum quidem Anthonium Vrbini ac Montis feretri Comitem: Cui exigentibus eius virtutibus lætus adhæreot

Digitized by Google

iuxta sententiam veritatis æternæ dicentis: *Rogo pater non sint de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Secundus finis est pontifex summus, qui secundum promissiones sanctorum patrum & fidem & spem, quam debemus habere, genus humanum dirigat ad cælestem patriam, vitam æterná. sed cum istius mundi sensibilis dispositio procedat ad dispositionem cælorū & superiorum, iuxta sententiam Philosoph i primo *metaphy.* & *2. cæli,* dum inquit: *necesse est hunc mundū esse contiguū superioribus actionibus, vt omnis virtus inde regatur*: sequitur quod disponere isto fine & directiuo, per quod dirigimur ad beatam æternam vitam consequendam, solum ad illum ipsum spectet, qui cælorum dispositione introduxit, qui est solus Deus. vnde à Deo solo hic finis, qui est Cæsar noster, disponi debet, nō ab alio. & hoc volunt tex. qui probant quod imperium sit à solo Deo, 10. *di. suscipite. de ma.* & *obe. c. solita. 23. q. 4. quæsitum.* & *in Anth. quomodo oportet epi. in prin.* & *in aut. consti. qua dedi in prin.* cum multis similibus multotiens allegatis. Ex quibus infertur conclusiue, Cæsarem à Deo immediate dependere, non per summi pontificis medium, qui directioni vitæ speculatiuæ & contemplatiuæ dedecus nō potest, nec debet actionibus istis mundialibus turbari, vt maximè statim probant iura sequentia.

Capitvlvm XXXVIII.

NE prolixius diu euager diuersa referendo, vltimas confirmationes induco, vt ostendam imperium temporaliū non esse in sacerdotio nec esse posse. Certum est quod status religionis sine intermissione temporalium est altior perfectior & vltior omni ecclesiæ diuino cultu, quam status secularis ecclesiæ cum intromissione temporalium. hoc vult Augus. de Moribus ecclesiæ, dum dicit de Iob. *Sic amisit enim ille omnes diuitias, & factus est repente pauperrimus, sed in concussum tenuit animum quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in nouo testa. ab istarum possessione cohiberetur, vt perfecti esse possimus.* hoc idem Iero. ad Eliodorum inquit: *Perfectus seruus nil habet præter Christum: aut si aliquid habet præter Christum, perfectus non est.* Et idem in epistola de vita monachi Malchi describens ecclesiam inquit: *Adulta persecutionibus creuit, martyriis coronata fuit: Sed postquam ad Christianos principes venit, potentia & diuitiis maior est facta, sed virtutibus minor.* Hoc etiam probatur 12. *q. 1. duo sunt genera:* vbi insinuatur quod diuinis mancipari officiis debent ab omni strepitu temporalium segregari. Ex hoc enim clerici dicuntur, quia *cleros* Græcæ, Latine sors siue hæreditas dicitur, 21. *di. cleros,* & *dicto c. duo: c.* & *clericus.* quia in sortem vel hæreditatē Dei sunt vocati. sed qui Deum possident vel eius hæreditatem, vt vna cum Propheta dicere possint, *Pars mea Domine,* nil vltra Dominum habere potest quod si quippiam vltra Dominū habuerit, pars eius non erit Dominus, *dicto c. clericus.* Hinc est quod in veteri testamento qui erant in sortem vel in partē Domini vocati, funiculumque erant hæreditatis eius, non accipiebant partes inter cæteras tribus Israel, sed Leuita & sacerdos de altari & decimis substentabantur, *d. c. clericus,* & 23. *q.* 8 §. *ecce.* & hoc ne forte temporalium impedimentum à cultu diuino 12. *q. 1. cui portio.* quæ in eis prædicta manifestius figurantur ex corona, quam gerunt in capite. nam radendo caput nil aliud ex remotione pilorum figurari dicitur quam remotio temporalium: *dicto c. duo.* quid enim miserius quam propter temporalia Deum contemnere, cum Christus dicat: *Omnia quæ super sunt date & omnia munda sunt,* Lucæ 11. c. & 2. q. 1. c. *quia tua fraternitas.* & licet non abnegem, quod propter infirmitatem humanam ecclesia aurum & temporalia possit possidere, & aliquid temporalium, quod significatur mysticè per paruos pilos capitis, quod nos clerici non abradet. nam etiam Christus viam perfectionis ostendens in altissima contemplatione & paupertate tamen condescendit infirmis, 2. *q. 7. §. his ita.* Item & loculos habuit, in quibus designatū est, quod ratione infirmitatis humanæ aurum & temporalia habere possit ecclesia, vt 12. *q. 1. c. exemplum Domini:* & *c. expedit:* & *c. habebat Dominus loculos:* non tamen *hic promissus est vniuersalis administrationis temporalium, vel vt propter hæc Deo seruiat, sed tantum ne propter inopiam iustitia cultus deseratur.* Hæc verba sunt beatissimi Augustini in *dict. c. habebat Dominus loculos.* Si ergo temporalia sunt ecclesiæ permissa non vt propter hoc clericus Deo seruiat & subministret, sed vt pro ea cultus substentetur diuinus: quod clarius insinuat ipse Augustinus 8. *q. 1. sunt in ecclesia,* dum refert Paulum Apostolum dicentem, *sua quærentes: non quæ Iesu Christi*: quasi dicat, qui temporalia principaliter clericando quærunt, non Christum gratis diligunt, non Deum propter Deum quærunt, sed propter temporalia commoda cōsequenda lucris inhiantes, & honores ab hominibus appetentes, vt propter hæc Deo seruiant. quisquis tamen talis est, mercenarius est & inter filios eius se non computet: *dicto c. sunt.* Patet igitur quod non omnis vniuersalis administratio temporalium clerico potest esse commissa, sed tantum quantū diuinus cultus non deseratur inopia. Et hoc innuit Apostolus dicens, *habentes victum & vestitum his contenti simus* 12. q. 1. *episcopus.* nam vt inquit hiero. *Aliena rapere conuincitur qui vltra necessaria sibi retinere.* probatur 42. *d. §. hortādus.* nec vsus terrenæ solicitudinis cur nos Dei ministros facere debet 49. *di. c. hinc enim § gibbosus.* In quorum spem Psalmista dicit in Psalmo. *Incuruatus sum vsquequaque, humiliatus sum*: quia vsus temporalium incuruat & humiliat, dum vacamus terrenis, obmissis cælestibus. Si enim in se vniuersam administrationem temporalium assumeret clericus, iam non per diuina sed per temporalia commoda altissimo ministraret; quod est contra Dei intentionem & commune bonum sanctæ matris ecclesiæ: iuxta illud quod scribitur 96. *di. c. benè quidem de clericis*: videlicet quos à iure dominationis inuasit & iugum disciplinæ ecclesiasticæ fecit respuere: quia tale exercitiū detraheret diuino cultui, essetque claudicare in duas partes, quod non licet 49. *di. c. sacerdotis,* id est, mundana velle & diuina. nam

Deficit

Digitized by Google

Deficit ambobus quia vult seruire duobus.

26. di. Actius, & quia esset Dei opera facere omnino descendere de perfecto ad imperfectũ, quod non decet: sed potius liceret econuerso. Dico quod etsi summus pontifex, qui caput est religionis & pater patrum, vellet in se assumere vniuersam administrationem temporalium, quod nõ arbitror, ex quo perfecto statui religionis ex alto detraheretur ad inferiorem statum totalis infirmitatis condescenderemus, & sic tolleretur de medio in ipso totus status altior commutando in inferiorem infirmum immo infirmissimum, contra voluntatem Dei & commune bonum ecclesiæ: & contra id Apostoli dicentis: *Si quis infirmatur, & ego non infirmor? 2. q. 7. §. his itaque respondetur*, esset que potius se manum ad aratrum apponere & retrocedere, quod electis Dei minime conueniens est contingere: nam cum obliti sint eorum quæ retro sunt, id est temporalium, quæ sola sunt æterna requirãt, pessimum esset si post exordia boni operis ad priora mala redirent temporalia, & contra sententiã Propheti dicentis: *Non reuertebantur*: & hoc habetur *de pœni. di. 2. nemo, & c. non reuertebantur*. Profecto factum tale pro hæresi iudicaré, cum par sit à fide exorbitare, & alios exẽplo vel verbo à fide deiicere, *2. q. 7. c. quis ex vobis. ver. Paulus*. Si enim subuersor ecclesiæ & status sancti clericalis & boni communis eius debet censeri non solum scismaticus sed plus quam scismaticus, multo magis esset in eo qui habet primo rationẽ capitis & pastoris *2. q. 7. nos si incompetenter*. Et quia hoc esset tantum ecclesiam confundere, & eius bonum publicum & tyrannidem exercere, non dubito quod si quispiam, etiam summus pontifex in hoc facto persisteret pertinaciter, quod ei non esset obediendum tanquã papæ, immo esset tanquam hæreticus & tanquam lupus rapax à fidelibus totaliter euitandus, qui taliter nauiculam Petri cum omni susceptione administratione temporalium confundere niteretur. Per hoc, quod scribitur *40. di. si papa*. Ex quibus concludo, hæreticum & insanum esse dicere quod vniuersalis administratio temporalium sit vel esse possit apud summum pontificem: quin immo apud aliam ecclesiasticam personam, ne ipsi qui Deo vouerunt cultum diuinum per administrationem temporalium ab ipso subtrahantur. & hoc manifestius figurauit ab æterno Deus hæc officia diuidendo in magna duo luminaria, vnum quod præesset diei, id est spiritualibus, alterum vero nocti, id est temporalibus, *extra de maio. & obe. solitæ*. Ex quibus etiam infertur, quod papa vel clericus quis alius in sacris constitutus non possit eligi Imperator: Clericus vero in minoribus sic, cum ipsis liceat cessare à diuinis & copulare matrimonio & secularibus omnibus se negotiis immiscere, etiam à se totaliter abdicando ordinem clericalem, vt in *c. 1. de cleri. coniu. li. 6.* Et hæc est ratio, quare quis simpliciter minores ordines suscipiendo cum ordinatione etiam ad titulum sui patrimonii non perdit feudum, & potest secularia exercere: secus si retineret secum beneficium vel sacros ordines susciperet; nam perdit feudum, vt in *c. si clericus si de feu. fuerit controuer.* quia Deo militans congrue non potest seculo militare: *de bene. amic. c. 1. & dicta c. si clericus*. Illud vero ipsum cachinno pertranseo, quod quidam fugere volentes dicant habitu apud Romanum pontificem esse imperium terrenorũ & nostræ mortalitatis, licet non productione immediate ad actum, sed per medium principis Cæsaris, quem dicunt à pontifice suscipere imperium & ipsius administrationes: & sic in eo à pontifice dependere: nam cui denegatur exercitium, & habitus denegatur: multo magis cum virtus consistat in exercitio nõ habitu, vt patet *extra de sacra. vnc. c. 1* ibi, *Fides sine operatione mortua est. de pœ. di. 2. c. si n. 1. q. 1. Fertur & Iacobi c. 2*. Facit *de consa. di. 4. c. 5. & fi.* & virtus cuiusque rei consistit nõ in solo habitu sed in operatione virtutis secundum Philosoph. *primo Ethi.* licet Seneca in aliquibus epistolis ad Lucillum aliter senserit. Item administratio temporalium vniuersalis est contra naturam ecclesiæ, vt probant omnia iura præcedentia: ergo auctorisari imperio seculari non est de virtute ecclesiæ, cum virtutes vniuscuiusque rei naturam ipsius rei sequantur propter adeptionem finis. sed hoc esset non adipisci finem ecclesiæ, sed auctorisare imperium seculare: sed potius impedimentũ, quia supra mõstratum est quod administratio temporalium retrahit ab administratione diuinorum. Ex quibus cõcluditur, imperium à solo Deo immediate esse in Cæsarem, &c.

SVMMARIVM.

Confutationes roborationum decem & nouem superius memoratarum de potestate Papæ vniuersali in temporalibus.

CAPITVLVM XXXIX.

Refellenda nunc puto ipsa obiecta in parte prima inducta ab his, qui adusti flammis inuidiæ plus sacrosanctæ Romanæ sedi compatiuntur. Quoniam ipse idem Christi vicarius gubernator, qui suis in pluribus decretalibus manifeste testatur, quod non intendit in aliena iurisdictiones aliquas exercere temporales, *extra de iudi. nouit. de fo. cõpe. licet ex suscepto. & c. ex tenore. extra qui fi. sint le. c. causam, & c. per venerabilem*. Et ad illud Deuteronomii, & quod habetur in *ca. per venerabilem*, respondeturnam Host. in *sum. de fo. compe.* intelligit hanc autoritatem in pertinentibus ad fidem, vel in causis spectantibus ad decisionem ecclesiæ. Vel responde. Nec negatur pontificem non habere posse secularium cognitionem causarum, & ad ipsum, vt ad summũ patrem, cum contingit arduũ iuris dubiũ, nõ sit ad principem Cæsarem & alios recurrendũ, vt altitudine consilii ipsius summi pontificis Cæsar vel quiuis alius possit rite obscura etiam secularia terminare. Sed cum infertur: ergo vniuersalis

secularium cognitio & terrenorum est principaliter in pontifice: consequentia nō est bona, quia assumptum seu prædicatum est de parte aliqua, & consequētia infert ad totum; quæ quidē non est eadem ratio, vt in parte. sed hic in toto non est eadem ratio: quia si omnis administratio temporalium esse posset in pontifice, iam detraheretur cultui diuino, per ea quæ dixi supra in parte proxima. & licet permiserit Achiæ primo executionē temporalium, fateor quod papa habet administrationē tēporalium quatenus ancillantur diuinis, & pro ipsis indiget, 12. q. 1. *habebat Dominus loculos*. in aliis vero vniuersaliter non. Et licet legitimauerit regis filios, ex hoc non arguit congrue, ipsum habere vniuersalem potestatem: quia illud igitur est, cum de facto rex Franciæ non recognoscat superiorem: *in-sti. de pa. po. in fi. cum c. licet ex suscepto. & c. ex tenore*, non tamen habet continuo vniuersalem temporalium dispositionem.

CAPITVLVM XL.

SEcundum vero quod dicunt de littera Gene. dicunt quidam hoc nequaquam posse consistere, vt mystice hæc istis duobus principibus comparētur. Nam si hoc esset verum, tunc sequeretur, quod prius fuisset secundum eos accidens quam subiectum: quod est contra naturale principium. Sed sol & luna die quarta creati sunt, qui significant dignitates istas: homo autem sexto die fuit creatus, cui hæc accidentalia signa inhærent: ergo prius fuissent signa quam signata: & per consequens accidentia quam subiecta: quod est impossibile, cum non possit esse accidens sine subiecto; & ad remotionē subiecti sequitur remotio accidentis, *l. 2. ff. de vsufru.* præterea dicunt: ista duo regimina sunt hominū directiua in certos fines, vt ostendi supra in argumentis proximis in eo quod incipit: *humanum regnū*. sed si homo stetisset in statu innocentiæ, in quo à Deo creatus est, vt *de pæ. di. 2. c. primus homo. & c. Adam. & c. princeps vitiorum. & c. sed nec Adam*, talibus directiuis non indiguisset, cum ista duo regimina sint introducta contra infirmitatem peccati: & homo non solum in die quarta peccator extitit, sed etiam nondum creatus erat simpliciter homo. Nam, vt scribitur secundo de anima, *Obiecta debent præcedere potentias*. Cum enim obiectum istarum dignitatum esset homo in sua infirmitate peccati constitutus: debuit igitur prius esse homo & in infirmitate quā constitutus huiusmodi figurātes dignitates. producere enim ante remedia, hoc fuisset ociosum secundū istos. Ego vero has responsiones falsas dico. primo autoritate ecclesiæ, quæ sic ista duo luminaria interpretatur, vt significēt hæc duo regimina *de ma. & obe. c. solitæ*. præterea quia, licet dum sol & luna creati fuerunt nō essent in orbe huiusmodi regimina, & sic non significarent duas has dignitates, tamen cum ipsa regimina primū in mundum peruenerunt, adueniente signato id quod prius erat in alia qualitate, nunc incipit esse signum. ad hoc tex. bonus *ff. de noua. l. stichum. §. si quis ita*. Nam obligatio nouans non potest esse ante nouatam obligationem, quia sic priuatio habitum præcederet, quod est impossibile, vt ibi notatur. Sed conceptio stipulationis nouantis potest esse ante conceptionem obligationis nouatæ: sed iuris intellectu dicitur præcessisse obligatio nouata ipsam nouantē. sic ex intentione Dei & inspectoeius intellectu, qui vult quod per hos duos planetas hæc duo regimina significari, ipsa duo lumina cælestia præcessit homo quantum ad hoc, vt per ipsa significarentur duo ipsa regimina, licet eorū planetarum conceptio seu creatio ad hunc finem præcesserit ipsum hominem aut homines. Simile videmus in obligatione fideiussoris, quæ non potest esse sine principali, quia interdum obligatio fideiussoris præcedit obligationem principalis, *l. si ita stipulatus. § adhiberi. de fideiuss.* tamen quo ad effectum nunquam fideiussor incipit prius obligari, quam si obligetur principalis: sic licet hæc planetarum creatio præcesserit, tamen nunquam inceperunt esse signum, nisi signato adueniente, cuius contemplatione secundum intentionem Dei creati erant. Sic etiam beatam virginem Mariam *stellam* scripturæ commemorant. Nunquid beata virgo stellas prioritate præcessit? non certe, sed ipsa adueniente, stella ipsa factum est signum. Præterea nullus dicit, quod hæc duo luminaria sint in veritate illa duo regimina, licet sint figurata vel figuræ duorum regiminum. & ideo figurant accidētia quæ in propriis substantiis congruis temporibus à Deo futura præuidebantur. Et si hæc figura esset accidens, non esset accidens rei figuratæ sed figurandæ. & sic figura non debuisset esse ante peccatū: quia si homo non peccasset, nō indiguisset tali remedio. Adhuc delirant. nam passio Christi morientis in cruce, & formatio ecclesiæ de latere Christi dormientis in cruce, fuerunt in remedium contra infirmitatem peccati. Et si homo non peccasset, tali remedio non indiguisset: & tamen talis passionis & sacramenti, antequam homo peccaret, figura præcesserat, quando formatio Euæ de latere Adæ dormientis figura fuit formationis ecclesiæ de latere Christi dormientis in cruce. Alia vero vtamur responsione. Dico ergo quod dum hi credunt argumentum pro se inducere, suam confusionem inducunt. Nam licet luna nullum habeat lumē à se, nisi à sole, cum sit corpus opacissimum, non tamē sequitur quod operatio & effectus lunæ sint à sole: immo sunt à propria intelligentia mouente orbem ipsius lunæ. hoc ostenditur; quia si operationes lunæ essent à sole, ergo essent secundum dispositionē solis, quod est falsum, quia sunt contrariæ. fateor tamen, quod quantum ad melius & virtuosius operandum, sicut luna recipit lumen à sole, ita imperium recipit lumen ab ecclesia: lumen dico scilicet fidei, iuxta id Io. 1. c. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem* 21. *di. c. 1. in fi.* Et in symbolo, *lumen de lumine*. Et hoc tamen in administratione temporalium dico Cæsarem ab ecclesia non dependere, sicut nec luna in suis operationibus à solis luminibus non dependet, vnde hoc eorum argumentum potius concludit ad oppositum.

CAPITVLVM XLI.

TErtio respondetur rationi, quæ vtique vera est vsque ad vltimam illationem, cum dicunt, quod hic vicariatus non est datus Cæsari sed Apostolico. Nam hoc est falsum, quod imperium terrenorum

norum sit datum Apostolico: immo est ademptū. Et vicariatus eius est in diuinis & diuino dominio, non in humanis, sicut & Christus habuit, vt dixi in argumentis secundæ partis, *in 1.2. & 3 argu.* Et dū subditur: *ergo in terris duo erūt vicarii*, negatur. Nam si clerici & pontifex, prout se non immiscent terrenis, non sunt de mundo, sicut nec Christus fuit de mundo, *Io.17.c.* vnde solus Imperator dici debet in terrenis Dei vicarius, & in diuinis pontifex, quæ nō sunt de mundo licet sunt in mundo. Præterea respectu eiusdem regiminis non possunt duo vicarii ordinari, sed respectu diuersorū regiminū possunt duo vicarii distincti ordinari. patet in episcopo, qui ordinat vicarium in temporalibus & alium in spiritualibus: & vnus ab alio non dependet, sed tantum ab episcopo quilibet ipsorum dependentiam habet: quia quæ non sunt eiusdem rationis, vnum nō reducitur ad aliud. sed spiritualis & temporalis iurisdictio non sunt eiusdem rationis: igitur vna ad aliam nō est reducibilis. Et quæ distincta sunt in se & ad distinctos fines ordinantur, vnum nō est ab altero, vt est papatus & imperium distincta in fines diuersos *96.di.cum ad verum.* & ideo vnum non debet ab alio ordinari, immo immediatē reducuntur ad aliquod certum. Et hic Deus est, à quo immediate sunt papatus & imperium. & ideo Deus æternus duos constituit vicarios, vnū in spiritualibus, alium in temporalibus. Et cum dicis: *ergo præsupponis in terris duos vicarios, & sic duo principia. & hoc est hæreticum*, fit præcedens responsio: quod licet vicariatus papæ sit in mundo, non tamen censendus est de mundo per prædicta. Et licet ambulatio supra mare significet vniuersale dominium Petri in mundo, debet tamē intelligi de dominio, quod habuit Christus vel diuino vel naturali, non de ciuili, vt infra dicam.

CAPITVLVM XLII.

QVartæ rationi respondetur, quod verum est, quod vna est ecclesia habens vnum caput summum pontificem, de qua etiā est Imperator, qui de Christi ouibus est. Et verū est, orbis pontificem patrem. Sed dum subditur: *ergo dependet Imperator ab eo vt inferior*, fateor vario & diuerso modo; quia dico respectu diuinorum, in quibus in terris est papa Christi vicarius, Imperator filius est ecclesiæ & summi pontificis. Sed in temporalibus nil habet commune cum papa, cui nec habitu nec exercitio temporalia sunt commissa vniuersa, sed soli Cæsari. & quod respectu aliquorū possit esse quis subditus & etiam aliis liber, probat tex. *in l.fi. C. de iur. dict. omnium iudi.* Et dum subdis, *ergo in terris erunt duo vicarii*: nego, quia, vt dixi, vicariatus papæ, prout tantū in diuinis mediatur nō censetur de mundo; nec est de mūdo, vt proxime dixi; sed solus vicariatus imperii est de mūdo isto terreno, cui & subiacet papa & clerici, quatenus iure seculi alia quam diuina quærunt sibi bona vt propria quærere 8. *di. quo iure. 11. q. 1. magnum. & c. si tributum 23 q. 8. conuenior. §. ecce. & eadem q. c. tributum.* Et his etiam respondetur, quod est vnica Dei filia, vnica Dei mater, vnica Dei Archa, vnica sponsa: habet vnicū patrem, vnicū filium, vnicum rectorem, & hæc papa; non tamē ex his sequitur, quod pro administratione temporalium Cæsar à papa potestatem recipiat sic nec inferiores alii in suis actionibus non recipiunt à suis maioribus administrationem, sed à Deo & à se ipsis habent.

CAPITVLVM XLIII.

AD quintam rationem dicendum, quod assumptum est verum primum. Item & illud est verum quod Imperator de clericis & summo pontifice iudicia non præstat. & dum subditur: *ergo non est monarcha*, consequentia non tenet. nam clerici prout se temporalibus non immiscent, & Deo seruiunt, sancti sunt, & liberi in omni regno 23. q. 8. *§. ecce.* quia lex non est imposita iustis, & Gala. 2. & *19. q. 2. duæ sunt.* & ratio, quia leges seculi & monarchia Imperatoris est à Deo ordinata ad dirimenda litigia, quæ oriuntur ratione secularium negotiorum: & talis potentia in illos non extenditur, qui ipsis se non immiscent. Et hi, vt dixi, nō sunt de mundo, & sic nō sunt sub monarcha mundi. Sed quatenus secularibus se immiscent negotiis, quis hoc dicit ipsos non subiectos legibus seculi pro ipsis saltim secularibus negotiis? cum Augu. contrariū dicat super Io. *8. di. quo iure.* & Ambro. *11. q. 1. c. magnum.* & Gratianus ibidem *in § his ita. & 23. q. 8. §. ecce.* Et dum subditur, quod *de tota ecclesia papa iudicat*, hoc verum spiritualiter iudicando: sed temporaliter non. vnde temporalia non exercet in terris imperii, *qui fi. sint legi. causam.* & de Imperatore iudicium dat spirituale, sub quo Imperator vt filius est papæ & de ouibus Christi, non temporaliter nisi forte in patrimonio Beati Petri, quod hodie forsan est factum sanctum sanctorum, & quod est datum papæ ab Imperatore pro diuinis sustentandis obsequiis, *de elec. c. fundamenta, li. 6.* Et dum subditur, quod papa auctorizatur cum aliis, fateor quia in ipsis spiritualia & ecclesiastica negotia sunt tractanda, in quibus pontifex ipse monarcha est, non Imperator Augustus. Si autem conciliū pro temporalibus tractandis principaliter celebraretur, tunc audacter dicerem, potestatem concilio non pontificem sed Cæsarē præstare debere, qui in rebus seculi omnibus est monarcha. & hoc potest perpendi in *Pace Constantiæ*: itē & in legibus vniuerso populo datis per Iustinianum principem sacratissimum. Et dum subditur, quod *Petro & papæ datum est soli à Deo regnum cælestis & terreni imperii*: respondetur, quod debet intelligi de regno, quod Christus in terris habuit, quod fuit spirituale & diuinum, non humanum, cum discipulis disposuerit regnum, sicut pater disposuit sibi regnum, *Luca 22.c.* & quod intelligatur de Christi spirituali regno patet per dicta in primo, secundo, tertio argumento vltimæ partis.

CAPITVLVM XLIV.

SExtæ rationi respondetur, faterique oportet pontificem Cæsare superiorem, ipsique filium Cæ-

Digitized by Google

sarem,& omnia in ipsa recitata vera esse, præterque in consequentia, vt dum subditur: *sed hic prorsus Cæsar non est*, hoc verũ non sit. Nam superioritas summi pontificia est in spiritualibus, pro quibus Cæsar filius est ecclesiæ. *C. de summa tri. epistola Victor. & 23. q. 8. c. conuenior.* In quibus ipse Cæsar à pontifice dependet vt filius & inferior. quæ spiritualia quidem temporalibus sunt maiora, sicut sol maior & nobilior est luna, *de ma. & obe c. solitæ*: sicut aurum plumbo est nobilius, *96. di. 2. duo sunt.* Et istis respectibus filius Augustus non est præferendus pontifici etiam ratione temporalis suæ potestatis, quia spiritus non debet cedere carni. *10. di. suscipitis, & eadem di. c. lege Imperatorum.* Et quod de spiritualibus prædicta intelligantur, ostenditur *96. di. si Imperator*, circa finem, ibi; *non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam.* pro humanis autem Imperator omnibus præest, & pro administrandis humanis legibus, de quibus pontifex se nõ debet intromittere. In quibus si se intromittit, Cæsari pro ipsis temporalibus est inferior. vnde respectu vniuersorum potest quis dici maior & minor, non eiusdem subiecti, vt infra dicam.

CAPITVLVM XLV.

AD septimã rationẽ respondetur, quod pontifex habet plenitudinem potestatis spiritualium, & in hoc nullus insolidum secum est Dominus: Imperator vero temporalium. Et dum fit argumentum à maiori, quia licet iudicat spiritualia, ergo & temporalia: fatendum quatenus spiritualia negotia concernunt, & in certis casibus. vniuersaliter autem, quod pontifex habeat vel habere possit ipsarum cognitionem, non per ea quæ dixi in finalibus argumentis partis vltimæ; quia & argumẽtum à maiori non concludit vniuersaliter, cum veniretur ad absurdum. sed absurdum patet quia cognitio & adminstratio temporalium esset impeditiua exercicii diuinorum: ergo argumẽtatio nõ tenet. facit quod dixi in argumento finali huius vltimæ patris.

CAPITVLVM XLVI.

OCtauæ rationi clara est responsio: quod qui habet principale, habet & consecutiua nisi alteri sint disposita. Sed administratio humanarũ legum & seculi Deus distribuit per principes & reges, nõ per pontifices, *8. di. quo iur. 96. di. si Imperator. & c. duæ sunt.* ergo nõ pontifex. pro hoc, quia cõcessio sequentium esset impedimentum concessionis principalis, id est, administratio temporalium esset impeditiua concessionis spiritualium, vt pluries est dictum. igitur non venit in consequentiam id quod esset impedimentum principalis. Et dum arguis à concessione consequentis, vnde dari debet antecedens, & omnẽ per quod peruenitur ad illud, respondetur: nec negatur pontificem nõ habere administrationem temporalium, quatenus diuina sustentetur, quia hoc licet exemplo Christi qui loculos habuit *12. q. 1. c. exemplum Domini. & c. habebat Dominus loculos.* Sed benè negandũ est, pontificem habere vel habere posse vniuersam administrationẽ temporalium. sed de quo est disceptatio nostra, quis inferiorum omnium corruptibilium iura retineat monarchæ: quam non esse in pontifice, sed in Cæsare, pluries est ostensum. nec obstat quod qui principatur fini, debet principari principio eorum quæ sunt ad finem, & sic eorum principem: quia licet hæc sint vera, dico, principatur princeps finis propter ipsum finem, & occasionem ipsius tantũ finis necessitat ea quę sunt ad finẽ. Et sic papa necessitat Cæsarem ad spiritualia, & occasione eorum disponit in consequentiam de temporalibus, *de re iudi. ad Apostolica, li. 6. de iudi. nouit*, cum si. principaliter tamẽ nõ disponit papa de temporalibus ad alios respectus quã ipsius finis. & sic est Imperator subiectus papę in tẽporalibus ratione spiritualium non autem mere ratione ipsorum temporalium. Exemplum præbeo materiale. si est Dominus domus fiendæ, qui habet artifices cum instrumentis, si pręest eis ad domum ipsam construendam quæ est finis ipsius Domini domus, non præerit ad alios vsus vel actus, vt hæc optime probantur in *le. fin. C. de iurisdictio. om. iu.* vbi artifices subsunt rectori vniuersitatis tantum in concernentibus artem ipsam: sic in pontifice. sed nos non negamus Cæsarem subditum pontifici ratione spiritualium, sed absolute negamus temporalia pontifici subiecta, sed Cæsari. nec sequitur, potestas imperialis reducitur & ordinatur ad potestatem papalem, cum finis ipse politicæ, qui est finis potestatis imperialis, reducatur & ordinetur tanquam ad maius bonum ad fœlicitatem speculatiuam, quæ est finis summi pontificatus, tamquam Archytectonica est præceptiua & dominans ac legem imponens ipsi politicæ & potestati imperiali: ergo potestas papalis est imperialis, vel papa habet administrationem temporalium, sicut isti arguentes videntur inferre, quia non sequitur. quis non videt, vnam scientiam alteri subalternari, & vnam reduci & ordinari ad reliquam, absque hoc quod altera prædicetur? similiter ars frenifactiua ordinatur ad artem equestrem, equestris ad militarem, militaris denique ad ciuilem: & ita ad ciuilem omnes artes tales reducuntur, vt vult Philosoph. 1. *Ethy.* non tamen altera prædicatur, vt dicatur equestris est militaris vel contra. nec obstat dicitur de intellectu speculatiuo, in quo repræsentatur pontificalis potestas, & ad quem ordinatur intellectus practicus vt ad suum finem: & sic debet papa posse mandare Imperatori, sicut intellectus speculatiuus cogit & necessitat intellectum practicum: quia licet potestas papalis possit præcipere imperiali, non tamen debet aut potest papa per se ipsum administrare ea quæ sunt imperialis officii, nec illa habet aut habere potest in habitu aut in actu. Et ideo verum est quod scribitur *10. di. quoniam*, quod mediator Dei & hominum homo Christus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discernit. Nequaquam ergo potest ex potestate summi pontificatus, nisi ab Imperatore ipsi committeretur, ea quæ sunt temporalia ministrare, nec eorũ exercitum habet in habitu nec in actu, sicut

nec

Digitized by Google

nec motor superioris orbis stellati orbis Saturni & aliorum inferiorum motionem in habitu nec in actu habet, sed mouentur à propriis ipsorum intelligentiis, licet motor orbis Saturni, si possibile esset ipsum inordinatum fore, ab ipso motore orbis stellati deberet reordinari & corrigi; quod nec nos de Imperatore negamus, quin si deuiet à debito ordine suæ administrationis à Pontifice non possit regulari & corrigi. loquor de liberatione, quæ impediret finem imperii, scilicet vitam politicam, quæ ordinatur ad speculatiuam. vnde si regimen esset ita inordinatum principis, quod tolleret beneficium speculatiuum, vt quia Imperator schismatizaret vel deuiaret in fide, tunc possit à Papa ordinari & corrigi. nec tamen ex hoc sequitur, in habitu nec in actu potestatem imperii esse vel esse posse in ipso Pontifice, immo penitus sunt operationes separatæ atque distinctæ. Et cæsar in temporalibus, nisi à Deo, à nullo noscitur dependere, nisi quatenus necessitetur ad spiritualium & vitæ speculatiuæ finem. hoc potest ostendi, quia vltimus finis hominis inquantum homo, non dico inquantum participat cum substantiis seperatis, sed inquantum homo, est tantum ipse solus intellectus practicus; ergo directiuũ finis hominis inquantum homo, erit potestas ipsa imperialis omnino circumscripta & remota à Papali, sicut remoueretur operatio intellectus speculatiui in homine solum vt homine considerato, & Imperatoris si nec tum non sunt simpliciter corpora & corporalia, sed ad ea quę consistunt in intellectu practico, cuius finis est prudentia, quæ est recta ratio agibilium. vnde tollitur illa argumentatio, quod si Papa præest animabus, ergo & corporibus, cum corpora sunt sub Dominio animæ. Item non nego quod Princeps non debeat reduci ad Pontificem, & quod ab ipso tanquã à primo principio debeat regulari: sed ista regulatio debet esse respectu finis ipsius Pontificis. i. administrationis diuinorum & spiritualium. Et hoc modo si obliquus foret Imperator, emendari & corrigi posset: sed aliis respectibus non dependet ab ipso Pontifice. Item per hoc non dicitur Pontifex habere vel habere posse habitu vel actu administrationem temporalium, quia cum speculatio & bonũ intellectus speculatiui non possit haberi, nisi quis penitus abiiciat temporalia & ipsorum curã, quia ipsa impeditiua sunt contemplationis, vt est tex. in *c. diuersis fallaciis, de cle. con.* ita Papa non potest habere bonũ Papatus nisi remotis temporalibus. Et ideò habet illa practicus intellectus, cuius finis est rectè operari, licet in operationibus suis à speculatiuo intellectu habeat ordinari & dirigi. & hoc nos de principe non negamus, ad finem tamen suæ optimæ speculationis. Et ita Papa ad finem fidei nostræ augendæ & conseruandæ. vnde hæc argumenta, quæ videntur colorata, tendũt potius ad oppositũ. Nec enim Pontifici est commissa animarum gubernatio, nisi ad æternam vitam quærendam. Et ex hoc dicitur quasi ad aliam vitam pontem faciens, nõ ad operationes humanas, quia ad ista est positus Imperator, cuius finis est actiua vita & operatio practica intellectus.

CAPITVLVM. XLVII.

NOnæ rationi respondetur negando antecedens. nam non est recipi potestatem imperii à pontificibus, sed à Deo, & per medium Romani populi, quia habet à Romano populo, qui hanc iurisdictionem transtulit in principem, *insti. de iure naturali. §. sed quod principi*: Et hodie per Electores qui eum elegerunt, qui habent ex consuetudine approbata, quæ ius tribuit eligendi, vt in *c. venerabilem, de elec. & in c. ad Apostolica, de re. iu. in 6.* immo etiamsi Papa eligeret, non tribueret ipse potestatem imperii, nisi materialiter, vt dicam in responsione decimæ rationis. Nec etiam Electores tribuunt potestatem, sed Deus, vt ibi dicam. determinant enim potius personam ad talem dignitatem, quam ipsi tribuant potestatem sicut & collegium Cardinalium determinat personam Papæ, nec tamen per electionem eius tribuit, vt ibi dicam. & licet ipsi sacramentum præstet, non valet consequentia: ergo Papa est vniuersalis Dominus temporalium. licet pro hoc Papæ efficiatur inferior, quod ego non nego in spiritualibus; in temporalibus non, quia si vellet Cæsar se submittere & Romanum Imperium alteri, vtique non posset, pro hoc *l. legatus ff. de offi. præsi.* Item ad iurandum si non vult compelli, non potest, vt infra dicam. Nec si iurat, est fidelitatis iuramentum, per quod censeatur inferior, vt tangam infra in quæstione, *an potest compelli ad aliquod iuramentum præstandum.* Item non dicunt illa iura, quod Imperator recognoscat potestatem à Papa, sed iurat Papæ, quod sibi fauebit & exaltabit Ecclesiam. Et si hoc esset verum, quod recognosceret à Papa, non est ex potestate summi Pontificatus, sed ex concessione sibi facta ab Imperio, quæ posset reuocari; sicut & alias fuit in Cæsare, qui eligebat Pontificem. *63. di. Adrianus*, & tamen Papæ non erat superior, vt latius ibi dicam. Dum etiam arguitur, quod de Imperio ad libitũ disponit &c. respondetur, quod ratione tẽporalium hoc Papa non facit nec facere potest, vt est text. *de iudi. nouit.* nisi in consequentiam ratione peccati potest omnes compescere & ad pœnitentiam reuocare, *extra, de iudi. nouit. 12. quæst. 2. prædicandum. 6. q. 1. illis.* & quod dixi ratione peccati, non intelligo, quod pro quolibet peccato Papa temporalia posset ad se reuocare, quia hoc esset subuertere, vniuersam alterius iurisdictionem, contra *c. nouit*: sed intelligo, quando sunt grauia peccata, propter quæ ecclesia potest causas à se reuocare, vt puta denegationem iustitiæ, *de foro compe. c. ex tenore. & c. licet ex suspecto*, vel si crimen sui natura esset ecclesiasticum, vel ratione pacis, vel iuramenti, vel quia sit notorium, vel si proponitur contra imperatorem à miserabili persona: tunc dico, quod ratione peccati ei denunciat Papa. non dico, quod ex istis eum deponat, quia potestatem, quam ab eo non habet, non potest ab eo priuari, nisi staret in sua obstinatione, & incurreret hæresim vel periculum & suspicionem hæresis. Nam tunc posset priuari & declarari, *d. c. Apostolica*, & quod ibi nota. & quod habetur. 40. *di. Papa.* nec mirum, quia Pontifex talibus causis esset ipse deponendus. Et idem si in contemptum clauium Imperator deu-

A 2

Digitized by Google

ceret nam posset deponi, 22. *di. c. 1. §. quis autem.* & 24 *q.* 1. *hæc est fides, v. si autem.* & 2. *q.* 7. *c. rogamus, §. item alienus*, Et ratio: quia deierans & per annum perseuerans in excommunicatione, est suspectus de hæresi, & potest deponi: immo si certa sit hæresis, est ipso iure depositus: *de sen. excom. c. cum secundum leges. l. 6.* vnde Papa principem non deponit, quia administratio ipsi subdit. sed ratione peccati, per prædicta. Facit quod nota. *de iudi. nouit. & in d. ca. ad Apostolicæ.* vbi quidam expresse tenent, quod à Papa princeps non deponitur pro peccato etiam mortali non data incorrigibilitate. Et istud credo verum: & tunc facit ratione propriæ suæ iurisdictionis spiritualis propter peccatum, non quod præsit vniuersali administrationi temporalium. Simile dico de translatione, quod de priuatione, cum translatio sit priuatio vnius & concessio alterius. Aliis iuribus introductis supra responsum est in 6. *responsione.* &c.

CAPITVLVM XLVIII.

DEcimæ rationi respondetur ex text. *dicti c. venerabilem.* Nam Electores in consequentiã habent ab Ecclesia potestatẽ illam eligendi, non quod illa potestas sit in sacerdotio principaliter: quod patet quia non posset pontifex eligere priuando Electores non negligentes iure eligendi: *de re. iu. ca. ad Apostolica. in tex. & glo. pe in fi.* Item non sequitur: Papa examinat, inungit & coronat: ergo habet vniuersalem administrationem temporalium, vel ex hoc Imperator istam potestatem habet: quia eadem de causa diceremus de electoribus, qui cum eligunt, Colonien. Archiepiscopus cum corona ferrea coronat Aquisgrani: & Archiepiscopus Mediolan. eum coronat argentea corona in villa Modoeciæ: & nota. *de iur. iur. cle. Romanæ.* in glo. *vestigiis.* Et tamen falsissimum esset dicere, hos coronantes vel eligentes habere vniuersam potestatem terreni imperii vel principẽ ab illis habere imperii potestatem. vnde similiter nec hoc infertur in pontifice summo antistite, qui si quam habet iurisdictionem in causis imperii, habet ab ipso imperio: sicut & olim Imperator habeat in causis pontificatus, qui eligebat pontificem cum alio clero: vt no. 23. *di. in nomine Domini.* ibi, *saluo semper honore.* & 63. *di. in synodo.* & *in.* §. *electis* & *c. Adrianus*; Nec ex hoc tamen maior erat pontifice, vel habet iura põtificatus. non ergo si consecrat vel coronat, facit ex potestate sibi data immediate à Christo, vel potius ab imperio vel eius consensu. Nec ex hoc etiam arguimur, principem à Papa habere huiusmodi potestatem in Papam cum habere potestatem imperii, sicut nec habent ipsi Electores Imperatoris aut Papæ qui eligunt eum. Ex quo sequitur, quod Papa non habet potestatem eligendi & coronãdi Imperatorem, & ex potestate summi pontificatus quam accepit à Christo: sed coronãdi habet ex cõmissione sibi faciam ab Imperio, quæ vtiq; posset ab Imperio reuocari: quemadmodum & Imperator non habet potestatem eligendi Papam ex iurisdictione Imperiali, sed ex autoritate sibi concessa ab Eccelesia, quæ demum reuocata est: *dictis iuribus.* Nam simile videmus in regibus, qui aliquando constituerunt sacerdotes: vt. 1. *Reg.* 2. *c.* Nam Salomon constituit Sadoch sacerdotem: nec ex hoc Salomon Rex debet dici superior sacerdote in causis Dei, vt 2. *q.* 7. §. *item cum Dauid*, licet eum constituerit sacerdotem. vel si vis dicere quod habeat pontifex potestatem hanc à Christo, dicas quod habet per illa verba de quibus in *c. per venerabilem. qui si sint le.* quia ratione difficultatis vel ambigui ad Papam recurrendum est: sed quoniam laborat in maiori difficultate genus humanum, quando caret capite: & ideo congruum est, vt tunc pro modico illo tempore succedat pontifex, & sui altitudine consilii generi humano prouideat. Et ideò examinat, approbat personam principis: quia hoc est arduum & ambiguum, quis ad tantum molem subeundum idoneus dici debeat. Et ideò ad ipsum pontificem spectat talem personam iam per electionem determinatam approbare & inũgere, quia talia sacramentalia & spiritualia quodammodo sunt. Et quia princeps esse debet de ouili Ecclesiæ & de ouibus Christi, & ideo Papæ data est facultas examinandi & cognoscendi, si talis esset. Et talis approbatio est impropriè confirmatio: vt *de elec. venerabilem.* & *de elec. cle.* 1. vbi tex. dicit quod *reputat ipsum idoneum, nominat & denunciat.* Nota quod non dicit, *eligit* vel *confirmat.* & ratio, quia cõfirmatio fit, vt in confirmatum potestas transeat administrandi: *de elec. transmissa.* & *de elec. c. auaritiæ. li.* 6. sed potestas administrandi in principem transit in ipsum ex sola electione. nam in primæuo iure ex sola electione Romanus populus iurisdictionem transtulit in principem. vnde ex sola electione etiam hodie illam habet. Sed quia tempore hodierno gratiæ Imperator debet esse catholicus, & de ouili ecclesiæ. 24. *q.* 8. *conuenior*, ideo Papa omnia prædicta facit. non est igitur vt ius aliquod Papa habeat in Imperio, vel quod ex his aut ex hoc à Papa princeps imperium recognoscat, sed vt videat si de ouibus Christi est & de ouili ecclesiæ vt tantæ dignitatis capax sit. vnde male argumentant, qui ex hoc dicunt principem Cæsarem ab ecclesia propter ista imperium recognoscere. Et ideo credo, quod si princeps esset fidelis, & non excommunicatus, & non sacrilegus, quod Papa nõ posset ipsum improbare allegãdo, quod alius esse posset magis idoneus: quoniam ius eligendi principẽ, vel ipsum confirmandi, vel eius personã determinandi non pertinet ad Papam, vt supra dixi. falsitas hæc etiam patet in collegio cardinalium, quod eligit & confirmat pontificem, & tamen non tribuit potestatẽ dominii ipsi Papæ. sed habet à se & à Deo quod immediatè, in *auten. cõsti. quæ de digni. in prin.* & *in auten. quo oport. epi. in prin.* Et idem de eligentibus principem. 23. *q.* 4. *quæsitum.* alias sequeretur, quod solus Petrus habuisset potestatẽ summi pontificatus immediatè à Christo, & non alius Papa: quod minime verũ est, nec est modo aliquo concedendũ, cũ omnis Papa habeat à Deo immediatè potestatẽ. Et licet cardinales eligãt, tamen ei nõ præbent potestatẽ: quia eligere & confirmare nõ est date potestatẽ: immo à se & immediatè à Deo habet, vt no. *ff. de iurisd. om. iu. l.* & *quia.* & *l. more.* Licet enim eligatur ab electoribus, habet tamen suo iure, & non alieno, id est, quia habet de iure, quo principaliter fundatur & radicatur in personam ipsius principis: vt nota. *in d. l. more.* & *l.* & *quia.* qui vero habent à iure principaliter radicato in personam alterius sunt delegati. *l.* 1. §. *qui mandatam. ff. de offic.*

Digitized by Google

[illegible] est iurisdi. secundum Bar. in *di. l. more. & l. & quia.* sed hoc vltimum non placet. Nam Cæsar habet à iure, quod erat radicatum in personam populi Romani, qui condidit legem, regimina & ius radicatum in ipso populo transtulit in principem. vnde secundum Bar. Princeps nõ esset ordinarius: quod est fallissimum, vt dixi. ad hoc *l. 1. ff. de consti. princ.* præterea quilibet ordinarius habet à iure principaliter radicato in personam principis, alias si hoc ius radicatum princeps non haberet, alteri non concederet. Et ideò aliter dico, quod solutio glo. *in d. l. & quia*, potest esse vera, quam damnat ibi Bar. quod is habet alieno beneficio, qui habet ab eo, qui non potest ordinariam concedere. Ille autem habet iure proprio, qui habet à lege vel principe, qui potest ordinariam conferre, si ei conferat vt ordinario & iure proprio, i. iure radicato in propriam personam: licet volens dare ordinariam, aliquando conferat delegatam, quando non radicat ius principaliter in personam constituti, si princeps alicui committit vt cognoscat autoritate sua: vt nota. in *prohœmio insti. & in d. l. more. & l. & quia, ibi. 2. q.* Cum ergo iurisdictio, quæ confertur principi, concedatur à lege regia, est principaliter in ipso iurisdictio per se, non per electores, quia per eos est sicut per quoddam instrumentum. & similiter iurisdictio Papę est à Deo immediate, licet per organa eligentium: Nec tamen organa talia sunt conferentia ipsam potestatem, sed Deus seu Romanus populus, qui facit per tales ministros. papatus ergo & imperium prout sunt quid formale, quantum ad officium & auctoritatem, non est per electionem Cardinalium vel electionem imperatoris, sed per Deum, qui potestatem vtriusque discernit, quia sedem Apostolicam ipse constituit: *de tran. præla. quinto.* item & imperium, vt *in auten. quomodo oportet epi. in prin.* nec est mirum, quod dicunt quidam, quod iurisdictio est in Papa, & remanet apud ipsum habitus, & exercitium committit Cæsari: vt notant canonistæ in. *c. nouit. de iudi. & in c. licet ex suscepto. de fo. compe.* quia hoc est falsum. nam si esset hoc verum, tunc Papa posset reuocare iurisdictionem imperialem, per *l. iudicium soluitur, ff. de iudi.* quòd non est verum, vt nota. *de re iudi. c. ad Apostolicæ.* Cum igitur Papa non possit eligere, nec eligat Imperatorẽ, nec ipsum instituat vel confirmet, nec in potestate ipsum regulet, vel ordinet, nisi quantũ pro fide indiget, vel quatenus fidelis esse debet Imperator: & idem ipsum examinat & idoneum denunciat: sed si deuueret aliter, quã speculatiuam vitam impediendo, ipsum non corrigit: patet, quod ab eo Pontifice potestatem non habet. dico tamen quod si consideretur in papatu vel imperio determinatio personæ istius vel illius, quod est quid materiale, isto modo imperium & papatus bene est per electionem, vel ab electoribus, qui eligunt magis Petrum quam Iohannem. Et talem potestatem habent Cardinales à Pontifice prædecessore, qui constituit ipsos habere ius eligendi: alias potius ab Ecclesia vniuersali, quam Cardinales & electores in hoc ipsam totam repræsentant, vt *23. di. in nomine Domini, & de elec. vbi periculum, li. 6.* Et similiter electores imperii habent ab Ecclesia: vt *de elec. venerabilem.* 1. ab vniuersali collegio fidelium, & sic à populo Romano: vt nota. Bar. *de cap. l. hostes.* non obstat. quòd Papa est Rex & sacerdos: quia intelligitur de Regno Dei spirituali, quod habuit Christus, vt dixi in. *1. argu. 2. & 3.* huius vltimæ confirmationis. vel ideò dicitur Rex, quia se aliis virtutibus regit, & ita in Deo regnũ habet *22. q. 1. duæ sunt.* Non autem intelligas de regno isto temporali, quod Christus non habuit: nec per cõsequens Papa, cui Christus disponit regnum, sicut disposuit sibi pater regnum, *Luc. 22. c.* &c.

CAPITVLVM XLIX.

VNdecimæ rationi potest responderi per interemptionem, & quod ille sensus mysticus ibi non sit talis, vt pro duobus illis gladiis hæ duæ significentur dignitates: quia si potestas vniuersalis secularium & coertio fuisset in Christo, & non ea vsus fuisset, & tunc fuisset negligentia notandus: quod dicere de eo est prophanum, vt dixi supra in confirmatione vlt. part. *in 2. argu.* Item quia si talis mysticus sensus caperetur, iam non essent responsiones Christi & discipulorum ad interrogata. Nam Christus in verbis illis, dum dixit: *Qui habet tunicam, vendat & emat gladium*, nil plus voluit dicere, nisi quod sicut prius omnia eis administrata fuerant quando cum discipulis fuit & nil eis defuit, sic nunc tanta eis tribulatio imminere debebat, quod etiam si humano modo vellent eam euadere, nõ solum victualia, quæ designantur perperam, essent eis necessaria, sed arma. Et illis respondentibus: *Ecce duo gladii hic*, respondit: *satis est*; vt eis daret intelligi, quod gladiis pugnandum non erat, etiam imminente Christi passione. quod patet, quia dixit Petro *Conuerte gladium in vaginam. 23 q. 1. in prin.* Et quia ipsi interroganti: *nunquid percutimus in gladio?* tale exercitium denegauit: non quod satis esset ad pugnandum duo gladii contra tot gentes, sed vt insinuaret, quod cum non esset etiam tũc gladiis pugnandum: duo & vnus erant satis. Et iste est sensus literæ verus. Et hoc sentit Beda super hoc verbo, *qui dicit quod paupertas iniuncta Math. 10. c. fuit in casu necessitatis relaxata* vnde non potest eadẽ responsio discipulorum & Christi ad dicta superius, vt illi duo gladii intelligerentur mystice pro istis duabus dignitatibus; quia si discipulorum non congrua responsio fuisset ad dicta Christi, ante ipse Christus eos increpasset: quod non fecit. Possumus tamen dicere, quod illi duo gladii sunt duo testamenta, vetus & nouum, etiam in quibus omnia satis sunt. Vel si intelligimus, quod duo gladii intelliguntur pro iurisdictione spirituali & temporali, quæ erant apud Christum habitu, vt postea vidi expleto hoc opere quod approbando dixit aliquando Papa in decretali, *vnam sanctam*: quæ tamen non est cum aliis in voluminibus incorporata, sed extrauagans. & profecto quod nõ sit incorporata, hoc non est sine ministerio, quia factæ fuerunt postea Clementinæ. Dico quod Christus illas potestates ab initio distinxit, & gladium sc. spiritualem concessit Petro, dum dedit illi claues regni cęlorũ. *24. q. 1. si Petro. & c. quodcunque*: Temporalem vero Cæsari. *26. di. cum ad verum*: ibi vtriusque potestatis officia discernit. vnde concessa Cæsari non cõcessit Petro. & quod iurisdictiones ipsas à principio Deus ipse distinxerit, & separauerit, no. Host. in *sum. in prin. §. vnde habuit originẽ, ad fi. ipsius §. ibi in ver. quia*

Digitized by Google

quid dicatur. Et hæc ratio est quare cum inhibuit Petro exercitium gladii dixit: *Recōde gladium tuum*. 24.*q*.1.*in summa*: & non dixit *gladios*, vt daret intelligi solum spiritualem esse apud eum, qui nō debet temporaliter exerceri. non etiam seculaté esse penes eum, quia tunc dixisset: *gladios recōde*, licet prima responsio plus placeat. vel potest dici quod dū sensus mysticus capitur pro duobus gladiis, quos dixit esse ibi, debet intelligi quod erant *ibi*.i. in ecclesia militāti. & ista sentit tex. in decret. prædicta, *vnam sanctam*, quod sint in ecclesia: & hoc non negatur, quia spiritualis est apud pontificem, qui est caput ecclesiæ, est in ecclesia: & si temporalis est, apud principem est in ecclesia, quia princeps etiam de ecclesia est & esse debet: vt supra pluries dixi. & Christus seculaté ipse non habuit, licet in ecclesia fuerit, quia ipse respuit ipsum & habere noluit: & ideo actibus propriis officia vtriusq; prælatis dimiserit: vt ibi. Et licet quidam dicant, quod hæc verba fuerunt ex simplicitate Petri prolata loquētis superficialiter, male dicunt: quia non solum Petri fuerunt verba illa: *Ecce duo gladii hic*, sed omnium discipulorum. vnde argumenta sua de simplicitate Petri summi Archimandritæ parū faciunt ad esse, cum, vt dixi, omnes protulerunt verba illa Christo. Non obstat quod dicitur, quia dixit: *gladiū tuum*, & sic significauit dominium. vnde videtur quod gladius fuerit apud Petrum, quia debet illud intelligi de gladio suo spirituali, quem debet retinere in vaginam non effundendo sanguinem & temporaliter exercere. Nā gladius secularis non tenetur nec debet retineri in vagina, sed debet exerceri ab habente: & si esset penes pontificem, non diceretur illum in vagina retinere vel retineri debere, cū saltim illum exercere debeat Cæsar, & sic ipse pōtifex, si ab eo Cæsar haberet, facere diceretur, nec in vagina retinetur. Argumentū regulæ, *qui per alium, de re. iur*. debet intelligi de suo spirituali, vt ipsum effundendo sanguinē non exerceat. hinc dicitur quod ecclesia non habet gladium. 23.*q*.8.*c*.*inter hæc*. sc. in exercitio temporali, vel gladium ipsum sc. temporalem. Ad illud de mystica oblatione thuris & auri respondent quidam, fatendo Christum Deum fuisse dominum. Sed consequens, quod Vicarius eius habeat, non concedunt dicentes, quod nullus Vicarius æquiualet potestati concedentis. vnde si Christus habuit gubernationem temporalium, non sequitur: ergo & Papa eius Vicarius. Sed hanc responsionē non amplector: quia Christus disposuit discipulis regnum, sicut disposuit sibi pater regnum: *Lu*.22.*c*. Si ergo habuisset tēporalia, ergo illa discipulis dimisisset. præterea non est verū, quod Christus habuit dominia secularia temporalium, coertionesq; seculares, vt supra dixi in confirmatione vltimæ partis. 1.2. *&* 3. *arg*. Sed habuit dominium diuinum terrenorum. & isto respectu datum est sibi aurū, vt significaretur dominus: sed nō ciuili dominio, sed diuino. 8.*di*.*quo iure*. Nec obstat quod distinxit officia potestatis, i. exercitia, & sic sequitur, quod vna est potestas, licet exercitia diuersa *d.c.* *cum ad verum*. quia dico, quod imo duæ sunt potestates: & hoc probat tex. in *d.c. cum dicit : vtriusque potestas*: & sic significat quod duplex est potestas, quas Christus distinxit: cum tantum vnā voluit, quā Petro dimisit sc. spiritualem. Alteram Cæsari dedit, dum inquit: *imago Cæsaris* & c.23.*q*.1 *quid culpatur*. facit. 96.*di*.*si Imperator*. vbi tex. dicit: *Habet Imperator priuilegia sua potestatis*: ergo nō est alterius illa potestas, sed est ipsius Cæsaris ab omni alia distincta. Nec obstat, quod si Christus habuit, ergo & Petrus, cui disposuit sibi regnū, sicut disposuit ei pater regnum. Et sic videtur quod Papa debet de regno tēporali disponere, sicut Christus disposuit. 96.*di*.*cū ad verū*, vbi probatur, ꝙ Christus hęc officia distinxit: quia respondeo, ꝙ eius distinctio non fuit de temporalibus aliqualiter intromittendo vel Cęsaris officiū deputādo, sed actibus propriis. Nam tēporalia penitus contēpsit, & de se eis se in nullo intromisit. & sic officiū quod habebat spiritualiū, à tēporali diuisit. primū voluit spirituale, secundū nullo modo habuit, & penitus renuit propriis actibus, i. renuēdo. sic pontifex renuendo penitus tēporalia actibus propriis debet hæc officia distinguere. Non obstat illa decre. *vnam sanctā*, dum dicit: *Sed certe qui in potestate Petri temporalē gladiū esse negat, male attendat verbū Domini proferentis: Conuerte gladiū tuū in vaginā. vterq; ergo est in potestate ecclesia*. Nā iste tex. facit pro principe: quia fateor quod gladius tēporalis est sub pōtestate Papæ, quia ipse Imperator est de ouibus Christi & filius Papæ. Sed sicut filius aduentitia non habet à patre, debet tamen de ipsis disponere secundū consilium patris: ita princeps, licet debeat ad nutū & consilium sacerdotis pontificis mouere gladium, non tamē habet ab ipso pōtifice. Et ideo tex. dum dicit: *Gladiū tuum, debet exponi i. ecclesia tua*: quia in ecclesia sua est nō mouendus ab ipso pontifice. & isto modo potest dici suus, quia in ecclesia sua est, sed nō in suo dominio, vel ab ipso mouendus, sed à principe. & quando vult sequi nutum & consiliu pontificis: & ideo pro fide debet semper ipsi Papæ obedire & moueri: sed non pro aliis suo nutu mouere, quia tunc Papa ipse diceretur gladiū ipsum mouere. & ipse pōtifex iurisdictionē talem exercere: vt *in c. mulieres. de sen. exco. & in l. pater. de manu. vindic*. & no. Bar. in *l. sed si vnius. § seruus meus. ff. de iniuriis*. Sed ipsi Papæ est prohibitū exercere gladium temporalē: ergo nec per sę nec per alium exercet: quia ēt si per alium faceret, ipse facere diceretur, vt dixi. Vel dic quod hæc nomina possessiua *tuū* & *suū* non semper denotāt dominiū, sed variantur respectu personę loquentis, vel eius cum quo fit locutio, vel respectu rei de qua loquimur vt no. Bar. in *l. quintus. § argento. ff. de auro & argen. le*. Et ideò si lego seruo res suas, intelligitur de rebus quas habet & possidet in peculio. *l*.3. *ff. de manumissio*, quæ tamen non sunt in serui dominio. sic in proposito, gladius temporalis est Petri, & Papæ quantum ad potestatem, quam habet faciendi ipsū moueri pro fide, non pro aliis: & hoc modo dicitur Ecclesiæ, & esse papæ, vt verba secūdū certam materiam capiantur: cum, vt dixi, alio modo non sit Ecclesiæ vel ad eius nutum mouendus.

CAPITVLVM L.

DVodecimæ & tertiædecimæ rationi respōdetur: & pōderari subtiliter oportet, quod iura dominii vario & diuerso modo sumuntur in iuribus nostris in proposito. Nam aliquod est dominium quod homini est concessum ratione iustitiæ & suæ innocentiæ & puritatis: quod dominium

prim

prius Adam habuit, & deinde Christus aliorum innocentissimus. Hoc tamen dominium, cum haberetur per sanctos viros & iustos, qui tanquam filii summi regis in omni regno liberi sunt. 23.q.8. ... non est particulare dominium possessiuum, non coactiuum vel punitiuum, sed est commune omnium istorum in mundo existentium. 12.q.1. *dilectissimis*. 23.q.7.c.1. & 2. & facit. 8. *di. quo iure.* Et hoc naturale potest dici dominium, quo iure omnia sunt communia. 1. *di. ius naturale.* Nam dominia possessiua & particularia cum potestate coercendi delicta, ab iniquitatibus & hominum peccatis processerunt, *dictis iuribus*: propter quæ coercenda Deus potestates constituit seculares. *d.c. quo iure.* Est secundum dominium, quod ab iniquitatibus descendit: quia homines quisque quærebant iure proprio sibi & particulari dominio res quærere. Et secundum istud facta est orbis & rerum diuisio, vt *l. ex hoc iure. ff. de iusti. & iur.* & 1. *di. ius gentium.* Hæc quidem dominia non sunt iustorum. item est dominium diuinum, id est Dei: & hoc similiter non est Dei particulare, sed diuinum & cōmune, quod concessit ipse Deus omnibus pariter animantibus. *d.c. quo iure.* Et hoc vult Scotus, alias Doctor subtilis super *li. 4. sen. di. 15. q. 2.* diuinum ergo dominium & iustorum Christus habuit etiam inquantum Deus & homo. Sed dominium seculare & ciuile omnium terrenorum Christus non habuit, viā perfectionis ostendens: immo tenuit Io. 6. habuit tamen & ciuiliter forte loculos, & condescendens infirmis: vt 12. *q. 1. habebat dominus loculos*, in quibus habitus pecuniæ per futuram tunc ecclesiam habendus designabatur scilicet tantum vt diuinus cultus non desereretur inopia, *d.c. habebat.* modo fateor quod diuina sunt iustorum, scilicet dominia diuina & naturalia, non humana, quæ consistunt in iure proprii possidendi & malitias coercendi. Item de dominio Dei quod Deus habet, dominium fateor, sed eius dominium est diuinum, vbi omnia sunt cōmunia. 8. *di. quo iure*: quod non habet quid proprii vel coercitiones & potestates seculares. Et licet forte Deus omnipotens vt ordinarius antequam haberet ministros temporaliter aliquos iudicauerit, hæc tamen potestas in Christo, inquantum homo, non fuit, vt docui supra *in 2. argu.* confirmationis vlti. Et si non fuit in eo, nec in Pontifice cui Christus disposuerat regnum, sicut pater ipsi disposuerat regnum: *Luc. 22. c.* Et licet dicatur quod Apostoli etiam causas seculares tractauerunt, illud debet intelligi propter defectum iudicis secularis, qui tunc deficiebat inter Christianos. vnde & tunc supplet Pontifex & sacerdotes: *de fo. compe. c. ex tenore.* sed non tamen pro hoc infertur, Pontificem habere terrenorum omnium mortaliū monarchiam, aliis ibi insertis, ex superioribus patet responsio congrua. & licet sacerdotes veteris testamenti haberent administrationem temporalium, sacerdotes noui Testamenti Deus constituit digniores, cum eis secularium inhibuit curam, vt perpensius spiritualibus vacaret officiis: illi quidem animalia victimabant, isti vero corpus Christi & sanguinem eius offerunt: propter quod expedit, vt eorum manus ab omni sorde mundanorum alienæ sint. pro quo facit *l. di. si post*, 1. *q. 1. necesse est.* Ad id de intellectu practico & speculatiuo & de ordinatis ad finem, vt necessitentur à fine, dixi supra in responsione octauæ rationis. Et quod dicitur de minori mundo, dico quod quatenus temporalia veniunt ad finem spiritualium, Papa imponit necessitatem principi, sicut anima rationalis hominis disponit ad suum finem. Nec obstat, si dixit: *omnia temporalia ordinantur ad finem spiritualium*, fateor in habitu sed non in operatione. Et hoc vult tex. in *c. habebat dominus loculos.* 12. *q.* 1. vbi tex. vult quod clerici tunc habeant temporalia quantum diuinus cultus non deseratur inopia: & ideo habuit dominus loculos, id est, parua marsupia, in quibus pecuniæ per ecclesiam habendæ designatus est. Non ergo vniuersa temporalia in operatione sunt semper propter spiritualia, licet in habitu sic. Et sic non obstat, si dicitur quod omnia temporalia sunt ad finem spiritualium. Et ideo dicitur quod duo sunt hominum genera. 12. *q.* 2. *duo sunt* &c.

CAPITVLVM LI.

QVartædecimæ rationi responsio est ex text. in *d.* §. *item cum Dauid.* Nam & Nathan Propheta, cum regem redarguit, sacerdotii est executus officium, in quo rege maior erat: non vsurpauit regis officium, in quo erat rege inferior. Monuit enim eum vt per pœnitentiam sua expiaret peccata, non temporaliter tulit in eum sententiam vt tanquam adulter & homicida morti necaretur. vnde ille tex. facit ad oppositum. Item illud Danielis soluitur per nota. 2. *q.* 6. §. *item Daniel.* Nam miracula veteris Testamenti sunt admiranda, nōn in exemplum nostræ actionis trahenda. Nam Samuel interfecit regem Amalech, & ex sacerdotibus nostris non licet effundere sanguinem. Item depositio Saulis nō fuit facta per Samuelem vt Dei Vicarium, sed vt nuntium, vt facile deprehenditur ex tex. Nam Vicarius est qui in eodem tribunali, vbi ordinarius iudex sedet, sententias profert: vt no. *in c. Romana. de offi. or.* & no. in *l. 1. ff. quis & à quo appe.* Nuncius est qui tanquam pica & organum sibi commissa denunciat *l. & licet. ff. de consti. pecu.* vnde non concludit argu. de nuncio ad Vicarium. præterea, vt supra ostendi, hæc dominia ciuilia & coertiones temporales non fuerunt in Christo: ergo nec in eius Vicario, aliis ibi insertis patet supra responsio. Et ad *c. aliud.* 15. *q.* 6. secundum glo. ille tex. facit in oppositum: quia non deposuit ibi Papa regem Franciæ, sed deponentibus consensit. Ad aliud vero mysticum de Leui & Iuda, non est bonum argumentum. præcedit in natiuitate, ergo in auctoritate: quoniam multi sunt maiores natu, qui non solum autoritate non præcedunt: sed etiam à iunioribus præceduntur: vt si Episcopi iuniores sint suis presbyteris: In Esau & Iacob hoc etiam ostenditur. nam Iacob iunior fuit & non prior natu: & tamen in dignitate & auctoritate præcessit Esau.

Digitized by Google

CAPITVLVM LII.

RAtioni quindecimæ, quod fuerit relaxata paupertas, potest multipliciter responderi: quod tantum in causa necessitatis imminentis tempore passionis Christi fuerit facta relaxatio: & ad id quod fuerint cerimonialia & præmissiua, non præceptoria & etiam moralia. No. Ambro. super id Luc. 10. *Nolite portare sacculum* &c. Inquit enim: *si prohibentur aurum possidere, non in vacuum Petrus effusa Domini mandata cum posceretur à paupere, vt ei aliquid pecunia largiret, ait: argentum & aurum non est mihi.* Item super id Lucæ 9. *nil tuleritis in via:* dicit, *Qualis debet esse qui Euangelisat regnum Dei preceptis Euangelicis designatur vt sine virga & pera* &c. Item dicit glo. super Act. 3. & ibi. super id Luc. 10. Et ibi Beda super Lu. 22. c. Et idem Hiero. ad Eusto. Omnes istæ auctoritates dicunt post mortem etiam tale durasse præceptum. Sed si quid concessum per habitum loculorum clericis, debet intelligi tantum quantum diuinus cultus non deseratur inopia, vt vult Au. 12. *q.* 1. *habebat Dominus loculos.*

CAPITVLVM LIII.

SExtædecimæ rationi respondetur, quod Papa non immiscendo se temporalibus nulli subiectus est, tanquam filius summi Regis. 23. *quæst.* 8. §. *ecce.* sed si eis se immiscet, ipsa temporalia sunt subiecta Cæsari, & oportet de ipsis habere censum. 11. *q.* 1. *magnum.* Papa verò tanquam vicarius Dei & prout filius summi Regis à nemine iudicatur, quod non censetur de mundo, cum pater sit iustorum qui non sint de mundo. Et isto respectu nemini subest, etiam si se immisceret temporalibus, quia inspicitur quod est in eò maius. scilicet diuinitas: temporalia tamen sunt Cæsari subdita. vnde pro ipsis inferior est Cæsare, simpliciter ipsum respiciendo in temporalibus siue in diuinis: licet fateatur ratione diuini officii à nullo posse iudicari: & in consequentiam etiam de temporalibus. 9. *q.* 3. *aliorum.* de ipsis tamen exterioribus & terrenis electi Cæsari tributum reale & onera merè realia soluūt, quia transeunt cum onere suo præterquam prædium in quo construitur Ecclesia, vel quod efficitur Dos Ecclesię, quando tale prædium est constitutum Ecclesiæ Dos à Domino tributi. Et hęc potest esse ratio, quare de donatione facta per principem pontifici ipse non debet Cæsari tributum: quia talis donatio facta est Ecclesiæ dos per ipsum principem cui debetur tributum. Sed si fundus esset constitutus dos Ecclesiæ inscio Domino tributi vel non consentiente, tunc debet id ante redimi à tributo. alias etiam dos Ecclesiæ essent effecta tributo: vt no. in. *d. c.* 1. *de censi.* secundum Host. & Doc. quinimo nedum principi, sed & aliis secularibus Dominis tenentur Ecclesiæ ad onera pro exterioribus in Ecclesiam prouentis, ad honera etiam exteriora ordinaria; quæ tamen antequam peruenirent exteriora prædicta ad Ecclesiam, erant iam indicta: vt no. glo. in *Incola iam ff. ad munici.* Et idem dicas pro indicendis, quando pro talibus oneribus indicendis res erant hypothecatæ, antequam peruenisset ad Ecclesiam: vt si res ipsæ erant affectæ ad certum onus & perpetuum per solidos & libras distribuendum: quia tunc ad Ecclesias transeunt cum onere suo *I. alienatio.* licet si onus non esset ab initio certum, sed erat secundum imminentes necessitates indicendum, tunc cum incertæ obligationi nō accedat hypotheca, etiam si essent res pro futuris oneribus hypothecatæ, tamen non tenerentur pro indicendis Ecclesiæ postquam res in ipsas deuenirent. vt hoc no. 11. *q.* 1. *si tributum. & ca. magnum.* 23. *q.* 8. *tributum. & de immuni. Ec. cap.* 1. *li.* 6. vbi per Archi. & in Spe. *de cle. coniu.* & *extra de censi. c.* 1. & sic pro exterioribus subditi sunt Cæsari, & pro secularibus negociis quatenus se immiscent. facit 8. *di. quo iure.* licet si clerici ipsis se non immiscent, liberi sicut Christus sunt & discipuli qui temporalia abiecerant, liberi erant: & si soluerunt tributum, fecerunt, ne scandalisarentur. 8. *q.* 1. *iam nunc.*

CAPITVLVM LIV.

DEcimæ octauæ respondetur vt proximæ: præter vbi dicitur quod Christus vsus est coertionibus secularibus eiiciendo vendentes de templo. Dico quod non est verum, quod Christus coertiones seculares habuerit, vt ostendi in 2. *arg.* confirmationes vltimæ. & ostenditur: quia si habuisset, hic modica fuisset vsus coertione simpliciter verberando funiculis. Et ideò dici oportet potius quòd vsus est officii hostiarii, cui modica est permissa sine sanguinis effusione coertio.

CAPITVLVM LV.

VLtimæ rationi per omnes responsiones factas supra, responsio patet. Nec verum est quod sine licentia Christi non possunt alieno Domino scilicet diuino obligari. Sed obligatio Cæsaris est Dominii secularis. Et ideò Cæsar non potest præcipere vt me à fide vel Dominio Christi alienarem, & si præciperet, non foret ei parendum. 11. *q.* 3. *per totum*, & maxime in *c. Iulianus.* vnde non potest homo obligari vt retrahatur à fide & dominio Christi diuino: humano autem dominio bene potest quis se obligare. nam potest quis pati se vendi liber homo ad precium participandum.

SVMMARIVM.

Conclusio: Pontificem Maximum dominium habere diuinorum & spiritualium: Cæsarem verò terrenorum & temporalium omnium, ex antedictis.

CAPITVLVM LVI.

ENeruatis sic igitur aduersariorum obiectionibus luce clarius ad propositam primam quæstionem patet scil. quod apud Cæsarem est terreni imperii corruptibilium omnium, quæ tempore mensuran-

Digitized by Google

...monarchia. Et quid est, si inter nos mortales consideres directiuum illud, quo ratione partis nostrae immortalitatis dirigimur ad aeternam vitam quaerendam, quae est Dei visio, & ipsius fruitio, quam acquirimus speculando & contemplando, quae est felicitas vltima humanorum, & in qua maxime in contemplatione primi contemplabilis consistit tota vltima hominis perfectio: vt habetur ... & 10. *Ethic.* & *de regula. c. licet.* & 19. q. 2. *c. duae sunt.* his vt sordes mundialibus, & ex terrenis, dico istam ipsam monarchiae super omnes terrenos esse apud aeternae vitae clauigerum, & prius fuisse in Dei filium redemptorem, & de ipso in Petrum & caeteros successores. Et hic non humana, non terrena, sed potius caelestis & diuina debet dici monarchia, cum ex hoc dicatur Pontifex quasi pontem ad aliam vitam faciens, in quo exigitur non potentatus, sed virtus: non superbia, sed humilitas: non auri congesta pecunia, sed Dei & proximi congesta dilectio, qua morum integritas custoditur & Saluatoris praecepta seruantur. sub hoc principatu est Caesar pontifici vt filius & inferior, & vt vnus ex ouibus gregis dominici Petro commissi & caeteri fideles, vel etiam infideles. Nam omnes homines terreni sunt de ouibus Christi per occasionem, licet non omnes sint de ouili ecclesiae: vt no. Inno. *extra de vo. & vo. redem. c. quod super his.* hinc est quod secundum ipsum Inno. si gentilis, qui non haberet nisi legem naturę, contra illam faceret, posset à Papa puniri. Idem in Iudęis, si contra eorum leges venirent, non obstante quod ad Papam non spectat iudicare de his qui foris sunt. 11. q. 1. *multi*, quia illud intelligitur excommunicando vel compellendo ad fidem: in qua sola Dei gratia vocari debet. 45. *di. de Iudaeis.* Est ergo Papa diuinus monarcha, qui omnibus inferioribus praeest animarum respectu & directionis earum ad aeternam vitam quaerendam. Si vero consideres directiuum aliud, quo ratione mortalitatis dirigimur ad beatitudinem assequendam transitoriae vitae praesentis, quam demum consequimur per potestates temporales compescentes à vitiis genus humanum, & vnicuique secundum iustitiam distribuentes, vitiaque seuerissime vindicantes, & dominia particularia legibus seculi inter priuatos distinguentes, nos sic in pace & tranquillitate seruando, mensurando nos cum prouidentia, quae est recta ratio agibilium, & actiuae laudabili vitae nos secundum prudentiae praecepta subiicientia: Profecto iura haec soli Romano Caesari foelicissimo Augusto dico competere, qui in terrenis his administrationibus & secularibus dominiis, potestatibus ac coertionibus est omnibus superior & supremus monarcha: pro quibus quicumque sint humani generis, etiam summus Pontifex, qui diuinam habet monarchiam non mundanam, sed secularia dominia non coertiones ab ipso Caesare dependere noscuntur. vnde merito Caesar omnes delinquentes potest punire, etiam si ei de facto non pateant: & omnes etiam Gentiles & Iudaei sub ipso sunt. *C. de Iudae. l. Iudaei.* & no. 1. *di. ius Quiritum.* & *de elec. c. venerabilem.* in glo. quae incipit. *in Germanos.* Estque terrenorum corruptibilium omnium Princeps, à nullo nisi à Deo immediatè dependens, per medium tamen Romani populi, qui tanquam Dei minister & instrumentum eius iurisdictionem omnem in ipsum transtulit & imperium habet. *insti. de iure na. §. sed quia quod principi. C. de veteri iur. enucle. l. 1. §. cum enim.* & no. *de renun. cap.* 1. quoniam verissima est haec ipsa conclusio: quod bonum vltimum hominis inquantum homo sit operatio solum intellectus practici absque consideratione operationum intellectus speculatiui: licet quatenus homo in vlteriorem finem intenderet. prout de immortalitate participat, non esset solus intellectus finis vltimus eius ipse practicus, sed speculatiuus; cuius speculatiui directio pertinet ad Pontificem. Sed sicut recta speculatio impeditur per administrationes temporaliū, quod figuratum fuit in Maria Magdalena & Martha, vt in Euangelio: *Martha Martha solicita es.* & *de renū. c. nisi cum pridem.* ita Papale officium turbaretur assumendo administrationem temporalium vniuersam. quemadmodum enim intellectus speculatiuus non assumit, nec debet assumere officium intellectus practici, cum bene speculare intendit, quia sic desineret esse speculatiuus: ita Papa non debet nec potest assumere officium principis imperatoris, quia desineret esse Papa. Et quamuis, si deuiet, princeps à sui recta administratione, possit à Pontifice emendari, hoc non arguit tamē pontificē habere vel habere posse temporalium administrationē vniuersam. quemadmodum. n. iudex emendat male gesta subditorum, nec tamen habet dominiū vel administrationē bonorum ipsorum, nec eorū exercitia, sic Pontifex ipse facit. loquor quod emendat in impedientibus finem ipsius Pontificis. Et ex his confunduntur plurima motiua primo facta. Et quia Papa imperium tollere non potest, nec imperatorem amouere, nisi quando deuiaret à fide, patet quia Imperator & imperium ab ipso non dependet: quia quae non possunt ab homine amoueri, à Deo immediatè sunt. Vae igitur illis & iterū vae, qui fundamenta ecclesiae in montibus sanctis, & illa praeter quae nemo aliquod ponere potest, quod est Christus Iesus, veluti in summo angulari lapide solidatae in arena temporalium fictis allegationibus fundamento disponere queunt, aut extuantes in maternos concubitus summi Pontificis, qui pater est patrum, ad vsurpandum vniuersum temporale imperium conantur violare assensum, & Petri nauiculam temporalium tempestatibus immergentes, ipsam fluctuare continuo satagant. Sed ô vtinam solos ipsos Papa perfidos subuertentes in hoc Romanum Imperium teneret auctores, quoniam nimium cancerosus iste morbus inualuit. Nam hi aliis etiam plurimis nostro Caesari detrahentes sub quaesitae Apostolicis plurimis libertatis colore multos incitos misere ab ipso deuiare compellunt verae Dei ordinationi resistentes, & Idolas propriae voluptatis adorantes, in tantum vt pauci Italia in vera fidei soliditate sacro imperio assistentes. inter quos paucos vsque adeò connumerare non vereor, conspicuum meritis virum quidem Anthonium Vrbini ac Montis feretri Comitem: Cui exigentibus eius virtutibus laetus adhaereo

Digitized by Google

& eius illustrem progeniem Comitis Montis feretri, quæ nunquam viperio more versa est in viscera genitricis, quæ nec vt pecus languida gregem Domini sui sua nunquam contagione maculauit; sed semper adhæret cæsareæ vnitati, quamobrem & persecutiones non modicas & damna maxima passa est, pro sacro Romano Augusto viriliter dimicando.

Satisque religiosissimè Cæsar, vt arbitror, tua iura manifestè defendi, Imperium à Deo scilicet immediatè, non per vicarii ipsius alicuius medium fore, & inquantum opus fuit non minus amplius. Nunc autem ad alia & tibi & mundo vtilia transitum præparo. Et ista de prioritate summi Archimandritæ, eiusque potestate discernere est ad proxime dicta quædam connexa, seu cognata. referre igitur, placet & de ipsius pontificis & tua potestate paululum enarrant. Hæc igitur subsequenter disceptatio supponatur: Quis præferendus vt maior sit summus Pontifex, an Augustus: & qualiter vnus subalternatur alteri: & quis fortè inter ipsos litigantes iudicium interponat: & vniuscuiusque qualis potestas sit.

SVMMARIVM.

Pontificem maiorem esse & auctoritate, & dignitate; antecallentiaque præcedere Cæsarem.

CAPITVLVM. LVII.

SVbsanabunt & derident sacri Romani Imperii detractores, vt arbitror, dubia ante lata, audentes me dicere hæreticum & insanum, ex eo quod in dubium reuocem, quod est sanctis auctoritatibus iam decretum & amplissimis rationibus roboratum, ab Ecclesiaque decisum: cum omnis dubitans eorum quæ sancta decidit Ecclesia, hæreticus sit censendus. Sed ipsi potius arguendi sunt, qui sanctarum scripturarum mentem secundum nudam tantum verborum corticem intelligunt ratione atque intentione ipsarum ex glo. quæ tamen non sunt Iudaicè ad litteram considerandæ, sed secundum mentem Dei intelligendæ: quæ vt dilucidè enitescant, ad ipsas explanandas, linguis mordacibus postpositis, accedamus. Et ex quinque aut aliis pluribus summi Pontificis nonnulli supra Cæsarem maioritatem ostendunt. Primum namque ordinis ratione, quoniam Pontifici ordo annexus est: principis autem nullus est ordo: vt no. *de elec. c. venerabilem.* & 63. *di. Valentinianus.* tantum igitur Cæsaris est dignitas, sed non ordo: & ideò Princeps non consecratur crismate, sed tantum oleo delinitur: vt in *c. 1. de sa. vnc.* quia eius non est propriè consecratio, sed inunctio. vt nota. in *d. c. venerabilem*, nec consecrationem propriè vel ordinem habet. Item & ordo ipse, qui imprimitur Papæ, fundatur in anima: quoniam gratia, scientia, caracter, & ordo sacerdotalis, signum est animæ. Imperialis verò potestas fundatur in corpore. *C. de sacro san. Eccles. l. sancimus; de pœni. & remis. c. cum infirmitas.* 12. *q.* 1. *præcipimus.* 24. *q.* 3. *si habes:* ita ordo sacerdotalis est potior & maior potestate Imperiali: præsertim quia maioritas debet considerari ratione ordinis, non dignitatis: vt no. in *c. ad supplicationem, de rēnun.* Item cuius subiectum nobilius est, illius potestas & actus nobilior atque maior. Et hæc mistice figurata fuere in primi parentis genitis Abel & Cain. nam Abel sacerdotium figurauit, cain regnum. Abel pastor offerebat de primogenitis Gregis, ad cuius respexit Dominus oblationes: sed ad Cain munera Dominus non prospexit, quoniam agricola terrena Domino offerebat, *Gen. 4. c.* Ratione igitur ordinis & subiecti, potestas pontificalis maior, & Deo acceptibilior Imperio reputatur, cum ipsa primum vacet administrationi diuinorū, quę quidē Cęsari minimè sunt subiecta. 23. *q.* 8. *conuenior.* & ideò scriptum est: *Quæ Cæsaris Cæsari: quæ Dei Deo.* Imperium verò in humanis meditatur: vt in *auten. quomodo oportet epi. in prin.* & hac de re sacratissimus Imperator in *d. auten. quomodo oportet epi.* præmittit sacerdotium Imperio, quia priores & maiores inferioribus præponuntur. *C. de no. co. fac. l. vnica, post medium.* & *de maio. & obe. statuimus.* & in *auten. de non. alie. §. summus.* semper præmittit sacerdotium Imperio, dum ibidem dicit: *nec multum differunt ab alterutro sacerdotium & Imperium*: quasi velit, quòd cum vtrumque sit immediatè à Deo: vt *in prin. dicta auten. quomodo oportet epi.* non tamen multum differunt. nisi quia sacerdotium, prout meditatur in diuinis, maius & dignius est Imperio, quod vacat humanis: quoniam diuina tantum humanis præcellunt, quantum anima corpori antefertur: *de maio. & obe. c. solitæ.* & *c. illud intantum.* vnde manifestè docetur maioritas summi pontificatus: quia quanto quis melioribus præest, tanto magis ipse maior, nobilior & honestior est, in *auten. de defen. ciui. §. nos igitur. col.* 3. Et ideò Pontifex tanquam supremus & omnibus maior inquit, quòd habet plenitudinem potestatis: vt *qui fi. sint le. c. per venerabilem*: & quod omnes debent duci eius auctoritate Pontificis, non proprio sensu. vt in *ca. 1. de consti.* & ipse Christianissimus Imperator hoc ipsum videtur asserere, dum dicit, quod *leges non dedignantur sacros canones imitari*, in *auten. vt eccle. ap. propri. epi. §. si. verò & de mona. in fi.* Et alibi dicit etiam quod præ omnibus vult sequi sacras regulas, in *auten. quomodo oportet epi. §. 1. 2. vt cle. ap. propri. epi.* Et his de causis arbitror, quod Imperator filium se dicat ecclesiæ atque Papæ. 23. *q.* 8 *conuenior.* & *C. de sum. tri. epistola victor.* & 96 *di. quis dubitet.* & *c. si Imperator.* Et ecclesia mater Imperii dicitur: in *Aut. vt determi. sit nucle. §. 1.* vt se inferiorē Pontifici recognoscat, quemadmodum filius inferior est parente. Ex quibus cum ratione ordinis Pontifici annexi, sed non principi, propter quem ordinem præferendus est habens non habenti: & ideo Episcopus præfertur presbytero: & presbyter diacono. 79. *di. & hac. in fi.* 23. *di. à sub diacono.* & *c. legimus*: cum ratione subiecti vtriusque, qui sit nobilius subiectum summi Pontificis: tam etiam ratione professionis ipsius Cæsaris profitentis, qui vult sacros canones imitari, & filius esse Papæ: manifestè colligitur superioritas atque maioritas summi Pontificis supra Cæsarem. Secundo ratione consecra-

Digitized by Google

consecrationis, maioritas & superioritas palam fit: quoniam Pontifex & Episcopus capite inungun- tur crismate: sed non Princeps qui oleo tantum in brachiis & armis inungitur, non in capite, *de sa. unc. c. 1.* vt detur intellectus, quod sacerdos ipse est caput, & in eo repraesentatur Christi persona, qui caput est Ecclesiae suae sanctae. & ideò Pontifex Vicarius solus est vnicus Iesu Christi: vt in *d. c. 1.* & eius vices gerit in terris, *de transla. c. quanto & vt eccle. benefi. c. vt nostrum:* & in terris dicitur habere caeleste arbitrium, *C. de sum. tri. l. 1.* sicut ergo in supernis est solus Deus, ita in terra vnicus Dei Vicarius, qui omnibus praesit, & iudicet, & à nemine iudicentur 23. *q. 5. hac imago:* & ipse sit, quem Christus in sanguine suo fecit Pontificem, regem, & sacerdotem: *d. c. 1.* satis supra in argumentis primae quaestionis praedicta deduxi atque praemisi. Ex his concluditur, quod in capite Pontifex delinitus Dei Vicarius cunctis praeest: & omnes, etiam Caesar, sibi subditi sunt.

CAPITVLVM LVIII.

RAtione suae amplissimae potestatis probatur: vt tertio ipsius Pontificis superioritas & maioritas vltra Caesarem. Nam Imperator spirituali potestati subiacet, & ab eo creditur, non solum in terra, sed etiam in coelis posse ligari & solui: *96. di. quis dubitet.* Nam Petro concessa fuit vniuersalis potestas homines ligandi atque soluendi, nemine excepto: *24. q. 1. si Petrus. & c. quodcunque.* Et omnes iudicibus spiritualibus sunt subiecti, *de poeni. & remiss. Omnis vtriusque sexus:* omnesque principes decet suis Episcopis obedire: *de maio. & obe. cap. omnes. & c. illud.* Et ideò pontifex alloquitur Imperatorem inquiendo: *Noueris ex ipsorum Episcoporum te dependere iudicio: non illos ad tuam posse redigi voluntatem:* vt in *cap. si Imperator. 96. di. in fi.* dicit: *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis praesulibus, modo praeferri.* Quare nonnulli pontifices aliquos Imperatores anathematisauerunt. Innocentius enim Papa Archadum Imperatorem excommunicauit, qui consenserat, quod Iohannes Chrysostomus à sua sede pelleretur. & sanctus Ambrosius, licet non vniuersalis EcclesiaeEpiscopus, Theodosium magnum Imperatorem à fidelium communione seclusit. *96. di. duo sunt.* vnde maioritas pontificum designatur, quoniam maior est ille, qui maledicit quam cui maledicitur: & ille qui benedicit quam cui benedicitur. *24. quaest. 1. §. si autem. & 21. di. denique. & cap. Nunc autem.* Et ideò Melchisedech. sacerdos benedixit Abrahae Patriarchae, vt maior, *ad Hebr. 7.* Et ipse Abraham Patriarcha, qui interpretatur pater coelestis vel excelsus, munera obtulit Melchisedech sacerdoti tanquam maiori, *Gen. 14. c.* Obtulit enim ipsi panem & vinum. Et propterea etiam Valentinianus Imperator suffraganeis Mediolanens. Ecclesiae dixisse legitur: *Talem in pontificem eligite, cui & nos qui gubernamus Imperium sincere nostra capita submittamus de indi. cap. nouit.* Lex enim Christi Imperatores sacerdotali subiicit potestati, *Io. 1. cap. & Matth. 6.* Dedit enim Deus sacerdotibus principatum multò perfectiorem principatibus Imperii. *10. di. suscipite.* Quia incongruum videtur, quod spiritus cedat carni, aut quod à terrenis coelestia spiritualia superentur. Et his fortè de causis recipit Imperator à pontifice approbationem, personae vnctionem, & coronationem, & caput ipsi submittit. *de iur. iur. cle. Romani. & de ele. venerabilem.* Ex quibus videtur confirmari, siue à Papa confirmationem excipere. Nec haec propria confirmatio est: vt no. Inno. *de re iudi. cum Bertoldus. in ver. memorato.* his etiam autoritatibus & iuribus credo, quod interdum pontifex Imperatorem deponat, *de re iudi. ad Apostolic. lib. 6. & de re. indi. cle. pastoralis:* & Imperium de gente in gentem transferat, vt de Graecis in Germanos, *de elec. venerabilem.* Et reges etiam deponat & corripiat *15. quaest. 6. alius.* & probatur, *qui fi. sint legi. per venerabilem,* dum rex, dicit: *Nescitis quia Angelos iudicabitis:* & per consequens magis principes. Hoc etiam de Samuele patet, qui Saul regem constituit. Et id ipsum Ioadas fecit, qui Athaliam tunc in Iudaea regnantẽ mandauit ab exercitu occidi. Ipsa tamen spiritualis potestas suprema est, & à nemine iudicatur, *9. q. 3. nemo. & c. aliorum. & 1. ad Corint. 2.* excepta causa haeresis. *40. di. si Papa.* Et ideò suis legibus Imperator non derogat canones, *10. di. L. Imperatoris:* quoniam non est ipse supra legem Dei sed subtus, nec de Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis potest ipse disponere. *97. di. bene quidem.* Quia vtentes priuilegio clericali non possunt alieni laico personaliter subesse, *de fo. compe. si diligenti.* Cum igitur ex praedictis appareat principes subditos fore pontificibus, & ab ipsis benedictiones & maledictiones excipere, & iudicari à praesulibus suis, & ab Imperio amoueri, patet quod tanquam inferiores ipsis praesulibus sunt censendi atque ponendi. Ex praerogatiua antiquitatis maioritas summi pontificis designatur. Nam antiquitati decreta sanctorum patrum sanxerunt reuerentiam exhibendam: vt in *cap. quanto de transla. epi. ff. de iur. iur. l. semper & l. 1. ff. de albo scri. 75. di. ordinationes.* sed sacerdotium est antiquius Imperio, quoniam Melchisedech qui fuit sacerdos praetexit scriptam legem quingentis fore annis, *Exod. 28. cap. in Inno. de consti. c. translato.* licet sacerdotium Leuiticum vna cum ipsa lege ortum habuerit: vt no. in *d. c. translato.* Et sic vtrumque sacerdotium Melchisedech & Leuiticum praecessit Romanum Imperium. Et demum ipsum Leuiticum fuit translatum de Aaron in Christum, qui fuit de tribu Iuda: & de Christo in Petrum: vt hoc habetur in *d. c. translato.* & sic subrogatus debet sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur. *l. si enim. §. qui iniuriarum. ff. si quis cau. l. 1. §. similique modo. Cod. de bo. quae libe.* vt quemadmodum sacerdotium Melchisedech & Leuiticum antiquitate, & propter eam praetexit Romanum Imperium, ita Christi sacerdotium & Petri debet praecedere, etiam si post inchoatum Romanum Imperium initium habuerit. immo plus secundum aliquos dici posset, quod etiam Petri sacerdotium antiquius est Romano Imperio. Nam quamuis tempore Christi Im-

Digitized by Google

perator receperit iurisdictionem à Romano populo: vt *l. 2. ff. de ori. iuri. & insti. de iure na. §. sed quod Principi:* illa talis potestas abusiua potestas fuit, quoniam ius concedendi legem erat per prius in sacerdotio etiam illo tempore: vt no. in *d. c. translato:* quod loquitur indiffinite de potestate legis concedendæ, vt esset in sacerdotio, & vt etiam in laicos sacerdotibus talis potestas competeret. vnde ex tali translatione iurisdictionis in principem non habuisset, vel habuit Princeps potestatem legis cōcedendæ, nisi sua potestas fuisset per ecclesiam postea quo ad exercitium in laicos confirmata, volunt enim isti, quod Princeps nullam de se iurisdictionem habeat, nisi à Pontifice vel ecclesia: dicentes, habitu saltim omnem iurisdictionem, & vtrumque gladium apud Christum & Petrum fuisse, & sic non apud alios, cum apud duos in solidum esse non possit. Et pro ista sententia sunt omnia illa argumenta, quæ in prima quæstione pro prima parte deduxi quæ nunc, ne bis idem replicem, prætermittam: nisi quod si hæc est sententia vera, sequitur quod pro sua iurisdictione imperium reciperet causam autorisabilem ab ecclesia, & sic imperio circa ipsam iurisdictionem antiquior esset ecclesia, cum impossibile sit in esse præcedere quemquam suam causam vel autoritatem suæ causæ. *l. obligari. ff. de auto. tuto.* Et ad hæc facit, quia in veteri Testamento per sacerdotes ordinata est regalis potestas regiminis. 8. *di. c. si. & Exod.* 10. & dixi in primis confirmationibus primæ quæstionis: vnde maior esset Papa qui præbet autoritatem quam cui præstatur autoritas. Sicque tam ratione antiquitatis cum sacerdotium antiquius sit imperio, quam ratione autoritatis cum ecclesia statuat secundum eos iurisdictionem, patet autoritas Pontificis supra Cæsarem.

CAPITVLVM LIX.

PRobatur hæc Papæ maioritas ratione obiecti & finis, in quem potentia cuiusque Pontificis & Cæsaris ordinatur. Nam obiectum Papæ est reformatio animarum: & ideo ipsi earum cura commissa est, quæ est ars artium. Item eius potentia est in æternam vitam directiua, quæ est fruitio Dei & eius visio. talis autem fruitio est sine comparatione nobilior felicitate mundi corruptibilis & transitorii. Temporalis vero Cæsaris potestas ad reformationem exteriorum. Et sicut anima est principium motus, ita spiritualis administratio in animarum compositione disposita est primum principium motus, & temporalem potestatem præcellit tanquam prima. Item ratione finis ostenditur Pontificis suprema potestas, quoniam ipsa ordinatur ad æternam vitam quærendam, & ad virtutes theologicas ordinandas, fidem, spem & caritatem. Et ideo Vicarius summi Dei habet peccatorum remissionem, & gratiæ impetrationem, cum habeat claues ligandi & soluendi. Humana vero principis potentia est ad finem beatitudinis consequendæ mundi huius transitorii, vt dixi supra in confirmatoriis primæ partis: & ipsa videtur ordinari in vlteriorem finem, videlicet ad finem potestatis Papalis, vt ibi dixi. Et sic melior est potestas Papalis imperiali, quia finis est melior & maior eorum quæ sunt ad finem, vt late supra in prima quæstione deduxi in confirmationibus primis, quæ omnia possent hic iterum replicari. Maioritas etiam ipsa probatur. quia in subordinatis agentibus ille est maior & nobilior, qui est propinquior fini, quoniam plus participat de ratione finis. Et ideo melior est minera argenti propter appropinquare magis auro, quam aliæ mineræ metallorum. Sic est summus Pontifex, qui magis appropinquat Christo Iesu & Deo nostro, cui successit Vicarius spiritualium ad cōtemplandum Deum, & mundialia relinquenda. Hinc forte est, quod Imperator soluat decimas suis episcopis, vnde maioritas cōprehenditur: *de censi. c. 2.* quia caro peccato obnoxia decimata est: Christus autem solus de lumbis Abrahæ exiens secundum carnē in Abraham decimatus nō est, quia non fuit caro Christi vel anima peccato Adæ submissa, *de conse. di. 4. c. sed adhuc quæritur: de bap. c. maiores. §. sed adhuc:* & Augus. *super Gen.* 24. *cap.* Et ideo inquit Apostolus: *Si nos vobis spiritualia seminamus, non magnum si nos carnalia vestra metamus:* quasi velit, quod decimæ à quocunque Pontifici exsoluantur. Ex quibus tum ratione obiecti & finis, tum quia magis appropinquat Pontifex fini, & quia vt maiori decimæ ipsi soluuntur, patet Pontifices antecellentia præcedere Cæsarem Augustum.

CAPITVLVM. LX.

VLtra hanc sententiam confirmare videntur plures auctoritates canonicæ & sanctorum patrum. Nam *de ma. & obe. c. solitæ*, scriptum comperitur quod quæ differentia est inter solem & lunam, illa est inter sacerdotium & imperium quare patet quod sexies milies & quadragesies quatuor, & insuper eius medietatem est maior potestas Papalis imperiali, quia tanto maior est sol luna, vt inquit Ptholomeus in 5. *li. Almagisti. propositione* 18. Et alibi dicitur, quod aurum non tam preciosius sit plūbo, quam regia potestate sit altior ordo sacerdotalis, *96. di. c. duo sunt.* Hæc etiam maioritas insinuatur. nam sicut filius Dei est contra naturam conceptus & incarnatus, & natus ex virgine, ipsa in momento concipiente Deum verum, & hominem verum: sic est iurisdictio, quam reliquit Petro & successoribus. nam est contra naturam iurisdictionis: quia si incidat spiritualis causa in foro seculari, de illa non cognoscit secularis iudex, sed causa ipsa incidens reuertitur ad spiritualem iudicem: vt *de ordi. cogni. c. tuam.* per quod c. confunditur sententia Bar. quam posuit in *l. Titia. so. ma.* dicendo quod si de matrimonii causa est dissensio inter alios quam coniugales, vel etiam vno de coniugalium de matrimonio litigante cum tertio non coniuge, quod de hoc cognoscit incidenter laicus iudex. Sed ego credo in causa matrimonii, quod quomodocunque de illa sit etiam incidenter quæstio, siue sit quæstio facti siue sit quæstio iuris, siue inter coniugales, vel tertium, quod de illa non cognoscit secularis iudex etiam incidenter. tex. est in *d. c. tuam. & in c. later. qui fi. sint le.* Et hoc est contra naturam iurisdictio-

Digitized by Google

iurisdictionis: quia iudex, qui ordinariè aliàs non habet de causa cognitionem, tamen de illa cognoscit si incidit coram eo. tex. est in *l. quotiens. Cod. de iudi.* Sed hoc non habet locum in causa spirituali, quoniam de ipsa etiam incidenter iudex laicus non cognoscit, quia sicut Dei filius contra naturam productus est, ita & hæc iurisdictio spiritualis, secundum Host. Ex quibus concluditur, pontificalem potestatem præcedere imperialem, & imperiali maiorem esse. Possent ad hanc sententiam roborandam adduci omnia iura, quæ in primis primæ quæstionis deduxi, sed hic prolixitatem euitando dimitto.

SVMMARIVM.

Cæsareæ potestati Pontificem subiacere, & eo inferiorem esse.

CAPITVLVM LXI.

Contraria tamen videtur aliorum sententia, quod Imperator supra pontificem sit, non subtus: quoniam legitur sacerdotium iam fuisse per reges constitutum. Nam Dauid rex, qui cultum diuinum plurimum ampliauit, sacerdotes præfecit. Et Salomon rex statuit Sadoch sacerdotē. *1. Reg. 2.* Item principis maioritas probatur. 23 *q. si tributum.* Nam pontifex & Clerici soluunt tributū Cæsari. Inquit enim Beatus Ambro. *Si Christus censum soluit: tu quis tantus es: qui putas non esse soluendum? 11. q. 1. magnum. & c. si tributum.* Si soluunt tributum, ideo sunt inferiores, quia est subiectionis signū; *de censi. c. 2.* ad hoc tex. in *l. fi. C. de legi.* vbi dicitur: *Quid sanctius, quid maius potestate imperiali?* Et ideo dicunt iura, quod *omnis anima debet esse subiecta sublimioribus*; & ex eo quod generaliter dicit, *omnis*, complectitur etiam summum pontificem & alios omnes. *11. q. 1. magnum. de maio. & obe. c. solitæ.* in fi. no. in *cle. 1. de iur. iur. in glo. in ver. cuiquam.* Et hac de re forsan toleratum est, quod contigit tempore Henrici imperatoris. Nam in Chronicis legitur, quod Benedictus Papa, qui successit Stephano, à pontificatu eiectus est, & factus est Papa Iohannes Sabienses episcopus, cui impositum fuit nomen Siluester, & ipse pecunia promotus est. Et hic demum eiectus fuit, & Benedictus restitutus, & iterum idem Benedictus eiectus, & pontificatus traditus est Iohanni archipresbytero ante portam Latinā, cui impositum fuit nomen Gregorius. Et hic etiam ab Henrico Imperatore depositus, & est vltra montes translatus. Hæc refert glo. 23. *di. in c. in nominē Domini.* si igitur Imperator deponit pontificem, ergo maior est eo: Quia inferior vel par non habet in superiorem vel parem imperium. *l. nam magistratus ff de arbi. & de maio. & obe. cum inferior.* Hoc idem interuenisse & iterum legitur. Nam cum Iohannes duodecimus Papa esset venator & totus lubricus, adeo quod meretrices publicè retineret: & nonnulli cardinalium scripsissent Ottoni Imperatori & principi Saxonum, vt scandalo compatiens ecclesiæ sanctæ Dei absque induciis Romam peteret, & caute claui debitam prouisionem impenderet. Et ex his pontifex indignatus Iohanni diacono Cardinali, tanquam facti huius consiliatio, nasum fecisset abscidi, & alteri Iohanni subdiacono, qui literas scripsit, manum amputari fecisset, tandem monitus ab imperatore præfato & Electoribus imperii, vt se corrigeret, non correctus à Papatu eiectus est, & voto communi Leo Papa pontifex constitutus extitit, qui vere pontifex in Apostolatu successit, & eius gesta semper vniuersalis comprobauit ecclesia. quare dici non potest, quod talis Iohannis depositio fuit erronea vel de facto, quia vniuersalis ecclesia Leonis facta minime approbasset, cum non fuisset Apostolicus, sed apostaticus. quod tamen minime verum est, quia pro sancto viro & Apostolico nostroque pontifice ipsum Leonem approbauit ecclesia demum sequens. Si igitur Imperator Otto Papam deposuit, ergo iudex eius & maior ipso fuit rationibus antedictis.

CAPITVLVM LXII.

Quod iurisdictionē habeat Cæsar supra pontificem, & in ipsum, & maior eo sit, docetur. Non est potestas vel iurisdictio maior pontificis, nec est ipse maior aut magis exēptus à iurisdictione principis quam fuerit ipse Christus. nam Vicarius non est maior illo cuius Vicarius est. Sed Christus, inquantum fuit homo mortalis, ipsi principi inferior visus est, cum eidem censum soluit. *11. quæst. 1. magnum.* quod est, vt pluries dixi, subiectionis signum, *de censi. c. 2.* ac etiam eius iurisdictioni subditus extitit. Et ideo coram Pilato Cæsaris præside ipse Christus inquit: *non haberes potestatem aduersus me vllam nisi tibi datum esset desuper. propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Io. 18. cap.* Ex quibus verbis colligitur, quod Pilatus Cæsaris Tiberii Præses habuit supra Christum iurisdictionem coactiuam nam de ipsa potestate Christus loquebatur, quia verba hæc Iesu Christi fuerunt responsiua verbis Pilati, qui per antè dixerat: *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te.* cui tunc respondit Iesus, *non haberes* &c. & si habuit potestatem coactiuam in Christum, fortius debet habere in pontificē. loquor de potestate ordinata, non de vsurpata, quoniam vsurpata potestas non est à Deo concedente, quamuis forte permittente. nec de vsurpata potestate Christus loquebatur, sed de ordinata. ideò dixit, *propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet*: quoniam magis peccat qui innocentem occidendum tradit ordinariæ potestati, quam ipsa potestas quæ taliter occidat timore forte maioris potestatis, vt fecisse creditur ipse Pilatus. sed si potestas Pilati in Christum fuisset vsurpata, quia si ius occupasset occidendi Christum, tunc maius fuisset peccatum eius vsurpantis iurisdictionem & occidentis Christum, quam tradentium ipsum simpliciter occidendum. quod tamen Christus ibidem negat. nam vult esse maius peccatum tradentium ipsum occidendi. habuit ergo Pilatus coactiuam iurisdictionem & ordinariam supra Christum, vt sentit Theophilus super id *Iohan. 3. cap.* exponens illud verbum Christi, dum inquit; *à temetipso dicis an alii tibi dixerunt de me.* dicit. n. Theophilus, quod *Christus hic voluit dicere, si hoc ex te ipso loqueris, osten-*

Digitized by Google

de signa & indicia meæ rebellionis: si ab aliis præcipisti, inquisitionem fac ordinariam. Ex eo igitur, quod hic Doctor sentit, quod secundum Christi verba Pilatus debebat facere inquisitionem ordinariam, fatetur quod etiam esset Pilati potestas ordinaria, alias non habuisset facultatem inquirendi. *l. in 5. §. publico. ff. de adul.* cum ibi no. hoc etiam sentit Bernardus in epistola destinata ad Archiepiscopum Senonentem, dum dicit: *cum Christus Romani præsidis potestatem super se fateatur cælitus ordinatam; inquiam, quod super ipsum iurisdictionem habuit coactiuam, quam tunc in eum exercere iuste minime potuit: nisi Christus coram eo legittime, quantum iudici constare potest, fuisset conuictus de crimine: sed quia conuictus non fuit, sed timore eum damnauit iniuste, hac de re ipse Pilatus peccauit, & morte æterna se tradidit: qui cum si damnasset eum conuictum falsis etiam testibus, nullum peccatum commisisset, quia iudex ex actitatis & probatis damnans etiam innocentem timore iustitia nullum peccatum committit.* Ex quibus deducitur, quod habuit Pilatus præses Cæsaris iurisdictionem ordinariam & coactiuam in Christum, & per consequens Imperator debet habere in Pontificem & successores eius. hoc etiam patet, quia Cæsar habuit potestatem in Paulum Apostolum, ad quem Cæsarem Paulus tamquam ad superiorem appellauit, ad quem si non fuisset superior non appellasset, quoniam mentitus Paulus fuisset, quia sic factis vt verbis mentimur. 22. *disti. cauete*: quod de Paulo dicere nephas est. Si ergo fuit Princeps ordinarius Pauli, ergo & Petri, & per consequens Pontificis, quia omnes Apostoli quantum ad hoc, an forent subiecti an non Cæsareæ potestati, fuerunt in præeminentia pares. Ex his inferri videtur, Pontificem subiacere Cæsareæ potestati, & eo inferiorem existere.

SVMMARIVM.

Quomodo Pontificem inferiorem esse Cæsare intelligimus: è conuerso Cæsarem Pontifice.

CAPITVLVM LXIII.

LEonum vt ora concludam, & latrantium linguas compescam, opus est. Et ideo per cõclusiones, quam veritatem sentiam, infra subiiciam Et si quidem consideremus Pontificem prout sanctitas eius præeminet spiritualibus & diuinis, & qualiter pro ipsis administrandis cunctos debet habere Pontifices & subditos & submissos, tunc firmiter habeo Cæsarē ab ipso dependere, vt filius & inferior, & vt vna ex ouibus dominicis, in domino & gubernatione Petro commissa, & adeo inferiorem & subditum existere, vt occasione prædictorũ possit non solum à summo Pontifice, sed à quolibet suo episcopo anathematizari & corrigi, & per Papam, si opus est, ab imperio ammoueri. nam peccando potest à Papa compesci, & ad pœnitentiam reuocari, *de iudi. c. nouit.* 22. *q.* 1. *c. prædicandum.* 6. *q.* 1. *c. illis.* Et his occasionibus dicitur esse Princeps filius summi Pontificis, & ei subditus inferior atque minor. Et est talis minoritas & gradus inferior non per modum simplicis essentiæ, id est, ex eo quod maiorem habebat dignitatem Pontifex quam Augustus, sicut est maior ordo sacerdotalis diacono, sed per modum cuiusdam principatus naturalis, sub quo principatu sit Cæsar. ipse vero Põtifex pro ipsis spiritualibus est vnicus monarcha diuinus, qui omnibus præsit, & à nemine iudicetur temporaliter vel spiritualiter, adeo vt nec etiam pro terrenis exterioribus principi aut alteri personæ eius possit esse obnoxia vel subiecta. & ideo Pontificis persona, prout obligari quæretur, personaliter nulli mortalium est submissa iudicio, nisi pro hæresi. 40. *di. si Papa*: quo casu est iudex concilium talis causæ. 19. *di. Anastasius*: vel ipse, si vult suæ causæ. 21. *di. nunc autem.* præfertur tamen sententia concilii hoc casu sententiæ Papæ. 15. *di. c. sicut sancti in fi. & ibi glo.* & tunc in hæresi casu isto maior est Princeps tali Pontifice, quia si hæreticus est Pontifex, minor est quolibet catholico. 24. *q.* 1. *Acatius.* Et idem credo, quando non est Apostolicus, sed Apostaticus, & per vim vel dolo intrusus. Nam tunc non est Pontifex, sed inferior principe: sed potest ammoueri. & sic procedunt depositiones factæ de Iohanne 12. quia factæ fuerunt præcedentibus monitionibus Euangelicis, quę hoc casu etiam Pontifici fieri possunt, quando est suspectus de hæresi. vel peccator notorius scandalizans ecclesiam, & publicis etiam monitionibus. vnde ipse persistente in sua obstinatione hæresis vel peccati scandalizantis ecclesiam iuste debuit & potuit deponi. & his de causis temporibus meis deposuit sanctum Constantiensis Concilium. Io. 23. & Benedictum 14. licet ipsorum vnus foret antipapa. Vouerat enim ipsorum quilibet, & iurauerant renuntiare Papatui propter tollere schisma de ecclesia sancta Dei, quod inueteratum extiterat annis penè 40. vel pluribus, & demum ipsorum quilibet erat voti fractor & iuramenti præuaricator, & fictionibus talem sanctam vnionem procrastinabant gaudentes quilibet in sua parte scissa bonis ecclesiæ. Nam Iohanni & prædecessoribus eius adhærebant Romanorum tunc rex & Germania tota cum Electoribus imperii, & Italia, & rex Angliæ cum Hybernis, & rex Poloniæ, Vngaria & Illyricum. Benedicto autem adhærebant tota Gallia, & omnes reges Hispaniæ & cum vno eorum Aragoniæ rege erant plurimæ maritimæ insulæ, Tenacria, Maioricarum & Minoricarum insulæ atque Corsica & rex Scotorum. sicque fuit tempore Ottonis. Nam ille Iohannes 12. fuit depositus à Concilio, in quo adfuit Imperator Otto, sicuti & constanciensi concilio etiam adfuit. Serenissimus noster monarcha Sigismundus, qui tamen Iohannem 12. non deposuit, licet deponentib. consensum præstiterit, & causa sustulendi tanti sacrilegii & inueteratum schisma fuerit. similiter credendum est processum fuisse tempore illius Iohannis presbyteri ante portam Latinam, cui fuit cognomen Gregorii: quia si ab Henrico vltra montes detrusus fuit, hoc factum fuerit mediante concilio, vel si ab ipso Henrico solum factum extitit, ad ipsum processerit, quia ille Archipresbyter erat notorius antiPapa Apostaticus, & intrusus, scandalizatorque scismaticas.

maticas.

ñitiis. vnde iuste à solo principe potuit captiuari. Si igitur est Pontifex Catholicus, nullius iudicio aut imperio est penitus submissus, nisi se sponte subiiciat alterius potestati, quia per talem submissionem subiectus est. 2. q. 7. *cap. nos si incompetenter*. & talis fuit submissio Christi apud Pilatum. ipse enim Christus ratione suæ innocentiæ & potestatis in omni regno liber erat. eadem etiam fuit submissio Pauli, cum Cæsarem appellauit: quoniam valuntaria & spontanea fuit. male igitur argumentant, qui ex his Pontificem Cæsari subditum dicunt. Nec etiam est Pontificis persona subiecta principi temporalium ratione, & ab ipso iudicanda, etiam quas à principe recognoscat: licet res ipsæ bene possint etiam apud Pontificem existentes esse subnoxiæ. & licet Christus soluerit tributũ, non subiectionis ratione, ex eo quod Christi persona fuerit Cæsari obligata aut inferior, sed fuit solutio talis ex caritate, vt exigentes non scandalisatentur. 28. *q.* 1. *c. iam tunc*, vbi sunt talia verba Augustini ad Polentium. vel ideò soluit, quia pro exterioribus Ecclesia debet Cæsari tributum: persona tamen pontificis vel alterius clerici non est pro prædictis sub aliquo iudice seculari subiecta, *de fo. compe. cap. si diligenti*: nisi esset causa feudi: quo casu laicus cognoscit de causis clerici, vel clericum astringit, vt *de fo. compe. verum*. Et licet quidam etiam ibi dixerint in causa reconuentionis, hoc expeditum non est: vt no. *de iudi. ac si clerici*. Ex quibus concluditur, pontificem nulli penitus fore subiectum inferiorem, siue minorem: & pro administratione diuinorum & directionis animæ Cæsarem & cunctos habere submissos: & talis pontificis monarchia diuina non humana: vt in *confir.* 1. *q.* & in *fine eius vltimo* dixi. Vbi verò dubitamus, quis pro administratione temporalium actu vel habitu cunctos mortales antecellat, tunc dico, quod Cæsar omnibus præest, qui omnes iudicat, & pro ipsis à nemine iudicatur, nisi quatenus alteri se submittat. *l. est receptum. de iurisdi. om. iu. & C. de offi. procu. Cæsar. per totum*. vel nisi pro administratione diuinorum vel spiritualium temporalia ancillentur, vel in consequentiam veniunt, *quasi. sint le. c. lator. & c. causam*. Et ideò ratione denegationis iusticiæ per Cæsarem facta, potest Papa ad se Cæsaris causas aduocare: vt in *c. ex tenore. in c. licet ex suscepto. de fo. compe.* de quo dic vt ibi dixi, & infra in casibus reseruatis: vel si natura sui causa est Ecclesiastica ratione pacis vel iuramenti, vel si proponitur contra imperium à persona miserabili, tunc Papa Imperatori denunciat: non dico quod ex his solis deponat, quia, vt dixi, cum imperium ab eo non habeat, non potest de ipso ab eo priuari aut deponi, nisi in talibus peccatis, vel aliquo persisteret obstinatus, adeo quod hæresis periculum vel suspitionem incurrat, aut totum scandalisaret imperium, quia tunc ratione hæresis posset priuari, vel declarari priuandus, sicut & de pontifice dixi. 40. *di. si Papa*. Estque modo Cæsar maior pontifice pro temporalium administratione, & hoc prout maioritatem assumimus per modum naturalis principatus, quia principaliter & proprius ipsis temporalibus principatur Cæsar quam pontifex: licet si quæres an pontifex esset maior Cæsare etiam respectu temporalium per viã simplicis essentiæ, & prout Cæsar perfecto minus imperio præfectus sit, & quemadmodum aues sunt nobiliores & perfectiores piscibus, tunc semper assereré pontificem maiorem Cęsare. Ex quibus concluditur, quod pro administratione temporalium, quatenus diuinis & spiritualibus rebus ancillantur, vel in consequentiam veniunt, pontifex maior est princi- pe, quia tunc temporalia sunt ad finem, quatenus pro administratione spiritualium ancillantur. sed vbi non veniunt vt præparamenta vel instrumenta ad finem spiritualium, vt quia ad finem aliũ ministrentur, tunc concludo quod Imperator supremus est monarcha, princeps & iudex omnibus superior, qui à nemine iudicetur, nisi alteri se sponte submittat. Quemadmodum enim intelligentia mouens orbem lunæ, non habet intelligentiam orbis solis in maiorem per viam naturalis principatus, sed tantum Deus omnipotens omnium intelligentiarum cælestium summus est princeps. 28. *di. c. ad hæc*: ita potestas imperialis non habet maiorem potestatem pontificale per viam principatus naturalis respectu ipsorum temporalium, licet respectu spiritualium: sic & pro ipsis filius dicitur esse Papæ. & ideo tex. in *c. solitæ* dum dicit: *quod potestas Papalis est maior imperiali, quantum sol maior est luna*, debet intelligi de maioritate, quę est per viam simplicis maioris perfectionis & bonitatis, prout principatus Papæ magis perfectus est. sic intelligitur, 96. *di. c. duo sunt*, dum dicit: quod *ista differunt vt aurũ & plumbum*. sic etiam debet intelligi quod dicitur de maioritate ratione ordinis, vel consecrationis, aut antiquitatis, vel subiecti nobilioris, vel finis qui melior sit, vel quod Papa magis participet de fide: quia prędicta sunt intelligenda per modũ simplicis essentię gradus perfectioris, nõ per modũ naturalis principatus. nęc est absonũ, vt diuersis respectibus vnus maior & minor altero esse dicatur. Nã Archidiaconus dicitur maior archipresbytero ratione dignitatis vel officii: quæ tamẽ ipsi archipresbytero minor est ipse Archidiaconus ratione ordinis. vt no. 2. *q.* 7. *c. quãquã*. & ibi Archi. Facit *eadẽ causa & quæst. c. queritur*. Nõ est igitur absonũ, vt pro tẽporalib. Cęsar aliquãdo sit maior põtifice, quę tamen omni alio respectu ipsi noscitur esse minor. similiter ratione ordinis & cõsecrationis Apostoli omnes fuere pares: tamẽ ratione administrationis omnes Petro fuere minores. vt no. 1. *di. in noue*. Non obstat, quod dicitur de maioritate ratione potestatis: quia potestas nõ est nisi & in spiritualiũ & diuinorũ, vt ante dixi. vnde cõclusio sit quod per viã naturalis principatus in tẽporalibus, quatenus non sint ad finẽ spiritualiũ, princeps Cæsar omnibus præest & maior est, omnes iudicãs, & à nemine iudicatur; licet per via simplicis esẽtię & bonitatis & perfectionis spiritualiũ ad tẽporalia põtifex Cæsare maior sit. Nec nostrę sentẽtię aduersatur, si æmuli nostri dicãt, quod hæc sit insana cõclusio, quia videtur asserere diuisũ Cæsarẽ à põtifice ratione tẽporaliũ, & inferius ponere duo principia, quod esse videtur hęreticũ, cũ hęc inferiora regulari debeãt ad instar superiorũ, vt quẽmadmodũ superiora regũtur vno principio, similiter & inferiora regãtur. Nã obiectionib. istis & plurib. aliis *in* 1. *q.* plenissime satisfeci, quæ hic ponere iã postpono, vt prolixitates euitẽ. Et ex prædictis infertur ad secundũ quæsitum,

Digitized by Google

qualiter subalternetur alteri. nam pro spiritualibus & diuinis Cæsar est, vt dixi, sub Pontifice, & idē pro temporalibus, prout in consequentiam veniunt vel ancillantur spiritualibus, pro temporalibus verò, prout non sunt ad finē spiritualiū, princeps non subalternatur Papæ, sed omnibus superior est. quemadmodum enim artifex inferior architectori subalternatur in architectoria & constructione domus, & in his quæ sunt ad finem architectoriæ, sed non in aliis, puta ad artem equestrē: sic Imperator subalternatur pontifici pro spiritualibus vel temporalibus, quæ sunt ad finē spiritualiū, sed nō pro temporalibus, quæ forte ad alium finē quam spiritualiū dirigantur. Nam non omnia temporalia sunt ad finem spiritualiū, sed illa tantum, quantum diuinus cultus non deseratur inopia, vt in *c. habebat Dominus loculos*, 12. *q*. 2. pro temporalibus igitur spiritualibus nō deseruientibus Cæsar supremus est princeps, & alii sunt ipso inferiores, etiā summus pontifex, si prædictis se immiscet. nō dico quod pro ipsis persona Papæ iudicio principis subiaceat, sed est pro ipsis temporalibus Pontifex minor atque inferior. quemadmodum enim cū intellectus præuenitur à sensu, & captiuatur ab eo, & ipsi applaudet, non regulans & dirigens sensum, sed se permittens regi & regulari à sensu, est minor sensu: sic est cum Papa, qui pro intellectu & anima capitur, sed permittit se captiuari ab istis terrenis & mundanis, & ipsis applaudet, quoniam tunc ipse Papa est quemadmodum intellectus qui capitur & præueniatur à sensu, qui est tunc sensu minor, & sic ipse Papa tunc imperatore minor est: qui si staret in sua libertate non immiscendo se tēporalibus, esset maior, & dominaretur principi, quemadmodum intellectus dum ratione vincit sensum, ipsi dominatur atque præeminet.

SUMMARIUM.

Pontifice & Imperatore vel de materia spirituali vel temporali litigantibus, & inter ipsos quis iudicium interponat.

CAPITULUM LXIIII.

EX his etiam deciditur tertium dubium, quis interponat inter ipsos litigantes iudiciū: quia si litigiū est de spirituali materia vel de temporali in consequentiā venientis ad ipsa spiritualia, vel ad eorū finē, vel de materia concernēte peccatū, vel aliquid aliud quod sit de ecclesię iudicio, sicut violatio iuramenti vel pacis, aut concernit alia, de quibus in *c. nouit. de iudi.* & *in c. licet ex suscepto. de fo. cōpe.* & tunc solus iudex est pontifex & in vtroq; foro, *qui fi. sint legi. c. ex tenore.* & *c. causam, de ordi. cogni. c. tuā.* Et quia pontifex est iudex suarum causarū etiam immediate ad ipsum quo ad cōmodum spectantiū. *l.* & *hac tiberius. ff. de here. insti.* no. in *d. l. est receptū*, cum sit in ipsis, vt dixi, summus princeps neminē nisi superiorē Deum recognoscens. faciunt no. *d. iudi. nouit.* & hoc nisi Papa delegando causas huiusmodi committeret iudicio Imperatoris vel alterius, quoniam tunc tali iudicio ipse summus esset, quia causas etiam mere spirituales vel ciuiles aut criminales Papa potest etiam alteri laico delegare. 63. *di. c. in sinodo.* & *c. Adrianus. de iudi. decernimus*, vbi no. & 97. *ca. bene quidem.* & se aliorū iudicio submittere potest. 2. *q*. 7. *nos si competenter.* & *d. l. est receptum.* Et ideò Papa causas suas & Imperatoris aliquando submittit iudicio consilii, vt in *c. ad Apostolica, de re iudi. li. 6.* Et quod Papa iudicet seu det iudicem, quando est causa pertinens ad Ecclesiam, & est inter Ecclesiam & Imperatorem, tunc est casus secundum intellectum quem dedi in *c. ver. de foro compe.* Et ideò cum esset reus conuentus Papa vel Ecclesia Romana, vel conuentus daret iudicem Papam, vt ibi.

SUMMARIUM.

Donationem patrimonii beati Petri factam à Cæsare cum plenissima temporalium iurisdictionis executione & potestate non tenuisse neque valuisse in præiudicium Cæsaris successoris, sex roborationibus concluditur.

Si verò est litigium de re mere temporali non veniente ad finem vel in consequentiam spiritualium, tunc si esset in patrimonio beati Petri, in quo Papa asserit habere plenissimam principis potestatem, vt in *c. per venerabilem. ver. id. auten. qui fi. sint legi.* adhuc ipse pontifex erit iudex ex eo quia principes consueuerant iurare nullam iurisdictionem in dicto patrimonio exercere, vt in *cle. 1. de iureiur.* vbi refert Papa iuramentum serenissimi Henrici proaui nostri monarchæ Sigismundi. Et hæc vera esse videntur, quando Cæsar confirmat ipsam donationem, & præfatum iuramentum præstat, sicut etiam fecit gloriosissimus Sigismundus beatissimo Eugenio quarto, quod iuramentum totum ego solus composui & dictaui. Sed eo non confirmante donationem ipsam, & se iuramento prædicto non astringente, tunc est videndum, si dicta donatio tenuit, præsertim in præiudicium Cæsaris successoris, & si astringi debet ad aliquod iuramentum. Et quoniam de his scribentium variæ sunt sententiæ, referam plurimorum sententias & motiuas ipsas in eis inuestigationibus roborando. Tandem subnectam, quam sententiam veram reputem. Nonnulli argumentant, donationem ipsam non tenuisse, & hodie etiam non valere, his rationibus forte moti. Imperium est quoddam publicum officium Augusto per Romanum populum ad eius vitam concessum, *l. 2. §. nouissime de ori. iur.* quamuis igitur de iure administrationis sibi concessæ possit particulares res donare, *l. cum multa C. de bo. quæ libe.* cum sim. quæ infrà dicam: in toto tamen imperio vel parte officii imperii & iurisdictionem non videtur à se posse abdicare exemplo tutoris, qui quamuis possit cum decreto & solemnitate res pupilli alienare & officium tutelæ alteri participare *l. inter tutorem. ff. de admin. tuto.* & *l. 2. Cod. de diuin. tutel.* non tamen potest à se officium tutelæ sua auctoritate propria abdicare vel remouere. Et quia si vellet hoc ipsum Imperator agere, & in toto vel in parte imperii renuntiare, videretur quod in populi Romani manibus id ipsum deberet agere,

Digitized by Google

re, à quo recipit, ar. *l. legatis. ff. de offi. præsi. & de renunc. ammonet.* & hac vnica ratione, quæ tamen debilis est, vt apparebit ex infra dicendis. videtur hoc tenuisse vir magnæ doctrinæ Bar. in *prima consti. ff.*

Capitvlvm LXV.

Secundo insinuatur, si translatio in principem per populum Romanum facta fuit, vt melius reipublicæ consuleretur per vnum, & hac de re imperium principi demandatum est, *insti. de iure na. §. sed quod principi. & d. §. nouissime & l. 1. §. cum enim. C. de iure ve. enu.* & optime factum fuit, quia secundum sententiam tam diuinam quam philosophi naturalem, inferiora debent regi ad instar superiorum. *33. q. 5. hac imago.* Et sicut superius est vnus Deus, ita in principatu inferiori vnus Princeps vel Dominus. Et ideo creauit Deus vnum hominem à principio, & non plures, vt solus ipse esset Dominus, vt fuit *Gen. 1. capite.* quoniam testante, & etiam dicente philosopho, *Entia nolunt male disponi: pluralitas principatuum mala: vnus ergo princeps 12. metha. in fi. & 7. quæst. 1. in apibus.* facit. *cap. licet. de voto.* hanc igitur vnionem princeps non debet posse scindere partem in totum à se abdicando & pontifici concedendo, qui excederet fines mandati, contra. *diligenter ff. man. & de rescri. cum dilecti, & de resti. spo. pisanis.* Item in ipso principatu Cæsareo constituerent infra, & in ipso duo principia, quod videtur hæreticum. *24. cap. quidam. 5. fi. cerdoniani.* Et hac de re forte dicitur princeps à cœlesti arbitrio imperium sumpsisse, *C. de sum. tri. l. 1. in fi.* Et legatus siue proconsul Dei dicitur in *auten. de fide instru. §. quia vero imperium.* & in *auten. de consuli. in fi.* vt à se non possit in toto vel in parte tale officium abdicare, vt in *ca. cum ad monasterium de sta. mo.* quia nemini licet per officium sibi commissum facere quæ sunt contra illud vel ipsius substantiam. ideò Papæ non licet Christianam fidem confundere, iuxta sententiam Apostoli *secundo ad Corint. 13.* dum dixit, *secundum potestatem qua mihi data est in ædificationem non in destructionem.* Et ideò non potest Papa omnes Episcopos deponere, ne perturbet vniuersalem Ecclesiam, vt no. *9. quæst. 3. per principalem.* Sicut igitur nec Imperatori licet Imperium scindere, cum ipsi datum fuerit Imperium, vt pluries est dictum, vt reipublicæ melius consuleretur per vnum. *d. nouissime*, & vt per ipsum augeretur & manu teneretur Imperium. & ideò Augustus dictus est, vt in *prohemio. ff. & C.* Et ideò si talis Imperator posset diminuere & Imperium scindere, sequeretur quod idem inquantum idem sibi contrarius foret, quod est impossibile.

Capitvlvm LXVI.

Tertio probatur. Imperium est indiuisibile, & similiter iurisdictio indiuisibilis & inalienabilis abdicatiue, *de feu. alie. c. imperialem. §. præterea & d. l. legatus. de offi. præsidis.* participare tamen potest. *l. 1. §. cum vrbem. de offi. præfec. vrbi. 8. q. 1. c. 1.* Si est indiuiduum imperium, nec potest abdicari à principe, ergo non valuit donatio. Et tunc ipsum indiuisibile eius. i. imperium retrahit ad se ipsam donationem, quæ non est ens, *l. imperator. l. 2. de sta. ho. & l. si is qui duos ff. de libe. lega.* & quod Rex vel princeps in præiudicium regiæ dignitatis vel regni sui donare non possit, & te. in *capit. intellectus, de iur. iur.* & nota. in *l. prohibere. §. planè quod, in auten. clam.* nam cum translatio in principem facta fuerit ob publicam vtilitatem, vt melius per vnum reipublicæ consuleretur non videtur pactum vel contractus etiam iuramento firmatus valere in. *d. cap. intellecto.* facit *de foro compe. si diligenti*, vbi tex. quod non firmat iuramentum contractum in præiudicium iuris publici. bona enim principis non sunt sua, sed suæ dignitatis, quamuis eorum administrationem habeat: & ideò non videtur illa posse alienare irreuocabiliter, saltem vt valeat post eius vitam. Et hæc est ratio secundum glo. *8. q. 1. Moyses*, quod regna debent haberi ex electione, quemadmodum & imperium, non successione, quia cum bona non sint propria principis vel regis, non debet in illis habere successorem, *C. vt omnes tam ciuique mili. indi. l. 1.* quia successores haberent vel ab intestato, & sic ex tacita successione ipsius principis, *l. conficiuntur. & l. si quis cum nullum de iuris. co.* vel expressa dispositione testamentaria. Et hæ dispositiones post mortem saltim principi non licent, quia tunc non durat plus eius administratio, vel potestas, *l. ex pluribus. de admi. tuto.* Et resoluto iuris datoris debet resolui ius acceptoris, *l. si quis domum. ff. loca. & ff. de pigno. l. lex vectigal*, quamuis in nonnullis regnis successio locum habeat in *c. licet, de voto*: sed illud est de consuetudine de iuris. *7. q. 1. c. denique. & 24. q. 1. c. fi.* & ab. in *d. c. licet.* Si ergo officium imperii durat tantum in vita eius, cui fit concessio, licet de singulis rebus possit perpetuo disponere, de iure tamen decernenti officium non potest disponere in præiudicium successoris, *l. eum qui. in fi. de iur. om. indi. l. peto §. prædium, de le. 2.* quia causa secunda non potest esse diuturnior causa prima. & ideo non eligit sibi Papa vel Imperator successorem, quia exercet officium suum in concernentibus substantiam officii sui post finitum officium, quod sibi non licet. Ex quibus concluditur, quod vel donatio fuit contra publicam vtilitatem, & tunc non valuit, etiam in vita concedentis, nisi ad eius præiudicium, *l. transigere. C. de transact. l. iubemus § sane, de sacrosf. eccle.* Et ipse Constantinus & quilibet Imperator sic donans potuisset & posset illam reuocare in *c. si quis presbyterorum, de rebus ecclesiæ non alie. & 12. q. 2. non liceat. 35. q. 9. quod quis commisit*: vel si dicimus valuisse & non fuisse contra publicam vtilitatem, saltim non ligasse successorem, & posse à successore nō haberi rata, inter dictis iuribus. & ista est forte ratio, quare semper pontifices faciunt in coronatione à nouo imperatore ipsam confirmari, vt in *cle. 1. de iur. iur.* &c.

Digitized by Google

CAPITVLVM LXVII.

QVarto quod non tenuerit hæc donatio, insinuatur, quia imperium nõ est alienabile: patet quia præscribi nõ potest *l.cõperit.de præscriptis.30.an.*& sic si est in præscriptibile, ergo inalienabile, *l.ex pluribus,de admini.tut.*& ratio, quare in parte sit alienabile nec scindi possit, sit ista, quia imperium est quoddam corpus misticum. sed corpori nõ licet sine causa à se aliquid membrũ abscindere. 24.q.1.*loquatur*, quia si haberet scissa membra, non esset corpus perfectum sed monstruosum *in c. per venerabile qui fi. sint legi.* ideo Roma caput imperii & mundi non debuit Ecclesiæ donari, & ab imperio abscidi, quia sic esset imperium & corpus sine capite, quod esset monstruosum & ridiculum. Item qua ratione valeret donatio vnius prouinciæ, & abscisio valeret omnium aliarũ & annihilaretur imperium. *l.arboribus ff.de vsufruct.* quod tamen est falsum, quia imperium non potest non esse, *in auten.quomodo oportet epi.§.fi.* Et imperium non moritur nec occidit. *l.quod principi,de le.11.* Et respublica non habet hæredem, quia non moritur: nam quamuis corrumpi possit forma specialis, remanet vniuersalis, quæ non moritur, *l.quotiens.§.fi.de vsufruc.* præsertim quia imperium est à Deo fundatum, vt patet *de ma.& obe.ca.solita.* Sed fundamentum Dei non cadit, dicente Apostolo ad Thi. *Firmum fundamentum Dei stat.* Item Constantinus non potuit donando præiudicare successori, *l.digna vox.de legi*, nec pari suo successori potuit imperare, *l.nam magistratus, de arbi de ma.& obe.cum inferior.l.ille à quo.§.tempestiuum, ad trebe.de elec.innotuit.* Et ideò quamuis sibi possit per verba derogantia legem imponere, non tamen successori suo, vt no.in *c.licet Romanus, de consti.lib.6.* vnde licet Constantinus potuerit ipsi sibi legẽ imponere, vt non exerceret iurisdictiones iuribus donatis Ecclesiæ: Et quilibet similiter alius successor princeps, successoribus tamen non potuerunt legem imponere, vt iura imperii in rebus donatis prædictis non possint exercere, quia ab imperio, vt est pluries dictum, totaliter res ipsæ scindi non potuerint, in eis saltem non semper esset imperialis præeminentia & excellentia, quia vt valeat contractus pendet ex legis confirmatione, *l.legitima de pac.* Et si non est lege approbata, non valet Et ideò si princeps futurus non approbat, cui lex est ex animata, in *auten.de consuli.§.1.* vnde si ipse non assistit dationi, ipsa est sine approbatione legis, & sic inualida, *d.l.legitimam.*

CAPITVLVM LXVIII.

QVinto quod non tenuerit dicta donatio, ego allegaui causam in *l.militum de verbo.obli.* loquor saltem quo ad iurisdictionem temporalem & secularem, vt scissa fuerit ab imperio inducendo sic. cum ex causa lucratiua in stipulatione deducitur aliquid, quod non est in commertio stipulatoris, talis promissio non tenet. Et secundũ aliquos, quorũ sententiæ adhæreo, non tenet ipsa re prohibita, nec in existimatione, vt voluit Ia.de Are.& Bar.licet Dy.dixerit, quod & si non valeat quantum ad ipsam rem, debeatur saltem extimatio sicut in legatis. *l.filius fa.§ si quod & l.apud multos.§.fi.& l.sed si rem, de le.1.* sufficit ergo quod omnes concordant, quod quando res non est in commertio stipulatoris, quod in ipsa re donatio vel aliqua dispositio non valet, *d.l.multum.* sed quantum ad ipsam iurisdictionem temporalem & secularem atque ciuilem siue criminalem, per se Ecclesia non erat capax, quia Ecclesia nõ habet gladium, nec potest se de temporali iurisdictione impedire: quia Petro dictum est: *reconde gladium tuum in vaginam.* & sic est ipsius iurisdictionis, Ecclesia in capax ex defectu, sed non ex crimine, vt late persecutus sum hanc sententiam supra in *quæstione operis in secundis confirmationibus.* Quia clerici non debent se temporalibus intromittere, *l. placet de eps.& cle.* Et ipsi clerici, qui habent officium in diuinis, non debent etiam habere in temporalibus, quia quis non debet habere duorum officium. *ff.de pac.l.si plures. C.de offi.assa.l.fi.l.quisquis.de postu.*& hoc quando se in administratione impedirent per concursum: sed si Ecclesia vacaret iurisdictioni temporali, impediretur diuinis cultus & officium diuinũ: quia ipsemet pontifex dicit in *c.nouit,de iudi.* in parte decisa siue hodie remota, *cum iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare velimus.* facit *de cleri.coniug.c.diuersis fallaciis.* Item etiam dicimus quod non debet quis duo habere officia, ex quibus ex vtroque stipendium suscipiat. *l.eis quidem. C. qui mil.non po li.6.* Et hæc est ratio, quare duo Curata simul quis habere non potest, vt in *cap.de multa.de praben.* quia non potest ambobus deseruire, vt in *extra.* quæ incipit: *execrabilis.* Et quia nõ debet habere duo stipendia, sic nec clericus, vt Papa, debet habere officium in diuinis & in executione gladii secularis sibi inhibita: quia de duobus seperatis non potest fieri vnum numero & specie, ita quod remaneat in prima specie: sed sacerdotium & imperium sunt diuisa, vt duo species differentes, vt.96.*di.cum ad verum.*10.*di.quoniam.* idem non potest vt vnum numero constitui. vnde in hac videtur profectò non valuisse donatio. facit quod no. in *prima constitu.*

SVMMARIVM.

Donationem dictam cum omni iurisdictione temporalium tenuisse & valere hodie, adeò quod plenissimum ius Ecclesiæ in ipsis fuerit quæsitum, vt Princeps nec aliquam possit exercere iurisdictionem in ipso territorio, & à nullo Principe reuocabile sit de cætero, roborationibus nouem concluditur.

CAPITVLVM LXIX.

VLtimo videtur probari, quod non valuerit, quod imperium est immediate à Deo, quia

ipsi

ipse est pro Consul siue Legatus Dei, in *auten. de fide instru. §. quia verò Imperium. C. de veteri iure enu-cle. l. 2. § si quis igitur, in auten. de consu. in fi. in l. in nomine Domini, de offi. præfec.* & in *auten. quomodo opor-tet. epi. in prin.* vnde non videtur per hominem posse supprimi vel mutari. Item quia populus Roma-nus liber erat & est, in *aut. de here. & fal. §. 1.* igitur non licuit Cæsari ipsum populum Ecclesiæ vendi-dari, quia liberorum hominum non est comertium, *l. inter stipulantem. §. sacram. de verbo. obli.* Et hanc sententiam, quod non valuerit, tenuit glo. in *auten. quomodo oportet epi. in prin.* Ia. de Are. dixit quòd non valuit quo ad directam iurisdictionem, sed quo ad commodum iurisdictionis. sic Iaco. Bu. va-riauit. Dominus Signorolus Mediolanensis voluit quòd non valuerit ad præiudicium successorum, sed ipsius dominantis sic.

Alii verò, vt glo. in *l. 1. § cum vrbem de offi. præfec. vr. & 63. di. Ego Ludouicus*, Rizar malis & Gui-di. de Tuum. & multi volunt quod valuerit, his fortè moti rationibus infra scriptis. Et primo ab eui-denti partium enumeratione arguendo ostendunt sic: vel ex translatione iuris in principem dicens in eum omne Dominium & omnem potestatem & iurisdictionem vrbis: & tunc nulli videtur dubi-um, quod ipsarum rerum alienandi plenariam habuit facultatem, quia ius, quod quis habet iure, de eo videtur posse disponere, *l. si. domus. in fi. de le. 1. & l qui tabernas, de contrahen. emp.* quia in re sua quili-bet est moderator & arbiter, *l. in re mandata. C.* nam & principes elargiendi habere videtur plenariam libertatem, *cum multa. C. de bo. quæ libe. l. 1. C. de pet. bo. sub. li. 10.* in *auten. de non alie. § sumus*, adeò vt eius contractus vim legis obtineat, *l. Cæsar. de publi. l. pe. Cod. de. do. inter vi. & vxo.* vbi bonus casus, & *l. 1. de consti. prin.* ideo videmus, quod princeps concedit suppremas dignitates & eorum territoria, *C. de in. v. fin. l. prohibitorias, li. 12* item publica iura cōfert, *l. prohibere. § plane.* quod in *auten. clam.* Item confert Marchionatus, prouincias, ciuitates & comitatus, in *ca. 1. de feu. mar. duc.* no. in *l. humanum. C. de legi.* igitur donando Ecclesiæ ciuitates & prouincias, quas donauit, videtur tenuisse donatio, aut dicis, in principem translatā fuisse administrationem, & ad hæc Ecclesiæ donare potuit, quoniam negare nō potest, quin habuerit liberam, cum populus in eum omne suum ius & Imperium & potestatem concessit, *insti. de iur. natura. § sed quod principi.* per quod habuit liberam. nam quando constituitur quis cum potestate, vt posset omnia quæ Dominus potest, ex hoc videtur concessa libera, *l. creditor. §. Lucius. ff. man.* & idem cum cōceditur plena potestas vel omnis potestas *l. si procuren. C. de procurato-res.* & omnia ista in principem demandata sunt, *l. 1. §. cum enim de veteri iure enucle. & dicto. §. nouissime & § sed quod principi.* igitur habens liberam potuit subsistente causa donare, licet sine causa donare nō posset, *l. in iuris. §. 1. de pac.* sed subsistente causa potest: ideo tutor cum expedit pupillo, donare potest, *l. cum in plures. § pe. de admini. tuto. l. 1 § sed non nullos, de tute. & cur. dis.* sic igitur Imperator iuste donauit Ecclesiæ, quia Papa eum in fide erudiuit, & eum à lepra mūdauit. fuit enim talis potius remuneratio quam donatio, cum ab infidelitate Siluester Papa mundum liberasset, & Constantinum à lepra mū-dasset, *ff. de dona l. aquilius.* Expediebat enim fidei verè, vt Ecclesia haberet bona, vnde diuinum cultū sustentaret, & ideo valuisse videtur talis donatio, *l. fi. lege. § consuluit, de here. peti.* præsertim in Ecclesi-am, in quam omnis immensitas est mensura in corpore, *de non alie. § si micius.* & his casibus est quæ fo-rent alienare prohibita, alienari possent, *l. iubemus nullam. C. de sacrosf. ecc.* Ex quibus videtur concludi, quod siue princeps est dominus mūdi, & tunc potuit donare, vel ipsarū habuit administrationem li-beram, & adhuc potuit, causa hac, subaudi honesta & iusta, subsistente donare.

Secundo istud potest probari, quia lex æquiparat bona fiscalia & patrimonialia, *l. bene à Zeno-ne, de quadrien. præscri. ver sed scimus.* Sed nulli videtur dubium, quod patrimonialium tenuisset alie-natio: igitur & fiscalium. Et ideo priuatus volens ipsa donata à principe vendicare, non potest illa à donatario petere, sed habet necesse ad fiscalem cammeram habere recursum, & infra quadrienni-um: & aliter non auditur postmodum, *l. 2. & l. bene à Zenone, de qua. præscript.* assignant aliqui ratio-nem, quod ecclesia & imperium fraternizant, cum ambo à Deo sint, in *auten. quomodo oportet episc. in prin.* sed frater non solum quod possit sed debet dotare sororē, *l. cum in plures. § si de admin. tuto.* huic tamen rationi facilis responsio foret, quia ecclesia mater est imperii. *12. q. 2. qui abstuleris*, sed filius nō tenetur dotare matrem, etiam inopem, *l. tutor. secundum dignitatem, in fi. de admi. tuto.*

Tertio quod valuerit insinuatur, Papa est Dei Vicarius in terris, in *c. 1. vt eccle. bene. de transla. quanto.* & imperium est à Deo, in *auten. quo oportet episco. in prin.* & hoc approbat tota collectio Christi-anorum, licet aliqui de facto non pareant. Approbat etiam imperium ecclesia, *de elec. venerabilem.* si igitur imperium est à Deo, igitur habens ipsum debet posse remittere & renuntiare in toto vel in parte in manu Dei, & sic Papæ eius Vicarii, *de transla. præla. c. cum inter corporalia.* vnde non obstat *l. le-gatus de offi. præsi.* nec illud quod dicitur de renuntiatione in superiorum manibus. Item si Imperator nullum superiorem recognoscit, tunc valuit renuntiatio imperii in toto vel in parte in cuiuscunque manu fuerit factum; no. in *c. 1. de renunc. li. 6.* vnde modica & leuis est argumentatio. *l. legatus*, per quā Bar. motus est.

Quarto probatur, quod donatio tenuit. nam ambæ iurisdictiones insolidum apud ecclesiam videntur esse, vt vult glo. in *auten. quomodo oportet epi. in princ.* & in *c. nouit. de iudici.* propter illa verba Lucæ 22. c. *Ecce duo gladii hic.* vnde donatio principis in Papam fuit potius recognitio siue resignatio aut traditio eius & restitutio, quod princeps vsurpauerat: vnde efficax videtur habere dominium in his bonis ecclesia, & donatio potius valuit: & hac vna ratione tenuit hic vir summæ excellentiæ. Io. de Lig. non tamen bene, vt ex infra dicendis patebit.

Quinto quod valuerit ostenditur princeps est solutus qualibet positiua lege, *l. princeps legibus & l.*

Digitized by Google

sacri legi. C. de diuer. rescri. neque iura in contrarium humana adduci possunt, quæ principem attendere, quia locum vendicant in dispositionibus inferiorum, quorum potestas finita est, non principis actibus, cuius potestas finem ab humano iure non recipit. & sic iura supra incontrarium deducta obesse non videntur, cum locum vendicentur in actibus hominum finem habentibus, non in principem gestis ab humanis legibus non finitis. Et finiti ad infinitum nulla fit proportio.

Sexto deficientibus cunctis roborari videtur hic legitima præscriptione. nam quamuis inferior non possit, quæ sunt regalia, contra superiorem præscribere, quemadmodum sunt imperii iura, vt *l. comperit, de præscrip. 30. an. Papa*, tamen videtur & Ecclesia contra Imperatorē & imperium posse præscribere & præscripsisse, quoniam capax est pontifex summæ potestatis, *de foro compe. licet ex suscepto*, & *qui fi. sint le. per venerabilem*. Sed quemadmodum Rex vnus contra alium potest præscribere quæ sunt regalia, vt no. Inno. *de postu. præla. bona*. & Archidi. 16. *q. 3. placuit*. Sic & videtur pontificem & Ecclesiam contra imperium præscripsisse. Et ideo non arbitror absonum duobus de Imperio decertantibus, & quemlibet se principem prætendentem, quod ille qui in quasi possessione imperii pacifica perstitisset legitimo tempore posset se præscriptione tueri, & cum diu titulo pontificis possiderint, censenda vtique est fuisse bona fides. Nam quamuis error iuris certi, non esset proficuus præscribenti, tamen cum de iure probabiliter dubitatur, vt in præsenti materia, præscriptio prodest & habetur pro veritate iuxta. Doc. sententias in *l. 2. C. de serui. & aqua*. Et hac de re arbitor Gallicos & Hyberos quos ab imperio glo. liberos dicit, 63. *di. Adrianus*, ab ipso imperio se tueri & immunes se dicere & exemptos, quos tamen sub imperio Romano fuisse constat. *l. 2. C. de offi. præfec. af. & l. 2. §. & quia. ver. capta. deinde, de or. iuris*. Et patet ex antiquorum relatu, quod in diuisione imperii Gayo Octauo assignata fuit Roma, Italia, Gallia, & Hispania: & Antonio Pontus & Oriens: Marco verò Lepido Affrica. quæ tamen omnia demum interemptis Antonio & Lepido sub Gayo Octauio & vnico imperio constituta fuerunt. hoc etiam iuris & de Anglicis & Regulo illo dicendum. videtur, quod Ecclesiæ feudum sit, quod Iohannes Angliæ Rex maioris Henrici genitus, & qui in regno Ricardo fratri suo successor extitit, ipsum regnum totum à Romana in feudum recepit Ecclesia, vt in Archiuis Romanæ Ecclesiæ continetur, & refert Io. An. iuris canonici lumen egregium in *cap. causam qui filii sint legi.* Si igitur partes Hyspaniæ, atque Galliæ iustè ab imperio scissæ sunt, cur non sic etiam istæ prouinciæ dici debent iustè remotæ, quæ sunt Ecclesiæ elargitæ?

Septimo id magis ostenditur, quia iure gentium prouinciæ sunt discretæ, & gentes sibi Regem eligunt, *l. ex hoc iure, de insti. & iur.* vnde populus elegit Saulem in principem: *Regum, cap. 1.* & habetur 8. *q. 1. Moyses, & 93. di. elegit. & de elec. c. 1.* Et dico, *vnaquæque gens*, non quod tota gens mundi eligat vnum: & ideò licet in apibus princeps sit vnus, 7. *q. 1. in apibus*, & grues aues vnam sectantur, tamen non omnes apes mundi regem vnum habent, nec omnes mundi grues vnam sectam: sed quælibet apium collectio regem habet: quamuis igitur Romanum imperium dicatur Dominus totius orbis, *l. deprecatio, ad l. Cor. de iactu*: debet tamen intelligi *orbis*. i. illius rotunditatis, in qua dominando Romanum peruenit imperium, quia non omnes gentes sub imperio fuere Romano, *l. non dubito. & l. hostes, de captis*. Et ideò Boecius inquit, quod Romanum montem Causacum non transiuit. immo nonnulli populi hostes erant, aliqui fœderati, aliqui liberi, *l. non dubito. & l. hostes*. Et ideò clausuras & burgos cum custodibus & limitibus imperii respublica Romana, præsertim apud Afros habere consueuit, *l. in nomine Domini, C. de offi. præfec. afri.* & secundum naturæ varietatem, aliquando plures, aliquando pauciores populos habuit. vnde hodie nil iuris retinet in Numidas & Mauros siue Pœnos, nec (vt dixi) apud Gallicos, vel Hyspanos, qui in propriam libertatem & naturam reditum fecisse videntur potius, quam dicantur imperium minuisse, *l. quod enim. ff. de acqui. re. do.* Ex his igitur patet, quod quemadmodum multi populi à Romano imperio separari potuerunt, ita & hæc prouinciæ, quæ Ecclesiæ parent, potuerunt & possunt iure gentium fuisse & esse sub Romano pontifice, & non sub Cæsare. Nec absonum est, quod infrà sunt plura principia & plura regna, *d. l. ex hoc iure*. Simile enim namque videmus in iconomicis, quia vna quæque domus melius regitur sub vnius potestate, *l. pronunciatio, § familiæ. ff. de ver. si.* & tamen qui pater est familias suæ domus, non tamen est omnium aliarum vicinarum. & in apibus vnus est princeps, 7. *quæst. 1. in apibus*, & tamen non omnes apes vnam sequuntur, nec omnes grues vnam, sed vna cohors apium vel gruum sequitur vnam, & alia aliam. iusta igitur videtur dicta donatio ipsorum populorum iustè accedente consensu, qui poterant sibi constituere regem ecclesiam antedictam, & semper ipsi deinde præstiterant fidelitatis iuramentum. arbitrandum etiam videtur, quod dictæ prouinciæ ecclesiæ subditæ iustè potuerunt ecclesiæ dominio subiacere plures populi & alii possint etiam principi subditi ecclesiæ se subiicere, cum princeps est inutilis statum vniuersalis imperii perturbans, sicut plures Cæsares retroactis fuere temporibus. Nam cuique propriam tueri salutem licet, *ff. de iusti. & iure. l. vt vim.* & ideo iustè Romani iniquos eorum reges expulerunt, *l. 2. §. exactis de ori. iur.* reatus enim honorem excludit, *Cod. vbi sena. vel cla. l. 1.* Et hæc probantur in *l. 1. §. dominorum. ff. de his qui sunt sui vel alie. iur.* Quia si rex agit contra salutem regni vniuersalem, quod sibi non licet, *de iur. iur. c. intellecto*, tunc credendum est quod subditi possunt illum expellere, circa nota. 40 *di. si Papa.* 93. *di in nomine Domini.* & vult beatus Thomas in *secundo sententiarum articulo penultimo*, sequēs Tulliū ac dicens: quod *iustè & meritoriè quis potest interfici turbans & destruens reipublicæ bonum.* & ideo consiliū deponit Papam hæreticum, 18. *di. si Anastasius.* & hoc dicendum est, cum rex talis superiorem nō recogno-

Digitized by Google

cognoscit, vt est Romanus Imperator, iuri consonum est quod populi propria auctoritate tãtæ cladi valeãt prouidere. fatendũ est tamẽ, quod pro aliis sceleribus vel delictis à populis deponi nec deberi potest Imperator, *C. de ser. expor. l. mouetur.* Si igitur prouinciæ ecclesiæ subditæ in donatione prædicta persistere voluerũt propter ecclesiæ dominiũ iustũ, & propter fugere tyrãnides pluriũ imperatorum in imperio præfuerunt, iustè dici debent sub dicto ecclesiæ domino subsistere ac hodie esse.

Octauo probatur optimè sic: & si fateamur minime principi licuisse donatione prædicta imperiũ scindere, tamen ipso Romano populo vniuerso cum senatoribus, optimatibus & principe licuisse videtur ex quadam noua lege regia, quæ sicut prius in principem transtulit, sic & secundario transferre potuit in pontificem, cum ex eadem vi & potestate præcesserit, *l. Barbarius, de offi. præto.* & quod populus cum senatoribus & optimatibus contulerit est tex. 97. *di. Constantinus.* Et quamuis forsan Constantino solo concedente vltra vitam eius non tenuisset, quia tamen populi voluntas interuenit, qui nunquam moritur, *l. proponebatur, de iudi.* videtur quod in perpetuum vltra Constantini vitam tenuerit. Et quamuis corpori sine causa non liceat à se aliquod membrum eiicere, nec se in frusta conscindere sine causa, ipsi tamen ardua ex causa licet aliquod membrũ pro salute sui totius ponere. Cum igitur imperium veluti corpus politicum subsit diuinæ monarchiæ sanctæ matris ecclesiæ tanquam capiti, ad totum temporale ordinatur imperium, non est absonum, si ipsum imperium tẽporale potuit & debuit aliquod membrum suum pro salute ecclesiastici dominii ponere in *ca. fundamenta. §. ne autem, de elec. li. 6.* Expediens enim erit & expedit propter persecutiones, quas quotidie patiebatur ecclesia, & aliquando hodie patitur, vt haberet hæc ipsa temporalia, vnde etiam iura diuina tueri possent.

Nono quod tenuerit, sic probari potest: quia non sine miraculo vrbem Romanam, quam Beati Petrus & Paulus eorũ pretiosissimo sanguine domino nostro Iesu Christo consecrarunt, 21. *di. quamuis*, Constantinus Siluestro Papæ elargitus est, ne ecclesia temporalibus auxiliis indigeret, quin potius ipsa actis spiritualibus semper proficeret incrementis, *de elec. x. fundamenta, §. ne autem.* voluit. n. Romam non mundanæ sed diuinæ monarchiæ principium existere. Vnde dicere possumus eam sanctam sanctorum factam, & sic à nullo principe reuocabile esse. nec quidem arbitrandum est mundũ à Constantini & citra tempore in hoc errasse, & hoc ipsum ignorasse. & non congruit quod Constãtinus ipse donauit non valuisset ad ipsum, quod donatione Siluestri excepit. nec insuper credendum est, quod tot põtifices orthodoxi denuo successores, quos catholicos reputamus, talem retinuissent donationem, si iniustam arbitrati fuissent. Et quod tot Christianissimi Cæsares, qui post Constantinum successores extiterunt, ipsam non reuocassent, cum tamen potius eam emologauerint, vt de Ottone habetur 63. *di. tibi domino.* & de reliquis continue successoribus donationem ipsam comprobãtibus habetur *de iur. iur. in cle. Romani.* Nec quod tot sanctissimi doctores approbauerunt, siue saltim illicitam non dixerint, vt Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, atq; Gregorius. alias. n. sequeretur, quod vniuersalis errasset ecclesia, quod est falsum: quoniam errare non potest, 24 *q. 1. arrepta.* Et his rationibus arbitror, quod pluribus canonicis auctoritatibus donationem hanc ecclesia cõprobauerit, 94. *di. c. 1. in fi.* 10. *q. 3. relatum*: 11. *q. 1. peruenit, attenta ipsius. c. suprascriptione: & de re. iudi. ad Apostolicæ. ver. præter hos, li. 6.* 63. *di. ego Ludouicus*: 25. *q. fi. c. si igitur: de elec. fundamenta, li. 6.* quæ iura insinuant donationem ipsam de patrimonio Beati Petri esse effectam, in quo quidem patrimonio clarissimum videtur, quod Papa non solum summi pontificis potestatem exercet, sed etiam & summi principis exequitur potestatem, *qui fi. sint le. per venerabilem.* Sic quod in dicto patrimonio nullus summo pontifice superior vel par est: alias sequeretur, quod eiusdẽ subiecti duo essent pariter in solidum domini, contra *l. si §. si duobus vehiculum, commoda.* solus igitur in ipsa donatione primus & principalis est pontifex, qui summus est, qui est primus, *insti. de iure. perso. in prin.* vel qui dignior est, *l. 3. ff. de sta. ho. & de appe. ex ratione.* & ibi no. in *ver. summum: de conse. di. 5. c. 2.* quod incipit *de his quinimmo*, & in *d. c. Apostolicæ*, videtur tex. quod si Imperator regnum ipsum Trinacriæ ab ecclesia teneret, quod esset pro eo & foret ecclesiæ vasallus atque subditus. Quod etiam dicta donatio tenuerit tex. videtur apertus *de iur. iur. in cle. 1.* vbi insinuatur quod ipsa donata ad ius & proprietatem plenissimam pertinent sanctæ matris ecclesiæ. Et sic directum habet dominium & omne ius: *insti. de acqui. per arrog.* per totum dum dicit: *pleno iure.* & hoc dominium directum transiuit in ecclesiam ex solo donationis contractu absq; alia traditione per *l. fi. C. de sacrosanct. eccle.* quamuis glo. ibi male dixerit dicens *vtilem dari.* Sed non est verum, quia vbi ius transfert dominium ex sua dispositione debet intelligi de directo. patet, in legatario, *l. legatum ita, de le. 2.* & in hæredem *l. cum heredes, de acquir. pos.* & *insti. de acqui. per arrog. in prin.* & no. *ff. de publi. l. 2. 3. & 4.* Et hoc verum est, licet si ius causaret simpliciter alicui actionem in rem non disposito quod dominium in ipso transferetur, tunc intelligeretur de in rem vtili, vt *l. 1. Cod. de do. quæ sub modo*, & no. in *l. si mortis causa, de dona. cau. mor.* Sic debet istud intelligi: licet quidam iuuenis præsumptuose bestialiter contra me dicere visus fuerit, & pessime volens, quod ecclesiæ sine traditione ex contractu donationis quæreretur vtile dominium & non directum. sed male dixit. Ex solo igitur contractu omne dominium imperii plenissimum in ipsam transiuit Ecclesiam, *d. l. fi. & d. cle. 1. de iur. iur.* quia adiectione non indiget plenitudo, 6. *q. 1. si omnia, de aucto. & vsu pal. ad honorem.* Et adeo videtur dicendum apud pontificem esse omne dominium, vt princeps non possit ipso iurisdictionem aliquam exercere. vnde nec in ipso territorio citare potest, *de rebus iudi. cle. pastoralis*: quia tale territorium dicitur esse ibi extra districtum imperii, & cum Imperator in illo iurisdictionem exercet, falcem in messem dicitur imponere alienam, vt dicto

Digitized by Google

ckt.pastoralis. & hac de re arbitror, quod dixerunt nonnullæ glo. quod in terris ipsis princeps legitimare non potest aut iurisdictiones exercere, nisi quatenus eidem à summo pontifice indultum reperiretur, *61. di. tibi domino, 59. di. c.* 1. 35. *q.* 1. *c.* 1. 10. *di. lege Imperatoris*, & ibi Archy. Ego tamen latissime hanc quæstionem disputaui in opere meo *Legitimationum, in secundo libello & in secunda quæstione*. Ex omnibus igitur prædictis concludi videtur, donationem ipsam à Deo tenuisse, quod plenissimum ius & iurisdictio & dominium ecclesiæ quæsitum fuerit nam per absurdum & temerarium fore videtur per astutam interpretationem non ad augmentum sed ad diminutionem priuilegia principum velle producere. L. de agen. in rebus. l. fi. li. 12. & hoc tenuit, Oldr. & Io. in *addi. Spe. in titulo de in. omni. in.* Et contrarium asserere non videtur longe esse ab hæresi, ecclesia taliter approbante.

SVMMARIVM.

Licet Constantinus secundum dispositionem Palea Constantinus, quam quidam apocrifam dicunt, non solùm Pontifici vrbem Romam, rerumque possessionem, quam hodie Ecclesia tenet & possidet, elargitus sit, sed etiam partes omnes Occidentales: tamen in rebus illis, quas ad præsens Ecclesia non retinet, sed Imperium semper tenuit, de donatione illarum non est ampliùs disputandum, sed sunt pleno iure Cæsaris.

Quid igitur dicam? sententiam hanc infra scriptam pro verissima submitto, me tamen determinationi sanctæ matris ecclesiæ subiiciens, cuius correptioni me suppono, & ab eius decisione discedere non intendo. Et si huic meæ decisioni contraria foret, illam amplector, hanc vero reiicio. Est igitur attendendum in hac quæstione, quod Doc. eam non plene attingunt: quia si tenemus dispositionem Paleæ, *Constantinus*, quæ habetur. 96. *di. Constantinus*, quam nonnulli apogrifam dicunt, ibi relatum est, quod Constantinus non tantum vrbem Romanam & illam partem rerum, quã hodie possidet & tenet ecclesia, ipsi ecclesiæ elargitus est, sed & totam Italiam & partes omnes occidentales. Et ideo videndum est de partibus illis & locis, quæ ecclesia non possidet. Nam & videtur sine traditione transmisisse dominium in ecclesiam, *per l. fi. C. de sacrosan. ecclesia.* Et in his dicerent forte non nulli, quod & dominium & iurisdictionem habet ecclesia adhuc hodie etiam illorum, quia exercendo iurisdictionem in rebus donatis aliquibus & in residuis acquisisse & retinere videtur, iuxta plura per Inno. no. *de capel. mo. dilectus*. no. in *c. fi. de causa pos.* & proprie per modernos ar. *l.* 3. *ff. de acqui. pos. & l. stillicidii.* §. *si. quem serui. ami.* per vnicam enim conuentionem vel contractum ius omnium harum rerum donatarum videtur fuisse vnitum. vnde per exercitium alicuius partis iurisdictionis in rei parte in tota videtur iurisdictio fuisse quæsita & acquisita & confirmata per tex. & glo. in *l.* 2. *ff. quem serui ami. & ff. qui mo. vsu ami. l. si vsu fructum.* Sed ego dico, quod in his bonis à tanto tempore & citra per imperium postea retentis, de cuius contrarii initio memoria non existit, imperii iura fore meliora, eò quia etiam si valuisset donatio illa bona, & quem scripserit aduersus ecclesiam nam cum foret. & sic probabilis iuris dubietas an in talibus donatio ipsa tenuerit saltim quo ad Romanos Cæsares donanti successores certe iustam possessionem tribuit successori præscribenti, quia error iuris probabilis iustam præbet causam possidendi, secundum Doctorum sententias in *l.* 2. *C. de serui. & aqui.* & antiquissima ista possessio præsumitur iusta & bona fide retenta in *c.* 2. *de interesti.* & per Inno. vnde saltim præscriptio tanti temporis, cuius contrarii memoria non existit. sine titulo sufficit, *l. hoc iuris.* §. *ductus aqua, de aqua coti. & ex ti. & in c.* 1. *de consti. in* 6. Credendum est enim pontifices animaduertentes, quod administratio tanta temporalium cum diuino exercitio non erat ipsis possibilis nec congrua, iuxta no. *de iu. nouit*, in parte remota supra pluries allegata, quod iura ipsa retranstulerunt imperium tacite vel expresse: & hæc communis opinio. Et forte fama, quæ ex hoc resultasset, iustum putatiuum titulum tribuisset, iuxta plene no. *in l. celsus. de vsuca.* & ibi per Bar. vnde imperium legittime præscripsisset, nec apprehensio possessionis in his rebus, quas hodie tenet ecclesia & exercitium iurisdictionis in eis arguit retentam vel acquisitam possessionem in aliis rebus: quia illud haberet locum, quando esset vna res, in qua quis vellet acquirere per exercitium vnius iuris vel retinere in reliquis iurib. & rebus contiguis vel annexis, vt si in comitatu vno acquisiui titulum donationis iurisdictionis, & exerceo iurisdictionem in vna re, & volo in aliis acquisiuisse vel retinere. Et possessio, si dicimus de intrante partem fundi, quia totum fundum ingressus videtur, *l.* 6. *in princ. de acquirend. pos.* Sed cum res istæ elargitæ essent plures, & omnino seperatæ, quia nec respectu rerum nec vnus inter eas erat vel est communio licet omnes essent sub Imperio tunc per exercitium iuris in vna non est facta acquisitio vel retentio in aliis: sicuti per adeptam possessionem partis vnius fundi non dicitur quis adeptus partem alterius fundi penitus separati, vt *dict. l.* 3. *& de aqua plu. ami. l. si prius & quem seru. arce ami. l. si communem.* §. *fi.* & res quamuis fuerint in vna conuentione vel donatione positæ non fuerunt vnitæ vt vnum corpus vel res vna vel vnum quid vniuersale, sicut cum venditur vnum territorium, cum quo in vniuersitate transit vniuersalis iurisdictio, quia tunc per exercitium partis iurisdictionis tota acquiritur & retinet. & ita loquitur quod supra dixi. *l.* 2. §. *cũ mihi stichũ. ff. de vsuc. pro emp.* sed in casu nostro adhuc erant distinctæ res. vnde contraria non obstãt: nec est facta possessionis apprehensio vel retentio per apprehensionẽ vnius *l.* 2. §. *si quis interdicto, de iti. actuque priua.* Teneo ergo quod in rebus illis, quas ad præsens Ecclesia non retinet, sed Imperium semper tenuit, de donatione illarum non sit amplius disputandum sed sint pleno iuris Cæsaris & Imperii.

SVMMARIVM.

De aliis autem rebus per Ecclesiam adhuc hodie possessis verissima sententia tenuit donatio quoad possessionẽ, & propri-

Digitized by Google

& proprietatem, & rerum dominium particulare; etiam irreuocabilis quoad Cæsaris successoris sine causa praeiudicium, sed non quoad iurisdictionem totalem & ius Imperii: immò cum causa Cæsar, sicut & res cæteras priuatorum posset, reuocare. Et ideò Cæsar habet in dictis bonis exercitium directum; & hoc quando se non astrinxisset iuramento ad non exercendum. Ideò etiamsi futurus Imperator nollet iurare iurisdictiones temporales in his rebus non exercere, non posset ipse attingi, immò sanctius possessione rerum Ecclesiæ reseruata ipse Imperator per se vel per suos ministros iurisdictionem exercet, quia iurisdictionis administratio talis minimè Ecclesiæ est conueniens.

Nunc autem de aliis rebus per ecclesiam adhuc hodie possessis disseramus. Et in his plurima consideranda sunt, an donatio tenuit quo ad possessionem & proprietatem: secundo an quo ad iurisdictionem & totale ius imperii. Et ad primum firmiter teneo quod in possessione & proprietate dictarum rerum donatio tenuit. nam ex hac donatione non fuit annihilatum ius imperii, quia iura imperialia in his bonis remanserunt, sicut habet in cæteris priuatorum bonis, in quibus habet dominium quo ad protectionem vel iurisdictionem, vt vocatur in *l. bene à Zenone, de qua. prescrip.* no. *de cõstitutionibus, quæ in ecclesiarum & 23. q. 8. conuenior*, vel aptitudine est dominus sed non actu, *l. si. ff. de nat. & test.* vel cura & solicitudine est dominus vt *l. si pupilli, de neg. ge.* fuit enim quantum ad hæc quædam particularis donatio vel alienatio, quæ vtiq; tenet, *d. l. cum multa, de bo. quæ libe.* quæ valuit quãtum ad ipsum donantem & successores, quia in ecclesia omnis immensitas fuit mensura. Et ideo bene dixit tex. in *cle. de iur. iur.* quod dicta bona ad ius & proprietatem plenissimam pertinent ecclesiæ Romanæ vel ad Romanam ecclesiam, quia *ius* ibi ponitur pro possessione vt in *c. ius, de. ver. signi.* & *proprietas* pro dominio. Et sic habet plenissimam proprietatem, i. directum dominium & possessionem sc. ciuilem & naturalem habetur, de iurisdictione autem nihil dicitur. Et ideo tex. in *c. per venerabilem. ver. id autem cum ministerio*, dixit quod pontifex in dictis bonis donatis summi principis exequitur potestatem, quasi significet quod exercitium habet iurisdictionis & potestatis. Et sic vtile dominium iurisdictionis, quia directum est penes Cæsarem, quod non poterat nec potest in perpetuũ ab eius ossibus separari. habet ergo Papa executionem potestatis, & non dominium potestatis summi principis, i. Cæsaris, qui temporalibus in omnibus mundi bonis summus est princeps. Et nota, quod dixit quod habet executionem potestatis & non dominium potestatis, i. iurisdictionis, quia iurisdictio est potestas de publico introducta, *l. 1. ff. de iu. o. iudi.* vnde infero quod quo ad directum & vtile dominium ipsarum rerum donatio tenuit, sicut tenuisset alia particularis alienatio rerum particularum: sed quo ad iurisdictionem dico quod quantum ad vtilem iurisdictionem non directam adhuc tenuit alienatio, sicut videmus quod cottidie princeps Ducatus, Comitatus, & regna elargitur, & tamen retinet in habitum & directo dominio ipsam iurisdictionem & ius imperii in ipsis bonis aliis commissis, vt in *c. 1. de feu. mar. duc. & comi.* Et in iuribus supra illis ita & in his bonis ecclesiæ donatis ius imperii & iurisdictionem retinuit atque retinet, quamuis vtile dominium eius, etiam exercitium, pontifici commiserit & cum iuramento se astringat ipsum ius imperii. & iurisdictionem ipsam in ipso territorio non exercere: dico, quod si facit, periurus est, & falcem tunc in messem imponit alienam. Nam cum à se iurisdictionem abdicauit in exercitio, & eam pontifici commiserit, & non exercere iurauerit, si facit extra suum districtum se extendit, quia cum iurauit, locus ille non est de suo destrictu, quia districtus dicitur à stringendo, & cũm prætextu iuramenti non possit astringere, dicitur extra districtum facere imperii scilicet ipsius imperantis. Et dum tex. subdit, *non imperet*, subaudi imperantis, id est, & extra ipsius destrictum scilicet Henrici astringentis, *dicta cle. pastoralis, de re. iudi.* Nec obstat si dicitur hoc iuramentum non videtur obligatorium, quia ministrare cuiusque iustitiam tenetur princeps. dico quod cum commiserit Papæ exercitium, non potest ibi iustitia deficere. Et ideo cum possit seruari sine interitu salutis æternæ, seruandum est huiusmodi iuramentum. verum quia hoc iuramentum est personale, vt *de iure iur. c. veritatis*, certe successor ad ipsum præstandum non est astrictus. Et ideo si futurus Imperator nollet hanc partem iurare iurisdictiones temporales in his rebus non exercere, non crederem ipsum posse astringi, immo sanctius iudicarem quod dominio rerum ecclesiæ reseruato ipse Imperator per se vel per suos ministros iurisdictiones exerceret, quia iurisdictionis administratio talis minime ecclesiæ conueniens est. Alia autem iuramenta an essent præstanda in fine dicam. Concludo igitur quo ad dominium & proprietatem & possessionem plenissimam dictarum rerum donatio tenuit, etiam irreuocabilis quo ad Cæsaris succursoris sine causa: cum causa autem posset, sicut & res cæteras priuatorum, vt in potestate Cæsaris dicam. Quantum autem ad iurisdictionem, dico quod tenuit quantum ad exercitiũ iurisdictionis & vtile eius dominiũ, non quantum ad directum, quod est ossibus Cæsaris irremouibile vel inabdicabile. Et ideo dico quod Cæsar habet in dictis bonis exercitium directum, & hoc quando se non astrinxisset iuramento ad non exercendum: quando autem iurasset, credo quod non posset iurisdictionem exercere: ius tamen in habitu ipsius iurisdictionis & imperii adhuc haberet, sed non vt ad actum posset deducere ipse iurans: successor vero posset se iuramento tali astringere, & iura imperii & iurisdictiones in dictis bonis exercere. Nec obstat, si dicitur, si non valuit in iurisdictione & iure imperii, ergo nec in aliquo, *l. Græca. §. illud, de fideiuss.* quia respondeo quod vtile non vitiatur per inutile, vt *l. sancimus Cod. de dona.* non obuiant contraria. & primo dum dico quod tenet quo ad proprietatem & dominium, istud non habet dubium, quia particularia iura & res princeps potest alienare, *dicta l. cum multa, de bo. quæ libe. & l. bene à Zenone, de qua. præscriptione,*

Digitized by Google

etiam alienatione perpetua. Et contraria primæ partis non obuiant, quia omnia loquuntur, quando bona hæc à se abdicasset in eis per dicta iura imperii singula. Et ideo tex. in *cle. 1. de iure iur.* dicit bene quod ad ius & proprietatem plenissimam pertinent illa bona ecclesiæ, & quod ex superabundanti Henricus ipsum confirmauit. Sed quia, vt dixi, non fuit alienatum ius & iurisdictio imperialis totaliter, valuit donatio quo ad hoc ius imperii & iurisdictionem non sit ligatus futurus successor Cæsari, cum reuocare possit, & sic contraria prima non obstat ad *c. intellecto, de iur. iur.* patet responsio, quia hic fuit iusta causa donandi. Et in ecclesia omnis immensitas est mensura: ideo valuit. Et quod dicitur, quod princeps non præiudicat successori, verum est in administratione publica imperii: sed in particulari alienatione potest præiudicare, quia non licet principi contractus suos vel prædecessoris non factos in præiudicium imperialis dignitatis, sed particulariter celebratos distrahere, nota. *de iudi. c. nouit, de consti. c. in ecclesiarum per.* Cy. in *l. digna vox. C. de legi.* & dum dicitur quod non tenuit secunda iurisdictionis, quia facta Papæ iurisdictionis ipsius non capaci. respondeo quod est capax quamuis debeat per alium exercere committendo; & illa iura loquuntur in omnino non capace. Ex quibus patet, quod donatio tenuit quo ad proprietatem & rerũ dominium particulare, sed non quo ad iurisdictionem totalem & ius imperii, non obstat huic vltimo dicto in secunda parte. in contrarium allegatur quod primum argumentum concludit, quod potest donare res etiam maximas imperii, sed non ius imperii in totum in his à se abdicant, quod esset si etiam omnem iurisdictionem concessisset & à se abdicasset. sic etiam similiter respondetur ad argumenta rationi secundæ, quia loquitur de particulari rerum alienatione non de totali abdicatione iuris imperii. Tertium etiam argumentum non obstat quia fateor quod Imperator potest imperio renunciare, & cum non recognoscat superiorem, potest simpliciter vt in manibus alicuius renuntiando, *d. c. 1. de renunt. li. 6.* & multomagis valet si facit in manu Papæ, qui respectu spiritualium est superior. talis tamen renuntiatio non præiudicat Cæsari successori, vt de se patens est. Quarta autem argumentatio non est vera quia iurisdictio temporalis, secularis atque ciuilis est immediatè à Deo in Cæsarem & non est, vel esse potest habitu vel actu vt perpetuo consistat apud pontificem, quia Christus vt homo ipsam non habuit, ideo nec Papa eius Vicarius, vt late conclusi in *prima quæstione* huius operis. Et quamuis princeps non sit ligatus de absoluta potestate legibus positiuis, diuinis tamen & naturalibus atque inter gentium primitiuis astrictus est. Et ideo imperium, quod est à Deo, non potest per ipsum scindi vel annullari, vt iam proba. igitur etiam in totum. Quinta argumentatio similiter non est bona. nam quamuis faciat quod rex contra regem possit quæ sunt regalia præscribere, sicut episcopus contra episcopum iura episcopalia, inferior tamen non potest acquirere quasi possessionem summæ plenitudinis, quia illam habet princeps à Deo, & inferior à principe ipsius est incapax. *22. di. in nouo. & c. se. & c. omnis ita.* no. Innoc. *de postu. præla. bona, in glo. in ver. requiritis ad fi.* & no. glo. *de præscrip. c. cum nobis.* Item inferior non potest acquirere quasi possessionem libertatis in superiorem ipsum non recognoscendo, *de præscrip. c. cum non liceat.* Et ideo falsum est, quod Hyberi, siue Hyspani & Francigenæ, vel qui sint alii, præscripserint totalia iura imperii contra Cæsarem. similiter nec Papa qui pro administratione temporalium non venientium in consequentiam spiritualium inferior est Imperatori Cæsari, vt dixi supra in quæstione *quis ipsorum maior est.* Et quamuis Papa sit capax iuris imperii in subsidium, non tamen est capax principaliter, immo est impossibile, quod in eodem subiecto sit perpetuo totale sacerdotium & imperium seculare atque ciuile: & ideo impossibile est per viam præscriptionis quod Papa in totum vel in parte ius imperiale & exercitium iurisdictionis præscribere potuerit, cum pro ipsa administratione temporalium Papa Cæsari sit inferior. Argumentatio etiam hæc non tangit dubium donationis, quia quæstio nostra loquitur de donatione, & argumentatio concludit de præscriptis, & recognitio quam fecit rex Angliæ ab ecclesia non præiudicauit imperio, quia inferior recognoscendo ab alio ius quod habet, non præiudicat superiori, etiam quo ad possessionem rerum vel quasi possessionem iurium, vt no. Innoc. in *c. dilectus, de capel.* Sextæ argumentationi respondetur, quod non attingit causam nostram, quia quæstio loquitur, si donatio valeat: & argumentum concludit de facto subditorum. Et quamuis fatear, quod gentes eligunt sibi principem iure gentium, tamen postquam elegerunt in præiudicium proprii dominii electi causa non subsistente non possunt alium eligere, *l. 1. §. dominiorum, de his qui sunt sui vel alie. iur.* Item possent eligere sibi Cæsari non præiudicando. Et si dicitur, immo quælibet gens elegit sibi vnũ: dico quod totus Christianus populus dicitur vna gens, & ideo omnes debent obedire in temporalibus Cæsari per diuersa officia tamen ipsi Cæsari vni parentia, *89. di. ad hæc:* cum etiam semel hic ordo statutus fuerit, & approbauerit ipsum Christus & vniuersalis ecclesia militans, dicens quod Deus constituit duo luminaria, vt *de ma. & obe. solitæ.* nõ licet ab ipso sine causa recedere, & qui se subtraxerunt de facto se subtrahunt non de iure, vt late dixi in quæstione Romanorum, *an iuste fuerunt adepti orbis imperiũ.* Nam sufficit quod fecit gentium maior pars pro vtilitate singulorum, etiam si alii non consenserint, *l. quod maior ad municip.* Sed illius orbis, cuius notitiam tenemus, pars maior statuit principem Romanum Cæsarem: ab hoc ergo statuto non licet recedere, quia fuit honestum & iustum, per textum *23. q. 5. hæc imago*, & per sententiam Philo. 2. *metaphysicæ* in fi. ibi, *entia nolunt* &c. Et quamuis non omnes gentes vnam sequantur, sic nec grues omnes vnam solam sequuntur, sed quælibet choors apium vnam. Respondetur, sicut vna certa gens melius per vnum regitur, ita omnes simul gentes per vnum melius regerentur, vt dicam in quæstione fi. *An ad bene mundi viuere sit monarchia necessaria.* Et sicut vnaquæque domus melius regitur per vnum, *l. pronuntiatio, §. familiæ de ver.* si. si tamen ipsæ omnis

omnis domus sic collectæ etiam per vnum dominum melius politicè reguntur, & quotquot pluries in vnum vniuntur, vt dixi, tanto melius reguntur. igitur semel sub vno Cæsare populi positi & vniti melius regebantur. discedere igitur ab hac vnitate non est licitum, iustum vel bonum. & quamuis fatear, quod propter regis delictum agentis contra publicam vtilitatem, rex ipse deponi posset, vt etiam nota. in *l. non ambigitur ff. de legi.* non tamen imperium seu regnum scindi deberet, quia sicut expresse princeps regno præiudicare non potest, ita & multo minus etiam delinquendo. Septimæ rationi respondetur: & dico quod etiam si Romanus populus totus & princeps vellent scissuras facere & ab vnitate recedere, ipsis non liceret, quia rem inhonestam committerent & non iustam: quia lex debet esse iusta & honesta, 4. *di. erit autem:* possent tamen in aliam personam totum imperium transferre regente imperium consentiente & renunciante, vel forte imperium destruere, & tunc fieri posset per Romanum populum, vt nota. per Cy. in *l. non ambigitur, de legi.* vel forte per Papam in hoc superiorem: sed non scindere vel annihilare imperium, sicut Christiani licitè non possent omnes cum Papa à Christi lege recedere. constituit enim Deus hanc dignitatem, *de ma. & obe. solita.* vnde populus ipse non potest etiam scindere vel annihilare, quamuis potuerit quo ad dominium & proprietatem donare. Et sicut etiam rationi 8. respondetur, quod donatio valuit & iuramentum de non exercendo iurisdictionem tenuit, sed nullibi cautum est quod imperialis iurisdictio & ius imperii in locis prædictis non remanserit. Non obstat tex. in *d. c. Constantinus*, ibi: *Quoniam vbi principatus* &c. vbi est tex. fortis, quod non decens in quo loco Imperator cælestis constituit sacerdotium, ibi terrenus Imperator haberet potestatem. Ad idem in capitulo *fundamenta de elect. li. 6.* quia Christus in hoc mundo non constituit suum principatum iuxta illud: *Rogo pater, non sint de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Nec in vrbe Romana vel alibi, sed super animas hominum constituit principatum, vt dixi in *secundis confirmationibus primi quæsiti.* Et super ecclesias & res ecclesiasticas, & super spiritualitatem, in qua vel in quibus terrenus imperator potestatem non exercet: in seculari autem & ciuili dominio terrenorum & etiam in vrbe Romana Christus caput & iurisdictionem non constituit: igitur in hoc & quantum ad hoc terrenus Imperator potestatem non exercet vel ibi quantum ad præiudicium ipsius Constantini loquitur non Cæsaris successoris, cui lex imponi non poterat per Constantinum prædecessorem vel Romanum etiam populum, qui, vt dixi, imperium non potuit scindere & non potest. Sicque satisfactum est omnibus obiectis, & conclusum quod territoria hæc sunt de Beati Petri patrimonio: & quod in ipso Papa summi principis potestatem exequitur, videlicet vtilem & pro Cæsare, quia in ipsis potestatibus Cæsar summus est princeps, & *ca. ad Apostolica*, loquitur, quando princeps se submitteret ecclesiæ pro vtili dominio in solidum recipiendo, sicut fecerat ante adeptum imperium ipse Federicus, quamuis credã, & quod Imperator existens Imperator posset sic se subiicere, *1. quæst. 7. nos si incompetenter.* Et ideo quia iurauit non potuit iurisdictiones exercere vel citationes facere sine Papæ consensu vel permissu: sed eo non iurante iurisdictiones non exercere, certissime arbitror potuisse & posse in ipso territorio iurisdictiones seculares & ciuiles exercere, quia hæc iura non possunt in præiudicium imperii vel successoris à se abdicare, nec ad tale præstandum in hoc iuramentum compelli potest, vt ante dixi. Et ex his infertur ad omissum quæsitum in patrimonio Beati Petri: si inter Papam & principem lis oritur de re mere temporali, non veniente in consequentia spiritualium, quis eorum iudicium interponat. Nam arbitror, quod Imperator ipse esset iudex, qui est in dictis bonis superior omnibus, etiam summo pontifice intercluso: quia ipse est iudex causæ suæ, *l. est receptum, de iurisdict. om. iu.* quamuis, vt dixi, posset se alterius iudicio submittere. & ideo si esset causa fiscalis, posset esse iudex procurator fisci, vel si esset patrimonialis, posset esse procurator Cæsaris vel alius qui ab ipso principe delegatus existeret. facit totus titulus, *vbi causæ fisc.* præsertim. *l. ad fiscum.* Et sunt hæc vera siue Papa ageret pro talibus siue conueniretur, quia princeps iudex pro dictis rebus esset: vt nota. in *d. l. ad fiscum:* quia Papa loco priuati est pro dictis rebus. non obstat *c. si diligenti, de fo. com.* quia in aliis causis loquitur. Nam sicut clericus potest subiici laico pro feudo, & nota. *de foro compe. c. verum*, & si ita pro rebus fiscalibus vel patrimonialibus conueniatur clericus coram principe etiam pontifex: & multomagis hæc vera, si quæstio de talibus temporalibus sit inter Papam & principem pro rebus extra patrimonium beati Petri existentibus, per prædicta. Non obstat tex. *cle. 1. de iure iur.* vbi est tex. quod Papa pronunciat in causa sua & imperii. Et idem *de re iudi. ad Apostolica. libr. 6.* quia illi *clem.* possum respondere, quod loquitur in causa iuramenti, quia pertinet principaliter ad pontificem. Vel secundo respondeo, quod ambo iura, quæ in dictis iuribus quæstiones erant notoriæ & sine dubio, quo casu non solum Papa sed quilibet prælatus quando notorium est iura denegata sibi deberi est iudex: iuxta no. in *c. venerabilis, de censibus:* & in *c. experta, de ver. si.* per Inno. & in *d. c. ad Apostolica.* offensiones imperatoris contra ecclesiam erant notoriæ. sic intelligo hanc arduam materiam.

SVMMARIVM.

Per Pontificem Cæsar dumtaxat ob reuerentiam Dei & naturali iure, vt Ecclesiam, Pontificem & Clerum tueatur, ad iuramentum reuerentia & natura astringitur, & non ad iuramentum fidelitatis.

CAPITVLVM LXXI.

NVnc aliud restat dubium, si potest princeps per Papam astringi ad aliquod fidelitatis iuramentum. videtur namque quod sic. primum, quia hoc induxit mos antiquissimæ vetustatis, vt habetur in *cle.* 1. *de iur. iur.* qui mos antiquæ vetustatis vtiq; seruandus est, *l. testam. omnia. C. de testa.* & quia hoc canones dictant, *63. di. tibi domino.* & *in d. cle.* 1. Item hæc forma iuramenti in *li. pontificali* relata reperitur, qui liber alias dicitur *Ordinarium episcopale*, vt no. Hosti. *de ser. non ordi. c. consuluit.* Et qui liber approbatus est, vt no. glo. *in d. cle.* 1. *in ver. pontificali.* Quinimmo fidelitatis videtur esse iuramentum, vt est hodie declaratum in *d. cle.* 1. præsertim in versu, *quia igitur*, ibi: *per successores in futurum præstanda*, præsupponens ille tex. necessarium fore iuramentum ipsum præstandum fore. In contrarium videtur, quod extorqueri non potest huiusmodi iuramentum, & extortum non debeat fidelitatis dici: Quia non debeat extorqueri patet: quia non est iurandũ leuiter, nisi cum requirit oportunitas, *de iur. iur. & si Christus. ver. Iacobus*: quia sufficit sermo *sic sic, non non. & quod amplius est, à malo est.* fallit in casibus notatis *de testi. nullus, & 22. q. omne quod. & 2. q. in summa. 2. di. de Siracusana.* Item potestas pontificalis & debet vna alteram adiuuare: *de ope. no. nuncia. c.* 1. præsertim princeps, qui debet ecclesiæ Romanæ auxilium impartiri, vt *de elec. venerabilem.* Et sic naturali quodam debito ad hoc ipsum est astrictus, cui debeat publicum ius tueri, quod in sacris & sacerdotibus consistit, *l.* 1. *de insti. & iure.* Cum igitur iure naturali astrictus sit, non debet ad hoc iuramento compelli, causa alia non subsistente legittima: maxime quia hoc iuramentum non cohærens alicui contractui non videretur actionem parere, nec aliquam obligationem inducere, vt no. Inno. *de insti. cum venissent.* & Bar. in *l. si quis pro eo, de fideius.* Item iuramenta ab antiquis imperatoribus extorta fuerunt extra super his ad quæ tenebantur ex debito naturali & reuerentiali & propter Deum. sed illa quæ propter reuerentiam exhibentur, non videntur ad præstandum necessitatem reducenda, nec præiudicium afferre videntur exhibenti, *ff. quarum rerum actio non datur. l.* 1. *§. quæ honoranda. & l. qui iuris familiaris ff. de acqui. pos.* Papa enim non debet cogere quem ad iuramentum, quod foret pernitiosum vel periculosum, vt patet super illo verbo Matthæi: *Ante omnia nolite iurare.* de quo. 22. *q.* 1. *§.* 1. vbi Augustinus dicit, quod *omnis adiuratio falsa est pernitiosa, vera autem periculosa.* Item scribitur *ad Hebræos* 6. quod omnis controuersiæ finis est iuramentum: cui concordat. *l.* 1. *ff. de iur. iur.* Sed vbi princeps fatetur adimplere velle, ad quæ tenetur sine iuramento, superuacuum videtur iuramẽtum. Item apostolus *eodem capitulo & epistola* dicit, quod homines per maiores suos iurant. Sed Imperator pro temporalibus non recognoscit maiorem, vt supra dixi. ergo non debet de temporalitate iuramentum præstare. Et ideo cum illa nulla alia subest causa, videtur per imperatorem non fore nec foret iurandum si non velit. Et ex his aliud infertur, quod exactum non debeat dici fidelitatis iuramentum. Nam cum imperium & ecclesia fraternizent in *auten. quomodo oportet epi. in prin.* in hac libertate iurandi debitum naturale persoluitur, cum mutuum etiam sibi exhibent auxilium, *l.* 1. *C. de imponen. luc. de præscri.* vnde ex naturali præstitum debito, non ex aliqua fictione vel fidelitate. Item cum præstetur ex naturali debito & reuerentiali propter debitum, non videtur fidelitatis spem sapere: quia iuramẽtum super aliqua dispositione interpositum iudicari debet secundum illius naturam dispositi, *l. si duo patroni. § idem iul. ff. de iur. iur.* facit. *l. fi. C. ad l. fal.* Sed huius dispositionis natura est, vt naturaliter & ob reuerentiam Dei obliget principem Papæ. Ergo est reuerentiæ iuramentum non fidelitatis, præsertim quia iure naturæ princeps astrictus est ecclesiam, pontificem & clericum tueri. Si igitur deducatur in iuramentum, vel peccatum debet deduci, vel eo modo quo in est deductum dici, *l.* 3. *de le.* 1. *l. Cornelius & l. si quis sempronium, de hære. insti.* & sic dici debet non fidelitatis sed naturæ & reuerentiæ iuramentum. propter hæc igitur arbitror, quod princeps Cæsar ad præstandum aliquod iuramẽtum pontifici Papæ iure non possit astringi: nec istud reperio iure cautum. Et tex. in *cle.* 1. dum dicit de factis præstandis declarans illa fidelitatis fore, debet intelligi, si facti cõtingentia accidit, & tunc futura dicantur fidelitatis iuramenta. Et iura quæ referunt præstita iuramenta, 63. *di. tibi domino. & d. cle.* 1. facti contingentiam narrant, non obligationis vinculum iudicant. vnde teneo, quod si alius Imperator iurare nollet, non posset astringi, nisi aliquis casus infidelitatis, vel alius, puta pacis, vel aliquid emersisset. quare merito iurandum foret secundum iura supra pro parte ista allegata. dico etiam notandum insuper, quod & si Papa in *d. cle.* 1. ipsum iuramentum fidelitatis interpretetur, hoc sit mature & sane intelligendum: non tamen ex hoc fidelitatis dici debet, quod princeps pro temporalibus Papæ vasallus dici debeat vel inferior, cum proprie fidelitatis iuramentum sit illud quod præstatur ab inferiore domino suo & post in vestituram, vt in *libro Feudorum*, *quid præcedere debeat*. 1. & illud in se sex continet quæ habentur in *c.* 1. *de forma fidelitatis.* Et quia forte gloriosissimus Henricus, proauus nostri serenissimi monarchæ Federici, arbitrabatur in suis litteris sic Papam intellexisse, vt esset tanquam vasallus iuramento fidelitatis astrictus, iuste contra talem requisitionẽ protestatus fuit, vt habetur in *cle.* 1. *de iu. iur.* Et declaratio ibi Papæ, quod tale esset fidelitatis iuramẽtum, saluari & debet dici fidelitatis, quia in eo magis fides exuberat, siue magis exuberare debet: quemadmodum actiones dicuntur bonæ fidei, quia in ipsis magis requiritur exuberare bona fides, *insti. de actio. in. § actionum*: sic hoc debet dici fidelitatis iuramentum, cum in ipso maxime interueniat bona fides, siue interuenire debeat. ita intelligunt in *d. cle.* Doctores. sic debent hæc iura sane interpretari.

PARS II.

DE PONTIFICE ROMANO, eius potestate, & iurisdictione.

SVMMARIVM.

Quis Pontificiæ potestatis auctor & fundamentum extitit.

CAPITVLVM I.

VTriusque nunc dicturus potestatem, pontificis atq; Cæsaris; ab ipso in spiritualibus Christi Vicario initia summam, cum spiritualia tamquam pretiosiora sint temporalibus præferenda, quemadmodum anima corpori anteponenda est, *de pœni. & remissio. cum infirmitas. & de ma. & obe. solitæ. & l. sancimus C. de sacrosanct. eccle.* Et in his serie infra designata procedam. Primum quærens, quis huius potestatis auctor & fundamentum extitit: & cui primum collata fuit: & in quo loco habere dicatur residentiam principalem. deinde perquiram, an aliæ omnes ecclesiasticæ potestates sint à Deo similiter immediatè: vel ab ipsa Romana ecclesia: & summo pontifice. Ex quo necesse erit inquirere: an ad bene mundi viuere necesse sit vnicam esse principalem potestatem, à qua cæteræ vt sequaces detinentur.

Primum quidem igitur necessarium est inquirere tantæ rei sanctæ primum optimum fundamentum: cum omnia à primo fundamento accipienda sint, *l. 2. §. sed cum prospeximus. C. de vete. iur. enu.* Et videtur, quod ecclesiæ fundamenta fuerint prima in Apostolis & prædicantibus, iuxta tex. *c. fundamenta, de elec. li. 6.* vbi sunt verba Psalmistæ. *Psal.* 86. ibidem in ipso dicente propheta: *Fundamẽta ecclesiæ in montibus sanctis:* per *montes* insinuans Apostolos atque prædicantes, quibus tota huius ædificii fabrica commissa esse videtur, qui bases firmissimæ ecclesiæ forent, *de reli. & veneratione sanctorum. c. 1. li. 6.* hoc idem insinuare videtur, *22. di. §. primo. ergo fideius.* vbi dicitur, quod beati Petrus & Paulus suo martyrio Romanam ecclesiam consecrauerunt. Et licet Christus ipse eidem primatum dederit, tamen Petrus & Paulus suo martyrio aliis ipsam prætulerunt. vnde Petrus & Paulus videntur fuisse principaliora fundaměta, *24. q. 1. arrepta*, in fi. & *21. di. in nouo*, vbi dicitur, quod discipuli Petrum ecclesiæ caput constituerunt: igitur ab ipsis ecclesia fundata videtur. Et quod talis potestas sit ab homine, & non à Deo, insinuatur. quoniam si foret à Deo ecclesiæ fundamentum, id ipsum perfectum existeret, quia Deus imperfectionem non nouit, quia ipse perfectus est, *de baptismo, maioris. versi.* Sed in hoc tamen contra videmus, quia in ecclesia militante scismata quotidie sunt & hæreses: & Papa homo est, & quotidie peccat, & etiam vsque ad lapsum in hæresim, *19. di. Anastasius*: & iuxta illud: *Omnis homo mendax.* Si imperfectus est: ergo à Deo non est. Secundo: illa potestas non debet à Deo dici, cuius vsus contra Deum est. Sed multi pontifices vtuntur potestate papali contra Deum, vt patet in Marcellino, qui Idolis thurificauit, *21. di. nunc autem* & Anastasius qui in hæresim prolapsus est, *d. c. Anastasius.* Item illa potestas videtur à Deo, quæ est per inspirationem ab ipso, vt per columbam, vel quando per aliud fit miraculum, sicut fuit electio Ambrosii, & Beati Seueri, & sancti Nicolai, de quibus *60. di. § his omnibus.* & no. *de elec. c. quia propter.* vel cum vocantur à Deo tanquam Aaron, *8. q. 1. in scripturis.*

Sed contrarium dicitur, quod ecclesiæ fundamentum Christus fuit, & hodie fit, *1. q. 1. cum Paulus.* Nam Apostolus ad Corinth. 3. c. dicit: *Fundamentum nullum aliud poni potest nisi illud quod est Christus de presbyte. non baptiza. c. veniens.* Et est tex. in *d. c. fundamenta.* & in *c. de Homici. li. 6.* vbi est textus, quod Christus Petro curam commisit gregis sui *ad Romanos. 13. & de transla. præla. c. 1.* Et ideo dicitur quod qui tali potestati resistit, Dei ordinationi resistit, *ad Hebræ. 1. & 11. q. 3. qui resistit.* Et hoc confirmatur, quia omnis potestas est à Deo, *ad Romanos. 13.* & no. *12. q. 1. §. huic etiam. & 13. q. 1. quid culpatur.* & probatur *Io. 19.* vbi Christus dixit: *Non haberes potestatem aduersus me vllam* &c. Est enim Deus omnium principiorum principium & fundamentum, vt in decretali, *damnamus, de sum. tri.* & philosophus in *li. de Pomo:* & est tex. in *cap. 1. 22. di.* vbi dicitur, *quia omnes dignitates ecclesiasticæ potestatem à Romana ecclesia susceperunt.* Ipsa autem est fundamentum supra petram fidei mox nascentis per ipsum Christum, qui Petro æternæ vitæ clauigero terreni & cælestis imperii iura cõmisit. Ad idem tex. *eadem di. c. sacrosancta*, vbi tex. dicit, quod non ab Apostolis sed à saluatore Christo primatũ obtinuit, & in Petro per illa verba: *Tu es Petrus*, Math. 16. idem. *21. di. quamuis*, vbi dicit tex. quod *non à synodis ecclesia Romana cæteris prælata est, sed cum Angelica voce Domini.* Ex quibus concluditur, quod in Petro & Romana ciuitate est à Domino Deo, non ab homine solo, constituta. Et quod Ecclesiæ Christus ipse auctor fundamentum est: & hæc est veritas. Et hoc probant illa verba Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: quasi dixerit Christus, in hoc articulo fidei, quod confessus fuerat Petrus, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui*, ego ædificabo Ecclesiam meam ita dicit glo. *19. di. c. ita Dominus.* & hoc ponit clarius Augustinus in *li. de verbis Domini*, in quodam sermone, qui recitatur in octaua Petri & Pauli dicens: *Et super hanc petram quam scilicet cognouisti dicens: Tu es Christus*

Digitized by Google

filius Dei viui: id est super me Iesum filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam: & super mei non super te solu Petrum. & ideo hoc nomé *Petrus* fuit impositum sibi, vt significaret ecclesiā in petra Christo fundatam, vt dicam in sequenti dubio. *quia esse à Deo* consideratur tribus modis in omni re habente entitatem & bonitaté respectu causæ efficientis formalis & finalis, vt inquit Cōmentator. 10. *metaphy.* & secundū omnem talem modū ecclesia & Papa est à Deo. Est enim à Deo tanquā à causa efficienti, quia sicut omnia entia deriuantur ab vno ente, & omnis substantiæ ab vna substantia, ita omnes deriuantur principatus ab vno principe: & talis princeps est Deus, in cuius femore scriptum est: *Rex regnum, & Dominus dominantium.* & secundum Iohanné in Apocalypsi, Christus est *princeps regum terræ,* vt latissime ostédi in primis confirmationibus primi dubii, & primæ partis. vnde Papa & ceteri sunt deriuatiue ab ipso Christo tamquā à causa efficiēte. Et de Petro, quod fuerit immediate à Christo & ab ipso deriuatus, patet. 23. *q.* 1. §. *si autem.* & *c. cū beatissimis,* & probant omnia iura quę adducā in dubio sequenti. Item est à Deo tamquam à causa formali ratione suę ordinationis: quia Christus volens ostendere vnitatem, Ecclesiam vnicam constituit & in eam principem præfixit Petrum superiorem cæteris, vt esset ordo inferioris ad superiorem & superioris ad inferiorem, 24. *q.* 1. *loquitur*, vt in quarto sequenti dubio dicam. Et quantumcumque superiores vel inferiores aliquando sint mali, ipse tamen ordo in se habet rationem boni. vnde etiam ex principatu malorum ratione diuinæ ordinationis & ordinis insurgit bonum. vnde dicit Augu. & habetur in glo. quod per potestatem data Diaboli à Deo Iob probatus est vt iustus appáret, & Petrus temptatus est ne de se præsumeret: Paulus colaficatus ne se extolleret: & Iudas damnatus est vt se suspenderet. Est igitur Ecclesia & potestas Papæ, & Papa ipse à Deo causam formalem, etiam si ipse Papa malus sit. Tertio est à Deo Ecclesia, & Papa ratione finis & per viam reductionis: quia tota Ecclesia militans reducitur ad Ecclesiam triumphantem tamquam ad finem. & ratione reductionis Deus est finis Papæ & Ecclesiæ quæ est vnica, hic militans, supra triumphans: hic est in tempore peregrinationis, in triumphanti erit in æternitate mansionis: hic militans est in labore, sed in triumphanti erit in requie: hic est militans in via, sed triumphans in patria. Nam quemadmodum Imperator militat pugnando, & vincit fugando, & post victoriam triumphat: sic corpus misticum fidelium, quod dicitur Ecclesia militans, *de consecra. di.* 1. *Ecclesia*, & cuius vxoris sponsus est Christus, post pugnam & victoriam & vniuersæ carnis resurrexionem fiet Ecclesia triumphans. Et prius esse fit triumphans in suis membris iustis decedentibus, ita quod sponsa fit vxor, e *Apocal.* 21. dum dicit: *Veni ostendam tibi sponsam vxorem agni.* quemadmodum enim carnalis sponsa in domum ducta fit vxor, vt *l. mulierem ff. de ritu nup.* sic sponsa Christi. i. Ecclesia militans vel fidelis anima ducta in cælestem Hierusalem censetur vxor, secundum Iohannis Monachum, & Io. An. in *d. c. fundamenta. de elec. li.* 6. Est ergo Deus finis Ecclesiæ militantis per viam reductionis ad Ecclesiam triumphantem. vnde concluditur, quod Ecclesiæ militantis & triumphantis Deus est fundamentum, & quod ipsa Ecclesia & Papa est à Deo immediate. Ad contraria respondeo. & primo est differentia inter primum fundamentum vnicum & plura fundamenta. Nam vnicum fundamentum denotat Christum, in quo veluti summo angulari lapide fundatur Ecclesia. ipse enim est prima via, veritas & vita, 8. *di. cap. veritate.* fundamentum enim capitur multis modis. Nam si inquirimus fundamentum spiritualium virtutum, tunc fides catholica dicitur fundamentum. vnde dicit Chrysostomus, quod *fides religionis catholicæ est lumen Ecclesiæ. ostium vitæ & fundamentum salutis æternæ.* fundamentum etiam quandoque pro sacramento, quandoque pro baptismate, in *c. veniens. de cle. non baptis.* Tertio pro Apostolis, vt in *cap. fundamenta. de elec. li.* 6. Quarto pro Christo, vnde in *cle.* 1. *de summa tri.* Quinto pro Deo, sine quo nil potest conseruari in suo esse. Et ideò in psalmo scribitur: *Ipse fundauit eam altissimus.* propriè tamen fidei, & Ecclesiæ fundamentum est Christus, in *cle.* 1. *de summa tri.* fundamenta verò denotant Apostolos: qui post primum fundamentum Ecclesiæ secundaria sunt fundamenta. & ideò 22. *di. c. sacrosancta*, dicit Archi. quod dum ibi dicitur quod ab Apostolis fuit Petrus princeps constitutus, debet intelligi secundario vel approbatiue non collatiue, vt statim in sequenti quæstione dicam facit. 8. *q.* 1. *c. licet.* Et in Petro fundauit Christus, cui miraculose Paulum adiunxit, vt dicam in sequenti quæstione. Similiter dicitur, quod Romana Ecclesia habuit fundamentum à conciliis, 17. *di.* §. *huic etiam. ver. deinde.* Sed debet intelligi secundario nam principaliter habuit ortum à Domino, 21. *di. c. quamuis.* & 22. *di. c. omnis.* ita dicitur glo. in *d.* §. *huic etiam, in glo. in. ver. potestatem.* Aliud illud autem, quod dicitur quod si esset à Deo esset perfectus & non peccaret &c. Respondeo, quod est consideranda ipsa institutio Ecclesiæ vniuersalis, prout residet in vniuersitate bonorum fidelium: & illa est sine macula & sine ruga, vt 21. *di. quamuis.* 24. *q.* 1. *arrepta.* Et talis errare non potest: & ista est Ecclesia perfecta sine macula, scilicet mortalis peccati. 32. *q.* 4. *c. recurrant in fi.* & sine ruga scilicet schismatis vel venialis peccati, *de peni. di.* 1. *Ecclesia Christi.* Sed prout est in Papa, qui est caput Ecclesię, tūc ipse homo est & peccat, vt dixi & no. in *d. c. arrepta.* 24. *q.* 1. Et ideò si aliquis opinaretur quid hæreticū, motus naturali ratione credens patré antiquioré vel maioré filio, vel quod tres personæ sint tres res inter se inuicé distinctæ: talis nō esset hæreticus, si hoc ipsum nō defenderet, sed determinationi se Ecclesiæ vniuersalis subiiceret, vt Inn. *de summa tri. c.* 2. *in fi.* Ratio, quia errare Ecclesia nō potest, vt dixi: secus si crudelitati Papę vel opinioni suæ incertę subiiceret, quia tūc non defenderetur ab hæresi. Ratio, quia Papa, vt dixi, homo est & peccare pōtest. Et eius sententia non est certa sed Ecclesiæ vniuersalis bonorum fidelium sententia semper est vera, & ideò talis hæreticus non foret. Et quamuis in Ecclesia sint schismatici & hæretici, vt *d. cap. Ecclesia. de peni. di.* 1. & ibi

no. tamen

Digitized by Google

no. tamen non sunt re & nomine de ecclesia, vt ibi no. glo. perfecta est ergo ecclesia bonorũ fideliũ: igitur est à Deo. Et idem tamen dicam de Papa & Petro, qui caput est Ecclesiæ, vt ipsi immediate sint à Deo in *auten. consti. qua de digni. in prin.* & in *auten. quomodo oportet epi. in prin.* quamuis in se imperfectionem habuerint vel habeant vel habere possint. nec obuiat: tunc secundum istud pontifices deberent esse perfecti. quia respondetur, quod opera Dei sunt perfecta respectu ipsius Dei efficientis vel formantis siue finẽ intendentis. Sed si est imperfectio, est propter defectum materię & ipsius humanæ creaturæ, quę est defectibilis, quã Deus quęrit perfectũ efficere perfectione gratiæ, sicut ipse perfectus est perfectione naturæ, vt in decretali *damnamus. ver. si pro personis, de summa tri.* talis. n. nostra non est omnimoda perfectio propter defectũ ipsius materiæ nostræ, quæ defectibilis est. Ad secundũ argumentũ respondetur, quod etiam ille, qui vocatur ab ecclesia vel ab his qui habent vocandi auctoritatẽ ab ecclesia, dicitur habere à Deo. Ratio, quia forma eligẽdi sunt tres, vt no. *de elec. c quia propter*: & rata fit electio per Dei miraculum vel immediatam Dei operationẽ. Sed fit per homines Dei ministros: isti tamen ministri non dant potestatem hanc, vt 22. *di. cap. sacrosancta. & 21. di. quamuis*: sed tantum determinant personam ipsam potestatem à Deo habentem, & malus vsus ipsius potestatis non est à Deo faciente, qui non facit malum agendo, sed est ab ipso Papa male vtente, & sic à materia imperfecta & defectu materiæ, vt dixi. Est ergo conclusio, quod vniuersalis Ecclesiæ & Papæ potestas immediate à Deo sit.

SVMMARIVM.

Potestas pontificis Maximi cui primùm collata fuit.

CAPITVLVM II.

NVnc illud videndum restat cui primum hæc ipsa potestas collata fuit, & videtur quod Christus potestatem hanc Ecclesiæ omnibus Apostolis contulerit, cum omnes ipsos pares constituisse videatur. Nam omnibus ante passionem promisit Matthæi 18. cap. quod *quos ligauerint super terram essent ligati & in cælis.* cum dixerit: *Si peccauerit in te frater tuus* &c. postremo subiunxit: *Amen amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis super terram.* & demum post passionem, & Io. 10. post resurrectionem dixit: *Accipite spiritum sanctum: & quorum remiseritis peccata,* &c. vt 24. *q. 1. loquitur*, ibi. *Et quamuis Apostolis.* & §. *sin autem.* ad idem. 21. *di. in nouo versi. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio* &c. hoc idem probatur Lucæ 10. quia cum esset facta contentio, quis esset maior, dixit Iesus: *Reges gentium dominantur eorũ: sed non ita erit inter vos, sed qui maior est, fit sicut minor, & qui præcessor est, sicut minister. 93. di. Diaconi.* Si ergo voluit, quod singuli se minores reputarent, nulli principatum concessisse videtur quia non posset principatum habens se minorem aliis extimare: sed omnem potestatem Ecclesiæ concessisse videtur. Et hoc videtur velle beatus Augustinus scribens de fide ad Petrum: *Pœnitentiam*, inquit, *peccatori tunc prodesse, si eam in Ecclesia catholica gerat: cui Deus in persona beato Petro ligandi soluendique tradidit potestatem.* Ex quo igitur dicit, claues datas Ecclesiæ in persona beati Petri: ergo ipsa Ecclesia fuit, quæ claues accepit. & hoc dicit tex. Augu. super Io. & habetur 24. *quæst. 1. quodcunque.* vbi rubrum summans illud capitulum dicit, *in persona Petri Ecclesia ligandi & soluendi potestatem accepit.* Idem Beatus Ambrosius & habetur *de pœni. di. 1. cap. verbum*, vbi dicit, quod *ligandi & soluendi potestatem Ecclesia accepit, hæresis. i. extra Ecclesiam existens vtrumque non habet.* Recte igitur Ecclesia vendicat hæc, quos habet sacerdotes. ecce quod potestas est Ecclesiæ, licet per mediam personam Petri, & demum aliorum qui in ea sunt sacerdotum. hæc idem Hieronymus, & habetur 24. *quæst. 1. cap. omnibus*, ibi, *quæ domus claues etiam accepit ligandi & soluendi.* & *domum* vocat Ecclesiam, quæ potestatem hanc succepisse videtur. & ideò tex. dicit in *d. cap. quodcunque*, quod quando Petrus claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, id est sub signo & nomine Ecclesiæ accepit. habuit ergo potestatem nomine Ecclesiæ & pro Ecclesia. & sic omnis potestas est principaliter in Ecclesia. & ideò tex. Augu. in *d. cap. quodcunque*, dicit si hoc tantum Petro dictum est *quodcunque* &c. hoc non facit Ecclesia: sed quia non est dictum tantum Petro, vt eius personam non transgrediatur, ideò habet istam potestatem Ecclesia, non verò solus Petrus. Item quod fuerit paritas inter eos, ostenditur. nam Paulus fuit par Petro, vt *in c. fundamenta. §. isti. de elec. li. 6. & 2. q. 7. cap. beatus Petrus & Paulus*, vbi tex. dixit: *Puto eos æquales meritis, qui æquales in passione sunt.* Et Cyprianus Episcopus Petro par fuit, 2. *q. 7. puto.* Vlterius probatur, quod si inter Apostolos aliquis principatus dandus est, ille videtur Iacobo ascribendus. Nam ipse immediate Christo successit pontifex in Ecclesia Hierosolymitana, *de con. di. 1. cap. Iacobus frater Domini*, & *eadem dict. capit. porro.* Sed Christus fuit Ecclesiæ militantis summus primus sacerdos, *de con. di. 2. sacerdos. & de summa tri. capite 1. §. vna vero.* Et Ecclesiam Hierosolymitanam suo sanguine sanctissimo consecrauit & rubricauit. qui ergo in eadem Ecclesia successor fuit, Christi ipsius successor extitit, & sic aliorum Apostolorum princeps & totius Ecclesiæ militantis, sicut & ipse Christus caput & fundamentum fuit, vt proximo dubio antecedenti dixi. Et hanc sententiam videtur firmare Apostolus ad Gala. 2. præferens Iacobum Petro cum dicit, *& cum cognouissent gratiam, quæ est data mihi, Iacobus & Cephas & Iohannes qui videbantur esse columnæ dederunt dexteram societatis mihi & Barnabæ.* de qua societate fit mentio. 21. *di. quamuis. & 22. di. cap. sacrosancta.* præmittendo igitur Iacobum Cephæ id est Petro, quem Cepham vocat iuxta illud Io. 1. *Vobis Cephas*, videtur priorem Iacobum reputasse, cum priores inferioribus præponendi sunt, *de ma. & obe. statu-*

Digitized by Google

mus. hoc probatur Actuum 15. vbi est tex. Petro & Paulo allegantibus, Iacobus sententiam tulit dicens: *Ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur*. Sed si Petrus erat summus princeps, Iacobus ipse inferior præsente Petro non debuit prius cognoscere, sed debuit deferre Petro, *l. humanum. C. de legi.* vbi est tex. quod quamuis senatores possint facere statuta, tamen non faciunt illa præsente principe, nisi ipse princeps auctoritatem suam interponat. præterea si Petrus aliis fuisset potior siue maior, non dedisset aliis dexteram societatis, quia sibi non debebant alii esse socii, sed subditi. Item papa vocat episcopos *fratres de crimine fal. c. quam gratiam.* vt denotet, non licere super episcopos maioritatem, nisi quemadmodum frater habet in fratrem, quia Christus omnes Apostolos vocauit fratres iuxta illud Matthæi 23. *Vos omnes estis fratres.* & alibi Petro dixit: *Confirma fratres tuos.* Item Paulus Petrum publice reprehendit ad Galat. 2. super quo dicit Hieronymus, quod Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se inparem non sciret, 2. q. 7. *Paulus.* & ideo tex. in § *fi. ad fi. 21. di.* quod *Petrus quasi princeps factus est.* notanda est dictio *quasi*, quæ improprietatem significat, vt non vere princeps fuerit, sed quasi princeps. Insuper quod Petrus non fuerit maior, ostenditur. quia inferiores non imperant prioribus nec eos mittent, ostenditur, *de ma. & obe. cum inferior. l. nam magistratus. ff. de arbi.* Sed legitur Actuum 8. c. quod cum Samaria recipisset verbum Dei, miserunt ad illos Petrum & Iohannem, *de sacra vnct. c. 1. §. quia vero. versi. superficientis.* ergo Petrus non fuit maior vel superior illis, à quibus missus extitit. Item papa electus, ex qua electione statim est papa, vt in *c. licet.* ibi, *absque vlla exceptione ab vniuersali ecclesia Romanus pontifex habeatur*: consecratur ab Ostiens. episcopo, vt no. *de priuile. c. antiqua.* & ibi per Osti. & Archi. 23. *di. in nomine Domini.* Igitur Ostien. episcopus videtur maior papa: quia maior est qui benedicit, quam cui benedicitur, 24. *q. 1. si autem. & 21. di. denique. & c. nunc autem.* Item Cardinales sunt loco metropolitani in electione papæ, vt in *d. c. in nomine Domini.* ergo sunt maiores quam papa, sicut metropolitanus est maior suffraganeo. Sed his non obstantibus, veritas est in contrarium, videlicet quod Christus fecit Petrum Apostolorum principem, 7. *q. 1. c. mutationes*, & totius ecclesiæ militantis, vt habetur lo. *c. fi. & 1. di. §. econtra.* & est tex. 80. *di. c. in illis in fi.* vbi text. dicitur, quod Petrum aliis præposuit, & 22. *di. §. prima ergo sedes*, quia non omnium Apostolorum par fuit institutio. hoc confirmat Augustinus in libro *de vnico baptismo*, & habetur. 2. *q. 7. puto.* vbi dicit: *Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum:* & loquitur de Petro. cui licet in gloria martyrii Cyprianus episcopus par fuerit, tamen in gratia cathedræ fuit distantia, quia maior omnibus est cathedra Petri. & sic Petrus fuit maior omnibus episcopis, & per consequens Apostolis, in quorum loco hodie sunt episcopi. 23. *di.* §. 1. *& eadem di. c. in nono.* vbi etiam est tex. quod ipsi Petro primo in ecclesia pontificatus datus est, & primo fuit ei datus in promissione ante passionem. habuit enim in promissione quod esset futurus pastor ecclesiæ, cum eidem dixit Math. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Sed hoc debet intelligi sane, vt dixi supra proximo dubio, vt ipse esset petra & fundamentum post Christum. Et ideo hoc nomen *Petrus* fuit impositum sibi vt significaret ecclesiam, quia ipse nomine omnium Apostolorum sic respondit: *Tu es Christus* &c. vnde populus Christianus dicitur Petrus à petra, quæ est Christus, secundum Augustinum, vel petra dicitur à Petro. & quare dictum fuerit vide 1. *di. fidelior. in fi.* potest tamen hoc verbum probare, quia sicut in solo Christo per prædicta verba fuit ecclesia fundata, ita dicatur postea in Petro eius Christi successore & demum in solo papa consistere Christum Deum in terris repræsentante, vt *de transl. prela. c. 1. 2. &* 3. Et hoc probatur 1. *di. fidelior. & c. considerandum.* Ex quibus concluditur, vt dixi, in præcedenti dubio, quod ecclesia fundamenta fuit primum in Christo. deinde cum post Christi mortem opus foret vnico pastore, fuit fundata in Petro. & ipsi soli data est potestas, quæ primo erat in Christo, & primo in promissione fuit Petro data dum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam* &c. & demum in exercitio & in actu post passionem. viuente autem Christo fuit tantum in promissione, cum dixit, *ædificabo*, nondum igitur ædificat, sed ædificaturum se promittit. Et idem cum dixit. *Tibi dabo claues regni cælorum.* 24. *q. 1. § si autem*, ante passionem promisit, sed non dedit. & est ratio: quia subsistente Christo pastore alius pastor vniuersalis constituendus non erat, 7. *q. 1. c. factus est Cornelius*, quia offenderetur articulus qui dicit: *& in vnam sanctam Catholicam ecclesiam.* oportet ergo quod vnus tantum ecclesiæ foret pastor, & sic ordinauit Deus Petrum, 24. *quæst. 1. loquitur.* Et hoc vult glo. super verbo, *tibi dabo claues.* Et contra hanc ordinationem non potest papa vel tota vniuersalis ecclesia & concilium disponere, vt essent duo Romani pontifices, vt not. glo. 7. *quæst. 1. non autem.* Et ideo tempore sacrilegi schismatis, quod meo fuit tempore, non potuisset concilium statuere, vt duo simul de pontificatu contendentes ambo vt pontifices summi in sua sede stetissent, licet secus foret in alio episcopatu inferiori, vbi ex dispositione sedis Apostolicæ duo possunt episcopi residere, vt fuit in episcopatu Hiponiens. in quo resedit sanctus Augustinus eodem tempore & Valerius, *dicto capite non autem.* 7. *quæst.* 1. Et ideo Christus fecit Petrum pastorem post resurrectionem, & cum à nobis recessurus erat, vt not. glo. in *dicto capit. in nono.* & est text. Gregorii. 1. *di. considerandum. in princip.* & ibi etiam glo. & *eadem dicto capit. firmior.* nam fecit eum pastorem, cum dixit: *Petre si me diligis pasce oues meas*, *de elect. c. significasti, in fine.* ante passionem igitur eum elegit vel ipsi principatum promisit: sed post resurrexionem ipsum præfecit & eum confirmauit, vt discipuli, quibus præesse debebat, præberent assensum in ipsum & figuram electionis pontificis postmodum faciendæ. Et hoc modo dicuntur discipuli Petro dedisse principatum, 21. *dist. in nono:* videlicet quod Christo concedenti secundariò assenserunt. & ita hodie Cardinales eligendo determinant personam papæ Christo cócedenti

Digitized by Google

denti potestatem consentiunt: sed ipsi non tribuunt potestatem, sed Deus. Patet etiam quod Petrum principem constituit, quia ipsi soli claues regni cælorum commisit, 24. *quæst.* 1. §. *fin autem.* Et confirmationem fratrum soli Petro præcipue demandauit, Lucæ. 22. *cap.* & 21. *di.* §. 1. *in fi.* Hoc etiam probatur Ioh. 1. cum Christus dixit: *Simon tu es Bariona & vocaberis Cephas*, quod idem est quod caput, vt denotaret ipsum Apostolorum & ecclesiæ caput. Et ideo Dionysius in *libro de diuinis nominibus* vocat Petrum *verticalem* seu *capitaneum*. & in *li. 5. de ecclesiastica Ierarchia* vocat ipsum similiter *discipulorum verticalem*. Et hæc etiam probantur, 19. *di. c. ita dominus*, & 21. *di.* §. *prima ergo sedes*, vbi est tex. quod *Deus fecit ecclesiæ caput & principem Petrum, & discipuli illud idem voluerunt.* hoc idem confirmauit Dionysius Pauli discipulus in epistola, quam scribit Timotheo Pauli discipulo de morte Pauli, quod Paulus dixit Petro, cum seperarentur ab inuicem ducti ad loca supplicii: *pax tecum fundamentum ecclesiarum & pastor ouium.* Item soli Petro est lintheum submissum de cælo, in quo erant omnia quadrupedia serpentia & volatilia, sicut legitur *Actuum* 18. *ca.* Et sibi soli dictum est, *surge Petre, de omnibus illis animalibus occide & manduca*, 24. *q.* 2. quod lintheum nemo ambigit vniuersum mundum cum cunctis hominibus diuersorum rituum designari: & *occidere* & *manducare* nil aliud est quam peruersos mores in ipsis præcidere, & eos in sua persona toti ecclesiæ incorporare. Ex quibus concluditur, quod Petrus fuit prælatus aliis Apostolis & toti ecclesiæ militanti, tamquam princeps & prælatus. Et hoc vult Chrysostomus super id Lucæ 22. super illo verbo, *Petre pro te rogaui.* dicit enim, *obmissis aliis venit ad Petrum cæteris prælatum.* Idem Augustinus tractans illud verbum domini, *Petrus ambulat super aquas*, dicit, *primo Apostolo id est Petro in ordine Apostolorum firmo & præcipuo, in quo figuratur ecclesia.* idem Cyrillus super illud: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, cum te principem Apostolorum deputauerim.* Item Chrysostomus super id Ioh. 21. *pasce oues* &c. dicens, *eximius erat Apostolorum Petrus & vertex. vnde negatione deleta committit ei prælationem fratrum.* Item super id, *dabo tibi claues*, dicit Rabanus: *Qui enim regem cælorum maiori deuotione confessus est præ cæteris donatis clauibus regni cælestis honoratus est.* Contrarius autem faciliter respondetur. & quando tex. in *c. in nouo*, & in similibus dicit, Apostolos fuisse pares, debet intelligi ratione ordinis vel consecrationis, vt vult glo. in *d. c. in nouo*, in verbo *pari consortio.* & communiter hoc volunt omnes Theologi. Sed in administratione & iurisdictione Petrus fuit maior omnibus Apostolis, 80. *di. in illis. in fi.* cum si. Et probat tex. 14 *quæst.* 1. *c. est & aliud.* vbi Ambrosius dicit, quod est aliud piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari dominus iubet dicens, *tolle hamum & eum piscem qui primo ascendet tolle*: intelligens per hamum iurisdictionem, in qua Petrus præfuit aliis quia hamo, id est, ferro putridæ carnes abscinduntur, vt ibi dicit glo. 82. *di. plurimos.* igitur præ cæteris ipse hoc genere piscatur, quia ipse præ aliis habuit potestatem soluendi & ligandi: non dico quod & iurisdictionalia non fuerint in aliis Apostolis, quia 2. *quæst.* 1. *si peccauerit*, dictum fuit dictæ ecclesiæ, id est, prælatis vel prælato, quia & ipsi iurisdictionem habent, licet Petrus eis omnibus in hoc sit prælatus, vt 19. *di. c. ita dominus.* & *in c. noua. de pæni. & remis.* vbi dicitur, quod Christus omnibus Apostolis dedit claues, sed ipsi Petro soli ligandi in cælis dedit, vt 24. *quæst.* 1. *quodcumque.* & 24. *quæst.* 3. *notandum.* Item soli Petro dicitur, *Duc in altum*, Luc. 6. cum aliis dicatur, *vt laxent retia*, quia ipse solus Petrus debet ducere in altum, id est, in altum disputationum, quia soli sibi maiores esse disputationum reseruatæ sunt, *de baptis. c. maiores.* & 17. *quæst. multis.* & 23. *quæst.* 1. *quotiens.* Sic & Moyses & Aaron fuerunt pares in consecratione, sed in administratione Moyses fuit maior Aaron, 22. *di. sacrosancta.* & §. *prima sedes.* Nam omnes Apostoli constituti fuerunt à Christo sacerdotes, & habuerunt ordinem sacerdotalem, qui ordo non recipit maius & minus: & ideo cum Petro fuerunt omnes pares. Et in episcopali dignitate & consecratione, in qua secundum aliquos imprimitur character, & secundum aliquos perficitur, vt nota. *de renunc. post translationem, in fi.* & in *prohæmio* 6. *in glo. in verbo, episcopus.* In his tamen non potest vnus habere magis quam alius. vnde in ordine & consecratione tantum potest quilibet episcopus quantum papa. Sed in administratione & iurisdictione papa omnibus præest, qui vnicus est constitutus ad designandum ecclesiæ vnitatem, 24. *quæst.* 1. *loquitur.* & 22 *di. c.* 1. Et ad istam auctoritatem vbi vult, quod *maior sit minor* &c. respondetur & loquitur secundum humilitatem, quam existens in dignitate non debet erigi in superbiam. Et ideo cum scribit se papa *seruum seruorum Dei* nuncupat, vt in *prohæmio decretalium sexti & clemen.* & secundum communem stylum scribendi papæ, vt nota. in prædictis locis, non quod ex hac humilitate deserat ampliorem potestatem quam habet. Et ad illud quod potestas fuit data Petro pro ecclesia & nomine totius ecclesiæ, ita quod sit potestas in ecclesia & per eam in Petro, vt volunt prædictæ auctoritates, maxime Augustinus super Iohan. & habetur in *d. c. quodcumque*, est notandum quod Augustinus & alii sancti, cum dicunt quod potestas est data ecclesiæ, voluerunt designare, quod potestas concessa Petro non fuit personalis, ita quod non transiret in successores, sed fuit data dignitati, id est ecclesiæ vniuersali, & hoc modo habet papa potestatem Petri, quia si tantum Petro data fuisset, ecclesia id est dignitas non haberet, ita est text. in *d. c. quodcunque.* non ergo intelligenda est hæc auctoritas, quod ecclesia per se habeat potestatem ligandi & soluendi, quia cum ecclesia, sicut corpus mysticum & persona repræsentata, vt in *auten. Item nulla communitas. Cod. de episc. & clemen.* & ipsa per se non solueret vel ligaret, sed per ministros suos ligat & soluit, & primus eius minister post Christum fuit Petrus, qui hanc potestatem vniuersalem solus accepit, & non personalem, sed vt dignitati ecclesiæ collatam, vt post eum haberent in eius locum successores. & sicut Romanus populus post omnem iurisdictionem translatam in principem amplius iurisdictionem non habet, sed illam solus exercet Imperator. vt nota. in *l. si im-*

perialis. Cod. de legi. sic ecclesia vniuersalis non disponit existente papa, no. de consti. c. translato: quia Christus concessit potestatem ecclesiæ Petro, & sic etiam successoribus. vacante sede bene est potestas in ecclesia exercenda per vnum ministrum, quem determinabit ecclesia, vel illi qui auctoritatem habent ab ecclesia, non quod ipsi, qui habent, determinare possint. Et ideo Cardinales non condunt legem generalem, vt no. in clemen. ne Romani. de elect. & de consti. c. translato, sic nec concilium generale sine papa, quia postquam potestas ecclesiæ est translata in Petrum, vel papam, non remanet plus in exercitio in ecclesia: & ideo concilium sine papa non faceret legem generalem, quia concilium non habet potestatem ecclesiæ sine papa vel separatim à papa, alias esset apud duos insolidum quod est impossibile. Est ergo potestas clauium & ecclesiæ in ecclesia exercenda per Petrum, & demum per papam eius successorem & alii qui sunt ministri papæ & ab eius voluntate dependentes. Item illud Pauli & Cypriani de eorum paritate cum Petro debet intelligi de merito passionis & martyrii, vt supra dixi. Item Paulus par fuit Petro non in officio ecclesiasticæ dignitatis sed puritate vitæ & sanctitate, 2. quæst. 7. §. hoc non de officio: vel fuit par Petro quo ad officium magistratus, secundum vnam aliam glo. quia vnus magister legis, alter magister & dominator gentium. ita dicit Beatus Thomas. Et ideo iungitur cum Petro ex stylo Curiæ semper Paulus: non quia in iurisdictione pares fuerunt, quia Petrus omnibus præpositus est: sed quia diuino iudicio Paulus fuit sibi associatus, & vrbem Romanam simul sanguine proprio consecrauerunt, de elect. c. fundamenta. li. 6. Ad illud Iacobi respondetur, quod fuit successor Christi in illo speciali loco Hierosolymitano, vbi Christus non constituit primam sedem, sed in vniuersali ecclesia successor Christi extitit Petrus. vt docent iura prædicta. Et ista est ratio, quare Iacobus iudicium tulit Hierosolymis præsente Petro & Paulo, quia in sua iurisdictione protulit sententiam patiente Petro, non quod Petrus ipse dictam sententiam, si voluisset, non potuisset proferre. Et sicut faciunt ordinarii, cum est papa vel imperator in eorum territoriis nam exercent proprias iurisdictiones, si papa vel Imperator non impediant, sed mittant, & l. humanum. C. de leg. loquitur quia Imperator facultatem condendi leges senatoribus vetat eo præsente, vel loquitur de iure condendi legem generalem, quam hodie non faciunt senatores sed solus princeps. & dum Apostolus præmittit Iacobum, non denotat eum maiorem: patet, quia Petrum vocauit Cepham, id est caput, & ordo scripturæ non attenditur, vbi constat de contraria mente, vel consurgeret iure repugnantia. vt no. legistæ in li. 2. §. prius, de vul. & pu. & canonistæ de rescriptis. cum dilecta. Item quamuis papa vocat Episcopos fratres, & quamuis dederit Petrus dexteram societatis, hoc non arguit prælatum vel principem non esse potiorem. Refert enim Lucanus Cæsarem suis militibus dixisse bellorum socii, nec tamen minus eorum princeps, ductor & Imperator fuit. Similiter cum dicit fratres, ipsos non facit in iurisdictionibus eo æquales. nam fraternitas sumitur multis modis, vt no. c. Iohan. de regu. Nam aliquando dicitur frater ex natura, vt ex Esau & Iacob: aliquando gente, vt Iudæi: aliquando cognatione, vt Abraham, qui dixit Saram sororem suam cum tamen esset vxor sua. Item ex affectu, vt Christiani. 11. quæst. 3. ad mensam. Item creatione Iohannis quia sumus fratres ab Adam creati. talis ergo assertio fraternitatis non tollit asserenti primitiuam vel principatum, vt patet de Isaac, cum dixit, Esto Dominus fratrum tuorum. Et sicut in vna domo cum deest paterfamilias, antiquior frater est primus & principalis, l. pronuntiatio. §. familiæ. ff. de verbo. si. & tamen sunt carnalitate fratres, sed non præeminentia & iurisdictione, in qua Petrus singulis Apostolis est propositus: vel fratres sunt in ordine & consecratione, non in administratione. Ad illud, quod Paulus Petrum reprehendit, Archi. in dicto capit. Paulus. & quæst. 7. refert Augustinum dicentem, illam fuisse veram reprehensionem. & tunc debet intelligi, quod fecit ei monitionem Euangelicam vel publicam, cum esset tale crimen, quod in foro contentioso potuisset accusari, vt no. 9. quæst. 3. nemo. & 40. dist. si Papa. vel secundum Hieronymum fuit dispensatoria siue simulatoria. sed reducuntur in concordiam, quod fuit vera reprehensio, id est quod verum est, quod eum reprehendit, & erat dignus reprehensione, non propter factum ipsius Petri, sed propter illud quod inde sequebatur. Nam Petrus illud faciebat dispensatorie, i. ob aliud, tamen poterat habere propter alios malũ finem. Et dum Hieronymus dicit, quod fuit dispensatoria. i. ob aliud facta, non propter id quod faciebat Petrus, sed vt scirent gentes nõ esse Iudaicandum videntes tantum Apostolũ reprehendi. Non ergo fuit secundum istud propria reprehensio: & sic non obstat proposito nostro. illud autẽ, quod habetur. 20. d. 3. §. 1. in fi. quod Petrus fuit quasi princeps, quia quando dictio quasi addicitur veritati, est eius veritatis expressiua nõ fictionis inductiua vel veritatis diminutiua, vt no. in l. fructus. ff. solut. matr. & l. sed si vnus. §. ait prætor. ff. de iur. iur. Et missio facta de Petro in Samariam non denotat emittentium superioritatẽ vel ipsum inferiorem, sed fuit missus consultatiue vel per conciliũ Ecclesiæ, sicut quando Rex mittitur de concilio sui populi. Nõ ob. quod consecratur ab Ostien. Episc. & sic arguitur papa maior in iurisdictione & administratione, quam habet statim ab electione, quia papa statim quod electus est omnibus maior. sed maior est Ostien. in ordine & consecratione, quando papa electus non est sacerdos vel Episcopus, nec est inconueniens quod vno respectu vnus dicatur maior altero: & alio respectu sit minor, vt no. Archi. 2. q. 7. quanquã. Sed post consecrationẽ ipse papa par est ipsi Ostien. Episcopo & cæteris Episcopis in ordine & cõsecratione, vt dixi, qui tamẽ maior est eis in iurisdictione vel administratione, vt dictũ est. Nec ex hoc, quod in electione papæ cardinales sint metropolitani, & eligant papam, ipsi papæ maiores

Digitized by Google

maiores vel partes sũt; vt no. Io. *d. in c. in nomine Domini.* 23. sicut nec suffraganei maiores sunt metropolitano, & tamen consecrant eum, *66. di. c.* 1. Concluditur igitur ex prædictis, quod in iurisdictione spirituali siue temporali Petrus fuit summus princeps omnium Apostolorum & totius Ecclesiæ militantis: & ipse solus à Christo habuit potestatem: & Ecclesia vniuersalis ab ipso Petro habuit eandẽ potestatem, vt probat tex. *in ca.* 1. *de transla. prela.* quia licet omnibus Apostolis dictum fuisset *quemcumque ligaueritis*: soli tamen Petro dictum fuit, *pasce oues meas*, quo casu eum constituit principem, vt habetur Io. c. 4. no. 50. *di. c. considerandum. & cap. fidelior. in fin.* Et ita hodie papa est, qui est Christi vicarius & successor Petri, *de transla. capit. quinto. de elec. capit. fundamenta. §. docet. de elec. vbi periculum §. ceterum lib. 6.* Et quamuis aliquando Petri Vicarius nuncupatur, *63. di. ego Lodouicus*, talis est impropria locutio, vel exponitur gerit vicariam quam gessit Petrus. ita no. glo. in *cle.* 1. *de iur. iur.* in verbo *Vicarius*.

SVMMARIVM.

Petri sedes quo in loco constituta fuerit, residentiamq; habere principalem dicatur.

CAPITVLVM III.

QVo autem in loco Petri sedes constituta fuerit, & ad præsens sit cuius iudicio discutere nunc hac quæstione tertia necesse est. Videtur autem quod papa sit vniuersalis Ecclesiæ Episcopus atque sponsus vt *de iudici. nouit. ver. quomodo.* 24. *q.* 1. *loquitur.* Item Christus solus desponsauit vniuersalem Ecclesiam non habentem maculam neque rugam *ad Ephesios* 5. Ergo idem similiter papa eius vicarius & successor *de transla. cap. inter corporalia & ca. fi.* sed si papa vniuersalis Ecclesiæ est Episcopus 21 *q.* 1. *relatio.* Itẽ quia qua ratione papa se diceret Ecclesiæ Romanæ & cuiuslibet alterius particularis Episcopatus eum quod sit vniuersalis Ecclesiæ Episcopus sic est: sed se posse dicere cuiuslibet membri sui Episcopum: quia ius, quod habet in toto genere, debet habere in qualibet specie sui generis. quod tamen est falsum, nec videmus quod alicuius Ecclesiæ vniuersalis vel Romanæ se faciat Episcopum, & quod solum primæ sedis Episcopum se debeat nominare & non vniuersalis Ecclesiæ aut alterius particularis Ecclesiæ quam Romanæ, videtur tex. 99. *di. capit. primæ sedis & c. sequenti.* præterea potius deberet esse sua sedes Hierosolymitana, quia ibi præfuit Christus summus pontifex & sacerdos: & ibidem se obtulit pro nobis in ara crucis, ex qua oblatione ad Deum conuersi sumus tamquam ad pastorem & episcopum animarum, vt scribitur *primo Petri* 2. sic eodem modo papa Hierosolymitanis episcopus deberet nominari. Tertio si Petri successor est papa, videtur quod eius sedes Antiochena dicenda sit, non Romana, quia sedem primam habuit Petrus Antiochenam, vt 22. *di. §. prima vero sedes*, ibi, *tertia* &c. vbi probatur, quod prima sedes Petri fuit Antiochena, & ibi primum Christianum ortum nomen assumpsit, 7. *quæst.* 1. *c. imitationes. &* 24. *quæst.* 1. *rogamus.* sed in contrarium est veritas, quod dici debet vniuersalis Romanæ ecclesiæ episcopus, vt 23 *di. c. in nomine Domini*, ibi, *obeunte Romana & vniuersalis orbis pontifice*; quia vniuersæ ecclesiæ per orbem institutæ vnus thalamus Christi sunt. Quarum sancta Romana ecclesia catholica & apostolica cæteris ecclesiis euangelica voce Domini & Saluatoris Christi primatum obtinuit, & quam suo martyrio Petrus & Paulus aliis ecclesiis prætulerunt, 21. *dist. quamuis.* Et omnes ecclesiæ aliæ & dignitates ab hac Romana ortum habuerunt & habent, quoniam Romanam ipsam fundauit Christus super petram fidei mox nascentis, vt non terrena sententia, sed illud verbum quo cõstructum est cælum & terra, & per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauerit ecclesiam. Et ipsa fidei mater est, 22. *c. omnes. & c. sacrosancta*, vbi est text. quod Romana sacrosancta ecclesia non ab Apostolis sed ab ipso Christo primatum obtinuit. idem dicit tex. *eadem di.* §. 1. *ergo sedes*, quod Romana ecclesia cælesti beneficio obtinuit principatum, & ipsa caput & cardo est à domino non ab alio constituta, & ipsa est nostræ fidei caput & mater, 25. *quæst.* 1. *§. his ita. & in proœmio sexti libri decretalium & in c.* 1. *de summa tri. li. 6. & Cod. de summa tri. epistola inter claras, & in epistola victor.* Ad idem 24. *quæst.* 1. *c. hoc est fides. & c quoniam. & c. rogamus*, vbi est text. quod & si apud Antiochiam fuit prima Petri sedes, tamen iubente domino Romam translata est. Constituit enim sedem Deus apud Romam, cum Petrum vrbẽ Romam fugientem dominus ad ipsum locum, quem elegerat, reuocauit cum eidem interroganti, *Domine quo vadis*? respondit, *venio Romam iterum crucifigi, qui si sint legi per venerabilem. cum enim.* ad idem 2. *quæst.* 7. *c. Beatus. & in c. felicis. §. per hæc, de pœ. li. 6. &* 11. *di. nolite. in fi. & de con. di.* 1. *basilicas, in fi.* In quibus iuribus probatur, quod non à conciliis, non ab Apostolis, sed à Deo ecclesia Romana constituta est Petri sedes, & aliarum ecclesiarum mater est & magistra. vnde papa debet dici Romanæ & vniuersalis ecclesiæ episcopus. Ad contraria respondetur, quod sicut vna est ecclesia, ita vnicus debet esse vniuersalis pastor, 24. *q.* 1. *loquitur*, & in hoc papa debet esse Christi Vicarius & nõ Petri, sed est Petri successor. Sed quia erat impossibile quod vicarius Christi toti ecclesiæ in administratione præesset, iuxta illud Matt. 9. c. & habetur 22. *di. in nouo.* in fi. *Videntes messem esse multã & operarios modicos* &c. opus fuit vt papa diuideret diœceses, & officia distribueret, quæ omnia tamẽ ab ipsa Romana ecclesia ortũ habẽt, 20. *di. c.* 1. *ad istã superioris Ierarchiæ*, in qua est vnus Deus, cui parẽt oẽs aliç super cælestes intelligẽtiæ, 89. *di. ad hæc.* Et statim sequenti quæstione dicã. vnde vniuersalis ecclesiæ, quo ad vniuersitatẽ & protectionem &

Digitized by Google

etiam administrationem mediate vel immediate si vellet. Est enim Papa successor Christi vniuersalis ecclesiæ pontifex. Sed quia non potest in omni loco immediate in administrationem præesse, in aliis locis Episcopus in administratione mediate, quia per alios coepiscopos ministrat; quoad administrationẽ vero immediatam, & quantum ad designandum caput & cor ecclesiæ, Papa est Episcopus Ecclesiæ Romanæ, nec habet duos Episcopatus, sed vnum Ecclesiæ vniuersalis, cuius Romana sedes est cor & caput, vt dictis iuribus. Alterius autem particularis Episcopatus non potest nec debet se dicere Papa Episcopum, quia (vt dixi) ad designandum vnitatem debet se Ecclesiæ vniuersalis pontificem nominare: quoad administrationem autem non debet se Episcopum nominare, nisi illius Ecclesiæ, quam Deus & Christus voluit caput Ecclesiæ & principium constituere, quæ est Roma, in qua ipse est in administratione non Christi sed Petri successor, & in qua super omnes Deus constituit principium, vt iuribus antedictis. Et ideo Papa non posset hanc sedem mutare, & alibi caput constituere, quoniam teste Apostolo 2. ad Thimo. 2. *firmum fundamentum Dei stat*, de pœni. di. 2. cap. *firmum*. nec potest homo viuens illud conuellere, & ideò non posset Romanam Ecclesiam alteri vnire, vt essent ambo æque principales, quia esset contra symbolum, *in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam*: & esset ponere corpori mistico Ecclesiæ duo capita, quod esset monstrum, contra. *c. per venerabilem. qui fi. sint legi.* Et etiam non posset Papa facere, quod alia Ecclesia Romanæ maior, vel Romana Ecclesia esset alteri accessoria & vnita. Et quia sic alibi fundamentum & caput constitueret, quam vbi Christus statuit, quod est impossibile, no. in *cap. felicis. §. per hoc. de pœni. lib. 6.* Et ista ratio, quare non saltem Hierosolymitana, quia Christus ibi non constituit ipse caput, sed Romam voluit esse caput. Similiter nec Antiochenam, nam quamuis Petrus ad hanc prius ordinatus & præsederit in ipsa annis septem, tamen postea iubente Domino ibi Antiochiæ Ignatium constituit Episcopum. Et sua sedes Romæ translata est, & in quia per 25. annos & tres menses, à quarto videlicet Claudii anno vsque ad vltimum Neronis resedit, vt refert Archi. 22. *di. renouantes*. Et ideò Dei voluntate & iudicio sedes Petri Romam translata est. vnde exinde sine Dei iudicio, voluntate & miraculo euelli non potest, no. Archi. 24. *q. 1. Rogamus*. & aliqui in. *d. cap. §. per hoc de pœni. lib. 6.* Ex quibus concluditur, quod Episcopus vrbis Romæ est vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, & quod Dei iudicio eius sedes Romæ constituta est, à qua sine Dei iudicio remoueri non potest. Et si alicubi scriptum est, quod eam Petrus & Paulus aliis Ecclesiis prætulerunt, vt *cap. sacrosancta. 33. di.* illud debet intelligi, quod secundario ipsi sequentes intentionem Dei primitus hoc agentis sic eam aliis Ecclesiis prætulerunt. aliter si solus Petrus & Paulus illam prætulissent, successor Papa deberet posse mutare, quod tamen falsum est, vt dixi.

SVMMARIVM.

Potestates Ecclesiasticæ cæteræ omnes, an sint à Deo immediatè; vel ab ipsa Romana Ecclesia & summo Pontifice; & an ad bene mundi viuere necesse sit vnicam potestatem esse, à qua cæteri deriuentur.

CAPITVLVM IIII.

PErquiramus nunc autem, an omnes aliæ Ecclesiasticæ potestates sint à Deo immediate, vel per medium Romani pontificis, & vt ab ipso dependentes. Et ex hoc primum quæram, an ad bene mundi viuere necesse sit vnicam potestatem esse, à qua cæteri deriuentur. Et videtur dicendum, quod non. Nam ponere supremam potestatem est designare maiorem & inferiores. hoc autem videtur contra naturam. nam homines omnes natura sunt pares & primi parentis successores. Et ideò contra naturam videtur, vt vnus alteri principetur, vt videtur tex. 22. *di. cap. de Constantinopolitana*, in fi. nam principatus ex imparitate consurgit. Sed natura omnes nascebantur olim liberi & pares vt 12. *q. 2. cap. cum redemptor.* & in *auten. quibus mo. na. effi. sui. §. natura*. Et ideò volunt Theologi, quod Adam, si stetisset in statu innocentiæ, non habuisset in descendentes dominium illud, vt ipse dominium habuisset in homines & in iumentis. sicque videtur quod paritatis ratione à natura introductæ non sit opus vnam esse potestatem supremam à qua cetere deriuentur.

Secundò sic ostenditur, principantes debent habere rationes perspicacissimas, quia summe vigil esse debet principans, 23. *dist. capit. qui Episcopus.* sed plures oculi sunt perspicaciores vno, & plures manus magis possent quam vna, vt *l. ita vulneratus. ad fi. ff. ad l. Aquil. & in c. mandata, de præsumptis.* Et plures intellectus cognoscendo superanter vnum. vnde plerumque nouiter venientes facta antiquorum emendant, *l. 1. §. omnia Co. de veteri iu. enu.* Ex quibus concluditur, quod si plures vel multi pariter principentur, erit ibi intellectus & ratio prospicacior, quia plures plus cognoscent quam vnus solus cognoscat. vnde *Philosophus* 1. & 3. *politicorum* ait, quod *plures homines sic principantes quasi constituunt vnum hominem multorum oculorum & multarum manuum.* Ex quibus videtur quod melior sit plurimum principatus.

Tertio hoc probatur quia princeps debet habere perfectam stabilitatem, vt per iram & concupiscentiam non peruertatur, vt *d. ca. qui Episcopis. 23. di. & eadem di. c. his ergo.* sed ait Philosophus, *facilius corrumpitur vnus quam plures*. ergo sanctius videtur regi per plures quam per vnum.

Quarto ostenditur sic: illud est bonum regnum, in quo plus præualet communis vtilitas & publica, quam priuata regentium. Et illud est malum regnum, in quo ipsa vtilitas attenditur magis pro-

Digitized by Google

git propria quam communis, secundum Ægidium *de regimine principum* 11. *capit*.11. *probatur*, *in capi. bona, de postu. prela.* el primo, immo si princeps magis attendat vtilitatem propriam quam communem, talis tyrannus est, vt no. Bar. in tractatu *de tyranno quaest.*8. Et hoc vult Tullius in *libro de officiis*, recitans Platonis sententiam atque dicens, *omnino qui reipublicæ profuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, vnum vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt ad eam referant, suorum commodorum obliti*. & hoc vult tex. in *prohemio sexti & in capit.* 1. *de offi. le. lib.* 6. alterum, *vt totum corpus reipublicæ procurent, ne dum partem aliquam tueantur reliquas deserant.* Et ideò princeps debet omnia deducere ad vtilitatem reipublicæ, vt in *auten. constitutio. quæ de dig. in prin. coll.* 6. & adeò præponere publicam vtilitatem suæ priuatæ, vt si opus est, morti pro suo populo & communi vtilitate se subiiciat, vt est tex. 45. *dicto capite disciplina.* & probatur *de homi. capit.* 1. *lib.* 6. vbi est tex. quod Christus se exposuit morti temporali propter redimere gregem suum perditum. Sed si multi dominentur, vel vnus dominetur, & quilibet intendat proprium bonum spreto communi, erit melior principatus horum multorum quam illius solius imperantis: quia isti multi non omnino recedunt ab intentione communis boni, cum intendant bonorum ipsorum multorum, quod est quasi commune bonum vnius priuatum. vnde secundum hoc meliores videntur plurium principatus.

Quinto ostenditur, quod potestatibus Apostolis concessis, siue de potestate miracula faciendi & eiiciendi dæmonia & sanandi languores, siue de potestate prædicandi vel temporalia metendi, id est, recipiendi pro prædicationibus temporalia, aut de potestate baptisandi, vel de sacerdotali potestate conficiendi corpus Christi, & de potestate clauium ordinis, vel de potestate Episcopali. Omnes enim has potestates Apostoli immediate à Christo succepisse videntur: ergo similiter hodie Episcopi à Christo, debent dicere has potestates immediate habere, cum ipsi Episcopi Apostolorum locum teneant, 21. *di. in nono. &* 63. *di. cap. fi.* & sic non à Papa sed à Christo immediate. Et quod omnes has potestates Apostoli à Christo susceperunt, patet discurrendo per ipsas singulas potestates. Primum miracula faciendi potestas non esse nisi à Deo. Et ideò quamuis aliquando mali miracula fecerint Diabolica arte, vt 1. *quaest.* 1. *teneamus. & cap. prophetauit*: illa non fuere miracula proprie, cum à Deo non processerunt, sed ex arte vt *de cap. teneamus* & no. glo. in *c.* 1. *de reli. & vene. sanctorum, in fi. magna glo. li.* 6. Ratio, quia miraculum est diuina immediata operatio sine operatione secundorum agentium secundum Tho. in 3. *libro contra gentiles.* Et ideò dicitur Matth. 3. quod *dedit illis potestatem spirituum immundorum.* Et dedit eis potestatem curandi infirmitates & eiiciendi dæmonia. Similiter & de potestate prædicandi, quam Christus Apostolis concessit & ante passionem & post resurrectionem, ante passionem solum iussit prædicare Iudæis, dum dixit: *In viam gentium ne abieritis.* 11. quaest. 1. denique. *Euntes autem prædicante dicentes, appropinquat regnum cælorum*, Matth. 3. & Luc. 9. & post resurrectionem missi sunt à Christo ad prædicandum toti mundo, dum dixit: *Docete omnes gentes & prædicate Euangelium omni creaturæ*, vt in *cap. cum ex iniuncto, de hæreticis.* & Matth. vltimo. & habetur. 21. *di. in nono*, vbi dicitur, quod iubente Domino, toto orbe dispersi Euangelium prædicauerunt. Sic etiam fuit in potestate concessa metendi temporalia. Nam inquit Dominus discipulis suis Matth. 10. *In quacunque domo intraueritis, in eadem manebitis edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Et Apostolus ad Corinth. 9. capit. dicit: *Si seminamus vobis spiritualia magnum non est si vestra carnalia metamus.* Et ad Galat. 6. inquit, *communicet autem his qui catherisatur verbo ei qui se catherisat.* Et alibi dicitur: *Item si alii participes nostræ potestatis facti sunt cur non magis & nos.* Et in alio loco dicit, *dignus est mercenarius mercede sua*, Luc. 10. c. ad Timoth. 5. & habetur in canone. 12. quaest. 2. cap. quicumque suffragio. Et *qui enunciat Euangelium, de Euangelio debet viuere*, 12. quaest. 1. ex his de præben. cum secundum Apostolum ad Corinth. 9. Et hæc eadem potestas medendi carnalia à seminantibus spiritualia etiam in veteri testamento concessa fuisse videtur, vt auctoritates veteris & noui testamenti habentur, 23. *quaest.* 1. *s.* quia ergo potestatem etiam baptisandi Apostoli videntur omnes à solo Christo suscepisse, & ante passionem & mortem eius, & post resurrectionem habuerunt: & quamuis non essent sacerdotes adhuc constituti, qui demum in cœna facti sunt sacerdotes, & solum in Iudæos, iuxta illud, *in viam gentium non abieritis*, 7. quaest. 1. denique. & Matthæi 10. not. Archiepis. *de con. di.* 4. *capit. propriè.* super prima glo. & hanc formam multi volunt discipulis fuisse à Christo datam, cum à Iohanne baptisatus fuit ipse Christus, vt *de con. di.* 4. *capit. per aquam*: & aqua per tactum corporis Christi sanctificata fuit, vt *de* 4. *di. capit. nunquam.* & tunc Iudas potestatem hanc habuit baptisandi tali forma à Christo data. Et qui à Iuda baptisatus est, iterum baptisatus non est, *de conse. dist.* 10. *aliud.* vbi glo. hæc no. & 1. *quaest.* 1. *capit. dedit. & in capit. quanto. Hierosolymis, de con. di.* 4. vbi etiam probatur quod Christi discipuli antequam baptisarentur & ipsi baptisati erant, & baptisabant viuente Christo, tale tamen baptisma non habuit plenum effectum, nisi post mortem Christi & resurrectionem, quia nondum erat aperta ianua Paradisi, vt *dicto capit. propriè. & capit. se.* not. *eadem di. in summa. & in dicto capit. aliud.* quamuis esset tale baptisma Christi quod conferebatur taliter ab Apostolis etiam ante passionem, vt no. in *di. ca. dedit.* Quamuis beatus Augustinus aliter sentiat *super Iohannem* 4. *capit.* post resurrectionem autem potestatem etiam dedit in omnes gentes, cum dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos*, & cetera. *Matthæi vltimo capit. & eadem di.* 4. *capit. prima igitur. & c. multi. in fi. & dicto capit. propriè.* Si igitur omnes Apostoli pariter hanc po-

Digitized by Google

testatem à Christo habuerunt, ergo similiter & hodie episcopi habent loco Apostolorum surrogati. Idem dicitur de potestate sacerdotali conficiendi corpus Christi. Nam illa à Christo fuit data pariter omnibus Apostolis, & in sacerdotes pariter omnes videntur fuisse ordinati in die cœnæ, quando dominus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. ca. vt no. glo. 21. *di. in nouo. & de conse. di. 2. c. in Christo semel. in fi.* & no. Archi. 75. *di. ca. die*. Constituit igitur tunc eos sacerdotes cum dixit: *hoc facite*. id est, potestatem accipite hoc faciendi. Et æquipollet illis verbis, accipite potestatem celebrandi: quia conficere corpus & sanguinem Christi non potest nisi sacerdos, vt *de summa trini. c. 1. §. vna vero*. tunc igitur constituti fuerunt Apostoli à Christo sacerdotes, & non ante: quia cum presbyteri ordinati debeant ad conficiendum corpus Christi, opus erat istud prius præcedere: quia ante debet esse obiectum quam potentia, vt scribitur *secundo de anima*. Et ideo cum sacerdotium esset potentia ad conficiendum corpus Christi, & corpus Christi esset obiectum, necesse fuit præcedere ipsum Christi corpus, & demum sacerdotes creati sunt. & sic fecit Christus, quia primo se hostiam præbuit ipsemet existens sacerdos & corpus suum consecrando: & deinde dedit potestatem discipulis consecrandi. Si igitur omnes hanc potestatem à Christo immediatè acceperunt, ergo sic hodie quilibet sacerdos à Christo immediatè accipit. vnde in hac potestate ipsa non videtur ab alia dependere. potestatem autem in foro pœnitentiali soluendi & ligandi dominus Christus similiter Apostolis omnibus pariter concessisse videtur, vt 24. *q. 1. §. 5. autem. ver. si omnibus. & eadem. q. ca. loquitur. & 11. q. 3. c. nihil.* & dicendum est, quod post cænam data fuit hæc potestas, quia ante cænam, vt dictum est, Apostoli non fuerunt sacerdotes. vnde potestatem soluendi & ligandi habere non poterant, quæ sola est concessa sacerdotibus, vt est tex. Ambro. *de pœ. di. 1. c. verbum*, vbi, *ius enim. hoc solum permissum est sacerdotibus*, & eadem *di. §. ex his. versi. si solis sacerdotibus*. Nec obstet illud quod habetur Matth. 18. *quodcumque ligaueritis super terram erit ligatum & in cælis*. quod verbum ante cænam videtur fuisse prolatum: quia illa tunc non fuit concessio sed promissio, sicut cum dixit Petro, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo* &c. &, *tibi dabo claues* &c. vt dixi supra in quæstione, *cui hæc potestas donata fuit*. Sufficit ergo, quod hæc potestas omnibus à Christo data est. sed inquirere, quando fuit data, nunc opus non est: quia in hoc sunt variæ sententiæ, in quo videnda sunt quæ refert Beatus Thomas 4. *senten. di.* 24. sufficere igitur videatur quod etiam in hac potestate vnus ab alio dependere non videtur, nisi à Christo immediatè.

CAPITVLVM V.

De potestate pontificali idem videtur dicendum, quod omnes Apostoli fuerunt episcopi, & à Christo immediatè constituti videntur vt text. 21. *di. in nouo*, dum dicitur, *cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt*. ergo fuerunt, sicut & Petrus, tunc episcopi: aliter non fuissent tunc pari consortio & honore & potestate constituti, quia maior est honor episcopi quam presbyteri. 89. *di. ad hoc in fi. & 93. di. ca. quamuis cor episcopis. & 93. di. legimus:* ibi, *quid enim facit* &c. no. *de consue. c. quanto*. Item quia episcopi successerunt loco Apostolorum, 68. *di. quorum ergo*. igitur Apostoli per Christum episcopi fuerant. Et ideo de Iuda dicitur, quod *episcopatum eius accipiat alter*, vt legitur 64. *di. c. porro*. vbi glo. & habetur *Actuum* 1. ergo habuerunt ordinem episcopalem à Christo, quia viuente Christo Petrus non habuit principatum, nisi per promissionem, vt dixi supra in *secundo principali dubio*, quando tractaui de potestate pontificis. & Iudas ante mortem Christi laqueo se suspendit. *de pœni. di. 3. c. scelerator*. ex quo infertur, quod si Iudas fuit episcopus, & Apostoli Christo viuente fuerunt episcopi, & Christo mediante, & immediatè à Christo, non per Petrum, quia (vt dixi) principatus in executione non fuit traditus Petro, nisi post mortem Christi: & discipuli in vita Christi fuerunt episcopi. igitur constituti sunt à Christo, qui fuit & erat verus sacerdos summus, & non à Petro, qui nondum erat nisi in promissione summus episcopus. Et hanc sententiam videtur sentire Augustinus in libro *de quæstionibus noui & veteris Testamenti*, vbi dicit, quod *Christus omnes Apostolos fecit episcopos*. Et hæc sententia probatur per tex. *de summa tri. c. 1. §. vna*, vbi dicitur, quod *sacramentum Eucharistiæ nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui iure fuerit ordinatus secundum claues ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis Iesus Christus*. Sed constat, quod sacerdos non ordinatur à claue sacerdotali, sed solum ab episcopali: ergo videtur quod Christus Apostolis tradidit claues episcopales, à quibus solis presbyteri ordinantur. Ex quibus omnibus videtur inferri, quod cum omnes potestates Apostolorum fuerunt à Christo Apostolis immediatè concessæ, quod similiter habeant hodie episcopi à Christo immediatè. Et sic in talibus potestatibus nullam habeant à Papa dependentiam. quod insinuatur, quia si à Papa & ab homine haberet talem ordinem episcopalem, deberet posse ab eo tali ordine priuari. quod tamen est falsum, vt nota. in *c. quanto. de consue.* no. in *ca. manus. de conse. di. 5.* Infertur igitur ex prædictis primo, quod omnis ecclesia siue potestates non videntur à Papali potestate habere dependentiam. Item quod ad bene mundi viuere non est opus esse vnam summam potestatem, à qua cæteræ oriantur vel dependentiam habeant. Et ex his videtur inferri, quod omnis potestas sit principaliter in tota ecclesia & in concilio vniuersali ipsam repræsentante, quam in solo Papa, cum potestates eas Christus concessisse videatur omnibus Apostolis & non soli Petro: & ideo maior videtur potestas concilii vniuersalis, quam Papæ ipsi forsitan aduersantis. de hoc infra dicam in quæstione, *quæ sit maior an sententia Papæ vel concilii se opponentis*.

Prædi-

Prædictis tamen non obuiantibus veritas se ad oppositum, quod sic insinuatur. vbi pluralitas, ibi plurimum discordia, *de pœni. di. c. 2. quando Adam.* Et ideo Deus secundam diem diuisit, & in ea nil fecit designans duplicem numerum malum, qui nos ab vnione diuidit. 32. *quæst. 1. c. nuptia.* hæc est etiam ratio, quare hominem vnum à principio tantum creauit, vt designaret in vnico melius consistere dominium, & vnitatem magis probabilem esse quam pluralitatem, 33. *quæst. 5. c. hæc imago.* & vt ostenderet quod sicut naturale est vt multitudo ab vnitate procedat, sic econuerso ipsa multitudo procedens ab vnitate ad ipsam vnitatem reducatur, *d. c. hæc imago.* præsertim in regno, quod regnum regulariter non capit duos iuxta sententiam prudentium dicente Lucano:

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

& ideo propter pluralitatem & duplicitatem in re ergo Romulus interfecit fratrem Remum, *l. fi. ff. de rerum diui.* quia communio plurium discordiam parit, *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de le. 2.* Quod fuit ostensum in vtero Rebechæ. Nam Esau & Iacob inuicem ratione pluralitatis in vtero pugnauerunt, 7. *quæst. 1. in apibus.* Et inquit Tullius de offi. dicens enim quod est relatum apud Heremum quod *nulla sancta societas nec fides regni est.* Quare melius est vnum esse principem quam plures secundum philos. hæc sententia patet discurrentibus ordinationes naturæ. Nam in vno homine indiuiduo, qui dicitur minor mundus, & ideo dicitur microcosmus secundum philo. 6. *Physicorum*, omnia in ipso melius se habent, cum ipsa omnia in homine consistentia ad vnum reducantur. Nam siue consideres partem corporalem & corruptibilem variis membris distinctam, vt *de hæreticis. c. cum ex iniuncto*, omnia ipsa membra & totum corpus & eius partes viuificantur à corde, & ab ipso ortum & principatum habent, & membra à corpore separata vel cordi non respondentia putrescunt, arescunt, 23. *quæst. 7. quemadmodum. & 24. quæst. 1. loquitur. ff. de vsu. ca. l. rerum mixtura.* Nam secundum philo. in libro *de differentia spiritus & animæ*, in corde principaliter est sedes animæ, quæ anima corpus viuificat, *de pœni. di. 1. c. si ante. & ca. si resuscitatus.* & idem est in omni re animata, quæ composita ex pluribus elementis diuersis vno spiritu & anima continentur, *d. l. rerum mixtura. ff. de vsu. ca.* & resoluta illa anima, elementa illa dissoluuntur in illo indiuiduo. quia, vt dixi, anima corpus viuificat. Et ideo scribitur circa finem *primi de anima*, quod anima magis retinet corpus quam econtra. Siue autem consideremus in homine similiter partem ipsam perpetuam & incorruptilem, quia homo in seipso interior est homo, prout habet animam, vt *de con. di. 4. c. ideo.* ex quo tunc etiam in eo esse debet virtus intellectiua regulans & regens omnes potentias sensitiuas: siue sint potentiæ sensitiuæ exteriores, vt visus, gustus, tactus, auditus, olfactus, de quibus in *prohœmio decretalium*, siue sint sensus communes interiores, vt fantasia cogitatiua & memoratiua, de quibus philosophus in *secundo de anima*, & aliqui ponunt *de testibus. c. cum causam.* Nam tunc bene se habet homo, cum virtus ipsa intellectiua bene regit & gubernat omnes alias potentias sensitiuas. Nam tunc datur pax & vnitas in anima humana. & homo virtuosus existit, vt in *clem. ad nostram. versiculo secundo de hæreti.* Sed si homo cum intellectu non regulat sensus, ita quod in eo non sit prædominans virtus intellectiua, sed permittat intellectum præueniri ab appetitu, & vinci, tunc homo est malus & non virtuosus, nec habet in se vnitatem & pacem. vnde sciendum, quod sensualitas est ab initio repugnans intellectui, tendens ad malum ab adolescentia sua, *Genes. 9. cap. & 12. quæst. 1. omnis ætas. & 20. quæst. 3. pro chuis.* & in *prohœmio decretalium.* Et humana natura ex sensualitate, & homo quandoque prolabitur ad delicta, in *auten. de moniacis. §. si vero.* Nam sensus vnum appetit, intellectus syllogizando in aliud tendit, regulans appetitum sensitiuum. Et hoc est quod inquit amplius ad Roman. 7. dum dicit: *Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* 30. *quæst. 1. si Paulus. & 6. di. palea. sed pensandum.* & ad Galat. 1. dicitur, *Caro concupiscit aduersus spiritum.* à principio igitur in homine est pugna propter passiones appetitus sensitiui repugnantes intellectui. vnde si virtus intellectiua prædominatur & obtinet in regulando appetitum sensitiuum, qui motus & victoria est naturalis, vt inquit Philosophus *secundo de anima*, tractatu *de motu & mouente*, & est quemadmodum si spera superior mouet inferiorem, tunc homo habet in se pacem & vnitatem, vt dicam statim. & si per contrarium foret, quod sensus superaret intellectum, nec esset virtus intellectiua prædominans, tunc esset perinde ac si spera inferior moueret superiorem: qui motus esset contra naturam, & esset homo in seipso dissonus, & in guerra, & male compositus atque vitiosus, vt hæc probantur *de sacr. vnc. c. 1.* ibi: *Cuius pars superior ratio est, inferior sensualitas.* Et Prosper ostendit *de vita contemplatiua*, dum dicit: *Dominetur viuens ratio, subiiciatur corpus animæ: & anima Deo: & impleta est hominis perfectio*, de pœni. di. 2. *c. corpus nostrum. & ... c. in salutibus.* patet igitur ex prædictis, quod vt hominis indiuiduum bene regatur, oportet quod virtus intellectiua, quæ in Christo habeat principatum regulans omnes potentias alias: & tunc illi homini conueniunt, quæ inquit Philosophus: *In virtuoso omnia consonant*: quia potentiæ sensitiuæ parent intellectiuæ, & parent delectabiliter: & in tali homine est tunc pax, vnitas & tranquillitas in sua humana anima. Si igitur sic est in vno homine indiuiduo, vt melius regatur, & se habeat vt omnes eius potentiæ reguntur per vnum, ita debet esse in toto vniuersali mundo similis ordinarie, vt inquit Philosophus 8. *Physic.* Si enim hoc contingit in vno indiuiduo, vt melius se habeat, cum intellectus prædominatur in eo, ita esse debet in tota humana specie, ne tota humana spes non bene se habeat, nisi cum omnes eius partes regulentur atque regantur

Digitized by Google

ab vno. Et hic erit monarcha, quia secundum philosophum. 1. *phisi. omnia quæ sunt vnius generis, reduci debent ad vnum, quod est in mensura eorum quæ sub ipso genere sunt* &c.

CAP. VI.

DOcetur & hæc sententia, quod sit vera. Nam sicut est in vno corpore naturali, ita est in pluribus mysticis corporibus. Nam si consideramus domum vnam: ipsa domus quidem melius per vnum seniorem regitur secundum Philosophum, & probatur. 12. *q.* 1. *ca. omnis ætas, & l. pronunciatio*, §. *familiæ ff. de verbo. signi.* sub vnius potestate: & no. 23. *q.* 4. *cap. duo ista nomina.* & ideo vir tanquam superior propriam vxorem corrigere potest, 7. *q.* 1. *c. sicut alterius.* Item pater iurisdictionem habet in filios, & in seruos etiam mercenarios, *l. serui & filii. ff. de fur. & l. respiciendum de pœnis. C. de pa. po. l. congruentius.* & idem de antiquiore domus, vt habeat aliquam iurisdictionem in cohabitantes in illa domo, vt *l.* 1. *C. de emenda. propinquo. & in. l.* 1. *C. de emenda. seruo.* Et idem est in aliis misticis corporibus vniuersitatum, quia melius se habent cum per vnum reguntur. Sunt enim secundum philosophum quinque communitates. est enim vna, quæ resultat ex pluribus domibus. Alia, quæ constituitur ex pluribus vicis: & ita est communitas ciuitatis, quæ secundum Philosophum est perfecta. quia si ciuitas est bene ordinata, in ea debet muniri quicquid necessarium pro hominis vita. Tertia est communitas prouinciæ, quæ consurgit ex pluribus ciuitatibus. Quarta est communitas regni, quæ resultat ex pluribus prouintiis. Quinta est totius, orbis, quæ constat ex omnibus mundi regnis. Prima igitur communitas vnius vici vel castri, seu oppidi in iurisdictione temporali & spirituali melius per vnum regitur. & ideò in vicis siue in parochiis spiritualiter sui presbyteri curam animarum habentes, vt in qualibet Ecclesia sit vnus presbyter, 13. *quæst.* 1. *cap.* 1. *& temporaliter sunt magistri*, quia in quolibet castro est magister, *l. item magistri ff. de pœnis*, & in *cap. cum contigat, de fo. compe.* Castra enim & aliæ coadunationes domorum vni ciuitati respondentes, dicuntur vici, *l.* 1. qui ex vico in quibus quolibet est magister vnus, vt in toto ti. *C. de magistris munici.* In ciuitatibus autem, quæ sunt secundum corpus mysticum communitas, in spiritualibus in singulis ciuitatibus singuli sunt Episcopi, 21. *di.* §. 1. *& insi.* 7. *q.* 1. *in apibus:* In temporalibus autem est vnus ciuitatis defensor, vt in *auten. de defen. ciui.* per totum. & *C. de defensori. ciui. l.* 1. In tertio autem mystico corpore prouinciæ siue communitates, quæ prouinciarum diuisio à Petro facta est, 80. *di. in illis.* sunt in spiritualibus Archiepiscopi. Nam in vnaquaque prouincia vnus est Archiepiscopus vel metropolitanus, vt 21. *di. cleros*, ibi: *Metropolitani* &c. & est tex. 6. *quæst.* 3. *cap. scitote.* Et in temporalibus præses vnus prouinciæ, vt in toto ti. *C. de offi. præsi. & ff. e. ti.* In quarto autem mystico regni siue vniuersitate sunt spiritualiter primates, qui singuli præsunt singulis regnis siue pluribus prouintiis, vt 90. *dicto capite* 1. & temporaliter præsunt reges.

Si igitur hæc omnia tam in vno indiuiduo humano corpore quam in misticis corporibus, & in his communitatibus propter vnitatē & bonū pacis stabilitas est, vt in singulis sit vnus regens & præeminens, vt plene hic omnia probantur. 7. *q. in apibus*: quanto magis hoc ipsum adueniens est etiam in toto ipso humano genere & orbe vniuerso, vt melius regatur per vnum, vt idem iuris sit in toto, quod in parte, 12. *di. c.* 1. *l. quæ de tota ff. de rei ven. & l. sed & si quis.* §. *fi. ver. sed & Iulianus ff. si quis cau.* præsertim cum sententia philosophi in politicis traditum sit quod *quotiens plura aliqua ordinantur ad vnū finem, necesse est vnum eorum regulare seu regere, alios verò regulari & regi per vnū.* Et hic ergo in spiritualibus hodie est Pontifex Romanus Christi vicarius, vt *de transla. ca. quanto.* Et in temporalibus est Cæsar Romanorum Rex, quia in Romana ciuitate vltimo Deus constituit diuinam & humanam monarchiam: & extra istam Ecclesiam & sanctam monarchiam, in qua consistit Ecclesia tota militans, non est salus. Et ideò omnes spiritualiter debent subesse Papæ, qui caput est Ecclesiæ militantis: & temporaliter sunt sub Cæsare: quia ad hunc finē duo hic Deus luminaria constituit, *de ma. & obe. solitæ.* Nec sunt hic infra in mundo duo principia quia esset hæreticum: sed quilibet est per se principiū vnum à Deo immediate dependens, vt dixi late in primo dubio huius operis. Ex quibus concludi manifestè videtur: quod inferius necesse est vnicā esse supremā potestatē, à qua summa omnes aliæ deriuētur. si enim in hoc in brutis aliquibus natura constituit, vt melius regantur per vnū, quia in apibus vnus est princeps, & aues grues vnā sequuntur: quanto magis hoc credendū est statutū fore à Deo in humano genere ipsum totum melius esse regi per vnum *d. c. in apibus*, cum homo excedat omnia irrationabilia propter ratione, 32. *q.* 2. *Moyses. & in cle. prima, de sum. tri.* Si enim hoc esset conueniens ipartibus singulis humani generis, vt omnes melius per vnum regantur, vt supra de domo, vico, & ciuitate atque prouincia & regno dictum est, multo magis sic esse debet in ipso toto humano genere, cum pars & ordo partium non debeat esse melior suo toto. Nam partes & ordo partium sunt ad totum tanquam ad finem: qui finis melior est ipsis partibus ordinatis ad finem, vt inquit philosophus 1. *Ethi.* Insuper quemadmodum omnes prædictæ partes humani generis melius respondent ad totum ipsum genus humanum semper regendo per vnum, sic ipsum totum humanum genus, quod est pars creaturarum Dei, dum melius respondere ad suum totum, quod est Deus, se etiam regendo per vnum. Sententia ista quod sit vera, probatur etiam hac forma: quemadmodum quilibet singularis homo bene se habet, cum summam attingit felicitatem: cum hoc sit vltimum bonum quæsibile in vita, vt inquit philosophus. 1. & 11. *Ethi.* sic est in toto humano genere, vt simul collectum tunc bene se habeat, cū summam attingit felicitatem. Et hic est finis, in quem homo tendere debet: qui finis consistit secundum

aliquos

est operatio, vt dicit ibi Philosophus, & probatur *de conse. di. 4. c. 1. & ff. de sa. vn. c. 1.* ibi: *Fides sine operib⁹ mortua est.* Sed operatio hominis perfectissima quæ continet totam hominis perfectionem, quę est in contemplatione & dilectione Dei, *de pæni. di. 2. c. caritas. & c. vnctio, & c. caritas est à qua. & c. pennata. & c. non reuertebantur:* quoniam finis hominis vltimus & perfectissimus est intelligere per intellectum possibilem, & contemplari atque speculari per intellectum speculatiuum summū bonum secundum Philosophos, vt probant iura prædicta. sed hæc speculatio non potest benè fieri nisi in tempore & statu pacifico & tranquillo. vnde dicitur, quod homo sedendo & quiescendo fit prudentior: sic est in toto humano genere, vt non possit esse in vera speculatione, nisi cum magna tranquillitate & pace: quia finis ille, qui est finis vnius, cuius est totius etiam ciuitatis, vel totius regni, vel totius humani generis sub vno regno vel dominio aggregati secundum Philosophum. Sed hæc pax & tranquillitas non potest haberi commode, nisi sint vniuersi sub vno principe propter vinculum vnionis & indissolubilis caritatis, vt 24. q. 1. *loquitur.* Et quia hanc pacem & vnitatem potest melius facere & causare illud quod est per se vnum quam illud quod est in plures distinctum: & propter vitare pluralitatē, quæ pacem tollit & discordias parit, vt supra in *cōfirmatione partis huius* adduxi & plene probaui. Et ideo proprius finis legislatoris & principis istius vnici subditos in tranquillitate, bonos & honestos in vnitate custodire, vt habetur in *prohemio decretaliū.* Et ex hoc illud etiam descēdit, quod Christus summus sacerdos noster & verè rex fecit, cum primum in mundū ad nos suos subditos venit. Nam volens denotare futuram Dei summam contemplationem & pacem, primum per cæleste tubam intonuit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* & de conse. di. 1. c. in ius & c. hi duo. In quibus verbis Christus denotauit contemplationem summam de Deo fiendam esse cum pace & tranquillitate optime speculantium.

CAPITVLVM VII.

HAnc sententiam fore veram duæ illæ confirmationes demonstrant, quas retuli *secundo & tertio argumento in primis argumētationib. primi dubii operis huius:* in quibus insinnaui supernā Ierarchiā cælestem vno immobili motore omnium regi per diuersos Angelorum Deo obsequentiū ordines, ipsi tamen vni Deo parentes, 88. *di. ad hoc*, sic & nos pariformiter inferiores per vnum regi debemus, cum ad imaginem & Dei similitudinem creati summus, 33. *q. 5. c. hac imago*, vbi hanc sententiam docet manifestissime Augu. Et ideo Christus vnicam ecclesiam constituit, & non plures, vt designaret vnicum esse debere ecclesiæ sponsum; & non plures *d. c. loquitur* 14. q. 1. quia, vt iam retuli, Hierusalem terrestris, id est ecclesia militans, similis esse debet ecclesiæ triumphanti vt inquit Iohan. in Apocalyp. dicens: *Vidi Hierusalem sanctam de cælo descendentem*, id est, ecclesiam militantem triumphāti similem. Sed per id ecclesia militans magis assimulatur triumphanti ideo, cum magis de esse ipso diuino participat, vt in *c. damnamus de sum. tri.* sed tunc magis participat de esse diuino & de triumphanti ecclesia, cum ipsa militans per vnum regitur, quemadmodum cælum & ipsa triumphans cælestis ecclesia regitur. Ista etiam sententia ostenditur esse de mente Dei. nam Deus populum suum voluit regi per vnum. igitur in *libro regum* legitur, quod cum 10. tribus scissæ fuissent à tribu Iuda & à tribu Benyamin, & relicto proprio regē, constituissent sibi foris alium regem Ieroboam: quod ipse Deus indignatus omni semini Israel, quia dissipatus est à domo Dauid, & sibi constituit alium regem, vt hæc habentur, 7. *q. 1. c. denique.* Ex quibus insinuatur, quod melius est regi per vnum. & hoc inquit Philosophus 12. *Metha. in fi.* dum dicit: *Entia nolunt male disponi, pluralitas principatuum mala: vnus ergo princeps.* & est ratio: quia vbi vnitas, ibi pax. & qui vnitatem non quærit, pacem refugit, 7. q. 1. *nouatianus.* Et quia id est perfectum, quod constat ex omnibus suis partibus, & vnum constituit, *l. 1. Digest. de ori. iur. 7. q. 1. nihil facit l. 1. §. huius studii.* in glo. in verbo *quod ad statum, ff. de iusti. & iur.* Et est ratio, quia virtus vnica est fortior sua dispersa. patet, quia si multi trahunt nauim, nisi vtantur in eodem tractu, nunquam trahunt, *ff. ad l. aquil. l. ita vulneratus*, in fi. Et ideo si omnes potentiæ congregantur in vnum, melius & virtuosius operantur. Et ideo concluditur, necessarium esse debere vnum principem, ad quem omnes alii vt inferiores principes ordinentur: alias sequeretur, quod pluribus paribus existentibus si inter eos litigium oriretur, non esset inter eos iudicem dare, cum par in parem non habeat imperium, *ff. de arbi. l. nam Magistratus.* quod esset absurdum, cum esset dare imperfectionem sine proprio proficiente, quod est impossibile: quia Deus & natura in necessariis non deficit, vt inquit Philosophus *3. de anima.* Est igitur necesse, vnum esse supremum iudicem, qui omnes iudicet, & à nemine iudicetur. quo dato, in terris pax foret incommutabilis eo durante, cum non haberet alium pluralem cum quo litigaret vigeretque iustitia cupiditate cessante inimica iustitiæ, cum ipsa monarchia nil haberet quod concupisceret, cum omnia sua terrena forent. & populos suos ab eo iuste dilectos in propria libertate eorum tueretur, *C. de offi. præfec. præto. afri. l. 1. in prin.* Hoc etiam ostenditur in hostilibus bellis. Nam cum principes mittunt exercitus contra hostes, in vnoquoque exercitu constituunt vnum capitaneum principem, cuius mandato omnes pareant, vt patet *Digest. de milit. l. exercitium & Digest. ad iul. maie. l. lege iulia.* ibi; *iniussu principis bellum gesserit.* Et patet *Gen.* 27. quia Abimelech rex habuit principem exercitus, & *Genes.* 39. dicitur, quod Pharao habuit principem exercitus: sic esse debuit in ecclesia terribilis vt castrorum acies or-

Digitized by Google

dinata, & in qua Apostoli fuerunt cælestis aulæ milites, habentes arma spiritualia, & specialiter gladium sancti spiritus, quod est verbum Dei, vt esset vnus aliorum militum Dei caput & princeps: & hic vtique post Christum fuit Petrus.

Vltimo partem hanc veram esse confirmo. Deus perficere quærit humanum genus perfectione gratiæ sicut ipse perfectus est perfectione naturæ, vt in decreta. *damnamus. de sum. tri. & fi. ca.* Sed Deus perfectissimus entium, vt inquit Philosophus 12. *metha. c. monet autem.* & habetur *de bap. c. maiores*, per id maximè perfectus est, quod est ens maximè vnum, & maximè bonum, secundum Philosophum. & probatur in d. decre. *damnamus*, ibi: *Volo pater vt sint vnum sicut & nos vnum sumus:* & iuxta illud: *Audi Hierusalem Deus tuus vnus est.* Et ideo quanto quis magis vnitati appropinquat, tanto magis appropinquat primo principio & perfectionem attingit. Et ideo virtuosi in seipsis vniti sunt, quia (vt dixi) in virtuoso omnia consonant: & adhæret Deo, & vnus spiritus est cum illo, vt in d. decreta. *damnamus.* Et vitiosi & mali non sunt vniti, sed in seipsis discrepant, quia sensitiua discrepat à virtute intellectiua. & sic non sunt in vnione & conformes primo principio, sed in seipsis sunt mali. Et ideo nil aliud est peccatũ & malũ, quam progredi ab vno spreto ad plura, vt probat tex. in *c. ergo. de pœni. di. 2.* ibi: Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus Deũ diligit: & sic spernit Deum vnum, & currit ad multa: puta ad amorem proprii corporis plus quam humana requirit fragilitas, vt *ea. di. c. corpus nostrum.* Vnde infertur, quod id est summum bonum, quod est maximè vnum: & id est in se bonum, quod est maximè vnum. Et ideo Pithagoras in correlationibus suis ex parte boni ponebat vnum; ex parte mali ponebat plura. Et hoc etiam Psalmista docet dicens: *A fructu frumenti vini & olei multiplicati sunt.* : ostendens quod propter hæc bona ab vnitate recesserant, & peccantes multiplicati erant. Ex quibus infertur, quod optima bonitas in vnitate consistit. Et idem Christus quærens perficere ecclesiam suam orat: *Pater rogo vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus*, id est, quod vna esset ecclesia, vnus populus Catholicæ fidei, & tandem vnum regnum propter vnionem indissolubilis caritatis, vt in d. decre. *damnamus. de sum. tri.* Et hanc vnitatem esse quærendam insinuant verba Beatissimi Augu. super Psalm. 121. dum dicit. *Vnus est Christus: non ille vnus & nos multi, sed & tres multi in vno vnum, vt vnum sit Christus caput & corpus.* Et idem in Psalmo 49. *Omnis enim homo in Christo est vnus homo: & vnitas Christianorum vnus homo.* Et in sermone 27. super Iohannem, vt doceret omnium fidelium esse debere integram vnitatem, inquit: *Vnitas nos compaginat, & tanta ei vnitate astringimur, vt ipse & nos simus vnus & integer Christo.* Et in Psalmo 138. inquit: *Ipse est caput nostrum.* & vtique si caput est, corpus habet. Corpus autem eius est sancta ecclesia, quæ coniunx eius est. cui dicit Aposto. *Vos autem estis corpus Christi & membra.* totum itaque corpus, Caput etiam corpus, tanquam integer vir, vt est tex. *de sa. vnc. c. 1. & hoc vnguento.* idem glo. super verbis Apostoli ad Ephe. 4. ibi, *donec occurramus capiti Christo in virum perfectum:* ita quod *nos omnes scilicet caput & membra simus perfectus vir, cui nil desit.* Idem etiam vult Augu. Psalmo 18. Ex quibus concluditur, quod omnis multitudo optima dispositione ad vnitatem reducitur. Et ideo non nisi congregatis in vnum dictum est: *Accipite spiritum sanctum*, 24. q. 1. si autem. Item est scriptum: *Ecce quam bonum & quam iocundum, fratres habitare in vnum*, 12. q. 1. c. dilectissimus. *Et multitudinis credentium debet* esse *cor vnum & anima vna*, vt dicta decreta. damnamus, & 12. q. 1. c. sancimus. Ex his igitur patet, quod vnitas maximè quærenda & tenenda est. 1. *q.* 1. *teneamus.* Et hæc nos mirabiliter docuit Christus, cum corpus & sanguinem suum nobis tradidit in sacramentum, in quo vnitatem & pacem nobis designauit, vt essemus vnum in vna fide, pace & caritate, *de conse. di. 2. c. quia passus. & c. ita Dominus noster. & c. hoc est sacramentum. & 23. q. 3. c. ipsa.* Et hac de re, & vt hanc conseruaret vnitatem vnicam, constituit vniuersalem ecclesiam militantem & non plures: cui, vt conseruaretur vnitas, non omnes Apostolos vniuersaliter præfecit, sed Petrum præ omnibus principaliter principem constituit, 24. *q.* 1. *loquitur. & 22. di. c. 1.* vbi probatur, quod Christus Petrum principem Romanæ ecclesiæ præfecit, vt omnes aliæ potestates ab ipsa vt dependentes auctoritatem exciperent ad consecrationem vnitatis: quia secundum sententiam Apostoli: *nos sumus omnes vnũ corpus, vnus spiritus, & vna spes vocationis, & vnus est Dominus, vna fides, & vnũ baptisma, & vnus Deus*; quam vnitatem firmiter tenere debemus *d. c. loquitur.* sed quia ecclesia erat & est vnum corpus mysticum, 3. *q.* 4. *Engeldrudam*, ideo debet habere caput: & hic est papa, 9. *q.* 3. *aliorum.* Necesse est ergo ad consecrationem debitæ vnitatis, vt vnus omnium princeps sit à quo omnes aliæ potestates proficiscantur, sicut ab vno sole radii multi, & ab vna radice & stipite arboris rami multi, & ab vno fonte riuuli multi, *d. c. loquitur.* Ex quibus concluditur ad benè mundi viuere necessariam esse vnicam supremam potestatem, à qua omnes aliæ deriuentur. Et hanc constituit primum Christus in Petro, vt 22. *di. c.* 1. *& c. sacrosancta.* 22. *di. quamuis*, cum ei dixit: *Pasce oues meas.* de elec. significasti. in fi. & cum ei soli claues tradidit regni cælorum 23. *q.* 1. *si autem.* Et hodie habemus de necessitate dicere, quod est in Petri successore: aliter negares vnam sanctam Catholicam & Apostolicam ecclesiam, quod esset hæreticum. quare dicendum est, quod ecclesia Romana sit principalis summa, à qua omnes aliæ initium sumunt, 22. *di. c.* 1.

Ad contraria modo respondeo, & primo dico: quod si homines stetissent in statu innocentiæ, in quo Adam creatus fuerat, necessariæ potestates non fuissent, quæ sunt inductæ ad vindi-

vindictam malorum, laudem vero bonorũ *de maio. & obe.* Sed quia serui facti sunt peccati, & plures sunt peccantes quam boni, ideo fuit opus ponere potestates 22. *di. deinde.* Et vitia & virtutes faciunt distinctiones in hominibus.

Secundæ rationi respondetur: quod quamuis hæc vnica suprema potestas debeat omnibus præesse & toti ecclesiæ, non tamen sic debet intelligi, vt singula iudicia cuiuscunq; minimi oppidi ab ipso immediate procedere debeant, sed per alios plures secundum regionum diuersitates debet regere, sicut fit in Ierarchia super cælesti, in qua innumerabiles intelligentiæ vni Deo parent, 94. *di. ad hoc.* sic etiam fit in hoc monarcha inferiori. & ideo, vt supra dixi, Petrus constituit sacerdotes, & in singulis ciuitatibus episcopos, & in prouinciis Archiepiscopos, & in regnis Primates, 80. *di. in illis.* Et ita in temporalibus fecit etiam Cæsar: quia præfecit etiam præsides prouinciarum, & in ciuitatibus defensores, vt supra dixi. & papa quædam maioribus tantum communicauit, vt episcopis facultatem ordinandi & conficiendi crisma, & similia: quædam præsbiteris dedit, vt facultatem conficiendi eukaristiam, & prædicandi: & alios ordines præfecit, de quibus 21. *di. cleros.* Quædam sibi reseruauit, vt causas maiores fidei. Et similiter Cæsar quædam sibi reseruauit, vt impositiones vectigalium, *l. vectigalia. C. noua vectiga.* Quædam tantum maioribus concessit. Istæ tamen concessiones non sunt peruiam, vt papa vel Imperator tales potestates concedendo à se abdicent, vt probat tex. in decreta. *damnamus. de sum. tri. ver. sed nec dici potest.* vnde respondetur, quod princeps, licet sit vnus, debet habere coadiutores, administrantes, & etiam secum plurimos consiliarios, prout habet papa & Imperator, nam papa cardinales habet, quorum consilio debet, quæ agere habet expedire. Imperator habet senatores, vt no. *C. ad l. iul. maie. l. si quis cum militibus,* canonisata: 6. *q.* 1. *si quis cum militibus,* vt possunt multi videre & benedicere vere: & sic omnia contraria primo facta non obstant.

Argumenta autem facta, quod Christus potestates, quas concessit, videtur pluribus pariter contulisse, non vni, respondetur: quod *quamuis Christus has potestates concesserit Apostolis, tanquam supremus & verus sacerdos magnus, tamen ita ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet.* Ista sunt verba Beati Leonis posita 19. *di. ita Dominus noster,* & transumptiue *de elec. c. fundamenta li. 6. ver. huius autem muneris.* Et licet has potestates non habuerint à Petro, sed inceperunt à Christo, tamen Christus tanquam summus sacerdos contulit; vt sub Petro futuro in sacerdotio Christi successore ipsis vterentur. vnde Apostoli omnes Petro deferebant, sicut fecit Iohannes qui fuit maior post Petrum. nam primum miraculum factum per Apostolos post spiritus missionem fecit Petrus *Actuum* 3. Item legitur in Gestis, Simonis magi, quem dæmones per aerem portauerunt, quod Paulus detulerit Petro. Et quod etiam citra potestatem miracula faciendi maior fuit Petri potestas, ostenditur: quia Petrus vmbra sua sanabat infirmos *Actuum* 5. *cap.* quod de aliis Apostolis minime legitur. Item antè passionem non erant discipuli sub Petro, quia Petrus nondum erat sacerdos summus nisi in promissione, sed non in actu: sed tum viuente Christo ipse Christus erat sacerdos summus, & sub eo erant Apostoli, & ab eo potestatem accipiebant. Et hoc modo dici poterant esse in pari consortio cum Petro 21. *di. in nouo.* post resurrectionem & potestatem datam summi sacerdotii Petro per verba illa: *Petre, si me diligis, pasce oues meas,* de elec. significasti. in fi. tunc facti sunt Apostoli Petro inferiores; sub eo iam facto summo sacerdote, sicut erant sub Christo. & ideo in prædicando Apostoli sibi deferebant: vnde in penthecoste sermonem fecit Petrus *Actuum* 2. *cap.* Et ideo dicit tex. 21. *di. in nouo:* quod Petrus Apostolos ad fidem prius virtute suæ prædicationis adduxit. Sic ergo Petro post Christum per prius data fuit omnis potestas. nam voluit quod esset vnum ouile & vnus pastor. vnde nullus nisi Petrus auctoritatem habet oues pascere aut regere. quare ipsius fuit Petri alios pastores vocare in partem solicitudinis. Et idem de omnibus aliis clericis & ecclesiæ ministris, quamuis ipse Petrus non faciens per se immediate potuerit committendo aliis hæc facere, prout Act. 3. legitur, cum dixit: *considerate viros boni testimonii ex vobis: & ipsi elegerunt Stephanum.* Et etiam quamuis interdum cum consilio fecerit aliorum, sicut etiam hodie papa multa facit cum consilio cardinalium 6. *quæstio.* 1. *cap. si quis cum militibus,* quæ est *l. si quis cum militibus. Digest. ad. l. iul. maie.* vt supra dixi. * Similiter Moyses, quamuis habet per se potestatem eligendi officiales in populo, dedit tamen ipso populo auctoritatem, dicens: *Date ex vobis viros sapientes* &c. vnde concluditur, quod papa omnes potestates ecclesiasticas potest & habet ordinare, licet possit aliis etiam committere. & ideo collegia ecclesiarum, præsertim Cathedralium, sibi eligunt rectores, vt no. *de elec. cap.* 1. *& c. tum ecclesia Vulterana.* ad papam etiam pertinet potestas diuidendi diœceses & prouincias, 80. *di. in illis.* & dicam infra in ea quæstione, *circa quæ possit ipsa potestas papæ.* Ex quibus omnibus concluditur, quod omnis potestas post potestatem papæ est à papa dependens, & ab ipso debet instrui & regi mediate, si vult, vel immediate, vnde papa licet conferat ordinaria beneficia suæ diœcesis, potest tamen ipsis ordinariis præiudicare & conferre omnia beneficia in quacunque diœcesis mundi consistentia, etiam antequam vacent, de *de rescript. c. litteras.* & dat ius ad vacatura beneficia etiam spectantia ad collationem ordinariorum, *de conces. preben. c. proposuit.* Et potest in collatione præuenire ordinarios, *de preben. dudum. & cap. quamuis. 2. libro 6.* Et claudere manus ordinariorum per suum decretum;

de conceſ. præben. c. 1. *& c. ſicut. & c. ſi ſoli. li.* 6. quæ iura ſunt in prædictis rationibus fundamenta: quia omnis poteſtas ordinariorum pendet à poteſtate pontificis: & omnia per prius ſunt in ipſius pontificis poteſtate, & ab ipſo omnes aliæ dependent poteſtates, vt 12. *di. cap.* 1. Et dum dicitur: ergo ſi epiſcopales omnes poteſtates ſunt à papa, deberet poſſe epiſcopos priuare & facere deſinere eſſe epiſcopos: quod tamen videtur falſum. Reſpondetur: & primum eſt conſiderandum, quod in hoc ſunt opiniones; an à Chriſto Apoſtoli omnes cum Petro facti fuerunt epiſcopi, vel à Petro tantum epiſcopi conſtituti ſunt: quod vltimum ſecundum aliquos verum videtur per tex. 67. *di. cap. porro*, vbi probatur, quod Iacobus frater Domini ſecundum carnem à Petro, Iacobo & Iohanne Archiepiſcopus Hieroſolymitanus conſecratus eſt. Item quia omnes Apoſtoli poſt cœnam Paſcæ videntur tantum fuiſſe ſimplices ſacerdotes, nec viuent Chriſto videbatur eſſe differentia inter epiſcopum & ſacerdotem, vt probatur 95. *di. olim.* ſed ſciſmata, quæ ſurgebant, fuerunt cauſa, quod vnus ſacerdos epiſcopi nomen aſſumens, aliis præferretur: & hæc prælatio & quo ad nomen epiſcopi & quo ad adminiſtrationem videtur facta fuiſſe à Petro, non à Chriſto, vt no. 93. *di. legitur.* Ex quibus videtur, quod gradus epiſcopalis in aliis à Petro inceperit, non à Chriſto. Et in hac ſententia videtur reſidere glo. in *d. c. legitur*, in verbo, *poſtea.* ſi enim fuiſſent Apoſtoli omnes epiſcopi conſecrati, non fuiſſet Iacobus à Petro, Iacobo & Iohanne iterum conſecratus: quia ſicut ſemel baptiſatus non debet amplius baptiſari, vt in toto ti. *C. ne ſanctum baptiſma reiteretur*, ita nec ſemel conſecratus iterum conſecrari deberet, 68. *di. c. ſicut ſemel.* Et ideo in hac materia has pono concluſiones: quod quamuis ſacerdotalis ordo viuente Chriſto incœperit in die cœnæ, epiſcopalis vero ordo non incepit niſi poſt reſurrectionem, & à Chriſto incœpit ſolum in Petro cum ipſi dixit: *Paſce oues meas.* 8. q. 1. in ſcripturis. nam vt plures ſupra dixi, ante paſſionē Petrus non fuit conſtitutus epiſcopus vel ſummus pontifex, quia ipſe futurus erat vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus, & viuente Chriſto, qui verus ſacerdos eſſe poterat ipſe pontifex, ne duo conſolidum in eodem corpore miſtico eſſent pontifices, & habuiſſet eccleſia duo capita: quod fuiſſet monſtrum. Sed poſt paſſionem, cum à mundo Chriſtus diſceſſurus erat, conſtitutus fuit epiſcopus Petrus à Chriſto, & ſolus ipſe. & hoc eſt quod dicitur tex. 21. *di. in nouo*, quod Petrus poteſtatem prius accepit: & quod ei primo pontificatus in eccleſia Chriſti datus eſt. & hoc modo debet intelligi tex. 95. *di. c. olim*, dum dicitur: quod *olim non erat differentia inter nomen ſacerdotis & epiſcopi.* Nam illud debet intelligi ante paſſionem vel incontinenti poſt paſſionem antequam Petro fuiſſent dicta illa verba: *paſce* &c. & ita ſentit Archi. & Lauren. in *d. c. legitur* 93. & ratio: quia ante paſſionem fuerat ſacerdotium, ſed non epiſcopatus. Et hoc probat tex. in *d. c. in nouo*, dum dicit, quod *ordo ſacerdotii*, id eſt, ordo pōtificalis: quia falſum eſſet dicere, quod ordo ſacerdotii inceperat à Petro, quia omnes tenent, quod à Chriſto iam facti erant Apoſtoli ſacerdotes per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: vel melius ibi dicit tex. poſt Chriſtum ordo ſacerdotalis cœpit à Petro, quia Petrus poſt Chriſtum remanſit ſolus primus pontifex: vnde etiam ſacerdotalis ordo ab eo habet principium vt à ſummo pontifice. Sed ſecundum primam expoſitionem ibi eſt tex. quod à Domino pontificatus primo Petro datus eſt: & deinde pontificalis ordo poſt Chriſtum ſcilicet in cæteros Apoſtolos incœpit à Petro. Nec ob. quod in prima epiſtola Petrus dixerit & vocauerit ſe presbyterum dicens: *Precor ego compresbyter & teſtis paſſionum Chriſti:* quia non per hoc ſe negauit ſummum pontificem & epiſcopum, ſed ex humilitate ita locutus eſt. vnde conſecratio Iacobo in epiſcopum Hieroſolymitanum, fuit vera conſecratio, de qua in *d. c. porro.* 77. *di.* Et falſa eſt opinio dicentiū ibi, quod ideo ſic conſecrauerunt eum, vt deſignarent ſolum formā futurā ſeruandam in aliis epiſcopis conſecrandis: quia (vt dixi) ſi iam fuiſſet conſecratus, non debuiſſet iterum conſecrari. *d. c. ſicut ſemel* 68. *di.* nec fingenda erat conſecratio falſa propter oſtendere formam veræ conſecrationis: quia abiiciēda ſunt falſa remedia, quæ veris periculis ſunt grauiora, *de cele. miſſa. c. de homine.* Et ideo Paulus repræhendit Petrum fictionem ſimilem facientē, 2. *q.* 7. *Paulus.* & quia poterat Petrus ipſam formam conſecrandi exprimere verbis, non tales fictiones facere. Ex quibus infertur, quod Iacobus adhuc non erat epiſcopus: & ideo à Petro & aliis conſecratus eſt. Nec etiam eſt vera ſententia dicentium, quod fuit in Archiepiſcopum conſecratus, vt tex. ſonare videtur: cum tamen eſſet prius epiſcopus. nam hoc falſum eſt: quia ſi epiſcopus viſibiliter conſecratus Archiepiſcopus vel patriacha vel etiam papa crearetur, conſecratio in eo reiteranda non foret, vt in *d. c. ſicut ſemel.* licet ſi foret tantum inuiſibiliter vnctus à Deo, deberet nihilominus iterum viſibiliter inungi & conſecrari, & ideo ſanctificati in vtero: velut habentes baptiſma flaminis, ſunt nihilominus baptiſandi. Et ideo dato, quod Apoſtoli recepiſſent ſpiritum ſanctum in die penthecoſtes, Chriſti gratia inſlante & de cælo mittente, tamen non fuerunt ſacramentaliter propter hoc epiſcopi conſecrati: vnde erant ex integro conſecrandi. & ita debet intelligi Hugo, de quo in *d. cap. porro.* 66. *di.* Et ex his patet, quod ſi fuerat prius Iacobus epiſcopus conſecratus non erat iterum conſecrandus, quamuis foret promotus Archiepiſcopus. & ſi diceretur, quod eum conſecrauerunt, id eſt, Archiepiſcopum promouerunt, non eſſe benè dictum: quia promotio potuiſſet fieri à ſolo Petro pontifice, ſiue in promotione, ſiue in pallii conceſſione, vt in toto ti. *de transla. epi.* & in ti. *de auctori. & vſu pal.* vel ſi dicerent de promotione inferiorum à pontifice, puta de poſtulatione illa fit ſolum à capitulo eccleſiæ Cathedralis, vt in

d. c. 1.

d.c.1.de elec. Nec fuisset opus, quod essent tres episcopi. similiter nec aliorum reprehensio tenet, quod Iacobus iam esset consecratus à Christo episcopus. Sed quod illa Petri & aliorum fuit intronisatio vel determinatio ad certum locum poterat fieri à solo Petro sine aliis duobus. & hodie potest fieri à solo papa 80. *di. in illis*: & in toto ti. *de translat. prela.* Item intronisatio fit ab Archidiacono, vt in *c. vt nostrum. de offi. Archi.* etiam sine episcopo, pari ratione ordinatio videtur posse fieri: quod est falsum. Item istæ responsiones non sunt bonæ: quia tex. dicit in *c. porro*, quod Petrus, Iacobus & Iohannes consecrauerunt alium Iacobum, vt daret formam futuris consecrationibus episcoporum. vnde non potest de postulatione vel intronisatione vel ad alium locum translatione, quæ non haberet conuentum consecratione. Ex quibus infertur ad conclusionem primo datam: quod alii Apostoli non fuerunt facti à Christo episcopi, nisi solus Petrus: & alii Apostoli à Petro episcopi facti sunt, quia ab initio episcopalis non fuit nisi vnus, quia subditi non erant distincti: sed postea in ciuitatibus singulis per Apostolos positi sunt episcopi: & in singulis prouinciis Archiepiscopi, 99. *di. cap.* 1. *&* 80 *di. in illis*, no. in *c. constitutus, de appel. &* 13. *q.* 1. Nec contraria sententia ratione vel auctoritate scripturarum probari potest. Et ideo non est dicenda, vt dicit Hiero. super Homeliam, *Ecce mitto vos*: vbi dicit, *dictum quod de scripturis non habet testimonium, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* ad idem, *l. illam. C. de collatio.* quæ dicit, *illud non esse dicendum, quod nulla constitutione prolatum sit.* Sed per nulla verba à Christo prolata doceri potest, quod alii Apostoli excepto Petro facti fuerunt episcopi. primo enim non ex illis Matth. 18. *quodcunque ligaueris* &c. quia illa dicta fuerunt ante diem cœnæ, & quando nondum Apostoli erant simplices sacerdotes: & si non poterant esse episcopi, 52. *di. cap. sollicitudo*: & fuerunt verba futuræ promissionis potestatis; non autem per ipsa aliqua fuit concessio potestatis. per illa etiam verba Lucæ 22. cap. à Christo dicta in cœna: *Hoc facite in meam commemorationem*; non fuerunt Apostoli facti, nisi simplices sacerdotes: alias sequeretur, quod si ista verba facerent episcopos, quod nullus posset creari simplex sacerdos, quin crearetur episcopus: quod est falsum. Item nec per illa verba Iohan. 20. *Quorum remiseritis* &c. Nam & ista in creatione simplicis sacerdotis dicuntur. nam Christus dicit: *Accipite spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata* &c. Et sic eadem esset ordinatio presbyteri, quæ episcopi: quæ tamen distincta esse debet. patet, quia verba sacramentalia prolata à ministro sunt eiusdem virtutis, quæ prolata à Christo. patet in forma consecrationis corporis Christi, in qua illa verba: *hoc est corpus meum*, inducunt effectum eukaristiæ, sicut in Christo. & ideo si per hæc verba: *accipite spiritum sanctum, vt quorum remiseritis peccata* &c. Christus fecisset Apostolos episcopos, qui iam facti erant sacerdotes in cœna, quando hoc dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, similiter episcopus omnem presbyterum faceret primo sacerdotem, cum eidem traderet sibi calicem cum aqua & vino, & diceret: *Accipite potestatem.* deinde facere t enim episcopum, cum continuando diceret: *Accipite spiritum sanctum: & quorum* &c. quod est absurdum. Item quia si per hæc verba: *Accipite spiritum sanctum*, fuissent facti episcopi, falsum esset quod scribitur 21. *di. in nouo*, vbi dicitur, quod pontificatus à Christo primo Petro datus est: sed ista verba simul omnibus Apostolis dicta sunt. Item Thomas, qui non fuit præsens, illis verbis non fuisset factus episcopus, qui tamen fuit Apostolus & episcopus, sicut alii. nulla igitur verba, nulla vrget auctoritas dicere, quod Apostoli fuerunt creati episcopi à Christo, nisi solus Petrus. Sed potius ratio & auctoritas est, quod solum Petrum episcopum fecerit, vt designaret vnitatem & vnam potestatem à qua omnes aliæ proficerentur, sicut supra dixi: cum solum vnum creauit hominem, à quo omnes alii orirentur. Nec obuiat, si dicis: immo opus erat creare Christum tres episcopos, quia vnus solus non potest creare episcopus alium episcopum 76. *di. porrò*, sicut Deus creauit primo Adam, & quia solus Adam non erat sufficiens ad generandum, creauit Euam. & in aliis speciebus, quæ non producuntur nisi à mare & fœmina produxit duos, marem & fœminam: sic debuit Christus facere in creatione episcoporum: quia respondeo, quod tres episcopi debeant esse in consecratione vnus episcopi, vt *d. c.* illud est ex institutione ecclesiæ & Apostolorum. vnde ante illam institutionem potuit Petrus summus pontifex solus consecrare alium episcopum: & idem posset hodie etiam papa, qui posset hanc immutare, vt no. Hugo, Lauren. & Archi. in *d. c. porro.* 66. *di.* Sed durante hac solennitate, papa solus hodie non posset, vt ibi no. Cum igitur vnus solus pontifex possit, si vult, facere solus episcopum, sufficiens fuit si Christus solum Petrum præfixit episcopum ad designandum vnitatem & supremam vnicam potestatem, à qua cæteri (vt dixi) oriretur, 24. *quæst.* 1. *loquitur.* Et quia sic fuit in veteri lege. nam non legitur, quod Moyses inunxerit, nisi solum Aaron in sacerdotem maximum: sic ergo debuit esse in noua lege, quæ magis perfecta est. Et ideo concludendum est, quod Christus episcopum solum fecit Petrum. deinde Petrus fecit Iohannem: & deinde fecit Iacobum Zebedei. Et tandem vt ostenderet, quod episcopis aliquis non erat consecrandus nisi à tribus episcopis, ipse Petrus adhibitis Iohanne & Iacobo consecrauit alium Iacobum Zebedei fratrem Domini Hierosolymitanum episcopum, *d. c. porrò libro 6.* Aliquando tamen propter inopiam episcoporum Apostoli hanc formam non seruauerunt. & ideo Paulus Thimotheum & Titum solus episcopos consecrauit, cum tamẽ Paulus esset episcopus: alias nõ potuisset non episcopus episcopum consecrare. quia nemo ordinem, quem non habet, alii dare potest, vt in *c. diabertum.* 1. *q.* 7. immo nec forsan ex delegatione papæ posset non episcopus consecrare episcopum, vt no. 95. *di. peruenit. & c. quanto.* & Tho. in 4 *sen. di.* 7. *q.* 3. & ideo falsa est glo. in *di. c. porro. lib.* 6. *di.* quæ dicit, quod sa-

Digitized by Google

cerdotes simplices in primitiua ecclesia consecrabant episcopos, sicut fecit Moyses, qui consecrauit Aaron, & tamen Moyses simplex sacerdos fuit & non pontifex. Sed ad hoc respondetur, quod fecit Dei iussu: & ea quæ fiunt ex absoluta Dei potentia, ad consequentias non sunt trahenda. Vel dic, quod licet non esset vnctus visibiliter Moyses in pontificem, tamen fuit maior sacerdotibus & pontificibus veteris testamenti, quia ordines illorum non habebant caracteres, nec illi sacerdotes habebant claues, sed tantum offerebant populo, & erant mediatores: quæ omnia melius faciebat Moyses. In ecclesia autem nostra non est maior dignitas pontificali, nec maior ordo sacerdotali. Et ideo non existens episcopus non consecrat episcopum: nec non existens presbyter conficit eukaristiam, vt in *cap. 1. ver. & hoc vtique. de sum. tri.* Ex quibus concluditur, quod sacerdos simplex non consecrat episcopum, sed tantum episcopi. Concluditur etiam quod Christus Petrum tantum fecit episcopum, & alii à Petro ordinati sunt Apostoli episcopi. Et ideo legitur *Actuum 13. cap.* quod Paulus quamuis esset à Deo assumptus Apostolus, tamen venit ipse & Barnabas Hierosolimis ad Petrum, Iacobum & Iohannem, qui orantes imposuerunt eis manum: & sic Paulus & Barnabas ordinati à tribus. Sed tunc militat contrarium primo factum: quod si episcopalis ordo est à Petro, erpo debet posse tolli per papam quod tamen videtur falsum. sed tamen respondetur, quod per episcopatum secundum Theologos caracter perficitur, qui est à Deo immediate: vel secundum canonistas nouus caracter imprimitur, vt in *prohemio sexti: & in c. post translationem. in fi. de renun.* & dicam infra in quæstione: *an papa possit renunciare papatui.* vnde caracter episcopalis perfectus, vel nouiter traditus à papa, auferri non potest: potestas autē iurisdictionis benè potest episcopo auferri, vel per depositionē vel suspensionē in his temporalibus vel spiritualibus iurisdictionem, etiam si essent sacramentalia: gratiam tantum & non caracterem imprimentia: quia in his episcopo vel presbytero papa posset tollere potestatem, vt impedire gratiam inscienter recipiente vt in recipiente pœnitentiam vel eukaristiā à sacerdote prohibito, maximè notorio, *de coha. cle. & mu. c. nostra. & c. verum. 22. di.* & idem si est sciens prohibitiones recipiens sacramentum, etiam si non sit notorius ille prohibitus, vt no. Inno. *de hæreticis fraternitatis.* fallit tamen in baptismo, vbi etiam prohibitus confert gratiā & caracterem, quia non potest facere papa, quod baptisatus cum forma tradita non habeat gratiam & caracterem. similiter in aliis sacramentis prohibitis confert caracter, vt hæc no. *de conse. di. 5. c. manus. & in c. quanto. de consuetu.* & ibi plenius per doc.

Stat igitur prima conclusio, quod Petrus solus à Christo factus est episcopus, & alii omnes Apostoli à Petro episcopi creati sunt. nec huic sententiæ primo allegata videntur obesse. & primo non obuiat illud, quod pari consortio Petro facti sunt Apostoli, vt *d. c. in nouo*, quia illa paritas est respectu ordinis, non iurisdictionis, vt ibi no. Item est in eo quod omnes fuerunt episcopi, sed non omnes simul cum eo: quia primo pontificatus fuit datus Petro: & demum ipsi facti sunt pontifices, & in hoc ordine pares: sed in iurisdictione Petrus fuit superior, & primo à Christo solo factus, & alii ab ipso Petro.

Similiter ad illud respondetur, quod discipuli loco Apostolorum successerunt: quia fateor, quod & ipsi Apostoli fuerunt episcopi. Sed vario modo, quia Petrus fuit à Christo, vt est dictum: & ipsi per Petrum, quia non statim quod fuerunt Apostoli, fuerunt episcopi. patet, quia ante cœnam fuerunt Apostoli, & tamen nondum erant sacerdotes. erant igitur nec episcopi, sed Apostoli, id est, prædicantes. vnde Lu. 6. c. dicitur: quod *vocauit discipulos suos & elegit 12. ex ipsis quos Apostolos nominauit.* & post in 9. cap. dedit eis potestatem prædicandi eos mittendo: quia ex tali missione potestatem prædicandi acceperunt. vnde ex eo quod essent Apostoli non erant sacerdotes nec episcopi, nec habebant auctoritatem prædicandi, nisi postquam missi fuerunt, sed in spe fuerunt statim, quod fuerunt Apostoli & episcopi. Et demum omnes post resurrectionē & primum Petrus, cum Christus in cœlum ascensurus erat: & postea alii continue facti sunt à Petro.

Nec obuiat si dicitur, Aaron simul factus fuit sacerdos & pontifex, ergo debet dici de Petro: quia non est bonum simile: quia quando Aaron fuit creatus pontifex & sacerdos, populus Israeliticus erat iam collectus. vnde statim debuit Aaron fieri pastor, ne oues errarent sine pastore. Sed populus Christi viuente Christo, pastorem Christum habebat. vnde non erat conueniens, quod alter insolidum constitueretur Christo viuente pastore: sicut nec constituto Aaron, alius pontifex constitutus est, nisi post mortem eius Eleazarus. & si non fuit, nec alii fuerunt: quia Petro primum pontificatus datus est. vnde successerunt episcopi loco Apostolorum scilicet in episcopatu eis tradito. Sed quando fuerit eis datus, argumentum non ostendit, sed tex. ostendit, 93. *di. legimus*, & ibi glo. in verbo postea.

Ad illud de Iuda dicendum est secundum veritatem, quod Iudas non fuit episcopus, sed solum fuit Apostolus & sacerdos. Et dum dicitur, *episcopatum eius accipiat alter*, id est, presbyteratum vel sacerdotium: quia in sacra scriptura frequenter vnum pro alio accipitur, vt 98. *di. legimus.* Item potest exponi *Episcopatum eius accipiat alter*, id est, Apostolatum, sicut ibi postea dicitur: *Accipe locū ministerii huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas:* Apostolatus autem innuit, quod esset episcopus pro tunc, vt supra dixi. Et ideo quamuis Paulus esset Apostolus non per hominem, sed per Christum, tamen non fuit episcopus, nisi postquam ipse cum Barnaba venit ad Petrum, Iacobū & Iohannem, vt dixi supra, & manus ab ipsis impositionem susceperunt, vt habetur 75. *di. quod die.*

Ad

Digitized by Google

Ad auctoritatem Augustini dupliciter respondetur, quod Christus omnes Apostolos fecit episcopos, sed diuersimode. quia primo dedit pontificatum Petro, *21. di. in nouo.* deinde alios Apostolos fecit episcopos mediate Petro: & post morte Christi Petrus eos fecit: & sic Christus fecit eos per Petrum. nam qui per aliu facit, per ipsum facere videtur, *l. sed si vnus. §. si iussu. ff. de iniuriis*; vt supra dixi. Vel dic, quod Christus immediate per se fecit episcopos, id est sacerdotes, vt dixi supra per tex. 95. *legimus.*

Ad tex. *c. primi. §. vna. de sum. tri.* Respondetur similiter, quod Christus Apostolis concessit claues pontificales, vt possint creare sacerdotes, sed diuerso modo, quia Petro per seipsum Christus immediate concessit; & aliis autem concessit Apostolis cum Petro & per medium Petri. Vel dic, quod ille tex. facit pro ista parte, quia tex. dicit, quod claues illas concessit Apostolis earumque successoribus Iesus Christus: & loquitur de potestate clauium pontificalium confirmandi & ordinandi, quæ differunt à sacerdotalibus, quæ consistunt in potentia ligandi, & scientia discernendi, per quas homo intrat vel eiicitur de ecclesia. sed has claues pontificales dicit ibi text. quod Christus concessit Apostolis & eorum successoribus. Christus non concessit nisi mediante Petro aliis summis pontificibus. ergo sic debet intelligi, quod etiam sic concesserit Apostolis Petro mediante per rationes supra dictas: maxime quia Petrus habuit ampliorem potestatem & maiorem cæteris Apostolis. Nam ipsi dictum est, & suæ personæ singulariter: *Quodcumque ligaueris vel solueris super terram, erit & in cælis.* & in hoc sub plurali cælorum numero, & suæ personæ singulariter & singulari. aliis vero Apostolis dixit in plurali: *Quæcumque ligaueritis & solueritis super terram, erit solutus & in cælo*: non autem dixit, *in cælis.* & sic secundum Originem Petrus habuit hanc potestatem in cælo visibili & inuisibili. Aliis autem dedit in cælo exteriore solo, quod est inuisibile: & cum omnibus ipsis erat & Petrus, cui & per prius vniuersalem iam clauium potestatem soli concesserat: aliis vero vt in partem sollicitudinis vna cum Petro vocati essent, & non in toto, vel ad totum singulari essent constituti nisi Petrus: cui singulariter soli insolidum dictum est. Et hoc vult glo. super isto verbo: *tibi dabo claues.* Dicit glo. *specialiter eas Petro concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret. ideo eum principem Apostolorum constituit, vt ecclesia vnum principem Christi haberet Vicarium, ad quem diuersa membra ecclesiæ recurrerent, si forte inter se dissentirent: quod si diuersa capita in ecclesia essent, vnitatis vincula soluerentur.* Vel dic, quod in primitiua ecclesia & tempore Christi, sacerdotes ex solo charactere sacerdotali habeant facultatem ordinandi presbyteros: quæ potestas fuit præscripta & per Petrum & per Apostolos, vt ordinare possent soli episcopi, vt 95. *dist. olim.* & 93. *di. legimus* & ibi glo. in verbo *postea.* Et dicam in quæstione: *an papa possit renunciare papatui.* Et ex his & aliis pluribus infertur, quod Christus fecit Petrum summum pontificem suæ vniuersalis ecclesiæ: & per ipsum omnes alios Apostolos fecit episcopos. Vel si velles tenere aliam opinionem, quod Christus fecit per se immediate alios Apostolos episcopos, tunc debes dicere, quod primo Petrum fecit summum & cum ampliori potestate, à quo omnes alii dependerent, vt 21. *di. in nouo*, vt probant etiam omnes præcedentes rationes.

Vnde infertur ad primum dubium, quod ad bene mundi viuere necesse est vnam esse in mundo supremam potestatem, à qua aliæ dependeant. Et quod hanc Christus constituit primum in Petro: & deinde in eius successores Christi Vicarios. vnde Romanus pontifex est vniuersalis ecclesiæ Christi episcopus & eius Vicarius: & omnes alii episcopi & potestates ecclesiasticæ ab ipso dependeant. 22. *di. c. 1.* Et hoc vult Damascenus super Luc. 7. dum ibi dicitur: *faciamus tria tabernacula.* Dicit Damascenus: *Non te Dominus tabernaculorum, sed vniuersalis ecclesiæ constructorem constituit, verba tua, tui discipuli omnes tunc mandauerunt Christo tabernaculum construentes.* Et idem Chrysostomus super actus Apostolorum: *Petrus à filio super omnes qui filii sunt, potestatem accepit, non vt Moyses in gente vna, sed in vniuerso orbe.* Et Cyrillus in libro Thesaurorum: *cui scilicet Petro omnes iure diuino caput inclinant & primates mundi tanquam Iesu Domino obediunt.* Et Grego. in Homelia super illo: *dixit Iesus, afferte de piscibus*: quod *ideo dicitur singulariter Petrus ascendere rethe cum piscibus trahere, quia ipsi à Domino ecclesia specialiter est commissa.* Et hæc sufficiant de his dubitationibus.

SVMMARIVM.

Pontificis Maximi personam post Petrum qui fuerunt hi, qui olim eam determinauerint vel elegerint; & qui eam hodie determinent aut eligant.

CAPITVLVM VIII.

POstquam satis diximus, quis huius potestatis inuentor extitit, & per quem & cui prima vice collata fuit. Nam per Christum, vt retuli, primum Petro tradita comperitur. Nunc videndum restat, quis post Petrum ad ipsam supremam potestatem personam hactenus determinauerit: Et quis hodie personam papæ debeat ordinare. Secundo, de forma papam faciendi & an aliqua contra talem electionem obiici possint. Tertio, an hic dignitas semel quæsita per habentem perdi possit. Quarto, quis est iudex cum aliquis illam possidet, & dicitur quod ipsam amiserit, vel iure non retinet, vel quando plures sunt de ipsa potestate contendentes, & quilibet se summum prætēdit pontificē: præsertim quando quilibet Christicolarū partē non modicam habet ipsi vt pontifici parentē, vt proh dolor meo tempore miserrimè contingit. Vltimo qualis ipsa hæc potestas sit, & quid possit pōtifex per huiusmodi potestatem, & an eiusdem maior potestas vel concilii siue vniuersalis Ecclesiæ,

Digitized by Google

Et primo, quis post Petrum personam determinauerit: inuenio quod ipse Petrus constituit sibi Clementem successorem; qui Clemens animaduertens, quod esset exemplo perniciosum, quod aliquis Papa eligeret sibi successorem, ipsi Papatui renunciauit, & electus tunc extitit vnus: quo mortuo per electionem Cletus assumptus est: & Cleto viam vniuersæ carnis ingresso, electus est iterum Clemens, & sic fuit ipse secundus pontifex & quartus. vnde dicitur: *Disputat hic mundus quartus fuerat ve secundus*, vt hæc habentur, 8. *q.* 1. *per totum*, maximè in *c. si Petrus*. Et credo quod ideo Clemens renunciauit, quia electio facta de eo à solo Petro non valebat. nam Papa est vniuersalis vicarius Iesu Christi, *de transla. prala. c. quanto*, sed vicarius non potest illi, qui eum præfecit, vicarium alium vniuersaliter dare: vt *de offi. vica. & clericos.* & ideo credo, quod etiam sibi non posset substinere vicarium, qui omnem haberet sicut Papalem potestatem, ratione prædicta: & ideo bene Clemens renunciauit, & voluit quod per electionem fieret. Inuenio etiam quod electiones huiusmodi diuersimode retroactis temporibus factæ sunt. nam aliquando electiones factæ sunt à clero & populo Romano, sicut aliæ fiebant inferiorum pontificum electiones, 63. *di. c. cum plebs & c. lectus & 23. di. c. in nomine Domini*, ibi: *Catholicis atque laicis*. Et intelligo, quod fiebant electiones à clero, demum populo consentiente non eligente, vt dicta 43. *di. c. nosce*, in fi. & §. *electiones. ver. sed quod populus.* Aliquando autem seculares principes, vt imperator & alii pontificem eligebant, vt 63. *di. Adrianus*, vel per decretum suum præstabant autoritatem electo vt ordinaretur, vt in *c. agato.* 63. *di.* Et hoc priuilegium eligendi summum pontificem, Adrianus Papa cum vniuersa synodo concessit Karolo magno, volentes insuper vt omnes archiepiscopi & episcopi per singulas prouincias vestimentum ab imperatore susciperent, *ea. di. c. litteris.* Et hoc ipsum priuilegium in personam Ottonis Theutonici regis Leo Papa etiam confirmauit, vt *ea. di. c. in synodo.* Nec si eligebatur à clero Romano summus pontifex, consecrari poterat Papa sine oratoribus siue legatis Imperatoris, *ea. di. c.* 1. *& c. sancta Romana*: fuerunt tamen principum hæc priuilegia personalia: & ideo semper in successores principes hæc renouabantur priuilegia, vt vult tex. in *c. in nomine Domini* 23. *di.* & ideo non transibunt in successores principes, vt in regula, *priuilegium personale. de re. iur. lib.* 6. durauerunt que huiusmodi priuilegia vsque ad tempora Adriani secundi: quo tempore talia priuilegia remissa fuerunt, quia ipse electus & intronisatus extitit spretis oratoribus Lodouici imperatoris, nec traheretur in exemplum, vt in futura electione summi pontificis expectari deberent legati Imperatoris, vt in *c. cum Adrianus*, 63. *di.* Et ipse Lodouicus Pascali Papæ illi priuilegio, vt in electione summi pontificis aliquis pro imperatore interesset, renunciauit, 63. *di. ego Lodouicus*, §. *item quando & ea di.* §. *ex his constitutionibus.* & abinde in antea demum eligerunt & hodie soli eligerunt cardinales sciente Romanæ ecclesiæ 23. *di. in nomine Domini. & de elec. c. licet. & c. vbi periculum. li.* 6. *& in cle. ne Romani. de elec.* Et hoc per quod dicitur *sancta Romana ecclesia*, excluduntur cardinales Rauennates, & alii qui non sunt propriè cardinales, vt 32. *q.* 2. *pudor.* Olim tamen cum cardinales eligere inceperunt, primo tractabant inter se episcopi cardinales, & deinde alios cardinales vocabant, vt *d. c. in nomine Domini* 23. *di.* sed hodie ista prærogatiua non tenetur, sed in tractatibus omnes sunt pares. In aliis autem prærogatiua inter eos seruatur in sedibus & vocum præscruptatione. Et intelligi debet, quod cardinales illi habent hodie facultatem eligendi, qui sunt præsentes in loco, in quo Papa moritur. Alii autem etiam cardinales non habent eligendi potestatem nisi intra vrbem, vbi debet eligi papa, veniant, qui per decem dies tantum à præsentibus expectandi sunt. Et ideo si duo tantum præsentes essent cardinales in loco prædicto, apud illos solos essent eligendi potestas, iuxta no. *c. licet, de elec.* quia tex. in *c. vbi periculum, de elec. li.* 6. dicit quod *cardinales præsentes habent eligendi potestatem*, & hoc pluralis locutio in duobus verificari potest, *l. vbi numerus ff. de testi.* & in regula *pluralis, de re. iur.* imo si vnus solus cardinalis esset præsens, posset eligere, *de iur. pa. c. per nostras*, quia ius collegii residet in vno solo, vt in *c. gratum. de postu. prala.* & iste solus alios teneretur expectare secundum in *cle. Romani, in verbo, omnis, de elec.* Nec ob. *c. licet, de elec.* vbi videtur tex. quod papa sit eligendus à duabus partibus cardinalium: quia ille tex. loquitur, quando tot sunt cardinales, quod possunt fieri duæ partes de eis existentibus in loco: sed quando non essent, nisi vnus vel duo, tunc tex. dicti *c. licet*, suppletur per dictum *c. vbi periculum, de elec. li.* 6. vt ille solus vel illi duo possint eligere, & alii non contradicere, & vnus alium posset eligere, dummodo electus non habeat originem à seipso, vt *de elec. cum in iure.* Et ipse electus deberet tacere, & esset papa. Vnus autem solus non posset eligere, quia electio alicuius non deberet habere ortum à seipso, *de elec. cap. cum in iure. & cap. per nostras. de iur. patro. & in c. cum ad nostrum. de institu.* & ideo est opus vt alium eligat. Sed hoc casu potest dubitari: an si hic solus in alium compromittat, an compromissarius possit illum eligere: Videtur quod non, per ea quæ scribuntur *de institu. c. cum ad nostram.* Sed in contrarium facit, quia hic vnus sustinet vices totius collegii, vt no. *c. in* 1. *de elec.* Sed si collegium compromitteret in vnum: ipse compromissarius posset vnum ex compromittentibus eligere: ergo idem in nostro casu. vnde aliqui dicunt, quod si ille solus in compromissarium transtulit omnem potestatem eligendi, & à se in totum abdicauit, ita quod eam reuocare non posset, tunc eligere potest compromissarius hunc verum compromittentem. sicut enim, quando ex negligentia inferioris ius eligendi transfertur in superiorem, ille superior potest eligere illum inferiorem, qui fuit negligens, eum hoc non inueniatur iure prohibitum: ita compromissarius

compro-

Digitized by Google

compromittentem. secus dicunt, si non transfertur potestas in totum vel irreuocabiliter. sic intelligantur nota. in *d. c. cum ad nostram*. Ergo vero indistincte teneo, quod non possit, quia in omni casu potestas compromissarii causatur à compromittente, & eius sit nomen. Sed in casu, quo deuoluitur ius eligendi ad superiorem, habet ipsam potestatē à iure. vnde si eligat inferiorē, non potest inferiorem notari ambitio, nec eius inferioris nomen fit electio. Et ideo si transferretur ius eligendi ex donatione in casu, quo tale ius donari posset, tunc bene credo, quod donatarius posset eligere donantem, quia eligeret tunc nomine proprio. in casu igitur nostro compromissarius non posset eligere compromittentem. Sed dubium est, si nullus superest cardinalis, quis habeat ius Papam eligendi. In hoc sententiæ sunt multæ. Nam quidam dicunt, quod clerus Romanus haberet facultatem eligendi, 23. *di. c. in nomine Domini*. & ita videtur intelligi tex. in *c. 1. & c. si quis pecuniam*. Et ideo Canonici sancti Iohannis Lateran. haberent hanc facultatem, quia ipsi sunt Canonici, & illa est ecclesia cathedralis Papæ: vnde ad tales Canonicos spectat electio, *de elec. c. 1. & c. cum ecclesia Vulterana*: & quod ibi no. præsertim quia ad nullum alium posset dici hanc electionem competere, nisi ad concilium. Sed tunc concilium non videtur congregari, nisi Papa conuocante & autorizante, 17. *di. c. multis. §. hinc etiam*. Alii autem volunt, quod tunc electio fieri debeat per concilium conuocandum per clerum & populum Romanum, argu. 63. *di. si forte. & ea. di. c. 2. & 3.* Hosti. dicit, quod *hæc opinio est iustior, & prima est lenior & commodior propter periculum moræ*. Ego vero credo, quod si casus vocationis papatus contingeret, hoc casu concilio iam congregato existente vel conuocato, ita quod certissima esset fienda congregatio, tunc electio pertineret ad concilium: quia Papa non est solum episcopus vrbis Romæ, sed episcopus est vniuersalis ecclesiæ, & ideo ad ecclesiam vniuersalem debet electio spectare, *d. c. 1. de elec.* præsertim quia talis vniuersalis ecclesia errare non potest, 24. *q. 1. Arrepta*. & facta per ecclesiam vniuersalem electione, sublatus esset omnis timor scismatis aut scandali, quod oriri posset ex ambiguitate, quæ esse posset quod ad Romanum clerum non pertineret electio.

Sed si concilium non posset haberi in breui tempore, tunc propter periculum moræ melior est sententia dicentium, quod clerus Romanus eligat, *de elec. c. ne pro defectu*, no. *de renun. c. nisi cum pridem. §. propter malitiam* & ita tenent communiter canonistæ. Sed in hoc articulo potest esse dubium: An Papa ipse possit sibi eligere successorem. vel de successore prouidere. videtur quod sic, exemplo Christi, cuius omnis actio est nostra instructio, *de conse. di. 2. c. scriptura*; vt quemadmodum ipse fecit & nos faciamus. Sed Christus qui fuit summus sacerdos & vere pontifex, vt *de sum. tri. c. 1. §. in qua idem ipse sacerdos*, vt *de conse. di. 2. c. Christo pater*, sibi Petrum constituit successorem, 7. *q. 1. mutationes*, & habetur Io. *c. fi. & 80. di. c. in illis in fi.* cum si. ergo debet posse successor Papa, cui Christus tradidit regnum, sicut disposuit sibi pater regnum, *Luca 22. c.* Sed si Christus hoc potuit, ergo Papa eius successor debet posse. hoc idem probatur in Petro, qui Clementem sibi successorem elegit, 8. *q. 1. si Petrus*. Item Moyses qui & sacerdotis officium exercuit & regis, potuit sibi filios eligere successores; vt est tex. 7. *q. 1. Moyses*. ergo Papa debet posse, qui in nouo testamento tenet locum, quem Moyses tenuit in veteri testamento. Nam ille fuit Rex, & sacerdotis officium exercuit: & sic Papa Rex est & sacerdos, vt in cantu eius cathedræ testatur ecclesia dicens: *Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi*. ergo sicut Moyses potuit filios sibi eligere successores, vt *d. cap. Moyses*: ita & Papa debet posse. Hoc etiam probatur per ea quæ habentur *Numeri 26. c.* Nam quamuis Moyses non elegerit filios, vt poterat, *d. cap. Moyses*, tamen elegit sibi successorem Iosuam ergo Papa similiter debet posse. Hæc sententia manifestatur etiam exemplo Dauid, qui successorem sibi constituit Salomonem; vt habetur 7. *q. 1. c. denique. & 2. Reg.* dictum est de Dauid & filiis eius ad idem *ea. q. c. petisti. in fi. & 8. q. 1. §. quod autem*, vbi est tex. quod Papa permittit Maguntino archiepiscopo sibi eligere successorem. Item beatus Augustinus viuente Valerio & volente episcopus Hiponien. creatus est, 7. *q. 1. eo non autem*. ergo Papa volente & consentiente debet posse sibi eligere successorem. Insinuatur & hæc sententia: quia Papa potest disponere de electione & forma adhibenda futuri pontificis, 78. *di. c. si transitus*. quod patet; quia capitulum *vbi periculum*, & constitutionem Gregorianam ibi relatam & editam in concilio Lugdunen. Adrianus reuocauit, Iohannes ipsum sequens, & demum Bonifacius octauus illam reuocauit solus. & hoc videtur indubitatum, cum facit de fratrum concilio; vt not. Laurentius, 63. *di. cum Adrianus*. Licet etiam & absque cardinalium concilio videatur posse facere, 6. *q. 1. si quis cum militibus*: quia papa est supra omnia concilia, & de plenitudine potestatis potest tollere solus statuta concilii, vt no. glo. in decretali *vbi periculum*, in verbo: *concilio, de elec. li. 6.* etiam concilio in requisito. & ita voluit Host. & Io. An. in *c. proposuit. de concess. preben.* dicētes quod Papa solus potest tollere statuta concilii, *de consan. & affi. c. non debet. & 68. di. c. cor. episcopi*. Vnde videtur inferre ex prædictis: quod si Papa potest dē modo & forma electionis pontificis solus disponere, ita quod possit de ipso successore disponere. Sed in contrarium sanctorum omniū sententia est: quod Papa non possit sibi eligere successorem; vt no. glo. 8. *q. 1. § his omnibus*. Nā talis electio respicit tempus, quo non est futurus Papa: ergo non valet, quod agit in id tempus *Leum qui. §. fi. ff. de iur. omni. iudi.* simile in tutore, qui vltra tempus sui officii non potest aliquid disponere, *l. si tutela. ff. de admin.* Nec quod facit legatus de præsenti, valet finito iam tempore suæ legationis, vt in *c. fi. de offi. lega.*

Digitized by Google

Sed electio sumere effectum & vires debet post mortem Papæ, & eo modo existente iam Papa: quia existente alio iam Papa: alius eligi non potest vel haberi Papa: ergo non valet actus nondum inceptus vel confirmatus in vita Papæ qui de morte Papæ habere debet vires, vel incipit, per dicta iura. Facit. *l. titio cum morietur ff. de usufruc.* quia Papa vellet, quod inciperet actus suæ electionis quando ipse Papa esset extinctus: quod est impossibile: quia actus non potest incipere, vbi agens extinguitur vel extinctus est, vt *d. l. suo.* Dicit etiam glo. quod ideo non potest successorem eligere, quia esset immutare statum vniuersalis ecclesiæ: quod fieri non licet quamuis hoc dubium sit, vt no. 25. *q. 1. sunt quidam.* in fi. magna glo. vt infra dicam in quæstione: *circa quæ Papa possit disponere.* Conclusio ergo sit: quod Papa non possit ipse eligere successorem.

Ad contraria respondetur, & ad illud de Christo, qui elegit successorem, & sic debet posse Papa successor Iesu Christi, est dicendum, quod omnia, quæ Christus fecit vt deus solum miraculose, non vt purus homo, illorum actio non est nostra instructio: non eorum quæ fecit vt Deus miraculose: ipse enim miraculose ambulauit super aquas, & ieiunauit, 40. diebus nihil penitus comedendo, quæ non astringimur facere, quia hoc fecit vt Deus. Sic etiam cum petrum elegit, fecit ex diuinitate sibi coniuncta, secundum quam eius iudicium falli non poterat, quæ non sunt in Papa & in humano iudicio, quia Papæ iudicium potest fallere & falli, quia Papa homo est, & peccare potest, *21. di. nunc autem.* Et ideo propter vitandum hominum fallibile iudicium, statutum fuit, vt Papa sibi non eligat successorem. Et hac de causa Clemens successor Petri & ab ipso vocatus, videns quod esset posteris exemplo pernitiosum, quod Papa sibi eligeret successorem, renunciauit, vt supra dixi: & no. 8. *q. 1. si Petrus:* & communi cleri electione voluit personam Papæ debere eligi & determinari, vt ex collatione & plurium concordia talis electio careret errore, & mereretur diuinam suscipere inspirationem: melius enim iudicant plures quam vnus, *l. ita vulneratus in fi. ad l. aquil.* quia cum plures, duo vel tres conueniunt in nomine Dei, ideo ipse in medio eorum est, 24. *q. 1. alienus in fi.* Illud secundum beati Petri, qui sibi Clementem successorem elegit, fuit Dei voluntate, & inspiratione spiritus Sancti: nec est istud in argumentum assumendum, nisi ab illis, qui talem sibi substituerunt, qualem sibi successorem Beatus Petrus quæsiuit, 8 *q. 1. § his omnibus:* quasi velit ille tex. q cū hodie non conferatur hoc officium homini sanctæ vitæ, sed potius sanguini & consanguinitati, si in Papa solo spectaret electio, ideo opus fuit quod ratione plurium electio fieri deberet.

Item nec illud argumentum de Moyse bonum est, qui sibi elegit successorem Iosuæ: quia illud factum fuit mandato Dei, vt legitur Numeri 27. c. vbi Deus dixit Moysi: *Tolle Iosua, & pone manum tuam super eum, ne sit populus Domini absq; pastore:* & hæc habentur 8 *q. 1. Moyses.* Et ibi probatur, quod Moyses filios suos non elegit post se, sed tantum mandato Dei elegit Iosuæ: ita nec Papa debet facere, quod ipse eligat aliquem, præcipuè de suis sine Dei mandato, & licet tex. in *d. c. Moyses.* 8. *q. 1.* dicat, quod Moyses potuit filios eligere sibi successores, Glo. dicit, quod fuit antequam esset prohibitio facta: quod quis sibi eligeret successorem, sed cum pro bona vniuersalis ecclesiæ sit prohibitum, hodie non potest. Et similiter respondetur ad id, quod de Dauid supra relatum est.

Et ad *c. petisti* 7. *q. 1.* respondet glo. 8. *q. 1. c. episcopo,* quod inferiori episcopo licet eligere successorē ex dispensatione summi pontificis, qui loco Dei est in terris, sicut permissu Dei Moyses elegit sibi successorem. Et sic soluitur quod dictum est de beato Augustino.

Ad alia vero, quæ scribuntur 78. *di. c. si transitus,* respondetur, quod Papa potest super modo eligendi successorem, vt no. in *c. vbi periculum de elec. li. 6. & in cle. no. Romani, & in c. licet. de elec.* & no. 8. *q. 1. § his omnibus.* & ita intelligitur, tex. in *d. c. si transitus* 79. *di.* Sed per viam testamenti vel aliter solus de certo successore non potest disponere per rationes primo inductas. Et sic dices: non videtur etiam quod de modo eligendi possit disponere, quia illa est futura fienda post mortem Papæ: ergo non debet posse Papa de illo disponere: per *d. l. eum qui § fi. de iurisdi. om. iu.* Ad iura supradicta respondeo: quod quædam sunt, quæ consumationem & effectum sumunt in vita Papæ, & illa durant etiā post mortē sicut sunt statuta, sententię, contractus & similia, vt in *c. si. de offi. legati l. gesta. de re iudi.* no. Cynus in *l. emptorem. C. loca.* & no. in *ca. querelam ne prela. vices suas.* & talis est constitutio de futura electione pontificis, quæ statim sumit vires Papa viuente & ipsam constituente. Sed ipsa electio futuri pontificis est impossibile, quod incipiat vires sumere viuente Papa, quia esse non debent duo pontifices summi. Sed tantum debet sumere vires vel initium post mortem Papæ; & ideo à Papa viuente fieri non potest. quod secus est in constitutione de eligendo, quæ statim sumit vires, licet eius constitutionis exercitium sit de futuro. Et ex istis infertur, quod Papa possit concedere potestatem alteri quam cardinalibus eligendi pontificem. quod credo verum indubitanter accedente consensu fratrum, vt no. Lau. in *d. c. Adrianus.* 63. *di.* Sed idem etiam credo consensu fratrum non accedente de sua absoluta potestate, *de cle. non resi. c. ex gestis.* cum ibi no. dummodo euitetur fraus, quod non faceret constitutionem alteri tribuendo hanc facultatem, qui eligeret secundū velle suum: quia si sibi directè non liceret successorem eligere, nec per indirectum in fraudem legis *l. hoc modo, de condi. & demon.* Sed vbi non esset fraus cum legem conderet, credo quod de absoluta potestate posset priuare cardinales, & aliis idoneis hanc potestatem tribuere. Et quamuis habeant cardinales à Papa & à concilio hanc potestatem, vt probatur in *c. licet. de elec.* tamen papa potest illud statutum tollere de plenitudine potestatis, cum sit Papa super omnia concilia. *de elec.*

Digitized by Google

illos, c. significasti 4. di. in istis, no. glo. in *c. vbi periculum, de elec. li. 6.* in verbo: *concilio*. Et probatur ista conclusio per decre. prædictam, *vbi periculum*. Nam Papa ibi tribuit facultatem eligendi Papam tantum cardinalibus præsentibus in loco vbi Papa moritur, vel ibidem redeuntibus infra decem dies. Et tamen esset possibile, quod ibi vnus vel duo tantum essent cardinales præsentes, & alii absentes, & ita in longinquo, quod infra decennium redire non possent: & sic apud illum vnum vel duo præsentes potestas remaneret, vt ibi volunt Doctores. vnde patet quod aliis quã duabus partibus cardinalium potest concedere potestatem eligendi: & ideo posset statuere, quod electus à maiore parte cardinalium esset Papa, vel à tertia parte. Et istud credo verissimum, quicquid alii Theologi teneant: quia hoc etiã possent ipsi cardinales statuere inter se, vt electus à maiori parte esset Papa: vt in *d. c. licet*. no. doc. per tex. illius. c. dum dicit, *nisi maior concordia intercesserit*. ita no. glo. in *cle. ne Romani de elec.* in glo. in verbo *non consonam reprobauit*. & in *c. si cui. de elec. li. 6*. Credo tamen, quod si auferret Papa solus potestatem cardinalibus, cum hoc esset innouare totum statũ vniuersalis ecclesiæ quod pendet in electione Papæ: quod si concilio generali aliud videretur, hoc non esset Papæ permittendum, iuxta no. per Inno. *de consti. c. quanto & de sen. ex. c. inquisitioni*. Sed hoc dubium est: an concilium generale posset tollere hanc potestatem eligendi cardinalibus: & ipsum concilium posset eligere Papam, vel alteri hãc potestatem tribuere (loquor siue in causa cum concilium deponit Papam propter hæresim, 40. *di. si Papa*, siue cum aliter pontificis summi contingit electio) videtur quod sic, vt contrariorum eadem sit disciplina, *l. nemo qui condemnare de re. iur. & de pœni. di. 1. c. verbum*. Item quia si concilio licet Papam deponere, quod est plus, quia raro fieri potest, vt in *c. si Papa* 40. *di.* ergo ipsi concilio magis licet, quod est minus, vt in regula *cui licet. de regu. iur.* Item hoc erat de iure antiquo: quod electio fiebat ab vniuersali clero Catholico: ergo magis ad cõcilium, in quo repræsentatur vniuersalis ecclesia, quæ errare non potest, 24. *q. 1. c. arrepta*. & videtur casus 78 *di. c. si duo*, vbi est tex. quod quando duo remouentur à prætenso iure papatus, ille erit Papa, quem vniuersitatis consensus elegerit. Item quia vacante sede potestas papalis est apud concilium, vt dicam infra in quæstione: *quando dicitur quod existens in papatu non est Papa, quis conuocet tunc concilium vel auctoritatem ipsi interponat*, igitur sicut Papa potest dare nouam formam, ita & cõcilium. Item iura noua tribuunt potestatem cardinalibus eligendi propter mortem Papæ, vt in *c. vbi periculum*. igitur in alia vacatione debet esse potestas apud ecclesiam, 79. *di. c. & si transitus. & 22. di. c. 2*. Sed præfatis non obstantibus, credo: quod in omni casu ius eligendi pontificem competat cardinalibus, nec possunt hoc iure per concilium priuari cardinalibus inuitis. vnde est attendendum, quod ius eligendi pontificem quotienscunque vacat sedes, & quomodocunque pertinet ad cardinales, tam de consuetudine diu obtenta, quam de dispositione summi pontificis, & approbatione sacri concilii, vt probat tex. in *c. licet de vitanda, de elec. & in c. in nomine Domini 23. di. & in c. vbi periculum, de elec. lib. 6. & in cle. ne Romani. de elec.* loquor de electione fienda siue propter mortem summi pontificis, siue propter renunciationem. vel per lapsum ipsius summi pontificis in hæresim, vt vult glo. in *cle. ne Romani §. sane de elec.* in verbo *moriente*. Ad hoc *c. cum dilectus. de purgatione canonica*: vbi dicitur, quod facta priuatione beneficii per sententiam iudicis, ius eligendi deuoluitur ad illos, ad quos de iure spectat alias electio. Et ideo priuato prælato ecclesiæ collegiatæ ius eligendi spectat ad collegium, *de iur. patro. c. nobis*. no. in *c. 1. de elec.* si igitur ius eligendi pertinet ad cardinales ex dispositione Papæ & concilii, vt supra dixi, hanc potestatem concilium sine Papa cardinalibus auferre non potest, quia concilium est inferius Papa, quia ab eo suscipit potestatem & auctoritatem. ita & concilium, quod à Papa suscipit auctoritatem & potestatem: ita no. glo. in *clemen. ne Romani, de elec.* in verbo: *inferiorem*. Si igitur concilium Papa est inferior: ergo non tollit legem Papæ eius superioris, vt in *c. cum inferior. de maiori. & obedien. & l. nam magistratus. ff. de arbi.* sed consentientibus cardinalibus posset concilium eligere: quia possent cardinales in concilio, vt in compromissario, hanc potestatem tribuere: alias non credo quod concilium solum iure eligendi priuare cardinales, posset tamen Papa hanc potestatem concilio tribuere, cardinalibus priuatis; per ea quæ supra dixi. Non ob. *c. si duo*: quia loquitur secundum illa iura, secundum quæ apud clerum erat etiam summi pontificis electio, vt dixi supra credo tamen, quod si cardinales non possent sine turbatione status veneralis ecclesiæ, vt quia forte adhæsissent papæ prolapso in hæresim, vel qui renunciauerat, & ipsi nihilominus fauebant ei, quod tunc conciliũ cum sit supra papam in cõcernentibus bonum ecclesiæ vniuersalis, tunc hac causa subsistente, vt non turbaretur status ecclesiæ vniuersalis, possent priuare cardinales iure eligendi: alias non, per prædicta. Non ob. contraria: quia illud, quod est statutum in morte naturali, habet locum in morte ciuili habente per omnia eundem effectum, quem naturalis, vt volunt Doc. in *l. fi. C. de epi. & cle.* Dyn. & Bar. in *l. ex ea. §. qui insulam. ff. de verbo. obli.* Et quia iura canonica verificantur in casu ficto, & sic in ficta morte; vt no. in *c. innotuit. de elec.* Quando igitur ex electione cardinalium posset contingere turbatio boni vniuersalis ecclesiæ, vt quia fuisset scisma, & duo fuissent tenentes cathedram Petri, & quilibet habuisset suum collegium cardinalium, & in obedientia quilibet partem magnam Christianorum, sicut fuit meo tempore, tunc quia posset surgere turbatio ecclesiæ, si vnum collegium eligeret, & non aliud, vel si ambo similis eligeret, quia posset dubitari, an electio teneret propter immixtionem inhabilium cum habilibus, tunc posset concilium tollere potestatem cardinalibus, & concilium eligere: quia in concernentibus bonum vniuersalis ecclesiæ est maior senten-

Digitized by Google

tia concilii quam Papæ vt dicam infra in quæstione: *quæ est maior sententia, an Papa an concilii.* Et hæc sufficiant de his qui olim determinauerint vel elegerint personam Papæ: & de his quæ hodie determinent aut eligant &c.

SVMMARIVM.

Pontificis Maximi forma eligendi, quam ipse nouam dare potest electioni futuræ Pontificis, quæ & qualis sit tenenda à Cardinalibus, casusq; dubios variosq; vt plurimum circa electionem & eligentes emergentes, & qualiter eis occurretur.

CAPITVLVM IX.

SEcundum nunc tractatum attingamus de forma Papam eligendi. Et an aliqua contra talem electionē obiici possint. In hanc inuestigatione est attendendum, quod nisi à Papa noua daretur forma futuræ electioni Papæ, quam dari posse supra conclusi, tunc de iure hodierno electio Papæ nulli formæ subest, qua non seruata irritetur electio, nisi quod debet in ea adesse consensus duarū partium cardinalium quocunq; habitus. vnde & si non seruetur aliqua de tribus formis, *c. quia propter. de elec.* videlicet quod fiat electio per scrutinium, vel inspirationem siue compromissum vel forma capituli *vbi periculum. de elec. li. 6.* propterea Papæ electio non viciatur. Sed quomodocunq; duæ partes cardinalium in eū consenserint, eū recipiendo, siue per receptionē ad osculum tanquam Papam, siue eum in cathedra ponendo, vel intronisando, vel ei obedientiam præstando, vel quomodocunque eligendo, etiam sine aliqua alia forma seruata ille talis sine vlla exceptione Apostolicus censendus est, tex. est in *c. licet de elec.* no. glo. in *c. si. cui in verbo.* no. *de elec. lib. 6.* Sed si alia forma traderetur à Papa, illa seruanda foret: quia Papa potest ius constituere super futura electione summi pōtificis, vt supra dixi, maximè ipsorum cardinalium accedente consensu, vt probat tex. in *c. in nomine Domini 23. di. & in d. c. licet.* Et melius in *c. vbi periculum. de elec. li. 6.* Nam illud capitulum, licet fuerit editum in concilio, tamen per aliquos solos summos pontifices fuit sublatum, & postea per solum Bonifacium octauum renouatum, vt supra dixi. & ideo si esset edita alia constitutio, prout eam siue veram siuē confictam tempore cuiusdam pontificis relatam vidi. Nam Papa certos dicebatur creasse cardinales, quibus nec capellum dederat, nec hos iuxta consuetudinem Romanæ ecclesiæ ipsis apparuerat, iussit tamen de consensu omnium cardinalium, quod deberent recipi in electione futuri Romani pontificis sub pœna excommunicationis cardinalium priuationis iuris eligendi actiue & passiue, si ipsos non reciperent. tunc electio aliter facta esset nulla ipso iure, tanquam facta à non habentibus potestatem, 79. *di. si quis pecuniam,* & tanquam forma non seruata, quæ dat esse rei, *l. his qui quadraginta §. quadam ff. ad l. fal.* & tunc ista exceptio proueniens ab ipsa constitutione formā dāte proponi posset, etiam si alias nulla exceptio posset opponi, *l. 1.* & quod ibi no. *ff. quod vi aut clam.* & est tex. in *d. c. licet:* quia potest opponi exceptio in casu solo illius. c. quod nō habuerit cōsensum duarum partium cardinalium: vel quod, qui eum eligerunt vel intronisauerunt, non erant carcardinales, vt *d. c. si quis pecuniam 79. di.* & infra dicam. ergo non data forma, nulla est forma Papam eligendi, nisi quod habeat assensum duarum partium cardinalium. Et ideo non posset obiici, quod non sit facta in loco à iure requisito, vt volunt Docto. in decre. *vbi periculum, & de elec. li. 6.* licet glo. aliter senserit in *c. in nomine Domini 24. di.* & infra dicam. Nec etiam potest dici, quod non fuit facta capitulariter electio: quia sufficit, quod sit receptus vel electus, quia tex. in *c. licet.* qui dicit, quod *electus & receptus* secundum Hosti. exponitur in alternatiuam, *vel electus vel receptus.* vnde sufficit quomodocunq; de consensu constet: patet, quia per accessum potest adesse iste consensus, vt statim dicam.

Et ideo pro intelligentia eorum quæ in Papæ electione dici possent, est attendendū quod multa specialia sunt in ea. Et primo, quia licet aliæ electiones debeant fieri capitulariter seruata altera ex tribus formis prædictis dicti *c. quia propter de ele.* hæc non sunt necessaria (vt dixi) in electione Papæ: sed quomodocunq; constat de voluntate duarum partium cardinalium, hoc sufficit. & ideo videbatur iustè defendi electio Vrbani sexti, quod fuisset canonica, licet non facta capitulariter, vel nō obstante quod in conclaui fuerit per Romanum populum illata vis atq; impressio, cum demum securi postea cardinales eum intronisauerunt *l. 1. c. quod metus causa & in c. 1. quod metus causa.* Item licet in aliis electionibus sufficiat maior pars, in ista debent consentire duæ partes, vt *d. c. licet.* circa fi. Item quamuis in aliis electionibus debeant vocari absentes, & olim in electione Papæ vocandi erāt 23. *di. c. in nomine Domini.* Et idem in aliis, *de elec. c. coram & c. cum inter.* Et in omnibus arduis causis debeant absentes vocari, vt in *c. 2,* & ibi no. Inno. *de operis noui. nunci.* & alii moderni in *c. cum omnes de consti.* hoc tamen non reperitur in electione Papæ: sed cardinales tantum, qui sunt præsentes in loco, vbi Papa defunctus est, etiam si sit vnus solus, habet auctoritatem eligendi, aliis non vocatis, expectatis tantum decem diebus, vt in decre. *vbi periculum. de elec. li. 6.* licet olim post tres dies post mortem Papæ electio fieri poterat, 79. *di. nullus cl. 2.* Item sine alia confirmatione statim quod elect' est, prælatus est, & potest, Papa tum nancisci propria auctoritate, 23. *di. c. in nomine Domini.* Alia est specialitas, quia nulla exceptio contra ipsum electum opponi potest, *d. c. licet. de elec.* Sexta est specialitas, quia ad augmentandum numerum Papæ electo à maiori parte, potest per alios excessio fieri, quod non est in aliis electionibus. Septimo in hac electione cum proceditur via scruptinii, & sic miscendo ea quæ sunt facti cum his quæ iuris sunt, tres assumuntur scruptatores, de quolibet ordine

Digitized by Google

ſine vnus Epiſcopus, vnus alius presbyter, & alius diaconus cardinalis. & iſti, vel primo ſe ſcrutantur, ne demum cui volunt de electis vocẽ præbeant, vel tres ſimili modo ſcruptatores eliguntur qui ſcruptãtur iſtos collegii ſcruptatores. Octauo, quia quilibet Cardinalis poteſt nominare pro ſe: nec eſt vis ſiue dicã, conſentio in talem, ſiue, talẽ eligo, vt probat tex. in *d. c. licet*, dum dicit: *electus. & receptus.* quia non eſt vis in ordine nominationis. nam in quocunq; loco ſit ille, qui nominatus eſt, ſiue ſit nominatus quartus vel ſextus à quocunq; Cardinali, dũmodo in nominationibus habeat duas partes in vocibus Cardinaliũ, ille talis pontifex eſt. Nono quia in tali electione non fit collatio ſceli ad ſcelum, vel meriti ad meritum, ſed tantum numeri ad numerũ, vt qui habet duas partes Cardinalium, ille ſit Papa, *d. c. licet*, omni exceptione remota. iſta ſunt quæ præcipua videntur in electione Papæ. Sed pro clariora doctrina examinemus omnes iſtas ſpecialitates.

Prima igitur eſt: quod ſine vlla forma alia ſufficit conſenſus duarum partium Cardinaliũ. iſta ſallentia debet intelligi ſane de duabus partibus Cardinaliũ illorũ, qui in loco ſunt præſentes, vbi papa mortuus eſt: aliis tamen abſentibus, decem diebus expectatis, vt in decre. *vbi periculum de elec. lib. 6.* & ſi pręſens eſſet tantum vnus aut duo, apud illum ſolũ vel duos ſolos eſſet ius eligendi, vt dixi. ſupra nec tunc haberet locum regula, vt duæ partes Cardinalium eſſe debent. nam illam regulam intellige, quando tot ſunt præſentes in loco, vbi papa vita functus eſt, vt poſſint conſtituere inter ſe duas partes. Et ex his ſequuntur plura in electione ſpiritualia: quia licet in aliis electionibus debeant abſentes vocari, & in omni ardua cauſa, vt vult Innocen. *de ope. no. nunci. c. 2.* & no. per aliquos in *c. cum omnes d. conſti.* licet glo. in *c. præſentiũ d. teſti. in li. 6.* in verbo *ibidem præſentiũ* dicat, quod in tribus tantũ caſibus vocatio ſit neceſſaria, inter quos eſt electio, vt in *c. coram. & c. cum inter de elec.* In electione tamen papæ nullus vocatur, ſed tantũ qui ſunt præſentes ius habent eligendi. & ideo quãuis in aliis electionibus, debeant adeſſe duæ partes vocandorũ, vt poſſint eligere, quando electio fit ante terminũ iuris, iuxta no. *de elec. c. cũ nobis olim*, ar. *l. plane. ff. quod cuiuſq; vniuerſi. no.* & *l. 3 ff de decre. abõrdi. faci* & poſtquã ſunt vocati, ſufficiat pręſentiũ maior pars, vt no doc. in *c. 1. de his quæ ſi. à maio. parte capituli:* tamen in hoc non eſt opus quod vocentur: vel ſi vocati ſunt, non eſt neceſſe quod duæ partes vocandorũ interſint, ſed ſufficiũt, vt dixi, qui ſunt pręſentes in loco quotquot ſint: quia apud eos ius reſidet eligendi. & iſtorum non ſufficit maior pars præſentium, vt in aliis electionibus, ſed debent eſſe, vt dixi, duæ partes, niſi aliter prius inter Cardinales conueniſſet, vt infra dicam. & intellige de præſentibus, qui velint intrare conclaue, vel qui intrantes perſeuerent vſque quo ſit facta, electio, vt *d. c. vbi periculum. § ſane. de elec. l. 6.* Nã pręſẽtes qui nõ intrarẽt cõclaue, vel qui intraſſent & exirẽt, nõ haberent vocẽ, nec eſſent numerandi in numero vocẽ habẽtibus: ſed eſſet tũc poteſtas ſolũ penes intrãtes cõclaue, vel in ipſo remanẽtes, etiã ſi aliquid exiuerint ex cauſa neceſſaria puta infirmitatis aut alia, vt in *d. § ſane.* quia tũc poteſtas eſſet penes remanẽtes in cõclaui, etiã ſi vnus ſolus remaneret, quia apud illũ ſolũ reſideret ius eligẽdi, vt no. *de elec. cũ nobis olim. &* in *cle. ne Romani. § porro* & ibi glo. in verbo *omnes. de elec.* ſed ſi omnes exirent in conclaui, tũc eſſent compellendi reintrare cõclaue per illos, ad quos ſpectat: de quibus in decre. prædic. *vbi periculum.* Sed hic poteſt dubitari, cũ dixerim, opus eſſe duas partes Cardinalium conſentire: an eſſet caſus aliquis, in quo poſſit ſufficere maior numerus. Dico quod ſic: ſi forte Cardinales prius ſtatuiſſent inter ſe quod electus à maiori parte ipſorũ foret papa: tunc qui haberet maiorem partẽ, quãuis non haberet duas partes Cardinalium, eſſet papa, per tex. in *d. c. licet. de elec.* ibi: *niſi maior concordia interuenerit.* Et eſt ratio: quia tunc electus taliter diceretur electus ab omnibus, ſi omnes in talem conſtitutionem conſenſiſſent: vel à duabus partibus, ſi duæ tantum partes hoc ſtatutum conſtituiſſent, quod ſtatutum duæ partes ſolæ poſſent facere, etiam aliis contradicentibus, vt in *d. ca. licet.* in *d. v. niſi maior.* &c. Et ita vult. glo. in *d. c. ſi qui. de elec. li. 6.* in verbo: *& nota.* Item dico ſi omnes conſenſiſſent compromittere in aliquos ius eligendi: tunc electus à talibus compromiſſariis eſſet papa, quia cẽſeretur eſſe electus ab omnibus, ar. *c. quia propter de elec. & c. in cauſis.* in fi. ſed in hoc caſu eſt notandum, quod compromiſſum non poſſet fieri niſi conſentiẽtibus omnibus Cardinalibus, quia diſſentienti nõ deberet fieri præiudiciũ eo inuito in voce ſua, *l. ſabinus. ff. com. diui.* quod ſecus eſt, quãdo fieret lex, quod electus à maiori parte eſſet papa, quia in tali lege nõ fieret alicui præiudiciũ in voce ſua. Et inde ſufficeret in hac lege duarum partiũ Cardinaliũ conſenſus: ita volunt Doc. in *d. c. licet de elec. & in c. vbi periculũ. de elec. lib. 6. & in cle. ne Romani. de elec.* ibi glo. in verbo: *reprobamus.* Et ratio: quia quando fit pręiudiciũ aliquibus in ſingulari, ſicut in via cõpromiſſi, tunc omniũ conſenſus requiritur. ita no. *de elec. c. quia propter.* ſecus ſi fit ſolũ capitulo præiudiciũ, vt quando ſtatuitur quod electio ſufficiat à maiori parte, vt *de conſti. cum omnes.* faciunt no. in *d. c. quia propter.*

Sed quia dixi, ſufficere duas partes præſentium, eſt dubium, qui præſentes eſſe dicantur. In hoc eſt conſiderandum, quod præſens vel abſens in iure capitur diuerſimode. Aliquando ille dicitur abſens, qui efficaciam ſermonis hominis loquentis nõn poteſt percipere, *l. 1. ff. de verbor. oblig.* & ideo ſi eſſent duæ ciuitates ita vicinæ, quod vnus exiſtens in vna, poteſt audire efficaciam ſermonis alterius loquentis in materia ſtipulationis, talis non diceretur abſens, *inſti. de verbo. obli. § item verborum.* ſed in caſu noſtro dicitur abſens ille, qui non eſt intra vallum ſiue mœnia ciuitatis, vbi eſt fienda electio, etiam ſi eſſet in ſuburbiis, vt in *d. c. vbi periculum.* & eſt ſimile in *c. cum olim. de re. iu. in ſi.* Sed vt dixi, præſens alias capitur, & abſens aliis modis, vt no. *ff. de procu. l. præſens. & l. ſi. ff. de in inte. reſti.* vnde apud duas partes illorum reſidet ius faciendi papam, qui ſunt in ciuitate, vbi debet fieri electio, & ad electionem queunt conuenire. Alii autem vocem non habent, nec computantur, niſi veniunt in de-

cendium, quo tempore debent expectari & tot diebus. Et si post decem dies veniret re integra, id est antequam electio foret celebrata, essent etiam admittendi venientes & vocem haberent, vt *d.c. vbi periculum. ver. sane.* sed quia dixi, quod absentes decem diebus debent exspectari, est dubium quando incipiunt currere isti decem dies. videtur dicendum à morte papæ, vt *d.c. vbi periculum*, propter rationē illius tex. videlicet propter periculum longææ vocationis papatus, nec currere debeat à tempore scientiæ: quia paria sunt scire vel scire debere & scire posse, iuxta no. per glo. & Doc. in *l. quod te. ff. si cer. pe.* Sed Cardinales præsentes possunt scire, quia de more & consuetudine est, vt de talibus se certificent, imputetur sibi si non fecerunt: quia non præsumitur ignorantia in his, qui quis indagare tenetur, vt no. in *c. cum olim. de testi.* & quia non est verisimile quod sit occulta: quia si aliquibus occultatio placeret, aliquibus est verisimile quod displiceat iuxta sententiam Tulii in *inuectiua contra Salustium*, dum dicit, quo respublica priuatis crescit inimicitiis, per quas veritas latere non potest. & hanc sententiam credo veram: quia istud tempus datur fauore absentium, qui verisimiliter mortem papæ in eorum absentia contingente præsumuntur ignorare, vt in *c. cum in tua. qui matrimon. accusa. poss.* & tamen currit terminus decem dierum, eis non obstante eorum ignorantia. Et ideò credo, quod etiam si mors fuisset occultata, quod currat hoc tempus à morte papæ, quia in dubio omnis dilatio est continua, vt *l. 1. ff. de diuer. & tempor. præscript.* & sic currit ignoranti, *l. si de præscri. lon. temp. & l. sicut. C. de præscr. 30. vel 40. an.* Non obstant no. maximè per Bar. in *l. genero ff. de his qui no. in fa.* Aliquando enim lex in præfixione termini requirit moram hominis: & tunc non currit ignoranti, vt no. in *d. l. genero.* Interdum non requirit hominis moram, vt in casu isto, quia præfigitur iste terminus absentibus, qui vt plurimum præsumuntur facta in ciuitate, tunc tēpus currit etiam ignoranti. Ista no. per modernos in *l. quamdiu. C. qui admit. ad bo. pos. po.* Et quia præscriptiones currunt etiam impedito impedimento facti, vt *l. 1. §. si per inundationem. ff. de itine. actu. qua priuati*, sicut hic, quando Cardinales essent ita absentes, quod infra decem dies redire non possent. Concludo igitur quod hi decem dies currant à morte papæ etiam ignorata. Et pro hac decisione videtur tex. cum glo. in *c. statutum. de preben. li. 6.* Sed vltra dubitatur: quod si Cardinales absentes sint ita in remotis, quod certissimum sit infra decem dies venire non posse: an decem diebus nihilominus sit expectandum: glo. mouet dubium in *cap. vbi periculum* in verbo: *decem diebus.* & tenet quod etiam hoc casu debet expectari decem diebus per tex. *d.c. vbi periculum*, qui loquitur indistinctè. Et quia Cardinales absentes possent forte vti felici duplomate, vt dicit tex. *de verbo. obli. l. continuus. §. cum ita.* Et qui forte intellexerant infirmitatem papæ, vnde iter ante mortem inceperunt, & sic infra decem dies poterunt peruenire, & beneficium iuris non est eis auferendum: ita dicit glo. Ego autem indistinctè teneo, quod expectandi sint: quia lapsus decem dierum simpliciter eos non excludit à iure eligendi, immò quandocunque veniunt re integra, id est, ante electionem completam: admittendi sunt, vt *d. c. vbi periculum. §. sane. in fi.* Et ideò congruum est, quod decem diebus expectentur, quia demum possunt tantum discordes esse Cardinales in conclaui, quod magna tēporalia laberentur, ita quod possent venire absentes, & à vocibus suis non excludi. & pro hoc tex. in *c. commissa. de elec. li. 6.* coniuncta *l. illa stipulatione si Calendis. de verb. obli.* & est vtilis ista inuestigatio: quia si ante lapsum decem dierum Cardinales eligerent, absentes possent mutare electionem ratione contemptus, secundum illa quæ dicam proxima quæstione sequenti.

Potest igitur esse dubiū: an si electio fiat ante lapsum decem dierū, & antequam corpus mortui papæ foret traditū Ecclesiasticæ sepulturæ: an electio teneat, vel Cardinales absentes tanquā spreti possint agere de contēptu, vel si facta est electio post decem dies, si excluso aliquo Cardinali qui volebat intrare cōclaue, & indebite fuit exclusus, an agat de contēptu, & saltim posset electionē irritare? glo. in *d. c. vbi periculum*, in verbo: *decē diebus*, videtur dicere, quod si electio fuerit facta ab omnibus aliis Cardinalibus, vel à duabus partibus, ita quod electus habuisset duas partes Cardinaliū, etiam cōputatis in numero spretis Cardinalibus, quod tunc electio teneret, & nulla exceptio opponi posset, per *d. c. licet. de elec.* Secus ergo, si cōputato spreto non hæret duas partes: quia tūc electio posset irritari, immò ego credo, quod electio nulla: quia nō habet duas partes Cardinaliū: & hic exceptio nullitatis semper posset opponi, quia surgit ex dispositione, *d. c. licet*, vt infra dicam. Ita credo si papa mādasset aliquē Cardinalē recipi in electione, alias declararet electionē nullā: sicut dicebat constitutio Martini, de qua supra mentionem feci: quia cum papa possit disponere de forma electionis futuri papæ, vt supra dixi, talis papæ electio esset nulla.

Sed hic dubium occurrit quod facto vidi: papa pronunciauerat aliquos Cardinales, ipsis tamen nondū miserat capellum, nec iuxta consuetudinem Romanæ curiæ eis os aperuerat, & interim papa mortuus est: isti Cardinales præsentes quærebant admitti ad electionem papæ: fuit dubitatum an admitti deberent. Ego dixi, quod sic: quia prælato ex sola collatione beneficii vel dignitatis quæritur ius administrandi, etiam si de consuetudine in tali beneficio requireretur installatio: vt in *c. nosti.* & *in c. suffraganeis. & c. qualiter, de elec: & in c. 1. de transla. præla.* absq; eo, quod in casu illo ipso etiā habuerint stallū inter Cardinales, & sic possessionē. Sed si non habuissent etiā stallum, sed solum fuissent pronunciati, idem credo: quia talis collatio siue, vt ita dicam, prouisio tribuit ius administrandi, & sufficit quod solum doceat sibi collatum beneficium, vel se confirmatum, vt in *c. nihil de elec.* quia ex collatione videtur habere auctoritatē nanciscendi possessionem propria auctoritate, vt no. Doc. in *c. transmissa. de elec.* Et ideò, etiam si non habuissent capellum vel os apertum, poterant administrare, quando alia nō esset Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quā non esse noui. Et ratio: quia habitus nō facit

sit prælatum, de *regu. c. porrectum.* & installatio seu oris apertio non tribuit nouum ius, vt no. Doc. in *d. c. transmissa. de elec.* licet Io. de Deo aliter sentiat, 27. *q.* 2. *si quis de spon.* & Dy. in *c. beneficium. de re. iur. in* 6. & Archi. *de preben. vñ qui li.* 6. sed primam sententiam tenet Pau. in *cle. vt hi qui de eta. & quali.* fallit in prouisis à papa ceremoniam extrauagantis bonifacii, quæ incipit *in nulliter.*

Sed tunc aliud insurgit dubiũ: quid si aliquis Cardinalis renunciauit voci suę, & noluit intrare cõclaue: an si ante electionẽ ipsum pœnituerit, & intrare velit, sit admittendus: & si non admittitur, an agat de contẽptu in casu quo posset de contẽptu agere si spret⁹ diceretur, vt in casu quẽ supra dixi? In hoc attẽdi debet causa renũciationis, si tantũ nulla subsistẽte causa legitima noluit intrare cõclaue, & voci suæ renunciauit, tunc alii potuerunt ipso deinde spreto procedere: & sic non obstante pœnitentia poterit sperni, & non admitti. tex. est in *c. vbi periculum. ver. sane. de elec. li.* 6. Si verò ex legitima causa renunciauit, puta propter iustam infirmitatem vel similem causam, tunc glo. in *dict. capit. vbi periculum ver. sane:* in verbo *sanitatem,* concludit quod ex pœnitentia admittendus sit per tex. *di. ca. vbi periculum. in di. ver. sane.* & ita tenebat Hosti. *de renun. ca. nisi cum pridem.* Et hęc sunt vera, quando renunciauit propter infirmitatẽ, vel quando est dubium propter quam causam renunciauit: quia si subsistente infirmitate renunciasset, quia tunc propter illam renuntiasse videtur. Sed si constaret, quod etiam non obstante infirmitate volebat sine ipsa infirmitate voci suæ renuntiare, tunc non essent admittendus: quia videtur tunc sponte ab electione discedere: & non est amplius admittendus, vt *d. c. vbi periculum. ver. sane. de elec. l.* 6. volunt etiam Doc. quod pluries propter infirmitatẽ possit exire conclaue, & pluries reintrare, & ad reintrandum admittendus sit.

Sed dubitatur: pone quod maior pars Cardinalium exeat conclaue, vel forte ciuitatem, aut diœcesim: Vel quid si omnes Cardinales exeant, vel conclaue non intrent: quid erit tunc fiendum? In hoc dicitur: quod si maior pars exit conclaue, vel diœcesim, etiam ex causa infirmitatis, quod potestas remanet penes alios in conclaue remanentes, vt in *capit. vbi periculum. in ver.* sane. & no. in *cle. ne Romani. ver. porrò.* & ibi glo. in verbo: *omnes de elec.* etiam si remaneret in conclaue tantum vnus, quando adest negligentia vel delictum aliorum, iuxta no. in *capit. gratum de postu. prælat.* & quando omnes exiuissent conclaue vel non intrarent, essent per Dominum temporalẽ ciuitatis, vbi fieret electio, ad reintrandum compellendi: sed si non esset potens ad compellendum vel intrandũ, tunc vicini Domini, in quorum dominio aufugissent, deberent eos ad loca, vbi deberet fieri electio, remittere, vt no. glo. in *d. cle. ne Romani.* in verbo *diœcesis.* Et hęc sunt vera, nisi, qui exiuerunt conclaue vel diœcesim, allegarent iustum metum mortis, ita quod non possent eligere libere, tunc est attendendum, an metus sit euidens vel notorius. Nam si esset notorius metus vel impressio, aut esset alterius quam Domini ciuitatis, in cuius territorio debet fieri electio, tunc ipse Dominus, si posset, per se deberet metum ipsum reprimere, & si non posset per se tunc deberet conuocare brachium & auxilium vicinorum & aliorum, qui tutum facerent, argu. 23. *quæst.* 2. *Dominus. Cod. de indi. l. properandum. §. sin autem. & in cap.* 1. *de treu. & pa.* & si nullo modo posset locum tutũ facere, vel non vellet, vel metus essent ab ipso Domino loci ipsum inferente, & esset notorius, & tunc si omnes Cardinales essent concordes possent concordare de alio loco tuto, 78. *di. c. si quis pecuniam.* & valeret cõcordatio: quoniam hoc casu ipsi propter periculum, quod imminet, habent iurisdictionem papæ: vt in d. decre. *vbi periculum. & in cle. ne Romani.* quæ iura tribuunt potestatem pontificis collegio Cardinalium, quando imminet graue periculũ. Sed non potest esse quasi maius periculum, quam cũ libere fieri nõ potest electio vicarii Iesu Christi. 23. *d. c. omnes.* Sed si omnes Cardinales nõ essẽt cõcordes, vel maior pars Cardinaliũ nõ posset de loco cõcordare, vel aliqui remanerẽt in loco periculi notorio, & alii recederẽt: quid tũc esset fiẽdũ? Credo ꝙ si duo partes in loco periculi remanerẽt, & concorditer eligerẽt, ita quod electus haberet duas partes Cardinaliũ cõputatis absẽtib. propter metũ, quod talis electio teneret, nõ obstãte absẽtia iusta illorũ, qui recedissent ꝑpter iustũ metũ, cũ nulla exceptio tunc opponi possit, vt *c. licet. de elec.* si vero nõ posset fieri per existentes in loco electio, ita quod assint duæ partes Cardinalium, tunc si illi qui sunt absentes à loco, vbi fienda esset electio, possent cum illis existentibus in loco periculi concordare de loco, locus concordiæ foret assumendus. Et si non concordarent de loco cum illis existentibus in loco periculi, tunc si maior pars collegii Cardinalium conuenissent extra locum periculi, credo quod ipsi de loco possent conuenire: quia in actibus collegii, quod facit maior pars, illud debet attendi, vt in *c.* 1. *de his quæ fi. à maio. parte. c. præterquã.* in ipsa electione papę, vbi debent cõsentire duę partes capituli Cardinaliũ, vt in *c. licet.* sed loquitur in determinatione personæ papę: nõ cũ tractatur de loci electione. Sed si pars maior nõ esset extra locum periculi, tunc credo, quod illi qui se contulissent ad loca tuta, possent interpellare cardinales existẽtes in loco periculi, vt se conferrẽt ad loca viciniora, vbi posset iusticia ministrari. Et pro hoc tex. in d. decreta. *vbi periculũ. §. porro. ver. quo casu.* Et ad illa loca deberent ire Cardinales, qui essent in loco aliis notorie non tuto. Nã est attendendũ, quod si papa moritur in aliqua diœcesi alicuius ciuitatis, quę nõ sit in actu ciuitas, sed solũ in habitu, vt quia passa aratrum, sicut ciuitas Fesulana: tunc electio debet fieri in proximiori ciuitate. & sic fieri deberet in ciuitate Florentiæ, vbi ministratur iusticia pro ciuitate Fesulana, vt *d. ver. quo casu.* Et idem, si papa moreretur in diœcesi Castellana, sub qua est ciuitas Venetiarum, electio papę deberet fieri Venetiis, per *d. ver. quo casu.* Ista sunt de mente Pauli in *cle. ne Romani. d. elec.* sic in proposito, quando in ciuitate, in cuius diœcesi papa sit mortuus, non potest ministrari iustitia, vel non ministratur propter metum, potentiam, & impressiõnẽ, quæ reparari non potest, tunc electio debet fieri in loco viciniori: quia paria sunt, non esse vel non

Digitized by Google

de iure esse, *l. in l. ff. de contrahen.empti.* Et ideo expectando existentes in loco tuto viciniori, aliOS existentes in loco periculi per decẽ dies, sufficeret. Et tunc existẽtes in loco tuto possent procedere ad electionẽ, cũ locus, vbi ipsi sunt, reputandus sit locus electionis, & non alius: & non tutus, etiam vbi alii conuenirent, quod ille non est locus. Nam verba iuris sunt intelligenda ciuiliter: quod ciuitas, in cuius diœcesi papa est mortuus, sit electionis locus, si ibi sine periculo mortis pateat tutus accessus. *l. si cui. de serui*, & *l. fi. Digest. qui satisdat. co.* non enim tenentur existentes in loco tuto se mortis periculo exponere, vt in *cap. accedens. vt lite non conte.* Et in electione Papæ maxima libertas requiratur. Et prædicta sunt vera, quando notoriè & euidenter de metu vel impressione constaret vel præsumeretur. Sed si esset dubium, quid tunc faciendum? Credo, quod si metus, allegaretur esse respectu alterius quã Domini ciuitatis vel loci, vbi debet fieri electio, tunc ipse Dominus debet huius propositi esse iudex, ex potestate sibi tradita, per hoc d. decre. *vbi periculum. §. præterea.* & si pronunciaret metum fore iustum, haberent ista dicta locum & remedia supradicta: si pronunciaret metũ non subesse, tunc qui remanerent in loco, ius eligendi haberent. Et si omnes Cardinales hoc allegarent, nec constaret notoriè, sed pronunciaretur per Dominũ loci cõtrarium, possent non obstante hac allegatione cõpelli intrare conclaue: alias facile Cardinales possent eludere constitutionẽ, *vbi periculum*, hanc formulam exceptionẽ metus allegando, & ad electionem non procedere. Et si diœcesim exiuissent omnes, essent locus remissioni, vt dixi supra. Si verò allegarent metũ timere à Domino ciuitatis, vbi deberet fieri electio, tunc non esset consonũ, vt Dominus ipse metus huius sit iudex per *l. 1. C. ne quis in sua causa ius dist.* tunc credo quod in breui & sine dilatione Cardinales possunt timorẽ notoriũ facere, quod habeant locum prædicta, quando notoriè subest metus, ar. *l. ille à quo. §. tempestiuũ. vt in pos. lega.* & eorũq; no. in *l. 1. & fi. C. de edic. D. Adriani tol.* Sed si nõ possint confestim corã Dominis vicinis & aliis honestis personis metũ notorium facere, tunc nõ obstante tali exceptionẽ, sit locus remissioni & aliis remediis, scilicet cõpulsionis intrandi conclaue, de quibus supra dixi, quando nulla subest impressio siue metus: & hoc ne sit in potestate Cardinaliũ eludere dictã constitutionẽ, *vbi periculum.* Et quia quando exceptiones requirunt alteriorẽ indaginẽ, non sunt admittendæ vbi requiritur celeritas sicut in electione, vt in iuribus prædictis, videlicet in *d. l. 1. C. de edic. diui Adri. tol.* cum si supra dictis. Et credo, quod in continenti coram honestis personis & Dominis vicinis possent docere de isto metu. sicut dicimus, quando timetur de sententia iudicis, quod sufficit appellare coram eodem honestis personis, vt in *c. fi. de appel.* & Doc. in *l. de pupillo. §. si quis ipsi pretori. ff. de no. ope. nuncia.*

Sed pone, quod omnes exiuerunt conclaue: aliqui vel vnus in continenti reuertũtur, vel reuertentes sine vlla mora vel expectatione aliorũ, an possunt procedere ad actum eligẽdi? glo. in *d. cle. ne Romani*, dicit quod sic, quando qui exiuerunt, non habuerunt aliquã causam iustã exeundi: & est tex. in *cle. § porro. ver. Cardinales.* Et idẽ credo, quod si habuerunt causã exeundi prætextu infirmitatis vel debilitatis, quia alii reintrantes soli ius habẽt eligẽdi: sed si exiuissent prætextu metus, tũc si esset purgatus, qui citius reintraret, haberẽt eligẽdi ius cũ aliis tẽpore quomodo expectato; quo purgato metu redire potuerũt. quia quod aliqui expectarẽtur in hac electione, nisi per decẽ dies à morte papæ, non est à iure cautum.

Sed dubitatur, quia dixi supra, quando omnes non intrant conclaue, vel omnes exeunt, quod sunt à Domino ciuitatis compellendi: vel quando intrassent & exiuissent, essent reintrare compellendi, vt in *cle. ne Romani.* an idem erit in parte eorum qui non intrauerint, vel qui intrauerint & exiuerint, vt possint ad intrandum compelli? Ad hoc resondetur: quod si aliqui intrauerint conclaue, alii qui non intrarent, non sunt intrare compellendi: quia priuauerunt se sua voce eligendi sine causa renuendo intrare, vt in *d. c. vbi periculum. ver. sane. de elec. li. 6.*

Quando intrassent & aliqui exiuissent, an sunt compellendi? quidam dicunt quod sic: quia in *cle. ne Romani*, nulli excusantur Cardinales, quin intrare compellantur, nisi in casu infirmitatis vel debilitatis: ergo his casibus non existentibus videntur posse cõpelli. Ad hoc facit: quia si forte intrabũt, trahunt alios in suam sententiã, *de elec. c. bene asserendo. & in c. sicut.* Et pro ista parte facit, quia non est maior ratio compellendi omnes quam aliquos. *& §. sane. in c. vbi periculum*, loquitur, quando ab initio aliqui intrant, & aliqui non, vt tunc qui non intrauerunt, careant voce: non vero quando intrauerunt & exeunt, quia non videtur maior ratio compellendi parte quam omnes. Ego autem teneo: quod quando aliqui exiuerunt, non sunt ad reintrandum compellendi, per tex. in *d. ver. sane.* & quia quanto pauciores erunt intrantes, tanto citius concordabunt, & minor erit dissentiendi facultas. & ideo soli, qui remanserunt in conclaui, debent eligere, ar. *cle. ne Romani in ver. cæterum.* & quia nullus inuitus cogendus est eligere, sed potest suæ voci renunciare, *de elec. c. in causis*, & *de regn. c. ad Apostolicam.* quia si aliqui inuiti intrarent, posset magis scandalum facere quam proficere. Et quia tex. solum dicit, quod sunt compellendi, quando omnes exiuerunt, vt in *d. cle. ne Romani*, non verò, quando aliqui, qui solum perdunt vocem, vt *d. ca. vbi periculum, ver. sane*, qui tex. non debet intelligi correptus per *cle. ne Romani*, nisi in casu expresso, quando omnes exirent: quia per subauditos vel tacitos intellectus valet, quod idem debeat dici, quando pars exiit Cardinalium, sicut cum dicitur de omnibus. ar. de toto ad partẽ nõ debet induci legũ correptio, vt no. glo. in *c. cupiẽtes. §. quod si per viginti. de elec. li. 6.* Et quia non dicitur intrasse, qui nõ stetit vsq; in fi. vt *l. si pro parte. §. versum. ff. de in rem verso.*

Vlterius dubitatur, quia dixi, quod iurisdictio & potestas papalis non transit in collegiũ Cardinaliũ defuncto papa, sed secus sit in aliis collegiis, vt *c. cũ olim. de maio. & obe.* nisi in vno casu, quãdo aliquod inopinatum occurrit ardũm periculum, vt in *c. vbi periculũ. §. idem quoq; Cardinales. & in cle. ne*

Romani.

Digitized by Google

Romani. pone igitur, quod occurrit magna rebellio terrarum Ecclesiæ. Quare Domini Cardinales vellent vnum mittere Cardinalem pro statu ecclesię: ille renuit dicens, quod vult electioni Papæ interesse: an potest cogi ad eundum & demittendum electionem, ita quod non possit agere de contemptu, vbi electus non haberet duas partes eo computato & prius spreto? videtur quod sic: quia sicut Episcopus potest præcipere suo clerico, vt peregrinetur pro vtilitate suæ Ecclesiæ. 7. q. 1. *cap. quamuis.* Contrarium, quia iste Cardinalis est æqualis aliis & conindex cum eis: & ideo non possunt ei demandare, *l. nam magistratus. de ar.* Item quia *c. vbi periculum*, loquitur, quod possint cardinales in casu periculi ea quæ papa, quando Cardinales omnes concordant. sed vnius contradictio facit, quod non dicitur cōcorditer factū, vt no. glo. in *cle. ne Romani*, in verbo: *cōcorditer. de elec.* Nō obstat no. in *c. cū nobis. & c. cord. de elec. & 55. di. Apostolicā*, in quibus iuribus dicitur, quod electio facta censetur concorditer, quæ est facta à maiori & saniori parte capituli: quia ibi est cōtra significationē vocabuli delata iuris interpretationē. Et ideò si papa mandaret electionem concorditer celebrari, si vnus contradiceret, non esset mandato satisfactum. Item si electo Vltramontanus vnus contradixit, electus ille talis nō poterit administrare vt electus in concordia, vt no. *de elec. c. nihil.* faciūt no. in *c. sapientes. §. ad hoc, de elec. li. 6.* in verbo: *concorditer.* Sed an aliqua exceptione possit aliquis Cardinalis ab electione repelli, vel ex causa hæresis, vel excommunicatione, vel suspensione vel interdicto, est declaratum per *cle. ne Romani. ver. cæterum. de elec.* quod nulla exceptio istarum exceptionum Cardinalem ab electione repellat, etiam si sit notoria. Non obstat quod ista exceptio videtur licita an illi cōmunicent isti excommunicato peccent: quia hic cōmunicatur iuris auctoritate, ideo non peccatur, *l. gratiā. C. de adul. & in l. seruus. si quis riuum. ff. de riuis.* Et idem videtur si esset exceptio excommunicationis propter hæresim: quia tex. in *cle. ne Romani in ver. cæterū*, loquitur indistincte, dum dicit, *cuiuslibet excommunicationis*: ergo illa hæresis non repellit electum papam, licet posset de hæresi accusari, vt no. in *c. a. licet, de elec.* per Doc. ita videtur in negligentibus, vt exceptio hæresis ipsos non repellat. Et hoc, vt euitetur periculum diuturnæ variationis papatus, & etiam schismatis. Et quia hæreticus & excommunicatus æquiparantur, 4. q. 1. *quod autem*, & sicut nulla exceptio excommunicationis repellit Cardinalem à iure eligendi, ita nec exceptio hæresis etiam notoria: & licet hæreticus videatur ipso iure dignitate priuatus, vt in *c. cum secundum leges. de hæretic. in 6. & 9. di. ca. nulli fas*, tamen donec toleratur in dignitate ista exceptio hæresis non repellit eum à iure eligendi, ar. *l. Barbarius. de offi. præfec.* quia non esset iudex, qui de hac causa cognosceret: quia dum est toleratus Cardinalis, ipse est par aliis Cardinalibus. ideò ipsi de hac exceptione non possent cognoscere: & ideo cautus est, quod hac exceptione non obstante ipse admittatur.

Sed vertitur dubium. aliquis antequam haberet duas partes Cardinalium eum eligentium fauore tertiæ partis tantum, vel aliquorum qui ipsum eligerunt se gessit pro papa, & alii demum consenserunt per viam accessus, vel visi sunt consentire: an iste talis papa censendus erit? videtur quod sit papa, & nulla exceptione possit submoueri, cum habeat duas partes Cardinalium. *d. c. licet, de elec.* Et licet eas non habuerit ab initio, saltim ex postfacto debet habere posse per accessum, *d. c. licet.* Cōtrarium est verū: nullus debet pati se assumi ad Apostolatus officium, nisi qui duas partes habuerit Cardinalium: quod si aliter quis sibi pontificatus summi vsurpauerit potestatē, ipse & qui eum recipiunt excommunicationis sententia, & totius sacri ordinis priuatione multetur. iste est tex. in *d. cap. licet. §. si quis autem. de elec.* & si est excommunicatus, eligi non potest, *de cle. excom. in c. si celebrat.* no. *de consue. cum dilectus.* & hæc exceptio cum proueniat ex dispositione ipsius *c. licet*, potest opponi etiam quamuis in ipso c. sit vetitum, quod nulla exceptio possit opponi contra eum, qui duas partes habet Cardinalium. ar. *l. 1.* & quod ibi no. *ff. quod vi aut clam.* & eorum quę no. in *l. ita pudor. de adul.* & no. moderni canonistæ *de resti. spo. c. item cum quis. §. non est præsumendum*, quod qui condidit canonē *c. a. licet*, & dixit nullam exceptionem opponi posse, non est credendū, quod voluerit corrigere id quod dixerat de apostatico & vsurpante cathedram Petri, nec habente duas partes Cardinalium. Et hæc sunt no. quia quod dicitur, quod quomodocunq; constet, quod quis habeat duas partes Cardinaliū, ille sine vlla exceptione pontifex est habendus, vt hæc non habeat locū in eo, qui per ante se iniuste intruserit in cathedram Petri. Et hæc responsio, quæ fieri poterat contra electionem Vrbani tempore schismatis, quia consensus Cardinalium præstitus postquam incepit se gerere pro papa, si nondum erat, ipsi prodesse nō poterat: quod intelligo, nisi fortè ipsum intrusum pœnituisset de intrusione, & reconciliatus fuisset per illos, qui ipsi non adhæserant apostatico, & postea in eū consensissent, etiam aliis qui eum in papam reputauerunt non amissis: quia non delinquentes non tenentur secum amittere delinquentes, vt in *c. cum vintoniensis, de elec.* Est tamen in hoc articulo attendendum, quod aliqui voluerunt, quod tunc demum sit locus pœnæ dicti *c. licet*, quod apostaticus & eius adhærētes incurrant prædictas pœnas, quando esset facta de alio electio canonica à duabus partibus: vt si aliquis se demum gerat pro papa siue antipapa, habeat locum pœnæ *dictio*. Et ideò si esset facta simpliciter electio à tertia parte, non facta de alia electione à duabus partibus, non esset locus pœnę *dicti c.* secūdum Inno. patet quia licet tertia pars eligat, & non plures, potest esse locus accessioni, vt alii accederent, & esset papa, quod non esset, si electio esset nulla, & eligentes excommunicati. quod credo verū, quādo simpliciter tertia pars processit ad electionē, electus tamen se non reputasset papam: quia tunc siue de alio esset facta electio à duabus partibus, siue non electus à tertia parte. Et Cardinales qui ipsum elegissent, si se non gessit pro papa, & ab eis reputatus non est, non incurrissent pœnam *dicti ca.* Ratio est: quia hæc pœna imponitur gerenti se pro papa, & aliis talem papam reputantibus:

Digitized by Google

non verò imponitur aliquibus simpliciter papam inutilem eligentibus, vel ipsi electo, si ex tali electione se papam non faceret siue reputaret. Et ideò pro clariori doctrina suscipio omnes casus. Nam aliquando quis est electus à duabus partibus: & est electus alius à tertia parte: tunc si electus à tertia parte sola patitur se haberi pro papa, indubitatum est quod incidit in excōmunicationem ipse & eū reputantes, vt *d. c. licet*. Sed si esset simpliciter electus à tertia vel minori parte duarum partium, & se non gereret pro papa, adhuc non haberet dubium, quod nullam pœnam incurreret: quia pœna imponitur, quando electus se gerit pro pontifice. Si verò vnus est electus tantum, sed non electus à duabus partibus, tunc si electus à quocunq; velit, si incipit se gerere pro papa non habens duas partes, siue alius etiam sit electus siue non, ex eo quod se gerit pro papa non habens vocem duarum partium, est locus dictæ pœnæ. *d. c. licet*: nec poterit postea fieri accessus, per ea quæ dixi supra, nisi eum qui forte penituisset & reconciliatus fuisset, vt dixi supra.

Sed dubitatum vidi quādo accessioni vocum aliorū cardinaliū locus sit: ita quod electus dicatur habere duas partes Cardinalium. Quidam volunt dicere, quod accessioni locus sit demū, quando electus habuit saltem maiorē partem Cardinaliū, per tex. *d. c. licet*, ibi: *nisi maior concordia*. veritas est, quod ego credo quod accessioni locus sit etiam quando vnus haberet tantum vnam vocem, per tex. *c. licet*, qui dicit, *à paucioribus quam à duabus partibus*. sed quis habet tantū vnam vocem vel tertiā partē vocū, habet minus quā duas partes: ergo est locus accessus. Et potest ista accessio fieri quandocunq;, antequā sit electus aliquis canonice alius, licet cardinales habeāt de consuetudine quod demum pendente scruptinio sit locus accessioni, & dicitur pēdere, donec de voluntate cardinaliū dissoluatur, vel donec ad alios actus extraneos diuerterint. Credo tamen ante & post possit fieri accessio, antequam inchoassent nouū scruptiniū, vel alium elegissent. Sed est dubiū, vtrum quando quis vnus habuit habuit tantum vnam vocem, an ille qui illam dedit, possit reuocare vt accessioni locus non sit? Hosti. dicit, quod non, nisi postquam scruptinium est dissolutum secundum modum supra dictum, ne præiudicet accessiui qui fieri potest. iste tamen Cardinalis, licet non possit reuocare vocem, quam semel dedit, potest tamen vel alii similiter dare, vel ad electionem alterius accedere. Sed vertitur adhuc dubium: an in hoc numero duarum partium sit computanda vox electi? videtur quod sic, *de elec. c. cum in iure*. glo. in *d. c. licet*, determinat contrarium. In hoc ego dico, quod aut electus non est de numero Cardinalium, vel illorum qui vocem habent in eligendo, vt quia forte esset ex conclaue: & tunc planum, quod eius vox computari non debet. Aut eligitur Cardinalis qui vocem habet, tunc aliqui doctores dicunt, quod si eligitur per formam scruptinii, tunc vox non cōputetur electi si per viam cōpromissi fit. Ratio: quia in scruptinio exigitur vox certo & determinato tempore, vt *de elec. auditis*, videlicet in tempore scruptinii, & electus consentit demum post scruptinium: ideo eius vox non auget. Sed in compromisso voces non exiguntur determinato tempore: ideò vox sequens auget. Ego verò credo, quod in omni electione accessioni locus est, etiam si fiat per viam scruptinii, vt in *c. licet*. & ideò quia ex postfacto potest fieri accessio, ergo semper potest sui electioni electus consentire, & vox sua cōputanda erit, vt dixi. Quædam tamē *extrauagans* Inn. quarti, quæ vult, quod vox electi in duabus partibus non computetur, sed si duæ partes non possent concordari, quod esset remedium, tunc esset reuertendum ad disposita in *c. vbi periculum, de elec. l. 6*.

Nunc est expedita prima fallentia, qua est dictū, quod hæc electio nulli formę subest, nisi quod duæ partes Cardinaliū requirantur cum aliis vsq; ad illā fallentiā qua dicitur quod statim quod est electus vel receptus potest papatū nancisci propria auctoritate, & est continuo papa, & continuo potest in Apostolatū nancisci. Vtrū autē statim ante coronationē possit se scribere pontificē? tex. videtur quod sic, in *d. c. licet*. de quo Io. An. no. *super data. 6. l.* qui dicit quod sic. Et ex hoc infertur, quod ex sola electione absq; eo quod indigeat confirmatione habet plenam administrationē, *6. q. 1. factus est Cornelius. Et 23. di. in nomine Domini*. Et attendendū, vt ibi dicit Huguicio, quod aut electus nō erat ante Episcopus aut in sacris, tunc dicit quod potest administrare solū iurisdictionalia vel illa quæ cōpetunt ordini quem prius habebat. Et si nullū habuit ordinē, nō potest ea quæ sunt ordinis, nisi postquam fuerit ordinatus: quia qui non consecrantur, aliū consecrare vel ordinare nō potest, *68. di. presbyter, & 69. dist. quoniam multos*, Ex sola igitur electione vel nominatione animo eligendi habet ius papatus etiā sine alia receptione vel ad osculū vel ad obedientiā, vel sine alia inchatedratione vel inthronisatione, vel ex his solis etiā sine alia electione propter verba *d. c. licet de elec.* dū dicunt: *electus & receptus*, quæ exponuntur *vel receptus*, vt supra dixi.

SVMMARIVM.

Pontifice electo exceptiones quæ sint, quæ contra eum, vt Pontificatum amittat, opponi possunt, vt vel ex defectu causæ agentis, vel causæ materialis, vel causæ formalis.

CAPITVLVM X.

NVnc videamus de alia specialitate, videlicet an aliqua exceptio possit opponi contra electum: ex dictis supra plurimæ exceptiones videntur abolitæ. Et primo illa non obstat quod electio nō sit facta capitulariter. Item est visum supra, si electio potest irritari, quia aliquis vel aliqui Cardinales sint vel fuerint spreti, & ad electionem non admissi, vel non vocati, vel quod forma capituli *quia propter, de elect.* non sit seruata, vel forma *c. vbi periculum, de elect. li. 6.* vel quod Cardinales omnes fuerunt excōmunicati, vel hæretici, vel decē diebus non expectatis, sed electio celebrata ante lapsū decem dierum, omnibus istis exceptionibus reiectis, Electus in papam à duabus partibus Cardinalium vel

Digitized by Google

vel receptus, est pontifex, his exceptionibus non consideratis. Nulla igitur exceptio videtur obstare electo, quin sit papa, etiam hæresis vel alia, per tex. in *d. c. licet, de elect.* ibi: *sine vlla exceptione* &c. Sed contra istam sententiam obstat: quia si papa potest repelli à papatu propter hæresim, & propter hoc ad eum repellendum detur actio, vt 40. *di. si papa*; fortius igitur videtur danda exceptio, vt in *c. qui ad agendum. de re. iur. in 6.* qui tex. sumptus est de *l. inuito. § cui damus. ff. de re. iur. & l. 1. §. quod autem ait. in fi. ff. de superficie.* vnde videtur contra papam obiici posse excipiendo, quod non est capax papatus, quia hæreticus, & non de ouili ecclesiæ. Item etiam quia vbi à iure omnis exceptio est remota, illa videtur posse obiici defectus potestatis agentis, videlicet quod qui papam elegerunt, non erat Cardinales, vel erant hæretici, vel notorie excommunicati, per ea quæ no. glo. fin. in *cle. 1. de seque. pos. & fruct.* & hoc probat tex. 79. *di. si quis pecuniam*, vbi tex. vult: quod *si quis sine canonica electione in Apostolica sede intronisatus existat, talis non vt Apostolicus, sed apostaticus anathematisetur, & à sede Apostolica pellatur.* multo ergo fortius exceptione debet à sede Apostolica posse repelli. Item pro hac parte videtur tex. in *c. vbi periculum. in prin. in §. porro. de elect. li. 6.* Nam ibi est tex. dans formam electioni pontificis, quod debeat fieri in palatio, in quo mortuus pontifex habitabat, & in conclaui in dicto palatio existenti, vt in §. *porro* dicitur, quod *si moritur papa extra ciuitatem, tunc debet in ciuitate, in cuius districtu vel territorio papa mortuus est, nisi sit interdicta vel reperta rebellione contra ecclesiam persisteret.* Iste ergo tex. videtur dicere, quod si fiat in terra interdicta, electio non valeat, & hæc obiici possint. Item negari non potest, quin forma sit tradita, quod papa ille sit, qui fuerit electus vel receptus à duabus partibus Cardinalium, vt in *d. c. licet, de elect.* oportet ergo quod vt hæc forma seruetur, concurrat agens & patiens, & quod eligentes vel recipientes sint Cardinales: aliter receptio sit nulla, & hæc exceptio obiici possit, vt 79. *di. si quis pecuniam*, & ibi tex. in *c. licet* præallegato. Et quod electus sit capax vel receptus, quia forma non potest esse sine materia, & actus actiuorum secundum philosophum sit in patiente disposito, vt in *l. 1. ff. de tutel.* dum tex. dicit: *in capite libero.* & in *l. stipulationes non diuiduntur. ver. celsus, de verbo. obli.* Et ideo si receptus vel electus mulier, non videtur valere, cum non sit capax ordinis. Idem si sit infans vel furiosus, eadem ratione. Idem si hæreticus, cum papa debeat esse de ouili ecclesiæ, sicut Imperator, 23. q. 8. *conuenior.*

Ex quibus videtur, quod multæ sunt exceptiones, quæ possent obiici contra papam. Et ideo ego pro solutione istarum contrarietatum considero in hac electione causam agentem, i. Cardinales eligentes; causam materialem, i. ipsum electum; & causam formalem, i. ipsam electionem. Quantum ad primum, si excipitur quod non fuit electus à Cardinalibus, quia qui intruserunt eum in papatu, non fuerunt Cardinales; vel quod si erant, non præstiterunt ipsi intruso consensum, & talis admittitur, vt est tex. 79. *di. si quis pecuniam.* Et idem si obiicitur, quod non habuit voces duarum partium Cardinalium. ratio: quia hæc exceptio est permissa ab ipso *c. licet*, & quãuis in ipso capitulo tollatur omnis exceptio, nõ tollitur illa quæ prouenit ex capite eiusdem legis *l. 1.* & quod ibi no. *ff. quod vi aut clam.* no. canonistæ moderni, *de resti. spo. c. item cum quis.* Et idem dico, si obiicitur ei, quod habuit consensum seu voces Cardinalium, postquam se intruserat in papatu, & cum iam erat excommunicatus & priuatus ordine clericali, vt dicit tex. in *d. c. licet:* tunc tales exceptiones admitterentur. ratio: quia iure omnis tollitur acceptio contra electum vt papam, vel cõtra aliquem actum gestum: ibi nihilominus semper admittitur exceptio, quod actus ille non fuit gestus. & ideo cum omnis exceptio repellatur contra eũ, qui à duabus partibus fuerit electus vel receptus, non tollitur illa quæ non sit vel fuerit electus vel receptus à duabus partibus. Nam lex dicit electum vel receptum ante omnia: ergo debet constare electum vel receptum, *l. 4. §. condemnatum, de re. iudi.* Et ideo dicunt Doct. quod si lex vel statutum dicit, quod contra instrumentum vel sententiam nulla possit exceptio opponi, illa tamen opponi poterit, quod non sit instrumentum vel sententia. facit *l. non ignorat. Cod. qui accu. non pos.* Potest ergo obiici, quod non sit electus, vel à duabus partibus non sit electus, vel qui eligerunt non erant Cardinales: quia lex dicit de electo vel recepto à duabus partibus: vnde ante omnia debet constare quod iste sit talis. Item possent opponi aliæ exceptiones permissæ à *d. c. licet*, quas supra retuli: videlicet quod priusquam habuisset consensum duarum partium Cardinalium, vsurpauerat papatum vel cathedram Petri: quia quando tolluntur à iure omnes exceptiones, non tolluntur illæ, quæ sunt ex eadem lege & capitulo eiusdem l. reseruatæ: sed aliæ quæ ex aliis iuris dispositionibus essent introductæ.

Sed an admitteretur exceptio, quod Cardinalis aliquis vel aliqui vel omnes essent hæretici, vel excommunicati, siue alias criminosi forte notorii? credo, quod si erant damnati de hæresi, ita quod non essent amplius in numero Cardinalium tolerati, quod ista exceptio admitteretur: quia non erant plus Cardinales. & exceptio quod fuerit electus à non Cardinalibus, admittitur, vt dixi, & per tex. *dict. cap. licet*, & *dict. cap. si quis pecuniam.* 79. *di.* & hoc, quando omnes essent depositi. alias si duo vel vnus fuissent depositi, tunc est videndum, si electus habuit duas partes Cardinalium, isto deposito vel damnato non computato: & tunc non obstante, quod iste damnatus fuerit admissus, valet electio: quia nulla exceptio opponi potest. secus si non haberet duas partes, nisi isto deposito computato, quia tunc non connumeraretur seu connumerandus esset in numero. Sed si Cardinales erant hæretici, sed tolerati, tunc tales exceptiões non irritabunt electionem. ratio, quia vt gesta valeant à prælato, sufficit eum esse in quasi possessione prælationis & administrationis iure vel hominis auctoritate, & quod habetur pro prælato, vt not. in *c. nihil. de elect.* Nec obstat glo. in *clemen. 1. de seque. pos. & fruct.* quia illa debet intelligi, quando sententia erat nulla

Digitized by Google

ex carentia iurisdictionis veræ vel putatiuæ. Secus vero si ille qui tulit, erat in quasi possessione illius iurisdictionis & reputatiue talis erat, vt talis exceptio non possit opponi, per text. in *clem. ne Romani. ver. cæterum. de elec.* qui tex. loquitur quod non repellatur ab electione fienda: minus ergo irritatur iam facta. Vel potest dici, quod glo. in *d. clem.* 1. loquitur quando subest iudex, coram quo possit talis exceptio ventilari, vt tunc committatur talis exceptio. secus quando non est iudex actu iam facto vel in fiendo: quia tunc talis exceptio non admittitur, sed sufficit, quod sit in quasi possessione illius iuris ille talis actum celebrans. vel potest dici, quod si certam formam naturalem vel positiuam etiam in causa agente consideratam ius considerat, & in cæteris omnes exceptiones repellit, & tunc si illa forma naturalis vel positiua ab ipsa lege actum requirente requisita interueniat sufficit, & aliæ exceptiones in causa agente ab aliis partibus iuris alias competentes repellentur, vt *d. c. licet,* coniuncta *cle. ne Romani. de elec. in ver. cæterum.* Et ideo si affuit consensus Cardinalium, qui est actus naturalis: item duarum partium Cardinalium, quæ est dispositio positiua, certe etiam aliæ exceptiones etiam Cardinales concernentes, & sic causam agentem concernentes reiicientur, vt *d. clem. ne Romani.* sed si lex requirens simpliciter actum, remouet omnem exceptionem solum ab actu, non cõsiderata in aliquo causa efficiente, ita quod à causa efficiente actum exceptionẽ non remouet: tunc omnis exceptio remouens causam agentem ab actu admittitur contra ipsum actum, etiam si de iure contra actum nulla exceptio possit opponi. & ita loquitur glo. in *clem.* 1. *de seque. po. & fruct.* ratio: quia exceptio inficiens causam agentem inficit ipsum actum, quando de ea potest opponi. sed si etiam omnis exceptio est remota, non solum ab actu, sed à causa agente, tunc non potest alia exceptio opponi. & ideo in electione papæ admitteretur exceptio, quod eligentes non erant Cardinales, vel quod non habuit consensum Cardinalium, vel quod si habuit consensum Cardinalium, non tamen habuit duarum partium: quia ista est forma à iure requisita respectu Cardinalium agentium. aliæ autem omnes exceptiones, etiam concernentes Cardinales agentes, repellentur, licet introductæ ab aliis iuris dispositionibus per iam dicta, etiam si forent notoriæ. Non obstat per Guil. de Mõte Lauduno in dicta *cle.* 1. *de seque. pos. & fruct.* qui voluit, quod exceptiones notorias, etiam ab alio capite prouenientes quam ex carentia iurisdictionis, iudex potest admittere, in *d. clemen.* 1. quia illud intelligo verum, quando superest iudex, qui velit & possit de iure supplere, vt est in notoriis, *de caus. pos. & propri. c. pastoralis.* sed si iudex non superest sicut in causa electionis papæ. quia facta electione à duabus partibus Cardinalium non est qui iudex sit, vt *c. licet, in fi. de elect.* Et etiam aliæ exceptiones notoriæ non poterint opponi. Et pro hac sententia facit, quia licet remoueantur exceptiones, non tollitur officium iudicis, vt *l. plane in fi. ff. de peti. here.* & quia in multis casibus repellitur opponẽs, & tamen non tollitur officium iudicis, vt no. Inno. *de censi. c. cum olim.* no. Io. 2. *q. 7. ca. alieni.* no. *de elec. c. si forte. li. 6. e. ti. c. vt circa,* cum ibi no. *ad fi. cum si.* Sed si etiam tolleretur iudicis officium, vel quia non esset iudex, vel si foret à lege contra actum, esset sublata omnis defensio parti, tunc credo quod iudex non posset supplere nec ad partis instantiam, cum ei esset defensio sublata, nec ex officio proprio supplens de facto, quia si parti denegatur audientia, & iudicis officium, vt est tex. in *l. non solum. § fi. ff. de iniuriis.* Sed quod esset tunc remedium, no. Bar. in *l.* 1. *ff. quod vi aut clam.* Et prædicta sunt vera, quando lex tolleret exceptiones nullitatis prouenientes ex carentia iurisdictionis, quando est iudex, qui possit de ea cognoscere & pronuntiare. secus si ius non tolleret exceptionẽ nullitatis, sed eã differret. nam tunc differret eas etiam quæ prouenirent ex carentia iurisdictionis. tex. est in *clem.* 1. *de re iudi. in* 2. *responso.* quia ibi erat ante sententiam ab interlocutoria appellatum: & sic sententia lata erat nulla ex defectu iurisdictionis: & tamen talis exceptio non admittitur, etiam si foret notoria: & ita sentit ibi glo. in verbo: *pendere.* & hoc quoniam ibi non tollitur exceptio, sed differtur. Et ita ibi tene, quicquid ibi dicat Lapus.

Et ideo resumo per conclusiones: an quando lex tollit omnẽ exceptionem, an tollantur solum friuolæ? & certe sic, quod solum friuolæ remissæ censentur, vt *l. ita pudor. C. de adulteri. & in c. ex parte. de offi. dele.* aliquando remittit expressè omnes exceptiones, & non etiam friuolas: & tunc videtur remissæ dilatoriæ, quæ sunt modici præiudicii, *l. quotiens. C. de preci. impe. offe. & in c. qua in ecclesiarum. de consti.* Aut dicit omnes exceptiones dilatorias vel peremptorias, & tunc licet sint remissæ exceptiones, potest implorari officiũ iudicis, *l. plane. ff. de peti. hæret.* nisi statutum tolleret omnem defensionẽ, quia tunc quidem foret remedium recurrerem ad notata per Bar. in *l.* 1. *§. deniq. ff. quod vi aut clam.* Sed quando lex vel princeps tollit omnem exceptionem & defensionem. Et tunc aduerte: nam aliquando lex requirit substantiam actus cum certa qualitate, & contra ipsum actum in substantia sic qualificatũ vult nullam exceptionẽ posse admitti: & tunc omnes exceptiones denegantes actus substantiam vel illam qualitatẽ requisitam ad esse opponi possunt. Et ideo cum *c. licet. de elec.* dicat, quod cõtra electum & receptum à duabus partibus Cardinalium nulla exceptio admittatur, certe admittentur exceptiones, quod qui elegerunt, non erant Cardinales, 78. *di. si quis pecuniam:* vel quod non consenserunt, vel receperunt eum: vel quod non fuerunt duæ partes Cardinalium. Et ideo si statutũ dicit, quod contra instrumentũ confessionatũ nulla opponatur exceptio, potest opponi, quod non sit instrumentũ siue ex defectu agentis, quia nõ notarius qui cõfecisse dicitur: siue respectu formæ, vt quia non habebat annos domini, Indictionẽ, & alia, de quibus in *l. generali. C. de tabula. li.* 11. siue ex defectu materiæ, quod non sit rogatus ab ambabus partibus vel sit de delicto confessũ instrumentum, quod non licet, vt in *c.* 2. *de fide instr.* Item potest obiici, quod ibi non est confessio vel non est confessionatum, non tamen poterit opponi quod sit simulatus contractus. ratio, quia simulatio improbat con-

contractum, non instrumentum, vt in toto titulo. *C. plus va. quod agitur*, coniuncta *l. 1. C. si quis al. vel si-bi*. Et est ratio prædictarum, quia qui denegat substantiam actus vel qualitatem in eo requisitam, dicit ipsum nullum. vnde quantumcunque sint remotæ omnes exceptiones ab actu, non tollitur illa nullitatis denegans substantiam actus vel eius validitatem: quia exceptio nullitatis non est propriè exceptio, vt no. in *l. 1. C. de iur. & fac. ignoran.* ita quod eam opponens debeat ab ea proponenda excludi, nisi lex etiam nullitatem excluderet. nam tunc aut esset nullitas, quæ prouenirет ex defectu causæ agentis: & tunc si aliquæ tantum exceptiones nullitatis respectu causæ agentis essent reseruatæ, illæ solum possunt opponi, vt *dict. c. licet, de elect.* coniuncta *clemen. ne Romani. de elect. in §. cæterum*: aliæ autem dispositiones aliorum iurium prouenientes non, vt no. in *dict. cap. licet*, sed si exceptionibus nullitatis respectu causæ agentis nil esset dictum, tunc aut esset exceptio nullitatis dilata non in totum sublata: & tunc exceptio nullitatis etiam ex carentia causæ agentis non poterit opponi, in *clemen. 1. de re iudi.* Aut non differtur, sed tollitur in totum: & tunc etiam vbi esset prohibita exceptio nullitatis, potest opponi exceptio nullitatis prætextu causæ agentis, vt no. in *clemen. 1. de seque. pos. & fruct.* & hoc vbi esset iudex, qui posset de ea cognoscere: secus si iudex non superesset, vt quia de facto non esset, sicut in causa electionis papæ, quando diceretur quod Cardinales essent vel fuissent hæretici excommunicati. nam cum de tali exceptione non sit iudex competens, *dict. cap. licet, in fi.* non obstabit nec erit locus exceptioni. & idem si iudex non sit, vtputa quia sit sublata defensio, per iam dicta: quia tunc talis exceptio non poterit opponi, quamquam notoria, etiam quæ inesset in ipso actu. nam licet quando inest & constat ex ipsa inspectione, iudex posset ex officio supplere etiam in notoriis, vt *l. vbi pactum*, & ibi glo. *Cod. de transactio.* tamen cum sit præclusa via parti talis defensio, tunc etiam erit præclusa via iudici, *d. l. non solum. §. fi. ff. de iniuriis.* & hoc quando l. dicit, quod sit defensio omnis sublata. quo casu si dicit, quod sit sublata omnis defensio donec executio fiat, tunc deberet soluere, & postea repeteret: quia licet statutum non possit tollere defensionem, quæ est de iure naturali, vt in *clemen. pastoralis, de re. iudi. & l. facultas, Cod. de iur. fi. li. 10.* tamen potest dare modum defensioni, vt non audiatur in sua defensione, nisi facta primo executione. Simile dicitur in excommunicato, cui non auferetur defensio, vt *de iudi. intelleximus.* nam si potest petere absolutionem & contemnit, potest sibi denegari defensio: quia non est irrecuperabilis ablatio defensionis, quia absolutus audietur. & ista est vera ratio, quare potest denegari sibi audientia, quia non tollitur sibi defensio absolute, tamen irrecuperabiliter, quia tunc statutum non valeret: & ideo dixi, quod licet non possit opponi contra instrumentum, ita quod auferatur omnis defensio, tamen si habet forte exceptionem solutionis, poterit implorare officium iudicis; illud latum primum, quo omnia expediebantur manu regia, *l. 2. ff. de ori. iur.* faciunt not. in *c. quæ in ecclesiarum, de consti.* & ita consului Ferrariæ. Si vero non opponitur exceptio concernens substantiam actus à iure requisiti, vel eius qualitatem, sed quæruntur aliæ exceptiones à iure prouenientes opponi: tunc aut exceptiones descendunt ab eadem lege vetante exceptiones proponi, & intelliguntur prohibitæ aliæ exceptiones, quam illæ quæ sunt in eadem lege permissæ per *l. 1.* & quod ibi not. *ff. quod vi aut clam.* not. in *d. cap. item cum quis, de restit. spo.* ad hoc, ne videatur in eadem lege incontinenti se corrigere, *l. nam ad ea. ff. de condi. & demo.* sed si sunt exceptiones, quæ descendant ex aliis partibus iuris, tunc si non sunt exceptiones concernentes ipsum ius, contra quod est facta prohibitio, ne proponantur exceptiones, sed concernunt aliud & poterunt opponi: vt si lex dicit, quod contra sententiam nulla exceptio admittatur, admittetur tamen exceptio, quod agens ex ea est excommunicatus, vel quia ex alio nō debet audiri, vt no. in *c. ex insinuatione*, & ibi glo. *de procu. ff. de in offi. te. l. filius.* si aūt sunt exceptiones concernētes ipsum ius, contra quod facta est prohibitio, ne opponantur exceptiones, tunc aut sunt notoriæ, vel insunt in ipsa dispositione, & tunc aut iudex superest, qui possit supplere, & tunc poterit iudex ipse ex officio supplere, quia in notoriis iudex potest ex officio supplere, vt *d. c. pastoral. de causa pos. & propriе.* & idē quando insunt exceptiones ipsi negotio, contra quē exceptiones sunt petitæ opponi per glo. in *l. vbi pactū. C. de trans.* nā iudex, ibi si est, pōt supplere faciūt nota in *l. eum qui ita in §. qui ita. de verbo. obli.* & no. Bar. in. *l. lecta. §. oportet. ff. si cer. peta.* ad hoc tex. cū glo. in verbo *imperfectam* in. *l. 1. § siue tabula. ff. de tabu. exhiben.* & ita consuluit Oldra. *consilio 45.* Sed si iudex non posset supplere, vel non esset iudex, tunc etiam si exceptiones essent notoriæ, non opponerentur, *d. c. licet.* & ideo si esset denegata omnis defensio, exceptio etiam notoria non posset opponi, quia iudex non supplet, vbi parti audientia denegatur, *l. non solum. in fi. ff. de iniuriis.* Et si exceptiones venientes ab aliis dispositionibus iuris non sint notoriæ, tunc nō admitterentur, nisi essent exceptiones, quæ tollerent defensionem, vt quia dico quod non fui citatus, tunc talis exceptio posset opponi, nisi statutum diceret, quod primo fiat executio, tunc oporteret & tunc hanc exceptionem dimittere & pati executionem, & postea repetere. & ita intelligo Bar. in *l. 1. ff. quod vi aut. clam.* sed absolute defensionem non posset tollere prouenientem à iure naturali vel gentium, vt dixi supra, & probatur in *cap. quæ in ecclesiam. de consti.* & dixi supra. nisi subesset causa, quare Papa vel princeps exceptiones vellet tollere, quia sicut cum causa potest actionem & dominium rei meæ mihi tollere, ita & multomagis exceptionem potest tollere: sed sine causa non posset, & nō valeret. ita intelligo supradicta: sic intelligo istam materiam.

Et ex istis potest decidi quæstio, an exceptio, quod electio sit facta per impressionē vel metū, qui caderet in constantem, admitti debeat, vel reddat ipsam electionem ipso iuris nullam: quæ quæstio occurrit propter electionem Vrbani VI. Vnde fuit ortum sacrilegum schisma quod in meis

Digitized by Google

temporibus durauit plusquam 30. annis. & vtique dici potest, quod debet dici electio nulla. Et hoc opponi potest, videlicet quod non sit electus in papam, qui per metum etiam conditionalē, aut vim electus est. nam in hac electione debet versari omnis animi libertas in eligendo, tex. est in *c. vbi periculum §. cæterum. de elec. lib. 6.* & ibi glo. in verbo *electio*. Ad idem tex. 23. *dis. c. in nomine Domini. §. quod si per prauorum. ver. pura & sincera* &c. Sed electio, quæ est coacta, non potest dici pura: quia pura est, quæ est simplex. i. sine plica vel duplicitate, vt no. in *l. 1. §. si quis simpliciter. de verbo. obli. & in l. 1.* & ibi si Bar. *de vul. & de pupil.* non est igitur electio pura vel simplex aut libera, quæ habet duplicitatem coactionis annexam. & hic est regula, quod in his quibus liber consensus vel voluntas exquiritur libera, ibi actus per metum gestus, est nullus. ista fuit originalis Theorica glo. in *cap. notificasti 33. quæst. 5. in glo. 3.* sed talis voluntas libera exigitur in electione papæ, vt d. §. *cæterum*, ergo coacta electio est nulla. Et pro hac sententia facit tex. in *c. ad audientiam, & c. abbas, quod metus causa*, vbi tex. dicit, quod renunciatio sic facta caret roboris firmitate. & est tex. in *cle. multorum §. fiue de pæ.* Item quia sicut in matrimonio carnali requiritur plena libertas in contrahendo, vt *de spon. c. veniens & c. cum locum*, & aliter contractum matrimonium per metum est ipso iure nullum. Idem in contractu matrimonii spiritualis vel in ingressu religionis, vt in *cap. 2. quod in ea. causa*, vbi casus. Et quod electio facta per impressionem sit nulla, est tex. in *c. in nomine Domini 23. d. & 79. d. si quis pecuniam.* & ista vult Inn. in *ca. quod sicut, de electio.* & Inno. & Hostien. in *cap. ad aures, quod in eadem causa.* & ibi Anto. de Butri. qui tenet in electione facta metu ipsam nullam. & idem in renunciatione per no. *de renuncia. cap. super hoc*, dicens, quod in spiritualibus requiritur summa libertas arbitrii, & ideo ibi voluntas coacta non est voluntas. hoc tenet Hostien. in summa *de renuncia. §. qualiter*, & pro hoc videtur tex. in *d. c. super hoc & c. in præsentia, de renunciatione.* Et maximè, quia per electionem in papam tribuitur electo iurisdictio: quia, vt dixi, statim quod est electus in papam, etiam si sit laicus, habet ea quæ sunt iurisdictionis, licet non ea quæ sunt ordinis. Sed iurisdictio attributa coacte est nulla, vt est textus in *l. 2. Digest. de iudici.* ergo electio papæ facta per metum est nulla, cum ex ea tribuatur iurisdictio. & ista ratione tenet summæ scientiæ vir Bar. in suo tractatu *de tyranno. q. 6.* quod si tyrannus in ciuitate per metum eligitur, aut populi seditionem, quod talis tyrannus scit inde se carens iusto dominii titulo, & tanquam non habens verum titulum dominii rerum iuris non Dominus vocandus sit, nolens ipsius electionem nullam esse, & est citandus, etiam si benè principetur. postmodum allegat tex. 1. *quæst. 1. c. principatus 14. q. 4. c. neque enim.* Ad hoc tex. in *cle. 1. de renuncia.* vbi est tex. quod nedum renunciatio debet esse spontanea & libera, & alias non valeat, sed & constitutio procurationis ad ipsam faciendam. & si est in renunciatione, idem debet in electione vt contrariorum eadem sit disciplina, 22. *di. hospitiolum l. ab emptione Digest. de pac.* & in *regula prima, de re. iuris.* Item pro hac sententia est tex. in *cap. quisquis, de electione.* vbi est tex. quod electio facta per secularis potestatis abusum, est ipso iure nulla. Sed licet nonnulli dicant, quod ille tex. loquitur, quando clerici ad electionem laicos admiserunt: & tunc propter talem abusum non valeat, non benè dicunt, quia ibi abusus capitur tribus modis. vno modo, vt dictum est, quando admittunt secum ad electionem laicos. secundo, quando clerici requirunt laicos, vt consentiant super personas eligendas, vt no. *de elec. cap. cum terra.* tertio, quando minus potentum aliquem eligunt, tunc fiunt electiones per abusum, & sunt nullæ, vt in *cap. bona. el. 1. de elec.* Vnde ibi est casus, quod quando fit per metum nimis potentum, electio sit nulla: vt etiam est casus in *cap. cum Vintoniensis*, secundum quod glo. ponit ibi casum in electione præter cor Lynchoniensis, quod fuerit nulla quia impressione facta & causa, i. causata declara. & ratio quia in electionibus libertas animi & arbitrii, vt est tex. 8. *q. 2. dilectissimi.* quo casu actus est nullus, cum interuenit coactio, quę tollit arbitrii libertatem. & ideo licet dicatur, quod coacta voluntas est voluntas, 15. *q. 1. capit. merito*; & valet actus coacte factus in requirentibus consensum, quia adest consensus, quamuis coactus. sed debet rescindi per actionem, quod metus causa, vt in *capit. abbas, quod metus causa. & ff. quod metus causa. l. si mulier. §. si coctus adiit hæreditatem.* Et quia coacta voluntas est voluntas: istud est verum in his, in quibus simpliciter consensus exigitur, quia coactus consensus est consensus: secus vbi pura vel libera voluntas requiritur, sicut in electionibus, 8. *q. 2. dilectissimi.* & maximè in electione papæ, vt in dicto capit. *in nomine Domini. 23. distt.* & dicto. *capit. vbi periculum, §. cæterum.* nam ibi coacta voluntas non dicitur voluntas. Et hoc vult Philosophus *tertio Ethicorum. capit. 4.* vbi dicitur quod electio est quid omnino voluntarium. vnde si commisceatur impressio vel metus, nō est omnino voluntaria id est, non est pura aut libera, & sic cū non interueniat causa efficiens requisita, & agēs debitum requisitum, non valet actus ipso iure, tanquam carens vera causa efficiente & vero agente, & sic forma legis. *si is qui quadraginta. §. quadam. ff. ad l. fal.* & hoc expressè decidit tex. in *d. cap. vbi periculū. §. cæterum*, dum dicit: *Cessat electio dum libertas amittitur eligendi.* si cessat electio, ergo est nulla. Et istud teneo, licet quidam magni Doctores contradicentes, quod iste non est de casibus numeratis in *c. abbas, quod in e. causa.* sed certe est de illis in quibus requiritur libertas animi, vt dixi. & ideo coactio facit actum nullum, postquā tollit arbitrii potestatem. Itē non obstant dicta Dominorum de Rota dum dicunt, quod tenet denuntiatio beneficii facta metu: ergo & collatio, vt contrariorum eadē sit disciplina. quia primo ego credo, ꝙ illa eorū doctrina sit falsa. Et ita tenet. D. Anto. de Butrio in *c. ad aures, quod metus causa.* tamē si volumus tenere quod valeat, loquitur in renunciante, vbi tanta libertas arbitrii non requiritur sicut in electione. Et ideo cum non sit contrariorum eadem ratio, non erit idem ius. Et istam partem teneo quod electio & renunciatio per metum facta sit nulla ipso iuris, quicquid nonnulli alii magistri dixerint. Si tamen impressio fieret pro vno, &

Digitized by Google

eligeretur alter, valeret electio, iuxta no. per Inno. *de spon. cum locis.* Et quod dixi de metu & impressione, vt electio papæ sic facta sic nulla, idem credo quando per præsumptionem, seditionem seu quodlibet malum ingenium, vt est tex. in *d. c. in nomine Domini. 23. dis.* vt similiter nulla sit. & intelligitur secundum Hosti. *seditio* pro violentia siue metu, *præsumptio* pro ambitioso tractatu promotionis, *ingenium* pro calliditate vel fraude. vnde electio facta per metum vel vim non valeat ipso iure, idem per ambitiosum tractatum iurisdictio ambitiosum pecuniæ vel simoniace interpositæ, quia hoc non redderet electionem nullam, sed ambitus vsurpandi. scil. pecunia vel fraude, quia sola pecunia vel dolus non redderet electionem nullam, si consensus duarum partium cardinalium interfuisset, *d. c. licet, de elec.*

Nunc venio ad exceptiones concernentes causam malem, id est ipsum electum, an aliqua opponi possint. Et certè si sunt exceptiones, quæ iure naturali vel diuino concludant incapacitatem electi, illæ omnes opponi poterunt: secus si concernerent incapacitatem de iure positiuo. ratio, quia electio papæ est solum subiecta iure naturali & diuino, non iuri positiuo, nisi in duobus vel tribus casibus, prout requiritur primo quod eligatur papa à cardinalibus. secundo quod & à duabus partibus Cardinalium: ista sunt de iure positiuo. tertio vt eligatur vel consensus præstetur in ipsum, antequam se intruserit in papatu: aliter electio non teneat, vt *d. c. licet.* in omnibus aliis, hæc electio est libera ab omni exceptione iuris positiui, & solum subiecta naturali & diuino iuri. Et ideo contra hunc electum potest obiici, quod non est vir sed mulier, quæ mulier non sit capax ordinis, nec potest elegi in papam. similiter potest obiici, quod est furiosus, mente captus vel intellectu carens. ratio, quia comparatur bestiæ, *l. si quacumque. §. 1 ff ad l. Aqui.* Et quia electus debet suæ electioni cōsentire, quia ante consensum præstitum non habet potestatē, quia ante præstitum consensum nō dicitur electus sed nominatus, ita vult Io. An. in *d. c. licet, de elec.* hunc igitur consensum non potest præstare furiosus. & istud est verum, si tēpore nominationis est furiosus, 15 *q. 1. c. fi.* quia sicut impeditur cōtractus matrimonii carnalis demētia vel furore *ff. de spon. l. furor. & l. patre furioso. ff. de his qui sunt. sui vel alie. iur.* ita impeditur matrimonium spirituale. & hoc est verum, si de facili furor probari potest adesse tempore nominationis, licet si superueniret eo iam papa, & postquam consensisset esse papa. sicut. n. non soluitur carnale matrimonium, ita nec istud spirituale, *de cle. con. c. vnico l. 6.* Et quia de iure naturali furiosus, mente captus & similes sunt inhabiles, patet quia nec naturaliter obligantur, *ff. de fideius. l. marcellus,* & ibi no. & *ff. de re. iur. l. in negotiis.* simile videmus in testamentis militum, quæ nulli regulæ ciuili iuris positiui sunt subiecta, & tamen furiosus miles testari non potest, *l. fi. C. de mili. testa.* Et idem dico de infante ar. *l. 1. C. de fal. mo.* quia ætas eorum quicquid videt, ignorat, & cum ipse non sit capax ordinis nisi esset facta electio miraculose Spiritu sancto dictante. & idem dico de pupillo infante vel infantiæ proximo, probatur in *d. l. fi. C. de mili. testa.* patet quia nō obligatur naturaliter, cū non intelligat, *l. cum pupillus. ff. de condi. indeb.* no. in *l. 1. ff. de noua.* & est inhabilis ex defectu intellectus, vt dixi *proxima quæstione.* sed si esset pupillus proximus pubertati, qui potest naturaliter obligari; magis dubito tamen ego dicere in idem, quia quamuis cum alio contrahendo obligetur, naturaliter tamen sua nuda voluntate non obligatur, nisi vouendo Deo, *l. 2. §. voto. ff. de pollicita.* & quia habere papatum est habere curam animarum, quæ est ars artium, *de pœni. & re. cum infirmitas:* sed pupillus non dicitur in talibus habere intellectum, *l. fi. C. de testa. mili.* igitur non credo quod etiā pupillus doli capax possit esse papa. Et ista exceptio potest contra eum opponi, tanquā contra eum qui intellectu caret. pro hoc *de sepul. c. licet, li. 6.* vbi pupillus non potest sibi eligere sepulturā, quia in requirentibus animi discretionem & intellectum pupillus non censetur habere. *d. l. fi. C. de mili. testa.* ideo in papatu consentire non potest subsistenti naturali impedimento. Et ex his deciditur, si obiicitur, quod est monachus, & sic non valet consentire, quia non habet velle aut nolle, 12. *q. 1. non dicatis, de elec. c. quorundam, & c. si religiosus, li. 6.* An potest acceptare papatum sine consensu abbatis? in qua quæstione dixit glo. no. 18. *q. 2. c. quam sit,* quod debet ad monasterium redire, & non solum expectare ab abbate compelli, sed se ipsum debet compellere. Sed illa glo. non est vera, quia monachus non perdit naturalem consensum, sed iuris fictione, vel positiuo iure non videtur ipsam habere, sed in alium cōmisisse. tex. est quod naturalem consensum retinet in *c. 1. de spon. in 6.* Et idem dixit Gencellinus in extrauaganti Io. 22. quæ incipit, *quorundam,* in verbo *voluerunt,* quod etiā in illis, sine quibus vita hominis sustentari non potest, ipse habet arbitrium. & ideo cum habeat arbitrium naturalē, potest in papatu consentire, cuius electio non subest legibus positiuis, vt dixi. & si consentit, & incontinenti est papa sine vlla exceptione, potest in seipso supplere negligentiam abbatis sibi consensum non præstantis, vt no. Doc. In aliis prælaturis, quando ad ipsas eligitur, vt papa suppleat defectum abbatis cōsensum non præstantis, in *d. c. si religiosus, de elec. li. 6.* & hæc est melior sententia quā illorum, qui dicunt, quod si est assumptus per inspirationem, non requiritur abbatis consensus, quasi vbi sit spiritus, ibi libertas, 19. *di. c. duæ sunt.* Et licet inspiratio faciat, quod in ipso actu electionis non sit opus iura seruare, in consensu autem præstando per electum iura seruanda videntur. Item dictum istorum videtur procedere in electione per inspirationem, non in aliis; & tunc liberatur à seruitute peccati, non à legibus superiorum prælatorum, vt no. glo. in *cle. ad nostram, de hæreti.* in verbo *libertas.* Dicunt etiā aliqui, quod quomodocunq; monachus assumatur, erit papa, quia si episcopus potest monachū inuito abbate capere in suum cubicularium, vt no. 2. *q. 7. c. cum pastoris,* fortius Cardinales assumere in papam. Sed contra hoc facit, quia cœtus Cardinalium nil potest de his, quæ spectant ad papam, vt *de elec. c. ne Romani.* melius est igitur dicere, quod monachus retinet naturalē consensum, cū quo potest

consentire,& erit papa,& poterit in se supplere abbatis defectum non consentientis,& hoc si expedit ecclesiæ: sed si esset inutilis in papatu,tunc procedit glo. quod debet se ad monasterium remittere ipsemet monachus & papa. Aliæ autem exceptiones, quæ sunt de iure positiuo, ipsum non repellunt. ideo non repellitur, quia sit bigamus, vel alia quacumque irregularitate notatus, quia omnis irregularitas est à iure positiuo,& nulla est de iure diuino,vt no. Innoc. *de renunc. c. nisi cum pridem.* §. *propter irregularitatem.* & nota. moderni Doc. in *ca. si celebrat, de clemen. exco. nu.* Item non repellitur ex eo,quia simoniace electus sit, vt nota. 79. *dist. si quis pecuniam*, licet qui elegerunt de simonia accusari possit. & cum nulla exceptio admittatur non repellitur, etiam exceptione hæresis: quia quamuis propter hæresim possit accusari, non tamen potest contra eum excipi. Et fallit hic regula, *cui damus actionem* &c. quia non habet locum in iudiciis possessoriis,etiam adipiscendæ, vt no. glo. in *c. qui ad agendum, de re. iuris in. 6.* vel dico quod hæc regula fallit, vbi ius remouet omnem exceptionem. nam quamuis datur actio ad remouendum,quem à papatu propter hæresim, tamen non datur exceptio,cum ipsa sit à iure remota. Et quia ex electione papæ quæritur in papatu plenum ius, 23. *di. in nomine domini.* ergo etiam de hæresi non potest excipi, *de accu. c. super his.* nota. *de appe. c. constitutus. el. 2.* & ibi respondetur ad regulam *qui ad agendum.* Item non potest obiici, quod sit laicus, vel infamis, vel monachus, aut seruus: licet de laico videatur tex. in oppositum, 36. *di. ca. qui ecclesiastici*, repetitum 9. *di. c. 1.* sed loquitur ibi de aliis. Nec quod vxorem habeant. nam licet vxor possit eum vindicare in virum, quando non est de matrimonio dubium: & vxor non potest ad continentiam induci, tamen propter hoc non deferet papatum, & erit papa vxorem habens, ita vult glo. in *d. c. si quis pecuniam.* 79. *di.* Nec est contra substantiam papatus. Nam & Petrus vxorem habuit,& Græci presbyteri coniugunt. vnde tenebitur reddere debitum vxori,& erit papa. Sit ergo conclusio, quod electio papæ nulli exceptioni subest, nisi prouenienti à iure naturali vel diuino.& ideo bene dixit Compostellanus, etiam antequam esset facta *cle. ne Romani in. versi. ceterum. de elec.* quod cõtra illos, qui elegerunt papam, non potest opponi, quod essent hæretici, vel excommunicati, per supra dicta: quia licet alias possit opponi exceptio defectus causæ agentis, etiam vbi omnis exceptio à iure est submota, vt no. glo. *in cle. 1. de seque. pos. & fruc.* hoc non habet locum in exceptione defectus causæ agentis prouenientis à iure positiuo, quando tales exceptiones sunt abolitæ, & solum consideratur ius naturale, vt supra dixi: secus vbi simpliciter contractum repelleret lex omnes exceptiones,& non se solum restringeret ad dispositionem naturalem, quia tunc exceptiones defectus. etiam positiuos causæ agentis opponi possent per prædicta.

Nunc oportet videre, si aliqua exceptio ex defectu formæ à iure introductæ opponi potest. & satis ex supra deductis constat, quod tria tantum obiici possunt, quod non electus à Cardinalibus vel à duabus partibus ipsorum: vel quod ipsorum non habuit consensum: vel si habuit, postquam in papatu se iam intruserat, vt hæc omnia colliguntur in *d. c. licet.* Sed dubitatur, an potest opponi exceptio, quod electio sit facta in loco interdicto, vel manifestè rebelli sanctæ matri ecclesiæ, vel in loco alio quam à iure requisito, de quo in *d. c. vbi periculum. de elec. li. 6.* §. *porro.* & videtur quod sic, vt ibi videtur casus. & hoc tenet glo. 23 *di. in nomine Domini,* per tex. *c. ad hac. & c. quod sicut. de elec. & de ap. c. qua fronte.* Sed Archi. tenet, quod in quocumque loco facta teneat, dummodo non in coquina, vel in lupanari, ar. *l. pe. de insti. & iuris.* Ego autem dico, quod aut duæ partes cardinalium in ciuitate præsentium, in qua papa mortuus est, intra diœcesin dictæ ciuitatis eligunt papam,& tunc cum nulla exceptio contra talem electionem admittatur, quod exceptio ineptitudinis loci etiam lupinaris vel coquinæ non admitteretur, per iam dicta.& ideo non admitteretur exceptio, quod electio non sit facta in palatio episcopali, vt requirit tex. in *d. c. vbi periculum.* & hoc si electio est celebrata antequam intrant conclaue, etiam si duæ partes sine iusta causa exiuissent,& foris in alio loco elegissent, tunc credo quod electus à duabus partibus illorum, qui remansissent in conclaui, vel ab vno solo, si vnus solus remansisset, ille esset papa,& non electus à duabus partibus; quia exeuntes conclaue, & sic locum deputatum, perdidissent vocem, & remansissent apud eos vel eum qui perstitissent in conclaui, vel perstetissent, in *d. c. vbi periculum. ver. sane.* Item credo, si omnes exiuissent diœcesim, vbi papa est mortuus, sine causa, vt electio alibi facta non valeat, si alii erant absentes, qui non interfuerunt, ita quod exeuntes non facerent duas partes omnium, non dico solum præsentium in loco vbi mortuus est papa. ratio, quia non dicitur præsens in loco illo ille, qui non persistit. *l. si pro patre. §. versum. ff. de in. rem verso.* Et ideo potestas remansisset penes vnum vel illos, qui in ciuitate perstitissent vel illuc reuenissent: quia potestas eligendi remanet penes existentes in ciuitate, vbi papa est mortuus,& ideo imputent sibi qui sine causa de tali loco discesserunt. Et in hoc dixi supra in quæstione quæ incipit: *sed dubitatur.* pone quod maior pars Cardinalium, alias locus non est de substantia electionis. Et ideo credo, quod valeat etiam facta in loco interdicto vel rebelli, quia licet in tali loco sit facta prohibitio celebrationis diuinorum, tamen secrete & submissa voce possunt nonnunquam diuina celebrari, vt no. *de sen. exco. c. alma.* & quia in loco interdicto clerici sunt interdicti quo ad locum nõ quo ad se, vt no. *de consue. c. inter nos.* ita no. glo. in *d. c. vbi periculum.* §. *porro in versi. interdicta. de elec. li.* 6. Ista sunt, quæ dici possunt circa ea quæ obiici possunt electo in papam, & aliæ specialitates sunt examinatæ ex dictis supra.

Potest tamen de duobus dubitari, an valet electio papæ facta sub conditione? Item de alia etiam quæstione potest dubitari; pone quod Cardinales vel duæ partes eorum consenserunt in plures simul & semel, quod est possibile. pone enim quod fuerunt duo, qui habuerunt duas partes Cardinalium.

Digitized by Google

lium, quis erit papa? nam, vt supra dixi ipsi Cardinales eligentes in eadẽ scriptura vel cedula possũt eodem tẽpore & momento nominare plures. Si igitur concurrat, quod duo à duabus partibus fuerunt nominati, quis erit papa? Ad prima quæstionem clarũ quod tenet electio, siue sit conditionalis siue alternatiua siue incerta. nam quamuis quodlibet ipsorum trium sit improbatum in aliis electionibus, in electione papæ ista non curantur. vnde regulariter Cardinales eligunt sub conditione, vt *eligo talem, & si talis non erit, eligo talem*, vel alternatiue, *consentio in talem, vel in talem*. ita vult glo. in *c.2 de elec. li.6.* in verb. *alternatiua*. nam electio papæ consistit in mero iure naturali, nec subiacet his dispositionibus positiuis. non valeret electio, *consentio vel eligo quem eliget talis Cardinalis*. In hac enim electione nulla dispositio iuris positiui locum habet, nisi quatenus inueniatur expressum, vt no. Io. An. in *c. licet de elec.* in verbo *pontifices*. Et ex hoc infertur ad aliam quæstionem, quod cum in hac electione non fiat collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum, quia hæc dispositio est iuris positiui, nec numeri ad numerum, quando quilibet habet duas partes Cardinalium, tunc credo quod neutra electio teneat, per *l. duo sunt Titii. ff. de testa. tu.* quia non apparet in quem vnum consenserint, ita quod possit constare in quem vnum sit consensum. hæc iudico vera, nisi qui haberet duas partes haberet sub conditione, si alius concurres non esset papa, quia tunc positus in conditione esset papa, quia ille qui fuisset positus in conditione haberet solum vota & nõ alter, vt in hoc exẽplo duæ partes Cardinaliũ sic dixissent quilibet ita: *Eligo Dominũ S. Eustachii*, tunc esset Dominus sanctæ crucis, quia sancti Eustachii, non habet vota nisi illo sanctæ crucis non existente. vnde est quæstio expedita de forma papam eligendi, & an aliqua contra talem electionem obiici possint.

SVMMARIVM.

Pontificalis dignitas an semel acquisita per habentem perdi possit: & primò propter renunciationem.

CAPITVLVM XI.

NVnc tertiam principalẽ quæstionẽ assumamus, an hæc dignitas semel quęsita per habentẽ perdi possit? Et primo dubitatur, si perdi possit renunciatione. & licet de hoc dubitare non videatur, longæuum ab hæresi Ecclesia hoc hodie determinantę & statuente, vt in *cap. 1. de renunc. li. 6.* vbi est expressum, quod possit: tamen quia Gregorius XII. qui fuit apud nos Italos papa, & in assumptione sui iurauerat & vouerat renunciare papatui propter inducere in Ecclesia vnionem, reuocabat demum in dubium, an papa apostolatui posset renunciare, dicens, fore hæreticum & insanum, quod Papa renunciare possit, placet rationi discutere si licet papatui renunciare. Nam per consecrationem ibi in papam electus, si non est Episcopus, consecratur ab Episcopo Hostiens. qui est Cardinalis, vt in *c. antiqua*, & ibi no. *de priuil.* consecratus consequitur ordinem Episcopalem, & efficitur Episcopus vniuersalis Ecclesiæ, *de indi. nouit. ver. quomodo 23. di. in nomine Domini.* & quod per Episcopatum ordinem nanciscatur est tex. in *c. quotiens de purgati. cano.* & sentit Magister sententiarum in *quarto libro di. 24.* dicens quod ordo Episcoporum quatripartitus est. & est tex. 21. *di. cleros.* & in quarto ordine supremum gradum tenet Romanus pontifex, quia quemadmodum in Ierarchia superiori sunt nouem ordines Angelorum, ita in Ecclesia militante nouem ordines sunt clericorum, inter quos est Episcopus vt in *c. veniens, de presbyteris non bapti. C. de Epi. & cle. auten. sed Episcopalis ordo.* & ideò dicitur, quod quodam competunt ordini Episcopali, quæ non alteri ordini, vt in *c. aqua. de consecra. Eccle. vel alta.* ad idem 21. *di. cleros. & 89. di.* ad hoc no. glo. in *c. prouida, in vtr. fraternitatis, de elec. li. 6.* & in *cle. in plerisque, de elec. in ver. temporales*, dicens: quod ne dum est ordo, vt probat tex. 77. *di. c. 1.* & *de tempo. ordi. c. si Archiepiscopus.* & *c. nec Episcopi.* sed etiam caracter imprimitur. & ideò Episcopus non potest renunciare Episcopatui, quoniam si ordinatur, semper remaneat potestas caracterem imprimẽdi, est tex. in *c. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui*: & nulla est alia ratio, nisi quia Episcopatus est ordo, alias simpliciter dignitas positiua videretur posse tolli renunciatione, quod est falsum, vt *d. ca. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renuncia. Episco.* Ex quibus videtur cõcludi, quod cum per papatũ efficiatur supremus Episcopus, & ordinem & caracterem suscipiat, qui imprimiter animæ, & istæ ordo & caracter sit renũciatione indelebilis: & ideo papa se vocat *Episcopũ*, vt in *prohemio decretaliũ sexti & clementinorũ*, & in omnibus eis Apostolis, non vt designet dignitatẽ supremã, quia aliæ sunt dignitates Episcopali maiores, vt 21. *di. cleros*, sed vt designet se in supremo ordine constitutum, qualis est Episcopalis ordo, vt no. glo. in *prohemio sexti* in verbo *Episcopus*.

Secundo probatur, quia potestas clauium videtur esse potestas caracteris, & talis potestas fuit collata Petro, prout debebat esse futurus papa & successor Iesu Christi: ergo in papa caracter imprimitur, & sic renunciatione tolli posse non videtur, *d. c. 1. de ordi. ab Epis. qui renuncia. Episcop.* & pro hac sententia videtur gio. antepe. in *c. post translationem, de renuntia.* dicens, quod per renunciationem Episcopatui perditur executio, sed non caracter ordo, qui imprimitur sic videtur quod renunciatione perdi non possit.

Tertio quod ordo & character papæ propter papatũ imprimatur indelebilis, probatur, quia ordo dicitur sacrũ signaculũ, quo confertur spiritualis potestas & officiũ faciendi ea quæ pertinent ad eũ ordinẽ, ita no. Inno. *de schisma. c. 1.* & hoc vult Magister sententiarũ in 4. *di.* 24. dicens, quod ordo vt in eo imprimitur caracter, est signaculum quoddã in quo potestas spiritualis traditur ordinato: sed talis potestas datur papæ per potestatem papalem in vniuersa Ecclesia ordinandi primates, Patriarchas, Metropolitanos, Archiepiscopos, & Episcopos. ergo ipsi per papatum imprimitur caracter

Digitized by Google

& ordo renunciatione indelebilis, immo nec morte, sed remanet animæ post mortem impressus, non tamen quantum ad vsum presbyteros post mortem ordinandi, sed ad honorem & gloriam illorum qui salui sunt, & ad confusionem & vituperium illorum qui damnati sunt.

Quarto probatur. nam dato, quod per papatum vel ordinem Episcopalem non tribuatur nouus ordo, vt volunt nonnulli theologi: tamen negare non potest, quoniam ordo presbyteralis per episcopum perficiatur, quia multa potest episcopus, quæ non simplex sacerdos, sicut sacramentum confirmationis, & conferre ordines, 25. *di. per lectis. versi. ad episcopum. 68. di. quamuis.* modo clarum est quod omnia, quę pertinent ad potestatem ordinis, vel ad ordinis perfectionem, non possunt tolli vel auferri quomodocunque, vt probatur in *d. c. 1. de ordi. ab epi. qui re. epis.*

Quinto quod in papatu perficiatur ordo, probatur, quia si eligitur papa nõ episcopus, licet ab electione in continenti habeant plene ea, quæ sunt iurisdictionis, vt dixi supra tamen non habet ea quæ sunt ordinis. vnde si non esset presbyter electus in papam, non posset propter papatum corpus Christi conficere: & si non esset episcopus, non posset ordinare clericos in sacris, vel confirmationẽ facere, vt in *c. 1. ver. & hoc vtique sacramentum, de sum. tri.* patent igitur, quod necesse est papam assumere ordinem presbyteralem & episcopalem, & sic perficitur ordo in eo presbyteralis & episcopus vrbis Romæ & vniuersalis ecclesiæ efficitur. vnde non videtur posse papatui & tali episcopatui renunciare, vt *d. c. 1. de ordi. ab epi.* immo si millies sacerdos vel episcopus deponentur, vel degraderetur presbyter, conficere corpus Christi posset, & episcopus ordinando characterem imprimeret, vt in *c. 2.* & quod ibi no. *de cleri. exco.* no. in *c. 1. de schismat.* & in *c. degradatio, de pœnis, li. 6.* no. *9. quæst. 1. in summa,* & ibi glo. *1. in fi.* ergo patet, quod ordo perfectus per papatum vel eius assumptionem est indelebilis renunciatione, depositione, vel aliter.

Sexto papa per papatum & episcopatum contraxit matrimonium cum ecclesia vniuersali, & præcipue cum Romana ecclesia, *de testa. c. requisisti.* sed matrimonium spirituale non potest resolui per renunciationem, nisi fiat renunciationem in manibus superioris, vt in *c. admonet, de renunc.* & probat tex. in *l. legatus. ff. de offi. præsi.* sed papa non habet superiorem nisi Deum, *9. q. 3. aliorum.* igitur videtur, cum non sit in cuius manibus possit renunciare, quod eius renunciatio non teneat. Item quia fortius est matrimonium spirituale quam carnale, vt in *c. inter corporalia, de transl. episco.* sed carnale matrimonium contractum non potest renunciatione dissolui, *32. q. 7. c. licet, & l. consensu, de repu.* ergo similiter postquam papa consensit papatui, non videtur se à matrimonio spirituali posse dissoluere & renunciare papatui, quia per consensum in papatum ipse Dei vice in terris fungitur, vt *d. c. inter corporalia,* & in *c. quanto. e. ti.* & adeo hoc ius eius ossibus inhæret, vt animæ non possit amouere, ar. *c. cum ad monasterium, in fi. de testa. noua.*

Septimo potestas papalis est à solo Deo immediatè, *22. di. c. 1.* & dixi supra in prima quæstione dum tracto de potestate papæ quis eum constituit, & in quæstione in quo loco debet habere residẽtiam. Sed ea, quæ à Deo solo immediatè sunt, non possunt tolli per aliquem nisi per Deum, dicente Apostolo 2. ad Tim. 1. *Firmum fundamentum Dei stat.* & habetur *de pœni. di. 1. c. firmum.* Item quia omnia dissoluuntur eo modo quo ligantur, *l. ab emptione ff. de pac. l. iurisgentium §. adeo eod. tit. & ff. de rescin. l. 1. & in c. 2. de re. iur.* & ad illum ad quem spectat institutio & destitutio, *16. q. 2. visis:* & ille maledicit qui potest benedicere, & ille qui potest ligare potest absoluere, *21. di. inferior. & c. denique.* Sed auctoritatem & potestatem papalem Deus solus tribuit, licet eligentes personam ad illam potestatem determinent ergo videtur quod solus Deus illam possit tollere: & quod ipsi soli Deo possit remitti siue renunciari, non autem homini viuenti, vel ab ipso homine remitti potest siue possit: quia qui non potest dare ipsam potestatem, non videtur eam posse aufferre, per regulam *vnumquodque dissoluitur eo vinculo quo ligatur,* vt in *c. 1. de re. iur.* & hoc probat tex. in *c. inter corporalia, de transl. præla.* dicens, quod dissolutio matrimonii spiritualis sit tantum Deo reseruata & papæ qui est loco Dei. & ideo licet tamquam Deus sua auctoritate possit spiritualia aliorum matrimonia dissoluere, suũ autem non videtur posse dissoluere, quia in re sua auctorari non debet, iuxta no. in *cle. si vna, de rebus eccle. non alie. & in l. 1. ff. de auct. tuto.* & quia ipse legatus & vicarius Iesu Christi, vt *d. c. inter corporalia,* nõ videtur posse se ipsum absoluere ab obligatione, quã contraxit cum ecclesia: sicut nulla res se ipsam generat, vt dicitur Beatus August. *primo de trinitate.* Et hoc probatur, *78. di. c. si* vbi dicitur quod & si electio summorum sacerdotũ à cardinalibus fieri debet, electio verò diuino est reseruanda, vt ibi.

Octauo, quia nulla virtus creata superior potest tolli per virtutem creatam inferiorẽ, vt probat tex. *de maio. & obe. cum inferior. ff. de arbi. l. nam magistratus.* sed papatus est virtus superior omni alia; ergo per nullum inferiorem videtur posse tolli. & ideo nec papa nec omnis vniuersitas creaturarũ posset facere, quod vnus pontifex non sit pontifex, vt supra probaui. ergo minus potest facere, quod summus pontifex non sit summus pontifex, quia papa non est nisi per leg. diuinã, & non per legem creaturæ. Et ideo postquam papa consensit, & sic per legem diuinam est papa, non videtur per legẽ creaturæ vel creaturarum vel per omnes creaturas à papatu posse remoueri.

Nono votum tolli nõ potest, nisi à superiore, vt in *c. 1. de voto.* sed papatus est quoddã votum super omnia vota: quia papa consentiendo papatui obligauit se Deo, & vouet ipsi curã regere vniuersalis gregis dominici: ergo per nullũ alium absolui põt nisi à Deo: se ipsum aũt non potest absoluere, nec alteri cõmittere quod ipsum absoluat, quia non potest maius bonum fieri quã curã habere vniuersalis gregis dominici. vnde hoc votum cõmutare non potest, *de voto. c. magna.* Non enim sine causa potest papa quo ad Deum absoluere à voto & iuramento, vt not. glo. & Doct. in *c. non est, de voto.* vnde

non

non videtur, quod possit se absoluere à tali voto, vel alteri se committere absoluendum. si non potest se ipsum absoluere, ergo nec renunciare, quia esset se à tali voto absoluere.

Decimo dicit Apostolus *ad Hebr.* 10. quod Christi sacerdotium est in æternum secundum ordinem Melchisedech, quia Christus viuit in æternum: sed simplex sacerdos non potest desinere esse quin sit sacerdos, etiam si deponatur vel degradetur, vt *di. c. degradatio*, & quod ibi no. *de pœni. di.* 6. & supra dixi. ergo similiter & summus sacerdos non potest desinere esse summus sacerdos, quod tamen contingeret, si renunciare posset: & quia Christi actio est nostra institutio, vt supra dixi, & *de hæreticis, cum Christus*: sed sicut Christus à se potestatem sacerdotii non abiecit, ita papa pro salute mortalium à se potestatem summi sacerdotii non debet abiicere.

Vndecimo probatur. non est consonum rationi, quod quis suæ perfectioni cedat: sed status papalis est supremæ perfectionis in mundo & ecclesia militante: ergo non est consonum rationi, quod quis tali statui cedat vel renunciet & discedat, *de pœni. di.* 2. *c. vnum ver. & c. non reuertebantur, in eadem di.* 5. *hac qua de caritate, ver. nemo repente fit summus.*

Duodecimo probatur. in papatu est ius publicum auctoritate & vtilitate, 24. *quæst.* 1. *c. memor sum. & c. quotiens in fi.* Sed tali iuri renunciari non potest, *l. ius publicum. ff. de pactis*, no. in *c. si diligenti, de foro compe.* papatui igitur non videtur posse renunciari post præstitum consensum, *de elect. c. cum inter canonicos.* Ex quibus videtur concludi, quod papa non possit & nõ debeat à se papatum & summum sacerdotium abdicare.

Contraria tamen sententia potest ostẽdi rationibus, auctoritatibus, & exemplis. Rationibus autem insinuatur quattuor modis. Primo ex parte ipsius papæ renunciantis. Secundo ex parte papatus cui fit renunciatio. Tertio ex parte ipsius renunciationis. Quarto respectu finis siue esse finalis, propter quam fit renunciatio.

Prima ratio est ex parte ipsius papæ renunciantis, & sic demonstratur primum papæ officium est intendere animarum saluti & eas dirigere ad salubrem diuinum cultum, & ad quærendum vitam æternam, 16. *q.* 2. *c.* 1. ibi, *vnde oportet*, & 12. *q.* 1. *præcipimus, de homici. &* 1. *li.* 6. & ideo dicitur pontifex quasi ad aliam vitam pontem faciens. & sic etiam debent facere sacerdotes, *de pœn. & re. c. cum infirmitas.* sed non est data maior libertas papæ in his quæ pertinent ad salutem, & in his per quæ potest euitare detrimentum salutis, quam cuicumq; alii sacerdoti; immo plus, inquantum ab ipso vt à capite salus aliorum & ecclesiæ vniuersalis, vt in membris, dependet, 21. *di. in nono.* & 40. *di. si papa.* Sed aliis pontificibus ecclesiæ permittitur propter suam & suorum subditorum salutem quod renunciẽt in sex casibus, no. in *c. nisi cum pridem de renuncia.* ergo licite debet posse papa in illis casibus vel eorũ aliquo renunciare: quos sex singulos casus discurramus. propter namq; criminis conscientiam, vel corporis debilitatem, aut scientiæ defectum, vel propter plebis malitiam, aut graue scandalum, vel irregularitatem licet prælato suæ prælationi renunciare, vt *d. c. nisi cum pridem*, §. 1. *de renunci.*

Propter conscientiam namque criminis, quod liceat etiam papæ renunciare, probat tex. 21. *di. nunc autem.* vbi Marcellinus papa, qui violenter cum Idolis thurificauerat, crimen suum coram episcopis confessus papatui renunciauit, quæ dici debet propter crimen ibi spontanea renunciatio non depositio. nam & si propter hæresim papa deponendus sit, vt 40. *di. si papa*, id est verum quando persistit aut stetit in illo crimine pertinaciter: secus si paratus est corrigi, quia non debet deponi, vt no. glo. in *d. c. nunc autem*, quia non est censendus hæreticus, qui prima vice errat & se corrigit, vt 24. *q.* 4. *c. dixit Apostolus.* vnde illa potius dicenda fuit renunciatio quam depositio. quare ibi est tex. expressus quod propter criminis conscientiam licet papæ pontificatui renunciare. Si enim papa potest crimina sua alii corrigenda committere, 2. *quæst.* 7. *nos si in competenter*, vt etiam deponatur, quare non magis ipse potest ipsa corrigere & seipsum si videtur expediens pro delicto deponere, & posse renunciare? quia ipse suæ causæ est iudex, *dict. cap. nunc autem & l. est receptum. ff. de iurisdict. om. iudi.* & quod possit se alterius iudicio submittere, etiam vt deponatur, no. 63. *di. in Synodo. & di. ca. nos si in competenter.*

Secundo & tertio licet episcopis propter debilitatem corporis vel defectum scientiæ pontificatui renunciare: quare ergo magis ex his duobus aut altero non est licitum papæ renunciare? nam si papa est inutilis, negligens, vel remissus in suis operibus, non solum se sed innumerabiles populos catervatim mancipio gehennæ secum ducit, 40. *di. si papa.* vt ergo euitetur hoc damnum siue periculum, ridiculum est dicere, papam non posse aut debere cedere siue renunciare. & propter hanc causam Cælestinus papatui renunciauit, vt in *c.* 1. *de renuncia. li.* 6. quæ renunciatio dici iuridica debet, cum postea ecclesia pro sancto eum canonizauerit, & eius gesta approbauerit, faciũt illa quæ proximo casu statim dicam.

Quarto propter malitiam plebis: & quinto propter graue scandalum prælatus potest prælationi renunciare: quis ergo sani capitis dicet, quod si papa cum sua plebe vel maiori parte non potest proficere quod ei non sit licitum renunciare? Et similiter cum subest scandalum, sicut fuit schismatis, quod aliter sedari non poterat, quare non licet papæ cessionem facere? certe stultum est contrariũ dicere. Nam si Christus descendit de cælis propter redimere gregem suum perditum, & mortem subiit temporalem: quanto igitur magis papa successor Christi debet habere curã gregis dominici & redimere gregem non solum morte ciuili renunciando papatui, sed etiam se morti naturali si opus est subiiciendo, *de homici. c.* 1. *li.* 6. præsertim quia bonus pastor debet ponere animam pro grege suo, 24. *q.* 4. *qui nos.* debet igitur his casibus renunciare, ne plus temporalẽ honorẽ quam æternam videatur affectare salutẽ, *d. c. nisi cum pridem*, §. *pro graui.*

Digitized by Google

Et idem in sexto casu irregularitatis, & in omni, vbi graue esset in ecclesia Dei scandalum, debet posse papa pontificatui renunciare. & hoc probant no. 7. q. 1. *c. si Petrus*. Nam Clemens propter vitare futurum scandalum, quod papa sibi viuens non eligeret successorem, electus à Petro papatui renunciauit: ecce quod propter scandalum vitandum papæ licet papatui renunciare & ideo dum tempore sacrilegi schismatis, quod meo tempore fuit, quod ne dum propter tollere schisma de Dei ecclesia papa poterat renunciare papatui, sed si aliter tolli non poterat, tenebatur renunciare & mortem ciuilem pati, *7. q. 1. §. ecce*, quia etiam deberet pro redemptione suæ gregis, quando alia via non esset, se morti subiicere naturali, *d. c. 1. de homicid. li. 6.*

Secundo principaliter probatur ex parte papatus. vnde est notandum, quod per papatum Petro nihil amplius ordinis attributum est vel perfectionis ordinis, quam alii Apostoli habuerunt: nam, vt dixi supra, omnes Apostoli à Christo creati fuerunt presbyteri & sacerdotes: & sic in ordine omnes Apostoli Petro fuerunt pares. Et similiter in perfectione ordinis, quæ fit per adeptionem episcopatus, omnes Apostoli à Christo Petro constituti sunt pares. Et ideo omnes sacerdotes & presbyteri in charactere & ordine sacerdotali, in conficiendo eucharistiam & corpus Christi, papæ sunt potentia pares. Et idem episcopi omnes in perfectione ordinis & in confirmatione & auctoritate ordinandi sacerdotes, sunt papæ potentia pares, vt *14. q. 1. loquitur. & 21. di. in nouo.* per papatum igitur nil habet plus papa cæteris episcopis, nisi in administratione, *2. q. 7. c. puto*, & in iurisdictione. vnde papatus non est nomen ordinis, sed dignitatis vel officii. Et ideo laicus assumptus ad papatum incontinenti est papa, & in iurisdictione papatus liberam administrationem habet, sicut Archidiaconus ex electione est verus Archidiaconus, quamuis non habeat ordinem ipsi dignitati Archidiaconali annexum: sic papa licet non habeant ordinem ipsi dignitati annexum sit, papa licet non habeat ordinem episcopalem suæ dignitati annexum, est tamen statim papa. si ergo papatus non imprimit ordinem vel characterem in anima, sed tantum superaddat officium atque dignitatem, clarum est quod papatui potest & licet renunciare. quia iurisdictio est res quæ augeri & minui potest: ergo tolli & amoueri. Et ideo papa propter hæresim potest à papatu amoueri, *40. di. si papa*: à quo tamen non posset amoueri, si haberet ordinem vel characterem siue ordinis perfectionem, quia hæreticus retinet etiam quæ sunt ordinis, vt no. in *c. 1. de schismati.* & ibi per Doct. Et ex istis respondetur ad multa argumenta supra primo contra facta, vt infra dicam.

Tertia ratio fundatur principalis super ipsa renunciatione, & similiter à regula, *vnumquodque dissoluitur eo vinculo quo ligatur, de reg. iur. c. 1.* quamuis enim papalis potestas sit à Deo, tamen est mediante ministerio Cardinalium personam ad ipsam determinationem, & electi consensu intercedente. ergo eius dissensu sicut potest eius consensu papatus haberi, ita videtur eius dissensu posse tolli. & si opponatur, non procedere regulam in matrimonio, vt ibi not. & etiam in spirituali, vt *79. di. illo capit. si.* quod incipit, *electionem*. Respondetur ad illud primo de matrimonio carnali, quod per ipsum transitur in sacramentum ecclesiæ propter quod ex consensu sequitur indissolubile vinculum, quod non est in spirituali coniugio, in quo non obstante præcedenti consensu potest per solum superuenientem dissensum dissolui, vt in toto titulo *de transla. episco.* Et potest esse ratio, in qua attingam quartam rationem causæ finalis, in qua dixi supra, quod spirituale coniugium prælati & ecclesiæ respicit principaliter bonum publicum & commune, vt *45. dist. disciplina, vltra medium.* sed si insufficiens, vel ineptus renunciare non posset, sequeretur reipublicæ malum. Et quanto magis esset fastidium papæ, tanto maius sequeretur reipublicæ nocumentum. Item quod ex caritate est institutum, contra caritatem militaret, si in papatu præsidens inutiliter ad malum & confusionem ecclesiæ & sui ipsius papæ animæ detrimentum renunciare non posset. sed carnale singulare coniugium respicit ipsorum iugalium priuatum bonum. Et si concordaretur ipsius dissolutio, quamuis forte singularibus coniugiis esset bonum, quia forsan meliorem vxorem ille, & meliorem illa virum acciperet, tamen sequeretur ex hoc vniuersè malum: quia cum communiter homines plus ducuntur concupiscentia quam ratione, multi vxores dimitterent, & ad libidines se conuerterent, nec de prole curam susciperent. & ista est ratio, quare licet pœnitentia ex causa recedere à matrimonio spirituali, non autem à carnali. non obstat *c. si. 79. dist.* quia licet velit quod non possit dissolui matrimonium spirituale papæ per solum consensum Cardinalium qui ipsum eligerunt, tamen non negat quin propria renunciatione tollere possit, quia auctoritate Dei matrimonium spirituale tolli potest, vt in *c. inter corporalia. & c. quinto, de transla. præla.* & sic auctoritate papæ, qui loco Dei est, tolli potest, & in facto potest proprio auctorari. Et quamuis iudex non possit in facto proprio auctorari, vt *l. 1. ff. de aucto. tuto.* & in *cle. si vna, de rebus eccle. non alie.* illud procedit ex dispositione iuris positiui, cui non subest papa: & ideo in facto proprio papa potest auctorari, ar. no. in *l. digna, C. de legi.* & eorum quæ no. in *c. quæ in ecclesiarum, de consti.*

Ad contraria supra inducta modo respondemus, concludentes quod aliqui ex causis supradictis subsistente papa possit papatui renunciare: secus, nulla subsistente causa, quia tunc non posset papatui renunciare, per iura contra inducta, & per tex. in *c. licet, ver. vnde quæritur. de regula*: non obstat tex. in *d. c. 1. de renunc. li. 6.* vbi text. videtur dicere, quod potest renunciare, maxime si se cognoscit insufficientem: quasi implicet, quod & si sufficiens sit renunciare, non possit. nam intelligo, quando esset sufficiens, tamen alia causa superesset criminis forte conscientia, tunc profecto credo possit renunciare. sic illum text. intelligo nam nulla causa subsistente papa renunciare non posset, quia peccatum grauissimum committeret.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

An Episcopatus sit ordo, & an in eo character imprimatur. item, Episcopalis ordo an largo modo sit ordo distinctus à Presbyterali.

CAPITVLVM XII.

AD contraria modo responsum præbeamus. & quia prima cõtraria tangunt dubium, an episcopatus sit ordo, & an in eo character imprimatur, vel solũ impressus character presbyteralis perficiatur. Primo determinabo, an sit episcopatus nouus ordo. & secundo an per ipsum character imprimatur.

Ad primum dico, quod summendo ordinem stricte, prout in quolibet ordine imprimitur distinctus character, vel prout ordo habet relationẽ solum ad verum corpus Christi & ordines sacros conferendos, tunc episcopalis ordo nõ dicitur de se ordo. & hoc modo verificantur tex. canonũ, qui videntur dicere, quod non sit ordo, *de elec. cle. in plerisque*, vbi tex. notat episcopatum honorẽ non ordinẽ. Item ibi dicitur dignitas non ordo. Et *de scrup. c. 1. in fi. de sacra vnct. c. 1. ad finem*, in quibus dicitur episcopos consecrari & presbyteros ordinari: non ergo dicit episcopos ordinari, sed tantum consecrari, quia in episcopo non imprimitur alius character à charactere impresso in ordine presbyterali, vt no. 52. *di. c. sollicitudo*, & ibi in summa. Nam in primitiua ecclesia non erat differentia inter presbyterum & episcopum, 93. *di. c. legimus. ver. nunc. &* 95. *di. olim.* & no. Io. An. in *prohemio sexti*, in verbo *episcopus*. in nouella super. ver. *Eucharistiam*, & dixi supra in quæstione, *an ad mundi bene viuere necesse sit vnicam esse potestatem à qua cæteri dependeant*, in illo articulo de potestate pontificali: sed quia quilibet presbyter & presbyteri ordinabant indiscrete, & schismata oriebantur, quia nõ omnes ab vno Christo se Christianos dicebant, sed aliqui à Paulo, aliqui à Petro se promotos dicebant, Petrus cum aliis Apostolis restrinxerunt potestatem characteris, vt presbyteri indifferenter omnia sacramenta conferre non possent, sed quædam reseruauerunt illis quos per ciuitates, vel prouincias creauerunt, & quos episcopos vocabãt, ita dicit glo. in *d. c. legimus in versi. postea.* vnde restricta fuit potestas presbyteralis & officium characteris, vt quædam episcopis tantum reseruarentur, vt confirmatio & ordinis collatio, de quibus, 25. *di. per lectis. versi. ad episcopum. &* 78. *di. c. quamuis corepiscopi.* vnde quando episcopus cõsecratur, relaxatur illa characteris sacerdotalis restrictio, & ampliantur sacraméta, quæ fuerunt interdicta ordini presbyterali, ipsi tamen ordini presbyterali prius cõpetentia. vnde ex consecratione episcopi nõ fit noui characteris impressio, sed tantum characteris sacerdotalis perfectio. Et ideo vera est opinio, quam ponit glo. in *d. c. sollicitudo*, 52. *di.* quod licet presbyter ad ordinem sacerdotalem possit promoueri per saltus, & tenet sacerdotalis characteris impressio, licet non habeat characterem diaconalem ante impressum ordinem, tamen episcopalem non potest per saltus suscipere, si prius non habet presbyteralem, *de excess. præla. c. ex literis. ver. cum igitur*: quia cum debeat perfici character sacerdotalis, & non sit, non potest in episcopum consecrari. & ita teneo, quicquid dicant Docto. in *c. 1. de elect. per sal. promoto*, vbi glo. tenet etiam istam sententiam, & sunt hæc vera. Et si in consecratione episcopi interuenirent verba apta ad concedendum potestatem sacerdotalem, quia cum non sit intentio ordinantis, nisi perficere characterem ordinis sacerdotalis, verba non debent operari vltra ordinantis intentionem, *l. non omnis. ff. si cer. pe.*

Sed si quæratur, an episcopalis ordo largo modo sit ordo distinctus à presbyterali, & in quantum accipitur pro officio, quod habet episcopus, & inquantum ordo etiam concernit corpus mysticum ecclesiæ, & quo ad ea quæ sibi soli reseruata sunt: tunc dicendũ est, quod largo modo ordo dicatur, quia (vt dixi) ordo dicitur sacrum signaculum, quo confertur spiritualis potestas & officium faciẽdi ea quæ pertinent ad illum ordinẽ, vt no. Inn. in *c. 1. de schisma.* & supra dixi. Et hoc modo potest saluari canonistarum opinio, quod episcopus habeat ordinem, de quo in *c. quotiens. de purgatione canonica*, & in iuribus supra dictis. cum. n. consecrat presbyteros, qui sunt duces in corpore mystico ecclesiæ ad conficiendũ eucharistiã, *de sum. tri. c. 1. ad finẽ*, Et alios sacros ordines confert, ideo episcopatus dicitur sacer ordo, quia per ipsum facit episcopus sacros act', *de elec. c. quod sicut. §. præterea.* & quod sit ordo hoc modo vult Sanctus Tho. in 4. *sen. di. 7. q. 3. arti. 3.* Et Dionysius in *ecclesiastica Ierarchia.*

Quantum ad secundum, est responsum quod per consecrationem episcopalem episcopo non imprimitur nouus character, & istud placet per iura ante deducta, quicquid dicant canonistæ, quibus theologi sunt aduersi. sed mihi placet theologorum sententia, per supra dicta, sed non per rationes ipsorum. nam ipsi volunt, quod character imprimatur in ordine, & ordo constituatur quando quis ordinatur in ordinibus habentibus relationem ad eucharistiam & verum corpus Christi mysticum, sicut est ordo episcopalis & psalmistatus, pro quibus, 77. *dist. capit. 1.* & 93. *dist. à subdiacono.* nam episcopalis ordo non respicit verum corpus Christi & eius consecrationem, sed corpus Christi mysticum ecclesiæ in confirmando in fide & ordines præbendo. Sed ista ratio mihi non placet. nam ostiarius ordinatur principaliter ad custodiam ianuarum, 21. *di. cleros, in fi.* & exorcistæ ad adiurandum super cathecuminos vel enerchuminos habentes spiritum immundum, vt *dicto capit. cleros.* & sic non habent determinatum officium circa confectionem eucharistiæ. & idem est in ipsis quattuor minoribus ordinibus, quia non habent relationem principaliter ad corpus Christi verum, vt vult sanctus Thom. 4. *sen. di. 7. quæst. 3. arti. 1. in fi. illius. c.* & tamen est secundum ipsos theologos ordo. Item ordo presbyteralis est etiam ordinatus pro aliis, quã pro respicientibus verum corpus Christi, quia respicit etiam mysticũ corpus ecclesiæ, sicut est baptisare, pœnitẽtias dare, & in

Digitized by Google

extremis inungere. vnde ex hoc tolleretur, quod licet ordo Episcopalis essent pro respiciētibus mysticum corpus Christi, vt confirmare, & similia, quoniam imprimeretur caracter, cum etiam ipse solus sit imprimens caracterē ordinis saltim sacri, qui imprimitur propter eucharistiā & corpus Christi verū principaliter. Illa ergo ratione, qua supra dixi, in ordine Episcopali non imprimitur caracter, nō illa theologorū ratione: & ideò teneo, quod Psalmistatus sit ordo, vt no. canonistæ *de æta. & quali. c. si contingat.* & dicitur ordo initiatiuus Psalmistatus, & Episcopalis dicitur ordo perfectiuus: quia perficitur ordo, vt dixi. non ergo in cōsecratione Episcopali caracter imprimitur, sed impressus perficitur. Est. n. sacerdos & presbyter sicut puer, qui habet potentiā generandi in habitu, sed non potest ad actū deducere nisi cum factus est vir: sic presbyter non potest confirmare nec presbyteros ordinare, nisi postquam erit factus Episcopus. sed supposito quod perficiatur ordo: quomodo respondetur, quod per papatum efficitur Episcopus, & perficitur ordo, & sic non videtur posse renunciare? nā respondeo, quod ordo Episcopalis vel dignitas, vt habeatur, non requirit loca vel subditas personas, & ideò potest esse Episcopus sine Episcopatu, vt no. in *d. c. 1. de epi. qui renuntia. epi. & in cle. plerisq. de elec.* Item licet Episcopus renunciet loco, non renunciat ordini, vt in *c. post translationem, in fi. de renunci. & in c. 1. de ord. ab epis. qui renunc. epis.* Etenim vt dixi, saltem ordo idē cum presbyterali, licet in Episcopo magis perfectus. igitur quantumcunque quis renuntiet Episcopatui, non renuntiat ordini: & ideò quamuis destruatur vel deponatur ab Episcopatu, nihilominus remanet Episcopus & ordinando vel consecrando characterem imprimit, *d. cap. 1. de or. ab epi. qui re epis.* & no. in *clem. in plerisque de elec.* & ideò ordinati ab Episcopo, qui fuit creatus Episcopus ab antipapa vel ab apostatico, illi conficiunt verū corpus Christi, quando ille antipapa erat prius de antiquis Episcopis, vel si ipse & fuit consecratus ab antiquis Episcopis: quia licet schismatici fuerint, effecti impresserunt characterem, quamuis essent à papa vel ab Ecclesia prohibiti, per dicta iura. hæc tamen intellige vt dicam infra in quæstione *an papa possit prohibere quod Episcopus non imprimat ordinando characterem*, vt dico infra cum tracto de speciali potestate papæ. vnde quantumcumque quis renunciet papatui, & sic loco ciuitatis Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, tamen remanet Episcopus & in ordine Episcopali, vt dictis iuribus; quia, vt dixi, papatus de se non præsupponit ordinem vel caracterem. & ita sunt soluta plurima argumenta supra inducta.

Ad illud de potestate clauium, adhuc ista est iurisdictionis & non ordinis; & ideò in exercitio ipsius renuntiare potest. sed hæc etiam potestas non est præcipua papatus: quia & omnes alii Apostoli ipsam habuerunt. vnde hanc potestatem retinet etiam qui renunciauit in habitu.

Ad capitulum *inter corporalia* & alia iura, quæ dicunt quod debet fieri renunciatio in manibus superioris, respondetur quod illa iura loquuntur in aliis Episcopis quā in papa, si subest causa Dei voluntas adesse præsumitur. Item subest ipsemet papa, qui sicut in dissolutione alterius matrimonii spiritualis alicuius Episcopi tenet locum Dei, vt *d. c. inter corporalia*, ita & in dissolutione proprii matrimonii potest retinere locū Dei & auctorari in propria causa, sicut potest esse iudex causæ propriæ, vt *d. cap. nunc autem. 21. di. & l. & hac Tyberius ff. de here. inst.* & sic soluitur quod dicitur de matrimonio carnali, quia nō dissoluitur solo cōsensu, quia secus est in spirituali, vt no. *in c. inter corporali, de transla. prala.* & ibi interpretantur hæc verba, quod fortius sit matrimoniū spirituale quā carnale.

Ad argumentū, in quo dicitur, quod papatus est à solo Deo, *ad Romanos 13.* ergo ab Episcopo solo tolli nō potest. Respōdetur quod aut cōsideratur ipsa potestas papalis, prout sēper est in suo esse & in essētia, & prout soluit & ligat in cœlo, & ista est à Deo immediate sine hominis ministerio: & ideò omnis vniuersalis Ecclesia, conciliū, & papa nō possunt statuere vel facere quod papatus vel talis dignitas nō esset, quia fuit inducta à Christo Deo in se sine hominis cooperatione. Aliquādo cōsideratur ipsa dignitas, prout est in Petro, aut Clemēte, aut Cœlestino: & tūc ista potestas nō est à solo Deo, nisi accedēte hominis cōsēsu. i. ipsius in papā electi, qui nō est ante papa quā cōsētiat. Et ideò est à Deo mediante cooperatione humana in isto homine vel in alio. Et ideo quāuis sit à Deo mediante humana cooperatione, ita mediante operatione humana potest in isto renūciante vel in alio habēte desinere. sic. n. anima humana, quæ est à Deo immediate per creationē, sed in aliquo indiuiduo corpore est mediāte humana operatione, quia secundū phil. *generat homo hominē*, & sola ipsa pōt humana operatione à corpore seperari naturaliter & violenter: sic in papatu. Similiter ita solus Deus dat gratiā & infundit solus animā, vt *de con. di. 4. c. nemo tollit*: sed quia infūditur gratia homini cū libero animi arbitrio cooperante, et sic mediante hominis ministerio, similiter & ipsa perdi potest per eius dissensū, vt no. *de pœni. di. 2. in summa.* & ibi glo. quæ allegat auctoritates.

Ad illud, quod nullus debet de se ipso disponere, verū dico persona simpliciter cōsiderata: sed quia homo potest cōsiderari, vt est homo, & vt habet dignitatē, *l. si cōsul. ff. de adopt.* dico quod licet Petrus non possit se absoluere, tamen Petrus consideratus vt papa se potest absoluere. Et quāuis tex. dicat quod electio summorū pontificum soli Deo est reseruāda: intellige, quod per humanā creaturā Cardinales aut alios non possit priuari, sed per seipsum, quia est loco Dei. hoc non dicit illud capitulum, & ideo priuat se in hæresim incidendo, 40. *di. si papa*, vel renunciando, vt. 21. *di. nunc autem.*

Ad illud de virtute increata, & de interdictis per legem diuinam, quod non tollantur per creaturas, est responsum per illā, quæ dixi, quod eā quæ sunt à Deo non tolluntur nisi à Deo.

Ad illud de voto, respondetur, quod votum papæ de gerenda cura intelligitur, quamdiu in officio præest, & sic iuramentū rectorū ciuitatū, & no. *d. elec. venerabilē in fi.* vnde se nō extendit post renunciationē. Et si vouisset perpetuo papatui deseruire, tunc subsistente causa aliqua de prædictis, ex qua eius seruitiū non esset Dei populo salutare, posset à tali voto recedere, ar. 22. q. 4 *in malis. & c. si aliquid*, & dicam infra in quæstione, *an papa dispenset in voto solemni continentia.* Ad

Digitized by Google

Ad argumentum, quod Christi sacerdotium est æternum, respondetur, quod Christi sacerdotium ideo dicitur æternum, quia res oblata in Christi sacerdotio est æterna: quia ipse Christus & eius corpus sanctissimum est res oblata, & est idem sacerdos & sacrificium, *de sum. tri. c. firmiter, §. vna.* Item ipse pontificatus de se æternus est, & papatus: sed non prout est in isto homine vel in illo. patet, quia papa vnus non semper viuit: vnde in eo papatus non est perpetuus, *l. 1. ff. pro so.* Et licet Christus non renunciauerat papatui; quia causa non suberat, non tamen arguitur, quod subsistente causa eius vicarius renunciare non possit.

Vndecimo argumẽto respondetur, quod papatus de se summæ perfectionis est, sed in aliquo ratione materiæ & ipsius operantis imperfectè possit imperfectionem habere, quia multi sunt qui nõ possunt perfectionis opera attingere. Et ideo sentit glo. super illo verbo Gen. 18. vbi dicitur. *non possum montem ascendere, est ciuitas parua ad quam possum confugere & saluari in ea*, quod per *montem* intelliguntur opera perfectionis, ad quæ si quis non potest ascendere, permaneat in via communi, vt est tex. 32. q. 5. *c. si Paulus, in fi.* ibi, *rectius fuerat enim.* Et ideo si perfectus papatui videt non posse tantum opus perfectũ ad implere, descendat & operetur circa minora bona non tantum perfecta, quia hoc casu licet descendere, vt dictum est.

Vltimæ rationi respondetur, quod papatus in se est iuris publici, sed regi magis ab vno quã ab alio non est iuris publici: & ideo quod renuncians non administret ipse, potest renunciare.

Concluditur ergo, quod papa ex causa potest renunciare papatui: sine causa autẽ, nullo modo.

SVMMARIVM.

An Papa possit alterius iudicio se submittere, vt ipsum extra crimen hæresis deponat.

CAPITVLVM XIII.

ET ista faciunt ad quæstionem, *an papa possit alterius iudicio se submittere vt ipsum extra crimen hæresis deponat?* & licet glo. 40. *di. c. si papa & 63. di. c. in Synodo. & 2. q. 7. nos si incompetenter*, vbique teneant quod sic, quod possit se subiicere, vt etiam à papatu deponatur, tamen multi tenent oppositum. pro quibus faciunt iura pro prima parte allegata, & quia Deus reseruauit suo iudicio, 11. *dist. si Papa.* 17. *dist.* Hic etiam ergo inferior à Deo non cognoscet etiam ex delegatione Papæ, quia non videtur papa posse demandare quæ Dei iudicio sunt reseruata. Item non videtur quod possit iudicari nisi de hæresi: ergo pro aliis, de quibus humano iudicio iudicari nõ potest 40. *di. si papa. & 9. q. 3. nemo*, non videtur posse se subiicere, cum humana creatura huius iudicii non sit capax, & sic humano viuenti delegari non posse videtur, sicut nec potest dari à partibus iurisdictio non habenti, *l. priuatorum. C. de iurisdict. om. iudi.* & quia actus actiuorum est in patiente disposito secundum philo. probatur, quia sicut non posset etiam à papa committi non presbytero, quod cõficeret corpus Christi propter defectum ordinis, vt in *c. 1. § si vna. ver. ad hoc vtique sacramentum, de sum. tri.* ita videtur quod papa non possit committere inferiori, quod ipsum iudicet propter defectum patientis siue potestatem suscipientis, cum hæc potestas competat soli Deo, 60. *q. 3. aliorum.* Et ideo quamuis Symmachus concilio se submisisset, eius causas concilium Deo reseruauit, 17. *di. si hinc etiam*, nisi quod eum absoluit ab hæresi, quia reperierunt eum insontem, vt ibi & 2. *q. 7. §. item Symachus.* Itẽ concilium iudicium Marcellini sibi remisit, 21. *di. nunc autem.* Item sicut papa legem condendo non potest se suæ legi subiicere, *l. pen. ff. de arbi.* ita non potest subiiciẽdo se alteri ita artare, quin liceat ab hac sua submissione tollere se. talis enim depositio, quæ fieret, esset ius quoddam positiuum, à quo papæ recedere liceret, cũ sit supra omnia iura positiua, vt no. in *c. proposuit, de conces. præben.* & hoc videtur tenere Io. An. in *c. ecclesia sancta Mariæ, de consti.* per regulam capituli *cum inferior. de ma. & obe.* vbi nullus inferior potest parem vel maiorem iudicare. facit *de elec. innotuit*, maxime in foro contentioso. & respõdet ad *c. nos si*, quod loquitur, quod submittit se iudicio, i. discretioni, & sic voluntariè potest papa stare alieno iudicio, sed non in iudicio contentioso. In contrarium videtur tex. in *c. ad supplicat. de renunc.* vbi ratione officii suscepti & beneficii superior se subiicit inferiori. ad idem *de foro compe. verum.* vbi clericus submittit se layco ratione feudi. & quod possit inferiori superior se subiicere, probatur no. *l. est receptum, de iur. o. iudi.* hinc est quod papa potest de suo iure compromittere & delegare: & idem in non recognoscente superiorem, vt no. *de verbo. signi. c. ex parte.* & ideo princeps in rebus fiscalibus constituit in lite sua & priuati procuratorem fisci, vt in toto titulo, *C. vbi causa fiscali.* & in suis patrimonialibus procuratorem Cæsaris. & credo quod papa possit se subiicere cuilibet iudici etiam seculari, per ea quæ infra dicam. quod non obstat, quod non inferior non iudicat superiorem, quia ex quo se subiicit, est inferior. aliàs autem ecclesiasticus in laicum non posset consentire in præiudiciũ ordinis clericalis, *de foro compe. si diligentem.* sed hoc non habet locum in papa, quia quemadmodum ex causa quandoq; submittit clericum iudicio seculari, vt in casibus no. *de iudiciis, c. tamen non ab homine*, ita potest se submittere. Et ideo quicquid isti dicant, ego assentio glo. decreti, quod possit alteri committere suam depositionem ex causa, vt causa subsistente, vt quia sit inutilis, vel sit scandalũ, vel aliud, ex quo posset renunciare ipse sponte. ita alteri suam ipsam depositionem committere. non obstant contraria, quia ille, qui vt delegatus eum deponit, dicitur deponere virtute delegantis, & sic ipsius papæ, qui Deus in terris est, *de translat. prælat.* per totum. & hoc patet de iudicio Christi, qui dixit Pilato, *nullam haberes erga me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* & sic potestas erat Pilato ab ipso Deo, & ita papam iudicat alius mandato ipsius papæ qui Deus est. & sicut potest se ipsum deponere renunciando ita, licet committendo: semper loquor cum causa.

Digitized by Google

credo tamen, quod si ante depositionem mandatum reuocaret, quod non posset ipsum deponere. *l. iudicium soluitur ff. de iudi.* & quia non est astrictus huic mandato, quin possit reuocare ante actum depositionis: postea non, cum non sit amplius papa post depositionem. non obstat. §. *hinc etiam*, quia Symacus, licet auctorauerit concilio per Theodoricum conuocato, non submisit se concilio: sed concilium cognito de eius hæresi, alias causas reseruauit Dei iudicio, & iuste cum non posset cognoscere. Concludo igitur, quod papa potest se submittere alieno iudicio etiam vt deponi possit: & idem in quolibet alio superiorem non recognoscente, *d. l. est receptum.*

SVMMARIVM.

Pontificalis dignitas an perdatur propter hæresim.

CAPITVLVM. XIV.

SEcunda quæstio est, an ex alia causa dignitatem perdat, & postquam de renunciatione satis vidimus, nunc vtrum hæresim, ipso iure maxime. Et dicendum videtur, quod non. nam Marcellinus Papa, qui thurificauit Idolis, & sic hæresim commisit, non perdidit continuo dignitatem, sed se suo honore iudicauit deponendũ. ergo nondũ depositus erat, 21. *di. nunc autẽ.* nec debuisset deponi, nisi ipse ex humilitate se deposuisset. Itẽ Iudas fuit hæreticus, vt no. Inno. & Doc. *de hæreticis, c. fraternitatis.* & statim tamen non fuit priuatus participatione sacramentorum nec factus intolerabilis à Christo. Item Pharisei & principes Iudeorum crediderunt aliquando Christum filium Dei, vt dicit Hieronimus, Chrysostomus, & Origenes, & Nicolaus de Lira super illo verbo: *hic est heres, venite occidamus, & habebimus hereditatem eius*, Math. 21. & Math. 22. & Beda Lucæ 23. ibi, *pater ignosce eis.* Sed postea Christo eorum vicia increpante obscuratũ fuit insipiens cor eorum, & ceciderunt ab ista credulitate, quod crederent eum filium Dei: quod si credidissent eum filium Dei, nunquam interfecissent: & nihilominus Christus vt sacerdotes veneratus est eos, cum leprosis mundatis dixit, *ite ostendite vos sacerdotibus.* ecce quod hæreticus non ipso iure dignitatem perdit. Item Apostoli omnes Christi crediderunt ante passionem, vt constat ex illo verbo cum Petrus pro omnibus dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*, sed constat quod ab hac fide post passionem vel in passione omnes deuiauerunt, iuxta illud Matth. 25. *Vos omnes scandalum patiemini.* super quo Hieronymus dicit: *Omnes quidem cadunt sed non omnes iacent.* & Marci vltimo dicitur: *Exprobrauit Deus in credulitatem eorum.* & tamen Apostoli ex hac deuiatione non perdiderunt Apostolicam dignitatem. & ideò super illo Ioh. vltimo dicit Beda, quod *ideo ter interrogauit Petrum, si vere diligis me, vt ostenderet quod per negationem non perdiderat gradum & dignitatem sibi.* Item Aaron licet propter populi timorem construxisset vitulum, cui populus victimas obtulit, non propterea sacerdotium perdidit, *Exodi.* 33. licet ibi colligatur, quod nondum sacerdos consecratus erat, licet iussu Domini institutus. Item quia fortius est matrimonium spirituale quam carnale, *de transla. prela. inter corporalia*: sed matrimonium carnale propter hæresim vel Apostasiam non dissoluitur, *de diuortiis. gaudemus*: & c. *quarto.* no. in 4. *senten. di.* 3. ergò minus matrimonium spirituale, quod est inter papam & vniuersalem Ecclesiam. Item princeps Apostata non est ipso iure priuatus, 11. *q.* 3. *c. Iulianus.* Item Salomon licet templa Diis gentium cõstituisset amore mulierum, tamen nõ fuit ipso iure depositus, sed vniuersus Israel ab eo iudicium suscipiebat. Sed contrarium videtur dicendum, quod pro hæresi papa deponi possit, tex. est. 40. *di. si papa*, ibi, *nisi deprehendatur à fide alienus.* & 19. *di. Anastasius.* nam est tantus fidei fauor, etiam si eius sit occulta hæresis, possit de ipsa accusari, vt no. glo. in *d. c. si Papa.* 40. *di.* & no. Archidi. & Ioh. An. in *c. in fidei de hæreticis in 6.* & est tex. in *d. c. Anastasius* 19. *di.* quia ibi occulte Anastasius communicauit hæreticis. loquor de tali occulta hæresi, de qua tamen probari possit, *l. eos C. de apel.* Nam & hoc delictum potest dici manifestum, quantum ad hoc vt accusari possit, 11. *q.* 3. *eorum.* Et tunc innodatur sententia prædecessoris papæ, & incidit in canonem latæ sententiæ. 24. *q.* 1. *Achatius*, el primo. & ratio, quia hæreticus papa minor est quolibet catholico, vt *d. c. Achatius, &* 12. *q.* 1. *c. scimus. &* 19. *dist. Anastasius.* & ipso iure papatum & talem dignitatem perdit, quia vt Diabolus condemnandus est, *de pæni. dist.* 2. *principium.* Et duo sufficient testes, vt dicit glo. 2. *q.* 4. *c. præsul.* & meritò sic est statutum: quia ipse caput est Ecclesiæ iuxta illud ad Ephesios primo: *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quæ est corpus eius.* vndè deuiando à fide mortuus est, iuxta sententiam Abac. quia *iustus ex fide viuit.* Item quia assumalicuius ad fidem est vita, vt dicit Apostolus *ad Romanos* 11. ergò per contrarium casus à fide est mors. Igitur non potest vitam influere in aliis Ecclesiæ membris, quia principium vitæ spiritualis est fides: quia sine fide est impossibile placere Deo. Nam secundum Apostolum *ad Hebræos* 11. fides est substantia, i. fundamentum, omnium sperandarum rerum: & est fundamentum omnium virtutum: quia vbi Christus non est, subaudi per fidei fundamentum, nullum boni operis est supra ædificium. 1. *q.* 1. *cum Paulus.* Et quia per fidem quis dicitur dare vel esse de Ecclesia: sed hæreticus est sine fide: ergo non stat nec est de Ecclesia. primum probatur Apostolus ad Romanos 11. ibi, *tu autem fide stas.* & 2. ad Corintheos, *fide statis.* Item papa à fide deuiante ipse continuo mortuus est, quia non operatur secundum fidem: & fides sine operatione mortua est, *Iacobi.* 2. *c. de si vera vncti. capit.* 1. §. *quia verò Christus. &* 1. *q.* 1. *capit. fertur.* vnde si est mortuus papa, caput Ecclesiæ non potest esse caput corporis viui quod est Ecclesia, & sic potest spiritus vitalis in cæteris membris infundere, quia principium vitæ plurimum est in capite: & capite languescente fortius reliqua corporis membra

Digitized by Google

membra inficiuntur: & à planta vsque ad verticem non est in eo salus, 6.*q*.1.§.*verum*. Item hæreticus est præcisus ab Ecclesia, & est sicut ramus præcissus ab arbore sine stipite, qui continuo arescit, 24.*q*.1. *cauendum*. & est ille de quo Ioh.15. *Si quis non manserit in me, mittetur foras & arescet.* Et ideò de hoc crimine nedum accusatur, sed cum constat eum in hæresim incidisse, ipso iure est damnatus. ad hoc Iohannis 3. *qui non credit iam iudicatus est.* vbi dicit Augustinus: *nondum apparuit iudicium, & iam factum est iudicium.* & id quod dicit Apostolus, *qui eiusmodi est.* i. hæreticus, *subuersus est proprio iudicio condemnatus*, 24. *q. Achatius in fi. & ca. sequenti.* hoc probatur: quia papa præest Ecclesiæ per potestatem clauium Petro concessarum, *Matthæi* 16. sed existens extra Ecclesiam, prout hæreticus, non habet claues istas: ergo non est papa, postquam est hæreticus. Item hæreticus non habet secum Deum patrem & Spiritum sanctum, qui non sunt in aliquo existente extra Ecclesiam ergo non habet papatum extra Ecclesiam existens, 23.*quæst*.1.*cap. alius.* Item hæretici leprosis assimulantur variis maculis peccatorum pollutis, vt dicit glo. *Leuitici* 13. & *Numeri* 5. sed statim, quod erant leprosi declarati, extra castra mittebantur, & sic hæreticus declaratus statim est extra Ecclesiam. Et hoc vult ibidem Origenes dicens: *erit quis à veritate.* id est, à fide & charitate, *per hoc exit à castris Ecclesiæ etiam si Episcopi voce non abiiciatur.* ad idem Leuitici 21. cap. vbi dicitur, *homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non ingredietur sanctuarium meum.* Et quod papa hæreticus sit ipso iure excommunicatus, probatur tex Apostoli, de quo 11.*quæst*.2. *si his*, vbi dicitur, *& si Angelus de cœlo aut nos aliter euangelizet vobis, quod vobis euangelizauimus, anathema sit.* dum dicit: *aut nos*, loquitur de se ac aliis Apostolis, & sic Petrus aliter euangelizans esset anathema, & idem in papa. nec obstat, quod excommunicatio sit à iure positiuo, & à canone, & non ligat lex præcessoris successorem, *de elec. innotuit.* quia illud est verum eo papa persistente: sed iam ipse prolapso in hæresim desinit esse papa, & minor est quolibet catholico. ideo innodatur sententia præcessoris, vt sit priuatus & excommunicatus, 24.*q*.1.*Achatius*. vbi textus cum glo. iuxta nota. per Ioh. An. in *c. vt commissi. de hæreti. in* 6. *in nouella*, vbi vult quod prælati etiam qui habuerunt canonicum ingressum propter hæresim, sint ipso iure priuati. & quid tunc sit huius causæ iudex statim proximis quæstionibus dicam. Et hoc casu potest deseri ante sententiam à fidelibus, *dict. c. Anastasius*. 19.*di.* vbi ostenditur, quod primo parenti statim post spretum mandatum Dei & ante sententiam ipsi Elementa facta fuere contraria, & omnia sibi Domino commissa obedientiam subtraxerunt: ita licet Catholicis deserere papam hæreticum ante sententiam eius, tamen sententiæ sunt, dum toleratur, tolerandæ, vt notatur 24.*q*.1.*in summa.* non obstat quod supra in prin. dixi de Marcellino, vt notaui infra in quæstione, *quis huius causæ iudex est.* nec alia dicta in contrarium, vt in dicta quæstione *quis sit iudex*, infra patebit.

Hæc tamen sententia sane intelligenda est, quando papa prolabitur in hæesim scienter: secus si ignoranter. non enim hæreticum facit ignorantia, sed pertinacia, hoc est voluntas pertinaciter dissentiens his quæ determinat esse de fide sancta mater Ecclesia, 24.*q*.3.*ca. Apostolica.* & hoc quando ignorat illum articulum fidei, contra quem errat: & contrarium credit esse de forma fidei habens propositum. quod si sibi innotesceret veritas fidei, illi adhæreret, hic vtique hæreticus non est censendus, iuxta illud quod dicit Apostolus de seipso: *veniam consecutus sum, quia ignorans feci in credulitate mea.* & hoc est de mente Inno. in *capit.1. de summa tri.* secus si erret ignorans illud asseuerans pro verò, quod scit Ecclesiam contra tenere: quia talis ignorantia enim excusat. & hoc quando papa prolabitur in hæresim stricto modo, non largo modo sumpta.

Vnde notandum est quod largo modo *hæreticus* quis multis modis dicitur. Primo omnis dubius in fide dicitur hæreticus *de hæreti. cap.*1. Item Simoniacus, maxime qui sacramenta peruertit 1. *q*. 1. *cap. fertur. & cap. quisquis. & cap. eos qui* 2. *q. fi. cap. patet.* & dicitur his duobus modis hæreticus largo modo ab *electione erroris.* Item excommunicatus nam qui non est Ecclesiæ membrum, hæreticus iudicatur: in *auth. de priuil. dot. colla.* 8. ibi, *& ad omnes qui non sunt membrũ sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ.* & probatur 4.*q*.1.*c*.2. Et est ratio, quia hæreticus aliquando dicitur ab *hercisco*, quod est idem quod diuido, vnde dicitur *familiæ herciscundæ*. i. diuidundæ: sed excommunicatus ab ecclesia est diuisus: vnde largo modo dicitur hæreticus. Item omnis qui male interpretatur sanctã scripturam. i. qui aliter interpretatur quã Spiritus sanctus efflagitat, à quo scripta est, licet ab ecclesia nõ recesserit. 24.*q*.3.*hæresis. &* 24.*q.fi.c.fi. in fine.* & dicitur modo hæreticus ab *electione erroris.* Itẽ qui nouã opinionẽ inuenit, *eadem q.c. hæreticus.* 37.*di. relatum*, & dicitur tunc *hæreticus* ab *hæreo hæres*, quia nimiũ hęrent proprię opinioni, contra tex. *c. ne imitaris. de constit.* vnde hæreticus ex his quatuor modis dicitur vel ab electione erroris, vel ab hæreo hæres, ab erro erres, vel ab *hercisco*, vt dixi. Item dicitur hæreticus, qui priuilegiũ Romanæ ecclesiæ ad ipso summo capite traditũ conatur auferre 22.*dis. omnes.* Itẽ qui communionẽ Catholicæ Ecclesiæ non recipit, in *auth. prædicta de priui do. post.* Item qui transgreditur pręcepta sedis Apostolicę. 19.*di. nulli.* & qui ea nõ recipit, 19.*di. de libell.* his modis dicũtur hæretici largo modo, quod intellige quãdo erãt alias fideles & in aliquo prędictorũ peccauerunt vel peccant, qui ipso iure sunt excommunicati. Sed & largissimo modo etiã qui sunt contra Ecclesia, vt Iudæi & Gentiles: quia qui non tenent fidei articulos, hæretici dicũtur, 24.*q*.3.*c*.1.*quia vero* & ibi glo. no. in *c. firmissime de hæreticis.* Isti tamen vltimi non sunt excommunicati propter hoc. vndę hic fallit regula, quod omnis hęreticus excommunicatus est. Tertio modò & stricto dicitur hæreticus, vt arbitror, qui pertinaciter aliter de fide sentit quã vniuersalis Ecclesia doceat, 24.*q*.1.*cap. hoc est fides.* & sic est electio contradicens Ecclesiasticæ doctrinæ, vt dicit beatus Thomas *secunda secundæ*, *quæsti.*

Digitized by Google

ii.artic. Unam hæresis proprie sumpta est illa, quę dicit peruersum dogma contrarium directe fidei, quod quis pertinaciter nutrire vel defendere in Ecclesia, vt 24.*q.c.inter schisma*. Et ideò qui in aliquo articulo fidei aliter sentit quam Ecclesia teneat, propriè hæreticus est. & de ista hæresi volunt iura, quod papa damnari possit, vt no.glo.79. *di.si quis pecuniam*. Idem dicendum est de eo, qui modo prædicto pertinaciter non recipit sancta quatuor prima concilia, vt est tex.in *l.fi.C.de summa tri.* & in *auth.de Ecclesiasticis titulis*.§.1.& *C de hæreticis.l.quicunque.*& in *cap.3.de hæret.* Item de eo qui pertinaciter aliter sentit de sacramētis Ecclesiæ, vt de baptismo, pœnitentia, matrimonio, & similibus, quam sancta mater Ecclesia doceat, vt est tex.*de hæreticis, ad abolendam*. Idem de eo vel illis, qui dicunt pertinaciter aliqua esse licita & honesta, nec esse peccata, quæ peccata esse secundum legem Dei damnata sunt: vel arguere ea. quæ pro peccatis volunt pertinaciter, quæ non etiā sancta decreuit Ecclesia, vt hæc plène habentur, 24 *q.fi.c.quidam*, cum omnibus speciebus hæreticorum ibi enarratis vsque in finem. Et vt hæc probantur in *cle.ad nostram.de hæreticis.& in cle.1.de vsur.* & 30 *dist.ca.vltimo & fi.* Et clarius probatur.24.*q.4 cap.quid autem.* & *c.qui in Ecclesia.& c.qui aliorum*. Et ideo qui pertinaciter assereret, quod indifferenter iurare esset peccatū, talis foret hæreticus, vt in *c.excommunicamus.*§ *fi.qui vero de hæreticis*.& hac de causa pro hæreticis olim fuit ordo Humiliatorū damnatus, vt no.glo.in *c.olim, el primo de resti.spol.* Et breuiter propriè hæreticus est, vt dixi, qui pertinaciter aliter qui sentit quam vniuersalis Ecclesia docet vel decernat, vt dicto *cap.hæc est fides*.24.*q*.1. Et ideò qui aliter sentiunt quam dictet canon *firmiter* & capitulum *damnamus de summa tri.* tales propriè sunt hæretici. vt est tex.in *d.c.damnamus* in fi. Et idem dico de credentibus istis, vt in *c.excommunicamus, el secundo*.§.*fi.de hæreti.* Et conclusiue pertinaciter asserens contra ea, quæ Ecclesia disponit, proprie hæreticus est. Et ideò si in istorum aliquo papa pertinaciter erraret, esset hæreticus, & ipso iure anathematizatus, & à concilio deponendus esset: quia confiteri illa, quæ sunt fidei, est de necessitate salutis; & potissime ad hoc tenetur papa, & alii superiores de Ecclesia, quorum confessione alii fideles audaciores fient, & dicit Apostolus *ad Philippen.primo*. hæc igitur bene notanda sunt, qui ex his verbis multæ quæstiones decidi possunt.

SVMMARIVM.

Pontifex an potest dici Simoniacus siue committere Simoniam : & an pro tali delicto deponi possit: & an pro crimine alio grauissimo, præsertim scandalizante Ecclesiam, & Papa in sua obstinatione remanente, deponeretur.

CAPITVLVM XV.

ET primò, an si papa sit notorius Simoniacus, pro tali peccato deponi posset? videtur quod sic, quia, vt dixi supra Simonia hæresis est, vt dicto *c.fertur.& c.quisquis*.1.*q*.1. cum similibus. Sed pro hæresi deponitur, vt dicto *c.si papa*.40.*di.* ergo pro Simonia videtur posse deponi. Et pro hac sententia videtur tex.79.*di si quis pecunia* Item Simonia à Petro & ab Ecclesia iam est damnata, 24.*q.fi.cap.quidam, versi.Simoniam*. & habetur *Act*.8.*c.* dicente Petro Simoni, *pecunia tua sit tecum in perditione*. 1.q.1.c.*qui studet*. sed qui incidit in hæresim iam damnatam, etiam papa, hæreticus est, 19.*di.Anastasius*, & supra dixi. Et præterea Simoniaci sunt deteriores hæreticis Macedonianis, qui dicebant spiritū sanctum esse seruum & creaturam Dei Patris & filii. nam isti *Dei seruum Spiritum Sanctum* dicebat: Simoniaci vero Spiritum sanctum seruum suum faciunt.1.*q*.1.*ca.eos*. Item Simonia à Christo condemnata extitit: & à Deo in veteri & nouo testamēto damnata est. Damnauit eam Christus, cum ementes & vendentes de templo fugauit, 1.*q*.3.*ex multis*, cum c.sequenti. damnauit Deus in veteri testamēto, cum Gesi lepra percussit, 1.*q*.1.*c.qui studet*. si ergo papa hæresim Simoniæ damnatam sequitur, tāquam hæreticus deponendus est, vt dicto *c.Anastasius*, & iuribus antedictis.

In contrarium videtur, quia ambitus, qui idem est quod Simonia, non videtur cadere in papa vel principe, *l.1.ff.ad l.Iul.de ambitu*, no.82.*di.presbyter*, & ibi glo.in verbo *denarium*, & 1.*quæst.6.c.fi.* Et præsertim in papa locum non videtur habere posse Simonia, quia de omnibus Ecclesiis & bonis earum libere potest disponere, 22.*d.c.omnis.& de preben.c.2.l.6.* vnde si Ecclesiis dandis alicui papa pecuniam recipit nō videtur committere Simoniam, quia posset bona ipsius Ecclesiæ tollere & Ecclesiam. Item nec pecunia, quam reciperet pro præstādo gratiam Spiritus sancti, vel pro præstatione sacramentorum: quia cum possit ab Ecclesiasticis suadēte necessitate pecunias exigere, vt *de censi.ca.cū Apostolus versi.sustinemus*, nō erit iudex qui possit vel debeat iudicare vtrum pro alienatione gratiæ Spiritus sancti receperit, aut ex alia causa: quia papa à nemine iudicatur, 9.*q*.3.*c.nemo*.& *c.aliorum*. Et pro hac sentētia videtur glo.sic dicere 79.*d.c.si quis pecunia*. Itē quia & si hæresis dicitur Simonia, dicitur in genere hæresis, nō quod sit cōtra Dei articulos, vel contra quatuor prima sancta concilia, aut Dei Sacramenta. Et ideò pro tali hæresi papa deponendus non videtur, vt notat glo. in dicto *c.si quis pecunia*. immo secundū Inno.1.*c.quotiens, de Simonia*, nullus Simoniacus est hæreticus, nisi qui credidit, quod gratia Spiritus sancti vel ipse Spiritus sanctus venalis sit. Si igitur per Simoniā non est hæreticus, sit scelus quantūcunq; enorme, papa pro illo deponi nō potest, vt *c.si papa*.40.*d.*& ita vult Hostien.& Io.An.in *c.proposuit de conces.preben.* vbi dicunt, quod sit scelus quantūcunq; grauissimū, papa pro ipso accusari vel deponi non possit. quid igitur est dicendum? Hic tria principaliter sunt videnda. Primum an papa possit dici Simoniacus siue committere Simoniam. Secundo an pro tali delicto deponi possit. Tertio an pro alio crimine grauissimo præsertim scandalizante Ecclesiam & papa in sua obstinatione remanente.

Ad

Ad primum dubium respondeo, quod quædam sunt Simoniaca, quia prohibita: & quædam prohibita, quia Simoniaca, vt no. glo. *de offi. dele. ex parte*, cum si. in primo casu quando sunt Simoniaca quia prohibita, vt sunt illa, quæ constitutione Ecclesiæ sunt prohibita, natura vel veteri testamento, vt est dare canonicis pastum post receptionem in canonicum, & sicut est dare pecuniã propter habere beneficium à papa: tunc talis Simonia non cadit in papam. ratio, quia papa legibus positiuis solutus est, & est supra ipsas leges, non sub talibus legibus, *l. princeps, ff. de legi.* Et quia quis ex propria lege non ligatur. vnde si Episcopus statueret, quod ludens ad aleas solueret decem talenta, statutum non ligaret ipsum Episcopum statuentem, vt no. Io. An. in *c. cui licet, de regu. iur. in 6.* Et quia ipsius papæ voluntas contraria iuri positiuo pro lege habenda est: quia quod principi placet legis habet vigorem, *l. Cæsar. ff. de publica. & l. 1. ff. de consti. princi.* Quædam autem sunt prohibita, quia Simoniaca sicut prohibita in veteri testamento vel ex ipsa natura, vt est quod Sacramentum non præstetur pecunia, vel Spiritus sanctus non sit venalis: tunc papa, nisi ex causa legitima, non potest pro talibus accipere quin Simoniam committat, quia papa legi diuinæ & naturali subditus est, 40. *di. c. homo Christianus.* quia naturalia sunt immutabilia, 5. *di. per totum. & insti. de iure naturali, §. sed naturalia.* & ideò papa obligatur ex pacto & ex conuentione, quam non posset tollere, vt no. in *ca. quæ in Ecclesiarum de constitu.* quod intelligo, nisi in his, in quibus habet non obstante pacto liberam administrationem: quia potest tollere pacto non obstante, quod si pacto concessissent, prælaturam vel ius sepulturæ. sic intelligo notata in *cle. dudum in fi. de sepul. & in c. 2. de voto.* nota. in *c. significatum, de preben.* Quare concludo, quòd papa sine causa recipiendo pecunias pro Spiritu sancto vel Sacramentis committit Simonia. secus si per collatione beneficii Ecclesiastici quia in his habet liberam potestatem & hoc de primo.

Ad secundum dubium respondeo, quod quamuis Simonia sit peccatum grauissimum, pro ipsa tamen & pro quocunq; alio crimine quantumcunq; grauissimo papa non potest ab alio iudicari, vel propter delictum deponi, etiam si delictum foret notorium & scandalizans Ecclesiam, tex. est in dicto *cap. si papa.* 40. *dis.* vbi tex. dicit, quod si papa sit remissus in officio negligens vel inutilis, ita quod propriæ salutis æternæ sit immemor, vel insuper à bono taciturnus, adeò quod se & innumerabiles cateruatim ducat ad inferos, tamen à nullo mortalium, redargui potest. ecce quod crimen erat scandalosum & notorium, quia secum ducebat ad gehennæ ignem innumeros populos, & tamen pro hoc crimine siue pro talibus criminibus nedum priuari, sed nec iudicari vel accusari posse videtur. nõ obstant contraria: quia Simonia non dicitur hæresis: nec est nisi cum quis credit Spiritum sanctum vel ea quæ sunt Spiritus sancti posse pecunia emi, vt notat Inno. in dicto *c. quotiens, de Simonia.* Item cum Simonia dicitur hæresis, dicitur largo modo, non stricto, quo larga hæresi papa deponendus non est vel accusandus, vt supra dixi, non obstat tex. in dicto *cap. si quis pecunia.* 79. *dis.* quia ille tex. debet intelligi, quando qui per Simonia ad papatum aliquem promouerunt, non erant Cardinales, nec habebant ius eligendi: ideò ibi talis sic de facto electus non est papa, & tanquam Apostaticus non Apostolicus à quocunque à tali suâ intrusione repelli potest. Non obstat illud, quod Simonia à Deo in veteri testamento, & à Christo in nouo, & demum à Petro sit damnata: quia est reprobata quemadmodum & alia omnia peccata damnata sunt: non tamen propter ea sequitur, quod cũ mittens Simoniacam prauitatem vel alia crimina reprobata sit hæreticus: quia peccator quantumcunque notorius & obstinatus non est hæreticus iudicandus, & multomagis in papa, vt ex Simonia vel alio notorio crimine non possit accusari vel deponi, dicto *capit. si Papa.* credo tamen, quod si papa diceret, aut prædicaret, vel assereret pertinaciter Simoniam non esse peccatum, quod tali modo dici posset hæreticus, & damnari posset, vt proxima quæstione statim dicam, per iura quæ supra deduxi *de hæreti. cle. ad nostrã & de vsur. cle.* 1. *&* 30. *d. c. penul. & fi.* credo etiã quod quãuis papa pro crimine nõ possit accusari vel deponi, quod tamẽ ei denũciatio Euangelica fieri potest secundũ doctrinã Euangelicam, de qua 2. *q.* 1. *si peccauerit*: vt possit ei denunciari ne peccet, quia quilibet dicitur frater, 11. *q.* 3. *ad mensam.* & ita notat glo. in dicto *c. si papa.* 40. *di. &* 9. *q.* 3. *c. nemo.* Alia autem publica denunciatio fieri non potest, vt inde possit accusari vel deponi, per supradicta. Stat ergo conclusio, quod pro Simonia papa non possit accusari, deponi, vel pro alio crimine quantumcunque notorio & scandaloso, nisi forte Papa assereret pertinaciter illa non esse crimina vel delicta, quæ ab Ecclesia damnata forent, vt supra dixi: vel nisi sit crimen hæresis ipsa heresi districte sumpta, vt dictum est: & hoc in Papa viuente. Papa autem mortuus an potest accusari de crimine & de hæresi non est dubium, 24. *q.* 1. *Achatius el primo. & q.* 2. *cap. si. Nam accusari.* & iudex eius est successor, vt dicto *cap. Achatius.* & ita vult Io. An. Archi. in dicto *cap. in fidei, de hæreti.* nec modo papa profert sententiam contra defunctũ parem, contra *l. nam magistratus. de arbi.* qui si defunctus fuit hæreticus, minor fuit, vt dixi, quolibet catholico. Item ipso iure papatum & ipsam dignitatẽ perdidit, nec fuit amplius Papa, *de hæreticis, cap. fi.* facit *de præscrip. cap.* 1. *& in ca. cum secundum leges, de hæret. in 6.* & infra dicam. vnde successor erit iudex, nec propter hoc erit opus conuocare concilium, vt dixi. Et si Papa defunctus fuerit hæreticus, etiam mortuus excommunicari poterit, dicto *cap. fi.* 24. *q.* 2. siue potius declarari fuisse excommunicatum, quia propter hæresim ipso iure fuit sententia excommunicationis innodatus, *dicto cap. Anastasius.*

Et ex his oportet inquirere tertium dubium, an pro alio crimine notorio scandalizante ecclesiam, de quo Papa monitus non curauit, vel non curat se corrigere, sed in sua obstinatione stetit, aut remanet vel persistit, an pro tali ipse Papa accusari vel deponi possit? videtur quod non,

Digitized by Google

tex. dicti *c. si papa*; quia, vt dixi, ibi erat notorium & ecclesiam scandalizans: quia propter illa peccata multos populos secum trahebat ad tartara, & tamen pro tali peccato à nemine est accusandus vel iudicãdus, vt ibi & 9.*q.*3.*nemo*, *& c. aliorum*, 24.*q.*2.*sane*. Item quia quamuis papa grauissime peccet de peccatis quantumcunq; grauissimis & notoriis, etiam ecclesiam scandalizantibus, ipse nihilominus papa persistit. Quis igitur eum iudicabit? quia inferiores contra superiorem sententiam nõ dicunt, nec eorum crimina audiunt, 21.*di. cum inferior*, *& de ma. & obe. cum inferior. & l. nam magistratus. ff. de ar.* non enim debet caput turbari: quia sic tota subuerteretur ecclesia sæpius contemnendo caput, & multi crimina in papa confingerent vt caput ecclesiæ, & per consequens ecclesiam cõturbarent, & possent tales accusationes esse causa diuersorum schismatum. Necesse est enim esse vnum principium alios regulans: ipse autem à nullo debeat nisi à seipso regulari, vel à Deo. facit. 21.*di. nunc autem*, prout ibi dicitur, quod papa debet in sinu suo colligere causam suam & ipse de seipso iudicare. facit *l. & hac Tiberius ff. de heredi. instit. & l. est receptum ff. de iurisdict. om. iudi.* not. in *l.* 1. *Cod. ne quis in sua causa ius dist.* in quibus iuribus probatur, quod isti non recognoscentes superiorem ipsi suarum causarum debent iudices esse, & suas causas audire, 17 *di.* §. *fi.* 40. *di. si papa.* 21. *dis. nunc autem.* & infra dicam in quæstione *quis iudex sit.* Non ergo de his causis alius debet se posse audiendo nedum iudicando intromittere. In contrarium videtur glo. Iohannis & sententia Hugutionis, qui viri fuerunt maximæ auctoritatis, in *d. c. si papa.* 40. *dis.* volentes quod si papa est in notorio crimine scandalizante ecclesiam, & est incorrigibilis, quod intelligo, quia multotiens monitus se emendare non velit, quod de tali crimine possit accusari. Nam talis contumacia dicitur hæresis, 81. *di. c. si qui presbyteri*: vbi est tex. quod peccatum ariolandi est nolle obedire, & scelus idolatriæ est nolle acquiescere. Et quia qui crimen aliquod defendit, & de illo se corrigere non vult, peruersus est & proprio iudicio condemnatus, vt dicit Apostolus *ad Titum* 3. *capit.* quia error cui non resistitur approbatur, & prælatus tacendo consentit, 42. *di. si rector.* 83. *di. error. & de hæreticis. c.* 2. Si enim prælatus non emendat delicta notoria est suspectus quod si talis vitii assensor & sustentator, quanto magis cum monitus seipsum non corrigit, & ecclesiam scandalizat? Et quia qui rebelliter viuit, & discere aut agere bona recusat, magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis quam fidelis esse monstratur, 30. *di. c. si.* Ex quibus concluditur, quod papa persistente in crimine notorio scandalizãte ecclesiam, & se non emendante, quod ipse infidelis siue hæreticus dici debeat, & non pro peccato sed pro obstinatione & hæresi dici debeat depositus, siue etiam condemnandus, aut etiam accusandus.

Pro solutione dubii huius primum præmitto, vt dixi supra quod ex solo quantumcunq; delicto grauissimo etiam notorio & scandaloso, dummodo non sapiente hæresim stricto modo sumptã, papa deponi vel accusari non debet, vt *dicto c. si papa*, & iuribus præallegatis. Si vero non solum in tali crimine est & persistit, sed ipsum non esse crimen verbo defendit, quod tamen iure diuino vel naturali damnatum sit, non dico iure positiuo, quia, vt supra dixi, huic iuri posset derogare, cum ipsi nõ sit subditus, *de cõces. praben. c. proposuit*: tũc nõ de ipso crimine, sed de hac assertione & hæresi damnari poterit: quia talis assertio hæresis est, vt *d. c. pen. & si* 30. *di.* Item credo, si peccatũ habet causam successiuã vel reiterabilẽ, & papa monitus semper & pluries tale peccatũ reiteret, vel in ipso successiue spernens tales monitores persistat pertinaciter, & vniuersam ecclesiam scandalizet. cum enim tunc videatur asserere ipsum peccatum non esse crimen siue delictum, quia mendacia & assertiones ita operationibus & factis fiunt, sicut & verbis, vt *de appel. c. dilecti. de accusa. c. inquisitionis.* §. *nec ad petitionem*, in verbo *asserunt. & ff. de adi. edict. l. si tamen.* §. *ei qui. &* 22. *quæst.* 6. *c. cauete.* Certe isto casu, quia populos forte propter tale peccatum facit à fide deficere, credo eum tamquam hæreticum non recipientem accusandum fore & deponendum: quia par est à fide exorbitare & alios exemplo vel verbo à fide deiicere, 2. *quæst.* 7. *c. quis ex vobis*, alias *c. Paulus*, facit. *de pœn. c. fi. & de præsumptio. c. literas.* hoc enim casu non solum sibi nocet, sed toti mundo, præsertim quia idiotæ & simplices facile imitarentur sic errantem & talia committentem peccata. Et hoc casu ab imperatore potest interrogari, si vult talem vitam sequi, vel de fide super hoc interrogari potest, vt 25. *quæst.* 1. *satagendum.* & si perseuerat in crimine, poterit vt hæreticus iudicari. facit *de hæreti. c. cum contumacia, lib.* 6. Et ideo tempore sacrilegi schismatis papa, qui iurauerat & vouerat renuntiare papatui propter sanctam vnionem inducere, quia monitus implere iuramenta non curauit, sed spreuit, & diu in sua obstinatione stetit, à consilio Constantiensi & prius in Pisano consilio, pro hæretico est damnatus. & ratio, quia monitionibus factis sibi de ipso adimplendo ipse in peccato persistẽte de hæresi suspectus erat, tanquã non crederet id esse peccatum quod erat: ideo merito extitit depositus & damnatus. Vnde concludo, quod pro nullo crimine papa accusatur siue deponitur, nisi pro hęresi sumpta stricto modo, vt ante dixi: vel pro notorio crimine vniuersalem ecclesiam scandalizante, in quo papa monitus perseueret vel ipsum reiterando continuet: quia tunc de hæresi est suspectus, videlicet quod nõ credat Deum esse criminum vltorem, siue aliam vitam, & sic est suspectus in articulis fidei: & hoc modo potest verificari illa glo. & ideo monitus si se non corrigit, est hæreticus arbitrandus. nam cũ tale delictum conturbet vniuersalẽ ecclesiam & bonum eius, & papa monitus se nõ remouet, tunc videtur bonum vniuersalis ecclesiæ perturbare. Et ipse verbis aut factis hoc asserens est hæreticus, 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuam. &* 1. *q.* 7. *c. & si illa.* Et poterit per cõcilium iudicari: quia tex. *c. si papa*, nõ dicit, quod pro sola hæresi papa solum iudicari possit: sed dicit, cum deprehenditur à fide alienus. sed quando est

Digitized by Google

magis alienus à fide, quam cum ea quæ sunt fidei pertinaciter non adimplet, dictis iuribus? Item Papa sic peccando & pertinaciter perseuerando perturbat statum vniuersalis ecclesiæ, & in subuersione & in grauissimo periculo ponit. igitur sustentari non debet siue sustineri, 24.q.1. *memor sum.* & 25.q.1. *quæ ad perpetuam,* & *eadem causa, q.2.c. si ea.* diceretur ei velle ecclesiam destruere, quod Papæ non licet, 2. *ad Corinth.* 13. dum dicitur ibi, *secundum potestatem quæ mihi data est in ædificationem non in destructionem.*

SVMMARIVM.

Pontifex an propter schisma possit à Pontificatu deponi, forte si contingat ipsum Schismaticum fieri.

CAPITVLVM XVI.

ET propter ista deciditur & aliud dubiũ: An propter scisma Papa possit à papatu deponi, forte si contingat ipsum scismaticum fieri? Et videtur quod deponi possit, quia delictum scismatis videtur grauius omni delicto, etiam grauius delicto hæresis, 24.q.1.c. *non afferamus, in fine.* Secundo quia scismaticus ex perseuerantia in hæresim prolabitur, vt nota. 24.q.3.c. *inter scisma.* Et videtur prolabi in hæresim stricto modo sumpta, quia venit contra mentem articuli dicentis quod *vna sit ecclesia sponsa Christi pulchra sine macula & sine ruga, ortus conclusus & fons signatus & puteus aquæ viuæ.* 24.q.1.c. *quoniam vetus,* & *c. omnibus.* & hoc dicunt omnia illa iura, quæ retuli in principio huius operis in prima quæstione in argumento quod incipit *Vrgentissimam* &c. hoc probat textus, 24.q.1. *aduocauit,* dicens, quod fides non potest esse in scismate, quia & si forte fidem scismaticus tenet in Deũ; tamen erga Dei ecclesiam scismaticus fidem non tenet. Nam *scisma* idem est quod scissura siue scissio, 24.q.1. *scisma:* vel dicitur illicita discessio eorum inter quos vnitas esse debet, vel illicitus ab vnitate vel vniuersitate discessus, vel illicita diuisio per inobedientiam ab vnione facta. vnde *scismaticus* est qui ab vnitate sanctæ Romanæ ecclesiæ se separat atque scindit, à qua qui scissi sunt non videntur Christo fidem exhibere debitam, à quibus euacuatur passio eius atq; distrahitur, 24.q.1. *aduocauit.* & *c. loquitur.* veniunt enim, vt dixi, contra articulum symboli dicentis. *Et in vnã sanctam Catholicam* &c. plures, vt ita dixerim, ecclesias construere satagentes. quæ scismata plurib. modis conuinci possunt. vel cum contra sanctam ecclesiam Romanam & summum pontificem seu alium Canonicum episcopum aduersa altaria eriguntur, & à Christiana veritate & vnica Catholica sede sacrilego scismate separantur, 23.q.5 *c. non nos,* cum duobus sequentibus. Et hoc potest accidere & iam in illo, qui summum pontificem prætenderet, cũ alteri existenti in pontificatu summo aduersaretur, vt probatur in *c. primo, de scisma.* vel quando Papa vellet diuidere ecclesiam, & facere aliã Romanæ ecclesiæ parem, & sedem suam in nullo recognoscente: vel si diceret, quod in vnitate nõ est salus vel intra ecclesiam, & quæreret ecclesiam scindere, vel extra ipsam se ponere: vel forte quãdo duo de pontificatu summo contenderent & merito quis foret pontifex dubitaretur, vt 79. *di. si quis pecuniam:* & quilibet partem non modicam Christicolarum ad se traheret, & in parte Christianorum scissa & sibi quæsita diu quilibet staret & gauderet. nam cum in hac sponsa vnus solus debeat residere, qui sit vnicus successor Petri, & vicarius Iesu Christi; & ecclesiæ sponsus si in ea modo prædicto duo præsideant, videntur constituere in ecclesia duo capita tanquam monstrum; contra tex. *qui. fi. sint legit. c. per venerabilem. de offi. ordina. in plerisq;.* & quilibet scismaticus esset. Item ipsam ecclesiam vnicam corrumpere videntur ei duos, vt ita dixerim, viros attribuendo, & seipsos ecclesiæ ambos viros faciendo. vnde non conseruante eam pudicam & incorruptam, sed adulteram, sicut mulier quæ duos viros habeat adultera est; arguendo de carnali matrimonio ad spirituale, 7.q.1.c. *sicut vir.* cum enim ecclesia, vt ante dixi, vnica esse debeat, quæ ramos suos per omnem terram copia suæ vbertatis expandat, vt 24.q.1. *loquitur,* duo vt summi pontifices principantes eam scindunt; & à Christi compage semetipsos abrumpunt. vnde non dicitur Christus in eorũ cordibus habitare; 24.q.1. *audiuimus,* & dicto *c. alienus.* nec possunt habere Deum patrem, qui ecclesiæ non habent vnitatem, dicto *c. omnibus.* Ad idem textus bonus 7.q.1.c. *deniq;,* ibi, *ecclesiam scindentes, & contra patrem & vnitatem Christi rebelles cathedram sibi satagunt constituere.* pro hoc etiam tex. in *c. abiit Iudas* 11.q.3. vbi est tex. quod *Deum produnt qui societatem fraternitatis aliqua discordia peste commaculant.* Sic hi duo de papatu contendentes, diuidentes ecclesiam, societatem fraternitatis commaculare videntur, & Deum iterum prodere. Et ex his infertur quod scisma potest considerari ratione diuisionis non solum in membris sed & in capite. Aut in membris cum in vnitate scisma esse non debeat aut possit; & isti sic scisse principantes duas, vt ita dixerim, ecclesias construere conantur, cum tamen vnus sit Christus, & vnum eius ecclesiæ corpus mysticum, vnum tantum rectorem habens siue habere debens, *ad Corintheos primo,* & *ad Ephesios tertio,* & *7.q.1. in apibus.* Vnde prophani & alieni sunt hostes isti qui taliter Christi tunicam scindunt, nec tamen ecclesiæ vnitatem 24.q.1. *alienus,* quæ esse debet vnica, & incorrupta, pudica, vnius cubilis sanctitatem casto pudore custodiẽs, 24.q.1. *loquitur:* vbi textus dicit, quod *Christus super vnum fundauit ecclesiam & ab vnitate exordium proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur,* non duæ, vt ipsi de papatu contendentes concupiscunt Christianum genus in duas partes tenentes indebite separatum. Et ibi subdit textus, quod *vnus debet esse episcopus, vnum caput, vna origo, quæ ramos suos per vniuersam terram expandit.* Sed hi de papatu contendentes ecclesiam scindunt, & in hæresim stricto modo sumptam incidere videntur, vt dicere videtur glo. in

Digitized by Google

Et idem in sexto casu irregularitatis, & in omni, vbi graue esset in ecclesia Dei scandalum, debet posse papa pontificatui renunciare. & hoc probant no. 7. q. 1. c. *si Petrus.* Nam Clemens propter vitare futurum scandalum, quod papa sibi viuens non eligeret successorem, electus à Petro papatui renunciauit: ecce quod propter scandalum vitandum papæ licet papatui renunciare & ideo dum tempore sacrilegi schismatis, quod meo tempore fuit, quod ne dum propter tollere schisma de Dei ecclesia papa poterat renunciare papatui, sed si aliter tolli non poterat, tenebatur renunciare & mortem ciuilem pati, 7. q. 1. §. *ecce*, quia etiam deberet pro redemptione sui gregis, quando alia via non esset, se morti subiicere naturali, *d. c. 1. de homicid. li. 6.*

Secundo principaliter probatur ex parte papatus. vnde est notandum, quod per papatum Petro nihil amplius ordinis attributum est vel perfectionis ordinis, quam alii Apostoli habuerunt: nam, vt dixi supra, omnes Apostoli à Christo creati fuerunt presbyteri & sacerdotes: & sic in ordine omnes Apostoli Petro fuerunt pares. Et similiter in perfectione ordinis, quæ fit per adeptionem episcopatus, omnes Apostoli à Christo Petro constituti sunt pares. Et ideo omnes sacerdotes & presbyteri in charactere & ordine sacerdotali, in conficiendo eucharistiam & corpus Christi, papæ sunt potentia pares. Et idem episcopi omnes in perfectione ordinis & in confirmatione & auctoritate ordinandi sacerdotes, sunt papæ potentia pares, vt 24. q. 1. *loquitur.* & 21. *di. in nouo.* per papatum igitur nil habet plus papa cæteris episcopis, nisi in administratione, 2. q. 7. *c. puto*, & in iurisdictione. vnde papatus non est nomen ordinis, sed dignitatis vel officii. Et ideo laicus assumptus ad papatum incontinenti est papa, & in iurisdictione papatus liberam administrationem habet, sicut Archidiaconus ex electione est verus Archidiaconus, quamuis non habeat ordinem ipsi dignitati Archidiaconali annexum: sic papa licet non habeant ordinem ipsi dignitati annexum sit, papa licet non habeat ordinem episcopalem suæ dignitati annexum, est tamen statim papa. si ergo papatus non imprimit ordinem vel characterem in anima, sed tantum superaddat officium atque dignitatem, clarum est quod papatui potest & licet renunciare. quia iurisdictio est res quæ augeri & minui potest. ergo tolli & amoueri. Et ideo papa propter hæresim potest à papatu amoueri, 40. *di. si papa:* à quo tamen non posset amoueri, si haberet ordinem vel characterem siue ordinis perfectionem, quia hæreticus retinet etiam quæ sunt ordinis, vt no. in *c. 1. de schismati.* & ibi per Doct. Et ex istis respondetur ad multa argumenta supra primo contra facta, vt infra dicam.

Tertia ratio fundatur principalis super ipsa renunciatione, & similiter à regula, *vnumquodque dissoluitur eo vinculo quo ligatur, de reg. iur. c. 1.* quamuis enim papalis potestas sit à Deo, tamen est mediante ministerio Cardinalium personam ad ipsam determinationem, & electi consensu intercedente. ergo eius dissensu sicut potest eius consensu papatus haberi, ita videtur eius dissensu posse tolli. & si opponatur, non procedere regulam in matrimonio, vt ibi not. & etiam in spirituali, vt 79. *dicto capit. si.* quod incipit, *electionem.* Respondetur ad illud primo de matrimonio carnali, quod per ipsum transitur in sacramentum ecclesiæ propter quod ex consensu sequitur indissolubile vinculum, quod non est in spirituali coniugio, in quo non obstante præcedenti consensu potest per solum superuenientem dissensum dissolui, vt in toto titulo *de transla. episco.* Et potest esse ratio, in qua attingam quartam rationem causæ finalis, in qua dixi supra, quod spirituale coniugium prælati & ecclesiæ respicit principaliter bonum publicum & commune, vt 45. *dist. disciplina, vltra medium.* sed si insufficiens, vel ineptus renunciare non posset, sequeretur reipublicæ malum. Et quinto magis esset fastidium papæ, tanto maius sequeretur reipublicæ nocumentum. Item quod ex caritate est institutum, contra caritatem militaret, si in papatu præsidens inutiliter ad malum & confusionem ecclesiæ & sui ipsius papæ animæ detrimentum renunciare non posset. sed carnale singulare coniugium respicit ipsorum iugalium priuatum bonum. Et si concordaretur ipsius dissolutio, quamuis forte singularibus coniugiis esset bonum, quia forsan meliorem vxorem ille, & meliorem illa virum acciperet, tamen sequeretur ex hoc vniuersè malum: quia cum communiter homines plus ducuntur concupiscentia quam ratione, multi vxores dimitterent, & ad libidines se conuerterent, nec sic de prole curam susciperent. & ista est ratio, quare licet pœnitentia ex causa recedere à matrimonio spirituali, non autem à carnali. non obstat *c. si. 79. dist.* quia licet velit quod non possit dissolui matrimonium spirituale papæ per solum consensum Cardinalium qui ipsum eligerunt, tamen non negat quin propria renunciatione tollere possit, quia auctoritate Dei matrimonium spirituale tolli potest, vt in *c. inter corporalia.* & *c. quinto, de transla. præla.* & sic auctoritate papæ, qui loco Dei est, tolli potest, & in facto potest proprio auctorari. Et quamuis iudex non possit in facto proprio auctorari, vt *l. 1. ff. de aucto. tuto.* & in *cle. si vna, de rebus eccle. non alie.* illud procedit ex dispositione iuris positiui, cui non subest papa: & ideo in facto proprio papa potest auctorari, ar. no. in *l. digna, C. de legi.* & eorum quæ no. in *c. quæ in ecclesiarum, de consti.*

Ad contraria supra inducta modo respondemus, concludentes quod aliqui ex causis supradictis subsistente papa possit papatui renunciare: secus, nulla subsistente causa, quia tunc non posset papatui renunciare, per iura contra inducta, & per tex. in *c. licet, ver. vnde quæritur. de regula*; non obstat tex. in *d. c. 1. de renunc. li. 6.* vbi text. videtur dicere, quod potest renunciare, maxime si se cognoscit insufficientem: quasi implicet, quod & si sufficiens sit renunciare, non possit. nam intelligo, quando esset sufficiens, tamen alia causa superesset criminis forte conscientia, tunc profecto credo possit renunciare. sic illum text. intelligo nam nulla causa subsistente papa renunciare non posset, quia peccatum grauissimum committeret.

SVMMARIVM.

An Episcopatus sit ordo, & an in eo character imprimatur. item, Episcopalis ordo an largo modo sit ordo distinctus à Presbyterali.

CAPITVLVM XII.

AD contraria modo responsum præbeamus. & quia prima cõtraria tangunt dubium, an episcopatus sit ordo, & an in eo character imprimatur, vel solũ impressus character presbyteralis perficiatur. Primo determinabo, an sit episcopatus nouus ordo. & secundo an per ipsum character imprimatur.

Ad primum dico, quod summendo ordinem stricte, prout in quolibet ordine imprimitur distinctus character, vel prout ordo habet relationẽ solum ad verum corpus Christi & ordines sacros conferendos, tunc episcopalis ordo nõ dicitur de se ordo. & hoc modo verificantur tex. canonũ, qui videntur dicere, quod non sit ordo, *de elec. xl. in plerisque*, vbi tex. notat episcopatum honorẽ non ordinẽ. Item ibi dicitur dignitas non ordo. Et *de scrup. c. 1. in fi. de sacra vnct. c. 1. ad finem*, in quibus dicitur episcopos consecrari & presbyteros ordinari: non ergo dicit episcopos ordinari, sed tantum consecrari, quia in episcopo non imprimitur alius character à charactere impresso in ordine presbyterali, vt no. 52. *di. c. sollicitudo*, & ibi in summa. Nam in primitiua ecclesia non erat differentia inter presbyterum & episcopum, 93. *di. c. legimus. ver. nunc. &* 95. *di. olim.* & no. Io. An. in *prohæmio sexti*, in verbo *episcopus*. in nouella super. ver. *Eucharistiam*, & dixi supra in quæstione, *an ad mundi bene viuere necesse sit vnicam esse potestatem à qua cæteri dependeant*, in illo articulo de potestate pontificali: sed quia quilibet presbyter & presbyteri ordinabant indiscrete, & schismata oriebantur, quia nõ omnes ab vno Christo se Christianos dicebant, sed aliqui à Paulo, aliqui à Petro se promotos dicebant, Petrus cum aliis Apostolis restrinxerunt potestatem characteris, vt presbyteri indifferenter omnia sacramenta conferre non possent, sed quædam reseruauerunt illis quos per ciuitates, vel prouincias creauerunt, & quos episcopos vocabãt, ita dicit glo. in *d. c. legimus in versi. postea.* vnde restricta fuit potestas presbyteralis & officium characteris, vt quædam episcopis tantum reseruarentur, vt confirmatio & ordinis collatio, de quibus, 25. *di. per lectis. versi. ad episcopum. &* 78. *di. c. quamuis corepiscopi.* vnde quando episcopus cõsecratur, relaxatur illa characteris sacerdotalis restrictio, & ampliantur sacramẽta, quæ fuerunt interdicta ordini presbyterali, ipsi tamen ordini presbyterali prius cõpetentia. vnde ex consecratione episcopi nõ fit noui characteris impressio, sed tantum characteris sacerdotalis perfectio. Et ideo vera est opinio, quam ponit glo. in *d. c. sollicitudo*, 52. *di*. quod licet presbyter ad ordinem sacerdotalem possit promoueri per saltus, & tenet sacerdotalis characteris impressio, licet non habeat characterem diaconalem ante impressum ordinem, tamen episcopalem non potest per saltus suscipere, si prius non habet presbyteralem, *de exces. præla. c. ex literis. ver. cum igitur*: quia cum debeat perfici character sacerdotalis, & non sit, non potest in episcopum consecrari. & ita teneo, quicquid dicant Docto. in *c. 1. de elect. per sal. promo*, vbi glo. tenet etiam istam sententiam, & sunt hæc vera. Et si in consecratione episcopi interuenirent verba apta ad concedendum potestatem sacerdotalem, quia cum non sit intentio ordinantis, nisi perficere characterem ordinis sacerdotalis, verba non debent operari vltra ordinantis intentionem, *l. non omnis. ff. si cer. pe.*

Sed si quæratur, an episcopalis ordo largo modo sit ordo distinctus à presbyterali, & in quantum accipitur pro officio, quod habet episcopus, & inquantum ordo etiam concernit corpus mysticum ecclesiæ, & quo ad ea quæ sibi soli reseruata sunt: tunc dicendũ est, quod largo modo ordo dicatur, quia (vt dixi) ordo dicitur sacrum signaculum, quo confertur spiritualis potestas & officium faciẽdi ea quæ pertinent ad illum ordinẽ, vt no. Inn. in *c. 1. de schisma.* & supra dixi. Et hoc modo potest saluari canonistarum opinio, quod episcopus habeat ordinem, de quo in *c. quotiens, de purgatione canonica*, & in iuribus supra dictis. cum. n. consecrat presbyteros, qui sunt duces in corpore mystico ecclesiæ ad conficiendũ eucharistiã, *de sum. tri. c. 1. ad finẽ*, Et alios sacros ordines confert, ideo episcopatus dicitur sacer ordo, quia per ipsum facit episcopus sacros act', *de elec. c. quod sicut. §. præterea.* & quod sit ordo hoc modo vult Sanctus Tho. in 4. *sen. di. 7. q. 3. arti.* 3. Et Dionysius in *ecclesiastica Ierarchia*.

Quantum ad secundum, est responsum quod per consecrationem episcopalem episcopo non imprimitur nouus character, & istud placet per iura ante deducta, quicquid dicant canonistæ, quibus theologi sunt aduersi. sed mihi placet theologorum sententia, per supra dicta, sed non per rationes ipsorum. nam ipsi volunt, quod character imprimatur in ordine, & ordo constituatur quando quis ordinatur in ordinibus habentibus relationem ad eucharistiam & verum corpus Christi mysticum, sicut est ordo episcopalis & psalmistatus, pro quibus, 77. *dist. capit. 1.* & 93. *dist. à subdiacono.* nam episcopalis ordo non respicit verum corpus Christi & eius consecrationem, sed corpus Christi mysticum ecclesiæ in confirmando in fide & ordines præbendo. Sed ista ratio mihi non placet. nam ostiarius ordinatur principaliter ad custodiam ianuarum, 21. *di. cleros, in fi.* & exorcistæ ad adiurandum super cathecuminos vel enerchuminos habentes spiritum immundum, vt *dicto capit. cleros.* & sic non habent determinatum officium circa confectionem eucharistiæ. & idem est in ipsis quattuor minoribus ordinibus, quia non habent relationem principaliter ad corpus Christi verum, vt vult sanctus Thom. 4. *sen. di. 7. quæst. 3. arti. 1. in fi. illius. c.* & tamen est secundum ipsos theologos ordo. Item ordo presbyteralis est etiam ordinatus pro aliis, quã pro respicientibus verum corpus Christi, quia respicit etiam mysticũ corpus ecclesiæ, sicut est baptisare, pœnitẽtias dare, & in

Digitized by Google

extremis inungere. vnde ex hoc tolleretur, quod licet ordo Episcopalis essent pro respiciẽtibus misticum corpus Christi, vt confirmare, & similia, quoniam imprimeretur caracter, cum etiam ipse solus sit imprimens caracterẽ ordinis saltim sacri, qui imprimitur propter eucharistiã & corpus Christi verũ principaliter. Illa ergo ratione, qua supra dixi, in ordine Episcopali non imprimitur caracter, nõ illa theologorũ ratione: & ideò teneo, quod Psalmistatus sit ordo, vt no. canonistæ *de ata. & quali. & ũ contingat.* & dicitur ordo initiatiuus Psalmistatus, & Episcopalis dicitur ordo perfectiuus: quia perficitur ordo, vt dixi. non ergo in cõsecratione Episcopali caracter imprimitur, sed impressus perficitur. Est. n. sacerdos & presbyter sicut puer, qui habet potentiã generandi in habitu, sed non potest ad actũ deducere nisi cum factus est vir: sic presbyter non potest confirmare nec presbyteros ordinare, nisi postquam erit factus Episcopus. sed supposito quod perficiatur ordo: quomodo respondetur, quod per papatum efficitur Episcopus, & perficitur ordo, & sic non videtur posse renunciare? nã respondeo, quod ordo Episcopalis vel dignitas, vt habeatur, non requirit loca vel subditas personas, & ideò potest esse Episcopus sine Episcopatu, vt no. in *d. c. 1. de epi. qui renuntia. epi. & in cle. plerisq. de elec.* Item licet Episcopus renunciet loco, non renunciat ordini, vt in *c. post translationem, in fi. de renunci. & in c. 1. de ord. ab epis. qui renunc. epis.* Etenim vt dixi, saltem ordo idẽ cum presbyterali, licet in Episcopo magis perfectus. igitur quantumcunque quis renuntiet Episcopatui, non renuntiat ordini: & ideò quamuis destruatur vel deponatur ab Episcopatu, nihilominus remanet Episcopus & ordinando vel consecrando characterem imprimit, *d. cap. 1. de or. ab epi. qui re epis.* & no. in *clem. in plerisque de elec.* & ideò ordinati ab Episcopo, qui fuit creatus Episcopus ab antipapa vel ab apostatico, illi conficiũt verũ corpus Christi, quando ille antipapa erat prius de antiquis Episcopis, vel si ipse & fuit consecratus ab antiquis Episcopis: quia licet schismatici fuerint, effecti impresserunt characterem, quamuis essent à papa vel ab Ecclesia prohibiti, per dicta iura. hæc tamen intellige vt dicam infra in quæstione *an papa potest prohibere quod Episcopus non imprimat ordinando characterem*, vt dico infra cum tracto de speciali potestate papæ. vnde quantumcumque quis renunciet papatui, & sic loco ciuitatis Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, tamen remanet Episcopus & in ordine Episcopali, vt dictis iuribus; quia, vt dixi, papatus de se non præsupponit ordinem vel caracterem. & ita sunt soluta plurima argumenta supra inducta.

Ad illud de potestate clauium, adhuc ista est iurisdictionis & non ordinis; & ideò in exercitio ipsius renuntiare potest. sed hæc etiam potestas non est præcipua papatus: quia & omnes alii Apostoli ipsam habuerunt. vnde hanc potestatem retinet etiam qui renunciauit in habitu.

Ad capitulum *inter corporalia* & alia iura, quæ dicunt quod debet fieri renunciatio in manibus superioris, respondetur quod illa iura loquuntur in aliis Episcopis quã in papa, si subest causa Dei voluntas adesse præsumitur. Item subest ipsemet papa, qui sicut in dissolutione alterius matrimonii spiritualis alicuius Episcopi tenet locum Dei, vt *d. c. inter corporalia*, ita & in dissolutione proprii matrimonii potest retinere locũ Dei & auctorari in propria causa, sicut potest esse iudex causæ propriæ, vt *d. cap. nunc autem. 21. di. & l. & hac Tyberius ff. de here. inst.* & sic soluitur quod dicitur de matrimonio carnali, quia nõ dissoluitur solo cõsensu, quia secus est in spirituali, vt no. *in c. inter corporali, de transla. prala.* & ibi interprætantur hæc verba, quod fortius sit matrimoniũ spirituale quã carnale.

Ad argumentũ, in quo dicitur, quod papatus est à solo Deo, *ad Romanos* 13. ergo ab Episcopo solo tolli nõ potest. Respõdetur quod aut cõsideratur ipsa potestas papalis, prout sẽper est in suo esse & in essẽtia, & prout soluit & ligat in cœlo, & ista est à Deo immediate sine hominis ministerio: & ideò omnis vniuersalis Ecclesia, conciliũ, & papa nõ possunt statuere vel facere quod papatus vel talis dignitas nõ esset, quia fuit inducta à Christo Deo in se sine hominis cooperatione. Aliquãdo cõsideratur ipsa dignitas, prout est in Petro, aut Clemẽte, aut Cœlestino: & tũc ista potestas nõ est à solo Deo, nisi accedẽte hominis cõsẽsu. i. ipsius in papã electi, qui nõ est ante papa quã cõsẽtiat. Et ideò est à Deo mediante cooperatione humana in isto homine vel in alio. Et ideo quãuis sit à Deo mediante humana cooperatione, ita mediante operatione humana potest in isto renũciante vel in alio habẽte desinere. sic. n. anima humana, quæ est à Deo immediate per creationẽ, sed in aliquo indiuiduo corpore est mediãte humana operatione, quia secundũ phil. *generat homo hominẽ*, & sola ipsa põt humana operatione à corpore seperari naturaliter & violenter: sic in papatu. Similiter ita solus Deus dat gratiã & infundit solus animã, vt *de con. di. 4. c. nemo tollit*: sed quia infũditur, gratia homini cũ libero animi arbitrio cooperante, et sic mediante hominis ministerio, similiter & ipsa perdi potest per eius dissensũ, vt no. *de pœni. di. 2. in summa.* & ibi glo. quæ allegat auctoritates.

Ad illud, quod nullus debet de se ipso disponere, verũ dico persona simpliciter cõsiderata: sed quia homo potest cõsiderari, vt est homo, & vt habet dignitatẽ, *l. si cõsul. ff. de adopt.* dico quod licet Petrus non possit se absoluere, tamen Petrus consideratus vt papa se potest absoluere. Et quãuis tex. dicat quod electio summorũ pontificum soli Deo est reseruãda: intellige, quod per humanã creaturã Cardinales aut alios non possit priuari, sed per seipsum, quia est loco Dei. hoc non dicit illud capitulum, & ideo priuat se in hæresim incidendo, 40. *di. si papa*, vel renunciando, vt. 21. *di. nunc autem.*

Ad illud de virtute increata, & de interdictis per legem diuinam, quod non tollantur per creaturas, est responsum per illa, quæ dixi, quod ea quæ sunt à Deo non tolluntur nisi à Deo.

Ad illud de voto, respondetur, quod votum papæ de gerenda cura intelligitur, quamdiu in officio præest, & sic iuramentũ rectorũ ciuitatũ, & no. *d. elec. venerabilẽ in fi.* vnde se nõ extendit post renunciationẽ. Et si vouisset perpetuo papatui deseruire, tunc subsistente causa aliqua de prædictis, ex qua eius seruitiũ non esset Dei populo salutare, posset à tali voto recedere, ar. 22. q. 4 *in malis. & c. si aliquid*, & dicam infra in quæstione, *an papa dispenset in voto solemni continentia.* Ad

Digitized by Google

Ad argumentum, quod Christi sacerdotium est æternum, respondetur, quod Christi sacerdotium ideo dicitur æternum, quia res oblata in Christi sacerdotio est ęterna: quia ipse Christus & eius corpus sanctissimum est res oblata, & est idem sacerdos & sacrificium, *de sum. tri. c. firmiter,* §. *vna.* Item ipse pontificatus de se æternus est, & papatus: sed non prout est in isto homine vel in illo. patet, quia papa vnus non semper viuit: vnde in eo papatus non est perpetuus, *l. 1. ff. pro so.* Et licet Christus non renunciauerat papatui, quia causa non suberat, non tamen arguitur, quod subsistente causa eius vicarius renunciare non possit.

Vndecimo argumēto respondetur, quod papatus de se summæ perfectionis est, sed in aliquo ratione materiæ & ipsius operantis imperfectè possit imperfectionem habere, quia multi sunt qui nō possunt perfectionis opera attingere. Et ideo sentit glo. super illo verbo Gen. 18. vbi dicitur. *non possum montem ascendere, est ciuitas parua ad quam possum confugere & saluari in ea,* quod per *montem* intelliguntur opera perfectionis, ad quæ si quis non potest ascendere, permaneat in via communi, vt est tex. 32. q. 5. *c. si Paulus, in fi.* ibi, *rectius fuerat enim.* Et ideo si perfectus papatui videt non posse tantum opus perfectū adimplere, descendat & operetur circa minora bona non tantum perfecta, quia hoc casu licet descendere, vt dictum est.

Vltimæ rationi respondetur, quod papatus in se est iuris publici, sed regi magis ab vno quā ab alio non est iuris publici: & ideo quod renuncians non administret ipse, potest renunciare.

Concluditur ergo, quod papa ex causa potest renunciare papatui: sine causa autē, nullo modo.

SVMMARIVM.

An Papa possit alterius iudicio se submittere, vt ipsum extra crimen hæresis deponat.

CAPITVLVM XIII.

ET ista faciunt ad quæstionem, *an papa possit alterius iudicio se submittere vt ipsum extra crimen hæresis deponat?* & licet glo. 40. *di. c. si papa & 63. di. c. in Synodo. & 2. q. 7. nos si incompetenter,* vbique teneant quod sic, quod possit se subiicere, vt etiam à papatu deponatur, tamen multi tenent oppositum. pro quibus faciunt iura pro prima parte allegata, & quia Deus reseruauit suo iudicio, 11. *dist. si Papa.* 17. *dist.* Hic etiam ergo inferior à Deo non cognoscet etiam ex delegatione Papæ, quia non videtur papa posse demandare quæ Dei iudicio sunt reseruata. Item non videtur quod possit iudicari nisi de hæresi: ergo pro aliis, de quibus humano iudicio iudicari nō potest 40. *di. si papa. & 9. q. 3. nemo,* non videtur posse se subiicere, cum humana creatura huius iudicii non sit capax, & sic humano viuenti delegari non posse videtur, sicut nec potest dari à partibus iurisdictio non habenti, *l. priuatorum. C. de iurisdict. om. iudi.* & quia actus actiuorum est in patiente disposito secundum philo. probatur, quia sicut non posset etiam à papa committi non presbytero, quod cōficeret corpus Christi propter defectum ordinis, vt in *c. 1. § si vna. ver. ad hoc vtique sacramentum, de sum. tri.* ita videtur ꝙ papa non possit committere inferiori, quod ipsum iudicet propter defectum patientis siue potestatem suscipientis, cum hæc potestas competat soli Deo, 60. *q. 3. aliorum.* Et ideo quamuis Symmachus concilio se submisisset, eius causas concilium Deo reseruauit, 17. *di. si hinc etiam,* nisi quod eum absoluit ab hæresi, quia reperierunt eum insontem, vt ibi & 2. *q. 7. § item Symachus.* Itē concilium iudicium Marcellini sibi remisit, 21. *di. nunc autem.* Item sicut papa legem condendo non potest se suæ legi subiicere, *l. pen. ff. de arbi.* ita non potest subiiciēdo se alteri ita artare, quin liceat ab hac sua submissione tollere se. talis enim depositio, quæ fieret, esset ius quoddam positiuum, à quo papæ recedere liceret, cū sit supra omnia iura positiua, vt no. in *c. proposuit, de conces. preben.* & hoc videtur tenere Io. An. in *c. ecclesia sancta Maria, de consti.* per regulam capituli *cum inferior. de ma. & obe.* vbi nullus inferior potest parem vel maiorem iudicare. facit *de elec. innotuit,* maxime in foro contentioso. & respōdet ad *c. nos si,* quod loquitur, quod submittit se iudicio, i. discretioni, & sic voluntariè potest papa stare alieno iudicio, sed non in iudicio contentioso. In contrarium videtur tex. in *c. ad supplicat. de renunc.* vbi ratione officii suscepti & beneficii superior se subiicit inferiori. ad idem *de foro compe. verum.* vbi clericus submittit se layco ratione feudi. & quod possit inferiori superior se subiicere, probatur no. *l. est receptum, de iur. o. iudi.* hinc est quod papa potest de suo iure compromittere & delegare: & idem in non recognoscente superiorem, vt no. *de verbo. signi. c. ex parte.* & ideo princeps in rebus fiscalibus constituit in lite sua & priuati procuratorem fisci, vt in toto titulo, *C. vbi causa fiscali.* & in suis patrimonialibus procuratorem Cæsaris. & credo quod papa possit se subiicere cuilibet iudici etiam seculari, per ea quæ infra dicam. quod non obstat, quod non inferior non iudicat superiorem, quia ex quo se subiicit, est inferior. aliàs autem ecclesiasticus in laicum non posset consentire in præiudiciū ordinis clericalis, *de foro compe. si diligentem.* sed hoc non habet locum in papa, quia quemadmodum ex causa quandoq; submittit clericum iudicio seculari, vt in casibus no. *de iudiciis, c. tamen non ab homine,* ita potest se submittere. Et ideo quicquid isti dicant, ego assentio glo. decreti, quod possit alteri committere suam depositionem ex causa, vt causa subsistente, vt quia sit inutilis, vel sit scandalū, vel aliud, ex quo posset renunciare ipse sponte. ita alteri suam ipsam depositionem committere. non obstant contraria, quia ille, qui vt delegatus eum deponit, dicitur deponere virtute delegantis, & sic ipsius papæ, qui Deus in terris est, *de translat. prælat.* per totum. & hoc patet de iudicio Christi, qui dixit Pilato, *nullam haberes erga me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* & sic potestas erat Pilato ab ipso Deo, & ita papam iudicat alius mandato ipsius papæ qui Deus est. & sicut potest se ipsum deponere renunciando ita, licet committendo: semper loquor cum causa.

Digitized by Google

credo tamen quod si ante depositionem mandatum reuocaret, quod non posset ipsum deponere. *l. iudicium soluitur ff. de iudi.* & quia non est astrictus huic mandato, quin possit reuocare ante actum depositionis: postea non, cum non sit amplius papa post depositionem. non obstat. §. *hinc etiam*, quia Symacus, licet auctorauerit concilio per Theodoricum conuocato, non submisit se concilio: sed concilium cognito de eius hæresi, alias causas reseruauit Dei iudicio, & iuste cum non posset cognoscere. Concludo igitur, quod papa potest se submittere alieno iudicio etiam vt deponi possit: & idem in quolibet alio superiorem non recognoscente, *d. l. est receptum.*

SVMMARIVM.

Pontificalis dignitas an perdatur propter hæresim.

CAPITVLVM. XIV.

SEcunda quæstio est, an ex alia causa dignitatem perdat, & postquam de renunciatione satis vidimus, nunc vtrum hæresim, ipso iure maxime. Et dicendum videtur, quod non. nam Marcellinus Papa, qui thurificauit Idolis, & sic hæresim commisit, non perdidit continuo dignitatem, sed se suo honore iudicauit deponendũ. ergo nondũ depositus erat, 21. *di. nunc autẽ.* nec debuisset deponi, nisi ipse ex humilitate se deposuisset. Itẽ Iudas fuit hæreticus, vt no. Inno. & Doc. *de hæreticis, c. fraternitatis.* & statim tamen non fuit priuatus participatione sacramentorum nec factus intolerabilis à Christo. Item Pharisei & principes Iudeorum crediderunt aliquando Christum filium Dei, vt dicit Hieronimus, Chrysostomus, & Origenes, & Nicolaus de Lira super illo verbo: *hic est hæres, venite occidamus, & habebimus hereditatem eius,* Math. 21. & Math. 22. & Beda Lucæ 23. ibi, *pater ignosce eis.* Sed postea Christo eorum vicia increpante obscuratũ fuit insipiens cor eorum, & ceciderunt ab ista credulitate, quod crederent eum filium Dei: quod si credidissent eum filium Dei, nunquam interfecissent: & nihilominus Christus vt sacerdotes veneratus est eos, cum leprosis mundatis dixit, *ite ostendite vos sacerdotibus.* ecce quod hæreticus non ipso iure dignitatem perdit. Item Apostoli omnes Christi crediderunt ante passionem, vt constat ex illo verbo cum Petrus pro omnibus dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui,* sed constat quod ab hac fide post passionem vel in passione omnes deuiauerunt, iuxta illud Matth. 25. *Vos omnes scandalum patiemini.* super quo Hieronymus dicit: *Omnis quidem cadunt sed non omnes iacent.* & Marci vltimo dicitur: *Exprobrauit Deus in credulitatem eorum.* & tamen Apostoli ex hac deuiatione non perdiderunt Apostolicam dignitatem. & ideò super illo Ioh. vltimo dicit Beda, quod *ideo ter interrogauit Petrum, si vere diligis me, vt ostenderet quod per negationem non perdiderat gradum & dignitatem sibi.* Item Aaron licet propter populi timorem construxisset vitulum, cui populus victimas obtulit, non propterea sacerdotium perdidit, *Exodi. 33.* licet ibi colligatur, quod nondum sacerdos consecratus erat, licet iussu Domini institutus. Item quia fortius est matrimonium spirituale quam carnale, *de transla. prela. inter corporalia:* sed matrimonium carnale propter hæresim vel Apostasiam non dissoluitur, *de diuortiis, gaudemus:* & c. *quarto.* no. in *4. senten. di. 3.* ergò minus matrimonium spirituale, quod est inter papam & vniuersalem Ecclesiam. Item princeps Apostata non est ipso iure priuatus, 11. *q. 3. c. Iulianus.* Item Salomon licet templa Diis gentium cõstituisset amore mulierum, tamen nõ fuit ipso iure depositus, sed vniuersus Israel ab eo iudicium suscipiebat. Sed contrarium videtur dicendum, quod pro hæresi papa deponi possit, tex. est. 40. *di. si papa,* ibi, *nisi deprehendatur à fide alienus.* & 19. *di. Anastasius.* nam est tantus fidei fauor, etiam si eius sit occulta hæresis, possit de ipsa accusari, vt no. glo. in *d. c. si Papa.* 40. *di.* & no. Archidi. & Ioh. An. in *c. in fidei de hæreticis in 6.* & est tex. in *d. c. Anastasius* 19. *di.* quia ibi occulte Anastasius communicauit hæreticis. loquor de tali occulta hæresi, de qua tamen probari possit, *l. eos C. de apel.* Nam & hoc delictum potest dici manifestum, quantum ad hoc vt accusari possit, 11. *q. 3. eorum.* Et tunc innodatur sententia prædecessoris papæ, & incidit in canonem latæ sententiæ. 24. *q. 1. Achatius,* el primo. & ratio, quia hæreticus papa minor est quolibet catholico, vt *d. c. Achatius, &* 12. *q. 1. c. scimus. &* 19. *dist. Anastasius.* & ipso iuris papatum & talem dignitatem perdit, quia vt Diabolus condemnandus est, *de pæni. dist. 2. principium.* Et duo sufficient testes, vt dicit glo. 2. *q. 4. c. præsul.* & meritò sic est statutum: quia ipse caput est Ecclesiæ iuxta illud ad Ephesios primo: *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quæ est corpus eius.* vnde deuiando à fide mortuus est, iuxta sententiam Abac. quia *iustus ex fide viuit.* Item quia assumpsio alicuius ad fidem est vita, vt dicit Apostolus *ad Romanos* 11. ergo per contrarium casus à fide est mors. Igitur non potest vitam influere in aliis Ecclesiæ membris, quia principium vitæ spiritualis est fides: quia sine fide est impossibile placere Deo. Nam secundum Apostolum *ad Hebræos* 11. fides est substantia, i. fundamentum, omnium sperandarum rerum: & est fundamentum omnium virtutum: quia vbi Christus non est, subaudi per fidei fundamentum, nullum boni operis est supra ædificium. 1. *q.* 1. *cum Paulus.* Et quia per fidem quis dicitur dare vel esse de Ecclesia: sed hæreticus est sine fide: ergo non stat nec est de Ecclesia. primum probatur Apostolus ad Romanos 11. ibi, *tu autem fide stas.* & 2. ad Corintheos, *fide statis.* Item papa à fide deuiante ipse continuo mortuus est, quia non operatur secundum fidem: & fides sine operatione mortua est, *Iacobi. 2. c. de sacra vncti. capit. 1. §. quia verò Christus. &* 1 *q.* 1. *capit. fertur.* vnde si est mortuus papa, caput Ecclesiæ non potest esse caput corporis viui quod est Ecclesia, & sic potest spiritus vitalis in cæteris membris infundere, quia principium vitæ plurimum est in capite: & capite languescente fortius reliqua corporis membra

membris inficiuntur: & à planta vsque ad verticem non est in eo salus, 6.*q.*1.§.*verum*. Item hæreticus est præcisus ab Ecclesia, & est sicut ramus præcissus ab arbore sine stipite, qui continuo arescit, 24.*q.*1. *[illegible]*. & est ille de quo Ioh. 15. *Si quis non manserit in me, mittetur foras & arescet.* Et ideò de hoc crimine nedum accusatur, sed cum constat eum in hæresim incidisse, ipso iure est damnatus. ad hoc Iohannis 3. *qui non credit iam iudicatus est.* vbi dicit Augustinus: *nondum apparuit iudicium, & iam factum est iudicium.* & id quod dicit Apostolus, *qui eiusmodi est.* i. hæreticus, *subuersus est proprio iudicio condemnatus*, 24. *q. Achatius in fi. & ca. sequenti.* hoc probatur: quia papa præest Ecclesiæ per potestatem clauium Petro concessarum, *Matthæi* 16. sed existens extra Ecclesiam, prout hæreticus, non habet claues istas: ergo non est papa, postquam est hæreticus. Item hæreticus non habet secum Deum patrem & Spiritum sanctum, qui non sunt in aliquo existente extra Ecclesiam ergo non habet papatum extra Ecclesiam existens, 23.*quæst.*1.*cap. alius.* Item hæretici leprosis assimulantur variis maculis peccatorum pollutis, vt dicit glo. *Leuitici* 13. & *Numeri* 5. sed statim, quod erant leprosi declarati, extra castra mittebantur, & sic hæreticus declaratus statim est extra Ecclesiam. Et hoc vult ibidem Origenes dicens: *erit quis à veritate.* id est, à fide & charitate, *per hoc exit à castris Ecclesiæ etiam si Episcopi voce non abiiciatur.* ad idem Leuitici 21. cap. vbi dicitur, *homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non ingredietur sanctuarium meum.* Et quod papa hæreticus sit ipso iure excommunicatus, probatur tex Apostoli, de quo 11.*quæst.*2. *si his*, vbi dicitur, *Et si Angelus de cœlo aut nos aliter euangelizet vobis, quod vobis euangelizauimus, anathema sit.* dum dicit: *aut nos*, loquitur de se ac aliis Apostolis, & sic Petrus aliter euangelizans esset anathema, & idem in papa. nec obstat, quod excommunicatio sit à iure positiuo, & à canone, & non ligat lex prædecessoris successorem, *de elec. innotuit.* quia illud est verum eo papa persistente: sed iam ipse prolapso in hæresim desinit esse papa, & minor est quolibet catholico. ideo innodatur sententia prædecessoris, vt sit priuatus & excommunicatus, 24.*q.*1.*Achatius.* vbi textus cum glo. iuxta nota. per Ioh. An. in *c. vt commissi. de hæreti. in* 6. *in nouella*, vbi vult quod prælati etiam qui habuerunt canonicum ingressum propter hæresim, sint ipso iure priuati. & quid tunc sit huius causæ iudex statim proximis quæstionibus dicam. Et hoc casu potest deseri ante sententiam à fidelibus, *dict. c. Anastasius.* 19.*di.* vbi ostenditur, quod primo parenti statim post spretum mandatum Dei & ante sententiam ipsi Elementa facta fuere contraria, & omnia sibi Domino commissa obedientiam subtraxerunt: ita licet Catholicis deserere papam hæreticum ante sententiam eius, tamen sententiæ sunt, dum toleratur, tolerandæ, vt notatur 24.*q.*1. *in summa.* non obstat quod supra in prin. dixi de Marcellino, vt notaui infra in quæstione, *quis huius causæ iudex est.* nec alia dicta in contrarium, vt in dicta quæstione *quis sit iudex*, infra patebit.

Hæc tamen sententia sane intelligenda est, quando papa prolabitur in hæresim scienter: secus si ignoranter. non enim hæreticum facit ignorantia, sed pertinacia, hoc est voluntas pertinaciter dissentiens his quæ determinat esse de fide sancta mater Ecclesia, 24.*q.*3.*ca. Apostolica.* & hoc quando ignorat illum articulum fidei, contra quem errat: & contrarium credit esse de forma fidei habens propositum. quod si sibi innotesceret veritas fidei, illi adhæreret, hic vtique hæreticus non est censendus, iuxta illud quod dicit Apostolus de seipso: *veniam consecutus sum, quia ignorans feci in credulitate mea.* & hoc est de mente Inno. in *capit.* 1. *de summa tri.* secus si erret ignorans illud asseuerans pro verò, quod scit Ecclesiam contra tenere: quia talis ignorantia enim excusat. & hoc quando papa prolabitur in hæresim stricto modo, non largo modo sumpta.

Vnde notandum est quod largo modo *hæreticus* quis multis modis dicitur. Primo omnis dubius in fide dicitur hæreticus *de hæreti. cap.* 1. Item Simoniacus, maxime qui sacramenta peruertit 1. *q.* 1. *cap. fertur. & cap. quisquis. & cap. eos qui* 1. *q. fi. cap. patet.* & dicitur his duobus modis hæreticus largo modo ab *electione erroris*. Item excommunicatus nam qui non est Ecclesiæ membrum, hæreticus iudicatur: in *auth. de priuil. dot. colla.* 8. ibi, *& ad omnes qui non sunt membrũ sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ.* & probatur 4.*q.*1.*c.*2. Et est ratio, quia hæreticus aliquando dicitur ab *hercisco*, quod est idem quod diuido, vnde dicitur *familiæ herciscundæ*. i. diuidundæ: sed excommunicatus ab ecclesia est diuisus: vnde largo modo dicitur hæreticus. Item omnis qui male interpretatur sanctã scripturam. i. qui aliter interpretatur quã Spiritus sanctus efflagitat, à quo scripta est, licet ab ecclesia nõ recesserit. 24.*q.*3. *hæresis. &* 24.*q. fi. c. fi. in fine.* & dicitur modo hæreticus ab *electione erroris*. Itẽ qui nouã opinionẽ inuenit, *eadem q. c. hæreticus.* 37.*di. relatum*, & dicitur tunc *hæreticus* ab *hæreo hæres*, quia nimiũ hęrent propriç opinioni, contra tex. *c. ne imitaris. de constit.* vnde hæreticus ex his quatuor modis dicitur vel ab electione erroris, vel ab hæreo hæres, ab erro erres, vel ab *hercisco*, vt dixi. Item dicitur hæreticus, qui priuilegiũ Romanæ ecclesiæ ad ipso summo capite traditũ conatur auferre 22.*dist. omnes.* Itẽ qui communionẽ Catholicæ Ecclesiæ non recipit, in *auth. prædicta de priui. do. post.* Item qui trãsgreditur prçcepta sedis Apostolicç. 19.*di. nulli.* & qui ea nõ recipit, 19.*di. de libell.* his modis dicũtur hæretici largo modo, quod intellige quãdo erãt alias fideles & in aliquo prędictorũ peccauerunt vel peccant, qui ipso iure sunt excommunicati. Sed & largissimo modo etiã qui sunt contra Ecclesiã, vt Iudæi & Gentiles: quia qui non tenent fidei articulos, hæretici dicũtur, 24.*q.*3.*c.*1. *quia vero* & ibi glo. no. in *c. firmissime de hæreticis.* Isti tamen vltimi non sunt excommunicati propter hoc. vnde hic fallit regula, quod omnis hęreticus excommunicatus est. Tertio modò & stricto dicitur hæreticus, vt arbitror, qui pertinaciter aliter de fide sentit quã vniuersalis Ecclesia doceat, 24.*q.*1.*cap. hoc est fides.* & sic est electio contradicens Ecclesiasticæ doctrinæ, vt dicit beatus Thomas *secunda secundæ*, *quæsti.*

Digitized by Google

11. artic. Nam hæresis propriè sumpta est illa, quę dicit peruersum dogma contrarium directè fidei, quod quis pertinaciter nutrire vel defendere in Ecclesia, vt 24. q. c. inter schisma. Et ideò qui in aliquo articulo fidei aliter sentit quàm Ecclesia teneat, propriè hæreticus est. & de ista hæresi volunt iura, quod papa damnari possit, vt no. glo. 79. di. si quis pecuniam. Idem dicendum est de eo, qui modo prædicto pertinaciter non recipit sancta quatuor prima concilia, vt est tex. in l. fi. C. de summa tri. & in auth. de Ecclesiasticis titulis. §. 1. & C de hæreticis. l. quicumque. & in cap. 3. de hæret. Item de eo qui pertinaciter aliter sentit de sacramētis Ecclesię, vt de baptismo, pœnitentia, matrimonio, & similibus, quàm sancta mater Ecclesia doceat, vt est tex. de hæreticis, ad abolendam. Idem de eo vel illis, qui dicunt pertinaciter aliqua esse licita & honesta, necesse peccata, quæ peccata esse secundum legem Dei damnata sunt: vel arguere ea, quæ pro peccatis volunt pertinaciter, quæ non etiā sancta decreuit Ecclesia, vt hæc plenè habentur, 24. q. fi. c. quidam, cum omnibus speciebus hæreticorum ibi enarratis vsque in finem. Et vt hæc probantur in cle. ad nostram. de hæreticis. & in cle. 1. de vsur. & 30. dist. c. vltimo & fi. Et clarius probatur. 24. q. 4. cap. quidautem. & c. qui in Ecclesia. & c. qui aliorum. Et ideo qui pertinaciter assereret, quod indifferenter iurare esset peccatū, talis foret hæreticus, vt in c. excommunicamus. § fi. qui vero de hæreticis. & hac de causa pro hæreticis olim fuit ordo Humiliatorū damnatus, vt no. glo. in c. olim, el primo de resti. spol. Et breuiter propriè hæreticus est, vt dixi, qui pertinaciter aliter qui sentit quàm vniuersalis Ecclesia docet vel decernat, vt dicto cap. hæc est fides. 24. q. 1. Et ideò qui aliter sentiunt quàm dictet canon firmiter & capitulum damnamus de summa tri. tales propriè sunt hæretici. vt est tex. in d. c. damnamus in fi. Et idem dico de credentibus istis, vt in c. excommunicamus, el secundo. §. fi. de hæreti. Et concluſiue pertinaciter asserens contra ea, quæ Ecclesia disponit, propriè hæreticus est. Et ideò si in istorum aliquo papa pertinaciter erraret, esset hæreticus, & ipso iure anathematizatus, & à concilio deponendus esset: quia confiteri illa, quæ sunt fidei, est de necessitate salutis; & potissimè ad hoc tenetur papa, & alii superiores de Ecclesia, quorum confessione alii fideles audaciores fient, & dicit Apostolus ad Philippen. primo. hæc igitur bene notanda sunt, qui ex his verbis multæ quæstiones decidi possunt.

SVMMARIVM.

Pontifex an potest dici Simoniacus siue committere Simoniam: & an pro tali delicto deponi possit: & an pro crimine alio grauissimo, præsertim scandalizante Ecclesiam, & Papa in sua obstinatione remanente, deponeretur.

CAPITVLVM XV.

ET primò, an si papa sit notorius Simoniacus, pro tali peccato deponi posset? videtur quod sic. quia, vt dixi supra Simonia hæresis est, vt d cto c. fertur. & c. quisquis. 1. q. 1. cum similibus. Sed pro hæresi deponitur, vt dicto c. si papa. 40. di. ergo pro Simonia videtur posse deponi. Et pro hac sententia videtur tex. 79. di. si quis pecunia Item Simonia à Petro & ab Ecclesia iam est damnata, 24. q. fi. cap. quidam, versi. Simoniam. & habetur Act. 8. c. dicente Petro Simoni, pecunia tua sit tecum in perditione. 1. q. 1. c. qui studet. sed qui incidit in hæresim iam damnatam, etiam papa, hæreticus est, 19. di. Anastasius, & supra dixi. Et præterea Simoniaci sunt deteriores hæreticis Macedonianis, qui dicebant spiritū sanctum esse seruum & creaturam Dei Patris & filii. nam isti Dei seruum Spiritum Sanctum dicebāt: Simoniaci vero Spiritum sanctum seruum suum faciunt. 1. q. 1. c. eos. Item Simonia à Christo condemnata extitit: & à Deo in veteri & nouo testamēto damnata est. Damnauit eam Christus, cum ementes & vendentes de templo fugauit, 1. q. 3. ex multis, cum c. sequenti. damnauit Deus in veteri testamēto, cum Gessi lepra percussit, 1. q. 1. c. qui studet. si ergo papa hæresim Simonię damnatam sequitur, tāquam hæreticus deponendus est, vt dicto c. Anastasius, & iuribus antedictis.

In contrarium videtur, quia ambitus, qui idem est quod Simonia, non videtur cadere in papa vel principe, l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu, no. 82. di. presbyter, & ibi glo. in verbo denarium, & 1. quest. 6. c. fi. Et præsertim in papa locum non videtur habere posse Simonia, quia de omnibus Ecclesiis & bonis earum libere potest disponere, 21. d. c. omnis. & de preben. c. 2. l. 6. vnde si Ecclesiis dandis alicui papa pecuniam recipit nō videtur committere Simoniam, quia posset bona ipsius Ecclesiæ tollere & Ecclesiam. Item nec pecunia, quam reciperet pro præstādo gratiam Spiritus sancti, vel pro præstatione sacramentorum: quia cum possit ab Ecclesiasticis suadere necessitate pecunias exigere, vt de censi. c. cū Apostolus versi. sustinemus, nō erit iudex qui possit vel debeat iudicare vtrum pro alienatione gratiæ Spiritus sancti receperit, aut ex alia causa: quia papa à nemine iudicatur, 9. q. 3. c. nemo. & c. aliorum. Et pro hac sentētia videtur glo. sic dicere 79. d. c. si quis pecunia. Itē quia & si hæresis dicitur Simonia, dicitur in genere hæresis, nō quod sit cōtra Dei articulos, vel contra quatuor prima sancta concilia, aut Dei Sacramenta. Et ideò pro tali hæresi papa deponendus non videtur, vt notat glo. in dicto. c. si quis pecunia. immò secundū Inno. 1. c. quotiens, de Simonia, nullus Simoniacus est hæreticus, nisi qui credidit, quod gratia Spiritus sancti vel ipse Spiritus sanctus venalis sit. Si igitur per Simoniā non est hæreticus, sit scelus quantūcunq; enorme, papa pro illo deponi nō potest, vt c. si papa. 40. d. & ita vult Hostien. & Io. An. in c. proposuit de concess. preben. vbi dicunt, quod sit scelus quantūcunq; grauissimū, papa pro ipso accusari vel deponi non possit. quid igitur est dicendum? Hic tria principaliter sunt videnda. Primum an papa possit dici Simoniacus siue committere Simoniam. Secundo an pro tali delicto deponi possit. Tertio an pro alio crimine grauissimo præsertim scandalizante Ecclesiam & papa in sua obstinatione remanente.

Digitized by Google

Ad primum dubium respondeo, quod quædam sunt Simoniaca, quia prohibita: & quædam prohibita, quia Simoniaca, vt no. glo. *de offi. dele. ex parte*, cum si. in primo casu quando sunt Simoniaca quia prohibita, vt sunt illa, quæ constitutione Ecclesiæ sunt prohibita, natura vel veteri testamento, vt est dare canonicis pastum post receptionem in canonicum, & sicut est dare pecuniã propter habere beneficium à papa: tunc talis Simonia non cadit in papam. ratio, quia papa legibus positiuis solutus est, & est supra ipsas leges, non sub talibus legibus, *l. princeps, ff. de legi.* Et quia quis ex propria lege non ligatur. vnde si Episcopus statueret, quod ludens ad aleas solueret decem talenta, statutum non ligaret ipsum Episcopum statuentem, vt no. Io. An. in *c. cui licet, de regu. iur. in 6.* Et quia ipsius papæ voluntas contraria iuri positiuo pro lege habenda est: quia quod principi placet legis habet vigorem, *l. Cæsar. ff. de publica. & l. 1. ff. de consti. princi.* Quædam autem sunt prohibita, quia Simoniaca sicut prohibita in veteri testamento vel ex ipsa natura, vt est quod Sacramentum non præstetur pecunia, vel Spiritus sanctus non sit venalis: tunc papa, nisi ex causa legitima, non potest pro talibus accipere quin Simoniam committat, quia papa legi diuinæ & naturali subditus est, 40. *di. c. homo Christianus.* quia naturalia sunt immutabilia, 5. *di. per totum. & insti. de iure naturali, §. sed naturalia.* & ideò papa obligatur ex pacto & ex conuentione, quam non posset tollere, vt no. in *ca. qua in Ecclesiarum de constitu.* quod intelligo, nisi in his, in quibus habet non obstante pacto liberam administrationem: quia potest tollere pacto non obstante, quod si pacto concessissent, prælaturam vel ius sepulturæ. sic intelligo notata in *cle. dudum in fi. de sepul. & in c. 2. de voto.* nota. in *c. significatum, de præben.* Quare concludo, quòd papa sine causa recipiendo pecunias pro Spiritu sancto vel Sacramentis committit Simonia. secus si per collatione beneficii Ecclesiastici quia in his habet liberam potestatem & hoc de primo.

Ad secundum dubium respondeo, quod quamuis Simonia sit peccatum grauissimum, pro ipsa tamen & pro quocunq; alio crimine quantumcunq; grauissimo papa non potest ab alio iudicari, vel propter delictum deponi, etiam si delictum foret notorium & scandalizans Ecclesiam, tex. est in dicto *cap. si papa.* 40. *dist.* vbi tex. dicit, quod si papa sit remissus in officio negligens vel inutilis, ita quod proprie salutis æternæ sit immemor, vel insuper à bono taciturnus, adeò quod se & innumerabiles cateruatim ducat ad inferos, tamen à nullo mortalium, redargui potest. ecce quod crimen erat scandalosum & notorium, quia secum ducebat ad gehennæ ignem innumeros populos, & tamen pro hoc crimine siue pro talibus criminibus nedum priuari, sed nec iudicari vel accusari posse videtur. nõ obstant contraria: quia Simonia non dicitur hæresis: nec est nisi cum quis credit Spiritum sanctum vel ea quæ sunt Spiritus sancti posse pecunia emi, vt notat Inno. in dicto *c. quotiens, de Simonia.* Item cum Simonia dicitur hæresis, dicitur largo modo, non stricto, quo larga hæresi papa deponendus non est vel accusandus, vt supra dixi, non obstat tex. in dicto *cap. si quis pecunia.* 79. *dist.* quia ille tex. debet intelligi, quando qui per Simonia ad papatum aliquem promouerunt, non erant Cardinales, nec habebant ius eligendi: ideò ibi talis sic de facto electus non est papa, & tanquam Apostaticus non Apostolicus à quocunque à tali sua intrusione repelli potest. Non obstat illud, quod Simonia à Deo in veteri testamento, & à Christo in nouo, & demum à Petro sit damnata: quia est reprobata quemadmodum & alia omnia peccata damnata sunt: non tamen propter ea sequitur, quod cũ mittens Simoniacam prauitatem vel alia crimina reprobata sit hæreticus: quia peccator quantumcunque notorius & obstinatus non est hæreticus iudicandus, & multomagis in papa, vt ex Simonia vel alio notorio crimine non possit accusari vel deponi, dicto *capit. si Papa.* credo tamen, quod si papa diceret, aut prædicaret, vel assereret pertinaciter Simoniam non esse peccatum, quod tali modo dici posset hæreticus, & damnari posset, vt proxima quæstione statim dicam, per iura quæ supra deduxi *de hæreti. cle. ad nostrã & de vsur. cle.* 1. *&* 30. *d. c. penul. & fi.* credo etiã quod quãuis papa pro crimine nõ possit accusari vel deponi, quod tamẽ ei denũciatio Euangelica fieri potest secundũ doctrinã Euangelicam, de qua 2. *q.* 1. *si peccauerit*: vt possit ei denunciari ne peccet, quia quilibet dicitur frater, 11. *q.* 3. *ad mensam.* & ita notat glo. in dicto *c. si papa.* 40. *di. &* 9. *q.* 3. *c. nemo.* Alia autem publica denunciatio fieri non potest, vt inde possit accusari vel deponi, per supradicta. Stat ergo conclusio, quod pro Simonia papa non possit accusari, deponi, vel pro alio crimine quantumcunque notorio & scandaloso, nisi forte Papa assereret pertinaciter illa non esse crimina vel delicta, quæ ab Ecclesia damnata forent, vt supra dixi: vel nisi sit crimen hæresis ipsa heresi districte sumpta, vt dictum est: & hoc in Papa viuente. Papa autem mortuus an potest accusari de crimine & de hæresi non est dubium, 24. *q.* 1. *Achatius el primo. & q.* 2. *cap. fi. Nam accusari.* & iudex eius est successor, vt dicto *cap. Achatius.* & ita vult Io. An. Archi. in dicto *cap. in fidei, de hæreti.* nec modo papa profert sententiam contra defunctũ parem, contra *l. nam magistratus. de arbi.* qui si defunctus fuit hæreticus, minor fuit, vt dixi, quolibet catholico. Item ipso iure papatum & ipsam dignitatẽ perdidit, nec fuit amplius Papa, *de hæreticis, cap. fi.* facit *de præscrip. cap.* 1. *& in ca. cum secundum leges, de hæret. in 6.* & infra dicam. vnde successor erit iudex, nec propter hoc erit opus conuocare concilium, vt dixi. Et si Papa defunctus fuerit hæreticus, etiam mortuus excommunicari poterit, dicto *cap. fi.* 24. *q.* 2. siue potius declarari fuisse excommunicatum, quia propter hæresim ipso iure fuit sententia excommunicationis innodatus, *dicto cap. Anastasius.*

Et ex his oportet inquirere tertium dubium, an pro alio crimine notorio scandalizante ecclesiam, de quo Papa monitus non curauit, vel non curat se corrigere, sed in sua obstinatione stetit, aut remanet vel persistit, an pro tali ipse Papa accusari vel deponi possit? videtur quod non,

Digitized by Google

in tex. dicti *c. si papa*, quia, vt dixi, ibi erat notorium & ecclesiam scandalizans: quia propter illa peccata multos populos secum trahebat ad tartara, & tamen pro tali peccato à nemine est accusandus vel iudicadus, vt ibi & 9. *q.* 3. *nemo*, & *c. aliorum*, 24. *q.* 2. *sane*. Item quia quamuis papa grauissime peccet de peccatis quantumcunq; grauissimis & notoriis, etiam ecclesiam scandalizantibus, ipse nihilominus papa persistit. Quis igitur eum iudicabit? quia inferiores contra superiorem sententiam nō dicunt, nec eorum crimina audiunt, 21. *di. cum inferior*, & *de ma.* & *obe. cum inferior.* & *l. nam magistratus. ff. de ar.* non enim debet caput turbari: quia sic tota subuerteretur ecclesia sæpius contemnendo caput, & multi crimina in papa confingerent vt caput ecclesiæ, & per consequens ecclesiam cōturbarent, & possent tales accusationes esse causa diuersorum schismatum. Necesse est enim esse vnum principium alios regulans: ipse autem à nullo debeat nisi à seipso regulari, vel à Deo. facit. 21. *di. nunc autem*, prout ibi dicitur, quod papa debet in sinu suo colligere causam suam & ipse de seipso iudicare. facit *l.* & *hac Tiberius ff. de haredi. instit.* & *l. est receptum ff. de iurisdict. om. iudi.* not. in *l.* 1. *Cod. ne quis in sua causa ius dic.* in quibus iuribus probatur, quod isti non recognoscentes superiorem ipsi suarum causarum debent iudices esse, & suas causas audire, 17 *di.* §. *fi.* 40. *di. si papa.* 21. *dis. nunc autem.* & infra dicam in quæstione *quis iudex sit*. Non ergo de his causis alius debet se posse audiendo nedum iudicando intromittere. In contrarium videtur glo. Iohannis & sententia Huguttionis, qui viri fuerunt maximæ auctoritatis, in *d. c. si papa.* 40. *dis.* volentes quod si papa est in notorio crimine scandalizante ecclesiam, & est incorrigibilis, quod intelligo, quia multotiens monitus se emendare non velit, quod de tali crimine possit accusari. Nam talis contumacia dicitur hæresis, 81. *di. c. si qui presbyteri*: vbi est tex. quod peccatum ariolandi est nolle obedire, & scelus idolatriæ est nolle acquiescere. Et quia qui crimen aliquod defendit, & de illo se corrigere non vult, peruersus est & proprio iudicio condemnatus, vt dicit Apostolus *ad Titum* 3. *capit.* quia error cui non resistitur approbatur, & prælatus tacendo consentit, 42. *di. sit rector.* 83. *di. error.* & *de hæreticis. c.* 2. Si enim prælatus non emendat delicta notoria est suspectus quod si talis vitii assensor & sustentator, quanto magis cum monitus seipsum non corrigit, & ecclesiam scandalizat? Et quia qui rebelliter viuit, & discere aut agere bona recusat, magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis quam fidelis esse monstratur, 30. *di. c. si.* Ex quibus concluditur, quod papa persistente in crimine notorio scandalizāte ecclesiam, & se non emendante, quod ipse infidelis siue hæreticus dici debeat, & non pro peccato sed pro obstinatione & hæresi dici debeat depositus, siue etiam condemnandus, aut etiam accusandus.

Pro solutione dubii huius primum præmitto, vt dixi supra quod ex solo quantumcunq; delicto grauissimo etiam notorio & scandaloso, dummodo non sapiente hæresim stricto modo sumptā, papa deponi vel accusari non debet, vt *dicto c. si papa*, & iuribus præallegatis. Si vero non solum in tali crimine est & persistit, sed ipsum non esse crimen verbo defendit, quod tamen iure diuino vel naturali damnatum sit, non dico iure positiuo, quia, vt supra dixi, huic iuri posset derogare, cum ipsi nō sit subditus, *de cōces. praben. c. proposuit*: tūc nō de ipso crimine, sed de hac assertione & hæresi damnari poterit: quia talis assertio hæresis est, vt *d. c. pen.* & *si* 30. *di.* Item credo, si peccatū habet causam successiuā vel reiterabile, & papa monitus semper & pluries tale peccatū reiteret, vel in ipso successiue spernens tales monitores persistat pertinaciter, & vniuersam ecclesiam scandalizet. cum enim tunc videatur asserere ipsum peccatum non esse crimen siue delictum, quia mendacia & assertiones ita operationibus & factis fiunt, sicut & verbis, vt *de appel. c. dilecti. de accusa. c. inquisitionis.* §. *nec ad petitionem*, in verbo *asserunt.* & *ff. de adi. edict. l. si tamen.* §. *ei qui.* & 22. *quæst.* 6. *c. caute.* Certe isto casu, quia populos forte propter tale peccatum facit à fide deficere, credo eum tamquam hæreticum non recipientem accusandum fore & deponendum: quia par est à fide exorbitare & alios exemplo vel verbo à fide deiicere, 2. *quæst.* 7. *c. quis ex vobis*, alias *c. Paulus*, facit. *de pœn. c. fi.* & *de præsumptio. c. literas.* hoc enim casu non solum sibi nocet, sed toti mundo, præsertim quia idiotæ & simplices facile imitarentur sic errantem & talia committentem peccata. Et hoc casu ab imperatore potest interrogari, si vult talem vitam sequi, vel de fide super hoc interrogari potest, vt 23. *quæst.* 1. *satagendum.* & si perseuerat in crimine, poterit vt hæreticus iudicari. facit *de hæreti. c. cum contumacia, lib.* 6. Et ideo tempore sacrilegi schismatis papa, qui iurauerat & vouerat renunciare papatui propter sanctam vnionem inducere, quia monitus implere iuramenta non curauit, sed spreuit, & diu in sua obstinatione stetit, à consilio Constantiensi & prius in Pisano consilio, pro hæretico est damnatus. & ratio, quia monitionibus factis sibi de ipso adimplendo ipse in peccato persistēte de hæresi suspectus erat, tanquā non crederet id esse peccatum quod erat: ideo merito extitit depositus & damnatus. Vnde concludo, quod pro nullo crimine papa accusatur siue deponitur, nisi pro hęresi sumpta stricto modo, vt ante dixi: vel pro notorio crimine vniuersalem ecclesiam scandalizante, in quo papa monitus perseueret vel ipsum reiterando continuet: quia tunc de hæresi est suspectus, videlicet quod nō credat Deum esse criminum vltorem, siue aliam vitam, & sic est suspectus in articulis fidei: & hoc modo potest verificari illa glo. & ideo monitus si se non corrigit, est hæreticus arbitrandus. nam cū tale delictum conturbet vniuersale ecclesiam & bonum eius, & papa monitus se nō remouet, tunc videtur bonum vniuersalis ecclesiæ perturbare. Et ipse verbis aut factis hoc asserens est hæreticus, 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuam.* & 1. *q.* 7. *c.* & *si illa.* Et poterit per cōcilium iudicari: quia tex. *c. si papa*, nō dicit, quod pro sola hæresi papa solum iudicari possit: sed dicit, cum deprehenditur à fide alienus. sed quando est

magis

Digitized by Google

magis alienus à fide, quam cum ea quæ sunt fidei pertinaciter non adimplet, dictis iuribus? Item Papa sic peccando & pertinaciter perseuerando perturbat statum vniuersalis ecclesiæ, & in subuersione & in grauissimo periculo ponit. igitur sustentari non debet siue sustineri, 24. q. 1. *memor sum.* & 25. q. 1. *quæ ad perpetuam,* & *eadem causa,* q. 2. c. *si ea.* diceretur ei velle ecclesiam destruere, quod Papæ non licet, 2. *ad Corinth.* 13. dum dicitur ibi, *secundum potestatem quæ mihi data est in ædificationem non in destructionem.*

SVMMARIVM.

Pontifex an propter schisma possit à Pontificatu deponi, forte si contingat ipsum Schismaticum fieri.

CAPITVLVM XVI.

ET propter ista deciditur & aliud dubiũ: An propter scisma Papa possit à papatu deponi, forte si contingat ipsum scismaticum fieri? Et videtur quod deponi possit, quia delictum scismatis videtur grauius omni delicto, etiam grauius delicto hæresis, 24. q. 1. c. *non afferamus, in fine.* Secundo quia scismaticus ex perseuerātia in hæresim prolabitur, vt nota. 24. q. 3. c. *inter scisma.* Et videtur prolabi in hæresim stricto modo sumpta, quia venit contra mentem articuli dicentis quod *vna sit ecclesia sponsa Christi pulchra sine macula & sine ruga, ortus conclusus & fons signatus & puteus aquæ viuæ.* 24. q. 1. c. *quoniam vetus,* & c. *omnibus.* & hoc dicunt omnia illa iura, quæ retuli in principio huius operis in prima quæstione in argumento quod incipit *Vrgentissimam* &c. hoc probat textus, 24. q. 1. *aduocauit,* dicens, quod fides non potest esse in scismate, quia & si forte fidem scismaticus tenet in Deũ, tamen erga Dei ecclesiam scismaticus fidem non tenet. Nam *scisma* idem est quod scissura siue scissio, 24. q. 1. *scisma:* vel dicitur illicita discessio eorum inter quos vnitas esse debet, vel illicitus ab vnitate vel vniuersitate discessus, vel illicita diuisio per inobedientiam ab vnione facta. vnde *scismaticus* est qui ab vnitate sanctæ Romanæ ecclesiæ se separat atque scindit, à qua qui scissi sunt non videntur Christo fidem exhibere debitam, à quibus euacuatur passio eius atq; distrahitur, 24. q. 1. *aduocauit.* & c. *loquitur.* veniunt enim, vt dixi, contra articulum symboli dicentis. *Et in vnã sanctam Catholicam* &c. plures, vt ita dixerim, ecclesias construere satagentes. quæ scismata plurib. modis conuinci possunt. vel cum contra sanctam ecclesiam Romanam & summum pontificem seu alium Canonicum episcopum aduersa altaria eriguntur, & à Christiana veritate & vnica Catholica sede sacrilego scismate separantur, 23. q. 5. c. *non nos,* cum duobus sequentibus. Et hoc potest accidere & iam in illo, qui summum pontificem prætenderet, cũ alteri existenti in pontificatu summo aduersaretur, vt probatur in c. *primo, de scisma.* vel quando Papa vellet diuidere ecclesiam, & facere aliã Romanæ ecclesiæ parem, & sedem suam in nullo recognoscente: vel si diceret, quod in vnitate nõ est salus vel intra ecclesiam, & quæreret ecclesiam scindere, vel extra ipsam se ponere: vel forte quãdo duo de pontificatu summo contenderent & merito quis foret pontifex dubitaretur, vt 79. *dis. si quis pecuniam:* & quilibet partem non modicam Christicolarum ad se traheret, & in parte Christianorum scissa & sibi quæsita diu quilibet staret & gauderet. nam cum in hac sponsa vnus solus debeat residere, qui sit vnicus successor Petri, & vicarius Iesu Christi, & ecclesiæ sponsus si in ea modo prædicto duo præsideant, videntur constituere in ecclesia duo capita tanquam monstrum, contra tex. *qui. fi. sint legit.* c. *per venerabilem. de offi. ordina. in plerusq;.* & quilibet scismaticus esset. Item ipsam ecclesiam vnicam corrumpere videntur ei duos, vt ita dixerim, viros attribuendo, & seipsos ecclesiæ ambos viros faciendo. vnde non conseruante eam pudicam & incorruptam, sed adulteram, sicut mulier quæ duos viros habeat adultera est, arguendo de carnali matrimonio ad spirituale, 7. q. 1. c. *sicut vir.* cum enim ecclesia, vt ante dixi, vnica esse debeat, quæ ramos suos per omnem terram copia suæ vbertatis expandat, vt 24. q. 1. *loquitur,* duo vt summi pontifices principantes eam scindunt, & à Christi compage semetipsos abrumpunt. vnde non dicitur Christus in eorũ cordibus habitare, 24. q. 1. *audiuimus,* & dicto c. *alienus.* nec possunt habere Deum patrem, qui ecclesiæ non habent vnitatem, dicto c. *omnibus.* Ad idem textus bonus 7. q. 1. c. *deniq;,* ibi, *ecclesiam scindentes, & contra patrem & vnitatem Christi rebelles cathedram sibi satagunt constituere.* pro hoc etiam tex. in c. *abiit Iudas* 11. q. 3. vbi est tex. quod *Deum produnt qui societatem fraternitatis aliqua discordia peste commaculant.* Sic hi duo de papatu contendentes, diuidentes ecclesiam, societatem fraternitatis commaculare videntur, & Deum iterum prodere. Et ex his infertur quod scisma potest considerari ratione diuisionis non solum in membris sed & in capite. Aut in membris cum in vnitate scisma esse non debeat aut possit, & isti sic scisse principantes duas, vt ita dixerim, ecclesias construere conantur, cum tamen vnus sit Christus, & vnum eius ecclesiæ corpus mysticum, vnum tantum rectorem habens siue habere debens, *ad Corintheos primo,* & *ad Ephesios tertio,* & 7. q. 1. *in apibus.* Vnde prophani & alieni sunt hostes isti qui taliter Christi tunicam scindunt, nec tamen ecclesiæ vnitatem 24. q. 1. *alienus,* quæ esset debet vnica, & incorrupta, pudica, vnius cubilis sanctitatem casto pudore custodiēs, 24. q. 1. *loquitur:* vbi textus dicit, quod *Christus super vnum fundauit ecclesiam & ab vnitate exordium proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur,* non duæ, vt ipsi de papatu contendentes concupiscunt Christianum genus in duas partes tenentes indebite separatum. Et ibi subdit textus, quod *vnus debet esse episcopus, vnum caput, vna origo, quæ ramos suos per vniuersam terram expandit.* Sed hi de papatu contendentes ecclesiam scindunt, & in hæresim stricto modo sumptam incidere videntur, vt dicere videtur glo. in

Digitized by Google

Auth. de priuil. do. hæreticis mulieribus non præsta. ibi, *ad omnes qui non sunt membrum &c.* tales ergo etiam se summos pontifices prætendentes videntur ipso iure scismatici, & perdere dignitates, & omni esse iudiciaria potestate priuati, 24. *q.* 1. *c. audiuimus.* & §. *fin autem.* & *c. didicimus* : vbi est textus, quod scismatici iurisdictionalia perdunt & debent inter antichristos nominari. Ad idem, 7. *q.* 1. *achatius.* nam scismaticus est hæreticus, vt notat Io. An. in *c. firmissime, de hæreticis*, & alii Docto. no. in *rubrica de scisma.* Sed sicut hæreticus etiam Papa ipso iure dignitatem perdit, idem videtur cum Papa in scisma prolabitur, vel cum duo de papatu contendentes nepharium scisma nutriunt, & Christi greges in partes diuersas scindunt. Et insuper scismaticus non foret hæreticus, tamen simile, vt de hæresi, & de scismatico iudicatur à Deo, vt in processu scismaticus sit hæreticus, 24. *q. finali. c. inter scisma*, nota. in *c. firmissime, de hæreticis*, & per Docto. in *rubrica de scisma.* Sed statuta pœnalia etiam in vno exequitorum locum habere videntur in alio in *c. translato, de constitu. l. 1. de le. primo.* nota. in *l. quod vero ff. de legi.* & *in l. si quis seruo. C. de fur.* & ibi glo. quæ dicit idem in filio, sed pro hæresi Papa deponitur, vt 40. *dis. si Papa.* ergo & pro scismate crimini hæresis adæquato, maxime quia textus in dicto *c. si Papa*, non dicit simpliciter, quod Papa tantum pro hæresi deponatur, sed dicit quod deponitur cum deprehenditur deuius. sed certè dicitur à fide deuiare, qui ecclesiam nititur scindere, 24. *q.* 1. *alienus* 1. *q.* 1 *teneamus.* & 11. *q. fi. c. sicut Domini.* Et pro hac sententia facit, quia committens crimen scismatis, peccatum committit grauissimum, & scandalizans ecclesiam, & peruertit bonum publicum eius. vnde si monitus non desistit, videtur pro tali delicto posse deponi, vt proximo deciso dubio ante dixi. Sed contrarium videtur : quia negari non potest, quod scisma sit crimen diuersum ab hæresi, vt probat textus, 24. *q. fi. inter scisma*, & ibi glo. & Archid. & *eadem causa q.* 1. *c. non auferamus*, & similiter ibi glo. & Archi. Et diuersitates titulorum manifestant, quia alius est titulus de hæreticis, alius de scismaticis: ideo scismaticus saltim in suo principio non est hæreticus, vt nota. 24. *q.* 1. *c. inter scisma.* sed cum Papa non debeat nisi pro hæresi stricto modo sumpta iudicari, vt dixi supra. & notaui in dicto *ca. si quis pecuniam.* 79. *di.* & ibi glo. & habeo quod pro scismate deponi Papa vel iudicari non debet, nisi pro hæresi strictè sumpta. Et quia si scisma aliquando hæresis dici potest prout quis errat aut inhæret propriæ opinioni & scismati, tamen dicemus eam hæresim dici largo modo sumptam non stricte : quia ista stant simul, quod aliquis ecclesiam Romanam vnicam confiteatur & supremam, & tamen ab ipsa de facto se scindat in vnitate non persistens. hic igitur non negat articulum & *in vnam sanctam*, sed non communicat vnitati. vnde scismaticus sed non hæreticus. vel etiam potest esse quod aliquis credat vnicam ecclesiam, & etiam Papam, tamen ei de facto non pareat, & tales acephalus potius dicendus quam scismaticis vel hæreticus, 12. *dis. nullus.* 24. *q.* 2. *abbatibus.* Rursus non videtur quod duobus de summo pontificatu contendentibus scismatici dici debeant saltim quin vnus canonice sit electus. Nam ille licet contradictorem habeat secum cathedram Petri contendens, tamen non debet ipse scismaticus iudicari, qui rite electus extitit, probatur in *c.* 1. *de scisma.* Nam quamuis ille Otto & alter Suido, qui contenderunt de papatu cum Alexandro, scismatici fuerint iudicati, ipse tamen Alexander pro scismatico damnatus non extitit. Hoc etiam probat textus. 17. *di.* §. *hinc etiam*, vbi est textus, quod Symachus accusatus pronunciatus est Papa, & licet textus non aperiat quod esset cum alio de papatu contentio, tamē legitur in Chronicis quod quidam Laurentius contra Symachum contendens se papam prætendebat, & tamen synodus non condemnauit pro scismatico Symachum sed Laurentium. & est ratio, quia licet scisma dici possit multis modis, vt statim dicam, proprie tamen sunt scismatici, qui sunt diuisi ab ecclesiæ vnitate. sed ille, & de facto inquietatur in suo iure, & se defendit, non est diuisus ab ecclesiæ vnitate. ergo est ridiculum dicere, quod ex hoc sit scismaticus, quia iura sua defendat. nam nemini iniuriam facit, qui vtitur iure suo, vt probant omnia præcedentia iura, præsertim textus in dicto, *capit.* 1. *de scismaticis.* Ad hoc idem tex. 24. *q.* 1. *cap. quoniam vetus*, vbi tex. est, quod licet oriens scismatizaret papatum, Romanus à Hieronymo comprobatur in Papam, & non scismaticus iudicandus. Et ideo quamuis Græci scismatici sint, & omnis qui se præcidit ab ecclesia sit scismaticus, & præsertim qui se erigunt contra ecclesiam aduersa altaria, vt dicto *ca. non nos*, cum duobus sequentibus, 23. *q.* 5. *non tamen*, propterea Papa ius suum & Romanæ ecclesiæ prosequentē scismaticum nunciabimus vel dicemus: immo plus glo. voluisse videtur, 24. *q.* 1. *in summa*, & *eadem causa* & *quæstione. c. didicimus, in glo.* 2. quod duobus contendentibus de papatu neuter eorū scismaticus dici debeat quæ tamen videtur contra tex. *dicti. c.* 1. *de scisma*, vbi est tex. quod & si Alexander, qui erat Papa, ibi scismaticus non fuerit, Octauianus tamen, qui fuit in papatu Alexandro contradictor, & Suido Octauiano succedens scismatici sunt damnati. sed illa glo. debet intelligi sane, quādo quilibet de pontificatu contendens ex probabili dubio mouebatur ad se Papam prætendendum. nam tunc quilibet excusari videtur à scismate, *l.* 1. §. *ceterum*, vbi bonus tex. *ff. de ventre inspici.* & *l. de ætate*, §. *ex causa, interrog. acti.* facit. *ff. de ædil. edic. l. quid si fugitiuus.* §. *apud labeonem*, & videtur tex. in *l. fi. ff. de adult.* Et hoc videtur velle. Thomas in *secunda secundæ di.* 10. *articulo secundo.* ad idem *di.* 40. *arti.* 39. & etiam si ambo nullum ius haberent in papatu, probabiliter tamen posset arbitrari aliquis quod esset Papa in nullo delicto, taliter ius papatus prosequens deberet iudicari, vt dictis iuribus multo minus quando vnus esset verus Papa, & ius suum aduersus alterum iniuste oppugnantem teneretur. hic enim non solum scismaticus non est dicendus, immo Papa pronunciandus est, sicut

Digitized by Google

sicut synodus Symachum papam pronunciauit; dicto §. *hinc etiam* 17. *di.* & quemadmodum Alexander non obstante scismate Octauiani iuste resedit in papatu; dicto *capit.* 1. *de scismat.* Et ideo tẽpore sacrilegi scismatis nonnulli dixerunt, quod cũ pro vtroque de papatu ligante essent prudentum consilia diuersa, & aliqui excellentissimi Doctores vnum sequebantur, & aliqui alium: quod nullus scismaticus erat iudicandus, quia Doctorum opiniones reddebant rem dubiam. vnde quilibet excusabatur, etiam si demum eius sententia reprobata fuisset, dummodo crediderit in eo, quod sancta determinasset ecclesia. allegabant notata in *c. litteras, de resti. spo.* per Bar. in *l. cum prolatis ff. de re iudi.* & in *cle.* 1. *de rebus eccle. non alie.* & in *cle. ne Romani; de elec.* Et ideo in simili dicitur, quod propter probabile dubium litigans etiam iniustè excusatur ab expensis, *l. qui solidum.* §. *etiam*, ibi, *si ratio litigandi* &c. *ff. de leg.* 2. sic isti duo contendentes excusantur à scismate propter consilia diuersa Doctorum peritorum hinc inde alii vni alii alteri fauentium; & propter populorum & vulgi famam communem, quia quisque se tuebatur. nam quilibet magna Christianorum parte fulcitus erat. Et ideo quilibet ipsorum in partibus, in quibus reputationem papatus habebat, videbatur iuste debere tolerari, ar. *l. Barbarius. ff. de offi. præsi.* quia coloratus titulus cuilibet ipsorum videbatur præstare possessionem bonæ fidei, vt nota. *de iure patro. cap. consultationibus. & in c. cum ecclesia, de causa pos. & proprieta.* Et pro hac sententia vltra iura plurima per me supra inducta ab aliis non considerata, ego allegaui nota. Inno. in *capit.* 1. *de summa trini.* vbi vult quod si aliquis motus naturali ratione arbitretur patrem filio antiquiorem, vel patrem filium tempore præcessisse, si tamen hoc pertinaciter non asseueret, sed se determinationi sanctæ matris ecclesiæ referat, talis hæreticus censendus non est: sic duo probabiliter de papatu contendentes scismatici non sunt dicendi, si ad ea se referunt, quæ sancta determinabit ecclesia.

SVMMARIVM.

Schismaticus quis propriè dicatur: & an sit hæreticus.

CAPITVLVM XVII.

Ex quibus plurima videntur decidi. Primum, quod etiam dato, quod Papa simplex scismaticus efficiatur ex hoc, quod papatus dignitatem non amittat. Secundo, quod duobus contendentibus de papatu ille, qui habet Canonicam electionem, & verus est Papa, scismaticus non sit censendus, quando ius suum tuetur aduersus eum vel eos qui cathedram aduersam contra ipsum erexerunt. licet ipsi sic de facto erigentes scismatici sint dicendi, sed non quando ex probabili dubio de pontificatu contenderent. Quid igitur dicendum? hic primum plurima sunt videnda, & primo quis proprie scismaticus dicatur, & an scisma differt ab hæresi. Secundo an Papa scismaticus possit effici. præsertim ex eo quod de pontificatu cum alio contendat, vel ille qui secum de papatu contendit. Tertio an dato, quod Papa scismaticus sit effectus ipso iure depositus sit, veniat deponendus.

Ad primum est attendendum, quod scismatici dicuntur quatuor modis, largissime, large, stricte & strictissime. Largissime omnis in peccato mortali constitutus: quia dicitur separatus & scissus à Deo, 24. *q.* 4. *capit. Apostolica.* est enim hic suspensus ab administratione sacramentorum, quo ad Deum & quo ad se, vt no. *de cle. excom. cap. si celebrat. &* 1. *q.* 1. *sacerdotes.* hinc est, quod dicitur, *extra fidem ille qui est in peccato*, vt in *c. si de præscrip.*

Et large sunt scismatici omnes excommunicati, quia sunt non solum à Deo, vt qui peccauerũt mortaliter, sed ab ecclesia & omni cœtu fidelium diuisi & separati. Et differunt isti in diuisione à peccantibus mortaliter: quia illi tantum à Deo diuisi sunt: Excommunicati vero, vt dixi, à Deo & ecclesia & omni cœtu fidelium sunt diuisi, & hoc quando pro peccato promulgata est excommunicatio, licet quandoque proferatur contra illum qui non peccauit, quamuis proferri non debeat nisi pro peccato, *de resti spol. c. litteras, de sen. excommuni. c. inquisitioni.* sed quando profertur sine peccato excommunicatus est diuisus quo ad ecclesiam militantem, sed non quo ad Deum & ad ecclesiam triumphantem: quia ligatus in terris censetur ligatus in cœlis, claue tamen non errante. Sed facilius tamen reconciliantur peccatores quam excommunicati, vt no. *de sen. excommuni. cum desideris: & c. a nobis, & de pœni. & remis. c. omnis:*

Tertio dicuntur scismatici stricte, qui se à propriis episcopis diuidunt, & hoc potest dupliciter contingere. vel quia de facto proprio episcopo non parent; & extra eius protectionem se ponunt, & tales proprie non sunt dicendi scismatici, sed acephali, dummodo Romanam ecclesiã & eius vnitatem recognoscant. Secundo modo potest contingere, quando non solum de facto à suo separãt se episcopo, vel de facto non parent, sed & episcopatũ ipsum capiunt & tenent, & constituunt sacerdotes, & constitutiones faciant, & isti proprie sunt scismatici, 7. *q.* 1. *scire &* 24. *q. si. c. inter scisma.*

Vltimo modo dicuntur strictissimè scismatici qui sunt diuisi ab vniuersalis ecclesiæ vnitate, & illi qui quærunt sibi episcopos & sacerdotes & constitutiones facere, 7. *q.* 1. *nouatianus:*

Modo per ista deciditur aliud, an scismaticus sit hæreticus? quia si capimus hæresim largo modo, tunc omnis scismaticus, quomodocunq; capias scisma, est hæreticus; quia, vt dixi supra in quæstione *an propter hæresim sit Papa deponendus*, hæresis large sumpta comprehendit excommunicatos, & etiam transgredientem vel non recipientem præcepta sedis Apostolicæ. vnde omnis mortaliter peccans largo modo potest dici hæreticus, id est, diuisus, quia saltẽ à Deo diuisus est: & hæresis largo

Digitized by Google

modo diuisio dicitur, vt supra dixi. Si vero capis hæresim stricto modo, prout quis venit contra aliquem articulum fidei, tunc solum peccantes mortaliter vel excommunicati siue acephali, quamuis largo modo dici possint scismatici, non tamen sunt hæretici stricte capiendo hæresim pro errante in articulis fidei. Et ideo quando se aliqui solum à propriis episcopis separant, non erigentes altaria contra episcopum, isti non sunt suspensi ipso iure, sed suspendendi, vt no. Hosti. & Doc. in c. 1. *de scisma.* nec sunt hæretici hæresi stricte sumpta. idem si contra proprium episcopum inferiorem à Papa erigerent aduersa altaria, & sibi episcopatum constituerent, tunc non essent hæretici proprie: quia per hoc non venirent contra symbolum vel eius articulum, si aliis crederent vnam sanctam & Apostolicam ecclesiam, nec ab ea se dicerentur separare. Credo tamen quod isti non recognoscentes proprios episcopos vel etiam sacerdotes in percipiendis sacramentis, non essent parum suspecti de hæresi, vt no. in *c. omnes vtriusque sexus, de pœni. & remiss.* & etiam si diu persisterent obstinati, hæretici vero censendi forent, vt infra dicam. Ille autem qui se ab vnione ecclesiæ scindit se extra ecclesiam ponendo, ex quo proprie & stricte scismaticus est an sit hæreticus hæresi stricto modo & proprie sumpta? Est attendendum, quomodo se diuidat. nam aliquando se principaliter scindit à Papa & ab ecclesiæ vnitate, nil aliud contra fidei articulos asseuerans, tunc iste talis à Papa diuisus, & si scismaticus proprie dici possit stricte etiam sumpto nomine scismatis, tamen à principio hæresis non dicetur, quia ex eo solo, quod se ab ecclesia vel à pontifice separet, non videtur tamen aliquid contra fidei articulos dicere vel asserere vt in hæresim prolabatur. potest enim velle esse diuisus, & tamen ecclesiam vnicam confiteri. & in hoc est differentia inter scisma & hæresim: quia hæresis est, quæ dicit peruersum dogma; sed se ab vnitate quis scindendo adhuc peruersum dogma non dicit, quia non obstante discessu esse potest quod credit vnicam Apostolicam ecclesiam. verum quia scismatici sui scismaticis verbis aut perseuerantia causas quærunt, quæ nullæ esse possint, nisi prophanæ & ab ecclesia condemnatæ, ideo postea temporis spatio scisma in propriam & veram hæresim prolabitur: quia non potest suam scissuram verbis aut factis defendere, nisi vel quia dicat quod salus extra ecclesiam possit esse, quæ conclusio ab ecclesia est pro hæretica iam damnata, 24. q. 1. *c. quoniam vetus, circa fi.* vel quia asseuerat duas esse posse vniuersales ecclesias, contra articulum *& in vnam sanctam catholicam.* ita intelligo glo. 7. q. 1. *c. non autem, in gl. 2. ad fi.* Et ideo bene dixit glo. quod inter scisma & hæresim est differentia, sicut inter genus & speciem: quia scisma est nomen generis, hæresis nomen speciei. vnde omnis hæreticus est scismaticus, sed non conuertitur: quia non omnis scismaticus est hæreticus, hæresi stricto modo sumpta. Item bene dixit, quod est inter hæresim & scisma differentia, sicut inter dispositionem & habitum, vt dicit glo. in dicto *ca. inter scisma*: quia scisma est dispositio, quia disponit hominem ad hæresim, & postquam est inueterata transit in habitum, id est, in hæresim: quia scindendo se est suspectus de hæresi, non dico hæreticus, sed cum suæ diuisionis excusationes profert, tunc dicit hæresim, & idem persistendo. & hoc vltimum est notandum, quod diu persistendo quis in delicto de hæresi suspecto ille talis postea vere hæreticus dici potest. & hoc est notandum pro his quæ dixi de Papa peccante & scandalizante ecclesiam, & monito pertinaciter persistente, vt sit hæreticus.

Et ex istis deciditur secundum principale dubium, an Papa in scisma prolabi possit, vel ille qui secum de papatu contendit, aut ipse cum alio contendens. Primo dicam, si Papa solus in scisma potest prolabi. Secundo an & quando cum alio de papatu contendit.

SVMMARIVM.

Pontifex an in schisma prolabi possit: & quibus rebus schismaticus efficiatur.

CAPITVLVM XIIX.

PRimo dico, si capimus scisma largissime prout quis peccat mortaliter, ex quo ad Deum scismaticus efficitur, vt supra dixi, & tunc indubitanter Papa potest scismaticus fieri: quia Papa est homo & peccare potest. 19. *di. Anastasius*, 21. *di. nunc au.* & 24. *q.* 1. *Achatius.* quia nulla dignitas quem excusat à peccato, vt nota. *de voto. c. magna.* & quia subiectus est diuinæ legi & naturali, vt no. in *c. quæ in ecclesiarum, de consti.* Si vero quæritur, an possit esse scismaticus, quia excommunicatus, tunc non nisi in vno casu. ratio, quia excommunicationes sunt de iure positiuo, & ipse suis legibus vel prædecessoris non est suppositus, nisi de honestate, *l. princeps legibus. ff. de legi. & l. digna vox. C. de legi.* & supra dixi. Et ideo solum in causa hæresis ligatur excommunicatione præcessoris ratio: quia, vt dixi supra ipso iure propter hæresim stricto modo sumptam desinit esse Papa, & est minor quolibet Catholico: ideo ligatur sententia præcessoris, 24. *q.* 1. *Achatius.*

An vero Papa alio modo scismaticus fieri potest? & certe erigendo altaria contraria contra seipsum non potest, nisi forte alteri vellet constituere sedem suam omnino parem, & vellet vt in nullo recognosceret ipsum, & Romanam ecclesiam asserens duas esse posse ecclesias summas æque principales, tunc nedum esset scismaticus sed esset verus hæreticus, asserens contra articulum esse posse vltra vnam Catholicam ecclesiam, 2. *q.* 7. *non autem.* & ibi glo. quia etiam si Papa & concilium vellet duas esse ecclesias, non posset hoc constituere, vt no. glo. 7. *q.* 1. *capit. non autem.* Idem si assereret, quod extra Catholicam ecclesiam esse posset salus & se extra ecclesiam ponere vellet, quia tunc similiter esset nedum scismaticus sed hæreticus, vt supra dixi: vt puta si diceret apud alios esse debere sedem Apostolicam, vt puta apud Machameti sacerdotes, vel alibi illam vellet constituere: quia cum apud Romanam ecclesiam iure diuino constituta sit.

tum sit, sine Dei voluntate commutari non potest, vt supra dixi. & multo magis esset hæreticus, si diceret, esse posse ecclesiam apud alios quam apud successores Christi & ista est ratio, quare Græci scismatici sunt, & hodie hæretici: quia sedem primam dicunt esse apud Bisantium siue Constantinopolim, & patriarcham Constantinopolitanum summum esse sacerdotem, quod scisma fuit alias, sed fuit facta reconciliatio, & sedes Constantinopolitana, quæ erat quarta patriarchalis, facta fuit secunda, vt no. 22. *di. renouantes*, & in *c. antiqua, de priuil.* demum iterum tanquam canes & sues ad vomitus pristinos & voluptabra redierunt, & in errore primo persistunt; vt in iuribus no. ante dictis. istis modis Papam stricto modo scismaticum dici arbitror, cum solus est & competitorem non habet.

SVMMARIVM.

Pontifex de Pontificatu cum alio contendens; vel alius secum contendens de scismate; vel duo etiam non Pontifices inter se de Pontificatu contendentes; an dici Schismatici debeant; & an deponi propter hoc possent à Pontificatu.

CAPITVLVM XIX.

NVnc videndum restat, si contendens cum Papa de scismate, vel Papa de papatu cum alio contendens, vel duo etiam non Papæ inter se de papatu contendentes, dici scismatici debeant? De hoc videtur tex. in iuribus prædictis in *c. 1. de scisma, & 12. dist. hinc etiam:* quod quando contentio est de papatu inter legitimum Papam & antipapam vel Apostaticum, antipapa dici debeat Apostaticus & scismaticus, Papa vero debeat in papatu confirmari. Si vero duo sunt non Catholicæ electi, aut non papæ inuicem de pontificatu contendentes, tales vtique ambo videntur Apostatici & scismatici debere dici, per tex. in *c. si quis pecuniam, 79. di. & c. si duo.* prout ille tex. potest loqui in vno vel in duobus, quorum neutrum in papatu ius haberet ad idem tex. in *c. licet, de elect.* con iuncto *c. in nomine Domini. 23. dist.* vbi est tex. quod alter assumens, cathedram quam per Canonicam electionem, vt puta præsumptione, seductione aut quolibet ingenio, tunc est excommunicatus, cum omnibus suis actoribus & fautoribus; & sic antichristus & inuasor totius Christianitatis pœnas sibi statutas incurrit. vnde per hæc iura ista satis declarata videntur. mihi vero videtur dicendum: nam aut contendit Papa cum antipapa, qui se opponit Papæ sola elatione & superbia, nulla ductus iusta dubietate, sed tantum ambitione, tunc si potest hæc causa iudicio dirimi, Papa debet declarari Apostaticus & scismaticus. & idem de quolibet etiam solo sine iusta electione vel colorata minus Canonice intrante cathedram Petri. Si vero, qui se contendit pontificem colorato titulo ducitur adeo vt forsan propter facti & iuris dubium in eo sine vlla culpa sit probabilis error, tunc talis ex sola contentione papatus vel quod cum papa contendat non est scismaticus iudicandus: & pro hoc est nota. decisio Dini & Bar. in *l. fi. ff. de adult.* & in dicta *l. 1. §. cæterum. ff. de ventre inspicien.* & hoc modo intelligendæ sunt dictæ glo. *24. q. 1. in summa. & capit. didicimus:* vt duo contendentes de papatu, quorum neuter sit Papa, vel vnus sit Papa & alter non, nullus eorum sit scismaticus, & minus hæreticus: & hoc quando ducti iusto errore papatum prætendant, & minus dici debet cum verius est Papa. Et idem forte sit culpa non dolus: nam & si de culpa foret puniendus, non tamen ipsum scismaticum iudicarem, iuxta notata per Bar. in dicta *l. fi. ff. de adulte.* Et hæc dicto vera, quod ex sola contentione non esset hoc casu etiam contendens cum Papa scismaticus iudicandus. Sed si non solum de papatu contenderet, sed diu ipse & alius cum quo litigaret scissum teneret Christicolarum genus, quia vtriq; non modica Christicolarum pars pareret, etiam si alter esset Papa, vel simili modo habens papatuum coloratum titulum, & possent vias inuenire tollendi scisma, & nollet vel fingerent velle tollere & nõ adimplerent conuocando concilium & renunciando si opus foret pro vnione habenda iuri prætenso vel vero, sed gauderet quisq; in sua parte scissa stare, tunc hoc casu tam ipsum contendentem quam papam scismaticum & hæreticum iudicandum; quia, vt supra plene dixi, ecclesia vnica esse debet, & oportet quod habeat sponsum vnum non plures, & in sua vnitate permaneat, vt probant omnia iura supra deducta. & hanc vnionem summe deberent quærere & affectare omnes episcopi & ecclesiæ prælati, *24. q. 1. c. loquitur*: & præsertim Papa, cui primum præ omnibus Christianæ religionis onus incubit, *24. q. 1. cap. officiu, & c. memor sum,* vbi tex. dicit, *intelligo mihi aliter non licere quam vt omnes conatus meos ei causæ, inquam, vniuersalis ecclesiæ salus infestatur impendam.* Si ergo vias adinuenire non quærunt, forsan timentes ab eorum sedibus repelli, quia ab ipsis sedibus hoc casu pro bono ecclesiæ etiam verus Papa repelli potest, vt no. glo. singularis, *63. di. si forte*, & infra dicam; tunc ex tali negligentia incurrant peccatum grauissimum: quia negligentia etiam in Papa est peccatum enorme, vt dicto *c. officii. 24. q. 1.* & grauius quam alii puniendi sunt, *25. q. 1. nulli fas.* & ideo si moniti monitione euangelica, quæ etiam Papæ, vt dixi, peccantis, fieri potest, vt no. glo. *40. di. si Papa. & 8. q. 3. nemo*, vt concilia celebrent, vel viam cessionis, & credendo vterq; papatui pacem inueniant propter sanctã vnionẽ, & ipsi contumaces persistãt & obstinati rebellent secutis etiam publicis monitionibus, quas fieri isto casu posse arbitror, cum tota scandalizatur ecclesia, & subuertitur bonum eius, tunc quilibet eorum si negligit vel, vt dixi, dissimulat, nedum scismaticus sed hæreticus est dicendus, vt no. glo. in dicto *capit. si Papa.* & supra conclusi. nec modo sunt discipuli veritatis; sed erroris Magistri, *2. q. 7. nos si in competenter*

& charitatem non habere conuincantur: quia si illam haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est ecclesia, vt in *c. vbi sane* 24. *q*. 1. & ad cedendum & viam omnem inueniendam cedêdi scismatis obligati existunt. Nam si Christus descendit de cœlis propter redimere gregem suum perditum, & mortem subiit temporalem, vt in *c.1. de homici. li.6.* quanto magis quisque in cathedra Petri præcipuè verus summus pontifex curam debet habere gregis dominici, & ipsum perditum non solum redimere renunciando, sed & morti naturali se subiiciendo, papatui vel per sortem lite ipsam dirimendo. Nam quemadmodum positæ fuerunt sortes, ne vestis dominica scinderetur, multo magis poni debent vt scissa reconcilietur. Si igitur in cathedra Petri vera vel prætensa residentes hæc ipsa non implent, etiam si iustam habebant causam litigandi, omnem viam reintegrationis & reconciliationis inueniendo, dici possunt vtique à fide alieni, 24. *q. 1. si alienus.* & fallunt fraternitatē, & veritatem fidei perfida præuaricatione corrūpunt, vt dicto *c. loquitur.* 24. *q. 1.* quia iusta causa litigandi eos excusat, vt litigando scismatici non sint censendi, sed non releuat eos quin viā vnionis quærere teneantur. nam non solum Papa vel papatum prætendens teneretur omne consiliū & opus impendere, vt pax & vnitas in Dei ecclesia subsequatur, & inducta conseruetur, sed & omnis Christicola hæc ipsa summo opere debet quærere, vt omnes vnum cor simus & anima vna in Christo. Nam Christus non habitat in cordibus illorum, qui superbiæ singularitatem secuti à corpore Christi compage semetipsos abrumpunt, 24. *q.* 1. *audiuimus.* Et quia coniunctionem pacis & vnionem spiritus non obseruat, se ecclesiæ vinculo separat, & Christiani nomen habere non meretur, 7. *q.* 1. *nouatianus.* & quia Christus fundauit ecclesiam super Petram vnam, non tamen tanquam in se vnum sed in personam Petri nomen totius ecclesiæ, vt esset vna non plures, 24. *q.* 1. *loquitur.* tales igitur eam à sua vnitate scindentes, à fide deuiant, & deponi possunt, etiam Papa dummodo sit, vt dixi, à fide deuius, 40. *di. si Papa:* quia qui crimina, quæ emendare potest, non corrigit, ipse illa committere intelligitur, 23. *q.* 7. *præterea* facit tex. in *c. error & in c. consentire*, 81. *di.* vbi tex. dicunt, quod qui potest errori occurrere & non facit, videtur ipsum fouore atque nutrire. & ideo hoc casu tales etiam si inter eos duos vnus eorum esset verus Papa, possent à concilio deponi tanquam hæretici & scismatici manifesti. immo plus credo, quod concilium verum Papam propter hoc scandalum, si aliter vnitas scismatis haberi non posset, vel sine scandalo materia ipsa transire non posset, ambos & etiam verum Papam deponere potest, etiam ipso in nullo scismate consiste, vt est glo. no. 63. *di. si forte*, quæ intelligit tex. *c. si duo.* 79. *di.* quando illorum duorum etiam vnus fuisset electus Canonice, vt per concilium deponi possit causa scandali extirpandi. Et ita tenet etiam litigatio Doctorum maximæ auctoritatis in dicto *c. si duo*, pro quibus videtur tex. cum ibi nota. 24. *di. renuntiantes.* Nam propter scandalum sedandum Alexandrina sedes patriarchalis, quæ erat secunda, facta est tertia, & Constantinopolitana secundum locum legitime occupauit. Et ad hanc conclusionem est tex. in *c. nisi cum pridem*, §. *propter malitiam &* §. *pro graui quoque scandalo, de renuncia.* & notat Archi. 50 *di. c. 1.* vbi potest cogi episcopus ad cedendum pro graui scandalo sedādo, 7. *q. 1. c. episcopus de loco. & c. scias.* & ibi glo. fi. Et quamuis tex. ille non loquatur in Papa, idem est dicendum etiam de eo, per iura prædicta. præferri enim debet vtilitas publica priuatæ, & sententia multorum sententiæ vnius, 7. *q. 1. c. scias.* 8. *q. 1. in scripturis.* & ideo propter publicam vtilitatem potest quis propria te priuari inuitus, *l. lucius. ff. de euic.* Et quia populus potest propter maximam totius populi vtilitatem & necessitatem regem deponere, vt notatur in *l. non ambigitur. ff. de legi.* & dixi supra in quæstione donationis constantini an valuerit. Non obstat si dicitur, potestas Papæ est de iure diuino & à Deo: ergo non potest ab homine tolli, *de transla. prala. c. 1. 2. & 3.* quia respondeo, quod quando concilium priuat Papam, potestas non aufertur Papæ ab homine sed à Deo, cum dispositio concilii fiat à Deo & spiritu sancto, qui ibi præesse censetur, vt dixi supra.

Et ex istis reassumo propositum, quod aut aliquis intrudit se in Apostolatu temerarie nullo iusto ductus errore, tunc talis scismaticus & Apostaticus est dicendus ipso iure anathematizatus, vt in *capit. in nomine Domini.* 23. *di.* coniuncto *c. licet, de elec.* Papa autem secum litigans ex solo litigio scismaticus non est censendus: vel quod in sua sede quanquam scisma persistat, vt dicto *cap. 1. de scisma.* Si vero intrusus in cathedra Petri aliquo iusto errore ducitur, qui eum etiam excuset à culpa, tunc talis non est scismaticus ex hoc solo, quod de pontificatu contendat, iudicandus, iuxta notata in dicta *l. fi. ff. de adulte.* Et idem si sit in sola culpa & non in dolo: quia licet de culpa puniri possit, vt ibi no. scismaticus tamen iudicari non debet, & minus Papa verus cum ipso contendens scismaticus debet dici eo solo, quod etiam in parte scissa papatum regat. sed si non solum papatum regant in scismate, vel mundum scissum tenent, sed etiam ipsi scisma nutriunt nolentes adhibere remedia, & non volentes vel fingentes & procrastinantes vnionem, & ad finem non producentes, tunc hos scismaticos iudico, etiam verum Papam, per iura antedicta. & si contingat in tali scismate ipsos inueterari, hæreticos censeo, iuxta no. 24 *q. 1. c. inter scisma.* sic intelligo istam materiā, quæ non fuit ita plene & vere dilucidata, cum de facto primum occurrit, quamuis infiniti excellentissimi orbis Doctores vtriusq; facultatis in ea rescripserunt.

Et per supradicta respondetur ad principale dubium, an propter scisma Papa possit à papatu deponi. Nam quando est scisma largo modo sumptum, prout Papa foret mortaliter peccans solum, tunc non esset deponendus, vt supra dixi, & est tex. 40. *di. si Papa.* sed si esset scismaticus, ita quod eius scisma prolaberetur in hæresim stricto modo sumptā, quod quando sit, patet ex supradictis, tunc deponendus esset, & esset eadem pœna, scismatis hæresis, quia hæreticus est. & ita vult

Host.

Digitized by Google

Host. in summa de scisma. §. qua pœna. ver. nec obstat, & in §. vnde dicitur. ver. differt autem. & quod grauissime debet in quocunque scisma puniri, probatur Dei exemplo, qui Chore Datan & Abyron fecit viuos propter scisma per ipsos commissum à terra deglutiri, ita quod cum ipsis omnis eorũ substantia descendit ad inferos complicibus eorum igne consumptis, Numeri 16. c. & 24. quæstio. 1. c. non auferamus & 2. q. 4. in prin. & est tex. optimus, 7. q. 1. denique. vbi etiam ponitur de scismate per illos Israel commisso contra filium Salomonis regem suum dimittendo & foris constituendo regem Hieroboam. Et de pœna hominis dic, qui panem contra Dei præceptum apud ipsos manducauit. Item patet ibi, quomodo scismatici tanquam gentiles & hæretici sunt vitandi, quia Christus discipulis mandauit, vt non intrarent Samaritanorũ ciuitatem, quia & ipsi scismatici erant, immo iussit tanquam gentiles esse vitandos, cum dixit, in viam gentium non abieritis. alias autem pro nulla causa papa deponi posset, nisi forte propter scandalum concilium, vt eradicaret scisma, iudicaret pontificem deponendum. nam & tunc posse deponi, dicto c. si duo 79. dis. & ibi no. Hugutio. & notat glo. notabilis in dicto c. si forte 63. di. & multo magis ipse solus papa etiam non coactus à concilio deberet cedere, vt pacem populo Christiano & suo dulcissimo gregi tribueret, vt probant omnia iura ante deducta. sic (vt arbitror) hæc materia intelligenda est. illud autem certissimum est, quod naturali morte perditur pontificatus: quia mors omnia soluit, in auth. de nup. in §. disponat.

SVMMARIVM.

Pontificatum aliquo possidente, de eoque dicitur, quòd ipsum ex causis dictis amiserit, aut iure non retinet; vel quando sint plures de ipsa dignitate contendentes; quis tunc sit iudex, vel ipsemet, vel Collegium Cardinalium, vel Concilium.

CAPITVLVM XX.

HAbunde, vt arbitror diximus, quibus ex causis papa deponi possit, vel ipsam dignitatem perdiderit, siue perdat. Nunc dicendum superest, quis iudex est cum aliquis papatum possidet, & dicitur quod ipsum amiserit, aut iure non retinet, vel quando sint plures de ipsa dignitate contendentes.

Primum dicendum videtur, quod papa in quasi possessione papatus existente à nullo causa eius iudicari possit, tex. videtur in c. licet, de elec. in fi. vbi vult tex. quod si dubium foret an papæ electio canonica existeret, nullus iudex competens esset. & est ratio, quia hæc dignitas superiorem non habet nisi Deum, 9. quæstio. 3. facta. cum si. ergo à solo Deo non ab humano iudicio videtur iudicandus. ideo iura omnia voluerunt causas papæ Dei iudicio esse dimittendas, & ipsum, non humano iudicio iudicari, 4. quæstio. 9. aliorum & 17. di. §. hinc etiam, vbi concilium iudicium Symachi papæ solum Dei iudicio reseruauit, nec de ipso papa concilium iudicium dixit, quasi nec à concilio papa sit iudicandus; 9. quæstio. 3. c. nemo, vbi tex. vult primam sedem, id est, papam, non iudicari aut ab Augustino aut ab omni clero, neque à regibus, neque à populo: & ita decidit glo. 2. quæstio. 1. c. mandastis. Et ideo dicere potest ipse papa, quis me iudicat. ita dicit glo. 79. di. si quis pecuniam, quasi dicat, nullus. Et huius dicti est ratio: quia papa est vicarius Christi & legatus Dei, vt in cap. 1. vt ecclesia bene. & ipsius Dei in ecclesia personam repræsentat. ergo ab alio quam ab ipso, qui eum præfecit vicarium & legatum, iudicari non debet, vt 79. di. c. electionem: vbi electio summi pontificis est Dei iudicio reseruata. faciunt illa quæ infra dicam in quæstione, quæ sit maior sententia papæ vel concilii. Et quia inferior superiorem non iudicat, 21. di. cum inferior, de maio. & obe. cum inferior. sed concilium & omnis homo viuens est papæ inferior. patet, quia papa concilio auctoratur, in quo omnium fidelium repræsentatio fit, de consecrà. di. 1. ecclesia. & sine eius auctoritate, etiam si papæ causa ageretur, non instituitur concilium, 17. di. §. hinc etiam: vbi concilium statuit, ipsum debere dici auctoritate Symachi papæ accusati etiam congregatum, nota eadem di. c. multis, & est tex. de elec. c. significasti: ibi, cum omnia. & sic patet, quod nedum cuiuslibet fidelis est maior, 8. q. 3. cuncta per mundũ, sed & ipsius vniuersalis cõgregationis. i. concilii, maior est ipse papa. Et ideo papa tanquam superior reuocat nonnunquam statuta concilii, vt est tex. 8. quæstio. 3. cap. cuncta per mundum. de consang. & affi. cap. non debet 68. di. cap. corepi. & in cap. sicut 16. di. & 17. di. cap. nec licuit; & est tex. in c. vbi periculũ, de elec. li. 6. nam illud c. à papa & concilio editum fuit per nonnullos solos summos pontifices reuocatum, & super eo nouæ constitutiones pluries promulgatæ, præsertim tex. cle. ne Romani, in §. porro, de elec. Nota Doc. in c. proposuit, de conces. præbẽ. Hinc est, quod dicitur, quod maior est sententia papæ quam totius alterius cleri, de elec. significasti. in fi. no. glo. 4. di. in istis 35. q. 8. c. veniã: ibi, Eustrasiũ vero, & 24. q. 1. c. hac est fides. Et quia si præbet cõcilio papa auctoritatẽ, sequitur quod ipso maior est: quia maior est qui auctoritatẽ præstat, quã ille cui præstatur. Et ita per hoc decidit glo. in c. vbi periculũ, in verbo concilio, de elec. li. 6. Si igitur papa maior est concilio; sequitur quod à concilio nequeat iudicari. & propter hoc est statutum, quod quotiens de papa aut eius actionibus humanum iudicium exquirendũ est, ipse solus sit iudex causæ propriæ, etiam si esset redarguendus de hæresi, textus est. 21. di. nunc autem, vbi concilium statuit, quod Marcellinus de hæresi accusatus suo se, ore damnaret, nec à quoque iudicandus foret. Et ideo ibi dicit tex. quod concilium dixit eidem, nolli audiri in no-

Digitized by Google

sine iudicio sed collige in sinu tuo causam tuam, & ex tuo iudicio iustificaberis, vel ex tuo ore [illegible] Et idem subditur ibi, quod factum fuit tempore Sixti papæ & de causis & terroribus impositis ipsi Sixto papæ. Et ibi ponit etiam Archi. formam sententiæ, quia debet dicere: *Ergo talis papa infelix commisisti tale scelus, ideo me iudicio deponendum.* ad idem *l. & hac Tyberius. Digest. de here. insti.* vbi est tex. quod non recognoscentes superiorem esse possunt si volunt iudices in causa propria: no. in *l. 1. C. ne quis in sua causa ius di. cum venissent*, vbi colligitur quod potest esse si vult iudex in causa propria de absoluta potestate. & ita no. Inno. de omni non recognoscente superiorem de verbo *ex parte*, & Bar. *Digest. de iurisdi. om. iudi. l. receptum.* sed de ordinata potestate debet alteri committere, dicta l. est receptum. Et ideo Imperator causas fiscales committit procuratori fisci, vt C. *vbi causa fisca. l. ad fiscum. & l. si ea. C. de his quibus vt indi.* vbi est tex. quod siue agat siue conueniatur fiscus, est procurator fisci iudex mandato principis. Et papa etiam alieno se submittit iudicio 2. *quæstio. 7. nos si incompetenter, & de re iudi. ad Apostolicæ lib. 6.* Et ideo etiam se submittit in foro contentioso, vt priuari possit, 63. *di. in Synodo*, & ibi glo. no. & in dicto *cap. nos si*, & dixi supra in quæstione, *an papa possit renunciare papatui.* Ex quibus tum quia causæ papæ solo Dei iudicio committendæ sunt, tum quia si humano iudicio trutinantur, ipse debet causæ suæ iudex esse, vel ille cui papa commiserit: videtur concludi, quod nullus alius huius causæ iudex esse possit. Et quia si in illo, de quo papa quæritur iudicari, *ipse papa à Deo toleratur & non iudicatur, quanto magis debet ab aliis tolerari?* vt Augustinus inquit. & hoc patet in ecclesia militante, quæ tolerauit annis sex Tyberium papam hæreticum, & tunc fuit depositus de facto Fœlix papa Catholicus per Constantinum Imperatorem, vt refert Chronica Martiniana, & Vincentius Belluacensis. Item quia nullus iudicauit Petrum filium Dei abnegantem, nisi Christus, qui eidem pepercit, postquam conuersus plorauit. In contrarium videtur quod vbi fidei causa agitatur, ibi sit iudex concilium & non papa: tex. videtur in *cap. Anastasius* 19 *di.* vbi Anastasius papa, quia solus communicauit in hæresi & hæreticis iam damnatis, sine consilio episcoporum & clericorum nutu, Dei iudicio percussus est & pro hæretico habitus. Si ergo cum voluntate concilii communicasset, non fuisset hæreticus. ex quo patet, quod maior est sententia concilii quam papæ in causa fidei: quia hæc numeratur inter causas, in quibus orbis maior est vrbe, 93. *di. legimus.* Et quando agitur de subuersione status totius ecclesiæ: nam tunc est concilium supra papam, 15. *di. sicut.* facit quod no. Inno. *de consue. quanto*, & dicam *infra quæstio.* 1. Et ideo non posset papa priuare omnes episcopos, 8. *quæstio. 5. per principalem.* & de hoc videtur tex. 15. *di. cap. sicut, in fi.* vbi papa dicit, quod *quæ vniuersali consensu constituta sunt, se & non illa destruit, quisquis præsumit absoluere quos religant, aut ligare quos absoluunt.* vnde papa non posset iudicare id non esse hæreticum, quod concilium hæreticum iudicasset, vel id esse damnatum pro hæresi quod concilium non hæreticum statuisset: facit. 24. *quæstio. 2. cap. sane, de secundo*, ibi, *& sequi in hoc doctrinam sanctorum patrum.* vnde negari non potest, quin in causa fidei non sit maior sententia concilii quam pontificis. Et quod in fidei causa concilium pontifice non sit maior. & ita dicit glo. in dicto *cap. sicut, in fi. 15. di.* Et est ratio, quia (vt pluries dictum est) papa est homo, & contra fidem male sentire posset, vt dicto *cap. Anastasius*, & 24. *quæstio.* 1. *Achatius.* quod inconueniens in vniuersali ecclesia non potest contingere: quia ipsa errare non potest, 24. *quæstio. 1. arrepta.* quia orauit redemptor noster pro ecclesia, ne deficeret sua, 21. *di. c.* 1. *quia redemptor ipse voluntate labiorum suorum non fraudabitur*, vt dicit glo. in dicto *cap. arrepta*, & no. Io. An. post Hostien. in *cap. à nobis, el secundo, de sen. excom.* quia fides vniuersalis ecclesiæ non est à sapientia hominum, sed in virtute Dei, *ad Corinth.* 2. quod tamen qualiter intelligatur dicam infra in *pe. quæstione.* Et quod in causis papæ, quas cum aliis habet de pontificatu vel fide, iudex sit concilium est tex. 17. *di. §. hinc etiam*, vbi tex. est quod concilium remisit causas Symachi papæ Deo terminandas, & aduersariis papam criminantibus sententiam dixit, Et quia catholicum Symachum inuenerunt eum declararunt alieno non subiici quam Dei iudicio: & ideo causas eius aliorum vim criminum Dei iudicio remiserunt, & alios aduersarios damnauerunt. Ecce ergo tex. quod concilium in causis papæ iudex est competens, vt etiam est tex. 2. *quæstio.* 7. §. *item Symachus*, vbi concilium iudicans inter Symachum & ipsum accusantes primum decreuit ipsum Symachum pontificatu spoliatum esse restituendum [illegible] sed quia fuerat Symachus ab æmulis impeditus nō veris accusatoribus, vt tex. ibi declarat, ob[illegible] eius causas per concilium soli Deo remitti, vt probat tex. in dicto §. *item Symachus* 2. *quæstio.* 7. con[illegible] iuncto tex. 17. *di. §. hinc etiam.* & quod in causa fidei papa alieno subiaceat iudicio, est tex. 40. *di.* [illegible] *pa*, vbi tex. dicit, quod sint pontificis crimina scelerata quantum possunt, nullus ipsum iudicat [illegible] deprehendatur à fide deuians. cum igitur à fide deuiat, alieno iudicio subest. Sed nullius [illegible] commodius subest quam illius qui errare non potest, videlicet concilii & ipsorum quorum [illegible] principaliter, videlicet omnium fidelium, qui nil aliud sunt quam concilium: quia ex [illegible] præsidentium salus omnium ipsorum fidelium dependet subditorum, 61. *di.* [illegible] *vbi.* Ex hoc dicit tex. in dicto *c. si papa, in fi.* 40. *dis.* & quia ipsorum interest omni[illegible] terminationi debent conuocari, vt in regula, *quod omnes tangit, de regu. iur. & c.* [illegible] item quia si concilium est iudex in causa fidei, & vbi turbatur bonum vniuersa[illegible] nexis fidei erit iudex: ideo est in causa papæ iudex, quia de articulis est v[illegible] cam ecclesiam, 24. *quæstio. 1. loquitur.* & quia ipsa est vnum corpus mys[illegible]

ne sit quoddam monstrum, *qui fil. sint legit. per venerabilem*, & *de his quæ fiunt à præla. cap. nouit.* & sic in causa papatus erit iudex concilium, quia ibi agitur de bono vniuersalis ecclesiæ 4. *quæstio.* 1. §. *his omnibus*. & quod sit iudex concilium in causa hæresis papæ est text. in *cap. fraternitatis, de hæreticis.* Si igitur de capite est contentio, est de connexis articulis fidei contentio: ideo iudex est concilium, arg. *cap. translato, de consti. de iudi. cap. quanto*, cum similibus iuribus, dicentibus quod de connexis idem est iudicium: præsertim quia concilii iudicium maius reputatur, vt dixi papæ iudicio. Idem est etiam cum papa bonum turbat vniuersalis ecclesiæ, quod facere non debet, quia ipse debet quærere bonum vniuersalis ecclesiæ, vt 24. *q.* 1. *c. memorsum.* & 25. *q.* 1. *cap. quæ ad perpetuam*: facit 8. *quæst.* 1. §. *his omnibus*, & ibi glo.

Et idem est dicendum, cum de papatu inter duos litigium vertitur, vt iudex concilium sit, quia tractatur potius de bono vniuersalis ecclesiæ, id est, de eius capite: quia non potest esse de papatu contentio sine perturbatione status vniuersalis ecclesiæ, textus videtur 79. *di. si duo*, vbi est textus quod *ille erit duobus de pontificatu contendentibus, quem diuinum iudicium vniuersitatis consensus elegerit.* ecce text. quod vniuersalis ecclesia, quæ idem est quod concilium, *de consecra. dist.* 1. dirimit lites papæ & nouum pontificem eligit. & ita determinat ibi glo. quod concilium iudex sit: quia committitur ibi vniuersitatis iudicio, id est, concilii, quia papa est pontifex omnium Christianorum, *de maio. & obe. solita, de transla. præla. cap.* 1. 2. & 3. idem quando qui præest in cathedra Petri dicitur esse apostaticus & per ambitum ipsum vsurpasse. nam cardinales cum aliis clericis & laicis Deum timentibus ipsum ab ecclesia expellunt, 79. *di. si quis pecuniam.* Sed cardinales & clerici & laici Deum timentes, id est, fideles, non sunt aliud quam concilium. ergo ibi est tex. quod quando papa dicitur apostaticus non Apostolicus, concilium in eius depositione & Anathematizatione iudicium interponit. Hoc idem Doc. sentiunt, quando contentio foret inter papam & cardinales, quia ipsi cardinales vellent alium eligere, dicentes papam sedi Apostolicæ renunciasse, & ipse contrarium asseueraret, vt iudex tunc sit concilium. ita no. Moderni in c. 1. *de renunci. li.* 6. & idem, in omni alia causa de papatu quæstio est, volunt Docto. Archi. & Io. An. quod iudex sit concilium, vt ipsi no. *de hæreticis cap. in fidei. lib.* 6. ratio, quia cum est contentio de capite, & est dubii probabilitas, non potest dici ecclesia plene & bene reformata, arg. *cap.* 2. *de transla. præla.* ibi, *sicut iusta*. sed potius dici potest quasi vacans, vt in *dicto c.* 2. sed cum ecclesia vacat vel quasi vacat, potestas videtur residere in ipsa totali ecclesia, quæ est fidelium congregatio, *de biga. cap. debitum*, *de elec. fundamenta. lib.* 6. sicut dicunt Philosophi quod regimen ciuitatis consistit pœnes congregationem ciuium vel ipsis congregatis partem potiorem, vt inquit est Philosophus 3. *Politicorũ c.* 8. item cum est contentio de papatu, hoc nõ potest esse sine scismate vt plurium: sed in causa scismatis debet esse iudex concilium, vt 15. *di. c.* 1. & *c.* 2. & idem vbi est scisma vel hæresis, 96. *di. nos ad fidem & cap. vbi.* Item quia sicut in depositione papæ propter hæresim non est iudex nisi concilium, 2. *q.* 7. §. *item Symachus* & 17. *di.* §. *hinc etiam*, no. Io. An. & Archi. *de hæretici. c. in fidei, li.* 6. ita debet esse iudex concilium ad declarandum, quis sit verus papa, quãdo de hoc est dubium probabile inter duos forte litigantes. facit 40. *di. si papa*. & hoc videtur determinatum in *libro Conciliorum in fine concilii Macedoniensis*, ibi, *hoc enim & aliis fidem tangentibus hoc statutum est vt ad concilium recurratur.* Quinimmo videtur, quod soli cardinales iudices esse possint: quia cum præsertim papa in hæresim est prolapsus, & ipso iure dignitatem papalem perdidit, videtur quod iurisdictio papæ arduo casu in Dei ecclesia occurrente sit apud cardinales, vt est tex. in *c. vbi periculum.* §. *hi quoq;*, *de elec. lib.* 6. & *in cle. ne Romani. de elec.* sed quod maius potest esse periculum, quam cum papa & caput ecclesiæ à fide noscitur exorbitare. Et ideo profecto hoc cognoscere debet ad cardinales pertinere. & quia vacante sede propter periculum animarum permissum est cardinalibus nouos pœnitẽtiarios creare, vt in *cle. ne Roman. de elec.* ergo fortius in casu isto concedi debet, vel cum papa est hæreticus, vel duo contendunt, quia licet extendere legem ad casum similem *l. non possunt. ff. de legi.* hoc expresse probare videtur tex. in *c. si quis pecuniam* [illegible] *di.* vbi tex. dicit, quod *cardinales debent expellere intrusum a cathedra Petri & apostaticum & [illegible] anathematizare & deinde ad electionẽ procedere.* Et sicut hoc est in apostatico, idem videtur dicendum de papa hæretico, vt cardinales eum damnent, & deinde ad alterius electionem procedant. ad idem tex. in *cum nomine Domini.* §. *si quis* 23. *di.* vbi nedum cardinales sed quilibet Catholicus insurgere potest contra talem intrusum, tanquam contra antichristum. Et idem cum notorie esset papæ [illegible] renuntiatio, vt cardinales non obstante eius inficiatione procedere possunt ad electionem nouã, iuxta notata per Inno. *de verbo. signi. c. ex parte, el primo, de censi. cum venerabilis.* Et idem cum est probabile dubiũ duobus de papatu contendentibus, quia tunc sedes dici potest vacare: cum paria sint non esse papam vel non apparere, *l. in lege, de contrahen. emp.* & *l. duo sunt* [illegible] & dicitur quodã scismate ecclesia dicitur quasi vacare, vt no. in *c. cum vobis, de præscrip.* [illegible] modo morte vacare, no. in *c.* 1. *de scisma.* Item cum cardinales sint in quasi possessione iure eligendi [illegible] electionem vel papam, vt in *c. licet de elec.* [illegible] *vbi periculum, de elec. lib.* 6. [illegible] ad hoc [illegible] *ne Domini.* ad e[illegible] pertir[illegible] de quo di[illegible] pro ipsa elect[illegible] 46. *dist. cap. s*[illegible] cit[illegible] ius habere eli[illegible] ius papatus ipsi [illegible] Metropolitani vice fungen[illegible]

Digitized by Google

tur, vt est tex. in *cap. in nomine Domini 23. di.* Sed quemadmodum metropolitanus est iudex in causa, an episcopus canonice sit electus in Christum, ita collegium debet esse posse iudex an de papatu contendens vetus papa sit. & in hoc sit maius collegium cardinalium, quam præsidens in cathedra Petri, cum de sua residentia probabiliter contenditur, cum ipsi tunc cardinales metropolitani vice fungantur. nam in his, quæ concernunt electionem papæ, collegium cardinalium repræsentat vniuersalem ecclesiam, & eius vice fungitur, glo. est no. 79. *dis. c. nullus.* & *ad sacerdotes Leuitici generis spectet de arduis dubiis diffinire*, vt est tex. in *c. per venerabilem, in versi. rationibus, qui fil. sint legit.* & dixi in *primo argumento primæ quæstionis* huius operis. sed quod posset esse dubium maius, quam cum de capite ecclesiæ contenditur, arbitrari non possum. Et nota quod dicit, *ad sacerdotes Leuitici generis*, & non dicit, *ad sacerdotem.* & ideo debet intelligi de sacerdotibus locum supremum tenentibus, sicut sunt cardinales, *l. 1. ff. de al. scriben.* facit quod notat Inno. in *c. 1. de maio. & obe. & in c. statuimus, & l. 2. C. de decu. li. 10. & de elec. c. in caussis & c. ecclesia. & c. cum à nobis*, vbi probatur, quod qui post papam sunt digniores, & retinent primum locum ipsi sunt qui hanc debent habere auctoritatem. & ita notat Io. An. in dictis iuribus. & ideo in *c. per venerabilem, versi. sunt autem*, dicit tex. quod sacerdotes Leuitici generis sunt cardinales, qui iure Leuitico in executione sacerdotalis officii assistunt papæ. & pro hac sententia faciunt omnia iura, quæ dicunt, quod quando ille, ad quem spectat iurisdictio, primo gradu est impeditus, quia forte captus ab hæreticis vel scismaticis, deuoluitur iurisdictio ad capitulũ vel ad gradũ sibi magis proximum. tex. est in *c. si episcopus, de supplen. negli. præla. li. 6.* vbi dementi episcopo in remotis à Romana curia consistente prouidet capitulũ eius de Coadiutore: & sic papæ effecto dementi vel inhabili deberet de Coadiutore cardinales prouidere, ne periclitaretur ecclesia, & tamen sedes adhuc vacare nõ diceretur. & hoc probant omnia iura, quæ refert Hostien. & Io. An. in *c. 1. de scisma. in 6.* facit *c. his qui, in fi. de maio. & obe. & in c. 1. eo. titu. lib. 6.* facit *de elec. venerabilem, ver. nunquid.* facit *de offi. ordi. c. irrefragabili §. excessus. & l. vt perfectius. C. de annis. excep. & l. vbi absunt, ff. de tuto. & cura. da. ab his.* facit *c. eos. de tempo. ordi. li. 6.* hoc probatur in *c. 1. ne sede vacan. lib. 6.* vbi quando prælatus sua culpa priuatur, vt quia suspectus est, tunc ille in iurisdictione succedit, cuius consilio ipse prælatus debuit administrare. sed papa ardua debet facere cum cõsilio cardinalium, *6. q. 1. si quis cum militibus.* ergo cum cessat eius iurisdictio, quia hæreticus, debet esse iurisdictio apud cardinales. Item quia, vt dixi supra in quæstione *an papa possit renunciare*, licet dignitas papalis sit à Deo, tamen quod vnus magis quam alter sit papa est ab homine: & ideo electus papa est pontifex electione cardinalium: ergo ipsi eum causa subsistente videntur posse amouere, vt in *c. 2. de regu. iur.* in antiquis.

CAPITVLVM XXI.

EX quibus videtur concludi, quod agitur causa papatus siue ratione hæresis per pontificem commissæ, siue quia duo de probabili dubio pontificatus litigent, vel de ipsius renũciatione, vel vbi turbatur status vniuersalis ecclesiæ, aut cum agitur causa fidei vel illi connexa, iudex debeat esse cõsilium vniuersale aut sacrosanctum collegium reuerendissimorum dominorũ cardinalium. & quod cardinales deponant papam propter hæresim, notat Hugutio *63. di. in synodo.*

Quid igitur sit dicendum in hac quæstione? credo quod siue agatur causa hæresis cum papa, siue causa intrusionis, siue quia duo de papatu contendunt, semper sit iudex concilium. Et idem cum dicitur, quod non habuit duas partes cardinalium: quia tunc dicitur intrusus & non Apostolicus. & idem quando dicitur à cardinalibus, quod renunciauit. omnibus enim casibus, cum disputatur, an ipse sit papa vel non, iudex est concilium. Et ideo tex. in *c. si papa 40. di.* cum dicit, quod *papa à nemine potest iudicari*, excipit casum fidei, quando deuius est à fide, subdens quod *vniuersitas fideliũ tanto perpensius orat pro eo quantum post Deum salus fidelium ab ipso dependet.* Ecce quod orat pro eo vniuersitas fidelium, & sic concilium, *de consecra. di. 1. ecclesia*, quando ipse papa à fide deuiat. Sed oratio secundum Augustinum in libro *de verbis Domini* est quædam petitio. Et alibi dicitur, quod est pius mentis affectus directus in Deum, qui fit non solum verborum expressione, sed & sanctis & bonis operibus operando, vt no. per glo. & Doc. in *cle. 1. de reli. & vene. sanctorum.* vnde potest conciliũ operari tunc vel remouendo papam ab hæresi, vel vbi non posset ab hæresi remoueri, eum amouendo à papatu, & sic extenuabit eius peccatum, ne sedens hæreticus in cathedra Petri infinitos secum trahat ad inferos, vt dicit tex. in dicto *c. si papa.* vnde ibi est casus, quod conciliũ iudicat in causa hæresis papæ, & sic benè operando orat vel orabit pro eo, vt dicitur in *dicto cap.* facit *de elec. cle. ne Romani, in fi.* & idem videtur tex. in *d. c. Anastasius.* Idem cum duo de papatu contendunt, vt probat tex. in dicto *cap. si duo 79. di.* & idem cum dicitur apostaticus, & in cathedra Petri intrusus, vt *79. di. si quis pecunia.* & probatur *2. quæstio. 7. §. item Symachus.* & benè ostenditur, quia cum est de papatu contentio, ab hoc omnium fidelium salus dependet, vt dicit textus in dicto *cap. si papa.* igitur iudicare de hoc vel cognoscere ad ipsos homines debet fideles pertinere, dicto *cap. vbi 96. di.* Et melius hæc sententia patebit per responsiones ad contraria, in quibus apparebit, quod nec ipsemet papa iudex est in causa propria isto casu, nec collegium cardinalium, sed solum sacrosanctum concilium.

Non

Non obstant contraria. & primo ad *c. licet, in fine. de elec.* quod videtur dicere, quod electio papæ non subest alicuius iudicio, debet intelligi, præterquam vbi à iure expresse cautum est, quod de ipsa discutiatur, sicut est, quando dicitur, quod non habuit duas partes cardinalium; vel quod assumptus in papam sit fœmina, vel habeat alia impedimenta, quæ ipsi possint obiici, de quibus supra in quæstione *an aliqua exceptio contra ipsum proponi possit:* vel cum dicitur à fide deuius, 40. *di. si papa:* vel cum est notorius intrusus, quia non electus per cardinales, 79. *di. si quis.* nam de istis cognoscet concilium, per iura antedicta. sed si possent aliæ exceptiones, quæ haberent irritare alias electiones inferiorum; in iure autẽ non esset cautum, quod possent cõtra papam opponi, tales contra papam non opponerentur: quia non esset superiorum, qui iudicaret, vt dicto *c. licet*, quod sic debet intelligi. Nam dicit, quod ideo requiruntur duæ partes cardinalium, licet in aliis electionibus sufficiat maior pars, quia hæc electio non habet superiorem, qui iudicet de ea, subaudi, in exceptionibus, quæ contra alias inferiorum electiones opponi possunt, sed non tollit quũ exceptiones cõtra hanc electionem permissas opponi non discutiantur. Et idem credo, quando esset papa toleratus aliquandiu, & postea obiiceretur si exceptio, quæ esset occulta & dubia, vt quia tolerato & illi qui in pacifica possessione stetisset aliquamdiu, obiiceretur, quod non habuit duas partes cardinalium, & esset exceptio dubia & occulta, & tunc nullus esset iudex: & ita loquitur *cap. licet*, quia tunc toleratur probabilis ignorantia. secus si esset suspicio supina & crassa, vt in *cap. ad probandum, de re iudic. lib. C. de senten. 3. q. 3. §. tria.* Et sic limita dicta doctorum dicentium, quod contra papam possunt opponi exceptiones prouenientes ex dispositione illius capituli, vt quia non habuit duas partes cardinalium, vel quod per ante se intrusit, vt hoc intelligatur, quando talis exceptio esset manifesta vel occulta, sed opposita antequam esset toleratus, vt de seipsa prius discutiatur: sed si esset occulta; & ipse iam toleratus, etiam isti non deberent admitti per viam exceptionis, nec aliquis tunc est iudex. Et nota quod dico, quando contra papam toleratum exciperetur de occulta exceptione: sed si ageretur contra eum, quod non esset papa, puta propter hæresim etiam occultam, vel quia esset apostaticus & intrusus, quod delictum habet instar hæresis, credo quod agi posset & esset iudex concilium, per nota. in dicto *cap. si papa 40. di.* Non obuiat illud, quod causæ papæ subiiciuntur Dei iudicio, nec concilium vel alius potest de eis iudicium dicere: quia illa iura loquuntur, quando est certum, quod sit papa, de aliquibus criminibus vel factis conueniatur. Sed quando est de papatu probabile dubium, tunc iudex est concilium, quia non constat quod sit papa ita vt eius causæ Dei iudicio remittantur. Nec ob. si dicitur etiam, quando est dubium de papatu, causæ papæ Dei iudicio remittantur, vt probatur 17. *di.* §. *hinc etiam*, vbi est tex. quod causas Symachi papæ concilium remisit iudicio Dei. Et licet, vt dixi, non constet ibi, quod esset contentio de papatu; tamen in Chronicis legitur quod Laurentius quidam secum de papatu contendebat. nam respondeo, quod concilium ibi causas papatus determinauit, patet 2. *quæstio. 7. §. item Symachus*, vbi concilium iudicauit eum de papatu spoliatum prius restituendum: ecce quod concilium in causa papatus iudicium dixit. Sed quia Symachus repertus fuit fuisse esse verus papa, determinato prius iudicio papatus per concilium, demum concilium alia crimina, quæ Symacho obiiciebantur, remisit Dei iudicio: quia iam constabat eis de concilio, quod erat papa, & ideo non erant alia eius crimina per aliquem iudicanda. Et si dicatur, quare antequam fuisset cognitum, an esset papa concilium voluit quod ipse auctoritatem præberet concilio, vt tex. est 17. *di.* §. *hinc etiam*. cum adhuc non esset certum, an esset papa, & tamen concilium voluit, quod iudicaret causas ad papam pertinentes: respondeo, quod Symachus tempore litis motæ de papatu erat vel fuerat in quasi possessione papatus pacifica: ideo Domini de concilio Symacho reliquerunt ea, quæ ad pontificem pertinent, vt auctoretur concilio, & iudicauerunt quod eius auctoritate diceretur institutum. Nec obuiat tunc si dicitur, quando papa est in quasi possessione papatus, vt dixi, eidem competunt ea quæ papæ competunt, & sic debet iudicare in causa sua: quia illa argumenta, quod papa sit iudex in causa sua, sunt vera in aliis quã in ipsa causa, in qua contenditur de papatu: quia in illa merito potest dici suspectus & recusari, quia agitur de totali sua iurisdictione, in quam est pars & non iudex, vt notat Inno. in *c. ex parte, de verbo. signi.* Et ideo licet iudex alias, vbi de sua iurisdict. dubitatur, iudicet an sua sit iurisdictio, vt in *c. super litteris, de rescrip.* tamen quando dicitur suspectus, non iudicat, vel quando obiicitur ei exceptio excommunicationis, vel infamię, vt no. in *c. cũ super, de offi. deleg. & in c. suscitatus, de rescrip.* per Inno. sed superior est adeundus, quando recusatus est ordinarius, & dicitur quod sit excommunicatus vel infamis, 8. *q. 5. nõ re.* Ergo papa existens in quasi possessione papatus in omnibus iudex, præterquam in causa sua propria papatus, quia in illa causa cum dicatur non papa & suspectus & dicatur Apostaticus & excommunicatus, non est idoneus iudex, iuxta no. in *l. quidam consulebat, de re ind.* Et quia omnia iura, quæ dicunt papam iudicem suæ causæ, loquuntur cum est certum quod est papa: sed quando in dubium reuocatur, an sit papa, quod talis se papam reputans sit iudex, vbi de causa ipsa papatus disceptatur, non inuenitur iure cautum: immo omnia iura dicunt, quod tunc est iudex concilium. & idem, quando est in quasi possessione papatus, & contenditur quod nõ sit papa ipse in quasi possessione existens, tunc est iudex concilium, non ipse, vt probat tex. in *cap. 1. de scisma.* nam ibi Octauianus & Guido iudicati sunt scismatici in *concilio Lateranens.* vt ibi patet in *superscriptione.* Ad idem 79. *di. cap. si duo.* & præsertim quando esset inter duos contentio, & quilibet haberet Christianorum partem non modicam. Nam cum sit tunc fundamentum incertum, in quo

Digitized by Google

papatus consistat, & quis sit vicarius Iesu Christi, erit tunc iudex concilium, non autem aliquis ipsorum, maximè quia quilibet dissentiret de alio, & quilibet esse vellet ille talis qui papã se diceret, & de sua causa iudicaret. Non obuiat si dicitur, quod etiam vbi causa papatus agitur, ipse existens in quasi possessione papatus, debet esse iudex, vt probat tex. 21. *di. nunc autem*, vbi contendebatur cum Marcellino quod hæresim commisisset, & tamen ipse de se causam dixit, quia secundum aliquos, prout ibi refert Archi. illa dispositio fuit ex dispensatione. Et ideo ego dixi, tempore scismatis, quod volente concilio papa potest esse iudex causæ suæ, etiam hæresis. Sed concilio volente iudicare non est iudex papa. Alii autẽ dicunt, quod ibi papa prolapsus fuit in hæresim coacte, quia fuit coactus coactione conditionali: & ideo nõ amisit papatum ipso iure, sed fuit excusandus, sed ex humilitate ipse Marcellinus seipsum deposuit. Alii, vt Hugutio, sentiunt quod papa pro hæresi deponitur, quando hæresim suam pertinaciter asserit: sed vbi non asserit pertinaciter, sed vult emendari, eius emenda præmittenda est, & ipse est iudex causæ propriæ, arg *c. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. Et hoc modo possunt intelligi ea, quæ dixi supra in quæstione *an propter hæresim perdat papatum*, dum dixi de Apostolis, quod ex eo quod non crediderint in Christum tempore passionis, non perdiderunt Apostolatum, quia in tali incredulitate non persiterunt pertinaciter: & similiter Aaron non perstitit pertinaciter, & omnes fecerunt metu. Non ob. de Iuda, quia ipse statim perdidit Apostolatum non sacerdotium, quod habuerat cum aliis in die cœnæ: quia caracter sacerdotalis est indelebilis & retinetur etiam ab hæretico, vt nota. in *c. degradatio, de pœni. in* 6. Item si dicitur, quare Iudas non fuit punitus? Respondetur, quod eius hæresis erat occulta, quæ licet eum depositum ipso iure faciat, tamen dum toleratur, eius gesta seruanda sunt, vt *de re. indi. c. ad probandũ.* fallit in sententia excommunicationis, quæ non valet etiam lata ab excommunicato occulto, vt no. 24. *q.* 1. *in summa*, & no. glo. in *c.* 2. *de ordi. ab epi. qui renunci. epi.* Similiter respondetur an hæresim faciendorum, quod credidissent prius erat occultum, & similiter quod postea negassent, & ideo Christus dum tolerarentur eorum sententias tolerauit. Ad illud quod matrimonium spirituale sit fortius; ergo sicut non dissoluitur carnale per hæresim, ita nec spirituale, facilis est responsio quia fortius est spirituale, id est, dignius: sed fortius est carnale, quod non dissoluitur à papa consummatum carnali copula nec per hæresim. spirituale vero a papa dissoluitur etiam propter hæresim. Item quod Iulianus Imperator non fuerit depositus ipso iure, sed fuerit apostata, respondetur quod depositus erat, sed fuit ab ecclesia toleratus propter scandalum euitandum, vt ibi no. *in glo.* & ad illud de Salamone dici potest, quod non fuit toleratus, quia non fuit qui de ipso iudicium diceret: & idem de aliis regibus veteris testamenti: vel licet illud sic foret in veteri testamento, secus est in nouo. Ego tamen sic credo dicendum, quod aut papa prolabitur in hæresim iam damnatam scienter & voluntarie, & tunc sit priuatus ipso iure, vt 24. *q.* 1. *Achatius.* & 19. *di. Anastasius.* & tunc si vellet pœnitere, non euitat propterea pœnas depositionis, nec est iudex suæ causæ. ratio, quia iam dignitatẽ perdidit ipso iure, nec ex pœnitentia ipsam pœnam tollit, *l. qui ea mente ff. de fur.* Nec concilium posset ei pœnam remittere, quia ad concilium non spectat papam eligere, nec ipsius depositio, vt dixi supra in quæstione *quis papam eligit.* est enim sententia iure lata dicto *c. Achatius.* vnde non est opus alia sententia, nisi declaratoria, eum talem hæresim incidisse, vel talem esse pœnã pro hac hæresi. Si autem non voluntarie sed coacte, & tunc si coactione præcisa, vt quia per vim imponitur sibi thus siue thuribile thuris in manibus violenter ducitur ad ara idolorum, & per vim aperiunt manus, & faciunt cadere thura reclausa in manibus super ignem, & tunc nullam pœnam meretur, quia nullus fuit consensus, *de baptis. c. maiores §. alia vero.* Si autem idolis thurificauit metu cadente in constantẽ virum & coactione conditionali, & tunc quia peccauit consentiendo, quia coacta voluntas est voluntas, *l. si mulier. §. si metu. ff. quod metus causa*, & quia metus non causat omnino inuoluntarium, & sic non excludit electionem, quin hæreticus sit: & ideo tunc puniendus est, quia quis potius debet omnia mala pati quã malo consentire, iuxta sententiam Apostoli. *Matth.* 11. *qui negauerit me coram hominibus, negabo ipsum coram patre meo.* Et quia licet corde credat, qui coacte aliud dicit, tamen ipse peccat nec excusatur, quia, secundum Augustinum super verbo Apostoli ad Romanos 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Et ideo si non confitetur ore quis propter timorem veram fidem, talis peccat, nec salutem habere potest.* quæritur oris confessione: & igitur volens habere cum Deo pacem nõ aliud profiteatur ore quam corde credat: quia vbi infideles insultant contra nomen Christi, confiteri [illegible] quæ sunt fidei est de necessitate salutis, & ad hoc potissime tenetur papa, & alii de ecclesia, quorum confessione alii fideles audaciores fiunt, vt habetur ad Philippenses. primo, ibi, *scire volo vos fratres.* papa igitur propter timorem hæresim incidens non euitat peccatum: sed non est priuandus propterea papatu, vt dicto *c. nunc autem*, si eum pœnitat, 24. *q.* 4. *dixit Apostolus*, & *c. qui in ecclesia* [illegible] 24. *q.* 1. *c. hæc est fides.* quod patet in Petro, qui Christum timore negauit, sed pœnitentia reuixit, [illegible] Apostolis & papa remansit siue fuit. Et ideo Augustinus super illo ad Romanos 9. *Petrus lachrymis diluit quod ore negauerat.* Et idem quando ignoranter prolabitur in hæresim, vt dicto *ca.* [illegible] *stolis d. xii.* Si autem hæresis non erat damnata, sed erat quid perturbans statum ecclesiæ vniuersalis, & cadebat ex obstinatione tandem in hæresim, tunc si sponte confitetur papa errorem, & retrahit se ab inceptis, nec insistit in ipso pertinaciter, tunc ei parcendum est, *dicto c. nunc autem*, secundũ Hugutionem. Et nota, quia dico, *quando sponte confitetur*: quia si iam ductus in iudicio timore priuationis vellet à tali opinione recedere credo quod tamen damnari deberet: quia hoc non dicitur

facere

Digitized by Google

facere sponte, quod facit metu pœnæ. dico igitur, quod damnari deberet vt pontificatu priuaretur, inde deberet reconciliari, vt *l. manichæos, in fine. C. de hæreticis*. quia ex dispensatione potest clericus in hæresim prolapsus dimitti in iam habitis ordinibus ministrare, vt no. *1. q. 1. omnis, & eadem causa. q. fi. c. saluberrimum*. & isto casu posset concilium cum ipso dispensare, vt in papatu resideret se sponte sed non metu pœnæ iam conuictus, vt in *c. ad abolendam, de hæreti.* Item non obstant illa, quod maior sit papa quam concilium, & quod maior non debet ab inferiori iudicari, & quod maior sit sententia papæ quam concilii: quia hæc sunt vera, præterquam cum agitur causa fidei vel boni vniuersalis ecclesiæ: tunc est maior sententia consilii quæ errare non potest, quam sententia papæ: & maius concilium quam papa, vt notat glo. & Doc. in *c. sicut 15. di.* de hoc tamen dicam infra in *prima quæstione*. Vnde non posset reuocare papa constituta concilii in factis fidei, vel vniuersaliter reuocare quæ statuta sunt pro bono vniuersalis ecclesiæ. ideo non posset priuare vniuersaliter omnes episcopos, vel amore ordinem episcopalem, *8. q. 3. c. per principalem*, & ibi glo. & licet ibi dicatur etiam, quod vbi agitur causa sua, ipse auctoratur concilio, hoc est verum eo existente in quasi possessione papatus, vt *17. di. hinc etiam*: & volente subiicere se. sed si nollet, tunc non esset supra conciliu, vt dicam in proxima quæstione *quis tunc debet conuocare concilium*. Et ex istis est responsum, quod nec iste est iudex causæ suę, nec ista causa remittitur Dei iudicio, sed à concilio papa iudicandus est.

CAPITVLVM XXII.

NVnc restat respondere ad ea quæ dicuntur de collegio cardinalium & ad capitulum *vbi periculum §. hisdem quoque, de elec. lib. 6.* quod dicit, quod *collegium cardinalium habet iurisdictionem papæ in arduis occurrentibus*: & sic videtur habere iurisdictionem papæ, cum est papa hæreticus, vel ecclesia est quasi vacans: Est enim notandum, quod ille tex. loquitur in aliis negotiis, quam de prouisione papatus, vel de concernentibus papam vel eius personam, vt in illis aliis habeant cardinales iurisdictionem, quando est arduum periculum & eminens: & hoc vult textus ibi, dum dicit, *de alio negotio se non intromittant nisi aliquod grande periculum emergat*. ista generalitas & exceptio facta ab ista generalitate, quod prouideant cardinales, vbi est grande periculum, nō se extendit ad prouisionem fiendam de papatu vel eius persona, quia de illa specialiter fuit dictum, vt procedant ad electionem, arg. *l. stipulationes commodissimum, & l. doli clausula, de verbo. oblig. l. sanctio legum. Digest. de pœn.* vnde in aliis arduis negotiis, quam de prouidendo in causis papatus, habent potestatem vel iurisdictionem, cum imminet graue periculum, & in prouisione papatus habent solum determinare personam papæ. vnde non possent cognoscere de eius hæresi, & declarare ipsum hæreticum & perdidisse dignitatem. Item nec possent iudicare de electione eius, an fuisset canonica, vel inter duos de papatu contendentes, vel de aliquo quem dicerent apostaticum: quia ista sunt omnia conciliis reseruata, dicto *cap. si papa 40. di. & 79. di. si quis pecunia, & c. si duo*: quia ibi in dicto *c. si quis pecuniam*: non tantum datur potestas cardinalibus, sed aliis clericis & laicis Deum timentibus, & sic fidelibus omnibus; qui nil aliud sunt quam concilium. & idem dicit textus in dicto *c. in nomine Domini 23. di.* & est iusta hæc dispositio, quia etiam potestas attributa cardinalibus in periculo maximè est, quando omnibus nemine discrepante videretur. vnde graue esset, quod omnes forent concordes ad deponendum papam in hæresim prolapsum: cum raro sit quod papa non haberet aliquos attinentes cardinales. Concludo ergo quod collegium cardinalium sede vacante vel quasi vacante nullam habent iurisdictionem in papam vel de papatu siue potestatem, nisi quia sede vacante determinat eligendo ipsam personam papæ. Et ideo papa effecto dementi aut inutili aut infirmo, à Deo quod non possit administrationi papatus intendere, conciliū deberet dare coadiutorem, secundum casum *c. primi, de cleri. ægro. lib. 6.* non cardinales per prædicta. In aliis autem casibus sede vacante haberent potestatem vel iurisdictione papæ, vbi graue periculum immineret, & videretur omnibus cardinalibus celeriter occurendum. qui textus est notandus, quia etiam si casus esset periculosus, celeritas tamen multa non esset necessaria vel oportuna, tunc adhuc non haberent hanc iurisdictionem. Et ideo si posset haberi copia concilii in tali negotio, sicut in facto dubitationis papatus & non immineret celeritas, potius iurisdictio esset concilii. Ex quibus concluditur, quod quicquid habeant collegia alia sede vacante, quorum iura supra retuli, collegium autem cardinalium nullam aliam habet potestatem vel iurisdictionem papæ quam illam quam supra retuli: & quicquid attentant aliud, est irritum & inane, vt in *cle. ne Romani*, in verbo *irritum*, *de elec.* Vnde infertur, quod cognoscere de talibus quæstionibus pertinet ad concilium: quia istæ quæstiones nō est verum quod sunt præambulæ ad electionē, licet possibile foret quod eis determinatis electioni locus foret. Nec obuiat, si dicitur, dispositio capituli *vbi periculum in §. idem quoque*, est iuris derogatiua non correctiua siue arrogatiua, quia ipsam inter legem, quæ dicit quod cardinales nullam habeant potestatem vel iurisdictionem pontificis sede vacante, deroget præterquam vbi imminet periculum grauissimū vel perditionis terrarū ecclesię: & ideo cū sit derogatiua in his duobus casibus, videtur posse extendi ad alios casus identitatem rationis habentes, arg. *l. non possunt. ff. de legi.* & eorū quæ pulchre no. Bar. in *l. si constante. in nona quæstione ff. solu. mat.* Et probatur hæc doctrina per tex. in *cle. ne Romani. de electio. in ver. ea tamen*, vbi ampliat illam derogationem *c. vbi periculum in §. idem quoque*, derogantis legi dicenti quod cardinales non habeant iurisdictionem vel potestatem papalem vacāte sede, nisi in casu

Digitized by Google

grandis periculi, vt ibi ad casum, quando deficit camerarius, vel pœnitētiarii deficiūt. Et sic videtur, quod huiusmodi derogationes possint ad casus simile ampliarii, & quod possint de causa papat⁹ cognoscere, cum de ipso contenditur, cum hoc sit maximum periculū: quia respondeo, quod leges derogatoriæ nō possunt ampliari ad casum similē, quando sunt taxatiuæ, sicut in casu nostro: quia in solis casibus expressis in lege est derogatio permissa: nō ergo in aliis, præsertim in materia odiosa, vt *l. 2. de pa. qui fi. di.* Et idem cum sumus in materia nec fauorabili nec odiosa, sicut est nostra, quia tunc lex derogatoria taxatiua vel tantum cæteros casus contra legem promittentes nō extenditur, *l. iubemus, in fi. C. ad Trebell.* licet si esset materia omnino fauorabilis, extensio fieret ad aliū casum similē taxato & permisso, vt est tex. in *l. illud C. de sacrosan. eccle.* Idem quando casum vltra taxatu fieret extensio per aliam legē, *l. ob es, C. de prædi. mino.* & sicut in casu *cle. Romani. ver. eo tamen, de elec.* quia ibi extensio fit à lege. Et ideo papa posset sua lege in aliis casibus vacante sede vel quasi vacante dare iurisdictionem papalem cardinalibus, sed non hominis inferioris interpretatio vel extensio: & ideo cum, vt dixi, ampliando. §. *idem quoque*, fit in aliis casibus, vbi imminet grande periculum, quam cum contenditur de papatu, vel de ipso debet disponi, & in omnib⁹ aliis cardinales sunt prohibiti ab eo proposito, quod in casibus occurrētibus de papatu de iurisdictione vel potestate papæ, ipsi cardinales nihil poterūt exercere. & hoc dicitur in dicto *c. si quis pecuniā 79. di.* quia nō tribuit ibi potestatē solū cardinalibus ille tex. sed clericis ex episcopi fidelibus, qui sunt idem quod concilium. Fateor tamen, quod si renunciatio papæ esset notoria vel eius dispositio vel intrusio, quod non obstante eius negatione, cum per negationem res notoria non efficiatur dubia, vt in *c. tua nos, de coha. cleri. & muli.* cardinales ipsi tunc possunt procedere ad electionem, iuxta notata in *c. ex parte. el primo, de ver. sig.* per Inno. Et hoc quando talis in papatu præsidens non esset in quasi possessione papatus. nam si iam esset in possessione, an posset à cardinalibus electio fieri, subdam statim. Illud autem est certum, quod non sufficeret quod esset manifestus hæreticus, vt posset procedi ad nouā electionē ante sententiā, per not. in *c. cum secundum leges de hæretici in 6.* & infra dicam. Nō obstat illud quod cardinalibus in electione papæ funguntur iure metropolitani: & sic debent cognoscere de electione papæ, an sit canonica, sicut metropolitanus cognoscit an electio sui suffraganei sit legitima. Nam cardinales funguntur iure metropolitano large & improprie solum isto respectu, quia eorū electio habet vim electionis, & etiam confirmationis, quæ consueuerunt in electionibus requiri inferiorū: vt in *c. in nomine Domini 23. di. & in c. licet. de electio.* Et illud Deutronomii, quod ardua dubia debeatur per sacerdos Leuitici generis expediri, & sic per cardinales, vt in *c. per venerabilem. §. sed quia. qui fil. sint legi.* loquitur quando papa cum cardinalibus iudicat, vt possint tunc ardua dubia dirimere. Sed papa non potest vt in causa papatus, vt dixit, tunc sacerdotes Leuitici generis sunt omnes episcopi & concilium religiosorum clericorum. Vnde episcopi sunt, qui debent dici sacerdotes Leuitici generis, quia in ordine omnes episcopi sunt potentia pares papæ & ipsi sunt papæ fratres, vt in *c. quam graui, de cri. falsi.* Et quia ardua cernentia statum ecclesiæ vniuersalis vel fidem semper per concilia sunt terminata. Vnde Apostoli, quamuis haberent Petrum pontificem summū, in arduis fecere concilia, primum cum Mathiā elegerunt in locum Iudæ, *Actuum primo ca.* Secundo cum elegerunt Stephanum, *Actuum 6.* Tertiō quando quidam Pharisæorum dicebant adhuc oportere circumdari. nam electi sunt ex omni parte Apostoli ad tollendam seditionem hanc, *Actuum 15.* Item & ad tollendas obseruantias antiquæ legis, *Actuum 11.* & similiter propter sedandas hæreses semper hactenus sunt congregata concilia, vt partē discurrendo totam *16. di. & 17.* & in Historia Tripartita. & ideo concilium Africanum statuit, vt in omni ecclesiæ periculo conuocaretur conciliū, vt habetur in *capitulis dicti concilii c. 62.* Et quia actus illi, qui fiebant in primitiua ecclesia, concernebant bonum vniuersalis ecclesiæ ideo Petrus nō determinabat solus, sed cum concilio. Vnde clarum videtur, quod causę fidei, & vbi tractatur de bono vniuersalis ecclesiæ, ibi causæ illæ debeant per concilia terminari. Et ad omnia alia, quæ dicunt quod in collegiis vacante capite potestas deuoluitur ad maiores post caput, vel ad capitulum: Respondetur, quod fallit in cardinalibus, quibus est sublata potestas sede vacante, præsertim in dispositione papatus, vt dicto *c. vbi periculum, & dicta cleme. Romani.* Itē non obstat q̃ cardinales creāt papam, ergo debent posse eum dissoluere: cum potestas ipsa, licet sit à Deo, tamen facto ipsorum cardinalium, qui homines sunt: quia respondeo, quod non est papa à facto ipsorū cardinalium, qui homines sunt, solo, sed ipsius electi in suam electionem consentientis. Et ideo cardinales sine consensu suo non videntur eum posse priuare, quamuis eum eligant, vt in *c. si. 79. dis.* quia ipsi non dant sibi potestatem, sed Deus, licet ipsi personam determinant. Et fallit hic regula: *vnumquodque dissoluitur* &c. & ideo errant quidam, qui dicunt, quod si ecclesia non statuisset hoc prohibens cardinales, quod ipsi papam deponere potuissent, quia non est verum, per prædicta: quia papa habet à Deo, vt dixi, potestatem. Et quamuis habent facto hominis, non est facto ipsorum cardinalium solum, sed & ipsius, vt dixi, et consentientis electi. vnde concluditur, quod iudicare de pontificatu spectat ad generale concilium, non ad alios homines viuentes.

CAPITVLVM XXIII.

Sed ex prædictis tunc videtur insurgere perplexitas quædam indissolubilis, & aliud dubium maius, in quo explicabitur quarta quæstio: quia generale concilium non potest sine auctoritate conuocari, *2. q. 5. mandastis & q. 6. c. ideoque 17. di. multis. & §. hinc etiam, & per totam illam di. & in tota di. 16.*

& ipse

& ipse forsan nō vellet conuocare cōciliū, quia non est verisimile quod papa in sui honoris vilipendium velit concilium congregare vt priuetur; & alii non poterunt congregare, quia cum careret auctoritate sedis Apostolicæ, esset conciliabulum non concilium, 17. *di. multis.* & quod concilium debeat auctoritatem à papa suscipere, etiam vbi causa eius in ipso tractanda est. habemus expresse 17. *§. hinc etiam*, vbi concilium statuit quod Symachus papa auctoritatem interponeret concilio, quod pro causis ipsius papæ Symachi agendis fuerat conuocatum. idem textus 2. *quæstio.* 5. *mandastis*, vbi terminabatur Sixtus papa, & auctoritate ipsius Sixti Valentinianus Augustus concilium conuocauit. *Omnes enim clamant auctoritates sanctorum patrum, nullam synodum generalem ratam esse quæ auctoritate pontificis congregata vel suffulta non sit*: ita dicit tex. Isidori in quodam antiquo. c. canonum dicens: *Nec vllam synodum generalem ratam esse legimus quæ eius non fuerit auctoritate congregata vel suffulta.* facit 17. *di. regula*, & 3. *di. §. porro*, vbi est cautum, quod etiam legatus de latere non habet ius conuocandi concilium, nisi specialiter esset sibi demandatā concilii conuocatio, quādo eius celebratio est sibi commissa, per tex. *in c.* 1. *de iudi. li.* 6. & per regulam: *Qui vult consequens vult antecedens, l. ad rem mobilem. & l. ad legatum. de procu.* Sed si legatus non habet in speciali commissione conuocare vel celebrare concilium generale, ipse ex sua legatione non potest, sed solus potest papa. hoc statuunt canones, & Historia Ecclesiastica comprobat, & omnis mos & ritus antiquus confirmauit, 2. *q.* 6. *& ideo & q.* 5. *c. mandastis, & c. auditum.* Et est ratio, quia conuocatio debet fieri per maiorem de vniuersitate, *l.* 1. *& ibi no ff. de albo scrib. & C. de decu. l.* 1. *li.* 10. & 43. *di. à subdiacono.* no. Inno. in *c.* 1. *de maio. & obe.* & sentit Io. An. in *c. in causis & c. ecclesia & c. cum nobis de elec.* sed nullus est omnium fidelium maior papa post Deum: igitur ad ipsum debet competere conuocatio fidelium: præsertim quia in cōuocatione concilii prælati & fideles citantur. 17. *di. §. hinc etiam*, & ibi glo. in verbo *præcepisset.* vnde facultas hæc non videtur posse competere, nisi illis, qui incitatos habent superioritatem & imperium. *ff de iud. l. si quis ex aliena. l.* 2. *ff. si quis in ius vo. non ie.* no. in *c. super literis, de rescrip. & de dila. c. præterea.* & no. glo. prædicta in *§. hinc etiam.* Sed nullus habet imperium aut iurisdictionem super omnes fideles vniuersaliter, præterquam papa, 9. *q.* 4. *cuncta per mundum.* igitur nullus videtur posse cōuocare generale concilium, nisi papa. Item quia papa omnium Christianorū & ecclesiæ militantis est caput & pater, & omnes Christicolæ ad ipsum, vt ad caput & patrem, debent habere recursum, 17. *di. nec licuit* 9. *q.* 2. *cuncta per mundum.* & melius 24. *q.* 1. *rogamus.* Si igitur sine papæ licentia conuocatur, erit acephalum. i. sine capite, & erit quoddam monstrum contra naturam aliorum conciliorū, quæ constant ex capite primum, deinde ex aliis membris, 21. *dis. submittitur: &* 3. *di. §. porro. &* 18. *dist. c. quoniam & c. si episcopus & c. si quis episcoporum.* nam si à synodo vel generali congregatione prælatorum excluditur caput seu capitis auctoritas, eo ipso capitis & membrorum vnitas dissipatur & causatur scisma. Nā, vt dixi supra plures in omni iusta plurium congregatione quantumcunque parua vel magna necesse est vnum regulare & regere, alios vero regulari & regi, secundum Philosophum in *Politicis.* sed cōuocato concilio sine pontificis auctoritate non erit qui alios regulet & regat: & sic iustum non erit concilium, quod debet ex capite consistere & ex membris. Item quia si concilium conuocatur ab alio quam à papa, cum ipsum concilium sit collectio omnium fidelium, *de conse. di.* 1. *c. etiam.* & sic comprehendat papam, qui est fidelium caput, dicto *c. rogamus* 24. *q.* 1. patet quod talis conuocans iudicium & sententiam dicit de papa vel ipsum sibi submittit, vel inferiorem facit: quia cōuocatio est ab illo fienda, qui habet aliquam iurisdictionem vel auctoritatem supra vocatos, & in causa quare fit conuocatio, 18. *di. c. quoniam & c. placuit & c. si quis episcoporum.* 5. *q.* 2. *c. vocatio.* quod videtur de papa subiiciendo impossibile, cum ipse nulli viuenti sit inferior, nec à quoquam iudicetur: immo omnes ipsi papæ sunt subditi, & ipse omnes iudicat, & à nemine iudicatur, 9. *q.* 3. *c. facta. & c. cuncta per mundum*, & in tota illa quæstione: & probant omnia iura *proxima quæstione* relata. quare videtur, quod nullus nisi papa possit conuocare generale conciliū: & sic erit perplexitas: quia ipse papa nō volet plurimū conuocare conciliū, ne de ipso papa iudicium fiat: nec alius poterit congregare: & sic vana videtur talis iuris prouisio, quod concilium sit iudex in causis antedictis.

Item perplexitas adhuc videtur maior, cum dicitur, quod duobus contendētibus de papatu cōcilium debeat esse iudex: & ostenditur ab euidenti partium enumeratione. Nā aliquando erit contingens, quod ille solus erit in quasi possessione papatus, cui obiicitur quod non sit papa, vel quod ipsam perdiderit dignitatem: tunc ipse solus debebit conuocare concilium: quia, vt supra dixi, solus papa potest & debet conuocare, vel, vt sit validum, ipsi auctoritatem præbere. igitur ille solus, qui est in quasi possessione papatus, habet ius faciendi illa, quæ ad papam pertinent, vt in *c. consultationibus de iur. patro.* Et est expressum, quod conuocatio consilii & præstatio auctoritatis eius debeat fieri per existentē quasi possessione papatus, 17. *di. §. hinc etiam*, & dicto *c. mandastis* 2. *q.* 5. facit quod no. *de can. pos. & proprie. c. cum ecclesia. & c. cum olim*, vbi no. quod iuredictionalia exercentur tantum per existētē in quasi possessione iurisdictionis, *de iur. patro. c. ex literis. & de in inte. resti. c.* 2. no. 3. *q.* 6. *c. hoc quippe*, & ibi glo. in ver. *debeant.* ipse autem quod vocet concilium, vt de iure quod possidet papatus discrepetur, in quo esset possibile quod succumberet, non est verisimile. Et ista fuit ratio, qua iura statuerūt, quod quis non esset iudex causæ suæ, vt *l.* 1. *C. ne quis in sua cau. ius. di. & l. qui iurisdictioni. ff. de iurisdi. om. iudi.* ne propter priuatum interesse peruertere iudicium. & sic in casu nostro erit dispositio iuris elusoria: quia ipse non volet conuocare concilium, & alii non poterunt. Aliquando autem esse posset contingens, quod plures de papatu contenderent, & nullus esset in quasi possessione

Digitized by Google

modo diuisio dicitur, vt supra dixi. Si vero capis hæresim stricto modo, prout quis venit contra aliquem articulum fidei, tunc solum peccantes mortaliter vel excommunicati siue acephali, quamuis largo modo dici possint scismatici, non tamen sunt hæretici stricte capiendo hæresim pro errante in articulis fidei. Et ideo quando se aliqui solum à propriis episcopis separant, non erigentes altaria contra episcopum, isti non sunt suspensi ipso iure, sed suspendendi, vt no. Hosti. & Doc. *in c. 1. de scisma.* nec sunt hæretici hæresi stricte sumpta. idem si contra proprium episcopum inferiorem à Papa erigerent aduersa altaria, & sibi episcopatum constituerent, tunc non essent hæretici proprie: quia per hoc non venirent contra symbolum vel eius articulum, si aliis crederent vnam sanctam & Apostolicam ecclesiam, nec ab ea se dicerentur separare. Credo tamen quod isti non recognoscentes proprios episcopos vel etiam sacerdotes in percipiendis sacramentis, non essent parum suspecti de hæresi, vt no. in *c. omnes vtriusque sexus, de pœni. & remis.* & etiam si diu persisterent obstinati, hæretici vero censendi forent, vt infra dicam. Ille autem qui se ab vnione ecclesiæ scindit se extra ecclesiam ponendo, ex quo proprie & stricte scismaticus est an sit hæreticus hæresi stricto modo & proprie sumpta? Est attendendum, quomodo se diuidat. nam aliquando se principaliter scindit à Papa & ab ecclesiæ vnitate, nil aliud contra fidei articulos asseuerans, tunc iste talis à Papa diuisus, & si scismaticus proprie dici possit stricte etiam sumpto nomine scismatis, tamen à principio hæresis non dicetur, quia ex eo solo, quod se ab ecclesia vel à pontifice separet, non videtur tamen aliquid contra fidei articulos dicere vel asserere vt in hæresim prolabatur. potest enim velle esse diuisus, & tamen ecclesiam vnicam confiteri. & in hoc est differentia inter scisma & hæresim: quia hæresis est, quæ dicit peruersum dogma; sed se ab vnitate quis scindendo adhuc peruersum dogma non dicit, quia non obstante discessu esse potest quod credit vnicam Apostolicam ecclesiam. verum quia scismatici sui scismaticis verbis aut perseuerantia causas quærunt, quæ nullæ esse possint, nisi prophanæ & ab ecclesia condemnatæ, ideo postea temporis spatio scisma in propriam & veram hæresim prolabitur: quia non potest suam scissuram verbis aut factis defendere, nisi vel quia dicat quod salus extra ecclesiam possit esse, quæ conclusio ab ecclesia est pro hæretica iam damnata, 24. *q. 1. c. quoniam vetus, circa fi.* vel quia asseuerat duas esse posse vniuersales ecclesias, contra articulum *& in vnam sanctam catholicam.* ita intelligo glo. 7. *q. 1. c. non autem, in gl. 2. ad fi.* Et ideo bene dixit glo. quod inter scisma & hæresim est differentia, sicut inter genus & speciem: quia scisma est nomen generis, hæresis nomen speciei. vnde omnis hæreticus est scismaticus, sed non conuertitur: quia non omnis scismaticus est hæreticus, hæresi stricto modo sumpta. Item bene dixit, quod est inter hæresim & scisma differentia, sicut inter dispositionem & habitum, vt dicit glo. in dicto *c. inter scisma*: quia scisma est dispositio, quia disponit hominem ad hæresim, & postquam est inueterata transit in habitum, id est, in hæresim: quia scindendo se est suspectus de hæresi, non dico hæreticus, sed cum suæ diuisionis excusationes profert, tunc dicit hæresim, & idem persistendo. & hoc vltimum est notandum, quod diu persistendo quis in delicto de hæresi suspecto ille talis postea vere hæreticus dici potest. & hoc est notandum pro his quæ dixi de Papa peccante & scandalizante ecclesiam, & monito pertinaciter persistente, vt sit hæreticus.

Et ex istis deciditur secundum principale dubium, an Papa in scisma prolabi possit, vel ille qui secum de papatu contendit, aut ipse cum alio contendens. Primo dicam, si Papa solus in scisma potest prolabi. Secundo an & quando cum alio de papatu contendit.

SVMMARIVM.

Pontifex an in schisma prolabi possit: & quibus rebus schismaticus efficiatur.

CAPITVLVM XIIX.

PRimo dico, si capimus scisma largissime prout quis peccat mortaliter, ex quo ad Deum scismaticus efficitur, vt supra dixi, & tunc indubitanter Papa potest scismaticus fieri: quia Papa est homo & peccare potest. 19. *di. Anastasius,* 21. *di. nunc au. &* 24. *q. 1. Achatius.* quia nulla dignitas quem excusat à peccato, vt nota. *de voto. c. magna.* & quia subiectus est diuinæ legi & naturali, vt no. in *c. quæ in ecclesiarum, de consti.* Si vero quæritur, an possit esse scismaticus, quia excommunicatus, tunc non nisi in vno casu. ratio, quia excommunicationes sunt de iure positiuo, & ipse suis legibus vel prædecessoris non est suppositus, nisi de honestate, *l. princeps legibus. ff. de legi. & l. digna vox. C. de legi.* & supra dixi. Et ideo solum in causa hæresis ligatur excommunicatione prædecessoris ratio: quia, vt dixi supra ipso iure propter hæresim stricto modo sumptam desinit esse Papa, & est minor quolibet Catholico: ideo ligatur sententia prædecessoris, 24. *q. 1. c. Achatius.*

An vero Papa alio modo scismaticus fieri potest? & certe erigendo altaria contraria contra seipsum non potest, nisi forte alteri vellet constituere sedem suam omnino parem, & vellet vt in nullo recognosceret ipsum, & Romanam ecclesiam asserens duas esse posse ecclesias summas æque principales, tunc nedum esset scismaticus sed esset verus hæreticus, asserens contra articulum esse posse vltra vnam Catholicam ecclesiam, 2. *q. 7. non autem.* & ibi glo. quia etiam si Papa & concilium vellet duas esse ecclesias, non posset hoc constituere, vt no. glo. 7. *q. 1. capit. non autem.* Idem si assereret, quod extra Catholicam ecclesiam esse posset salus & se extra ecclesiam ponere vellet, quia tunc similiter esset nedum scismaticus sed hæreticus, vt supra dixi: vt puta si diceret apud alios esse debere sedem Apostolicam, vt puta apud Machameti sacerdotes, vel alibi illam vellet constituere: quia cum apud Romanam ecclesiam iure diuino constitu-

ta sit.

ta sit, sine Dei voluntate commutari non potest, vt supra dixi. & multo magis esset hæreticus, si diceret, esse posse ecclesiam apud alios quam apud successores Christi & ista est ratio, quare Græci scismatici sunt, & hodie hæretici: quia sedem primam dicunt esse apud Bisantium siue Constantinopolim, & patriarcham Constantinopolitanum summum esse sacerdotem, quod scisma fuit alias, sed fuit facta reconciliatio, & sedes Constantinopolitana, quæ erat quarta patriarchalis, facta fuit secunda, vt no. 22. *di. renouantes*, & in *c. antiqua, de priuil.* demum iterum tanquam canes & sues ad vomitus pristinos & voluptabra redierunt, & in errore primo persistunt, vt in iuribus no. ante dictis. istis modis Papam stricto modo scismaticum dici arbitror, cum solus est & competitorem non habet.

SVMMARIVM.

Pontifex de Pontificatu cum alio contendens; vel alius secum contendens de scismate; vel duo etiam non Pontifices inter se de Pontificatu contendentes; an dici Schismatici debeant; & an deponi propter hoc possent à Pontificatu.

CAPITVLVM XIX.

NVnc videndum restat, si contendens cum Papa de scismate, vel Papa de papatu cum alio contendens, vel duo etiam non Papæ inter se de papatu contendentes, dici scismatici debeant? De hoc videtur tex. in iuribus prædictis in *c. 1. de scisma, & 12. dis. hinc etiam*: quod quando contentio est de papatu inter legitimum Papam & antipapam vel Apostaticum, antipapa dici debeat Apostaticus & scismaticus, Papa vero debeat in papatu confirmari. Si vero duo sunt non Catholicæ electi, aut non papæ inuicem de pontificatu contendentes, tales vtique ambo videntur Apostatici & scismatici debere dici, per tex. in *c. si quis pecuniam, 79. di. & c. si duo.* prout ille tex. potest loqui in vno vel in duobus, quorum neutrum in papatu ius haberet ad idem tex. in *c. licet, de elect.* coniuncto *c. in nomine Domini. 23. dis.* vbi est tex. quod alter assumens, cathedram quam per Canonicam electionem, vt puta præsumptione, seductione aut quolibet ingenio, tunc est excommunicatus, cum omnibus suis actoribus & fautoribus; & sic antichristus & inuasor totius Christianitatis pœnas sibi statutas incurrit. vnde per hæc iura ista satis declarata videntur. mihi vero videtur dicendum: nam aut contendit Papa cum antipapa, qui se opponit Papæ sola elatione & superbia, nulla ductus iusta dubietate, sed tantum ambitione, tunc si potest hæc causa iudicio dirimi, Papa debet declarari Apostaticus & scismaticus. & idem de quolibet etiam solo sine iusta electione vel colorata minus Canonice intrante cathedram Petri. Si vero, qui se contendit pontificem colorato titulo ducitur adeo vt forsan propter facti & iuris dubium in eo sine vlla culpa sit probabilis error, tunc talis ex sola contentione papatus vel quod cum papa contendat non est scismaticus iudicandus: & pro hoc est nota. decisio Dini & Bar. in *l. si. ff. de adulte.* & in dicta *l. 1. §. cæterum. ff. de ventre inspicien.* & hoc modo intelligendæ sunt dictæ glo. 24. *q. 1. in summa. & capit. didicimus*: vt duo contendentes de papatu, quorum neuter sit Papa, vel vnus sit Papa & alter non, nullus eorum sit scismaticus, & minus hæreticus: & hoc quando ducti iusto errore papatum prætendant, & minus dici debet cum verius est Papa. Et idem forte sit culpa non dolus: nam & si de culpa foret puniendus, non tamen ipsum scismaticum iudicarem, iuxta notata per Bar. in dicta *l. si. ff. de adulte.* Et hæc dicto vera, quod ex sola contentione non esset hoc casu etiam contendens cum Papa scismaticus iudicandus. Sed si non solum de papatu contenderet, sed diu ipse & alius cum quo litigaret scissum teneret Christicolarum genus, quia vtriq; non modica Christicolarum pars pareret, etiam si alter esset Papa, vel simili modo habens papatuum coloratum titulum, & possent vias inuenire tollendi scisma, & nollet vel fingerent velle tollere & nō adimplerent conuocando concilium & renunciando si opus foret pro vnione habenda iuri prætenso vel vero, sed gauderet quisq; in sua parte scissa stare, tunc hoc casu tam ipsum contendentem quàm papam scismaticum & hæreticum iudicandum; quia, vt supra plene dixi, ecclesia vnica esse debet, & oportet quod habeat sponsum vnum non plures, & in sua vnitate permaneat, vt probant omnia iura supra deducta. & hanc vnionem summe deberent quærere & affectare omnes episcopi & ecclesiæ prælati, 24. *q. 1. c. loquitur*: & præsertim Papa, cui primum præ omnibus Christianæ religionis onus incubit, 24. *q. 1. cap. officii, & c. memor sum*, vbi tex. dicit, *intelligo mihi aliter non licere quam vt omnes conatus meos ei causa, inquam, vniuersalis ecclesiæ salus infestatur impendam.* Si ergo vias adinuenire non quærunt, forsan timentes ab eorum sedibus repelli, quia ab ipsis sedibus hoc casu pro bono ecclesiæ etiam verus Papa repelli potest, vt no. glo. singularis, 63. *di. si forte*, & infra dicam; tunc ex tali negligentia incurrant peccatum grauissimum: quia negligentia etiam in Papa est peccatum enorme, vt dicto *c. officii. 24. q. 1.* & grauius quam alii puniendi sunt, 25. *q. 1. nulli fas.* & ideo si moniti monitione euangelica, quæ etiam Papæ, vt dixi, peccantis. fieri potest, vt no. glo. 40. *di. si Papa. & 8. q. 3. nemo*, vt concilia celebrent, vel viam cessionis, & credendo vterq; papatui pacem inueniant propter sanctā vnionē, & ipsi contumaces persistāt & obstinati rebellent secutis etiam publicis monitionibus, quas fieri isto casu posse arbitror, cum tota scandalizatur ecclesia, & subuertitur bonum eius, tunc quilibet eorum si negligit vel, vt dixi, dissimulat, nedum scismaticus sed hæreticus est dicendus, vt no. glo. in dicto *capit. si Papa.* & supra conclusi. nec modo sunt discipuli veritatis; sed erroris Magistri, 2. *q. 7. nos si incompetenter*

& charitatem non habere conuincantur: quia si illam haberent, non dilaniarent corpus Christi quod est ecclesia, vt in c. *vbi sane* 24. *q.* 1. & ad cedendum & viam omnem inueniendam cedendi scismatis obligati existunt. Nam si Christus descendit de cœlis propter redimere gregem suum perditum, & mortem subiit temporalem, vt in *c.* 1. *de homici. li.* 6. quanto magis quisque in cathedra Petri præcipue verus summus pontifex curam debet habere gregis dominici, & ipsum perditum non solum redimere renunciando, sed & morti naturali se subiicien do, papatui vel per sortem lite ipsam dirimendo. Nam quemadmodum positæ fuerunt sortes, ne vestis dominica scinderetur, multo magis poni debent vt scissa reconcilietur. Si igitur in cathedra Petri vera vel prætensa residentes hæc ipsa non implent, etiam si iustam habebant causam litigandi, omnem viam reintegrationis & reconciliationis inueniendo, dici possunt vtique à fide alieni, 24. *q. fi. alienus.* & fallunt fraternitatē, & veritatem fidei perfida præuaricatione corrūpunt, vt dicto *c. loquitur.* 24. *q. fi.* quia iusta causa litigandi eos excusat, vt litigando scismatici non sint censendi, sed non releuat eos quin viā vnionis quærere teneantur. nam non solum Papa vel papatum prætendens teneretur omne conciliū & opus impendere, vt pax & vnitas in Dei ecclesia subsequatur, & inducta conseruetur, sed & omnis Christicola hæc ipsa summo opere debet quærere, vt omnes vnum cor simus & anima vna in Christo. Nam Christus non habitat in cordibus illorum, qui superbiæ singularitatem secuti à corpore Christi compage semetipsos abrumpunt, 24. *q.* 1. *audiuimus.* Et quia coniunctionem pacis & vnionem spiritus non obseruat, se ecclesiæ vinculo separat, & Christiani nomen habere non meretur, 7. *q.* 1. *nouatianus.* & quia Christus fundauit ecclesiam super Petram vnam, non tamen tanquam in se vnum sed in personam Petri nomen totius ecclesiæ, vt esset vna non plures, 24. *q.* 1. *loquitur.* tales igitur eam à sua vnitate scindentes, à fide deuiant, & deponi possunt, etiam Papa dummodo sit, vt dixi, à fide deuius, 40. *di. si Papa:* quia qui crimina, quæ emendare potest, non corrigit; ipse illa committere intelligitur, 23. *q.* 7. *preterea.* facit tex. in *c. error & in c. consentire*, 81. *di.* vbi tex. dicunt, quod qui potest errori occurrere & non facit, videtur ipsum fouore atque nutrire. & ideo hoc casu tales etiam si inter eos duos vnus eorum esset verus Papa, possent à concilio deponi tanquam hæretici & scismatici manifesti. immo plus credo, quod concilium verum Papam propter hoc scandalum, si aliter vnitas scismatis haberi non posset, vel sine scandalo materia ipsa transire non posset, ambos & etiam verum Papam deponere potest, etiam ipso in nullo scismate consiste, vt est glo. no. 63. *di. si forte*, quæ intelligit tex. *c. si duo.* 79. *di.* quando illorum duorum etiam vnus fuisset electus Canonice, vt per concilium deponi possit causa scandali extirpandi. Et ita tenet etiam litigatio Doctorum maximæ auctoritatis in dicto *c. si duo*, pro quibus videtur tex. cum ibi nota. 24. *di. renonuantes.* Nam propter scandalum sedandum Alexandrina sedes patriarchalis, quæ erat secunda; facta est tertia, & Constantinopolitana secundum locum legitime occupauit. Et ad hanc conclusionem est tex. in *c. nisi cum pridem*, §. *propter malitiam* & §. *pro graui quoque scandalo, de renuncia.* & notat Archi. 50. *di. c.* 1. vbi potest cogi episcopus ad cedendum pro graui scandalo sedādo, 7. *q.* 1. *c. episcopus de loco.* & *c. scias.* & ibi glo. fi. Et quamuis tex. ille non loquatur in Papa, idem est dicendum etiam de eo, per iura prædicta. præferri enim debet vtilitas publica priuatæ, & sententia multorum sententiæ vnius, 7. *q.* 1. *c. scias.* 8. *q.* 1. *in scripturis.* & ideo propter publicam vtilitatem potest quis propria te priuari inuitus, *l. lucius ff. de euic.* Et quia populus potest propter maximam totius populi vtilitatem & necessitatem regem deponere, vt notatur in *l. non ambigitur. ff. de legi.* & dixi supra in quæstione donationis constantini an valuerit. Non obstat si dicitur, potestas Papæ est de iure diuino & à Deo: ergo non potest ab homine tolli, *de transla. prela. c.* 1. 2. & 3. quia respondeo, quod quando concilium priuat Papam, potestas non aufertur Papæ ab homine sed à Deo, cum dispositio concilii fiat à Deo & spiritu sancto, qui ibi præesse censetur, vt dixi supra.

Et ex istis reassumo propositum, quod aut aliquis intrudit se in Apostolatu temerarie nullo iusto ductus errore, tunc talis scismaticus & Apostaticus est dicendus ipso iure anathematizatus, vt in *capit. in nomine Domini.* 23. *di.* coniuncto *c. licet, de elec.* Papa autem secum litigans ex solo litigio scismaticus non est censendus: vel quod in sua sede quanquam scisma persistat, vt dicto *cap.* 1. *de scisma.* Si vero intrusus in cathedra Petri aliquo iusto errore ducitur, qui eum etiam excuset à culpa, tunc talis non est scismaticus ex hoc solo, quod de pontificatu contendat, iudicandus, iuxta notata in dicta *l. fi. ff. de adulte.* Et idem si sit in sola culpa & non in dolo: quia licet de culpa puniri possit, vt ibi no. scismaticus tamen iudicari non debet, & minus Papa verus cum ipso contendens scismaticus debet dici eo solo, quod etiam in parte scissa papatum regat. sed si non solum papatum regant in scismate, vel mundum scissum tenent, sed etiam ipsi scisma nutriunt nolentes adhibere remedia, & non volentes vel fingentes & procrastinantes vnionem, & ad finem non producentes, tunc hos scismaticos iudico, etiam verum Papam, per iura antedicta. & si contingat in tali scismate ipsos inueterari, hæreticos censeo, iuxta no. 24 *q. fi. c. inter scisma.* sic intelligo istam materiā, quæ non fuit ita plene & vere dilucidata, cum de facto primum occurrit, quamuis infiniti excellentissimi orbis Doctores vtriusq; facultatis in ea rescripserunt.

Et per supradicta respondetur ad principale dubium, an propter scisma Papa possit à papatu deponi. Nam quando est scisma largo modo sumptum, prout Papa foret mortaliter peccans solum, tunc non esset deponendus, vt supra dixi, & est tex. 40. *di. si Papa.* sed si esset scismaticus, ita quod eius scisma prolaberetur in hæresim stricto modo sumptā, quod quando sit, patet ex supradictis, tunc deponendus esset, & esset eadem pœna, scismatis hæresis, quia hæreticus est. & ita vult Host.

Digitized by Google

Host.in *summa de scisma.* §.*qua pœna.ver.nec obstat*,& *in* §.*vnde dicitur.ver. differt autem.* & quod grauissime debet in quocunque scisma puniri, probatur Dei exemplo, qui Chore Datan & Abyron fecit viuos propter scisma per ipsos commissum à terra deglutiri, ita quod cum ipsis omnis eorũ substantia descendit ad inferos complicibus eorum igne consumptis, *Numeri* 16.*c.& 24.quæstio.1.c.non auferamus & 2.q.4.in prin.*& est tex.optimus, 7.*q.1.denique.* vbi etiam ponitur de scismate per illos Israel commisso contra filium Salomonis regem suum dimittendo & foris constituendo regem Hieroboam. Et de pœna hominis die, qui panem contra Dei præceptum apud ipsos manducauit. Item patet ibi, quomodo scismatici tanquam gentiles & hæretici sunt vitandi, quia Christus discipulis mandauit, vt non intrarent Samaritanorũ ciuitatem, quia & ipsi scismatici erant, immo iussit tanquam gentiles esse vitandos, cum dixit, *in viam gentium non abieritis.* alias autem pro nulla causa papa deponi posset, nisi forte propter scandalum concilium, vt eradicaret scisma, iudicaret pontificem deponendum. nam & tunc posse deponi, dicto *c.si duo* 79.*dis.*& ibi no. Hugutio. & notat glo. notabilis in dicto *c.si forte* 63.*di.*& multo magis ipse solus papa etiam non coactus à concilio deberet cedere, vt pacem populo Christiano & suo dulcissimo gregi tribueret, vt probant omnia iura ante deducta. sic (vt arbitror) hæc materia intelligenda est. illud autem certissimum est, quod naturali morte perditur pontificatus: quia mors omnia soluit, in *auth.de nup.in* §.*disponat.*

SVMMARIVM.

Pontificatum aliquo possidente, de eoque dicitur, quòd ipsum ex causis dictis amiserit, aut iure non retinet, vel quando sint plures de ipsa dignitate contendentes, quis tunc sit iudex, vel ipsemet, vel Collegium Cardinalium, vel Concilium.

CAPITVLVM XX.

HAbunde, vt arbitror diximus, quibus ex causis papa deponi possit, vel ipsam dignitatem perdiderit, siue perdat. Nunc dicendum superest, quis iudex est cum aliquis papatum possidet, & dicitur quod ipsum amiserit, aut iure non retinet, vel quando sint plures de ipsa dignitate contendentes.

Primum dicendum videtur, quod papa in quasi possessione papatus existente à nullo causa eius iudicari possit, tex. videtur in *c.licet, de elec.in fi.* vbi vult tex. quod si dubium foret an papæ electio canonica existeret, nullus iudex competens esset. & est ratio, quia hæc dignitas superiorem non habet nisi Deum, 9.*quæstio.3.facta.* cum si.ergo à solo Deo non ab humano iudicio videtur iudicandus. ideo iura omnia voluerunt causas papæ Dei iudicio esse dimittendas, & ipsum, non humano iudicio iudicari, 4.*quæstio.9.aliorum & 17.di.*§.*hinc etiam*, vbi concilium iudicium Symachi papæ solum Dei iudicio reseruauit, nec de ipso papa concilium iudicium dixit, quasi nec à concilio papa sit iudicandus, 9.*quæstio.3.c.nemo*, vbi tex. vult *primam sedem*, id est, papam, *non indicari aut ab Augustino aut ab omni clero, neque à regibus, neque à populo:* & ita decidit glo. 2.*quæstio.1.c.mandastis.* Et ideo dicere potest ipse papa, *quis me iudicat.* ita dicit glo. 79.*di.si quis pecuniam*, quasi dicat, nullus. Et huius dicti est ratio: quia papa est vicarius Christi & legatus Dei, vt in *cap.1. vt ecclesia bene.* & ipsius Dei in ecclesia personam repræsentat. ergo ab alio quam ab ipso, qui eum præfecit vicarium & legatum, iudicari non debet, vt 79.*di.c.electionem*: vbi electio summi pontificis est Dei iudicio reseruata. faciunt illa quæ infra dicam in quæstione, *quæ sit maior sententia papa vel concilii.* Et quia inferior superiorem non iudicat, 11.*di.cum inferior, de maio.& obe.cum inferior.* sed concilium & omnis homo viuens est papæ inferior. patet, quia papa concilio auctoratur, in quo omnium fidelium repræsentatio fit, *de consecrã.di.1.ecclesia.*& sine eius auctoritate, etiam si papæ causa ageretur, non instituitur concilium, 17.*di.*§.*hinc etiam*: vbi concilium statuit, ipsum debere dici auctoritate Symachi papæ accusati etiam congregatum, nota *eadem di.c.multis*,& est tex. *de elec.c.significasti*: ibi, *cum omnia.* & sic patet, quod nedum cuiuslibet fidelis est maior, 8.*q.3.cuncta per mundũ*, sed & ipsius vniuersalis cõgregationis. i. concilii, maior est ipse papa. Et ideo papa tanquam superior reuocat nonnunquam statuta concilii, vt est tex. 8.*quæstio.3.cap.cuncta per mundum. de consang.& affi.cap.non debet* 68.*di.cap.corepi.& in cap.sicut* 16.*di.& 17.di.cap.nec licuit*; & est tex. in *c.vbi periculũ, de elec.li.6.* nam illud c. à papa & concilio editum fuit per nonnullos solos summos pontifices reuocatum, & super eo nouæ constitutiones pluries promulgatæ, præsertim tex. *cle.ne Romani, in* §.*porro, de elec.* Nota Doc. in *c.proposuit, de conces.præbẽ.* Hinc est, quod dicitur, quod maior est sententia papæ quam totius alterius cleri, *de elec.significasti.in fi.* no.glo. 4.*di.in istis* 35.*q.8.c.veniã.* ibi, *Eustrasiũ vero*, & 24.*q.1.c.hac est fides.* Et quia si præbet cõcilio papa auctoritatẽ, sequitur quod ipso maior est: quia maior est qui auctoritatẽ præstat, quã ille cui præstatur. Et ita per hoc decidit glo. in *c.vbi periculũ*, in verbo *concilio, de elec.li.6.* Si igitur papa maior est concilio, sequitur quod à concilio nequeat iudicari. & propter hoc est statutum, quod quotiens de papa aut eius actionibus humanum iudicium exquirendũ est, ipse solus sit iudex causæ propriæ, etiam si esset redarguendus de hæresi, textus est. 21.*di.nunc autem*, vbi concilium statuit, quod Marcellinus de hæresi accusatus suo se, ore damnaret, nec à quoque iudicandus foret. Et ideo ibi dicit tex. quod concilium dixit eidem, *nolli audiri in no-*

Digitized by Google

ſtro iudicio ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam, & ex tuo iudicio iuſtificaberis, vel ex tuo ore damnaberis. Et idem ſubditur ibi, quod factum fuit tempore Sixti papæ & de cauſis & terroribus impoſitis ipſi Sixto papæ. Et ibi ponit etiam Archi. formam ſententiæ, quia debet dicere: *Ergo talis papa infœlix commiſit tale ſcelus, ideo me iudicio deponendum.* ad idem *l. & hac Tyberius. Digeſt. de hære. inſti.* vbi eſt tex. quod non recognoſcentes ſuperiorem eſſe poſſunt ſi volunt iudices in cauſa propria: no. in *l. 1. C. nequis in ſua cauſa ius di. cum veniſſent*, vbi colligitur quod poteſt eſſe ſi vult iudex in cauſa propria de abſoluta poteſtate. & ita no. Inno. de omni non recognoſcente ſuperiorem de verbo *ex parte*, & Bar. *Digeſt. de iuriſdi. om. iudi. l. receptum.* ſed de ordinata poteſtate debet alteri committere, dict. l. eſt receptum. Et ideo Imperator cauſas fiſcales committit procuratori fiſci; vt *C. vbi cauſa fiſca. l. ad fiſcum. & l. ſi ea. C. de his quibus vt indi.* vbi eſt tex. quod ſiue agat ſiue conueniatur fiſcus, eſt procurator fiſci iudex mandato principis. Et papa etiam alieno ſe ſubmittit iudicio 2. *quæſtio. 7. nos ſi incompetenter, & de re iudi. ad Apoſtolica lib. 6.* Et ideo etiam ſe ſubmittit in foro contentioſo, vt priuari poſſit, *63. di. in Synodo*, & ibi glo. no. & in dicto *cap. nos ſi*, & dixi ſupra in quæſtione, *an papa poſſit renunciare papatui.* Ex quibus tum quia cauſæ papæ ſolo Dei iudicio committendæ ſunt, tum quia ſi humano iudicio trutinantur, ipſe debet cauſæ ſuæ iudex eſſe, vel ille cui papa commiſerit: videtur concludi, quod nullus alius huius cauſæ iudex eſſe poſſit. Et quia ſi in illo, de quo papa quæritur iudicari, *ipſe papa à Deo toleratur & non iudicatur, quanto magis debet ab aliis tolerari?* vt Auguſtinus inquit. & hoc patet in eccleſia militante, quæ tolerauit annis ſex Tyberium papam hæreticum, & tunc fuit depoſitus de facto Fœlix papa Catholicus per Conſtantinum Imperatorem, vt refert Chronica Martiniana, & Vincentius Belluacenſis. Item quia nullus iudicauit Petrum filium Dei abnegantem, niſi Chriſtus, qui eidem pepercit, poſtquam conuerſus plorauit. In contrarium videtur quod vbi fidei cauſa agitatur, ibi ſit iudex concilium & non papa: tex. videtur in *cap. Anaſtaſius 19 di.* vbi Anaſtaſius papa, quia ſolus communicauit in hæreſi & hæreticis iam damnatis, ſine conſilio epiſcoporum & clericorum nutu, Dei iudicio percuſſus eſt & pro hæretico habitus. Si ergo cum voluntate concilii communicaſſet, non fuiſſet hæreticus. ex quo patet, quod maior eſt ſententia concilii quam papæ in cauſa fidei: quia hæc numeratur inter cauſas, in quibus orbis maior eſt vrbe, *93. di. legimus.* Et quando agitur de ſubuerſione ſtatus totius eccleſiæ: nam tunc eſt concilium ſupra papam, *15. di. ſicut.* facit quod no. Inno. *de conſue. quanto*, & dicam *infra quæſtio. 1.* Et ideo non poſſet papa priuare omnes epiſcopos, 8. *quæſtio. 5. per principalem.* & de hoc videtur tex. 15. *di. cap. ſicut, in fi.* vbi papa dicit, quod *quæ vniuerſali conſenſu conſtituta ſunt, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere quos religant, aut ligare quos abſoluunt.* vnde papa non poſſet iudicare id non eſſe hæreticum, quod concilium hæreticum iudicaſſet, vel id eſſe damnatum pro hæreſi quod concilium non hæreticum ſtatuiſſet. facit 24. *quæſtio. 2. cap. ſane, de ſecundo*, ibi, *& ſequi in hoc doctrinam ſanctorum patrum.* vnde negari non poteſt, quin in cauſa fidei non ſit maior ſententia concilii quam pontificis. Et quod in fidei cauſa concilium pontifice non ſit maior. & ita dicit glo. in dicto *cap. ſicut, in fi. 15. di.* Et eſt ratio, quia (vt pluries dictum eſt) papa eſt homo, & contra fidem male ſentire poſſet, vt dicto *cap. Anaſtaſius, & 24. quæſtio. 1. Achatius.* quod inconueniens in vniuerſali eccleſia non poteſt contingere: quia ipſa errare non poteſt, 24. *quæſtio. 1. a recta.* quia orauit redemptor noſter pro eccleſia, ne deficeret ſua, 21. *di. c. 1. quia redemptor ipſe voluntate labiorum ſuorum non fraudabitur*, vt dicit glo. in dicto *cap. a recta*, & no. Io. An. poſt Hoſtien. in *cap. à nobis, el ſecundo, de ſen. excom.* quia fides vniuerſalis eccleſiæ non eſt à ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, *ad Corinth. 2.* quod tamen qualiter intelligatur dicam infra in *pe. quæſtione.* Et quod in cauſis papæ, quas cum aliis habet de pontificatu vel fide, iudex ſit concilium eſt tex. 17. *di. §. hinc etiam*, vbi tex. eſt quod concilium remiſit cauſas Symachi papæ Deo terminandas, & aduerſariis papam criminantibus ſententiam dixit, Et quia catholicum Symachum inuenerunt eum declararunt alieno non ſubiici quam Dei iudicio: & ideo cauſas eius aliorum vim criminum Dei iudicio remiſerunt, & alios aduerſarios damnauerunt. Ecce ergo tex. quod concilium in cauſis papæ iudex eſt competens, vt etiam eſt tex. 2. *quæſtio. 7. §. item Symachus*, vbi concilium iudicans inter Symachū & ipſum accuſantes primum decreuit ipſum Symachum pontificatu ſpoliatum eſſe reſtituendum. ſed quia fuerat Symachus ab æmulis impeditus nō veris accuſatoribus, vt tex. ibi declarat, obtinuit eius cauſas per concilium ſoli Deo remitti, vt probat tex. in dicto *§. item Symachus 2. quæſtio. 7.* coniuncto tex. 17. *di. §. hinc etiam.* & quod in cauſa fidei papa alieno ſubiaceat iudicio, eſt tex. 40. *di. ſi papa*, vbi tex. dicit, quod ſint pontificis crimina ſcelerata quantum poſſunt, nullus ipſum iudicat, niſi deprehendatur à fide deuians. cum igitur à fide deuiat, alieno iudicio ſubeſt. Sed nullius iudicio commodius ſubeſt quam illius qui errare non poteſt, videlicet concilii & ipſorum quorum intereſt principaliter, videlicet omnium fidelium, qui nil aliud ſunt quam concilium: quia ex integritate præſidentium ſalus omnium ipſorum fidelium dependet ſubditorum, 61. *di. miramur.* facit 96. *di. c. vbi.* Ex hoc dicit tex. in dicto *c. ſi papa, in fi. 40. diſt.* & quia ipſorum intereſt omnium, omnes tali determinationi debent conuocari, vt in regula, *quod omnes tangit, de regu. iur. & c. vbi, & c. eccleſia 96. diſt.* item quia ſi concilium eſt iudex in cauſa fidei, & vbi turbatur bonum vniuerſalis eccleſiæ, & in connexis fidei erit iudex: ideo eſt in cauſa papæ iudex, quia de articulis eſt vnam eſſe ſanctam Catholicam eccleſiam, 24. *quæſtio. 1. loquitur.* & quia ipſa eſt vnum corpus myſticum debet habere caput vnū

ne

dicit quoddam monstrum, *qui fil. sint legit. per venerabilem*, & *de his quæ fiunt à præla. cap. nouit.* & sic in causa papatus erit iudex concilium, quia ibi agitur de bono vniuersalis ecclesiæ 4. *quæstio.* 1. §. *his omnibus.* & quod sit iudex concilium in causa hæresis papæ est text. in *cap. fraternitatis, de hæreticis.* Si igitur de capite est contentio, est de connexis articulis fidei contentio: ideo iudex est concilium, arg. *cap. translato, de consti. de iudi. cap. quanto*, cum similibus iuribus, dicentibus quod de connexis idem est iudicium: præsertim quia concilii iudicium maius reputatur, vt dixi papæ iudicio. Idem est etiam cum papa bonum turbat vniuersalis ecclesiæ, quod facere non debet, quia ipse debet quærere bonum vniuersalis ecclesiæ, vt 24. *q.* 1. *c. memor sum.* & 25. *q.* 1. *cap. quæ ad perpetuam.* facit 8. *quæst.* 1. § *his omnibus*, & ibi glo.

Et idem est dicendum, cum de papatu inter duos litigium vertitur, vt iudex concilium sit, quia tractatur potius de bono vniuersalis ecclesiæ, id est, de eius capite: quia non potest esse de papatu contentio sine perturbatione status vniuersalis ecclesiæ, textus videtur 79. *di. si duo*, vbi est textus quod *ille erit duobus de pontificatu contendentibus, quem diuinum iudicium vniuersitatis consensus elegerit.* ecce text. quod vniuersalis ecclesia, quæ idem est quod concilium, *de consecra. dist.* 1. dirimit lites papæ & nouum pontificem eligit. & ita determinat ibi glo. quod concilium iudex sit: quia committitur ibi vniuersitatis iudicio, id est, concilii, quia papa est pontifex omnium Christianorum, *de maio. & obe. solitæ, de transla. præla. cap.* 1. 2. & 3. idem quando qui præest in cathedra Petri dicitur esse apostaticus & per ambitum ipsum vsurpasse. nam cardinales cum aliis clericis & laicis Deum timentibus ipsum ab ecclesia expellunt, 79. *di. si quis pecuniam.* Sed cardinales & clerici & laici Deum timentes, id est, fideles, non sunt aliud quam concilium. ergo ibi est tex. quod quando papa dicitur apostaticus non Apostolicus, concilium in eius depositione & Anathematizatione iudicium interponit. Hoc idem Doc. sentiunt, quando contentio foret inter papam & cardinales, quia ipsi cardinales vellent alium eligere, dicentes papam sedi Apostolicæ renunciasse, & ipse contrarium asseueraret, vt iudex tunc sit concilium. ita no. Moderni in *c.* 1. *de renunci. li.* 6. & idem, in omni alia causa de papatu quæstio est, volunt Docto. Archi. & Io. An. quod iudex sit concilium, vt ipsi no. *de hæreticis cap. in fidei. lib.* 6. ratio, quia cum est contentio de capite, & est dubii probabilitas, non potest dici ecclesia plene & bene reformata, arg. *cap.* 2. *de transla. præla.* ibi, *sicut iusta.* sed potius dici potest quasi vacans, vt in *dicto c.* 2. sed cum ecclesia vacat vel quasi vacat, potestas videtur residere in ipsa totali ecclesia, quæ est fidelium congregatio, *de biga. cap. debitum, de elec. fundamenta. lib.* 6. sicut dicunt Philosophi quod regimen ciuitatis consistit pœnes congregationem ciuium vel ipsis congregatis partem potiorem, vt inquit est Philosophus 3. *Politicorũ c.* 8. item cum est contentio de papatu, hoc nõ potest esse sine scismate vt plurium: sed in causa scismatis debet esse iudex concilium, vt 15. *di. c.* 1. & *c.* 2. & idem vbi est scisma vel hæresis, 96. *di. nos ad fidem & cap. vbi.* Item quia sicut in depositione papæ propter hæresim non est iudex nisi concilium, 2. *q.* 7. §. *item Symachus* & 17. *di.* § *hinc etiam*, no. Io. An. & Archi. *de hæretici. c. in fidei, li.* 6. ita debet esse iudex concilium ad declarandum, quis sit verus papa, quãdo de hoc est dubium probabile inter duos forte litigantes. facit 40. *di. si papa.* & hoc videtur determinatum in *libro Conciliorum in fine concilii Macedoniensis*, ibi, *hoc enim & aliis fidem tangentibus hoc statutum est vt ad concilium recurratur.* Quinimmo videtur, quod soli cardinales iudices esse possint: quia cum præsertim papa in hæresim est prolapsus, & ipso iure dignitatem papalem perdidit, videtur quod iurisdictio papæ arduo casu in Dei ecclesia occurrente sit apud cardinales, vt est tex. in *c. vbi periculum.* § *hi quoq;, de elec. lib.* 6. & *in cle. ne Romani. de elec.* sed quod maius potest esse periculum, quam cum papa & caput ecclesiæ à fide noscitur exorbitare. Et ideo profecto hoc cognoscere debet ad cardinales pertinere. & quia vacante sede propter periculum animarum permissum est cardinalibus nouos pœnitẽtiarios creare, vt in *cle. ne Romani, de elec.* ergo fortius in casu isto concedi debet, vel cum papa est hæreticus, vel duo contendunt, quia licet extendere legem ad casum similem, *l. non possunt. ff. de legi.* hoc expresse probare videtur tex. in *c. si quis pecuniam* 79. *di.* vbi tex. dicit, quod *cardinales debent expellere intrusum in cathedra Petri & apostaticum & ipsum Anathematizare & deinde ad electionẽ procedere.* Et sicut hoc est in apostatico, idem videtur dicendum & de papa hæretico, vt cardinales eum damnent, & deinde ad alterius electionem procedant. ad idem tex. in *c. in nomine Domini.* § *si quis* 23. *di.* vbi nedum cardinales sed quilibet Catholicus insurgere potest contra talem intrusum, tanquam contra antichristum. Et idem cum notoria esset papæ spõtanea renuntiatio, vt cardinales non obstante eius inficiatione procedere possunt ad electionẽ nouã, iuxta notata per Inno. *de verbo. signi. c. ex parte, el primo, de censi. c. cum venerabilis.* Et idem cum est probabile dubiũ duobus de papatu contendentibus, quia tunc sedes dici potest vacare: cum paria sint non esse papam vel non apparere, *l. in lege, de contrahen. emp. & l. duo sunt titii. de testa. tute.* Et quia stante scismate ecclesia dicitur quasi vacare, vt no. in *c. cum vobis, de præscrip. & eodem ti. c.* 1. & dicitur quodãmodo morte vacare, no. in *c.* 1. *de scisma.* Item cum cardinales sint in quasi possessione iure eligendi papam, vt in *c. licet de elec. & in c. vbi periculum. de elec. lib.* 6. *& in cle. ne Romani, de elec. &* 23. *di. in nomine Domini.* ad eos omnia debent pertinere, quæ sunt vt necessaria & antecedentia electionem vel pro ipsa electione, vt in *cap. vt prætereta, de elec. lib.* 6 *& cap. cupientes.* §. *si vero, eodem titulo.* ad hoc 46. *dist. cap. si.* & ibi glo. in verbo *argumentum.* facit *de offi. dele. c.* 1. & etiam illud vulgare de quo dicitur: *qui vult consequens, vult antecedens, sine quo non peruenitur ad consequens, l. ad rem mobilem; & leg. ad legatum de procura.* Et ideo quemadmodum iuris dispositione Cardinales ius habent eligendi, & ita declarandi electioni locum fore: quia intruso in cathedra Petri ius papatus ipsi non competat, præsertim quia Cardinales in electione pontificis Metropolitani vice funguntur.

Digitized by Google

tur, vt est tex. in *cap. in nomine Domini 23. di.* Sed quemadmodum metropolitanus est iudex in causa, an episcopus canonice sit electus in Christum, ita collegium debet esse posse iudex an de papatu contendens verus papa sit. & in hoc sit maius collegium cardinalium, quam præsidens in cathedra Petri, cum de sua residentia probabiliter contenditur, cum ipsi tunc cardinales metropolitani vice fungantur. nam in his, quæ concernunt electionem papæ, collegium cardinalium repræsentat vniuersalem ecclesiam, & eius vice fungitur, glo. est no. 79. *dist. c. nullus. & ad sacerdotes Leuitici generis spectet de arduis dubiis diffinire*, vt est tex. in *c. per venerabilem, in versi. rationibus, qui fil. sint legit.* & dixi in *primo argumento primæ quæstionis* huius operis. sed quod posset esse dubium maius, quam cum de capite ecclesiæ contenditur, arbitrari non possum. Et nota quod dicit, *ad sacerdotes Leuitici generis*, & non dicit, *ad sacerdotem.* & ideo debet intelligi de sacerdotibus locum supremum tenentibus, sicut sunt cardinales, *l. 1. ff. de al. scriben.* facit quod notat Inno. in *c. 1. de maio. & obe. & in c. statuimus, & l. 2. C. de decu. li. 10. & de elec. c. in caussis & c. ecclesia. & c. cum à nobis*, vbi probatur, quod qui post papam sunt digniores, & retinent primum locum ipsi sunt qui hanc debent habere auctoritatem. & ita notat Io. An. in dictis iuribus. & ideo in *c. per venerabilem, versi. sunt autem*, dicit tex. quod sacerdotes Leuitici generis sunt cardinales, qui iure Leuitico in executione sacerdotalis officii assistunt papæ. & pro hac sententia faciunt omnia iura, quæ dicunt, quod quando ille, ad quem spectat iurisdictio, primo gradu est impeditus, quia forte captus ab hæreticis vel scismaticis, deuoluitur iurisdictio ad capitulũ vel ad gradũ sibi magis proximum. tex. est in *c. si episcopus, de supplen. negli. prælá. li. 6.* vbi dementi episcopo in remotis à Romana curia consistente prouidet capitulũ eius de Coadiutore: & sic papæ effecto dementi vel inhabili deberẽt de Coadiutore cardinales prouidere, ne periclitaretur ecclesia, & tamen sedes adhuc vacare nõ diceretur. & hoc probant omnia iura, quæ refert Hostien. & Io. An. in *c. 1. de scisma. in 6.* facit *c. his qui, in fi. de maio. & obe. & in c. 1. eo. titu. lib. 6.* facit *de elec. venerabilem, ver. nunquid.* facit *de offi. ordi. c. irrefragabili §. excessus. & l. vt perfectius. C. de annal. excep. & l. vbi absunt, ff. de tuto. & cura. da. ab his.* facit *c. eos. de tempo. ordi. li. 6.* hoc probatur in *c. 1. ne sede vacan. lib. 6.* vbi quando prælatus sua culpa priuatur, vt quia suspectus est, tunc ille in iurisdictione succedit, cuius consilio ipse prælatus debuit administrare. sed papa ardua debet facere cum cõsilio cardinalium, *6. q. 1. si quis cum militibus.* ergo cum cessat eius iurisdictio, quia hæreticus, debet esse iurisdictio apud cardinales. Item quia, vt dixi supra in quæstione *an papa possit renunciare*, licet dignitas papalis sit à Deo, tamen quod vnus magis quam alter sit papa est ab homine: & ideo electus papa est pontifex electione cardinalium: ergo ipsi eum causa subsistente videntur posse amouere, vt in *cap. 1. de regu. iur.* in antiquis.

Capitvlvm XXI.

EX quibus videtur concludi, quod agitur causa papatus siue ratione hæresis per pontificem commissæ, siue quia duo de probabili dubio pontificatus litigent, vel de ipsius renũciatione, vel vbi turbatur status vniuersalis ecclesiæ, aut cum agitur causa fidei vel illi connexa, iudex debeat esse cõsilium vniuersale aut sacrosanctum collegium reuerendissimorum dominorũ cardinalium. & quod cardinales deponant papam propter hæresim, notat Hugutio *63. di. in synodo.*

Quid igitur sit dicendum in hac quæstione? credo quod siue agatur causa hæresis cum papa, siue causa intrusionis, siue quia duo de papatu contendunt, semper sit iudex concilium. Et idem cum dicitur, quod non habuit duas partes cardinalium: quia tunc dicitur intrusus & non Apostolicus. & idem quando dicitur à cardinalibus, quod renunciauit. omnibus enim casibus, cum disputatur, an ipse sit papa vel non, iudex est concilium. Et ideo tex. in *c. si papa 40. di.* cum dicit, quod *papa à nemine potest iudicari*, excipit casum fidei, quando deuius est à fide, subdens quod *vniuersitas fideliũ tanto perpensius orat pro eo quantum post Deum salus fidelium ab ipso dependet.* Ecce quod orat pro eo vniuersitas fidelium, & sic concilium, *de consecra. di. 1. ecclesia*, quando ipse papa à fide deuiat. Sed oratio secundũ Augustinum in libro *de verbis Domini*, est quædam petitio. Et alibi dicitur, quod est pius mentis affectus directus in Deum, qui fit non solum verborum expressione, sed & sanctis & bonis operibus operando, vt no. per glo. & Doc. in *cle. 1. de reli. & vene. sanctorum.* vnde potest conciliũ operari tunc vel remouendo papam ab hæresi, vel vbi non posset ab hæresi remoueri, eum amouendo à papatu, quia sic extenuabit eius peccatum, ne sedens hæreticus in cathedra Petri infinitos secum trahat ad inferos, vt dicit tex. in dicto *c. si papa.* vnde ibi est casus, quod conciliũ iudicat in causa hæresis papæ, quia sic benè operando orat vel orabit pro eo, vt dicitur in *dicto cap.* facit *de elec. cle. ne Romani, in fi.* & ita videtur tex. in *d. c. Anastasius.* Idem cum duo de papatu contendunt, vt probat tex. in dicto *cap. si duo. 79. di.* & idem cum dicitur apostaticus, & in cathedra Petri intrusus, vt *79. di. si quis pecunia.* & probatur *2. quæstio. 7. §. item Symachus.* & benè ostenditur, quia cum est de papatu contentio, in hoc omnium fidelium salus dependet, vt dicit textus in dicto *cap. si papa.* igitur iudicare de hoc vel cognoscere ad ipsos homines debet fideles pertinere, dicto *cap. vbi 96. di.* Et melius hæc sententia patebit per responsiones ad contraria, in quibus apparebit, quod nec ipsemet papa iudex est in causa propria isto casu, nec collegium cardinalium, sed solum sacrosanctum concilium.

Non

Digitized by Google

Non obstant contraria. & primo ad *c. licet*, *in fine. de elec.* quod videtur dicere, quod electio papæ non subest alicuius iudicio, debet intelligi, præterquam vbi à iure expresse cautum est, quod de ipsa discutiatur, sicut est, quando dicitur, quod non habuit duas partes cardinalium; vel quod assumptus in papam sit fœmina, vel habeat alia impedimenta, quæ ipsi possint obiici, de quibus supra in quæstione *an aliqua exceptio contra ipsum proponi possit*: vel cum dicitur à fide deuius, 40. *di. si papa*: vel cum est notorius intrusus, quia non electus per cardinales, 79. *di. si quis.* nam de istis cognoscet concilium, per iura antedicta. sed si possent aliæ exceptiones, quæ haberent irritare alias electiones inferiorum; in iure autẽ non esset cautum, quod possent cõtra papam opponi, tales contra papam non opponerentur: quia non esset superiorum, qui iudicaret, vt dicto *c. licet*, quod sic debet intelligi. Nam dicit, quod ideo requiruntur duæ partes cardinalium, licet in aliis electionibus sufficiat maior pars, quia hæc electio non habet superiorem, qui iudicet de ea, subaudi, in exceptionibus, quæ contra alias inferiorum electiones opponi possunt, sed non tollit quin exceptiones cõtra hanc electionem permissas opponi non discutiantur. Et idem credo, quando esset papa toleratus aliquandiu, & postea obiiceretur si exceptio, quæ esset occulta & dubia, vt quia tolerato & illi qui in pacifica possessione stetisset aliquamdiu, obiiceretur, quod non habuit duas partes cardinalium, & esset exceptio dubia & occulta, & tunc nullus esset iudex: & ita loquitur *cap. licet*, quia tunc toleratur probabilis ignorantia. secus si esset suspicio supina & crassa, vt in *cap. ad probandum*, *de re iudic. lib. C. de senten.* 3. *q.* 3. §. *tria*. Et sic limita dicta doctorum dicentium, quod contra papam possunt opponi exceptiones prouenientes ex dispositione illius capituli, vt quia non habuit duas partes cardinalium, vel quod per ante se intrusit, vt hoc intelligatur, quando talis exceptio esset manifesta vel occulta, sed opposita antequam esset toleratus, vt de seipsa prius discutiatur: sed si esset occulta, & ipse iam toleratus, etiam isti non deberent admitti per viam exceptionis, nec aliquis tunc est iudex. Et nota quod dico, quando contra papam toleratum exciperetur de occulta exceptione: sed si ageretur contra eum, quod non esset papa, puta propter hæresim etiam occultam; vel quia esset apostaticus & intrusus, quod delictum habet instar hæresis, credo quod agi posset & esset iudex concilium, per nota. in dicto *cap. si papa* 40. *di.* Non obuiat illud, quod causæ papæ subiiciuntur Dei iudicio, nec concilium vel alius potest de eis iudicium dicere: quia illa iura loquuntur, quando est certum, quod sit papa, de aliquibus criminibus vel factis conuenatur. Sed quando est de papatu probabile dubium, tunc iudex est concilium, quia non constat quod sit papa ita vt eius causæ Dei iudicio remittantur. Nec ob. si dicitur etiam, quando est dubium de papatu, causæ papæ Dei iudicio remittantur, vt probatur 17. *di.* §. *hinc etiam*, vbi est tex. quod causas Symachi papæ concilium remisit iudicio Dei. Et licet, vt dixi non constet ibi, quod esset contentio de papatu; tamen in Chronicis legitur quod Laurentius quidam secum de papatu contendebat. nam respondeo, quod concilium ibi causas papatus determinauit, patet 2. *quæstio.* 7. §. *item Symachus*, vbi concilium iudicauit eum de papatu spoliatum prius restituendum: ecce quod concilium in causa papatus iudicium dixit. Sed quia Symachus repertus fuit fuisse esse verus papa, determinato prius iudicio papatus per concilium, demum concilium alia crimina, quæ Symacho obiiciebantur, remisit Dei iudicio: quia iam constabat eis de concilio, quod erat papa, & ideo non erant alia eius crimina per aliquem iudicanda. Et si dicatur, quare antequam fuisset cognitum, an esset papa concilium voluit quod ipse auctoritatem præberet concilio, vt tex. est 17. *di.* § *hinc etiam*. cum adhuc non esset certum, an esset papa, & tamen concilium voluit, quod iudicaret causas ad papam pertinentes: respondeo, quod Symachus tempore litis motæ de papatu erat vel fuerat in quasi possessione papatus pacifica: ideo Domini de concilio Symacho reliquerunt ea, quæ ad pontificem pertinent, vt auctoretur concilio, & iudicauerunt quod eius auctoritate diceretur institutum. Nec obuiat tunc si dicitur, quando papa est in quasi possessione papatus, vt dixi, eidem competunt ea quæ papæ competunt, & sic debet iudicare in causa sua: quia illa argumenta, quod papa sit iudex in causa sua, sunt vera in aliis quã in ipsa causa, in qua contenditur de papatu: quia in illa merito potest dici suspectus & recusari, quia agitur de totali sua iurisdictione, in quam est pars & non iudex, vt notat Inno. in *c. ex parte*, *de verbo. signi.* Et ideo licet iudex alias. vbi de sua iurisdict. dubitatur, iudicet an sua sit iurisdictio, vt in *c. super litteris*, *de rescrip.* tamen quando dicitur suspectus, non iudicat, vel quando obiicitur ei exceptio excommunicationis, vel infamię, vt no. in *c. cũ super*, *de offi. deleg.* & *in c. suscitatus*, *de rescrip.* per Inno. sed superior est adeundus, quando recusatus est ordinarius, & dicitur quod sit excommunicatus vel infamis, 8. *q.* 5. *nõne*. Est ergo papa existens in quasi possessione papatus in omnibus iudex, præterquam in causa sua propria papatus, quia in illa causa cum dicatur non papa & suspectus & dicatur Apostaticus & excommunicatus; non est idoneus iudex, iuxta no. in *l. quidam consulebat*, *de re iud.* Et quia omnia iura, quæ dicunt papam iudicem suæ causæ, loquuntur cum est certum quod est papa: sed quando in dubium reuocatur, an sit papa, quod talis se papam reputans sit iudex, vbi de causa ipsa papatus disceptatur, non inuenitur iure cautum: immo omnia iura dicunt, quod tunc est iudex concilium. & idem, quando est in quasi possessione papatus, & contenditur quod nõ sit papa ipse in quasi possessione existens, tunc est iudex concilium, non ipse, vt probat tex. in *cap.* 1. *de scisma.* nam ibi Octauianus & Guido iudicati sunt scismatici in *concilio Lateranens.* vt ibi patet in *superscriptione*. Ad idem 79. *di. cap. si duo.* & præsertim quando esset inter duos contentio, & quilibet haberet Christianorum partem non modicam. Nam cum sit tunc fundamentum incertum, in quo

Digitized by Google

papatus consistat, & quis sit vicarius Iesu Christi, erit tunc iudex concilium, non autem aliquis ipsorum, maximè quia quilibet dissentiret de alio, & quilibet esse vellet ille talis qui papa se diceret, & de sua causa iudicaret. Non obuiat si dicitur, quod etiam vbi causa papatus agitur, ipse existens in quasi possessione papatus, debet esse iudex, vt probat tex. 21. *di. nunc autem*, vbi contendebatur cum Marcellino quod hæresim commisisset, & tamen ipse de se causam dixit, quia secundum aliquos, prout ibi refert Archi. illa dispositio fuit ex dispensatione. Et ideo ego dixi, tempore scismatis, quod volente concilio papa potest esse iudex causæ suæ, etiam hæresis. Sed concilio volente iudicare non est iudex papa. Alii autẽ dicunt, quod ibi papa prolapsus fuit in hæresim coacte, quia fuit coactus coactione conditionali: & ideo nõ amisit papatum ipso iure, sed fuit excusandus, sed ex humilitate ipse Marcellinus seipsum deposuit. Alii, vt Hugutio, sentiunt quod papa pro hæresi deponitur, quando hæresim suam pertinaciter asserit: sed vbi non asserit pertinaciter, sed vult emendari, eius emenda præmittenda est, & ipse est iudex causæ propriæ, arg *c. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. Et hoc modo possunt intelligi ea, quæ dixi supra in quæstione *an propter hæresim perdat papatum*: dum dixi de Apostolis, quod ex eo quod non crediderunt in Christum tempore passionis, non perdiderunt Apostolatum, quia in tali incredulitate non persiterunt pertinaciter: & similiter Aaron non perstitit pertinaciter, & omnes fecerunt metu. Non ob. de Iuda, quia ipse statim perdidit Apostolatum non sacerdotium, quod habuerat cum aliis in die cœnæ: quia caracter sacerdotalis est indelebilis & retinetur etiam ab hæretico, vt nota. in *c. degradatio, de pœni. in 6.* Item si dicitur, quare Iudas non fuit punitus? Respondetur, quod eius hæresis erat occulta, quæ licet eum depositum ipso iure faciat, tamen dum toleratur, eius gesta seruanda sunt, vt *de re. iudi. c. ad probandũ.* fallit in sententia excommunicationis, quæ non valet etiam lata ab excommunicato occulto, vt no. 24. *q.* 1. *in summa*, & no. glo. in *c.* 2. *de ordi. ab epi. qui renunci. epi.* Similiter respondetur ad hæresim sacerdotum, quod credidissent prius erat occultum, & similiter quod postea negassent, & ideo Christus dum tolerarentur eorum sententias tolerauit. Ad illud quod matrimonium spirituale sit fortius; ergo sicut non dissoluitur carnale per hæresim, ita nec spirituale, facilis est responsio quia fortius est spirituale, id est, dignius: sed fortius est carnale, quod non dissoluitur à papa consummatum carnali copula nec per hæresim. spirituale vero a papa dissoluitur etiam propter hæresim. Item quod Iulianus Imperator non fuerit depositus ipso iure, sed fuerit apostata, respondetur quod depositus erat, sed fuit ab ecclesia toleratus propter scandalum euitandum, vt ibi no. *in glo.* & ad illud de Salomone dici potest, quod non fuit toleratus, quia non fuit qui de ipso iudicium diceret: & idem de aliis regibus veteris testamenti: vel licet illud sic foret in veteri testamento, secus est in nouo. Ego tamen sic credo dicendum, quod aut papa prolabitur in hæresim iam damnatam scienter & voluntarie, & tunc sit priuatus ipso iure, vt 24. *q.* 1. *Achatius.* & 19. *di. Anastasius.* & tunc si vellet pœnitere, non euitat propterea pœnas depositionis, nec est iudex suæ causæ. ratio, quia iam dignitatẽ perdidit ipso iure, nec ex pœnitentia ipsam pœnam tollit, *l. qui ea mente ff. de fur.* Nec concilium potest ei pœnam remittere, quia ad concilium non spectat papam eligere, nec ipsius depositio, vt dixi supra in quæstione *quis papam eligit.* est enim sententia iure lata dicto *c. Achatius.* vnde non est opus alia sententia, nisi declaratoria, eum talem hæresim incidisse, vel talem esse pœnã pro hac hæresi. Si autem non voluntarie sed coacte, & tunc si coactione præcisa, vt quia per vim imponitur sibi thus siue thuribile thuris in manibus violenter ducitur ad ara idolorum, & per vim aperiunt manus, & faciunt cadere thura reclausa in manibus super ignem, & tunc nullam pœnam meretur, quia nullus fuit consensus, *de baptis. c. maiores §. alia vero.* Si autem idolis thurificauit metu cadente in constantẽ virum & coactione conditionali, & tunc quia peccauit consentiendo, quia coacta voluntas est voluntas, *l. si mulier. §. si metu. ff. quod metus causa*, & quia metus non causat omnino inuoluntarium, & sic non excludit electionem, quin hæreticus sit: & ideo tunc puniendus est, quia quis potius debet omnia mala pati quã malo consentire, iuxta sententiam Apostoli. *Matth.* 11. *qui negauerit me coram hominibus, negabo ipsum coram patre meo.* Et quia licet corde credat, qui coacte aliud dicit, tamen ipse peccat nec excusatur, quia secundum Augustinum super verbo Apostoli ad Romanos 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Et ideo si non confitetur ore quis propter timorem veram fidem, talis peccat, nec salutem habere potest.* quæritur oris confessione: & igitur volens habere cum Deo pacem nõ aliud profiteatur ore quam corde credat: quia vbi infideles insultant contra nomen Christi, confiteri [illegible] quæ sunt fidei est de necessitate salutis, & ad hoc potissime tenetur papa, & alii de ecclesia, quorum confessione alii fideles audaciores fiunt, vt habetur ad Philippenses. primo, ibi, *scire volo vos fratres.* papa igitur propter timorem hæresim incidens non euitat peccatum: sed non est priuandus propterea papatu, vt dicto *c. nunc autem*, si eum pœnitat, 24. *q.* 4. *dixit Apostolus, & c. qui in ecclesia* [illegible] 24. *q.* 1. *c. hac est fides.* quod patet in Petro, qui Christum timore negauit, sed pœnitentia reuixit, [illegible] Apostolis & papa remansit siue fuit. Et ideo Augustinus super illo ad Romanos 9. *Petrus lachrymis diluit quod ore negauerat.* Et idem quando ignoranter prolabitur in hæresim, vt dicto *ca. Apostolis d. xii.* Si autem hæresis non erat damnata, sed erat quid perturbans statum ecclesiæ vniuersalis, & cadebat ex obstinatione tandem in hæresim, tunc si sponte confitetur papa errorem, & retrahit se ab inceptis, nec insistit in ipso pertinaciter, tunc ei parcendum est, *dicto c. nunc autem*, secundum Hugutionem. Et nota, quia dico, *quando sponte confitetur*: quia si iam ductus in iudicio timore priuationis vellet à tali opinione recedere credo quod tamen damnari deberet: quia hoc non dicitur

facere

Digitized by Google

facere sponte, quod facit metu pœnæ. dico igitur, quod damnari deberet vt pontificatu priuaretur, inde deberet reconciliari, vt *l. manichæos, in fine. C. de hæreticis*. quia ex dispensatione potest clericus in hæresim prolapsus dimitti in iam habitis ordinibus ministrare, vt no. 1. q. 1. *omnis, & eadem causa. q. 5. c. saluberrimum*. & isto casu posset concilium cum ipso dispensare, vt in papatu resideret se sponte sed non metu pœnæ iam conuictus, vt in *c. ad abolendam, de hæreti.* Item non obstant illa, quod maior sit papa quam concilium, & quod maior non debet ab inferiori iudicari; & quod maior sit sententia papæ quam concilii: quia hæc sunt vera, præterquam cum agitur causa fidei vel boni vniuersalis ecclesiæ: tunc est maior sententia concilii quæ errare non potest, quam sententia papæ: & maius concilium quam papa, vt notat glo. & Doc. in *c. sicut 15. dist.* de hoc tamen dicam infra in *prima quæstione*. Vnde non posset reuocare papa constituta concilii in factis fidei, vel vniuersaliter reuocare quæ statuta sunt pro bono vniuersalis ecclesiæ. ideo non posset priuare vniuersaliter omnes episcopos, vel amouere ordinem episcopalem, 8. q. 3. *c. per principalem*; & ibi glo. & licet ibi dicatur etiam, quod vbi agitur causa sua, ipse auctoratur concilio, hoc est verum eo existente in quasi possessione papatus, vt 17. *di. hinc etiam*: & volente subiicere se. sed si nollet, tunc non esset supra conciliū, vt dicam in proxima quæstione *quis tunc debet conuocare concilium*. Et ex istis est responsum, quod nec iste est iudex causæ suę, nec ista causa remittitur Dei iudicio, sed à concilio papa iudicandus est.

CAPITVLVM XXII.

NVnc restat respondere ad ea quæ dicuntur de collegio cardinalium & ad capitulum *vbi periculum §. hisdem quoque, de elec. lib. 6.* quod dicit, quod *collegium cardinalium habet iurisdictionem papæ in arduis occurrentibus*: & sic videtur habere iurisdictionem papæ, cum est papa hæreticus, vel ecclesia est quasi vacans: Est enim notandum, quod ille tex. loquitur in aliis negotiis, quam de prouisione papatus, vel de concernentibus papam vel eius personam, vt in illis aliis habeant cardinales iurisdictionem, quando est arduum periculum & eminens: & hoc vult textus ibi, dum dicit, *de alio negotio se non intromittant nisi aliquod grande periculum emergat*. ista generalitas & exceptio facta ab ista generalitate, quod prouideant cardinales, vbi est grande periculum, nō se extendit ad prouisionem fiendam de papatu vel eius persona, quia de illa specialiter fuit dictum, vt procedant ad electionem, arg. *l. stipulationes commodissimum, & l. doli clausula, de verbo. oblig. l. sanctio legum. Digest. de pœn.* vnde in aliis arduis negotiis, quam de prouidendo in causis papatus, habent potestatem vel iurisdictionem, cum imminet graue periculum, & in prouisione papatus habent solum determinare personam papæ. vnde non possent cognoscere de eius hæresi, & declarare ipsum hæreticum & perdidisse dignitatem. Item nec possent iudicare de electione eius, an fuisset canonica, vel inter duos de papatu contendentes, vel de aliquo quem dicerent apostaticum: quia ista sunt omnia conciliis reseruata, dicto *cap. si papa 40. di. & 79. di. si quis pecunia, & c. si duo*: quia ibi in dicto *c. si quis pecuniam*: non tantum datur potestas cardinalibus, sed aliis clericis & laicis Deum timentibus, & sic fidelibus omnibus; qui nil aliud sunt quam concilium. & idem dicit textus in dicto *c. in nomine Domini 23. di.* & est iusta hæc dispositio, quia etiam potestas attributa cardinalibus in periculo maximè est, quando omnibus nemine discrepante videretur. vnde graue esset, quod omnes forent concordes ad deponendum papam in hæresim prolapsum: cum raro sit quod papa non haberet aliquos attinentes cardinales. Concludo ergo quod collegium cardinalium sede vacante vel quasi vacante nullam habent iurisdictionem in papam vel de papatu siue potestatem, nisi quia sede vacante determinat eligendo ipsam personam papæ. Et ideo papa effecto dementi aut inutili aut infirmo, à Deo quod non possit administrationi papatus intendere, conciliū deberet dare coadiutorem, secundum casum *c. primi, de cleri. ægro. lib 6.* non cardinales per prædicta. In aliis autem casibus sede vacante haberent potestatem vel iurisdictione papæ, vbi graue periculum immineret, & videretur omnibus cardinalibus celeriter occurendum. qui textus est notandus, quia etiam si casus esset periculosus, celeritas tamen multa non esset necessaria vel opportuna, tunc adhuc non haberent hanc iurisdictionem: Et ideo si posset haberi copia concilii in tali negotio, sicut in facto dubitationis papatus & non immineret celeritas, potius iurisdictio esset concilii. Ex quibus concluditur, quod quicquid habeant collegia alia sede vacante, quorum iura supra retuli, collegium autem cardinalium nullam aliam habet potestatem vel iurisdictionem papæ quam illam quam supra retuli: & quicquid attentant aliud, est irritum & inane, vt in *cle. ne Romani*, in verbo *irritum, de elec.* Vnde infertur, quod cognoscere de talibus quæstionibus pertinet ad concilium: quia istæ quæstiones nō est verum quod sunt præambulæ ad electionē, licet possibile foret quod eis determinatis electioni locus foret. Nec obuiat, si dicitur, dispositio capituli *vbi periculum in §. idem quoque*, est iuris derogatiua non correctiua siue arrogatiua, quia ipsamminet legem, quæ dicit quod cardinales nullam habeant potestatem vel iurisdictionem pontificis sede vacante, deroget præterquam vbi imminet periculum grauissimū vel perditionis terrarū ecclesię: & ideo cū sit derogatiua in his duobus casibus, videtur posse extendi ad alios casus identitatem rationis habentes, arg. *l. non possunt. ff. de legi.* & eorū quæ pulchre no. Bar. in *l. si constante. in nona quæstione ff. solu. mat.* Et probatur hæc doctrina per tex. in *cle. ne Romani. de electio. in ver. ea tamen*, vbi ampliat illam derogationem *c. vbi periculum in §. idem quoque*, derogantis legi dicenti quod cardinales non habeant iurisdictionem vel potestatem papalem vacate sede, nisi in casu

Digitized by Google

grandis periculi, vt ibi ad casum, quando deficit camerarius, vel pœnitẽtiarii deficiũt. Et sic videtur, quod huiusmodi derogationes possint ad casus simile ampliarii, & quod possint de causa papat' cognoscere, cum de ipso contenditur, cum hoc sit maximum periculũ: quia respondeo, quod leges derogatoriæ nõ possunt ampliari ad casum similẽ, quando sunt taxatiuæ, sicut in casu nostro: quia in solis casibus expressis in lege est derogatio permissa: nõ ergo in aliis, præsertim in materia odiosa, vt *l. 2. de pa. qui fi. di.* Et idem cum sumus in materia nec fauorabili nec odiosa, sicut est nostra, quia tunc lex derogatoria taxatiua vel tantum cæteros casus contra legem promittentes nõ extenditur, *l. iubemus, in fi. C. ad Trebell.* licet si esset materia omnino fauorabilis, extensio fieret ad aliũ casum similẽ taxato & permisso, vt est tex. in *l. illud C. de sacrosan. eccle.* Idem quando casum vltra taxatu fieret extensio per aliam legẽ, *l. ob es, C. de pradi. mino.* & sicut in casu *cle. Romani. ver. eo tamen, de elec.* quia ibi extensio fit à lege. Et ideo papa posset sua lege in aliis casibus vacante sede vel quasi vacante dare iurisdictionem papalem cardinalibus, sed non hominis inferioris interpretatio vel extensio: & ideo cum, vt dixi, ampliando. *§. idem quoque*, fit in aliis casibus, vbi imminet grande periculum, quam cum contenditur de papatu, vel de ipso debet disponi, & in omnib' aliis cardinales sunt prohibiti ab eo proposito, quod in casibus occurrẽtibus de papatu de iurisdictione vel potestate papæ, ipsi cardinales nihil poterũt exercere. & hoc dicitur in dicto *c. si quis pecuniã 79. di.* quia nõ tribuit ibi potestatẽ solũ cardinalibus ille tex. sed clericis ex episcopi fidelibus, qui sunt idem quod concilium. Fateor tamen, quod si renunciatio papæ esset notoria vel eius dispositio vel intrusio, quod non obstante eius negatione, cum per negationem res notoria non efficiatur dubia, vt in *c. tua nos, de coha. cleri. & muli.* cardinales ipsi tunc possunt procedere ad electionem, iuxta notata in *c. ex parte. el primo, de ver. sig.* per Inno. Et hoc quando talis in papatu præsidens non esset in quasi possessione papatus. nam si iam esset in possessione, an posset à cardinalibus electio fieri, subdam statim. Illud autem est certum, quod non sufficeret quod esset manifestus hæreticus, vt posset procedi ad nouã electionẽ ante sententiã, per noti. in *c. cum secundum leges de hæretici in 6.* & infra dicam. Nõ obstat illud quod cardinalibus in electione papæ funguntur iure metropolitani: & sic debent cognoscere de electione papæ, an sit canonica, sicut metropolitanus cognoscit an electio sui suffraganei sit legitima. Nam cardinales funguntur iure metropolitano large & improprie solum isto respectu, quia eorũ electio habet vim electionis, & etiam confirmationis, quæ consueuerunt in electionibus requiri inferiorũ; vt in *c. in nomine Domini 23. di. & in c. licet. de electio.* Et illud Deutronomii, quod ardua dubia debeatur per sacerdos Leuitici generis expediri, & sic per cardinales, vt in *c. per venerabilem. §. sed quia. qui fil. sint legi.* loquitur quando papa cum cardinalibus iudicat, vt possint tunc ardua dubia dirimere. Sed papa non potest vt in causa papatus, vt dixit, tunc sacerdotes Leuitici generis sunt omnes episcopi & concilium religiosorum & clericorum. Vnde episcopi sunt, qui debent dici sacerdotes Leuitici generis, quia in ordine omnes episcopi sunt potentia pares papæ & ipsi sunt papæ fratres, vt in *c. quam grani, de cri. falsi.* Et quia ardua cernentia statum ecclesiæ vniuersalis vel fidem semper per concilia sunt terminata. Vnde Apostoli, quamuis haberent Petrum pontificem summũ, in arduis fecere concilia, primum cum Mathiã elegerunt in locum Iudæ, *Actuum primo ca* Secundo cum elegerunt Stephanum, *Actuum 6.* Tertio quando quidam Pharisæorum dicebant adhuc oportere circumdari. nam electi sunt ex omni parte Apostoli ad tollendam seditionem hanc, *Actuum 15.* Item & ad tollendas obseruantias antiquæ legis, *Actuum 11.* & similiter propter sedandas hæreses semper hactenus sunt congregata concilia, vt parte discurrendo totam *16. di. & 17.* & in Historia Tripartita. & ideo concilium Africanum statuit, vt in omni ecclesiæ periculo conuocaretur conciliũ, vt habetur in *capitulis dicti concilii c. 62.* Et quia actus illi, qui fiebant in primitiua ecclesia, concernebant bonum vniuersalis ecclesiæ ideo Petrus nõ determinabat solus, sed cum concilio. Vnde clarum videtur, quod causę fidei, & vbi tractatur de bono vniuersalis ecclesiæ, ibi causæ illæ debeant per concilia terminari. Et ad omnia alia, quæ dicunt quod in collegiis vacante capite potestas deuoluitur ad maiores post caput, vel ad capitulum: Respondetur, quod fallit in cardinalibus, quibus est sublata potestas sede vacante, præsertim in dispositione papatus, vt dicto *c. vbi periculum, & dicta cleme ne Romani.* Itẽ non obstat ꝙ cardinales creãt papã, ergo debent posse eum dissoluere: cum potestas ipsa, licet sit à Deo, tamen facto ipsorum cardinalium, qui homines sunt: quia respondeo, quod non est papa à facto ipsorũ cardinalium, qui homines sunt, solo, sed ipsius electi in suam electionem consentientis. Et ideo cardinales sine consensu suo non videntur eum posse priuare, quamuis eum eligant, vt in *c. si. 79. dis.* quia ipsi non dant sibi potestatem, sed Deus, licet ipsi personam determinant. Et fallit hic regula: *vnumquodque dissoluitur* &c. & ideo errant quidam, qui dicunt, quod si ecclesia non statuisset hoc prohibens cardinales, quod ipsi papam deponere potuissent, quia non est verum, per prædicta: quia papa habet à Deo, vt dixi, potestatem. Et quamuis habent facto hominis, non est facto ipsorum cardinalium solum, sed & ipsius, vt dixi, est consentientis electi. vnde concluditur, quod iudicare de pontificatu spectat ad generale concilium, non ad alios homines viuentes.

CAPITVLVM XXIII.

SEd ex prædictis tunc videtur insurgere perplexitas quædam indissolubilis, & aliud dubium maius, in quo explicabitur quarta quæstio: quia generale concilium non potest sine auctoritate conuocari, *2. q. 5. mandastis & q. 6. c. ideoque 17. di. multis. & §. hinc etiam, & per totam illam di. & in tota di. 16.*

& ipse

& ipse forsan nō vellet conuocare cōciliū, quia non est verisimile quod papa in sui honoris vilipendium velit concilium congregare vt priuetur; & alii non poterunt congregare, quia cum careret auctoritate sedis Apostolicæ, esset conciliabulum non concilium, 17. *di. multis.* & quod concilium debeat auctoritatem à papa suscipere, etiam vbi causa eius in ipso tractanda est. habemus expresse 17. *§. hinc etiam*, vbi concilium statuit quod Symachus papa auctoritatem interponeret concilio, quod pro causis ipsius papæ Symachi agendis fuerat conuocatum. idem textus 2. *quæstio.* 5. *mandastis*, vbi terminabatur Sixtus papa, & auctoritate ipsius Sixti Valentinianus Augustus concilium conuocauit. *Omnes enim clamant auctoritates sanctorum patrum, nullam synodum generalem ratam esse qua auctoritate pontificis congregata vel suffulta non sit*: ita dicit tex. Isidori in quodam antiquo. c. canonum dicens: *Nec vllam synodum generalem ratam esse legimus quæ eius non fuerit auctoritate congregata vel suffulta*. facit 17. *di. regula*, *&* 3. *di. §. porro*, vbi est cautum, quod etiam legatus de latere non habet ius conuocandi concilium, nisi specialiter esset sibi demandata concilii conuocatio, quādo eius celebratio est sibi commissa, per tex. *in c.* 1. *de indi. li.* 6. & per regulam: *Qui vult consequens vult antecedens, l. ad rem mobilem. & l. ad legatum. de procu.* Sed si legatus non habet in speciali commissione conuocare vel celebrare concilium generale, ipse ex sua legatione non potest, sed solus potest papa. hoc statuunt canones, & Historia Ecclesiastica comprobat, & omnis mos & ritus antiquus confirmauit, 2. *q.* 6. *& ideo & q.* 5. *c. mandastis, & c. auditum.* Et est ratio, quia conuocatio debet fieri per maiorem de vniuersitate, *l.* 1. *& ibi no ff. de albo scrib. & C. de decu. l.* 1. *li.* 10. *&* 43. *di. à subdiacono.* no. Inno. in *c.* 1. *de maio. & obe.* & sentit Io. An. in *c. in causis & c. ecclesia & c. cum nobis de elec.* sed nullus est omnium fidelium maior papa post Deum: igitur ad ipsum debet competere conuocatio fidelium: præsertim quia in cōuocatione concilii prælati & fideles citantur. 17. *di.* §. *hinc etiam*, & ibi glo. in verbo *præcepisset.* vnde facultas hæc non videtur posse competere, nisi illis, qui incitatos habent superioritatem & imperium. *ff de iud. l. si quis ex alienā. l.* 2. *ff. si quis in ius vo. non ie.* no. in *c. super literis, de rescrip. & de dila. c. præterea.* & no. glo. prædicta in §. *hinc etiam.* Sed nullus habet imperium aut iurisdictionem super omnes fideles vniuersaliter, præterquam papa, 9. *q.* 4. *cuncta per mundum.* igitur nullus videtur posse cōuocare generale concilium, nisi papa. Item quia papa omnium Christianorū & ecclesiæ militantis est caput & pater, & omnes Christicolæ ad ipsum, vt ad caput & patrem, debent habere recursum, 17. *di. nec licuit* 9. *q.* 2. *cuncta per mundum.* & melius 24. *q.* 1. *rogamus* Si igitur sine papæ licentia conuocatur, erit acephalum. i. sine capite, & erit quoddam monstrum contra naturam aliorum conciliorū, quæ constant ex capite primum, deinde ex aliis membris, 21. *dist. submittitur. &* 3. *di.* §. *porro. &* 18. *dist. c. quoniam & c. si episcopus & c. si quis episcoporum.* nam si à synodo vel generali congregatione prælatorum excluditur caput seu capitis auctoritas, eo ipso capitis & membrorum vnitas dissipatur & causatur scisma. Nā, vt dixi supra plures in omni iusta plurium congregatione quantumcunque parua vel magna necesse est vnum regulare & regere, alios vero regulari & regi, secundum Philosophum in *Politicis.* sed cōuocato concilio sine pontificis auctoritate non erit qui alios regulet & regat: & sic iustum non erit concilium, quod debet ex capite consistere & ex membris. Item quia si concilium conuocatur ab alio quam à papa, cum ipsum concilium sit collectio omnium fidelium; *de conse. di.* 1. *c. etiam.* & sic comprehendat papam, qui est fidelium caput, dicto *c. rogamus* 24. *q.* 1. patet quod talis conuocans iudicium & sententiam dicit de papa vel ipsum sibi submittit, vel inferiorem facit: quia cōuocatio est ab illo fienda, qui habet aliquam iurisdictionem vel auctoritatem supra vocatos, & in causa quare fit conuocatio, 18. *di. c. quoniam & c. placuit & c. si quis episcoporum.* 3. *q.* 2. *c. vocatio.* quod videtur de papa subiiciendo impossibile, cum ipse nulli viuenti sit inferior, nec à quoquam iudicetur: immo omnes ipsi papæ sunt subditi, & ipse omnes iudicat, & à nemine iudicatur, 9. *q.* 3. *c. facta. & c. cuncta per mundum*, & in tota illa quæstione: & probant omnia iura *proxima quæstione* relata. quare videtur, quod nullus nisi papa possit conuocare generale conciliū: & sic erit perplexitas: quia ipse papa nō volet plurimū conuocare conciliū, ne de ipso papa iudicium fiat: nec alius poterit congregare: & sic vana videtur talis iuris prouisio, quod concilium sit iudex in causis antedictis.

Item perplexitas adhuc videtur maior, cum dicitur, quod duobus contendētibus de papatu cōcilium debeat esse iudex: & ostenditur ab euidenti partium enumeratione. Nā aliquando erit contingens, quod ille solus erit in quasi possessione papatus, cui obiicitur quod non sit papa, vel quod ipsam perdiderit dignitatem: tunc ipse solus debebit conuocare concilium: quia, vt supra dixi, solus papa potest & debet conuocare, vel, vt sit validum, ipsi auctoritatem præbere. igitur ille solus, qui est in quasi possessione papatus, habet ius faciendi illa, quæ ad papam pertinent, vt in *c. consultationibus de iur. patro.* Et est expressum, quod conuocatio consilii & præstatio auctoritatis eius debeat fieri per existentē quasi possessione papatus, 17. *di.* §. *hinc etiam*, & dicto *c. mandastis* 2. *q.* 5. facit quod no. *de cau. pos. & proprie. c. cum ecclesia. & c. cum olim*, vbi no. quod iuredictionalia exercentur tantum per existētē in quasi possessione iurisdictionis, *de iur. patro. c. ex literis. & de in inte. resti. c.* 2. no. 3. *q.* 6. *c. hoc quippe*, & ibi glo. in ver. *debeant.* ipse autem quod vocet concilium, vt de iure quod possidet papatus discrepetur, in quo esset possibile quod succumberet, non est verisimile. Et ista fuit ratio, quare iura statuerūt, quod quis non esset iudex causæ suæ, vt *l.* 1. *C. ne quis in sua cau. ius. di. & l. qui iurisdictioni. ff. de iurisdi. om. iudi.* ne propter priuatum interesse peruertere iudicium. & sic in casu nostro erit dispositio iuris elusoria: quia ipse non volet conuocare concilium, & alii non poterunt. Aliquando autem esse posset contingens, quod plures de papatu contenderent, & nullus esset in quasi possessione

Digitized by Google

papatus,sed esset tantum dubium quis eorum esset papa contendentium, tunc nullo habente quasi possessionem papatus,non erit qui possit concilium conuocare,vel ipsi auctorari, rationibus prædictis:quia,vt dixi,vis exercendi iurisdictionalia competit tantum illi qui est in quasi possessione iurisdictionis, etiam si de iure proprietas iurisdictionis esset alterius, vt not. in dicto *c. cum ecclesia sutrina, & c. cum olim, de cau.possess.& proprie.& in c. querelam, & c. nihil, de electio.* igitur ad validitatem actus iurisdictionalis sufficit probare, quod qui gessit actum erat quasi possessione iurisdictionis, & publice pro tali iudice reputabatur, vt not.in dicto *c.nihil & in l.barbarius.ff. de offi.prafe. prato.* Et ideo nullo de contendentibus de papatu in quasi possessione eius existente, videtur impossibilis iuris dispositio, quod sit iudex concilium, cum ipsum concilium sine existente in quasi possessione papatus congregari non possit. Nec obstat, si dicitur,immo quia credit se canonice electum, vel qui habebitur pro magis canonice electo,debet posse conuocare concilium,quasi electus canonice absque alia confirmatione possit administrare,& per seipsum possit recipere possessionem pontificatus propria auctoritate,vt in *c.in nomine Domini,23.di.*& not.in *c. licet de electio:* quia illud intelligo verũ, quod possit propria auctoritate capere possessionem,quando non est legitimus contradictor: sed si est legitimus contradictor, qui similiter se prætendat canonice electum, & si probabilis dubitatio, non licebit propria auctoritate capere possessionẽ.ita no.in simili Doc.in *c.transmissa. de elec.* vbi volunt Doc.quod prælatus ex solo titulo possit nancisci possessionem beneficii propria auctoritate,per *l.cum heredes ff.de acqui.poss.* & tamen hoc non habet locum existente contradictore legitimo. Item non obstat,si dicitur,quod quando possessio est vacans,si ille, qui habet proprietatem, actum exercet,valet actus factus à proprietario,etiam qui non habebat possessionem,vt notat Innocen.in *c.2.de in integr.restitu.* Et sic quando constabit, quis erit papa?ille erit, qui debuit posse auctorari concilio: quia illud dictum est verum,alio non existente in possessione,qui tunc prætendens se papam per gestionem talis,actus possessionem vacantem nanciscitur,vt no.Innoc.in *c.cumana,de elec.*sed alio existente in possessione,vel etiam non existente,sed esset contradictor legitimus tunc etiam qui haberet in veritate proprietatem papatus, sine possessione non posset conuocare concilium cum nõ possit nancisci possessionem,in dixi supra & sic intelligo & tempore no.per Inno.in *c.1.de in inte.resti.* & no.*de iur.pa.c.ex litteris.* Aliquando autem erit contingens, quod ambo contendentes sunt in quasi possessione papatus,vt quia forte quilibet habeat partem Christicolarum non modicam, & quælibet pars vna vni,& alia alii pareat tanquã papæ,sicut proh dolor tempore meo miserrime contingit, quia Vrbano sexto parebat Italia, Germania,atq; Anglia: & Clementi Gallia & Hispania atque Scotia,& erant Christicole scissi, vt supra retuli: tunc erit perplexitas maior:quia si conuocabit vnus sibi subditos,alii subditi alteri non parebũt vocanti,quia vocans esset apud subditos alterius apostaticus,& excommunicatus apud non sibi subditos,tanquam secundũ eos se intrusit in cathedram Petri non vocatus canonice,vt in *c.licet,de elec.*& sic tanquam ad eos non subditos iurisdictionem non habet,*de offi.vica.c.Romana.li.6.& de re iudi.c.ad probandum,*vt in *c.præsidentes,de heret.in 6.*Item ipse vocans apud non sibi subditos est scismaticus, & sic omni iurisdictione caret tanquam à iurisdictionalibus ipso iure suspensus,24.*q.1.didicimus.§.sin autem.& 7.q.1.c.nouatianus.& de cle.excom.c.si celebret, in fi.*Et similiter de alia parte reputabunt alium apostaticum & scismaticum. Vnde videtur impossibile,quod ambæ partes possent conuocari,ita quod legitime non in vnum conueniant. Item si esset possibile,quod omnes conuenirent,adhuc esset perplexitas:quia quilibet tanquam pontifex vellet auctorari concilio,quod videtur impossibile,cum tantum vnus potest esse pontifex, & non plures, 7.*q.1.c.factus est Cornelius.*Nec obuiat,si dicitur:ante decidetur quis sit pontifex,& ille præstabit auctoritatem concilio: Nam ex hoc insurgit manifesta perplexitas: quia hæc determinatio non potest fieri nisi à concilio,vt dictum est. Sed concilium non est,si papa auctoritatem non interponit: ergo est perplexitas,*l.si Titius,ff.de condi.instit.*Præterea erit possibile,quod nullus volet cõgregare concilium vel præstare ipsi auctoritatem,ne à sua præeminentia remoueatur,à qua, vt dixi, pro euitando scandalo posset etiam verus papa per concilium remoueri,vt no.glo.in *c.si forte 63.di.*illa glo. probat relata ad tex.quem allegat tex.79.*di.si duo,*qui loquitur de electis in papam. His etiam casibus inferiores non videntur posse conuocare conciliũ.Primo ex carentia potestatis:quia nullus inferior potest vsurpare,quæ tantum sunt principi reseruata,vt in *c.super quibusdam.§.præterea,de ver.si.& 16.di. c.hinc sedis.& l.vectigalia.& l.non solent.C.noua vecti.*ideo cautum est,quod etiã legatus de latere non habet ius conuocandi concilium generale,vt no.*de elec.significasti.* nisi haberet spiritualiter in mandatis,vt not.glo.3.*di.§.porro.* quia quæ spiritualiter Romano pontifici conceduntur, generali mandato non transferuntur,vt in *c.quod translationem de off.leg.* Secundo, quia si hæc facerent se scindẽtes à papa vel ab eo quem putant papam,statim efficerentur scismatici,17.*di.multis,* ibi, *si Apostolica sedis tanquam se separantes à capite & vnitate quæ repræsentatur in papa*, 24.*q.1.loquitur & cap.si scisma.* & *cap.alienis & 7.q.1.nouatianus.* & sic tanquam scismatici essent ab omni actu iudiciario ipso iure suspensi, vt *d.c.dicimus*, 24.*q.1.& c.audiuimus. §.sin autem.* & si non habent ius vocandi concilium, quia talis vocatio est requisitione siue citatione,vt no.glo.in dicto §.*hinc etiam* 17. *di.* quæ citatio est actus iudiciarius,vt no.*de proba. c. quoniã contra.& l.præsenti.C.de his qui ad eccle.confu.*no.in *c.si.de sen.* qui,vt dixi,non potest fieri à scismatico.

Item perplexitas etiam ostenditur:quia esse poterit,quod qui gerit se pro papa, mandabit sibi subditis vt non conueniant alicui conuocationi,vel quod nullus sibi subditus conuocet concilium, & eius

& eius mandatis erit parendum, 11. q. 3. *qui resistit*, cum similibus: maximè quando sub pœna excómunicationis hæc mandentur & priuationis omnis potestatis ipso iure: quia tunc siue iniuste excómunicet obediendū est, 11. q. 3. *c. sententia pastoris & c. si episcopus forte*, no. *de tempo. ordi. ad aures*. Item ex alio capite videtur, quod ambæ partes non possunt benè conuenire, quia vnam ipsarum errare necesse est. nam cum ecclesia vna sit, si est apud vnum, apud alium esse non potest propter incompassibile multiplicationem papatus, 7. *q. 1. c. factus est Cornelius. & c. nō autē & c. nouatianus*. & quia vnus Christus & vnum est corpus ecclesiæ, vt multotiens dictum est, ideo tantum vnum debet habere caput; 7. *q. 1. in apibus & c. non autem*, Et *ad Corinth. primo. & ad Ephesios* 3. Impossibile est igitur duos esse pontifices: ergo vnam partem errare duobus contendentibus necesse est, & errantem esse scismaticum. Et si pars adhærens vero pontifici communicabit cum alia male sentiente, etiam ipsa vera pars scismatica efficeretur, quia qui communicat scismaticis non communicat vnitati, 24. *q. 1. scisma*, dicente Domino per Moysen: *separamini à tabernaculis hominū istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus quæ sunt eorum*, dicto *c. dicimus*. & alibi scriptum est: *Nolite eos in domum recipere, nec eis dixeritis aue: quia qui eis dicit aue communicat operibus eorum malis*, 24. *q. 1. omnes*. Et ideo Polycarpus sanctissimus martyr, cum apud Ephesum balneas fuisset ingressus, & vidisset ibi Corinthum scismaticum, recessit illotus dicens: *fugiamus hinc ne balnea corruant, in quibus lauatur Corinthus inimicus veritatis*, vt dicto *c. omnis*. Et alias cum ipse Policarpus obuiaret Marciano scismatico eidem dicenti: *Agnoscis ne me?* Respondit eidem: *Agnosco primogenitum Sathanæ*. Ex quibus videtur, quod duobus contendentibus scissis partibus de papatu, quod vnam partem est necesse errare vel fore scismaticam. Secundo quod vera pars non potest cum alia communicare, quinetiam scismatica efficiatur. Vnde hoc casu videtur impossibilis ambarum partium communis conuentio: & præsertim quia commissio inhabilium, cum habilibus videtur actum nullum reddere 9. *di. si ad scripturas* 23. *di. quorundam* 3. *q. 9. c. pura. de offi. deleg. c. cum super abbatia*, & no. *de elec. illa & l. pedius. Digest. de arbit. & l. 1. §. item quæritur Digest. de aqua quoti. & æsti.* Nec obuiat etiam si dicitur, quod quilibet ipsorum se pro summis pontificibus gerentium in parte sua concilium conuocabit: quia tunc non essent vera concilia, quia essent diuisa, & summerent initium à diuisione vel cum ipsa procederent. vnde concilium non esset vel concilia quæ dicta sunt: quia in vnum dirigant acumen mentis & intuitum. vnde qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium, quia non consentiunt in vnum, 15. *di.* §. *Synodus*. nec cum eis esset spiritus Sanctus, vel non essent ipsi cū spiritu Sancto legitime congregati, quoniā spiritus Sanctus tantū descendit inter congregatos in vnū, 24. *q. 1. alienus, in fi.* vbi probatur quod nō multitudini deprecantium sed vnitati Deus tribuit, *Actuum primo cap. & 24. quæstio. 1. loquitur & cap. scisma*, cum si. *& eadē causa. §. sin autē*. Item non se legitimè congregarent vel procederent, quia scisse procederet, & esset possibile quod in sententiis & processibus & iudiciis dissentirent, vt *l. item si plures, §. si duos. & §. principaliter. Digest. de arbi.* Et quilibet nollet iudicia sequi partis suæ, quoniam aliter salua conscientia facere non possent: & nō dirimetur litigium, sed scisma & scandalum augmentabitur, sicut accidit tempore cuiusdam principis, qui cum videret esse difficile congregare episcopos occidentales cum orientalibus, decreuit duo fieri concilia, vnum in Arimino, vbi nonnulli Italici conuenerant, aliud in Nicomedia Bitthiniæ ciuitate. Sed Imperatore hæc ipsa tractante res effectum sortita non est, & neutrum concilium sibimet concordauit, sed vtrumque diuisum est: ita dicit Historia Tripartita *lib. 5. c. 14.* & hoc totum fecit non in vnum congregatio, sed in duas partes facta congregatio. nec etiam fieri poterit, vt ambo cōtendentes de papatu auctoritatē interponant, & illius sit rata auctoritas qui declarabitur papa: quia hoc esset ponere dubietatem in capite, quod à nulla partiū fieri potest cōscientia salua: quia omnis dubius hæreticus est censendus, *de hæreti. c. 1* & nulla partiū salua conscientia potest se sub dubietate ad aliam determinare. Item esset perplexitatē inducere, quod ante determinaretur quis esset papa, quā concilium ipsum, cuius auctoritatē hoc debet dirimi, suam essentiam formaliter haberet: & sic videretur poni ante causa formata & causata quā ipsa causa formans & causans, quod videtur impossibile.

Qualiter igitur his perplexitatibus & periculis occurretur? erit ne tunc iuris dispositio in cassū & sub ludibrio promulgata? profectò nequaquam: Et ideo has sic soluendas censeo. primum discurrens singulos casus illos secundum quod iuris esse credo determinans. Vnde est notandū quod aliquando vnicus existens in quasi possessione papatus criminatur de aliquo, ita quod sit opus conuocatione concilii, vt quia dicitur in hæresim prolapsus, vel quod non habuit in electione duas partes cardinaliū, & est apostaticus & intrusus: Vel dicitur quod renunciauit pontificatui: Vel quod cōmittit delictum ex quo turbatur status velis ecclesiæ: vel est aliquis de casibus, in quibus dixi papam subiacere concilio: tunc ipse papa interpellatus debet concilium conuocare, vel mandare alteri quod sua ipsius auctoritate papæ concilium conuocet, & ipsius iudicio se subiicere: ita intelligitur text. 2. *q. 5. c. auditum & c. mandastis & 17. di. §. hinc etiam*. Et notanter dico, quod ipse papa debet conuocare conciliū, vel alteri demandare quod auctoritate papæ concilium conuocet: quia etiā ipsa vocatio, prout fit auctorizabiliter, vel per viam citationis siue mandati, debet ab ipso vel ab alio ab eo habente spirituale mandatum expediri. Nec potest ab alio inferiori fieri etiam ipsa vocatio: ita vult text. 2. *q. 6. c. ideo, & 17. di. c. generalia*. & hoc modo intelligitur text. 17. *di. §. hinc etiā*: quia ibi text. per viam præcepti concilium conuocauerat, vbi episcopi conuocati venerunt, vt ipsum regem ab errore reuocarent: quamuis aliquando conciliū posset congregari à seipso sine vlla vocatione, vt forte fuit in casū

Digitized by Google

c.nunc autem 21.*di.* ibi, *cuius rei gratia* &c. vel etiam ex vocatione minus legitima, vt fuit in casu dicti *§.hinc etiam*, tunc vt iuribus subsistat concilium, opus est quod etiam ipse accusatus papa in possessione papatus existens auctoritatem interponat, vt concilium ratu si fit. text. est in *d.* §. *hinc etiam*. Fateor tamen quod eo ipso, quod patitur iudicium fieri à concilio de causa sua, quod ex hoc videtur concilio auctorari, tex. est tamen ibi no. in *l. cum pater.* §. *libertis, de le.* 2. Et hoc modo verificatur alternatiua, quę est in tex. Isidori dicentis: quod *nulla synodus rata fuit quæ auctoritate papæ cōgregata vel suffulta non fit.* nam sufficit quod papa auctoretur concilio quomodocunq; congregato, etiā si fuisset vocatio minus legitima, vt est tex. in §. *hinc etiam*: & hoc volunt tex. dictæ *distinctionis* 17. *di. in c.* 1. & *in c. regula.* & *c. multis.* qui tex. ponderant tantum, quod concilia sine papę auctoritate fieri non debeāt. vnde non dicūt textus solū vocationē, quod nō fiat sine auctoritate papę: sed quod nec ipsa concilia conuocata fiant sine papæ sententia. vnde videtur in papa potestatē esse conuocare concilium, & ipsum retinere & absoluere prout ipsi videtur. & hoc videtur velle tex. cum rubrica sua in *c. nec licuit*, 17. *di.* vnde quando placet papæ, conuocatur concilium, & conuocatum habet validitatē quatenus persistat voluntas papæ. Vnde cum potest ad libitum conuocare & dissoluere, & nullus hanc potestatem habet. Sed tunc quomodo soluetur perplexitas, si papa nolit congregare concilium? vel congregatum nō cognito de causa sua velit dissoluere? vel nolit ipsi auctorari & suam auctoritatē interponere, quomodo tunc fiet? erit ne iuris disputatione elusoria? certe nō. Vnde est animaduertendū quod papa non potest legem facere ex quo si est prolapsus in hęresim, quod de ipsa non redarguatur, glo. est no. in *c. si papa* 40. *di.* quæ glo. est verissima, quia papa sic periclitaret vel periclitare posset totam ecclesiam, contra dictum Apostoli 2. ad Corinth. 13. dicentis: *Secundum potestatem quæ mihi data est in ædificationem, non in destructionē.* Item quia præceptum est diuinum relatū Deuteronomii quod Catholici & fideles insurgant aduersus eum, qui docet vel asseuerat falsum dogma aduersum sanctā fidem, vt 23. *q.* 5. *c. si audiueris.* & ideo Mathathias iuste interfecit illum, qui idolis sacrificaturus ad aram accesserat. igitur possunt insurgere Catholici aduersus papam hæreticum ex præcepto diuinæ legis: quia etiam papa legi naturali & diuinæ subiectus est, vt no. *de consti. c. quæ in ecclesiarum*, & est text. in *c. sunt quidam*, 25. *q.* 1. facit 40 *di. homo Christianus, de pœni. di.* 5. *consideret.* & 11. *q.* 3. *excellentissimus.* & ideo dispositio *c. si papa*, quę decidit quod pro hęresi papa iudicetur, nō est simplex dispositio papalis, quia tunc non ligaret successorem, vt in *c. innotuit, de elect.* sed est pars Gestorum Bonifacii martyris, & est fundamentum in iure prædicto diuino, à quo ligatur papa, & etiam canon *c. Anastasius* 19. *di.* qui dicit, quod papa hæreticus est depositione dignus, ligat successorem papa, 24. *q.* 1. *Achatius*, & incidit papa per hæresim in excommunicationem prædecessoris ipso iure: quia hæreticus papa minor est omni Catholico, & quia iuri diuino contradicit & obuiat à fide recta & sancta deuiādo, ideo potest à fidelibus de hæresi redargui, vt dicto *c. si papa*, iuxta id Iohannis 15. dicentis: *Si quis in me non mānserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent & ardent*, per quem tex. Doc. in *c. ad abolendam, de hæreti.* dicunt pœnam hæretici esse quod igne concremetur. Et probatur hoc exemplo Pauli, qui de fide redarguit Petrum Apostolorum principem *ad Galatas* 2. *c.* & 2. *q.* 7. *Paulus.* & tamen Paulus erat inferior Petro in administratione. Sed quia redarguit eū de fide, in qua Petrus male sentiendo erat inferior, Paulo iusta fuit redargutio. Item quando papa erat in fide, si statueret, quod non redargueretur de hæresi tolleret, suis subditis naturalem defensionē, quam etiam princeps tollere nō potest, vt *l. facultas. C. de iur. fisc. li.* 10. & *in clē. pastoralis de re iudi.* quia naturalia sunt immutabillia, vt 5. *di. per totum.* & *insti. de iur. natu.* §. *sed naturalia.* Sed quando papa in hæresim labitur, ipse tendit ad necem & damnationem omnium sibi subditorum, vt *d. c. si papa.* 40. *di.* igitur iuste populi possunt contra eius mandatum resilire, & contra ipsum insurgere, 15. *q.* 6. *c. iuratos.* facit. 11. *q.* 3. *c. qui resistit.* & *c. Imperatores.* Non enim tenentur populi, cum pastor efficitur lupus rapax, exaudire vocem eius, qui est effectus mercenarius & non pastor, *Io.* 10. *cap.* Et quia populi à papa hæretico, & sic exæcato, non debent se permittere duci ire secum omnes in foueam cadant. Et hanc sententiam optime probat tex. in *l.* 2 § *Dominorum. Digest. de his qui sunt sui vel ali. iur.* vbi est tex. quod licet Domino non debeant iura quæ habent in seruos diminui, tamē etiam hoc statutum est, quod si Dominus contra iura diuina vel naturalia agat in seruos, quod ipsi serui aduersus Dominū audiātur. Similiter & filius in potestate, qui in nulla potest habere litem cum patre, vt *l. lis nulla. ff. de iudi.* potest nonnunquā petere à patre, quod ipsum emancipet & eximat à patria potestate, vtputa cū nimis est sæuus in filiū, *l. quidā cum filiū. ff. de ver. obli.* no. in *l. nec vnus. C. de eman. lib.* & similiter & serui cōueniūt Dominū tyrannice procedentē, dicto *§. Dominorū.* Sic & subditi papæ cōtra fidē agente possunt iudicium contra ipsum etiā inuitū constituere: quamuis alias cum papa nullū possent habere iudiciū, vt *d.* §. *Dominorum.* Hinc etiā est quod Doc. dicunt in *l. vt vim ff. de iusti.* & *iur.* quod licet resistere per vim iudici, quādo facit aliqua nō iusta in subditū, nō tanquā iudex sed vt priuatus. igitur si iudex armata manu subditū aggreditur, vt occidat lege nō permittēte, licet subdito se tueri, etiā si non posset aliter, iudicem occidendo, licet si iudicialiter faceret non liceret: quia non licet propulsare legitimum aggressorem, *l. si seruus. C. de his qui ad eccle. confu.* Sic quando papa prolabitur in hæresim, vim facit in subditos. nam & extra officium, quia iam non est plus in officio, ideo iuste subditi insurgunt cōtra eum. & per illum tex. §. *Dominorum.* dixi supra in quæstione *an valuit donatio Constantini*, quod populi subditi possunt deponere Dominū effectū tyrannū, nec tenētur ei in malis suis præceptis obedire. tex. est in dicto *c. qui resistit.* & *c. Imperatores*, 11. *q.* 3. Et ideo nō debent pati populi papam hære-

hæreticum, nec legem eius quam faceret, ne de hæresi ipsa cognoscatur. Similiter dico, quod Papa non potest statuere vel legem facere, aut aliquid aliud verbo vel facto disponere, ex quo turbetur status vniuersalis ecclesiæ, & populus Christianus totus ponatur in graui periculo & discrimine, vt no. Inno. & Doc. in *c. quanto, de consue.* immo totum econtra curare debet, vt salus ecclesiæ vniuersalis semper salua sit. tex. est 24. *q.* 1. *c. memor sum. &* 25. *q.* 1. *c. quæ ad perpetuam. & eadem causa q.* 2. *c.* 2. *c. si ea.* Et est ratio: quia tunc Papa non esset defensor, constructor, & cōseruator ecclesiæ: sed destructor siue dissipator, vt no. in dicto *cap. si ea.* contra præfatam sententiam Apostoli *secunda ad Corintheos* 13. Dicentis quod potestas Papæ est in ædificationem non in destructionem. Nam vt dicit Inno. de plenitudine potestatis Papa potest omnia, præterquam specifice prohibita sibi, vel quia faceret contra fidem, vt 24. *q.* 1. *Accatius. &* 19. *di. Anastasius*, vel contra generalem statutum ecclesiæ: in quo & si posset, non esset ei permittendum, & ita no. Inno. & Doc. in dicto *cap. quanto de consue.* & no. Iohannes 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuam:* sed est opus tunc celebratione concilii. ideo dicunt Doc. in *c. nulli de sen. excom.* quod ipse non posset tollere statutum Canonis, *si quis suadente diabolo.* 17. *q.* 4. 1. *q.* 3. *c. ex multis. & de temp. or. c. cum dilectus.* Modo ad propositum. sicut Papa non potest facere legem expressam, quod de hæresi non redarguatur, cum est dubia etiam occulta sua hæresis, vt in dicto *c. si Papa*, ita hoc ipsum facere non potest non conuocando concilium, vel ipso conuocato auctoritatem non interponendo. Et idem in omni casu, vbi tractatur probabile dubium papatus: quia hic agitur de bono vniuersalis ecclesiæ, & in quo tota ecclesia scandalizari potest, & ponitur totus populus Christianus in discrimine, ne forte pare cogantur apostato non Apostolico, & illi qui forte non intrauit canonice cathedram Petri; vel qui iuste eam non detinet. Vnde existens in quasi possessione papatus obligatur ex debito conuocare concilium, vel ipso conuocato atq; congregato auctoritatem interponere, vt in iuribus antedictis. & si non facit vel negligit, eius non est amplius auctoritas expectanda, tanquam statuat tacite quod de hæresi non arguatur, vel quod bonum vniuersalis ecclesiæ perturbetur, & populus Christianus in grauissimo periculo supponatur. quo casu potest dici à fide deuius, & sic subiacet dispositioni concilii, vt in *c. si Papa.* 40. *di.* Igitur hoc casu dico, quod aut est notorium, quod existens in quasi possessione papatus est in hæresim prolapsus; vel quod est apostaticus non est Apostolicus, tunc concilium potest congregari sine eius auctoritate. Ratio: quia si constat, quod sit notorie hæreticus vel apostaticus, apparet etiam quod non est Papa, vt in *c. Romana.* §. *notorie. de censi. in* 6. sic intelligo tex. 24. *q.* 1. *Acacius.* non diffitebatur errore, vel erat ita notorius, quod non suberat defensio, *de re iudi. cum olim.* vnde hoc casu non est opus iudicare de hæresi, sed tantum declarare de pœna prius per canones tali hæresi imposita: & sic inuocatione concilii vel eius auctorizatione non est opus eius auctoritate, cum non sit Papa, & de eius negligentia constet notoriè, quia statim quod erat lapsus in hæresim debuit conuocare concilium: quia si non fecerit, est notorius effectus hæreticus, notoria etiam est negligentia eius, dicto *c. Romana.* §. *notoria. de censi. in* 6.

SVMMARIVM.

Ecclesia vacante potestate Papali remanente in ipsa Ecclesia vniuersali, qui sint, qui Concilium possunt conuocare, & auctorare, si opus esset, Concilio.

CAPITVLVM XXIV.

SEd tunc cum ecclesia vacet, potestas ipse papalis remanet in ipsa ecclesia vniuersali, & ipsa coadunata potest interponere sibiipsi auctoritatem, & decernere congregationem de seipsis factam fore legitimam: & quicunque eos vocasset, ipsi vocati talem vocationem auctorare possent, cum in eis repræsentantibus vniuersalem ecclesiam, hoc casu sit omnis potestas Papæ: & sic Papa potest auctorare concilium, quod etiam est vocatum pro sua causa papatus, vt est tex. *in* §. *hinc etiam* 17. *di.* & est speciale in Papa, vt auctoretur in facto proprio, sicut in facto proprio est spirituale in eo, vt nonnunquam in causa sua ipse sit Iudex: sic & concilium etiam minus solenniter conuocatū potest sibiipsi auctoritatē interponere, vel non valentē sicut & auctorauit concilium minus rite vocatum Symachus Papa, 17. *di.* §. *hinc etiam.* Et hoc casu etiam possent congregare conciliū Cardinales altero ex duobus modis. Primo: quia quando occurrit arduum dubium celeritatem requirens, & ecclesia vacat, sicut est in hęresi Papæ vel quando est apostaticus notorius, tunc iurisdictio Papę deuoluitur ad Cardinales omnes concordes, vt in *c. vbi periculum.* §. *idem quoque de elec. li.* 6. Et licet conuocatio concilii fiat, vt disceptetur de papatu, & præparatoria ad causam papatus; tamen ipsa vocatio concilii vel auctorizatio eius non est de causa papatus, ita quod non liceat Cardinalibus se de ipsa intromittere, secundum ea quæ dixi supra in quæstione *quis huius causæ iudex sit.* Et ideo tanquā habentes iurisdictionem Papæ, hoc casu possent omnes concordes concilium conuocare citando & auctorizando concilium. Secundo quando omnes cardinales non concordarent, maior pars tunc posset hoc casu conciliū congregare: quia talis vocatio potest dupliciter fieri. Vno modo auctorabiliter & per viam citationis; & istam non possent hoc casu facere Cardinales pro maiori parte, si non essent omnes concordes: quia non habet aliter potestatem Papæ, nisi cū omnes sunt concordes, vt dicto *c. vbi periculū.* §. *ideoq; de elec. li.* 6. Et ista pertinent solum ad Papam, vt dicunt iura supra deducta. Alio modo hæc vocatio potest fieri non per viam citationis vel auctoritatis vel imperii; sed via denunciationis vel monitionis vel requisitionis: & tunc fit hæc, quando non est superior qui

Digitized by Google

possit vel velit facere vocationem cum citatione, & imminet necessitas faciendi, vt no. Doc. & Inno. in *cap. cum nobis olim, de elec.* Istam potest facere maior pars cardinalium, quia hanc possunt facere pares & minores, *de offi. dele. capit. cum causa, in prima glo. vltra mediam.* no. *in c. qualiter. de cle. non resi.* Et sic etiam emptores denunciant venditoribus, vt *ff. de actio. empt. l. si rem. §. fi. de empt. & vendi. c. fi.* sic etiam fiunt intimationes, vt in *cle. cum causam, de elec.* faciunt not. *de supplen. negli. prela. c. 1.* no. *de accu. licet. de voto magna.* Et hanc conuocationem debent facere qui sunt in potiori gradu post Papam: & sic Cardinales primum, vt *l. 1. ff. de albo scri.* quia etiam inferiores supplent negligentiam Papæ 12. *q. 2. c. non liceat, & 2. q. 7. c. quapropter,* sicut & archidiaconus supplet defectum episcopi, *de offi. archid. c. 1.* & Papa defectum Imperatoris, vt in *c. licet ex suscepto, de fo. compe.* & sic econuerso poterit Imperator hoc casu supplere defectum vel impotentiam Papæ, si cardinales ipsi essent negligentes, quod vtique dicerentur negligentes, si statim quod defectus Papæ esset notorius ipsi Cardinales non vocarent concilium, vt dicto *c. Romana, §. notoria, de censi.* Vnde in primitiua ecclesia, in qua Papa non poterat concilia conuocare, & hęreses inter Christianos, propter hæc & scismata nascebantur, 15. *di. c. 1.* Constantinus Imperator suppleuit defectum Papæ, & primam Nycænam synodum congregari mandauit, & querelam multorum coram se conuocari se fecit, 12. *q. 1 ca. futurã ecclesiam. ver. idem vero.* ergo ecce quod in conuocatione concilii data in potentia Papæ princeps concilium conuocari iussit. ad hoc 15. *di. §. harum prior. & c. 2.* & de hoc est tex. 16. *di. cap. habeo librum, cum seq. c. & 11. q. 1. continua.* & probatur hoc in *gestis Anthioceni concili, c. 1.* & in *gestis Sylnestri Papa c. 2.* Et secũda synodus celebrata est sub Theodosio seniore. Tertia synodus sub iuniore Theodosio. Quarta sub Martiniano principe. Quinta & sexta sub Iustiniano. 16. *di. § sexta.* Item Carolus Magnus constituit conciliũ cum Adriano, 63 *di. Adrianus.* Quare concludo quod subsistente necessitate hanc vocationem poterit facere Cardinales, vel etiam Imperator, quia eius interest quod pax sit non solum in vrbe, vt 17. *di. hinc etiam,* sed & in toto orbe: quia propter dissentionem papat' scandalizatur non solum vrbs, sed orbis, poterit etiã quilibet Christi fidelis, 65. *di. si forte.* quia quãdo est notoria hæresis vel apostaticus notorius, possunt maiores de negligentia redargui, dicto *cap. Romana, §. notoria, de censi. in 6.* Et ideo quilibet possit conuocare concilium. Dico per viam requisitionis vel monitionis, non per viam citationis vel auctorizationis: immo contingens esset, quod ipsamet sancta synodus se poterit congregare: quia quod superiores vocent non est de substantia: & ideo Apostoli multotiens spiritu Sancto vocante se coadunabant nullo superiore conuocante. patet Actuum 6. c. ibi, *conuocantes autem 12. multitudinem discipulorum.*

Et si sunt duæ partes vocandorum, illi habent potestatem alios conuocandi & constituendi in mora, vt no. Doc. in *c. cum nobis olim, de electi.* Et si possibile foret, quod omnes simul conuenirent absque vocatione, valeret quod per ipsos fieret. Ratio: quia illa vocatio quæ fit à superiore, est quædã citatio, quæ de præsente nõ est necesse fieri, quia certus certionari nõ debet: & ita tenet Archidia. 82. *di. proposuisti.* no. *de elec. bona. 1. & in c. 1. de iudi.* & ibi per Modernos legistæ in *Auth. si omnes. C. si vt se ab hære. absti.* & in rubrica *de in ius voca.* Et si dicitur, quod tũc erit conciliabolũ, non conciliũ, cum careat auctoritate sedis Apostolicæ, dicto *ca. multis 17. di.* Respondeo quod ipsa sancta synodus sic conuocata vel coadunata, Papa non existente & sede vacante, tanquam habens omnem potestatem pontificalem poterit sibiipsi auctoritatem interponere, quoniam apud eum in casu prædicto residet omnis potestas Papæ: nec erit tunc acephala vel concilium acephalum, quia eius caput est tunc Christus, vt nõ. Hosti. & refert glo. in *c. 1. de scismati. in 6.* sic debet intelligi tex. Constantinen. concilii: qui dicit, quod *generale concilium immediate potestatem habet à Christo.* Nam debet intelligi, papa non existente, & periculum in ecclesia imminente, quod est vel quando Papa est hæreticus, vel non vult periculo ecclesiæ obuiare, quia tunc caput est Christus. Ipse enim Papa propter hæresim incursam non est amplius caput. Et idem quando non vult esse caput & imminet periculum: & tunc habet concilium potestatem à Christo, & omnis potestas pontificalis est in eo, vt supra dixi: quia est tunc, vt dixi, in ecclesia vniuersali. Sed si non est hæreticus, & vult puriculis occurrere, tunc Papa est & erit caput: quia non dicit illud decretum, quod potestas non sit in Papa. Nam si poneres potestatem in concilio, poneres etiam in Papa: & sic poneres duo principia, quod esset hæreticum, 24. *q. cerdomiam.* Item si poneres in concilio, ita quod non in Papa, disrumperes vnitatem ecclesiæ, quæ principaliter consistit in Papa capite. ergo Catholico est implere debitum & periculis & periclitationi ecclesiæ occurrente, ipse est caput ecclesiæ, & omnis est in eo potestas. Sed eo hæretico vel periculis & periclitationi ecclesiæ non occurrente, caput est tunc, vt dicit decretum concilii, Christ'. Item erit caput eorum spiritus Sanctus, qui descendet super eos congregatos in vnum ad tam salubre opus peragendum, 24. *q. 1. alienus, in fi.*

Et idem dico, quando aliquis esset in quasi possessione papatus, & eius hæresis vel causa papatus esset dubia vel occulta: quo casu etiam adhuc Papa subiicitur iudicio concilii, vt not. glo. in dicto *capit. si Papa.* 40. *di.* & supra dixi: tunc licet principaliter ad eum spectet concilium conuocare, vel ipsi quocunque conuocato auctoritatem interponere, vt dicto *§. hinc etiam* 17. *di.* si tamen vel negligit, vel non vult conciliũ conuocare, vel ei conuocato præstare auctoritatem, vel si velles eum dissoluere ante cognitionẽ causæ suæ, in omnibus sunt prædicta remedia. Nam eo primũ non conuocante, cũ non possit, vt dixi, talem legem facere, quod de hac causa non cognoscatur, vt no. in dicto *c. si Papa,* tunc poterunt inferiores per viam monitionis hoc casu vel requisitionis conciliũ conuocare: quia cum Papa his casibus debeat subesse iudicio concilii, inuitus etiam iudicium suscipiet,

piet, *l. inter stipulantem*. §. 1. *de ver. obli.* Nec debet esse in eius arbitrio an conueniatur. *ff. de eo quod cer. lo. l. non vtique.* Et concilio conuocato, si ipse volet auctoritatem ipsi interponere, poterit, vt dicto §. *hinc etiam.* Sed si non volet auctoritatem concilio interponere congregato, tunc concilium, quod est iudex in his causis, poterit ad auctoritatem præstandam ipsum cogere, ar. *ff. de leg. 1. l. huiusmodi. §. fi.* Sed si forte pateretur se potius decoriari quã vellet auctorari, vel forte si esset absens, ita quod cogi non posset, tunc concilium ipsum sic conuocatum, quod est iudex, interueniet loco ipsius papæ, & supplebit eius vicem, *l. 1. & l. vidua. Cod. de nupt.* facit *l. bonorum. Cod. qui admit. ad bono. pos. po. & Cod. de iur. deli. l. si infanti, ff. de iur. do. l. profectitia.* Et est cautela, quod tunc concilium pronunciet papam nolentem auctorari concilio, fore suspectum, & loco suæ auctoritatis concilium ipsum auctoritatem interponat: quia, vt dixi, in his maior est sententia concilij quam papæ. & ideo inferiore sine causa renuente consentire, vel auctoritatem interponere, debet adiri superior, qui consentiat. text. est in *c. nullus, de iurpatro.* Hoc simile dicunt Docto. quod si ex forma legis pater debet præstare auctoritatem vel consensum filiæ volenti testari: quod si pater denegat sine iusta causa præstare consensum, quod iudex præstabit talem consensum, vt not. in *l. si cum dotem. §. eo autem tempore ff. so. ma.* & ideo concilium præstabit in tali casu suam auctoritatem, & iudicabit in causa propria seipsum concilium legitime congregatum. & hac de re. tex. in *c. 1. 17. dist. cum ministerio*, dixit quod concilium non poterat sine papæ auctoritate regulariter fieri: quasi velit, quod alias possit fieri, & recedatur à regula, vt ibi. Item si papa præstitisset concilio auctoritatem, non posset eum ante causam finitam dissoluere: quoniam inuitus iudicio subiicitur, dicta *leg. inter stipulantem. §. 1.* Et quia est maior sententia concilii in hac causa quam Papæ, vt notat. glo. 15. *dist. sicut & etiam*: quia ipse papa non potest legem facere, vt dixi, ne de his causis cognoscatur, & sic per indirectum non potest cognitionem huius causæ impedire concilium dissoluendo, licet in aliis causis posset verus papa ad nutum concilium conuocare, & quando vellet dissoluere, nec alius quiuis posset papam cogere, vel quod aliter faceret prohibere, 17. *dist. non licuit*: nisi vbi tractatur causa fidei, vel boni vniuersalis ecclesiæ.

Eædem viæ per omnia tenendæ sunt duobus de papatu contendentibus: quoniam si vnus solus fuit per prius in totali quasi possessione, ipse debebit conuocare concilium, vel ipsi minus iuridice vocato auctoritatem interponere: textus est in dicto §. *hinc etiam*, iunctis his quæ dixi supra & quæ habetur in Chronicis: videlicet quod de papatu cum Symacho contenderit Laurentius: sed quia Symachus fuerat in quasi possessione papatus, ipse concilio auctoritatem interposuit. Et hoc intellige sane; etiam si ex postfacto fuisset possessione papatus in totum vel in partem spoliatus, vt quia fuissent multi qui à papa discessissent. nam tunc papa ante omnia esset in sua sede restituendus tanquam spoliatus, vt 2. *quæst. 7. §. item Symachus.* Et ipse nihilominus deberet auctoritatem concilio interponere; vt dicto §. *hinc etiam.* quod si nollet conuocare concilium, vel ipsi auctoritatem præstare, tunc succederent remedia supradicta. Nec obuiat si dicitur, remedia suprapositã non videntur bona, si vera sunt quæ proxime dicta sunt, quod *papa spoliatus*, quasi possessione papatus posset petere restitutionem. Ex hoc sequeretur etiam, quod si papa erit notorius hæreticus & apostaticus, sed in quasi possessione papatus, quod alii non poterunt concilium conuocare, vel quod concilium conuocatum non poterit sibiipsi auctoritatem interponere: quia sic agendo existens in quasi possessione papatus, posset dicere se spoliari quasi possessione papatus & petere se restitui: per text. dicti §. *item si Symachus. 2. quæst. 7.* & sic impedientur remedia supra data. Item dicere magis poterit alius existens papa & in hæresi occulta vel apostaticus occultus, quando non vellet congregare concilium, vel ei auctoritatem interponere. Nam si alius conuocabit, ab ipso papa se separabit, vel si concilium ipsum nollet supplere defectum ipsius papæ, poterit ipse dicere: si concilium facit ea quæ tantum ad papam pertinent, concilium spoliat me quasi possessione mei papatus in qua sum, & petet se restitui; & irritabit omnia supradicta remedia, & erit perplexitas peior priore. Nam huic perplexitati & obiecto facile respondetur. Et primo notorius hæreticus vel apostaticus non poterit excipere se spoliatum, quia notorie constat quod non est papa, sed quod potestas papalis residet modo in ecclesia vniuersali; vt supra dixi. Et exceptio proprietatis notoriæ obstat spoliato de spoliatione excipienti, vt in *cap. ad decimas, de resti. spo. libr. 6. & de diuor. cap. significasti, de fil. presbyt. cap. constitutus*, cum si. not. Docto. in dicto *capit. dilectus. de or. cog.* loquor quando est notorium prouenieris ex veris probationibus & factis, non in solis præsumptionibus: quia tunc non denegaretur propter tale notorium restitutio, vt not. in *caput. porro. de diuort.* & ibi text. qui sic potest intelligi. Occultus etiam apostaticus vel hæreticus in casibus prædictis non poterit tanquam spoliatus restitutionem petere, quia ego dixi supra quod est ipse qui existens in quasi possessione papatus debet conuocare concilium, vel ipsi auctoritatem interponere. quod si non facit iure permittente alii possunt facere. quo casu ipse tanquam spoliatus non potest restitutionem petere: quia quando spoliatio fit iuris auctoritate, non datur spoliato restitutio. Vnde si aliquis spoliauit me, & ego in continenti spolio ipsum, non datur ipsi tanquam spoliato restitutio. Item si subtraho me à notorio fornicatore secundum casum. *ca. nostra. de coha. cleri. & muli.* non datur rectori restitutio, 32. *dist. præter hæc.* hoc probatur in terminis nostris in papatu: si spolio notorium intrusum in papatu, non datur restitutio sibi, vt est text. 79. *dist. si quis pecunia, & cap. si duo. & 23. dist. in nomine Domini in fi.* not. glo. 3 *quæst. 1. in summa: & in §. patet.* Et quid

Digitized by Google

vbi est notorium & nutritur peccatum, ibi non datur restitutio, vt no. glo. dicta summa 3. *q.* 1. no. *di resti. spo. litteras.* & quia euidens iniusta possessio non causat possessorium, vt no. Inno. in *glo. magna in c. cum ecclesia sutrina, de cau. pos. & proprie.* Existens in obedientia debita vel seruitute, potest se à præstatione obedientiæ vel seruitutis separare, vbi est tali præstatione seruitutis vel patientiæ nutriretur peccatũ, 22. *q.* 2. si quis vxorem adulterã possit priuare debito coniugali propria auctoritate per iura prædicta. Ex quibus patet, quod supra remedia data subsistunt. quando autem plures de papatu decertãtes essent ambo in quasi possessione papatus, tũc nullus ipsorũ præbebit auctoritate concilio: quia illud, quod dicitur, quod Papa vel existens in quasi possessione papatus, solus debet conuocare cõcilium, vel ipsi præbere auctoritate habet locum quando vnus à principio est in quasi possessione papatus vniuersaliter: & ita loquuntur omnia iura hoc dicentia. Sed si sunt duo & scisse à principio papatũ possidentes, tunc neuter conuocabit conciliũ vel ipsi auctoritate interponet, per rationes antedictas. Sed tunc quando ecclesia dicatur quasi vacare, vt no. in *c.* 1. *de scismat.* & supra dixi, erit idem quod quando ecclesia vacat, & est opus concilio, vt quilibet per viam intimationis possit eum conuocare, & conciliũ ipsum sic conuocatum, vt dixi, sibi auctoritate interponet. Et hæc conclusio probatur in *c. si duo.* 79. *di.* vbi concilium recognoscit duobus de papatu contendentibus. nec dicit ibi, quis concilium conuocet, vt patet in *gestis dicti concilii*, & in *gestis Bonifacii. c.* 1. Et horum est ratio: quia paria sunt non esse vel non apparere. *l. duo sunt ticii. de testa. tute. & l. in lege ff. de contrahen. emptis.* Sed quando non est Papa, vt quia notorie hæreticus vel Apostaticus, vel quando duo sunt contendentes, quorum nullus sit in quasi possessione papatus, saltim totali à principio, tunc concilium potest congregari quando vult, & in loco prout eis placet. text. est in *cap. si quis pecuniam.* 79. *dist.* vbi aperte tex. dicit, quod cardinales & alii clerici & laici Deum timentes, qui omnes non sunt aliud quam concilium, possunt talem Apostaticum anathematizare: & si non possunt intra vrbem, faciant extra in loco prout eis placuerit. Nota quod quia non dicit vt illi Apostatico videbitur vel placuerit, sed vbi ipsis placuerit. vnde ibi ex tex. quod tunc concilium conuocatur quando non est Papa, prout videbitur cardinalibus & aliis. Et est ratio: quia in scismaticos etiam laici principes iurisdictionem habent & contra Apostaticum, vt est tex. coniuncta glo. in *c. principes.* 23. *q.* 5. & ibi est tex. quod quando deficit potestas ecclesiæ, supplet potestas secularis. Et ideo si propter contentionem duorum de papatu contendentium non potest vniri ecclesia, tunc insurgere possunt alii etiam principes seculares, vt dicto *capit. principes.* & infra dicam. & hoc modo est soluta omnis perplexitas.

Restat vt respondeatur ad aliqua contraria, vt omnia plana sint. Et ad primas rationes de perplexitate est supra responsum, Et similiter ad illud, quod conuocatio fiat per maiorem de vniuersitate vel per habentem potestatem citandi: quia illa sunt vera, quando conuocatio fieret per viam auctoritatis vel citationis: secus autem quando per viam simplicis monitionis, vt dixi; quia tunc etiam faciunt eam pares vel minores, qui non quærunt ex tali vocatione quenquam sibi subiicere, sed remouere. Et sic tollitur illud aliud, quod sic vocans videtur Papam vel alios maiores vel sibi pares subiicere. Ad illud, quod debeat fieri per existentem in quasi possessione papatus vocatio: fatendum est dummodo velit, sed eo nolente, ne iura sint ludibria, succedunt remedia supra data. Idem dum dicitur, quod nullo existente in quasi possessione papatus non erit qui conuocet concilium, hoc est falsum, vt probatur in dictis capillis, *si duo. & c. si quis pecunia.* 79. *di.* Ex quibus apparet, quod in vno erant duo tantum de papatu contendentes & intrusi, & in alio solum vnus Apostaticus. & in dictis capitulis ex tex. quod concilium tales expellit & iudicat. sed quis tunc potest tale concilium conuocare? necesse habes dicere quod alii clerici vel Imperator, aut alii seculares, ar. *l.* 3. *§. si debitorem. ff. quæ in frau. cre.* & eorum quæ no. in *l.* 1. *C. ne quis in cau. sua ius dicat.* Ratio: quia his casibus etiam laici iurisdictionem habent, vt est tex. in dicto *c. principes.* 23. *q.* 5. & dicto *c. si duo. & c. si quis pecuniam. &* 23. *di. c. in nomine Domini.* Item quia quando est notorius solus Apostaticus, vel papa notorie prolapsus in hæresim, vacat sedes: & quod tunc, cum indigeamus concilio, non sit qui conuocet vel auctoritatem ipsi præstet, est ridiculum dicere: quia saltim papalis potestas residet in tota ipsa vniuersali ecclesia, vt probat tex. in dicto *c. si quis pecuniam.* 79. *dis.* qui præbet ecclesiæ iurisdictionem contra intrusos. ad idem tex. 23. *di. in nomine Domini.* in quibus iuribus probatur quod existente apostatico, & sic vacante sede, ecclesia vniuersalis habet iurisdictionem. facit tex. in dicto *capit. si duo.* Pro ista parte facit, quia etiam papæ potest fieri monitio publica quando est hæreticus, quæ est vt dicatur ecclesiæ, vt not. Docto. in *c. nouit. de iudi.* vbi tibi dicunt, quod monitio potest ei fieri publica, quando Papa est hæreticus, quæ est vt dicatur ecclesiæ. ergo ecclesia habet hoc casu iurisdictionem supra Papam. 21. *di. nunc autem. &* 19. *di. Anastasius.* & in omni casu vbi non potest Papa prouidere, potest ecclesia vniuersalis. Hinc est quod in prima ecclesia antequam essent distinctæ diœceses, & messis erat multa & operarii pauci, indifferenter Apostoli per totum orbẽ ordinabãt, licet (vt dixi) quando erat Petrus deferrent Petro. Vnde concluditur, quod vacãte sede manente necessitate, ecclesia vniuersalis habet omnẽ potestatẽ Papæ: se non subsistẽte necessitate, nõ credo ꝙ imponat manus ad ea quæ cõpetũt tantũ Papæ, statuendo contra statuta per Papã: quia cõciliũ nõ est supra Papã, nisi esset de illis tribus, vbi conciliũ est supra Papã, in hæresi, & in bono vniuersalis ecclesiæ, vel vbi desolaretur status, ipsius ecclesiæ vniuersalis. In casu ergo prædicto, quando Papa non vult conuocare conciliũ, vel ipsi auctoritatem interponere, & imminet necessitas pro

Digitized by Google

bono vniuersalis ecclesiæ potestas est in ipso concilio & in ecclesia etiam contra voluntatem Papæ. Et ideo ipsa synodus quomodo congregata potest sibi auctoritatem legitimam interponere. Et cōuocatio ipsa poterit fieri etiam à principibus secularibus. Et ideo quando ecclesia per se non posset, deberent facere principes seculares, sicut fuit tempore Constantini. 16. *di. habeo librum*, cum c. seq. vt supra dixi. & not. 23. *q. 5. c. principes*. & ita dicit glo. in libro conciliorum in *principio Africani concilii*, & not. in historia Tripartita *li. primo c. fi.* & in *li. secundo. c. 9. & c. 13. in decimo libro. c. 2. & 3.* idem mandato & licentia principis congregatum fuit Calcedonense concilium: & ibi etiam, quod plus est, interfuit Augusta, vt patet in dicto *libro Calcedonensis concilii*. Et hæc sunt verba dictæ synodus, *quæ secundum gratiam Dei & decreta piissimorum imperatorum congregata est in Calcedonensi ciuitate* &c. Et demum subduntur ibi hæc verba: *Dominus noster piissimum & fidelissimum imperatorem erexit ad cælum fidei: qui vndique sacerdotes & pontifices ad se conuocauit*. & in fi. dicti. c. dicitur & loquitur imperator: *Ab vniuersis enim prouinciis longissimi sacerdotes Calcedones venerunt iuxta mandata vestra & præceptum*. vnde patet quod Cæsar nonnunquam concilium conuocauit.

Ad illa argumenta, quod duobus contendentibus de papatu, & vtroque habente papatus quasi possessionem propter scissos Christicolas, quod ex hoc impossibilis erit conuentio, quia pars aliam scismaticam reputabit. Et sic non videntur posse inuicem salua conscientia communicare: & quod illi de vna parte non parebunt, alii de alia vocanti nec econuerso: nec erit qui auctoritatem concilio interponat. Item non poterit aliquis se scindere ab eo, quem Papa reputabit conuocando per viam monitionis concilium quin scismaticus efficiatur, præsertim si volens conuocare conciliū prohibebitur ab illo quem reputabat Papam, qui forte ei mandat quod ab ipso non discedat, vel monitionem alicuius cōcilii non faciat sub pœna excommunicationis, vel forte priuationis cuiuscunque dignitatis quam incurrat ipso iure. Sic breuiter respondeo. Et ad primum dico, quod licet excommunicatis & scismaticis communicare, sit peccatum, *de sen. excom. c. nuper*. tamen ex causa necessitatis licite sine peccato communicatur eis, vt in *c. si vero. de sen. ex.* si non potest esse maior necessitas, quantum est scisma & contentio de papatu & vicariatu Iesu Christi, 12. *di. omnis*. Et ideo hoc casu licite pro reconciliatione fienda possunt qui sunt vere Catholici cōmunicare etiam excōmunicatis scismaticis siue hæreticis: hoc probatur in cle. *ne Romani. ad fi.* & ibi glo. in *ver. cæterum de elec.* vbi est tex. quod non obstante quod cardinalis aliquis sit excommunicatus, qui tamē hoc prætextu ab electione repelli non potest, vt ibi, & dixi supra in quæstione *an aliqua exceptio contra cardinales opponi possit, alii cardinales sine peccato cum illo possunt communicare ad electionem futuram Papæ fiendam*. cum enim hæc communicatio fiat hoc casu cum scismaticis iure permittente non incurratur aliqui pœna, *l. seruus. §. si quis riuum. ff. de riuis*. facit. *l. Gracchus C. de adulte. & ff. de adul. l. nec in ea. & l. se. no. 33. q. 3. capit. inter hæc*. nam cum scismaticis cōmunicare non licet, 24. *q. 1. maiores*, nisi quando correpti quærunt vnitatem, vt not. glo. fi. in dicto *capit. maiores*. facit. 25. *q. 6. c. 1.* Et ideo tempore scismatis si aliquis communicat cum illis de alia parte vt fiat vnio non peccat, nec efficitur scismaticus. Et similiter per viam monitionis conuocans concilium, ex eo quod existens in quasi possessione papatus negligens est, non dicitur se scindere à suo capite & scisma committere, vt supra dixi. vnde hæc argumenta contraria includunt impedimentum conuocationis concilii ex eo, quod communicare non liceat cum aduersariis. Item non est opus vt aliquis ipsorum litigantium de papatu auctoritatem interponat, quia sufficiat auctoritas sola ipsius concilii auctorantis sibimet concilio, vt supra dixi. Item dico, quod vt habeant materiam isti de diuersis partibus parere vocentibus, vel ipsos exaudire poterunt conuenire de principalioribus vtriusque partis, & conuocare concilium in aliquo loco illis de vtraque parte nō suspecto, vel poterit tunc Cæsar tanquam mediator amborum & indifferens & in temporalibus Dominus mundi, *l. deprecatio. ff. ad le. Rho. de iac.* quia, vt dixi, sine periculo scismatis possunt hoc casu inuicem conuenire plurimi, quamuis sint sectę diuersæ vel pares. Item plurimi possunt conuocare conciliū, quando de vno loco & tempore cōueniunt, & vt vtraque pars conueniet in vnum & sine periculo: quia esse etiā poterit quod erant scissæ ambæ partes, & nulla pars scismatica erit, si forte iusto errore ducti sic separati Christicolæ, vt dixi supra in quæstione: *an duobus de papatu contendentibus, aliquis eorum vel ambo scismatici sint*: quamuis & si forent scismatici & vnionem affectarent quærendo concilium vel ad ipsum veniendo licite ipsis posset communicari & sine peccato: vt not. glo. in dicto *c. maiores*. 24. q. 1. & supra dixi.

SVMMARIVM.

Cæsar vel Cardinales, qui forte crediderunt vni ex istis Pontificibus litigantibus, non poterunt ab ipso se separare, & conscientia salua conuocare Concilium. Sed quid hoc casu possunt vel debent facere vel subditi? an licet ipsis à suo, quem reputant Pontificem, separare sine discrimine & peccato.

CAPITVLVM XXV.

AD illud quod dicitur, quod cardinales vel Imperator, qui forte crediderunt vni ex istis pontificibus ligantibus non poterunt ab ipso discedere & ab ipso se separare conscientia salua, & conuocare concilium: dico primo esse permittendum quid hoc casu possint vel debeant facere subditi: an licet ipsis à suo quem reputant pontifice separare sine discrimine & peccato. Secundo, an ex eo quod se separarent à suo pontifice, vt tali casu concilium conuocet, vel ad ipsum vadat, dici debeat scismaticus vel peccator. Tertio, si debet seruare præcepta, vel

Digitized by Google

timere excommunicationes vel censuras, quas idem pontifex suus faciat in casu quo ab eo recedat vel concilium conuocet. & hæ consultationes concernunt, siue sint cardinales qui hæc patiantur, siue alii prælati vel laici. Ad primam quæstionem discurrendi sunt omnes casus: & primo quando est vnicus Papa, & dicitur lapsus in hæresim, vel renunciasse, aut peccatum committere, quod turbet & scandalizet vniuersalem ecclesiam, an tunc licite possunt subditi ab ipso separari Secundo quando sunt duo de papatu contendentes, an si vnus est solus in quasi possessione subditi ex tali contentione possunt ab ipso recedere, vel quando duo possiderent scisse Christicolas, an subditi à suo, quem reputant pontificem, discedere valeant.

Veniens ad primam quæstionem videtur quod præsertim quando causa hæresis est dubia, vel renunciationis aut similis, non licet ab vnico existente in possessione pontificatus ante latam sententiam recedere. tex. videtur 8. q. 4. *c. nonne.* facit *de conse. di. 2. c. non prohibeas*, & quod not. Inno. & Doc. in *c. nostra. de coha. cleri. & mulie.* vbi volunt, quod sint crimina grauia quantum velint, & homicidium & simonia, tamen non debet prælatus occultus euitari, quia excommunicatus occultus non debet vitari, vt no. *6. q. 2. c. si tantum. & c. placuit. & de senten. excom. c. cum non ab homine. de tempo. ordi. ad aures*: etiam in sacramentis, quia Christus tradidit corpus suum Iudæ proditori & sacrilego, qui etiam fuit hæreticus, vt *1. q. 1. c. eos*, & no. Inno. *de hæreti. fraternitatis.* & maxime quando vitatio prælati esse posset scandalosa, ar. *c. prædicti ad aures, de tempo. ordi.* Et maximè non videtur deserendus Papa à cardinalibus, qui sunt pars corporis Papæ, *6. q. 1. c. si quis cum militibus.* (*ad leg. iul. maie. l. quisquis.* videntur etiam astricti ad residentiam cum Papa, vt assistant ipsi in conciliis & aliis opportunis, vt nec momento ab ipso abesse debeant, *de cle. non resi. c. ex gestis. & c. ex tua. 7. q. 1.* per totum. & videtur tex. in *c. olim, de accusa.* Ad idem tex. *17. di. hinc etiã*, vbi puniti sunt qui à Symaco propter suspitionem criminis discesserunt. pro hoc videtur tex. in *c. cum secundum leges, de hæreti. in 6.* vbi est casus, quod quamuis hæreticus sit ipso iure damnatus, & bona eius confiscata, tamen executio ab homine priuato fieri non potest ante sententiam iudicis. Et sic antequam concilium hæreticum Papam damnauerit, vel ipse se suo ore damnauerit, vt *21. di. nunc autem.* non videtur subditorum licita separatio, ad idem tex. in *c. licet episcopus, de præben. lib. 6.* vbi est tex. quod licet per ademptionem secundi Curati primum beneficium vacet ipso iure, vt in *c. de multa de præben.* tamen non videtur q ipso non conuicto possessio sit ei auferenda. ad idem tex. in *c. ordinarii. §. 1. de offi. ordi. lib. 6.* & quod priuatus non possit ipse de se exequi sententiam sine iudice ab homine vel à iure latam. videtur tex. in *l. miles* alias *ait prætor. §. qui iudicati, ff. de re. iud.* Vnde videtur, quod ex dubia hæresi vel renunciatione Papæ ipse Papa à subditis suis non sit deserendus: quinimmo plus videtur dicendum, quod etiam quando hæresis sua vel renunciatio aut peccatum turbans ecclesiam esset notorium, ipse deserendus absque iudicis mandato non sit, quia etiam, nisi est notorium, in eo exigitur sententia, vt no. glo. *de rescript. ab excommunicato, & de iureiur. c. ad nostram. de testi. cog. c. super eo. 2. q. 6. quæ Lotharius.* & est glo. *de purg. ca. c. penul.* & Bar. apud legistas in *l. emptorem ff. de acti. emp.* & præsertim requiri videtur sententia in effectibus facti propter notorium delictum imprimendis siue exequendis: sicut est discessus subditorum, qui est quid facti. glo. est in *Aut. vt iud. sine quoquo suffra. §. necessitatem.* licet non sit necesse vt feratur in scriptis vel cum solennitatibus vel solennitate, de quibus in *l. prolatam. C. de sen.* & hoc tenet Io. An. in *c. ex parte, de ver. signi. in prin.* & Archi. *2. q. 1. quæ Lotharius, & in c. fœlicis de pœni. li. 6 in ver. pontificali. ad fi. glo. magna*, vbi dicit, quod sufficit si à iudice fiat quædam detectio. idem Io. An. in addi. specu. in ti. *de noto. cri. §. notorium autem, in fi. 3. colum.* immo sufficit præceptum, vt dicit Archi. in dicto *c. quæ Lotharius.* & not. Cyn. *C. de his qui no. infa. l. nulla.* & glo. in *l. ictus fustium. ff. eo. ti.* Si enim inconfessum sufficit præceptum, *ff. de iudi. l. si debuori.* fortius & notorio: & hoc in ciuilibus: sed in criminalibus requiritur sententia, vt not. glo. *2. q. 1. c. 1. & in l. 1. C. de confes. l. si confessus. de cust. reo. & l. 1. & l. ictus fustium. ff. de his qui no. infa.* Ex quibus videtur quod siue occulta sit hæresis siue notoria, non liceat sine iudicis licentia subditis à Papa hæretico occulto vel etiã notorio discedere: & multo magis non videtur discessus licitus, quando in nulla est hæresi vel scismate constitutus. In contrarium videtur quod Papa existente hæretico etiam occulto, nedum notorio, quod licite subditi hoc scientes possint ab ipso separari sine alio iudicis ministerio. text videtur in *c. anastasius. 19. di.* vbi multi anastasiũ deseruerunt & iuste: quia occulte cõmunicauerat in crimine hæresis. Pro hoc facit, quia quando est apostaticus ille, qui dicitur Papa, vel Papa verus est prolapsus in hæresim, tunc quilibet excommunicatus est de primo Apostatico est tex. in *c. licet, de euitanda de elec. & in c. in nomine Domini. 23. di. in fi.* loquor etiam si sit apostaticus, quia renunciasset papatui, & postea hoc non obstante decertaret ipsum sine canonica electione retinere: quia malo ingenio contra Canones in ipso staret intrusus, & similiter excommunicatus foret. vt dicto *c. in nomine Domini.* Et de hæretico, quod sit etiam Papa excommunicatus, non est dubium, *24. q. 1. accacius.* ergo licite quilibet ipsorum euitatur, & ab ipso receditur, *de sen. excom. c. nuper. & c. cum non ab homine.* Et istos effectus iuris, videlicet excommunicationis & perditionis dignitatis propter hæresim vel apostasiam incurrit quis ipso iure absque aliquo iudicis alterius viuentis ministerio, vt in *c. cum secundum leges, de hæreti. in 6.* not. Io. An. in *c. vt commissi, eo. ti. li. 6.* & dicto *c. accacius. 24. q. 1.* Et quia surgere contra Papam apostaticum vel hæreticum, videtur à iure subditis permissum, *79. di. si quis pecuniam. & c. in nomine Domini. 23. di. in fi.* vnde videtur quod hac iuris permissione vti possint absque alio iudicis mandato, *l. quæ sub conditione, in fi. ff. de condi. insti.* Et ideo cum ministerio dicitur, quod

Digitized by Google

quod frustra precibus impetramur quod iure communi conceditur, *l.1.C.de thesa.li.10.* & hinc etiam est, quod quandoque licet occidere transfugas vel fures nocturnos, aut agrorum depopulatores iuris permissione, vt *l.post liminium.§.transfugas.ff.de cap.& l.3.§.transfugas.de sicca. & C.quando licet sine iudi.vin.l.1.* & hoc potest fieri aliter non petita à iudice licentia. similiter quando licet capere debitorem papa auctoritate, *l.3.§.si debitorem ff.quæ in fran.cre.* hic etiam probat tex. in *d.c. licet episcopus, de praben.li.6.* allegatus in contrarium: vbi est tex. quod si habens beneficium Curatum, acceptat aliud similiter Curatum, cum primum vacet ipso iure, episcopus potest ipsum conferre, etiam prius possidente non citato, aut alia declaratione non facta quod vacet. Ex quibus videtur quod hæresi, in qua papa prolapsus sit, vel ex eo quod sit apostaticus, licite sine alia sententia potest deseri à suis subditis hoc scientibus, etiam si crimina ista occulta sint. Et hoc concludunt iura illa, quæ supra deduxi, quando Deus per Moysen dixit: *Separamini à tabernaculis* &c. *d. c. didicimus.* Et ita debet intelligi exemplum Policarpi, de quo supra dixi. & videtur text. *32.di.§.verum,* vbi non licet ab eis recipere aliqua sacramenta, nisi baptismatis in causam necessitatis: alia autem sacramenta etiam necessitatis ab hæretico non licet recipere, *d.§.verum.* no. in *d.c.nostra, de coha.cleri.& muli.* & ibi Doct. & hanc sententiam credo veram per tex. *16.q.fi.c.sane & 2.q.7.c.sacerdotes.* & no. in *c. cum non liceat, de præscript.* Nam à prælato excommunicato, sicut est hæreticus & apostaticus, licet recedere sine alia sententia, vt *de appel.c.pastoralis, in fi.& 9.q.3.excommunicatos, & c.excommunicato.* Et dicit Innoc. quod hoc est verum, etiam quantumcunque ipse toleretur, dummodo probari possit, adeo vt si vocet aliquem subditum ad ordines vel ad alia sacramenta, possit ipsi dici: non recipiam hæc à te, quia excommunicatus es. ita no. ipse Innoc. in *c.1.de schisma.* facit *6.q.2.c.si tantum.* quia debent eum denunciare, vt emendetur. Sed an peccent suscipiendo ab eo sacramenta, in *d.c.nostra.* & Inno. *de hæreti. fraternitatis,* & in *c.per tuas.el.2.de simon.* vbi concludunt Doct. quod non debent ab ipsis etiam occultis recipi, nisi in baptismate & corpore Christi, vt in *c.3.de hæreti.* licet ipsis occultis peccatoribus petentibus in publico sacramenta danda forent, *de conse.di.2.c.non prohibeat.1.q.1.c.Christus.* Et idem occulto excõmunicato danda sunt publica officia, quæ aliis dantur, ne sic vitando, cum prælatus publicet ipsum, *de offic.or.c.si sacerdos.*

Restat respondere contrariis. & ad *c.nonne, 8.q.4.* respondetur, vt no. glo. in *d.c.cum non liceat,* quod non loquitur in aliis criminibus quam hæresis, *24.q.2.c.sane:* & in crimine, ex quo irrogata sit sententia excommunicationis, *d.c.cum non ab homine,* & in crimine schismatis, *de elect.c. quia diligentia:* & in Simoniaco in ordine, dummodo probari possint, *32.di.§.verum.1.q.1.si quis à Simoniacis.* In aliis autem criminibus, etiam si sint notoria, expectãda est sententia, *15.q.fi.c.fi.* Fallit in crimine fornicationis notorio, *32.di.nullus.* ita not. glo. *2.quæst.7.sacerdotes.el.primo.* vbi glo. addit alium casum, quando prælatus non seruat canones, *19.dist.nulla.* sed debet intelligi sane: quia non seruat canones, quia arbitratur papam non posse illos condere: tunc quia est hæreticus, debet vitari. Sed ego credo, quod idem sit in omni suspenso à iure quo ad se & quo ad alios, vt licite dimitti possit, vt possit eum euitare, dummodo euitatio sit vt eum corrigat, non vt publicet. Nam ex quo ius ligat factum occultum, licite ab eo receditur, vt *di.ca.cum non ab homine,* no. glo. in *cle.1.de hæreti.in glo.magna ad fi.* ideo potest vitari, vt se retrahat à peccato, non obstat *32.dist.§. verum:* vbi videtur permissum ab homicidis & adulteris percipere sacramenta, & sanctimonialium violatoribus, quia loquitur ibi in criminibus occultis non suspensis & non præcisis: sed inquantum essent suspensi. idem est dicendum, quodcunque sit crimen, & ibi de fornicario fuit mentio exempli gratia. Idem credo in omni crimine notorio ordinis executionem impediente, vt no. Innocent. & Docto. in *c.per tuas el.2.de Simo.* Sed in istis est ratio, quod vitari debent, quia suspensi. & ideo idem est in omni alio, in quo quis à iure suspensus foret: quia peccaret qui voluntarie cum talibus communicaret: quia debemus esse solliciti de anima fratris lucranda: ideo debent tales deseri vt desistant, & toleratio non operatur quantum ad scientes, vt no. Io. Chalde. in *c.ad probandum, de re iudi.* Et hæc sunt etiam in omni occulto, cuius delictum probari non possit, vt liceat vitare suspensum ad finem, vt se corrigat, non vt procedat. Sed si esset pene occultum quod probari posset: credo quod posset vitari vt reprobetur delictum, *6.quæst.2.si tantum,* & vt denunciaretur. Et ista sunt de mente eximii Doctoris domini Antonius de Butrio in *dicto capit.vestra, de coha.cleri.& mulie.* not. in *c.1.de schisma.* Non obstat tex. in *§.hinc etiam.17.dist.* quia ibi erat suspicio criminis hæresis vel alterius criminis in Symacho papa: sed non erat verum, quod esset hæreticus. Et ideo ex sola suspicione hæresis deseri non debet papa, sed quando scitur in veritate, potest deseri, etiam si hæresis aliis sit occulta, dummodo probari possit. Ad *c.cum secundum leges, de hæreti.in 6.* Et ad *c.licet episcopus, de praben.li.6.* Et ad *l.miles,* alias *prætor ait.§.qui iudicati.* Respondeo quod est considerandum, lata sententia à lege vel ab homine quomodo pars vult ea vti contra eum qui succubuit vel damnatus est. Nam aut pars aduersa vult effectus iuris causatos propter talem sententiam hominis vel legis allegare solum, vel dicere inductos esse, & tunc potest hoc allegare & dicere inductos absque alio iudicis ministerio: vt si allegat vel dicit, ad mortem damnatum ipso iure effectum intestabilem, vel prius testamentum per eum factum irritum esse & ad nullitatem deductum: & hoc potest facere & allegare, *l.si quis filio exhæredato.§.irritum.ff.de iniust.testa.* Et similiter potest allegare, quod hæreticus etiam papa iuris executione est excommunicatus ipso iure, & dignitate priuatus, & bona eius publicata, *de hæred.c.cum secundum leges.lib.6.* Item per acceptationem secundi Curati facta est executio ipso iure à lege, vt primum vacet, vt in *c.de multa.de praben.* adeo vt per habentem conferri possit absque alia iudicis de-

Digitized by Google

claratione, vt est text. in *c. licet episcopus, de praeben. li. 6.* Idem dicimus in damnato de crimine publico, vt efficiatur infamis ipso iure & allegari infamis, vt *l. infamem ff. de publi. iudi.* Nec est opus quod iudex eum dicat vel declaret infamem. text. est optimus in *l. 1. §. 1. ver. siu autem pronunciauit. ff. ad Turpil.* Pro istis igitur à iure introductis effectibus vigore alicuius sententiæ à lege siue ab homine latæ non est opus alio iudicis ministerio vel sententia: immo iudex non posset sine causæ cognitione facere, quod isti effectus à iure introducti non imprimerentur, *l. non potest iudex. ff. de furt.* not. in *l. vt militibus. Cod. de testam. milit.* Si vero loquimur de executione fienda ab homine ipsius sententiæ ab homine vel iuris promulgatæ, tunc aut potest fieri aperte aduersa absque eo quod aliquid requirat à damnato, sed potest fieri solum per quid vel aliquid solum denegando sibi damnato, & tunc pars potest illud facere sine alio iudicis ministerio vel sententia. ideo debens conferre beneficium, confert illud postquam vacauerit ipso iure, & absque eo quod possidentem citet iudex, vel ipsum beneficium vacare declaret, vt est tex. in *dicto capit. licet episcopus, de praeben. li. 6.* Similiter si vsufructuarius obtinuit pro vsufructu in confessoria, & per prius possidebat ipsum fundum, ipse vigore sententiæ colliget fructus, nec pro executione indigebit iudicis ministerio, *l. vti frui. §. 1. ff. si vsufruct. penult.* Idem si egit aliquis dicens, vicino non esse ius altius tollere, & obtinuit, si qui succubuit non habebat ædificatum, facta est executio à iure, vt si velit altius tollere, possum ipsum prohibere, etiam sine iudice, vt altius non tollat, *l. & si forte. §. 1. ff. si serui. vendi.* Item si egi, ius mihi esse eundi per viam fundi tui ad fundum meum, si obtinui, possim ire per fundum sine alio iudicis ministerio. Et sic similiter, si aliquis est damnatus hæreticus à lege vel ab homine, subditi possunt sine alia iudicis declaratione recedere: quia pars aduersa potest à se facere executionem, in qua nihil requirat à victo nisi patientiam siue pati, vel ei solum quid deneget, non aliquid auferat. igitur vir statim, quod mulier est adultera, etiam occulta, potest denegare ipsi debitum absque alia declaratione quod sit adultera: ita debet intelligi quod not. in *c. si. de adulter.* Et hoc monstratum est in primo parente, cui continuo post spretum mandatum Dei elementa fuerunt facta contraria, & omnia animalia eidem in domino commissa ipsi obedientiam subtraxerunt. Si vero pars in executione debeat aliud quam pati à victo requirere: tunc aut quod requiritur, potest expediri in ipsum victum etiam inuitum, & tunc non exigitur pro executione sententiæ alio iudicis ministerio. patet de iure ciuili, si fertur sententia quod aliquis sit filius, famulus meus vel seruus, tunc erit executio facta à iure quod testari non possit, *l. qui in potestate. ff. de testam.* & ego potero ipsum moderate castigare, & in meam potestatem redigere absque quod implorem iudicis ministerium, *l. 1. & l. 3. Cod. de patri. potestat.* Si vero illud, quod à condemnato requiritur, non potest fieri à parte priuata ipso damnato inuito, vt est quando condemnatus quis ad rem corporalem mihi dandam siue tradendam, & ego volo nancisci possessionem adhuc per damnatum possessam, tunc pars non potest talem executionem de se facere sine iudicis ministerio: ita debet intelligi text. in dicta *l. miles. §. qui iudicati ff. de re iudic.* ita etiam debet intelligi text. in *ca. secundum leges. in fi. de hæretic. in 6. & in c. licet episcopus. de præben. in 6.* In quibus iuribus probatur, quod quamuis vacantis primi beneficii Curati ipse possit iure ab habente facultatem conferendi fieri collatio, quia in hoc non requiritur à victo nisi pati, possessio tamen aperte ipsi auferri non potest, sed debet ipsa ab episcopo iudice citatione præambula auferri. & hoc modo debet intelligi text. in *dicto capit. ordinarii. §. 1. de offic. ordin.* vt ibi collatio beneficii possit fieri sine alio iudicis ministerio, sed ablatio possessionis non: & ita sentit Io. An. in *nouella.* hoc tamen intelligo, quando possidens est in possessione nuda facti ipsius beneficii, quo priuatus est ipso iure, vt eius possit fieri collatio etiam ipso incumbente de facto possessioni non citato. secus si in ipso haberet coloratum titulum & possideret: quia tunc non valeret collatio illo colore non cassato. nota est Doctorum in *c. cum nostra. de concess. præben.* Idem text. in dicto *capit. cum secundum leges.* Nam licet bona hæretici sint ipso iure confiscata, tamen eorum possessio ab aliquo auferri non potest, nisi postquam iudex declarauerit. Ratio, quia à condemnato requiritur modo aliud quam simpliciter pati, quia requiritur sibi auferri rerum possessio, quæ ab eo inuito aperte auferri non potest, vt dicto §. *qui iudicati.* Sed à iudice bene potest auferri ab inuito, *l. qui restituere, de rei vendic.* Vnde concluditur, quod sententia lata à lege vel homine vel parte, si quæritur fieri executio contra victum à vincente, quod si fit solum in eo iure, in quo à victo requiritur datio vel traditio aut oblatio, ita quod victus debeat præstare aliud quam patientiam, & tunc si potest aperte fieri contra victum inuitum, vel etiam renitentem, & hoc potest fieri etiam aperte sine iudicis ministerio. sed si non posset talis executio fieri aperte contra victum inuitum, tunc sine iudicis ministerio sententia hominis vel legis executioni non ponetur aperte. Fallit hoc vltimum, nisi quando iudicis copia haberi non possit, vel si expectaretur iudicium esset inane, vel nullius fructus, quia tunc pars sua auctoritate etiam hoc casu posset exequi, argu. *l. nullus. Cod. de Iudæis,* & quod ibi not. & *l. 3. §. si debitorem. ff. quæ in fraud. credi.* & hoc modo iuste factum fuit per Scipionem Nassicham, qui Gracchum suis largitionibus subuertentem populum omisso iuris ordine interemit cum sua coniuratione, & reprehendit Scæuolam Consulem, qui volebat iuris ordinem seruari dicens: *Consul, dum iuris ordinem sequitur illud agit, vt cum omnibus legibus Romanum ruat imperium,* vt refert Valerius in libro tertio in titulo *de fortitudine.*

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Cardinales an possent ante sententiam Concilii in casibus prædictis ad electionem alterius principis procedere.

CAPITVLVM. XXVI.

ET ex ista doctrina sic bene declarata, inferuntur ad propositum multa. Primo: quod papa hæreticum vel apostaticum etiam occultum, dummodo probari possit, subditi potuerunt sine alia declaratione deserere, 2. *quæst.* 7. *oves.* sed non à possessione papatus expellere, nisi vt infra dicam. Sed tunc est dubium, an Cardinales possent ante sententiam concilii in casibus prædictis ad electionem alterius papæ procedere? Videtur quod sic, per text. in *dicto capit. licet Episcopus de praben. lib.* 6. & per illa quæ supra dixi. nam cum Papa hæreticus sit ipso iure priuatus, & vacet sedes. & idem cum est apostaticus, videtur quod ipsi Cardinales, ad quos spectat papatum conferre, possint statim ante sententiam concilii eligere: quia ex hac electione non requirunt à papa iam damnato per legem nisi patientiam siue pati, vt probant omnia supra deducta, præsertim text. in *dicto capit. licet Episcopus*, vbi est casus, quod facta à iure priuatione beneficii, ipso iure Episcopus illud confert, possessore amplius non citato vel non declarato aliter quod ius perdiderit: sic eligent papam Cardinales possidente papatum aliter non citato, vel etiam absque eo quod declaratum sit ipsum possidentem perdidisse papatum. Et pro hoc videtur tex. in simili in *capit.* 2. *de parrochi.* & quæ ibi notat. Hosti. & in *capit. eos in fi. de tempo. or. li.* 6. Et pro hac sententia videtur tex. in *capit. si quis pecunia*, 79. *dist.* vbi Cardinales & alii clerici & laici Deum timentes possunt Apostaticum & intrusum à sede Apostolica deiicere, & ipsum anathematizare, & alium eligere, & electo conferre administrandi potestatem. Ad idem tex. 23. *dist. in nomine Domini in fi.* Sed contrarium videtur text. in *c. ad Apostolica. de re iudi. li.* 6. vbi Imperatore existente ipso iure deposito, electores non procedunt ad electionem alterius, nisi cum sententia declaratoria lata fuerit. vt ibi est tex. in fi. ibi: *illi autem* &c. Et hoc credo verum in his duabus electionibus papæ vel Imperatoris, vt quamuis quisque eorum ipso iure perdidisset dignitatem, vt forte propter commissam hæresim, tantum Electores non possunt ante sentētiam declaratoriam procedere ad electionem alterius. Et est ratio, quia cũ ius administrandi transeat in papam statim facta electione, vt in *capit. in nomine Domini*, §. *planè*, 23. *dist.* Certè Cardinales per talem electionem priuarent existentem in quasi possessione papatus quasi possessione administrandi ad summum pontificem expectantia, & sic exequerentur contra Apostaticum vel hæreticum papam quam ipsum nudum ius eligendi, in quo requireretur solum potentia: sed quasi possessionem iuris administrandi eligendo alium auferrent Apostatico vel hæretico in quasi possessione existenti. nam primum se subtraherent, & de seipsis quasi possessionem papatus in papam hæreticum consistentem in alium per electionem transferrent. vnde non solum se à papa separarent, quod eis licet, vt dixi supra; sed quasi possessionem quam haberet papa in eos, in alios transferrent electum: & hoc non licet eo possidente non citato, vt *dicto capit. licet Episcopus. de preben. libro* 6. & spirituale est in casu, *capit. eos qui, de tempo. ordi. lib.* 6. quod subditi Episcopi excommunicati possint adire propria auctoritate vicinos episcopos pro ordinibus recipiendis. & hoc tenent Doc. in *capit. nostra de cohabi. cleri. & muli.* vbi dicunt, quod licet subditus possit vitare prælatum suum notorium fornicarium, non tamen potest audire missam alterius, vel ad alium prælatum ire sine alia declaratione & sententia. facit quod not. in *cap. fi. de pœn.* Et ideò non possunt alium ante sententiam eligere, ar. dicti *capit. cum secundum leges, de hæreti. in* 6. Nec obuias si dicis: idem est in aliis prælatis, vt ius administrandi habeant incontinenti, vt not. *de elec. c. transmissa.* quia illud non est verum existente alio in possessione, vt supra dixi. Et igitur in istis inferioribus valet prouisio sola facta de secundo primo adhuc non declarato damnato, vel à possessione non amoto, vt dicto *c. licet Episcopus, de praben. l.* 6. quia ex sola prouisione non habet prouisus ius administrandi alio in possessione existente; & sic in collatione sola, cum nihil requiratur à possidente, nisi pati, potest prouisio fieri: quod secus est in papatu, quia statim facta electione in electum transit quasi possessio papatus, vt dicto *c. in nomine Domini* 23. *di.* & licet supra dixerim, quod alio existente in quasi possessione, nec ipse papa posset sua auctoritate nancisci possessionem, sicut & alii possunt prælati nancisci possessionem propria auctoritate alio in possessione existente, vt not. in *ca. transmissa, de electi.* tamen hic plus est, quia Cardinales eligendo non solum causant prouisionem papatus in papam electum, sed eo ipso se à priore subtrahunt, vt nouo electo saltim sui possessionem tribuant. vnde à possessione primum spoliant alteri conferendo, quod non licet, vt dicto *capit. licet Episcopus in fi.* quod non est aliis prouisionibus inferiorum, quia licet ex prouisione transeat ius in prouisum, & per hanc solam nihil requirant à damnato nisi pati, & ideò eam possunt facere cum de iure collato vel de beneficio nullam possessionem tribuunt vel tribuere possunt, nisi possidente citato & declarato prius eum ius in beneficio amisisse. Concludo igitur, quod papa hæretico existente, quod Cardinales ad electionem noui pontificis non possunt accedere nisi à concilio declaratione facta, quod papa sit hæreticus vel Apostaticus: & hoc vult tex. in dicto *capit. si quis pecunia.* 79. *di.* dum dicit, quod primo debent Cardinales & clerici & laici Deum timentes qui nil aliud sunt quam concilium ipsum Apostaticum anathematizare, & deinde humano auxilio à sede Apostolica pellere. Sed si talis Apostaticus vel hæreticus papa non esset in quasi possessione pa-

Digitized by Google

patus, tunc si constaret notorie non esse papam, possent Cardinales non obstante eius assertione alium eligere: quia eius assertio contra notorium non faceret rem dubiam, vt in *capit. tua nos. de coha. clem. & mu.* not. Innocent. *de verbor. sign. ex parte.* Et ideò si notoriè renunciasset papatui & eius possessioni, quo casu perditur possessio ipso iure, cum perdatur solo animo, vt *l. si quis vi. §. differentia, de acq. pos.* & ius papatus renunciatione amiserit, vt in *c. 1. de renun. lib. 6.* quod non obstante negatione sua poterunt ad electionem procedere Cardinales: secus si possessionem retinuisset post renunciationem per supradicta. & hæc sunt vera, quod non debet papæ hæretico vel apostatico auferri possessio papatus ante declarationem concilii, in qua declaratum sit, quod hæreticus sit vel apostaticus papa, quando concilii copia haberi potest.

SVMMARIVM.

Sed si Concilium haberi non posset, vel si esset habitum Concilium, & declarasset eum hæreticũ vel apostaticum, tunc præsertim Seculares Principes & Christi fideles omnes insurgere contra ipsum & eum persequi tanquam Antichristum, & à pontificatu expellere.

CAPITVLVM XXVII.

SEd si concilium haberi non posset, vel si esset habitum concilium & declarasset eum hæreticum vel apostaticum? tunc præsertim seculares principes & Christi fideles omnes possunt insurgere contra ipsum, & eum persequi tanquam Antichristum, & à papatu expellere, 23. *di. in nomine Domini.* & *dicto capit. si quis pecuniam in fi.* quos tex. sic intelligo: & quod quando copia concilii, & sic iudicis haberi non potest, liceat hæreticum vel apostaticum expellere: probatur ex no. *in l. nullius C. de Iudæ.* facit. *l. ait prætor. §. si debitorem. ff. quæ in frau. cre.* & quæ no. in *l. 1. C. quando liceat se sine iudi. vindi.* si enim licet occidere desertorem militiæ mundanæ, *dicta l. 1. & 2. quando lice. sine iudi. vindi.* quanto magis desertorem militiæ cælestis. Item si licet occidere hostem patriæ, etiam si sit pater, vel si sit filius, *l. minime, ff. de reli. & sumpti. fune.* quanto magis papam hæreticum vel apostaticum declaratum vel etiam non declaratum, quando non est vel esse potest iudex qui declaret: quia cum talis papa hæreticus vel apostaticus sit destructor Ecclesiæ militantis, vt in *c. si papa* 40. *d.* potest dici plusquã patriæ desolator. nam in omnium iniuriam committitur, quod in Dei maiestatem committitur, *C. de hæreti. l. manichæos.* Et ideò potest à quocunq; Christi fideli compesci, præsertim à regibus & principibus secularibus quibus est datus gladius ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, *de maio. & obe. ca. solita.* & 23. *q.* 5. *c. quali nos.* & probat hoc tex. 23. *q.* 5. *ca. principes*, vbi tex. dicit, quod illud quod non potest intra Ecclesiam proficere sermo doctrinæ, potestas secularis hoc imperet per disciplinæ terrorẽ. Simile videmus, quod quando clerici schisma faciunt, & non possunt corrigi per Ecclesiam, tunc laici sine peccato potestatem habent in clericos, 17. *di. nec licuit.* 23. *q.* 5. *de liguribus, de senten. excom. ca. vt fama.* no. glo. *de deci. tua.* & hoc modo debet intelligi tex. Hierem. Prophetæ dicẽtis: *Prophetæ tui viderũt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pœnitentiam reuocarent.* Et modo Prophetæ in hoc sacro eloquio vocantur Doctores, vt 43. *di. c. sit rector*, qui debent hoc casu increpare & veritatẽ ostendere. hoc præsertim etiam spectat ad principes. nam ad ipsos reges pertinet sæculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint esse matrem Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt, 23. *q.* 4. quando vult quod Psalmigraphum verbum ostendit, dum dicit: *Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* Sed quomodo reges seruiũt Domino in timore: nisi quæ contra matrẽ Ecclesiã & iussa Domini fiunt religiosa se veritate prohibẽdo atque plectendo, 23. *q.* 4. *si Ecclesia.* Nullum enim maius princeps Deo obsequium offerre posset, quam si hi qui in suam & aliorũ perniciẽ debacchantur ipsorũ principũ debeant cõpetenti vigore cõpesci, 23. *q.* 5. *quali nos.* magis enim apud Deũ principũ gloria proficit, cũ per eos potest dispersæ Ecclesiæ sanitas restaurari. nam cum videt Deus largita regnorum munera ad sui nominis gloriã reuocari, tanto principibus istis largiora tribuit, quanto sua Dei per ipsos viderit ampliari, 23. *q.* 5. *c. sunt.* Ex quibus omnib. concluditur, quod papa hæretico, vel apostatico existente etiam occulto, licet subditis scientibus ab eo recedere etiam nulla declaratione præcedente. Et hoc est quod præcepit Dominus per Moysen, dũ dixit: *Separamini à tabernaculis hominũ istorũ durissimorũ*, 24. *q.* 1. *dicimus.* & 7. *q.* 1. *c. deniq;.* & supra retuli, dum dixi: *an liceat cõmunicare schismaticis*: sed non aliũ eligere vel à quasi possessione papatus eũ eiicere, nisi postquã fuerit à concilio declaratus apostaticus vel hæreticus, vel nisi quãdo cõcilii & iudicis copia haberi enim posset, quia tũc liceret ipsũ à papatus possessione deiicere, per iura prædicta. & probat etiã omnia iura quę supra deduxi, cum dixi quod *populi possunt à papa hæretico se subtrahere*, ne eis auferatur defensio naturalis, vt dixi in illo articulo supra: *an liceat papæ legẽ facere quod de hæresi non arguatur*, vbi dixi, quod cõtra papam populi possunt insurgere, per tex. 23. *q.* 5. *c. si audieris*, vbi dicitur de Mathatia, quod interfecit imolantem idolis in ara Dei. fecisse enim illud iuste credendũ est, quia iudex non erat qui puniret tale scelus. hoc modo intelligi etiã debet, quod no. 2. *q.* 7. §. *item cum Balaam*, vbi legitur quod cum Balaam, pergeret super asinam ad mala dicendũ populo Dei, & asinã stimularet, asina recalcitrauit, & tandem in vocem prorupit, & prophetam redarguit. sed subditi pro asina sumuntur, ibi: & Propheta ponitur ibi pro prælato, quem asina redarguit, vt subditi prælatum à fide deuiante redarguere possint redargutionibus supradictis, se primum ad obedientia subtrahendo, & denique eo declarato à fide deuio vel iudicis defectu subsistente à prælatura amouendo, vt dixi supra per iura allegata. Sicut illud intelligi debet. XXIII. ætati Gregorii dicentis:

Digitized by Google

centis: *Sicut laudabile discretumque est reuerentiam & honorem exhibere prioribus. ita rectitudinis & Dei timoris est si qua in eis sunt, quæ correctione indigeant nulla dissimulatione postponere, ne totum (quod absit) morbus inuadat, si languor non fuerit curatus in capite*, 2.*q*.7.*sicut inquit, & eadem causa &*. *q. amouendũ*. Non ob. id quod dicitur de notorio, quod etiam in eo requiratur sententia. nam in hoc est attendendum, quod aliquando notorium habet in se inclusam iuris sententiam, sicut etiam aliquando habet occultum crimen sententiam inclusam, vt in crimine hæresis, quod habet etiam occultam iuris sententiam inclusam, vt hæreticus ipso iure sit excommunicatus, & perdat dignitatem etiam papa, vt no. 40. *papa*. 19. *di. Anastasius. &* 24.*q*.1.*c*.1.*&* 2. *& facit. c. cum secundum leges de hæreti. in* 6. tunc quoad iuris effectos introducendos ex tali notorio vel crimine occulto habente inclusam sententiam iuris non est opus alia sententia hominis. de hoc sunt tex. plurimi. 24.*q*.1.*ca*.1.2.*&* 3. & quod possit deseri sine alia sententia no. *de coha. cleri. & muli. c. nostra*. & hosti. in *c. tanta. de Simo*. immo si est sola fama cum scandalo licet recedere à tali prælato suspenso, vt est casus in *c. ex litteris de homi*. ideò hæreticus etiam occultus statim ex excommunicatus, vt dixi, & statim à suis potest deseri. Similiter in notorio delicto existens ipso iure irregularis & suspensus est, 1.*q*.1.*per totum*. no. *de renun. cap. nisi cum pridem*. §. *propter conscientiam de tempo. ordi. c. ex tenore. & de coha. cleri. & muli. c. si*. nam effectum suspensionis & irregularitatis imprimit ipsa criminis notorietas & sententia legis absq; alia sententia hominis. Et hæc notorietas etiam facit, vt talis delinquens notorius non dicatur toleratus, sed possunt subditi ab eo recedere absque alia hominis sententia, 32. *di*. §. *verum. de coha. cleri & muli. cap. sicut & c. vestra*, & vt non valeant gesta per ipsum, sufficit notorietas; vt notat. *de re iudi. ad probandum*: ita no. Docto. *de elec. dudum. & capit. nihil*. quicquid in hoc dixerit Inno. in *capit. si. de procu*. In aliis effectibus facti imprimendis vel exequendis, tunc si notorium habeat inclusam sententiam iuris, & in executione facti nihil requiritur à damnato, & tunc potest executio facti ab homine fieri sine alia sententia & discedere ab hæretico quod est facti, vt supra dixi. Sed si aliquid debet ab hæretico facti requiri aliud quam pati, vel notorium non habet inclusam sententiam iure tunc est opus sententia hominis. Et illa iura loquuntur in contrarium allegata, quæ supra dixi. Ex quibus concluditur quod papam hæreticum etiam occultum vel Apostaticum subditi possunt impune deserere.

Et idem quando renunciauit: quia postea contendendo retinere papatum ipse est Apostaticus: sed à possessione papatus non possunt eum eiicere, vel Cardinales alium eligere eo in possessione papatus existente, nisi postquam Apostaticus vel hæreticus fuerit declaratus, *d. c. cum secundum leges in si. de hæreti*. vel cum iudicis id est concilii copia haberi non poterit: tunc poterit tanquam Antechristus à Cardinalibus & clericis anathematizari, & à quocunque Christi fideli à possessione papatus expelli, & si opus est occidi. & sic intelligo 79. *di. si quis pecuniam. & 23. dist. in nomine Domini. in si*. vt talis insurrectio facti expellendo vel etiam occidendo eum possit demum fieri, quando iam à concilio declaratus est vel hæreticus, vel cum iudicis copia deficit: sic intelligo illud quod dixi de Mathatia, quia interfecit illum cum deesset copia iudicis: & hoc vult tex. 24.*q*.1.*c*.1.2. & 3. vt non sit opus alia sententia, sed tunc insurgant principes seculares, 23.*q*.5.*c. principes*.

SVMMARIVM.

Si duo essent de Pontificatu contendentes, an liceat subditis ab eo, quem reputant Papam, discedere.

CAPITVLVM XXVIII.

QVando autem duo essent de papatu contendentes, an licet subditis ab eo quem reputant papam discedere. Dico quod eo casu quo sic litigantes essent effecti schismatici, vel aliquis eorum effectus schismaticus, quod etiam esset in vero papa possibile, quod schismaticus efficeretur, vt dixi. supra in quæstione: *an papa possit schismaticus effici*: tunc liceret subditis à tali schismatico recedere, vt in *c. quia diligentia de elect*. quia iste est vnus de casibus, in quo subditi sine alia declaratione recedere possunt à prælato, vt notat. glo. & Doc. *de præscrip. cum non liceat*. Sed si non foret aliquis eorum schismaticus, tunc iste fit vnus de casibus, quo est locus concilio, quando duo de papatu contendant, vt notat. 79. *di. si duo*. Dico quod si contumaces sunt in congregando concilium tunc licite subditi ab ipsis recedunt, vt conuocent concilium, vel ad concilium vadant vel alios prouocent. nec ex hoc peccant vel schismatici dici debent, quia hæc lege permittente faciunt, vt supra dixi. & sic pœnam non merentur *l. Gracchus. C. de adul*. supra dixi. & conuenientes cum alia parte vt vnionem faciant schismatici non efficiuntur, vt supra dixi. nec peccant. Et idem, quando peccatum committeret in Ecclesiam scandalizans & quando turbat bonum vniuersalis Ecclesiæ, ita quod concilio opus, vt si ipse papa non conuocat, licite ab eo recedant sine peccato, per prædicta.

SVMMARIVM.

An subditi debent seruare præcepta vel timere censuras & excommunicationes, quas eisdem suus Pontifex faciat in casu, quo recedant vel concilium conuocent.

CAPITVLVM XXIX.

ET ex istis deciditur tertiũ dubium, quod posset contingere ipsis subditis: an debent seruare præcepta vel timere censuras, quas faceret ille quem reputant papam ex illa causa, ne subditi ab eis

Digitized by Google

recedant vel concilium. nam in casibus, vbi papa essent prolapsus in hæresim. vel effectus esset schismaticus, quod esse potest, vt supra dixi, tunc censuræ & sententiæ excommunicationis, vel similes nõ essent formidandæ, quia cum esset tunc papa excommunicatus, vt dixi, alios extra Ecclesiam ponere non posset vel excommunicare, 24. *q.* 1. *c.* 1. & in *summa illius quæstionis.* Ratio, quia potestas soluendi & ligandi est data à Deo veris & non falsis sacerdotibus, 24. *q.* 1. *§. si autem*, & illi ligare & absoluere possunt qui habent Spiritum sanctum, *dicto §. si autem.* qui Spiritus sanctus non habitat in diuisis à cõpage corporis Christi. Et ideo hæretici & schismatici ipso iure iurisdictionalia perdunt, 24. *q.* 1. *didicimus.* & sic ligare spiritualiter vel temporaliter aliquos non possunt igitur excommunicationes & censuræ talium etiam in Petri cathedram residentium formidandæ non sunt. Vnde concludit glo. in dicta *summa.* 24. *q.* 1. *in glo.* 2. *post summam.* quod si talis prælatus excommunicat aliquem iniustè, potest excommunicatus talis à celebratione non cessare. facit *eadem causa & q. c. didicimus*: vbi est expressum, quod tales hæretici & schismatici ipso iure iurisdictionalia perdunt. vnde non ligant non solum excommunicando, sed etiam quæcunq; alia disponendo iudicialiter vel extraiudicialiter, *de offi. ordi. c. quod sedem. de exces. præla. c. tanta, de elec. c. quia diligentia*, 15. *q.* 6. *ca. nos sanctorum, & c. iuratos.* & hæc iura ita ligant hæreticum vel schismaticum papam, sicut alios, quia tunc cum hæretici aut schismati sunt, quolibet verò catholico sunt inferiores. Et cum sit eadem in eis ratio quæ in alios, ipsos leges istæ ligant, ar. *l. illud. in fi. ad l. Aquiliam.*

Ex quibus concluditur primum, quod papa iam existente hæretico vel schismatico, tales censuræ & quæcunq; eorum aliæ sententiæ formidandæ non sunt: quia etiam sententia censuræ dicitur nulla quando allegatur, quod qui, eam tulit, iudex non erat, vt *de consue. c.* 3. *priuile. c. quanto.* Et ideo quando est lata à suo iudice, sed excommunicato, vt etiam non liget, 24. *q.* 1. *c. audiuimus. & c. ex parte.* no. glo. 2. *in c. præsenti. de hæreti. in* 6. & præsertim non valet quando lata est ab intruso vel iurisdictione suspenso, sicut sunt hæretici schismatici vel excommunicati, 12. *q.* 2. *c. alienationes.* Ex quibus infertur quod si sententiæ cẽsuræ excommunicationis vel etiam aliæ sententiæ proferantur à papa iam in hæresim vel in schisma prolapso vel apostatico & intruso & sic excommunicato vel ab eo qui renunciasset papatui & eum retinere contenderet. quibus omnibus casibus excommunicati forent, vt supra dixi, quod eius sententiæ nemini obesse possent seu nocerent, nec essent formidandæ, quamuis in aliis casibus tales sententiæ à verò iudice prolatæ, siue iuste siue iniustè, timendæ forent. Et ita debet intelligi glo. in *c. ad aures, de tempo. ord.* Item verò sententiæ à iudice tali iam damnato, quamuis etiam tolerato, prolatæ non essent formidandæ, sed essent nullæ.

S V M M A R I V M.

Pontifice non existente schismatico vel Heretico, vel in ista crimina prolapso, & tamen esset opus concilio, & ipse Pontifex non conuocaret, siue conuocare nollet, sed si ipse excommunicaret ab eo discedentes, vel priuaret dignitatibus volentes concilium conuocare, an tunc sententia tales forent formidandæ.

CAPITVLVM XXX.

Sed si papa non esset schismaticus vel hæreticus, vel in ista crimina prolapsus, & esset opus concilio, & ipse papa non conuocarent siue conuocare nollet, sed ipse excommunicaret ab eo discedentes, vel priuare dignitatibus volentes concilium conuocare: an tunc sententiæ tales forent formidandæ? Videtur dicendum quod sic, quia papa negante concilium, eius sententiæ videtur in hoc standum, 16. *d. nec licuit.* & quia negatione papæ res fit dubia, si concilio opus sit, *l.* 3. *C. qui ad liber. procla. non licet.* no. in *l.* 1. *C. de procu.* & in dubiis est parendum superiori, *c. di. contra morẽ.* 19. *dis. in memoria. ff. de re mili.* 3. *§. in bello. de tempo. ord. ad aures.* Ego tamen adhuc dico, quod non; quia quãdo iudex præcipit apertè illicitũ, vel quod est malum, non est ipsi parendum, etiam si ipsi prælato iustũ videatur, vt in *c. literas. de resti. spol.* sed debent sibi illi, quibus talia præcipiuntur, si sententialiter ista eis mandentur, per viã appellationis prouidere. sed si non præcipiuntur sententialiter, sed extraiudicialiter, tunc hoc casu possent illi, quibus præcepta talia fierent, contradicere absque alia appellatione, 74. *di. cap. gesta.* no. Doc. *in c. ad aures. de tempo. ordi.* Securius tamen esset appellare ad ipsum papam male informatum ad melius informandum, vel ad successorem siue ad concilium, quod est in his causis papa maior, vt supra dixi: quia quando conscientia vinci non potest, ita quod quis cum bona conscientia sequi præceptum iudicis non potest, quia stimulat & contradicit conscientia sua eius cui præceptum factum est, & tunc debet inhærere propriæ conscientiæ & præceptum spernere, *de Simonia. c. per tuas.* & tolleret sententiam donec ab ipsa per cõcilium vel futurum papam releuetur, vt no. in dicto *c. ad aures. de temp. or.* & quod dicitur in dubio sit superioris præcepto parendum, hoc locum quãdo conscĩetia mea potest, alias nõ *d. c. ad aures. de tempo. or.* Et quod omnino sint iniusta talia præcepta vel sentẽtiæ, ita quod illi quibus fiãt debeãt ab ipsis releuari & ipsi nõ parere, ꝓbãt omnia iura quę supra deduxi, vbi dixi ꝙ papa non põt legẽ facere ne de his cognoscatur, vel ꝙ concilium non fiat. igitur nõ põt præcipiendo vel mandando impedire illos, qui vellent concilium celebrare, vel in illo interuenire, ne liceat papæ per indirectum facere quod directò non licet ipsi agere, *l. hoc modo. ff. de cond. & demon.* & si faceret, eius præceptis parendum non esset, per prædicta. Et quia præcepto papæ non est parendum, quando timetur quod ex eo multa mala prouẽniant, vel quando ex eo scãdalizaretur Ecclesia, vt no. Inno. *de sen. excom. c. inquisitionis*, pręsertim quia tale præceptum scandalizaret Ecclesiam, & eius vniuersalem statum perturbaret: igitur ipsi parendũ non est, vt infra dicam in quęstione, *quãdo vult conciliũ dissoluere rebus non perfectis.* Ex quibus infertur, ꝙ censuris vel aliis pœnis non obstantibus licitè poterunt omnes interesse concilio, vel ipsum conuocare: & quod discedẽtes à verò etiam papa, ne interueniãt concilio vel ipsum conuocẽt vel ipsi faueãt, in nullo peccare videntur, per supradicta.

Digitized by Google

Quoniam autem diximus harum causarum iudicem esse concilium, & satis supra retulimus à quo debeat conuocari, & cuius auctoritate suscitat: Placet nunc diligentius inquirere & magis generaliter.

PARS III.

DE CONCILIIS.

SVMMARIVM.

Quid sit Concilium.

CAPITVLVM I.

QVoniam opus fuit in hoc opere, de generalibus synodis mentionem facere, decreui nunc, quoniam & ipsa generalia concilia de genere sunt monarchiæ, istam altam materiam & quotidianam conciliorum generalium tractare. Et ideo primo quæram: quid sit concilium & vnde dicatur. Secundo quotuplex sit concilium. Tertio quando sit fiendum concilium generale, & ex quibus causis. Quarto quis habeat auctoritatem ipsum conuocandi, vel conuocato auctoritatem præstandi. Quinto qui ad concilium spiritualiter sunt vocandi. Sexto quæ sit vocationis forma. Septimo qui vocati in concilio vocem habeant, præsertim in iudicando siue statuendo. Octauo an vocati possint per procuratorem comparere. Nono qualis tunc esse debeat procuratoris forma. Decimo quid de contemnentibus venire, & qui præcise venire teneantur. Vndecimo an sit opus vt intersint duæ partes vocandorum sicut in aliis vniuersitatibus, vt dicatur esse conciliũ. XII. quæ causæ possint expediri in concilio generali. XIII. quam potestatẽ habet conciliũ, an ordinariam, an delegatam. XIV. qualis esse debeat eorum forma & processus. XV. an debeant singuli respondere sibi obiectis in concilio, vel an possint concilium vt suspectum reuocare siue ius reuocandi domum petere. XVI. quanto tempore debeat durare concilium, & quis habeat auctoritatẽ dissoluendi, & quando dissoluatur. XVII. quæ sit maior sententia, an solius papæ vel apostolicæ sedis, siue maioris partis generalis concilii papæ solius sententiæ, vel forsan forte Romanæ sedis ipsi generali concilio forsitan aduersantis. XVIII. quæ sit pœna impedientium veniri vocatos ad concilium.

Redeo ad primam quæstione. Et ego concilium sic diffinio, quod Concilium est generalis venientium collectio fidelium, præsertim episcoporum auctoritate summi pontificis regulariter conuocatum, siue etiam constitutum, vel aliquando Christi siue ipsius concilii met auctoritate suffultum. Et nota, quod ideo dixi, *generalis venientium*, quia licet non omnes fideles veniant, vel duę partes vocatorum fidelium, tamen est concilium, vt dicam infra *in* 11. *q*. Item ideo dixi, *generalis*, ad differentiam prouincialis & synodalis synodi. Item ideo dixi, *fidelium*, quia non est opus conuocare infideles vel hæreticos, licet aliquando in conciliis interuenire possint, vt dicam infra *in* 15. *q*. Rursus etiam ideo dixi *auctoritate summi pontificis*, ad differentiam aliarum collectionum, quæ fiunt de Christi fidelibus forte imperatoris mandato. Item ideo dixi *regulariter*, quia communiter generalia concilia siue Icomenica sine auctoritate papæ vel eius legati ad hoc spirituale mandatum habentis fieri non possunt, 3. *di*. §. *porro*. 12. *di. per totum*. sed quia quinque fiunt sine auctoritate papæ vel legati, vt si vacante sede papali necessitas immineat in ecclesiam habendi concilium generale, nec expectari posset quod forte summus pontifex crearetur, vel si forte imminente necessitate concilium habendi: & si non fieret scandalizaretur vniuersalis ecclesia: papa vel qui esset in quasi possessione papatus nollet concilium conuocare: vel illi iam conuocato auctoritatem impartiri: tunc posset concilium ab aliis conuocari, vt dicam in quarta quæstione: & tunc aliunde posset suscipere auctoritatem, vt dicam in dicta quæstione principali. Nam tunc concilium sibimet auctoritatem interponit, & Christus tunc est illius caput. Et dicitur *concilium* à *con* & *cilium*, quia fideles ibi congregantur vt conueniant in vnum, sicut cilia conueniunt oculos claudendo. Vel dicitur conciliũ à *concio concis*, quia ibi fideles plurimi conciuntur, i. conuocantur & congregantur. Vel dicitur à *communi*, eò quod conuenientes in illo in vnum dirigant mentis intuitum. vnde dissentientes inter se non agunt concilium, cum non conueniant in vnum. Et dicitur quasi à communi intentione dictum, vt hæc colliguntur ex tex. 15. *di. c.* 1. *ver. concilium*, & ibi per Archi: & Doct. Et dicitur etiam *synodus* à *sin* quod est con & *oda* quod est via, quia ibidem fideles plures per diuersas vias simul conueniunt, vt dicto *c.* 1. *ver. synodus* & ibi etiam per Doc. vbi etiam dicitur quid sit *cœtus* & quid *comitatus*.

Assumo secundam q. & quia de hac dico inferius in 5. *quæstione*: vbi tracto *qui ad concilium sint vocandi*: ideò dicatis vt ibi.

SVMMARIVM.

Quando concilium sit faciendum, & ex quibus causis fiat, & quis in dubiis circa pontificem contingentibus possit esse iudex.

CAPITVLVM II.

TErtiam igitur quæstionem assumamus, quando concilium sit fiendum: & ex quibus causis.

Digitized by Google

Et in hoc dicendum est, quod quotienscunque occurrit arduum dubium, quod concernat totam vniuersalem ecclesiam, tunc est ad concilium recurrendum. Et inter cætera arduissimum est dubiũ, cum agitur causa papatus: in qua de multis dubitari potest, si forte papa dicatur papatui renunciasse, quod aliquando fieri potest, vt in *c.1. de renunci. li.6.* Et ego plenissime scripsi supra, vbi etiam tango, *an papa possit se submittere concilio, vel etiam alteri*, ita quod possit ex alia causa quam pro hæresi deponi. Si igitur est dubium, quia Cardinales vellent papam eligere dicendo, quod qui præest renunciasset: vel quod qui præest papatui in hæresim contra articulos fidei sit prolapsus: vel forte quia duo de papatu contendunt, & vnus alterum nominat apostaticum, & non esse Apostolicum sed intrusum; vel sint aliæ causæ, ex quibus papa dicitur amotus vel amouendus à sede Petri, de quibus late dixi in dicto *tractatu*: videndum est quis est iudex harum causarum.

Et primo videtur dicendum, quod existens verus papa à nullo causa eius iudicari possit. tex. videtur in *c. licet de elec. in fi.* vbi tex. dicit quod si dubium foret, an papæ electio canonica existeret, nullus iudex competens esset. Et est ratio: quia hæc dignitas superiorem non habet nisi Deum *9.q.3. facta*, cum similibus: ergo à solo Deo non ab alio humano iudicio videtur iudicandus. ideo omnia iura voluerunt causas papæ Dei iudicio esse dimittendas, nec ipsum humano iudicio iudicari *9.q.3. ca. aliorum & 17. di. §. hinc etiam*: vbi concilium iudicium Symachi papæ solum Dei iudicio reseruauit, nec de ipso papa conciliũ iudiciũ dixit, quasi nec concilio papa sit iudicãdus *8.q.3. nemo.* vbi tex. vult *primã sedem*, i. papã non iudicari, aut ab Augusto, aut ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo: & ita cõcedit glo. *2.q.5. mãdastis* igitur papa põt dicere, *quis me iudicat?* ita dixit glo. *79. di. si quis pecuniã.* q.d. nullus: & huius dicti ratio est, quia papa est Vicarius Christi, & legatus Dei, vt in *c.1. vt ecclesiastici benefici.* & ipsius Dei in ecclesia personam repræsentat, vt *de pœni. di.1. c. scelerator. §. his auctoritatibus. ver. sed quem sacerdos.* & probatur in toto titulo *de transla. præla.* ergo ab alio quam ab ipso, qui eũ præfecit vicarium & legatum, iudicari non debet. vt *97. dist. cap. electionem*, vbi electio summi pontificis est Dei iudicio reseruata. Adduci possunt illa quæ dicam in *penultima quæst.* cum dico, quæ sit maior sententia papæ vel concilii. Item est alia ratio, quia inferior superiorem non iudicat. *21. dist. inferior. de maio. & obe. c. cum inferior. & l. nam magistratus ff. de arbit.* Sed concilium & omnis homo viuens est inferior papa: patet quia concilio auctorizatur, in quo omnium fidelium repræsentatio fit, *de conse. di.1. c. ecclesia.* & sine eius auctoritate etiam si papæ causa ageretur, non restituitur cõcilium. *17. di. § hinc etiam*, vbi concilium statuit Synodum ipsam debere dici auctoritate Symmachi papæ esse congregatum, & notatur *ea. di. cum mult.* & est text. *de elect. c. significasti*, ibi, *cum omnia.* Et sic patet quod nedum cuiuslibet fidelis est maior. *8. quæst. 3. cuncta per mundum*, sed & ipsius vniuersalis congregationis, id est concilii, maior est papa: & ideo papa tanquam superior reuocat nonnunquam statuta concilii, vt est tex *9. quæst. 3. cuncta per mundum. de consang. & affi. c. non debet. 68. dist. cap. Chorepi.* nota. in *c.1. 16. di. & 17 di. c. nec licuit.* & est tex. in *c. vbi periculum de elect.* cum ibi not. *li.6.* nam illud c. à papa & concilio fuit editum, & tamen fuit per nonnullos solos summos pontifices reuocatum, & super eo nouæ constitutiones plures promulgatæ: præsertim text. in *clem. ne Romani. in §. porro. de elec.* nota. in *c. proposuit. de concess. præben.* Et ideo dixit glo. quod maior est sentẽtia papæ quam totius alterius cleri: ita notanter dixit glo. *4. dist. in istis.* per tex. *dict. c. significasti de elec. 35. quæst. 9. veniam.* ibi, *Eustasium vero.* & *24. q.1. hæc est fides*: & quia si præbet concilio papa auctoritatem, sequitur quod ipso maior est: & maior est qui auctoritatem præstat quam ille cui præstatur: & ita per hæc decidit glo. in *d. c. vbi periculum*, in verbo *concilio.* si igitur papa maior est, sequitur quod à concilio nequeat iudicari. & ideo propter hoc statutum est, quod quotiens de papa vel eius actionibus humanum iudicium est exquirendum, ipse solus tanquam Deus sit iudex causæ propriæ, etiam si esset de hæresi. redarguendus text. est *21. dist. nunc autem*, vbi concilium statuit, quod Marcellinus de hæresi accusatus suo se ore damnaret, nec à quocunque iudicandus foret. & ideo dicit ibi text. *noli audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam: & ex tuo iudicio iustificaberis: vel ex tuo ore damnaberis.* & idem subditur ibi, quod factum fuit tempore Sixti papæ de causis & erroribus ipsi Sixto papæ impositis: & in *d. c. nunc autem* ponit Archi. formam sententiæ papæ: quia debet dicere, *ego talis papa infælix commisi tale scelus; ideo me iudico deponendum.* ad idem *l. & hæc Tiberius. ff. de hæredi. insti.* vbi est tex. quod non recognoscentes superiorem esse possunt, si volunt, iudices in causa propria. nota. in *l.1. C. ne quis in sua causa iu. di.* & hoc no. glo. *de iudi. in c. cum venissent*: vbi colligitur quod potest esse si vult iudex in causa propria de absoluta potestate. & ita no. Inno. de omni non recognoscente superiorem *de verbor. signif. c. ex parte.* & Bar. *ff. de iurisdict. om. iudi. l. est receptum*: sed de ordinata potestate debent alteri committere, vt *d. l. est receptum.* & ideo Imperator causas fiscales committit procuratori fisci *C. vbi causæ fiscales. l. ad fiscum. & l. si ea. C. de his quibus vt indig.* vbi est text. quod siue agat siue conueniatur fiscus, iudex est procurator fisci mandato principis. & papa etiam se alieno submittit iudicio. *2. quæst. 7. nos si incompetenter. & de re iudic. c. ad Apostolica. li.6.* immo se submittit etiam in foro contentioso, vt priuari possit. *63. dist. in Synodo*: & ibi glo. nota. habetur in *dicto capit. nos si.* & plenissime dixi *in quæstione*, an papa possit renunciare papatui in Monarchia. Ex quibus tum quia causæ papæ solo Dei iudicio dimittendæ sunt, tum quia si humano iudicio terminantur, ipse debet esse iudex causæ suæ: videtur concludi quod nullus alius huius causæ iudex esse possit. Et quia si in illo, de quo papa terminatur, & quæritur iudicari, *ipse adeo toleratur vt non iudicetur*, *quanto magis debet igitur ab aliis tolerari*, vt inquit Augustinus: & hoc patet in ecclesia militante, quæ tolerauit annis sex

Libe-

Digitized by Google

Liberium papam hæreticum: & tunc de facto fuit depositus Felix papa catholicus per Constantinum imperatorem, vt refert Chronica Martiniana, & Vincentius Beluacensis. Item quod nullus iudicauit sanctum Petrum filium Dei abnegantem, nisi Christus, qui pepercit eidem postquam conuersus plorauit.

In contrarium videtur, quod vbi fidei causa agitatur & criminis hæresis Papæ, ibi sit iudex concilium & non papa. tex. videtur in *cap. Anastasius* 19. *di.* vbi Anastasius Papa, qui solus cõmunicauit in hæresi, & hæreticis iam damnatis sine concilio, episcoporum & clericorum nutu Dei iudicio percussus est & pro hæretico habitus. si ergo cum voluntate concilii communicasset, non fuisset hæreticus. Ex quo patet quod maior est sententia concilii quã papæ in causa fidei, quia hæc connumeratur inter causas, in quibus orbis est maior vrbe 93. *di. legimus.* Item quando agitur de subuersione status totius ecclesiæ: nam tunc est concilium supra papam: vt no 15. *di. sicut sancta.* & quod no. Inno. *de consue. quanto.* & dicam infra in *penultima quæstione.* Et ideo non posset papa priuare omnes episcopos 9. *q.* 3. *per principalem.* & de hoc videtur tex. 15. *di. sicut. in fi.* vbi papa dicit ꝙ quæ vniuersali cõsensu constituta sunt, se & nõ illa destruit quisquis præsumit absoluere quos ligauit, aut ligare quos absoluit. vnde papa nõ posset iudicare id nõ esse hæreticũ, quod conciliũ hæreticum iudicasset: vel id esse damnatũ pro hæresi quod concilium non hæreticũ statuisset. facit 24. *q* 2. *c. sane. el.* 2. ibi: *& sequi in hoc doctrinam sanctorum patrum:* vnde negari non potest, quin in causa fidei & hæresis sit maior sententia concilii quam pontificis: & quod in fidei causa concilium sit maius pontifice: & ita dicit gl. in dicto *cap. sicut. in fi.* 15. *di.* Et est ratio: quia, vt pluries dictum est, Papa est homo, & contra fidem male sentire posset, vt dicto *cap. Anastasius.* & 24. *quæst.* 1. *Achatius.* quod inconueniens in ecclesia vniuersali non potest contingere: quia ipsa errare non potest 24. *quæst.* 1. *à recta.* quia orauit redemptor noster pro ecclesia, ne deficeret fides sua. 21. *di. cap.* 1. & ipse redemptor voluntate suorum labiorum non fraudabitur, vt dicit glo. in dicto *cap. à recta.* & not. Io. An. post Host. in *c. à nobis. el.* 2. *de senten. excom.* quia fides vniuersalis ecclesiæ non est à sapientia hominum sed in virtute Dei, *ad Corinth. c.* 2. quod tamen qualiter intelligatur, dicam infra in *penultima quæstione*: & quod in causis papæ, quas cum aliis habet de pontificatu, de fide iudex sit conciliũ, est tex. 17. *di.* §. *hinc etiam.* vbi text. dicit quod concilium remisit causas Symachi papæ Deo determinandas, & de aduersariis ipsum criminantibus sententiam dixit, & catholicum Symachum inuenerunt, eum declarauerunt alieno non subiici quam Dei iudicio. Et ideo casus eius aliorum videlicet criminum ab hæresi Dei iudicio remiserunt, & suos aduersarios damnauerunt. Ecce ergo tex. quod concilium in causis papæ iudex est competens, vt probat etiam text. 2. *q.* 7. *Item Symachus*, vbi concilium iudicans inter Symachum & ipsum accusantes, primum decreuit ipsum Symachum pontificatu spoliatum esse restituendum, quia fuerat Symachus ab æmulis imperitus non veris accusatoribus, vt tex. ibi declarat, obtinuit eius causas per concilium soli Deo remitti, vt probat tex. in dicto §. *item Symachus.* 2. *quæst.* 7. coniuncto text. 17. *dist.* §. *hinc etiam.* Et quod in causa fidei papa alieno subiaceat iudicio, est text. 40. *dist. c. si papa.* vbi text. dicit, quod sint pontificis crimina scelerata quantum possunt, nullus ipsum iudicat, nisi deprehendatur à fide deuius. Cum igitur à fide deuiat, alieno iudicio subest. sed nullus iudicio commodius subest quam illius qui errare non potest, videlicet concilii, & ipsorum quorum interest principaliter, videlicet omnium fidelium, qui nihil aliud sunt quam concilium: quia ex integritate præsidentium salus omnium ipsorum fidelium dependet subditorum. 61. *dist. miramur.* facit 96. *dist. c. vbi nam.* & hoc dicit text. in dicto *c. si papa. in fi.* 40. *dist.* & quia omnium fidelium interest, omnes generaliter ad talem determinationem sunt vocandi, vt in regula *quod omnes tangit. de reg. iur. li.* 6. & in *d. c. vbi* 96. *di.* Item quia si concilium est iudex in causa fidei, vt ibi turbatur bonũ vniuersalis ecclesiæ, ita etiã erit iudex in cõnexis fidei: ideo est in causa papatus iudex: quia de articulis fidei est, vnã esse sanctã catholicã ecclesiã 24 *q.* 1. *loquitur*. Et quia ipsa est vnũ corpus mysticũ, debet habere caput vnũ non plura, ne foret quoddã monstrũ, vt in *c. per venerabilẽ. qui fil. sint leg. & in c. nouit. de his quæ fi. à præla.* vnde in causa papatus erit iudex conciliũ, quia ibi agitur de bono vniuersalis ecclesiæ 4. *q.* 1. §. *his omnibus.* Et quod sit iudex conciliũ in causa hæresis papæ est tex. in *c. fraternitatis. de hæreti.* Si igitur de capite est contentio, de connexis articulis fidei est quæstio: ideo iudex est concilium. ar. *c. translato. de consti. & de iudi. quanto*, cum iuribus similibus dicentibus, quod *de connexis idem est iudicium.* Idẽ est etiã, cum papa turbat bonũ vniuersalis ecclesiæ, quod facere non debet. nam debet ipsum bonũ quærere. 24. *q.* 1. *memor sum.* & 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuã.* facit. 8. *q.* 1. §. *his omnibus*, & ibi glo. Idem est dicendum, cum de papatu inter duos litigium vertitur, vt iudex sit concilium, quia tractatur de bono principaliter vniuersalis Ecclesiæ, id est, de eius capite quia non potest esse de papatu contentio sine perturbatione status vniuersalis ecclesiæ. text. videtur 79. *di. c. si duo.* vbi text. dicitur quod ille erit iudex duobus de pontificatu contendentibus, quem diuinum iudicium vniuersalis cõsensus elegerit. Ecce ergo tex. quod vniuersalis ecclesia dirimit lites papæ, & nouum pontificẽ eligit: & ita determinant ibi glo. quod concilium iudex sit, quia cõmittitur vniuersalis iudicio, i. concilii. nam papa pontifex est omnium Christianorum: *de maio. & obe. c. solitæ. de transla. præla. c.* 1. 2. & 3. Idẽ dicendũ videtur, quando qui præest in cathedra Petri dicitur esse apostaticus, & per ambitum ipsam vsurpasse. nam Cardinales cum aliis clericis & laicis Deum timentibus ipsum ab ecclesia expellunt. 79. *dist. si quis pecuniam.* Sed Cardinales & clerici & laici Deum timẽtes. i. fideles non sunt aliud quam concilium: ergo ibi tex. est quod quando papa dicitur apostaticus non apostolicus, conciliũ in eius depositione & anathematizatione iudicium interpo-

Digitized by Google

nit. hoc idem Doct. sentiunt quando contentio foret inter papam & Cardinales: quia ipsi vellent alium eligere dicentes, papam sedi Apostolicæ renunciasse, & ipse contrarium asseueret: vt no. Moderni *de renun. c. 1. in 6.* Idem in omni alia causa, cum de pontificatu primo quæstio est: vt volunt Doct. Archi. & Io. An. in *c. in fidei. de hæreti. in 6.* Et ratio potest esse, quia cum est contentio de capite, & est dubii probabilitas, potest dici ecclesia plene & bene reformata: vt in *c. 1. de transl. præla.* ibi *sicut iusta*: sed potius dici potest quasi vacans: vt *d. c. 1.* Sed cum ecclesia vacat vel quasi vacat, potestas videtur residere in ipsa totali ecclesia, quæ est fidelium congregatio: *de biga. debitum. & de elect. c. fundamenta. li. 6.* sicut dicunt philosophi, quod regimen ciuitatis consistit penes congregationes ciuiũ vel ipsius congregationis partem potiorem, vt inquit philosophus 3. *Politicorum c. 8.* Item cum est contentio de papatu: hoc non potest esse vt plurimum sine schismate. sed in causa schismatis debet esse iudex concilium: vt 15. *di. c. 1. &* 2. probatur in schismate & hæresi. *96. dist. nos ad fidem. & c. vbi nam.* Item quia sicut in depositione papæ propter hæresim non est iudex nisi concilium. *2. q. 7. §. item Symachus. &* 17. *di. §. hinc etiam.* no. Io. An. & Archi. *de hæret. c. in fidei. li. 6.* ita debet esse iudex concilium ad declarandum, quis sit verus papa, quando de hoc est dubium probabile inter duos forte litigantes. facit 40. *di. si papa.* & hoc videtur determinatum in *libro conciliorum in fine concilii Macedonensis:* ibi, *hoc enim & aliis fidem tangentibus hoc statutum est vt ad concilium recurratur.* Quinimmo videtur quod soli Cardinales iudices esse possint: quia cum præsertim papa in hæresim est prolapsus, & ipso iure dignitatem perdidit, videtur quod iurisdictio papæ arduo casu in Dei ecclesia occurrente sit apud Cardinales: vt in tex. in *c. vbi periculum. §. ei quoque. de elect. li. 6. & in clem. ne Romani. de elect.* Sed quod maius potest esse periculum quam cum papa & caput ecclesiæ à fide noscitur exorbitare? Et ideo profecto hoc cognoscere debet ad Cardinales pertinere: nam & vacante sede propter periculũ animarum permissum est cardinalibus nouos pœnitentiarios creare: vt dicta *cle. ne Romani*: ergo fortius in casu isto concedi debet vel cum papa est hæreticus vel duo de papatu contendunt: nam licet extendere legem ad casum similem. *l. non possunt. ff. de legi.* hoc expresse probare videtur tex. in *c. si quis pecuniam. 79. di.* vbi tex. dicit quod Cardinales debent expellere intrusum in cathedra Petri, & apostaticum, & ipsum anathematizare: & deinde ad electionem procedere. & sicut hoc est in apostatico, idem videtur dicendum de papa hæretico, vt Cardinales eum damnent. & deinde ad electionẽ vlterius procedant. ad idem in tex. in *c. in nomine Domini. §. quod si quis. 23. di.* vbi nedum Cardinales, sed quilibet catholicus insurgere potest contra talem intrusum tanquam contra antechristum. Et idem cum notoria esset papæ spontanea renunciatio, vt Cardinales non obstante eius inficiatione procedere possint ad electionem nouam, iuxta no. per Innoc. *de ver. signi. c. ex parte. el. primo de censi. c. cum venerabilis.* & idem cum est probabile dubium duobus de papatu concertantibus, quia tunc sedes dici potest vacua, cum paria sint, non esse papam vel non apparere. *l. in lege. ff. de contrahen. emp. & l. duo sunt Titii. de testa. tute.* Et quia stante schismate ecclesia dicitur quasi vacare: vt no. in *c. cum nobis. de præscrip. & eo. ti. c. 1.* Et dicitur quodammodo morte vacare: vt no. in *c. 1. de schismа.* Item cum Cardinales sint in quasi possessione iuris eligendi papã: vt in *c. licet. de electio. li. 6. & in cle. ne Romani. de elec. & 23. di. in nomine Domini*, ad eos omnia debent pertinere quæ sunt vt necessaria & antecedentia electionem vel pro ipsa electione: vt in *c. vt præterita. de elec. li. 6. & in c. cupientes. §. si vero. eo. ti.* ad hoc, 66. *di. c. fi.* & ibi glo. in verbo *argumentũ.* facit *de offi. dele. c. 1.* & etiam illud vulgatum: *qui vult cõsequens, vult antecedens, sine quo non peruenitur ad consequens. l. ad rem mobilem. & l. ad legatum. ff. de procur.* vnde quemadmodum iuris dispositione Cardinales habent ius eligendi, ita habere debent declarandi electioni locum fore: & quod intruso in cathedra Petri ius papatus ipsi non competat: præsertim quia Cardinales in electione pontificis Metropolitani vice funguntur: vt est tex. in *d. c. in nomine Domini. 23. di.* si quemadmodum Metropolitanus est iudex in causa, an episcopus sit canonice electus, ita collegium Cardinalium esse debet iudex, an de papatu contendens verus papa sit: & in hoc sit maius collegium Cardinalium quam præsidentis in cathedra Petri, cum de sua residentia probabiliter cõtenditur, cum Cardinales tunc Metropolitani vice funguntur. nam in his quæ concernunt electionem papæ, collegium Cardinalium repræsentat vniuersalem ecclesiam & eius vice fungitur. glo. est no. 79. *di. c. nullus.* & ad sacerdotes Leuitici generis spectat de arduis dubiis diffinire: vt est text. in *c. per venerabilem. in ver. rationibus. qui fil. sint legi.* Sed quod potest esse maius dubium, quam cum de capite ecclesiæ contenditur? Et no. quod tex. dicit, *ad sacerdotes Leuitici generis:* & non dicit *ad sacerdotẽ:* & ideo debent intelligi de sacerdotibus locum supremum tenentibus, sicut sunt Cardinales. *l. 1. ff. de alb. scriben.* facit quod not. Inno. in *c. 1. de maio. & obe. & in c. statuimus.* no. in *l. 2. C. de decurio. li. 10. & in c. in causis. de electi. & c. cum ecclesia. & c. cum nobis.* in quibus probatur, quod qui post papam sunt digniores, & tenent primum locum, ipsi sunt qui hanc debent habere auctoritatem: & ita no. Docto. in dictis iuribus: & ideo in *c. per venerabilem. ver. sunt autem.* dicitur quod sacerdotes Leuitici generis sunt Cardinales, qui iure Leuitico in executione sacerdotalis officii assistunt papæ. & pro hac sententia faciunt iura omnia, quæ dicunt, quod quando ille ad quem spectat iurisdictio primo gradu est impeditus, quia forte captus ab hæreticis vel schismaticis, deuoluitur iurisdictio ad capitulum, vel ad existentem in gradu magis proximo. tex. est in *c. si episcopus. de sup. negl. præla. li. 6.* vbi dementi episcopo vel remotis à Romana curia consistentibus prouidet capitulum de coadiutore. Et sic papæ effecto dementi vel inhabili deberent coadiutorem Cardinales prouidere ne periclitaretur ecclesia. Et tamen sedes adhuc vacare non diceretur: & hoc probant omnia iura relata per Io. An. & Hosti. in *c. 1. de schisma. in 6.* facit *c. is qui. in si. de maio. & obe. & c. 1. eo. ti. li. 6. & de electi. c. venerabilem. ver. nunquid.*

facit.

Digitized by Google

facit. *de offi.ordi.ca.irrefragabili §.excessus.* & *l.vt perfectius.C.de anna.except.l.vbi absunt.ff.de tuto.* & *cur. da.ab his* & *c.eos.de temp.ordi.in 6.* Probatur in *c.1.ne sed vacã.li.6.* vbi quãdo prælatus suã culpa priuatur, vt quia suspẽsus est, tũc ille succedit in iurisdictione, cuius cõsilio ipse prælatus debuit administrare: sed papa debet ardua facere cum consilio Cardinalium. *6.q.1.si quis cum militibus.* igitur cũ cessat eius iurisdictio, quia hæreticus, debet esse iurisdictio apud Cardinales.

Item quia dixi in opere Monarchiæ in quæstione, *an papa possit renunciare*, licet dignitas papalis sit à Deo: tamen quod vnus magis quã alter sit papa est ab homine: & ideo electus papa est pontifex electione Cardinaliũ: ergo ipsi cum causa subsistente videntur posse amouere. vt in *ca. 1. de regu.iur.* Ex quibus videtur concludi quod cũ agitur causa papatus siue ratione hæresis à pontifice perpetratę: siue quia duo de probabili dubio pontificatus litigent: vel de ipsius renunciatione: vel vbi turbatur status vniuersalis ecclesiæ: aut cum agitur causa fidei vel illi connexa, iudex debet esse concilium vniuersale, aut sacrosanctum collegium reuerendissimorũ Dominorum Cardinalium: & quod Cardinales deponant papam propter hæresim: not. Hugutio. *63 di.in c. in synodo.* Quid igitur sit in hac quæstione dicendũ? Ego credo quod siue agatur causa hæresis: siue causa intrusionis suæ: siue cum duo de papatu contendunt: semper sit iudex conciliũ icomenicũ. Et idem quando non habuit duas partes Cardinaliũ, est intrusus apostaticus non apostolicus. Et idem quando dicitur à cardinalibus quod renunciauit. omnibus enim his casibus cum disputatur an ipse sit papa, vel non iudex sit concilium: & ideo tex. in *cap. si Papa.* 40. *di.* cum dicit quod papa à nemine potest iudicari, excipit causam fidei, quando *deuius est à fide*, subdens quod *vniuersitas fidelium tanto perpensius orat pro eo, quantum post Deum salus fidelium ab ipso dependet.* Ecce quod orat pro papa vniuersitas fidelium, & sic concilium. *de conse.di. 1. ecclesia:* sed *oratio* secundum Augustinum in libro de verbis Domini. *est quædam petitio.* Et alibi dicitur, quod *est prius mentis affectus directus in Deum* : quæ fit non solum verborum expressione, sed ex sanctis in bonis operibus operando : vt not. per Docto. & glo. in *cle. 1. de reliqui* & *vene.sancto.* vnde potest concilium operari tunc vel remouendo papam ab hæresi : vel vbi non posset remoueri, eum à papatu eiiciendo : quia sic extimabit eius peccatum, ne sedens hæreticus in cathedra Petri infinitos secum trahat ad inferos : vt dicit text. in *dict. capit. si Papa.* Vnde ibi est casus quod concilium iudicat in causa hæresis papæ : quia sic bene operando orat vel orabit pro eo : vt dicitur in dicto *capit. facit de elec. cle. ne Romani. in fi.* & tex. in *dicto capit. Anastasius.* Idem cum duo de papatu contendunt : vt probat tex. in *dicto capit. si duo. 79. dist.* Et idem cum dicitur apostaticus & intrusus: vt 7[illegible] *di. capit. si quis pecuniam:* & probatur. 2. *q.* 7. *§. item Symachus.* & bene ostenditur : quia cum est de papatu contentio, in hoc omnium fidelium salus dependet : vt dicit tex. in *di.c si papa.* igitur iudicare de hoc vel cognoscere ad ipsos omnes debet fideles pertinere : *dicto c. vbi. 96. di.*

Et melius hæc scientia patebit per responsiones ad contraria. in quibus apparebit quod nec papa est iudex in causa propria, isto casu nec collegium Cardinalium, sed solum sacrosanctum concilium. Non obstant igitur contraria. Et primo ad *capit. licet in fi. de elec* quod videtur dicere quod electio papæ non subest alicuius iudicio: debet intelligi præterquam vbi à iure expresse cautum est. Contra: sicut est quando dicitur quod non habuit duas partes Cardinalium : vel quod assumptus in papam sit fœmina : vel habeat alia impedimenta, quæ ipsi possint obiici. de quibus dixi in tractatu Monarchiæ in quæstione : *an aliqua exceptio contra Papam opponi possit.* Idem cum dicitur à fide deuius. 40. *di. si Papa*, vel cum est notorius intrusus non electus per Cardinales : *dicto capit. si quis pecuniam.* Nam de istis cognoscet concilium, per supra dicta. Si verò essent aliæ exceptiones, quæ haberent irritare alias electiones inferiorum: in iure autem non esset cautum, quod possent contra opponi : tales contra eum non opponerentur : quia non esset superior qui de eis iudicaret. sic debet intelligi. *capit. licet.* quod vult quod requirantur duæ partes Cardinalium, licet in aliis electionibus sufficiat maior pars, non iudicat aliquis de hac electione : subaudi, in exceptionibus quæ obiiciuntur contra alias electiones : sed non tollitur quin exceptiones contra hanc electionem permissæ, vel accusationes opponi non possint. potest etiam intelligi, quod esset papa aliquandiu toleratus vt papa, & postea obiiceretur sibi exceptio quæ esset occulta & dubia : vtputa si obiiceretur ipsi toleratq, & in pacifica possessione consistenti, quod non habeat duas partes Cardinalium : & exceptio foret dubia & occulta : tunc nullus esset iudex : *dicto capit. licet.* & hoc quando probabilis fuisset ignorantia. secus si fuisset supina & crassa : vt *in capit. ad probandum. de re iudi. lege 2. Cod. de sententia. in quæsti. 5. paragr. tria.* & sic limito dicta Doctorum, qui dicunt, tales exceptiones posse opponi : in *dicto capit. licet.* vt intelligatur quando talis exceptio est manifesta : vel quando est occulta : sed fuit opposita antequam esset toleratus : & tunc permissa excutientia. Sed si essent occultæ, & ipse iam toleratus, non deberent admitti. Nota tamen quod dico, quod non admitterentur exceptiones occultæ. sed si ageretur contra eum quod non esset papa, puta propter hæresim etiam occultam commissam: vel quia esset apostaticus & intrusus, quod delictum habet instar hæresis: credo, quod tunc agi posset, & esset iudex conciliũ: per no. in *di.c. si papa.* 40. *di.* Nõ obuiat illud, quod causæ papæ subiiciuntur Dei iudicio. nec conciliũ vel alius potest de ipsis iudiciũ dicere, quod illa iura loquuntur, quãdo certũ est quod sit papa, & ipse de criminibus cõueniatur. Sed quãdo est de papatu probabile dubium, tunc iudex est cocilium: quia nõ cõstat quod sit papa, ita quod eius

Digitized by Google

causæ Dei iudicio remittantur. Non obuiat si dicitur etiam quando est dubium de papatu causæ papæ Dei iudicio remittuntur. 16. *di.* §. *hinc etiam*. vbi concilium causas Simachi papæ remisit Dei iudicio. & licet non constet ibi, quod etiam contentio esset de papatu, tamen in Chronicis legitur quod Laurentius quidam secum de papatu contendebat. Nam respondeo, quod immo concilium ibi causas papatus terminauit. patet 2. *quæst.* 7. §. *item Symachus*, vbi concilium pronunciauit Symachum papatu spoliatum prius fore restituendum. Ecce quod concilium in casu papatus iudicium dixit. Sed quia Symachus repertus fuit esse verus papa, determinato prius iudicio papatus per concilium, demum synodus alia crimina, quæ obiiciebantur Symacho, remisit Dei iudicio, quia iam constabat ipsis de concilio quod erat papa: ideò non erant alia eius crimina per alium iudicanda. Et si dicatur, quare antequam esset cognitum, an esset papa, concilium noluit, quod ipse auctoritatem præberet concilio: vt dicto §. *hinc etiam*: cum adhuc non esset certum an esset papa: & tamen synodus voluit quod iudicaret causas ad papam pertinentes? quia respōdeo quod Symachus tempore litis motæ de papatu erat vel fuerat in quasi possessione pacifica pontificatus: igitur Domini de concilio Symacho reliquerunt ea, quæ ad pontificem pertinent, & voluerunt quod auctoraretur concilio. Non obstat tunc si dicitur, quando est in quis quasi possessione papatus, ei competunt illa quæ papæ competunt, vt dixi: & sic videtur posse iudicare in causa sua, quia illa iura quæ dicunt quod papa sit iudex causæ propriæ debent intelligi in aliis causis quam cum contendit de papatu: qui in illa potest merito suspectus dici & recusari: quia agitur de totali sua iurisdictione, in qua est pars & nō iudex: vt no. Inn. in *c. ex parte de ver. sig.* & ideò licet alius iudex, vbi de sua iurisdictione dubitatur, iudicat, an sua sit iurisdictio: vt no. in *c. super literis. de rescr.* tamē quando dicitur suspectus, vel quādo obiicitur ei exceptio excōmunicationis vel infamiæ, tūc non iudicat, vt no. in *c. cum super. de offi. de leg. & in c. sciscitatus. de rescrip.* per In. sed tūc adeūdus est superior. 8. *q.* 4. *nonne*. est ergo existēs in quasi possessione papatus in omnibus iudex præterquā in casu summi pontificatus: quia in illa cum dicatur non papa, & dicatur Apostaticus & excommunicatus, non est idoneus iudex: iuxta notat. in *l. quidam consulebat. de re iudi.* & iura quæ dicunt papam esse iudicem suæ causæ: loquitur quando est certum quod est papa. Sed quando hoc reuocatur in dubium, quod tunc ipse sit iudex, non reperitur iure cautum: immo iura quæ supra retuli, dicunt quod est iudex concilium, & pro hoc tex. in *c. 1. de schisma.* Nam ibi Octauianus & Guido iudicati fuerunt schismatici à concilio Lateranensi, vt ibi patet in *suprascriptione*. Ad idem. 79. *di. c. si duo*. & præsertim quando est contentio inter duos: & quilibet habeat Christianorum partem non modicam. Nam cum tunc sit fundamentum incertum, in quo papatus consistat, & quis sit vicarius Iesu Christi, erit tunc iudex concilium, non autem aliquis ipsorum, maximè quilibet dissentiret de alio, & quilibet vellet esse ille talis qui se papam prætenderet, & de sua causa iudicaret. Non obuiat prædictis si dicitur, quod etiam vbi est causa papatus, ipse existens in possessione debet iudicare: vt vult tex. 21. *di. nunc autem*. vbi contendebatur cum Marcellino quod hæresim commisisset: & tamen ipse de se causam dixit. nam secundum aliquos, prout ibi refert Archi. illa dispositio fuit ex dispensatione. Et ideò ego dixi tempore schismatis, quod volente concilio papa potest esse iudex causæ suæ, etiam hæresis: sed concilio nolente iudicare non est iudex papa. Alii autem dicunt, quod ibi papa prolapsus fuit in hæresim coactè conditionali. Et ideò non amisit papatum ipso iure, sed fuit excusandus: sicut & Petrus, qui timore filium Dei abnegauit: sed ex humilitate ipse Marcellinus seipsum deposuit. Alii, vt Huguitio volunt quod papa pro hæresi deponitur, quando hæresim suam pertinaciter defendit: sed vbi vult emendari, eius emenda admittenda est, vt ipse est iudex causæ propriè. ar. *dixit Apostolus* 24. *quæst.* 3. Et hoc modo responderi potest ad ea, quæ dixi in tractatu Monarchiæ in quæstione: *an propter hæresim pontifex papatum perdat*: dum dixi de apostolis, quod ex eo quod non crediderunt in Christum tempore passionis, non perdiderunt apostolatum, quia in tali incredulitate non persisterunt pertinaciter. Et similiter Aaron non perstitit in hæresi pertinaciter: & omnes fecerunt metu. Non obstat si dicitur, quod Iudas statim perdidit apostolatum, non sacerdotium, quod susceperat cum aliis apostolis in die cœnæ: quia character sacerdotalis est indelibilis: & retinetur etiam ab hæretico: vt not. etiam in *cap. degradatio. de pœnis. in 6.* Sed quia Iudas fuit pertinax & desperatus obiit in hæresi, Apostolatum perdidit: Et sic dicitur quare Iudas à Christo non fuit punitus seculariter. Respondetur, quod eius hæresis erat occulta: quæ licet eum depositum ipso iure facit vt in *c. cum secundum leges de hæreti. in 6.* tamen dum toleratur, eius gesta seruanda sunt: vt in *c. ad probandum, de re. iudi.* Fallit in sententia excommunicationis: quæ non valet aut ligat etiam lata ab excommunicato occulto: vt no. 24. *q.* 1. *in summa*. & no. glo. in *c. 2. de ordi. ab epi. qui renun. ep.* Similiter respondetur ad hæresin summorum sacerdotum, qui prius in Christum crediderunt, & postea apostatauerunt. nam quod prius credidissent erat occultum: & similiter quod postea negassent: & ideo Christus, cum tolerarentur, eorum sententias tolerauit. Ad illud quod dici potest, quod matrimonium spirituale est fortius quam carnale, vt in *c. inter corporalia, de transla præla.* & ideò sicut non dissoluitur carnale propter hæresim, ita nec spirituale. Facilis est responsio: quia dum dicitur quod est fortius spirituale, expone, id est, in dignis. Sed carnalis copula non dissoluitur à papa, nec propter lapsum in hæresim: Spirituale verò à papa dissoluitur, & propter hæresim perditur. Item quod Iulianus Imperator non fuerit depositus ipso iure, licet fuerit apostata. Respondetur quod non erat depositus propter scandalum euitandum: vt no. glo. in *capit. Iulianus* 11. *q.* 3. Idem dici potest de Salomone, quod fuit toleratus: quia non fuit qui de illo iudicium diceret. Et idem de aliis regibus veteris Testament. Vel illud

illud, licet sic fuerit in illo tempore secus in isto testamento nouo. Ego tamen in hoc articulo, an papa propter hæresim papatum perdat, Credo sic dicendum, quod aut papa prolabitur in hęresim iam damnatam scienter & voluntarie, & tunc sit priuatus ipso iure: vt 24. *q.* 1. *Achatius.* & 19. *di. Anastasius.* & tunc si vellet pœnitere, nõ euitat propterea pœnas depositionis, nec erit iudex nunc suæ causæ. Ratio: quia iam dignitatem perdidit ipso iure: nec ex pœnitentia ipsam pœnã temporalẽ tollit. *l. qui ea mente. ff. de fur.* nec conciliũ posset ei pœnã remittere; quia ad conciliũ nõ spectat papã eligere ipso deposito: vt dixi in opere Monarchiæ in quęstione: *quis papã eligit.* est enim sententia à iure iã lata: dicto *c. Achatius.* vnde nõ est opus alia sententia, nisi declaratoria, eum in talẽ esse pœnam pro hac hæresi. Si autẽ incidit in hæresim nõ voluntarie sed coacte, & tũc si coactione pręcisa, vt quia per vim imponitur sibi thus siue thuribile thuris & lucis in manibus, & violenter ducitur ad aram idolorum, & per vim aperiunt ipsi manus, & faciunt cadere thura reclusa in manibus super ignem: & tunc nullam pœnam meretur, quia nullus fuit cõsensus: vt in *c. maiores. §. alia vero. de baptis.* Si autem idolis forte sacrificauit metu, cadente in constantem virum, & coactione conditionali: & tunc quia peccauit cõsentiendo, quia coacta voluntas est voluntas *l. si mulier. §. si metu. ff. quod me. cau.* quia metus non causat omnino inuoluntariũ: & sic non excludit electionẽ, quoniã hæresim eligat, tunc ipsẽ est puniendus: quia quis potius debet omnia mala pati quã malo consentire, iuxta sententiã apostolis Mathæi 11. *qui negauerit me coram hominibus, negabo ipsũ coram patre meo.* Et quia licet corde credat, qui coactè illud dicit, tamen ipse peccat, nec excusat: quia secundum sententiam Augustini super verbo Apostoli ad Romanos 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Et ideò si non confitetur ore quis propter timorem veram fidem, talis peccat, nec salutem habere potest, cum Deo pacem non aliud confiteatur ore quam corde credat: quia cum infideles insultant contra nomen Christi cõfiteri illa quę sunt fidei est de necessitate salutis: & ad hoc potissime tenetur papa & alii de Ecclesia, quorum confessione alii fideles audaciores fiunt: vt habetur *ad Philippenses primò*, ibi, *scire volo fratres.* papa igitur propter timorem in hæresim incurrens non peccatum: sed non est priuandus propterea pontificatu: vt dicto *capit. nunc autem.* & hoc quando eum pœnitet. 24. *q.* 3. *cap. dixit Apostolus.* & *cap. qui in Ecclesia.* & 24. *q.* 1. *ca. hac est fides.* quod patet in Petro, qui Christum timore negauit, & similiter Apostoli; sed pœnitentia reuixit, & Apostolus & papa remansit siue fuit. Et ideò Augustinus super illo *ad Roma.* 9. dicit, *Petrus lachrymis diluit, quod ore negauerat.* Idem credo, quando ignoranter prolabitur in hæresim: vt dicto *cap. dixit Apostolus.* Sicut autem hæresis non erat damnata, sed peccabat papa, & erat quid perturbans statum Ecclesiæ vniuersalis, & cadebat tandem ex obstinatione in hæresim, vt dixi in opere Monarchiæ in quæstione: *an papa propter peccatum quo scandalizat Ecclesiã deponi possit,* tunc si papa sponte confitetur errorem, & retrahit se ab inceptis, nec insistit in ipso pertinaciter, tunc ipsi parcendum est. sic intelligo notata per Hugo. in *dicto capit. nunc autem.* Et nota: quia dico, quando sponte confiteatur: quia si iam ductus in iudicio timore priuationis vellet à tali opinione recedere, tunc credo quod damnari deberet. nam non dicitur sponte facere, qui facit metu pœnæ. Dico igitur quod damnaretur etiam vt pontificatu priuaretur, licet in aliis hæreticis ipsi deberent reconciliari. *l. manichaeos in fi. Co. de hæreti.* quia ex dispensatione potest clericus in hæresim prolapsus dimitti in iam habitis ordinibus ministrare: vt no. 1. *quæst.* 1. *omnis.* & *eadem cau. q. fi. saluberrimum.* Isto ergo casu posset concilium cum ipso dispensare, vt in papatu resideret, si retrahit ipse se sponte, sed non si metu pœnæ iam conuictus: vt in *c. ad abolendam de hæreti.*

Item non obstant illa: quod maior sit papa quam concilium: & quod maior non debet ab inferiore iudicari: & quod maior sit sententiam papæ quam concilii: quia hæc possunt esse vera, prærerquam cum agitur causa fidei, vel bonum vniuersalis Ecclesiæ: quia tunc videtur maior sententia concilii quam papæ: vt no. glo. & Doc. in *c. sicut* 15. *di.* de quo tamen dicam infra in penultima quæstione. vnde non posset reuocare papa constituta concilii in factis Dei vel vniuersaliter reuocare, quę statuta sunt pro bono vniuersalis Ecclesię: ideò nõ posset priuare vniuersaliter omnes Episcopos, vel amouere ordinem Episcopalem. 9. *q.* 3. *per principalem.* & ibi glo. & licet dicatur etiam quod vbi agitur causa sua, ipse auctoratur concilio, hoc est verum eo existente in quasi possessione papatus: vt 17. *di. §. hinc etiam.* & hoc quando vult se subiicere. sed si nollet, tunc non esset supra concilium: vt dicam in proxima quæstione: *quis tunc debet concilium conuocare.* Et ex istis est responsum quod nec ipse est iudex causæ istius, nec ista causa remittitur Dei iudicio, sed est concilio iudicanda.

Nunc restat respondere ad ea quæ dicantur de collegio Cardinalium. & ad *capit. vbi periculum. §. idem quoque de elec. li.* 6. dum dicit quod collegium Cardinalium habet iurisdictionem papæ in arduis occurrentibus: & sic videtur habere iurisdictionem cum papa dicitur hæreticus: vel Ecclesia quasi vacat. Nam est notandum quod ille tex. loquitur in aliis: negans quod de prouisione papatus vel de concernentibus papam vel eius personam. nam in illis non habent iurisdictionem Cardinales. & hoc vult tex. ibi, dum dicit: *de alio negocio se non intromittant, nisi aliquod grande periculum emergat.* Ista. n. generalitas est exceptio facta ab ista generalitate, quod prouideant Cardinales, vbi est grande periculum, non se extendit ad prouisionem fiendam de papatu, nec eius persona: quia de illa specialiter fuit dictum, vt procedant ad electionem. ar. *l. stipulationes commodissimum.* & *l. doli clausula. de verbo. oblig.* & *l. sanctio legum. ff. de pœnis.* vnde in aliis arduis negociis, quam in prouidendo, in causa papatus habet iurisdictionem, cum imminet graue periculum. sed in prouisione papatus habent solum determinare personam papæ. vnde non possent cognoscere de eius hæresi, & decla-

Digitized by Google

tare ipsum hæreticum,& perdidisse dignitatē. Item non possent iudicare de electione eius, an fuisset canonica, vel inter duos de papatu contendentes, vel de aliquo quē dicerent apostaticum: quia ista sunt omnia conciliis reseruata: dicto *c. si papa.* 40. *di.* 79. *di. c. siquis pecuniā.* vbi potestas nō datur tantū Cardinalibus, sed & aliis clericis & laicis Deū timentibus: & sic fidelibus omnibus qui nihil sunt aliud quā conciliū. Idem eadē *di. si duo.* & 23. *di. in nomine Domini.* & est iusta hæc cōstitutio: quia etiā potestas attributa Cardinalibus in periculo maxime est quādo omnibus videretur nemine discrepante data. vnde graue esset, quod omnes forent concordes ad deponendū papā in hęresim prolapsū: cum raro sit quod papa nō creet aliquos attinētes cardinales. Concludo igitur quod collegiū cardinaliū sede vacante vel quasi, nullā habet iurisdictionē in papam vel de papatu, nisi vacante sede determinent ipsam personam papæ. Et ideo papa effecto demente vel inutili aut infirmo, adeo quod non posset administrationi papatus intendere, concilium tunc deberet dare coadiutorem secundum casum. *c.* 1. *de cleri. ægro. li.* 6. non Cardinales, per prædicta. In aliis autem casibus sede vacante haberent potestatem vel iurisdictionem papæ, vbi graue periculū immineret, & videretur omnibus Cardinalibus celeriter occurrendum. & est bene tex. notandus: quia etiam si casus esset periculosus, celeritas tamen multa non esset necessaria vel oportuna, tunc etiam non haberēt talem iurisdictionem. Et ideo si posset haberi copia concilii in tali negocio, sicut in facto dubitationis papatus, potius esset concilii iurisdictio. Ex quibus infertur, quod quicquid habeant alia collegia vacante sede, quorum iura supra retuli, collegiū Cardinaliū nullā habet aliam iurisdictionē vel potestatē papę quā illam, quā supra retuli: & quicquid attentant aliud, est irritū & inane: vt in *clem. ne Romani. in ver. irritum. de elec.* vnde refertur, quod cognoscere & iudicare de istis quæstionibus pertinet an conciliū: quia non est verum, quod istę disceptationes sint pręambulæ ad electionē, licet foret possibile quod eis determinatis electioni locus foret. Nec obuiat si dicitur, dispositio capituli *vbi periculum. in §. idem quoque,* est derogatiua iuris communis non correctiua siue abrogatiua: quia ipsammet legē, quæ dicit quod Cardinales nullā habeant potestatē vel iurisdictionē pontificis sede vacante derogat, præterquam vbi imminet periculum grauissimum, vel perditionis terrarum Ecclesiæ &c. Et ideo cum sit derogatiua in illis duobus casibus, videtur posse extendi ad alios casus rationis identitatem habentes. arg. *l. non possunt. ff. de legi.* & eorum quæ pulchre scribit Bar. in *l. si constante. in nona quæstione. ff. solu. matr.* & probatur per tex. in *cle. ne Romani. de elec. in ver. eo tamen,* vbi ampliat derogationem illius. *cap. vbi periculum. in §. idem quoque,* dum derogat legi, dicenti quod Cardinales non habeant iurisdictionē vel potestatem papalem, nisi in casu grandis periculi, vt ibi ad casum, quando deficit Camerarius vel pœnitentiarii deficiunt. Et sic videtur quod huiusmodi derogationes possunt ad casus similes ampliari, & quod possint de causa papatus cognoscere cū de ipso contenditur, cum hoc sit maximū periculum: quia respondeo, quod leges derogatoriæ non possunt ampliari ad casum similem, quando sunt taxatiuæ, sicut in casu nostro: quia in solis casibus expressis in lege est derogatio permissa: non ergo in aliis, præsertim in materia odiosa *l.* 2. *Cod. de patri. qui fi. distra.* & idem cum sumus in materia nec fauorabili, nec odiosa, sicut est ista: quia tunc lex derogatoria, taxatiua, vel tantum certos casus contra legem permittens non extenditur ad alios. *l. iubemus. in fi. Cod. ad Trebel.* licet si esset materia omnino fauorabilis, extensio fieret ad casum similem: vt est text. in *l. illud. Cod. de sacrosanct. eccles.* Idem quando vltra casum taxatum fieret extensio per aliam legem. *l. ob æs. Cod. de prædi. min.* & hic est casus in dicta *clemen. ne Romani. ver. eo tamen, de electi.* quia ibi extensio fit à lege. Et ideo papa posset lege sua in aliis casibus vacante sede vel quasi dare iurisdictionem papalem Cardinalibus, sed non hominis inferioris interpretatio vel extensio. Et ideo cum, vt dixi, ampliatio *§. idem quoque* fit in illis casibus, vbi imminet grande periculum, & cum contenditur de papatu, vel de ipso disponi debet, & in omnibus aliis Cardinales sunt prohibiti. Habeo propositum, quod in casibus occurrentibus de papatu & de iurisdictione vel potestate papæ, ipsi Cardinales nihil poterunt exercere, & hoc dicitur in dicto *capit. si quis pecuniam.* 79. *dist.* quia non tribuit ibi potestatem solum Cardinalibus sed aliis clericis & Christi fidelibus, qui sunt idem quod concilium. Fateor tamen quod si renunciatio papæ esset notoria, vel eius depositio vel intrusio, quod non obstante eius negatione, quia per solam negationem res notoria non efficitur dubia, vt in *c. tuā nos. de coha. cleri. & muli.* Cardinales ipsi tunc possent procedere ad electionem, iuxta not. in *c. ex parte. el.* 1. *de ver. sign.* per Innocen. & hoc quando talis se prætendens papam non esset in quasi possessione papatus. Nam si tunc esset in possessione, an posset à Cardinalibus electio fieri, statim subdam. Illud autem est certum, quod non sufficeret quod esset manifestus hæreticus, & posset procedi ad nouam electionem ante sententiam, per not. in *cap. cum secundum leges. de hæreti. in* 6. & infra dicam. Non obstat illud, quod Cardinales in electione papæ funguntur iure Metropolitani: & sic debēt cognoscere de electione papæ an sit canonica, sicut Metropolitanus cognoscit, an electio sui suffraganei sit legitima. Nam Cardinales funguntur iure Metropolitano large & improprie solum isto respectu, quia eorum electio habet vim electionis, & etiam confirmationis, quæ consueuerunt in electionibus requiri inferiorum: vt in *c. in nomine Domini.* 23. *di. & in c. licet, de elect.*

Ad istud autem Deutronomii: quod ardua dubia debeant per sacerdotes Leuitici generis expediri, & sic per Cardinales: vt in *c. per venerabilem. ver. sed quia. qui fil. sint legi.* Respōdetur, q loquitur quando papa cum Cardinalibus iudicat, vt possint tunc ardua dubia dirimere. Sed quando papa nō possit, vt in causa papatus, tūc sacerdotes Leuitici generis sunt oēs Episcopi, & conciliū religiosorū cleri-

clericorum. vnde Episcopi sunt qui debent dici sacerdotes Leuitici generis, quia in ordine omnes Episcopi sunt pares in potentia cum papa: & ipsi sunt fratres papæ: vt in *c. quam graui. de cri. fal.* Et quia ardua concernentia statum Ecclesiæ vniuersalis vel fidei, semper sunt per concilia terminata. Vnde Apostoli quamuis haberent Petrum summum pontificem, in arduis fecere concilia. Primum, cum Mathiam elegerunt in locum Iudæ: *Actuum primo c.* Secundo, cum elegerunt Stephanũ *Actuum* 6. Tertio, quando quidam Pharisæi dicebant adhuc oportere circumcidi. nam electi sunt ex omni parte Apostoli ad tollendam seditionem hanc. *Actuum* 15. *c.* Item & ad tollendas obseruantias antiquæ legis. *Actuum* 21. *ca.* & similiter propter sedandas hæreses semper hactenus sunt congregata concilia: vt patet discurrendo 16. *di.* & 17. *di.* & est in *historia tripartita.* Et concilium Africanum statuit: vt in omni Ecclesiæ periculo conuocarentur concilium: vt habetur in capitulis dicti *concilii. c.* 61. Et quia actus illi, qui fiebant in primitiua Ecclesia, concernebant bonum vniuersalis Ecclesiæ, ideo Petrus non determinabat solus, sed cum concilio. vnde clarum videtur, quod causa fidei, & vbi tractatur de bono vniuersalis Ecclesiæ, ibi causæ illæ debeant per concilia terminari.

Et ad illa iura quæ dicunt, quod in collegiis vacante capite potestas deuoluitur ad maiores post caput vel ad capitulum. Respondetur quod fallit in Cardinalibus, quibus est sublata vacante sede, præsertim in dispositione papatus: vt dicto *c. vbi periculum.* & in dicta *cle. ne Romani.* no. glo. *in c.* 1. *de schisma. in* 6. Item non obuiat, quod Cardinales creant papam: ergo debent posse eum deponere: cum licet ipsa potestas sit à Deo, tamen ipse sit papa facto ipsorum Cardinalium qui sunt homines: quia Respondeo, quod papa non est pontifex ex facto solum ipsorum Cardinalium, sed etiam ipsius electi in suam electionem consentientis. Et ideo Cardinales sine consensu suo non possunt eum priuare, quamuis eum eligant: vt in *c. si.* 79. *di.* Ipsi enim non dant papæ potestatem, sed Deus: licet ipsi personam determinent. Et ideo errant quidam, qui dicunt, quod si Ecclesia non statuisset hoc, prohibens Cardinales non deponere papam, quod ipsi potuissent: quia non est verũ, per prædicta: quia papa, vt dixi, a Deo potestatem habet, non à Cardinalibus, licet ipsi personam determinent. Vnde concluditur, quod iudicare de pontificatu summo spectat solum ad generale concilium, non ad alios homines viuentes.

SVMMARIVM.

Quis habeat auctoritatem Concilium conuocandi, vel conuocato auctoritatem præstandi vel interponendi.

CAPITVLVM III.

SEd ex prædictis videtur insurgere perplexitas, quæ est indissolubilis: & aliud maius dubium in quo explicabitur quarta quæstio, videlicet quis interponat auctoritatem concilio? & quis habet conuocandi auctoritatem? cum enim generale concilium non possit sine papæ auctoritate conuocari. 2. *q.* 5. *mandastis.* & *q.* 6. *c. ideoq.* & 17. *di. multis.* & *in* §. *hinc etiam.* & per totam illam distinctionem & in tota *di.* 16. & ipse forsan non vellet conuocare concilium, quia non est verisimile quod papa in sui honoris vilipendium velit concilium accersire, maxime vt priuetur: & alii non potuerunt congregare, quia tunc carent auctoritate Apostolicæ sedis: & esset conciliabolum non concilium. 17. *d. multis.* videtur quod perplexitas sit manifesta: & quod concilium debeat auctoritatem à papa tractare, expressum est. 17. *di.* §. *hinc etiam*, vbi cõcilium statuit quod Symachus papa auctoritatem interponet concilio, quod pro causis ipsius papæ agendis fuerat conuocatum. idem tex. 2. *q.* 5. *mandatis*, vbi criminabatur Sixtus papa, auctoritate ipsius Sixti Valentinianus Augustus conciliũ conuocauit. Omnes enim clamant auctoritates sanctorum patrum, nullam synodum generalem ratam esse, quæ auctoritate pontificis congregata vel suffulta non sit. ita dicit tex. Isidori in *quodam c. canonum* dicens: *nec vllam synodum generalẽ ratam esse legimus quæ eius non fuerit auctoritate cõgregata vel fulta.* facit 17. *di. c. regula.* & 3. *di.* §. *porrò.* vbi est cautũ quod et legatus de latere non habet ius conuocandi conciliũ, nisi spiritualiter esset sibi demandata concilii conuocatio, quæ censetur demandata, quãdo eius celebratio est sibi commissa: per tex. in *c.* 1. *de iudi. l.* 6. & per regulã: qui vult consequens vult antecedẽs, *l. ad rẽ mobilẽ. l. legatũ. de procu.* Legatus verò si non habet in spirituali cõmissione, non potest conciliũ generale celebrare vel cõuocare, sed solus potest papa. hoc statuũt canones, & historia Ecclesiastica cõprobat, & omnis mos & ritus antiquus confirmauit. 2. *q.* 6. *c. ideo.* & *q.* 5. *c. mandastis.* & *c. auditura.* Et est ratio: quia cõuocatio debet fieri per maiorem de vniuersitate. *l.* 1. & ibi no. *ff. de alb. scri.* & *C. de decu. l.* 1. *li.* 10. & 63. *di. in synodo.* no. Inno. in *c.* 1. *de ma.* & *obe.* & sentit. Io. An. in *c. in causis.* & *c. Ecclesia.* & *c. cũ nobis de elect.* sed nullus est omniũ fidelium maior papa post Deum: igitur ad ipsum debet cõpetere conuocatio fidelium: præsertim quia in conuocatione concilii prælati & fideles citantur. 17. *di.* §. *hinc etiam.* & ibi. in glo. in verbo *præcepisset.* vnde facultas hæc non videtur posse competere, nisi illis qui in citatos habent superioritatem & imperium. *ff. de iudi. l. si quis ex aliena.* & *l.* 2. *ff. si quis in ius voca. non ie.* not. in *c. super literis. de rescrip.* & *de dila. ca. præterea.* sed nullus habet iurisdictionem vel Imperium supra omnes fideles, nisi papa. 9. *q.* 3. *cuncta per mundum.* igitur nullus videtur posse conuocare generale concilium nisi papa. Item quia ipse omnium Christianorum & Ecclesiæ militantis est caput & pater: & omnes Christicolæ ad ipsum vt ad caput & patrem debent habere recursum. 17. *di. nec licuit.* 9. *q.* 3. *cuncta per mundum*, & melius. 27. *q.* 1. *rogamus.* ergo si sine papæ licentia conuocatur concilium, erit acephalum, id est, sine capite, & erit quoddam monstrum contra naturam aliorum conciliorum,

Digitized by Google

que constant primò capite, deinde ex aliis membris. 21. *di. submittitur.* & 5. *di.* §. *porrò.* & 18. *di. quoniam* & *c. si Episcopus* & *c. si quis Episcoporum.* Nam si à synodo generali excluditur caput seu capitis auctoritas, eo ipso capitis & membrorum vnitas dissipatur & causatur schisma. Nam, vt dixi pluries supra in omni iusta plurium congregatione patua vel magna necesse est vnum regulare & regere, alios verò regulari & regi, secundum Philosophum *in politicis.* Sed conuocato concilio sine pontificis auctoritate non erit qui alios regulet & regat: & sic iustum non erit concilium, quod debet ex capite consistere & ex membris. Item quia concilium conuocatur ab alio quam à papa: cum ipsum concilium sit collectio omnium fidelium: *de conse. di. 1. Ecclesia.* & sic comprehendat papam, qui est fidelium caput: vt dixi *dicto c. rogamus.* 24. *q.* 1. patet quod talis conuocans iudicium & sententiam dicit de papa, vel ipsum sibi submittit, vel inferiorem facit: quia conuocatio est fienda ab illo qui habet, vt dixi, aliquam iurisdictionem vel auctoritatem supra vocatos & in causis quare fit vocatio. 18. *dicto capit. quoniam* & *c. placuit.* & *c. si quis Episcoporum.* 5. *q.* 2. *vocatio.* Quod videtur de papa subiiciendo impossibile, cum ipse nulli viuenti sit inferior: nec à quoquam iudicetur, immò ipsi omnes papæ subditi sint, & ipse omnes iudicat, & à nemine iudicatur. 9. *q.* 3. *c. facta.* & *c. cuncta per mundum.* & in tota illa. q. & probant omnia iura quæ supra *proxima quæstione* retuli: quia videtur quod nullus nisi papa possit conuocare generale concilium: & sic surget perplexitas in principio, & inanis videtur prouisio quod concilium sit iudex in causis antedictis.

Item adhuc videtur perplexitas maior, cum dicitur quod duobus cõtendentibus de papatu concilium debeat esse iudex: quod ostenditur ab euidentium partium enumeratione: Nam aliquando erit contingens, quod ille solus erit in quasi possessione papatus, cui obiicitur quod non sit papa, vel quod ipsam perdiderit dignitatem: tunc ipse solus debebit conuocare concilium. Nam etiam ille, qui est in sola quasi possessione, videtur habere ius faciendi illa quæ pertinent ad papam: vt in *ca. de consultationibus. de iur. patro.* & est expressum quod conuocatio concilii & præstatio auctoritatis debeat fieri per existentem in quasi possessione papatus: *in* §. *hinc etiam.* 17. *di.* & 2. *q.* 5. *mandastis.* faciunt no. in *c. cum Ecclesia.* & *c. cum olim. de c. pos.* & *proprie.* vbi habetur quod iurisdictionalia exercentur tantum per existentem in quasi possessione iurisdictionis vt in *c. ex litteris. de iure pa.* & *de restit. in integ. c.* 2. not. 3. *q.* 6. *hoc quippe.* & ibi glo. in verbo *debeant.* sed quod ipse conuocet concilium vt discepteretur, si iustè papatum retinet, in quo posset possibile quod succumberet, non est verisimile. Et ista fuit ratio, quare iura statuerunt quod quis non esset iudex in causa propria. *l.* 1. *C. ne quis in sua cau.* & *l. qui iurisdictioni. ff. de iurisdi. om. indi.* & *l. Iulianus ff. de indi.* ne propter priuatum interesse peruertat verum iudicium. Aliquando etiam & contingens quod plures contenderent de papatu, & nullus esset in quasi possesione eius, sed esset tantum dubium quis eorum esset papa contendentium: tunc nullo habente quasi possessionem papatus non erit qui posit concilium conuocare, vel ipsi auctorari rationibus antedictis: quia ius exercendi iurisdictionalia, vt dixi, competit tantum illi qui est in quasi possessione iurisdictionis, etiam si proprietas & ius esset alterius: vt not. in *dict. c. cum Ecclesia sutrina.* & *in c. cum olim. de cau. pos.* & *propriè.* & Inn. in *cap. querelam, de elec.* igitur ad validitatem actus iurisdictionalis sufficit probare, quod qui gessit actum erat in quasi possessione iurisdictionis, & publicè pro tali reputabatur iudice: vt notat. in dicto *capit. nihil.* & *in l. Barbarius. ff. de off. præsi.* igitur nullo existente in quasi possessione papatus videtur impossibilis concilii congregatio. Nec obuiat si dicitur, immo qui credit se canonicè electum, vel qui habebitur pro magis canonicè electo, debet posse conuocare concilium; quasi electus canonicè absque alia confirmatione possit administrare, & per seipsum possit recipere possessionem pontificatus propria auctoritate: vt in *c. in nomine Domini.* 23. *di.* not. in *c. illud de elec.* quia illud intelligo verum, quando non est legitimus contradictor. sed si est contradictor, qui similiter se prætendat canonicè electum, & si probabilis dubitatio, non licebit propria auctoritate capere possessionem: ita notat. in simili Doc. in *c. transmissa de elec.* vbi volunt Doctores quod prælatus ex solo titulo possit nancisci possessionem beneficii propria auctoritate: per *l. cum heredes. ff. de acqui. pos.* hoc tamen non habet locum existente contradictore legitimo. Item non obstat si dicitur quod quando possessio est vacans, si ille qui habet proprietatem, actum exercet, valet actus factus à proprietario, & qui non habet possessionem: vt not. Inno. & Doc. in *c.* 2. *de in inte. resti.* & sic quando constabit quis erit papa, ille erit qui debuit posse auctorari consilio: quia illud dictum est verum alio modò existente in possessione: quia tunc prætendens se papam per gestionem talis actus possessionem vacantem nancisceretur. & no. In. in *c. romana. de elec.* sed alio existente in possessione vel etiam non existente, dummodo esset legitimus contradictor, tunc qui in veritate haberet proprietatem papatus sine possessione non posset conuocare concilium, cũ non posset possessionẽ tunc nancisci: vt supra dixi. sic intelligo & tempore not. per In. in *c.* 2. *de resti. in integ.* no. *de iur. patr. ex litteris.* Aliquando autem erit contingens, quod ambo cõtendentes sunt in quasi possessione papatus: vt quia fortè quilibet habet partem Christicolarum non modicã, & vna pars alteri pareat, alia verò tanquã papæ: vt dolor tẽpore meo miserrime contigit: quia Vrbano sexto parebat Italia, Germania atq; Anglia, Hũgaria & Hyliricum: Clementi verò Gallia & Hispania & Scocia & insula Trinachriæ: & erant Christicolæ scissi, tunc erit perplexitas maior: quia si conuocabit sibi subditos alii parentes, alteri non obedient vocanti: quia citans esset apud subditos alterius apostaticus & excommunicatus, tanquam secundum eos se intruserit in cathedram Petri non vocatus canonice: vt in *capit. licet. de elec.* & sic tanquam ad eos sibi non subditos iurisdictionem non habet: vt *de offi. vica. capit. ad probandum.* & *in capit. præsidentes. de hæreti. in* 6.

Item

Digitized by Google

item ipse vocans apud non sibi subditos erit schismaticus, & sic omni iurisdictione carens tanquam à iurisdictionalibus ipso iure suspensus. 24. *q.* 1. *dicimus.* & *c. audiuimus.* §. *fin autem.* & 7. *q.* 1. *nouatianus.* & *de cleri. excom. mi. c. si celebrat in fi.* Et sic similiter alii de parte contraria reputabunt alium apostaticum & schismaticum. vnde videtur impossibile, quod ambæ partes possint conuocari, ita quod in vnum legitime conueniant. Item si foret possibile quod omnes conueniret, adhuc esse perplexitas: quia quilibet tanquam pontifex veller & non plures. 7. *q.* 1. *c. factus est Cornelius.* Nec obuiat si dicitur, ante decidetur quis sit papa: & ille præstabit auctoritatem concilio. Nam ex hoc esset perplexitas maior, cum ista determinatio non possit fieri nisi à concilio, vt dictum est: sed concilium non est vnquam si prius papa auctoritatem non interponat: ergo perplexitas surgis *l. si Titius. ff. de conditis. in fi.* præterea erit possibile, quod nullus eorum nollet congregare concilium vel ipsi auctoritatē impartiri, ne ab eorum preeminentia remoueatur, à qua pro euitando scandalo posset etiam verus papa per concilium remoueri: vt no. glo. in *c. si forte* 63. *di.* His etiam casibus inferiores non videtur posse conuocare concilium. Primo ex carentia potestatis, quia nullus inferior potest vsurpare, quę tantum sunt principi reseruata: vt in *c. quibusdam.* §. *præterea. de verbo. sig.* & 17. *di. c. huic sedi.* & *l. vectigalia.* & *l. non solent. C. noua vect.* ideò cautum est quod etiam legatus de latere non habet ius conuocādi cōcilium generale, vt dixi: vt no. *de elec. significasti.* & 3. *di.* §. *porro.* quia quæ specialiter Romano pontifici conceduntur, generali mandato non transferuntur: vt in *c. quod translationem, de offi. dele.* Secundò quia si hoc facerent se scindentes à papa vel ab eo quem putant pontificem, efficerētur schismatici. 17. *di. c. multis,* ibi, *si Apostolica sedis,* tanquam se separantes à capite & vnitate, quæ repræsentatur in papa. 24. *q.* 1. *loquitur.* & 7. *q.* 1. *nouatianus.* & sic tanquam schismatici essent ab omni actu iudiciario ipso iure suspensi, dicto *c. dicimus.* 24. *q.* 1. & *c. audiuimus.* §. *fin autem.* & sic non habent ius conuocandi concilium: quia talis vocatio siue requisitio est quædam citatio: vt vult glo. in §. *hinc etiam.* 17. *dist.* quæ citatio est actus iudiciarius: vt no. *de proba. c. quoniam contra.* & *l. præsenti. C. de his qui ad Eccle. confu.* no. in *fi. de feriis.* Item perplexitas etiam ostenditur, quia esse poterit, quod qui gerit se pro papa, mandabit sibi subditis, vt non conueniant alicui conuocationi, vel quod nullus sibi subditus conuocet concilium, & eis mandatis erit parendum, 11. *quæst.* 3. *qui resistit,* maxime quando sub pœna excommunicationis hoc mandarentur & priuationis omnis potestatis ipso iure, quia tunc etiam si iniustè excommunicet parendum est. 11. *q.* 3. *c. sententia pastoris.* & *c. si Episcopus forte.* no. *de tempo. ordi. ad aures.* Item ex alio capite videtur quod ambę partes non possint bene conuenire, quia vnam ipsarum errare necesse est: quia cum Ecclesia vna sit, si est apud vnum, apud alium esse non potest propter incompassibilem multiplicationem papatus. 7. *q.* 1. *c. factus est Cornelius,* & *si enim autem.* & *ad Corinth. primo* & *ad Ephesios tertio.* Impossibile est igitur duos esse pōtifices: ergo vnam partem errare duobus contendentibus est necesse, & errātem esse schismaticum & si pars adhærens verò pontifici communicabit cum alia male sciente, etiam ipsa pars vera schismatica efficietur, quia qui cōmunicat schismaticis, non communicat vnitati. 24. *q.* 1. *schisma:* dicente Domino ad Moysen: *separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus quæ sunt eorum: di. c. didicimus.* Et alibi scriptum est: *nolite eos in domum recipere, nec ei dixeritis aue: quia qui eis dicit aue, communicat operibus eorum malis.* 24. *q.* 1. *omnes.* & ideò Polycarpus sanctissimus martyr, cū apud Ephesum balneas fuisset ingressus, & vidisset ibi ad Cerinthum schismaticum, recessit in lotus dicens: *fugiamus hinc ne balnea corruant, in quibus lauatur Cerinthus inimicus veritatis: dicto capit. cum omnes.* & aliàs cum ipse Polycarpus obuiaret Martiano schismatico eidem dicenti, *agnoscis ne me?* respondit eidem, *agnosco primogenitum Satanæ.* Ex quibus videtur, quod duobus contendentibus scissis partibus de papatu, quod necesse est vnam partem errare vel fortè esse schismaticam. Vlterius etiam, quod vera pars non possit cum alia communicare, quando etiam schismatica efficiatur, similiter concluditur. Vnde ambarum partium videtur impossibilis simul conuentio, præsertim quia commissio inhabilium cū habilibus videtur reddere actum nullum. 64. *di. quorundam.* 3. *q.* 9. *c. pura. de offi. dele. c. cum super abbatia.* notatur *de elec. illa.* & *l. pedius. ff. de arbi.* & *l.* 1. §. *item quæritur, de aqua quoti.* & *æsti.* Nec obuiat si dicitur quod quilibet ipsorum se pro summis pontificibus gerentiū in parte sua concilium cōuocabit, quia tunc non essent vera concilia, quia essent diuisa, & sumerent initium à diuisione, vel cum ipsa procederent: vnde non essent concilium vel concilia, quæ dicta sunt quia in vnum dirigant acumen mentis & initium, vt dixi supra in prin. Nā qui sibimet dissentiunt, nō agunt conciliū, quia non cōsentiūt in vnū, 15. *di.* §. *synodus.* nec eū Spiritus sanctus est, vel ipsi non sunt cum Spiritu sancto congregati legitime, quoniam Spiritus sanctus tantum descendit inter congregatos in vnū. 24. *q. alienus, in fine.* vbi probatur quod non multitudini deprecantiū sed vnitati Deus tribuit *Actuū* 1. *c.* & 24. *q.* 1. *loquitur.* & *c. schisma.* & §. *fin autem.* Item si non legitime congregarent vel procederent, quia scisse procederent, & esset possibile quod in sententiis & in processibus & iudiciis dissentirent: vt *l. item si plures.* §. *si duos.* & §. *principaliter. ff. de arbi.* & quilibet volet sequi iudicia patris suæ, quoniam aliter salua conscientia facere non possent, & sic non dirimeretur litigium, sed schisma & scandalum augmentabitur, sicut accidit tempore cuiusdam Principis. qui cum videret esse difficile congregare Episcopos occidentales cum orientalibus, decreuit duo fieri concilia, vnū in Arimino, in quo nonnulli Italici conuenerunt: aliud in Nicomedia ciuitate Bitiniæ. sed Imperator hæc ipsa tractante res effectum sortita non est, & neutrum concilium sibimet concordauit, sed vtrumq; diuisum est. ita dicit historia Tripartita *libro* 5. *capit.* 14. & hoc totum fecit non in vnum congregatio, sed in duas partes facta collectio. Nec etiam fieri poterit quod ambo contendentes de papatu auctoritatem interponatur, & illius si rata au-

Digitized by Google

ctoritas qui declarabitur papa: quia hoc etiam ponere eſſe dubietatem in capite, quod à nulla partium fieri poteſt conſcientia ſalua: quia omnis dubius hæreticus eſt cenſendus, *de hæreticis, cap.* & nulla partium ſalua conſcientia poteſt ſe ſub dubietate ad aliam determinare. Item eſſet perplexitatem inducere quod ante determinaretur quis eſſet papa, quam concilium ipſum, cuius auctoritate hoc debet dirimi, ſuam eſſentiam formaliter haberet, & ſic videretur poni ante causa formans & cauſata quam ipſa cauſa formans vel cauſans, quod videtur impoſſibile.

Qualiter igitur his perplexitatibus & periculis occurreretur: erit ne tunc iuris diſpoſitio in caſum & ſub ludibrio prouulgata? profectò nequaquã, & ideò has ſic ſoluendas cenſeo, primum diſcurrẽs ſingulos caſus illos ſecundum quod iuris eſſe credo determinans. Vnde eſt notandũ, quod aliquando vnicus exiſtens in quaſi poſſeſſione papatus criminatur de aliquo, ita ſit opus conuocatione concilii, vt quia dicitur in hæreſim prolapſus, vel quod non habuit in electione duas partes Cardinalium, & eſt apoſtaticus & intruſus: vel dicitur quod renunciauit papatui, vel quod commiſit delictum ex quo turbatur ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ, vel eſt aliquis de caſibus, in quibus dixi papam ſubiacere concilio, tunc ipſe papa interpellatus debet concilium cõuocare vel mandare alteri, quod ſua ipſius auctoritate papæ cõcilium conuocet, & ipſius concilii iudicio debet ſe ſubiicere. ita intelligitur tex. *2. q. 5. auditum.* & *c. mandaſtis* & 17. *di. §. hinc etiam.* Et notanter dico, quod ipſe papa debet conuocare concilium, vel alteri demandare, quod auctoritate papæ concilium conuocet: quia etiã ipſa vocatio prout fit auctorizabiliter vel per viam citationis ſiue mandati, debet ab ipſo vel ab alio ab eo habente ſpeciale mandatum expediri: nec poteſt ab alio inferiore fieri etiam ipſa vocatio: ita vult tex. *2. q. 6. c. ideò* 17. *di. c. generalia.* & hoc modo intelligit tex. 17. *di. §. hinc etiam.* quia ibi tex. per viam præcepti concilium conuocauerat, vbi Epiſcopi vocati venerũt, vt ipſum regem ab errore reuocarent, quamuis aliquando concilium poſſet congregari à ſeipſo ſine vlla vocatione, vt forte fuit in caſu capituli *nunc autem.* 21. *di.* ibi, *cuius rei gratia* &c. vel etiam ex vocatione minus legitima, vt fuit in caſu dicti §. *hinc etiam.* tunc vt iuribus ſubſiſtat concilium, opus eſt quod etiam ipſe accuſatus papa in poſſeſſione papatus exiſtens auctoritatem interponat, vt concilium ratum ſit. tex. eſt in dicto §. *hinc etiam.* fateor tamen quod eo ipſo, quod papa patitur iudicium fieri à concilio de cauſa ſua, quod ex hoc ſolo videtur concilio auctorari. tex. eſt cũ ibi nota in *l. cum pater. §. libertis. de lega. 2.* & hoc modo verificatur alternatiua, quæ eſt in tex. ſynodus rata fuit quæ auctoritate papę congregata vel ſuffulta non ſit. Nam ſufficit quod papa auctoretur concilio quocunque congregato, etiam ſi fuiſſet vocatio minus legitima, vt eſt tex. in *§. hinc etiam.* & hoc voluit tex. dictæ *diſtinctionis.* 17. *in cap. 1.* & *in c. regula.* & *in c. multis.* qui ponderant tantum quod concilia ſine auctoritate papæ fieri non debeant. vnde non ponderant tex. ſolum vocatione quod non fiat ſine auctoritate papæ: ſed quod nec ipſa concilia conuocata fiant ſine ſententia papæ. vnde videtur eius poteſtatem eſſe conuocare concilium, & ipſum retinere vel abſoluere prout ipſi videtur. Et hoc videtur tex. velle cum rubrica ſua in *c. nec licuit.* 17. *di.* vnde quando placet papæ, conuocatur concilium & conuocatum validitatem habet quatenus eius voluntas perſiſtat. vnde videtur eum poſſe ad libitum conuocare & diſſoluere, & nullus alius hanc poteſtatem habet. Sed tunc quomodo ſoluitur perplexitas, ſi papa nolit congregare concilium vel congregatum non cognito de cauſa ſua velit diſſoluere, vel nolit ipſi auctorare, & ſuam auctoritatem interponere, quomodo tunc fiet? Reſpondeo, quod animaduertẽdum, quod papa non poteſt legem facere, ex quo ſi eſt prolapſus in hæreſim, quod de ipſa nõ redarguatur glo. eſt notabilis & ſingularis. 40. *di. ſi papa.* quæ glo. eſt veriſſima, quia papa ſic periclitaret vel periclitare poſſet totam Eccleſiam contra dictum Apoſtoli *2. ad Cor.* 13. dicẽs, *ſecundum poteſtatem quæ mihi data eſt in ædificationem non in deſtructionem.* Item quia præceptum eſt diuinum relatorii Deuter. quod catholici & fideles inſurgant aduerſus eum qui docet vel aſſeuerat falſum dogma aduerſum ſanctæ fidei: vt 23. *q. 5. ſi audieris.* Et ideò Mathatias iuſtè interfecit illum, qui Idolis ſacrificaturus ad aram Domini acceſſerat: igitur poſſunt inſurgere catholici aduerſus papam hæreticum & ex præcepto diuinæ legis: quia etiam papa legem naturali & diuinæ ſubiectus eſt. & *notatur de conſti. ca. quæ in Eccleſiarũ.* & eſt tex. in *c. ſunt quidam.* 25. *q. 5.* facit. 40. *di. homo Chriſtianus.* & *de pæni. diſ. 5. conſideret.* & 11. *q. 3. excellẽtius.* Et ideò diſpoſitio *c. ſi. papa.* 40. *di.* quæ dicit quod pro hæreſi iudicetur papa, nõ eſt ſimplex diſpoſitio papalis: quia tunc non ligaret ſucceſſorem, vt in *cap. innotuit. de electione:* ſed eſt pars geſtorum Bonifacii martyris, & habet fundamentum in iure diuino, à quo legatur papa, & etiam canon *Anaſtaſius.* 19. *di.* qui dicit quod papa hæreticus eſt diſpoſitione dignus, ligat ſucceſſorem papam. 24. *q. 1. Achatius.* & incidit papa propter hæreſim in excommunicatione prædeceſſoris ipſo iure: quia papa hæreticus eſt minor omni catholico: & quia iuri diuino contradicit & deuiat à fide recta & ſancta ipſi obuiando: ideò poteſt à fidelibus redargui: vt dicto *cap. ſi papa.* iuxta illud Iohan. 15. dicentis: *ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet & colligent eum & in ignem mittent & ardent.* per quem tex. Doc. in *c. ad abolendam, de hæreticis* dicunt, pœnam hæretici eſſe quod igne crematur? Et probatur hoc exemplo Pauli, qui de fide redarguit Petrum Apoſtolorum principem *ad Galatas.* 2. *cap.* & 2. *q. 7. Paulus.* & tamen Paulus erat inferior Petro in adminiſtratione: ſed quia redarguit eum de fide, in qua Petrus male ſentiendo erat inferior Paulo, iuſta fuit redargutio. Item quando papa errat in fide vel ſi ſtatueret quod non redargueretur de hæreſi, tolleret ſubditis ſuis naturalem defenſionem, quam etiam princeps non poteſt tollere: vt *l. facultas. Co. de iure fiſci. li. 10.* & *in cle. paſtoralis, de re iudi.* quia naturalia ſunt immutabilia: vt 5. *di. per totum* & *inſtit. de iure naturali, §. ſed naturalia.* Sed quando papa in hæreſim labitur, ipſe intendit ad necem & damnationem

omnium

Digitized by Google

omnium sibi subditorum: vt dicto *c. si papa.* 40. *dist.* igitur iuste populi possunt contra eius mandatum resilire, & contra ipsum insurgere. 15. *q.* 6. *c. iuratos.* facit. 11. *q.* 3. *qui resistit.* & *c. imperatores.* non enim tenentur populi, cum pastor efficitur lupus rapax, exaudire vocem eius, qui est effectus mercenarius & non pastor *Ioh.* 10. *c.* & quia populi à papa hæretico & sic excommunicato non debent se permittere duci, ne simul cum eo omnes in foueā cadant. Et hanc sententiam optime probat texi in *l.* 2. §. *durorũ. ff. de his qui sunt sui vel alie. iuris.* vbi est tex. quod licet Domino nō debeāt iura, quæ habet in seruos, diminui, tamen etiā hoc statutum est, quod si Dominus cōtra iura diuina vel naturalia agat in seruos, quod ipsi serui aduersus Domini audiatur, similiter & filius in potestate, qui nullā pōt habere litē cū patre: vt *l. lis nulla. ff. de iudi.* potest tamē nōnunquā petere à præsente quod ipsū emancipet & eximat à propria potestate, vt quādo nimis est sæuus in filiū: vt *l. quidā cū filiū, de verb. obli.* hortatur in *l. nec vnus. C. de emancipa. liberorū.* similiter & serui conueniūt Dominum tyrannicæ procedētē dicto *c. Dominorū.* sic & subditi papa cōtra fidē agente possunt iudiciū contra ipsū etiam inuitum constituere, quāuis alias cū eo nullū possunt habere iudiciū: vt dicto §. *Dominorū.* hinc est q̃ Doc. dicunt in *l. vt vim ff. de iusti. & iure.* quod licet per vim resistere iudici, quādo aliquā violētiam infert in subditū, non tanquā iudex, sed vt priuatus. igitur si iudex armata manū iniuste subditū aggreditur vt occidat, licet subdito se tueri, & si nō potest aliter etiam, iudicem occidendo, licet si iudicialiter iuste faceret non liceret, quia nō licet ꝓpulsare legitimū aggressorē. *l. si seruus. C. de his qui ad eccle. cōfugi.* sic quando papa prolabitur in hæresim, & vim facit in subditos & extra iudiciū quia iam non est plus in officio, ideo iuste subditi insurgunt contra eum, & per illum tex. in §. *Dominorū.* dixi iā super illa. q. *an valuit donatio Cōstantini*, quod populi subditi possunt deponere Dominū effectum tyrannum: nec tenentur ei in malis suis præceptis obedire. tex. est in dicto *c. qui resistit. & c. imperatores.* 11. *q.* 3. Et ideo non debent populi pati papam hæreticū nec legem eius quā faceret ne de hęresi ipsa cognoscatur. Similiter dico quod papa non potest statuere vel legē facerę aut aliquid aliud verbo vel facto deponere, ex quo turbetur status vniuersalis ecclesię, & populus Christianus totus ponatur in graui periculo & discrimine. ita debent intelligi quæ notat Inno. & Doc. in *c. quanto, de consue.* immo totū contrariū cura debet, vt salus ecclesiæ vniuersalis semper salua sit. tex. est 24. *q.* 1. *memor sum. &* 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuā. & eadē causa. q.* 2. *c. si ea.* Et est ratio, quia tunc papa nō esset defensor, cōstructor & conseruator ecclesiæ: sed destructor siue dissipator: vt notatur in *dicto. c. si ea.* contra præfatā sententiā apostoli 2. *ad Corinth.* 13. dicentis, quod potestas papæ est in ędificationē non in destructionē. nam dicit Inno. *de plenitudine potestatis papa potest omnia præter quā specifice sibi prohibita vel quia faceret cōtra fidem*: vt 24. *q.* 1. *Achatius. &* 19. *di. Anastasius*, vel contra generale statutum ecclesiæ siue statutū generale, in quo & si posset non esset ipsi permittendū: & ita notat Inno. & Doc. in dicto *c. quanto. de cōsue.* & notat Iohannes 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuam.* sed est opus tunc celebratio concilii, & ideo dicunt doct. in *c. nulli. de sen. excom.* quod ipse non posset tollere statutum canonicis *si quis suadente diabolo.* 17. *q.* 4. *c. ex multis. & de tempo. ordi. cap. cum dilecto.*

Modo ad propositū. sicut papa non potest facere legem expressam, quod de hæresi non redarguatur etiam cum est dubia & occulta sua hæresis: vt in dicto *cap. si papa*: ita hoc ipsum facere non potest non conuocando vel procrastinando concilium vel Christi conuocato auctoritatem non interponendo: & idem in omni casu vbi tractatur probabile dubium papatus: quia hic agitur de bono vniuersalis ecclesiæ in quo tota ecclesia scādalizari potest, & ponitur totus populus Christianus in discrimine, ne forte parere cogantur apostatico non apostolico, & illi qui forte non intrauit canonice cathedram Petri, vel qui iuste eā non detinet. vnde existens in quasi possessione papatus obligatur ex debito conuocare concilium, vel ipsi conuocato tanquā iuste congregato auctoritate interponere, vt in iuribus ante dictis. Et si non facit vel negligit, eius non est amplius auctoritas expetanda, tanquam tacite statuerit, quod de hæresi non arguatur, vel quod bonum vniuersalis ecclesiæ perturbetur, & populus Christianus in grauissimo periculo supponatur. quo casu potest dici à fide deuius. & sic subiacet dispositioni concilii: vt dicto *c. si papa.* 40. *di.* igitur hoc casu dico, quod aut est notoriū quod existens in quasi possessione papatus est in hęresim prolapsus: vel quod est apostaticus, tūc conciliū potest cōgregari sine eius auctoritate. ratio, quia constat notoriè, quod sit hęreticus vel apostaticus. apparet etiā quod non est papa: vt in *c. Romano.* §. *notoria, de censi. in* 6. sic intelligo tex. 24. *q.* 1. *Achatius*, quia ibi Achatius non diffitebatur errorem, vel erat ita notorius, quod non suberat defensis, *de re iudi. c. cū olim.* vnde hoc casu nō est opus iudicare de hęresi, sed tantū declarare de pœna prius per canones tali hæresi imposita, & sic inuocatione concilii vel eius auctorizatione non est opus eius auctoritate, cum non sit papa & de eius negligentia constat notoriè: quia statim q̃ erat lapsus in hæresim, debuit conuocare concilium. quod si non fecerit, notoria est etiam eius negligentia: dicto *cap. Romana.* §. *notoria, de censi. in* 6. Sed tunc cum Ecclesia vacet, potestas ipsa papalis remanet in Ecclesia vniuersali, & ipsa coadunata potest interponere sibi ipsi auctoritatem, & decernere congregationem de seipsis factam vere legitimam. Et quicunque ipsos vocasset, ipsi vocati talem vocationem auctorare possent, cum in eis repræsentantibus vniuersalem Ecclesiam hoc casu sit omnis potestas papę. & sic papa potest auctorare concilium, quod etiam est vocatum pro sua causa etiam papatus, vt est tex. in §. *hinc etiam.* 17. *dist.* & est speciale in papa, vt auctoretur in facto suo, sicut etiam est speciale quod in facto suo nonnunquam sit iudex. sic & concilium minus solenniter conuocatum potest ipsi sibi auctoritatem interponere, sicut & auctorauit concilium minus rite vocatum Symachus papa dicto §. *hinc etiam.* Et hoc casu etiam pos-

Digitized by Google

sent congregare concilium cardinales altero de duobus modis. primo quia quando occurrit arduum dubium celeritatem requirens, & ecclesia vacat, sicut est in hæresi papæ, vel quando est apostaticus notoriè, tunc iurisdictio deuoluitur ad cardinales omnes concordes: vt in *c. vbi periculum.* §. *idē quoq. de elec. li. 6.* Et licet conuocatio concilii fiat, vt disceptetur de papatu & præparatoriis & causam papatus, tamen ipsa vocatio concilii vel auctorizatio eius non est de causa papatus, ita quod nō liceat Cardinalibus se de ipsa intromittere secundū ea quæ dixi supra in quęstione *quis huius causæ iudex sit:* & ideo tanquā habentes iurisdictionē papæ hoc casu possent omnes concordes conciliū conuocare citando & auctorizando concilium. Secundo quando omnes cardinales concordarent, maior pars tunc posset hoc casu concilium congregare, quia talis vocatio potest fieri dupliciter. vno modo auctorizabiliter & per viam citationis, & istam non possunt facere Cardinales per maiori parte, si non essent omnes concordes, quia non habent aliter potestatem papę nisi cum omnes sunt concordes: vt dicto *c. vbi periculum.* §. *ideoque:* & ista pertinent ad solum papam, vt dicunt iura supra deducta. alio modo hæc vocatio fieri potest non per viam citationis vel imperii, sed per viam denunciationis vel monitionis siue requisitionis, & hęc tunc fit quando non est superior, qui possit vel velit facere vocationē cum citatione, & imminet necessitas faciendi: vt notat Inno. & Doc. in *cap. cum nobis olim, de elec.* & istā potest facere maior pars cardinalium. nam ad hanc possunt facere pares & minores, *de offi. dele. in c. cum causa, in prima glo. vltra medium.* notatur in *c. qualiter, de cleri. non resi.* Sic etiam emptores denunciant venditoribus. *ff. de acti. empti. l. si rem.* §. *fi. & de emp. & ven. c. fi.* sic etiam fiunt intimationes vt in *cle. cum causam, de elec.* faciunt nota. *de supplen. negli. præla. c.* 1. notatur *de accusa. c. licet & de iureiuran. cap. magna.* Et hanc conuocationem debent facere qui sunt in potiori gradu post papam, & sic Cardinales primo. *leg.* 1. *Digest. de albo scribent.* & etiam inferiores supplent negligentiam Papæ. 12. *quæst.* 2. *cap. qua propter*, sicut & archidiaconus supplet defectum episc. *de offi. archidia. c.* 1. & interdum papa defectum imperatoris: vt in *cap. licet ex suscep. de foro compe.* Et sic econuerso poterit imperator hoc casu supplere defectum vel impotentiam papæ, si Cardinales ipsi essent negligentes, qui vtique dicerentur negligentes, si statim quod defectus Papæ esset notorius, ipsi Cardinales non conuocarent concilium: vt dicto *cap. Romana.* §. *notoria, de censi.* vnde in primatiua ecclesia, in qua papa non poterat concilia conuocare, & propter hæc inter Christianos hæreses & scismata nascebantur: vt 15. *di. cap. canones,* ideo Constantinus imperator suppleuit defectum papæ, & primam Nicænam synodum congregari mandauit, & querelam multorum coram se conuocari fecit 12. *q.* 1. *c. futuram ecclesiam. ver. idem vero.* Ecce ergo quod in vocatione concilii data impotentia papæ princeps concilium conuocari iussit. ad hoc 15. *di.* §. *harum prior. & c.* 2. & de hoc est tex. 16. *di. c. habeo librum, cum sequen. c. &* 11. *q.* 1. *c. continua.* & probatur in gestis *Antiocheni concilii. c.* 1. & in gestis *Syluestri papæ c.* 2. Et secunda Synodus celebrata est sub Theodosio seniore. Tertia Synodus sub minore Theodosio. Quarta sub Martiano principe. Quinta & sexta sub Iustiniano. 16. *di.* § 6. Item Carolus Magnus constituit concilium cum Adriano. 63. *di. Adrianus.* Quare concludo, quod subsistente necessitate hanc vocationem poterunt facere Cardinales, vel etiam Imperator, quoniam eius interest, quod sit pax non solum in vrbe: vt 17. *dist.* §. *hinc etiam,* sed etiam in toto orbe: quia propter dissentionem papatus scandalizatur non solum vrbs, sed orbis, poterit etiam quilibet Christi fidelis. 65. *di. si forte.* quia quando est notoria hæresis, vel apostaticus est notorius, possunt maiores de negligentia redargui: dicto *c. Romana.* §. *notoria, de censi. in* 6. Et ideo quilibet posset conuocare conciliū: dico per viam requisitionis vel monitionis, non per viam citationis vel auctorizationis. immo contingens foret quod ipsamet sancta Synodus se poterit congregare: quia quod superiores vocēt non est de substantia. & ideo apostoli multotiens Spiritu sancto vocante se coadunabant nullo superiore conuocante: patet *Actuum 6. c.* ibi, *conuenerunt autem duodecim multitudinem discipulorum.* & si sunt duæ partes conuocandorum, illi habent potestatem alios conuocandi & constituendi in mora: vt notant Docto. in *c. cum nobis olim, de elect.* & si possibile foret, quod omnes simul conuenirent absque vocatione, valeret quod per ipsos fieret. ratio, quia vocatio, quæ fit à superiore, est quædam citatio, quæ de præsente non est necesse fieri: quia certus certiorari non debet, & ita tenet Archidi. 82. *di. præposuisti.* notatur *de elec. bona. el primo. & in c.* 1. *de indi.* & ibi per Modernos legistas in *auth. si omnes. C. si vt se ab hære. absti.* & in rubrica *de in ius vocan.* Et si dicitur quod erit tunc conciliabolum non concilium, cum careat auctoritate sedis apostolicæ. 17. *dis. multis.* respondeo quod ipsa sancta synodus sic conuocata, papa non existente, sede vacante, tanquam habens omnem potestatem pontificalem poterit sibi, ipsi auctoritatē interponere, quoniā apud eam in casu prædicto residet omnis potestas papæ: nec erit acephala vel conciliū acephalū quia eius caput est tunc Christus: vt notat Hostiens. & refert glo. in *c.* 1. *de schisma. li.* 6. sic debet intelligi textus Constantiensis concilii, qui dicit, quod *generale concilium immediate potestatem habet à Christo:* nam debet intelligi papa non existente & periculo in ecclesia imminente, quod est vel quando papa est hæreticus, vel non vult periculo ecclesiæ obuiare. Nā tunc caput est Christus. ipse enim papa propter hæresim incursam non est iam apostolici caput. Et idē quando iam non vult esse caput, & imminet periculū in tota ecclesia vniuersali, tunc enim habet conciliū potestatē à Christo, & omnis potestas pontificalis est circa prædicta in concilio. si autē papa non esset hæreticus, & vellet periculis occurrere, tūc papa est vere caput concilii: quia non dicit illa decretalis *frequens* quod potestas nō sit in papa. nam si poneres omnem potestatem in concilio, & poneres etiam in papa, segregata à concilio, poneres duo principia, quod esset hæreticū. 24. *q.* 1. *c. ordoniani.* Item si poneres esse in concilio, ita quod in Papa disrumperes

disrumperes vnitatē ecclesiæ, quæ principaliter consistit in papa capite ecclesiæ. papa igitur catholico existente & periculis & periclitationi ecclesiæ occurrente ipse erit caput ecclesiæ & concilii, & omnis est in eo potestas concilii. Sed eo hæretico vel periculis & periclitationi ecclesiæ non occurrente, caput est tunc, vt dicit decretum concilii Constantiensis, Christus. Item erit caput eorum spiritus sanctus, qui descendit super eos cōgregatos in vnū ad tam salubre opus peragendū. 24. *q.* 1. *alienus in fi.* & idē dico, quando aliquis esset in quasi possessione papatus, & eius hæresis vel causa papatus est dubia. quo casu etiam adhuc papa subiicitur concilii iudicio: vt notat glo. in *dicto ca. si papa.* 40. *di.* & supra dixi, tunc licet principaliter ad eū spectet conciliū conuocare, vel ipsi conuocato auctoritatē interponere: vt dicto §. *hinc etiam.* 17. *dis.* Si tamen vel negligit vel non vult concilium conuocare, vel ipsi conuocato prestare auctoritatē vel si vellet eum dissoluere ante cognitionem causæ antedictæ in omnibus prædictis sunt præstitia remedia. Nā eo primo non cōuocante, cū non possit, vt dixi, talē legem facere, vt de hac causa non cognoscatur, vt notatur in dicto *cap. si papa,* tunc poterunt inferiores per viā monitionis vel requisitionis hoc casu conciliū conuocare: quia cum papa his casibus debeat subesse concilii iudicio, inuitus etiam iudicium suscipiet. *l. inter stipulantem.* §. 1. *de verbo. obli.* nec debet esse in eius arbitrio an conueniatur. *l. non vtrique ff. de eo quod certo lo.* & concilio conuocato si ipse vellet auctoritatem illi interponere, poterit: vt dicto §. *hinc etiam.* Si autem concilium quod est iudex in his causis velit, poterit ad auctoritatem præstandam cogere ipsum ar. *ff. de lega.* 1. *l. huiusmodi.* §. *fi.* Et si forte pateretur se potius decoriari quam vellet auctorare, vel forte esset absens ita quod cogi non posset, & tunc concilium ipsum sit conuocatum interueniat loco ipsius papæ & supplebit eius vicem *l.* 1. *& l. vidua. C. de nup.* facit *l. bonorum. C. qui admitti. & C. de iure delibe. l. si infanti in fi. & ff. de iure dot. l. profectitia.* & est cautela, quod tunc concilium pronunciet papam nolentem auctorari concilio fore de hæresi suspectum, & loco suæ auctoritatis concilium auctoritatē interponat: quia, vt dicam & dixi, in his maior est sentētia concilii quam papę, dicā infra in *penultima quæstione.* Et ideo inferiore sine causa renitente auctoritatē interponere, debet adiri superior, qui consentiat, tex. est in *c. nullus, de iure patro.* Et simile dicunt Doc. quod si ex forma legis pater debet præstare auctoritatem vel consensum filio testari volenti, quod si pater denegat sine iusta causa præstare, iudex ipse præstabit: vt no. in *l. si cum dotem.* §. *eo autem tempore. ff. solu. ma.* & ideo in tali casu concilium præstabit auctoritatem, & iudicabat in causa propria seipsum legitime congregatum, & ideo cum ministerio. tex. in *cap.* 1. 17. *di.* dixit quod concilium non poterat sine papæ auctoritate regulariter fieri, quasi velit quod aliquando fieri possit & recedatur à regula, vt ibi. Item si papa iam præstitisset concilio auctoritatem, non posset eum ante causam finitam dissoluere, quando inuitus iudicio subiicitur, dicta *l. inter stipulantē.* §. 1. & quia est maior sentētia concilii in hac causa, vt notat glo. 15. *di. sicut & etiā,* quia, vt dixi, papa nō potest legem facere ne de his causis cognoscatur, & sic non potest conciliū dissoluendo per indirectū impedire huius causę cognitionē, licet in aliis causis posset verus papa ad nutum concilium dissoluere, nec alius quiuis posset papam cogere vel quod aliter faceret prohibere. 16. *di. non licuit,* nisi vbi tractatur causa fidei, vel bonum vniuersalis ecclesiæ. Eædem viæ per omnia tenendæ sunt duobus de papatu contendentibus, quoniam si vnus solus fuit per prius in totali quasi possessione, ipse debebit conuocare, & iuridice conuocato auctoritatem interponere. tex. est in dicto §. *hinc etiam.* iunctis his quæ supra dixi, & quæ habentur in Chronicis, videlicet quod tunc de papatu cum Symacho contendebat Laurentius: sed quia Symachus fuerat in quasi possessione papatus, ipse concilio auctoritatem interposuit. & hoc intellige sane, etiam si ex post facto fuisset possessione papatus in totum vel in parte spoliatus, vt quia multi à papatu discessissent: tunc ante omnia esset in sua sede restituendus, tanquam spoliatus: vt 2. *q.* 7. §. *item Symachus.* & ipse nihilominus debet auctoritatem cōcilio impartiri: vt dicto §. *hinc etiam.* quod non, si vellet, succederent remedia supra dicta. Nec obuiat, si dicitur supradicta remedia non videtur bona, si vera sunt quæ proxime dicta sunt, quod papa spoliatus quasi possessione papatus possit petere restitutionem. Nam ex hoc sequetur etiam, quod si papa erit notorius hæreticus vel apostaticus, sed sit in quasi possessione papatus, quod alii non poterunt concilium conuocare vel iam cōuocato non poterit sibi auctoritatem interponere: quia existens in quasi possessione papatus posset dicere, sic se spoliari, & petere se restitui, per text. 2. *q.* 7. §. *item Symachus.* & sic impedientur remedia supradicta. & hoc idem magis poterit dicere alius existens in hæresi occulta, vel apostaticus occultus, quando non volet conuocare concilium, vel ei auctoritatem interponere. nam si alius conuocabit, & ab ipso papa se separabit, vel si concilium ipsum volet supplere defectum ipsius papæ, poterit ipse dicere sic; concilium spoliat me papam quasi possessione papatus, in qua sum, & petet se restitui, & irritabit omnia supradicta remedia & erit perplexitas maiori priori. Sed huic obiecto facile respondetur. & primo notorius hæreticus vel apostaticus non poterit excipere se spoliatū, quia notorie constat quod non est papa: sed quod potestas papatus residet modo in ipsa ecclesia vniuersali, vt supra dixi. & exceptio proprietatis notorię obstat spoliato de spoliatione excipienti: vt in *c. ad decimas, de resti. spol. li.* 6. *& de diuor. cap. significasti, de filiis presby. c. constitutus,* cum similibus notatur Doc. in *c. cum dilectus, de ordi. cogni.* loquor quando est notorium proueniens ex veris probationibus aut fictis, non in solis præsumptionibus, & tunc non denegaretur propter talem notorium restitutio: vt no. in *c. porro. de diuor.* & ibi tex. qui sic potest intelligi. Occultus etiam apostaticus vel hæreticus in casibus prædictis non poterit tanquam spoliatus restitutionem petere, quia ergo dixi. supra quod ipse qui est in quasi possessione papatus debet conuocare concilium, vel ipsi auctoritatem

impartiri. quod si non facit iure permittente, alii possunt facere. quo casu ipse tanquã spoliatus non potest restitutionẽ petere, quia quando spoliatio fit iuris auctoritate, non datur spoliato restitutio. ideo si aliquis spoliauit me, & ego incontinenti spolio ipsum, nõ datur ei tanquã spoliato restitutio. Item si subtraho me à notorio fornicatore secundum casum. *ca. nostra, de cohabi. cle. & mulie. & 33. di. præter hac.* non datur rectori restitutio. hæc probantur in terminis nostris in pãpatu, si spolio notoriũ intrusum in papatu, non datur sibi restitutio vt ex text. 79. *di. si quis pecuniã. & c. si duo. 23. di. in nomine Domini in fi.* no. glo. 3. *q.* 1. *in summa. & in § peccatum.* & quia vbi est notorium, & nutritur peccatum, ibi non datur restitutio, vt notat glo. in dicta 3. *q.* 1. not. *de restit. spol. literas.* Et quia euidens iniusta possessio non causat possessorium, vt notat Innoc. in *ca. cum ecclesia sutrina, de causa pos. & proprieta. in glo. magna.* & quia existens in obedientia indebita vel seruitute separare potest, vbi ex tali præstatione seruitutis vel obedientia nutriretur peccatum. 32. *q.* 2. *si quis vxorem.* no. in *c. si. de adulte.* quẽ tex. sic intelligo, vt vir occultam vxorem adulteram possit priuare debito coniugali propria auctoritate per iura prædicta. Ex quibus patet, quod remedia supra data subsistunt.

Quando autem plures de papatu decertantes essent ambo in quasi possessione papatus? Tunc nullus ipsorũ præbebit auctoritatẽ concilio: quia illud quod dicitur, ꝙ papa vel existẽs in quasi possessione papatus, solus debet conuocare concilium, vel ipsi prębere auctoritatẽ, habet locũ quando vnus à principio est in quasi possessione papatus vniuersaliter. & ita loquuntur omnia iura hæc dicentia. sed si sunt duo, & scisse à principio papatum possidentes, tunc neuter conuocabit conciliũ, & ipsi auctoritatẽ interponet per rationes antedictas, sed cũ tunc ecclesia dicatur quasi vacare: vt no. in *c.* 1. *de scis.* & supra dixi, erit idẽ, quod quando ecclesia vacat & est opus concilio, vt quilibet per viam intimationis possit ipsum conuocare, & conciliũ sic conuocatũ, vt dixi, sibi auctoritatẽ interponet. probatur hæc conclusio in *c. si duo.* 79. *di.* vbi conciliũ cognoscit duobus de papatu contendentibus, nec dicit ibi quis conciliũ conuocet, vt patet in *gestis dicti concilii* & in *gestis Bonifacii. c.* 2. & horum est ratio: quia paria sunt non esse vel nõ apparere. *l. duo sunt titii, de testa. tute. & l. si in lege. ff. de contrahen. emp.* Sed quando non est Papa, vt quia notoriè hæreticus vel apostaticus, vel quando duo sunt contendentes, quorum nullus sit in quasi possessione papatus saltem totali à principio, tunc concilium potest conuocari quando vult, & in loco prout eis placet. tex. est in dicto *c. si quis pecuniã.* 79. *di.* vbi aperte tex. dicit quod *Cardinales & alii clerici & laici Deũ timentes*, qui omnes non sunt aliud quã concilium, *possunt talem apostaticũ anathematizare. & si nõ possunt intra vrbẽ, facient extra in loco, prout eis placuerit.* Nota quia non dicitur, vt illi apostatico videbitur & placuerit, sed vt ipsis placuerit. vnde ibi est tex. quod tunc conciliũ conuocatur, quando non est papa, prout videbitur Cardinalibus & aliis. & est ratio, quia in scismaticos etiã laici principes iurisdictionẽ habent: & idẽ contra apostaticũ: vt est tex. coniuncta glo. in *c. principes.* 23. *q.* 5. & ibi est textus quod quando deficit potestas ecclesię, supplet potestas secularis. Et ideo si propter duorum contentionem de papatu contendentium non potest vniri Ecclesia, tunc insurgere possunt alii & iam principes seculares: vt dicto *capi. principes.* & infra dicam. & hoc modo est soluta omnis perplexitas.

Restat vt respondeatur ad aliqua contraria, vt omnia plena sint. Et ad primas rationes de perplexitate est supra responsum. & similiter ad illud quod conuocatio fiat per maiorem de vniuersitate vel per habentem potestatem citandi: quia illa sunt vera quando vocatio fieret per viam auctoritatis vel citationis vt dixi: secus autem per viam monitionis, quia tunc etiam faciunt eam pares vel minores, qui non quærunt ex tali vocatione quenquam sibi subiicere sed monere, & sic tollitur illud aliud, quod sic vocãs videtur papam vel alios maiores vel sibi pares subiicere. Et ad illud, quod fieri debeat per existentem in quasi possessione papatus, fatendum est, dummodo velit, sed eo nolẽte ne iura sint ludibrio procedunt remedia supra data. Item dum dicitur, quod nullo existente in quasi possessione papatus non erit qui conuocet concilium, hoc est falsum, vt probatur in dictis capitulis *si duo. & cap. si quis pecuniam.* 79. *dist.* Ex quibus apparet, quod in vno capitulo erant tantum duo de papatu contendentes & intrusi & in alio. c. solum vnus apostaticus, & tamen est tex. ibi quod concilium tales expellit & iudicat. Sed quis tunc potest tale concilium conuocare? necesse habes dicere, quod alii clerici vel etiam Imperator, aut alii seculares, argu. *l.* 3. *§. si debitorem. ff. qua in frau. credi.* & eorum quæ no. in *l.* 1. *C. ne quis in sua causa iudi.* Ratio, quia his casibus etiam laici iurisdictionem habent: vt est tex. in dicto *c. princeps.* 24. *quæst.* 5. & dicto *c. si duo. & c. si quis pecuniam.* 79. *dist. &* 23. *dist. in nomine Domini.* Item quia quando est notorius solus apostaticus vel papa notoriè prolapsus in hæresim, vacat sedes, & quod tunc cum indigeamus concilio, & non sit qui conuocet vel ipsi auctoritatem præstat, est rediculum dicere, quia saltem papalis potestas residet in tota ipsa vniuersali ecclesia: vt probat tex. in dicto *capit. si quis pecuniam.* qui text. præbet iurisdictionem ecclesiæ contra intrusos. Ad idem 23. *dist. in nomine Domini.* in quibus iuribus probatur quod existente apostatico & sic vacante sede, ecclesia vniuersalis habet iurisdictionem. facit text. in dicto *capit. si duo.* pro ista parte inducitur quod etiam papæ potest fieri monitio publica, quando est hæreticus, etiam illa vt dicatur ecclesiæ: vt notant Doct. in *c. nouit, de iudi.* ergo ecclesia hoc casu habet iurisdictionem supra papam. 21. *dist. nunc autem. &* 19. *di. Anastasius.* & in omni casu vbi non potest papa prouidere, potest ecclesia vniuersalis. hinc est quod in prima ecclesia antequam essent distinctæ diœceses, & messis erat multa & operarii pauci, indifferenter apostoli per totũ orbem ordinabant, licet, vt dixi, quando erat Petrus, deferrent Petro. vnde concluditur, quod vacante sede, imminente necessitate, etiã vniuersalis habet omnem potestatẽ papæ: sed non subsistente necessitate non credo quod imponã

manus

Digitized by Google

manus ad ea quæ impetunt tantum papæ statuendo præsertim contra statuta per papam, quia concilium non est supra papam, nisi esset in illis tribus casibus in hæresi & in bono vniuersalis Ecclesiæ principaliter vel vbi desolaretur status ipsius Ecclesiæ vniuersalis, vt dicam infra in *pe. quæstione*. In casu ergo prædicto, quando papa non vult conuocare concilium, vel ipsi auctoritatem interponere, & imminet necessitas pro bono vniuersalis Ecclesiæ, potestas est in ipsa vniuersali Ecclesia & in concilio etiam contra voluntatem papæ: & ideò ipsa synodus quomodocunq; congregata potest sibi auctoritatem legitimã interponere, & conuocatio ipsa poterit fieri etiam à principibus secularibus. Et ideò quando Ecclesia per se non potest, deberent facere principes seculares, sicut fuit tempore Constantini. 16. *di. habeo librum cum ca. se.* vt supra dixi. & no. 23 *q. 5. c. principes.* & ita dicit glo. in libro conciliorum in *principio Affricani concilii.* & notat historia Tripartita *lib. 1. cap. fi. & in li. 2. c. nono. & c. 13. & in tertio li. c.* 1. 2. & 3. Item mandato & licentia principis congregatum fuit Chalcedonense concilium: & ibi etiam, quod plus est, interfuit Augusta, vt patet in dicto *li. Chalcedonensis concilii.* Et hæc sunt verba dictæ Synodi: *synodus quæ secundum gratiam Dei & decreta piissimorum Imperatorum congregata est in Chalcedonensi ciuitate* &c. Et demũ subduntur ibi hæc verba, *Dominus noster Iesus Christus piissimum & fidelissimum Imperatorẽ erexit ad zelum fidei, qui Imperator vndique sacerdotes & episcopos ad se conuocauit.* & in fine dicti c. dicitur & loquitur imperator, *ab vniuersis enim prouinciis religiosissimi sacerdotes Chalcedonis venerunt iuxta mandata nostra & præceptum.* vnde patet quod Cæsar nonnunquam concilium conuocauit.

Ad illa autem argumenta, quod duobus contẽdentibus de papatu, & vtroq; habente papatus quasi possessionẽ, quod propter scissos Christicolas ex hoc erit impossibilis conuentio, quia vna pars aliam schismaticã reputabit, & sic non videntur posse inuicem salua conscientia communicare. Et quod illi de vna parte non parebunt alii vocanti, nec econuerso. Item quod nõ erit qui auctoritatẽ concilio interponat. Itẽ nõ poterit aliquis se scindere ad aliquẽ papã reputabit cõuocando per viam monitionis conciliũ, quin schismaticus efficiatur, præsertim si nolẽs taliter conuocare conciliũ prohibebitur ab illo quẽ reputat papã, qui fortè sibi mandet quod ab ipso non discedat: vel monitionẽ alicuius concilii faciat sub pœna excõmunicationis, vel fortè priuationis cuiuscunq; dignitatis, quã incurrat ipso iure. sic breuiter respondeo: & ad primũ dico, quod licet excommunicatis & schismaticis cõmunicare sit peccatũ: vt in *c. nuper. de sen. excõ.* tamẽ ex causa necessitatis licitè sine peccato cõmunicatur eis: vt in *c. si vero, de sen. excõ.* sed nõ potest esse maior necessitas, quã cũ est schisma vel contentio de vicariatu Iesu Christi. 12. *di. omnia.* Et ideò hoc casu pro recõciliatione fienda licitè possunt qui sũt verè catholici cõmunicare etiã excõmunicatis & schismaticis siue hæreticis. hoc probatur in *cle. ne Romani, ad fi.* & ibi glo. in verbo *cæterum de elec.* vbi est tex. quod nõ obstante, quod Cardinalis aliquis sit excõmunicatus, quod tamẽ hoc prætextu ab electione repelli nõ põt, vt ibi & dixi in Monarchia in quæstione *an aliqua exceptio contra Cardinales opponi possit.* alii Cardinales sine peccato cum illo possunt conuenire ad electionẽ futurã papæ fiendã. Cũ enim hæc cõmunicatio fiat hoc casu cum schismaticis iure permittente, non incurritur aliqua pœna. *l. seruus. §. si quis riuũ ff. de riuis.* facit *l. Gracchus. C. de adulte. & ff de adult. l. nec in eo. & l seq.* no. 33. *q* 3. *c. inter hæc.* nã cũ schismaticis cõmunicare non licet 24. *q.* 1. *maiores*, nisi quãdo correpti quærũt vnitatẽ: vt no. glo. singularis in *d. c. maiores* facit. 24. *q.* 7. *c.* 1. Et ideò tẽpore schismatis si aliquis cõmunicat cũ illis de alia parte, vt fiat vnio, non peccat nec efficitur scismaticus. & similiter per viam monitionis conuocans conciliũ ex eo existẽs in quasi possessione papatus negligẽs est, nõ dicitur se scindere à suo capite & schisma committere, vt supra dixi. vnde hæc argumenta cõtraria includũt impedimentũ conuocationis concilii ex eo quod nõ liceat cõmunicare cũ aduersariis. Itẽ nõ est opus vt aliquis ipsorũ litigantiũ de papatu auctoritatẽ interponat: quia sufficit auctoritas sola concilii auctorantis sibimet, vt supra dixi. Itẽ dico quod vt habeant materiã isti de diuersis partibus parere vocantibꝰ vel ipsos exaudire poterunt conuenire de principalioribus vtriusq; partis & cõuocare conciliũ in aliquo loco illis de vtraq; parte nõ suspecto: vel poterit tunc Cæsar tanquã mediator amborũ & indifferens & pro tẽporalibus Dominus mũdi. *l. deprecatio. & l. Rhodi. de iactu*, quia vt dixi sine periculo schismatis possũt hoc casu inuicẽ cõuenire quãuis sint diuersæ sectæ. Itẽ plurimi possunt conuocare conciliũ quãdo de vno loco & tẽpore cõueniũt & vtraq; pars cõueniant in vnum & sine periculo: quia esse etiã poterit quod erit scissæ ambæ partes, & nulla erit schismatica, si forte iusto errore ducti sic separati Christicolæ forent, vt dixi in Monarchia in quæstione *an duobus cõtẽdentib. de papatu aliquis eorũ vel ambo schismatici sint*, quãuis & si aliqui forẽt schismatici & vnionẽ affectarẽt quærẽdo cõciliũ vel ad ipsum veniendo licite ipsi conuocare posset & sine peccato: vt notat glo. in dicto *capit. maiores.* 24. *q.* & supra dixi.

SVMMARIVM.

An Cardinales vel Imperator, qui fortè crediderunt vni de pontificibus litigantibus de Papatu, possint ab ipso discedere, & ab ipso se separare salua conscientia, & conuocare concilium.

CAPITVLVM IIII.

AD aliud autẽ quod dicitur, quod cardinales vel Imperator, qui fortè crediderũt vni de istis pontificibus litigantibus, non poterunt ab ipso discedere & ab ipso separare salua cõscientia & conuocare concilium. dico primo esse permittendum quid hoc casu possint vel debeant facere subditi, an liceat ipsis à suo quẽ reputant põtificẽ separare sine peccato. Secũdo an ex eo quod se separẽt à suo

Digitized by Google

pontifice vt tali casu concilium conuocetur vel ad ipsum vadant dici debeant schismatici vel peccatores. Tertio si debent seruare præcepta vel timere excommunicationes, quas idem pontifex suus faciat in casu quo ab eo recedant vel concilium conuocent. Et hæc concernunt siue sint Cardinales qui hæc patiantur siue alii prælati vel laici.

Ad primam quæstionem sunt multi casus discurrendi. & primo quando est vnicus papa & dicitur lapsus in hæresim vel renunciasse aut peccatum committere quod turbet & scandalizet vniuersalem ecclesiam, an tunc licite possunt subditi ab ipso separari. Secundo quando essent duo de papatu contendentes an si vnus est solus in quasi possessione, subditi ex tali contentione possint ab ipso recedere, vel quando duo recederent scissos Christicolas, an subditi à suo quem reputent pontificem discedere volebant.

Veniens ad primam quæstionem, videtur quod præsertim quando causa hæresis est dubia vel renunciationis aut similis, non liceat ab vnico existente in possessione pontificatus ante latam sententiam recedere. tex. videtur 8. *q.* 4. *nonne.* facit *de consecra. di.* 2. *c. non prohibeat.* & quod notat Inno. & Doct. in *c. nostra. de cohabi. cle. & mulie.* vbi volunt quod sint crimina grauia quantum velint, vt homicidium & Simonia, tamen non debet prælatus occultus non vitatur: vt notatur 6. *q.* 2. *c. si tantum. & c. si placuit. & de sen. excom. cum non ab homine. & de tempo. ordi. ad aures.* etiā in sacramentis, quia Christus tradidit corpus suum Iudæ proditori & sacrilego, qui etiam fuit hæreticus: vt 1. *q.* 1. *c. eos.* & notat Inno. *de hæreti. c. fraternitatis.* Et maxime quando vitatio prælati scandalizat. ar. in prædicto. *c. Ad aures, de tempo. ordi.* & maxime non videtur deserendus papa à Cardinalibus, qui sunt pars corporis papæ 6. *q.* 1. *si quis cum militibus. C. ad legem Iul. Maie. quisquis.* videntur enim astricti ad residentiam cum papa, vt assistant sibi in conciliis & aliis opportunis, vt nec momento ab ipso abesse debeant: *de cleri. non residen. c. ex gestis, & c. ex tua.* 7. *q.* 1. *per totum.* & videtur tex. in *c. olim, de accusa.* ad idem tex. 17. *dist. hinc etiam.* vbi puniti fuerunt, qui à Symacho propter suspicionem criminis discesserunt. pro hoc videtur tex. in *c. cum secundum leges, de hæreti. in* 6. vbi est casus quod quamuis hæreticus sit ipso iure damnatus, & bona eius confiscata, tamen executio ab homine priuato fieri non potest ante sententiā iudicis, & sic antequam concilium hæreticum papam damnauerit, vel ipse se suo ore damnauerit. vt 21. *di. nunc autem.* vt sic ante non videatur subditorum licita separatio. Ad idem tex. in *c. licet episcopus, de præben. li.* 6. vbi est text. quod licet per ademptionem secundi beneficii curati primum beneficium vacet ipso iure: vt in *ca. de multa, de præben.* tamen non videtur quod ipso non conuicto possessio sit sibi auferenda. Ad idem textus in *c. ordinarii* §. 1. *de offi. ordi. li.* 6. & quod priuatus ipse nō possit exequi sententiam ab homine vel à iure latam: videtur tex. in *l. miles.* alias. *l. ait prætor.* §. *qui iudicati. ff. de re iudi.* Quare videtur ex dubia hæresi vel renunciatione papæ ipse papa à subditis suis non sit deserendus: quinimmo plus videtur dicendum, quod etiam quando hæresis sua vel renunciatio, aut peccatum turbans ecclesiam esset notorium, ipse deserendus absque iudicis mandato non sit: quia etiam vbi est notorium in eo exigitur sententia: vt no. glo. *de rescript. ab excommuni. ato. de iureiuran. c. ad nostram de testi. cogen. c. super eo.* 2. *q.* 1. *qua Lotarius,* & est glo. *de purga. ca. c. penul.* & no. Bar. apud legistas in *l. emptorem. ff. de act. empti.* & præsertim requiri videtur sententia in effectibus facti propter notorium delictum imprimendis siue exequendis: sicut est discessus subditorum, qui est quid facti. glo. est in *autent. vt iudicis sine quoquo suffra.* §. *necessitatem.* licet non sit necesse vt feratur in scriptis vel cum solennitatibus: de quibus in *l. prolatam. C. de senten.* & hoc tenet Io. An. in *c. ex parte. de verbo. sign. el.* 1. & Archi. 2. *q.* 1. *qua Lotarius. & in c. Felicis. de pœnis. li.* 6. in verbo *pontificali,* ad finem magnæ glo. vbi dicit quod sufficit si à iudice fiat quædam detectio. idem Io. An. in *additionibus Speculi. in ti. de notorio.* §. *notorium autem. in fine tertia colum.* immo sufficit præceptum, vt dicit Archi. in *dict. c. qua Lotarius.* & no. Cyn. *C. de his qui no. infa. l. nulla.* & glo. in *l. ictus fustium ff. eo. ti.* Si enim in confessum sufficit *ff. de iudi. l. si debitori,* fortius in notorio: & hoc in ciuilibus: sed in criminalibus requiritur sententia: vt no. glo. 2. *q.* 1. *c.* 1. *& in l.* 1. *C. de confes. & l. si confessus. de custo. reo. & l.* 1. *& l. ictus fustium ff. de his qui no. infa.* Ex quibus videtur quod siue occulta sit hæresis papæ siue notoria, non liceat sine iudicis licentia subditis à papa hæretico occulto, vel etiam notorio discedere: & multo magis non videtur discessus licitus, quando in nulla est hæresi vel schismate constitutus.

In contrarium videtur, quod papa existente hæretico etiam occulto licite subditi hoc sentientes possint ab ipso separari sine alio iudicis ministerio. tex. videtur in *c. Anastasius* 19. *di.* vbi multi Anastasium deseruerunt & iuste: quia occulte communicauerat in crimine hæresis. Pro hoc facit, quia quando est apostaticus ille qui dicitur papa: vel verus papa est prolapsus in hæresim, tunc quilibet eorum est excommunicatus. de primo scilicet apostatico, est tex. in *c. licet, de vitanda. de elect. & in c. in nomine Domini. in fi.* 23. *di.* loquor etiam si sit apostaticus: quia renunciasset papatui: & postea hoc nō obstante decertaret ipsum sine canonica electione tenere: quia malo ingenio contra canones in ipso staret intrusus: & similiter excommunicatus foret: vt in *d. c. in nomine Domini.* & de hæretico quod sit excommunicatus etiam papa non est dubium, 24. *q.* 1. *Achatius.* ergo licite quolibet dictorum casuum euitatur & ab ipso receditur: *de sen. excommuni. c. nuper. & c. cum non ab homine.* & in istos effectus iuris, videlicet excommunicationis & perditionis dignitatis propter hæresim, vel apostasiam incurrit quis ipso iure absque aliquo iudicis alterius viuentis ministerio: vt in *c. cum secundum leges. de hære. in* 6. no. Io. An. in *c. vt commissi. ti. li.* 6. & *d. c. Achatius.* & quia insurgere contra papam apostaticum vel hæreticum videtur à iure subditis permissum. 79. *di. si quis pecuniam.* & *d. c. in nomine Domini* 23. *di. in fi.* vnde hac iuris prouisione videtur quod vti possint absque alio iudicis mandato *l. quasi sub*

Digitized by Google

si sub conditione in fi. ff. de condi. insti. & ideò cum ministerio dicitur, frustra principibus impetratur quod iure communi conceditur. *l.1. C. de Thesauris li.10.* Et hic est etiam quod quandoque licet occidere transfugas vel fures nocturnos aut agrorum depopulatores iure permittente. *l. post liminium. §. transfugas, de fica.* & quod notatur in *l.1. C. quando licet sine iudi. se ven.* quod potest fieri aliter non petita à iudice licentia. Similiter quando licet capere debitorem propria auctoritate *l. ait prætor. § si debitorem. ff. quæ in frau. cre.* & hoc etiam probatur tex. in *d. c. licet Episcopus, de praben. l.6.* allegatus supra in contrarium. Nam ibi est tex. quod si habēs beneficium curatum acceptat aliud similiter curatum cū primum vacet ipso iure Episcopus potest ipsum conferre etiam prius possidente non citato, aut alia declaratione non facta quod vacet. Ex quibus videtur, quod ex hæresi, in qua prolapsus sit, vel ex eo quod sit apostaticus, licitè sine alia sententia potest deseri à suis subditis hoc scientibus, etiam si ista crimina occulta sint: & hoc concludunt illa iura quæ supra retuli, quando Deus per Moysen dixit: *separamini à tabernaculis* &c. *d. ca. dicimus.* Ita etiam debet intelligi illud exemplum Polycarpi, de quo supra dixi. & videtur tex. 22. *dis. §. verum.* vbi non licet ab eis recipere aliqua sacramenta nisi baptismatis in causa necessitatis. Alia autem sacramenta etiam necessitatis ab hæretico nō licet recipere. *d. §. verū.* notatur in *c. vestra, de cohabi. cle. & muli.* Et hanc sententiam credo veram per tex. *16. q. fi. c. sane & 2. q. 7. sacerdotes.* no. in *c. cum non liceat, de præscrip.* nam à prælato excōmunicato si est hæreticus vel apostaticus, licet recedere sine alia sententia: vt in *c. pastoralis, in fi. de appel. 11. q. 3. excōmunicatos. & ca. cum excommunicato.* & dicit In. quod hoc est verum etiam quantumcunq; ipse toleretur, dum modo probari possit, adeò vt si vocet aliquem subditum ad ordines vel ad alia Sacramenta, possit ipsi dici, *non recipiā hæc à te quoniā excōmunicatus es.* Ita no. In. in *c. 1. de schismati.* facit. *6. q. 2. c. si tantū.* quia debet eum denunciare vt emēdetur. An aut peccēt suscipiēdo ab eo Sacramēta, no. in *d. c. vestra. & in c. fraternitatē, de hæreticis. & in c. per tuas el. 2. de Simo.* vbi cōcludūt Doctores, quod nō debent etiā ab ipsis occulta Sacramenta recipi nisi baptisma & corpus Christi: vt in *ca. 3. de hæreti.* licet ipsis occultis peccatorib' petentib' in publico Sacramēta dāda foret: *de consecra. d. 2. non prohibet. & 1 q. 1. c. Christus.* Et idē occulto excommunicato danda sunt publica officia, quæ aliis dantur, ne sic vitando eum prælatus publicet ipsum, *de offi. ordi. c. si sacerdos.*

Restat modo responde contrariis. & ad *c. nonne 8. q. 4.* respondeo, vt no. glo. in *d. c. cum nō liceat,* quod loquitur in aliis criminibus quā hæresis. *24. q. 2. sane.* & in alio crimine quam ex quo irrogata sit sentētia excommunicationis: *d. c. cum non ab homine* & in crimine schismatis: vt in *ca. quia diligentia, de elect.* & in simoniaco in ordine, dummodo probari possit. *32. dist. §. verum. 1. q. 1. si qui à simoniacis.* In aliis autem criminibus, & si sint notoria, est expectanda sententia. *15. q. fi. c. fi.* fallit in crimine fornicationis notorio. *32. di. nullus.* ita noto. glo. *2. q. 7. sacerdotes. el. 1.* vbi glo. addit alium casum, quando prælatus non seruat canones. *19. dis. nulli.* sed debet intelligi sane: quia non obseruat canones, quia arbitratur papam illos non posse condere; tunc quoniam ex hoc est hæreticus, debet vitari. Ego tamē credo, quod idē sit in omni suspēso à iure quo ad se & quoad alios, vt licitè dimitti possit & vitari, dummodo euitatio fiat vt eum corrigat non vt publicet. nam ex quo ius ligat factum occultum, licitè ab eo receditur: vt dicto *ca. non ab homine.* notat. glo. in *cle. 1. de hæreti. in glo. magna. ad fi.* ideò potest vitari vt se retrahat à peccato. Non obstat *32. di. §. verum,* vbi videtur promissum ab homicidis & adulteris recipere Sacramenta & sanctimonalium violatoribus: quia loquitur ibi in criminibus occultis non suspensis & non præcisis. Sed quando essent suspensi, est idem dicendum quodcunque sit crimen & ibi de fornicario fit mentio exempli gratia. idem credo in omni crimine notorio ordinis executionē impediente: vt notat Innoc. & Doc. in *cap. per tuas el. 2. de simo.* & est in istis ratio quod vitari debent quia suspensi. & ideò est idem in omni alioqui à iure suspensus foret quoniam peccaret qui voluntariè cum talibus communicaret: quia debemus esse soliciti de anima fratris lucranda: igitur debent tales deseri vt desistant, & toleratio non operatur quantum ad scientes vt not. Iohannes de Calderinis in *c. ad probandum, de re iudi.* & hæc sunt etiam vera in omni occulto, etiam cuius delictum probari non possit, vt liceat vitare suspensum ad finem. vt se corrigat nō vt prodatur. Sed si esset pœnæ occultum quod probari nō posset, credo quod vitari posset vt reprobaretur delictū. *6. q. 2. si tantum.* vt hæc no. in *d. c. nostra, de cohabi. cleri. & muli.* no. in *c. 1. de schisma.* Non ob. tex. in *§ hinc etiam. 17. dis.* quia ibi erat suspicio criminis hæresis vel alterius criminis in Symacho papa: sed non erat verum quod esset hæreticus: & ideò ex sola suspicione hæresis deseri non debet papa, sed quando scitur in veritate deseri potest etiam si hæresis aliis sit occulta, dummodo probari possit.

Et ad *capit. cum secundum leges, de hæreticis in 6. & ad capit. licet Episcopus, de præben. eo. lib. & ad l. miles.* aliàs *prætor ait. §. qui iudicati, de re iudi.* Respondeo quod est consideranda lata sententia à lege vel ab homine, quomodo pars vult ea vti contra eum qui succubuit vel damnatus est. Nam aut pars aduersa vult effectus iuris causatos propter talem sententiam hominis vel legis allegare solum vel dicere inductos esse, & tunc potest hoc absque alio iudicis ministerio: vt si allegat damnatum ad mortem ipso iure effectum intestabilem vel prius testamentum per eum factum irritum esse. Et hoc potest dicere & allegare. *l. si quis filio exhæredato. §. irritum. ff. de iniusto testa.* similiter etiam potest allegare quod hæreticus papa sit excommunicatus ipso iure & dignitate priuatus & bona eius publicata, *de hæreticis. cap. cum secundum leges. libro 6.* Item potest allegare quod per acceptionem secundi curati beneficii facta sit executio à lege ipso iure vt primum vacet, vt in *ca. de multa, de præben.* adeo vt per habentē conferre possit conferri absq; alia iudicis declaratione, vt est tex. in *l. licet episc. de præben. libro 6.* idem dicimus in damnato de crimine publico; vt efficiatur infamis ipso iure & allegari

Digitized by Google

possit infamis *l. infame. ff. de publi. iudi.* nec est opus quod iudex eum declaret infamē. tex. est optimus in *l. 1. §. 1. ver. sin autem pronunciauit. ff. ad turpil.* Pro istis igitur effectibus à iure introductis vigore alicuius sententiæ latæ à lege vel ab homine non est opus alio iudicis ministerio vel sententia, immo iudex non posset sine causę cognitione facere quod isti effectus à iure introducti non imprimerentur. *l. non poterit præses. ff. de fur.* no. in *l. vt militibus. C. de testa. mili.* Si vero loquitur de executione fienda ab homine ipsius sententiæ à lege vel ab homine promulgatæ, tūc aut executio potest fieri aperte absq; eo quod aliquid requirat à damnato: quia potest fieri solum per quid vel aliquid de negando sibi damnato, & tunc pars potest illud facere sine alio iudicis ministerio vel sententia: ideo debens cōferre beneficiū cōfert illud postquā vacat ipso iure absq; eo quod possidentē citet vel ipsum beneficiū iudex vacare declaret. tex. est in dicto *c. licet episcopus.* similiter si vsufructuarius obtinuit pro vsufructu in confessoria, & per prius possidebat ipsū fundū, ipse vigore sententię colliget fructus nec pro executione sentētiæ indiget iudicis ministerio *l. vtifrui. §. 1. ff. si vsufructus petatur.* idē si agit aliquis dicēs vicino nō esse ius altius tollere, & obtinuit, si ille qui succubuit nō habebat ædificatū, facta est executio à iure, vt si velit altius tollere possim ipsum prohibere etiam sine iudice vt altius non tollat. *l. & si forte. §. 1. ff. si seruit. ven.* Item si egi ius mihi esse eundi per viam fundi tui ad fundum meum, si obtinui possum ire per fundum tuum sine alio iudicis ministerio. ita similiter si aliquis est damnatus hæreticus à lege vel ab homine, subditi possunt sine alia iudicis declaratione ab ipso recedere: quia pars aduersa, id est, subditi, possunt à se facere executionem, in qua nihil requirant à victo nisi patientiam siue pati, vel quando solum ipsi aliquid denegent, non dico vt aliquid auferant. Igitur vir statim quod mulier est adultera etiam occulta, potest ipsi denegare debitum absque alia iudicis declaratione quod sit adultera. ita debent intelligi notata in *cap. fi. de adulte.* & hoc monstratum est iure naturali in primo parente, cui continuo post spretum mandatum Dei elementa fuerunt facta contraria, & animalia eidem in domicilio commissa ipsi obedientiam subtraxerunt. Si vero pars in executione debeat aliud quam pati à victo requirere, tunc aut illud quod requiritur potest expediri in ipsum victum etiam inuitum, & tunc etiam pro executione sententiæ non est opus alio iudicis ministerio. patet de iure ciuili si fertur sententia quod aliquis sit filiusfamilias vel seruus meus tunc erit executio facta à iure vt testari non possit *l. qui in potestate. ff. de testa.* & ego pater potero ipsum moderate castigare & in meam potestatem redigere absque quod implorē iudicis ministeriū, *l. 1. & l. 3. C. de patria po.* Si vero illud quod à condemnato requiritur nō potest fieri aperte vincente ipso damnato inuito, vt quando aliquis est condemnatus ad rem corporalē mihi dandam siue tradendam, & vincens vult nancisci possessionem adhuc per condemnatum possessam, tunc pars non potest executionem facere sine iudicis ministerio. ita debet intelligi dicta *l. miles. alias ait prætor §. qui iudicati. ff. de re iudi.* ita debent intelligi text. in dicto *capit. cum secundum leges in fi. de hæreticis. & in capit. licet episcopus. de preben. libro 6.* in quibus iuribus probatur quanquam prioris beneficii curati vacantis ipso iure possit ab habente potestatem conferendi fieri collatio: quia ad hoc non requiritur a victo nisi pati, possessio tamen ab eo auferri non potest, sed debet citatione præcedente à iudice auferri. hoc modo intellige text. in dicto *capit. ordinarii. § 1. de offi. ordi.* vbi collatio beneficii fieri potest sine alio iudicis ministerio, sed ablatio possessionis non. & ita sentit ibi Io. An. *in nouella.* hoc tamen ego intelligo quod quando possidens est in nuda possessione facti ipsius beneficii, quo priuatus est ipso iure, vt eius possit fieri collatio etiam ipso incumbente possessioni non citato: secus crederem si in ipso haberet coloratum titulum & possideret: quia tunc non valeret collatio illo colore non cassato. notant Doc. in *cap. cum nostris, de conces. praben.* Ad idem tex. in dicto *cap. cum secundum leges.* Nam licet bona hæreticorum sint ipso iure confiscata: tamen eorum possessio ab aliquo auferri non potest, nisi postquam iudex declarauerit eum hęreticū. Ratio, quia à condemnato requiritur modo aliud quā simpliciter pati: quia quæritur, ab ipso auferri non potest: dicto *§. qui iudicati.* à iudice autē bene posset auferri ab ipso inuito. *l. qui restituere. C. de rei ven.* Vnde concluditur, quod lata sententia à lege vel ab homine, si quæritur fieri executio contra victum, tunc si sit in eo iure in quo à victo requiritur datio vel traditio aut rei ablatio, ita quod victus debeat præstare aliud quam nudam patientiam, tunc si pars potest ista exercere contra victum inuitum vel etiam renitentem ex iuris dispositione, & ista executio potest fieri aperte sine iudicis ministerio: sed si talis executio non posset fieri aperte contra victum inuitum, tunc sine iudicis ministerio sententia hominis vel legis executioni non demandaretur aperte. fallit hoc vltimū, nisi quando iudicis copia haberi non posset, vel si expectaretur iudiciū esset inane vel nullus fructus. Nam tunc pars sua auctoritate posset executionem facere. ar. *l. nullus. C. de Iudæis. in l. ait prætor. §. si debitorem. ff. quæ in frau. cre.* & hoc modo iuste factum fuit per Scipionem Nasicam, qui gratum suis largitionibus subuertentem populum omisso iuris ordine interemit, & reprehendit Scæuolam consulem, qui dicebat iuris ordinem obseruari, dicens: *consul dum iuris ordinem sequitur, illud agit vt cum omnibus legibus Romanum ruat imperium,* vt refert Valerius in *li. 3. in titulo de fortitudine.* Et ex ista doctrina sic bene declarata infertur ad multa in proposito primo, quod papam hæreticum vel apostaticum etiam occultum, dummodo probari possit, subditi possunt sine alia declaratione deserere. *2. q. 7. oues.* sed non à possessione papatus expellere, nisi vt infra dicam.

Sed tunc est dubium, an Cardinales possent ante sententiam concilii ad electionem alterius papæ procedere? videtur quod sic per text. in *d. c. licet episcopus, de preben. li. 6.* & illa quæ supra retuli

nam

Digitized by Google

etiam cum papa hæreticus sit vi ipso iure priuatus, & vacet sedes, & idem cum est apostaticus videtur quod ipsi Cardinales, ad quos expectat eligere papam & quodammodo papatum conferre, possint statim ante sententiam concilii eligere: quia ex hac electione non requirunt à papa iam damnato per legem nisi patientiam siue pati, vt notant omnia iura præcedentia, præsertim tex. in dicto *c. licet episcopus.* vbi est casus, quod facta à iure priuatione beneficii ipso iure episcopus illud cōfert possessore amplius non citato vel non declarato aliter quod ius perdiderit. sic Cardinales eligent papā etiam existēte in possessione papatus ipso tamē non citato vel declarato quod perdiderit papatū. Et de hoc videtur tex. in simili in *c. 2. de parrochiis.* & quę ibi notat Host. & in *c. eos in fi. de tēpo. ordi. li. 6.* & pro hac sententia videtur tex. in *c. si quis pecuniam. 79. di.* vbi Cardinales & alii clerici & laici Deum timentes possunt apostaticum & intrusum à sede apostatica de facto deiicere, & ipsum anathematizare, & alium eligere, & electo conferre administrandi potestatem. Ad idem 23. *dis. in nomine Domini, in fi.* Sed in contrarium videtur tex. in *cap. ad apostolicæ, de re iudi. lib. 6.* vbi imperatore existente ipso iure depositio electores non procedunt ad electionem alterius, nisi cum sententia declaratoria lata fuerit, vt est tex. *in fi.* ibi, *ille autem.* & hoc credo verum in istis duabus electionibus Papæ & imperatoris, vt quamuis quilibet eorum ipso iure perdidisset dignitatem, forte propter hæresim, tamen electores non possunt ante sententiam declaratoriam procedere ad alterius electionem. Et est ratio, quia cum ius administrandi transeat ad papam statim facta electione, vt in *cap. in nomine Domini. §. plane. 23. di.* Certe Cardinales per talem electionem priuarent existentem in quasi possessione papatus, & in quasi possessione administrandi pertinentia ad summum pontificem, & sic exequerentur aliud quam ipsum nudum ius eligendi, quia non solum darent potentiam sed constituerent electum in quasi possessione administrandi, & auferrent illam ab existente in quasi possessione papatus. primum enim personas id est proprias eorum subtraherent & seipsos sub quasi possessione papatus in electum per eos constituerent & alium priuarent. vnde non solum se à Papa seperarent, quod eis licet, vt dixi supra: sed quasi possessionem, quam haberet in eos, in alium transferrent electum. Et istud non licet posidente non citato, vt dicto *cap. licet episcopus, de praben. li. 6.* & est speciale in casu capituli *eos qui, de tempo. ordi. in 6.* quod subditi episcopi excommunicati possent adire propria auctoritate vicinos episcopos pro ordinibus recipiendis, & hoc tenent Doc. in *c. vestra, de coha. cle. & mulie.* vbi dicunt, quod licet subditus posit vitare prælatū suum notoriè fornicantē, non potest tamē audire missam alterius vel ad aliū prælatū ire sine alia declaratione & sentētia. facit quod no. in *c. si de pœni.* & ideo credo ꝙ nō possint aliū ante sententiā eligere. ar. *dicti. c. cū secundū leges,* & quod ibi notatur. *de hæreticis. in 6.* Nec obuiat si dicis, idē est in aliis prælatis, vt ius administrandi habeāt in cōtinenti: vt no. *de elec. c. trāsmissa:* quia illud nō est verū existēte alio in possessione vel legitimo cōtradictore, vt supra dixi. Et igit̃ in istis inferiorib' valet prouisio sola facta de secundo primo adhuc non declarato damnatū esse vel à possessione amotum: vt dicto *c. licet episcopus;* quia ex sola prouisione nō habet ius administrādi alio in possessione existente. Et idē in collatione sola, cū nihil requiratur à possidente nisi pati. ꝙ secus est in papatu: quia statim facta in electione transit quasi possessio papatus in electo: vt *d. c. in nomine Domini 23. di.* & licet supra dixerim, ꝙ alio existēte in possessione ne ipsi papa posset sua auctoritate nancisci possessionē, sic nec alii prælati possent alio in possessione existēte: vt no. in *c. transmissa. de el.* tamē hic plus est: quia Cardinales eligendo non solum causant prouisionē papatus in papam electū: sed eo ipso se à superiore subtrahunt, & nouo electo sui possessionem tribuunt. vnde à quasi possessione primum spoliant, quod non licet: vt dicto *c. l. Episcopus in fi.* sed hoc non est in aliis prouisionibus inferiorum: quia licet ex prouisione transeat ius in prouisum, tamen de beneficio nullam possessionem tribuunt vel de iure collato, nec possunt nisi posidente citato & prius declarato eum beneficium amisisse. Ex quibus concludo, quod papa hæretico existente Cardinales ad electionem noui pontificis non possunt accedere, nisi à concilio declaratione facta quod papa sit hæreticus vel apostaticus. & hoc vult tex. in dicto *c. si quis pecuniam 79. di.* dum dicit, quod primo debent Cardinales & clerici & laici Deum timentes, qui nihil aliud sunt quam concilium, ipsum apostaticum anathematizare: & deinde humano auxilio à sede Apostolica repellere. Si tamen talis apostaticus vel hæreticus non esset in quasi possessione papatus: quod si consisteret notorie non esse papam, possent Cardinales non obstante eius assertione alium eligere: quia eius assertio contra notorium non faceret rem dubiam: vt *c. tua nos. de coha. cle. & muli.* no. Inno. *de ver. sig. ex parte.* & ideo si notoriè renunciasset papatui & eius possessioni: quo casu perditur possessio ipso iure, cum perdatur solo animo. *l. si quis 6. §. differentia. de acqui. pos.* & ius papatus renunciatione amiserit: vt in *c. 1. de renun. li. 6.* quod non obstante negatione sua possent procedere ad electionem Cardinales. secus si quasi possessionem retinuisset post renunciationem, per supradicta. Et hic sunt vera, quando non debet papæ hæretico vel apostatico auferri possessio papatus ante declarationem concilii: in quo declaratum sit quod esset hæreticus vel apostaticus, quando concilii copia haberi posset. sed si concilium haberi non posset, vel esset habitum concilium & eum declarasset hæreticum vel apostaticum: tunc præsertim seculares principes & Christi fideles omnes possunt insurgere contra ipsum, & eum prosequi tanquam Antichristum & à papatu expellere: dicto *cap. in nomine Domini.* & dicto *capit. si quis pecuniam.* quos tex. sic intelligo. Et quod quando copia concilii sic iudicis haberi non possit, liceat hæreticum vel apostaticū expellere, probatur in *l. nullus. C. de Iude. & in l. ait prætor. §. si debitorem. quæ in frau. credi.*

& quæ not. in *l. 1. Cod. quando li. fine iudi. se vind.* Si enim licet occidere desertorem militiæ mundanæ: *dicta l. 1. & 2. & l. 3. §. transfugans. de fica.* quanto magis desertorem militiæ cœlestis? Item si licet occidere hostem patriæ. etiam si sit pater vel filius, *l. minime. ff. de religi. & sump. fune.* quanto magis papam hæreticum vel apostaticum declaratum: quam etiam, quando non est vel esse potest iudex qui declaret? nam cum talis papa sit destructio Ecclesiæ militantis: vt in *capit. si papa. 40. dist.* potest dici plusquam patriæ desolator. Nam in omnium iniuriam committitur quod in Dei maiestatem perpetratur. *C. de hareti. l. Manichæos.* & ideò potest à quocunque Christi fidele compesci, præsertim à regibus, à principibus secularibus, quibus est datus gladius ad vindictam malorum & ad laudem bonorum: *de maio. & obe. capit. solita.* 23. *q. 5. cap. quis nos.* & probat tex. *eadem. quæst. cap. principes.* vbi text. dicit quod illud *quod non potest intra Ecclesiam perficere sermo doctrinæ potestas secularis hoc imperet per disciplina terrorem.* Simile videmus quod quando clerici schisma faciunt & non possunt corrigi per ecclesiam, tunc laici sine peccato potestatem habent in clericos. 17. *dist. nec licuit.* 23. *q. 5. de liguribus. de sen. excom. c. vt fama.* no. glo. *de deci. tua.* & hoc modo debet intelligi tex. Hieremiæ Prophetæ dicentis: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: neque aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pænitentiam reuocarent:* modo autem Prophetæ in hoc sacro eloquio vocantur Doctores, vt 43. *dist. si rector:* qui debent hoc casu increpare & veritatem ostendere. hoc præsertim etiam spectat ad principes. nam ad ipsos reges pertinet seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint esse sanctam matrem ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt. 23. *q.* 4. quando quod Psalmigraphi verbum ostendit, dum inquit: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Sed quomodo reges seruiunt domino in timore, nisi quæ contra matrem ecclesiam, & iussa domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo. 23. *quæst.* 4. *cap. si ecclesia?* nullum enim maius princeps Deo obsequium potest offerre, quam si hi qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, ipsorum principum debeant competenti vigore compesci. 23. *quæst. in cap. quali nos.* magis enim apud Deum principum gloria proficit, cum per eos potest dispersæ ecclesiæ sanitas restaurari. Nam cum videt Deus elargita regnorum munera ad nominis sui gloriam reuocari, tanto principibus ipsis largiora tribuit, quanto sua Dei per ipsos aspicit ampliari. 24. *quæst.* 5. *cap. sunt.* Ex quibus omnibus concluditur quod papa hæretico vel apostatico existente etiam occulto, licet subditis scientibus ab eo recedere, etiam nulla declaratione præcedente: & hoc est quod præcipit Dominus per Moysen dum dixit: *Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum.* 24. *quæst. 1. dicimus. & 7. quæst. 1. cap. deinde.* & supra retuli dum dixi: *an liceat communicare schismaticis:* sed non alium eligere vel à quasi possessione papatus hæreticum eiicere: nisi postquam fuerit à concilio declaratus apostaticus vel hæreticus: vel nisi quando concilii & iudicis copia haberi non posset: quia tunc liceret ipsum à papatus possessione deiicere, per iura prædicta. & probant etiam omnia iura, quæ supra deduxi, dum dixi quod *populi possunt à papa hæretico se subtrahere*, ne eis auferatur defensio naturalis, vt dixi in illo articulo supra: *an licet papa legem facere quod de hæresi non arguatur:* vbi dixi quod contra papam hæreticum populi possunt insurgere: per tex. 24. *q. 5. c. si audierit.* vbi dicitur de Mathatia, qui interfecit immolantem idolis in ara Dei. fecisse enim illum iustè, piè credendum est: quia iudex non erat qui puniret tale scelus. Hoc modo debet etiam intelligi, quod not. 2. *q. 7. item cum Balaam:* vbi dicitur quod cum Balaam pergeret supra asinam, & stimularet, asina recalcitrauit, & tandē in vocem prorupit & Prophetam redarguit. Sed subditi pro asina sumuntur ibi: at Propheta ponitur ibi pro prælato, quem asina redarguit, vt subditi prælatum à fide deuiantem redarguere possunt redargutionibus supradictis, se primum ab obedientia subtrahendo, & denique eo declarato à fide deuio, vel iudicis defectu subsistente à prælatura amouendo: vt dixi supra per iura allegata. Sic illud intelligi debet Gregorii dicentis: *Sicut laudabile discretumque est reuerentiam & honorem exhibere prioribus: ita rectitudinis & Dei timoris est si qua in eis sunt quæ correctione indigeant nulla dissimulatione postponere: ne totum quod absit morbus inuadat si languor non fuerit curatus in capite 2. quæst. 7. sicut inquit. & ea causa & quæst. capit. admonendi.* Non obstat id quod dicitur de notorio, quod etiam in eo sententia requiratur. nam est attendendum quod aliquando notorium habet in se inclusam iuris sententiam: sicut etiam aliquando occultum crimen habet sententiam inclusam: vt in crimine hæresis, quod habet vt hæreticus ipso iure si excommunicatus, & dignitatem perdat etiam papa. 40. *dist. si papa.* 19. *di. Anastasius. & 24. q. 1. c. 1. & 2.* Tunc quo ad iuris effectus introducendos ex tali notorio vel crimine occulto habente sententiam iuris inclusam nō est opus alia sentētia hominis. de hoc sunt tex. multi. 24. *q. c. 1. 2. & 3.* & quod possit deseri sine alia sententia no. *de cohabit. cleri. & mulie. in c. vestra.* & Hostien. in *c. tanta de Simo.* immo si est sola fama cum scandalo licet recedere à tali prælato suspenso, vt est casus in *cap. ex litteris de homici.* ideò hæreticus statim excommunicatus continuo potest à suis deseri: similiter in notorio delicto existens ipso iure irregularis & suspensus est. 1. *quæst. 1. per totum.* nota. *de renunciatio. capit. nisi cum pridem. §. propter conscientiam. & de tempo. ordi. cap. ex tenore. & de coha. cleri. & mulie. cap. finali.* Nam effectum suspensionis & irregularitatis & premit ipsa criminis notorietas absque alia scientia hominis: & hæc notorietas etiam facit vt talis delinquens notorius non dicatur toleratus, sed possunt subditi ab eo recedere absque alia hominis sententia. 32. *di. §. verum. de coha. cleri. & mulie. capit. sicut. & capit. vestra.* & vt valeant gesta per ipsum, notat. *de re iudi. ad probandum.* ita volunt Doctores in *capit. dudum. & capit. nihil. de elec.* quicquid in hoc dixerit Inno. in *capit. si. de procura.* In aliis autem effectibus facti imprimendis vel exequendis, tunc sit notorium habet inclusam sententiam iuris, &

tis, & in executione facti nihil requiritur à damnato, tunc executio facti potest ab homine fieri sine alia sententia, vt discedere ab hæretico, quod est facti, vt supra dixi. Sed si aliquid debet ab hæretico facti requiri aliud quam pati: vel notorium non habet inclusam sententiam iuris: tunc est opus sententiam hominis: & ita loquuntur iura in contrarium allegata, quæ supra deduxi. Ex quibus concluditur quod papam hæreticum etiam occultum vel apostaticum subditi possunt impune deserere.

Et idem quando renunciauit: quia postea contendendo retinere papatum ipse est apostaticus: sed à possessione papatus non possunt eum eiicere, vel Cardinales alium eligere eo in possessionem papatus existente: nisi postquam apostaticus vel hæreticus fuerit declaratus: dicto *cap. cum secundum leges. in fi. de hæreti.* vel cum iudicis, id est, concilii copia haberi non poterit: tunc poterit tanquam antichristus à Cardinalibus & clericis anathematizari: & à quocunque Christi fidele à possessione papatus expelli: & si opus est occidi. & sic intelligo 79. *dist. si quis pecuniam. &* 23. *di. in nomine Domini. in fine.* vt talis insurrectio facti expellendo, vel etiam occidendo eum possit demum fieri, quando iam à concilio declaratus est apostaticus vel hæreticus: vel cum iudicis copia defuit sic intelligo illud quod dixi de Mathatia: quia inter facit illum cum deesset copia iudicis: & hoc vult tex. 23. *q.* 1. *ca.* 1. 2. *&* 3. vt non sit opus alia sententia: sed tunc insurgant principes seculares. 23. *q.* 5. *c. principes.*

SVMMARIVM.

Quando duo sunt de Papatu contendentes, an liceat subditis ab eo, quem reputant Pontificem, discedere.

CAPITVLVM V.

QVando autem duo essent de papatu contendentes: an licet subditis ab eo quem reputant papam discedere. Dico quod eo casu quo sic litigantes essent effecti schismatici, vel aliquis eorum effectus schismaticus, quod etiã esset in vero papa possibile, quod etiam schismaticus efficitur: vt dixi supra in quæstione: *an papa possit schismaticus effici*: tunc liceret subditus à tali schismatico recedere: vt in *cap. quia diligentia. de electio.* quia iste est vnus de casibus, de quo subditi sine alia declaratione recedere possunt à prælato, vt not. glo. & Docto. *de præscripti. cum non liceat.* sed si non foret aliquis eorum schismaticus, cum iste sit vnus de casibus quo est locus concilio, quando duo de papatu contendunt, vt notatur 79. *di. si duo.* Dico quod si negligentes sunt in congregando concilium, tunc licite subditi ab ipsis recedunt vt conuocent concilium, vel ad concilium vadant, vel alios prouocent: nec ex hoc peccant vel schismatici debent dici: quia hoc lege permittente faciunt, vt supra dixi: & sic pœnam non merentur. *l. Gracchus. C. de adulteri.* & supra dixi. Et conuenientes cum alia parte, vt vnionem faciant schismatici non efficiuntur, vt dixi supra: nec peccant. & idem quando peccatum committere ecclesiam scandalizans: & quando turbat bonum vniuersalis ecclesiæ ita quod concilio opus sit: vt si ipse papa non conuocat, licite ab eo recedant sine peccato, per prædicta.

SVMMARIVM.

An subditi debeant seruare præcepta, vel timere excommunicationes, quas Pontifex suus faciat in casu quo ab eo recedant, aut Concilium conuocent.

CAPITVLVM VI.

ET istis deciditur tertium dubium, quod posset contingere ipsis subditis, an debent seruare præcepta, vel timere censuras quas faceret ille quem reputant papam ex illa causa ne subditi ab eis recedant vel concilium conuocent. Nam in casibus vbi Papa esset prolapsus in hæresim, vel effectus esset schismaticus, quod esse potest, vt supra dixi: tunc censuræ & sententiæ excommunicationis vel similes non essent formidandæ: quia cum esset tunc papa excommunicatus, vt dixi, alios extra Ecclesiam ponere non posset vel excommunicare 24. *q.* 1. *c.* 1. & in *summa illius quæstionis.* Ratio, quia potestas soluẽdi & ligãdi est data à Deo veris & nõ falsis sacerdotibus. 24. *q.* 1. *§. si autem.* & illi ligare & absoluere possunt qui habent spiritum sanctum: dicto *§. si autem.* quoniam Spiritus sanctus non habitat indiuisus à compage corporis Christi. & ideò hæretici & schismatici ipso iure iurisdictionalia perdunt. 24. *quæst.* 1. *capit. dicimus.* & sic ligare spiritualiter & temporaliter aliquos non possunt. igitur excommunicationes & censuræ talium etiam in Petri cathedra residentium formidandæ non sunt. Vnde concludit glo. in dicta *summa & quæstione.* 1. *in glo.* 2. *post summam*: quod si talis prælatus excommunicat aliquem iniustè, potest excommunicatus talis à celebratione non cessari. facit *eadem causa & quæstione. c. dicimus*, vbi est expressum quod tales hæretici & schismatici ipso iure iurisdictionalia perdunt. vnde non ligant non solum excommunicando, sed etiam quæcunque alia disponendo iudicialiter vel extraiudicialiter, *de offi. ordi. cap. quod sedem. & de conces. præla. c. santa. de electio. c. quia diligentia.* 15. *quæst.* 6. *capit. nos sanctorum. & capit. iuratos.* Et hæc iura ita ligant hæreticum papam sicut alios: quia tunc cum hæretici aut schismatici sunt quolibet verò catholico sint inferiores: & cum sit eadem in eis ratio, quæ in aliis ipsos leges istæ ligant. ar. *l. illud in fi. ff. ad l. Aquil.* Ex quibus concluditur primum quod papa iam existente hæretico

Digitized by Google

vel schismatico tales censuræ & quæcunque eorum sententiæ formidandæ non sunt; quia etiam sententia censuræ dicitur nulla, quando allegatur, quod qui eam tulit iudex non erat: vt *de consuetu. cap.3. de priuileg. c. quanto.* Et idem quando est lata à suo iudice, sed excommunicato, vt etiam non liget. 24. *quæst.1. cap. dicimus.* & aperte not. *glo.2. in cap. præsenti, de hæred. in 6.* & præsertim non valet quando lata est ab intruso vel ab iurisdictione suspenso, sicut sunt hæretici, schismatici vel excommunicati. 12. *quæst. 2. cap. alienationes:* Ex quibus infertur quod si sententia censuræ excommunicationis vel etiam aliæ sententiæ proferantur à papa iam in hæresim vel in schisma prolapso, vel ab apostatico & intruso & sic excommunicato: vel ab eo qui renunciasset papatui & eum retinere contenderet. Quibus omnibus casibus excommunicatus foret, vt supra dixi, quod eius sententiæ nemini obesse possent vel nocerent, nec essent formidandæ: quamuis in aliis casibus tales sententiæ à vero iudice prolatæ siue iustè siue iniustè, timendæ forent: & ita debet intelligi glo. in *capu. ad aures. de tempor. ordin.* ipsæ vero sententiæ à iudice tali iam damnato, quamuis etiam tolerato pro tali non essent formidandæ sed nullæ essent. Sed si papa non esset schismaticus vel hæreticus, vel in ipsa crimina prolapsus, & esset opus concilio, & ipse papa non conuocaret siue conuocare vellet, an potius excommunicaret ab eo discedentes, vel priuaret dignitatibus volentes concilium conuocare: an tunc tales sententiæ forent formidandæ? Videtur dicendum quod sic: quia papa negante concilium, eius sententiæ videtur in hoc standum. 17. *di. c. nec licuit.* & quia negatione papæ res fit dubia. *l.3. C. quib. ad liber. procla. non li.* no. in *l.1. C. de procu.* & in dubio est parendum superiori. *c. dist. contra morem.* 19. *di. in memoria. ff. de re mili. l.3. § in bello. & de tempo. or. in cap. ad aures.* Ego tamē adhuc, dico quod nō sunt formidandæ: quia quādo iudex præcepit à parte illicitū, vel ꝙ est malū, nō est ipsi parendū, etiam si ipsi prælato iustū videatur: vt in *c. literas de resti. spo.* sed debent illi, quibus talia præcipiuntur, si sentētialiter ista eis mādentur, per viā appellationis sibi prouidere: sed si nō præcipiunt sentētialiter sed extraiudicialiter, tūc isto casu possent illi, quibus talia præcepta fierent, cōtradicere absq; alia appellatione, 74. *di. gesta.* no. Doc. in *c. ad aures, de tempo. ordina.* Securius tamen esset appellare ad ipsum papam male informatum ad melius informandum, vel ad successorem siue ad concilium, quod est in his causis maior papa, vt dicam infra in *penultima. q.* quia quando conscientia vinci non potest, ita quod quis cum bona conscientia sequi præceptum iudicis non potest, quia in contrarium stimulat ipsum sua conscientia in præceptum factum est, tunc debet inhærere propriæ conscientiæ & præceptum spernere: *de simo. c. per tuas.* & toleret patienter sententiā, donec ab ipsa per concilium vel futurū papam releuetur: vt notatur in dicto *c. ad aures de tempo. ordi.* & illud quod dicitur, quod in dubio si parendū præcepto superioris, habet locum quando conscientia vinci potest, alias non: in dicto *c. ad aures de tempo. ordi.* & quod omnino sint iniusta talia præcepta vel sentētiæ, ita quod illi quibus fiant debeant ab ipsis releuari, & ipsis non parere, probant omnia iura quæ supra deduxi, vbi dixi quod papa non potest legem facere ne de his cognoscatur vel quod non fiat concilium: igitur non potest præcipiendo vel mandando impedire ipsos qui vellent concilium celebrare, vel in illo interuenire, ne liceat papæ per indirectum facere quod ipsi directo non licet, *l. hoc modo: de condi. & demon.* & si faceret eius præceptis parendum non esset per prædicta: & quia præcepto papæ non parendū, quando timetur quod ex eo multa mala perueniūt, vel quando ex eo scandalizatur ecclesia: vt no. Inno. *de sen. excom. c. inquisitionis.* Ex quibus infertur, quod censuris vel aliis pœnis non obstantibus licite poterunt omnes fideles interesse concilio, vel ipsum conuocare, & quod discedentes hac ex causa etiam à vero papa vt interueniant concilio vel ipsum conuocent vel ipsi faueant in nullo peccare videntur, per supradicta.

SVMMARIVM.

Qui ad Concilium specialiter sint vocandi.

CAPITVLVM VII.

EX istis ergo determinatæ sunt duæ quæstiones. prima quæstio, quando sit fiendum concilium generale & ex quibus causis. Item secunda quæstio quis habet auctoritatē in ipsum conuocandi vel conuocato auctoritatem præstandi. Nunc assumamus quartum in primo ordine, qui videlicet ad concilium sunt vocandi. & forte nōnulli dicerent, quod solum primates Archiepiscopi sunt vocandi, quasi ipsi soli sint concilii iudices, quia in cōciliis prouincialibus solū in iudicando præesse videntur episcopi, vt in *tota. 18. di.* præsertim in *c. non oportet vocatos. & in c. quoniam quadam sit,* ergo idem sit in toto, quod de parte. ar. *l. quæ de tota ff. de rei ven.* cum si. & hoc tenent in conciliis prouincialibus plerique Doctores in *c. graue. depraben.* Sed ista sententia videtur contra. *c. fi. de his quæ fiūt à præla. sine consen. c.* vbi videtur casus, quod etiam capitula ecclesiarum cathedralium sint vocanda siue requirenda, & hoc videntur ibi tenere Doc. & hoc fieri debet vt si viderunt aliqua tractari quæ possent eis præiudicare, ipsi appellare possint: vt in *c. super eo, de offi. delega.* & etiam contradicere: vt in *c. Nicæna. 31. di.* & quod clerici inferiores intersint, videtur tex. in *ca. in nomine Domini. 23. di. & 1. q.7. c. conuenientibus. & de accusa. sicut olim. & de causa pos. & proprie. cap. fi.* vbi videtur tex. quod abbates conueniant in conciliis, & dicto. *cap. conuenientibus,* ibi tex. dicit quod monachi, dicit glo. ibi de abbatibus 18. *di. c. episcopus non debet. & c. de criminis:* notatur in *ca. quod semper, de maio. & obe.* Mihi vero videtur sic dicendum, quod conciliorū plures sunt species, de quo fuit dubitatum supra in prima quæstione. Nā est conciliū synodale, ꝙ fit ab episcopo. est secundū conciliū prouinciale, ꝙ fit ab

Digitized by Google

fit ab Archiepiscopis vel metropolitanis. Et tertium generale, quod fit à papa vel eius legato. 3. *di.* §. *porro & 3.q.6.c.dudũ.* & est notandum, quod istud quod fit à papa aliquando generale omniũ Episcoporum, de quo. 17. *di. per totum.* & hoc est maximè auctoritatis. Et aliud quod fit à papa de clero & populo Romano. 63. *di. in Synodo*, & istud non est tantæ auctoritatis, quando præcedens habet confirmationem sedis Apostolicæ: secus si cum præcedenti non concurrat sententia Apostolicæ sedis, vt dicam in *penultima quæstione.* sicut enim papa est specialiter patriarcha vrbis Romæ, & est vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, ita potest vt patriarcha facere concilium prouinciale Romanũ, & ibi diffinita habent vim legis generalis, ar. *l. fidelis. C. de legi.* non tamen est tantæ auctoritatis talis synodus, sicut alia concilia generalia. Nam ibi statuta non haberent vim legis generalis contra illa quæ fuissent per antea statuta in aliis vniuersalibus conciliis: vt notat glo. in *dicta l. fi. C. de legi.* quod tamen intellige, vt dixi, quando generalia habent approbationem sedis Apostolicæ: sed si cum eis sedes Apostolica discreparet, tunc esset maior sententia istius metropolitani Romani concilii. dicam infra in *penultima quæstione* per text. 24. *quæst.* 1. *capit. hæc est fides.* modo ad propositum.

Si loquimur de concilio Synodali, abbates debent & possunt citari, & totus clerus, & ire tenentur: vt in *capit. quod super de maio. & obe.* & quod ibi per Doct. sed non coguntur abbates ire nisi ex causa, vt ibi notat glo. & Doct. Ad prouinciale autem concilium non est necesse quod citentur inferiores ab Episcopis ad finem vt iudicent: quia soli Episcopi vocem habent in iudicando in conciliis prouincialibus: vt 18. *dis. per totum.* & citantur seu citari debent inferiores ab Episcopis, vt consulant quando pro conciliis necessarii sunt: *de his quæ fiunt à præla. capit. fi. 63. di. obeuntibus.* & ideò in eo etiam abbates interueniunt: vt probat text. in dicto *capit. fi. de cau. pos. & proprie.* & hoc cum volunt pro eorum interesse interuenire: alias si non agitur eorum causa non est opus quod citentur, & eorum Diœcesani eis intimabunt, quæ in prouincialibus conciliis facta sunt: vt dicto *capit. quod semper.* & ibi per Doc. *de maio. & obe.* Item sunt citandi omnes quorum aguntur causæ. 18. *dist. capit. propter Ecclesiastica.* Sed intelligo in causa fidei vel in alia eos tangente, sicut in depositione Imperatoris & hæc causa spectat ad laicos, vel si vult papa quod sint ibi laici. Stat igitur conclusio, quod vocatio in finem statuendi vel iudicandi fit de solis Episcopis in conciliis prouincialibus vel generalibus, sed ad finem consulendi debet etiam fieri de capitulis cathedralibus: dicto *capit. fi. de his quæ fiunt à præla.* ita potest intelligi. *capit. sicut olim, de accusa.* Item sunt citandi omnes, quos causa tangit, & quorum consilium debet exquiri. 63. *dist. capit. in obeuntibus.* Item si agitur alicuius causa propria, ille talis citandus est, vt dicto *capit. propter Ecclesiastica.* 18. *di.* quia hoc casu citatio est de iure naturali quæ non potest vel debet prætermitti etiam à concilio vel principe. *l. facultas. Co. de iure fisci, libro* 10. & in *cle. pastoralis, de re iudi.* facit. *ff. de adoptio. l. nam ita diuus.* Et ideò quando ageretur causa fidei, vel quæ laicos tangeret, etiam ipsi vocandi forent, non vt iudicarent sed vt assisterent. 96. *dis. vbi nam.* & vbi ageretur causa vniuersalis Ecclesiæ, omnes clerici vocandi forent generaliter tamen si non comparerent inferiores ab Episcopis non obesset sed sufficeret ipsis per Episcopos vel metropolitanos intimari, quæ in conciliis gesta fuissent: vt *de accusa. capit. sicut.* 18. *di. decreuimus.* laici verò hoc casu etiam vbi vniuersalis Ecclesiastica causa ageretur, vocari non deberent: quia non pertinet ad eos Ecclesiastica pertractare: *de elec. sacrosancta. & capit. Massana.* & probat text. in dicto *capit. vbi nam*, cum solum excipit causam fidei: igitur in aliis non sunt citandi. Aduerte tamen quia vbi dixi quod in causa fidei vel quæ tangit laicos ipsi sunt citandi, hoc debet sanè intelligi, quando per viam litigii eorum causa ageretur spiritualis & sunt citandi: quia citatio, vt dixi, est de iure naturali, sed si non ageretur tunc specialiter aliquorum causa essent de honestate citandi si in genere tangit eos. Si tamen papa vellet in causa fidei statuere, vel super causis matrimonialibus aut aliis generaliter laicos tangentibus, non esset de necessitate opus quod ipsi citarentur: quia sicut in concessione priuilegiorum vel rescriptorum non est opus quod aliquis etiam quem tangit causa citetur: vt notat. glo. singularis in *l. antepenultima ff. ex quibus cau. maio.* multo minus est opus quod hoc casu in concilio laici citarentur. Item licet tunc in concilio de honestate admitti deberent cum causa ipsos tangit: vt dicto *capit. vbi nam.* 96 *dis.* tamen in voluntate papæ erit eos admittere vel non. & si admitterentur, tunc consulent, non iudicabunt vel statuent, nisi forte papa daret eis potestatem statuendi etiam circa spiritualia quod potest: vt 63. *dist. capit. Adrianus.* & per totam illam distinctionem. vnde in causis fidei vel matrimonialibus si statuatur per papam vel per viam legis generalis siue eis non citatis & non auditis valebit quod erit statutum, & ipsi tenentur inuiti acceptare, quia sacrilegii instar esset de facto pontificis dubitare. 19. *dis. in memoria. & capit. nulli fas.* & ita concludit Io. An. in dicto *capit. fi. de his quæ fiunt à præla.* Et ista sunt vera via ordinaria: si tamen papa vellet aliquos Episcopos citari, & aliquos prætermittere fieri posset, & qui non esset vocatus non debent ire ad Synodum, vt habetur *de iureiurand. capit. ego*: tamen ista sunt vera, nisi papa faceret in fraudem scandalizando Ecclesiam; quia tunc succederent supradicta.

SVMMARIVM.

Quæ sit forma vocationis Concilii.

CAPITVLVM VIII.

QVinto videndum est de vocationis forma & potest fieri ista citatio, vt præsidentes in concilijs & citatos siue requirentes citant vel requirant singulos metropolitanos, vt ipsi moneant suos comprouinciales Episcopos. 18. *dis. propter Ecclesias. vero admoneant.* & sufficit vna citatio: vt est glo. notabilis. 18. *di. si Episcopus in glo.* in verbo *regia* in fi. & probatur. 4. *q.* 4. *c. quisquis.*

SVMMARIVM.

Qui vocati in Concilio vocem habeant præsertim in iudicando siue statuendo.

CAPITVLVM IX.

ET ex istis deciditur sexta dubitatio, qua quæritur, qui vocem habeant in conciliis. Tum debet animaduerti, si loquuntur de voce iudicandi vel statuendi, & tunc soli Episcopi in prouincialibus & generalibus conciliis vocem habent. De prouincialibus probatur. 18. *di. per totum*, præsertim in *c. propter Ecclesiasticas. in fi.* ibi, *quibus de omnibus.* facit *c. de conciliis. & c. non oportet, eadem di.* De generalibus conciliis probatur. 15. *di. c.* 1. ibi, quia *non erat Episcopis promissa licentia conueniendi in vnum.* ad idem. 16. *di. c. sexaginta*, vbi Apostoli, qui omnes fuerunt Episcopi, vt dixi, in tractatu Monarchiæ in quæstione *an ad benè mundi viuere necesse sit vnicam esse supremam potestatem*, & probatur. 21. *di. in nouo*, cùm Episcopis sententiam protulerunt. vnde patet ibi quod soli Episcopi pronunciauerunt siue pronunciant: & hanc sententiam probant omnes tex. 16. & 17. *di.* vbi text. non dicunt nisi de Episcopis, quod ipsi ad generalia concilia sunt vocandi, & ipsi iudicent siue statuant: & hoc probat text. *di.* 16. *capit. habeo librum*, vbi fit mentio de sexta synodo quæ bis vocata fuit. Primo tempore Constantini: & tunc sancti patres canones statuerunt. deinde iterum fuit congregata tempore Iustiniani eius filii eadem sexta synodus: vt dicit text. in dicto *capit. habeo librum*, ibi, *idem Episcopi sub Iustiniano* &c. & sic declarat tex. quod fuerunt Episcopi, licet aliqui text. habeant *idem ipsi.* & tunc non facit, sed quod fuerunt Episcopi, dixit tex. 16. *di. ca. sexta*, vbi dicit quod cum legatis Apostolicæ sedis fuerunt centum quinquaginta Episcopi. Si enim in conciliis tantum sydonalibus abbates solum sunt vocandi: vt in *cap. super his, de ma. & obed.* non autem in prouincialibus conciliis abbates vocem habent, quanto magis non habebunt abbates aut inferiores ab Episcopis in iudicando vel statuendo vocem in conciliis generalibus. Et licet aliquando iura dicant *concilia sacerdotum.* 17. *di. c. concilia.* ille tex. exponitur scilicet Episcoporum. fuit enim primo Nicænum concilium tricentorum decem octo patrum. vt 16. *dis. §. prima autem*: qui patres Episcopi fuerunt, vt declarat tex. 15. *dis. §. harum prior.* hoc tamen concilium alibi dicitur fuisse tricentorum patrum. 10. *quæst.* 1. *c. hanc consuetudinem. §. si quis verbo.* sed respondetur quod si fuerunt tricenti. & 18. vt dicit tex. 15. *dist. §. harum prior*, hoc includit quod fuerunt tricenti. ita dicit glo. in dicto *§. harum prior.* Vnde quisquis quandoque dicantur *patres*, vt in dicto *§. prima autem* 16. *di.* hoc non tollit quin Episcopi fuerunt: vt in dicto *§. harum prior.* vbi dicitur quod isti patres episcopi fuerunt. Secundum fuit concilium Constantinopolitanum, quod fuit centum quinquaginta patrum, id est, episcoporum: vt probat tex. in dicto *§. harum*, iuncto tex. in *c. sexta synodus. §. prima autem* 16. *di.* Ad idem tex. 15. *di. §. tertia synodus.* vbi dicit quod tertia synodus fuit tricentorum episcoporum sub iuniore theodosio. & in *§. tertia in epheso* 16. *di.* dum tex. dicit quod fuerunt tricenti patres quos in præcedēti dis. vocauit episcopos. & quotiens tex. dicunt. concilia fuerunt tricentorum patrum vel sacerdotum vel maiorum, vt dicit tex. in *l.* 3. *C. de summa trini.* referens primum concilium Nicenum, quod fuit tricentorum & 18. episcoporum, exponi debent isti tex. id est, episcoporum. Ad idem textus in dicta 15. *di. §. quarta.* qui nominat illos qui interfuerunt in concilio sacerdotes. & 16. *di. c. quarta*, vocat eosdem patres. ita debet intelligi tex. 15. *di. §. quarta*, dum dicit cētum triginta sacerdotum, vt exponatur, id est, episcoporum, per tex. 16. *dis. §. quarta. & §. sexta*, iuncto tex. 17. *di. §. concilia.* Ex quibus concluditur, quod in iudicando in conciliis prouincialibus & generalibus soli episcopi sunt citandi & vocem habent. Alii vero inferiores prælati possunt proponere & consulere, statuere autem vel iudicare non & quando agitur causa fidei, vel quæ tangit laicos, etiam ipsi laici erunt in proponendo admittendi 96. *dis. vbi nam.* & in regula *quod omnes tangit, de regu. iur. li. in* 6. sed statuendo vel iudicando debent episcopi soli interuenire, & ideo tex. 17. *di. c.* 1. dicit *synodum episcoporum.* Nota quod non vocat synodum episcoporū, & *eadem di. c. regula.* dicit tex. quod *non debet dici concilium quod ab orthodoxis episcopis celebratum non fit.* Ad idem tex. dicit 17. *di. §. hinc etiam.* vbi dicitur quod *cum Roma conuenissent sacerdotes pro concilio.* deinde subdit quod *Liguria & humilia episcopi statuerunt* &c. Ad idem in *eodem §. ver. episcopi vero*, vnde illi tex. probant expresse quod in iudicando & statuendo episcopi soli vocem habent. Ad idem 18. *di. §. episcoporum igitur. & in c. de conciliis autem episcopalibus. & in c. propter ecclesiasticas*, vbi tex. dicit episcoporum concilia fieri, & per totam illam distinctionem. quæ omnia iura probant quod prouincialia vel generalia concilia non fiunt nisi ab episcopis, & ipsi soli in diffiniendo & statuēdo vocem habent. Non obstat tex. 19. *di. c. Anastasius*, ibi *sine concilio episcoporum & clericorum.* nam ibi dicit quod Anastasius communicauit sine concilio episcoporum vel presbyterorum, quod concilium est fidelium collectio: vt *de consecra. di.* 1. *ecclesia.* vnde bene dicitur ibi concilium non solum episcoporum sed omnium fidelium immo in casu illius. *capit. Anastasius*, cum ageretur causa fidei, diceretur concilium non solum omnium clericorum sed etiam laicorum 96. *di. vbi nam*, & supra dixi. Sed non in iudicando, sed in consulendo vel proponendo, vt supra dixi. in iudicando vero erunt soli episcopi: vt in *capit. si. de his quæ fiunt à præla.* vel esse possunt illi quibus concilium vel

Papa

papa tribueret potestatem: quia concilium potest statuere vt alii quam episcopi habeant potestatē statuendi & iudicandi. & idem credo de solo papa, quando hoc statueret concilio non contradicēte. nam si concilium contradiceret, haberet locum id quod dicam in *penultima quæstione*.

SVMMARIVM.

Quæ sit forma Concilii: & qui ad Concilium ire debent.

CAPITVLVM X.

NVnc plenius videamus quæ sit vocandi forma, & qui ad concilium ire debent. Ad primum dico quod debet inspici persona vocantis, si sit tantum mandato papæ vel est legatus de latere, siue alius legatus Apostolicus habēs spirituale mandatū, tunc tales possunt per viā citationis & præcepti mandare omnib' patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, vt veniant ad conciliū in tali loco & tempore initiandū. *l. aut qui aliter ff. quod vi. aut clā.* & præfigere eis tempus infra quod veniāt: quia citatio videtur habere tēpus præfixum: *d. l. aut qui aliter.* §. 1. no. in *l. fi. C. de iure do. impe. §. fin autē nullatenus.* & *in auth. de exhib. reis §. si necesse.* no. Cy. in *l. dies festos. C. de feriis.* & probatur. *C. de distrac. pigno. l. 4.* no. Bar. in *l. liber homo. §. 1. de verbo. obli.* Credo tamē quod si apponeretur tempus initii concili cum tempore congruo, quo omnes Christicolę possent venire, quod istud tempus sufficeret absque eo quod arctaret citatos ad aliud tempus determinatum, vel absque eo quod citatis aliud præfigeretur tempus ad veniendum: quia tunc tempus concilii interpellaret. *l. magnam. C. de contrahen. & commit. stipu. & in c. potuit de loca.* quia etiam citatio sine tempore valet vt in *c. cum dilecti, de do. & contu. & de sen. excō. cap. eos in fi. li. 6.* Et intelligitur, quod citatus veniat cum primum potest. Nam quotiens propter defectum citati vel materiæ non potest haberi certitudo, quando citatus possit comparere, tunc citatio sufficit sine termino, *dicto cap. eos in fi.* & intelligitur quod compareat cum primum potest *l. hæc conditio si in capitolium. ff. de condi. & demon.* ita intelligo Spec. in titulo *de citatione. §. sequitur. ver. quid si non præfecit.* facit quod notat Innoc. *qui matri. accu. pos. cap. cum in tua.* Alias autem citatio regulariter debet habere tempus. sic decido quod sub dubio reliquit Io. An. in *cap. cum parati, de appella.* Et debet fieri hæc citatio per literas apostolicas, quando fit à papa, *de dolo & contu. c. cum dilecti. ver. volentes*, vel per literas legati quando ipse legatus citat. & tunc est bonum quod ponat tenorē literarum apostolicarū potestatis sibi concessæ in citatorio vel in literis citatoriis, iuxta plene notata in *c. præterea, de dila. & in c. cum in iure, de offi. dele.* Et quia foret difficile singulos episcopos citare, potest à papa vel legato alia via adhiberi, vt citet singulos metropolitanos, vt veniant ad concilium tali loco & tempore, & eius mandato quilibet Archiepiscopus moneat suos suffraganeos, vt veniant secundum mandatum papæ ad concilium tali loco & tempore congregandum. tex. est 18. *di. c. si episcopus metropolitanus*, ibi, *vt ad ordinem summi pontificis*, secundum secundam expositionē glo. potest etiam quando ista citatio fit à papa vel eius auctoritate fieri in palatio eius & in audientia publica, papa specialiter & ex certa sciētia hoc mandante, & demū affigatur ianuis maioris ecclesiæ Romanę curiæ, & tunc arctabit citatos: vt in *c. quoniam. §. porro. vt lite non contesta.* & ibi hoc notat Io. An. Quando autē cōuocatio fieret per inferiores à papa, & sine ipsius mandato in casibus, in quibus dixi, quod ipsi possunt conuocare concilium, tunc si fit à collegio Cardinalium & ab ipsis omnibus nemine discrepante, quo casu ipsi habent iurisdictionē papæ, quod quando sit patet ex his quę dixi in quæstione *quis conuocet concilium*, quæ est tertia in ordine, tunc poterunt facere etiā per viam citationis & præcepti: sed quando non fieret ab eis nemine discrepante, sed fieret per eos vel aliquos ipsorū, sicut per alios inferiores, tunc non debet fieri per viā mandati siue præcepti vel citationis. tex. est 17. *di. §. hinc etiā.* & ibi glo. in ver. *præcepisset.* sed debet fieri per viam requisitionis siue monitionis aut intimationis, quæ vt dixi fit quando non est superior qui possit vel velit facere illa quæ intimantur & fieri debent & sunt necessaria, iuxta notata *de elect. cum nobis olim*, & supra dixi & tunc ita intimatio debet fieri sicut fieri solet in cæteris causis *l. denunciasse. ver. quid ergo. ff. de adulte. & l. si fundum. C. de rei ven. & in l. fi. C. de his qui per metum iudi. non appella.* intelligendo illum tex. de causa appellationis à iudice non receptæ vel factæ, puta quia dicat, protestor quod non appellaui propter iudicis metum qui consueuit in appellantes seruire. ita no. Bar. in *l. de pupillo. §. si quis ipsi pratori. ff. de noui. ope. nunc.* sic debet intimans concilium dicere: nam si causa est notoria propter quam imminet conuocatio concilii, vt quia sunt duo notoriè de papatu cōtendentes, & sint scissi Christicolæ & est schisma, quo casu est opus concilio. 79. *di. si duo.* & supra dixi, tunc conuocans debet hanc allegare causā. Itē debet allegare causā, quod quid est in quasi possessione papatus monitus quod celebret concilium non vult aut fingit & procrastinat vocationē concilii, aut vult cōuocare in loco in quo nō potest corrigi, adeo ne Christicolæ in schismate sint, intimat conciliū in loco congruo & tēpore fiendū, tūc hoc sufficiat allegare. *l. si adulterium cum incestu. §. idem polioni in fi. ff. de adulte.* vbi probatur quod sufficit allegare notorium esse schismaticum & notorium existentem in possessione papatus non velle conuocare concilium, absque eo quod opus sit quod aliter quæ intimantur certiorētur: quia postea sufficiet hoc in concilio probare: quia ista intimatio fit in defectum iudicis non facientis debitum. quo casu non est opus, quod aliter illis, quibus fit intimatio, probetur: vt notatur in dicto *§. si quis ipsi pratori.* faciunt notata in *cap. fi. de appel.* Si vero crimen, propter quod concilio dicitur esse opus, est occultum, vt quia intimatur quod papa est hæreticus vel apostaticus vel alia causa

Digitized by Google

propter quam est opus cōcilio causa allegata, tunc ista causa hæresis debent intimari non allega debet requiri papa vt concilium conuocet & moneri, & si monitus per literas non facit, debent monitiones doceri & intimari & earum copia transmitti illis quibus intimatur concilium, *de off. cle. causam. & in l. nomen. C. quæ res pigno. obli. possit.* not. in *l. qui in alterius. ff. de regu. iur.* vel saltem de dici quando propter timorem non potest moneri vt concilium conuocet: vt *d. c. fi. de appel.* debet intimans causam hęresis occultam facere intimari per literas aliarum honestarum personarum, illè cui intimatur debeat merito credere. ar. eorum quæ no. Bar. in *l. non solum. §. morte*, ibi, *tertio pri paliter ff. de no. ope. nunc.* & isto modo debet concilium intimari.

Ad vnum autem est attendendum, quod vbi essent laici citandi vel omnes clerici, tunc suffi ret citatio intimando Metropolitanis, vt nunciaret suis suffraganeis, vt facerent omnes in suis di cesibus generalia proclamata, iuxta notata in *cap. cum in tua. qui matri. accu. pos. Cod. de remis. pig. l. tempore. Cod. si vt se ab hære. absti. auct. si omnes.* facit 18. *dist. capit. fi.* & quæ not. in *cap. dilectis, de exc.* Sed an ille cui intimatur debeat credere & parere taliter intimanti? respondeo, quia aut causa p pter quam iste conuocat concilium non allegatur autem non est efficax, & tunc iuste non exaudi conuocans *l. si quis prohibuerit. ff. de publica.* alias incipit, *Papinianus.* & *l. vtrum. ff. de consti. pecu. & l. deiussori creditori ff. de fideius.* Aut causa inseritur iusta & legitima, tunc si denunciatur causa quæ n sit vera vel non verisimilis, quia est occulta, & comprobatur nisi denunciantur forsan persona su cta vel non authentica, & similiter iustè sperni potest. *l. hac autem in principio ff. si cui plusquam per gem fal.* Aut est causa legitima & vera seu verisimilis, & tunc non videtur quod arctet illos monit si nō velint credere quasi ad credendum plusquā velint non arctentur. *l. 1. in fi. cum se. ff. quod falso tor. auctori.* Ego tamen credo in proposito contrarium, quia ista intimatio fit in defectum iudici papæ non facientis concilium & debitum suum. quo casu non est opus quod in insinuatione probatio causæ, sed sufficit quod allegetur causa vera & verisimilis: vt in dicto *c. fi. de appel. & l. de pillo. §. si quis ipsi pratori, ff. de op. q. no. nunc. & l. 1. quod falso tuto. aucto.* ibi intimatio non fiebat in de ctum iudicis, sed de facto partis, quæ non respiciebat principaliter ipsum intimantem. vnde vi tur liquidata sibi causa, non tenebatur sibi credere. secus quando intimatio fit propter iudicis de ctum: quia sufficit quod allegatur causa vera vel verisimilis, etiam si aliter illi cui fit intimatio n probetur. Et ideò hoc casu credo quod allegata causa vera & verisimili & intimata per tales co iecturas, quod meritò ille cui intimatur debuit credere vel inuestigare de veritate: quia paria s scire debere posse: vt notat glo. in *l. quod te. ff. si cer. pe.* quod tunc tales quibus sic intimatur oblig tur intimationi parere per dicta iura.

Qui autem ad concilium debent ire? dicò quod quando fieret vocatio per proclamation generalem, tunc si diceret quod ad concilium veniant omnes qui venire voluerint, tunc non arct tur ad veniendum nisi qui volunt, iuxtra doctrinam Inno. & Doct. in *c. dilecti, de excep.* Si autem mandatum quod veniant & non ponitur in eorum voluntate, tunc si sunt Episcopi aut sunt voc vel citati, aut non si sunt vocati, tunc debent venire & non contemnere. 18. *dis. c. non oportet. & c. p nenit.* nisi sit graui necessitate detentus: quia tunc si non venit, personaliter excusatur: vt 18. *dis. si q Episcoporum. & c. si quis Episcopus metropolitanus.* & maximè si est grauis corporis infirmitas, non si uis: vt no. 18. *di. c. placuit.* facit. *de re iudi. l. quæsitum. ff.* & quæ sint legitimæ causæ excusantes à venien personaliter, notat glo. in *d. ca. placuit*, vbi textus in verbo *maxime* debet exponi, id est, tantum. sunt reliquendæ causæ iudicis arbitrio: quia non possunt commode numerari: vt not. glo. *ca. si q iusto de elec. li. 6* in glo. 2. licet multæ enumerentur: vt notatur *de consecra. di. 4. c. hi de quibus. & di. 5. scipulos. & in l. 2. § si quis in iudicio. ff. si quis cau.* cum sequetibus. Vnde concluditur, quod citati vel v cati Episcopi venire debent personaliter, si non sunt graui necessitate detenti, maximè quādo iu uerunt, vt faciunt communiter ipsi Episcopi: vt in *cap. ego de iureiuran.* Nam si contemnunt tunc v nire, sunt periuri, quia inter alia capitula quæ iurant est quod vocati ad synodum ibunt: sed si nō e sent vocati vel citati quamuis foret indictum concilium, qui vocati non sunt accedere non debe vt notatur 8. *di. ca. de privile.* qui dicit quod Episcopus etiam si videt omnes alios Episcopos ad sy dum ire, ipse non debet nisi vocatus. & ita probat tex. in *d. c. ego, de iureiur.* & ibi hoc Doc. tenet. Si a tem vocati sunt omnes alii clerici vel capitula Ecclesiarum cathedralium siue etiam laici, tunc cu difficile foret singulos clericos ad synodum distringere vel laicos vocare, aut totum capitulum E clesiæ cathedralis: quia hoc esset spoliare Ecclesias seruitoribus & ministris, tunc capitula Eccl siarum cathedralium poterunt per procuratores comparere: vt in *ca. fi. de his quæ fiunt à præla.* nec c guntur omnes comparere personaliter. idem credo de quolibet collegio clericorum vel laicoru vt possent conuenire simul omnes de collegio, & mittere vnum procuratorem: & ideò vna ci tas vel etiam vna diœcesis clericorum non specialiter vocatorum sed in genere citatorum. Et ide laicorum potuerunt per procuratores constituere & mittere ad concilium. & hoc probat te in cap. fi. 18. di. & de principibus laicis quod admittantur per se vel eorum nuncios: est text. *de re di. ad Apostolica libr. 6.* Non enim est credendum quod omnes laici & clerici sint compellen dimittere proprias familias & Ecclesias, & venire ad concilium. fateor tamen quod si aliqui eis essent specialiter citati, fortè qui ageretur eorum causa, vel quia essent aliquis inferior ab piscopo clericus aut laicus multæ excellentiæ aut litteraturæ ita quod eius concilium vel auxi um essent multum in concilio necessarium, quod si esset citatus vt adesset per se personaliter, quo deberent comparere, quamuis si foret specialiter à papa citatus quod compareret: vt in *c. pen.*

iura.

tra talem. & in c. fi. de dila. & vtrobique notatur. Et hoc nisi citaretur quia eligeretur eius industria personæ propriæ, & ex indiciis fortè constat quod propter industriam singulariter & specialiter comparere nec procuratorem mittere. ar. *l. inter artifices de solu.* licet si vocaretur ad concilium specialiter pro iudicio, in quo esset impeditus, non videretur tunc in dubio in hoc electa industria personæ, sed potius habitus est tentus ad iusticiam causæ: vt notat Inno. in *c. fi. de offi. delega.* & tunc posset si causa pateretur per procuratorem comparere, quia vsus procuratorum non videtur sublatus, etiam si citetur à papa: vt notatur in dicto *cap. fi de dila. & in c. p. de calum.* Ex quibus concludo Episcopos ad concilium citatos debere personaliter comparere, si non sunt impediti legitimo impedimento. alii verò inferiores ab Episcopis possunt per procuratores comparere præsertim collegia & capitula cathedralium Ecclesiarum & communitates: vt in *cap. fi. de his quæ fiunt à prala.* & idem credo de aliis clericis ab Episcopo inferioribus & laicis generaliter citatis, quia in istis vsus procuratorum non videtur interdictus. *l. 1. §. vsus ff. de procurato.* & licet decretum sit in Episcopis, vt vocati hoc casu personaliter compareant, quia in eis videtur electa industria personæ, cum debeant in concilio sedere iudices. secus in aliis nisi & ipsi citarentur vt tantum personaliter comparerent vel ex indiciis appareret quod esset electa industria eorum personæ: quia tunc deberent personaliter comparere. & idem quando natura causæ, ad quam esset in concilio citatus non admitteret procuratorem, vt in c. veniens de accusato. & 5. q. 3. in criminalibus. Quando autem Episcopi essent impediti legitimo impedimento, tunc debent se excusare propriis litteris: 18. *dis. placuit.* vel proprio nuncio cui credatur: vt ibi notat. glo. per tex. 97. *dist. nobilissimus. & de offi. dele. prudentia. & de rescriptis. ex parte.* vel per procuratorem possunt se excusare, & hoc cautius iuxta notata per Cyn. & Doc. in *l. 1. C. de resti. in integrum.* & hoc casu est speciale, vt credatur nuncio mittentis: immò fortè crederetur iuramēto ipsius Episcopi: vt notat glo. *fi. 4. q. 5. in c. quisquis.*

An autem requiratur in hac citatione peremptorium vel plusquam vna citatio vel intimatio? respondeo quod quando fit citatio vel intimatio per edictum, non est dubium quod non requiritur. glo. est in *l. papinianus. §. si quis post ff. de in offi. testa.* & quod in hoc casu sufficiat vna citatio vel intimatio, notat glo. 18. *di. si Episcopus.* per tex. 4. *q. 5. capit. quisquis.* & hanc glo. tenent omnes Doctores in dicto *capit. ego, de iureiuran.* Nam hæc citatio vel intimatio fit ad actum extra iudicialem in quo sufficit vna vocatio, glo. est in *cle. 1. de hæreti. in verbo requisiuit. & in capit. cupientes §. quod si per viginti. in verbo proposita, de elec. lib. 6.* notat. *de elec. cap. cum nobis olim.* legistæ in *l. si conuenerit. ff. de pigno. act.* vbi dicunt quod est speciale in illa. *l. & in l. qui Romæ. §. cohæres, de verbo. obli.* vbi fit mentio de bina requisitione, & est ibi contingentia & nota facti: non autem quod sit necesse nisi semel intimare: vt in *d. l. qui Romæ. §. seya.* & no. Bar. in *l. pupillo. §. si quis ipsi prætori. ff. de operi. no. nunc.* & hoc quantum ad constituendum vocatum in mora: vt *l. Titia. §. vsuras, de lega. 2.* Sed si vellet concilium procedere ad impositionem pœnæ propter illam contumaciam, tunc requiretur trina monitio: vt in *c. 1. de pace iura. fir. in fi.* no. in *c. 1. de supplen. negli. prala. & in l. Aemilius. ff. de mino.* & ita debet intelligi quod no. in dicta *l. si conuenerit. & in l. in contractibus. §. penulti. & in auth. hanc auct. C. de non nu. pecu.* & hoc vult glo. in dicto *c. quisquis.* & pro leui pœna, puta suspensionis, imponenda ratione contumaciæ sufficiat illa vnica citatio, si non excommunicaretur ex ista vna citatione, vt ibi. Sed quid si tēpus esset à lege præfixum, sicut in concilio Constantiensi, quod de decennio in decennium fiat concilium, an ex solo aduentu initii temporis Episcopi constituantur in mora? videtur quod sic per *l. magnam. C. de contrahen. & committen. stipu. & de loca. c. potuit.* Sed veritas est in oppositum, quod solus euentus termini non constituit Episcopos in mora, vt puniri possint vt contumaces. ar. 12. *quæst. 2. in c. indigne.* & probant iura ante relata. fallit nisi lex aliter disponeret, vt in casu capituli *potuit. de loca. & l. fi. C. de iure emphi.* Et ideò vasallus non priuatur feudo, si non defendit Dominum quem scit guerram pati, nisi postquā ter requisitus fuerit contumax, vt dicto *c. 1. in fi. de pace iura. firman.*

SVMMARIVM.

An vocati possint per procuratores com[par]ere in concilio.

CAPITVLVM XI.

SEd an tunc possit vel debet procuratorem mittere, qui pro eo sit in concilio vel pro ipso vocem habeat? dico quod quando non est impeditus, non potest mittere: quia indignum se facit cum potest comparere, dicto *capit. ego, de iureiuran.* & probat text. in dicto *capit. quia propter.* Nam habet facultatem committendi vocem demum quando impeditus est. Ad idem *de electione capit. si quis iusto*: sed si est impeditus legitimo impedimento: tunc si quæris an teneatur mittere procuratorem vel possit vel præsit concilio loco sui, & statuat & iudicet, tunc dico quod potest mittere procuratorem si vult: non tamen artatur. sic intelligo. 5. *quæsti. 3. capit. si ægrotans. & 18. di. Episcopus*, iunctis his quæ notan. in *capit. quia propter de elect.* vbi est casus, quod impeditus iusto impedimento potest si vult committere vocem suam. Ad idem text. in *capit. si iusto. de elec. libr. 6.* sed si non vellet, non artaretur, nisi papa vel concilium sibi sic mandasset vt procuratorem loco sui constitueret: iuxta nota. in *capit. fi. de dila. & in capit. querelam. de procurato.* si verò quæritur, an teneatur citatus procuratorem mittere ad concilium, cum est impeditus legitimo impedimēto qui suscipiat statuta cōcilii: & credo quod mittere teneatur. sic intelligo tex. in *c. Epis. 8. di.* Et ratio est, quia ipse tenetur omnia in concilio gesta insinuare & palā facere suo clero

& populo 18. *dis.c.fi.* Si vero quæris, an teneatur mittere procuratorem in causis quas moturus est vel suspecturus, nunc non est dubium quod potest si causæ natura patiatur: vt *l. multus. §. 1. de procur.* Sed an debeat tunc si citatur à papa vel à concilio, quod habet instar papæ quod per procuratorem compareat, mittere procuratorem, credo quod sicut nec excusat eum arduitas causæ vt notant Doc. de vocato à papa in *cap. fi. de dilatio.* Et ego credo idem in vocato à concilio. Si autem esset simpliciter citatus, an tunc tenetur procuratorem mittere? dico recurrendum esse ad doctrinam Doctorum in *cap. querelam de procura. & in l. 1. de diuer. & tempo. præscrip.* & secundum illa debet mittere vel non mittere.

SVMMARIVM.

Quid de contemnentibus venire: & qui præcisè venire teneantur.

CAPITVLVM XII.

QVæ autem sit pœna contemnentis venire ad synodum vel comparere: nam tenentur comparere etiam quando vocatio fit à principe vel alio inferiore: vt notat Inno. in *c. cum parati de appella.* Respondo si est episcopus vocatus ad synodum vt iudicet aut statuit, ille qui venire contemnit, tunc debet & potest excommunicari: tex. coniuncta glo. 18. *di. non oportet*, allegat. 2. q. 6. *quisquis probatus.* & idem si illicentiatus recedit, antequam synodus dissoluatur vt 18. *di. si quis autem.* quia non dicitur venisse qui non stetit. *l. quæsitum. ff. de re iudi.* ideo citatus comparens non debet recedere illicentiatus, alias non dicitur comparuisse: vt notat Innocen. *de accusa. c. calumni.* Bar. in *l. si finita. §. Iulianus. ff. de dam. infect.* Si vero est contumax citatus ad concilium pro causa contra ipsum instituta vel instituenda, tunc omnia remedia quæ prodita sunt contra contumaces, habent locum contra istum, quæ remedia notantur per glo. in *cap. 3. vt lite non contesta.* & per Speculatorem in titulo *de primo decreto. § iam de effectu. ver. & nota.* nam poterit excõmunicari, & potest fieri missio in bonis eius, & potest multari. *l. ex quacunque. ff. si quis in ius voca. non ierit.* & potest iudex incipere à quo vult etiam excõmunicatione vt in *c. quonia. §. fi. vt lite non contesta.* licet honestius esset ab aliis remediis incipere: vt no. in *dicto c. 3. vt lite non contesta.* secundum Gofredi opinionem, quæ sic debet intelligi. Quinimo in causis in quibus proceditur sine figura iudicii vel lite non contestata, vt in causa hæresis, vt in *c. fi. de hæreti. in 6.* poterit veniri ad diffinitiuam in illis lite non contestata. plus credo, quod in omni causa in concilio generali poterit veniri ad diffinitiuam lite non contesta. & contra absentem citatum, quando concilium de absoluta potestate sic statueret, per ea quæ dicam infra in quæstione *qualis sit forma procedendi Dominorum de consilio & sententiando.*

SVMMARIVM.

Qualis debet esse Procuratoris forma vel persona in Concilio.

CAPITVLVM XIII.

SEd quia dixi, quod possunt mittere procuratorem vel debent, reuocare in dubium quod præmisi de vna. q. qualis debet esse tunc procuratorũ persona, vtrũ debent esse episcopi, quemadmodũ qui mittunt sunt episcopi: videtur quod sic? nã simile est in electione: quia impeditus non debet cõmittere vocẽ suam nisi vni de collegio & sic concanonico: vt in *c. quia propter. § illud de elec. & in ca. si quis, de elec. li. 6.* & ibi per Io. An. in glo. *concilii.* & super illa glo. *in nouella.* Ad idẽ *de rescrip. c. statutum. § in nullo. li. 6.* vbi delegatus non potest subdelegare alia forma, quam facit de ordinata potestate papa, videlicet canonico vel existenti in dignitate. Ad idem quia si aliqua essent in concilio tractanda ordinis Episcopalis, illa non possent per episcopum demandari inferiori ab episcopo: vt no. *de consue. quanto. & de consecra. ecclesia vel alta. cap. aqua.* Item quia non videtur quis posse per alium quod per se non potest. sed inferior ab episcopo non potest per se in concilio statuere vel iudicare, vt supra dixi: igitur nec per aliũ: vt in *c. post. cessionẽ. de proba. & in c. quod alicui sub. de regu. iur. in 6.* In contrarium facit quia quæ in conciliis agitantur, vt plurimũ sunt iurisdictionis episcopalis: sed ea quę sunt tantum iurisdictionis episcopalis, possunt per episcopũ committi cuicunq; minori vel maiori: vt no. in dicto *ca. aqua.* licet non ea quæ sunt ordinis. videtur igitur quod quilibet clericus erit sufficiens procurator, dummodo habeat alias legitimam personam. Non obstat quod dicitur de electione, quia specialiter est hoc illud in electione statutum, immo & alii qui non sunt de collegio possunt admitti: vt in *cap. si quis iusto. §. fi. de elec. li. 6.* & hoc volente capitulo. Nec obstare videtur *de rescrip. statutum. §. in nullo.* nam licet ille textus loquatur in delegatis papæ vel in subdelegatis ab eis, non habet locum in ordinariis: vt ibi notant Docto. Item quilibet in omni actu admittitur procurator & censetur habilis, qui non reperitur expresse prohibitus: quia edictum de procuratoribus est prohibitorium, vt is demum videatur prohibitus qui expresse prohibitus est. *l. mutus. § primo de procuratoribus. & in capit. primo de procurat. in 6. & institu. per quas personas nobis acquir. § fi.* Sed in hoc non reperitur prohibitus etiam laicus. vnde videtur quod & laicus esse potest ibidem in concilio procurator. Item quia quando illud quod geritur non est malum nec sui natura illicitum, quod quis non potest per se potest per alium: patet in *l. quæsitum. ff. de in ius voca.* & in laico qui non potest per se tractare spiritualia, & tamen potest esse in tractandis spiritualibus procu-

Digitized by Google

procurator: vt in dicto *c. I. de procura. in 6.* & ideo potest laicus procurator constitui ad conferẽdum beneficium ecclesiasticum: vt notant Doctores in *c. accedens de preben.* & multo magis potest constitui procurator ad acceptandum; & tamen per seipsum beneficium ecclesiasticum conferre non potest vel pro se acceptare. & regula in *cap. quod alicui suo*, loquitur in maleficiis, vt maleficium quod quis per se non potest committere, non possit alieno nomine facere, vt ibi notat glo. Ex quibus videtur inferri quod etiam laicus possit constitui procurator, vt intersit pro aliquo episcopo in concilio, & eius nomine statuat atque iudicet.

Mihi tamen videtur sic dicendum: nam aut quæris vtrum de ordinata potestate possit constitui procurator inferior ab episcopo clericus vel laicus qui intersit pro episcopo constituente in concilio ad iudicandum & statuendum nomine constituentis? & tunc dico quod non. Nam licet hæc sint iurisdictionis, tamen demum adminiculo ordinis episcopalis exercentur, vt supra ostendi; quod hoc ius statuendi & iudicandi in concilio competit solum ordini episcopali. Ista ergo talia quamuis iurisdictionalia non possunt inferiori ab episcopo demandari vel committi probatur in simili in causa matrimoniali, quæ non potest committi inferiori episcopo 23. *di. illud.* 3. *q.* 6. *capit. hoc quippe. & q.* 8. *cap. si quis*, cum duobus sequentibus. Item clericum causa disciplinæ verberare hoc non licet etiam ex commissione laico 86. *di. non liceat*, notatur 45. *di. in summa.* hæc igitur & similia quamuis sint iurisdictionis, sine adminiculo ordinis expediri non possunt, & ideo committi vel demandari non possunt, sicut ea quæ ordinis sunt episcopalis non possunt demãdari, hoc notanter dixit glo. 95. *di. peruenit, circa fi. prima glo.* fateor tamen quod si concilium vellet etiam laicũ procuratorem admittere, quod posset, cum habeat liberam facultatem statuendi. Nam quemadmodum Papa potest laico potestatem tractandi quæcunque spiritualia concedere 63. *dis. Adrianus. & c. in synodo.* ita etiam concilium potest, quia si Papa solus potest, fortius tamen est in concilio. & idem si Papa non esset, sed alteri commisisset specialiter, quia ibi Papa esse censeretur, sed si non esset ibi Papa, quia non voluisset synodum congregare vel ei auctoritatem interponere, tunc etiam poterit concilium: quia vt supra dixi, omnis potestas Papæ est tunc penes vniuersalem ecclesiam & in concilio. vnde concilium laicum procuratorem posset admittere ad statuendum & iudicandum. Si vero quæris, vtrum laicus vel alius clericus non episcopus possit constitui ab episcopo procurator ad recipiendum statuta concilii vel ad proprias causas episcopi tractandas agendo vel respõdendo, etiam si talis esset causa cuius ipse constitutus procurator non esset per se vel capax? tũc hoc non obstante poterit esse procurator pro episcopo: dicto *c. I. de procur. in 6.* & no. per Io. An. in dicta regula *quod alicui suo, in mercurialibus*, & hoc quando non sunt spiritualia sed temporalia: vel si sunt spiritualia, laicus in iudicio nihil spiritualitatis exercet, sed forte solum in iudicio disputat de effectu actus spiritualis an tenuerit; & tunc ad talem casum spiritualem possit: sed si in concilio laicus non haberet simpliciter inquirere de effectu actus, sed haberet ipsum actum spiritualem gerere, tunc non posset constitui laicus procurator, qui spiritualia tractare non potest: vt in *cap. decernimus, de iudi.* Et ideo quando constitueretur procurator ad actum, quem ipse deberet deducere etiam procuratorio nomine Domini de non esse ad esse vel de esse ad non esse, tunc non posset constitui procurator. ita intelligit Paulus de Liazariis illud *c. primum de procura. in 6.* ideo non potest constitui procurator ad eligendum: vt no. Io. An. in dicto *capit. quod alicui, de regu. iur. in 6.* hoc modo debet intelligi glo. in *c. ad Apostolica, de exceptio.* quæ dicit quod illud quod quis non potest pro se, non potest pro alio. Quando autem talis procurator haberet, solum tractare de effectu vel non effectu, vtrum subesset vel non alicuius actus spiritualis, tũc potest esse procurator, vnde laicus potest assumi consiliarius vel assessor à iudice, qui cognoscit de duabus electionibus in discordia celebratis. Non obstant prædictis notata in dicto *c. accedens, de preben.* vbi potest constitui laicus procurator ad conferendum beneficium & ad acceptandum, quia prædicta, quæ dixi, quod laicus non potest spiritualia tractare, loquuntur quando illa faceret suo nomine vel quando ex tali actu sibi ius vel actio aliqua quæreretur, vt cum vendit procuratorio nomine ecclesiæ. nam tunc sibi quæreretur actio ad precium, quæ non transit in ecclesiam sine cessione, tunc non potest hoc facere vt Procurator. secus si nihil facit proprio nomine, & nihil sibi acquiritur, vt cum confert vel acceptat beneficium, tunc potest vt alterius procurator facere. Non obstant notata per Io. An. in dicto *cap. quod alicui suo, de regu. iur. in 6.* vbi tenet, quod non potest quis constitui procurator ad eligendum, & tamẽ ibi nihil suo nomine facit & nihil sibi acquiritur: quia ideo non potest, quia non est persona determinata, quæ debeat eligi. vnde satis in arbitrio laici remittitur actus spiritualis electionis, & ideo si esset constitutus ad personam certam eligendam, tunc valeret constitutio, per prædicta & ita tenet ibi Io. An. & quando procurator laicus vt procurator possit aliqua tractare spiritualia, plene dixi in *c. decernimus, de iudi.* fallit nisi habilitas esset ratione excõmunicationis. quia sicut excommunicatus non potest esse in iudicio pro se, vt *de iudi. intelleximus*, ita non potest agendo vel defendẽdo vt procurator pro alio interuenire: vt nota. in *c. post cessionem, de proba.* idem credo quando persona esset inhabilis. vt quia esse non potest ex quacunque causa procurator, vt fœmina, si ex defectu intellectus quis esset inhabilis per se, quia etiam non poterit pro alio: vt 3. *q.* 7. §. *tria.* 15. *q.* I. § *itaq. & de sponsa. dilectus*, cum similibus. Idem si impubes, quia ad lites in procuratore requiritur ætas 25. *annorum.* in aliis autẽ casibus si est persona habilis & esse possit procurator, credo quod admittatur procurator quamuis per se actum illum aut litem exercere nõ posset. per prædicta iure. An autẽ inhabilis posset constitui procurator ad substituendũ saltim habilem, dico prout dicit glo. in *cle. religiosus de procurat.*

Digitized by Google

in glo.fi.in fi. quia aut ipso iure est inhabilis vt excommunicatus, qui si constituitur procurator, [illegible] iam ab ignorante, ipso iure est inhabilis, quando tempore constitutionis est iam excõmunicatus etiam si sit occultus ita quod nec valeat impetratio quæ fieret ab eo constituentis nomine, nec etiam iudicium etiam si non opponatur ei de inhabilitate excommunicationis. Nam eius tolerantia vel quod non sit reputatus excommunicatus non facit quod impetrata per eum pro alio valeant vel teneat iudicium per ipsum agitatum pro alio, per tex. in *c. nouit, de sen. excom.* & *8.q.4 cap. nonne.* & *l. Barbarius, de offi. præsidis.* per quæ iura tenuit Archid. quod impetratio & iudicium ab excommunicato occulto pro alium factum valeat propter eius tolerantiam: sed non bene dicit, quia illa iura loquuntur quando gesta concernunt publicam vtilitatem, & tunc tolerantia facit illa valere. sed excommunicatum impetrare pro alio vel iudicium agitare concernit priuatam vtilitatem, in qua quod quis toleretur vt habilis tolerantia nihil operatur: vt notant Doc. *de elec. c. nihil.* & *de procur. c. fi.* & *in c. veritatis. de dolo & contuma.* vnde gesta per eum quamuis occultum vel toleratum non valent. Quare concludo quod gesta ab excommunicato pro alio, qui tempore quo fuit constitutus procurator erat excommunicatus siue sit iudicium siue impetratio rescripti, non teneat, etiã si nulla sit facta oppositio excommunicationis. licet Io. Calderini tenuerit contrarium in quadam *disputatione* quæ incipit *excommunicatus qui communi opinione* &c. & videtur de mente Inno. in *c. post cessionem de probationibus.* vbi sentit quod sit necessaria exceptio vt acta iudicii non valeant facta per excommunicatum procuratorio nomine alterius, quasi communis error habeatur pro veritate, *l. 1. C. de testa.* & sic valeat impetratio pro alio facta ab excommunicato qui non reputabatur excommunicatus, & valeat iudicium procuratorio nomine alterius factum per excommunicatum si non fuit oppositum, sicut valeret proprium iudicium proprio nomine excommunicati ab ipso factum exceptione non opposita, per *c. pia, de excepti. in 6.* hanc sententiam sequuntur aliqui moderni in *c. 1. de rescrip. li. 6.* sed non dicunt verum. primo quia illud de impetratione facta ab excommunicato occulto pro non excommunicato, quod teneat, vt dixit glo. in *c. fi. de procura.* omnes Doct. communiter ibi reprehendunt respondentes ad tex. capit. *ad probandum de re iudi.* & *ad l. Barbarius.* quod illa iura loquuntur in actibus publicis non in priuatis, in quibus communis error non supplet inhabilitatem personæ, saluo quam ad tollendam exceptionem Macedoniani *l. si quis patrem. ff. ad Macedo.* & quod impetratio per excommunicatum facta etiam pro Domino constituente non excommunicato non valeat ipso iure, est tex. in *c. post cessionem de probati.* & *de rescrip. c. 1 li. 6.* Similiter dico quod acta iudiciaria per excommunicatum facta procuratorio nomini alterius non valent ipso iure, etiam si non fuit de excommunicatione exceptum si tempore constitutionis procurator erat excommunicatus & siue constituens sciuit siue ignorauit, per iura antedicta. nõ obstat si dicitur, immo gesta cum tali excommunicato deberent valere: quia si acta gererentur cum ipso eius nomine non opposita exceptione valerent: vt in *c. pia de exceptio. li. 6.* Primo quia aliud est in principali excommunicato qui non est impeditus agere in fundamento & radice debiti & actionis, cum habeat ius formatum & facultatem agendi ante excommunicationem. & istud ius agendi per excommunicationem est tantum infectum quo ad exercitium: ideo data habilitate agendi à principio superueniens impedimentum non impedit validitatem gestorum, nisi opponatur & per viam exceptionis quis reiiciatur. sed in procuratore datur vitium in radice, id est, tempore constitutionis, quia constitutio ipso iure non valet: vt *de proba. c. post cessionem.* ideo acta cum tali procuratore sunt nulla, tanquam facta cum falso procuratore, siue cum illo qui nunquam habuit mandatum, & sic non valent acta etiam si nihil fuerit oppositum. Ex quibus concludo quod ab initio procuratoris constitutio facta de excommunicato etiam occulto & tolerato est ipso iure nulla, & quod gesta ab eo non valent tanquam à falso procuratore facta: ideo non valet impetratio ab ipso facta alieno nomine & iudicium per ipsum alieno nomine agitatum, etiam si de excommunicatione non fuerit oppositum, licet si fuisset iudicium agitatum pro se valeret non opposita ab aduersario exceptione. Et ex hoc infertur ad propositum, quod cum constitutio procuratoris excommunicati sit ipso iure nulla, etiam exceptione non opposita, vt dicto *c. post cessionem.* quod substitutio facta per eũ est similiter nulla ipso iure ar. *c. iudex in fi. de offi. dele. li. 6.* Si autem esset inhabilitas in constituto procuratore propter defectum auctoritatis, vt in monacho qui non potest esse procurator sine superioris auctoritate, cum non habeat velle vel nolle *12. q. 1. c. non dicatis*, tunc etiam non potest alium substituere sine prædicta licentia vel auctoritate: vt *de procur. cle. religiosus.* Si vero est procurator inhabilis, ita demum si exceptio inhabilitatis fuerit opposita, tunc potest substituere: vt in dicta *decretali, iudex in prin. c. de offi. dele.* notat Cyn. & Docto. in *l. quod quis. C. de procura.* Bar. in *l. 1. §. cæterum. de acquiren. pos.*

SVMMARIVM.

An opus sit, vt intersint duæ partes vocandorum, sicut in aliis Vniuersitatibus, vt dicatur esse Concilium.

CAPITVLVM XIV.

VEniamus nunc ad quæstionem an vt possit dici esse concilium sit opus, quod ad minus sint præsentes duæ partes illorum qui vocãdi erunt? Videtur quod sic, per nota. per glo. in *c. bona. de postu. præla.* & per ea quæ no. Doct. & Io. An. in *c. 1. de his quæ fi. à maio. par. ca.* no. in *c. licet.* & *c. bona. de elec.* cum simili. Et est tex. de iure ciuili in *l. plane.* & *l. nulli. ff. quod cuiusque vniuer. no.* & *in l. nominationum. C. de decuri. li. 10.* In quibus iuribus probatur quod quando debent coadunari vniuersitates sine

siue collegia, debent conuenire saltem duæ partes vocandorum: vt dicta *l. plane.* & illud quod deinde facit maior pars præsentium, id videtur esse ratum & non alias *l. quod maior. ff. ad munici.* & ibi Bar. & est tex. in *l. si. C. de pradi. curia li.* 10. ibi: *nec ex tabula decretum recitari*, quasi dicat quod non sufficit solum vocatos nisi veniant; ita intelligit illam l. & vult Bar. in *l. omnes populi. in prima char. in quæstione qualiter statuta fiant. ff. de iusti. & iur.* & no. glo. in *l. aliud* §. *refert. ff. de iureiur.* vbi expresse glo. dicit quod debent esse duæ partes vocandorum. In contrarium videtur. nam perlegantur quotquot vnquam fuere concilia, maius quod vnquam fuerit, prout legerim, fuit sexcentorum triginta patrum: & fuit quartum concilium Calcedonense 15. *di. c. quarta. & 16. di. c. sexta* §. *quarta.* Primum enim concilium Nicenum fuit tantum. 318. patrum. Secundum verum Constantinopolitanum fuit centum quinquaginta patrum. Tertium Ephesinum fuit tricentorum patrum. & Quartum Calcedonense fuit, vt supra dixi. Nam quinta & sexta Constantinopolitana synodus fuit tantum centum quinquaginta patrum: vt probat illud c. probat etiam tex. 17. *di.* §. *hinc etiam.* vbi in sententia lata pro Symacho Papa post Rauennatum archiepiscopum, solum 75. episcopi subscripserunt: ergo illud concilium non fuit duarum partium vocandorum: nec aliquod aliud mundi concilium: quia clarum est quod fuit plusquam tria millia episcopi, & tamen nunquam, vt dixi, fuerunt vltra quam sexcentum triginta ad plus. Igitur dico, quod illa iura, quæ dicunt adesse debere duæ partes vocandorum, non habere locum in conciliis generalibus, vel vbi totus orbis vocandus est. patet etiam in concilio congregato tempore Caroli Magni ab Adriano Papa, in quo interfuerunt tantum centum quinquaginta tres episcopi 63. *di. Adrianus.* Posset etiam dari regula magis magistralis, quod quotiens imminet graue periculum, vel necessitas; ibi vocata vniuersitate ad locum vel diem certum potestas sit apud comparentes, etiam si non sint duæ partes vocandorum præsentes. hoc probatur, quia vbi imminet periculum & necessitas reipublicæ & bonum publicũ eius soli priores vel scabini siue decuriones ciuitatis etiã sine concilio populi possunt transgredi statuta & leges ciuitatis: vt singulariter notauit Bar. in *l. cum nauarcorũ. C. de nauicu. li.* 11. & hoc forte voluit glo. in dicta *l. aliud* §. *referri. ff. de reg. iur.* dum dixit primo quod populus potest vel decuriones qui præsint loco populi. hoc probatur in electionibus ad prælaturas ecclesiarum. nã cum in illis sit maximum periculum in mora, vt *de electi. cum inter.* Certe quando instat dies & terminus electionis, tunc vnus solus constituit alios in mora: & ipse solus potest eligere 45. *dis. c. si.* & ita volunt Doc. in *c. cum nobis olim. de elec. licet* Abbas contrarium dixerit, & male: qui voluit quod potestas maioris nunquam deuoluatur ad minorem nisi ex delicto: per *c. gratum. de postu. præla.* volens quod ex contumacia non deuoluatur potestas maioris partis ad minorem. Sed male dixit: quia si facere quod ex delicto potestas maioris partis deuoluitur ad minorem: vt dicto *c. gratum. de postu. præl.* necesse habebat dicere quod si maior pars est contumax vel negligens in eligendo quod potestas deuoluatur ad minorem. nam contumacia est delictum *l. omne delictum. de re. mili.* & negligentia est peccatum grauissimum 24. *q. 1. officii.* & sic ex tali peccato decens est quod subsistente periculo potestas deuoluatur ad non contumacem: quia ista pars non contumax quæ curat occurrere periculo ecclesiæ, debet dici maior & sanior: vt in *c. 1. de his quæ fi. a maio. par. c.* vbi probatur quod debet attendi quod obiicit minor pars quando est iustius & vtilius quam quod a maiori parte obiicitur. Videmus simile, quod tutor ante confectum inuentarium & ante sibi decretam administrationem administrat res tempore perituras: Videmus enim quod multa propter pericula conceduntur quę alias non concederentur: vt in *c. quoniã vt lite non contesta.* facit. *l. 1. quando licet sine indi. vin. & in l. ait prætor.* §. *si debitorem. ff. quæ in frau. cre.* Non est igitur mirum, si in vocatione conciliorum generalium: quæ vocatio nunquam fieri debet: nisi quando imminent grauissima pericula, hæresis vel papatus contentio aut scismatis 15. *di. c.* 1. 79. *di. c. si duo. & cap. si quis pecuniam.* si hoc casu nõ requiritur quod adsint duæ partes vocandorum, cum difficilima esset cõuentio duarum partium. Et ideo credo quod potestas remaneat penes comparentes in termino quotquot sint. sic limito *l. nulli. & l. plane. ff. quod cuiusq; vniuer. no.* vt comparentes si non sunt duæ partes vocandorum, non habeant auctoritatem statuendi, nec ius eis competat totius vniuersitatis vocatæ: nisi quando immineret grauissimum periculũ, & vocati non venirent: tunc potestas vniuersitatis sit & remaneat penes comparentes: per not. in dicto *c. cum nobis olim. & in iuribus supradictis.* & per not. per Bar. in dicta *l. nauarcorum. C. de nauicu. lib.* 11. Credo tamen quod si apud solos comparentes sit potestas, etiam si essent duo episcopi: vt no. in dicto *c. cum nobis olim.* quod de honestate deberent vocari & constringi tot ad comparendum quod possint audire causas criminales episcopi: & sic ad minus requirerentur 12. episcopi 15. *q. 7. felix & 2. q. 5. c. presbyter:* & hoc quando a concilio abesset Papa vel habens potestatẽ ab eo sine speciali mandato. nam si adesset Papa in concilio aduenienti tempore, ipse cum vno episcopo concilium faceret aliorum absentia non obstante: quia ipse est supra concilium regulariter: vt *de elec. significasti.* & solus potest audire etiam causas criminales ipsorum, & vni soli delegare: nec tunc requiritur numerus 12. episcoporum: vt *de dolo & contu. c. veritatis. & de accu. c. cum dilectus.* quamuis credam ꝙ idem sit quando esset conciliũ, & Papa abesset: vel specialis legatus: vt quotquot essent illi de cõcilio etiã pauciores 12. episcopi, ipsi haberent potestatẽ cognoscendi: Et ideo supra dixi, quod de honestate deberent habere 12. ad minus. Credo etiã quod quãdo constaret notorie quod absentes cõtenerent mandata, & nollent cõparare, quod apud alios obedientes potestas remaneret: per dictũ *c. gratum. de postu. præla.* quia iste contemptus esset peccatum grauissimum: & ex hoc potestas deuolueretur ad alios. secus si non constat quod faciant contemnendo vocationem, sed quia forte

Digitized by Google

non videretur eis vtilis coadunatio : tunc qui comparuerunt pauciores duabus partibus non habebunt auctoritatem statuendi. sic intelligo quæ supra dixi.

Et ex his concludo, quod si in concilio est Papa vel alius habens eius speciale mandatū, quod etiam si conueniant aliqui episcopi, etiam si vnus, quod illi faciant concilium. Quando vero abesset Papa vel alius habens spirituale mandatum : quo casu esse posset etiam aliquando generale concilium secundum ea quæ dixi supra in quæstione : *quis possit concilium conuocare vel ei auctorari*: tunc si erunt saltim 12. episcopi, ita quod possint audire causas criminales aliorum episcoporum, tunc illi incunctanter facient conciliū generale: licet credam quod idem esset, etiam si conuenirēt pauciores, per supradicta.

SVMMARIVM.

Quæ causæ possint expediri in Concilio generali.

CAPITVLVM XV.

MOdo videamus quæ possunt in concilio generali expediri : & contra quos. Et videtur quod indefinite omnes lites, quæ in quacunque prouincia ortæ fuerint, possint si aliter non sunt sopitæ in concilio generali determinari : tex. videtur 17. *di. multis.* ibi : *si vero in qualibet prouincia.* Ad idem videtur tex. 18. *di. de conciliis*, vbi est regula quod *concilium indicat de omnibus querelis, quæ inter diuersos ecclesiæ ordines oriri solent* : qui tex. etiam intelligitur de laicis vt ibi *glo.* 2. Nam & ipsi de ordine sunt ecclesiæ 12. *q.* 1. *c. duo sunt genera.* qui tex. licet loquatur de concilio prouinciali, fortius potest extendi ad generale concilium : cum eadem sit ratio in toto quæ in parte : immo maior. Ad idem text. in *c. habeatur.* & *in c. propter ecclesiasticas.* 18. *di.* nam tex. in *c. habeatur.* vult quod *omnes controuersiæ in conciliis sopiantur, vt solenne Deo ieiunium offeratur* : & loquitur de ieiunio quadragesimæ, ad quod etiam laici sunt astricti : vt in *capit.* 2. *de obser. ieiu.* vnde vt laici bene ieiunare possint, eorum sunt simultates siue controuersiæ in concilio sopiendæ. & est tex. in *c. propter ecclesiasticas causas.* qui dicit quod *propter ecclesiasticas causas & quæ existunt controuersias.* Vnde notandum est quod ibi illud relatiuum quæ relatum cum copula & ampliat & non restringit : vt *l. ea tamen adiectio. ff. de leg.* 3. vnde cum dixerit de ecclesiasticis causis in concilio dirimendis : & demū subdat de controuersiis aliis : opus est intelligere de aliis non ecclesiasticis, & sic de causis secularibus. Idem tex. *eadem di. c. non oportet*, dum dicit quod *episcopi doceant quæ sunt vtilia ad correctionem ecclesiæ & cæterorum.* hoc etiam probatur in *c. scitote.* 6. *q.* 3. vbi tex. dicit quod *omnes causæ episcoporum & aliorum sacerdotum & ciuitatum ad iudicium concilii referantur.* & quamuis, vt dixi, iura hæc plurimum loqui videantur in prouincialibus conciliis, tamen idem & fortius videtur de concilio generali, vt ibi omnes controuersiæ etiam inter laicos debeant determinari. Nam concilia sunt inuenta secundum ritum gentilium. Nam Romani, dum erant in gentilitate, omnia in conciliis determinabant : vt probat tex. 15. *dis.* §. *synodus.* & ideo omnia similitudinarie in concilio Papæ determinanda sunt. In contrarium tamen facit : quia non est maior regulariter auctoritas concilii generalis quam auctoritas Papæ : immo exceptis tribus casibus inferior auctoritas concilii generalis ipso Papa : vt *de electio. capit. significasti.* no. 4. *di. cap. in istis.* & 35. *q.* 9. *c. veniam.* sed Papa extra terras ecclesiæ non iudicat de causis mere secularibus inter laicos nisi in certis : qui no. in *cap. licet ex suscepto. & ca. si. de fo. compe. & de indi. capit. nouit. qui fil. sint legi. capit. tanto. & capit. lator.* ergo minus generale concilium poterit etiam in quo præsidet Papa, quando in ipso concilio solum ipsi conueniunt, vt dixi : & tunc non possint mere iura secularia pertractari, sed ad proprios iudices remittantur. Quid igitur dicendum ? Ego ita dicerem, quod aliquando concilium est generale, in quo conueniunt solum episcopi & Papæ auctoritas interuenit, & conuocantur demum in eo clerici vel etiam laici : qui, vt dixi, etiam vocandi interdum sunt pro causa fidei : tunc in hoc concilio non poterunt terminari nisi causæ, quæ spectant ad forum ecclesiasticum, vt causæ episcoporum vel aliorū clericorum & ecclesiarum : & etiam causæ secularium in casibus notatis in *cap. licet ex suscepto. de fo. compe. & in c. nouit. de indi.* videlicet quando secularis Iudex negligens foret secundum ea quæ infra dicam in quæstione : *an Papa reuocet sententiam Cæsaris* : vel si cōsuetudo disponeret, vel deesset Iudex secularis qui iustitiam administraret : vt dicto *c. licet ex suscepto. de foro compe.* & in aliis casibus ibi notatis. causæ autem aliæ mere seculares & inter laicos iurisdictioni ecclesiæ non suppositos in tali concilio non poterunt terminari per iura supra allegata : *de indi. c. nouit. & in c. licet ex suscepto. & c. fi. & in c. si clericus laicum. de for. compe. & in c. causam, & in c. lator. qui fil. sint legi.* nisi vi prorogatæ iurisdictionis partes se submitterent laici, & seculares iudicio concilii ecclesiastici : quia tunc inter tales concilium sententiam diceret vi prorogatæ iurisdictionis. *ar. c. exhibita. & c. significasti. de for. cōpe. & C. de epi. audi. l. episcopalem.* loquor in casibus vbi sine licentia superioris potest fieri prorogatio : qui casus no. in dicto *c. significasti* : vel forte quando essent personæ quæ superiores non recognoscerent, tunc possent prorogando iurisdictionem seipsos subiicere tales concilii iurisdictioni : vt in *ca. per venerabilem. ver. insuper. qui fil. sint legi.* Non obstant tex. qui dicant quod concilia prouincialia iudicant de causis laicorum & ciuitatum : quia intelligo illos tex. in casibus, quando laici sunt de foro ecclesiæ, vel ratione peccati, vel denegatæ iustitiæ, vel similium.

Aliquando

Digitized by Google

Aliquando autem concilium fit generale non solum de ecclesiasticis personis sed etiam de secularibus: quia in eo interueniunt non solum episcopi, sed Cæsar ipse Imperator, reges, principes & Barones seculares interueniunt, quod concilium ita fieri potest: vt ex tex. *in c. ad Apostolicæ. de re iudi. li. 6.* quo casu respectu secularium causarum illi concilio seculari debet interponere auctoritatem Imperator: cum ipse sit in eis supremus, in quo omnes alii dependent: vt dixi in *quæstione* 1. huius operis Monarchiæ: tunc etiam causæ quæcunque seculares ibi poterũt terminari: & quod determinauit in ipsis causis secularibus maior pars concilii episcoporum, imperatoris, & principũ & baronum illud erit firmum & ratum: & hoc concilium mixtum est spiritualium & temporalium causarum: & omnes causæ etiam mere seculares ibi determinari poterunt. Sed si concilium fieret ab ipso Cæsare solo & eius auctoritate de secularibus tantum; causæ seculares possunt terminari; non autem causæ ecclesiasticæ quæ non competunt foro seculari.

SVMMARIVM.

Quæ personæ possint in Conciliis conueniri.

CAPITVLVM XVI.

QVæ autem personæ possint in huiusmodi conciliis conueniri? Dico quod in concilio ecclesiastico, vel ecclesiastico & seculari, vel seculari tantum, non poterunt conuenire personam Papæ. nam quemadmodum prouinciale concilium non dicit sententiam contra episcopum; quia est ipsius concilii caput: vt in *c. graue. de preben.* ita nec concilium generale dicit iudicium de Papa: & ideo tex. 17. *di. § hinc etiam.* reseruat causas Papæ Dei iudicio. Fallit in tribus casibus, in quibus Papa subest iudicio concilii, quando est Papa à fide deuius 40. *di. si Papa. & 19. di. Anastasius.* vel quando agitur bonum vniuersalis ecclesiæ, vt quia Papa est peccator notorius tali peccato quod scandalizat totam Dei ecclesiam, sicut quando Papa non vellet celebrare concilium & periculum ecclesiæ immineret forte hæresis aut scismatum: tunc Papa persistens in tali peccato vel simili notorio posset à concilio iudicari: vt no. glo. 40. *di. c. si Papa.* quæ est verissima, vt supra dixi. Et tertio fallit quando agitur causa papatus 79. *di. c. si duo. & c. si quis pecuniam.* & quod facta alia Papæ à fide vel concernentibus statum vniuersalis ecclesiæ non possunt à concilio iudicari, probat tex. 9. *q. 3. c. aliorum. & c. nemo.* Et est ratio, quia Papa est vicarius Iesu Christi: *de transla. præla. c. quanto,* & legatus Dei. sed inferior non iudicat facta vicarii superioris, sicut est Christus: *de offi. vica. c. ad hæc.* vbi enim reperitur quod primus & caput subiiciat legibus inferiorum? immo in legibus concilii Papæ censetur excepta auctoritas: *de electio. c. significasti.* nam concilium statuitur auctoritate Papæ: vt probatur 17. *di. per totum.* & probatur in dicto *c. significasti.* & sunt siue censentur leges Papæ quibus ipse non ligatur, nisi de honestate *l. princeps legibus. ff. de leg. & l. digna vox. C. eo. ti.* Item quia concilium repræsentat ecclesiam, cuius Papa est princeps & caput: vt patet in omnibus iuribus dicentibus Papã esse principem & caput, quæ multotiens allegaui: ergo sequitur quod ecclesia subiicitur Papæ, non econtra, sicut subditi vniuersaliter & collecti subiiciuntur proprio principi, & membra influxum à capite recipiunt. Item si potestas Papæ non est à synodis: vt dixi in quæstione *quis hanc constituit potestatem,* sed à Christo: ergo est sub Christo, non sub synodis. Præterea Papa in plenitudinem potestatis est assumptus ecclesiasticæ, *de auctoritate & vsu pa. c. ad honorem.* Si dices eum subiici legibus concilii, iam detrahes suæ plenitudini potestatis, quod sic non erit omnis in eo plenitudo.

Persona autem imperatoris, quando ageretur eius causa, vel ratione fidei, vel ratione peccati, aut ex alia causa per quas quilibet alius laicus subditus fit ecclesiæ, esset subdita concilio ecclesiastico, vel concilio mixto de ecclesiasticis & secularibus: pro aliis autem casibus mere secularibus nulli concilio esset subditus. nam concilio mere ecclesiastico non esset subditus: quia pro secularibus causis ipse est iudex in causa sua vel eius procurator fisci, prout causa est fiscalis *l. ad fiscum. C. vbi cau. fisca. vel procu. Cæsa.* prout esset quæstio de patrimonialibus. tunc dico quod dictarum causarum non est Iudex concilium, vt supra dixi. vnde pro prædictis non posset conueniri in concilio mere ecclesiastico, quia dictarum causarum non est Iudex vt supra dixi: vel etiam in alio iudicio seculari, quia concilium seculare non est Iudex causæ Cæsaris, qui est dicti concilii caput: vt in dicto *c. graue. de preben.* nisi ipse conueniretur vt tyrannus & scandalizans vniuersale bonum imperii secularis: quia tunc posset à suo concilio seculari iudicari, sicut supra dixi de Papa. ar. *l. 2. § dominorum. ff. de vsu. iur.*

Personæ autem aliæ inferiores à Papa & pontifice in causis, in quibus concilium mere ecclesiasticum est Iudex, vt in causis spiritualibus vel ecclesiasticis siue mixtis, vel in causis secularibus, in quibus Papa potest esse Iudex, de quibus supra dixi, omnes sunt subditi ecclesiastico concilio, vel mixto concilio ecclesiastico & seculari. pro aliis autem causis, in quibus Papa non est Iudex, pro illis non subditi ecclesiæ personæ laicæ non possunt in concilio mere ecclesiastico conueniri, nisi iurisdictionem prorogarent. secus si esset concilium mixtum simul de ecclesiasticis & secularibus causis à Papa & à Cæsare conuocatum: quia tunc omnes mundi personæ possent conueniri. sed si esset concilium solum mere seculare, à Cæsare solo de principibus secularibus conuocatum, tunc solum causæ, quæ essent inter seculares & prophanæ possent in isto concilio pertractari, & non causæ ecclesiasticæ, & solum subditi Romano imperio in illo possent

conuenire, non autem clerici, qui in omni regno liberi sunt, nec potestatibus secularibus sunt subiecti de de fo. compe. c. si diligenti.

Sed tunc insurgit dubium: an concilium possit dispensare in casibus præsertim reseruatis Papæ? Dico quod Papa in concilio existente & consentiente res non habet dubium: quia si potest Papa solus, fortius cum concilio. Sed si concilium vellet dispensare, Papa vero dissentiret vel contra disponeret, cuius tunc sententia attendenda foret? dicā infra in quæstione *quæ sit maior an sententia Papa vel concilii.* Sed si Papa in concilio non adesset, quia forte per legatum, ipsum celebraret vt no. 4. di. 5. porro. tunc illa possit concilium, quæ Papa demandasset siue consentiret. Alia vero non nisi illa quæ potest aliquando concilium sine Papa: de quibus dicam in illa quæstione *quæ sit maior sententia Papæ an concilii.* Et ideo in hoc casu non posset concilium in particularium personarum causas agitare Papa nolente: nec beneficia conferre siue in matrimoniis dispensare: aut alia facere tantum principi competentia, si Papa non consentiret: alias esset ponere quod in ecclesia essent duo capita siue principia eandem per omnia potentiam habentia, quod esset hæreticum 24. q. 1. c. ... *cerdoniani.* habet ergo tunc potestatem tantam concilium, quanta erit ipsi à Papa demandata, nisi in concernentibus principaliter fidem aut bonum ecclesiæ vniuersalis: vt dicam in dicta quæstione *quæ sit maior Papæ sententia vel concilii.* Sed quoniam dixi, quod potest quandoq; concilium esse sine Papa vel eius auctoritate, an tunc concilium imponat manus ad illa quæ sunt tantum Papæ reseruata, & ad supradicta, vt conferre beneficia vel alia similia facere. In hoc dicerem, quod aut occurrentia sunt ardua & celeritatem requirentia, & tunc sine dubio ecclesia vniuersalis potest circa illa prouidere. Nam in hoc casu vacante sede iurisdictio talis esset apud omnes concordes cardinales, vt in *c. vbi periculum, de elec. li. 6. & in cle. ne Romani, de electi.* quanto magis ergo est apud ecclesiam vniuersalem & apud concilium ipsam repræsentans? Sed si causæ sunt etiam arduæ non tamen requirentes celeritatem, tunc licet potestas papalis sit apud ecclesiam vniuersalem vacante sede, vt colligi potest ex not. in *cap. 1. de scisma. in 6.* tamen non debent se intromittere de reseruatis Papæ sed debent reseruare futuro pontifici eligendo, quem debent eligere si possunt cardinales: & ita fecit diebus meis sacrum Constantiense concilium. nam collationes beneficiorum & similia reseruauit futuro pontifici, qui post sedatum scisma electus fuit sanctissimus Martinus Papa quintus de illustri domo de columna ex baronibus vrbis. Non debet ergo concilium imponere manus ad tantum Papæ reseruata nisi quando immineret periculum, sed debet reseruare futuro pontifici. Et idem intelligo, quando concilium esset celebratum sine auctoritate Papæ ipso viuente in casu quo possit concilium subsistere, secundum illa quæ supra dixi.

SVMMARIVM.

An à sententia Papæ appelletur ad Concilium.

CAPITVLVM XVII.

ET ex istis deciditur dubium: an à sententia Papæ appelletur ad concilium. Et dico regulariter quod non, quia appellatio est prouocatio minoris iudicis ad maiorem. *l. præses ff. de mino. 2. q. 6. c. ... riorum.* & ita tenet Gof. & Azo in *summa:* quoniam à sententia principis non appellatur ad alium ... bonus tex. *9. q. 3. cuncta per mundum.* nam in factis Papæ non est dare iudicem superiorem: *de ... licet. in fi.* Credo tamen quod si Papa statueret contra fidem vel contra bonū vniuersalis ecclesiæ, vel in casibus in quibus sibi non licet, & in quibus concilium est supra Papā, quod licet ab eis statutis non posset appellari, quod saltim poterit in talibus querelari ad cōcilium, & ad ipsum habere recursum, cum sit tunc superius per supradicta.

Et idem per omnia dico de concilio seculari Cæsaris, & de statutis vel sententiis imperatoris, vt ab eis non appelletur, vt infra dicam.

SVMMARIVM.

Quis Concilium merè seculare possit conuocare, & ei auctoritatem imponere.

CAPITVLVM XVIII.

QVis autem hoc vltimum concilium mere seculare conuocare possit: & quis ipsi auctoritatem interponat? videtur quod Papa: vt in *c. Ad Apostolicæ. de re iudi. li. 6.* ibi: *paratis ... .* Sed credo quod mere seculare concilium generale possit cōuocare solus imperator, & illi possit adunari: quia, vt dixi, ille habet vocandi potestatem qui habet vocatos sibi subditos *ff. de iudi. l. si quis ... aliena.* Sed pro mere temporalibus Papa inter puros laicos extra terras ecclesiæ degentes nullam habet iurisdictionem: vt *de iudi. c. nouit.* ergo non potest ipsos super causa tali conuocare. & tex. in *c. Apostolica. de re iud. li. 6.* loquitur quando conuocabat concilium mixtum principaliter de clericis & laicis volentibus adunari: quo casu ipse Papa vocat, & ideo crederem quod quo ad laicos, si resilirent, debeat interuenire principis Cæsaris auctoritas: alias ad veniendum arctari non possent, si iam causæ pertinentes ad fidem tractandæ non forent, concernentes bonum ecclesiæ vniuersalis, per dictam *l. si quis ex aliena. ff. de indi.*

SVM-

SVMMARIVM.

Quam potestatem habeat Concilium, an ordinariam an delegatam.

CAPITVLVM XIX.

NVnc restat vt dicamus, quam potestatem habet concilium, an ordinariam, an delegatam. quoniam ille videtur habere ordinariã, qui habet à lege vel à principe iurisdictionẽ cum territorio: ita notant aliqui moderni, præcipue Bal. referens Iaco. de Butri. in *l. more maiorum. & in l. & quia. ff. de iurisdi. om. iu.* sed concilium non videtur habere territorium: ergo nec ordinariam iurisdictionẽ, quę videtur habere coherentiam cum territorio *l. fi. C. vbi & apud quem. & l. 1. §. cum vrbem. ff. de offi. præfec. vr.* Secundo videtur quod habeat delegatã. nam illi sunt delegati, qui vtuntur iurisdictionẽ principaliter radicata in alterius persona *l. 1. §. cui mandata. ff. de offi. eius cui man. est iurisdi.* Nam iurisdictio concilii videtur esse penes papam: ipsi autem episcopi in concilio, nisi ex dependentia papæ, nullã habere videntur iurisdictionem: & si quam habent, videntur delegati *de offi. dele. c. sane. & c. cum olim Magister.* Quod autem à se nullã in concilio iurisdictionem habeant, patet, quia solus papa est qui pronunciat cum deliberatione sacri concilii: vt dicto *c. ad Apostolicæ. de re iudi. li. 6.* ibi: *nos itaque* &c. & in *c. vbi periculum. de elec. li. 6.* ibi: *sacro concilio approbante.* Mihi tamen videtur sic dicendum: quod si in concilio est papa cum episcopis, tunc si quæris, quam potestatem habet concilium integraliter consideratum & concretum cum persona papæ, vel alterius eius specialis legati: tunc potestas istius concilii est ordinaria. Est enim ibi papa caput concilii, qui habet à Deo potestatem: in *authent. quomodo oper. episcopos. in prin.* & dixi in Monarchia in quæstione: *quis hanc papalem constituit potestatẽ.* habet ergo tunc concilium potestatem à lege & à papa auctorante. vnde habet potestatem ordinariã radicatam in propria concilii persona, non in persona alterius: & sic est ordinaria: dicta *l. & quia. & l. more. ff. de iurisdi. omn. iudi.* Et idem dico, quãdo conciliũ conueniret de iure sine persona papæ vel eius legati, quod esse posset; vt patet in casibus quos supra retuli: tunc concilium habet potestatem ordinariam: quia habet iurisdictionem à lege in mistica persona concilii principaliter radicatam: vt patet in *tota 16. di. & 17.* Si vero tu consideras in concilio papam per se, & deinde reliquos episcopos per se à papa separatos, & quæris quam iurisdictionem habet papa? & quam episcopi? & tunc de papa non est dubium: quia habet ordinariam per iura prædicta & rationes antedictas. Sed de episcopis per se consideratis, si dubitatur quam iurisdictionem habent, tunc in causis in quibus concilium est supra papã, vt in causa contentionis papatus *79. di. c. si duo.* & in causa hæresis *40. di. si papa.* & in causa vbi tractatur de fide vel bono vniuersalis ecclesię *15. di. c.* 1. & quod ibi no. in glo. qua nõ determinata scandalizaretur vniuersalis ecclesia, tunc concilium habet potestatẽ ordinariam: quia habet hanc potestatem à lege, vt in iuribus prædictis. nec posset quicquam in his papa disponere sine concilio; & contraria sententia concilii his casibus præferetur sententiæ papæ. In aliis autem casibus & causis episcopi sunt assessores siue conciliarii papæ: & disponit papa ipsis cum eo deliberantibus vel approbantibus: vnde sunt assessores: valeret tamen quod fieret à papa hoc casu sine eorum consilio: quia maior est sententia papæ quam omnium aliorum episcoporum mundi *4. di. c. in istis. & in c. significasti. in fi. de elec.* vnde sicut posset contra eorum velle statuere, ita etiam eis in requisitis; præterquã in causis in quibus concilium est supra papam; de quibus supra dixi: & dicam in illa quæstione *quæ sit maior sententia, an papæ, an concilii.* quod secus est in concilio prouinciali. Nam Archiepiscopus, qui est caput, non potest aliquid disponere sine consilio episcoporum vel eis inrequisitis *17. q. 7. si quis erga.* & sicut sententia lata absente aduocato fisci non valet. *C. de sen. & inter. sententia.* ita nec illud, quod facit Archiepiscopus sine consilio suffraganeorum. Notant Doc. in *c. graue. de præben.* quæ ego non intelligo habere locum in papa, per ea quæ supra dixi.

Non obstant contraria: & primo cum dicitur, quod ille habet ordinariam qui habet territorium. nam ista sententia simpliciter non est vera: & pareat mihi Dominus Bal. ipse fuit nimis magnus verborum inuolutor. Nam episcopus de iure codicis erat ordinarius iudex: & tamen eodem iure codicis non habebat territorium, *l. episcopali. C. de epis. audi.* licet hodie habet: vt no. in *c. cum contingat. de fo. compe.* Vel si velles tenere quod de iure codicis episcopus haberet territorium, tamẽ, quod doctrina Bal. non sit vera, probatur in Doctore qui habet iurisdictionem ordinariam in scolares, & tamẽ non habet territoriũ. *C. ne fi. pro pa. aut. habita.* vbi est glo. quod Doct. potest delegare: ergo est ordinarius: nec est vera sententia ipsius Bal. ibi; qui dixit volens se saluare quod de esse iurisdictionis ordinariæ est territorium, quando est iurisdictio ordinaria vniuersalis secus si certarum personarum: quia tunc non requirit territoriũ, secundũ eum. Sed istud est falsum: quia iudices cardinales habent vniuersalẽ iurisdictionẽ nõ restrictã ad certas personas, sed nõ habent territoriũ, & tamẽ sunt iudices ordinarii: vt *l. fi. C. vbi & apud quem.* Et ideo respõdeo aliter, quod de esse iurisdictionis ordinariæ nõ est quod cohæreat territorio: nota est Bart. & Doc. in *l. 1. in fi. ff. de iurisdi. om. iu.* Sed ad cognoscendũ an iurisdictio sit ordinaria, an delegata, debet attẽdi verba Bal. nota. in *l. fi. C. vbi & apud quẽ.* Nã aliquãdo attribuitur iurisdictio cui adhæret certũ territoriũ, vel datur iurisdictio in certo territorio; tunc indubitanter talis iurisdictio est ordinaria dicta *l. fi. vbi & apud quem. & l. 1. §. cum vrbem. ff. de offi. præfec. vr.* Quandoque committitur alicui iurisdictio sine territorio, & hoc potest fieri dupliciter. Primo quando fit indefinite & indeterminate, non respectu certi territorii vel certarũ personarum: & tunc illi quibus sit indeterminate & definite data est iurisdictio, sunt ordinarii. *C. vbi & apud quem;*

Digitized by Google

l.fi. & *l.1.ff. de iudi.* ideo Doc. qui non habent iurisdictionem in certas & determinatas personas, sed indefinite in omnes suos scolares, sunt iudices ordinarii: vt in dicta *auctent. habita.* Similiter de iure canonico Archidiaconi, qui plerumque carent territorio: vt no. *de fo. compe. c. cum contingat*, sunt iudices ordinarii. & idem in aliis inferioribus ab episcopis, vt sunt vicarii episcoporum generales. nam isti faciunt idē tribunal cum episcopo: vt in *c. Romana. de appel. li. 6. in c. 2. de consue. eo. li.* & hoc quando sunt vtiles. nam secus esset in vicariis episcoporum foraneis datis ab episcopo in vno castro. nam cum isti non faciunt vnum tribunal cum episcopo sunt delegati: vt notant Doc. in *c. 1. de offi. ordi. lib. 6.* & *in cle. 2. de rescript.* solum ergo, vt dixi, vtiles vicarii episcopi habent iurisdictionē ordinariam: vt no. in *c. 2. de offi. vica. lib. 6.* & *in c. quoniam in plerisque. de offi. ordi.* & hoc in his quæ competunt ipsi vicario vigore mandati generalis: sed si committerentur ipsi ea quæ requirunt speciale mandatum, vt collatio & destitutio beneficiorum, tunc credo quod in talibus sint censendi delegati: per notata in *c. si. qui de preben. lib. 6.* & Bar. in *l. 1. in fi. ff. qui & à quo appel.* licet Io. An. referat aliquos aliter sentire in addi. Spe. in *ti. de off. vica.* ipse tamen videtur residere quod sit delegatus, & est vtile: quia ab episcopo esset appellandum ad ipsum episcopum, quia non faciunt modo idem consistorium cum episcopo. omnes autem alii etiam inferiores episcopo habent iurisdictionem ordinariam, etiam si careant territorio: vt no. Hosti. in *c. fi. de offic. Archi. in magna notula.* & hoc quando habent ab vniuersitate præficiente eos sibi: quia electio vniuersitatis præbet iurisdictionem ordinariam: vt no. glo. in *c. suspitionis.* & *in c. p.* & *g. de offi. dele.* no. in *c. cum ab ecclesiarum prælatis. de off. ordi.* Item quando lex dat iurisdictionem vel datam ab homine confirmat, sicut facit cum lex approbat vicarii episcopi iurisdictionem, vt no. glo. in dicto *c. suspitionis.* & hoc cum lex simpliciter dat vel confirmat. secus quando dicit auctoritate nostra vel illam dat vel confirmat vt delegatum: vt in casu *c. ad abolendam. de hæreti.* & *in prohemio institutionum:* & *in c. 1. de cleri. ægro.* ideo quando l. approbat delegatos ab ordinariis, cum approbat eos vt delegatos sunt delegati non ordinarii arbitri. igitur qui eliguntur propter iudicis suspitionem sunt ordinarii. & omnes prælati qui conficiuntur ab vniuersitatibus, quando præficiuntur ipsi vniuersitati, non est dubium quod sunt ordinarii *l. fi. C. de iuris. om. iudi.* & *l. fi. C. de consti. pecu.* sed quando præficiūtur ab vniuersitate alicui dignitati, vt primiceriatus, Archipresbyteratus vel custodiæ: tunc non essent iudices ordinarii vniuersitatis. Hoc modo potest intelligi opinio quorundā, qui dicunt quod non sunt ordinarii, sed benè erunt iudices ordinarii in eorū titulis. & ita no. Archid. in *c. experientia 11. q. 1.* & Doc. *c. cum ab ecclesiarum prælatis.* & omnes isti sunt ordinarii, etiam si non habeant territorium: vt notant Docto. in *c. cum contingat. de fo. compe.* Cōcilium igitur generale, & si careat territorio, cum habeat iurisdictionem à lege mortua vel à papa, qui dat ordinariam iurisdictionem, sicut Imperator, cum ipsi sint lex animata in terris; vt in *auten. de consulibus. in fin.* & habeat concilium iurisdictionem in omnes indefinite, dicitur profecto habere ordinariam: licet si concessio iurisdictionis fieret inter certas & determinatas personas, vel in certis & determinatis causis sine territorio, tunc indubitanter iurisdictio esset delegata: quia committitur modo causa non territorium. dicta *l. fi. C. vbi & apud quem.* & ita no. Bar. in *l. 1. in fi. ff. de optio. lega.* Et hoc modo potest saluari quod dicitur, quod iurisdictio ordinaria non potest esse sine territorio, vt intelligatur quando cōmittitur causa certa & in certis & determinatis personis vel causis sine territorio. Ex quo infertur ꝙ inquisitores hæreticæ prauitatis habent ordinariā iurisdictionē non delegatam. licet Bal. sentiat contrarium in *l. quia. ff. de iurisd. om. iudi.* Nō obstat quod dicitur quod ille qui habet iurisdictionem à iure radicato principaliter in persona alterius est delegatus *l. 1. § qui mandatam. ff. de offi. eius cui man. est iurisdi.* & hoc no. Bar. in dicta *l. & quia.* & sic videtur habere concilium à iure radicato in personam papæ: quia respondeo quod licet Bar. in dicta *l. more.* & *l. & quia. ff. de iurisdi. om. iud.* vtatur hac loquēdi forma, non videtur benè dicere: quia princeps Cæsar habet iurisdictionem à iure, quod erat principaliter radicatum in personam Romani populi, qui condidit legem regiā & ius radicatum in personam ipsius populi transtulit in principem. *l. 1. ff. de consti. princi.* & *l. 2. § nouissimo. de orig. iur.* & tamen Cæsar habet ordinariam iurisdictionem, & similiter generalis vicarius episcopi datus ab episcopo, vt no. *c. 2. de off. vica. lib. 6.* Item & quilibet ordinarius ecclesiasticus habet à iure principaliter radicato in personam papæ in spiritualibus, vt dixi in opere Monarchiæ in quæstione: *an ad benè mundi regimen sit necesse alias potestas habere dependentiā à papa*: sed seculares iudices ordinarii habent à iure radicato in personā Cæsaris, & tamē vt plurimū habēt ordinariā. Et ideo dico, quod is habet delegatū, qui habet ab eo qui nō poterat concedere ordinariā. sed ille qui habet à lege vel principe immediate, vel ab eo qui potest ordinariam conferre, vt forte obtinet consuetudine: vt in dicto *c. cum contingat. de fo. compe.* no. in *c. 1. de offi. ordi. lib. 6.* tunc si volens ordinariam concedere confert in aliquem vt radicet in proprie in personam ipsius iurisdictionem cui cōfert, tunc ipsi confert ordinariam non delegatam. ideo omnes qui habent à papa Archiepiscopi & prælati, cum habeant à proprio iure in suam personā radicato habent ordinariā. Et idem in habentibus à Cæsare, vt præsides, præfecti vel similes. sed si iurisdictionem, quam etiam princeps concederet, vel alius volens ordinariam conferre non radicaret illam principaliter in personam ipsius cui confert, vt si princeps concedendo iurisdictionem diceret: *vt eam exerceas auctoritate nostra*: tunc talis esset delegatus non ordinarius: vt in *prohemio institutionum,* ibi: *auctoritate nostra* &c. & *C. de vete. iur. enu. l. 1. § ea vero.* & *in c. 1. de cle. ægro. lib. 6.* Et idē quando cōcederet iurisdictionē in pluribus particularib' personis sine territorio. nā tunc concederet delegatā *l. certarum. ff. de testa. mi.* & *de rescrip. c. cum aliquibus. li. 6.* licet si tales concedant vniuersitatem quandā

nego-

negotiorum, tunc in dubio videntur concedere ordinariam. dicta *l. fi. C. vbi & apud quem. & l. 1. §. cum vrbe. de offi. præfe. vr. ff.* & ita vult Bar. in dicta *l. quia in secunda quæstione.* Et ideo concilium habeat ordinariam iurisdictionem, vt prædixi: nisi papa aliter disponeret. Et ideo vicarii de iure ciuili cum habeant ex iure proprio in eis radicato iurisdictionem habent illam ordinariam non delegatam: vt no. in *l. 2. de offi. eius qui vi. alte. gerit.* Sed de iure canonico cum habent ab episcopo, & eius nutu possunt remoueri, habent delegatam non ordinariam: vt no. Azo. in *summa. C. de offi. eius qui vi. alte. ge.* & Hosti. in *sum. de offi. vica.* quod tamen intellige, vt supra dixi. In concilio igitur generali si consideramus concilium integraliter cõtractum, dico ipsum habere ordinariam iurisdictionem. Sed si cõsiderantur episcopi vt sunt cõsultores papæ: dico quod in procedendo habent ordinariam, sed in pronunciando sunt loco assessorum vel consultorum, qui per se nullam dicunt habere iurisdictionẽ. Et ideo dico quod papa posset sine eorum consilio pronunciare, licet honestius faceret cum consilio & deliberatione cõcilii determinare. vt in *c. ad Apostolica, de re iud. lib. 6.*

SVMMARIVM.

Qualis in causis debet esse eorum forma & processus ipsius Concilii, aut ipsorum Dominorum in Concilio procedentium.

CAPITVLVM XX.

NVnc capio. 13. quæstionem, qualis in causis debet esse eorum forma processus ipsius concilii cõcreti, aut ipsorum Dominorum in concilio procedentium? videtur dicendum quod iuris ordo seruandus sit etiam in processu coram papa fiendo: vt est tex. in *c. in causis. de re indi.* quem tex. sic summat Io. An. ibi dicens, *papa in sententiis quas profert ordinem iuris seruat.* hoc etiam probat tex. in *c. 1. de cau. pos. & propri.* vbi papa dicit, *contra inauditam partem nil possumus diffinire*: & prout intelligitur de inaudita, id est, non citata, hoc est clarissimum: quia non est papa vel princeps solutus aliquo modo legibus naturalibus vel iurisgentium: vt no. in *c. quæ in ecclesiarum. de consti.* & ideo non valet eius sententia parte non citata: quia citatio est de iure naturali, per quam conseruatur defensio. *l. facultas. C. de iur. fis. lib. 10. & in cle. pastoralis. de re iudic.* Et ideo Deus citauit Adam primum parentem cum dixit: *Adam Adam vbi es?* no. in *cle. sæpe, de ver. sig.* Sed prout ille tex. in *c. 1. de cau. pos. & proprie.* intelligitur quod inaudita partẽ papa non potest procedere, id est, lite non contestata, tunc est ibi casus quod de ordinata potestate papa debet seruare ordinem iuris etiam positiuam. & hoc videtur determinare *cle. pastoralis. de re iudi.* vbi videtur text. quod ad hoc vt valeat principis sententia sine processu & introducto à iure positiuo, est opus vt princeps suppleat defectum de absoluta potestate; vel de certa scientia, vt ibi dicit tex. *omnem supplendo* &c. & loquitur de defectu processus iuris positiui: quia de defectu processus inducti iure naturali vel gentium princeps supplere non posset; quia non potest illum prætermittere: ideo non possit obmittere citationem nec supplere defectum processus in hoc, & quod debeat seruare processum positiui iuris! probat *l. digna vox. C. de legi.* dum dicit: *digna vox est maiestatem regnantis legibus alligatum se principem profiteri.* si ergo profitetur se legibus ligatum, debet formam processus à iure introductam obseruare. Et hoc videtur tenere nonnulli Doctores in *l. princeps legibus. ff. de legi.* si igitur hæc obseruantia est in papa, qui est supremus omniũ & super omnia concilia: vt in *c. significasti. de elect.* & in Cæsare, vt dicta *cle. pastoralis*, multo magis in conciliis & in quocunque alio inferiore iudicante.

In contrarium tamen videtur quod possit papa vel Cæsar vel concilium procedere prout cuilibet ipsorum placet. Nam quicquid papa vel Cæsar facit animo condendi legem, illud habet legis vigorem. *insti. de iur. na. genti. & ci. §. sed quod principi. & in l. 1. ff. de consti. prin.* & ideo quicquid per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat. Potest ergo & papa & Cæsar & concilium, qui habent liberam statuendi facultatem, leges transgredi & procedere quomodocunque velint ex prædictis modis vel aliis: & eorum processus tenet tanquam soluti sint legibus. *l. princeps legibus. & in ca. proposuit. de conces. præben.* Et quia non est præsumendum, quod tales processus habeant maculam siue rugam. *24. q. 1. ca. in sede. & c. hæc est fides.* & coram prædictis omnia præsumuntur solenniter acta. *35. q. 9. c. Apostolicæ. C. de appel. l. ne causas.* no. *de rescrip. c. ad audientiam.* Et est ratio, quia error principis facit ius. *ff. de suppel. leg. l. 3. in fi.* Et hæc videntur vera attenta consuetudine Romanæ curiæ; quæ habet secundum eam quod papa per solam facti narrationem, verbalem factam coram papa & fratribus, & verbalem responsionem etiam aliter libello non oblato intelligatur lis contestata: contra not. in *cap. 1. de libel. obla.* supplere enim videtur præsentia papæ, quæ est in concilio, vel Cæsaris, omnem defectum solennitatis. *l. omnium. Cod. de testa.* not. Innocen. in *cap. vno. de li. contes.* quia pro omni actu principis præsumitur. *l. rescripta. Cod. si contra ius vel vti. pub.* Ex quibus videtur quod cum non sit qui de sententia concilii vel papæ vel Imperatoris possit aliquis recensere: vt not. in *cap. 1. de confir. vtili vel inutili.* quod inferiores non apponunt manus, vbi princeps apposuit, quod etiam lata per eos sententia sine vlla iuris solennitate subsistat; quia pro eis rectitudine & processu præsumitur. *l. fi. Cod. de legi.* Ego tamen ita censeo in hoc dicendum: si loquimur de sententia papæ, concilii vel imperatoris, an aliquis inferior possit de nullitate cognoscere. Et dico quod non: tum quia pro eis rectitudine processus

Digitized by Google

præsumitur, tum quia nullus inferior manus imponit vbi prædictorum aliquis iudicauit: dicto c.1. & 2. *de confir. vti. vel inuti.* Si vero quæritur, an de ipsius nullitate sententiæ possit coram papa recenseri qui illam tulit, vel coram de eius sententi , vel coram concilio de sententia concilii: tunc dico quod sic: quia ipse idem iudex, qui tulit sententiã, potest super nullitate adiri, maximè vt iterũ pronunciet, *C. de accu. l. 4. & l. absentem.* & *C. quomodo & quando iudex. l. si vt proponis. & l. si præses.* not. *ff. de appel. l. si expressim.* & coram ipso papa vel concilio poterit doceri de nullitate, ex forma processus non adhibiti producendo acta, & ostendẽdo defectum processus etiam à iure positiuo requisiti, & eneruabitur præsumptio iuris & de iure quod nõ admittatur probatio in contrariũ: sed irritabitur sententia papæ, concilii vel Cæsaris ex processu à iure positiuo non seruato: & multomagis si erat iuris naturalis vel gentium, vt quia citatio non erat facta, vel facta ad locum non tutum: vt in *cle. pastoralis. de re iudi.* & hæc, vera nisi papa vel Cæsar ex certa scientia aliter statuissent procedendum: quia tunc etiam sine figura iudicii possent procedere vel de plano. *l. 1. ff. de consti. princi.* Nam si possunt sic causas aliis demandare expediendas, vt in *cleme. sæpe. de verbo signi. & clemen. dispendiosam. de iudiciis: & in extrauaganti ad reprimendam,* magis possint hunc ordinem in suis processibus obseruare: & ideo poterũt omnes solennitates à iure positiuo inductas relaxare; & solum arctati sunt prædicti iure naturali vel gentium: ideo quisq; ipsorũ poterit procedere lege regia, citatâ tamen parte, & auditis defensionibus iurisgentium siue naturalis. & hoc probat tex. in *c. ad petitionem. de accu.* nam prædicti dispensatiue vel de plenitudine potestatis, vel de certa scientia, possunt solennitates processus positiuas obmittere: dicto *c. in causis. in fi.* ibi: *nisi forte.* Ratio, quia ex certa sententia prædicti possunt facere validum, *de confir. vti. vel inuti. c. 1. de priuile. c. cum dilecta,* no. Inno. in *c. fi. vt lib. pendent.* Et idem dum facit de plenitudine potestatis, vt in *c. illa. de elec. de transac. c. veniens. de re iudi. cle. pastoralis,* ibi: *supplendo* &c. hoc tamen in dubio non præsumitur, quia papa in dubio nõ censetur vti plenitudine potestatis, vel vti certa sciẽtia, nisi exprimat in literis vel in sentẽtia, vt not. glo. in *cle. & si principalis. de rescrip.* Similiter nõ intelligitur dispensare, nisi secundũ. Hosti. in *c. veniẽs de fil. presb.* vsus fuerit verbo *dispẽsamus.* vel secundũ Inno. & Docto. in dicto *c. veniẽs.* nisi constet quod præcesserit causæ cognitio, & papa voluit quod sine processu positiuo procederetur: tunc intelligeretur dispensasse, & aliter non, vt ibi no. In dubio igitur si appareret quod processus concilii vel Cæsaris aut papæ non habeat ordinẽ iuris etiam positiui, sententiæ & processus non valent, nisi constet quod aliter dispensauerit. Fallit tamen hodie hoc in papa de consuetudine Romanæ ecclesiæ vel curiæ, in quo sufficit libellus verbalis & contradictio verbalis facta coram papa & fratribus, vt refert Hosti. in dicto *c. in causis* & ibi Io. An. quæ tamen consuetudo non esset amplianda ad concilium sine papa, vel ad Cæsarem, vel quando papa etiam cum concilio procederet, per notata in *l. pedius. ff. de arbi.* quia consuetudo quæ loquitur de papa cum cardinalibus non debet extendi ad gesta per papam cum concilio, cũ sit contra ius cõmune. nam illa cõsuetudo loquitur tantum quãdo ipse audit partes vna cum cardinalibus. nõ ergo debet extendi ad alios casus. sic intelligo istam materiam. forma autem sententiæ papæ & cõcilii est, quod papa ipse pronunciat de cõsensu concilii, vt colligitur ex notatis in *c. vbi periculum. de electi. lib. 6. & in c. ad Apostolicã. de re iudi. eo. lib.* cum si. & istud probatur per id quod legitur in Euangelio, cum Christus dixit discipulis. *Et iudicabitis duodecim tribus Israel.* quod exponens Augustinus inquit, id est, *iudicante Christo comprobationẽ vel assensum præstabitis.* vnde excluditur quod verba sunt concipienda in personã papæ cõsulente siue etiam approbante. Et ideo libellus debet concipi in personã papæ & totius concilii, & ipsi concilio debet offerri: quia totũ concilium est iudex, nõ solus papa: vt probatur in concilio prouinciali, in quo est iudex conciliũ, non solus Archiepiscopus 11. *q. 3. c. si quis presbyter. & c. si quis episcopus.* licet Archiepiscopus sit vt caput, & alii membra: & ideo de concilio & consensu suffraganeorũ pronunciat: *de tempo. ordi. c. si Archiepiscopus. & c. nec episcopi. & de accu. c. sicut olim.* no. *de libel. obla. c. 1. & de his quæ fi. à maio. par. cap. fi.* Est tamen differentia inter prouinciale conciliũ & generale: quia si discrepant Archiepiscopus & suffraganei, attenditur quod sentit maior pars: vt dicto *c. nec episcopi. de tempo. ordi.* Et idem quando pronunciaret Cæsar in suo seculari concilio. Sed si concilium esset sine papa vel Imperatore vel eorum legato speciali, tunc debet sententia sic dictari, quod simul sedentes sancti patres de concilio habita matura deliberatione maior pars sic statuit vel pronunciauit.

SVMMARIVM.

Quis cognoscat de nullitate sententiarum Papæ, Imperatoris & Concilii.

CAPITVLVM XXI.

SEd hic potest dubitari, quis cognoscet de nullitate istarum sententiarum papæ, Imperatoris vel concilii? Et primum, vt dixi, papa de sua sententia cognoscere potest an sit nulla: & ita concilium de sententia lata per concilium: & Imperator de nullitate suæ sententiæ: quia, vt dixi, idem iudex adiri potest *l. 4. & l. absentem. C. de accu.* Sed an papa reuocet sententia concilii vel cognoscit de nullitate sententiæ concilii? Dico quod sic in casibus, in quibus est maior sententia papæ quam concilii, quod est regulare 4. *di. in istis.* pro hoc tex. bonus 9. *q. 3. cuncta per mundum in glo.* 17. *dis. c. nec licuit.* quæ dicit

Digitized by Google

dicit quod *papa interpretatur facta concilii.* Non credo tamen quod à sententia concilii appelletur: quia concilium est loco senatus 16.*q.*1.*c.ecclesia habet senatum*: à quorum senatorum sententia nō appellatur: ita nec à sententia concilii, etiam si in illo non sit papa: & multo magis si fuerit, sed de nullitate dici poterit coram papa, vt dixi. nam super nullitate sententiæ potest adiri non solum idem iudex, sed & superior: vt dicta *l.absentem.* no. in *l.si vt proponis.C.quomodo & quando iudex.* & no. Bar. in *l.si expressim.ff.de appel.* licet aliter senserit in *l.iudex postquam. de re iudica.* de quo tamen qualiter debeat intelligi infra dicam. & quod papa sit regulariter maior concilio est tex. *de elec. in cap. significasti. in fi.* & quod reuocet etiam nōnunquam statuta concilii. no. in *c. proposuit. de conces. praben.* nā specia-le in principe, qui est solutus legibus vt etiā propriā sententiā possit reuocare: vt no. in *l.2.in fi.C.de sen. ex peric.recitan.* & *in c.venia.* & *in c.sententia.35.q.9.* & *cap.cum olim de re iudi.* & *de in inte.resti.c.tam ex literis.* facit.2.*q.*7.*c.nos incompetenter.* Et similiter reuocat sententias inferiorum *l.1.in fi.ff.de quastionibus*, licet aliqui, vt Bar. dixerunt quod idem erat in omni illustri, vt possint suam sententiam reuocare per *l.2.C.de sen.periculo recitan.in fi.* Sed nō credo quod verum dicat in inferioribus à principe: quia illa l. loquitur de præfecto, qui tamen non disponit cōtra ius commune *l.formam. C. de of. præfec. prætorii.* vbi etiam est casus quod contra statuta à præfecto princeps disponit. Dico ergo quod nedum de nullitate suæ sententiæ cognoscit princeps, sed potest suam & aliorum sententiam reuocare. Sed quid econuerso: vtrū in concilio possit dici de nullitate sententiæ papæ? Respondeo quod si ibi in cōcilio est papa vel eius legatus habens speciale mandatum, & per omnia in concilio auctoritatem papæ, tunc dico quod poterit cognosci de nullitate sententiæ papæ eo volente, per tex. in *c. nos si incompetenter.2.q.7.* Ratio, quia ipse papa est qui pronunciat, & de hoc diffiniendo statuit: vt *d.c.ad Apostolica. de re iudi.lib.6.* & *in c.vbi periculum.de elec.lib.6.* quia episcopi & alii existentes in concilio, vt supradixi, sunt consiliarii in pronunciando: & ideo cum ipsemet papa pronunciet super suam sententiam, concilium habebit cum eo cognitionem: sed si conciliū esset sine papa vel eius legato, quod esse possit, vt supra dixi an tunc concilium cognoscit de nullitate sententiæ papæ? Dico quod si papa contentatur, quod etiam tunc erit iudex cōcilium: immo quilibet alter inferior, etiam laicus. *d.c.nos si incompetenter.* sed si papa non esset contentus, tunc dico quod si est in aliquo casu lata sententia papæ in quo concilium sit supra papam, vt in causa hæresis papæ 40.*di.cap.si papa*, tunc si conciliū commisisset sententiam ferendam per ipsummet papam, sicut in casu *c.nunc autem.21.di.* tunc concilium posset talem sententiam papæ improbare & annullare, tanquam superior: vt 19.*dis.Anastasius.* quia ibi conciliū reprobauit facta Anastasii. & idem si esset contentio de papatu, vel vbi tractaretur de cōmodo vniuersalis ecclesiæ, & poneretur ecclesia in discrimine, tunc staretur sententiæ cōcilii, & posset concilium annullare sententiam papæ 15.*di.c.sicut.* & ibi glo. & 25.*q.*1.*qua ad perpetuum.* & ideo si pro bono pacis & status ecclesiæ vniuersalis cōciliū decreuit ad extirpandas hæreses, & ad obuiandū ne futuræ hæreses nascantur, & certis temporibus & locis fieri debere concilia, papa non posset hoc statutum, & hanc sententiam concilii tollere: quia esset bonum vniuersalis ecclesiæ submittere, & in contentione fixam ponere: sed hoc casu concilium bene posset papę sententiam reuocare & annullare, per iura prædicta. nam cum concilium hoc casu sit supra papam, & sic supremus princeps poterit adiri pro nullitate sentētiæ inferioris *l.4.* & *l.absente.C.de accu.* vbi est glo. quod est in electione partis, vtrum adeat super nullitate eundem iudicē vel superiorē. quam glo. sequitur Bar. in *l.si expressim.ff.de ap.* & *in l.si vt proponis.C.quomodo & quando iu.* quod est verum indubitanter, quando aditur solum super nullitate, non vt pronunciet super negotio principali. sed si aditur vt etiā super negotio principali pronunciet, tunc in *l.iudex postquam.de re iudic.* vult Bart. quod superior tunc demum adiri possit, quanto arguitur turpitudo iudicis inferioris, alias non: sed in *l.si expressim.ff.de app.* & *in l.si vt proponis.C.quomodo & quando iudex*, ipse dixit esset in optione partis: quem velit adire, an eundē iudicem, an superiorem quem potest indistinctè adire etiam vt super principali negotio pronunciet; pronunciet, quia causa nullitatis trahit ad se principalem causam: vt no. Inno. *de offic. dele. in c.cum contingit.* & probat tex. in dicta *l.absente.C.de accu.* ibi: *reformabit.* & hoc verissimum credo in casu nostro; quando iudex est maior qui habeat inclusam in se minorū iurisdictionē: sicut est iam conciliū, quod habet supra papam in casibus prædictis inclusam omnem iurisdictionē papæ tunc potest super nullitate sententiæ papæ adiri per viam simplicis querelæ, & annullat sententiā papæ: immo quod plus est, & sententiam papæ aliquā reuocat ex certa scientia, si melius videtur concilio & iustius *l.1. in fi. ff.de quæsti.* & tūc admittitur appellatio ad cōciliū. Idem si aditur papa pro nullitate vel retractatione sententiæ cuiuscunq; sui inferioris. Et idē si Imperator pro nullitate vel etiam retractatione cuiuscunque sui inferioris, tunc potest adiri per viam simplicis querelę *l.1 in fi.ff.de quæst.* In aliis autem iudicibus, qui non habent inclusas iurisdictiones inferiorum, sed sunt ipsis inferioribus simpliciter maiores, non credo quod possint adiri super nullitate sententię inferiorum, nisi argueretur turpitudo vel iniuria inferioris iudicis. sic intelligo *l.absente. C.de accu.* vt superior tunc adiri possit, etiam vt pronunciet super negotio principali. Et idem si ipse superior aditur per appellationem, vt tunc cōgnoscat de nullitate: quia appellatio habet inclusam nullitatem *l.Cornelia pia.ff.de iur.pa.* & *l.quædam mulier.ff.fam. her.* In aliis casibus, quod superior super nullitate principaliter adiri possit sententiæ inferioris, nisi vbi inferior intulit iniuriam, vel vbi appellatum est, non inuenio quod possit fieri, sed debet adiri idem iudex. & videtur de mente Inno. in *cap. de cætero. de re iud.* quia ordo seruandus est, vt iurisdictionum ordo seruetur & non frangatur, concludo ergo quod de nullitate sentētię

Digitized by Google

papæ vel eius retractatione possit concilium cognoscere tantum in prædictis casibus. In aliis autem non, per iura prædicta, & per tex. 9. q. 3. *c. cuncta per mundum*. & vbi concilium potest cognoscere, ibi admittetur appellatio ad concilium. Credo tamen quod non sit proprie appellatio, quia non appellatur à sententia papæ, sicut nec à sententia Cæsaris *l. 1. in fi. ff. à qui. ap. non licet.* sed est potius quædam supplicatio *C. de preci. impe. offe. l. 1.*

SVMMARIVM.

An Cæsaris sententia possit à Papa vel Concilio pronunciari nulla.

CAPITVLVM XXII.

SEd hic potest dubitari, an Cæsaris sententia possit à papa vel à concilio pronunciari nulla? videtur quod sic: *cle. pastoralis de re iudi.* vbi papa nullam Cæsaris sententiam declarauit. Item hoc patet, vbi agitur de vitio illatæ iniustitiæ, vel vbi est vitium negligentiæ iudicis in ministranda iustitia, aut vbi est defectus, ibi videtur quod recursus haberi possit ad iudicem ecclesiasticum, vt hæc not. in *c. licet ex suscepto. de fo. compe.* no. *eo. ti. in c. ex transmissa. & c. ex tenore.* vbi saltim miserabilis persona videtur adire posse pro sua iustitia sequenda iudicem ecclesiasticum. & sic saltem in casibus prædictis videtur posse super nullitate sententiæ Cæsaris adiri papa. Item hoc videtur permissum, vbi consuetudo hoc haberet, per dictum *c. licet ex suscepto. & c. si clericus laicum de fo. compe. & de appel. c. si duobus.* Et idem si vacat imperium, dicto *c. licet ex suscepto. de fo. compe.* Et idem in pluribus casibus no. in dicto *c. licet ex suscepto.* In contrarium videtur, quia etiam de iniquitate vel iniustitia illa per iudicem secularem inter mere laicos papa nō videtur se posse intromittere, nisi aliter se habeat consuetudo. text. est in *c. si duobus de appella.* Si ergo de iniustitia inferioris iudicis se nō intromittit, quanto minus de Cæsaris sententia debet posse se intromittere. Item quia si speciale est quod vacante imperio, vt ipsi dicunt, quod papa succedit loco imperii, vt in *c. licet ex suscepto de fo. compe.* ergo imperio non vacante est contrarium ius commune: & sic pro nullitate est adeundus ipse idem Imperator *l. si vt proponis C. quomodo & quando iudex.* non vero papam, qui nullam habet superioritatem vel iurisdictionem nedum supra Cæsarem & eius sententias, sed nec supra aliquem secularem de terris & patrimonio beati Petri non existentem; vt in *cap. nouit. de iudi. & in cap. per venerabilem qui fil. sint legit.* vbi habet tantū iurisdictionem vi prorogatæ iurisdictionis, non aliter: vt dicto *c. per venerabilem. versi. insuper. qui fi. sint legi. & eo. ti. c. lator. & in c. 2. de priuile.* Item quia speciale videtur esse in causa clerici seu miserabilis personæ, vt in defectum negligentiæ iudicis secularis suppleat papa: vt in *c. ex transmissa,* secundum vnum intellectum: & *c. ex tenore. de foro compe.* in quibus iuribus probatur quod ex negligētia iudicis secularis, ita demum supplet papa, quando agens est clericus, qui agit contra laicum in foro seculari, vel quando agens est miserabilis persona: vt in *c. transmissa*, secundum intellectum glo. licet & aliter intelligat Tancre, dicēs: quod *etiā ibi erat Dominus illius agentis.* Re. de Casulis, qui erat infeudatus ab episcopo, & milites ibi erant infeudati ab illo Re. de Casulis. vnde erant milites feudatarii ecclesiæ mediante persona illius Re. stat igitur conclusio, quod cum papa vel ecclesiasticus iudex non videatur habere iurisdictionem inter laicos vel in causa seculari contra laicum, nisi vel quando est feudatarius ecclesiæ mediatus, vel quando agens est clericus vel miserabilis persona, & his casibus demum habet quando secularis iudex est negligens, quod istis cessantibus papa non possit cognoscere de nullitate sententię Imperatoris vel alterius cuiuscunq; iudicis secularis papę temporaliter non subiecti. His igitur sic præmeditatis ad quæstionem propositam respondeo quod papa regulariter sententiam principis Cæsaris vel alterius iudicis secularis in temporalibus papæ non subiecti non annullat nec nullam declarat, nec se de ipsa intromittit seu potest intromittere, nisi Cæsar ipse vel alteri etiam inferiori tribueret cognoscendi potestatem: per tex. in *c. nos si incompetenter 2. q. 7.* facit *de re iudi. ad Apostolica.* vbi papa se submittit concilii iudicio: facit in *auctoritate de nup. in prin. colla. 4.* vbi princeps dicit: *non erubescimus si quid melius horum quæ prius ipsi diximus adueniamus hic sancire & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab aliis corrigi expectemus.* Ex quibus patet quod ipsemet Imperator potest corrigere vel etiam alteri committere: & hoc designat illud verbum *corrigi expectemus,* quod non potest aliter intelligi, quia nullus intromittit se de factis Cæsaris, nisi papa ratione peccati: vt in dicto *c. nouit. de iudi.*

Fallit in certis casibus. Et quia Doctores canonistę multum quęsiuerunt ampliare iurisdictionem ecclesiasticam, præter & contra mentem iuris ideo casus in quibus papa possit inter laicos suæ iurisdictioni non subiectos iudicare, hic placet subnectere. Quidam autem dicunt primum casum esse quod papa cognoscit inter laicos propter iniustitiam illatam: vel propter negligentiam vel defectum commissum in iustitia ministranda: vel ob defectum subiectorū. Examinemus hos quatuor casus si veri sunt. Dicunt aliqui canonistæ quod sic: ponentes pro fundamento glo. Inno. in *c. licet ex suscepto. de fo. compe.* de qua glo. mentionem feci in prima quæstione operis huius in primis cōfirmationibus in arg. quod incipit *sacerdotium etiam.* Nam conclusiue vult Inno. quod quia Deus fecit mundum *de sum. tri. c. 1. & Genes. primo cap.* Ex hoc mundi Dominus fuit ipse Deus, iuxta illud: *Domini est terra* &c. & arg. *l. à Deo. §. eum, de acqui. re. Domi.* hoc probatur in Psalmo dum subdit ipse: *Super maria fundauit* &c. & ipse Deus sicut mundi fabricator per se mundum regit sicut mundi Dominus, &

nus, & pręcepta posuit primis parentibus, & ipsis transgredientibus pœnã imposuit, & puniuit Caym & Lamech, & tanquam ordinarius iudex nonnullos alios *Genesis quinto & sexto cap.* sicque mundum per se regit vsque ad Noe: quem demum Deus constituit rectorem populi: & in hoc Domino & administratione successere patriarchæ, iudices, reges & sacerdotes Israhelitæ & Moyses & Aaron. 22. *dis. sacrosancta.* quia nullos alios constituit Deus super cunctos populos nisi sacerdotes & Prophetas, vt dicit Isidorus. 7. *libro. Etymolog.* & habetur 21. *dis. cleros. ver. pontifex.* & hæc fuerunt vsque ad Christum. Ipse vero Christus fuit naturaliter Dominus noster: ipsoque Christus vicarium substituit Petrum & successores: & sic fecit ipsum principem omnium terrenorum temporalium & spiritualium. Vnde licet in mundo sint distincta officia & mundi regimina: & papa per Cæsarem temporalia exercet: videtur in actu iniusticiæ illatæ vel negligentiæ commissæ à quocunque iudice seculari etiam inter laicos iurisdictionem habere. Et hoc voluit in dicto *cap. licet ex suscepto. in vltima parte glo. sua. & in fi. glo.* dum dicit quod potest ad papam appellari hoc casu: & tamen ipse in se varius est, vt dicit Hosti. nam restringit hæc dicta, quando non est qui iusticiam administret, vel qui pronunciauit, vel iniusticiam fecit vel negligit, vel superiorem non habet, 15. *q. 6. alius.* & in alia parte glo. restringit ad miserabiles personas. Hostien. no. vult quod semper recursus ad papam habeatur. Dominus meus Dominus Anto. de Butri. tenet quod papa potest adiri quotiens iudex superiorem non recognoscens iniusticiam facit vel negligit. Et ideo qui de facto non parent, vt Ciuitates liberæ, sunt saltim subiectæ papæ, vt possit ipse adiri quotiens sunt negligentes vel iniusticiam administrant. & idem quando iudex esset ita remotus, quod difficilis esset aditus ad superiorem: vt in *auth. vt diffe. iudi. §. si vero contigerit.* not. Hosti. *de iudi. c. nouit. versi. nec obmittamus.* Si autem superiorem recognoscit, si est persona agens miserabilis vel clericus agens pro causa ecclesiæ suæ, non si propria sua causa tunc potest adiri papa: vt in *cap. ex tenore. & cap. transmissa. de foro competen. & de iudi. cap. cum deputati.* quia dicitur opprimi eo quod sibi non administrantur iusticia vel inique iudicatur. & hoc probat tex. in dicto *§. si vero contigerit. in auth. vt diffe. iudi.* ibi *vt quoniam qui debeat* &c. Ex his videtur quod cum imperator superiorem non habeat, quod pro eius iniusticia vel negligentia papa possit adiri. Sed salua reuerentia istorum Doctorum, ipsi dicant contra casum eorum canonum. Nam clarum est quod rex Franciæ de facto non recognoscit superiorem. *cap. per venerabilem. ver. insuper. qui fil. sint legit.* & tamen si denegat iusticiam facere, vel est negligens, papa de sua iurisdictione se non intromittit, nisi quando præcedit monitio Euangelica, & ipse rex persistat in peccato. text. est *de iudi. cap. nouit.* Nam clarum est quod ipse non recognoscens superiorem, debeat esse iudex in causa inter se & regem Angliæ, quia erat causa feudi, & ipse Dominus erat feudi. Item non recognoscit superiorẽ, & non recognoscentes superiorẽ sunt iudices in causis propriis: vt *l. est receptum. ff. de iurisdict. om. iudi. & l. & Tyberius. ff. de heredi. insti.* & notat Innocen. in *capit. ex parte. de verbor. signif.* vnde in *capit. nouit*, vel rex Franciæ erat negligens in iustitia administranda, vel iniustitiam faciebat regi Angliæ: & cum papa dicit se non velle intromittere nisi ratione peccati. vnde hic est casus quod ratione negligentiæ vel iniustitiæ papa non habet iurisdictionem inter laicos sibi temporaliter non subiectos. quod de iniustitia sententiæ Cæsaris non possit cognoscere, patet: quia ab eius sententia non appellatur. *l. 1. ff. à quibus appel. non licet.* & tamen in appellatione non recensetur nisi iniquitas iudicis à quo, vel eius sententiæ nullitas. vt *l. Cornelia Pia. ff. de iur. patro.* Et idem in aliis iudicibus secularibus papæ temporaliter non subiectis. Nam ab eorum sententiis non appellatur ad papam: vt in *capit. si duobus. in fi. de appel.* sicut à sententiis præfectorum prætorio appellatur. *l. 1. de offic. præfec. præto.* Non obstant contraria: & primo glo. Inno. non est vera, quod vltimo Christus successerit in hoc Domino seculari & ciuili, & in istis potestatibus & cohertionibus secularibus: vt plene dixi in *primo quæstione huius operis*: immo ista talia non habuit nec dimisit Petro & successoribus, vt late dixi in dicta *prima quæstione*, & ibi per oppositum probant ibi scripta, quod papa non possit se impediri de istis temporalibus iurisdictionibus etiam imperio vacante, quicquid dicant canonistæ, quia istam iurisdictionem non habet. Non obstat *cap. licet ex suscepto. de foro compe.* quia non probat id ad quod allegatur, quod iudex Ecclesiasticus suppleat negligentiam iudicis secularis: quia hoc esset contra casum in *auth. vt diffe. iudi. §. 1.* vbi est casus quod aditur episcopus vel Archiepiscopus non vt suppleat sed vt cogat iudicẽ negligentiam pronunciare. quod si coactus non facit, debet rescribi imperatori vt ipsum negligentem puniat. & ita not. Bar. in *l. à diuo pio. §. sententiam Romæ dictam. ff. de re iud.* In quæstione quid si iudex qui tulit sententiã non vult scribere pro executione: vel si ille iudex cui scribitur non vult executioni mittere debet compelli per superiorem, non vero super his aditur superior vel iudex ecclesiasticus, nisi vt compellat, vel si non sufficit superior vel ecclesiasticus, imperatori rescribatur: & ita vult glo. in *c. excõmunicamus. § moueantur. de hereti.* quod negligens est per excommunicationem compellendus. Item tenetur parti ad interesse, non autem facit litem suam: vt not. Bart. in *l. 1. C. quomodo & quando iudex.* per *l. si iudex. ff. de vari. & extraordina. cognit.* licet glo. & canonistæ dicant quod faciat litem suam in *cap. cum sit generale de foro compe.* sed iura per ipsos allegata non probant. Credo tamen quod parti teneatur ad interesse, quando negligit parte instante: vt not. *de rescript. cap. si.* quod nota. Nullibi ergo volunt iura quod cognitio causæ deuoluatur ad ecclesiasticum. hæc tamen vera, nisi ex consuetudine ecclesiasticus esset superior, sicut erat in casu *cap. licet ex suscepto.* quia ibi consules erant de consuetudine subiecti episcopo: & de consuetudine ad episcopum poterit appellari: & ideo nimirum si supplet negligentiam consulum papa vel ecclesiasticus

Digitized by Google

iudex, vt Episcopus ibi. Non dico tamen quod hoc casu appellari possit quia propter negligenti am iudicis non appellatur, sed additur solum superior. *Co. de tempo. appella. l. fi. §. illud* not Guil. de Cunio. *ff. ex quibus cau. maior. l. sed & si per pratorem. §. ait prator. & in auth. vt diffe. iudi.* 9. *& in auth. de quaestio. § super hoc.* & in Specu. *de appella. §. in quibus. ver. 32.* nisi quando iudex fi tueret terminum ad agendum, & post terminum denegaret audientiam; quia ab hac denegatio bene appellaretur: notat. in *l. Titia. ff. de accusa.* Ex sola ergo negligentia iudicis de iure ciuili appellatur. notat. in *l. de quare. ff. de iudi.* & hoc de iure ciuili. sed de iure canonico secundum quo appellatur ab omni grauamine posset adiri superior appellatione. sic intelligo aliquos canoni dicto *c. licet ex suscepto. de foro compe.* Supplet igitur in casu dicti *c. licet ex suscepto.* superior neglige tiam: quia ibi Ecclesiasticus iudex erat iudex appellationum secularium secundum consuetud nem. Et ideò teneo contra Inno. ibi, quod illae litterae in casu illius tex. non sunt funditus nullae, sunt in pendenti: sicut enim quando impetrantur litterae à miserabili persona non subsistente, ne gligentia nec oppressione, litterae sunt in pendenti, vt secuta negligentia conualescant secundum mnem intellectum. *c. ex tenore. de foro compe.* quando sine subreptione sunt impetratae: licet secus fi ret si subreptitiè fuissent impetratae. vt notatur in *d. c. licet.* ita dico quando impetrantur à seculari q est subditus de consuetudine iudici Ecclesiastico, sicut in casu *c. licet ex suscepto.* vt litterae sint in pe denti: quia est eadem ratio, quia iudex habet exercitium, licet ligatum, donec iudex secularis i sticiam facit: sicut dicitur in miserabili persona laica, in qua papa non habet iurisdictionem quando iudex secularis est negligens, vt in *c. ex tenore. de foro compe.* licet ibi Inno. dicat quod habe sed non vtitur de gratia: sed dicit contra illum tex. qui dicit quod papa faceret iniusticiam, si iudi non negligente causam committeret. Et ideò dico quod ratio est illa superior vel ista: quia quan do est secularis persona sed miserabilis, papa habet plus iurisdictionis, quia habet iurisdictio nem sed ligatam: quam quando est mere secularis, in qua nullam iurisdictionem habet secundum sententiam meam: licet alii dicant quod habet etiam tunc iurisdictionem sed interdictam. Et i eo illo casu litterae stant in pendenti. Sed haec ratio vendicat sibi locum in *c. licet ex suscepto*, quia i per viam appellationis erat sub protectione papae, sicut est miserabilis persona quando opprimitu vel iudex negligit vt debeant litterae pendere: licet si fieret impetratio litterarum à seculari nul modo subiecto, impetratio esset ipso iure nulla. nec starent impendenti, quia iurisdictio est E clesiastico iudici iure diuino interdicta. *96. dist. capit. cum ad verum. 10. di. cap. quoniam.* & quia n habitu, nec actu habet papa iurisdictionem in tales laicos, quod secus est in miserabili persona istente, vt pulchre dixit Iohan. de Ligna. in dicto *capit. licet ex suscepto*, licet à non intelligent bus reprehendatur: stat ergo quod in casu negligentiae Imperatoris vel iniusticiae papa non pote adiri, & minus in negligentia illorum qui de facto non parent, vt in ciuitatibus, quas Domin Anto. de Butri. do. meus appellat Liberas. Nam in istis debet adiri Imperator, non papa: qui vt dixi, ipse papa nullam in talibus iurisdictionem habet. secundo; quia & si ipsae ciuitates quid praescripsissent contra Caesarem, intelligitur dummodo sint vigiles, & expediant prae iurisdictione: alias superior eorum supplet. text. est in *capit. irrefragabili. §. excessus. de offic. ordi.* ideò ipsis ciuitatibus, quae praescripserunt, vel aliis similibus Caesarem non recognoscentibus istentibus negligentibus vel iusticiam ministrantibus, superior ipse Caesar adeundus est non pa qui nullam in talibus iurisdictionem habet, vt dixi, & probatur in dicto *cap. cum ad verum.* stin. Et idem dico, vbi est difficilis aditus ad Imperatorem, vt non adeatur papa, sed Episco quando iudex est negligens, vt vult tex. in dicto *auth. vt diffe. iudi.* & tunc poterit rescribi Caesar cet etiam si rescribi non possit, & pars opprimeretur in suo iure, posset adiri papa, sicut cat imperium, vt infra dicam: aliter non, per praedicta. Stat igitur conclusio, quod ratio gligentiae, vel illatae iniusticiae laicis Ecclesiae non subiectis per Imperatorem vel alium secularem dicem, Caesarem etiam non recognoscentem, vel etiam per recognoscentem superiorem culare m iudicem, papa in nullo casu est adeundus, nisi quando esset persona miserabilis, vel c ricus, qui litigasset cum laico pro causa Ecclesiae suae. secus si pro causa sua propria: quia t bet adire iudicem secularem, vt notat. Archi. *2. q. 6. c. non ita.* Aut medietas feudatarius Ecclesi xta notata in *capit. ex transmissa. de foro compe.* Et his casibus demum quando iudex laicus strandа iusticia est negligens, vel miserabilis persona in sua iusticia opprimeretur. Et hoc ge, quando clericus vel miserabilis persona litigasset coram alio quam coram Caesare: quia tunc one illatae iniusticiae non adiretur papa, vel ratione negligentiae. Ratio, quia in suis gestis peratornon praesumitur aliter iudicare quam Deus, vt *de appel. capit. nonit. l. 1. ff. de offi. praefec.* *& Co. de iudi. l. apertissimi. & de appella. capit. si duobus.* Et ideò si Imperator tulisset sent nullam, vel alius ex praedictis iudicibus, tunc non esset continuò adeundus papa super tate, sed deberet adiri Caesar, vel ipse iudex qui sententiam tulisset: vt *l. si vt proponis* *modo. & quando iudex. & l. 4. Co. de accusa.* quia non eo, quod nulliter pronunciauit, negle it, vel grauauit partem siue oppressit: sed si pronunciasset alius secularis iudex ab Im re inferior, nunquam inter praedictos clericos, vasallos vel miserabiles statim posset adiri quia per iniusticiam potest dici talis persona opprimi: hoc tamen limitaui in *c. licet ex suscepto* *compet.* & melius. Et idem si aditus iudex secularis in administranda iusticia fuit negligens iudex ab Imperatore, vel similis dicitur opprimi: text. est in dict. *auth. vt diffe. iudi.*

Digitized by Google

contigerit verò quoniam. & tunc poteſt adiri papa dicto *capit. ex tenore. & c. ex tranſmiſſa, de foro compe.* & alias non. Et eſt ratio, quia Eccleſia habet tales perſonas ſub protectione ſua. *86. diſt. per totum. & in capit. ſuper quibuſdam in fi. de verbor. ſignif.* & idem ſi eſt pauper: *de offi. deleg. capit. ſignificantibus.* Et nota quod hoc caſu dico, quod poteſt adiri papa principaliter, ſcilicet per viam querelæ non per viam appellationis: quia ſi eſſet ſententia Cæſaris, ab iſta non appellatur: vt in *l. 1. ff. à quibus appel. non licet.* licet credam quod quando eſt Cæſaris ſententia, nullo modo papa adiri poteſt, per dictum *capit. ſi duobus. de appel.* Similiter ſi eſſet ſententia inferioris à Cæſare, vt ſi miſerabilis perſona vellet ſibi appellationem prouidere, etiam neceſſe eſſet vt adiret proximum ſuperiorem iudicis, qui pronunciauit non papam. & hoc tenet Inno. in *capit. ſignificantibus. de offi. de leg.* Et eſt ratio, quia in hoc iura non inueniuntur mutata. Stamus ergo regulæ. *2. quæſti. 6. capit. anteriorum.* non eſt etiam verum ſimpliciter quod vbi eſt obligatio naturalis ibi recurratur ad forum Eccleſiaſticum. Nam per ſententiam abſolutoriam tollitur ciuilis, & remanet naturalis. *l. Iulianus. ff. de condi. inde.* & tamen ſi ſententia tranſiuit in rem iudicatam, non credo quod deducatur iſta naturalis in iudicio, vt ſit litium finis: *de re iudi. capit. cum inter nos. & capit quod ad conſultationem.* Item ſi pupillus contrahit, qui de facili poteſt decipi, quando ex contractu non eſt factus locupletior, non credo quod licet ſit naturaliter obligatus, quod poſſit conueniri in foro Eccleſiaſtico. De obligatione aut ſerui vel monachi naturali, an illa deduci poſſit in iudicio Eccleſiaſtico, dicam infra in quæſtione: *an papa diſpenſet contra ius naturale.* Sed credo quod prima dicta ſint vera, quia ius canonicum in caſu ſententiæ non permittit illam naturalem deduci propter maius bonum, videlicet vt ponatur finis aliquando litibus: & in ſecundo caſu in obligatione pupilli, vt euitetur maius malum quod minores non circumueniantur de facili: quibus duobus caſibus toleratur ius ciuile etiam nutriens peccatum contra diſpoſitionem canonicam. vt *45. di. qui ſincera. & 4. di. denique.* & dico infra in quæſtione: *an papa diſpenſet contra ius diuinum.* Non obſtat tex. in *cle. paſtoralis.* præſertim in *ver. nos tam ex ſuperioritate. de re iudi.* vbi papa dicit tam ex ſuperioritate quam habet ſupra Romanum Imperium quam ex poteſtate, in qua vacante Imperio ſuccedit, quam ex poteſtate conceſſa ſibi à Chriſto annullat ſententiam Cæſaris: quia dum dicit quod facit ex ſuperioritate cum miniſterio, dixit ibi glo. in dicta *cle. paſtoralis.* quod facit ex ſuperioritate: de qua in *cle. ne Romani. de iureiur.* nam illa ſuperioritas in caſu illius *cle. paſtoralis*, eſt ratione iuramenti, in quo aſtrinxerit ſe Henricus Imperator: ſecundum no. in *c. tibi Domino. 63. di.* in quo iurat quod nullam ordinationem faciet de omnibus quæ pertinent ad papam, ſed ad pontificem ſpectabat cognoſcere de delicto regis Roberti & nõ ad Imperatorem. ideò papa potuit declarare illam ſententiam Henrici Imperatoris nullam tanquam contra iuramentum factam, præſertim attento ipſius Henrici iuramento, qui iurauit quod Eccleſiæ Romanæ vaſallos contra iuſticiam nullatenus offenderet, vt in dicta *cle. de iureiur. §. ſub eodem. ver. & quod Eccleſia.* nimirũ igitur ratione ſuperioritatis quam habet ad Imperium. id eſt, Imperatores ſic iurantes ſic poteſt ſententiam illam declarare nullam. Vel dic quod Imperium habet ſuperioritatem ratione peccati, dixi in *prima quæſtione huius operis*: & ideò reuocat ſententiam Henrici nullam ratione violati iuramenti. *de iudi. capit. nouit.* in quo eſt Imperatore & Imperio tunc ſuperior ipſe papa. Item ratione vacantis imperii ibi fecit: quia vacante Imperio papa ſuccedit in iuriſdictione imperiali, vt dicta *cle. paſtoralis. & in capit. licet ex ſuſcepto. de for. compe.* quod intelligo quando vacat Imperium, & laici nequeunt recurrere ad iudicem ſecularẽ, & in ſua iuſticia opprimuntur, his caſibus occurrentibus licet ad papam recurrere, Imperio vacante, & non alias: & ita dicit tex. in dicto *capit. licet.* Et ideò ſi poſſet haberi copia iudicis ſecularis idonei, vel laicus in ſua iuſticia non opprimeretur, non credo quod propter ſolam vacationem imperii poſſit haberi recurſus ad papam: vel quod papa ſuccedat in iure imperii, quia hoc non reperio iure cautum: immo eſt ridiculum dicere quod his non concurrentibus papa ſuccedat vacante imperio in iure imperii: quia ſequeretur quod poſſet dare vicariatus terrarum imperii, & poſſet infeudare bona imperii: quod non credo. & tex. in *cle. paſtoralis*, non dicit quod ſuccedat imperio, ſed in quadam poteſtate quam habet imperio vacante ſicut in caſu illius *cle. paſtoralis*, vbi ſi non fuiſſet annullata illa ſententia Imperatoris Henrici, fuiſſet rex Robertus in iuſticia ſua oppreſſus, & potuiſſet illa ſententia eſſe cauſa magni ſcandali: vt in *d. cap. paſtoralis, per verum.* ideò merito ſuccedebat poteſtas papalis quæ ei competit imperio vacante. Item propter plenitudinem poteſtatis potuit adiri papa ex poteſtate, quæ eſt papæ conceſſa ſoluendi & ligandi, ſubaudi ſpiritualiter. Et hoc modo debet intelligi *dicta cle.* in qua concluditur quod vbi Cæſar contra iuramentum per ſe præſtitum ſententiam profert nullam, tunc papa ratione peccati & periurii poſſit eam nullam declarare: & ideò quando in non ſuum ſubditum, ſcilicet Eccleſiæ, imperator protuliſſet ſententiam nullam, vt etiam ſi ſubditus Eccleſiæ opprimitur ex ea in iuribus ſuis poſſit à papa reuocari: dicto *c. ex tranſmiſſa de fo. compe.* & idem cum in quocunq; caſu ſententia eſſet lata per Cæſarem nulla, & vacaret imperium, & pars propter talem ſententiam in ſuo iure opprimeretur, & tunc papa ſuppleat vices Imperatoris, vt *d. c. licet ex ſuſcepto.* quod ſic intelligo, vt demum his omnib⁹ concurrentibus papa habeat poteſtatem imperio vacante, & non alias. Si autem Imperator ſubſiſteret, & imperium non vacaret, & foret ſententia nulla lata per Cæſarem inter ſubditos imperii laicos Eccleſiæ non ſuppoſitos, tunc papa vt dixi de nullitate ſententiæ Cæſaris nullatenus ſe intromitteret, etiam ſi eſſet negligens in iuſticia miniſtranda, vel ſi iniuſticiam miniſtraret, per iura ante dicta. Dico etiam quod ſi eſſet negligens, vel non auderet adminiſtrare propter defectum ſubditorũ, quia

Digitized by Google

subditi forent inobedientes Imperatori vel iudici seculari, tunc etiam dico quod papa non succederent in iurisdictione talis iudicis, sed debet Imperatorem iuuare & domare rebellionē subditorum. 96. *di. cum ad verum*. Et ideò male dicunt, qui hoc casu dicūt deuolui iurisdictionem ad papam: immo papa tunc debet Imperatori auxilium impartiri.

An autē si esset defectus iudiciū inferiorum à principe, papa in tali iurisdictione succedat. Inno. videtur dicere quod sic: vnde vacāte imperio Franciæ succederet in iurisdictione papa. ar. c. alius. 15. q. 6. Sed non est verū: quia papa ibi nō deposuit illum regē: nec Pipinum patrem Caroli substituit, sed deponentibus, Pipinū substituentibus consensit: vt ibi no. glo. Et ideò credo quod hoc casu Cæsar Imperator aduentus fit: per *c. irrefragabili. §. excessus. extra de offi. ordi.* quia licet non recognoscat de facto superiorē, tamen præscripsit hoc ius demum si indiligens & adimplet: vel recurritur ad superiorem, vt dixi in dicto *§. excessus*. nec inuenio casum quod licet vacet iudex inferior à Cæsare aditur papa vel Ecclesiasticus, nisi quando est ciuitas, quæ non habet iudices, tunc aditur defensor: & si papa vult potest adiungere secū Episcopū: vt in *auct. vt diffe. iud. §. in ciuitatibus*. Item quando subditus dicit se læsum à præside prouinciæ, potest adiri Episcopus, qui iudicet inter præsidē & subditū: vt in auth. *vt diffe. iudi. in §. si verò contigerit*. alium casum non inuenio: credo adeundū Cæsarē siue de facto non recognoscebant per supradicta, nisi iudex qui vacaret esset subditus Ecclesiæ, vt Rex Apuliæ: tūc succederet papa: per tex. in *c. cū inter vniuersos. in fi. de elec.* Prædicta enim omnia vera sunt q. papa nō cognoscit de nullitate sententiæ Cæsaris, vel alterius iudicis secularis, nisi contraria sit patriæ consuetudo, quod in absentia inferiorum iudicū appellaretur ad papā: certe tunc cognosceret de nullitate. *c. si duobus de appella. l. 6. c. licet ex suscepto. de fo. cōpet.* hæc intelligo vera, quando locus, qui haberet ius de consuetudine, haberet iurisdictionē primæ & secundæ appellationis: tunc posset ex cōsuetudine talem consuetudinē inducere quod ad papā appellaretur. Si. n. iurisdictionē appellationis non haberet, sed sint iudices ordinarii à iure, & ciuitas non habet ius de appellatione disponendi, tunc talis vel locus in præiudiciū sui superioris non potest statuere vel disponere: quia nō potest ciuitas vel locus talē appellationē tollere vel in aliū transferre: vt *l. 1. in fi. ff. à qui ap. non licet*. nec in præiudiciū superioris ad aliū iudicē deuoluere: *de maio. & obe. c. 1.* nota est Bar. in *l. omnes populi. ff. de insti. & iur.* in quæsti. quæ incipit *iuxta præmissa quæro*, in illo artic. *de quibus & super quibus statuta fieri possunt per statuta hoc disponere*: ergo nec super his consuetudinem inducere: quia si non possunt expresso consensu statuendo, minus ex tacito per cōsuetudinē. Et idem multo magis si cōsuetudine vellēt inducere, quod à sententia Cæsaris, à quo non potest appellari. *l. 1. ff. à qui Apostolus non licet*, ad papā liceret appellare: quia hoc non possunt statuere in præiudiciū sui Domini superioris. Et hæc vera, nisi tali cōsuetudini accederet sententia Cæsaris, tunc consuetudo posset habere locū. Si igitur consuetudo foret, quod à sententia Cæsaris liceret ad papā appellare, de nullitate dicere, tunc corā papa de nullitate sententiæ Imperatoris dici posset. Idē credo in alio casu, quando causa super qua aditur papa spectat principaliter ad forū Ecclesiasticū, vt sic agitur causa matrimonii vel vsurarum vel similis, tūc de nullitate sententiæ Cæsaris posset dici coram papa: *de ordi. cogni. c. tuam.* & no. *de for. compe. in c. cum sit generale*. Item si esset causa executionis vltimæ volūtatis piæ testatoris: vt in *auct. eccl. ti. in §. si quis autē pro redē*...

Et expediam omnes casus quibus laici litigant in foro Ecclesiastico. Dicunt canonistæ, si iudex secularis recusatur suspectus: vt in *auct. vt diffe. iudi. §. si verò contigerit*. hoc tamen non credo quod habeat locum in Cæsare, vt possit vt suspectus recusari: quia in eo non debet præsumi vel in eius processu macula siue ruga, nec præsumitur aliter iudicare quam Deus, vt *de appel. c. nonn. & in l. 1. ff. de off. præfec. præto.* no. *de indi. c. cum venissent*. facit. 9. q. 3. *c. aliorum. C. de indi. l. apertissimi. de re indi. c. cum ...* *li. 6.* sed de alio seculari iudice potest loqui: & quia nō potest reclamari à suo iudico nec appellari, ... suspectus dici. ar. dictæ *l. 1. ff. à quibus appel. non licet*. dicā infra in proxima quæstione *an concilium ... sit vt suspectum recusari*. Sed non est verum, quod hoc casu iura dicunt Ecclesiasticum solum cognoscere, sed dicunt quod vna cum iudice ordinario debet cognoscere & partes ad compositionem inducere; vnde absolute non est in foro Ecclesiastico tractanda. & licet canonistæ dicant hoc, quod Ecclesiasticus tunc cognoscit: per *d. c. licet ex suscepto. in fi.* non bene dicunt: quia illa *decre.* loquitur quando Ecclesiasticus de consuetudine erat superior. Item illa *auct.* debet intelligi, quando recusatur iudex, qui subest immediate Imperatori, vt caput prouinciæ: vt tūc possit adiri Episcopus, vt cognoscat vna cū ipso. secus si esset suspectus reuocatus iudex in prouincia habēs superiorē, quia tunc ille superior foret adeundus non iudex Ecclesiasticus, vt no. Host. *de iud. c. nouit.* & Doc. in *d. c. licet ex susce... de fo. compe.* posset enim de nullitate sententiæ Cæsaris coram papa vel alio Ecclesiastico per viam reconuentionis cognosci & incidenter. 3. q. 8. *c. cuius in agendo. & C. de sen. l. papa. & auct. & conse...*

Item si Ecclesia indebite per laicos collectatur, potest adiri iudex Ecclesiasticus: vt in auth. ... *tem nulla communitas. C. de epi. & cle. & 12. q. 2. Ecclesiarum seruos*. Item si laicus sumpsit administrationem rerum Ecclesiæ secundum no. 89. *di. indicatum*.

Item in nullitate sententiæ Cæsaris posset cognoscere papa, quando aditur per viam denunciationis Euangelicæ, *de iudi. c. nouit.* vt quia aditus est princeps vt suam sententiam nullam declaret, ipse patitur eam exequi & partem opprimi, & etiam iuste, subaudi & pars conqueritur de Cæsare ... facit ei denunciationem. 2. q. 1. *si peccauerit*: tunc si non monet se denunciatione Euangelica, & dicitur Ecclesiæ, poterit super hoc papa audire quærelam: vt in *ca. nouit de iudi.* loquor quod audit querelam peccati Cæsaris, quia, grauat partem exequēdo sententiā iniustam contra eam, loquor quando iniusta esset contra ius naturale vel gentium, & sine causa Cæsar cōtra illud procederet. secus si esset

contra

Digitized by Google

contra ius positiuum, & Imperator contra illud pronunciasset: quia cum sit superior, nō fecisset peccatum. idem si ex causa contra ius naturale vel gentium pronunciasset, quia etiam ex causa ab illo potest recedere: vt notant Doc. *in prohæmio ff.* sed vbi contra ius naturale vel gentium sententia Cæsaris haberent iniquitatem euidenter, tunc habet locū hoc quod dixi: loquor vt corrigat eū de peccato, & hoc modo cognoscat, non vt tanquā sententia Imperatoris se intromittat: & hoc probat text. in *c. nouit, de iudi.* Nā dicit, q; *subest Imperator Diœcesano cū peccat vt homo.* nō ergo cognoscit de his quę facit Imperator, sed vt homo peccator, & hoc vt dixi quando iniquitas est probabilis: quia correctio peccati permittitur, cū est publicū & probabile, *de iud. c. nouit.* occulto. n. Dei iudicio relinquitur. *6. q. 1. c. si omnia.* secus si esset occultū: quia pro ipsa præsumeret, vt dixi supra sic intelligo hunc articulum.

Item cognoscet de nullitate ratione connexionis, vt si agitur causa matrimonii, & litigetur incidenter & connexæ de dote si proferatur sententia Cæsaris nulla, data super dote, de illa cognoscetur, *de dote post diuor. repe. c. de prudentia.* potest ergo papa de nullitate sententiæ Cæsaris vel iniquitate cognoscere in casibus prædictis, & aliis non.

Concilium verò cognoscit si est concilium clericorum, & papæ, eo modo quo potest cognoscere papa & non aliter. sed si esset concilium seculare Cæsaris vel mixtum, vbi esset persona Imperatoris, posset cognosci de nullitate istius sententiæ: quia præest ibi vt principalis iudex in concilio seculari vel mixto respectu negociorum secularium. Et hoc si Imperator vellet: si nō vellet, esset idem quod quando persona Imperatoris ibi non est in concilio. sed si in dicto concilio seculari non esset ipse Imperator, quod concilium dico posse fieri sine auctoritate Cæsaris in casibus, in quibus fit Ecclesiasticum concilium sine papa: de quibus casibus dixi supra tunc si quæritur an concilium cognoscat de sententiis Cæsaris, dico in casibus in quibus sententia concilii est supra Cæsarem, quod est in casibus in quibus dixi sententiam concilii esse supra papam, tunc cōcilium potest talem sententiam annullare: in aliis non, quia est maior sententia Cæsaris quam sui secularis concilii, vt per omnia supra dixi de concilio papæ & de eius persona: & ideò non potest concilium Cæsaris sententiam reuocare. sic intelligo has quæstiones antequam quæstionem assumam octauam.

SVMMARIVM.

Quæ sit pœna impedientium venire vocatos ad concilium.

CAPITVLVM XXIII.

QVæro quod de impendentibus concilium generale coadunari qua pœna plectendi sint? dic quod si sunt priuati, tenentur lege Iulia de vi publica. nam impediens legatos oratores vel comites tenentur illa lege. Sed qui veniunt ad concilium vocati possunt dici oratores vel comites. Item qui impedit Romā venire venientes pro suis causis tenentur hac lege vt *eodem ti. ff. ad legem Iulli. de 6. publica.* l. lege Iulia de 6. publi. cauetur & punitur etiam existens in magistratu: vt dicta *l. lege Iulia de 6. pu.* Et isti puniri possent à papa: quia in eum crimen læsæ maiestatis committunt. Nam cum venientes ad concilia generalia securitatem à papa Romanorum pontifice habere censeantur, crimen læsæ maiestatis committit qui aduersus talem securitatem committit: vt *ff. ad l. Iul. maie. l. 1.* Item si concilium impedientes committuntur aduersus rempublicam, & sic læsæ maiestatis crimen incurrunt, dicta *l. 1. ff. ad l. Iul. maie.* & maximè quando ad seditionem homines conuocant: vt *dicta l. 1.* cum enim lædat maiestatem papæ tenetur lege Iul. maie. vt *l. eius. e. ti.* cum enim ex hoc impediantur hæretici, ne ad Ecclesiam reducantur, crimen est læsæ maiestatis, *d. l. eius.* ibi, *quo Rex.* & c. puniri ergo possunt pœna, de qua. *C. l. ad Iul. maie. l. quisquis. & in c. ad Apostol. c. x. de re iudi. l. 6.* vbi probatur quod etiam tales sacrilegium committunt: etiam sit aliter turbans Cæsar Imperator existeret, qui si monitus à talibus turbationibus non desisteret, posset à papa imperio priuari vt est tex. in *d. c. ad Apostolicæ de re iudi. li. 6.* Alii verò principes ex sola hac turbatione deponi possent.

SVMMARIVM.

An debent singuli respondere sibi obiectis in Concilio, vel an possint Concilium vt suspectum reuocare, siue ius reuocandi domnum petere.

CAPITVLVM XXIV.

MOdo octauam quæstionem assumamus, in qua dico, quod si in concilio interuenit papa & Imperator, tunc quilibet ibi potest conueniri: quia tales sunt iudices omnium viuentium papa clericorū & laicorū in causa fori Ecclesiastici, de quib' dixi proxima quæstione etiā gentiliū & Iudæorum quādo facerent contra pręcepta propriæ legis. Nā omnes homines sunt de ouib' Christi per creationē, licet nō omnes sint de ouili Ecclesiæ: vt no. In. *de voto & vo. redēpt. c. quod super his.* & sic omnes in causis aliàs cōcernentibus forū Ecclesiasticū clerici & laici gentiles & Iudæi possūt corā papa sine cōcilio, vel in cōcilio cōueniri. Nec ob. q; et non iudicat de his quæ foris sunt *2. q. 1. c. multi.* quia illud intelligitur eos excōmunicando vel ad fidé cōpellendo, in qua sola Dei gratia vocari debent *45. d. c. de Iudæis.* vnde conciliū generale erit iudex omnium Ecclesiasticarū causarū. ideo et causas Episcoporum audiet concilium & ipsos puniet, & si opus est deponet. *5. q. 4. c. 1. & 2.* no. glo. *2. q. 1. ca. primates.* quamuis concilium prouinciale audiat, sed non deponat: vt *3. q. 8. cap. fi.* Et Imperator siue generale concilium erit iudex omnium aliorum in causis secularibus, & non de foro Ecclesiæ existentibus

dico omnium, etiam ipsi de facto non parētium, & etiam gentilium & Iudaeorum, pro causis ... ribus & non existētibus de foro Ecclesiae, & ipsi omnes praedicti Caesari Augusto subditi sunt *l. Iudaei. C. de Iudae. no.* ... *d. c. eos qui ritum. de elec. c. venerabilem* in glo. quae incipit *in Germaniam*: & dixi supra in decisione *prima quaestionis huius operis*. Sicq; si cōcilium erit clericorum solum omnes clerici & laici in causis foro Ecclesiastico subiectis potuerunt ibidē conueniri, ibidē papa existente vel concilio ... speciali mandato congregato. Sed si papa non esset in concilio, quia forte non foret sua auctoritate vel mandato congregatum, quod foret possibile, vt supra dixi: tunc idem dico quod concilium omnes clericos & causas fori Ecclesiastici iudicabit, quia obtinet vicem papae & Apostolicae sedis vt dixi supra. quo casu possunt etiam Episcopi concilio deponi ab vno solo, quando ... dato vel auctoritate papae: vt not. Innoc. & Doc. *de cleri. non resi. c. ex tua.* & concilium etiam poterit hoc casu beneficia talia conferre ne diutius vacarent Ecclesiae & concilium suppleat hoc casu potestatem papae, vt supra dixi. Si autem concilium esset mixtum clericorum & laicorum quod esse potest, vt dixi per *c. ad Apostolica, de re iudi. li. 6.* tunc omnes etiam causae fori canonici & secularis & omnes Ecclesiasticae personae possent tunc conueniri & audiri: vt not. in *c. fi.* per glo. & Doc. *de foro compe.* Quando autem concilium essent solum secularium & Caesaris, Caesare ibi existente, omnes causae seculares inter quoscunque essent ibi tractandae & tractari possent: vt no. in dicto *c. fi. de foro compe.* Et si concilium fieret sine Augusto, quod credo fieri posse in casibus, in quibus dixi papa concilium sine papa fieri posse, tunc similiter concilium illud esset iudex omniū hominum in causis secularib⁹ praesertim haec vera sunt, quando concilia haec fierent Romae: quia Roma est communis patria: vt *l. Roma ff. ad munici* & ibi omnes homines cōueniri possunt: vt no. in *d. c. fi. de foro compe.* Quando Roma dicatur quo ad causas Ecclesiasticas vbi est papa, *de iureiuran. c. ego.* & quo ad seculares dicitur vbi est Imperator. ratio, quia ista conuentio siue ius conueniendi surgit: quia isti sunt omnium gentium Domini, & totum mundum sub sua iurisdictione habent. *9. q. 3. c. cuncta per mundum ff. ad l. Rhodiam de iac. l. deprecatio. 96. di. c. duo sunt. & c. si imperator.*

Sed an concilium possit recusari tanquam suspectum? videtur quod sic: quia, vt supra ... concilium potest subsistere ex aliquibus tantum Episcopis, puta duodecim vel paucioribus, vt dixi supra vnde dato quod esset concilium tricentorum patrum vel sexcētorum triginta, prout fuit quartum concilium, quod fuit omni alio maius, adhuc videtur posse reuocari ratione suspitionis. Nam & maior vniuersitas, vt suspecta, recusatur: probatur in *cle. pastoralis. §. pisana quoq; ciuitas. de re iudi.* ... detur etiam tex. in *c. licet ex suscepto, de foro compe. in fi.* patet etiam quia concilium prouinciale, quod constat plerumq; ex Archiepiscopo & 12. Episcopis. *3. q. 8. c. fi.* potest vt suspectum recusari, vt no. glo. *de statu mona. c. in singulis*, in verbo *appellatione*. Contrariū credo, quod concilium generale quod ... sit Episcoporum recusari non possit: quia si in concilio Ecclesiastico praeest papa, tunc non potest solus nedum concilium recusari ratione suspitionis, quia non aliter quam Deus praesumitur iudicare: vt in *c. abuit de appel. & in l. 1. ff. de offi. praefec. praet.* & ideò concilium generale non potest suspectum recusari, nec etiam solus papa, etiam si iudicaret in causa propria, in qua est iudex: vt notatur *de verb. signi. c. ex parte. & l. est receptum. ff. de iurisd. om. iudi.* quando vellet de absoluta potestate ipsemet esse iudex, licet hoc casu honestius faceret alteri committere. *2. q. 7. nos si incompetenter*, vel arbitros ... iuxta notata per Inno. in *d. c. ex parte, de verbo. signi.* & idem credo quando concilium esset ... in casibus, in quibus supra dixi esse posse, quia amplius quam papa creditur concilium ritè iudicare cum errare nō possit. *24. q. 1. c. arrepta. & in c. maiores, in principio, de baptis.* & quod ibi notatur, ... papa solo voluit glo. *79. di. c. si quis pecuniā*, vbi si vxor repetit papam, ipse solus est iudex causae ... ipsum & vxorem suam, nec potest ipsum vxor suspectū dicere: & idem de concilio, vt nō possit suspectum allegari, quando est generale. ita debet intelligi glo. in *c. 1. de iudi.* quae debet intelligi de concilio generali vt suspectum allegari nō possit: secus de prouinciali, quod potest suspectū allegari vt ... in *d. c. in singulis, de statu mona.* in verbo *appellatione.* Et dicetur cōcilium prouinciale suspectū quando Archiepiscopus vel maiores de concilio essent suspecti. *3. q. 5. c. quia suspecti. & de procur. c. consulta.* Similiter nec Caesar vel eius generale concilium poterit allegari suspectum, per dicta iura. cōtrarium autem loquuntur in aliis vniuersitatibus inferioribus, quae quantumcunq; magnae, suspectae ... possunt, per dicta iura quod est secus in generali concilio, per rationes ante dictas.

An autem ibi vocati habeat exceptionem & ius reuocandi domum, de qua. *3. q. 2. c. 1. & ff. ... di l. 2. & in c. fi. de foro cōpeten.* tunc dico quod si conciliū conuocatum est vt corrigantur corrigenda, vel vt mali mores Ecclesiae reformentur, tūc si Episcopus vel alius accusator ibi inuentus non ... ius reuocandi domum, licet hoc remedium competeret, quando ob aliam causam foret congregatū. Ista est notabilis doctrina in *c. 1. de iudi.* quia cum venisset ibi vt legatus vel orator, vel venisset ... sa iudicandi & papa conueniretur pro delicto ciuili: iuxta nota. in *d. c. fi.* Et quando competat priuilegium, & quando non, & in quibus casibus & in quibus non, & quando hoc priuilegium ... atur, & de effectu huius priuilegii, omnia ista videnda sunt in *c. fi. de foro compe.* per Doc. & per ... ... tas in *l. 2. ff. de iudi.* quia quae sunt aliena à nostro proposito ad praesens omitto contentus dictis per Doc.

SVMMARIVM.

Quanto tempore debet durare Concilium, & quis habeat auctoritatem dissoluendi, & quando dissoluatur siue dissolui possit.

CAPITVLVM XXV.

NVnc hanc vtilissimam quæstionem attingamus, qua continetur quando tempore debet durare concilium: & quis habet potestatem dissoluendi: & quando dissoluatur siue dissolui possit? Ad primum dico, quod tanto tempore debet durare concilium, donec causæ propter quas concilii conuocatio facta est, vel pro quibus concilio fuit opus, debitum finem suscipiant. Nam in his quæ requirunt perfectionẽ ex debito iusticiæ nil creditur actum, cum aliquid ad agendũ superest. *l. cum fillamanũ. in fi. C. de his quibus vt indig.* Nam proprium summi pontificis & legislatoris est vt nullum ab eo cœptum imperfectum relinquatur. *Cod. de emendatione Iustiniani. Cod. in princ.* Et id demum perfectum dicitur, quod ex omnibus suis partibus constat: vt *l. 1. ff. de tri. iur.* vnde non dicitur quid perfectum quando aliquid deest. *l. qui cum maior. §. accusasse. ff. de bo. liber. l. item apud Labeonem. §. adduxisse. ff. de iniur.* Igitur dicit Canon quod incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum relinquatur. *de pœni. di. 3. c. incassum.* & frustra velociter currit, qui prius quam ad metas perueniat, deficit, dicto *c. incassum.* & alibi dicit tex. quod *indecens esse probatur prius soluere militiæ cingulum quam cedat victori aduersitas præliorum:* de renun. c. 1. facit *de conse. di. 1. c. omnes fideles*, cum duobus capitulis sequentibus, in quibus probatur quod quis non debet à missa recedere non expleta & recepta benedictione à sacerdote. Similiter vocatus ad Synodum non debet ante recedere quam causa, propter quam vocatus est, debitum finem susceperit. 11. *quæst. 3. c. certum.* Ex quibus iuribus concluditur, quod non ante congregata Synodus solui debet quam causæ propter quas concilii conuocatio facta, finem debitum sortitæ fuerint.

Quis autem potestatem dissoluendi habeat? videtur dicendum quod solus papa. nam tex 17. *di. c. nec licuit*, dicit quod *quotiens aliqua de vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem ad Apostolicam sedem pro percipienda ratione conueniant*, secus illi subaudi qui dubitant. Et idem si dubitatur, an concilium possit dissolui, & à quo dissolui debeat, cum tempus instet dissoluendi, de sedis Apostolicæ iudicio debet procedere dissolutio. Hoc idem probat tex. in *d. c. regula. 17. di.* dum dicit, *nec vllum ratum est aut erit vnquam concilium quod non fuerit auctoritate papæ suffultum.* Nota verbum *est*, vt referatur ad principium ipsius concilii, & verbum *erit*, vt referatur ad futurum & successum concilii: quia verbum *erit* præteritũ & futurum tẽporis significat. *l. verbum erit. ff. de verbo. signi. in fi.* vnde non est ratum conciliũ, quod non est auctoritate papę firmatũ, vel si fuit auctoritate papæ confectũ non erit. s. in futurũ, quãdo deficit vel incipit auctoritas papæ, desinit concilium: dicto *cap. regula.* & hoc referendo illa verba *nec vllum ratum est aut erit nunquam concilium* ad vnum & idem concilium: sed prout possent referri ad plura & diuersa concilia, tex. ille tunc non probaret. sed tunc probat tex. 17. *di. multis.* dum dicit *non debere concilia celebrari absque sententia Romani pontificis:* nam *sententia* ponitur pro voluntate: vt *l. 1. ff. de testa.* statim igitur quod sentẽtia. i. voluntas papæ cessat, concilii celebratio desinit siue cessare debet. Ad idẽ tex. 17. *dis. sane. concilia*, dum dicit, *concilia valitudinẽ perdiderunt, quia præsentiam papæ non habent.* Nota verbum *perdiderunt*, quod præsupponit habitum. *l. nam & si sub conditione. §. rumpendo. ff. de in iusto rupto testa.* quia quod non habuisset habitũ non poterat perdi. loquitur ergo de concilio quod aliquãdo valuit, vt desinẽte præsentia papę desinat & vim perdat. vnde ibi est casus quod quotiens papę voluntas vel præsentia vel per se vel per alium desinit à concilio, perditur conciliũ, vt dicto *c. concilia.* & licet glo. in dicto *c. concilia*, dicat quod perditur quod nunquam est habitũ, potest dictũ glo. procedere, sed & alius præcedens intellectus etiã est bonus & magis notabilis & secundũ illũ est ibi casus quod quãdo deficit voluntas papę deficit conciliũ. & hæc sentẽtia circumscriptis auctoritatibus etiã probatur rationibus. papa est militantis ecclesiæ post Christũ pater & caput: vt in *c. vno. de sacra vncti. ver. in ca.* & probatur *Iohãnis primo*, cũ Christus dixit petro, *Symon es bariona & vocaberis cephas*, quod idẽ est quod caput, vt ipsum ecclesiæ caput denotaret: probatur 19. *di. ca. ita Dominus & 9. q. 3. c. aliorum in fi. & 24. quæst. 1. capit. rogamus.* sed sicut membra sine capite desinunt & arescunt, & præcisis membris à capite membra putrescunt. 23. *quæst. 7. capit. quemadmodum.* 24. *quæst. 1. capit. loquitur*, ita & remoto papa capite concilii necesse est concilium exinaniri, quia statim quod à concilio se remouebit papa, essent ibi remanentes acephali & sine capite, & sic forent monstrum contra *c. per venerabilẽ. qui fil. sint legit.* Ne igitur acephali & monstruosi sint, sanctius est dicere concilium dissolui quam quod remanentes ibi esse acephalos & sine capite monstruosos. hoc probatur per tex. in *cap. 1. de re. iur. & ff. de iureiuran. l. nihil tam naturale quam vnumquodque dissolui eo vinculo quod ligatur:* sed concilium demum fit vocante & auctorizante papa: vt in *c. 1. 17. di. & per totum.* ergo eius auctoritate & iudicio demum dissolui debet, & alius dissoluendi non habet potestatẽ. Nam omnes res per quascunque causas nascuntur, per easdem dissoluuntur. *ff. de pactis. l. ab emptione.* & in dicto *c. de re. iur.* Nam qui potuit concilium instituere, potest illud destruere. 12. *q. 1. c. certe de elec. c. innotuit. §. multa.* Et hæc sententia quod solus Romanus pontifex concilium dissoluat, videtur in tantũ esse vera, vt illud dissoluere possit etiã concilio reluctante & renitente: quia conciliũ non potest contra sententiã papę, immo est maior sentẽtia papę quã concilii. 4. *di. c. in istis.* & ibi glo. & immo in statutis concilii intelligitur excepta auctoritas papę. vt est tex. in *c. significasti, de elec.* quemadmodũ enim in omni statuto inferiore censetur excepta auctoritas superioris *l. imperatores ff. ad munici. & in c. constitutus de rescrip. & c. venientes de iureiuran.* ita in statutis concilii debet intelligi excepta auctoritas papæ superioris ipso concilio: vt dicto *cap. significasti.* & notat glo. *de elec. cap. vbi periculum lib. 6. in ver. con-*

cilium. cum enim concilio papa auctoritatē præstet, sequitur quod ipse maior est: quia maior est q auctoritatem interponit quam ille cui auctoritas interponitur. hinc est quod solus papa tollit & r uocat statuta à se & concilio facta etiam sine concilio: vt in *ca. statutum. & in c. constitutionem, de se excom. li. 6.* iuncto. *c. statuimus, eo. ti.* & probatur ex notatis. in *c. vbi periculum in ver. concilio, de elec. 6. & in cle. ne Romani de elec.* Quinimmo quando esset in concilio papa, si omnes episcopi in conci lio existentes essent contrarii sententiæ papę, sententia papę præferretur *4. di. c. in istis 15. di. c. sicut fi. 19. dis. c. Anastasius. & 24. q. 1. c. quicunq;, & 9. q. 3. c. nemo.* Ex quibus videtur, quod papa possit ad nu tum conciliū dissoluere, etiā si contraria esset totius Christiani populi sententia, quia quod princi papæ placet legis habet vigorē. *l. 1. ff. de constitu. princi.* & adeo hæc sententia videtur vera, quod pa possit dissoluere etiā non expeditis causis, propter quas conciliū conuocabatur, quia per seipsū ill poterit determinare sine concilio, quod causę maximę sunt ad Apostolicā sedē deferendæ *17. di. c. multis. & 23. q. 1. c. quotiens.* etiam si essent causæ fidei vel aliæ multum arduę. *16. q. 1. cap. frater noste* quia papa potest omnia. nam eius motus proprius est omnium optimus artifex, omnem habens vi tutem, omnia prospiciens & etiā ea quę sunt de iure naturali & diuino voluat & reuoluat, sicut p tet in matrimonio, quod & de iure naturali & diuino vt in *c. 1. de voto. li. 6.* in quo personas inhabi ad matrimoniū reddit habiles: *de sponsa. c. 1. is qui de consan. & affini. c. non debet*, vt hoc plenius no Doc. maxime Guilelmus de Monte lauduno in *cle. si Romanus pontifex. de praben.* notatur in *c proposuit. de conces. praben.* Ex quibus patet quod papa potest ad nutum & simplicem suam volunt tem concilium dissoluere causis, quæ in ipso expedirę debent, terminatis siue non. Nec de hac i dissolutione à quoquam redargui posset *9. q. 3. cap. nemo*, cum similibus. alias quamquam disso tionē videatur papa posse facere, etiam si per conciliū videatur esse hoc sibi prohibitū, vt sancitū fu in cōcilio Constantiensi in constitutione quæ incipit: *frequens*, vbi est determinatū quod papa no possit conciliū dissoluere vel mutare locū sine voluntate concilii quia Martinus, qui præfuit in il cōcilio nō potuit sic statuendo legē imponere successori, qui in eadē successit auctoritate. tex. est n tabilis in *c. innotuit. §. quāuis autem, de elec.* Nam par in parem non habet imperium *l. nam magistrat ff. de arbitris.* Quinimmo nec sibi Martino papæ ipsemet potuisset legem imponere, à qua non cuisset sibi recedere. *l. si quis in principio testamenti. ff. de leg. 3.* immo lex propria prædicta Martini n ligauit ipsum Martinum statuentem, vt notant Doct. in *l. digna vox. C. de legi. & in l. princeps legibus. de legi.* notatur in *c. nulli, de sen. excom.* quia princeps de absoluta potestate legibus est solutus, vt dic iuribus: quia ipse est supra iura, & sic non fuit ligatus Martinus propria lege: quia nemo sibiipsi i perare potest *l. penultima. ff. de arbi.* minus fuit ligatus propter auctoritatem concilii, quæ in ipsa c denda lege interueniat, cum concilium, vt dixi, sit inferius papa: vnde non ligat sua lege papam. *di. inferior.* vbi probatur secundum Prophetam, quod quemadmodum securis non gloriatur con eum qui secat in eam, aut cera contra illum qui trahit eam: sic nec inferior statuit contra superior vel parem: *de maio. & obe. c. cum inferior.* & quod licet sit ibi cum papa concilii voluntas vel statu per hoc non ligatur magis papa successor. tex. est in dicto *c. innotuit.* quia ibi papa refert statutum p pæ & concilii, & dicit non ligare successorem papam. cum igitur tale statutum nec ex potestate p decessoris ligat successorem: vt in *d. c. innotuit, de elect.* & notatur in *l. digna vox. Cod. de legi.* patet qu papa potest non obstante dicta lege concilii coadunatum concilium, quando sibi videbitur & p cebit, dissoluere. Ad hæc faciunt notata per Io. An. in *Mercurialibus in c. cui licet, de regu. iur. li. 6.* disputando dixit episcopum directe propria lege vel statuto non posse se ligare aut successorē su & vtrumque probat tex. in *l. ille à quo. §. tempestiuum. ff. ad Trebell.* & probatur: quia nec quis sibi l se ligat nec parem aut maiorem. & de principe tex. est in *l. ex imperfecto. C. de testamen.* Quid plura iam si dicta constitutio concilii Constantiensis, quæ incipit *frequens*, esset edita pro bono vniuers ecclesiæ, papa videtur contra ipsam causa subsistente posse dispensare. glo. est *25. q. 1. c. sunt quida* Nam & contra statuta concilii papa disposuit, vt patet *de consang. & affi. in c. non debet.* Nam etiam concernentibus statum vniuersalis ecclesiæ, quando procedunt à iure positiuo, papa videtur po disponere: patet. *73. di. per totum.* & ideo si papa infirmatur, ita quod sibi sit periculosum arripere, sicut ire de Roma ad Basileam, videtur quod saltim in mutatione loci sibi liceat spensare locum saltim commutando: quia papa, potest in omnibus dispensare, quæ non s contra fidem, vt notat Io. An. post Hosti. in *cap. proposuit, de conces. praben.* dum tamen non fo peccatū. & hoc quando istud peccatū procederet à lege diuina: secus si veniret ex cōtrauentione gis canonicæ vel humanæ: quia papa tales leges tollere posset, quia habet potestatē in omnibus habent formam & originem à iure positiuo. *6. di. per totum.* verba sunt Doctorum in *cap. cum ad mo nasterium, de statu mona.* ergo super his dispenset iuxta notata *de tempo. ordina. capit. ad aures* notat Hosti. *de treu. & pace. c. 1.* & talis est lex *frequens* concilii Constantiensis, quæ est lex posi vt contra ipsam papa posset dispensare & disponere pro libito voluntatis etiam sine alia causa in his solus motus papæ habetur pro causa: vt in *cap. cum nostris. §. nos vero, de conces. preben.* nec detur posse aliquis contra ista per papā facta dicere vel disponere: quia quicquid papa faciet si male facit, non potest damnari, nec ipse potest accusari. *11. q. 3. nemo. & c. aliorum* excepta h *40. di. c. si papa.* potest tamē moneri, vt hæc notant Doctores in *c. proposuit de conces. preben.* & ibi per An. & alios notatur in dicto *c. cū ad monasteriū in fi. de statu mona. & in ca. quanto, de consue.* causa legitima videtur, si propter infirmitatē, propter quam excusatur, si non vadit ad concilium *totum.* si vult mutare locum, in quo ipsa papæ facilis sit accessus, vt ipse qui est concilii & ecclesi pu

Digitized by Google

put intersit, & ecclesia si opus est reformet. Ex quibus videtur quod lege concilii Constantiensis non obstante, papa potest concilium dissoluere in totum si velit, etiam concilii contradictione non obstante, vel saltim possit mutare locum ciuitatis Basiliensis & ponere in alio loco concilium, per prædicta.

In contrarium videtur quod non possit solus papa concilium iam canonicæ conuocatum dissoluere sine voluntate concilii: quod ostenditur. nam concilia vt plurimũ celebrantur ad extirpationem hæresium vel schismatum: vt patet per omnia antiqua concilia discurrendo. Nam primum fuit concilium Nicænum, in quo Arrii Alexandrini episcopi hæresis damnata extitit. Secundum fuit contra Macedonium Constantinopolitanũ episcopum & hæreticum. Tertia fuit Ephesina Synodus in qua peruersum dogma Nestorii Constantinopolitani episcopi damnatum extitit. Quarta fuit Synodus Calcedonensis contra Eutiché abbatem Constantinopolitanum, hęc habetur. 16. *di. c.* 6. §. 1. *cum sequentibus.* Sed in causis fidei & hæresis extirpante est maior sententia concilii quam papæ. 40. *di. c. si papa.* & hoc quando est certum quod est contra fidem: licet & idem credam si est dubium: & ita debet intelligi glo. 15. *di. c. sicut.* & glo. in *c. Anastasius.* 19. *di.* & 93. *di. c. legimus. ver. si auctoritas.* & ibi glo. in *ver. maior.* Et assignat rationẽ Archidi. in *c. Anastasius* præallegato: quia periculosum foret causam, fidei relinquere vnius iudicio. Ego autem assigno aliam rationem: quia papa homo est & errare potest 19. *di. Anastasius.* & 21. *di. c. nunc autem.* sed concilium. i. collectio fidelium, *de conse. di.* 1. *c. ecclesia*, errare non potest 24. *q.* 1. *c. arrepta.* & ideo stare debet potius sententiæ concilii in causa fidei, vel quando est dubium, an sit consonum fidei, vel aduersum. Secundo probatur sic: concilia sunt inuenta ad instruendos Christianos & ad docendum populos doctrinas & mores, ne Christicolæ in hæresim, dilabantur: vt est tex. in *cap.* 1. 15. *di.* Sed si quando expedit habere concilium propter pullulantes hæreses vel scandala in Dei ecclesia insurgentia, papa concilium dissolueret re imperfecta existente, tunc papa perturbaret statutum vniuersalis ecclesiæ, concilio eidem ex causis legitimis dissolutioni contradicente. vnde tunc videretur sententiam concilii papæ fore anteponendam. 9. *q.* 3. *cap. nemo.* & ibi glo. quando dicit quod *orbis maior est vrbe*: & ideo non videtur papam posse reuocare in casu isto statutum Constantiensis concilii: quod est editum pro conseruatione statutus vniuersalis ecclesiæ, vt fiat de decennio in decennium concilium, vt euitentur hæreses & schismata, quæ cõmittuntur in Dei ecclesia propter non celebrare concilia: *dicto c.* 1. 15. *di.* Nam papa nõ potest perturbare statũ vniuersalis ecclesiæ: vt notat Inno. & Docto. in *c. quanto. de consue.* immo debet curare vt salus vniuersalis ecclesiæ semper sit salua. 25. *q.* 1. *cap. quæ ad perpetuam*, vbi est text. cum glo. quod quando aliqui sunt statuta generaliter ad perpetuam vtilitatẽ, papa ibi non potest contra disponere vel dispensare: & ideo cum hoc statutum Constantiense sit factũ pro statu & vtilitate vniuersalis ecclesiæ, non videtur quod papa solus contra illud possit disponere. 25. *q.* 2. *c. si ea.* vbi probatur quod papa contra statũ vniuersalis ecclesiæ disponens non est tunc constructor sed dissipator, contra sententiam apostoli 2. *ad Timotheum.* 14. *c.* dum dicit in personam papæ *secundum potestatem quæ mihi data est in ædificationem non in destructionẽ.* Nam quamuis papa omnia possit, contra statutum vniuersalis ecclesiæ non est ei permittendum: vt no. Inno. in *c. quanto. de consuet.* Et ideo quando præcepta papæ non recipiuntur ab vniuerso, non ligant. 3. *di.* §. *leges.* quia in concernente statum vniuersalis ecclesiæ ecclesia vniuersali. i. concilio contradicente disponere non potest 25. *q.* 1. *sunt quidam.* Et hinc sumitur ratio decisionis. glo. 9. *q.* 3. *cap. per principalem*, quæ dicit quod papa non potest deponere omnes episcopos, qui turbaret etiam ecclesiam vniuersalem. vbicunque igitur turbatur vniuersalis ecclesia, ibi papa non potest disponere, sed est sententia concilii contraria supra papam *d. c. per principalem.* Et hæc est etiam ratio decisionis Do. in *c. nulli. de sen. ex.* qui dicunt quod *si papa vellet vniuersaliter tollere priuilegium* canonis, *si quis suadente*, non posset. Itẽ quando discoloratur status vniuersalis ecclesiæ, papa non põt nedũ vniuersaliter tollere sed nec dispẽsare: vt no. Arch. in *c. sunt quidam.* 25. *q.* 1. allegat. 1. *q.* 7. *c.* & *si illa.* vbi idem Archi. & fuit dictum Iohannis in §. *nisi rigor. ea. q.* & ideo non potest dispensare vt clericus conueniatur in foro seculari. Ista est etiam ratio vna, quare papa non eligit successorem, quasi bonum vniuersalis ecclesiæ perturbaret: ita dicit glo. 8. *q.* 1. §. *his omnibus.* Et idem vult glo. 1. *q.* 3. *c. ex multis.* Ista est etiam ratio quare papa non potest tollere secunda euangelia & quatuor prima concilia, nec contra ipsa dispensare, quatenus tangunt causam fidei & generalem statum ecclesiæ: vt 15. *dist. c. sicut.* quia in illis consistit ecclesiæ fundamentum & bonum totius vniuersalis ecclesiæ. vnde firma & illibata permanent, iuxta illud: *Dei fundamentum firmum stat.* quinimmo si solum lex papæ concerneret statum vniuersalis ecclesiæ cõtra ipsa veniendo, non dico vtilitatem vel statum aut bonum, sed simpliciter statutum & concilium vel ecclesia contradiceret tunc videretur præferenda sententia contradicentium, quando allegaret causas legitimas: patet in lege coniugationis clericorum. quam non approbauit ecclesia orientalis. 31 *di. Nicæna.* & no. in *c. cum olim. de cleri. coniu.* & tunc renuentibus illis de concilio præualeat sententia concilii sententiæ papæ. Sed istud forte potest intelligi, quando papa contradictioni annueret, & nõ contradiceret, sicut fecit cum orientalibus. Nam si papa semper consisteret in sua opinione, tunc ex hoc non turbaretur proprie status ecclesiæ vniuersalis: tunc præferretur sententia papæ contra concilium: vt dicta glo. 4. *di. c. in istis*, cum similibus. Ex quibus videtur concludi, quod si in dissolutione concilii turbatur status & bonum vniuersalis ecclesiæ, ibi papa concilio non annuente vel contradicente ipsum non possit dissoluere.

Quid igitur sit dicendum? Ego salua determinatione sanctæ matris ecclesiæ ita dicerem: quod si concilium est celebratum pro aliqua causa fidei, vel quæ concernat fidem, vt pro extirpanda

Digitized by Google

aliqua hæresi, quæ scandalizet vel incipiat scandalizare ecclesiam Dei, vel de qua sit dubi an sit hæresis, tunc cum expeditio huius causæ non pertineat solum ad papam, quando iam concilium est collectum, sed magis ad concilium: & in hac decisione sit maior sententia concilii quam papæ, vt supra deduxi: certe papa ante rem expeditam non poterit concilium dissoluere, vel in his despensare sine voluntate concilii: quia si sibi non liceat in causa principali dispensare, ita nec illis quæ sunt præambula necessaria ad ipsam causam principalē, sicut est conciliū, quod est præambulū & necessarium ad fidei declarationē & extirpationem hæresis. Nam ille debet iudicare de his quæ sunt ad finem, qui est iudex siue princeps finis. *l. iustissime. ff. de adi. edic.* facit *l. ad rem mobilem. l. ad legatū. ff. de procura.* Et hoc sibi dici debet, ne papæ liceat per indirectum quod directo non licet. *l. hoc modo. ff. de condi. & demon.* & in regula *cum quid vna via. de regu. iur. & in c. quando. de priuile.* Si papę non licet directo contra sententiam concilii improbare vt hæreticū, quod cōcilium fidele esse dicit: vel non potest dicere. i. fidei consonum, quod concilium hæreticū esse diceret. Sic non poterit per indirectum dissoluendo concilium facere, quod id quod arbitratur hæreticū dicatur esse fidei, vel in sua opinione consistat soluendo concilium, vt de causa cognosci non possit, vel antequam ipsa causa cognoscatur. prædicta intelligo vera, quando esset causa hæresis dubia: quia dubitaretur an causa, quæ disceptatur, esset hæretica censenda: tunc si propter hanc causam concilium esset conuocatum, ante determinationem huius causæ à papa non debet dissolui. Nam si certum esset, quod causa haberet hæresim, vt quia ipsa hæresis esset ab ecclesia iam damnata, tunc non esset opus concilio ad finem, vt iterum damnaretur hæresis ipsa, vel in ipsam postea incidentes. Nam sufficeret antiqua damnatio, etiam quo ad nouiter incidentes. tex. est. 24. *q.* 1. *cap.* 1. 2. & vbi dicit tex. quod id quod contra vnamquamque hæresim congregata semel synodus pro fide communione & veritate catholica promulgasset, non sineret nouis post hoc retractionibus mutilari: & ideo si contenderet concilium cum papa, vt non dissolueret, & hoc vt iterum talis hæresis damnaretur, talis contradictio non deberet impedire concilii dissolutionem, si papa dissoluere vellet, vt dictis iuribus. & *l. nemo. C. de sum. trini.* Credo tamen quod si iterum hæretici vellent se concilio subiicere & reuerti, aliter non reuersuri nisi per manus concilii, quod papa inuitis patribus de concilio non posset ante hæreticorum correptionem dissoluere concilium: quia si correcti volunt redire, sunt admittendi. 23. *q.* 6. *c.* 1. no. glo. in *c. maiores.* 24. *q.* 1. & vult Beatus Thomas *secunda secundæ. di.* 11. *quæst.* 4. immo quod plus est, si correcti & emendati venire volunt, admittendi in concilio generali sunt. 1. *q.* 7. *c. conuenientibus.* sed si perseuerent in eorum errore, non sunt vocandi ad synodum, nec admittendi. 24. *q.* 3. *c. cum quibus.* Et, vt dixi, circa hęresis materiam & in concernentibus fidem maior est sententia concilii quam solius papæ: per supradicta. idem credo si vellent cum concilio se disputationi subiicere, non tamen temere de fide disputantes, sed vt docerentur, vel ipsis ostenderentur eorum errores, vel ad reprobandum prauam hæreticorum opinionem: posset tunc concilium ipsis subiicere certamen, & velle cum ipsis iterum & iterū disputare: & in hoc præualeret sententia concilii sententiæ papæ, quæ, vt dixi, in causis fidei & hæresum est sententiæ pontificis præponenda. nam illis præsertim de concilio licet ad confusionem hæreticorum de fide publice disputare. tex. est in *l. quicunque. C. de epi. & cle.* & notantur in dicta *l. nemo. C. de sum. trini.* & glo. in *c. nos ad fidem.* 96. & 9. *di. c. quis nesciat.* & tenet Inno. & Doct. in *c. damnamus. de sum. trini.* & gl. in *d. c. nos ad fidem.* dicunt disputare de fide ad confusionem hæreticorum vel ad veritatis dilucidationem non est solum, vt refert fecisse Syluestrum: & hoc licet clericis: laicis autem non: vt in *c.* 2. *de hæreti. li.* 6. idē tenet Beatus Thomas *secunda secundæ. dis.* 10. *q.* 7. hanc sententiam vidi confirmatam in litteris reuerendissimi domini mei domini Iuliani de Cæsarinis sancti Angeli Diaconi Cardinalis præcedentis in Basiliensi concilio, qui ex relatis per Vincentium historicum. *li.* 14. *ca.* 1. dixit Siluestrum cum duodecim scribis Iudęorū publice de fide disputasse. Itē refert Vincentiū in *eodē libero circa finē, & in libro.* 16. dicentē quod post damnationē Arrii factā in cōcilio Niceno per 26. annos, demū Athanasius publice iterum disputauit cum Arrio antedicto, quē Christi virtute conuicit. Itē dicit Vincentius *li.* 21. quod Synodus Chalcedonēsis iterum Nestoriū anathematizauit prius in Ephesino Synodo damnatū orthodoxis catholicis cum hęreticis disputātibus. Itē Eutiches, qui secutus est errorē damnatum in Niceno concilio, quod Christus tantum vnam naturā habuerit: vt dicit Vincentius. *li.* postea in synodo constantinopolitano iterū auditus est in disputatione & cōuictus, vt refert Isidorus in *libro conciliorū.* idem fuit in hæresi Donatistarū, de quibus habetur, 23. *q. fi.* §. *Donatistæ.* qui enim dicerent patrem maiorē filio, & spiritū sanctum minorem filio, quæ hæresis est contra fidem quatuor primorum conciliorū: vt patet in *symbolo* Athanasii & in *epistola Victor. C. de summa trini.* Isiodorus in *libro conciliorū* dicit quod in 11. Carthaginensi synodo Donatistę vocati fuerunt, & cum eis super tali errore disceptatū plurimaq; alia retulit idem pater & Dominus reuerēdissimus scientiæ profundissimæ. Ex quibus arbitror, quod si concilium ad extirpandā hæresim propter aliquā deliberaret cum hæreticis assumendā eam disceptationē etiam de hæresi iam damnata vel vocarent vel reuocare conarentur hæreticos ab errore, quod in hoc cum sit causa fidei esset standum concilii sententiæ: nec esset in hoc sectanda contraria sententia papæ, per iura antedicta. Si vero concilium non esset collectum pro bono concernēte statum vniuersalis ecclesiæ & commodi, & si papa vellet dissoluere concilium, vt super tali bono concilium non prouideret, tunc papa solus prouideret, tunc papa solus non potest concilium dissoluere, quia contra bonū vniuersalis ecclesiæ papa solus non potest dissoluere: vt volunt prædictæ glo. 8. *q.* 1. §. *his.* 1. *q.* 3. *ex multis.* & ideo quādo ageretur

tetur causa hæresis papæ, vel quando papa diceretur apostaticus, vel renunciasset, vel quando duo de papatu contenderent, quibus casibus dixi opus esse concilio. *79. di. c. si duo.* & *c. si quis pecuniam.* & *40. di. c. si papa.* & *19. di. c. Anastasius*, tunc ante istam finitam disceptationem ex sola voluntate papæ non posset concilium dissolui. Ratio, quia tunc agitur de statu & bono vniuersalis ecclesiæ, cum disputetur & recensendum sit de eius capite: vt vult glo. in *d. §. his omnibus.* 8. *q.* 1. quo casu non potest solus papa disponere sine concilio. ita no. Inn. & ita hoc tenet Do. Antonius de Butrio in *c. quanto. de consue.* & est no. Inn. in *c. inquisitionis. de sen. excõmuni.* vbi vult Inn. quod si papa etiam in spiritualibus præcipit aliquid quod sapiat hæresim, vel si ex eius præcepto iniusto præsumeretur status ecclesiæ perturbari, vel etiam forte alia mala ventura esse, quod tunc ipsi parendum non est, quia debent futura mala præcaueri. Nec obuiat gl. 25. *q.* 1. *c. sunt quidam in fi. glo.* quæ fuit additio Bartholomæi Brixiensis, qui vult quod contra generalē statum ecclesiæ papa possit disponere & dispensare: quia fateor vna cum cõcilio, sicut fecit Inn. in *c. non debet. de consang. & affi.* Et ita debent intelligi verba In. in *d. c. quanto. de consue.* qui dixit quod contra statum vniuersalis ecclesiæ non erat papæ permittendum dispensare, videlicet à concilio, cuius sententia præualet in hoc. sed cum concilio papa poterit: vt in dictis iuribus. non debet igitur papa solus disponere quod clerici coniugent, seu homines coniugari possint, licet posset dispensare cum vno aliquo singulari vel pluribus: vt not. in *c. cũ ad monasteriũ. de sta. mona.* Et sicut dicimus, quod papa potest priuare vnũ aut duos episcopos, sed non omnes, aut maiorē partem, quia hoc esset turbare bonũ vniuersalis ecclesiæ: dicto *c. per principalem.* 9. *q.* 3. & ideo in casu moderno, quando est statutũ pro bono vniuersalis ecclesiæ in Constantiensi concilio, quod fiant concilia de decennio in decenniũ pro reformatione ecclesię, quæ in schismata & hæreses prolabatur si nõ reformatur Credo quod cum hoc statutũ concernat bonum ecclesiæ vniuersalis: & quod statuto non seruato status ecclesiæ discoloratur, quia notoriũ est quod in nõnullis partib᷒ clerici incedunt in habitu seculari magis cõueniente satrapis & militib᷒ quã regularibus personis: & intendũt venationibus & aucupationibus magis quã in officiis diuinis, vnde si non reformantur, discoloratur status vniuersalis ecclesiæ, quod papa hoc statutum Constantiense solus non possit tollere. Nam sicut dicit Magister Sententiarum *lib.* 1. *di.* 13. super illud in quo dicit quod Deus potest omnia, vt intelligatur præter ea sola, quibus Dei dignitas læderetur: eiusq; excellentiæ derogaretur: quia hoc nõ esset posse sed non posse. Si igitur Deus nõ potest facere id quod est indecēs, & quod læderetur eius excellentia: ergo minus papa, cuius potestas est Dei in terris: vt in *c.* 1. *& per totum: de transla. præla.* vbicunq; igitur læditur status vniuersalis ecclesiæ, vel vbi læditur excellentia papatus, papa sic agente; ibi sententia concilii est maior sententiæ papæ: quia papæ peccanti non est parẽdum, vel quando ex eius præcepto mala aliqua sperantur: vt dicit Inno. in *d. c. inquisitionis. de sen. excom.*

Sed an possit super loco vel abbreuiatione, vel elongatione temporis dispensare, non obstante statuto Constantiensi quod incipit: *frequens?* forte quod sic: vt probant iura in principio istius partis inducta: quia etiam in concernentibus statum vniuersalis ecclesiæ, nisi discoloratur status eius, quando papa vellet in vno aut duobus dispensare, ex quo nõ discoloratur status vniuersalis ecclesię; papa potest dispensare: vt notat Archidia. in *d. c. sunt quidam.* 25. *q.* 1. Et hoc credo verum, quando talis dispensatio non fieret in fraudem, vt per indirectum tolleret ipsum statutum in totum, sicut factum fuit de concilio Papiensi translatum per dominum Martinum Senis, quod nullum effectum peperit, sed re imperfecta fuit dissolutum: quia tunc cum non liceret papæ ipsum statutum, vt dixi, directo tollere, ita nec per indirectum liceret. *l. hoc modo. ff. de condi. & demon.* Non enim liceret sibi quando ex tali mutatione turbaretur status vniuersalis ecclesiæ, vel si forte multa mala successura forent: vt no. Inn. *de sen. excom. c. inquisitionis.* Et pro hac sententia facit quod no. 79. *di. c. si quis pecuniam*, vbi glo. vult quod si coniugatus eligatur in papa, quo casu valet electio, si vxor non potest induci ad continentiam, congruum foret eum renunciare papatui, ne scandalizaretur ecclesia, & res sit mali exempli, quod sit papa & vxorem retineat. Fraus autem posset probari à priori & à posteriori & à medio & ab omnibus simul iunctis: vt no. Docto. aliqui moderni in *l. multum C. si quis alteri vel sibi.* & probatur præsumptionibus, quia vere probari non potest: vt *l. dolum.* & ibi per Docto. *C. de dolo. & in c. ad nostram. & in c. cum in diœcesi. de vsur.* Probatur igitur fraus ex antecedentibus, quia ex præfationibus cognoscitur animus. *l. si. ff. de hæredi. insti. & in c. scribam. de praben.* vel ex gestis in ipso actu, si causæ quæ allegantur in dispensatione sint veræ vel verisimiles. *l. si quis cum aliter. & l. ita stipulatus. ff. de ver. obli.* Item si locus, qui commutatur vel tempus non est congruum, ita quod si expectaretur tempus hæresis, forte non posset extirpari, propter quã esset concilium collectũ, vel locus non esset tutus, vt quia forte papa vel Cardinales vel clerici, qui ibi debent informari ratione loci non possent redargui. nam & locus & tempus est considerandum: vt in *cle. pastoralis. de re iudi.* Item probaretur, si papa voluisset primo dissoluere & videns non posse locum aut tempus vellet mutare. Item ex his quæ sunt post actũ, dolus potest coniecturari. *l. si qui adulteri. C. de adul.* Probatur etiam ex actibus & consuetudinibus facientiũ. Ex quibus dico, quod si conciliũ arbitraretur ex legitimis coniecturis talis loci vel temporis mutationes fieri in fraudē, vel ex tali mutatione multa mala secutura forent, vel turbaretur status vniuersalis ecclesiæ; concilium non deberet tales dispensationes admittere, ne ipsi papæ per indirectum liceret quod directo non liceret: dicta *l. hoc modo. ff. de condi. & demon.* & tunc dicerem, sententiam concilii papæ posse in alii despensare: per notata supra & per ea quæ dicit Archi. in dicto *cap. sunt quidam.* 25. *q.* 1. & per no. per doc. in *c. quanto. de consue. & in c. cum ad monasteriũ in fi. de sta. mona.* Quando autē dissolutio

concilii non induceret hæreses, vel non haberet dubia fidei, vel non induceret turbationem ... tus vniuersalis Ecclesiæ: tunc liceret papæ ipsum concilium ad voluntatem & nutum suum dissoluere, etiam nonobstante contradictione concilii, per iura primo inducta: & etiam non obstante dicto statuto in Constantiensi concilio edito quod incipit *frequens*. pone enim quod etiam temporibus fuisset congrue reformata in concilio Papiensi, aut Senensi, ita quod modernis temporibus reformatione tam solenni & magna & vniuersali non indigeret, sicut iam indiget, an posset hodie papa concilium dissoluere non obstante dicto statuto Constantiensi? credo quod sic, per iura pro ... parte allegata. sic intelligo has dubietates.

SVMMARIVM.

Quæ sententia potius attendenda sit, an Papæ solius, an totius Concilii, vel maioris partis Concilii Papæ sententiæ aduersantis.

CAPITVLVM XXVI.

NVnc vtilem quæstionem attingo: quæ sententia potius attendenda sit: an papæ solius, an totius concilii vel maioris partis concilii papæ sententiæ aduersantis? Et hæc quæstio plurimum concernit fundamentum Ecclesiæ militantis. Videtur argumentando dicendum non dicendo primo quod maior sit sententia totius concilii quam solius papæ: quoniam Christus Ecclesiam videtur constituisse non in solo Petro, quem Apostoli videntur constituisse principem Ecclesiæ, 21. di. *nono*, sed in omnibus Apostolis, iuxta verba psalmistæ Psalmo. 86. dicente Propheta: *Fundamenta eius in montibus sanctis*. per montes insinuans Apostolos atque prædicantes quibus tota huius ædificii fabrica commissa videtur: qui bases firmissimi Ecclesiæ forent vt transsumptiue hæc habentur in *fundamenta. de elec. lib. 6. & in capit. 1. de reli. & venera. sanc. eodem libro*. Si igitur Ecclesia fuit constituta non in solo Petro: quia Christus fundauit Ecclesiam super Petrum non tanquam in se ... sed in personam Petri nomine totius Ecclesiæ, vt in ipso vno significatiue & figuratiue vna significaretur Ecclesia. 24. *quæst. 1. c. quodcunque*, & infra dicam: vt ex hoc denotaretur vna Ecclesia non plures. 24. *q. 1. c. loquitur*, potius tamen ipsam in omnibus Apostolis constituit, licet in Petro, vt in vno, vt dixi, significatiue & figuratiue, quæ erat tamen in omnibus Apostolis substantialiter, principaliter & effectiue: iuxta illud Augustini super Iohannem Homelia quinquagesima, *Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit*. Ex quo sequitur, quod substantialiter & effectiue potestas clauium principaliter in Ecclesia & in Petro significatiue & substantialiter vna cum aliis, vt in dicto *capit. quodcunque*. Ex quo sequitur, quod maior est sententia concilii quam solus papæ, quia in cōcilio est tota Ecclesia & non in solo papa. Et hoc probatur in simili in Episcopo & in capitulo, quoniam ambo totam suam Ecclesiam repræsentant. nam Episcopus in capitulo se habet vt caput, & cæteri se habent vt membra: vt in *c. nouit. de his quæ fi. à præla. sine consen. cap.* Et idem est in papa, qui se habet vt caput: & ideò Petrus dictus est Cephas: reliqui prælati vt membra. sed sententia Episcopi non est maior sentētia sui capituli, etiam si habeat aliquos de capitulo secum, dummodo nō habeat maiorem partem capituli: vt no. in *c. postulastis. de concess. præ.* & ibi per Docto. & in *c. à collatione. de appel.* 6. & ibi latè per Io. An. in *nouel.* quicquid dixerit Host. Sic est in Ecclesia, cuius papa est caput ... *ita Dominus. & in c. rogamus*: 24. *q. 1.* igitur si est ipse caput & alii membra, eius sententia discordans ab aliis membris non præualet, vt dictis iuribus: & hoc ostenditur naturaliter loquendo. Nam quemadmodum naturalis capitis operationes nullæ sunt sopitis vel resilientibus omnibus aliis membris, vt hoc est naturaliter notum, sic in mystico corpore Ecclesiæ non debet posse papa caput Ecclesiæ disponere, membris aliis omnibus resilientibus: concilium enim vt vnum corpus mysticum quod repræsentat Ecclesiam, comprehendit papam, caput & membra. vnde videtur eminentior auctoritas totius concilii caput & totum corpus repræsentantis quam partis scilicet capitis repræsentantis, quia partes per se non habent plus auctoritatis suo toto integrali vel maiori parte corporis ... lis, iuxta *l. quod maior. ff. ad munici.* immò videtur esse totum econtra: cum partes & ordo partium habeant ad ipsum totum vel ad maiorem partem, quæ habet vim totius *l. maiorem. ff. de pac.* ... nem, secundum Philosophum *primo Ethicorum*. Ex quibus videtur quod maius est concilium ... tum vel maior pars concilii qui repræsentant totum, quam papa vel aliqua alia ipsius concilii ... minor: vt quia scriptum est Matthæi 18. *Si duo aut tres conuenerint in nomine meo, ego in medio eorum sum*. Si igitur concilium est legitimè congregatum in nomine Dei, patet quod Christus in medio ipsorum tanquam caput. vnde potius valere debent quæ fiunt à concilio, vbi Christus, quam illa quæ fiunt à solo papa, cum quo plerisque & multoties Christus non est, vt quando peccat. 21. *di. nunc autem*. iuncto *capit. item vt Christus. de pæni. di.* 1. vbi probatur quod qui operatur Christo sicut concilium in nomine eius congregatum Christi filius comparatur: qui verò malè, filius est Diaboli, vt ibidem. Ex quibus videtur concludi quod potior sit sententia concilii Spiritu sancto congregati, quam solius papæ aliter sentientis. & hoc probat tex. 15. *di. sicut sancti* ... quod ea quæ in conciliis statuuntur, cum sint communi sensu constituta, se non illa destruit, si præsumpserit absoluere quos ligauit, aut ligare quos absoluerit. & hæc sententia ostenditur ex gestis ipsorum Apostolorum: secundo ex potestate eis à Christo attributa. Ex gestis. n. Apostolorum probatur. nam quamuis haberent Petrum summum pontificem in conciliis, ipsi tamen cum Petro statuebant: & sicut per ipsos omnes determinatum fuit obtinuit. primum patet cum Mathiam elegerunt

Digitized by Google

gerunt in locum Iudæ, *Act.* 1. *cap.* Secundo cum elegerunt Stephanum *Act.* 6. *cap.* Tertio cum aliqui Pharisęorum dicerent quod adhuc oportebat circumcidere. nam tūc electi sunt ex omni parte Apostoli ad tollendam seditionem hanc: vt habetur *Actuum* 15. *c.* vbi dicitur quod *Apostoli & seniores conuenientes in Hierusalem statuerunt*: & id ratum & firmū fuit. Et ibi apparet, & in sequenti epistola q̄ Petrus tanquam vnus de congregatione sermonem fecit: & post ipsum Iacobus Apostolis: & quod per ambos consultum fuit, congregatio statuit: nec responsio fuit contenta in personam Petri, sed in personam totius congregationis. Si igitur ita constitutū fuit ab his, qui pleni erant spiritu sancto, fortius hodie sic debet statui. Ibi enim dicitur quod *Apostoli & seniores fratribus his qui erāt in Antiochia rescripserunt*: & in dicta epistola subditur: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Vnde illud quod dicitur quod sedes Apostolica habet plenitudinem potestatis: videtur debere intelligi non de solo papa, sed de tota simul vniuersitate. Nam aliud est sedes Apostolica, & aliud papa: vt in *c. fi gratiose. de rescrip. lib.* 6. Nam papa consideratur pro solo ipso pontifice residēte: sed sedes Apostolica capitur vel pro tota ecclesia vniuersali, vel saltim pro tota Romana ecclesia: vt statim dicam, & hac de re in eadē epistola dicitur, quod *Paulus Apostolus per Syriam & Pamphiliā præcepit custodiri præcepta Apostolorū & seniorum.* Et idem *Actuum* 16. *c.* dicitur quod *Paulus & Tymotheus transeundo per ciuitates mandabant eis custodire sancita ab Apostolis & senioribus qui erant Hierosolymis.* Idem fuit ad tollendas obseruātias antiquæ legis. Nam Petrus cum vniuersitate deliberauit, vt habetur *Actuum* 21. *c.* Et ideo concilium Affricanum statuit: quod *in omni ecclesiæ periculo conuocaretur conciliū.* Nota quod non dimisit ista pericula decidenda summo pontifici soli: sed voluit concilium generale adhiberi. Et hoc probatur 15. *dist.* 1. *& in c.* 62. *concilii Calcedonen.* dum dicit ibi: *In hoc enim & aliis fidem tangentibus statutū est, vt ad concilium recurratur*: quia in hæresi & in scismatibus, & in concernentibus periculū ecclesiæ, ad concilium est recurrendū 15. *di. c.* 1. in quibus maior est sententia cōcilii quàm papæ: vt no. glo. in *d. c.* 1. *&* 19. *di. Anastasius.* Et hoc est certum, quando causa foret certa quod esset contra fidem: licet & idem sit dicendū cum est dubium. Nam vt dicit Archi. in *d. c. Anastasius* 19. *di.* periculosum foret fidei causam vnius hominis iudicio relinquere. Sed ego allego aliam causam: quia papa solus homo est & potest peccare *d. c. Anastasius. & in c. Achatius* 24. *q.* 1. *&* 21. *di. nunc autem.* & iuxta illud *Omnis homo mendax.* Sed concilium, id est, ecclesia & collectio fideliū: *de conse. di.* 1. ecclesia errare non potest 24. *q.* 1. *arrepta.* & no. *de baptis. c. maiores. & in c. quodcunq.* 24. *q.* 1. Nā orauit redemptor noster pro ecclesia ne deficeret fides sua 21. *dist.* 1. *in fi.* dum Christus dixit: *Ego Petre pro te rogaui vt nō deficeret fides tua.* Quæ auctoritas debet intelligi non de fide personali Petri: quia ipse plerumq; errauit, tum quando Christum negauit, tum etiā quādo Paulus ipsi publice restitit. Vnde ista auctoritas debet intelligi de fide ecclesiæ, pro qua orauit ne deficeret fides sua. & ipse redemptor voluntate suorum non fraudabitur. ita dicit glo. in *d. c. quodcunq.* quæ dicit quod ecclesia Romana errare nō potest, vt intelligitur de Romana ecclesia vnita cum cardinalibus & aliis prouinciis Romanę, non prout est in solo papa repræsentata: quia constat quod papa peccat quotidie, dicto *c. nunc autem.* 21. *di.* & quod non peccet sedes Apostolica, sicut dixi, vnita cum cardinalibus & aliis prouincialibus pręlatis. Vult beatus Cyrillus super Matth. 16. c. super illo verbo, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam* dum dicit. *Secundum hanc Domini promissionem ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione & hæretica circumuentione inuiolata manet super omnes præpositos & episcopos, & super omnes primates ecclesiarum & populorū in suis pontificibus in fide plenissima & auctoritate Petri. & cum aliæ ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, in vera stabilitate ipsa sola regnat, & silentium imponens omnia obturans hæreticorum ora.* Hæc Beatus Cyrillus locutus est de ecclesia Apostolica & Petri auctoritate, & non de sola tota vniuersali ecclesia. & hoc modo debet intelli quod ad sedem Apostolicam maiores causæ, vt fidei, deferuntur. vt *de bap. c. maiores*, non vt solus papa determinet, sed cum tota Apostolica sede, id est, cum concilium cardinalium & prælatorum sibi assistentium vel potius cum concilio prouinciali Romanæ ecclesiæ vel cum cōcilio ecclesiæ vtilis. & his casibus ecclesia dicitur non errare: quia, vt pluries dixi, solus papa quotidie errat, sed non sedes Apostolica, vt infra dicam circa finem istius quæstionis, quia fides ecclesię nō est in sapientia hominū sed in virtute Dei: *Ad Corinth.* 2. & quod concilium errare nō possit tenet Io. An. post Hostien. in *c. à nobis. el.* 2. *de sen. exco.* Et hoc credo verū, licet aliqui dicāt quod & conciliū errare potest. Nā Apostoli omnes errauerūt, & sola fides remāsit in beata Virgine, sed non credo benē dictū: quia quando Apostoli errauerūt, nō erant conciliariter collecti. vnde nō errauit conciliū, nec ecclesia collecta vniuersaliter. Non obstat q̄ habetur 36. *q.* 2. *placuit*, vbi dicitur quod rapta nō possit nubere raptori, & fuit hoc statutum in cōcilio apud Aquisgranū, cuius contrariū vult Hieronymus, vt habetur in *c. causa. & in c. tria. & c. denique*, quia potest responderi, vt ibi sentit glo. quod illi capitulo in concilio prædicto fuit derogatum. vel in *c. accedens. de raptu.* Nam idem quod statutum erat in concilio, erat statutum de iure ciuili *l.* 1. *C. de raptu virg.* sed his iuribus fuit derogatum per secundas contrarias dispositiones. sed per hoc non conuincitur quod concilium errauerit. Nam concilia quotidie statuit contra prius statuta in aliis conciliis, immo papa solus multotiens statuit contra determinata in generalibus conciliis, vt patet ex notatis in *c. vbi periculum. de elec. lib.* 6. & tamē ex hoc non conuincitur error concilii, quia non debet reprehensibile iudicari si secundum varietatē temporum statuta quandoque varientur humana, quia etiam ipse Deus nonnulla, quæ statuerat in veteri testamento, mutauit in nouo *de consang. & affi. c. non debet.* vel tex. in dicto *c. placuit*, loquitur quando rapta, quæ consentiebat in raptorem, non erat alteri nupta per verba de præsenti, & sic concordat cum beato Hieronymo, & non contradicit. Stemus igitur cum sententia Doctorum, quod con-

Digitized by Google

cilium errare non possit. cum enim conueniant in nomine Spiritus sancti, absurdum esset dicere quod erraret. vel potest dici quod concilium generalia non subsunt errori, quando eorum gesta per ecclesiam vniuersalem vel saltem per Romanam ecclesiam aliquando sunt recepta, etiam si postea per papam vel alia concilia sint immutata, per prædicta. sed si ab ecclesia vniuersali nō sunt recepta, vel ab ecclesia Romana, vt gesta Ariminensis concilii & Ephesini concilium secundi & Africanæ synodi tempore Cypriani celebratæ, de quo Augustinus in 7. *lib. de vnico baptismate*, & multa alia concilia, vt concilium Aquilegiense, quod recusauit suscipere fidem in concilio Constantinopolitano canonice traditam, vt dicit Vincentius in *Historia libro* 26. *cap. & ca.* 21. & tunc concilium potest errare, sed non est proprie statutum, quod ab vniuersali ecclesia & præsertim à Romana non est receptum. 4. *di. in* §. *leges*, ibi, *in vsibus hominum comprobata*, quia vbi in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilii debet teneri sententia, cuius antiquior & potior extat auctoritas. *di. c. Domino sancto, in fi.* sed potior est auctoritas, quæ vsibus hominū est comprobata. ergo illa est attendenda. Et ideo ego credo, quod si papa contradiceret concilio, & sententia papæ potius reciperetur ab ecclesia vniuersali, quæ in vsu sententiam papæ & non concilii præferret, quod tunc sententia papæ amplectenda foret: sed non est sola sententia papæ, sed quia vsus vniuersalis ecclesiæ probauit. Et est ratio, quia in illo concilio quod sicut statuisset non fuit repræsentata vniuersalis ecclesia, quia repræsentatū cessat vbi veritas & expressio se habet ad contrarium *l. cum ex filio. ff. de vulga. & pupil.* & sic possunt intelligi quæ dicta sunt de prædictis cōciliis Ariminensi & Ephesino secundo. sed si ecclesia vniuersalis non improbat facta concilii, sed dissentit papa & maior pars cōcilii adinuicem, credo in dubio in causis fidei stari concilio, per supradicta, & dicam infra in decisione huius quæstionis. Potest etiam responderi ad illa iura concilii quæ loquitur de raptore, vt non possit copulare matrimonio raptam virginem, cui concilio dissentit Hieronymus, vt dixi, quod auctoritas Hieronymi vel Augustini præualet sententiæ papæ vel cōcilii, quando Hieronymus vel alii doctores ecclesiæ habent auctoritatem pro se veteris vel noui testamenti 20. *di. c. de libellis*. non tamen dicitur per hoc errare concilium. si ergo discrepat papa & maior pars concilii, videtur attendenda sententia concilii, cum orbis sit maior vrbe, & vniuersalis ecclesia sit maior sola ecclesia Romana: quod intellige prout est in solo papa repræsentata, & prout in administratione particulari & in specie papa & pontifex. ita intellige tex. 93. *di. legimus*, ibi, *si auctoritas quæritur* &c. Quis enim sanæ mentis diceret sententiam amplectandam solius papæ, quæ potest errori subesse, & postponendam sententiam ecclesiæ, quæ nullo modo potest errori esse submissa? Nam oculi plurimorum magis vident quam oculi vnius: & plures manus magis possunt quam vna. *l. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. & c. mandata, de præsumpt.* Et ideo in bono ecclesiæ debet suscipi quod est maius bonum, vel illorum qui plus vident & possunt sententia suscipiatur. Ista etiam sententia probatur ex potestatibus attributis à Christo Apostolis. nam Christus non dedit potestatem soli Petro, quamuis ipsi per prius & principaliter potestatem dederit: sed omnibus Apostolis dedit 19. *di. ita Dominus*. Nam omnibus Apostolis post resurrectionem dixit: *accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata* &c. 24. q. ... loquitur, ibi, *& quamuis Apostolis*, & in §. fin autem. & hoc est quod dicitur, quod cæteros Apostolos pari consortio cum Petro constituit, 21. *dist. cap. in nouo*: quia eis per omnia eandem potestatem concessit, quamuis, vt dixi, per prius & principaliter Petro concesserit. quæ potestas videtur esse diuersa ab illa Petri, alias si intellexisset quod esset penitus vna & vnita potestas, frustra ... lam repilogasset, postquam iam Petro contulerat per eum vt dicitur principem in alios diuidendam. sed quia non videbatur proprie princeps, sed suam habebat quisque eandem potestatem à Christo, & alii similiter Apostoli: ideo bis primò Petro, deinde Apostolis concessit, vt ambo à Christo ipsam susciperent potestatem. & quia Petro primo concessit vt principali, fuit quasi princeps, ... vere videtur princeps: ita dicit tex. 21. *di.* §. 1. ibi, *Petrum.* &c. vt à Christo haberent immediate ... à Petro potestates istas. Et hoc videtur velle, quod Christus dixit Lucæ 22. *cap. dispono vobis regnum sicut pater disposuit mihi regnum*: non ergo regnum ipsum soli Petro disposuit, sed omnibus ... Apostolis ipsum commisit. hoc patet, quia papa est minister hanc potestatem recipiens ... subiectum aliquod in quo ipsa potestas est: & ipsam administratiue dispensat, vt dixit Christus Lucæ 22. cap. *qui præcessor est in vobis fiat sicut minister*; & quia potestas ista non est propter papam, sed propter ecclesiam, vt per hanc potestatem militans ecclesia ab ipso dirigatur: & sicut potestas sit in ecclesia nō tanquā in subiecto, sed vt in obiecto & in fine: quia finis papæ est directio ecclesiæ & ipsa ecclesia est finis papæ, iuxta illud Apostoli pluries allegatū. 2. ad Corinth. 12. *secundū potestatem quæ mihi data est in ædificationē non in destructionē*. vnde ecclesia vniuersalis, in qua est ista potestas obiectiua & finalis, debet posset ipsum papā dirigere, quādo ipsā destruere conaretur. *l.* 2. §. *Domini. ff. de his qui sunt sui vel alie. iur.* & sic videtur quod maior est potestas ecclesiæ quæ est finis quam papæ qui est ad eius finem. Et ideo cum esset facta contentio inter Apostolos, *quis esset maior*, ... Iesus Lucæ 21. *reges gentium dominantur eorum, sed non ita erit inter vos: sed qui maior est fiat minor, & qui præcessor est sit minister*. 93. di. diaconi. Si igitur voluit, quod singuli se minores reputarent, ... deretur principatum concessisse: quia non debet principatum habens se minorem aliis ... Et quod fuerunt pares patet, quia Paulus fuit par Petro. 2. *quæstio.* 7. *c. beatus. & in c. fundamenta* ... *de elect. lib.* 6. immo Paulus Petrum aliquando reprehendit, vt supra dixi. & quod non fuerit inter Apostolos differentia maioritatis probat Apostolis ad Galatas 2. dum dicit; *& cum cognouissent gratiam*

gratiam quæ mihi data est Iacobus & Cephas & Iohannes qui videbantur esse columna, dederunt dexteram societatis mihi & Barnabæ. Nota quod solus Petrus non erat coluna, sed isti tres dicebantur, esse columnæ. Item præferendo Iacobum Petro designat eum priorem: quia priores sunt inferioribus præponendi, *de maior. & obe. c. statuimus.* & merito videtur prætulisse Iacobum Petro: quia Iacobus successit in ecclesia Hierosolymitana Christo: vt *c. sacerdos. de consec. di. 2. & de sum. trini. c. 1. §. vna vero.* Et ecclesiam Hierosolymitanam suo sanctissimo martyro & sanguine rubricauit. qui igitur in eadem ecclesia successor fuit Christi, debuit potius dici summus sacerdos & aliorum princeps, sicut Christus fuit: & hoc probatur *Actuum 15. c.* vbi Petro & Paulo allegantibus, Iacobus sententiam tulit dicens: *ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur.* sed si Petrus erat summus pontifex & princeps, Iacobus ipse inferior præsente Petro non debuisset prius cognoscere & pronunciare: sed debuisset prius deferre Petro *l. humanum. Cod. de legi.* vbi est text. quod quamuis senatores possunt leges condere, tamen illas non faciunt præsente principe, nisi princeps auctoritatem interponat. Item si Petrus fuisset princeps, non dedisset dexteram societatis: quia sibi non debuissent esse socii, sed subditi. Et ideo papa vocat omnes episcopos fratres non subditos: vt in *cap. quam graui. de cri. fal.* vt denotet super episcopos non habere auctoritatem nisi sicut frater maior habet in fratrem: & Christus omnes Apostolos vocauit fratres, iuxta illud Matth. 23. ibi: *vos omnes estis fratres.* & quod non esset impar Paulus Petro, est tex. 2. *q. 7. Paulus.* & ideo tex. 21. *di. §. horum,* dicit quod Petrus quasi princeps factus est, vt non esset vere princeps, sed quasi princeps: quia dicto *quasi* impropriétatem significat. Item si Petrus fuisset princeps, alii Apostoli ipsi non imperassent. sed contrarium legitur *Actuum 8. c.* quod Samaria recepisset verbum Dei miserunt ad illos Petrum & Iohannem. §. *de quo habetis. de sacra vnctione. c. 1. quia vero.* & sic Petrus non videtur fuisse maior. *de maio. & obe. cap. cum inferior.* Item cardinales in electione papæ sunt metropolitani loco 23. *di. in nomine Domini.* ergo non sunt inferiores electo papa. & ista patent per omnes potestates Christo Apostolis attributas discurrendo siue de potestate miracula faciendi & eiiciendi dæmonia, & languores sanandi. habuerunt enim omnes hanc potestatem. vnde Matth. 3. dicitur quod *dedit illis potestatem spirituum immundorum, & potestatem curandi infirmitates, & deiiciendi dæmonia:* siue de potestate prædicandi, quia similiter omnibus Apostolis concessit, & ante passionem & post resurrectionem. Nam ante passionem solum iussit prædicare Iudæis, dum dixit: *In viam gentium non abieritis.* 7. q. 1. c. denique. & Matth. 3. & Lucæ 10. dicitur: *euntes autem prædicate, appropinquat regnum cælorum.* & post resurrectionem a Christo missi fuerunt per totum orbem, dum dixit; *docete omnes gentes & prædicate Euangelium omni creaturæ,* Matth. c. vltimo. & habetur *de hæreticis. c. cum ex iniuncto. & 21. di. in nouo.* Sic etiam fuit in potestate metendi temporalia. Nam Matth. 1. dicitur: *In quacunque domo intraueritis, in eadem manebitis, bibentes & edentes quæ apud illos sunt.* & Apostolus dicit ad Corinthios nono: *si vobis seminamus spiritualia, magnum non est, si vestra carnalia metamus.* & idem *ad Galatas.* 6. vt hæc plenius habentur 12. *q. 2. c. quicunque suffragio. & de præben. c. cum secundum Apostolum.* Eadem patent in potestate baptizandi, quam omnes habuerunt, & ante passionem & post: vt not. Archi. *de consecra. 4. di. c. proprie. & c. per aquã. & c. aliud.* vbi probatur q & Iudas potestate habuit baptizandi. 1. *q. 1. c. dedit, & quando Hierosolymis:* & Matth. vltimo dicitur quod Iesus dixit: *euntes docete omnes gentes, baptizantes &c. de consecra. di. 4. cap. 1. igitur. & cap. multi.* idem fuit de potestate sacerdotali conficiendi corpus Christi, quia illa pariter omnibus Apostolis fuit data, quia omnes in die cœnæ constituti fuerunt sacerdotes *Luca 22. cap.* & notat glo. 21. *dist. in nouo. & de consecra. di. 2. c. in Christo semel, in fi.* & notat Archidiaconus. 65. *di. c. dic.* Et similiter potestatem soluendi & ligandi in foro pœnitentiali Christus omnibus Apostolis pariter concessit. 24. *quæstio. 1. §. si autem. ver. si omnibus. & in c. loquitur. & 11. q. 3. c. nihil.* & hoc probat, quod dixit Christus discipulis, *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me sedebitis super sedes iudicantes 12. tribus Israel.* Idem dicendum est de potestate pontificali: quia Apostoli per Christum videntur omnes fuisse episcopi 21. *di. in nouo,* dum dicitur quod *omnes Apostoli cum Petro pari consortio constituti sunt,* sed non poterant esse in pari consortio, nisi omnes fuissent episcopi, quia maior est potestas episcopalis quam simplex sacerdotalis 89. *di. ad hæc, in fi. 93. dist. a subdiacono.* Et ideo Iuda scriptum est quod *episcopatum eius accipiet alter.* 64. *di. in §. porro.* & habetur *Actuum primo c.* probantur *de summa Trinitate. c. 1. §. vna,* vbi dicitur quod *sacramentum eucharistiæ nemo potest conficere nisi sacerdos, qui iure fuerit ordinatus secundum claues ecclesiæ quas concessit Apostolis Iesus Christus:* sed constat quod sacerdos non ordinatur claue sacerdotali sed solum episcopali, quam concessit, vt dictum est, Apostolis Iesus Christus. Ex quibus omnibus videtur inferri tam ex potestatibus ecclesiæ pariter omnibus Apostolis attributis, tam etiam ex vsu & consuetudine omnium Apostolorum, qui vna cum Petro disponebant singula occurrentia in ecclesia, quod potestas clauium & ecclesiæ non fuit in solo Petro constituta, & hodie non sit in solo papa, sed est in omnibus aliis episcopis qui Apostolorum loco sunt successores 21. *di. in nouo. & 68. dist. c. fin.* & quamuis principaliter sit in papa, vt per prius, non tamen videtur esse sic per prius in eo quod possit sine aliis episcopis, qui soli habent in statuendo & in iudicando vocem in conciliis, vt probatur 18. *dist. per totum.* notatur in *c. graue de præben.* & supra dixi, sic nec Petrus habuit sine Apostolis vt supra dixi, quamuis principaliter & per prius habuerit, non tamen sic vt sine eis. igitur Gregorius reprehendit Alexandrum Patriacham, qui appellauit eum vniuersalis ecclesiæ episcopum, dicens quod *illa verba vnitatem inflant, quia charitatem vulnerant, cum per hoc aliis episcopis detrahatur.* nam si papa esset vniuersalis, alii episcopi essent pro nihilo. 99. *di. c. ecce potest,* ergo papa solus, vt caput dummodo non sine aliis episcopis, vt probatur. 93.

Digitized by Google

*dis.c.*1. §.1. vbi est tex. quod nec Romanus pontifex debet se appellare vniuersalis ecclesiæ episcopum vt ibi statuit concilium.licet ergo sit maior sedes Petri & prima 22.*di. c. renouantes, in §.*1. *&* §. ... Non tamé videtur posse sine aliis episcopis:vt probat tex.19.*di.c.ita Dominus*, vbi dicitur quod *Christus commisit salutem vniuersitatis omnibus Apostolis, ita tamen quod in Petro principaliter collocauit* & ... noto,quod licet in eo principaliter collocauerit,non tamen vt alii excluderentur,sed dicit *principaliter* vt tamen in omnibus vniuersalis potestas consisteret,& per omnes exerceretur, ita quod etiam in omnibus & principaliter in Petro, non tamen per Petrum solum, vt ei erranti standum sit, sed demum quando procedit cum claue discretionis.vt dicit Inno.*de consue.c.quanto.* & ideo dixit Iesus:*& porta inferi non praualebunt aduersus eam.* scilicet ecclesiam. sic ergo patet, quod omnis potestas est in ecclesia.nam episcopi dicuntur sanctissimi Christi legati, & spirituales Patres existunt, & sunt fratres & coepiscopi papæ & columnæ comprobantur ecclesiæ:vt in *cle.si quis suadente, de pœni.* ac vicarii Dei nuncupantur.22.*q.*4.*mulier.*& ideo Archidi.refert verba Gregorii 12.*di.non decet*, dum dicit,*consideres autem omnem sanctam Romanam ecclesiam, cui auctoritate Deo pr[ae]es aliarum ecclesiarum matrem non dominante vero non Dominum episcoporum esse sed vnum ex ipsis* 99. di. in cap. primæ sedis. potest enim papa omnia sicut Deus,& sic sine errore vel peccato:*de pœni.di.*2.*si in §.Charitas*, ibi, *... namentis omnis extranea.*nam Deus non potest facere id ex quo eius dignitas læderetur vel eius derogaretur excellentiæ,vt dicit Magister sententiarum *lib.*1.*cap.*13. quoniam hoc non est posse, sed non posse.si igitur Deus non potest facere id quod est indecens,& per quod læderetur eius excellentia, ergo nec papa,qui loco Dei in terris est,*de translata præla.c.*1.2.*&* 3.quia, vt dixi, potestas papæ est in ædificationem non in destructionem 2.*ad Corinth.*13.& ideo quando contra fidem peccaret papa, potest redargui 2.*q.*7.*Paulus.*idem quando turbat bonum vniuersalis 40.*di.si papa*, & ideo Christus increpauit Petrum.nam cum pergeret Hierosolymis opus nostræ redemptionis impleturus, & Petrus eum vellet prohibere,dixit Christus,*vade post me Sathana, Scandalum mihi es, quia non sapis quæ Dei sunt,sed quæ hominum.*& ideo sicut Petrus male agens redargutus est, ita & successores papæ videntur posse redargui, quando quæ Dei sunt non intelligit papa. sed ista redargutio non videtur profecto melius posse fieri quam à concilio.& hoc videntur velle canones dicentes, quod quæ sunt statuta per concilium ad bonum vniuersalis ecclesiæ papa solus non potest dissoluere 24.*q.*1.*memor sum.*25.*quæstio.*1.*cap.sunt quidam.*& videtur velle glo. 9.*quæstio.* 3.*nemo.* cum dicit,*orbis est maior vrbe* 93.*dis. legitimus in ver. si auctoritas.*& hoc modo videtur debere intelligi quod notat Inno.in *c. quanto. de consue. & cap.inquisitionis.de sen.excom.* in quibus dixit,quod quando papa perturbat bonum vniuersalis ecclesiæ, ipsi non est permittendum,sed hoc quod ei non sit permittendum, non potest intelligi nisi à concilio.ita dixit Antonius de Butri.in dicto *c. quanto.* similiter non debet ei parere, quando ex eius mandato multa mala oriri possent,vt notat Inno.in dicto *cap.inquisitionis*, quoniam ipse papa summe curare debet vt salus vniuersalis ecclesiæ salua sit 25.*quæstio.*1. *quæ ad perpetuam & c. contra statuta.& quæstio.*2.*cap.si ea est.*ista est causa quare papa non potest deponere omnes episcopos 9.*q.*3.*c.per principalem.*sed in his est sententia concilii supra papam.hæc est ratio, quare nõ potest tollere priuilegium canonis *si quis suadente*, vt notant Doc.in *c.nulli.de sen.excommuni.* ista est etiam ratio,quare non potest sibi eligere successorem:quia bonum vniuersalis ecclesiæ perturbaret, ita dicit glo. 8.*quæstio.*1.§.*his omnibus.&* 1.*q.*3.*ex multis.*hæc est etiam ratio, quare non potest tollere Euangelia,& quatuor prima concilia,nec contra ibi disposita dispensare, quatenus tangunt fidem vel bonum vniuersalis ecclesiæ 15.*di.cap.*1.*in fi.* quia in istis consistit fidei fundamentum, & maior est illorum conciliorũ sententia quã papæ,iuxta illud,*firmum Dei fundamentum stat, de pœni.di.*2.*c.firmũ.*& Apostolus 2.*ad Timotheum* 2.quin immo non solum in bono vniuersalis ecclesiæ præualet sententia concilii sententiæ papæ, sed etiam præualet quando discoloratur status vniuersalis ecclesiæ glo. originalis 1.*q.*7.§.*nisi rigor*,per tex.in *c.& si illa.ea.q.* quã sententiã confirmauit postea Archid.25.*q.*1.*sunt quidam.*igitur non potest disponere,quod generaliter clerici in foro seculari conueniantur. Ex quibus videtur,quod papa non possit ea facere,ex quibus peccaret,vel malum exinde oriretur,vt notat Inno.in dicto *cap.inquisitionis.de sen.excom.*& Doct.in *c.proposuit,de conces.præben.* nec est ipsi supportandũ,vt ibi dicit.Et ideo conciliũ debet hoc iudicare,quod errare nõ potest, & apud quod videtur esse fidei fundamentum.plus dixerunt aliqui,quod illud quod dicitur,quod papa habet plenitudinem potestatis,debet intelligi de papa,id est,de Romana ecclesia, quæ repræsentatur in papa tanquam in capite, & in aliis tanquam in membris, vt ardua non possit papa sine cardinalibus & aliis prælatis, qui de Romana ecclesia sunt.Nam cardinales par sunt corporis papæ.6.*q.*1.§.*verum*, coniuncto *c.fœlicis,de pœnis lib.*6.dum dicit,ecclesiam Romanã subiici casibus,cum fit iniuria cardinali, qui est pars corporis papæ:vt notat Laudunensis in *cle.prima de celebra.mis.* notatur *de offi. delegati* ... *penultimo in glo.fi.* quæ allegat *L.quisquis. C.ad legem Iul.maie.*canonizata.6.*quæstio.*1.*si quis cum militibus.*vnde sicut caput sine aliis membris non bene operatur, sic nec papa sine concilio prælatorum, ad hoc quod dixit Christus: *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me sedebitis super sedem XII. iudicantes tribus Israel.* iudicabit ergo Iesus in fine seculi cum XII. Apostolis. sic videtur dicendum in ecclesia militante,vt episcopi vna cum papa debeant iudicare 89.*dist.in. ad hoc.*& ideo ... iurisdictionem habuit ecclesia papam iudicat in causa fidei 21.*di.nunc autem.&* 40.*dis. si papa.* Et ideo refert Io.Monachi *in c.super eo.de hæreticis lib.*6. quod cum Cælestinus quintus contulisset multas abbatias & episcopatus & superiores dignitates sine concilio fratrum, tales collationes cassatæ fuerunt, præsertim quia cœtus cardinalium est in hac quasi possessione, quod ardua negotia sunt

Digitized by Google

sint cum eorum consilio tractanda & terminanda. Et ideo in *cle. ne Romani, de elect.* & in aliis pluribus iuribus dicitur *de fratrum nostrorum consilio*, vt in *c. fundamenta, de elec. li. 6.* Et licet pontifex sit solutus legibus, tamen secundum eas debet viuere, *C. de legi. l. digna vox. & 9. dis. c. iustum.* & quia omnis indecentia in principe, qui debet esse omnium director, iudicari debet impossibilitas remittit Ioh. Mona. adnotata in *cap. impossibile, de regu. iur. lib. 6.* Ad hæc faciunt illa quæ supra retuli; quod Deus illud non potest ex quo eius dignitas læderetur. Et ideo Benedictus XI. multa facta per Bonifacium Octauum absque fratrum concilio in statutis traditis Marchianis suspendit, quamuis & illorũ multa iusta forent. & hoc quia tangebant ardua, & sine cardinalibus facta erant, dicens quod defectus in persona facientis vel in modo reddit factũ inutile: *de consuetudine. c. ecclesia sancta Maria. ff. de rebus eorum. l. magis puto. §. & si alienam. & de resti. spol. c. pisanis.* Ex quibus videtur concludi, quod quando papa est sine concilio, possit omnia, sed ardua demum cum concilio cardinalium, & sic de aliis membris sui corporis. & hoc probat tex. in *c. per venerabilẽ, qui fil. sint legit.* ibi, *veniens ad sacerdotes Leuiticiç generis.* Nam dum dicit, *sacerdotes*, sentit quod iure diuino papa debet facere cum consilio sacerdotum, id est, cardinaliũ, qui sunt fratres papæ: dicto *c. sunt autem.* & hoc firmauit Dominus cardinalis Florentinus in quodam suo *tractatu Schismatis*, quem posuit in *c. licet de elec.* & allegat dictum Laurentii 25. *q. 1. sunt quidam. & c. quæ ad perpetuam*, vbi dicit quod isti volunt quod papa sine cardinalibus facere non possit. & hoc videtur de mente Speculatoris in *titulo de legato. §. qualiter autem, in fi.* vbi dicit quod legatus de latere de concilio cardinalium est mittendus, & non aliter *l. fi. C. de legationibus. lib.* 10. & Laurentius & Archi. volunt quod in concernentibus bonum vniuersalis ecclesiæ papa non statuit sine cardinalibus 11. *di. c. Catholica.* si vero papa est cum concilio collecto non potest ardua sine concilio, per prædicta, & pro istis facit quod legitur *Actuum 20. c. circa medium.* nam Paulus vocauit maiores ecclesiæ Ephesinæ eisque dixit: *attendite nobis & vniuerso gregi in quo nos Spiritus sanctus posuit.* Ad idem 96. *di. benè quidem.* vbi concilium diffiniuit etiam papa ibidem existente. & 63. *di. c. Adrianus. & cap. 1. de sponsa.* Et sic isti Doc. restringunt multum potestatem papæ volentes quod plenitudo potestatis sit in papa, quando est sine concilio, vt ardua faciat demum cum consilio cardinalium; & sic est in concilio, quando facit accedente voluntate concilii. Ex quibus infertur ad propositam quæstionem, quod maior sit sententia concilii, quam sententia papæ, præsertim quãdo papa erraret: quia tunc videtur posse à concilio repræhendi, sicut Paulus Petrum errantem repræhendit. 2. *q. 7. Paulus.* & ideo videtur papa posse corripi à concilio cum errat, cũ apud concilium sit potestatis plenitudo tanquam in fundamento, & præsertim præualeret sententia concilii, si forte iuuaretur sententia prædecessoris papæ, qui sic statuisset contra illud quod hodie sentiret solus papa, quoniã haberet admixtam auctoritatem papæ, & sic esset sententia totius ecclesiæ vniuersalis capitis scilicet & membrorum. vnde sententia postea capitis solum resilientis non videretur sententia vniuersalis ecclesiæ, sed solius papæ. Et ideo videtur quod resiliente cõcilio solus papa non possit tollere statuta alterius concilii generalis concilio reclamante, licet si conciliũ non reclamaret forte posset. & ad hoc facit quod dixi supra in principio istius tractatus, ibi dixi quod concilium celebratũ prouinciale Romanum non est tantę auctoritatis, sicut illud quod est factum cum ecclesia vniuersali, notatur in *c. 1. 20. di.* & ibi Archi. & dicam infra in fine istius quæstionis. & si dicitur, quod est solutus legibus, debet intelligi de legibus suis positiuis, non Dei, quales sint leges concilii, quæ Spiritu sancto suggerente promulgantur *1. di. c. si quis diaconus.* ista vltima sentit Franciscus de Zabarellis cardinalis prædictus Florentinus. & quod concilium sit maius papa, & præualeant eius sententiæ patet in depositione pontificum, quæ hactenus à conciliis factæ sunt, vt legitur de Benedicto 23. *dis. in nomine Domini.* & de Iohanne 12. & diebus nostris concilium Constantiæ deposuit Iohannem 23. & Benedictum tertium decimum sic in sua obedientia nuncupatum. Item Benedictus nonus fuit depositus, & Gregorius 12. iste nostris diebus. Sed parcat mihi reuerentia Iohannis Monachi quem iuste repræhendunt Io. An. & moderni in *c. super eo, de hæreticis lib. 6.* ipse errauit, & plus etiã errat Dominus cardinalis Florentinus, vt apparebit ex infra dicendis.

Ideo iura contraria perscrutemur. & primum quod facta papæ non subiaceant iudicio concilii, est text. 9. *q. 3. nemo*, vbi ab Augusto nec ab omni clero papa potest iudicari. & licet ibi tex. dicat *de prima sede*, tamen non debet intelligi de papa cum cardinalibus. Et Dominus cardinalis de Zabarellis male intellexit, si de solo papa intellexit, vt causæ eius non iudicentur etiam à concilio, vt probat tex. in dicta *q. 3. in c. aliorum*, vbi tex. dicit, *Præsulem Romanum Deus suo seruauit arbitrio.* Idem tex. consilii in §. *hinc etiam 17. di.* causas Symachi papæ solo Dei iudicio reseruauit. vnde ibi est tex. concilii: *In quo concilium determinauit quod causæ papæ iudicio concilii non subessent.* Idem dicit tex. 40. *dist. si papa*, vbi est tex. sumptus ex gestis Bonifacii Martyris, ita quod non potest dici suspectus tanquam à pontificibus editus. Dicit enim quod *si papa sit iniquus ita quod secum in numero suum populum ducat ad inferos, tamen à nullo mortalium potest iudicari nisi deprehendatur à fide deuius.* Quomodo igitur dicere potuit Io. Monachus & cardinalis Florentinus, quod facta papæ sine cardinalibus sunt nulla. vel quod quando papa male agit à concilio iudicetur: profecto ipsi errauerunt, quia in omnibus præterquam in articulis fidei videtur maior sententia papæ quam concilii: vt est tex. *de elec. c. significasti*, vbi est casus quod *omni statuto concilii debet intelligi excepta auctoritas Romani pontificis tanquam superioris.* Nota quod dicit *Romani pontificis*, non dicit Romanæ sedis. Et ad idem in *ca. dudum. 3. q. 6.* ibi: *nec extra Romanum quicquam & his decerni debere pontificem.* & 11. *di. cap. fi.* vbi tex. dicit: *Quis nescit sancita à Petro ab omnibus debere obseruari?* Et hoc voluit glo. in *cap. vbi periculum. de elect. lib. 6. in ver. concilio:*

Digitized by Google

& est tex. in *cap. innotuit. de elec.* quod statuta concilii non astringunt papam, quia ipse est supra omnia concilia vel in pari potestate cum papa prædecessore suo & concilio, vt ibi. Et quod regulariter præualet sententia papæ contra concilium, est glo. 4. *di. cap. in istis*, per tex. 35. *quæstio.* [illegible] & 34. *q.* 1. *hæc est fides*: quia papæ & Dei censetur idem consistorium: vt no. Hostien. in *cap.* [illegible] *transla. præla.* per tex. in *c.* 2. & 3. *e. ti.* hoc probant omnia iura. & *cap. in* 16. & 17. *distin.* Nam sunt quandoquot episcopi, qui simul conueniant, si conueniant sine auctoritate summi pontificis, [illegible] conciliabolum non concilium. & ista est ratio, quare auctoritas & sententia papæ debet interuenire in conciliis: quia omnis sententia concilii auctoritate summi pontificis firmatur & roboratur, vt vult beatus Tho. in *secunda secundæ. quæstio.* 1. *articulo.* 10. & hoc volunt omnes tex. in 16. & 17. *di.* Ex quo patet, quod maior est sententia papæ, quia maior est qui auctoritatem interponit quam cui interponitur. alias si cum concilio non concurreret sententia papæ, eo ipso capitis & membrorum vnitas esset dissipata, & causatum scisma, & ipsorum episcoporũ sententia nulla foret, si papæ sententia cum ipsis non conueniret. hinc est quod solus papa reuocat statuta à se & à concilio etiam sine concilio: vt in *c. statutum.* & *c. constitutionem. de sen. excom. lib.* 6. iun. *cap. c. statuimus, eodem titulo.* & probatur ex notatis in *c. vbi periculum. de elec. lib.* 6. vbi illud c. editum super electione Romani pontificis à papa & à concilio, & sic super bono vniuersalis ecclesiæ, vt notatur 8. *quæstio.* 1. *his omnibus*, fuit à solo papa reuocatum, & deinde à solo papa introductum, & tamen est de materia ardua, vt de electione summi pontificis, & tamen solum factum papæ tenuit. Ad idem de electione *cle. ne Romani*, vbi de cardinalium concilio papa aliqua super illa cõstitutione *vbi periculum* innouauit. & quod papa sine concilio etiam collecto possit ardua, vt deponere Imperatorem, notant Doct. canonistæ in *cap. ad Apostolicæ de re iudi. in* 6. & ibi Archidia. in *supra scriptione* & Io. An. in verbo [illegible], *in nouella* Et quod papa solus possit tollere statuta concilii probatur ex notatis in *cap. proposuit, de concessione preben.* vbi dicitur quod papa dat ius ad vacatura beneficia: *de conces. preben. cap.* 2. *li.* 6. Et quod sit maior sententia papæ quam concilii præterquam in causa fidei, notatur in *cap. sicut in fi.* 15. *dis.* & 19. *di. Anastasius.* & 24. *quæstio.* 1. *cap. quicunque.* & 9. *quæstio.* 3. *cap. nemo.* & *cap. conquestus,* & *cap. per principalem*, quia sententia papæ & principis habet vim legis. *l.* 1. *Digest. de constitu. princi.* & *l. fi. Cod. de legi.* & quod habeat plenitudinem potestatis notant Doctores, & ibi Guillelmus de Monte laudino, in *cle. si Romanus pontifex. de preben.* notant Doctores in dicto *cap. proposuit, de conces. preben.* Et quod papa sit supra concilium etiam in concernentibus bonũ vniuersalis ecclesiæ, notat additio Bartholomei ad glo. in *cap. sunt quidam* 25. *quæstio.* 1. *per tex.* in *cap. non debet, de consang.* & *affi.* facit. 68. *distin. cap. Chorepiscopi.* & 74. *di. per totum.* ad hoc facit tex. *de baptis. c. maiores*, qui dicit quod *maiores causæ ad sedem Petri referendæ sunt*, & sic causæ fidei debent ad papam referri 24. *q.* 1. *hæc est fides*, vt patet solus papa errores potest corrigere circa fidem: quod tamen debet intelligi, vt dixi supra circa principium istius quæstionis post duas columnas, & infra dicam. & quia sicut Christus fuit dum vixit vel in mundo fuit verus vnius pastor & princeps 93. *di. ca. Dominus noster*, omnem habens potestatem ecclesiæ sine aliquibus Apostolis, ita debet dici de Petro eius vicario & in Domino successore probatur in *c. quotiens* 24. *quæstio.* 1. & ibi glo. & ideo volunt Doct. in *capit. proposuit, de conces. preben.* quod papa potest omnia, nisi illa quæ nutriunt peccatum, quod est intelligendum quando peccatũ prouenit à lege naturali vel diuina. secus si peccatum esset ex contrauentione legis canonicę vel humanæ, quia papa tales leges potest tollere, quoniam habet potestatem in omnibus quæ habent formã & originem à iure positiuo 6. *di. per totum.* verba sunt Doctorum in *c. cum ad monasterium, de statu Monachorum.* [illegible] tollit leges editas de faciendis ordinibus vel de eorum temporibus obseruandis. Item quod quis habeat duo curata beneficia. Ex quibus patet quod papa est supra omnia iura positiua etiam à conciliis vel ab aliis pontificibus edita. Et ideo male dixit Io. Mona. quod collationes episcoporum & statuta data Marchianis per papam non erant valida, quia facta sine consensu cardinalium, quorum consensu opus non est si papa non vult, vt ante dixi. immo vult glo. 4. *dis.* 3. *§. leges*, quod sine consensu papæ vel principis totius populus non posset tollere legem principis, & sic concilium [illegible] in toto populo fideli non potest tollere legem principis. immo dicunt legistæ in *l. non ambigitur. Digest. de legi.* quod totus populus non potest hodie sine principe facere legem generalem. Ex quibus constat, quod maior est sententia & potentia principis & papæ quam concilii vel totius alterius populi. quod hæc sententia sit vera, potest ostendi iure politico & naturali. Politico iure insinuatur. Quando plura ordinantur ad vnum, necesse est vnum regulare & regere: alios vero regulari [illegible] vt vult Philosophus in *Politicis*, & probatur canonicę 23. *quæstio.* 4. *duo ista nomina.* & *ff. de verbo. l. pronunciatio. §. familia*, ibi, *sub vnius potestate.* & *ver. pater.* & huic debet inesse regendi potestas [illegible] obsequendi necessitas 21. *dist. §. in his omnibus.* & *cap. inferior.* & hic summus non debet esse alicui nisi Deo subditus: quia respectu eiusdem subiecti non potest esse quis superior & inferior 25. *dist.* [illegible] *mine Domini.* ibi: *quia sedes Apostolica.* & ideo Christus constituturus ecclesiam, elegit Petrum [illegible] primum prælatum 23. *quæstio.* 1. *loquitur.* & 22. *dist. c.* 1. & *c. sacrosancta.* & pro ista sententia facit [illegible] vbi esset pluralitas, ibi plurimum esset discordia, *de pœnis. distin.* 2. *cap. quoniam* [illegible]. & ideo Deus secundum diem dimisit & in eo nihil fecit, designans duplicem numerum malum qui [illegible] nione diuidit 32. *quæstio.* 1. *nuptiæ.* Hæc est etiam ratio, quare hominem vnum in principio [illegible] tum creauit, vt designaret in vno consistere melius Dominum, & vnitatem esse magis [illegible] lem quam pluralitatem 23. *quæstio.* 5. *hæc imago.* & vt ostenderet quod sicut naturale est vt multitudo ab vnitate proficiscatur, ita & ad ipsam vnitatem reducatur, dicto *cap. hæc imago.* præsertim in [illegible]

regni

Digitized by Google

regni & administrandi, quod regulariter non capit duos, iuxta sententiam prudendium dicente Lucano: *Nulla fides regni socius* &c. Nam propter pluralitatem Romulus interfecit fratrem Remum. vt *l. fi. ff. de rerum diui.*. Quia, vt dixi pluralitas parit discordiam *l. cum pater. §. dulcissimis ff. de lega. 2.* quod fuit ostensum in vtero Rebeccæ. nam Esau & Iacob ratione pluralitatis in vtero inuicem pugnauerunt 7. q. 1. *in apibus.* Et hoc vult tullius de offi. dicens: *Relatum est apud Ennium quod nulla sancta societas nec fides regni est.* & ideo est necesse & vnum esse principem secundum Philosophum 12. *metha. in fi.* dum dicit, *Entia nolunt male disponi: pluralitas principatuum mala: vnus ergo princeps.* Et hæc sententia patet discurrentibus ordinationem naturæ siue in corporibus naturalibus siue misticis. Nam in vno homine indiuiduo qui secundum Philosophum 6. *physi.* dicitur microcosmos, idest minor mundus. nam omnia in ipso melius se habent: cum ipsa reducuntur ad vnum, quod cætera regulet & gubernet. Nam siue consideres in homine partem eius corpoream & corruptibilem variis membis distinctam, vt in *c. cum ex iniuncto, de hereti.* Omnia ista membra & totum corpus viuificantur à corde, & ab ipso ortum & principium habent, & membra cordi non respondentia putrescunt & arescunt 23. *q. 7. c. quemadmodum.* probatur 24. *q. 1. loquitur. & in l. rerum mixtura ff. de vsucapio.* Nam secundum Philosophum in libro *de differentia spiritus & animæ,* in corde principaliter est sedes animæ: quæ anima totum corpus viuificat, *de pœni. 1. cap. item si antequam & c. si resuscitatus.* & existit tota in toto, & tota in qualibet eius parte. & idem est in omni re etiam inanimata, quæ composita ex pluribus diuersis elementis vno spiritu continetur, dicta *l. rerum mixtura. de vsucapi.* & resoluta illa anima vel illo spiritu in illo indiuiduo illa elemẽta resoluuntur. quia vt scribitur circa finem *primi de anima,* anima magis retinet corpus quã econtra. Similiter si consideramus in homine partẽ perpetuã & incorruptibilem, tunc in eo etiam debet esse virtus intellectiua regulans & regens omnes potentias sensitiuas siue sint potentiæ sensitiuæ exteriores, vt visus, tactus, auditus, olfactus, de quibus in *prohemio decretalium* siue sint sensus communes interiores, vt fantasia coagitatiua & memoratiua, vt aliqui referunt in *c. cum causam. de testi.* & Philosophus in *secundo de anima* Nam tunc bene se habet homo cum virtus intellectiua bene regit & gubernat omnes alias potentias prædictas. Nam tunc datur pax & vnitas in anima humana & homo virtuosus existit, vt in *cle. ad nostram. ver. 2. de hæreti.* sed si homo cũ intellectũ non regulat sensus, ita quod non prædominetur virtus intellectiua in homine, sed permittatur præueniri intellectus ab appetitu & vinci, tunc homo est malus & non virtuosus, nec habet in se pacem & vnitatem, & est perinde ac si sphæra inferior moueret superiorem, qui motus est contra naturam. Nam si sensualitas, quæ est ab initio repugnans intellectui tendens ad malum ab adolescentia sua: *Gen. 9. c. & 12. q. 1. omnis ætas. & 20. q. 3. procliuis,* non regulatur ab intellectu, qui sillogizando semper bonum appeteret, nisi ex sensualitate homo procliuis prolaberetur in peccatum: vt in *auct. de monachis. §. si vero,* tunc homo in seipso est inquietus & pugnam sustinet. & hoc est quod Apostolus dicebat ad Romanos. 7. dum dicit: *video aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* ad *Galathas primo. & 32. q. 5. si Paulus.* quamuis igitur ab initio in homine sit quædam pugna & dissonantia propter passiones appetitus sensitiui repugnantis intellectui, si tamen virtus intellectiua prædominatur & obtinet in regulando appetitũ sensitiuum, quæ victoria est naturalis, vt dcit Philosophus in *secundo de anima* in tractatu *de motu & mouente,* & est sicut sphera superior moueret inferiorem, qui motus est naturalis, tunc homo est virtuosus, & habet in se vnionem & pacem. probatur *de sacra vnctio. c. 1.* ibi: *vnius pars superior ratio & inferior sensualitas.* & hoc vult Prosper in libro *de vita contemplatiua* dicens: *Dominetur vitiis ratio, subiiciatur corpus animæ, & anima Deo, & impleta est omnis perfectio: de pœni. di. 2. c. corpus nostrum. & di. 31 in falicibus. & conuenit homini.* Tunc quod scribit Philosophus quod in virtuoso omnia consonant: quia potentiæ sensitiuæ correspondent intellectiuæ & ei parent delectabiliter. si igitur sic est in vno indiuiduo homine, vt melius se habeat quando omnia sua reguntur per vnum, ita debet esse in toto vniuersali mundo similitudinarie, vt inquit Philosophus *octauo physicorum.* melius igitur totus Christianus populus se habet, cum omnes partes respondẽt ad vnum principium, quod alios regulet & gubernet, & quod non ipse ab aliis gubernetur atq; regatur, quia secũdũ Ph. *primo physi.* omnia quæ sunt vnius generis debent reduci ad vnum quod est mensura eorum quæ sub ipso genere sunt. docetur hæc sentẽtia similiter in mysticis corporibus. Nã si domum vnã consideramus, ipsa melius per vnum regitur seniorem secundum Phil. & habetur 12. *q. 1. omnis ætas, & in l. pronunciatio. §. familiæ: de verbo. signi.* ibi: *vnius potestate.* & 23. *q. 4. c. duo ista nomina.* & ideo in domo pater corripit filiũ & seruos etiam mercenarios *l. serui & filii ff. de fur. l. respiciendum. ff. de pœnis.* cum sim. & vir vxorem 7. *q. 1. c. sicut.* & antiquior domus corripit inferiores *l. 1. C. de emenda propinquorum. & l. 1. c. de emenda seruorum.* & idem est in omni alia vniuersitate: quæ secundũ Phil. sunt quinq; quas propter breuitatem omitto, vt omnes melius regantur per vnum; vt probatur 7. *q. 1. in apibus.* si igitur hæc conueniunt in omni vniuersitate, quanto hoc magis conueniens est in toto humano genere, & in toto orbe, vt idem iuris sit in toto quod in parte 12. *di. c. 1. & l. quæ de tota ff. de rei ven.* cum pars & ordo partium non debeat esse melior suo toto, Nam pars & ordo partium sunt ad suum totum tanquam ad finem, vt inquit Philosophus *primo ethicorum.* & iure etiam diuino hæc sententia ostenditur. Nã inferiora regulari debent ad instar superiorũ, cũ ad imaginẽ Dei creati sumus, vt vult beatus Augustinus, & habetur 33. *q. 5. hæc imago. & de pœni. di. 2. cap. principium,* & Philos. *primo metaphysica, & octauo ethicorum.* & hoc vult Boetius in *libro de consolatione* dicens: *O fœlix hominum genus si vestros*

Digitized by Google

animos amor quo cœlum regitur regat.& sicut in superioribus est vnus Deus,*de summa trini. cap. I. & damnamus*,ita in terris debet esse vnus Dei vicarius,cui omnes alii inferiores pareant, sicut in cœlis diuersi Angelorum ordines vni Deo parent. 89. *di. capit. ad hoc.* & ideo Deus vnam ecclesiam constituit non plures,vt vnus esset Dei vicarius in ea atque sponsus:24. *q.*1. *loquitur*, quia Hierusalem terrestris,id est,ecclesia militans similis esse debet ecclesiæ triumphanti iuxta verbum Iohannis in *Apocalypsi* dum dicit: *vidi Hierusalem descendentem de cælo*,id est,ecclesiam militantem, quæ debet esse similis triumphanti.sed tunc magis est triumphanti similis, cum regitur per vnum sicut ipsa cœlestis per vnum regitur:quia Deus quærit perficere humanum genus perfectione gratiæ,sicut ipse est perfectus perfectione naturæ: *de summa trini. c.damnamus*.sed Deus est perfectissimum entium,vt inquit Philosophus 12.*metaphysica.c.monet autem*,habetur in *c.maiores.de baptis.*ex eo maximè perfectus est, quod ipse est ens maximè vnum & maximè bonum secundum Philosophum. & probatur in dicto *c.damnamus*,ibi:*volo pater vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.* & ideo scriptũ est: *Audi Hierusalem Deus tuus vnus est.*vnde infertur,quod est summum bonum id quod est, maximè vnum,& idem in se bonum quod est vnum.ideo Pictagoras in *correlationibus* suis ex parte boni ponebat vnum:ex parte mali ponebat plura. Et hæc sentit psalmista dicens:*à fructu frumenti vini & olei multiplicati sunt*,ostendens quod propter temporalia à Deo vno recesserant, & peccando multiplicati erant;qui nil aliud est peccatum quam progredi,ab vno spreto ad plura:vt probat tex.in *c.Item ergo.de pœni.di.*2.ibi,*ex ea enim parte quis peccat ex qua minus Deum diligit,& sic spreuit Deum vnum & discurrit ad multa*,puta ad amorem temporalium uini & olei & similium & proprii corporis plus quam humana fragilitas requirat.hanc igitur vnitatem Christus considerans vnam constituit ecclesiam,& vnum voluit esse caput eius & principem 24.*q.*1.*loquitur.*& 22.*cap.*1. vbi probatur quod Christus Petrum principalem ecclesię prefecit vt conseruaretur vnitatem,quia secundum Apostolum:*Nos sumus omnes vnum corpus vnus spiritus,vna spes vocationis,& vnus est Dominus,vna fides & vnũ baptisma & vnus Deus*,& vnus Dei in terris vicarius, & vna ecclesia,& vnum corpus mysticum 3. *q.* 4. *Engeldrudam.*ideo debet habere caput vnum non plura *de offi.ordi.c.quoniam in plerisq;*. & hic est Papa:vt 9.*q* 3.*c.aliorum*,quem Christus,vt dixi,principem Apostolorum & ecclesiæ fecit *Ioh.c.fi.* & habetur 7.*q* 1.*mutationes* & 80.*di.in illis in fi.* & 22.*di.§. prima ergo fides.* & hoc dicit Augustinus in libro *de vnico baptismo*,& habetur 2.*q* 7.*puto.* & 21.*dis.c.in nouo*,vbi est tex. quod Petro primum summus pontificatus datus est,quem pontificatum primo habuit anno passionem Christi in promissione,dum dixit Christus Matth.16.*tu es Petrus* &c.Non igitur tunc dedit vel in eo ædificauit,sed ædificaturum se promisit.& idem dum dixit Christus:*tibi dabo claues regni cœlorum.* Ante igitur passionẽ Christi promisit,sed non dedit.& est ratio, quia subsistente Christo primo summo sacerdote alius vniuersalis constituendus non erat 7.*q.*1.*c.factus est cornelius*, quia offensus fuisset articulus qui dicit:*& in vnam sanctam Catholicam*,vt dicit Gregorius,& habetur 50.*di.c.considerãdum,& primo.*& ibi etiã glo.100.*dis.c.fi.*& hoc probatur *Iohan.primo*,cũ Christus dixit: *Symones Bariona & vocaberis Cephas*,quod idẽ est quod caput,vt dẽotaret Apostolorũ & ecclesiæ caput. ideo Dionysius in libro *de diuinis nominibus* vocat Petrũ *vertigalem*.& idem in quinto libro *de hierarchia ecclesiastica.* igitur quemadmodum omnia membra recipiunt influxum à capite sensus & motus siue secũdum alios à corde,& non econtra:sic tota ecclesia recipit viuificationem à Papa,qui est caput siue cor ecclesiæ, quamuis caput non bene possit operari sine aliis suis membris.& sic concludit aliud contrariũ argumentum:sed non est tamen,quod non possit caput sine pedibus aut manibus aut oculis operari:sed perfectius cum ipsis operatur & ideo ipsi soli Petro lintheum fuit submissum de cœlo, in quo erant omnia quadrupedia serpentia & volatilia *Actuum* 28.*c.*& ei soli dictum est: *surge Petre de omnibus illis animalibus occide & manduca.*24.q.2.§.inter hæc,quod lintheum nemo ambigat vniuersum mundum cum cunctis hominibus diuersorum rituum designare;& occidere & manducare nil aliud est quã peruersos mores in ipsis præcidere & eos in sua persona toti ecclesię incorporare. Ex quib. concluditur quod Petrus fuit prælatus aliis Apostolis & toti ecclesiæ militanti tanquã princeps & prælatus.& hoc vult Chrysostomus super id Luc.22.c.ibi, *Petre pro te rogaui* &c. dicit enim, *obmissis aliis venit ad Petrum cæteris prælatum.* Idem Augustinus super illo verbo, *Petrus ambulat super aquas*: dicit, *primo Apostolo,id est,Petro in ordine Apostolorum firmo & præcipuo.*Idem Cyrillus super illo verbo *& tu aliquando conuersus:cum te principem Apostolorum deputauerim.*vnde concluditur, ꝙ fuit Petrus princeps Apostolorũ ecclesię militantis à Christo constitutus summus,& ei data omnis potestas ipsius Christi est vnicus legitimus successor & princeps solus, sicut Christus fuit. & sic hodie sitis summo pontifice Christi vicario, quicquid alii Doct.male sentiant. & quod maior sit sententia Papæ solius quã alterius totius Christiani populi, patet per prædicta cũ modificatione tamen de qua infra dicã.alias si diceres omnẽ potestatẽ summã fuisse tantũ datã toti ecclesiæ vniuersali, ita quod non Petro tanquã capiti,& causa esse potius apud generale concilium ipsam ecclesiã repræsentans, tunc concilio dissoluto quod etiam raro celebrari consueuit,cessare totius fidei & ecclesiæ fundamentum,& cum ardua quotidie dirimenda concurrant, non esset qui diffinire posset, cum ad totã ecclesiam aditus esset quodammodo impossibilis *l.apud Iulianum in fi ff.de lega.*1.& ecclesiæ collectio per concilium non est facilis.& ideo potius dicendum est, quod potestas maiorum causarum sit in Petro & Apostolica sede tanquam in capite,ita quod in his habeatur respectus ad fidem Petri & illius beatissimæ sedis tanquam ad solem .vnde lumen fidei & splendor vnitatis in totam causetur ecclesiam 24.*q.*1.*loquitur*.& hoc vult in *epistola ad orientales* sanctus Maximus, vt refert Thomas allegans

Digitized by Google

allegans contra Græcos, dum dicit, *omnes*, inquit, *fines orbis qui Dominum sincere receperunt, & vbi terrarum veram fidem confitentes in ecclesiam Romanam tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt*. vnde videtur necesse esse cõcludi debere, quod plenitudo potestatis principaliter resideat in Papa, & quando non sit in generali prælatorum congregatione, & quod si contingat concilium generale celebrari per hoc non augmentetur aut minuatur ista potestas, nisi quatenus habet comprobationem vel vsum ecclesiæ vniuersalis, qui est necessarius ad validitatem 4. *dis. §. leges*, ibi: *cum vsibus hominum comprobatur*.

Vnde videtur, quod maior sit sententia Papæ quam concilii, & maximè si respondeatur contrariis. tamen infra quod sententiam decidam, confutatis tamen prius istis. & dum dicitur, quod Apostolici fuerunt ecclesiæ fundamenta, respondeo quod est differentia inter primum vnicum fundamentum & plura fundamenta. nam fundamentum vnicũ denotat Christum, in quo velut in summo angulari lapide fundata fuit ecclesia: vt in *cle. 1. de summa trini. & in c. cum Paulus 1. q. 1.* Nam Apostolus ad Corinth. 3. c. dicit, *fundamentum nullum aliud poni potest nisi illud quod est Christus*: *de presbytero non baptis. c. veniens. & in c. fundamenta de elec. li. 6. & de voto. c. 1. eodem libro.* & hoc Christi fundamentum relictum fuit Petro 22. *di. c. 1.* vbi dicitur quod omnes dignitates ecclesiasticæ à Romana ecclesia suscipiuntur. ipsa autem est fundamentum super Petram fidei mox nascentis per ipsum Christum, qui Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperii iura commisit. Ad idẽ tex. 100. *di. c. sacrosancta*, vbi dicitur, quod non ab Apostolis sed à saluatore Christo Petrus primatũ obtinuit, per illa verba *tu es Petrus*, Matth. 16. c. & habetur 21. *di. c. quamuis*. Apostoli vero post Petrum fuerunt secundaria fundamenta. igitur Petrus licentiam prædicandi concessit Paulo, vt dicit glo. 21. *di. quamuis*. & ideo dicit Archi. 22. *di. c. sacrosancta*, quod Apostoli principem Petrum constituerunt secundario, cum primum fuisset constitutus à Christo. similiter dicitur quod à Synodis ecclesia Romana accepit potestatẽ 17. *di. §. hinc etiam. ver. deinde.* sed debet intelligi secundario non principaliter, vt ibi notat glo. in *ver. potestatem*; vel debet intelligi declaratiue non collatiue 3. *q. 6. c. dudum*. quia nemo dat quod non habet *l. indebiti soluti. § sed si nummi. ff. de condi. indebi.* sed relaxare culpas in Deum commissas non potest concedere tota vniuersitas humana, sed solus Deus: & ideo ligare & soluere in foro pœnitentiali non potest facere nisi qui habet à Deo potestatem non ab hominibus: quia iudicare de foro conscientiæ pertinet ad solum Deum, qui ipsarum est cognitor. Itẽ Papa habet dirigere genus humanum ad æternam vitam quærendam, & ipsis inferioribus aperire cœli ianuas: sed hoc non potest facere nisi qui à Deo potestatem habet. Itẽ potestas papalis est, quia ipse est vicarius Iesu Christi & legatus Dei: *de transla. præla. c. quanto*. sed vicarium constituit solum ille, qui est superior, & constitutus inferior est illi vicarius vt in toto titulo *de offi. vicarii*. Similiter quis non potest esse legatus, nisi illius qui eum cõstituit. ergo potestas Papæ est à Christo immediate, & ipse Christus est fundamentum à quo ista potestas processit. Et si dicitur, similiter & episcopi sunt vicarii 33. *q. 5. mulierem*: verum est sed non eodem modo sunt vicarii. nam Petrus fuit per spiritualem institutionẽ Christi, & principaliter illi per medium Petri & sub Petro. Est ergo Christ⁹ ecclesiæ fundamentum, qui fundauit eam in Petro, & deinde in Apostolis. Nam fundamentũ & fundamenta sumuntur multis modis, vt notatur in *cle. 1 de summa trini.* Vnde concluditur, quod principale fundamentũ fuit in Christo, & deinde in Petro, & hodie in Papa. & quod fundamentũ fuerit in solo petro totius ecclesiæ probatur. nam si ecclesia non fuisset fundata super Petro solum, sed super tota ipsa vniuersali ecclesia, sequeretur quod ipsa ecclesia esset fundamentũ & sui ipsius fundamentũ, quod dicere videtur ridiculũ. Et ideo in Petro fuit illud vnicũ fundamentum, quod prius fuerat in Christo: quia Christ⁹ fuit illa petra, in quã fuit fundata ecclesia, vt dico in opere Monarchiæ in vna quæstione quæ incipit *nũc aliud videndum restat*: cui primũ hęc ipsa potestas collata fuit. Et ex istis cõcludi videtur, quod Christus fuit fundamentum, & post Christum Petrus, & post Petrum successiue alii summi pontifices, & in aliis episcopis fuit secundario: quia vidẽtes quod messis erat multa, operarii vero pauci, opus fuit communicare pluribus, dũ tamen illi plurimi à solo Petro recognoscerent tanquã à primo fundamento 19. *dis. ita Dominus*. Et cũ dicitur, quod Petrus habuit solum potestatẽ significatiue siue figuratiue: immo dicendũ est, quod habuit vere & principaliter & fundamẽtaliter, vt ab ipso vno capite ecclesiæ vnitas ostẽderetur & firmaretur 24. *q. 1. loquitur*. quia vna est ecclesia, & vnus ipsius episcopus, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis, extenditur, dicto *c. loquitur*. & sicut multi radii sunt sic vnum lumen, & rami arboris multi & vnum robur, sic est vna ecclesia habens vnum episcopum, qui eius vere habeat omnimodam potestatem. & hoc volunt omnes sancti Doctores, vt in Petro si vere & per ipsum deriuetur in alios episcopos 19. *di. ita Dominus*. Nam licet susceperit, vt dixi, potestatem, tamen talis potestas non fuit mere personalis, vt extincto ipso Petro talis potestas extincta foret, sed recepit pro ecclesia, quæ erit perpetua: quia non potest deficere vel non esse 24. *q. 1. pudenda*, ipse ergo Petrus potestatem solus suscepit ecclesiæ nomine: quia ecclesia est in Papa, & Papa est in ecclesia 6. *q. 1. scire*. Et quod dicitur supra de episcopo & capitulo, loquitur ibi de his, quæ episcopus non potest solus sine capitulo, & tunc demum faciat si habet maiorem partem capituli, vt in dicto *capit. postulasti*. & quod ibi notatur *de conces. præben.* sed in his quæ sunt in sola potestate episcopi ipse facit sine capit. vt in c. 1. *§. cum vero. ne sede vacan. li. 6.* sic Papa exercet potestatem suam sine alicuius consilio vel voluntate simul, quia, vt dixi, soli Petro præ aliis potestas data fuit. Et dum dicitur, quod *omnes Apostoli pari consortio cum eo constituti sunt*, debet intelligi in ordine, non in administratione: vt vult glo. in *capit. in nouo*, ibi: *pari consortio quia in iurisdictione vel administratione*

Digitized by Google

Petrus fuit maior omnibus Apostolis. 80. di. in illis. & probat tex. 24. q. 1. *cap. est aliud*, vbi beatus Ambrosius dicit, quod *est aliud piscandi genus quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet dicens mitte hamum & eum piscem qui primo ascendet tolle: intelligens per hamum iurisdictionem, in qua Petrus præfuit aliis Apostolis, quia hamo, id est, ferro putrida carnes abscindantur*. ita dicit ibi glo. & 82. *di. plurimus*. Item solo Petro dicitur, quod ducat in altum, cum aliis dictum fuerit quod laxent retia: quia ipse solus Petrus debet deducere in altum scilicet disputationum: quia sibi soli maiores causæ reseruatæ sunt: *de baptis. c. maiores*. 17. *di. multis*. 24. *q*. 1. *quotiens*. Similiter Moyses & Aaron fuerunt pares in consecratione, sed administratione Moyses solus fuit maior, 22. *di. sacrosancta. & §. prima sedes*. Et dum dicitur, quod deberet totum, prout est concilium prævalere parti & sic Papæ qui est pars concilii, istud debet intelligi quando totum est vnitum, sed si discrepat Papa caput totius, non est ibi concursus totalis, & cum potestas Papæ non sit à toto concilio vel à tota ecclesia vniuersali, sed à Deo, vt dictum est, sequitur quod potestas non est minor propter dissensum partium, quia eius potestas non dependet à virtute totius, sed aliunde. ideo est à Deo, quod patet: quia Christus est caput ecclesiæ, & tamen ipse solus non est minor tota ecclesia: quia potestas sua & Papæ non subest ab ecclesia, sed voluntas totius concilii bene dependet ab auctoritate Papæ 17. *di. per totum*, quia cessante concilium nihil potest. Et dum dicit, quod potestas fuit concessa toti ecclesiæ, fateor, sed vt dixit & dico sub Petro, per ea quæ infra dicam, & est vna potestas non duæ, & est in solidum in Papa & in aliis tanquam in vocatis in partem sollicitudinis, nisi quando Papa esset hæreticus: quia tunc cum perdat ipse iure dignitatem, & nõ sit Papa, potestas ista remanet in tota ecclesia vniuersali, quæ isto casu & quando turbaretur eius status Papam iudicat & compellet ad non destruendum ecclesiam: quia finis, id est, ecclesia finis Papæ imponit hoc casu necessitatem ipsi Papæ, qui est ad finem, & hoc casu ipsum iudicat & deponit & hoc modo est ista potestas in ecclesia principaliter & directiue: alias autem non est in ipsa ecclesia vniuersali ista potestas tota papa existente Catholico & sede Petri non vacante, alias duo istam potestatem in solidum possiderent, quod est impossibile, & esset ponere in ecclesia duo principia, quod non est dicendum 24. *q. si. cerdontani*. Et ad illa, quæ habentur in *Actibus Apostolorum*, quod quamuis haberent Petrum principem, nihilominus omnia simul faciebant. Item quod Christus omnibus has potestates dedisse videtur. Respondetur quod Petrus ex humilitate communicabat omnibus Apostolis, quæ potuisset solus facere, prout legitur *Actuum tertio* Petrum dixisset, *considerate viros ex nobis boni testimonii*, & ipsi elegerunt Stephanum: similiter Papa facit cum concilio cardinalium, 6. q. 1 *si quis cum militibus*, quæ tamen posset solus facere ex potestate sibi attributa: quia non mandauit Deus sibi potestatem vt concilio illam exerceret. & ideo credo quod papa legatum de latere posset mittere sine concilio cardinalium. nec illa lex allegata per Speculatorem, de qua supra dixi, probat contrarium. similiter Moyses quamuis haberet per se potestatem eligendi officiales in populo, dedit tamen ipsi populo auctoritatem dicens: *date ex vobis viros sapientes*. similiter præbet auctoritatem populis sibi statuta condere, *l. omnes populi. ff. de insti. & iure*: & tamen princeps solus potest speciales & generales leges dare *l. humanum C. de legi*. vel potest dici, quod causæ fidei sunt cum concilio fiendæ, licet & papa solus posset facere 17. *dist. c. multis*, vt supra dixi, & licet Christus potestates omnibus Apostolis concesserit. quia ipse erat summus sacerdos, tamen ita concessit, vt sub Petro illas exercerent 19. *di. c. ita Dominus*. Nam sicut à prima causa omnia recipiunt virtutem, & non ab ipsa immediate per medium primi mobilis secundum philosophum: & sicut omnia corpora supercœlestia recipiunt lumen à prima causa, sed non immediate sed per mediũ solis: sic potestas discipulorum quamuis esset à Christo debet esse alicuius summi pontificis medio: & hic fuit Petrus, qui successit Christo in sacerdotio eius vicarius & Dei legatus. vnde Apostoli omnes Petro tanquam principi deferebant, sicut fecit Iohannes, qui fuit maior post Petrum. Nam post missionem spiritus Sancti primum miraculum fecit Petrus *Actuum tertio c.* Item legitur in *gestis Symonis magi*, quod Paulus detulit Petro. & quod etiam circa potestatem miracula faciendi maior fuerit Petri potestas patet: quia vmbra sua sanabat infirmos *Actuum* 5. *c.* quod de aliis Apostolis non legitur. Item ante passionem discipuli non erant sub Petro, sed sub Christo, ideo cum Petro tunc erant in pari consortio: sed post passionem fuerunt sub Petro, & ipsi deferebant. vnde in penthecoste primum sermonem fecit Petrus *Actuum* 2. *c.* & ideo tex. 21. *di. in nouo*, dicit quod Petrus populos virtute suæ prædicationis ad fidem perduxit. Et dum dicitur, quod in synodis siue congregationibus etiam Apostolorum fiebant omnia sub nomine vniuersitatis, & non solius Petri, vt plerunq; etiam faciunt iura dicunt sacro concilio approbante siue consulente, tamen principalis erat Petrus. & ideo in illo *c. in nouo*, cum dicitur, *placuit nobis collectis in vnum*. scilicet cum Petro, qui vt dicit Chrysostomus *est os discipulorum & vertex colloquii*.

SVMMARIVM.

An maior sit sententia Concilii quàm Papæ, & an Papa possit facere quod est peccatum.

CAPITVLVM XXVII.

Et ad illud, quod dicitur, quod est maior sententia concilii, & quod papa non debet posse facere quod est peccatum, sicut nec Deus, & quod non est ei parendum male iubenti, in hoc sunt plurima videnda. Primum quid potest papa ipso solo papa considerato sine iudicio Romanæ ecclesiæ, & hoc quid possit in genere, quia quid possit in specie in opere Monarchiæ dixi. Et an si facit malũ possit

Digitized by Google

possit corrigi & cuius sententia tunc sit attendenda eius an alterius, vt puta cōcilii generalis vel Papæ aut Romanæ ecclesiæ & Apostolicæ sedis. Et an tunc concilium sit maius papa, ita quod tollat statuta papæ & ipsum iudicet: & præsertim an concilium generale reprehendat papam si papa habet cum sua sententia sedis Apostolicæ & Romanæ ecclesiæ iudicium, quod est aliud ab ipso solo papa, vt *de rescriptis. c. si gratiose li. 6.* Et sic erit vidēdum, quæ sentētia præualeat Romanæ ecclesiæ vel ecclesiæ vniuersalis à Romana ecclesia forsan discrepantis. Et primum dicam de sententia & factis solius papæ. Et ad primum dico, quod papa potest quicquid vult possibile & honestum. nam impossibilia papa non potest, & impossibile est cuius contrarium est necessarium. Est autem necessarium ius diuinum & naturale. & ideo si papa præcipit vel statuit quod Deo non placet vel nutrit peccatum, hoc papa non potest: quia papa potest omnia quæ non sapiunt peccatum: vt notant Doct. in *c. proposuit. de conces. præben.* loquor vt dixi, de peccato proueniente ex lege naturali vel diuina, non si ex lege positiua vt humana: quia illam potest tollere, cum sit supra ius & omnia iura positiua. ideo non posset statuere mandando, quod aliquo casu liceret adulterari, quia scriptum est: *Non mœchaberis:* & est adulterium iure diuino prohibitum: *de iureiuran. c. & si Christus:* nisi permitteret vt euitaretur maius malum. & hoc modo homicidium potest mandare & permittere, quod lex tūc occidit non homo, quando qui mandatur occidi dignus est mori *l. palam. ff. de ritu nup.* secus si morte dignus non esset tunc nō valeret mandatum, adeo vt accusatus non tenetur respondere accusationi male institutæ *C. vt nemo prima l. 2. & si seruus. C. de his qui ad eccle. confu.* Item si sine causa lex vel Papa denegaret, quod filio non præstarentur alimenta, non valeret, sed cum causa sic, vt si esset hostis ciuitatis, qui posset mandari à parente etiam occidi, nedum alimenta denegari *l. minime ff. de religi. & sumpti. fune.* Et concludendo non potest Papa contra legem diuinam vel naturæ sine causa. nam non potest facere quod leges naturæ non habeant locum in actibus suis: *de re iudi. cle. pastoralis,* quia vt dixi, supra ipse non potest facere id quod decoloret suam dignitatem, vel lædat, vel derogetur eius excellentiæ. Sed modo restat videre an si constat, quod male facit, de hoc possit iudicari à concilio vel ab aliquo alio? & in hoc dico quod non: & hoc probant omnia iura supra inducta. & ideo dixit glosa 79. *di. c. si quis pecuniam,* quod ipse Papa potest dicere, *Dominus est qui me iudicat:* & ideo male dixit Dominus Cardinalis Florentinus Franciscus de Zabarellis, quod talia facta iudicentur à concilio, vel quod superius tunc sit concilium, vt probant iura quæ supra deduxi: & ideo si Papa manibus propriis infinita homicidia commisisset, à nullo posset iudicari. Idem si commisisset millies simoniam, fallit nisi error esset in causa fidei: quia hoc casu est maior sententia concilii, quam solius Papæ, vt dixit glo. 15. *di. sicut in fi. & 40. di. c. si Papa,* & de hoc statim subdam. Credo etiam idem in omni hæresi damnata per concilia, vt si Papa in illam incidat, possit à concilio iudicari: quia tex. in *ca. si Papa. 40. di.* non dicit, quod pro hæresi solum deponatur sed dicit quod deponitur quando deuiat à fide: sed deuiat à fide quando illud quod ecclesia vniuersalis damnauit pro hæresi, ipse approbat vt fidei consonum. Et latius ista ego prosequor in opere Monarchiæ in quæstione an *pro peccato scandalizante ecclesiam Papa iudicetur.* Et est ratio: quia Papa est caput ecclesiæ post Deum quia Deus est primum caput ecclesiæ & Christus: *de voto. capit. 1. li. 6.* sed postquam cessauit à mundo Christus Papa est illud vnicum caput Christi repræsentans ita quod est vnū caput non duo capita, iuxta illud ad Ephesios primo: *ipsum dedit in caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius.* vnde deuiando à fide mortuus est, iuxta sententiam Abacuc: quia *iustus ex fide viuit.* igitur Papa deuians à fide non potest vitam influere in aliis ecclesiæ membris, quia vt dixi principiū vitæ spiritualis est fides. Nam sine fide est impossibile placere Deo, cum secundum Apostolum ad Hebræos 11. *fides est substantia,* id est, fundamentum omnium superandarum rerum & omnium virtutum: quia vbi Christus non est, subaudi per fidei fundamentum, nullum boni operis esse potest super ædificium 1. q. 1. *c. cum Paulus.* sed Papa à fide deuiante ipse continuo mortuus est: quia non operatur secundum fidem & fides sine operatione mortua est *Iacobi c. 2. & de sacra vncti. c. 1. §. quia verò Christus. & 1. q. 1. cap. fertur.* vnde si mortuus est Papa, caput ecclesiæ non potest spiritus vitalis in cæteris membris infundere: quia principium vitæ plurimum est in capite: & capite languente facilius reliqua corporis membra inficiuntur, & à planta vsque ad verticem non est in eo salus 6. q. 1. §. *verum.* & ideo continuo dignitatem perdit vt notat Io. An. in *cap. vt commissi, de hæreticis in 6.* vt hęc latius dixi in Monarchia in quæstione *an Papa propter hæresim papatum perdat,* immo plus dixit glo. 40. *di. cap. si Papa.* quod idem est in omni delicto scandalizante ecclesiam, vt Papa possit pro ipso à concilio iudicari, quando monitus stat incorrigibilis & in sua obstinatione persistat. Nam talis contumacia dicitur hæresis 81. *dist. si quis presbyteri.* nam qui crimen aliquod defendit, & de illo se corrigere non vult, peruersus est & proprio iudicio condemnatus, vt dicit Apostolus *ad Titum cap. 2.* quia error cui non resistitur approbatur, & prælatus tacendo consentit 43. *di. capit. sit* 83. *di. error.* si enim prælatus non emendat delicta notoria in alias nedum in se est suspectus, quod sit talis vitii asseuerator & quia qui rebelliter viuit & dicere aut agere bona recusat magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur & potius infidelis quam fidelis esse monstratur 38. *di. cap. si.* sed hanc glo. ego intellexi veram quando non solum tale delictum committit sed etiam illud verbis & facto non esse delictum defendit. Nam pro solo scandaloso crimine commisso à Papa non potest Papa iudicari: vt est tex. in dicto *cap. si Papa* 40. *di.* Nam ibi delictum erat notorium & scandalosum, cum tex. dicat ibidem de delicto Papæ cum quo innumerosum populum secum trahat ad gehennam. ergo erat notorium & scandalosum, & tam non potest de illo iudicari, vt ibi. sed illa glo. est vera, cum accusatur quod verbis & factis delictum, quod est contra ius

Digitized by Google

diuinum vel naturale, Papa dicat non esse delictum, quia de hac assertione quæ est hæresis, [illegible] *pe. & fi. 30. di.* Papa potest accusari & damnari. Si igitur sit peccatum momentaneum vel scandalosum vel habens causam successiuam, Papa non potest accusari, nisi quando habet successiuam causam vel reiterabilem, & Papa monitus vt se corrigat persistat in successu peccati, vel post monitionem sæpius reiteret scandalizando ecclesiam, tunc cum videatur asserere ipsum peccatum non fore peccatum, quia asseuerationes fiunt factis & operibus sicut verbis: vt in *c. dilectis de appell.* [illegible] *de edi. edic. l. si tamē. §. si qui. & 22. q. 5. cauete.* Certe isto casu cū forte faciat Apostolos à fide deficere, credo eum tanquam hæreticum posse damnari vel deponi, quia par est à fide exorbitare vel exemplo vel verbo à fide deficere 2 *q. 7. Paulus.* facit *de pœn. c. fi. & de præsumptio. cap. litteras.* hoc enim casu non solum sibi nocet sed toti mundo, præsertim. quia idiotæ & simplices facile imitātur sic [illegible] tem. & hoc casu dicit Canon, quod potest interrogari à principe de fide, vel si vult sic viuere 25. q. 1. *satagendum.* & si perseuerat, potest vt hæreticus condemnari. facit *c. cum contumacia de hæreticis in 6.* his ergo solis casibus damnatur vel iudicatur Papa. & in istis casibus potest compelli ad concilium celebrandum: vt notat glo. 19. *di. c. Anastasius.* sed si Papa non esset in tali errore vel in eo dubitaret, tunc potest ipse causam etiam fidei sine cōcilio terminare: vt in *c. maiores, de baptis.* & valeret sua determinatio nisi scandalum, generaret vel reputaretur ab ecclesia erronea, quia tunc posset compelli ad concilium celebrandum. sic intelligo quæ supra retuli de affricano concilio, & statim infra dicam. Sed posito, quod talia facta Papæ vel mandata sint iniusta vel iniqua, an eius mandatis parendum sit, & an ab aliis vt à concilio talia facta corrigi. & an sit maior sententia concilii quam Papæ, & primo an ipsius mandatis parendum sit, si præcipit euidenter iniustum, loquor de iniustitia surgente à iure diuino vel naturali: quia si surgeret à iure positiuo, cum Papa possit illud tollere, non diceretur iniusta. In quo dico, quod quando mandatum est contra legem diuinam vel naturæ & iniustum tunc ei non est parendum, siue esset singularis homo vel plures, quibus fierent talia præcepta non deberent parere. etiam si ipsi Papæ iustum videretur, sed non esset, vt in *c. litteras. de resti. spol.* [illegible] si fiant talia præcepta sub comminatione excommunicationis, patienter toleretur, sed mala non [illegible] pateant, quia Deo cœlesti hoc casu potius est parendum. & si fiant hæc præcepta extraiudicialiter, possent tales subditi contradicere: vt in *c. gesta. 74. dis.* notant Doct. in *c. ad aures de tempo. ordi.* imo plus volunt ibi Doctores, quod etiam si prælatus præcipit iustum, sed subditus habet conscientiam, quod si iniustum & hanc conscientiam non potest vincere vel deponere, tūc debet sequi propriam conscientiam quantumcunque erroneam: *de simo. c. per tuas.* & licet posset puniri à Papa, debet punitionem tolerare patienter. & idem si est dubium, an sit iustum vel iniustum. quo casu si conscientia vinci potest, parendum est superiori, *centesima dis. contra morem.* 19 *dis. c. in memoria ff de re mil. l.* 3. §. *in bello.* ita notant Doctores in dicto *c. ad aures.* & hoc quando potest vincere conscientia, quod possit putare præceptum iustum sed si non posset credere iustum præceptum esse, debet sequi, [illegible] xi, conscientiam, & tolerare patienter punitionē. sed an hæc facta possint corrigi vel à concilio emendari? respondeo quod si talia facta quāuis iniusta nō turbant statū vniuersalis ecclesiæ, nec ipsum decolorāt, nec sunt contra fidei articulos, vel contra illa quę ab ecclesia vniuersali vt hæretica [illegible] sint tunc quāuis sint mala facta. & Papa nō possit nec debeat ipsa facere, tamen concilium non potest tales errores corrigere. licet enim ille, cui præcipitur non debeat parere, vt dixi, tamen concilium [illegible] releuat enim à iudicio Papæ per iura supradicta 40. *dis. si Papa 9. q. 3. aliorum & c. nemo.* Et in [illegible] maior sententia Papæ quamuis mala quam concilii. Si vero talia facta turbant etiam bonum vniuersalis ecclesiæ vel lædant vel decolorant statum ecclesiæ vniuersalis, vel sunt contra fidem, [illegible] fide deuiant, tunc ecclesia vniuersalis, id est, concilium, cui videntur fieri huiusmodi præcepta non debet Papam pati. ita dicit Inno. in dicto *c. quanto de consue.* qui dicit quod *ecclesia vniuersalis* [illegible] *cilium non debet ista pati*, non dicit quod non valeant. & isto casu præfero sententiam concilii [illegible] riæ Papæ per iura supra allegata 25. *q. 1. c. sunt quidam.* idem credo, vbi est dubium an sit contra [illegible] vel peccatum, & cōcurrunt aliqua prædictorum, vel vbi agitur causa fidei, vt quia arctatur [illegible] ad aliquid credendum vel non credendum tanquam fidei consonum, & contrarium concilium putat & fidei aduersum: vel Papa reputat quod aliquid sit peccatum vel non peccatum, & concilium credit contrarium, tunc videretur quod sit maior sententia concilii quam Papæ per rationes [illegible] dictas. Sed hoc ego credo verum, quod sit maior [illegible] sententia concilii quam solius Papæ, [illegible] Papa solus est vel paucos secum sequaces habeter. sed si concilium prouinciale Romanum, [illegible] ecclesia Romana & sedes Apostolica aliquid in prædictis pro vero deliberasset, tunc credo quod [illegible] maior sententia Papæ & ecclesiæ Romanæ quam alterius generalis concilii sententiam [illegible] stolicæ non habentis. & hoc patet in his quæ dixi supra & in orientali ecclesia quæ non [illegible] tuta Romanæ ecclesiæ, vt præualeret sententia Papæ & cleri occidentalis 24. *q. 1. cap. quoniam* [illegible] loquor quando vniuersale concilium & aliæ ecclesiæ seu clerici sententiam Romanæ sedis [illegible] non haberent per supradicta: quia maiores quæstiones ad sedem Apostolicam deferuntur: [illegible] *tis. c. maiores*, & quia rogauit Dominus pro Petro vt non deficeret fides sua. 21. *di. c. 1. in fi.* ibi [illegible] *tre.* & debet intelligi de fide sua, id est, ecclesia sibi specialiter commissa, vt per ipsius ecclesiæ [illegible] bitabile iudicium maiores causæ finem susciperent 24. *q. 1. quotiēs.* & hoc decidit glo. notab. [illegible] *1. quodcunq.* pro qua glo. est tex. beati Hieronymi 24. *q. 1. hæc est fides*, præsertim in ver. [illegible] *mana ecclesia, quæ semper immaculata permansit Domino prouidente & beato Petro Apostolo opem ferente,* [illegible] *in futuro seculo permanebit sine vlla hæreticorum insultatione atque firma & immobilis, omni tempore* [illegible]

Digitized by Google

sit. & ibi tex. vult quod omnes aliæ ab ipsa regantur ecclesiæ. & hæc probat tex. 24. *q.* 1. *arrepta.* ibi: *hæc est sancta & apostolica mater omnium ecclesiarũ quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit: sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit aut auctorum suorum Christi principibus illibata fidetenus manet.* Ad idem *eadem causa & quæstione. cap. manet*, ibi: *Nihil est ligatum vel solutum nisi quod beatus Petrus ligauerit vel soluerit.* Ad idem in *cap. memor sum eadem causa & quæstione*, ibi: *& cuius fidem nulla vnquam fouet hæresim sed omnes hæreses destruit*, & in *cap. in sede*, dum dicit, *in sede apostolica extra maculam semper est catholica seruata religio.* Ad idem 24. *q.* 1. *aduocauit*, ibi: *hoc est si cum Romana ecclesia conuenirent.* Ad idem Hieronymus 24. *quæst.* 1. *quoniam vetus*, ibi: *beatitudinis tuæ, id est, cathedra Petri communione consortior.* hoc idem Gelasius papa & habetur. 9. *q.* 3. *cap. cuncta per mundum*, vbi dicitur quod *ecclesia Romana fas habet de omnibus iudicare neque liceat cuiquam de eius iudicio iudicare si quidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est ab illa autem nemo est appellare permissus.* & ibidem subditur quod apostolica sedes sine vlla synodo præcedente & soluendi quæ synodus iniqua damnauerat & damnandi nulla existente synodo quos oportuit habuerit facultatem. Ad idem 9. *quæst.* 3. *nemo*, vbi dicitur quod *nemo iudicabit primam sedem ita vt nec ab omni clero neque à regibus neque à populo.* & hic non loquitur de papa: quia illud est sedes apostolica & aliud papa: *de rescrip. cap. si gratiose. li.* 6. & sic sedes apostolica non iudicatur à concilio. Item in *eadem causa & quæstione. cap. patet*, dum dicit, *sedis in apostolicæ cuius auctoritate maius non est iudicium & à nemine fore retractandum.* & Gelasius papa, vt ibi dicitur, dixit quod *decreta apostolicæ sedis à nemine sunt dissoluenda sed potius sequenda.* & hoc idem dicit tex. Anastasii Patriarchæ 9. *quæst.* 3. *cap. fuit*, dum dicit quod *à quocunque damnatos vel excommunicatos sedes apostolica absoluit. & excommunicatos ab apostolica sede nemo nisi ipsa sedes absoluit.* & idem dicitur textus in *cap. antiquis.* & ideo tex. in *cap. ipsi sunt canones.* 9. *quæst.* 3. dicit quod *de omni ecclesia ad sedem apostolicam appellatur ab ipsa vero nullus appellat*: & ex istis concluditur, quod sedis apostolicæ iudiciũ est infallibile: & quod omnes alii eius debent duci iudicio, vt supra dixi. & quod sedes apostolica & Romana ecclesia errare non potest vt volunt auctoritates supra relatæ Hieronymi in dicto *c. hæc est fides.* & sententia beati Cyrilli *super Matthæũ.* Non obstat quod legitur 93. *di. cap. legimus.* dum Hieronymus ibi dicit quod *orbis maior est vrbe*: quia ipse loquitur de cõsuetudine, quod consuetudo orbis præferenda est speciali consuetudini vrbis & Romanæ curiæ, in qua erat consuetudo quod aliqui diaconi præcedebant episcopos secundum consuetudinẽ curiæ Romanæ, qui non debent præcedere extra curiã. sed consuetudo orbis & aliarum prouinciarũ intuenda. i. seruanda est: quia orbis in hoc maior est vrbe: immo nedum orbis sed & vnius prouinciæ attenditur consuetudo: & non Romana. 12. *di. c. illa*, quia primo attendenda est consuetudo propriæ prouinciæ. *de sponsa. duorum c.* 2. & postremo Romana: vt no. *de censi. c. super eo. vel c. legimus.* loquitur quod sententia ecclesiæ vniuersalis est maior quam sententia solius papæ in fide concernente bonum vniuersalis ecclesiæ, non loquitur de senteñtia apostolicæ sedis sed papæ. vel loquitur de sententia vniuersalis ecclesiæ, in qua etiam sit papa & clerus Romanus, vt iste sit in fide maior sententia papæ vel solius Romanæ sedis. & hoc modo debet intelligi illud, quod dixi supra in principio istius tractatus conciliorũ, quod maior est sententia synodi generalis, subaudi in quo sit papa cum ecclesia Romana tanquam caput, quam auctoritas sola concilii prouincialis papæ. Sed si concilium prouinciale papæ cum papa vnum determinasset etiam in fide vel in bono vniuersalis ecclesiæ: & concilium generale aliud determinaret: & non concurreret cum generali concilio sententia papæ & Romanæ sedis: tunc præfertur sententia Romanæ sedis ipsi concilio generali. Ratio, quia tunc non esset sententia generalis ecclesiæ & vniuersalis, cui standum sit tanquam non erranti, postquã ab ipsa discrepat caput, id est, sancta sedes apostolica. nec est modo illud totum integrale, quod sit maius qualibet sua parte papa & sancta Romana ecclesia deuitante qui caput est. Et ideo potius sententia sedis apostolicæ foret intuenda. Dico sedis apostolicæ non papæ: quia illam sententiam solius papæ in casibus, in quibus potest iudicari, subiicitur iudicio ecclesiæ vniuersalis. Hoc probat textus 3. *quæst.* 9. *duo*, dum dixit: *Quoniam sanctã matrem Romanam ecclesiam primã omnium ecclesiarum esse voluerunt & ad eam quasi ad matrem atq; apicem omnes maiores ecclesiæ causæ & iudicia episcoporũ recurrant & iuxta eius sententiã terminum sumant.* hoc vult beatissimus Augustinus 24. *q.* 1. *pudenda, in fi.* Nam quando dissentiunt aliæ ecclesiæ cũ ecclesia Romana, negari non potest quando sit schisma & ecclesia nullo modo recte potest dici ecclesia, in qua est schisma, sed cum ecclesia nulla esse non possit illa erit in qua apostolicæ sedis sententia sit, quæ hominũ malicia extingui non potest, dicto *c. pudenda in fi.* Et hoc videtur velle beatus Tho. *secunda secundæ. q.* 1. *articulo* 10. & Ambrosius 24. *dis. c. omnes in fi.* dum dicit quod sequitur magistram Romanam ecclesiam. Ex quibus concluditur quod si iudicandus est vnus episcopus, illum papa iudicet non synodus prouincialis. 7. *q.* 1. *quamuis* idem si est dissensio inter Archiepiscopos vel in ecclesia de causis fidei sedes Apostolica iudicet. Et si est in ecclesia dissidium, & in vnam sententiam confluat sedes Apostolica, i. papa cum Romana ecclesia specialiter sibi commissa, & in alia sententia sit alia ecclesia vel alii episcopi, iudicium sedis Apostolicæ attenditur, nisi alia ecclesia vniuersalis habuisset aliquando vel haberet iudicium Apostolicæ sedis: quia tunc præferretur ecclesia vniuersalis, à qua nouiter ecclesia Romana discreparet à iam statutis per seipsam. idem si sit contemptio inter exemptos vel inter concilium & ibidem cõuenientes, tunc sedis Apostolicæ sententia attendatur, non aliorum qui ab ipsa discreparet. Et hoc determinat, vt dixi, Thomas in *secun-*

Pp

da secunda.q.1.articulo 10. Solius autem papæ iudicium submittitur iudicio concilii vniuersalis in casibus. In causa fidei schismatis, & vbi agent de bono vniuersalis ecclesiæ. Et ita postremo statuit diebus meis generale Constantiense concilium, sed debet intelligi sane de concernentibus bonum vniuersalis ecclesiæ principaliter non secundario *l.2.in fi.ff.ad municip.* vnde conferre beneficia magis quam alteri respicit bonum vniuersalis ecclesiæ secundario, ideo debet attendi factum papæ non concilii. Item in causis fidei & schismatis ideo submittitur papa: quia ista sunt de iure diuino, cui papa etiam tenetur obedire, vt teneat cum ecclesia ea quæ sunt fidei, & quod non foueat schisma, & quod non lædat vniuersalem ecclesiam, vt supra dixi. In aliis à prædictis papa est subditus legi positiuæ de honestate. *l.digna vox. C.de legi.* non quod à concilio cogi possit *l.princeps legibus ff. de legibus.* & est tex. 25.*q.1.§. his ita respondetur.* Modo habetis conclusum, an papæ vel concilii vniuersalis vel Romanæ ecclesiæ sententia sit potius attendenda, & an concilium vniuersale possit errare & quo modo. Ita intelligo istam profundissimam materiam cum protestatione, quod me refero ad determinationem sanctæ matris ecclesiæ si in aliquibus prædictis aliter determinaret.

PARS IV.

DE VICARIO CHRISTI IN SPIritualibus, & eius potestate vniuersali.

SVMMARIVM.

Pontifex Maximus circa quos, & vbi potestatem habet, an demum in terra & super homines, an verò super alias creaturas, Angelos videlicet vel animas in Purgatorio indulgentias dando; & sic de aliis.

CAPITVLVM I.

DIximus supra in genere in proxima quæstione præcedenti, quid possit papa per potestatem pontificalem. Nunc ad speciem descendamus circa quos & vbi potestatem habet: an demum in terra & super homines, an vero super alias creaturas. Et videtur dicendum, quod Christus concesserit Petro & successoribus non solum potestatem super homines illos ligandi & soluendi in cælo & in terra, sed & super Angelos in cælis. hoc probat Apostolus *ad Galath.1.* & habetur, 11 *q.3.c.si is qui præst. & 24.q.3.§.sed pro persecutoribus:* dum dicitur, *sed licet nos aut Angelus euangelizet vobis, preterquã euangelizamus vobis, anathema sit.* ex quo videtur argui, quod Apostolus excommunicet Angelum de cælo, igitur habebat super Angelos potestatem, aliter non potuisset angelum excommunicare: quia inferior superiorem vel parem non excommunicat: *de maio. & obe.c.cũ inferior. & de constitu.c.cum animarum.li.6.* si igitur Apostolus habuit potestatẽ super Angelos, ergo & Petrus. & hodie papa Apostolo in administratione maior, quia papa est Christi Vicarius vniuersalis: *de translatione.cap.quanto.* facit quod habetur in *cap.per venerabilem.ver. Paulus, qui fil. sint legit.* vbi est tex. apostoli ad Corinth. dicentis: *nescitis quoniam angelos iudicabitis.* Ex quibus concluditur quod cum papa habeat illam potestatem, quam Petrus habuit & supra Apostolum, vt notatur. 34.*di.§.necessitatis. & cap.lector.* & vtrobique per Archidi. quod sicut Apostolus iudicabat angelos, ita & papa valeat iudicare. sed veritas est, quod papa non habet potestatẽ, nisi super terrã & in homines terræ: quia homines glorificati vel damnati non sunt plus de ecclesia militante, nec sub iudicio vel foro papæ. Et contrarius faciliter respondetur. Et primo Apostolus per verba supradicta non excommunicauit angelum de cælo. Nam cum dixit, *etiam si nos aut angelus* &c. vt per nos intellexerit se & alios apostolus, vt dicit Haimò super his verbis, Paulus etiam excõmunicasset seipsum contra. *l.pe.ff.de arbi.* excommunicasset etiam Petrum sibi in administratione maiorem & in ordine parem, quod non est possibile: dicta *l.nam magistratus. & c.cum inferior.* dicendũ est igitur quod per ista verba non anathematizauit sed dixit anathematizatum. i. separatum ab eis, nec ei fore credendum, ita dixit glo. in dicto *cap.si is.* 11.*q.3.* vel forte anathematizatione dignum, vt ostenderet quid fiendum foret ab habente potestatem. Ex quibus concluditur quod papa non habeat potestatem nisi super terram & ecclesiam militantem, non super angelos aut ecclesiam triumphantem. igitur in *cap.quocunque ligaueris.* 24.*q.1.* dicitur *super terram.* nam in cælo non ligat vel soluit, sed ligatum vel solutum in cælo ostendit in terra: quia in cælo statim est ligatus deliquens, vel solutus pœnitens. 23.*q.5.remittuntur.* & ibi per Archi. patet in leprosis, quos primo Deus per se mundauit: deinde sacerdotibus illos misit, per quos ostenderentur mundati esse: *de pœni. dist.1.§.1.* hoc idem probatur & ibi etiam de exemplo Lazari. nam licet quis sit solutus quod ad Deum, non tamen quo ad ecclesiam, nisi sacerdotis iudicio declaretur. ita intelligitur illud Ambro. *de pœni. di.1. cap. quam libet. & de senten. excom. cap. à nobis. el. 2. 25. di cap. qual.* igitur illa auctoritas intelligi debet in ecclesia militante: vbi ligatus iniuste damnatus, qui tamen non est ligatus tunc in cælis: vel absolutus, quando iniuste absolutus. vnde concluditur quod potestas papæ est solum in ecclesia militante, & super homines in terra existẽtes, & in corpore ecclesię mystico quantum ad excommunicandi actum: quia spiritualiter excommunicando non iudicat de his quæ foris sunt.

Vnde

Digitized by Google

Vnde papa existentibus in purgatorio non potest dare indulgentiam. Et ratio, si papa daret indulgentiam animæ patris illius, qui porrigeret manus adiutrices ad transitum terræ sanctæ vel quid simile: talis nullam indulgentiam consequeretur: quia defuncti non sunt de foro Ecclesiæ militantis, sed de foro Dei. Dico igitur, quod indulgentia defuncto non prodest: quia quæ sunt dependentia à foro vel iurisdictione vel indulgentia, talia non prosunt mortuis: & sic existentibus in purgatorio: quia tales non habent iudicem nisi Deum. 24. *q.* 2. *c.* 1. *&* 25. *di. qualis*. Quædam autem non sunt dependentia à iurisdictione, sed ab actu caritatis, vt oratio, Eleemosyna, & sacrificium & ieiunium: & talia prosunt. 24. *q.* 3. *capit.* & ideò si Eleemosyna daretur pro anima defuncti, prodesse posset. Non obstat prædictis *quasi sint le. cap. per venerabilem. ver. rationibus*, vbi in versu Deuteronomii dicitur, quod papa constitutus iudex viuorum & mortuorum, quia illud intelligitur de Christo. sed obstat. 13. *q.* 2. *capit. anima defunctorum. & capit. tempus*, vbi probatur quod Eleemosynæ & alia sacrificia quæ sunt in Ecclesia, prosunt animabus existentibus in purgatorio, vt supradixi: ergo sunt de foro Ecclesiæ militantis. Nam aut dicas animas purgatorii esse in via & viatrices esse, & tunc sunt de Ecclesia militante, & prosunt ipsius diligentiæ & remissiones: aut sunt de Ecclesia triumphante, & ipsis non prosunt indulgentiæ, nec Eleemosynæ. Ad hæc respondetur quod duplex est via: vna incerta nobis & variabilis, quæ habetur in hac vita & qui in hac via est, quo ad omnia est de foro Ecclesiæ militantis, *de pœni. di.* 1. *c. Ecclesia Christi*. Alia vita est certa, saltem in genere, quia certi sumus quod omnes illi, qui sunt in purgatorio, salui fient, & in hac via dicitur esse anima, quæ est in purgatorio: & talis quo ad spem certam & ineffabilem est de Ecclesia triumphante, & quo ad condemnationem vel absolutionem vel remissionem ex vi veræ sententiæ & efficacis, in nullo est de foro Ecclesiæ militantis, à qua absoluta est triumphante Ecclesia comprobante: quo autem ad participationem Eleemosynarum, ieiuniorum, orationum & sacrificiorum est de foro Ecclesiæ militantis: dicto *capit. anima defunctorum. & cap. tempus de celebra. mis.* Sed quo ad supplicationem sanctorum & curiæ cœlestis est de foro Ecclesiæ triumphantis. nam vna est Ecclesia, cuius pars militat in terris, alia triumphat in cœlis; & tota Ecclesia desiderat deuotas animas & saluas fieri: *de pœni. dis.* 1. *cap. duo*. nec obstat prædictis, quod Ecclesia soluit & ligat post mortem: 24. *quæst.* 2. *sane profertur, de sen. excommunica. à nobis, el secundo*: quia ibi fit absolutio ad consolationem viuorum fidelium, & absoluitur mortuus, id est, antequam mortuus fuisset, per contritionem absolutus fuisse mõstratur, sed in veritate quo ad illos qui mortui sunt nihil operatur. Et similiter ligatum, id est, fuisse monstratur, ar. 13. *q.* 2. *in præsenti seculo*. 25. *d. c. quales*: Sed hic etiam occurrit dubium, an teneant istæ indulgentiæ culpæ & pœnæ. & videtur quod parum prosint, maximè quando quæruntur extendi ad nondum pœnitentes: quia aut intelliguntur concessæ impœnitentibus, non videtur posse defendi quod indulgentia comitetur eos manente culpa impossibile est remitti pœnam: *de consecra. dis.* 4. *baptismi vicem, de pœni. di.* 3. *sane cauendum*. Item impœnitens retinet odium, & sic culpam veri, quibus stantibus impossibile est remissio: *de pœni. dist.* 1. §. *hoc idem. & ca. voluissent*. & ideò regula iuris est quod peccati venia non datur nisi correcto, *de regu. iur. peccati lib.* 6. quod etiam pœnitentibus nihil prosint probatur: quia pœnitentibus debet imponi, pœna iuris secundum qualitatem, id est, quantitatem culpæ siue delicti. 47. *di. omnes*, ibi, *sicut exhibuistis ibi membra nostra* &c. & alibi dicit canon, *quãto tempore errasse te nosti tanto humilia teipsum*: de pœni. di. 1. vide benignum. & Apoc. 18. *quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, & secundum quantitatem delicti erit plagarum modus, *Deuter.* 25. *de pœni. di.* 1. *quia diuinitatis*. quinimmo innuit alibi canon, quod productior debet esse pœnitentia quam delictum *de pœni. di.* 3. *pœnitentia. & c. productior.* sed per istas indulgentias nulla facta satisfactione videtur remitti pœna. ergo contra iura diuina & canones conceduntur diuinæ iusticiæ nam concordant cum humana debet se confirmare. 11. *q.* 3. *& Eua*. Item alibi legimus, quod Deus non dimittit dedecus culpæ sine decore iusticiæ: *de consecra. dis.* 4. *baptismi*. & beatus Augustinus dicit, quod *opus est misericordia peccanti peccata dimittere*: sed oportet vt iustus misereatur iustè: *de pœni. di.* 1. *quem pœnitet*. præterea inferior pœnam à superiore inflictam tollere non potest. 21. *dist. inferior. & clemen. ne Romani. de elect.* hinc est quod de pœnitentia imposita per papam non potest Episcopus minuere nec prælatus de impositis per Episcopum: vt notatur *de sortil. c.* 2. & facit quod notatur *de accu. cum p. in glo. fi.* sed Deus, qui est superior pœnitentibus absoluendo à culpa mediante cordis contritione obligat seu dimittit obligatum ad pœnam: *de pœni. di.* 1 *si peccatum. & capit. sicut primi*. præterea satisfactio est pars pœnitentiæ, nec dicitur pœnitere qui non satisfacit: *de pœni. di.* 1 *tres sunt. & c. non sufficit. & cap. quamobrem*. vnde qui non satisfacit cum potest non absoluitur à Deo 14. *quæst.* 6 *si res aliena*, nisi in baptismo, *de consecra. di.* 4. *si pœnitentiam*. vnde legitur quod habemus duas tabulas ad peccata expianda, scilicet baptisma & pœnitentiam: *de pœni. di.* 1. *cap. secunda post naufragium, de summa tri. cap.* 1. sed de indulgentiis non habemus expressum nec in canone Bibliæ nec in Euangelio nec in Epistolis talem fuisse concessam potestatem Apostolis vel successoribus legimus neque beatum Petrum neque Paulum vel alios Apostolos concessisse. ergo quod non est sanctorum patrum &c. 2. *q.* 6. *consulisti. &* 31. *q.* 1. *si dormierit, de trãslatione. c.* 2. præterea potestas ligandi & soluendi est tradita ministris Ecclesiæ ad ædificationem non ad destructionem: *de pœni. di.* 6. *cap.* 1. facit. 23. *non est perpetuum*. sed indulgentia quæ est gratuita remissio pœnæ peccatorum tendit ad destructionem, quia per eam remanent delicta impunita, contra. *cap. vt famæ. de sen. excommuni. & l. ita vulneratus ad legem Aquil.* Item tribuit incentiuum delinquendi ista facilis venia. illa autem quæ inuitant homines ad delictũ, sunt de genere malorum &

Digitized by Google

nulla pactione confirmantur: vt *l. conuenire, de pac. do.* facit. *cap. ut clericorum* cum ibi notatis *de vita & hone. cleri.* Ad idem *l. respiciendum in principio. ff. de poeni.* ibi, *neque enim aut seueritati aut benignitati gloria affectanda est, sed perpenso iudicio prout vnaquaeque res postulat statuendum est.* ad hoc *l.* ... *principium. Digest. ad Turpil.* vbi poena legis auctoritati reseruatur non praesidentis arbitrio com-mittitur.

Ex quibus omnibus concludendum videtur quod dictae indulgentiae sint contra iura di... contra sacros canones atque leges, & insuper contra bonos mores: quia inuitant homines ad ... cta, dum per eas poena delicto condigna gratis remittitur. istae sunt pro maiori parte ratione... mini Gaspari, qui postea soluens dicit quod omnes theologi & canonistę fatentur indulgent... litteras taliũ remissionum valere, vt *hic & supra c. proxi. & cle. si Dominũ ad fi. de reliqui. & vene.* ... & probatur auctoritate Augustini dicentis quod *quilibet sacerdos remittens, eidem remittit Deus* ... poeni. di. 1. quem poenitet, ante medium. Itẽ hoc seruauit ecclesia à tempore cuius contrarii memo... non existit. & beatus Gregorius, qui etiam fuit sanctus, seruauit. non est autem sentiendum tota... ecclesiam errasse. nam dictum est Petro in personã totius ecclesię: *ego Petre oraui pro te ne deficiat fi...* *tua.* Lucae 22. *de poeni. di. 2. si enim inquit.* hoc idem probatur per illud priuilegium datum Petro & ... cessoribus, *quodcunque ligaueris.* &c. 20 *di. in princ.* 24. *q.* 1. *quodcunque.* Et per hoc respondetur ad co... trarium, in quo dixi de istis indulgentiis nullo iure caueri. tacite enim illud generale priuilegiũ ... includit. Itẽ in *Exod.* 21. *ca.* legitur de remis. quae fiebant in anno iubileo: vt notatur 8. *dis. in prin...* & ab aliis iustificationibus cepit ius constitutionis, vt ibi dicitur, & de quibus habetur *de poeni...* *qui domum.* ad quarum remissionum exempli fiunt remissiones anni iubilei; vt in *extrauaganti* ... *nifacii antiquorum.* potissima etiam ratio eius, quare indulgentiae iste valeant est vnitas ecclesiae co... poris mystici, in qua multi sancti viri opera pietatis & misericordiae supererogauerunt vltra men... ram suorum delictorum, dum patienter opprobria, contumelias & finitas passiones & cruci... tolerauerit, quas non merebantur. hi non cessant orare pro nobis, & ecclesia fundit praeces ad ... orent Deum pro nobis, vt patet in laetaniis. ad hoc 13. *q.* 2. *anima.* & beatus Paulus pollicetur pro ... sine intermissione orationes ad Deum porrigere. 22. *di. sacrosancta.* Item de his cessantibus meri... mortis & passionis & effusionis sanguinis Christi remissio peccatorum operatur, *de consecra.* ... *quia corpus.* ipse enim obtulit se hostiam pro peccato: *de consecra. di. 2. non oportet.* & illa poena & ... tyrium quod iniuste pertulit, quinimmo minima eius gutta sanguinis erat sufficiens ad luitio... nostrorum delictorum. vnde Isaiae 54. *omnes languores nostros ipse tulit & dolorem ipse portauit.* & ... multorum peccata tulit, & pro transgressoribus orauit, sua igitur merita & sanctorum nobis com... nicans potestatem Petro & successoribus eius dedit ligandi & soluendi. ista igitur indulgentia ... pro peccatis infligendae concedere videtur poenitentibus & confessis in remuneratione praemii ... ctorum martyrum, quasi sufficientes sint debitores pro nobis satisfacere apud Deum. & sic pro ... bis satisfaciendo liberant nos à poena, dispensationem autẽ istorum meritorum, quibus à poena ... catorũ possumus liberari, Christus, vt dixi, Petro commisit & successoribus, qui Episcopis in par... huius sollicitudinis commiserunt, sicut & alia: vt *c. mandata de praesumpt.*

Ad contraria supradicta per ordinem respondet. & primo ad id quod dixi, quod impoenit... non gaudent indulgentiis: quia venia non datur &c. hoc fateor sed poenitenti vel proponẽti ... rigere, & sic iam corde contrito bene valent: si tamen haec habeat formam indulgentiae. ad hoc ... 1. §. *si ergo.* papa enim, qui habet summam potestatem, & in quo repraesentatur ecclesia, indul... videtur eis communicare opera sanctorum & passionis Christi, & sic satisfacere & soluere ... pro delicto peccatori infligenda. & per hoc simul iusticia cum misericordia conseruatur: ... est contritio quae accedit ad instantiam, & sequitur indulgentia quo ad partem misericordi... *de poeni. di. 1. c. nullus debita.* Et per hoc etiam soluitur aliud contrarium, in quo dixi, quod satis... debet praecedere, vt poena remittatur: & qui non facit non dicitur poenitere. nam contritio pro ... factione habetur. Et aliud, i. sanctorum merita, quae communicat ecclesia peccatoribus ... dicitur vt in *c. qui per alium, de regu. iur. li. 6.* Ad aliud contrarium, in quo dixi, quod indulgen... detentur inductae ad destructionem, nõ ad aedificationem fidelium, ex eo quod facilitas ven... Respondetur quod immo praebent remedium contra peccatum vitandum tamen praecedente c... tritione, ad quam disponitur vt indulgentiis quis possit gaudere, & cum hoc concurrit gratia ... faciens ex gratia quam meretur ex humilitate & pro opere. Caueat tamen sibi ne istam gratiam ... cipiat quis prauo corde negligendo propter ipsam indulgentiam & bonam operam in posterum ... les causae licet propter indulgentiam reddantur immunes, tamen ex contemptu ligari possent ... *§. cum ergo.* 24. *q.* 3 *notandum.* vnde dicit canon, quod negligentia est superbia, parit offensam, ... quitur recte de negligente satisfacere pro delicto, *de poeni. di. 7. c. praedixerat.* non ergo cõtemn... poenitentia iniuncta vel satisfactio propter negligentiae susceptionem. Aliis contrariis sup... etiam respondetur, sed per proximam praecedentem concluditur: quia nescit homo an iuste ... dulgentiam vadat, & non est nimis in his confidendum, vt tantum valeant quantum sonant ... fuse possem prosequi, sed obmitto gratia breuitatis.

SVMMARIVM.

Pontifex in quibus habeat potestatem: & primum an potestatem habeat legem generalem condendo statuere contra ius diuinum, vel etiam per speciale dispensando per rescriptum.

CAPITVLVM II.

Postquam retulimus vbi & in quos summus pontifex habet potestatem: Nunc dicendum est in quibus habet potestatem. & primum inquiram generaliter, an habet potestatem legem generalem condendo statuere contra ius diuinum vel etiam per speciale rescriptum. Secundo an aliquo ex prædictis modis possit contra iura naturalia maxime contra naturæ principia. Tertio an possit contra statum ecclesiæ vniuersalis. Quarto an contra Apostolum vel Euangelium, aut vetus siue nouum Testamentum siue fundamentum ecclesiæ militantis. Vltimo an contra ius positiuum, quod non seruatum peccatum nutriat. Ex de his omnibus primum in genere dicam, deinde descendam ad multa particularia.

Redeo primum, an contra ius diuinum generalem legem condendo vel specialiter dispensando possit statuere. & in hoc quidam dicunt quod Iohannes de Ligna. in *ca. fi. de transac.* tenet, quod papa non dispensat contra legem diuinam veterem aut nouam, quia sic legem superioris tolleret, contra dictam *l. nam magistratus. ff. de arbi. & de maio. & obe. cap. cum inferior.* Legistę autem in *l. fi. C. si contra ius vel vti. publi.* dicunt, vt ibi refert glo. quod principes (& loquitur de Imperatore) non potest in totum arrogare .i. tollere ius diuinum, sed derogare sic, siue ipsum distinguere & limitare, siue ipsum restringere in aliquo casu potest, vt in illo quo cautum est in ore duorum vel triū stat omne verbum: *de iudi. c. nouit. & de testi. c. in omni negocio,* vt non habeat locum in testamentis, in quibus septem requiruntur, vel in alia vltima voluntate, in qua requiruntur ad minus quinque *l. fi. in fi. C. de codicil. & in l. fi. C. de dona. causa mor. l. hæredes palam. § in testamentis. ff. de testa.* Item iure diuino est cautum, *non occides:* & tamen in iure ciuili in pluribus casibus occisio est permissa: vt in *l. 1. quando li. sin. iudi. vin.* Quæ temperat vera Bar. in *l. omnes populi. ff. de iusticia & iur.* quando ius diuinum non est præcise & simpliciter custodiri mandatum, vt in illo præcepto, *non occides.* Nam hoc non obstante aliquando ius diuinum mandat homicidium, vt cum dicit: *qui occidit occidatur.* & alibi mandauit Moysi dicendo, *maleficos non patiaris viuere.* Exod. 22. *cap. & 18. quæst. 1. § hinc apparet.* Contra istud igitur ius diuinum, quod non apparet demandatum præcise, sed aliquando ab ipso iure diuino cōtrarium inuenitur statutum, potest ex causa papa vel Imperator contra ipsum dispensare siue disponere. Ideo valet lex certis casibus permittens homicidia. *l. 3. ff. ad legem Cor. de sica.* Idem dicit, quando causa legis excludit peccatum, vt valeat dispositio contra ius diuinum, etiam quod sit præcisum, nec à iure diuino vnquam subdistinctum. patet vt dixi in dispositione Testamentaria & in vltimis aliis voluntatibus, vbi plures tribus testibus requiruntur ad fraudes euitandas. *l. fi. C. de fideicom. & l. iubemus. §. fi. C. de testa. l. hac consultissima in fi. C. qui testa. fac. pos.* sed si princeps. l. vel statutum non excluderet peccatum, & tunc contra ius diuinum etiam distinguendo non valeret. vt si lex dicit, non valere alienationem fundi dotalis etiam cum iuramento *l. non dubium. C. de legi.* talis enim lex cum non tollat peccatum, non tollit ius diuinum, quod mandat iuramenta seruari *de iureiuran. cap. & si Christus, ver. & sit rursum.* quā scriptum est: *redde Deo iuramenta tua* Deuteronom. cap. 5. & Matth. 5. Et ideo lex dicens, quod non valeat pactum, quod filia non succedat etiam cum iuramento firmatum non valeat: quia non tollit peccatum: vt *de pac. c. quāuis. li. 6. & de iureiuran. cap. cum contingat.* Idem quando leges permittunt malefidei possessorem præscribere, non valet: vt in *cap. fi. de præscrip.* quia peccatum non excludunt. Et ex his Bar. ibi in dicta *l. omnes populi,* decidit quæstiones multas. Et primo videtur valere statutum, quod permittit bannitos impune occidi: quia iure diuino præcise contrarium non est statutum dicta *l. 1. & 2. C. quando licet. sine iudi. vin.* Etenim bannitus non obediens illi, sub cuius imperio est, est vt transfuga ciuitatis, & perdit iura propriæ ciuitatis, & potest impune occidi, ex forma legis *transfuga & hostis ciuitatis l. 3. ff. de sica.* ergo idem exbannitus ex forma statuti. Similiter dicit, quod si statutum dicit, quod qui stetit per decennium quod non petierit debitum, cadat à iure suo quod tale statutum non valeret: quia nec lex imperialis, si hoc decideret, valeret, licet si diceret contractus vel instrumentū factum præsumatur fictile vel fictilium valeret statutum: quia talis causa excluderet peccatum. Et idem dicit si lex dicat, quod non valeat contractus minoris etiam iuratus, nisi sint duo consanguinei, quod statutum siue lex non valeret, nisi subiungat lex quod contractus ficticius præsumatur & minores dolo inducti quia tunc valeret lex vel statutum. Ista sunt formalia verba Bar. in dicta *l. omnes populi. de iusti. & iure.* Sed ista verba non videntur vera tam in regulis quam in exemplis. Primo ipse videtur implicare contradictionem. dicit enim quod quando lex vel papa vel princeps subdistinguit ius diuinum, nec tollit peccatum, quod talis lex non valet. Secundo dicit quod lex vel dispensatio potest permittere homicidium, quasi permissio tollat peccatum. Sed istud dictum videtur cōtra glo. 33. *q. 2. c. inter hoc,* ibi gloss. dicit quod lex permittat viro occidere adulterium cum vxore repertū post tres monitiones: vt in *auth. vt licet matri & auiæ. §. penultimo & fi.* Item licet patri detur licentia occidendi inuentum fornicantem & filiam: vt *l. patri. & l. nec ea. ff. de adulte.* hæc tamen constitutio non tollit peccatum, immo de iure canonico viro interdicitur occisio: vt in *c. admonere. 33. quæst. 2. & c. si quod verius.* ita dicit glo. in *cap. inter hæc 33. quæst. 2.* Ad idem glo. in *l. vt vim de iusti. & iur.* dum dicitur quod occisio iure permittitur fori scilicet non poli ad defensam. & tamen istæ leges licet non remoueant peccatum, tenent *de iur. ci. & in foro ciuili,* licet non de iure canonico: vt in dicto *cap. inter hæc. 33. quæst. 2.* quia pœnæ legum non habent locum de iure ecclesiastico, sed practicantur de iure ciuili. Item dicere quod lex præsupponendo dolum in contractu interuenisse tollat peccatum, vel ex

Digitized by Google

eo quod inducat præsumptionem simulationis, tollatur peccatum, hoc videtur ridiculum quia animus & propositum peccatum inducunt. *l. 1. ff. de sica. 23. q. 5. §. hinc notandum.* Et ideo si me vellet absoluere in peccato persistente non posset 24. *q. 2. legatur.* vnde lex futurum non potest remittere, sicut dicunt legistæ quod dolus futurus remitti non potest. *l. si vnus de pac. & l. quidam decedens. ff. de administra. tuto.* hoc patet rectè intuenti. nam licet lex permittat homicidium banniti, ista non tolleret peccatum, si quis occideret dolo vel vindicta dicto §. *notandum est 23. q. 5.* quia peccatum & dolus futurus per legem vel papam remitti non potest... ribus. præterea non videtur verum indistinctè, quod lex non valeat inducens veniam pœnæ temporalis, licet non tollat culpam vel peccatum: quia immò interdum tenet, quando lex permittit quod peccatum remouendo pœnam temporalem propter maius bonum. tex. est & ibi not. *caput. denique* notatur. 31. *di. omnis lex*, vbi glo. dicit quod lex in eodem permittit adulterium, vt vitetur maius delictum homicidii, vt 23. *quæst. 2. cap. si quod verius.* immo alibi lex canonica non solum remittit temporalem pœnam peccati, sed etiam prohibet ne arceantur à peccato, vt puta cum Iudæis permittit inter Christianos vti eorum sacrificiis. 45. *di. qui sincera*, & negat eos impediri, vt pulchre notat Iohan. An. in *mercurialibus in regula peccatum, in tertio argumento de regu. iur. lib. 6.* vnde licet lex ciuilis permittendo præscriptionem permittit peccatum, non videtur propterea lex ipsa mala, si hoc facit propter maius aliud bonum, vt in dictis iuribus. Item in exemplis suis videtur sibi contrarius. nam dum dicit quod non valet statutum quod negligens per decem annos... tere cadat à iure suo, ipse idem notauit contrarium in *l. ambitiosa. de decre. ab ordi. faci.* in terdum faciunt notata per eum in *l. sequitur. §. si viam ff. de vsucap.* Item in illo de fundo dotali prohibito per legem alienari etiam cum iuramento. *l. non dubium. C. de legi.* quod valeat hodie de iure canonico... diem Bar. notauit contrarium in *l. si quis pro eo ff. de fideiusso.* quando lex prohibens venditionem... rexisset verba ad contrahentes.

SVMMARIVM.

An lex Canonica vel Papa possit disponere super dispositis à iure diuino.

CAPITVLVM III.

QVid igitur dicendum? ego primum dicā, si lex canonica vel papa possit disponere super dispositis à iure diuino. Secundò dicam de Imperatore & aliis inferioribus. Tertiò an si potest disponere disponendo tollat peccatum. Quartò dato quod non tollat peccatum an constitutio teneat vel dispensatio siue dispositio an sit irrita: Et quis potest hoc cognoscere.

Ad primum dico, si papa disponit aliquid, quod sit à iure diuino dispositum, & eodē modo disponit, quia tunc valet, sicut quando constitutio municipalis disponit idem quod ius cōmune. *l. ius ciuile ff. de iusti. & iur.* notatur in *l. 1. in princip. ff. ad legem falci. & in c. 1. de const. in 6.* & ibi per Io. An. ... talis dispositio videatur quodammodo superuacua, sicut cū debitor legat creatori *de leg. l. 1. §. creatoris.* facit. *l. 1. in fi. ad munici. & l. 1. de thesau. li. 10.* non tamen est omninò superuacua quia si constitutio municipalis disponit idem quod ius commune circa beneficia, vt quod spurii non possint habere beneficia. hæc constitutio operabitur vt non valeat impetratio facta à spurio de beneficio etiam facta derogatione iuri communi nisi etiam de ista particulari constitutione mentio facta fuerit... est singularis Doctorum in *c. 1. de rescrip.* & ponit. Io. An. in *c. 1. de fil. presby. ad fi. in v. Statuto.* Si vero disponit idem, sed aliquid addit vel supplet, quod non sit contra vel præter ius diuinum, sed... & tunc etiam valet vt cum vltra statuta per Iesum in forma sacramenti corporis Christi, quæ... Ecclesia verbum eius. nam cum Christus dixit, *hoc est corpus meum*: *de consecra. di. 2.* & à capite Ecclesia addidit verbū *enim*. Et in consecratione sanguinis plura addidit, vt notatur in *c. cum in arte, de*... & dixi 11. *di. Ecclesiasticam.* Si tamen vellet papa, quod prætermissis his verbis additis nō fieret sacramentum, non valeret: quia esset contra ius Diuinum per Christum traditum vt dicam infra in quæstione. *an possit disponere papa in habentibus relationem & actum supra corpus Domini verum.* ... dispositio papæ est præter vel contra ius diuinum, ita quod illud quærat in totum tollere siue ... gare, & tunc ius diuinum morale tollere non potest, quia illud immutabile. *6. dist. in princi. in §. his ita.* secus si esset ius diuinum cerimoniale, quod non est, de perfectione Euangelica. ideò papa non potest in totum tollere ius diuinum morale: quia inferior non tollit legem superioris. arg. *capit. cum inferior. de maio. & obe. 21. di. cum inferior.* Si verò vult limitare siue restringere ... psi derogare, & tunc vt dixi supra glo. iuris ciuilis in *l. fi. Co. si contra ius vel vtil. publica* quod potest distinguere legem Dei & hanc Gof. in *summa de rescriptis* vocat modificationem ... liqui vocant interpretationem, quia lex humana potest interpretari diuinam legem, & ... pretatio restrictiua. nam cum ius diuinum dicit *in ore duorum vel trium stat omne verbum* ... præterquam in testamentis & vltimis voluntatibus, in quibus propter bonum publicum ad ... das fraudes & malitias hominum. *l. si. Co. de fideius.* & in iuribus supra allegatis requiruntur septem testes numero, & præterquam in causa Cardinalis. *2. quæst. 4. capite præsul.* & hoc ... quando modificatio seu interpretatio est rationabilis & ius diuinum generaliter loquens ... formam in actibus hominum, licet si ius diuinum esset prohibitorum vel punitorium ... dicunt si illud prohibitum in nullo casu inuenitur ab ipso iure diuino permissum, puta ... ptum illud: *non mœchaberis*: tunc non poterit lex humana hoc ius diuinum sub distinguere & ...

& ideo si lex dicat quod bannitus possit impune offendi, non poterit bannita mulier adulterari, quia adulterium est adeo de se malum, quod non potest ex aliqua iusta causa iustificari, *de iureiuran. & si Christus.* Sed si tale ius diuinum est prohibitorium, quod reperiatur ab ipso iure diuino aliquando permissum, vt in illa prohibitione: *non occides*, tunc lex humana potest subdistinguere ius diuinum. Idem in illo præcepto: *non furaberis*, quia Deus Israhelitis permisit furtum: sic poterit lex ciuilis. *l. 1. §. non fuit. ff. de dolo.* & ideo valet lex quod liceat rem hostium furari. istæ omnes doctrinæ non sunt perfectæ. primo non est verum indistincte, quod ius canonicum vel ciuile possit subdistinguere ius diuinum. non enim potest ius canonicum permittere aliquo casu vsuras: vt nota. in *cle. 1. de vsur.* & Io. An. in regula *spectatum. de iureiuran. in tertio dubio*: & est tex. in *cap. super eo. de vsuris*: & tamen aliquo casu Deus vsuras permisit Iudæis, Deuteronom. 23. dum dicitur: *non feneraberis fratri tuo, sed alieno*: & notat beatus Thomas *secunda secundæ. q. 69. articulo* 1. & probatur. 14. *quæst. 3. cap. ab illo* dixi in meo *tractatu vsurarum.* Item non posset lex ciuilis permittere homicidium aliquo casu pro leui causa, vbi non sequeretur maius bonum, quod ex inde posset peruenire, vel vitaretur maius malum quod posset ex inde oriri: vt notantur dixit Hosti. in *cap. fi. de consue.* & beatus Thomas in *secunda secundæ. quæst. 64. not.* Io. An. in *add. Specu. in ti. de consti.* Nec posset lex ciuilis permittere aliquid nisi sequatur maius bonum: vt *de iur. iur. & si Christus.* Et ideo quia ista doctrina, quod eius diuinum possit subdistingui siue interpretari seu modificari, non est generalis: ideo non est bona. Item illa doctrina quod quando ius est prohibitorium, si non inuenitur ab ipso iure diuino aliquando permissum non possit tunc subdistingui, non est vera. ecce exemplum: prohibet ius diuinum, vt *quos Deus coniunxit, homo non separet*: nec in aliquo casu huic præcepto per ius diuinum apparet derogatum: & tamen hoc ius patitur interpretationem à iure canonico, vt intelligitur de coniunctis non solum per verba, sed etiam per carnalem copulam. Nam ante cōmixtionem corporum per ingressum religionis separantur: *de conuer. coniuga. cap. ex publico. de sponsa. ca. commissum.* istud tamen argumentum non est tutum. nam Moyses permisit Iudæis dare libellum repudii. 25. *di. ab exordio.* not. *de consang. & affi. cap. de infidelibus*: nisi tu salues Doctores, dum dicunt: Si non inuenitur ab ipso iure diuino aliquando permissum sine peccato, vt in homicidio: sed permissio vsurarum vel datio libelli repudii, licet esset tolerata lege data Moysi, non tamen tolerabatur sine peccato: vt nota. in dicto *cap. ab exordio.* per Archi. & per Tho. in dicta *secunda secundæ.* loco præallegato. Item interpretatur hoc præceptum à papa, vt non separentur quos coniunxit Deus, i. sine ratione, vt dicit Isidorus 33. *q. 2. quos Deus.* Et ideo si vnus coniugalium infidelium conuertitur ad fidē, & non potest cohabitare cum consorte infideli sine contumelia creatoris: certe papa ex hac ratione dirimit matrimoniū etiam carnali copula contractū, & ad finem, vt conuersus cum alio contrahat matrimonium: vt *de diuor. c. quanto.* Item contra mandatū siue prohibitionē de non dandis temporalibus pro spirituali potest veniri auctoritate papę: *de pac. c. cum pridem. & de praben. ca. nisi essent*, licet ius diuinū simpliciter loquatur, nec aliquo casu permiserit. Quare in hoc vltimo articulo, quando ius ciuile ius canonicum subdistinguat, quidam dicunt quod aut subest causa legis & excludit peccatum, & tunc valet: patet in illo iure *in ore duorū vel trium stat omne verbum*, vt supra dixi. Aut non potest subesse causa vt quis cum matre contrahat, & non valet. & idem si causa subest, sed non excludit peccatum: quia etiam non valet: vt in dicto *cap. fi. de præscrip. de iureiur. cap. cum contingat.* sed si causa potest subesse: sed est dubium an possit tunc causa præsumitur subesse: vt no. Iac. de Are. in dicta *l. fi. C. si contra ius vel vti publi.* facit *cle. 1. de proba.* Ego credo quod isti magis appropinquent veritati: sed in solo vno mihi displicent. nam dum volunt quod si lex non tollat peccatum non valeat, non dicunt verum, dummodo sequatur maius bonum, vel euitetur maius malum: nam ibi potest valere lex, vt euitetur pœna temporalis, & si non culpa euitetur peccati. 4. *di. denique. & in cap. qui sincera.* 45. *di.* nam ius canonicum permittit minus malum, vt euitetur maius: vt in *cap. veniens*, & ibi notatur *qui cle. vel vo.* ideo permittit adulterium vt euitetur homicidium. 33. *q. 2. c. si quid verius.* quod qualiter debet intelligi, statim dicam.

Et ideo ego dico, quod est quadruplex dispensatio, vt etiam dicam infra in quæstione *an papa dispensat cum monacho vt contrahat matrimonium*, vna prout est iuris relaxatio: vt 1. *q. 7. §. nisi rigor.* Secunda est interpretatio siue iuris declaratio *de testi. c. in omni. & de iureiur. c. quintavallis*: sed ista impropriè dicitur dispensatio, vt ibi. Tertia est iuris distributio. Est & quarta in vno in totum relaxatio: sed in alio cōmutatio: *vt de voto. c. super his.* In prima ergo dicitur indistincte, quod contra ius diuinū papa non potest dispensare: ita dixit glo. 5. *di. in summa. in fi.* loquens de iure naturali, quod & ipsum diuinum est, quia continetur in lege Euangelii. 1. *di. c. 1. & ff. de fur. l. 1. in fi. & insti. de obli. quæ ex delicto nasc. in prin.* & est ratio, quia iura ista sunt immutabilia, vt *dicta 5. di. per totum*: igitur non potest dispensari: quia dispensatio est iuris relaxatio facta cum causæ cognitionem. 1. *quæst. 7. §. nisi rigor.* sed cum sit immutabile, non potest relaxare: igitur contra ipsum indistincte non potest dispensari: patitur tamen interpretationē à iure communi à summo pontifice, quā infra tamen dispensationē nominabo: quia iuris declaratio prout fit à papa potest vocari dispēsatio. Et sic sumendo dispensationē pro iuris relaxatione, istam non facit papa. Sed si capiatur pro iuris interpretatione siue declaratione, istam facit, & de quatuor tres patitur interpretationes. Nam quatuor modis fit interpretatio: vt no. glo. in *l. 1. §. qui operes. Digest. ad Tertull. & in l. 2. in princip. Digest. de origine iuris.* in glo. *interpretationem.* Est enim correptiua siue arrogatiua interpretatio: & istam non facit ius humanum de iure diuino, vt supra dixi. Alias autem tres interpretationes facit, vt probatur in l.

ius ciuile ff. de iusti. & iure. Et est secunda expositiua siue declaratiua: & istam patitur vt in illo [illegible] *in ore duorum vel trium stat omne verbum*, declaratur vt non sint pauciores vt no. in dicto *capit.* [illegible] *de testi.* declarat etiam cum dicit: *quos Deus coniunxit homo non separet*, vt intelligatur de coniunctione non solum animarum sed corporum: quia coniuncti sola animarum coniunctione possunt separari *de conuersi. coniuga. c. cum ex coniunctio.* Et est tertia generalitatis restrictiua vel arctiua. & istam interpretationem patitur quando subest causa quæ tollat peccatum: vel saltem quæ licet non tollat peccatum inducat maius bonum, vel euitet maius malum per supradicta. Et ideò illa verba: *quos Deus coniunxit:* &c. restringuntur præterquam quando interuenit etiam copula inter infideles, & vnus est conuersus, & non potest sine contumelia aliis cohabitare, vt tunc possit fieri separatio, & restringuntur prædicta verba: vt in dicto *cap. quanto de diuor.* sicut restringitur dictum Apostoli dicentis: oportet ordinandum esse vnius vxoris virum. *16. di. §. 1. & de biga. capit. super eo.* intelligatur de ordinando ad sacros. Item restringitur aliud verbum Apostoli, oportet ordinandum esse sine crimine. *25. di. nunc autem*, vt hoc habeant locum nisi sit dispensatum per Episcopum in crimine adulterii vel minoribus: *de iudi. at si clerici.* Item patitur restrictionem: quia iure diuino multæ personæ legitimæ coniunguntur, quæ prohibuntur per canones: *de consang. & affi. non debet.* Nam filii duorum fratrum copulabuntur iure diuino: *de consang. & affi. capit. de infidelibus* [illegible] *de nup. §. item duorum.* notat. Io. An. in *capit. per venerabilem.* in verbo *potest. qui filii sint legi.* notat. *Cod. de nupt. l. in celebrandis.* & papa hos gradus restringit: dicto *capit. non debet.* Similiter contra præceptum de dandis decimis exceptuat nonnullos, *de deci. capit. ex parte.* & quod in eis amicabilis compositio admittatur: *de transact. capit. statuimus.* immo plus voluerunt quidam in *capit. à nobis de deci.* quod ad tempus posset omnes decimas suspendere, licet non in totum tollitur. Sed hoc ego intelligo cum causa legitima: vt si suspenderet donec Christianus populus militaret contra infideles. Et si dicitur contra præcepta Decalogi, papa non potest in minimo dispensare: dicit Hosti. quod est speciale in isto præcepto vt recipiat limitationem & restrictionem: quod non est in alio præcepto morali. nam in aliis versatur honor Dei irremissibilis: in ista honor reuerentiæ & recognitionis vniuersalis Dominii: vt *de deci. c. tua nobis.* Et ideò quod in totum non soluantur, papa non potest facere: sed ne soluantur magis vni Ecclesiæ quam alteri: vel quod soluantur integre, hoc non respicit ius diuinum, sed commodum temporale istius vel illius Ecclesiæ: & ideò potest remittere quod vna Ecclesia penitus nihil soluat: vt *de deci. capit. suggestum.* Item quod laici certam minorem portionem soluant: licet quo ad ipsos laicos vniuersaliter non posset remittere, nisi forsan in aliquo vel in aliquibus singularibus est causa vt notat. in dicto *capit. à nobis.* faciunt illa quæ dico infra in quæstione *an papa dispenset contra Apostolum*. item posset facere quod laici ipsas possiderent: quod patet quia ante concilium Lateranense possidebat: *de decimis nuper. & in cap. 2. § [illegible] vero. de deci. in 6.* Item patitur extensiuam interpretationem: quia in modo consecrationis addidit papa extendendo multa: vt dicam in quæstione: *an papa possit in habentibus relationem super corpus Domini verum:* semper intelligo quod has interpretationes faciat cum causa, quæ tollat peccatum: vel quæ maius bonum inducat, vel maius malum euitet, aliàs non. Et ideò lex dicit quod ius ciuile est quod à iure naturali vel gentium non recedit in totum: non tamen per omnia seruit: ideò cum aliquid detrahimus vel addimus iuri naturali est ius ciuile: vt *l. ius ciuile est ff. de iusti. & iur.* Et ideò potest princeps per ius ciuile addere vel detrahere iuri naturali, quod & ipsum diuinum. *1. d. c. 1.* & hoc est verum, nisi ius diuinum vel naturale sit de necessitate: quia illud non potest aliquo casu tolli vel diminui vel restringi vel ampliari directo. *l. 2. ver. quod senatus ff. de* [illegible] *ea. rerum. quæ vsu consu.* ideò non potest facere Deus quod virgo corrupta sit amplius virgo. *32. q.* [illegible] *Paulus vas electionis.* alias *si Paulus.* facit. *l. in bello. §. facta. ff. de capti.* Posset tamen tollere effectum [illegible] vt dictis iuribus notetur. & hoc de papa: & quando disponit inter subditos. nam si disponeret [illegible] non subditos, constitutio papæ non extenderetur.

SVMMARIVM.

An Imperator & alii inferiores possint disponere super dispositis à iure diuino.

CAPITVLVM IV.

De Imperatore & aliis secularibus inferioribus dico quod si ea quæ sunt statuta de iure diuino [illegible] spiritualia, tunc Imperator & seculares nihil possunt disponere: *de iudi. nouit. de deci. tua.* & [illegible] pontifici reseruata. *96. di. cum ad verum.* Si sunt temporalia, [illegible] dicam. ista enim sunt tantum pontifici reseruata [illegible] omnia dico, vt dixi supra de papa. Et hæc intelligo siue disponat legem generalem condendo [illegible] per rescriptum: qui in aliis non facio differentiam, cum procedant ab eodem potestate [illegible] xit Iaco. de Butrio in *l. præscription. Co. si contra ius vel vti. publi.* quamuis Bar. aliter sensit in [illegible] *ff.* quia qui habent eandem causam productiuam si ab ipsa producantur, habent eandem [illegible] *l. de quibus ff. de legi.* sed est eadem causa productiua legis generalis & rescripti: vtriusque [illegible] princeps: ergo idem effectus nisi in vno: quia si disponitur per rescriptum contra ius diuinum [illegible] præsumitur per importunitatem obtentum & ad instantiam impetrantium ex quo è contra ius naturale siue diuinum, & non valet. *l. 1. Co. de peti. bo. subla. libr. 10. l. quotiens. Co. de preci. imp.* [illegible] sed lex generalis præsumitur digesto concilio promulgata. *l. humanum Co. de legi.* & principis motu proprio: vt notat. *Co. de sacrosanct. eccles. authorit. quas actiones.* Sed si constaret rescriptum [illegible] esse sur-

esse surrepticium: tunc non est vis inter legem generalem & rescriptum: quia sicut potest princeps per legem generalem, ita potest etiam per rescriptum.

SVMMARIVM.

1 *An papa vel Imperator dispensando vel interpretando possint tollere peccatum.*

CAPITVLVM V.

MOdo capio tertium dubium: an papa vel Imperator sic interpretando tollant peccatum. In hoc sic dicerem: quod aut loquimur de peccato quod quis committeret, alias si sine dispensatione faceret, & etiam si faceret bono animo, vt puta occidit quis hominem amore iustitiæ: certè si facit vt iudex vel iudicis mandato, non peccat. secus si non sit iudex, & sine iudicis mandato faciat etiam zelo iustitiæ: nam talis homicida est. 23. *q.* 5. *cap. miles* & *c. seq.* loquor quando est iudex, qui potest tale delictum punire. Et ideò si tu quæris an si lex permittit priuato homicidium, tollat peccatum. Dico quod si loqueris de isto peccato quod committeret occidens hominem non existens iudex etiam amore iustitiæ: dico quod tale peccatũ tollitur: dicto *c. miles.* & *c. cum minister.* Et ideò lictor qui interficit ad mandatum iudicis non peccat. 23. *q.* 5. *c. cum minister.* & *c. miles.* Si enim iudex committẽdo aliquem interfici, eximit à peccato: ergo & lex multo magis semper loquor quando lex cum causa necessaria committit priuato homicidium: & ideò lex quæ permittit tueri, etiam occidendo, propriam salutem, tollit peccatum si defendens faciat animo solum se tuendi, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. *l.* 1. *C. vnde vi.* facit enim lex modo ipsum iudicem in causa propria: sicut in casu. *l.* 1. *C. quando li. se sine iudi. vindi.* Et sicut iudex non peccat occidendo hominem amore iustitiæ: sic nec volens se tueri aliter non valens euadere, quia à lege factus est iudex suæ causæ. nec modo peccat: quia lex tunc dicitur occidisse non homo. 23. *q.* 5. *capit. homicidas* & *c. cum homo.* not. glo. in *ca.* 1. *di.* 1. *in glo.* in verbo *inferri.* & ideò glo. in *l. vt vim*, in isto casu non est vera: quia iure fori & poli tutus est, si faciat pro zelo iustitiæ. Et quod hoc sit verum ostenditur: quia talis propulsatio in iure etiam interficiendo pro tuitione est de iure naturali, vt supra dixi. sed illud quod fit secundum ius naturale cum debito moderamine, non potest esse peccatum: alias diceretur natura fuisse corrupta in productione iuris sui, quod est impossibile. Sed si tu loqueris de peccato proueniente ex animo: quia non facit zelo iustitiæ sed ad vindictam, tunc lex non tollit hoc peccatum, nec potest remittere: quia etiam iudex, qui non damnaret contemplatione iustitiæ delinquentem sed ex rancore, quamuis iudicialiter faceret, peccaret. 23. *quæst.* 5. *hinc notandum.* & *capit. cum homo ab homine.* Sed si lex permitteret homicidium ad vindictam vel iracundiam naturalem attendam: sicut cum indulget marito vel patri interficienti filiam adulteram propter vehementem eius dolorem & iracundiam: vt *l. Gracchus. C. de adul.* tunc licet propter vitandum maius periculum valeat lex, vt homines non sint ita lasciui in adulteriis, & compescantur in adulteriis, & sic valet talis lex: non tamen tollit peccatum, licet pœnam temporalem tollat: ita intelligo glo. in dicto *c. inter hæc.* 33. *q.* 2. *ar. dict. c. denique* 4. *dist.* Et ideò statuta quæ permittunt vindictam non valent, vt peccatum tollant, licet pœnam temporalem remittant: nisi fiant pro maiori bono inducendo vel euitando maiori malo: quia & si valeat lex ad tolerandam pœnam temporalem. 4. *di. denique*, non ad peccatum tollendum. hoc probatur. 33. *q.* 2. *ca. si quod verius*, vbi licet lex consulendo permittat alicui adulterium, vt euitet in eo homicidium, quod est maius malum, non tamen remittit peccatum: vt ibi no. & idem si causa non esset digna occasione, propter quam lex permittit mortem inferri: vt si dicit quod à centum libris supra banitus possit occidi: tunc non credo quod hæc lex tolleret peccatum: vt vult glo. in *d. c. inter hæc.* sic intelligo ista.

Et ex istis infinita deciduntur. si statutum permittit offendi banitum, non intelligitur de offensione adulterando, quia hæc permissio nunquam posset iustificari vt sequeretur maius bonum: nec posset ex hoc euitari maius malum: & licet permittatur adulterium vt in se ipso euitetur maius malum, tamen vt alii sequatur maius bonum, vel in alio tertio euitetur maius malum, non licet 14. *di. c. quod ait.* Vel dixi quod non potest iustificari: quia nulla essent in adulterio offensio, vt verificaretur statutum.

Similiter nullo casu potest vsuram permittere: vt in dicta regula *peccatum* no. Io. An. in *tertio dubio.*

Item ex istis patet: si lex potest permittere homicidiũ & an valet an tollat peccatum. Itẽ an valet statutũ, quod non petens infra decennium, cadat à iure suo. Nam si propter lites fortè dirimẽdas, quæ multæ oriebantur forsan ex præsumptis alias vsurariis contractib': & tunc valet hoc statutũ, etiã si in præscribente nutriret peccatũ, quando maius bonum ex tali statuto posset insurgere, vt homines arcerentur ab vsurariis contractib' frequentatis: aut euitari mai' malũ. sic intelligo Bar. in *l. ambitiosa. de decre. ab or. fa.* dũ dixit ꝙ pro bono ciuitatis hoc statutũ fieri potest. & ita limito *c. fi. de præscriptio.* vt procedat hoc statutũ isto casu etiam in mala fide præscribẽte. sed si non faceret aliquod istorũ tunc nõ valet. sic concordo prædicta in *d. l. omnes populi.* & no. in *c. fi. de præscrip.* Et ex his patet, quare non valet lex ciuilis, quæ damnat pactum de futura successione perdẽda iuramento firmatum vel alienatione fundi dotalis cum iuramento: quia non tollunt peccatum: nec sunt inductæ hæ leges ad maius bonum inducendum, vel ad tollendum maius malum: quod alias posset exoriri.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

An dispositio Papæ vel Imperatoris sit irrita vel nulla, quando non tollit peccatum: & quis possit de hoc cognoscere.

CAPITVLVM VI.

QVartum dubium est quando dispositio non tollit peccatum, an sit irrita vel nulla? & quis cognoscit de hoc an tollat peccatum vel sit dispositio aliqua aut nulla? Ad hęc quæsita patet ex supradictis responsio, quod si dispositio non tollit peccatũ, quod ipsa non valet: vt not. Host. in *c. fi. de consue.* & Ioh. An. in rubrica *de consti.* per tex. in *c. fi. de prescrip.* & quod ibi not. & in *c. ... tingat. de iureiur.* quod est verum, nisi quando lex disponit propter maius bonum: vel vt euitet ... malum: quia lex etiam tunc permittit peccatum & valet. *4. di. c. denique. 45. di. c. qui sincera.* Dico quod valet ad tollendã pœnam temporalem vel ad tollerandum dispositionem, non vt peccatum tollat.

Sed in hoc articulo, quis cognoscat de hoc est attendendum primo de dispositione papæ: secundo de dispositione Imperatoris & aliorum inferiorum. Si de dispositione papæ: tunc debet aduerti, an quæratur cognitio in foro pœnitentiali, vel in foro contentioso. si in foro pœnitentiali, & constat quod papa disposuit sine causa, vel dixit causam minus legitimam euidenter: ita quod illud quod ipse papa disponebat erat vel est euidenter iniustum, vt quod quis possit adulterari sine peccato: *no. in c. & si Christus. ver. quadam. de iur.* vel si sine causa vel cum causa minus iusta permittet homicidia vel furtum vel dispenset in gradibus lege diuina prohibitis in matrimonio: tunc illi, cum quibus dispensatur, non debent illam obseruare, & possunt suæ conscientiæ iudices esse: quia faciens contra legem diuinam peccat mortaliter. & si iuberet papa me peccare, ipsi non debeo parere, *11. q. 3. Iulianus. & c. qui resistit. & de resti. spo. literas.* & ibi glo. ita ipsi sine causa, minus legitima dispensanti parere non debeo: & esset potius tolleranda tunc excommunicatio & omnis temporalis iactura quam papæ parere. Et idem quando est dubium, an causa sit legitima: tunc parendum est superiori, si vinci potest conscientia *23. q. 1. quid culpatur.* Sed si illorum cum quibus facta est dispensatio vinci non potest, vel credant dispensationem papæ fore illegitimam: tunc nullo modo parere debent. vt *no. de tempo. ord. cap. ad aures.* potius enim Deo cælesti parendum est, *de resti. spo. literas.* dico quod propriam debent sectare conscientiã: debent etiam, si sit erronea, nisi eam deponant: vt in *c. inquisitioni. de sen. excom. & in c. à nobis el. 2. e. ti. & in c. per tuas. de simo. el. 2.* Caueat etiam sibi papa his casibus: quia si sine causa permitteret contra ius diuinum, ita quod peccatum fiat; quanto magis præest tanto ... durius iudicabitur. Causa autẽ si sit legitima consideratur altero de quatuor modis ex qualitate negocii, personæ, loci & tẽporis: vt no. Hosti. *de voto. c. magna.* alleg. *de transla. præla. c. 1.* cum concor. Sed si quæritur in foro contentioso: tunc super id, super quo dispensat vel disponit, est contra fidem vel articulos fidei: vt si disponeret quod inter fideles Christianas consumatum matrimoniũ carnali copula dirimatur, & alteri nubant: quia hoc est contra fidem & mandata Dei dicentis: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* vel si disponeret quod quis duas vel tres teneret vxores, quod esset inimicum fidei: vt *de diuor. gaudemus. §. quia*: tunc in omnibus, in quibus disponeret contra articulos fidei, vel in illis quæ ecclesia damnat vt hæretica: tunc iudex esse posset conciliũ, quod est in causis fidei super papam *15. di. sicut.* & quod ibi no. *40. di. si papa. 19. di. Anastasius.* Et idem si id super quo papa disponit, est contra bonum ecclesiæ vniuersalis, tunc de hoc à concilio redarguitur. Et idem vbi discoloratur status ecclesiæ vniuersalis. *25. q. 1. sunt quidam:* & sic debet intelligi quod not. Inno. in *c. inquisitioni. de sen. excom.* vt non sit permittendum papæ quando iubet euidenter mala. & in *c. quanto. de consue.* dum dixit quod non debet tolerari, quod facit papa male agendo: & dicas quod his casibus nõ debet tollerari à concilio, quod est his casibus, vt dixi super papam. Sed si dispositio papæ non tangit aliquod prædictorum, tunc aut dispositio est facta per rescriptum ad partis instantiam; tunc si non apparet ... liter de certa scientia papæ: & quod velit iuri diuino detrahere, tunc rescriptum indubio contra ius diuinum est surrepticium: vt *l. quotiens. C. de preci. impe. offe. & in l. fi. C. si con. ius vel vti. publi.* etiam si esset in eo clausula indiuidualis: non obstante diuino iure sic disponente, vel esset motus proprius papæ qui tollit omnem surreptionem: vt in *c. si motu proprio. de præben. li. 6.* cum clausula prædicta: vel esset dispositio papæ generalis, quæ præsumitur indubio motu proprio promulgata: vt no. in *auct. quas actiones. C. de sacrosanc. eccle.* quia in istis, vt dixi supra non facio differentiam: ita quod appareret expresse, quod papa vult sic disponere: tunc est tanta potestas papæ quod quamquam faciat ... vel dicat accusari non potest: neque damnari etiam à concilio vel ab imperatore, aut alio viuente: vt *9. q. 3. c. nemo. cum se. capitulis. & 40. di. si papa.* potest tamen moneri in secreto & etiam palam, si publice ... lam peccet mortaliter monitione Euangelica. nam velit nolit subiacet dispositioni Euangelicæ quo ad monitiones fiendas: quoniã cuilibet dictum est *si peccauerit. de iudi. nouit.* sed quo ad dictam monitionem, vt dicatur ecclesiæ, ad punitionem non subiacet papa nisi in hæresi. *40. di. si papa.* dicitur ... tamen ecclesiæ vt oret pro eo. Caueat tamen sibi papa, vt dixi, quia tanto grauius peccat, quanto magis præest. sic debent intelligi illa quæ referunt Doc. in *c. proposuit. de conces. præben.* ipsi tamen cum quibus fit talis dispositio, si ex ea habent conscientiam oneratam, tali, vt dixi, dispositioni non pareant quando grauatur conscientia: quia papa & ipsi cum quibus disponit venirent cõtra ius diuinum & legem Dei peccando. secus tamen foret, dispositio esset humana vel canonica solum: quia non seruata ex dispositione iuris, quis peccatum committeret, quia istam indistincte papa posset tollere: &

& sic

& ſic veniens contra ex mandato papæ non peccaret, cum ipſe ſit ſuper omnia iura humana. ſic intelligo iſtam materiam.

Si verò diſpoſitio eſt Imperatoris: tunc ſi eſt diſpoſitio generalis legis nutriens peccatum, tunc papa ſua contraria diſpoſitione poteſt illam tollere: patet in *capit. cum contingat de iure iur. & in capit. fi. de præſcri. & in capit. licet. de iure iur. libr. 6. & in capit. quamuis de pac. li. 6.* & in hac ratione peccanti in quolibet foro attendi deberet ius canonicum: vt nota. in dicto *c. fi. de præſcrip.* Fallit niſi lex ciuilis permitteret ea quæ habent peccatum propter vitare maius malum, vel vt naſcatur maius bonum. Nam licet lex canonica contrarium ſtatuat ratione peccati, quod non interficiat vir adulterum etiam poſt trinam admonitionem: tunc talis lex in foro ciuili practicaretur ad remotionem pœnæ temporalis homicidii. *l. nec ea ff. de adul.* licet namque peccatum ſurgat, valebit tamen in foro ſuo lex ciuilis per tex. *c. deniq. 4. di.* Et ideò leges canonicæ ſeruari debent, etiam in foro ciuili ad prohibitionem vſurarium, quæ nullo caſu permitti poſſunt. ſic intelligo no. per Iohan. An. in *ca. fi. de præſcrip.* Si verò diſpoſitio principis eſt particularis, tunc licet poſſet redargui à papa de peccato, quia ratione peccati papæ ſubditus eſt: vt in *c. nouit. de iudi.* tamen id quod feciſſet inter ſuos à papa, vel alio non poteſt iudicari: vt in *c. ſi duobus de appel.* & ideò licet tuliſſet ſententiam iniquam vel iniuſtam, non iuſtificabitur à papa. Sed quid tunc facere debeant illi cum quibus Imperator diſpoſuit? Dic per omnia vt dixi ſupra quando dixi, quod facere debent cum papa facit contra ius diuinum, illi cum quibus diſpoſuit, vt ſic faciant illi cum quibus contra ius diſponit Imperator: quia facta Cæſaris à nemine niſi à Deo poſſunt iudicari. ſic intelligo iſta iura, Inferiores alii autem aut recognoſcunt ſuperiorem: & per ipſorum ſuperiores poſſunt emendari. *l. ſi. in fi. ff. de quæſti.* Aut non recognoſcunt: & tunc in eis eſt idem quod de Imperatore dixi, iuxta no. in *l. eſt receptum. de iuriſdict. om. iudi. & in c. ex parte de ver. ſig. per Inno.*

SVMMARIVM.

Pontifex vel Imperator an contra iura naturalia, maximè contra naturæ principia poſſunt diſpenſare.

CAPITVLVM VII.

MOdo attingamus, ſi contra ius naturale papa poſſit diſpenſare. Et quoniam de naturali iure dicturi ſumus, placet primum inquirere quid ſit natura. Et in hoc legiſtæ & canoniſtæ diuerſimode loquuntur: & Philoſophi diuerſis verbis à iuriſtis vtuntur. glo. enim *prima diſtinctione in ca. ius naturale*, dicit quod *natura* multis modis intelligitur. Quandoque dicitur *natura vis inſita rebus ſimilia de ſimilibus procreans.* Secundo modo dicitur *natura quidam ſtimulus ſiue inſtinctus naturæ ex ſenſualitate proueniens ad appetendum vel procreandum vel educandum.* Tertio modo dicitur *inſtinctus naturæ ex ratione proueniens.* Et ius ex tali natura proueniens dicitur *naturalis æquitas*: & ſecundum hoc ius omnia dicuntur communia, id eſt, tempore neceſſitatis communicanda. 48. *diſ. ca. ſicut.* Quarto modo dicitur *ius naturale* præcepta naturalia: *Ne furtum facies: Ne mœchaberis* & omne ius diuinum dicitur naturale ius: & ſecundum hoc omnia dicuntur communia, id eſt, communicanda. nam & iure diuino aliqua fuerunt hominum propria. Nam primo parenti dictum fuit: *De ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Et alibi traditum comperitur iure diuino: *Non concupiſces rem proximi tui.* iſta ſunt formalia verba glo. Sed Dominus Azo in prin. *ſumma. Co.* dixit quod *natura eſt exiſtentia ſubiectorum producens accidentia ſecundum proprium eſſe.* Vel *eſt natura quæ intus latet & extra conſuetudinis inſtantia quæritur, de qua tantum accipitur quantum eſt de materia in eſſe. Et eſt alterabilis: quia ſuſcipit maius & minus:* iſta ſunt Azo. verba in loco præallagato Philoſophus autẽ 2. Philoſophicorum dicit quod *natura eſt principium & cauſa motus & quietis eius in quo eſt primum per ſe & non ſecundum accidens.*

Examinemus omnia iſta verba, vt clare ipſa intelligamus. Pro quibus examinandis eſt præmittendũ quod *natura* ſumitur multis modis. Nam legiſtę dicunt quod eſt *natura naturans*: & hęc eſt Deus; vt no. glo. in *l. 1. §. ius naturale. ff. de iuſti. & iur. & in l. reſpiciendũ. ff. ſi cer. pe. no. 1. d. c. omnes leges, & ibi* Ar. in ver. *natura.* & hanc Philoſophi appellant *naturam vniuerſale.* Secunda eſt *natura naturata* ſecundum legiſtas & Philoſophi vocant *naturam particularem*: vt eſt homo, animalia cætera, cœlum vel aliud agẽs. Et hæc natura poteſt capi in ſtrictiſſima ſignificatione, & ſtricta: & in larga & largiſſima. In ſtrictiſſima locutione natura dicitur forma vel materia: & prout eſt forma eſt principiũ actiuũ: prout eſt materia dicitur principiũ paſſiuũ irreceptum. Itẽ forma rem naturalẽ in actu ponit: materia ſolũ in potẽtia. Et ideò forma eſt magis natura quam materia: quia ſecundũ Commentatorẽ *ſecundo de anima: Nomen rei naturalis ſumitur primo formã, deinde materiam.* Item quia illud eſt magis natura per quod eſt res naturalis in actu, quam illud per quod ſolum eſt in potentia: quia ſecundum Commen. *Res nõ dicitur eſſe in ſua vltima perfectione niſi tunc cum habet formam.*

Modo veniamus ad verba glo. & dicamus, quod forma Dei naturalis eſt quæ generat ſibi ſimile, hoc eſt generat compoſitum naturale in virtute formæ: vt homo generat hominem, & equus equum: & ſic de ſingulis. Cum igitur diffinitio dicit quod *natura eſt vis inſita rebus*, ponit vim pro forma: quia ipſa eſt quæ generat ſibi ſimile, vt forma ligni arborei generat lignum: & forma hominis generat hominem: & ſic de ſingulis. Et meritò dixit *vis inſita rebus*, id eſt, intus ſita, quia forma eſt principiũ intrinſecũ rei naturalis, vt ſtatim dicã. & procreat ſimile de ſimili, vt ſupra dixi, & ſtatim ſubdam. Alia etiam diffinitio Domini Azo. videtur eſſe vera, non capiendo formã ſtrictiſſimè prout eſt ſola forma & materia: quia tũc diffinitio nõ eſſet bona, quia eſſet dicere quod ipſa forma eſſet

subiectum: quod non est verum: quia forma præparat materiam; & tandem in materia præparata inducit formam & fit compositum; vt dicit Io. Mo. in *prohemio sexti*. Non est ergo verum quod natura sit existentia subiectorum: sed bene est illud cum materia simul per quæ omnia subiecta existunt. Et capiendo naturam pro compositis naturalibus, vt dixi, potest esse vera, dum dicit quod *est natura existentia quadam subiectorum producens* &c. Nam in ista diffinitione auctor diffinit naturam prout est in compositis naturalibus, quæ existunt ex materia & forma. *32. quæst. 2. ca. quod verò non formatum. & de conse. di. 2. c. corpus. & cap. panis. & di. 4. cap. in synodo*. Et ideò dicit: *natura est existentia subiectorum*: quia omnis existentia subiectorum est ex forma & materia. Et dum subdit *producens accidentia secundum proprium esse*. Est sciendum quod accidentia rerum naturalium dicuntur motus & quies, grauitas & leuitas, calor siue frigiditas: modo si est ignis qui generet ignem, talis existentia producit accidentia secundum essentiam ignis leuitatem scilicet & caliditatem. Secundo dicuntur accidentia secundum Commen. artificialia rerum naturalium, cum per artem accidit rebus naturalibus sic vel sic ordinari. *l. si conuenerit. § si quis cauerit. ff. de pig. acti.* sed talis ordinatio nõ potest esse nisi in patiente disposito: *de despõ. impu. ad dissoluendũ.* vt videlicet ex ferro fiat vel ordinetur per artẽ ensis vel gladius & nõ ex ligno. & ideò bene dixit *producẽs accidẽtia secũdũ propriũ esse.*

Alia etiam diffinitio videtur bona, quæ dicit quod *natura est quæ intus latet*. Circa quod est notandum, quod materia & forma sunt res insensibiles & principia intrinseca rerum naturalium: quia illud vocatur principium rei naturalis sine quo res naturalis esse non potest: & hoc est materia & forma quæ sunt natura vt dixi: & intus latent, vt bene dixit diffinitio. Et dum subdit quod *ex consuetudinis instantia quæritur*: credo quod velit dicere de compositis naturalibus à natura, & habentibus naturam quæ stricto secundo modo dicuntur natura. nam extra quæruntur consuetudinis instãtia. Nã vt dicit Io. Mo. in *prohemio sexti*, motus siue causa efficiẽs quæ est natura præparat materiã, & tandem in materia præparata inducit formã: & extra inducuntur cõposita naturalia: vt *ff. de pig. act. l. si cõuenerit. §. si quis cauerit.* & tot ex natura fiunt habentia naturã, quot de ipsis est in esse de materia cũ forma, id est, quod format forma de materia, tot sunt composita habentia naturã: & ideo suscipit in his maius & minus: & ipsa natura est in hoc alterabilis.

Modò diffinitionẽ philosophi attingamus, quæ est verissima dum dicit: quod *principium & causa*. In quo est notandum quod dum dicit quod natura est *principium*, hic capitur principiũ pro forma: & *causa* ponitur pro materia: vt ostendat quod forma & materia sunt natura. Et dum subdit *motus & quietis eius in quo est*: loquitur de compositis naturalibus quæ mouentur & quiescunt per naturam mouentur secundum naturam: cum sunt extra locum propriæ naturæ appetens locum naturæ propriæ requiescentes tandem in loco naturæ propriæ: aliter diffinitio implicaret contradictione, cum motus & quies sint actus contrarii. sic ergo loquimur de compositis naturalibus. Nam propriè loquendo natura non habet principium sui motus: immò ipsa est principium motus compositi, per quod compositum mouetur per se, id est per naturam suam: ita quod istud per se refertur ad principium quod est, vt dixi, forma & sic natura, sed non mouetur compositum secundũ actus naturæ sed violenter. & sic hoc verbum secundum actus refertur ad ipsum naturale cõpositum. Nã motus est duplex. Est. n. motus naturalis, & motus violentus. Motus naturalis fit in cõpositio naturali à principio intrinseco, quod natura passo habente inclinationem ad illum motum: vt motus ignis est motus naturalis sursum: motus lapidis est motus naturalis deorsum à natura procedens. Motus autẽ violentus fit à principio extrinseco cõposito passo non habente inclinationẽ ad talem motum, vt cum lapis sursum proiicitur per brachium aut aliud instrumentum: tunc enim compositum per accidens dicitur moueri, vnde istud verbum *& non secundum accidens*, positum in diffinitione refertur ad illud verbum *in quo est*. Multa alia in hac diffinitione dicuntur quæ committo philosophis naturalibus, & illis discutienda relinquo.

Sed tamen reuertor ad materiam nostram præmittẽs, vt dixi, quod natura sumitur strictissimè, itẽ stricte, item large, item largissime. Strictissimè sumitur prout est materia & forma. Strictè sumitur pro cõpositis naturalibus, vel his quę sunt secundum naturam. Nam secundum Philosophos est doctrina inter naturã & habens naturã & secundũ naturã. Nã *natura* strictissime sumpta forma & materia: *habens naturam* est cõpositũ siue sunt cõposita naturalia, vt lapis, arbor, homo & cætera animalia ex pluribus elementis composita & ex materia *l. rerum mixtura de vsuca. 32. q. 2. c. quod vero.* & iuribus supra alleg. Ea verò quę sunt *secundum naturam* sunt accidẽtia siue passiones rerũ naturaliũ siue corporum naturaliũ. & licet ista dicuntur à natura strictissime sumpta, tamẽ & hæc naturalia stricto modo dicuntur. vnde post quã glo. dixit de natura strictissimè sumpta prout est vis, id est, forma & materia insita rebus, subiunxit secundo modo de natura stricte sumpta, id est, de habentibus naturam, vel quæ sunt secundum naturam. vnde dicit quod natura proprie dicitur *quidam stimulus siue instinctus naturæ ex sensualitate proueniens ad appetendum vel ad procreandum vel ad educandum.* & sic glo. sentit de his quæ sunt secundũ naturã insita ipsis compositis naturalibus habentibus naturã, quæ stricto modo etiam dicuntur natura. Sed aduertendum est quod glo. se restrinxit solũ ad bruta animalia, quæ habent sensum & motum instinctum. tex. no. hic in §. *ius naturale* 1. *dis.* videtur dicere quod istud est *ius commune omnium nationum*: & exponitur per aliquos, id est, *nascentiũ*. & secundũ hoc cõprehendit arbores: quia & ipsæ nascuntur: vt *l. arbor. ff. communi. diui. & l. pe. ff. de insti. & iur.* Nam dicit quod est hoc ius commune omnibus animalibus, quæ in cœlo in mari vel in terra nascuntur: & sic cõprehendit arbore quæ habent animam vegetatiuam, & animata dici possunt. Quinimmo dũ tex. exponitur

omnium

omnium nationum,i.*nascentiam*,videtur etiam comprehendere lapides,qui & ipsi nascuntur *l. pro regione ff. de acqui.re.do. & l. diuortio.§.si vir.ff.so.ma.* quamuis non habeat lapis omnia,sed sit compositus ex pluribus elementis,& vno spiritu contineatur *l.rerum mixturarum.ff. de vsuca.* tex. tamen in *ver.eo quod*,videtur confirmare illud quod dicit glo. vt intelligatur de iure quod competit brutis animalibus habentibus sensum & motum instinctum.quinimo in aliquibus suis exemplis tex. videtur dicere de iure naturali, quod huiusmodi competit prout ratione mouetur : & cum quo non participat cum animalibus brutis ratione carentibus, vt est depositæ rei vel commodatæ pecuniæ restitutio.& istud sensit glo. hic dum dixit, *tertio modo*.& secundum istud tex. exponitur *omnium nationum*.i.omnium hominum: & tunc conuenit tex. in fi. ibi: *nam hoc si quid* &c. Vnde est notandum pro concordia quod tex potest exponi secundum omnes prædictos modos. Primo modo vt dicatur quod ius naturale est commune omnium nascentium: & sic comprehēdit etiam lapides & arbores. Quare est sciendum quod duplex est in elementis & rebus animatis potentia; vna per quam intendunt in propriam quietem: & alia per quam resistūt & agunt in prohibentibus & cōtrariis. Videm⁹ enim quod ignis est naturaliter calidus & leuis: & per leuitatem tendit in locum propriū & in quietem sibi conuenientem: per caliditatem agit in contraria. Non enim ignis per quæcunq; contraria impediatur, ne in proprio loco suę leuitatis quiescat: data est ei potentia calefactiua, vt per eam agat in contraria & ipsum corrumpentia. vis igitur ista. Et hæc natura est communis omnium nascentiū: & ideo lapides & grauia recedunt à loco sursum tanquam à non conueniente,& tendunt ad locum deorsum vsq; ad centrum tanquam ad locum ipsis cōformem: & per frigiditatem resistunt contrariis, ne corrumpantur à propria natura & deserant propria loca & propriam quietem. vnde bene stat tex. dum exponitur *omnium nationum*.i.nascentium: vt comprehendat lapides, arbores, elementa & similia: & sic natura hoc dedit inanimitatis rebus, sicut etiam hoc tribuit brutis animalibus etiam habentibus solum sensum, motum & instinctum. nam dedit eis duplicem appetitum sensitiuū: vnum per quem consequuntur propriam quietem & delectationem, vt appetitum concupiscibilē: alium per quem aggrediuntur prohibentia & contraria, vt appetitum irascibilem. per appetitum igitur concupiscibilem fugiunt mala tristatiua, & prosequuntur bona delectabilia: per irascibilem non aggrediuntur contraria, quæ possunt ab huiusmodi delectationibus prohibere: Et secundum hoc procedit quod dicit quod stricto modo natura dicitur stimulus siue instinctus naturæ ex sensualitate proueniens.& hoc proprie est secūdum naturam insitum ipsis compositis naturalibus. Et stricto modo etiam dicitur natura siue ius naturale : & hoc ius naturale proueniens etiā solo sensu, motu & instinctu,& circumscripta ratione est in homine : & dicitur hoc ius cum quo communicat cum cæteris animantibus *l. 1. §. ius naturale ff. de iusti. & iur.* sicut est iniuriæ propulsatio, appetere bona delectabilia & fugere mala tristatiua, ꝓcreare & educare, & fœminis cōmisceri. & ideo bene dixit glo. in *l.vt vim.ff.de iust. & iur.* quod propulsatio iniuriæ est de iure naturali, quod cōpetit omnibus animantibus,& quod competit etiam brutis *l. 1.§.cum arietes.ff.si quadru.pau.fe.di.* quia secundum Phil. *omne ens appetit viuere & propriam salutem tueri.* Et hoc etiam dicit Tullius prim. de officiis in principio dicens: *Principio generi animantiū hoc attributū est vt se naturamq; suam tueatur*. & Boetius tertio de consolatione dicit: *omne animal tueri salutē desiderat, mortēq; pernicem deuitat.* Sed hoc tamen debet intelligi de sola propulsatione iniuriæ quæ surgit ex solo sensu & instinctu: non autem de illa quæ à iure ciuili iubetur fieri cum moderamine inculpatæ tutelę *l. i. C. vnde vi.* quia talis iniurię propulsatio modo procedit solum ex iure quod est in homine, & prout homo viuit ratione, de quo tertio iure naturali statim subdam: quia bruta non discernunt nec discernere possunt, vtrum iuste aut iniuste ipsis violentia inferatur: quo casu cum iuste ius infertur, non licet propulsare legitimū aggressorem: vt no. in *d. l vt vim ff de iusti. & iur.* secundū ergo hoc ius, quod est cōmune omnibus animantibus, inter homines non oritur aliqua obligatio realis: quia inanimata & animalia bruta, quib⁹ inest hoc ius naturale, & hæc natura inuicē non obligantur. Itē secundum hoc ius, quod est concretum in quolibet animali, nihil est, cuiusquā proprium, nulla decernuntur, nihil est cōmune: vt dixit Archi. *1.di.c.1.* Et nunc exponitur tex. *nationū*.i. animaliū nascentium: dicta *l. 1. §. ius naturale ff. de iusti. & iur.* & tunc conueniunt omnia exēpla istius tex. *c. ius autē naturale* 1. di. vt statim dicā. Tertio modo dicitur ius naturale large, prout est *instinctus naturæ ex ratione proueniens*: & tūc exponitur tex. *omniū nationū*.i. omnium hominū : & hoc ius dicitur naturalis æquitas secundum quod omnia sunt cōmunia. i. tēpore necessitatis cōmunicanda 47. *dis. sicut.* & hoc ꝓprie est ius gentiū, quia eo omnes fere gentes humanæ vtuntur: vt *l. 1. §. fi. ff. de iusti. & iur.* & istud dicitur ius gentium. Nam & ipsum ius gentiū naturale dicitur *insti. de re. diui. §. singulorū.* Et dicitur à præcedenti: quia præcedens est cōmune etiā aliis animantibus ratione carentibus, hoc rationale cōmunē est fere solū omnibus hominibus, vt erga Deum religio *l. veluti ff. de iusti. & iure*: vt parentibus & patriæ pareamus : vt vim atq; iniuriā cum moderamine inculpatæ tutelæ propulsemus, dicta *l. 1. § ius gentiū ff. de iusti. & iur.* coniuncta *l. veluti & l. vt vim. eō. ti.* & per exēpla statim subdā cum de iure gentiū dicam. Et ideo dicitur etiā hoc ius naturale, vel quia à natura naturāte, quæ est De⁹: vt *l. sed & si restituatur §. fi. ff. de iudi.* ꝓmulgatū sit in naturā naturatā: siue quia hoc ius est cōmune omnibus fere gentib. & nationib. in instinctu rationabili naturæ nō cōstitutione aliqua: vt dicitur in hoc *c. ius naturale.* Et secundū hoc ius naturale etiā dicitur omne ius morale diuinū & nō misticū siue ceremoniale: vt est tex. *6. di. §. his ita.* & hoc prout omnia naturalia iura plene in ipso iure diuino traduntur: quāuis etiā supernaturalia multa cōtineant euāgelia & ius diuinū: vt no. in *1. di. c. 2.* Et omnia præcepta naturalia. vt *non mœchaberis: non furtū facies.* hæc enim iuris gentium sunt prohibita: quia natura inter homines cognationē quan-

dam constituit. vnde hominem huiusmodi insidiari nephas est: vt *l. vt vim. in fi. de iusti. & iur.* & ideo cum lege naturæ iubeatur quis alteri facere quod sibi vult fieri: & aliis nõ facere quod sibi fieri nollet: vt *1. dis. c. 1.* Patet quod de lege naturæ est. s. rationalis, vt quis alteri non furetur siue mœchetur. Est tamen in hoc attendendum, quod post peccatũ primi parentis fuit aliquando natura corrupta, & homines quãuis vterentur naturali iure illo cõmunionibus animantibus: tamẽ homines sine ratione ista aliquando vixerunt: vt in *auct. qui. mo. nat. effi. sui. in §. natura.* Nam licet hoc ius gentiũ rationale fuisset à Deo productum statim quod gentes productæ fuerunt: vt *insti. de re. diui. §. singulorũ,* tamen aliquando homines sine hac ratione vixerunt, vt inquit Cicero in princi. veteris Rethorice dicens: *Nam fuit quoddã tempus cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur: & sibi victu ferino vitam propagabant: nec ratione animi quicquã sed pleraq; viribus corporis administrabant, nondum diuinæ religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias, non certos quisquã inspexerat liberos.* Hoc etiam ipse dicit Tullius de officiis Philosophiã, cõmendans dicẽs: *Tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: tu domiciliis, deinde coniugiis, litterarũ & vocũ communione iunxisti: tu inuentrix legũ & magistra morũ & disciplinæ fuisti.* Ex quo patet quod aliquando homines sine ciuitatibus & coniugiis vixerunt. postea hominis intellectus, qui hoc tempore erat in totũ captiuus, & lege concupiscentiæ subiectus incepit vti illo iure naturali gentium coarctata ratione: & conuenerunt inuicem facientes oppida & ciuitates, & tũc incepit vsus huius iuris: quod tamen erat proditũ ante in tẽpore ortus hominum: vt dicto *§. singulorũ.* Largissimè & vltimo capitur ius natura etiã pro iure ciuili *l. pe. ff. de iusti. & iur.* Item dicitur ius prætorum ius naturale: vt *l. 1 ff. de mino.* vt hoc no. glo. in *l. 1. §. ius naturale. ff. de iusti. & iur.* & isto modo capitur ius naturale *1. dis. c. 1.* dũ dicit quod *humanũ genus naturali iure & moribus regitur.* Nã vbi verbum *naturali iure* exponitur. i. diuino, vt cõprehendat ius legale, propheticum, euangelicũ & Apostolicum, & id quod continetur in veteri & nouo testamento: & sic cõprehendit ius Canonicum siue ecclesiasticum *23. q. 7. c. 1.* secundũ Doc. in dicto *c. 1. 1. di.* Et est ratio, quare hæc iura dicuntur naturalia: quia primo de ratione legis humanæ est quod sit deriuata à lege naturæ *4. di. erit autem.* Vnde August. in libro *de libero arbi.* dicit quod *non videtur esse lex quæ iusta non fuerit. Illud autem iustum dicitur ex eo quod est rectum secundũ regulã rationis: sed rationis regula prima est lex naturæ.* Vnde lex humana tantum habet de ratione legis inquantũ à lege naturæ deriuatur. Et si discrepat in totũ à lege naturæ non erit lex sed legis correptio dicitur. ergo largissimè etiã ius canonicum & ciuile & prætoriũ ius naturale. Est igitur secundũ prædicta notandum ꝙ ius naturale, quod est in homine, est multiplex. Primum prout homo habet inclinatione naturalẽ ad conseruationem sui esse & ad consequendum propriam quietem & impugnare prohibentia & contraria: & in hoc cõmunicat cum omni enti formato animato vel non animato, prout quodlibet ens siue substantia formata appetit esse & conseruari. Et secundum hoc ius pugnare hominẽ & resistere pro conseruatione corporis est iuris naturalis cõpetentis omni substantiæ formare & impedire & prohibere omne quærens destructionem essentiæ ipsius hominis. Secundum est ius in homine prout habet sensum motum & instinctũ, & tunc inest huiusmodi inclinatio ad aliqua magis spiritualia, in qua cõmunicat cum cæteris animalibus: & est hoc ius naturale quod etiam omnia animalia docuit, de quo supra dixi. Tertiũ ius est in homine instinctus naturæ ex traditione proueniens: & hoc est mstltiplex. Nam prout homo participat de duabus naturis, videt de perpetua & corruptibili. Nã triplex est creatura secundũ Philos. spiritualis siue angelica, quas Philosophi nominant *substantias separatas*, non vero *angelos* appellamus: alia est corporalis siue mundana, vt omnia animalia bruta: & alia est humana. i. ex spiritu & corpore: *de sum. trini. c. 1. Rai.* prout ergo habet homo tertiam spiritualẽ mixtam, ita habet plurima iura naturalia in se. Nam vt habet partem corporeã corruptibilem habet illud ius naturale, quod est commune omnibus animalibus corruptibilibus: intelligit tamen de generibus singulorum non de singulis generum: quia licet de iure naturali sit procreare, tamen aliqua sunt animalia quæ non procreant: per hoc tamen hoc ius non est minus naturale: vt no. glo. in *l. 1. §. ius naturale ff. de iusti. & iu.* in glo. in *ver. animaliũ.* prout autem habet quoddã ius tantum cõmune ratione cum substantiis separatis siue angelis, tale ius dicitur naturale diuinũ, vt Deũ colere, & de Deo veritatem intueri *l. veluti ff. de iusti. & iur.* & hoc ius diuinum fuit promulgatũ diuersum, secundum quod status hominũ fuerunt diuersi. Primum fuit promulgatum in statu innocentiæ ante peccatũ primi parentis, vt haberet latriam & bonum honoris & obedientiæ quæ debetur Deo & iustitiæ. Et ea propter data fuit ipsi lex vt non comederet, de fructu scientiæ boni & mali: vt se Deo subiectos cognoscerent, & ei debitum honorẽ redderent. secundũ quod ius si non præuaricassent, non erat ei necessarium aliud ius: quia tunc creata erat in charitate & spiritus libertate: & ipsi sibiipsius erat lex *19. q. 1. c. duæ sunt.* Alia vero fuerunt prædita in statuta nocentiæ & post peccatũ ad refrenanda delicta hominum: & tunc fuit proditum ius naturale diuinum: *Non furtũ facies: Non mœchaberis,* pacta seruari *l. 1. ff. de pac.* & non debere aliquẽ locupletari cũ aliena iactura *l. nã natura. ff. de condi. inde.* licet Host. dixerit contrariũ in hoc dicens: quod cum iurisgentium qui fortior erat locupletior: vt patuit post diluuium in Nebroth, qui fuit robustus venator corã Domino, id est, hominum oppressor contra dominiũ *6. di. §. ius vero.* & sic secundũ eum æquius erat quemlibet cum aliena iactura fieri locupletiorẽ. Sed Hosti. non bene dicit & cõtra tex. in *l. iure naturali ff. de reg. iur.* & quia iure gentiũ distincta fuere dominia: vt *l. ex hoc iure ff. de insti. & iu.* vnde si Nebroth & Ninꝰ Assyriorum Rex illa turbare ceperunt, contra ius gentiũ primũ fecerunt. Et ideo tex. in dicto *§. ius vero 6. dis.* dicit quod tẽpore Nebroth ius gentium reparatum siue potius immutatum existimatur. Nec ob. si dicitur bella iurisgentium inuenta *l. ex hoc iure. ff. de inst. & iur.* Et sic fortiori iuris gentium videntur permissa acquisita in bello: & sic iure gentiũ licita videtur fuisse & esse locupletatio cum a-

Digitized by Google

liena iactura: quia fateor quod ius gentium induxit bellum ad tuitionem tamen: & iustum bellum comprobauit, non autem iniustum. Et ideo approbauit bellum, non autem qualitatem belli iniustam. vnde non approbauit iniuste occupationem fortiorem: vt no. in dicta *l. ex hoc iure ff. de iusti. & iur.* Et si dicitur, acquisita per hostes fiunt hostium etiam iniuste bellantium: & sic iuris gentium locupletari possunt cum aliena iactura: quia respondetur quod hic fallit regula de locupletatione, sicut quando quis contra aliquem praescribit nam his casibus lex permittit locupletationem propter bonum pubicum: vt no. in *l. nam natura ff. de condi. inde.* Fuit ergo etiam de iure naturali gentium decretum, non locupletari cum aliena iactura, hoc etiam iure naturali procedit, vt benefacientibus benefaciamus. *l. sed & si §. consuluit. de peti. hare.* Aliud est ius, per quod prouenit huiusmodi ex rationis dictamine & vt homo est non concernens diuina nec peccata, & tantum mundana & corporalia: & hoc si est commune fere omnium gentium dicitur ius naturale gentium, de quo supra dixi. Ex hoc iure dico nasci inter homines naturalem obligationē. licet enim Docto. in *l. si id quod ff. de condi. inde,* dicant quod ex iure naturali commune omnibus animantibus non nascatur naturalis obligatio, vt supra dixi, tamen quatenus in hoc iure homo obligatur vti ratione, credo quod oriatur ex hoc naturalis obligatio: ideo cum homo secundum Phil. animal ciuile politicum atq; sociabile, obligatur naturaliter alteri huiusmodi ipsi non insidiari: sic etiam cum moderamine obligatur se tueri. Et ex his credo patrem obligari filio ad alendum inopem, & econuerso filius patri: quia filius vt filius obligatur patri sicut patriae. & ipso iure debetur liberis parentum successio *l. scripto in fi. ff. vnde liberi l. cum ratio ff. de bo. dam.* Et quotuplex sit haec naturalis ratio siue obligatio: no. Bar & Doc. in *l. ex hoc iure ff. de iusti. & iu.* Et istud ius gentium naturale est: alias fuit duplex. Nam primo fuerūt distincta dominia: vt *l. ex hoc iure. de iust. & iur.* omnes liberi nascebantur: & erat illud ius: *Quod tibi non vis alii non feceris:* & alia supra dicta. Sed quia Ninus secundum historicos fuit primus, qui incepit turbare ius gentium, & occupare aliena: & post diluuium fuit Nemroth, vt supra dixi: incepit secundum ius naturale gentium: & orta sunt bella & seruitutes & manumissiones *l. manumiss. ff. de iusti. & iu.* Et sic seruitus est de iure gentium secundario, & manumissio secundum quod seruus pro nihilo reputatur. Et ideo ex primo iuris gentium & hoc contractibus exilii introductis seruus obligatur naturaliter, sed non ex secundario iure gētium. Et ratio, quare obligatur ex primo iure, quia illo iure seruitus non erat cognita. Ex secundo vero pro mortuo reputabatur, & reputatur pro nihilo: sed primum ius gentium non perdiderunt. Et ideo ex peccato obligatur seruus Domino & Dominus seruo *d. l. si id quod ff. de condi. inde.* Et ista est ratio, qua haeredes non obligantur ad dandum seruo legatū ipsi sine libertate relictum: quamuis aduersus eum non deberent haeredes esse imperii *l. fi. C. de necess. ser. hare. insti.* quia ius legandi seruis testandi fuit de secundario iure gentium siue ciuili, quo serui pro nihilo reputantur. Vltimū naturale, vt dixi, quod est in homine quādo mouetur ad aliquid faciendum ratione naturali: & hoc potest esse particulare vnius ciuitatis, & dicitur ius ciuile vel praetorium vel canonicum. Nam largissime, vt dixi, ius naturale potest dici omne dispositum ad quod quis ducitur, naturali ratione siue extrinseca excitatione: & secundum hoc omne ius dicitur naturale, quando ratio naturalis impellit. Et ad illud ratione quis tenetur, ꝙ consistit in tribus, in praeceptis, prohibitionibus & demōstrationibus. Nam praecipit quod prodest, vt: *Diliges Dominū Deū tuum:* prohibet quod laedit, vt *Non furaberis:* demonstrat quod conuenit: expedit si licet omnia esse communia omnium: vnam esse libertatem & repetere sua & restituere aliena. Modo constat quid est natura? quid ius naurale? & quot modis sumitur.

Nunc igitur dicamus, si Papa potest contra ista iura naturalia dispensare vel disponere. In quo quaesito dico omissis variis locutionibus scribentiū, quod istud ius naturale, vt dixi, est quadruplex. Est enim ius naturale quod inest huiusmodi vt homo est, & prout solū participat cū substantiis separatis. Et hoc ius dicitur naturale diuinū: vt no. glo. in dicto *c. ius naturale* 1. *di.* & est tex. 1. *di. c.* 1. Nā non omnē ius naturale est diuinū, sed solum illud ius naturale cum quo homo participat cū coelestibus intelligentiis, dicitur ius naturale diuinū: vt *quis vult sibi fieri alteri faciat, nec alii inferat quod sibi nollet inferri.* Modo an in isto iure Papa possit disponere [illegible] dixi supra quaestione proxima in illo dubio: *an Papa dispensat contra ius diuinū.* Secundum est i[illegible]aturale, quod prouenit huismodi ex solo instinctu naturali & sensu: & hoc est illud ius in quo ipse habet cōmune cum omnibus aliis animantibus: vt, comedere, bibere, coire & educare. Et in hoc reperio aliquos dicere, quod in his quae dependent ex naturalibus principiis & executionem requirunt, Papa & princeps nihil possunt immutare: vt vim vi repellere: & si morior fame quod cibum non suspiciam. vnde non potest disponere quod iniuriam non propulsem, vel quod non comedā. Ego vero dico quod in his habentibus à natura principia, Papa vel princeps nō potest in totū tollere: sicut nec alia naturalia iura quae sunt immutabilia 5. *dis. per totū.* Et hoc modo dicitur ius hoc naturale immutabile: Primū, quia non variatur ex tempore. nā semper animalia comederunt & commedent, coierunt & coibunt, & educauerunt & educabunt, & ex naturali instinctu propulsauerunt & propulsabūt: quia principio generi animantiū hoc est attributū, vt se naturamq; suam tueatur *l. 1. §. cū arietes si quadru. pau. fe. di.* & Tullius in *primo officiorum.* Item ab homine in totū tolli non potest etiā dispensatione: vt not. glo. 1. *di. in suam.* Ex causa tamen potest princeps ipsum interpretari, sicut dixi de iure diuino, dando ipsi omnes tres interpretationes antedictas, declaratiuā, restrictiuā, & ampliatiuā. Abrogatiuā autem. i. correctiuam facere non potest, vt dixi: quia non potest in totum abrogare ius naturale. Sed declaratiuam facit, cum dicit quod propulsatio iniuriae fiat cum moderamine inculpatae tutelae *l. 1. C. vnde vi.* Similiter cum declarat quod coitus fiat ita moderate, ne quis in lasciuiam siue luxuriā pro-

Digitized by Google

labatur:& ita de comestione vt tanquã animalia bruta neutri obedientiam non præstemus,& in ingluuiem descendamus.iuxta illud psalmistę dicentis: *Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus*.& *de com.di.5.c.ieiunium.& c.nihil.& c.tales*.Patitur etiam restrictiuam interpretatione ex causa:vt quod tempore quadragesimæ non comedantur lacticinia & carnes: regulat hunc modum & instinctum naturalem quodam rationis dicamine:vt quando fiunt ieiunia, abstineatur à coitu: vt in *toto ti.de obser.ieiu.34.di.c.deniq. de con.di.5.c.quadragesima*.& vt condemnatus iusta de causa ad mortẽ non resistat,quia non licet propulsare legitimũ aggressorem *l.si seruus C.de his qui ad ec.cōfu.* Item patitur ampliatiuam siue extensiuã interpretatione:vt ꝙ etiam tunc tẽporibus prohibitis comedere carnes liceat in quadragesima licite cõmedantur propter infirmitatem:vt *de con.di.5.c.quadragesima*. Item quod vir illo tempore coeat cum vxore,si aliter contingeret hoc non facto quod ipsa cum alio fornicaret.Item quod homo educet filios etiam vltra pubertatem, cum alia animalia illo non educent.Et ex istis deciduntur infinitæ quæstiones:in quibus quis videbit eorum decisiones principia naturalia:Primo quod processus principis etiam qui fieret ex eius absoluta potestate secundum quam est solutus legibus positiuis *l.digna vox C.de legi.& l.princeps ff.de legi.*non valet sine citatione,vel cum citatione ad locum vbi quis non posset se defendere:vt *l.facultas C.de iur.fis.li.*10. *de re iudi.cle.pastoralis*.Nam & Deus cum condemnauit parentes,primum dixi,*Adam Adam vbi es?* Similiter si sit cõmissio sine figura iudicii,vel per quæcunq; verba latissima, nunquam intelligitur remissa citatio:vt no.in *cle.sepe.de ver.sig.*& in tractatu Bar.*ad reprimendam*.Similiter & parti testium publicatio:quia si parti non publicarentur,ipsi auferretur defensio. Et ideo si statutum denegaret alicui defensionem naturalem vel ciuilem,non valeret:vt no.in dicta *l.facultas.* quando tu intellige,vt infra dicam.Et ista est ratio quare excommunicatus potest se defendere.Nã licet ei interdicta hominum cõmunio non est ei interdicta ad defensam.quod debet intelligi in defensione necessaria:& sic in propria defensione non in voluntaria:vt not.Inn.*de excep.c.cum inter*.Bar.in dicta *l.facultas*.secus in defensione facti:quia quando offensio est licita,defensio est illicita *l.prohibitũ C.de iur.fis.li.*10.Ego dico,quod idem est in defensione iuris & facti:& cum offensio est licita, ibi non liceat defendere:quia non licet propulsare legitimum aggressorem *l.si seruus C.de his qui ad eccle. confu.*& ideo si statutum iubet rusticis capere delinquentes: si delinquens se defendat & occidatur occidẽs non tenetur.Similiter si sentẽtia transiuit in rem iudicatam non auditur defensio etiã iudicialis aduersus eam:vt in *cle.*1.*de re iudi*.Et per ista determinatur,quod si statutum dicat, quod occidens hominem quacunq; ratione vel causa capite puniatur,non intelligitur si fecerit homicidium quis ad sui defensionẽ:licet Dominus Bar.de Saliceto.in *l.*2. *C.de noxa*.dixerat contrà, & male dicens: quia aliter nihil ista verba operarentur. sed non bene dixit : quia saltem operantur in casu à iure ciuili permisso. vtputa si interfecisset propter adulterium:sed non in hoc casu, quod est de iure gentium naturali: quia sine causa hanc defensionem per statutum auferre non poterat. vnum tamen est attendendum, quod licet princeps vel lex non possit tollere defensam in totũ & irrecuperabiliter: potest tamen modum defensionis subordinare & illam tollere,dummodo recuperari possit.Et ideo licet excõmunicato non sit auferenda defensio.*de iudi.c.intelleximus*, tamen si potest petere absolutionẽ,& contemnit,Iudex potest sibi defensionem denegare.Ista fuit sententia Io. Cal.in *c.excõmunicato de rescrip.*Assignat tamen rationem non bonã.Nam dicit ipse, quod ex non petitione absolutionis surgit quædam obstinatio & contemptus,qui repellere potest ipsum à defensione. Sed istud non est benedictũ: quia diabolus est obstinatissimus, & non tollitur ei defensio. vnde nulla potest esse tanta obstinatio,quod defensio sit irrecuperabiliter auferenda:*de re iudi.cle.pastoralis*.Dictum tamen eius est verũ:quia licet Iudex cõpellat eum causatiue ad petendam absolutionem, & aliter in defensione ipsum non audiat,cum potest illam petere,tunc non tollit sibi irrecuperabiliter defensionem,sed ordinat modũ defensionis,quod fieri potest.ideo vidamus quod in iudiciis summariis iura reseruant defensiones requirentes indagine altiorẽ *l.fi.C.de edic.di.Adri.tol.l.ille à quo §.1.ad Trebell.*facere *l.fi.C.de compen.& l.fi.C.depo.*Ideo valent statuta, quod bannitis ius non reddatur etiam ad defensam,si possunt se facere eximere ab anno & non faciunt. Et idem quod ius non soluentib. onera defensione,etiam non reddatu[illegible]d valeat semper.loquor quando valent soluere & nolũt: vel si possunt se facere rebanniri & contemniunt:secus si non possent se facere rebanniri vel soluere non possent,tunc statutũ non valeret.Similiter valet statutũ quod possint capi debitores nulla citatione præcedente:quia eo capto non tolletur disceptatio defensionis.Illud ergo quod dicitur, ꝙ defensio non potest auferri,debet intelligi de defensione irrecuperabiliter ablata.nõ de illa,in qua causa à lege vel à iudice habente auctoritatem,ordo defensionis regulatur iuxta no.in *l.*1.*ff.quod vi aut clam*.sed non irrecuperabiliter defensio tollitur.facit *l.de pupill.§.meminisse*,vbi glo.*de no.ope.nũci*.Nam potest incipi à præcepto cum iustificatione,si senserit se grauatum & tunc resoluitur in vim simplicis citationis citato comparente.Irrecuperabilis ergo defensio auferri non potest:quia est de iure naturali,quod ius naturale Papa non potest tollere,sed ex causa interpretari.

Nunc est videndũ si Papa potest tollere aliud ius naturale,quod cõpetit huiusmodi vt homo est, ꝙ dicitur ius gentiũ.Et istud est duplex,vt dixi. Primũ quod fuit à principio quo gentes fuerunt: vt quod omnes liberi nascebantur *l.manumissiones ff. de iusti.& iur.*& seruare peccata . & hominem huiusmodi non insidiari *l.vt vim. de iusti. & iur.& l.*1.*ff. de pac.*nec cum aliena iactura locupletari.

Lucem

Digitized by Google

tinaui natura ff. de condi. inde. Ad hoc respondeo, quod cum causa potest interpretari prædicto modo, non in totum tollere: quia & hæc iura sunt immutabilia: & ideo introduxit ius gentium vel naturale quod capti in bello efficerentur serui vt *l. manumissiones. de iusti. & iur.* Item limitat quod ex peccato nudo actio non oriatur, vt contrahentes legitime contrahant. Volunt tamen hoc casu Domini canonistæ quod licet non agatur iure ciuili ex sola naturali obligatione & nuda conuentione: vt *Iuris gentium. §. sed cum nulla ff. de pactis*, tamen per viam naturalis iustitiæ habebit ex officio iudicis lato secundum quod olim ex puro gentium iure ministrabatur iustitia. & hoc tenet Io. An. in *c. nouit. de iudi.* Simile dicimus in seruo, qui quandoq; agit, licet non sit cognitus seruus à iure ciuili: patet ex no. in *l. 3. ff. de his qui sunt sui vel ali. iu.* Sic Imperator, qui non est subiectus iuri ciuili, cōpellitur ad obseruantiam eius quod promisit: vt no. in *l. digna vox. C. de legi. & in c. 1. de pac. & in dicto c. nouit.* Ex hoc videtur inferri vnum mirabile, quod pro obseruatione omnium pactorū seruus hoc modo possit Dominum conuenire. quod credo verū, quando sunt conuentiones circa ea quæ sunt de primo iure gentium: non si de secundo iure gentium vel ciuili, vt pro legatis. nā pro istis nec naturalis nascitur obligatio: vt *l. si id quod ff. de condi. inde.* & quod ibi no. secundum quod istud ius gentium serui pro nihilo reputabantur. Item constituit ius ciuile quod pater possit venundādo propter famem filium seruum facere *l. 1. C. de patrib. qui fi. dis.* & secundum hoc de iure ciuili derogatur ex causa iuri naturali. Sic etiam cum quis se vendit ad precium participandum. *l. & serui §. 1. de sta. ho.* Item permittit ius insidiari hostibus, quamuis sint homines, vt latronibus *l. 1. §. non fuit ff. de dolo.* cū causa igitur hæc iura sunt mutabilia: sed sine causa non. Similiter & ea quæ sunt de iure gentium secundario, si fiunt ex causa à principe, possunt in aliquo interpretando, vt dictum est, aliter commutari. Et quamuis Bar. in *l. fi. C. si contra ius vel vti. publi.* dicat quod hoc potest facere princeps ius commune condendo, vel iurisdictionem exercendo, sed non priuilegium concedendo, nisi quando subesset vtilitas publicā: non credo quod bene dicat: sed idem sit etiam in concedendo priuilegium alicui, vt possit causa subsistente contra ius gentium disponere: sed sine causa nullo modo posset etiam legem generalem condendo vel iurisdictionem exercendo vel detrahendo. Ratio, quia princeps habet potestatem à Deo: in *auct. quomodo opor. episcopi.* §. 1. Et ideo si tolleret hoc ius aliquo ex prædictis modis sine causa, faceret contra naturalem æquitatem, & non valeret: quia lex debet esse rationabilis & iusta 4. *di. erit autem.* Potest ergo est causa tollere ea quæ sunt ex iure gentium in aliquo: & auferre constituta iure gentium, vt dixi: & etiam ius gentium met aufert quod ante statuerat *l. libertas ff. de sta. ho.* & etiam ius ciuile *l. & seruorum §. 1. ff. de sta. ho.* & vtrunque probatur ibi. igitur Papa vel Imperator, qui habent ius ciuile, disponere possunt ea quæ sunt iuris gentium & immutare ex causa, vt propter delictum bona mea, quorum Dominium possum habere de iure gentium: *l. 1. ff. de acquir. rer. do.* & de iure ciuili: vt *l. traditionibus. C. de pac.* potest mihi auferre: vt in, toto *titulo ff. de bo dam. & C. eo. ti.* per totum. & in *auct. incestuosos. C. de incest. nup. & in l. commissa ff. de public.* Similiter legem generale condendo: vt *l. 1. c. de alie. re. fis. cum priuato, fi. 10. & in l. bene à Zenone, de quadri. præscrip.* vbi etiam probatur, quod contractum faciendo aufert mihi dominium rei meæ. Similiter & priuilegium concedendo *l. item si verberatum § fi. ff. de rei vendi. & l. lucius ff de euic.* In quibus iuribus probatur, quod est iusta causa vtilitas publica. Idem credo quod causa libertatis sit iusta causa: vt etiam priuilegium conferendo auferat alicui ius gentium *l. quæris ff. de na. ta. resti.* facit gl. in *l. antepe. ff. ex qui. cau. maio.* In vno tantum est differentia inter dispositionem, quæ fit legem condendo, vel cum exercet iurisdictionem: & quando concedit priuilegium. Nam quando concedit rescriptum, non valet, eo quod est contra ius gentium, sed præsumitur esse subreptitium *l. quicunque. C. de si. instru. & iure hastæ fisca. li.* 10. sic debet intelligi quæ ibi not. Bar. & in *prima constitutione ff.* dum dicit quod princeps non potest priuilegium concedendo: vt intelligatur, quando non apparet de causa, vt tunc rescriptum sit subreptitium tanquam per importunitatem obtentum. Et idem si subest causa, & Papa vel princeps iuri gentium non derogat, vel rescriptum non valeat *l. quotiens C. de preci. impe. off.* quia semper rescripta sunt interpretanda, ne lædant ius tertii *l. 1. §. merito & si quis à principe ff. ne quid, in lo. publ.* quod secus est quando legem generalem condit. quia illa dicitur emanere motu proprio: vt nota. in *auct. quas actiones C. de sacrosanc. eccle.* vbi causa præsumitur: vt notat Cyn. & Docto. in dicta *l. præscripta.* siue in *l. quotiens C. de preci. impe. offeren.* Idem quando exercet iurisdictionem: quia cum causa præsumitur auferre ius gentium. Sed si rescriptum esset motu proprio, vel etiam ad partis instantia, & cum causa & derogationibus oportunis: non video quare non posset in aliquo tollere ius gentium per rescriptum sicut alio modo, vt dixi supra in quæstione: *an tollat Papa ius diuinum*, in fine dictæ quæstionis. & hoc probat tex. in *Litem si verberatum in fi. de rei vendi. & l. lucius. ff. de euictio.* & hoc quando sunt clausulæ derogatoriæ, ita quod constat de principis intentione, quod vult iuri gentium ex causa derogare. facit text. in *l. 3. §. si is pro quo.* & ibi per glo. & Docto. *ff. quod quisque iuris.* & hoc in his quæ sunt grauis præiudicii. Similiter etiam in his quæ sunt iuris gentium, princeps posset præiudicare: vt not. in dicta *l. quotiens C. de preci. imper. offe.* Conclusio est igitur, quod legem condendo, contrahendo & iurisdictionem exercendo cum causa princeps potest in aliquo iuri gentium derogare, & causa indubio his casibus præsumitur: præsertim si nunciatur à principe: per tex. in *cle. 1. de probati.* & hoc quando motu proprio scriberetur, & de suo sic facto attestaretur: quia sic etiam probatio in contrarium non admitteretur: sed quando rescriberet ad alterius instantiam, tunc cau-

Digitized by Google

sa non præsumitur, etiam si attestatur illam quæ sit de facto alieno : quia illa non facit fidem, nec transfert onus probandi in aduersarium: vt *de preben. c. si motu proprio. & c. si. & c. si Romani. de transact. c. ex litteris.* facit quod no. Io. An. in *c. non liceat. de regu. iur.* Et idem priuilegium concedendo, quando derogat iuri gentiū, ita quod constet de eius certa, voluntate siue scientia: & quod vult iuri gentium, derogare & subest causa, vt etiam priuilegium concedendo possit. & hoc in Papa.

In Imperatore dico, quod si esset ius respiciens diuina sacramenta vel religiosa, aut Dei religionem concernentia, in his non posset serenitas sua disponere, licet disponere videatur de his in *l. veluti ff. de iusti. & iur.* Et ratio, quia tunc disponit in materia sibi non disposita siue supposita vel subiecta. Si autem est aliud ius gentium à prædictis, tunc idem dico quod de Papa. Idem in aliis inferioribus à principe superiorem non recognoscentibus, per notata per Inno. *de verb. signi. capit. ex parte,* & dixi supra. In aliis vero qui superiorem recognoscunt, vt ciuitates vel principes, qui Papa vel Imperatorem recognoscunt, tunc si habent merum & mixtum imperium, vel vis condendæ legis, tunc Bar. in *l. Anthiocensium ff. de priuileg. credi.* videtur dicendo quod faciendo legem in præiudicium vnius priuati non possunt, per *legem totiens. ff. de pollici.* sed legem generalem condēdo posset. Ego vero credo sicut in principe quod cum causa possit sine causa non. facit *22. di. renouantes,* tamen quod quando esset lex generalis præsumeretur causa: sed non quando esset specialis lex : quia tunc lex præsumitur calumniosa, vt notatur in *l. 1. ff. de doli exceptio. in fin.* notat Bar. in *l. omnes populi ff. de iusti. & iure.* an constitutione impediri possit quod non valeat appellare.

Sed hic occurrit dubium : an si sit dispositio contra ius gentium, tollatur peccatum : In quo dico, vt etiam dixi supra in quæstione : *quando disponitur contra ius diuinum.*

Item sit dubium, quis erit Iudex quando dicitur quod Papa vel Imperator, aut alius ex prædictis non potuit facere? de quo dico, vt dixi supra quando disponitur contra ius diuinum vt in omnibus sit hoc casu, sicut in illo dixi.

SVMMARIVM.

An Papa vel Imperator possint priuatis auferre dominia rerum suarum.

CAPITVLVM VIII.

ET ista sunt vtilia ad quæstionē, an Papa vel princeps potest mihi auferre dominium rei meæ. In hac quæstione glo. in *l. quotiens. C. de princi. impera. offe.* dixit quod dominiū rei meę nō potest tollere hoc est de iure gentium. Sed actiones pro ipso dominio competentes potest auferre, quia istæ sunt de iure ciuili. Et hoc videtur fuisse de mente Inno. in *c. quæ in ecclesiarū, de cōstit.* Quidā reprehēdunt istud dictū dicentes, ꝙ licet dominia sint de iure gen. tamen si princeps dominiū quod tu habes, transferre, in aliū, non est tollere dominiū: nec fit quod per ipsū dominiū in rerū natura non sit. Applicatio enim dominii tibi vel illi non est de iure gentiū: quia ius gentiū non determinat se ad acquisitionē in certā personā. Sed isti sic dicentes male dicunt : quia & acquisitiones dominiorū singularibus personis fiunt etiam de iure gentium plerunq;: patet in *l. 2. ff. de acqui. rerū do.* & Deut. *c. 13.* ibi, *quācunq; terram calcauerit pes tuus* &c. & hoc est quod voluit tex. in *l. ex hoc iure ff. de iusti. & iure,* dum dixit quod sunt ex iure gentium distincta dominia. Non tamen poterant esse iure gentium distincta, nisi per applicationem ad singulares personas. Et ideo etiam dominia, prout sunt apud singulares personas distincta. de iure gentium sunt, quamuis & de iure ciuili talis acquisitio possit esse apud singulares. vt si acquiro vsucapionem *l. traditionibus. C. de pactis:* tamen postquam sic iure ciuili est mihi quæsitum distinctum dominium istud est apud me de iure gentium, quo apud singulares dominia sunt distincta. & ideo isti male dixerunt. & per hæc etiam Inno. & glo. male dicunt quod princeps possit auferre actiones. nā etiam in actionibus est differre dominium: vt *l. Dominus litis. C. de appella.* vnde licet actiones sint de iure ciuili, tamen postquam sunt in esse introductæ dominium quod habetur in eis habetur de iure gen. quod ius adinuenit dominia, & quod essent apud singulares distincta. alias esset dicere quod esset differētia inter dominium & dominium, quod non est dicendum. Et ideo melius est dicere, quod cum causa legitima possit tollere dominium rei meæ & actiones: vt in *c. fœlicis de pœnis lib. 6.* sed non sine causa legitima, vt est tex. in *c. 1. de natura feudi.* dico, cum causa legitima : nam non credo quod quælibet causa esset sufficiens, vt si Imperator diceret, quod ego darem rem meam Titio, quia est vnus bonus homo, non credo quod hæc causa sufficeret, sed cum habens aliquam publicam vtilitatem vel etiam libertatem : vt *d. l. quaris de ve. testi. l. lucius de euic.* & dicam infra in quæstione, *an Papa possit contra ius positiuum.* Et ex his infero, quod Papa sine causa non potest bona ecclesiarum alienare, nec dare de iure vnius ecclesiæ alteri sine causa glo. est in *capit. 1. 10. di.* & sic debent intelligi notata in *capit. dudum, de re. eccle. non alie. lib. 6.* idem dico de exceptione mihi quæsita per præscriptionem. Nam licet ipsa præscriptio sit à iure ciuili inuenta, tamen postquam est in esse deducta, causat mihi quoddam ius in re & quandam exceptionem peremptoriam, qua princeps sine causa non potest mihi auferre *l. quotiens. C. de princi. impe. offe.* Et est ratio: quia lex regia tantum ad principē transtulit dominiū vniuersale. *l. de precatio ff. ad l. Rodi. de iactu :* non autem transtulit dominium rerum singularium : quia cum res mea sit mea , ergo non imperatoris. nam duo insolidum domini esse possunt *l. 3. § si duobus. vehiculum. ff. commo.* & hoc videtur de mente Bar. in *extrauaganti ad reprimendum,* in glo. in

Digitized by Google

glo. in verbo *expedire*. vbi vult quod formandũ dominium de iure ciuili vel ius princeps possit auferre sed non formatũ: quia hoc est cõtra naturalem æquitatẽ *l. id quod nostrum. ff. de re. iur.* Sed supposito, quod sine causa princeps auferat mihi actionem competentẽ, an subsit mihi remediũ aliquod? Inno. & communiter canonistæ in *c. quæ in ecclesiarũ de constitu.* volunt quod tunc ego, cui à principe actio est sublata, manet in illo iure primæuo quod erat ante ius ciuile, & stante illa obligatione naturali, quæ non potuit tolli, poterit adiri iudex, vt manu regia ministret iustitiã sicut alias ministrabatur antequã esset ius ciuile *l. congruentius. C. de patri. potesta.* nã & si substineatur quod princeps tollat actionẽ sine causa, non tamẽ substinetur quin si iustitia immittitur secundũ naturale ius illa nõ ministratur. Sed hoc dictum quidã subtilizantes plusquã oporteat, repræhendunt dicentes, quod si dicitur quod officium iudicis competat, tunc non est possibile, quod tempore retro non quo tempore cõpetebat actio: vt *l. qui per collusionem. ff. de acti. emp.* quia si cõpetebat actio, erat impossibile ortum fuisse iudicis officium: nec tempore quo Imperator vel princeps substulit actionem: nam aut dicis quod hoc ius competat ex veteri caussa, & hoc non est possibile, cum actionem produxerit, vt dixi, aut ex eo, quia princeps actionẽ substulit, & sic ex eius rescripto. & hoc non est possibile: quia hoc rescriptum ad diminutionẽ inductum non debet parere augmentum *l. legatã inutiliter. ff. de leg. 1.* Ego vero credo, quod Doct. in hoc benè dicunt: nam ex omni obligatione iuris gentium nascitur cõmuniter duplex vinculum. primum naturale, quod fuit secundũ ius primæuum; & secundum istud poterat adiri iudex vt manu regia expediret, *l. 2. ff. de ori. iur.* Aliud erat vinculũ ciuile. licet ergo Imperator tollat ciuile vinculum, non tollit naturale, quod tollere non potest. & sic quoniam impetrari possit manus regia non dico officium iudicis, quod non potest competere de iure ciuili, vbi competet actio. Sed dico, potest esset dispositio iuris ciuilis, vbi est actio; quæ non attenditur in hoc casu, in quo tantum ius naturale inspicimus. vnde qui sic subtilizant, nesciunt quid dicunt. non tollitur, igitur quando princeps tollit actionẽ, quin regia manus implorari possit: quia istud non est officiũ iudicis, quod impediatur oriri ex eo quod ex eodem facto actio orta sit.

SVMMARIVM.

An legitimatio Comitis Palatini subsecuta præiudicet hæredibus, qui hæreditatem adiuerunt.

CAPITVLVM IX.

ITem ista faciunt ad quæstionem, si Imperator facit aliquẽ comitem Palatinũ. & dat sibi potestatẽ legitimandi spurios etiam post mortem patris, alii consanguinei, quibus delata est hæreditas, hæreditatẽ adiuerunt, & per consequens effecti sunt Domini rerum hæreditariarum; quod legitimatio secuta illis in dominio rerum hæreditariarum non præiudicet: quia cum habeant dominium de iure gentium, ipsis per rescriptum sine causa auferri non potuit: vt no. Bart. in *l. gallus. §. & quid sit tantum. ff. de libe. & posthu.* dixi in meo libello *legitimationum* in causa finali in quæstione quæ incipit *sed stat dubium.*

SVMMARIVM.

An princeps vel Ciuitas contrahens possit obligare pro obseruantia contractus bona ciuium singulorum.

CAPITVLVM X.

ITem ista faciunt ad quæstionẽ, si princeps vel ciuitas cõtrahit, an potest obligare pro obseruantia contractus bona ciuium singulorum. glo. videtur quod non in *l. 2. C. quæ sit longa consuetu. & in l. neque pignus. ff. de regu. iur.* Bar. autem. in *l. ciuitas ff. si cer. pet.* videtur velle quod possit. sed Doct. Bartho. de Saliceto tenet contradicens, quod non possint obligari: quia res aliena inuito Domino obligari non potest *l. 2. ff. de pigno. acti.* & clarius in *l. 4. §. actor municipium. ff. de re iudi.* cum enim princeps non sit Dominus rerum singulorũ, non potest constituere ius in re, quod est de essentia pignoris: vt no. in *l. rem alienam. ff. de contrahen. emp.* Item quia speciale est, quod res aliena possit suppignorari in casu *l. 2.* & quod ibi notat glo. *C. de patri. qui se. dis.* ergo in contrarium est ius commune, & in ciuitate maximè videtur quod non possit: quia non videtur in præiudicium priuati posse statuere *l. totiens de pollici. l. 1. in fi. de doli excep.* Ego vero sic dixi in dicta *l. ciuitas*, quod si actor ciuitatis non habet specialiter in commissione obligare bona singulorum, quod tunc non potest obligare quæcunque sit caussa propter quam contraxerit: quia intelligitur data potestas ei ne ius tertii lædatur *l. 1. § si quis à principe. & §. meritò. ff. ne quid in loco pub.* & hoc videtur de mente Bar. *l. totiens de pollici.* Aut habet mandatum obligandi singulares personas per legem ciuitatis vel principis mandatum, tunc si aliquas certas personas tantum statutum ciuitatis non valere. & ratio est, quia statuta specialiter facta tollendũ ius alterius non valet *l. si priuatus ff. qui & à qui.* notatur in *l. Anthiocensium, de priuil. cre.* quia non est ratio, quare magis bona mea quam aliorum ciuium singulorum per contractum solo debeant obligare. Si vero est lex ad obligandum bona omnium singulorum pro cõtractu solo debeant obligare, tunc si subest causa, vt puta vel princeps vel ciuitas vult quærere pecunias propter tueri se ab imminentibus inimicis, & vult propter mutuũ obligare bona ciuiũ. & credo quod possit si enim princeps vel ciuitas potest ex causa, vt dixi, priuato auferre rem suam, quanto magis ius pignoris in ea constituere? arg. glo. in *l. 2. C. de patri. qui se. dis. & l. non debet de re. iur.* & ita videtur velle Cyn. in *l. 2. §. Domini*

Digitized by Google

rum.ff.de his qui sunt sui vel alie.iuris. Et erũt bona obligata vi legis. & sic respõdetur ad rationes contrarias: quia qui mandato legis potest rem alterius vendere, fortius & pignorare, vt notatur in dicta *l.2.C.de patri.qui fi.distin.* cum causa igitur possunt, & sine causa non.

Item ex prædictis credo, quod si papa vel Imperator dedisset rem ecclesiæ vel imperii in feudum vel emphiteusim ex titulo oneroso, quod ipse non posset tale feudum vel talem emphiteusim reuocare sine causa, per prædicta & per notata in *l.digna vox. C. de legibus.* secus si ex titulo lucratiuo & gratis: quia cum in his bonis papa vel Imperator habeant liberam administrationem, possent etiam contractus rescindere: vt est tex. in *clemen. dudum. ver. nos etenim de sepul.* & infra dicam.

SVMMARIVM.

Pontifex an possit contra Apostolum, vel statutum eius vniuersale vel Euangelium, aut vetus siue nouum Testamentum, siue fundamentum Ecclesiæ militantis.

CAPITVLVM XI.

MOdo videamus, si potest contra Apostolum vel statutum eius vniuersale disponere. Et quod possit, videtur. quod si fuit Apostolus Petrus aut Paulus siue alii successoribus eorum futuris pari vel eadem potestate, non potuit Petrus legem imponere: vt *de elec.innotuit.* à qua ipsi successori recedere non liceret. de aliis autem Apostolis videtur minus dubium: nam fuerunt minores in administratione Petro & aliis successoribus summis pontificibus 21.*distin.c.in nouo.2.q.7.cap.puto.* vnde futuros pontifices ipsis priores Apostoli ligare nequiunt. *l.nam magistratus de arbi.* ad hoc quod contra Apostolum papa disponat, est tex. 34.*di.lector. & in §.nutrices. & 82.di.presbyter.* potest enim papa supra ius disponere: *de concess.preben.proposuit.C.de re.vxo.actione.l.1.respon.9.q.3.per principalem.* & de nihilo aliquid facit. 3.*q.7.hoc quippe.de conse.di.2.Reuera de constitu.c.cum accessissent.* Item papa est loco Dei in terris, quia Deus ascensurus in cœlum vt bonus paterfamil. loco sui debuit pastorem dimittere, ne sine pastore grex dominicus euagaret. ideo dixit Hosti. *de translatio. prala. quanto*, quod papæ & Dei est idem consistorium: & sicut Deus potest resoluere Apostolorũ dicta, ita videtur posse papa: notatur *de iureiuran.c.quanto.* Et ideo dispensat cum criminoso, vt possit non obstante crimine ordinari, qui tamen per Apostolum est prohibitus ordinari: *de iudi.c.ac si clerici.* notatur in *c.super eo, de biga.* Et ista est veritas, quod contra statuta Apostoli potest causa subsistente disponere, & dispensare sine causa non. Nam cum Apostoli moti fuerunt instinctu Spiritus sancti, non est decens quod sine causa eorum dicta tollantur, 25.*q.1.c sunt quidam.* quia talis non esset dispensatio, sed dissipatio, vt statim dicam. pro hoc facit quod dicam infra in quæstione *an papa possit cum bigamo dispensare.* pro hoc 25.*q.1.sunt quidam.* qui enim dispensat, non tollit, sed vel in personam vel in tempore aliquando remittit ex causa. Et dispensatio quoque est necessaria *l.dis.c. Domino sancto. & c.vt constitueretur.* & ideo dispensat in voto quamuis scriptum sit: *vouete & reddite vota vestra Deo*: vt in *c. 1. de voto.* & sic dispensando non tollit legem sed declarat vel interpretatur, quod non liget in eo casu quo dispensatur. disposuit igitur contra Apostolum ex causa, nisi talis dispositio esset contra fidem: quia tunc contra Apostolum papæ dispositio non valeret: ita notatur *de renunc. c. post translationem in fi. glo.* facit, 11.*q.3.c.sibi qui.* vbi est casus quod si Angelus de cœlo aliter Euangelizet, quam Euangelizauerit Apostolus, Anathema sit. & est ratio, quia tunc papa præcessor in fide ligat & excommunicat successorem, vt notatur 24.*quæstio.1.Achatius*, & supra dixi. & hoc vult Guillelmus 15.*di.c.sicut*, in glo. Item non dispensat contra Apostolum, quando talis dispensatio sui nam peccatum haberet: vt notat glo. *de resti.spol.c.litteras.* ideo non dispensat contra Apostolum, qui dicit, *habeat vnusquisque suam vxorem propter fornicationem euitandam*, vt aliquis habeat super inductam, & sic non vnam sed plures vt notat Io. An. in *c.si.de transac.* Item quod quis perseueret in peccato mortali, non potest disponere de vsuris super eo. 24.*q.2.legatur.* & ideo non disensat contra præcepta decalogi. 25.*q.1.sunt. & 6 distin.§.fin.* & hoc faciendo quia non facit ecclesia malum vt etiam sequatur maius bonum 14. *dist. cap.quod ait.* sed permittendo sic alicui permittit potius adulterium vt euitet homicidium 33. *q.2.si quod verius.* & dicuntur præcepta decalogi, à *deca* quod est decem & *logi* quod est præceptum quasi decem præcepta. ideo non dispensat in furto, & in rapina sine causa factis, vt quis non restituat cum pœnitentiam faciat, *de vsuris c.cum tu* 14.*q.5.ca.si quod & c.multi.* Et hoc, quando peccatum est transgressione iuris naturalis aut diuini: secus si iuris positiui, quia hoc potest tollere, vt infra dicam.

In hoc tamen est aduertendum, quãdo papa contra dicta Apostoli dispensat, quis sit iudex an fecerit cum causa vel sine causa: vel si causa est legitima vel non? de quo in *c.non est de voto*, vt attendantur omnia quæ dixi supra quando papa dispensata, contra ius diuinum, & attendatur an de hoc quæratur in foro pœnitentiali vel contentioso, & an possit concilium talia reuocare, vt ibi pleni dixi, quæ cuncta hic repeti dicuntur.

SVMMARIVM.

Pontifex an possit contra statutum vniuersalis Ecclesiæ.

CAPITVLVM XII.

SEd an contra statutũ vtilis ecclesiæ? in *c. proposuit.* glo. dicit quod papa non potest contra statutũ vniuer-

Digitized by Google

vniuersalis ecclesiæ dispensare. & idem sentit Io. glossator decreti 25. q. 1. *c. sunt quidam* & glo. *de resti. spol. litteras.* licet Bar. Brix. dixerit ibi contra per *c. non debet de consang. & affi.* quod c. non probat: quia papa fecit ibi auctoritate generalis concilii. Sed quod possit volunt Doct. 63. *distin. c. porro.* & dicam in quæstione *an papa ex elegatis*, &c. & in quæstione quæ incipit: *quoniam supra dixi, quod papa veritati est*, quod aut in aliquibus vult dispensare aut in totũ abrogare. si vult in aliquibus dispensare ex causa potest. ideo quotidie dispensat, quod in quarto vel tertio gradu consanguinitatis contrahatur matrimonium, sine causa non debet: & hoc quando status ecclesiæ non discoloratur: sed si ex hac dispensatione etiam singulari discoloraretur status ecclesiæ vel vniuersalis ecclesiæ status turbaretur, tunc non licet dispensare, nedum in totum tollere. ita videtur sentire Archi. 25 q. 1. *sunt quidam.* ideo secundum Abbatem nõ tollit canonem *si quis suadente*, vt notatur in *c. nulli. de senten. excom.* Item non tollit legem quod communicans cum excõmunicato non sit excõmunicatus, vt vbi. Sed ego credo, quod sit hoc casu dispensare & disponere, sed nõ est ipsi talis dispositio permittenda. ita dicit Inno. in *c. quanto de consue.* sed quod statuta positiua generalia ipsa nõ possit tollere vel contra ea dispensare; non est verum: quia potest cum procedant ab eadem potestate, & eius est soluere cuius ligare: vt in *c. 1. de re iur.* sed quando scandalizatur ex hoc ecclesia, vel discoloratur status eius, vel turbatur talis mutatio, nõ est papæ permittenda: vt dicit Inno. in dicto *c. quanto. de consue.* sic debet intelligi quod notatur 1. *q. 7. & si illa.* & glo. 3. § *an si rigor.* vt non valeat quia retractioni subiacet: & dicam in dicta quæstione quæ incipit: *quoniam supra dixi*. Et ideo dicit Archi. 25. *q. 1. sunt quidam*, quod papa nõ posset ordinare, quod clericus conueniretur coram iudice laico siue in foro seculari, quia decoloraretur status vniuersalis ecclesiæ. Non obstat, si dicitur: immo papa potest: quia etiam mere spiritualia delegat laico, & ideo delegatione committit sibi potestatem excommunicandi: quia ista est magis iurisdictionis quam ordinis: quia respondeo ex delegatione potest: vt 63. *di. Adrianus.* quia procedit delegatus laicus auctoritate ecclesiastica, & sic non decoloratur status ecclesiæ. sed vbi iure ordinario procederet iure proprio & appellaretur ad proximum superiorem ipsius laici, quod esset inconueniens: quod non accideret si procederet vt delegatus: quia appellaretur ad delegantem: *de offi. dele. c. p. & g. & c. sane.* & tunc iudex concilium quod est in hac parte supra papam, vt pluries dixi. hæc ego intelligo generaliter tollendo: sed particulariter dispensando, tunc sine causa non esset ei permittendum: dicto *c. quanto:* sed cum causa sic, & ideo iudicandum tradit clericum degradatum iudici seculari. Item quandoque tollit clerico priuilegium clericale, vt quando dimisso habitu ter monitus non vult resipere, & immiscet se seculo. & ideo cum causa potest: sine causa non est ipsi papæ permittendum: ita debent intelligi quæ notat Hosti. & Doct. in *c. nulli de sen. excom.*

SVMMARIVM.

An Pontifex dispenset contra quatuor prima Concilium?

CAPITVLVM XIII.

Item per omnia dico & in alio dubio an papa dispenset contra quatuor prima concilia, vt idem per omnia posse quæ circa disposita per Apostolos dicta sunt: & hoc vult tex. in *c. post translationem. in fi. de renunc.* licet aliqui dixerunt indistincte quod nõ possit per tex. 50. *di. c. illud & 15. di. c. sicut*, vbi recipiuntur quatuor concilia vt Euangelica, vt non possint immutari. Sed illud debet intelligi in articulis fidei. & quod disponat contra concilia dixi late in quæstione *quæ sit maior an sententia papæ vel concilii.*

SVMMARIVM.

Pontifex an dispenset contra ius positiuum, quod non seruatum peccatum nutriat?

CAPITVLVM XIV.

Videamus modo si disponit contra ius positiuum, præsertim quod non seruatum peccatum nutrit. Et videtur etiam quod cõtra istud ius papa sine causa dispensare non possit. ius enim est cõmune, & debet esse supra cõmuni bono fundatum 4. *dis. erit autẽ ff. de legi. l. iura non in singulis.* sed hoc commune bonum non debet priuato commodo dimitti. 61 *di. miramur de postu. præla. bona. el primo de regula. c. licet.* dispensatio igitur ad priuatã vtilitatẽ illud ius remittẽs irrationabilis videtur, præsertim quia apud papam, sic nec apud Deum, nõ debet esse acceptio personarũ *de iudi. nouit*, cũ similibus. sed non potest negari quod habetur illius personæ acceptio, cui specialiter illud creditur, quod aliis cõmuniter denegatur. Item cum contra ius naturale non admittatur dispensatio vt supra dixi. & no. 5. *di. in summa.* & ius positiuum super naturali ratione fundatur 1. *di. consuetudo. & l. 1. ff. de iusti. & iur.* dum dicitur quod *ius est ars boni & æqui:* nam est fundamentum in æquitate naturali. igitur super eo dispensari nõ potest. Nã dispẽsatio est iuris cõmunis relaxatio facta cũ causæ cognitione, & ab eo qui habet potestatẽ dispẽsandi 1. *q. 7. § nisi vigor.* hinc est quod iura dicũt, quod rescripta cõtra ius illicitã dicuntur ab omnibus iudicibus euitari *l. rescripta. C. de praci. impe. offe. & 25. q. 2. c. rescripta.* ad idẽ *l. nec dãnosa. C. de praci. impera. offe.* Sed in contrariũ facit quod scribit Inno. & Abb. in *c. cũ ad monasteriũ. de sta. mona.* vbi vult Inno. quod licet in his quę sunt cõtra Euangeliũ vel ius naturale: & idẽ in his quę sũt contra generale statutũ ecclesiæ papa non potest dispensare: non tamen hoc est verũ in his quę sunt

Digitized by Google

contra ius positiuum tantum, sicut apparet in statutis quæ facta sunt de ordinibus faciendis infra certa interstitia temporis 75. *di. per totum.* & quod quis non possit habere duas curas, *de preben. c. de multa.* In his enim dispensationibus sufficit sola voluntas dispensantis etiam sine causa. nam si sola voluntas sit causa, quare prohibitio relaxetur: quia eius est destruere ius, qui illud condidit: vt in *c. 1. de reg. iur.* nec est princeps sua lege ligatus. *C. de legi. l. digna vox.* & res de facili redit ad suam naturam *l. si vnius §. pactis. ff. de pact.* & hæc in papa, & etiam in principe: secus in inferioribus: quia si sine causa dispensant contra ius superioris. ideo tex. in *c. de multa. de preben.* dicit quod papa dispensat in pluribus beneficiis etiam curatis habendis cum sublimibus vel litteratis personis: & sic apud papam est exceptio personarum, quando sunt sublimes vel litteratæ: & consueuit curia sub tali exordio tunc dare litteras *Apostolicæ sedis benignitas sic merita personarum prouida deliberatione discernit, vt eos qui litterarum scientia morum ac generis nobilitate præcellunt, fauoris gratia efferat amplioris, & maioribus studeat beneficiis honorare:* quia non indigne tunc vni, quod sufficeret pluribus, speciali prouisione conceditur, cum circa dona virtutũ solus obtinere dignoscitur, quod diuisim in pluribus inuenitur habere contra. Ex quibus videtur quod papa possit in iure positiuo ex sola voluntate dispensare, ita quod sufficiat quod pro causa sit voluntas.

Quid dicendum? Inuenio quod Doct. male declarant. nam in *c. de multa. de preben.* Iohan. An. tenet quod sine causa in iure positiuo non possit papa dispensare. sed in *c. cum ad monasterium,* sequitur simpliciter sententiam Inno. quod in iure positiuo sufficit pro ratione voluntas. Mihi vero videtur sic dicendum, quod sunt nonnulla iura positiua in simplici voluntate condentis, vt quod liceat appellare demum infra 10. dies, & non vltra, quia quare magis statuerit decem quam nouem vel vndecim, ratio reddi non potest. vt no. in *l. non omnium. ff. de legi. & in c. si quando de rescrip.* Nam quod vsucapio finiatur vel perficiatur potius quadriennio quam quinquennio, de hoc ratio reddi non potest. similiter quod papa conferat plus duas præbendas quam vnam, & magis Titio quam Sempronio, paribus stantibus conditionibus & meritis, ista sunt voluntatis. & in his quæ sunt volũtatis vel in diuinis secretis ratio reddi non potest, vt no. in dicta *l. non omnium. ff. de legi.* & in dicto *c. si quando.* In istis ergo procedit dictum Inno. in dicto *cap. cum ad monasterium de sta. mona.* quod sufficiat pro ratione voluntas. Idem in casu *l. prospexit. Digest. qui & à qui.* & hoc est quod scribitur in Euangelio de his qui conduxerunt operarios, quibus dedit tantum venienti de mane quantum de sero. nam cum illa essent voluntatis, non poterat increpari, si tantum voluit dare in sero venientibus quantum illis qui portauerant pondus diei & æstus. & ideo quando in consistoriis papa restituit ad appellandum post lapsum decem dierum vel post fatale primum primi anni restituit ad secundum, ibi ratio exquirenda ratio est, sufficit sola papæ voluntas. Alia est iuris dispositio fundata in ratione naturali vel iuris gentium & communi bono: & contra istam iuris dispositionem sine causa papa dispensare non potest, cum causa autem dispensare potest, & hoc dicit tex. in *c. de multa in fi. de preben.* qui dicit quod quando ratio postulauerit cum sublimibus & personis litteratis poterit papa dispensare. Ad idem tex. in *c. proposuit de conces. preben.* & potest esse ratio triplex, quare fieri potest dispensatio, quando necessitas vrget vel vtilitas suadet, vel euidens prærogatiua meritorum. alterum enim istorum sufficit vel illa quæ dixi supra personæ qualitas, negotii, temporis & loci iuxta notata per Hos. *de voto magne.* qui allegat notat. in *cap. 1. de transla. prela.* cum similibus. Item cum licet, decet vel expediens est: *de voto cap. magne.* Et ad contraria respondet beatus Thomas in *secunda secundæ. quæstio. 17. articulo vltimo* dicens quod licet dispensatio respiciat vtilitatem priuati dispensans cum aliqua ex rationibus prædictis moueri debet pro communi bono. vnde sublimis vel litteratus, cum quo dispensabit, proderit in vniuerso. nam persona litterata vel sublimis magis potest prodesse ecclesiæ vniuersali quam persona vilis & humilis, siue ignorans. vnde propter aliquam ex prædictis causis dispensans non dicitur facere contra bonum publicum, nec præferre priuatam vtilitatem publicæ, sed est relaxare generalem legem propter bonum publicum concurrens in speciali casu vel persona. & hoc modo dicitur dispensatio iuris communis relaxatio facta cum causæ cognitione ab habente potestatem relaxandi 1 *q. 7. §. nisi rigor.* Non obstat, quod non debet haberi exceptio personarum: quia verum est data inter personas æqualitate: quia dispensatio alio modo sumitur quando est quædam commensuratio communis ad singula. & ideo gubernator familiæ dicitur dispensator: quia debet dispensare singula singulis, & secundũ merita attribuere præmia. & cum indigeremus tali gubernatione, qui legem vniuersalem interdum ex causa relaxaret, & inter subditos æque dispensaret: ideo Christus dimisit pontificem, cui dedit potestatem legis condendæ & talia dispensandi. vnde debet secundum merita dispensare. Et ideo data inæqualitate personarum, quod aliqui sunt boni scientifici & litterati, aliqui ignari & inutiles, tunc est iusta dispensatio plus tribuere intelligenti & litterato, quam inutili & ignaro, & si opus esset iura cõmunia relaxare. hoc casu est decẽs quod fiat: dicto *c. de multa in fi. de preben.* Ex istis infertur, quod dispensatio debet esse cõmunis ad singula secundũ personarũ qualitates & merita. Secundo quod iuris cõmunis fundati in ratione cõmunis boni vel iuris naturalis vel gentiũ debet fieri relaxatio cũ causæ cognitione, & ex causa, & aliter non: alias esset non dispensatio sed dissipatio. Et ideo talis cum quo dispensaretur contra iura, causa non subsistente non esset tutus apud Deum vel in foro conscientiæ, licet foret tutus in foro contentioso ad quod accedat illud: quia Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari 43. *distinctione, dispensatio.* Ex sic potest secundo intelligi Innocen. *in capitulo cum*

cum ad monasterium, quod quando papa dispensat contra ius positiuum, ibi sufficiat pro ratione voluntas, vt illud procedat in foro contentioso: ita quod de causa non potest disceptari, & in ecclesia militante, sed nō in foro pœnitentiali & in ecclesia triumphante: quia ille tunc non est fidelis seruus & prudens: de quo Lucæ 12. ibi, *quis putas fidelis est dispensator & prudens quem constituit Dominus super familiam suam* &c. & hoc intelligo quando constat quando papa vel princeps vult derogare iuri puta quia apponit clausulas derogatorias, vel iudex recipit fideiussionē: alias in dubio nō statur rescripto contra ius: dicta *l. rescripta. & de rescrip. c. causam. & c. de sacri pagi. l. 3.* ita intelligo ista iura. & hæc sunt vera, quando vult reuocare ius positiuum vel generaliter legem condendo, vel specialiter illi iuri communi derogando ad præiudicium solum iuris communis. modo priuati alterius inde in *c. quæ in ecclesiarum*. Si autem vellet ad præiudicium priuati tertii ius positiuum commune tollere, tūc aut hoc ius transiuit in cōtractum vel quasi, aut simpliciter stetit in finibus priuilegii vel dispositionis. primo casu quando transiuit in contractum vel quasi, tunc aut esset inter subditos aut non. si est inter subditos, tūc aut subest causa legitima reuocandi, vt si est causa ex qua illi subdito posset auferre bona: & tunc potest talem contractum & ius reuocare. ita intelligo tex. in *c. in causa, de iure iur.* vt cum causa possit reuocare statutum factum inter subditos. sicut enim posset tali subdito hoc casu auferre bona, sic posset contractū secum inuitum reuocare siue irritare: vt in *ti. C. ff. de bo. dam.* si non subest talis causa, tunc si dispositio est in his, in quibus principi non remanet libera administratio, prout est regulariter in contractibus vel quasi: quia astringitur illis stare princeps: vt no. *de iudi. c. nouit. & Cyn. in l. digna vox. C. de legi.* quia velit nolit est astrictus legi naturali vel iuris gentiū, quæ est vt pacta seruentur *l. 1. ff. de pac.* & tunc tale ius quod transiuit in contractum vel quasi, papa vel princeps non potest reuocare etiam inter subditos: vt *l. item eorum §. ex his ff. quod cuiusque vniuersi. no.* vbi nō potest reuocari actor constitutus per decretum, postquā secutus fuit quasi contractus, qui resultauit ex litis contesta. pro hoc optime facit *l. si cum mihi. ff. de dolo.* & quod ibi per Nico. Matth. & Bal. qui dicūt quod si papa vel princeps concedit priuilegium, ex quo quæratur alterius propter aliquod factum suum, ita quod nō venit solum ex auctoritate concedentis, quod papa vel princeps non potest illud reuocare per illam *l. facit l. decurionibus C. de sileti. lib. 12.* facit. *l. Aquilius regulus. ff. de dona.* & ita debet intelligi *l. quod semel.* & glo. ibi posita *ff. de decre. ab or. fa.* dum dicit quod quando respicit interesse alterius scilicet ratione contractus vel quasi, quod non potest reuocari. & ita determinat Bar. in *l. omnes populi ff. de iusti. & iure.* in quæstione quæ incipit: *Quarto quæro*, vtrum liceat facere statuta super his quæ ab aliis statutis eiusdem ciuitatis sunt disposita. sic intellige *c. in nostra de iniuriis*, quia ibi suberat causa secundū Inno. fauor videlicet reipublicæ seu cōmunis vtilitas, ꝓpter quā princeps potest priuato auferre dominium rei suæ, vt dixi supra per legē *Lucius. ff. de euic. & l. item si verberatū in fi. ff. ad legem Aquil.* fortius ergo contractum initum potest inter subditos reuocare. vel intellige *c. in nostra*, quod non potest fieri reuocatio nisi ille qui contraxit consentiat, vt ibi: si vero est inter non subditos, & tunc etiam cum causa non posset reuocare per *l. fin. ff. de iurisd. om. iudi.* quia in eos non habet imperium: vt in *c. vt animarum. §. fi. de constitu. in 6.* Si vero est contractus in his, in quibus non obstāte contractu principi remanet libera administratio, vt in spiritualibus vel annexis spiritualibus, & tunc papa potest illa pacta vel contractus prohibito reuocare. tex. est in *cle. dudum. vero nos etenim de sepul.* quem tex. sic intelligit Doctor eximius Petrus de Anchara. hoc tamen intelligo verum, nisi tales contractus essent initi propter aliquam publicam vtilitatem vel naturalem rationem: quia tūc sine causa etiam in talibus non liceret papæ disponere. glo. est nota 10. *di. c. 1. in glo. in ver. diuisiones.* & ideo papa non potest sine causa alienare bona vnius ecclesiæ. fateor tamen quod in foro contentioso causa præsumitur, vt infra dicam. si vero non transiuit in contractum, tunc aut ex tali lege est sibi quæsitum ius vel dominium aliqua res vel actio, tunc Inno. dicit quod dominium quod est de iure gentium sine causa non posset auferre actionē sic. Tu dic vt dixi supra in quæstione *an princeps possit priuato auferre rem sententia*. si vero non est quæsitum sibi ius, dominium vel aliud, sed essent quærendum, si dispositio iuris vel lex subsisteret: & sic nulla est secuta obligatio naturalis vel iuris gentium aut ius ex ipsis prouenienes: sed est tantum vinculum ciuile etiam quod esset actum producere vinculum iuris gentium: tunc hoc ius pro libito voluntatis posset princeps tollere, quando solum ex voluntate talis dispositio processisset. Si vero processisset pro bono publico, tunc princeps adhuc illo bono durante vel causa illius boni durante non deberet reuocare, si tamen reuocaret in foro contētioso. respondeo quod reuocatio valeret, vt dixi supra sic debet intelligi ista quæstio, in qua Doct. confuse locuti sunt.

SVMMARIVM.

Immunitates Ciuibus concessa an possint reuocari.

CAPITVLVM XV.

ET ista faciunt ad quæstionem dixit lex, quod qui venerit ad habitandum in tali ciuitate, habeat perpetuam immunitatem. aliqui venerunt. Ciuitas vult tale statutum reuocare? an possit respondeo quod causa subsistente sic, vt si deliquissent vel si sine onere istorū ciuitas non posset ab imminente guerra se tueri, tunc possent grauari, & talis lex reuocari. sed si non subesset causa, quia non deliquissent: item si sine eorum grauamine grauando alios ciuitas posset se tueri, non deberet fieri reuocatio talis legis nec posset. Item si fuit guerra, & est, & Domini volunt facere

Digitized by Google

pacem, nec possint ad eam venire nisi hinc inde fiat iniuriarum remissio, etiam quatenus priuatorũ interesse concernunt, tunc pro salute communitatis poterit subditis sic præiudicari, per ante dicta & hæc sunt vera in his quæ sunt grauis præiudicii. Nam prolem præiudicio potest à superiore habẽte auctoritatem legis condendæ fieri præiudicium *l. quotiens.* & quod ibi notatur *C. de praci. impera. off.* & supra dixi. arg. *de appel. pastoralis. & c. vt debitus.*

SVMMARIVM.

Potestates speciales & dispensationes Pontificis: an possit inferioribus Presbyteris vel Laicis dare potestatem exercendi ea, quæ sunt ordinis Episcopalis; vel quæ sunt tantum Episcopo reseruata; vel ea quæ competunt Ordini Presbyterali, inferioribus Clericis vel Laicis possit demandare: Item & alia multa forma, quæ per Ecclesiam sunt inuenta, quæ si non fuissent inuenta, nihil referret; licet quia Ecclesia inuenit, seruanda sint: & si aliquid obmissum fuisset de ordinationibus Ecclesiæ, illud supplendum foret, vt consecratio Sacerdotis, conficiendi corpus Christi, &c.

CAPITVLVM XVI.

Visis igitur potestatibus principum in genere, nunc descendamus ad species. & quidem licet in iure tantum reperiatur, quod qui peccat mortaliter post baptismum promoueri non possit 25. *di. c.* 1. 48. *di. quoniam.* 50. *di. illud.* Item sit secunda regula, quod promotus si post promotionem suam mortaliter peccauit, deiiciatur siue deponatur 50. *dist. quisemel.* Tertia regula ꝙ depositus ab ordine non restituitur 50. *di. c.* 1. in istis tribus regulis vbicunque papa mitius agit vel largius, potest dispensare: & dicitur dispensatio. Sed requiramus vtiliora magis specialiter.

Et quoniam dixi quando possit papa vel princeps contra ius diuinum vel Euangelicum ad species descendendo dispensare, videamus an papa ex delegatione sua possit presbyteris aut aliis inferioribus clericis siue laicis dare potestatem exercẽdi ea quæ sunt ordinis episcopalis, vel quæ sunt tantũ episcopis reseruata, vt ius & potestatem cõficiendi crisma, & confirmandi, & ordines conferendi, vel alia quæ solum competunt ordini episcopali: de quibus 68. *di. quamuis Chorepiscopi. & 25. dis. perlectis. ver. ad episcopũ.* Item ea quæ competunt presbyteris vel ordini presbyterali, vt conficere corpus Christi, de quo in dicto *c. perlectis 25 dis. ver. ad presbyterum*, possit papa demandare inferioribus clericis vel laicis. & videtur dicendum quod sic: nam papa etiam in sacramentalibus videtur habere plenitudinem potestatis, ideo in forma baptismi constitutiones facit, quas Deus ratas habere videtur: vt notatur in *cap.* 1. & ibi per Doct. *de baptis.* facit. *c. cum Marta de celebra. mis.* vbi sunt ab ecclesia addita in sacramentis illa à Christo facta dici debent & per Apostolos scita & per eos in alios successores reuelata. Ad idem quod notat Inno. in *cap. si. de sacra. non ite.* vbi dicit quod forma ordinandi clericos non inuenitur nisi in *epistola ad Titum*, in qua dicitur quod Apostoli manus imponebant super ordinandos & orationes fundebant super eos, nec alia forma seruata inuenitur. Sed dicit Inno. quod aliæ formæ per ecclesiam sunt inuentæ, quæ si non fuissent inuentæ, dicit idem Inno. quod sufficeret, si ordinator diceret ordinando, *sis presbyter: sis diaconus*, vel *subdiaconus*, sed quia formæ sunt per ecclesiam positiuæ & inuentæ illæ seruandæ sunt. & si aliquid fuisset obmissum de ordinationibus ecclesiæ, illud supplendum foret: vt in *c.* 1. *& in c. si. de sacr. non ite.* vnde patere videtur ꝙ papa in talibus potest constitutiones facere, dummodo non sint contrariæ constitutionibus Iesu Christi: quia animæ & pertinentia ad ipsas sunt de iurisdictione papæ 10. *di. c. suscipitis.* vnde potest de animabus statuere, à Deo quod etiam constitutione ecclesiæ animæ caracter per ordinem clericalem imprimatur. Si enim ex constitutione principis possunt insigna aliqua corporibus hominũ designari: vt in *c. si iudex laicus. de sen. excom. lib.* 6. *& C. de fabricen. l. signata. lib.* 11. notat glo. in *l. pœ. ff. ex quicau. maio.* ita per constitutiones etiam papæ potest induci vt animæ caracter imprimatur, vt not. Inno. & Docto. in dicto *c. si. de sacra. non ite.* Et pro hac sententia videtur doctrina Docto. 66. *di. cap. porro*, vbi volunt Doct. quod quamuis in ordinandis requiratur numerus trium episcoporum: & papa cum alio solo episcopo consecrans non consecraret, dicta constitutione subsistente, tamen ipsam constitutionem papa mutare posset: vel eo mortuo vniuersalis ecclesia. vnde ibi volunt Doct. quod etiam in istis sacramentalibus papa possit constituendo pro libitu disponere, etiam vltra illa quæ fuerunt per Apostolos constituta, & formas sacramentorum immutare, præterquam in forma panis & vini & in baptismate: vt *de conse. di.* 2. *ca. liquido.* hinc videmus quod statuit in ordinibus de temporibus & personis agentibus & patientibus: vt in *c.* 1. *&* 2. *de tempo. ordi.* disponit etiam de consecrationibus & ordinationibus: vt in *cap.* 1. *de sac. vncti.* vnde videtur quod papa possit dare potestatem sacramentandi etiam non habentibus, & ipsam habentibus auferre: & hoc videtur de mente Inno. *de consue. c. quãdo*, vbi dicit quod episcopo papa posset sua constitutione tollere potestatẽ crismandi: & presbytero, potestatem baptizandi. Dicit tamen quod non esset ei hoc tolerandum, nisi faceret ex causa: quia hoc est contra statutum generalis ecclesiæ. & per hoc videtur tex. 95. *di. peruenit*, vbi Gregorius concessit presbyteris beneficium confirmationis tantum episcopali ordini reseruatum 68. *di. quamuis Chorepiscopi.* Ad idem quod no. Docto. & ibi per Guil. de Monte laudo. in *cle. in plerisque. de elec.* vbi volunt Docto. quod papa in concernentibus corpus Domini misticum, ipse habeat plenitudinem potestatis: & talia sunt omnia iura quæ competunt ordini episcopali supra ordi-

Digitized by Google

ordinem sacerdotalem: sicut est confirmare manus imponendo, & inungendo crismate, & consecrare ecclesias, & clericos ordinare: dicto *c. perlectis 25. di. ver. ad episcopum. & 68. di. quamuis.* & pro hac sententia faciunt dicta glo. & Docto. in dicto *c. peruenit. 96. di. de conse. di. 5. manus,* vbi volunt Docto. quod papa possit committere cuilibet clerico, vt conferat quæ ipse habet: vt si est presbyter possit ordinare presbyterum, & diaconus diaconum ex mandato papæ: quamuis velit glo. quod clericus non possit dare demandato papæ ordinem, quem non habet: vtputa quia Diaconus ordinet presbyterum per illam regulam: *Nemo dat quod non habet* 1. *q.* 1. *c. gratia.* & 1. *q.* 7. *Daybertum.* Et idem videntur sentire canonistæ in *cap. quanto. de consue.* Et pro istorum sententia facit quod vnumquodque videtur posse agere secundum formam quam habet. Nam vnumquodque agit secundum quod est actu. igitur habentes ordines videntur aliis posse conferre illos quos habent. Et ex ista doctrina videtur quod confirmatus quamuis laicus & non ordinatus, cum ex confirmatione characterē susceperit, quod illum alteri ex papæ mandato possit conferre: quia etiam spiritualia laicus ex papę mandato potest pertractare. 63. *distinct. Adrianus.* not. *de iudi. cap. decernimus.* præsertim quia non fuit statutum specialiter à Christo, vt soli episcopi confirmarent. Et hanc sententiam videtur tenere reuerendissimus cardinalis de Zaba. Hoc etiam voluit Compostella. & quidam Syluester, vt etiam laico ista spiritualia & sacramentalia possit papa demandare. Et quamuis isti Doctorum loquantur indistincte, quod papa laico ista possit committere: tamen Innocent. & alii Docto. dicunt hoc non esse verum in sacramentalibus. sed quidam concordant, vt sacramentalia quæ laicus non habet, alii non possit conferre: quasi alii dare non posit quod ipse non habet: dicto *c. Daybertum* 1. *q.* 7. sed quæ habet, sicut confirmationem, in qua quando ipse eam suscipit caracterem habuit: vnde alii videtur posse conferre quod habet. Sed quod indistincte papa possit etiam laico cōferre, tenet prædictus Cardinalis per istam rationem: quia papa habet plenitudinem potestatis. vnde dispensatiue potest laico committere: quia omnia potest dispensando quæ peccata non nutriūt: vt no. in *cap. proposuit. de conces. preben.* facit. 63. *di. Adrianus.* & quod no. *de iudi. cap. decernimus,* vbi papa de plenitudine potestatis mere spiritualia committit laico. In contrarium facit: quia papa ex plenitudine potestatis non videtur habere potestatem supra corpus Domini verum vel materiam eius. Ideo quamuis papa statuat, vel legem fecerit, quod ieiunus presbyter debeat eucharistiam conficere: tamen hoc non facit, quod si non ieiunus conficiat, quin si eucharistia & verum corpus Christi *de consecra. di.* 2. *liquido.* Item non videtur quod papa possit mandare alicui non presbytero, vt conficiat corpus Christi: quia hæc potestas tantum fuit tradita illis, qui ordinati forent secundum claues, quas concessit Apostolis Iesus Christus: vt in *c.* 1. *ver. & hoc vtique sacramentum. de sum. trini. & fi. cap.* Nec credendum est etiam quod papa possit sua constitutione etiam generali introducere, quod in alia materia quam in pane, vino & aqua possit confici corpus Christi, vt *de conse. di.* 2. *cap. cum omne:* & in pane azimo, licet si fieret in fermentato, esset verum corpus Christi secundum beatum Thomam & theologos: & tenet Hosti. in *c. fi. de celeb. mis.* quicquid ibi dicat glo. Item quamuis papa & ecclesia statuerit, quod celebrationes non fiant in vasis ligneis, sed in argenteis vel aureis non propterea hoc facit, quin si in ligneis presbyter celebret non inducatur corpus Christi: *de con. di.* 1. *c. vasa.* no. in *d. c. fi. de cele. mis.* Item quamuis ecclesia verbis consecrationis addiderit *enim,* quia forma Christi fuit solum dicendo: *hoc est corpus meum.* & ecclesia addit hoc verbum *enim:* vt no. *de con. di.* 2. *cap. accipite.* tamen si obmittatur forma ecclesiæ & presbyter dicat: *hoc est corpus meum:* fit sacramentum, licet presbyter peccet. Item ecclesia in consecratione sanguinis plura addit: videlicet *hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti misterium fidei:* & sic addidit ecclesia duo, illud verbum *æterni:* & illud verbum *mysterium fidei.* Item & illa verba: *& eleuatis oculis in cœlum:* vt no. *de cele. mis. cap. cum marte.* quibus obmissis & aliis à Christo dictis à presbytero prolatis, credo quod conficeretur sacramentum sanguinis Christi. Item ecclesia inuenit quod missæ non celebrantur, nisi in locis Deo sacratis: *de cō. di.* 1. *c.* 1. & tamen si in locis prophanis presbyter se disponeret ad conficiendum sacramentum: credo quod extra ecclesiam conficeretur: vnde videtur quod licet ecclesia vel papa possit inducere formas in sacramentis, tamen quando interueniat forma & materia à Christo tradita: & si omittatur forma ecclesię inducitur sacramentū. pro hoc facit quod not. Hosti. & Docto. in *c. quanto.* præalleg qui dixerunt quod papa non potest interdicere episcopo vel presbytero, quin si baptizaret secundū formam traditam Mathęi siue Marci *vltimo ca.* talis non esset baptizatus: licet ibi Inno. videatur dicere, quod papa posset episcopo vel presbytero inhibere quod non baptizaret: sed Doct. male eum reprobant: quia Inn. loquitur, vel potest prohibere, vt ex officio non baptizet, characterem non imprimat.

Quid igitur dicendum in his varietatibus? Ego capiam verba beati Tho. super *quarto sententiarum di.* 2. *q.* 3. *arti. primo,* in quibus credo multa decidi de supradictis: in aliquo tamen cohærens summis canonistarum ab ipso discrepans: & in aliquibus sequar suam sententiam contra canonistas. vnde præmitto secundum sententiam ipsius S. Thom. quod per dignitatem siue ordinem episcopalem, quia episcopatus ordo dignitas dici potest: vt dixi supra in quæstione *an papa possit pontificatui renunciare,* nihil acquiritur vel additur episcopo circa ea quæ habent relationem ad corpus Domini verum in agente materia vel forma creationis corporis Christi veri. Et hanc sententiam senserunt Doctores 66. *di.* § *porro,* cum dicunt, quod licet papa possit statuere contra statuta Apostolorum, nō tamen potest statuere in forma panis & vini siue baptismatis: sed solum dignitas episcopalis tribuit potestatem ampliorem in habentibus relationem ad corpus Domini mysticum, quod est ecclesia.

Digitized by Google

vnde papa per id quod sit Episcoporum summus, dicitur habere plenitudinē potestatis in habentibus relationem ad corpus Domini mysticum, quod est Ecclesia: sed per id quod papa sit Episcoporum summus, non habet vel dicitur habere plenitudinem potestatis in habentibus relationem ad corpus Domini verum in agente materia siue forma eius: vt si fiat secundum institutionem, quam introduxit Iesus Christus, non sit verum sacramentum, etiam si Ecclesiæ constitutio obmittatur.

SVMMARIVM.

An Papa possit statuere in habentibus relationem ad corpus Domini verum, vel in concernentibus Baptisma.

CAPITVLVM XVII.

MOdo pro decisione harum quæstionum præmissarum plura sunt videnda. Primum si papa potest statuere in habentibus relationem ad corpus Domini verum: vel in concernentibus baptisma. Secundo an possit disponere in habentibus relationem ad corpus Domini mysticum. Et hæc possunt intelligi dupliciter: An possit concedendo legem generalem: vel aliter particulariter disponēdo quam per statutum generale Ecclesiæ sancitum sit. Tertiò an si fit contra dispositionem papæ, valeat quod factum sit.

Respondeo ad primum: an papa potest statuere in habentibus relationem ad corpus Domini verum? Et in hoc dico, quod si aliquid vellet disponere contra ea, quæ disponit Iesus Christus in agente materia aut forma, ita quod vellet vt aliter fieri non posset, vel quod aliter sacramentum fieret, nō subsisteret aut haberet esse: & tunc talis constitutio non valeret quin si contra fieret non esset sacramentum. Nam quamuis constitutio teneret, de qua dicam statim, non tamen artaret quin si contra illam fieret non foret sacramentum. Et vt ostendam hanc conclusionem esse veram, veniam in singulis ad exempla. Et incipiamus ab agente licet ergo papa statueret, quod non presbyter posset cōficere corpus Christi, ista constitutio non valeret, nec faceret quod talis non presbyter posset conficere: quia non habens characterem sacerdotalem non potest etiam papa generaliter statuēte vel specialiter permittente siue mandante conficere corpus Christi: quia ista non pendent solum à plenitudine potestatis, sed à potestate ordinis & characteris. Ideo si clericus esset papa aliquis non cōstitutus in ordine sacerdotali ex sua potestate pontificali, quam statim habet cum electus est, vt in *ca. in nomine Domini 23. di.* non posset celebrare & conficere corpus Christi: quia ex dispositione Christi, & ex lege diuina est hoc solum attributū ordini sacerdotali, vt soli ipsi conficiant corpus Christi 25. *di. perlectis. ver. ad presbyterum. & in c. 1. §. & hoc vtique sacramentum, de sum. tri.* ita quod non versatur in hoc tantum plenitudo potestatis quantum potestas ordinis: & vis etiam characteris requiritur. Et cum istud fuerit à Christo ordinatum, papa aliter disponendo generaliter vel particulariter nihil agit. Nec obstat quod ea quæ superaddidit ecclesia videntur facta fuisse à Christo, & per Apostolos relata & in successores transmissa: quantum fateor, sed non quod tales formæ fuerunt substantiales: alias sequeretur quod Christus & Apostoli & alii, qui aliter confecerūt sacramenta, non cōfecissent illa, quod non est dicendum. Si verò papa velit disponere non contra sed vltra addendo ad statuta Christi: an possit aliqua circa hæc sacramentalia disponere, tā in agente quam in materia vel forma? Videtur quod sic, nam in agente disponit, vt criminosus in peccato mortali existens non debet celebrare: vt in *c. si. de vi. & ho. cleri. &* 32. *di. §. verum.* & hoc dicit In. in *d. c. quāto. de cōsue.* dum voluit quod papa per viam generalis statuti possit auferre Episcopo auctoritatem crismandi, & presbytero potestatem baptizandi. Nam, vt dixi supra in principio horum dubiorum papa videtur habere potestatē in sacramentalibus disponere de forma, diebus & personis, no. in *c. 1. de pap.* hoc ostenditur in forma quia licet ipsa forma consecrationis foret: *Accipite, hoc est corpus meum*: Papa tamen & Ecclesia addidit hoc verbum *enim*: dicendo: *Hoc est enim corpus meum. de conse. di. 2. accipite.* Itē statuit quod fierent sacramēta in vasis argenteis. *de conse. di. 1. c. vasa.* & ieiuno stomacho. *de conse. di. 2. c. liquido.* Insuper statuit, quod non debet ordinari in Episcopum aliquis in ecclesia, quæ careat clero & populo: *de elec. in cle. plerisq.* Item papa improbat cōsecrationes Episcoporum factas post interpositam appellationē: degradatis etiam & existentibus extra ecclesiam papa prohibet vt sacramenta non ministrent: vt in *c. 1. de bap.* Quid igitur dicendum? cum supra dixerim secundum beatum Tho. quod in habentib' relationem ad corpus Domini verum plenitudo, potestatis papæ nō possit aliquid operari cōtra Christi disposita? Ego circa ista dicendum censeo: Et primum circa concernentia corpus Domini verum, quod quamuis possit papa ex causa suspendere presbyterum quod non celebret, fortè quia eū suspēdat propter mortale peccatum, vel ex alia causa legitima, de quibus in *c. ex tuarum litterarum. de tēp. ór.* tamen non aliter tollit, qui de facto talis contrafaciat non conficiat corpus Christi: licet peccet. Quod est verum, etiam si papa decretum apposuisset reddens alias irritum & inane. Et hoc est quod vult sanctus Tho. in habentibus actum supra corpus Domini verum plenitudo papæ non possit. vnde est quod existens in peccato contra prohibitionem papæ celebrans conficit corpus Christi: sit vt in *c. vestra de coha. cleri. & mu.* Et idem schismaticus vel hæreticus vel degradatus: vt no. in *c. 1. de schisma. & in c. si celebrat. de cle. excom.* no. in *degradatio. de pœ. lib. 6.* Et idem si obmittatur forma addita ab Ecclesia in confectione corporis Christi: quia præsbyter dicat: *hoc est corpus meum*: & obmittat dictionem *enim*: talis conficit corpus Christi. Et idem si celebrat in vase ligneo, vel post cibum. vt no. *de conse. di. 1. capit. vasa. & di. 2. capit. liquido. & in capit. si. de elec. mis.* Vnde concluditur.

Digitized by Google

datur, quod & si ex causa papa possit in agente seu in forma vel in tempore disponere vltra quam disposuerit Christus: non dico contra ea quæ disposuit Christus, sed vltra quod si tamen prima agens est alias habilis & interueniat materia sola & forma à Christo introducta: ibi conficiatur corpus Christi. Et idem in collatione sacrorum ordinum, quæ habent relationem ad corpus Domini verum: vt licet papa determinet de forma & ætate, & tempore conferendorum ordinum, vt quod presbyter sit 25. annorum, & Diaconus & Subdiaconus 20. annorum, vt 28. *di. de his.* & 77. *di. in singulis.* not. in dicto *capit. vel non est corpus. de tempo. ordi.* & *de elec. c. cum in cunctis.* §. *inferiora.* tamen extra tempora & in ætate non conuenienti si ordinatio fiat character imprimitur: vt notat. *de tempo. ordi. c. consultationibus.* Et idem in collatione baptismi vel ordinis etiam si foret coacta dummodo non coactione præcisa sed conditionali cum forma Ecclesiæ. Nam imprimeretur character, etiam si ætas non foret legitima, dummodo qui recipit intelligeret. Et idem si fieret ordinatio in temporibus à iure non statutis: *dicto cap. consultationibus.* & *c. vel non est corpus. de tempo. ordi.* & *c. maiores de baptismo.*

SVMMARIVM.

An circa ordinandum presbyterum, qui possit conficere corpus Christi, papa possit disponere generaliter vel vniuersaliter, aliter quàm statutum Ecclesiæ vniuersale disponeret.

CAPITVLVM XVIII.

SEd hic occurrit dubium: an circa ordinandum presbyterum, qui possit conficere corpus Christi: papa possit disponere generaliter vel vniuersaliter aliter quam statutum Ecclesiæ vniuersale disponeret: vtputa lex generalis Ecclesiæ vult quod ordinatio sacerdotum & aliorum habentium sacros ordines debeat fieri ab Episcopo. 15. *di. perlectis. ver. ad Episcopum.* & 68. *di. s. quamuis.* In hac quæstione est diuersitas inter sanctum Thomam in locis prædictis, & inter canonistas. Nam beatus Thomas vult, quod per plenitudinem potestatis papa non possit committere simplici sacerdoti vt ordinet aliquem sacerdotem, quia ad perfectionem quæ respiciat aliquo modo corpus Domini, verum vel eius materiam, papæ potestas non videtur se extendere. Sed hic est in agente corpus Domini verum. aliter disponere quam dictet statutum generale Ecclesiæ, ergo papa non potest. Et ideò infert quod etiam ex mandato non posset simplex sacerdos conferre seu promouere ad sacros ordines Diaconum vel Subdiaconum: quia ordo sacerdotii vel alii ordines sacri habēt actum super corpus Domini vel materiam eius super quibus papa nō habet plenitudinem potestatis, vt dixi. Canonistæ autem, vt retuli supra, tenent *de consue. capit. quanto.* & 95. *di. peruenit*, quod papa possit ex mandato suo disponere: vt quilibet clericus conferat illum ordinem, quem habet vt quod Diaconus Subdiaconum ordinet Diaconum & Subdiaconus: & presbyter presbyterum: sed non quod Diaconus ordinet presbyterum, quasi non possit alteri conferre quod ipse non habet. 1. *q.* 7 *Daybertum.* Ego verò in aliquibus sentio cum beato Tho. & in aliquibus discrepo & sentio cum canonistis. Et primo salua reuerentia sancti Thomæ, ego teneo quod papa possit demandare presbytero quod conferat omnes sacros ordines & etiam minores: & in hoc sto cum sententia canonistarum. Secundò quod hac potestatem ordinandi ad sacros papa non possit demandare Diacono vel Subdiacono etiam quod ordinent dando ordinem quem habent. Et in hoc assentio sententię secundi Thomę contra canonistas. vnde præmitto quod hanc potestatem ordinandi præsertim ad sacerdotium Christus concessit Apostolis solum & eorum successorib', vt possent ordinare aliquem ad actum corporis veri Domini: vt est tex. in *c. 1. v.* & *hoc vtiq; sacr. de sum. tri* sed vt dixi in quæstione supra *an bene mundi viuere sit necesse vnicam esse potestatem*, Apostoli Christo viuente non fuerunt nisi simplices sacerdotes, non autem Episcopi & nomina sacerdotum & Episcoporum erant synonima: vt no. 93. *di. legimus* & ibi glo. in v. *postea.* & est tex. 95. *di. olim.* vnde potestates ordinandi presbyteros fuit à principio data ipsis presbyteris, vt dictis iuribus. verum postea propter schismata restrictus fuit à Petro & Apostolis character, & ordo iste sacerdotalis, & constituti fuerunt Episcopi: qui tamen non habent alium ordinē vel alium characterē strictè sumendo nomen ordinis, quā sit ordo & character sacerdotii, vt dixi supra in quæstione: *an papa potest papatui renunciare.* Si igitur potestas ordinandi fuit à Christo datā presbyteris ad ordinandum agentem & presbyterum super corpus Domini verum: patet quod papa statuendo quod presbyter ordinet presbyterum, vel det alios sacros ordines, etiam quamuis ipsi ordines habeant actum super corpus Domini verum, nihil disponit contra ea qua disponit Christus. & ideò credo quod posset lege generali aut statuto particulari causa subsistente disponere, quod presbyter posset omnes ordines etiam quamuis ipsi ordines sacros conficere. & in hoc sequar sententiam canonistarum continentia secundum Tho. Nec vtitur modo papa plenitudine potestatis contra illa quæ statuit Christus. nam hoc non posset facere sed potius disponit secundum terminata per Christum, quæ fuerunt restricta per Petrum & Apostolos. vnde non video quod quemadmodum ex causa Petrus & Apostoli restrinxerunt vim & potestatem characteris sacerdotalis, reseruando ius ordinandi solis Episcopis, quare papa successor Petri & eadem auctoritatē fungens non possit causa subsistente generaliter vel spiritualiter hanc Petri & Apostolorum restrictionem relaxare. & pro hoc facit quod not. Doct. in dicto §. *porrò 66. distin.* Item nam deficit modo ordo in

Digitized by Google

presbytero tanquam carens ordine non possit ordinare: quia vt dixi Episcopi & presbyteri est idem ordo, licet presbyteralis sit restrictus. Dico tamen quod cum causa potest, non sine causa: quia si papa disponeret contra statutum generale Ecclesiæ non esset ei permittendum: vt dicit Inno. *in d. cap. quanto de consue.* immo forte sine causa non posset: vt not. 15. *q. c. sunt quidam & c. quæ ad perpetuam*, & dixi supra in quæstione: *an papa potest contra statutum Ecclesiæ vniuersale disponere vel dispensare.* Et ideò concludo quod causa subsistente lege generali aut speciali papa possit derogare restrictioni factæ de charactere sacerdotali, & mittere possit presbytero quod ordinet presbyterum contra sententiam beati Tho. & similiter conferat omnes sacros ordines: quia de minoribus ordinibus non est dubium. 23. *d. c. psalmista. de ata. & quali. c. cum contingat.* 78. *d. ca.* 1. præsertim quia minores ordines nullum habent actum super corpus Domini verum vel materiam eius, immo nec actum habent super corpus Domini mysticum in actu per quem gratia conferatur, sed habent ex officio eorum quosdam actus secundarios: vt dicit beatus Tho. in *quartò sententiarum d. 7. q. 3. artic.* 1. Et hæc intelligo vera, vt dixi, quando papa faceret cum causa condendo legem generalem vel specialiter disponendo: & constaret quod derogare vellet constitutioni generali Ecclesię. secus si simpliciter cómitteret non derogando: quia tunc non valeret: vt no. Do. in *d. §. porro. 66. di.* & hoc est quod voluit In. in *ca. quanto de consuetu.* dum fecit differentiam inter generalem & spiritualem commissionem, volens quod lege generali posset non speciali commissione: quia si faceret cum causæ cognitione non video doctrinam inter statutum generale & specialem prohibitionem. vnde si simpliciter committeret presbytero, vt ordinaret presbyterum, vel conferret sacros ordines, vel ipse electus in papam forte solus existens presbyter sed nondum consecratus Episcopus, conferre vellet ordinem presbyteralem, non derogando statuto generali cum causa: credo quod ordines non conferret nec posset, iuxta not. per Do. in *d. §. porro 66. di.* dum dicunt quod papa solus cum vno Episcopo solo non posset Episcopum consecrare: quasi ipse consecrando sit astrictus statutis Ecclesiæ generalibus, quando non derogaret illis cum causa, vt dictum est per dicto *capit. sunt quidam. & capit. quæ ad perpetuam.* 25. *q.* 1. faciunt illa quæ dixi supra in materia conciliorum in 7. *q.*

SVMMARIVM.

An Papa possit Diacono committere collationem Ordinis sacri.

CAPITVLVM XIX.

SEd modo restat videre si posset Diacono committere collationem ordinis sacri. Canonistæ quod sic: vt det ordinem quem habet ille cui fit commissio sed non alium. Sanctus Thom. vult contra & eius sententiam sequor. Vnde est sciendum, quod gratia sacramentalis non solum in habentibus, actum ad corpus Domini verum, vt sunt sacri ordines, sed & in habentibus actum ad corpus Domini mysticum, per quam operationem sacramentalem detur gratia: ista talis operatio dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum & ab ordine & charactere sacerdotali perfecto in Episcopo: & ideò solus sacerdos potest absoluere in foro pœnitentiali: *de pœni. di. 1. cap. quem pœnitet. & di. 6. cap. qui vult.* not. *de offi. or. cap. pastoralis.* per glo. & Doc. Et idem ex officio potest baptizare: & nullus alius potest baptizare ex officio: & etiam extra necessitatem nullus alius potest baptizare quin peccet. *de con. dist. 4. c. constat. & ca. sanctum.* Nam quamuis ista sint corporis mystici: tamen habent dependentiam ad operationem secundum corpus Domini verum & à charactere & ordine sacerdotali & à potestate clauium. Et idem multò magis est in conferendis ordinibus sacris Diaconatus & Subdiaconatus: quia isti habent etiam actum super corpus Domini verum: ista sunt verba præfati sancti Thomæ in locis prædictis. vnde in his dandis non tantum consideratur plenitudo potestatis papæ concedentis quam ordo vel character per dantem vel quærentem ordinare: vt in *capit. 1. ver. & hoc vtique sacramentum*, vbi solum presbyteri habent ex institutione Christi ordinandi facultatem: vt & ipse ordinem & characterem sacerdotalem habeat, qui quærit alium ordinare: ita not. dicit etiam Hugo. cum igitur Diaconi & Subdiaconi & alii inferiores clerici non habeant ordinem & characterem sacerdotalem nec potestatem clauium, videtur quod eis inferioribus papa etiam ex plenitudine potestatis non possit demandare illa tantùm quæ competunt ordini sacerdotali & eius characteri, siue concernant corpus Domini verum siue mysticum in operationibus per quas detur gratia. Nam isti inferiores à presbytero non perficiunt corpus Domini verum. Non obstat si dicitur quod potestas tradita de ordinando videbitur fieri in vim papæ concedentis, sicut quando papa concedit laico spiritualia: vt in *c. quod sicut de el.* quia quando aliquis ad illud agendum est pœnitus inhabilis, tunc non potest etiam facere alieno nomine: vt not. in *cle. religiosus. de pro. cu. & c. iudex. de offi. dele. li. 6.* Sed in aliis commissionibus non requiréntibus ordinem vel characterem Episcopalem vel sacerdotalem de necessitate laicus non est omninò inhabilis sicut est inhabilis in requirentibus ordinem Episcopalem siue sacerdotalem. Ex quibus deciditur quod papa non posset demandare alteri quam presbytero ea quæ sunt ordinis Episcopalis: siue concernant actum supra corpus Domini verum vel etiam mysticum gratiá conferentem, nec etiam possit inferiorib' clericis demandare ea quæ sunt ordinis presbyteralis. vnde non potest demádare Diacono quod conficiat corpus Christi, vel conferat ordines sacros: licet collationem minorum ipsi posset demandare: Et idem de alio inferiori clerico à presbytero. Item non potest demádare

Digitized by Google

aliis clericis à presbytero, infra quod absoluant in foro pœnitentiali, vel ex officio baptizent. & ita debet intelligi Inno. in *capit. quanto. de consue.* licet fateor quod si baptizaret, conferretur character à tali: quia ius baptizandi competit cuilibet in necessitate: licet si alius à presbytero baptizaret extra necessitatem peccaret: vt *d. c. constat. & c. sanctum de conse. di.* 4. Item non potest committere vt confirment in fronte signando crismate: quia licet habeāt ista relationem super corpus Domini misticum Ecclesię, in quo habet papa plenitudinem potestatis, tamen nō cōsideretur in istis gratiā conferentibus solum plenitudo potestatis, sed etiam ordo & character debeat considerari, quo mediāte demum fieri debet, quia talis operatio habet dependentiam ab operatione super corpus Domini verum vt dixi: ideò non potest fieri per alium quam per presbyterum & habentem ordinem & characterem presbyteralem: igitur inferior à presbytero etiam de mandato papæ non potest confirmare. Non ob. quod quis videtur agere tale quale ipse est actu: & sic laicus confirmatus videretur posse confirmare, & Diaconus Diaconum conferre; quia hoc est verum, nisi requireretur aliud instrumentum vel alius minister, quod non esset in agente vel apud agentem, sicut hoc casu cum requiratur ministerium presbyteri, cum hęc secundario habeant dependentiam à materia concernente corpus Domini verum. fateor tamen quod hæc omnia, vt dixi, posset papa presbyteris demandare, licet solum competant Episcopis.

SVMMARIVM.

An Papa possit disponere in habentibus relationem ad Corpus Domini mysticum.

CAPITVLVM XX.

INtueri autem modo oportet, si in concernentibus corpus Domini mysticum, & vbi confertur gratia, papa possit disponere? & an ex causa papa possit auferre Episcopo ius conferendi ordines, aut facultatem conficiendi crisma, & presbytero ex causa quod ex officio non baptizet? Ad quod respōdeo, quod potest prohibere papa Episcopo ex causa quod non ordinet, vt puta puerum vel corpore vitiatum. vt in *c. vel non est compos. de tempo. ordi. & in toto ti. de cor. vici.* Et ita ex causa potest prohibere ne crisma conficiant: vel quod ex officio non baptizet. Est tamen tunc dubium, si habens has potestates faciat contra mandatum papæ: an conficiat crisma vel ordines conferat aut baptizet? In quo de crismate & ordine est attendendum, quod interdum ista possunt competere facienti ex delegatione papæ solum accidētaliter: tunc omnes Doc. in *c. quanto. de consue.* concludunt, quod talis prohibitio papæ faceret, quod talis contrafaciens nihil faceret. Vnde si papa delegasset presbytero, vt ordinaret presbyterum vel conficeret crisma, postea prohibuisset, talis ordinatio vel crismatis cōfectio nullius esset momenti, etiam vt si contra fiat, character non imprimatur. Sed quando prohiberet papa Episcopum agentem, qui faceret, in virtute proprii ordinis, & ex potestate naturali: tunc in sacramentalibus imprimentibus characterem nōobstante prohitione imprimeretur character, etiam in prohibitione papæ fuisset eius decretum necessarium decernens contra factum irritum & inane: vt in *c. prouida.* & ibi. glo. *de elec. l. 6. & in cle. in plerisq; de elec.* facit *d. c. vel non est compos. de tempo. ordi.* text. cum glo. in *ca. cum secundum de praben.* Ratio, quia sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, sicut Eucharistia, baptisma, conformatio & ordo. Collatio etiam contra præceptum superioris, quando concurrit debita materia & forma & agentis & patientis intentio, tribuit effectum. & si in eis character imprimitur etiam contra præceptum superioris imprimetur. *de sa. vnc. c. 1. de bap. c. maiores.* not. glo. *de consecra. dis. 5. c. manus. & 9. q. 1. c. ordinatores. 1. q. 1. c. quid quidam.* fateor tamen quod licet recipiat characterem, habebit ipsum in habitu sed non in executione: & hoc operatur decretum irritans. facit quod notat. in *capit. 1. de ordi. ab epi. qui re. epis.* vnde si Episcopus confirmaret prohibitum characterem, imprimeret idem si ordinaret: vt notat. in dicto *cap. 1. de ordi. ab epi. qui re. epis.* Nec obstat, si dicitur, in competentibus Episcopo ratione ordinis Episcopalis vltra ordinem sacerdotalem videtur solum esse illud quod competit Episcopo supra corpus mysticum. Et sic papa videtur habere plenitudinem potestatis. Vnde videtur, quod si papa possit prohibere Episcopo ne conficiat crisma, vel quod non confirmet siue ordines conferat. Nam in his est attendendum quod aliquando hęc prohibitio papæ est in materia, quæ habet actum super corpus Domini verum: sicut est collatio ordinis presbyteralis vel alterius sacri ordinis. & in his prohibitio papæ etiam cum decreto non tollit impressionē characteris: vt in *c. 1. de ordi. ab epi. qui re. epis.* no. in *c. consultationi. de tempo. ordi.* & supra dixi. & probatur in *c. 2. de biga.* Nam si ordinatur bigamus, ordinatur contra prohibitionem Apostoli: & tamen ipsi character imprimitur: vt no. Doc. secundum veram opinionem in dicto *ca. 2. de biga.* Ratio, quia in his ad impediendum effectum plenitudo potestatis papæ nihil operatur: vt dicit præfatus Tho. in 4. *sen. di. 7. q. 3. arti. 1.* Et hoc quando prohiberet illum, qui haberet hanc facultatē ex potestate sibi naturaliter attributa ratione sui ordinis, vt quando prohiberet Episcopum ordinare presbyteros. secus si prohiberet habentem talem facultatem ex potestate sibi accidentaliter concessa & non competente ipsi naturaliter: vt si prohiberet presbyterum ordinare, vel ordines sacros conferre, quando habebat hanc potestatem ex antecedenti concessione papæ: quia tunc omnes Do. concludunt in *d. c. quanto*, quod tunc impediretur characteris impressio. Idem dico, si papa prohiberet aliquē ex officio baptizare: quia licet teneat prohibitio, vt ex officio baptizare non possit: vt no. Innoc. in *dicto ca. quanto*, prout ipsum intelligo: tamen si talis baptizaret contra prohibitionem papæ,

Digitized by Google

& quicunque alius qui contra præcepta baptizaret, talis esset baptizatus & haberet characterem: licet sic baptizans contra præceptum papæ peccaret. & hoc est quod voluit Inno. quem Doc. male reprehendunt, dum dixit, quod papa potest prohibere presbyterum vt ex officio non baptizet: volens quod baptizando peccet: non tamen intellexit Inno. quod talis non esset baptizatus. Ratio, quia si papa statueret, quod baptizatus secundum formam Euangelicam, de qua *Marci capit. fi.* non esset baptizatus, hoc esset contra fidem: vt dicit Hosti. & Doct. in dicto *capit. quanto.* Nam quamuis papa possit disponere de forma baptismi, quia illa est ab Ecclesia introducta: vt not. in *capit. 1. de bapt.* tamen non potest in toto tollere substantiam formæ Euangelicæ: quia hoc esset tollere in effectu baptisma: & sic vnum de articulis fidei, quod est *Confiteor vnum secundum baptisma.* & ideò non posset facere quod baptisma fieret in vino & non in aqua. nec potest facere quod character, qui imprimitur ex tali forma à quocunque conferatur non sit impressus & non sit baptisma: vt notat. in dicto *capit. 1. de sac. vnc.* Et ideò credo quod sit consuetudo papæ in baptismate vellem aliquam formam: vel papa sua constitutione generali aliqua vellet vltra formam Euangelicam, quod si esset quis baptizatus præter formam illius consuetudinis vel illius constitutionis generalis papæ: dummodo esset baptizatus secundum formam Euangelicam, talis esset baptizatus secundum formam Euangelicam: non si secundum antiquum ritum Apostolorum, qui baptizabant in nomine Christi. Nam hodie forte talis sic baptizatus non esset baptizatus: vt no. Doc. in *c. 1. de bap. & in c. quædam. de con. di. 5.*

Si autem prohibitio papæ non est in habentibus actum supra corpus Domini verum, vel materiam eius siue in baptismate, aut ordinibus sacris: sed in aliis habentibus relationem ad corpus Domini mysticum, vt est quod non consecretur Episcopus, sicut in casu. *capit. prouida de elec. libr. 6. & in cle. in plerisque de elec.* vel vt Episcopus non confirmet aut conferat minores ordines: tunc aut in tali prohibitione est decretum aut non. si non est ibi decretum, tunc factum tenet imprimentibus characterem non obstante prohibitione. sed si sit ibi decretum cum prohibitione: tunc si simpliciter est decretum reddens irritum & inane, tunc etiam probabiliter dici potest quod non impediatur characteris impressio, per not. in dicto *capit. prouida de elect. libr. 6.* & per no. in dicta *cle. in plerisq. de elec.* Et operabitur modo oppositio decreti, vt sit irrita & inanis ordinatio quantum ad executionem: vt ibi & in *c. 1. de ordi. ab epi. qui re. epi.* Sed si papa expresse prohiberet, quod Episcopus non posset confirmare vel minores ordines conferre vel alium Episcopum consecrare, reddens expresse irritam & inanem ordinationem, decernens quod per ipsam character non imprimatur: tunc non video quare papa in istis habentibus relationem super corpus Domini mysticum Ecclesiæ, & in quib' ipse habet plenitudinẽ potestatis non possit impedire characteris impressionẽ. & pro hoc est tex. cũ ibi no. in *c. ad dissoluendũ. de despon. impub.* præsertim cũ hæc impressio characteris fiat vt supra dixi est iuris dispositione: vt no. Inn. in *c. fi. de sac. non ite.* vnde cũ ipse papa sit supra ius potest ipsam characteris impressionẽ ex iuris dispositione venientem impedire. & hoc satis videtur velle Guil. de Mõte Laudu. in *cle. in plerisq. de elec.* sic intelligo no. in *c. quanto de consue.* & hæc sunt vera in sacramentalibus imprimentibus characterem. sed si esset actus sacramentalis imprimens solum gratiam non characterem, vt est sacramentum eucharistiæ, pœnitentia: & tunc inficiente impedimentum à papa inductũ gratia impeditur maximè si defectus est notori'. *32. di. § verũ.* licet idem sit, vt dixi, in sciente inhabilitatẽ & prohibitionẽ: vt no. In. *de here. c. fraternitatis.* no. *de schisma. c. 1.* hæc vera sunt præterquã in sacramento omnino necessitatis: vt est baptisma quod ab Ecclesia in necessitate permittitur recipi à quocunq;, in tantum quod etiã si aliquis sit specifice prohibitus baptizare, tamen qui ab eo recipiet sciens etiam prohibitionẽ recipiet gratiam & characterẽ, vt supra dixi, & tenẽt Hosti. & Do. in *d. c. quanto. de consue.* loquor quando recipit in necessitate sciens prohibitionẽ vt baptizatus recipiat characterẽ & gratiam. sed si faceret se baptizari non imminente necessitate, fortè quia poterat alium idoneum adire & voluit ab isto quem sciebat prohibitum baptizari: tunc non reciperet gratiam, quia peccaret. ita intelligit In. *c. fraternitatis de hære.* Quædam autem sunt cõpetentia ex potestate ordinaria in spiritualib' non sacramentalib': & in his quis possit superior prohibere: & an valeat actus contra prohibitionem superioris? dic vt in *c. 1.* & ibi glo. no. *de iur. pa. in cle.*

SVMMARIVM.

An Concilium vel Ecclesia vniuersalis aut alii possint resistere statuto Papæ disponentis legi generali vel speciali in habentibus relationem super Corpus Domini verum vel mysticum.

CAPITVLVM XXI.

Sed quoniam supra dixi quod papa non veniendo contra statuta Christi potest disponere legi generali vel spirituali in habentibus relationem super corpus Domini verum vel etiam mysticum: Dubium insurgit: an concilium vel Ecclesia vniuersalis aut alii possent resistere huic statuto? In hoc est dicendum, quod si faceret papa ex iusta & legitima causa, concilium aut alius non posset nec debet resistere. Si verò causa non subesset iusta & legitima: tunc licet teneat statutum conditum à papa contra statutum Ecclesiæ generale tamen non est ei permittendũ. & in hoc esset sententia concilii, supra papã: vt vult Inno. in *d. c. quanto.* Nã licet papa possit omnia ex plenitudine potestatis: nõ tamen potest ea quæ ipsi spiritualiter prohibita forent, vel quæ essent cõtra fidẽ vel statũ Ecclesiæ generalis

quo

quo vltimo casu & si teneat dispositio non est tamen sibi permittenda. ita debet intelligi glo. Iohan. 25. q. 1. *c. quæ ad perpetuam. & c. sunt quidam.* igitur requiritur etiam tunc sentētia concilii, quando vult contra statutum ecclesiæ generale disponere. Et ideo Doc. dicunt vt supra pluries dixi: quod papa non posset tollere quantum ad clericos dispositionem canonis, *si quis suadente.* 17. *quæst.* 4. facit. 8. *quæst.* 1. §. *ex his.* & ibi glo. & 1. *q.* 3. *cap. ex multis. & de tempo. or. c. cum dilectus.* & ideo quamuis in positis etiam concernentibus statum ecclesiæ generalis, papa possit in aliquo cum causa dispensare, non potest tamen solus generaliter tollere, per prædicta. Et ideo quamuis lege generali posset episcopis tollere ea quæ ipsis competunt ratione ordinis episcopalis vltra ordinem sacerdotalem: vt confirmare, crisma conficere & consecrare ecclesias: de quibus in dicto *ca. quamuis Chorepiscopi.* 68. *distin.* Item posset inducere vt supra dixi quod hæc ordini tantum sacerdotali competerent. Item posset statuere, quod duo tantū episcopi consecrarēt episcopū: vel quod vnus episcopus cōsecraret solus: vt no. Do. in dicto §. *porro.* 66. *di.* vel quod sacerdotes presbyteri episcopum consecrent: vel quod presbyter ex officio non baptizaret: vel in foro pœnitentiali absolueret. hæc tamen non essent ipsi à concilio permittenda causa non subsistente legitima, per prædicta & per no. in dicto *c. quæ ad perpetuam. & cap. sunt quidam* 25. *q.* 1. & per Inno. in dicto *cap. quanto. de consue.* Ratio, quia potestas papæ est in ædificationem non in destructionem. 2. *ad Corinth. c.* 13. & pluries dictum est. & quia Christus etiam non venit soluere legem sed adimplere.

Vnum tamen est notandū quod licet papa non consecratus episcopus non possit episcopū cōsecrare, quāuis ipse sit papa: tamen potest demādare aliis episcopis quod consecrationē faciant: quia actus demandandi est iurisdictionis & non ordinis: quā iurisdictionē statim habet cum electus est papa 23. *di. in nomine Domini.* Simile dicimus in episcopo confirmato sed non consecrato: quia licet non possit ordinare vel degradare presbyteros. 3. *q.* 6. *c. quamuis. & duobus. c. seq.* tamē potest pronunciare ordinandū clericum vel degradandum ar. *l.* 4. §. *duas. de dam. infec. ff. de offi. eius cui man. est iurisdi. l.* 1. §. *vt possessio:* vbi demandatur cognitio immissionis fiendæ: quia est iurisdictionis & pronunciare in possessione ponendum, licet ipse non posset pronuncians ponere. Et ideo cum causa credo quod posset demandare presbyteris tribus quod consecrarent episcopum: licet ipse papa non posset non consecratus episcopus: vel presbyteri tales non essent episcopi, per iam dicta: licet aliqui theologi dicunt contra.

SVMMARIVM.

Pontifex an possit dispensare in matrimonio per verba de præsenti contracto.

CAPITVLVM XXII.

Videamus modo si papa possit dispensare in matrimonio per verba de præsenti contracto. dubium facit verbum diuinum: *Quos Deus coniunxit nemo separet.* Mathæi 19. c. *& in c. inter corporalia. de transla. præla.* In contrarium facit: quia papa separat matrimonium per verba de præsenti contractum, cum permittit alteri coniugalium transire ad religionem, & alterum in seculo remanente posse contrahere: *de conuer. coniug. capit. ex publico.* In hoc Docto. concludunt quod in matrimonio simpliciter per verba contracto, sed non carnali copula consumato papa potest dispensare: vt no. *de conuer. coniug. c. ex publico.* sed non in matrimonio iam carnali copula consumato. Sed hic oportet inquirere de ratione. secundo videre si hæc decisio est simpliciter vera.

Videamus ad primum, quæ est ratio quod papa potest dispensare in matrimonio solum per verba de præsenti contracto: sed non de copulato & consumato carnali copula. glo. in *ca. ex publico, de conuer. coniug.* dicit quod matrimonium nondum carnali copula consumatum confirmatum est ex introductione ecclesiæ & secundum ipsius tantum institutionem. consumatum vero est ex dispositione diuina, contra quam papa dispensare non potest. Sed ista ratio ex duobus non placet. Primum, quia matrimonium per verba de præsenti tantum contractum, quamuis non consumatum, non est solum ex constitutione ecclesiæ sed etiam est à Deo, sicut illud quod est carnali copula consumatum. Nam matrimonium contractum & consumatum, & aliud simpliciter contractum non consumatum non differunt inter se, nisi sicut esse & operari. sed operatio dependet ab esse. & ideo si esse surgeret simpliciter à constitutione ecclesiæ, ita etiam & operari simpliciter surgeret ab ecclesiæ constitutione. Et sic secundum hoc videretur, quod papa etiam de consumato per carnalem copulam posset dispensare: quod tamen videtur falsum. Item non est verum quod matrimonium sit ex sola institutione ecclesiæ, cum fuerit ante ecclesiam: vt patet *inst. de iur. na. §. ius naturale. & ff. de iusti. & iure. l.* 1. §. *ius naturale.* & probatur, 1. *di. c. ius naturale. &* 26. *di. c. deinde opponitur,* vbi probatur, quod non est ex sola institutione ecclesiæ sed à Deo: & quod fuerit à Deo, etiam illud quod est tantum per verba de præsenti, contractum, no. in *c. debitum. de biga.* vbi dicitur à Deo institutum per illa verba quæ Deo inspirante dixit prothoplasma noster Adam cū dixit: *Hæc est os de ossibus meis: & caro de carne mea* &c. vt not. *de voto c.* 1. *li.* 6. *de biga. c. debitum. &* 32. *q.* 2. *in summa.* Et tamen hæc verba dicta fuerunt per ipsum Adam statim post excitationem eius à somno, quando Deus interrogauit eum quæ nam illa esset, & sic ante commixtionem corpoream: cum corporalis commixtio ipsis demum demandata fuerit, cum dixit Deus ipsis: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Item secunda argumentatio non videtur vera: matrimonium carnali copula consumatum est à Deo;

Digitized by Google

igitur papa non potest dispensare: quoniam, vt supra dixi, ex causa papa potest contra ius diuinum dispensare siue ipsum interpretare: vt *de conuer. coniu. ex publico.* no. Io. An. in *cap. per venerabilem. qui fil. sint legiti.* Et in hoc casu, quod contra ius disponat, etiam quando est carnali copula consumatum videtur tex. *de diuortiis. capit. quanto. & capit. gaudemus*, vbi sunt tex. qui dicunt quod papa potest dirimere matrimonium etiam carnali copula consumatum: quando vnus infidelis ad fidem conuertitur, & alter coniugalis remanet in infidelitate: ita quod non possit conuersus ibi habitare sine contumelia creatoris. Item ex alio illud non est verum, quod matrimonium sit ex institutione ecclesiæ: quamuis solum per verba de præsenti contractum: immo est de iure naturali, vt dicit glo. *insti. de iur. natu. in §. ius naturale.* & in dicta *l. 1. §. ius naturale. ff. de insti. & iur.* & nota. 1. *di. capit. ius autem naturale*, quod probatur quod si animaduertamus solum animi motus ad consentiendum matrimonio, id est, iste motus animi fit ad finem procreandę prolis, seu ad finem carnalis coniunctionis, quæ est de iure naturali: vt *d. cap. ius naturale.* ergo & consensus est iuris naturalis, qui præcedit commixtionem corpoream: ita dicit Io. An. in *c. fi. §. 7. de haret. in cle.* & Inno. in *c. fraternitatis de frigi. & male.* &c. Quod procreare sit iuris naturalis probatur: quia naturalissimũ est producere sibi simile & consentire ad coniunctionem vel ad matrimonium propter commixtionem est iuris naturalis tanquam necessarium aliquod præambulum vel antecedens. Fateor tamen quod prout iste consensus est in homine cum rationis dictamine: quia non sit simpliciter voluntas sed consensus, qui est actus electiuus consistens non in simplici voluntate, sed intellectu cum ratione, matrimonium est de iure naturali gententium: quia bruta animalia non habent intellectum licet habeant motum & instinctum: & potest esse iuris naturalis diuini, quando non simpliciter consensit, qui solus consensus, vt dixi, est iuris naturalis communis omnibus animantibus: sed prout consensit in vnam solam, vt perpetuo cum ea sit. istud est ius naturale diuinum procedens ex ratione naturali diuina. 1. *di. capit.* 1. quia, vt dixi supra tertia quæstione: *an papa potest contra iura naturalia dispensare.* Ius naturale est triplex, vt ibi dixi. & ideo dicit tex. *de diuor. c. gaudemus. §. quia vero*, quod inimicum est fidei Christianæ virum habere plures vxores, immo iuri naturali contrarium, cum scriptum sit: *Habeat vnus quisque suam* (non dicit *suas*) *propter fornicationem euitandam.* Et ideo papa non posset dispensare, vt quis duas haberet vxores: quia contra fidem papa non potest disponere. 15 *di. cap. sicut. & 24. q. 1. Achacius.* Est ergo matrimonium, prout homo mouetur ad eum ex solo consensu, motu & instinctu, quod est cum vir appetit mulierem & in eam consentit per solam commixtionem corporum solum iuris naturalis, quod est etiam commune brutis: vt dicit glo. in dicto *cap. ius autem.* Nam *homo*, vt dicit Philosophus 2. de anima *cum videat per seipsum perpetuari non posse, quærit perpetuari per propriam speciem* igitur naturali instinctu ducitur ad prolis procreationem & commixtionem cum muliere. Secundo cum eligit consentire in vnam solam certam, istud est iuris naturalis gentium diuini, vt sit maris & feminæ certæ coniugatio, quod nos matrimonium appellamus. *l. 1. §. ius naturale. ff. de iusti. & iur.* Quamuis Socrates & Plato dixerunt ad bonum politicum esse vtile mulieres esse communes: vt probatur. 8. *di. in prin.* quod reprobat Aristoteles *primo politicorum* dicens quod multa inconuenientia surgerent. Nam quia plerumque in ciuitatibus oriuntur discordiæ, quæ tanto sunt detestabiliores, quanto committuntur in personas coniunctas. magis expedit ergo certificari de filiis, ne in proprios parentes vel consanguineos contumelias inferant ipsos ignorantes. Item sequeretur vilificatio nobilium & exaltatio vilium. Vnde non conseruaretur inter ciues amicitia. Nam secundum Philosophum 3. Ethicorum: *Proportionabile & æquale saluat amicitiam.* & ideo bene conseruatur, cum boni & nobiles sunt super malos viles & ignobiles. Item quia non contingit esse perfectam amiciciam in multis personis secundum Philosophum 8. *Ethicorum.* Item si filii reputarentur communes & essent ignoti, nemo quasi diligeret aliquem tanquam filium, quia oporteret propter diligere suos quod omnes aliorum filiorum diligeret. vnde secundum philosophum *secundo Politicorum* velle quod aliquis propter paucos, quos suos filios suspicatur, diligat multos, est parum mellis ponere in multa aqua: quod si fiat non causabitur aliqua dulcedo: sic non esset feruens amor patris ad filios, nec haberetur debita cura filiorum: vt dicit Io. An. in *mercuri. cap sine culpa. de iure iurand.* Item induceretur incontinentia: quia vix cum vna potest continere aliquis: ergo fortius non posset cum pluribus. Item surgeret abusus, vt filius matrem cognosceret vel sororem, & parentes plerunque filias: ex quo se inuicem non cognoscerent. Est ergo, vt dixi, matrimonium quantum ad consensum in certam solam vnicam de iure naturali diuino; quantum ad commixtionem & motum & procreandum iuris naturalis communis etiam brutis; quantum ad solennitatem de iure canonico: vt *de spon. cap. penult. de spon. duo cap. 1.* Et idem cum ratificatur per sacramentum baptismi: *de diuort. gaudemus. & cap. quanto.* vel respectu graduum quod non fiant matrimonia hodie infra quartum gradum: *de consangu. & affin. non debet.* Non est igitur vera ratio, quod papa dispenset solum in contracto per verba de præsenti ex eo quod sit ex sola institutione ecclesiæ, & consumatum sit ex institutione Dei: quia, vt dixi etiam in consumato nonnunquã prouidet ecclesia ipsum separando *de diuor gaudemus. & cap. quanto.* Quare glo. in dicto *cap. ex publico.* assignat aliam rationem dicens, quod significatus *matrimonii* in ecclesia est duplex. Prima significatio est in sola coniunctione animorum cum solum matrimonium contrahunt per verba de præsenti. Nam hic contractus significat vnitatem in spiritu inter Deum & fidelem animam, quæ vnitas sepe dissoluitur

soluitur peccato interueniente: quia cum quis peccat, soluit vnionem animæ suæ fidelis quam habet cum Deo. Sed intercessio copulæ carnalis in matrimonio significat vnitatem consistentem inter Christum & ecclesiam per assumptionem carnis humanæ in vtero virginali: vt in *cap. debitum. de biga.* & sic significat rem inseparabilem. Et ob hoc dicit apostolus quod matrimonium erat magnum sacramentum in ecclesia Dei: dicto *c. debitum.* & volunt dicere *sacramentum*, id est, sacræ rei signum. vnde significatum est inseperabilis, ita & ipsum matrimonium significans. vnde matrimonium contractum solum consensu, quia non significat rem indissolubilem, immo rem quæ quotidie dissoluitur: & potest dissolui à papa causa subsistente quia matrimonium quatenus est res & non sacramentum potest dissolui sicut cæteri contractus. *l. si vnus. §. pactus. ff. de pac.* sed quatenus est sacramentum regulatur à natura & significato ipsius rei significatæ. vt no. 27. *quæst. 2. cap. quapropter.* vnde sicut Christus & ecclesia significati in matrimonio per carnis commixtionem nunquam seperabuntur: ita nec prædictum matrimonium carnali copula consumatum. Ratio est etiam, quia matrimonium, prout consideratur in eo carnalis copula, consistit in facto, vt sint commixti vel non: sed papa non potest facere quod facta non sint facta. 32. *quæst. 5. si Paulus.* Et dixi in quæstione: *an dispenset cum bigamo.* facit. *l. in bello. §. facta. ff. de cap.* Dissoluit ergo papa ipsum ante commixtionem, quod coniugibus consentientibus posset papa dissoluere ex quacunque causa legitima: vt puta si alter coniugalium esset profugus & bannitus, posset papa ante commixtionem dissoluere, sed non post. Nec ob prædictis tex. in *capit. quanto. de diuor. & cap. gaudemus*: vbi papa dissoluit etiam carnali copula consumatum. Nam etiam consumatum potest papa dirimere certis causis. Primo Dei reuelatione: vt in dicto *capit. quanto. & capit. gaudemus. de diuor.* no. *de conuer. coniug. cap. ex parte:* quia matrimonium infidelium consumatum dirimit papa Dei reuelatione & in augmentum fidei: vel dico quod licet inter infideles sit verum matrimonium, tamen non est ratum, id est, indissolubile, sicut est inter fideles. Et est ratio: quia non est sacramentum. & ideo prout est contractus & non sacramentum dissolui potest quia baptisma est ianua omnium sacramentorum: vt in *cap. si. de presby. non bapti.* ideo super ipso tanquam super solido fundamento matrimonium superueniens non dissoluitur, etiam si alter iugalium efficiatur hæreticus, ex quo fit maior contumelia creatori quam quando remanet in sua prima gentilitate: vt est tex. in dicto *cap. quanto. & cap. gaudemus. de diuor.* quia sacramentum fidei licet quis efficiatur apostata, nunquam admittitur. sed ante baptisma sacramentũ matrimonii non est ita firmatum: quia sine fundamento sacramenti baptismi. 1. *quæst. 1. capit. cum Paulus*, etiam potest quodammodo dici contractus non sacramentum: ideo potest à papa dirimi ex causa. Item hoc casu in matrimonio gentilium siue Iudeorum cessat illud significatum quod matrimonium significet vnitatem consistentem tunc inter Christum & ecclesiam vel assumptionem carnis humanæ in vtero virginali: quia cum ipsi negent Christi incarnationem eorum matrimonium non potest istud significare: & ideo cum non significet rem indissolubilem nimirum dissolui potest. Nec obstat si dicitur apud gentiles matrimonium est indissolubile quia illa verba: *quos Deus coniunxit* &c. Christus dixit Iudæis: vt *de consanguin. & affi. capit. de infidelibus.* Item indissolubilitas fuit in statu innocentiæ in matrimonio primi parentis: vt in *cap 1. de voto libr. 6.* Nam fateor quod est indissolubile nisi à Deo & sic à papa, qui loco Dei est in terris, potest dissolui: vt in *cap. 1. & per totum, de translat. prælat.* Et si dicis, hæc ratio militat in matrimonio consummato: dic vt dicam in *proxima quæstione articulo secundo.* Ex quibus concluditur, quod matrimonium carnali copula consummatum post baptisma nulla de causa à papa potest dirimi. nam esset facere contra præcepta Dei, qui dicit, *quos Deus coniunxit homo non separet.* Sed contractum simpliciter consensu potest ex causa dirimere vel etiam consummatum: sed ante baptisma causa subsistente, cum non potest conuersus cohabitare sine contumelia creatoris.

SVMMARIVM.

Pontifex an possit in voto solenni continentia dispensare cum Monacho, quod matrimonium contrahat.

CAPITVLVM XXIII.

ET ista faciunt ad quæstionem, an papa potest cum filio regis monacho dispensare vt contrahat matrimonium saltem ad tempus, valeat donec masculũ procreet. Et istam quæstionẽ sic formo. Rex Franciæ habens vnicum tantum filium monachũ supplicauit papæ vt cum hoc filio dispẽsaret, quod possit matrimoniũ contrahere, ne deficeret regno regalis proles. papa cum ipso dispensauit, q̃ posset matrimoniũ contrahere, quod tantũ duraret donec filium masculũ susciperet, & nõ amplius. In hac igitur dispensatione dubitatur, si tenuit vel tenet huiusmodi dispensatio. pro qua examinãda tria principaliter intuenda sunt. Primum, an papa potest in voto solenni continentiæ cum monacho dispensare. Secundò, dato quod possit super voto continentiæ dispensare, an potuit statuere quod tale matrimonium sub tali conditione contraheretur, quod duraret donec filium masculum susciperet. Tertiò, dato quod non potuerit taliter statuere, an valeat simpliciter dispensatio quod pos-

sint contrahere non obstante voto continentiæ, reiecta illa expositione conditionis quod duret vsque quo filium masculum susciperit, vel in totum vitietur dispensatio.

Suscipio primum dubium, an papa possit in voto continentiæ dispensare cum monacho. & in hac quæstione inuenio beatum Thomam sentire quod non possit, contra sententiam omnium canonistarum. videamus igitur, quis melius sentit? videtur quod papa non possit in voto continentiæ dispensare. quod probatur sic: vouens solenniter monachatum recipit quandam consecrationem & benedictionem, ita quod Deo efficiter consecratus: vt 28. *dis. decernimus. & in cap. presbyterum*, ibi: *benedictio enim sanctificationis traditio est.* sed quod semel Deo consecratum est, non potest amplius ad humanos vsus conuerti, vt in regula *semel, Deo: de regu. iur. li. 6. 12. quæst. 2. cap. nulli liceat. 19. q. 3. cap. quæ semel. ff. de reli. & sumpti. fune. l. si quis sepulchrum. §. 1. de consecra. di. 1. cap. lingua*, cum similibus alleg. in dicta regula *semel Deo.* vnde videtur quod si semel Deo dedicatus est in castitate, non possit per hominem ad actum matrimonii conuerti. Et hoc ostenditur in simili in episcopo, qui suscepit ordinem episcopalem, quia etiam ex depositione papæ licet perdat locum non perdit ordinem episcopalem: vt no. in *cap. 1. de ordi. ab episcopi. qui renu. epi.* Ostenditur etiam in presbytero, qui licet deponatur siue degradetur, non amittit propterea ordinem presbyteralem, licet perdat executionem. Et ideo etiam degradatus conficit corpus Christi secundum veram opinionem, de qua in *cap. 2. de cleri. excom. mi.* notatur in *cap. degradatio. de pœn. li. 6.* Similiter prælatus non potest facere, quod calix consecratus non stet & sit consecratus cum est integer: vt in *auct. præterea. C. de sacrosanctæ eccle.* ergo multo minus hoc fieri potest de homine consecrato. Et sicut papa non potest facere quod presbyter non sit presbyter, sic non potest facere quod monachus non sit monachus, secundum sententiam beati Thomæ qui deridet Vincentium & Io. qui dixerunt quod papa potest facere de monacho non monachum. Ex quo infertur, quod aliquo semper manente monacho papa non possit secum super proprio vel castitate dispensare, quia hæc adeo sunt annexa regulæ Monachali. i. sunt adeo de substantia Monachatus, quod papa non potest in istis dispensare: vt in *c. cum ad monasterium in fi. de sta. mona.* & est ratio, quia esset velle simul & semel perimere substantiam subiecti, & ipsum velle subsistere quod est impossibile: vel esset ponere duas contrarias naturas siue substantias in eodem subiecto, quod non est possibile: Nam substantia monachatus consistit in paupertate, castitate & obedientia: vt dicto *cap. cum ad Monasterium*, & *de regula ex parte.* ex hoc enim dicitur monachus quasi vnus & tristis 15. *q. 1. c. placuit*, quod vult dicere quia non debet se secularibus negociis matrimonii vel diuitiarum implicare. Renunciat enim monachus seculo se totaliter Dei seruitio mancipando, & sic non potest stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas alendæ & regendæ coniugis & prolis. Et cum habeat cogitare coniugatus quomodo placeat vxori minus quæ Dei sunt valeat cogitare, cum quasi diuisus in duo sui plenam non habeat potestatem. vt scribitur *ad Corinth. 7. circa fi. & in c. diuersis fallaciis de cleri. coniu.* & sic cum per matrimonium dicatur diuisus, non competit sibi nomen Monachi, quod est vnius & tristis, vt supra dixi. igitur dispositio contraria contra substantiam monachatus non valet. *l. cum precario ff. de preca. l. si quis ita hæres institutus, in penultima charta ff. de hæredi. insti.* Et videtur expressum in *c. fi. de condi. appo.* & dicam in *tertia quæstione* infra ponenda. Nam sublata substantia tollitur compositum etiam naturale & ciuile: dicto *capit. fi. de condi. appo.* igitur non potest apponi dispositio contra substantiam, quod valeat vel si valeret tolleret ipsum compositum vel ipsi aliam naturam attribueret. *l. vbi mihi ita donatum ff. de dona. causa mor.* Stat igitur, quod cum papa non possit facere de monacho non monachum, vt expresse decidit glo. in *cap. 2. de condi. appo.* quod per consequens non potest facere quod contrahat matrimonium vel proprium habeat, cum tunc non esset monachus, si fieret contra substantiam monachatus, vt dixi supra.

Secundo probatur sic: & si institutio monachatus sit de iure positiuo, cum omnis regula sit inuenta & approbata per papam, vt notatur in *c. fi. de reli. domi.* solennitas voti est de iure positiuo: vt in *c. vno de voto li. 6.* tamen votum quod emittitur in monachatu est de iure diuino, iuxta illud, *Vouete & reddite vota vestra Deo.* vt in *c. magna. de voto.* igitur contra illud papa non potest dispensare: vt 5. *di. in princi. & 6. di. §. his ita. de resti spo. literas.* præsertim quia etiam est votum iuris naturalis, quia nil tam naturale est quam pacta seruare vel obseruare promissa: vt *l. 1. ff. de pac.* contra quod ius naturale papa dispensat: vt 5. *di. per totum*, & supra dixi.

Tertio istud probatur: in votis non fit dispensatio prout est iuris relaxatio, sed potius in eo fit commutatio in aliud maius vel æque bonum: *de voto. cap. 1. & cap. magna.* sed non est reperire æque bonum vt est continentia, vt scribitur Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* ideo dicitur quod nuptiæ replent mundum, virginitas paradisum 32. *quæst. 1. nuptiæ.* & sola castitas est quæ cum fiducia potest Deo animas præsentare, vt in *auct. de lenoni. § sancimus colleg. 3.* Et nullam commutationem potest homo dare pro anima sua, cum sit carior & preciosior omnibus rebus. 24. *quæst. 2. ca. si habes. 12. quæst. 1 cap. præcipimus.* Nam per continentiam homo triumphat de domestico inimico, vel per ipsam homo perfecte consimilatur Christo secundum puritatem corporis & animæ.

Quarto probatur: executio voti fundatur super fidelitate, quam homo debet Deo, in qua nullus potest dispensare. & ideo in voto Christianæ religionis, quod Christianus remitti in baptismate, quod erit fidelis Deo, papa non potest dispensare: quia hoc votum est necessarium ad salutem. & cum in votis fiat. vt dixi, commutatio non simpliciter relaxatio: vt in *c. 1. & in c. magna. de voto*, & non possit

Digitized by Google

possit inueniri compensatio condigna huic voto: quia si auferretur fidelitas ab homine, quam debet Deo, vel auferretur homini baptisma, non posset habere salutem & sic cum non possit habere dignā compensationem. igitur non potest in eo dispensari. & ideo papa non posset dispensare, quod quis foret Christianus sine baptismate etiam faciendo quodcunque aliud bonum magnum. similiter nec in voto continentiæ quod similiter non videtur habere aliquam aliam dignam compensationem, vt dixi. supra in tertio argumento videtur quod non possit dispensare: quia in his quæ sunt de lege naturæ est in præceptis primæ tabulæ, quæ ordinantur directe ad dilectionem Dei, papa & homo dispensare non potest: sed tale est votum & eius implementum. Nam est actus latriæ, id est, seruitutis Deo debitæ, sicut est ipsi promissa seruare & est de præceptis primæ tabulæ & legis diuinæ igitur quod hæc pacta non seruentur, papa non potest dispensare.

Quinto, præsupposito quod monachus esset de iure positiuo, adhuc videtur quod papa non possit in eo dispensare. Nam quamuis foret de iure positiuo, tamen concernit statutum & statum vniuersalis ecclesiæ, contra quod statutum siue statum papa non potest dispensare, vt 25. *quæst.* 1. *cap. sunt quidam.* & *c. quæ ad perpetuam.* & *c. contra statuta.* & 24. *q.* 1. *cap. memor sum.* Si enim beatus Petrus talia non fecit nec attentauit, similiter & successores attentare non debent: alias cessaret Petri priuilegium. 24. *q.* 1. *manet.*

Sexto, quia monachus, qui vouit castitatem Deo, non debet ipsi pro quocunque magno alterius bono mentiri: quia nullus producendus est ad salutem opitulante mendacio: vt 22. *quæstione secund. capit. primum*, & *capit. faciat.* sed non implendo monachus votum Deo mentiretur, quod non licet pro cuiuscunque salute: quia nullum peccatum debet homo facere vel pro suo bono vel alterius: vt 23. *quæst.* 5. *capit. cum homo.* Non enim vult Deus tale damnum cum tali lucro compensari: vt 23. *quæst.* 5. *dicat.* Nec etiam debet quis crimen suum alienis commodis impendere: vt 46. *distin. sicut non suo.* vt hæc plenius notantur. 14. *dist. cap. quod ait.* Ex quibus infertur, quod cum non liceat mentiri pro quocunque alterius vel proprio magno bono, nec licitum sit peccare etiam venialiter pro alterius salute, quod monachus pro quocunque magno bono suo vel alterius non debet votum suum aliquo modo dimittere etiam iubente papa: quia parendū est Deo cælesti & non papæ hoc casu. 11. *q.* 3. *c. Imperatores.*

In contrarium facit, quoniam papa, qui loco Dei in terris est: vt in *capit.* 1. *per totum, de translat. prælat.* videtur posse facere de re sacra ipsam non sacram & prophanam: vt videtur tex. in *l. continuus. §. cum quis. ff. de verbo oblig.* & *l. inter stipulantem. §. sacram. eo. ti.* & ita no. di. in dicta regula *semel Deo*, *de regu. iur. lib.* 6. potest enim auferre princeps & papa rei substantiam & ipsi nouam attribuere *Cod. de re. vxo. acti. l.* 1. ideo dicitur quod de nihilo potest aliquid facere: vt 3. *quæst.* 6. *capit. hoc quippe, de consecra. distinct.* 2. *capit. reuera.* Ex quibus videtur, quod si aliquo stante monacho non possit sibi papa proprium concedere vel facere, quod matrimonium contrahat: quia esset ponere naturam contrariam in subiecti substantia, cum possit monachi immutare naturam & ipsum de monacho non facere monachum sed regem. patet quia facit eum episcopum, *de regula. cap. licet.* & 18. *quæst.* 1. *capit.* 1. & 16. *quæst.* 1. *ne pro cuiuslibet*, vbi probatur quod monachus potest effici secularis clericus. Ex quibus infertur, quod & si papa forte non posset cum monacho existente eo monacho facere quod contraheret matrimonium, tamen faciendo eum ex causa non monachum sed regem, possit sibi permittere contrahere matrimonium & proprium possidere, vt dixerunt Io. & Vincentius.

Secundo probatur sic: licet papa non possit contra ius diuinum vel naturale dispensare, prout dispensatio est iuris relaxatio. 1. *q.* 7. *c. nisi rigor*, & notatur 5. *di. c.* 1 *in prin.* & 6. *di. §. his ita*, & dixi supra in quæstione. *an papa dispenset contra ius diuinum*, tamen dispensationem. i. iuris diuini interpretationem facere potest, vt ibi dixi. & has interpretationes etiam in votis potest facere. Nam contra votū papa disponit. nam statuit quod qui vouit simpliciter & non solenniter castitatē, quod si contrahat matrimonium, quod matrimonium teneat: vt in *c. rursus, qui clem. vel vouen.* Item illi qui simpliciter vouit castitatē datur licentia matrimoniū contrahendū, cum de incontinētia timetur: vt in *c. veniens qui cle. vel vouen.* si igitur sic dispensatur in voto simplici, quare non debet etiā in voto solēni idē posse statuere cum apud Deum vtrumq; votum simplex vel solenne paris est potentię: vt dicto *c. rursus*? Nam votum est conceptio animi deliberatione facta, secundum Inno. in *cap. ad nostram de regul.* vel est alicuius boni cum deliberatione facta promissio. 27. *quæst.* 1. *cap. de viduis.* licet ergo votum sit iuris diuini vel naturæ, ipsa tamen solennitas est iuris positiui: vt in *cap.* 1. *de voto. li.* 6. Quare videtur quod non obstante solennitate sicut dispensat in voto simpliciter castitatis, ita possit in voto solenni, cum talis solennitas sit, vt dixi, à iure positiuo, cum Deus inter loquelam simplicem & iuramentum aut aliam solennitatem non faciat differentiam. 22. *q.* 5. *c. iuramenti.* cum igitur solennitas voti sit à iure positiuo, contra eam papa potest semper cum causa dispensare: vt no. in *c. proposuit de conces. præben.* & ideo dicit Hosti. quod alterū esset alias dicendū, vel quod ecclesia erraret tollerādo matrimoniū contra votum simplex, quod tamen est falsum, immo esset hæreticū dicere. 22. *di. omnis*: vel oportet fateri, quod sicut dispēsat in voto simplici, ita possit in voto solēni continētię dispēsare. Et quod teneat papę dispositio circa vota etiā solennia patet, quia statuit quod minor. 14. annis etiam si sit alias doli capax, vouendo se religioni non obligetur, *de regu. ad nostram.* & *cap. postulasti*,

Et tamen istud est contra ius naturale, quod doli capax quãuis minor non obligetur religioni, quia sicut delinquendo se obligat Diabolo: vt in *ca.1.de delic. pue.* ita vouendo videtur se posse obligare Deo. Nam de iure ciuili pupillus, & si ciuiliter non obligetur, saltem naturaliter obligatur: vt notatur in *l.1.ff.de nova.* sicut igitur papa hoc casu interpretatur votum, vt non teneat propter imbecillitatem ætatis, & quia interpretetur ibi non affuisse verus consensus, quare & similiter non possit papa interpretare in casu maximæ necessitatis, quod ibi votum se non extendat. Et ideò dici debet, quod his casibus papa non dispensat in voto vel in præcepto iuris naturali vel diuini, sed determinat id quod cadebat vel cadere debebat sub deliberatione mentis humanæ ipsius vouentis, qui non potuit cuncta in actu voti & professionis circumspicere. vnde non est legem naturalem vel diuinam tollere, sed est interpretari isto casu ipsam non ligare vel profitentem in hunc casum se non obligasse.

Tertiò, clarum videtur quod & si papa non possit votum tollere, potest tamen in melius ipsum commutare: vt in dicto *cap.* & *de c.magna.de voto.* & est ratio, quia proferendum maius bonum minori bono: immò peccat qui minus bonum præfert maiori bono: vt in *capit.licet de regulis.in fi.de postu.prela.capit.3.* Sed quis sani capitis diceret, quod si regnum vnum debet effici infidele, si monachus eorum non fiat rex & contrahat matrimonium, quod debeat præferri continentia vnius monachi bono publico totius regni & bono Christianæ religionis, cum bonum publicum priuato sit præferendum. *7.q.1.capit.sciat.* & *cap.mutationes maxima*, cum pars debeat se exponere pro toto, & sic ciuis qui est pars ciuitatis vel regni secundum Philosophum debet se pro regno exponere. Et ideo, vt dixi, pro communi vtilitate potest monachus effici Episcopus & clericus secularis; ergo & Rex & coniugatus & hoc possit inducere papa, qui aliàs propter matrimonium post contractum dirimit præcedens simplex votum: vt in *capit.meminimus qui cleri.vel vo.* multò magis debet dirimere posse votum continentiæ, quamuis solenne pro conseruatione vnius regni vel per magna pace. Et si papa disponit vniuersaliter, quod qui vouit simpliciter possit contrahere: vt in *capit.veniens qui cle.vel vo.* quanto magis potest in voto solenni cum vnico solo dispensare, cum generaliter papa possit omnes soluere & ligare. *24.quest.1.cap.quodcunque.* maximè cum monachus debeat se totum in holocaustum offerre Deo, vt ei seruiat in eo quod ipsi magis placet. sed præ omnibus placet Deo creaturam rationalem spiritualiter & temporaliter conseruari, pro qua & ipse mortem subiit temporalem & animam suam posuit, vt in *cap.1.de homici.libr.6.* Et idem quod dico de continentia & matrimonio, dici debet de proprio habendo. Quid enim si regnum vult se tradere infidelibus & apostatare, nisi monachus regnum suscipiat in proprietatem suis filiis & hæredibus relinquẽdo? certè stultum videretur, quod in hoc casu papa non posset dispensare, vt tale regnum in proprietatem monachus teneret, cum in omni voto debeat intelligi, nisi aliter Deo placeat: vt in *ca.scriptura de voto.* sed credendum est quod de voto plus placet quod faciat contra votum si subest maior vtilitas, quia non dicitur contra facere, ex quo facit papæ auctoritate, qui loco Dei est in terris, *de translat.prelat.capit.1.2.* & *per totum*: præsertim quia in votis semper intelligitur excepta auctoritas papæ: in *capit.constitutus de rescrip.* & *in c.venientes de iureiuran.* & *in c.1.de voto*: quia modo dispensatio est debita, cum timetur de scandalo vel multorum strage. *l.dicto capit. vt constituerentur.* Et quia matrimonium contrahendo dicitur caste viuere, ideò non dicitur contrahendo venire contra votum *21.di.Nicena.*

Quartò, papa absoluit quem à iuramento quod præstatur Deo, quando est causa, vt in *capit.quanto de iureiuran.* & ex causa legitima, quando ex obseruatione sequeretur scandalum incomportabile, vel quando malum sequeretur in multos: vt dicto *capit.quanto*, vel quando fit commutatio in bono meliori ipsi bono iurato: vt no.in *c.2.de iureiuran.* si igitur absoluit à iuramento. *15.q.6.capit.auctoritatem.* quanto ergo magis à voto, cum magnum scandalum formidatur: *de cle.mis.capit.de homine.*

Quintò istud probatur: quia in solennitate voti interuenit etiam paupertas & obedientia, & tamen contra ista duo papa potest dispensare. patet, cum ab obedientia absoluit monachum eum faciendo Episcopum: *d.c.licet de regu.* & *18.q.1.* & faciendo Episcopum clericum: *d.c.pro cuiuslibet.19.q.1.* Si igitur in his duobus dispensat non obstante solennitate voti, quare non & in hoc tertio, videlicet in matrimonio, ipsi licet dispensare.

Sextò, papa dispensat in voto abstinentiæ si vergat corporale periculum vouentis: vt in *c.2.& pe.* & *vi.de obseruatione ieiunio.* ergo & fortius in voto continentiæ potest dispensare cum monacho. nam monachus nil aliud interpretatur quam vnus solitarius & tristis: vt *16.q.1.placuit.* quicquid igitur vltra ista monachatui est inuentum, est à iure positiuo, quod papa potest dispẽsare, vt pluries dictum est.

Ex quibus videtur concludi quod papa possit contra votum continentiæ dispensare, quamuis etiam sit solenne. quid igitur dicendum? Ego credo opinionem Iohannis & Vincentii fore veram, per ea quæ statim dicam: nec simpliciter sto cum canonistis, quod papa possit cum monacho existente monacho etiam causa non subsistente dispensare quod contrahat matrimonium vel proprium habeat: vt dicto *capit. cum ad monasterium in fi.* immo teneo quod non potest facere quod monachus existens & permanens monachus matrimonium contrahat. Credo tamen quod faciendo eum non monachum, puta regem, possit cum eo ex causa dispensare, sine causa autem non. Quare pono has conclusiones. Prima, quod ex causa legitima potest papa dispensare, quod monachus non

sit amplius

Digitized by Google

sit amplius Monachus sed episcopus aut laicus princeps secularis aut clericus secularis. & hanc conclusionem probant iura in *primo argumento secundæ partis* inducta. Non obstant contraria in *prima parte & in primo argumento* inducta; videlicet regula *semel Deo* cum concordantiis: quia illa regula intelligitur, quod ab aliis quam à principe non potest res sacra ad prophanos vsus conuerti. sed princeps benè potest rem sacram prophanam facere: vt *l. continuus. §. cum quis. & l. inter stipulantem. §. sacram de verbo. obli.* & ita tenent omnes Doct. in dicta regula *semel Deo* Dyn. Io. An. & Archi. Non obstat id quod dicitur de episcopo & presbytero; qui etiam ex mandato papæ non potest desinere esse episcopus vel presbyter: quia primum hoc non est ita expeditum. Nam Bartholomæus Brixi. Gof. & multi tenent; quod sacerdos ita possit priuari ordine sacerdotali auctoritate papæ vt non possit conficere sacramenta, per tex. 50. *di. cap. accedens.* ibi, *sacro ordine priuatum.* ad idem *c. vt constitueretur ea. di.* ibi, *ad clericatum redeat.* & 23 *quæstio. 8. clerici. &* 81. *di. c. dictum.* Et de hoc videtur casus 1. *q.* 1. §. *opponitur*: verum est tamen quod Hugutio vult contradicens quod ordo semel habitus vlterius ammitti non potest etiam morte. & est ratio isto casu, quia in datione ordinis imprimitur caracter; qui est indelebilis; ita quod etiam morte non extinguitur, cum animæ imprimatur 1. *q.* 1. *quod quidam*; *ver. si forte.* & omnia præcedentia iura & similia quæ dicunt quod degradatus non habet ordinem; intelliguntur; id est, executionem ordinis & priuilegium ordinis presbyteralis. Et ideo degradatus si celebrat quamuis peccet; consecrat corpus Christi: vt notatur 9. *q.* 3. *in sum.* sed hoc est propter caracterem impressum animæ qui deleri non potest 32. *distin.* §. *verum.* & pro hac sententia videtur tex. in *c. 1. §. vna de sum. tri.* à sensu contrario sed vbi non est caracter, sed est tantū simplex benedictio vel sanctificatio, illa benè tolli potest; vt supra dixi: quia ecclesia & papa potest tollere sanctificationē quam contulit, vt supra dixi. Ex quo infertur cōtra sententiā beati Thomæ quod monachus potest fieri de monacho non monachus, ita quod efficiatur secularis secundū sententiā Io. & Vincentii & hæc omnia vt dixi sunt vera causa legitima subsistente maioris boni. Nec ob. quod non est melius aliquid continentia; &, *nulla præponderatio est digna anima continentis.* Nam iste tex. debet exponi, vt ibi dicit glo. nam pro *ponderatione* ibi accepit opes mundi & sapientiam secularem, quibus est melior continentia, non autem quod non sint alia meliora continentia. Nam martyrium est melius continentia. vnde aureola martyrum melior est quam virginum. Item bona animæ, vt contemplatio & oratio, sunt meliora bonis corporis, & magis nos Deo conformant, & tamen in voto contemplationis & orationis papa dispensat. vnde sola continentia non est sufficiens causa prohibitionis dispensandi. nam *ad Corinth.* 8. Apostolus incitat nos ad continentiam propter contemplationem dicens, quod non coniugati cogitant quæ Dei sunt, coniugati vero minus de Deo cogitant, *de cle. coniuga. cap. diuersis fallaciis*: sed finis. i. contemplatio est potior continentia, quæ est ad finē eius; vt vult Philosophus *primo Ethicorum*, vel intellige illam auctoritatem, *nulla præponderatio* &c. quod loquatur de anima Christi desponsata in spirituali sapientia. & secundum primam expositionem illa auctoritas vult, quod pro opibus mundi non debet amitti bonum continentiæ, non tamē tollit quin possit commutari in actu maioris meriti, puta in salutem regni vel partis Christianorum. Ad id quod dicitur, quod nullam commutationem potest homo dare pro anima sua dico quod ex hac commutaione siue dispensatione non perit anima, immo ex obedientia meretur monachus parendo papæ pro maiori bono.

Secunda sit conclusio quod papa non potest concedere monacho existenti monacho, quod contrahat matrimonium vel habeat proprium: vt dicto *cap. cum ad monasterium in fin. de sta. mona.* Et est ratio, quia statim quod aliquid istorum sibi permitteret, perderet monachus substantiam & nomen monachi, quod est vnus solus & tristis. Non obstant contraria: & primo dum dicitur; quod si est vnus & tristis, hoc non arguit quod non possit coniugari. quare hoc non sit de essentia monachatus, quod non coniuget monachus; sed sit ex institutione ecclesiæ, quam papa potest tollere: vt in *cap. proposuit*, & quod ibi notatur *de conse. preben.* & quia nubendo caste viuit 31. *distin. nicena.* & sic non facit contra votum, vt notatur in *l. fin. Cod. de indic. vidui.* quia ideo essentia monachatus arguit; quod non coniuget, quia si coniugaretur, esset in duo diuisus, nec esset vnus & tristis: vt in *capit. diuersis fallaciis, de cleri. coniuga.* Ex quo infertur, quod si aliquis legat mulieri, si sola caste viuat; quod si nubit, non habeat legatum: quia non viuit sola caste. secus si simpliciter diceret, si caste viuat, quia nubendo caste viuit, & legatum debet habere, vt dixi in dicta *l. fi. de indic. vidui. tol.* Non obstat si dicitur, monachus est de iure positiuo, & regula *omnis*, vt supra dixi, quia istud argumentum concludit, quod monachus potest à papa tolli & regula, & ego fateor. Sed non potest papa facere quod sit monachus & coniugatus vel habens proprium: quia tunc non esset vnicus solitarius & tristis, & sic monachus, & esset ponere contrarietatem in substantia subiecti, quod papa non potest facere: quod esset dicere quod vellet & non vellet aliquem esse monachum, quod est impossibile, *de dona. causa mortis l. vbi mihi ita donatum.* facit. *de spon. c. tua*, vbi est tex. quod substantia non consistit sine sua forma. & hoc est quod voluit tex. in dicto *c. cum ad monasterium in fi.* dum dixit, quod ista sunt adeo annexa, id est, de substantia regulę monachalis, quod papa non potest dispensare scilicet vt duret regula vel talis duret monachus, cum perdat tunc essentiam & substantiam, per quā est monachus. & iste est verus intellectus illius *decretalis*, licet Doc. aliter soluant, dicentes quod nō licet papæ, id est, non cōgruit papæ & eius ordinariæ potestati, quod soluat hoc verbū *licentia*, quod importat arbitriū boni viri non absolutam potestatem: vt in *c. magne de voto*: quasi velint quod de ordinaria potestate

Digitized by Google

papa non possit, sed de absoluta sic. Sed ego credo, quod nec de absoluta potestate possit dare licentiam monacho existenti monacho quod matrimonium contrahat per prædicta. Item Doctores ipsi violant illum tex. cùm dicunt, quod papa ibi non potuit legem imponere successori: vt *de elec. c. innotuit*; quia hoc est dicere q papa errauerit ibi, quod est absurdũ ideo & teneo præcedentem solutionem. Non obstat quod papa dispensat in votis, quia fateor commutando substantiam de vno in alium: vt dicta *l. vbi ita mihi donatum*: sed non quod subiectum possit stare contra propriam substantiam à natura vel à iure sibi attributam: vt est tex. *instit. de vsufruc. in §. ergo*: vbi contra naturam rei senatus non potuit constituere vsumfructum in his quæ consumuntur vsu, sed quasi vsumfructum per cautionem; sic papa non potest contra naturam monachatus facere monachum & coniugatum, sed benè potest faciendo eum desinere monachum facere eum coniugatum, & etiam potest cum causa dispensare, & non aliter vt statim dicam.

Tertia sit conclusio, quod papa postquam ex causa fecit de monacho non monachũ, tunc potest cum eodem ex causa dispensare, quod non obstãte voto quod emisit possit matrimoniũ contrahere vel proprium sibi acquirere, sine causa autẽ non potest. Non obstant contraria. & primo nõ ob. tex. in *c. cum ad monasterium in fin.* quia intelligitur, vt supra dixi. Item non obstat illud quod dicitur *nihil melius continentia*, per illa quæ supra dixi. Non ob. quod papa in votis non dispensat. Nam quidam dicunt quod abdicatio proprii & continentia sunt de substantia regulæ monachalis ex institutione ecclesiæ, vt supra dixi, contra quam papa potest dispensare. sed ista responsio esset vera, quando quis simpliciter habet habitum nullo voto emisso continentiæ: sed si vouit tacite vel expresse, tunc licet institutio monachatus sit de iure positiuo, tamen postquam emisit votum est de iure diuino & naturali, vt dixi supra in *argumentis*. Sed tunc respondetur ad ista argumenta & similia. Et est præmittendum, quod dispensatio sumitur multis modis. primo prout est simpliciter iuris relaxatio 1. *quæstione 7. nisi rogor*; & dicitur tunc dispensatio prouida iuris communis relaxatio ab habente potestatem facta vtilitate seu necessitate pensata. Vel dispensatio est rigoris iuris per eum ad quem spectat canonice facta relaxatio: dicto *§. nisi rigor. & cap. sequenti*. Secundo prout est iuris interpretatio siue declaratio: vt in *cap. 2. de torneament*. Tertio modo sumitur quando est commensuratio communis ad singula, vt *de iureiuran. c. quinta vallis 85. distí. non satis*, circa medium. Et ideo gubernator familiæ dicitur *dispensator*, quia debet dispensare singula singulis. Quarto modo dicitur quando est vnius iuris relaxatio & in aliud commutatio: vt in *cap. 1. & cap. magna de voto*. Primo casu quando est iuris relaxatio simplex, hanc in voto papa non potest aliquid facere. Nam cum votum sit de iure diuino & naturali, vt supra dixi, papa non potest simpliciter remittere: quia iura naturalia sunt incommutabilia *5. distí. per totum. & 6. di. §. his ita*. secundum vero interpretationem tertiam & quartam an papa possit in votis facere, distinguenda sunt vota. Quia quædam sunt simpliciter necessaria ad salutem, vt votum Christianæ religionis, quod emittitur in baptismate, & in tali voto papa non potest dispensare simpliciter tollendo nec etiam commutando: quia non potest inueniri maius bonum, cum sine isto quis non possit esse saluus. & ideo, vt dixi in *argumentis*, papa non posset facere vel dispensare quod sine baptismo quis faciendo quotquot vellet bona saluus fieret vel Christianus existeret. Item non posset ipsum interpretari vel declarare siue disponere, quod aliter fieret Christianus quam secundum ea quæ disposuit Christus, vt dixi supra in quæstione *an dans ordines contra prohibitionem illos conficiat* ibi. Est tamen tunc dubium. aliqua sunt vota, quæ non sunt simpliciter necessaria ad saltem, sed sunt supererogationis, id est, maius bonum agendum vel ad maius meritum acquirendum. ista recipiunt dispensationem, interpretationem & recipiunt de quatuor interpretationibus tres. nam abrogatiuam, vt dixi, per quam simpliciter tollantur talia vota, istam non potest facere papa, qui non tollit simpliciter ius diuinum naturale, sed interpretationem restrictiuam siue declaratiuam vel verborum expositiuã siue ampliatiuam, istas in votis potest facere. & ideo etiam in solenni voto restringendo interpretatur quod non liget minorem 14. *annis de regula. ad nostram. & cap. postulasti*. & dixi supra in *secundo argumento secundæ partis*. similiter dispensat ampliatiue, vt faciat maius bonum. & ideo solenni voto astrictum vni ordini absoluit non simpliciter, sed vt vadat ad regulam strictiorem, *de regula. cap. licet*, simpliciter commutat in maius bonũ, non tamen peregrinationis, *de voto. cap. 1. & cap. magnæ*. ratione ergo maioris boni potest interpretari votum tribus his modis interpretandi cum causa rationabili quãdo voto emisso potest melius inueniri: quia bonus melius reperitur vt *l. vbi autem non apparet, de verbo. obli.* immo plus dico, quod posset in his dispensare papa permittendo minus peccatum in ipso eodem, qui nouit vt euitetur maius peccatum: & ideo permittit quod qui simpliciter vouit castitatem, quod contrahat matrimonium quando de incontinentia timetur, vt est tex. in *c. veniens, qui cle. vel vouen.* semper loquor cum causa. nam sine causa non posset. Item dico quod potest ipsi eidem, qui vouit, permittere minus malũ, vt in ipso eodem vitetur maius: vt notatur in *cap. omnes leges*, vbi in eodem permittit adulteriũ vt euitetur homicidium. sed non credo quod possit alteri permittere quod peccaret minori peccato, vt euitaretur vouentis tertii maius peccatum, per notata. 14. *di. c. quod ita*. & dixi supra in *finali argumento primæ partis*. Non obstat quod sit actus latriæ & seruitutis Deo debitæ votum: & sic papa non dispensat: quia dictio quòd interpretatur an caderet illud ad quod votum quæritur extendi sub deliberatione mentis vouentis, vt dixi supra *in argumentis*

menti à secunda partis. Ad illud quod concernat statum aut statutum vniuersalis ecclesiæ, & ideo non possit papa dispensare: respondetur quod cum causa potest; vt dixi supra in quæstione *an contra statum vel statutum vniuersalis ecclesiæ papa dispenset.* Ad illud quod Petrus non fecit, respondeo quod Monachus tempore beati Petri non erat inuentus: & multa sunt quæ tempore Petri non erant inuenta, & quotidie papa in ipsis dispensat & disponit: quia per hoc non tollitur Petri priuilegium. Ad vltimam rationem, quod non debet homo mentiri, vel quodcunq; veniale peccatum committere pro alterius magno bono. Responde quod propria auctoritate non liceret Monacho recedere à promissionem facta in Monachatu, etiam pro quocunque alterius magno bono, sed auctoritate superioris commutantis in illud aliud maius bonum; licet, quia ex hoc non peccat Monachus: ideo meretur parendo papæ & faciendo maius bonum obmisso minori: *de regula. c. licet.* Nam ad fidelitatem Deo promissam non pertinet vt quis obmittat maius bonum pro minori, vel quod non faciet maius malum.

Vnum est in hac quæstione attendendum an papa sic dispensando tollat peccatum. secundò, data quod causa nō legitima an teneat dispensatio. tertiò quis de hoc cognoscat. de quo dic, vt plene dixi supra in quæstione *an papa dispenset contra ius diuinum.* sed in vno est aduertendum in hac quæstione quod quamuis dixerim in hac quæstione an papa dispenset contra ius diuinum, quod si causa non est legitima illa, cum quibus est dispensatum, non debent parere dispensationi, sed Deo cælesti: quod si facta dispensatione sine causa legitima fuit contractum matrimoniū cum aliqua, quæ credidit causam dispensandi fuisse legitimam, & vxor ignorauit quod hoc casu ipse Monachs non debet exigere debitum, sed si exigatur ab ipso, debet ipsum præstare & præstat sine peccato, quia matrimonium est verum & tenuit dispensatio ne mulier quæ contraxit fuerit decepta auctoritate papæ *l. 1. C. de his qui ve. æta. in pe.* secundum Inno. in *c. per tuas, de dona. ad fi.* Quod secus est in dispen. habendi propriū, quia si est facta sine causa, Monachus semper peccat recipiendo, quando scit quod causa non fuit legitima: & hic non tractatur de præiudicio tertii sicut in matrimonio, in quo tractaretur de præiudicio tertii scilicet vxoris. Ex his ergo concluditur quod papa etiam in voto solenni potest dispensare cum Monacho quod habeat proprium: vel matrimonium contrahat ipso non remanente Monacho, & causa legitima subsistente maioris boni vel euitationis maioris mali: alias non potest Monacho concedere papa viaticum vel expensas, aut aliquid aliud quod in administratione possideat: sed non vt improprietatem habeat: vt in *c. 2. de stat. Monacho.* sic intelligo hanc primam quæstionem subtilissimam.

SVMMARIVM.

Pontifex an potuit dispensare vel statuere super voto continentiæ, quod tale matrimonium ad tempus duraret, donec filium masculum suscepisset?

CAPITVLVM XXIV.

ASsumamus nunc secundam: an potuit papa dispensare vel statuere quod matrimoniū ad tempus duraret, donec filium masculum suscepisset? Et videtur primo quod non: quia contractus matrimonii in statu innocentiæ indissolubilitatem accepit à Deo: vt est tex. *c. 1. de vo. li. 6.* Nam matrimonium à Deo fuit bis institutum in statu innocentiæ: primum ad prolem procreandam. cum Adā dixit: *Hæc est os de ossibus meis* &c. vt not. *27. q. 1. in summa.* Et secundo in statu nocentiæ post peccatū & similiter à Deo fuit institutum, licet Apostolus demum confirmauerit dicens: *Habeat vnusquisque suam* &c. vt no. *32. q. 2. in suam.* & vtrobiq; fuit indissolubile: vt dicto *c. 1. de voto li. 6.* quod probant illa verba à Christo postea relata: *Quos Deus coniunxit homo non separet:* quæ verba fuerūt dicta à Christo Iudæis, & sic ante constitutionem Apostoli: vt *de consang. & affi. c. de infidelibus. & de transla. prela. c. inter corporalia.* Ex quibus patet, quod & in statu nocentiæ in vtroque matrimonium indissolubilitatem accepit *35. q. 10. c. fraternitatis,* vt non posset solui ab homine, & sic à papa, vt no. in *c. inter corporalia. de transla. prelat.* cum ergo non possit consummatū carnali copula solui, patet quod nec à principio sic potest constitui, vt vita durante coniugium dissolui possit, argumento *l. quod sponsæ. Cod. de don. ante nup.* & est tex. in *c. si. de condi. appo.* melius in *c. 2. eo. ti.* vbi videtur casus quod si manumittatur seruus, vt intret monasterium, & si exeat reincidat in seruitutem: quod per exitum non reincidat in seruitutem, sed valet Monachatus, & tenetur stare in monasterio: sic in nostro casu sit matrimonium, sed filio adueniente nascente non soluatur matrimonium. Secundo ad hoc videtur tex. in *c. quanto. de diuorti.* vbi matrimonium carnali copula consumatum inter Christianos non videtur posse dissolui, etiam à papa vel ab ecclesia: cum sit ratū, etiam si alter iugaliū efficitur infidelis vel hæreticus, ex quo fit maior contumelia creatori quam quando alter iugaliū remanet solum in antiqua gentilitate. sic ergo non potest dissolui postquam est contractum & consumatum copula, sic nec ante ipsum consumatum hoc potest deduci in pactum: cum paria sint, fieri in tempore prohibito, vel fieri tempore licito & conferri in tempus illicitum, dicta *l. quod sponsæ. Cod. de dona. ante nup.* Tertio probatur sic: actus legitimus, id est, effectus potentiarum producti ex actibus non recipiunt diem vel conditionem contra substantiam vel naturam ipsorum Actuum: immo adiectio talis diei siue, conditionis vitiat ipsum Actum. hoc modo potest verificari regula, *actus legitimi: de reg. iur.* quæ alias

Digitized by Google

habet multa contraria: sed talis est actus matrimonii qui contra propriam substantiam recipit diem vel conditionem: immo talis conditio, vel dies vitiat matrimonium: vt est in capit. *fin. de condi. appo.* sed cum matrimonium sit maris & fœminæ coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem continens 27. *quæstione* 2. §. 1. *& Digest. de ri. nup. l.* 1. & pcccatum separationis matrimonii ante mortem fit contra substantiam matrimonii: ideo non valet matrimonium: vt 32. *quæstione* 2. *capit. solet. ad fin. & capit. aliquando.* Ad hoc quod dicitur, quod dispositio contra substantiam actus, an ipsa vitiat actum, vt ipsa vitiatur & actus remanet: vt *l. cum precarie. Digest. de preca.* aut mutat substantiam actus in aliam substantiam vt *l. si mihi ita donatum. Digest. de dona. cau. mor.* sic in proposito, vel non valet hæc conditio adiecta, vel si valet vitiat matrimonium: & hoc videtur verius hoc casu, vt dicam proxima quæstione. Quarto hoc probatur: actus qui non recipit diuisionem in partes, sicut est hæreditas, non recipit etiam diuisionem in tempore, quando ex hoc ipsa res diuideretur: vt est tex. in *leg. miles ita hæredem. §. quod diximus. Digest. de testa. mili. ver. quod si in bonis.* Et ideo cum hæreditas non possit dari pro parte vni hæredi, non dato alio cohærede, vt *leg.* 1. *§. si ex fundo. Digest. de hæredi. institu.* quia hæreditas non patitur diuisionem in quotitate in vno hærede cohærede non dato: sic nec ex die certa vel ad diem certam dari potest *leg. hæreditas ex die. Digest. de hæredi. institu.* per illam rationem: quia quod non habet in se diuisionem, non recipit illam in tempore: licet possit dari sub conditione: quia conditio trahitur retro: & sic omni tempore dicitur fuisse hæres: & sic non patitur diuisionem. sed sic est in matrimonio, quod non habet partes vel diuisionem: igitur non habet in tempore: quia non potest certo tempore valere, & certo deficere, cum sit perpetuum, vt dixi. Et ideo postquam est initiatum solo tractu, temporis, non potest tolli, vt dictis iuribus: & hoc est quod dicunt iura, quod matrimonium ad tempus certum vel incertum non potest contrahi: vt dicto *capitulo quando* 32. *quæstione* 2. *& in dicto capit. fin. de condi. appo.* Et ista est ratio quare filii ad tempus adoptari non possunt. *leg. fin. tibi alias quæsitum. Digest. de adop.* nec etiam libertas datur ad tempus. *Digest. de manu. te. leg. libertas. la.* 2. licet fateor quod potest diuidi commode res per tempus: quando ipsa res, quæ non pateretur diuisionem, ex hoc non diuiditur: vt no. in *lib.* 5. *§. cato. Digest de ver. obliga. & in leg. stipulationes non diuiduntur. eo. ti.* Quinto quod matrimonium carnali copula consumatum sit à papa indissolubile, probatur: matrimonium inter Christianos carnali copula consumatum, significat vnitatem quæ est inter Christum & ecclesiam siue vnionem quæ fuit in Christo cum diuina & humana natura per assumptionem carnis in vtero virginali: vt est tex. *de bigamus. c. debitum.* Et ideo dixit Apostolus: *magnum sacramentum in Christo & ecclesia*, id est, magnum sacræ rei signum: sed sicut signatum est indissolubile, quia nunquam Christus & ecclesia tota separabuntur: nec incarnatio humana Christi à diuinitate diuidetur vel vnquam post incarnationem diuisa fuit 23. *distinct. cap. qui tempus.* & ibi no. sic etiam ipsum signans vel signaculum matrimonii debet dici & esse indissolubile, vt no. glo. 27. *quæstio.* 2. *cap. quapropter.* Et ista est ratio quare matrimonium solum per verba de præsenti contractum & non consumatum carnali copula potest à papa separari: quia in hoc matrimonio significatur solum coniunctio fidelis animæ ad Deum: quia anima sæpe peccando à Deo separatur. & ideo sicut signatum recipit separationem sic & signans tale matrimonium. sed consumatum cum significet rem indissolubilem, sic & ipsum indissolubile permanet. ita not. glo. in *cap. ex publico: de conuer. coniug.* ex quibus cum consumatum sit indissolubile ex post facto: sic etiam non potest ante contrahi vt postea dissoluatur: vt in *capit. de spon duo. & in cap.* 2. *de coniu. lepro.* Sexto probatur à filii, arguendo de matrimonio spirituali ad carnale. Nam beneficia, in quibus contrahitur matrimonium spirituale, non dantur ad tempus 7. *quæstio.* 1. *cap. quamuis. &* 70. *distinct. cap. sanctorum:* nec etiam sub conditione. 1. *q.* 2. *c. quam pio & de transla. c. quanto.* 55. *distinct. præcepta.* Similiter ergo nec matrimonium carnale: dicto *capit. solet.* 32. *quæstio.* 2. cum quos Deus coniunxit homo non separet *Matthæi* 19. *&* 26. *distinct. deinde.* hæc est sententia Euangelica, contra quam etiam Angelus de cœlo contrarium Euangelizans audiri non debet 11. *quæstio.* 3. *si is qui præest.* Et quia per solum adulterium separatur thorum, sed remanet matrimonium 32. *quæstio.* 1. *dixit Dominus.* Si ergo propter adulterium separato thoro remanet matrimonium. fortius hoc casu matrimonium sic contractum erit indissolubile. & per hoc videtur text. cum glo. in *ver. sacramentum. in c. fi. de transac.* Septimo hoc probat tex. in *c. fi. de spon. duo*, coniuncto *c. licet ex* [illegible] si primum matrimonium fuit contractum per verba de præsenti: & demũ contrahatur secundum etiam cum copula carnali: præualet primũ, quod per consensum solũ de præsenti habuit esse [illegible] & secundũ non valet sed primũ, etiam si contraria sententia papæ interueniat: vt dicto *c. licet.* Ex quo patet, quod matrimonium, postquam habet essentiam suam non potest à papa dissolui. vnde sicut non potest post consumationẽ dissoluere, sic non potest ipsum à principio disponere, vt postquã est contractũ dissolui possit: vt *l. sicut. C. de acti. & oblig.* quia licet ab initio sit volũtatis, ex postfacto est indissolubilis, propter Euangelicam prædictam regulam: *Quos Deus coniunxit* &c. 26. *di. deinde*, quam papa soluere non potest 25. *quæstio.* 1. *sunt quidam.* In contrariũ, quod possit papa sic disponere, probatur iure diuino: solum certæ personæ sunt prohibitæ contrahere, quæ no. in dicto *c. gaudemus. de diuor. &* *in c. litteras. de resti. spo.* sed ius canonicum plurimas prohibet, vt infra quartum gradũ inclusiue contractus non fiat: vt in *capit. non debet. consang. & affi.* Modo si aliqui contrahunt secundum legem diuinam,

diuinam, ſed contra conſtitutionem canonicam, papa dirimit tale matrimonium etiam carnali copula conſumatũ: vt in *c.1.de cõſan.& affi.* Ex quo patet quòd tanta eſt poteſtas papæ in matrimoniis, vt ſecundum legem diuinam contracta matrimonia dirimat etiam carnali copula conſumata. Sic in propoſito, ſicut ex poſt facto poſſet ſoluere, ita ante factum, dum eſt in fieri; debet poſſe inducere ex cauſa, vt adueniente certo caſu diſſoluantur matrimonia. Secundo iſtud probatur per totum *ti. de cogna. ſpi.* vbi papa ex ſua conſtitutione poteſt inducere impedimentum, quod dirimat contrahendum, & ſeparet iam contractum etiam carnali copula conſumatum: vt *de cogna. ſpi. cap. ſuper eo. de conſang. & affi. cap. quod dilectio.* no. in *cap. fin. de ſpon. du.* immò ſpeciali loci conſuetudine videtur poſſe induci impedimentum, quod dirimat iam contractum & impediat contrahendum: vt eſt tex. in dicto *cap. ſuper eo. de cogn. ſpi.* vbi filii duorum compatrum, etiam per quos non eſt compaternitas contracta, poſſunt conſuetudine impediri vt non contrahant; & quod dirimatur contractum matrimonium: ita debet poſſet hoc impedimentum conſtituere, vt cum eſt inuentum, vt habeat filium maſculum, matrimonium dirimatur propter præcedentem profeſſione cum hæc procedant à pari potentia. Et hoc patet ſacerdotibus, qui ſecundũ legem veterem matrimoniũ contrahebant 31. *diſtin. cap. aliter*, vbi Orientales ſacerdotes copulant matrimonium 31. *diſtin. Nicena*: & tamen conſtitutione ſolius papæ ſi poſt ſacerdotium quis contrahat dirimitur matrimonium, etiam carnali copula conſumatum, vt in *cap. 1. de vo. lib. 6.* Sic patet quod tanta eſt poteſtas papæ vt poſſit prohibere matrimonia contrahi: quia prohibitio, presbyteri non contrahant etiam poſt votum, eſt ab inſtitutione eccleſiæ: & tamen ſi contrahunt, dirimuntur matrimonia carnali copula conſumata: vt in *c. 1. de voto. lib. 6.* Ex quibus infertur, quod cum matrimonia carnali copula conſumata papa poſſit dirimere ſua conſtitutione, quod fortius poteſt ante contractum matrimonium legem imponere alicuius actus euenientis, quo matrimonium diſſoluatur. Tertio hoc oſtenditur in voto: votum enim de ſe licet impediat contrahendum matrimonium, non tamen dirimit iam contractũ; vt in *cap. curſus. qui cle. vel vo.* niſi interueniat ſolennitas in voto, quæ tamen eſt de iure poſitiuo: vt in *cap. 1. de voto. lib. 6.* nam tunc matrimonium etiam carnali copula conſumatum dirimitur, vt dicto *cap. 1. de vo. libro 6. & qui cle. vel vo. cap. inſinuante.* Ex quo patet quod ſua conſtitutione papa poteſt diſſoluere matrimonium carnali copula conſumatum aliqua iuſta cauſa interueniente: puta voti ſolennis, vel ſuſceptione ſacri ordinis. ſi iſtud poteſt papa: ergo ſubſiſtẽte prius profeſſione iuris poteſt inducere vt contrahat: & ſuſcepto filio ad monaſterium reuertatur, & matrimonium diſſoluatur, ſi forte ſubeſt cauſa ſic diſpenſandi, ſicut ex cauſa etiam diſſoluit: vt propter cognationem ſpiritualem matrimonium etiam carnali copula conſumatum diſſoluatur: vt in *cap ſuper eo. de cogna. ſpi.* & ſupra dixi. Quarto hoc probat text. cum ibi no. in *cap. fin. de ſpon. duo.* nam ſi aliquis contrahit, primo cum vna per verba ſolum de præſenti: & demum contrahat cum alia etiam carnali copula interueniente, poſſet papa diſſoluere primum & approbare ſecundum: vt not. Doct. in *d. cap. fin.* Et ita fecit quidam papa: vt in *cap. licet. de ſpon. du.* & tamen papa dirimit ſecundum, quamuis carnali copula conſumatum matrimonium ex cauſa præcedentis ſolum matrimonii per verba de præſenti papa poſſit dirimere. ſic hic non obſtante priore monachatione poſſet papa tolerare matrimoniũ inter hunc monachum & vxorem, donec filium ſuſcipiat, & poſtea dirimere. Quinto probatur: nam papa inhibendo aliquibus & interdicendo aliquibus, quod non contrahant, poteſt impedire inter ipſos matrimonium. & ſic conta ipſius interdictum contrahatur & conſumetur carnali copula, poteſt irritari ſecundum ſententiam Hoſti. & Doct. quicquid dixerit glo. *fin. in cap. Ad diſſoluendum. de deſpon. impu.* ſic in propoſitio papa potuit iſtis diſpenſando interdicere ne aliter contrahant: Si ergo aliter contraxerunt, papa poſſet in totum dirimere: vel ſaltim vſque ad certum tempus poſſet permittere, valet donec habeat filium maſculum: & poſtea ipſum matrimonium in totum tollere: arg. no. in *d. c. Ad diſſoluendum. de deſpon. impu.* & eorum quæ no. in toto *ti. de matri. contract. contra interdic. ec.* Sexto iſtud probatur expreſſe in dicto *cap. quanto. & cap. gaudemus. de diuor.* vbi eſt caſus; quod quando aliquis infidelium conuertitur ad fidem, & alter non vult conuerti; ita quod conuerſus non poteſt cum vxore habitare ſine contumelia creatoris, tunc papa dirimit matrimonium etiam carnali copula conſumatum. Et ſic vides quod diſponit contra illud dictum: *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet.* quia vt, ſupra retulit hæc verba fuerunt dicta Iudæis: *de conſang. & affi. cap. de infidelibus.* Si igitur ipſi licet pro ſalute animæ vnius ſolius conuerſi ad fidem, quanto magis debet hoc licere papæ pro ſalute multarum animarum? Quid enim ſi vnum regnum vult conuerti ad fidem, ſi filius regis monachus contrahat cum eorum regina: & ille non vult etiam copulari, etiam cum diſpenſatione papæ: niſi prædicto modo, donec filium maſculum ſuſcipiat? Quis ergo debet dicere, quod papa non poſſit ſic diſpenſare, poſtquam diſpenſat cum infideli dirimendo carnali copula conſumatum? ergo ſic debet poſſe ſtatuere, vt contrahat & dirimatur maſculo filio naſcente. Septimo quia cauſa papa diſpenſat contra ius diuinum illud interpretando, & contra Euangelium, & nouum & vetus teſtamentum, & contra Apoſtolum, vt plene ſupra dixi in ſuis locis. In omnibus prædictis ergo: & hoc caſu poteſt interpretari dictum Dei: *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, vt intelligatur non ſeparet ſine ratione, vel maiori & meliori cauſa ſubſiſtente 33. *quaeſt. 2. cap. quos Deus.* & ita dicit Iſidorus. Nam princeps interficit virum, qui deliquit & ſic ſeparet matrimonium. Octauo hoc probatur argumento de matrimonio ſpirituali ad carnale: ſed matrimonium ſpirituale poteſt contrahi ſub conditione, vel pure reſoluendum in conditionis euentum,

vt tex.est 7.*q*.1.*c.pastoralis.* & hæc auctoritate papæ, qui potest beneficia conferre ad diem vel ex die: sicut miles potest ex priuilegio dare hæreditatem *l.in fraudem.* §.*miles.* *ff. de mili. testa.* sic etiam posset in matrimonio carnali disponere papa ex priuilegio suæ amplissimæ potestatis: cum hæc facere videatur vt Deus & non vt homo: vt in *cap.2.& 4.de transla.prela.* Ego salua sententia ac determinatione sanctæ matris ecclesiæ, cui in omnibus in isto opere insertis me subiicio: Credo quod papa matrimonium consumatum carnali copula post baptisma, nulla de causa separare, vt desinat esse matrimonium, vt dixi supra in quæstione quæ incipit: *Videamus modo si papa potest dispensare in matrimonio per verba de præsenti* &c. Sed in contracto ante baptisma sic, vt ibi dixi. Et sicut non potest dispensare postquam est consumatum carnali copula, vt desinat esse matrimonium, sic à principio nō potest hanc conditionem imponere, vt eueniente certo casu puta filiorum ex matrimonio habitorum matrimonium dissoluatur, per iura pro ista parte inducta *l.quod sponsa. Cod. de dona.ante nup.* & hoc vult text.in *c.quanto.de diuer.* Fateor tamen quod iugalibus consentientibus quod papa posset inducere, quod ille monachus ad monasterium reuerteretur habito filio masculo, & illam continentiam seruaret, vel intrando religionem etiam ipsam vel castitatem vouendo: vt in *cap.1.de conuer.coniu.* Et sic illa verba papæ duraturum matrimonium donec filium masculum susceperit erunt interpretanda in hac quæstione. Non ob.contraria: & primo dum dicitur quod potest papa dirimere matrimonium secundum legem diuinam contractum etiam carnali copula consumatum, si cōtra iura canonica sit contractum, vtputa infra quartum gradum, vel contra votum solenne, vel cōiugatione spirituali, vel contra interdictum papæ: quia respondeo quod in casibus prædictis matrimonium contractum contra mandata papæ nunquā fuit matrimonium secundū legem Dei. nam papa vltra ius diuinum inducendo impedimentū causat, vt nō sit vel fuerit inter contrahentes contra mandatum suum ad matrimonium consensus: & sic matrimonium non valet etiam de iure diuino, quia est contractū contra statutū papæ, qui loco Dei est in terris: vt in *c.1.2.& 3.supra de transla. prela.* & sic non dirimit papa his casibus matrimonium, sed temerarie contractum separat, quia venerunt contra legem superioris, & sic morte digni sunt. *de maio.& obe.capit.2.* & hanc conclusionem volunt Docto.in *c.super eo.de cog.spi.& in c.quod dilecto.de consang.& affi.& in c.fi.de spon.duo.* vbi dicūt Doct. quod licet papa per suam constitutionem non posset inter habiles inducere matrimonium, vbi non esset amborum consensus, tamen potest ipsos impedire ne contrahant. Sed nostrum thema loquitur quando est legitime contractum & consumatum, quod papa non potest dirimere, per primo dicta. Nec obuiat si dicitur: papa est hic qui loco Dei est, mandauit cōtrahi sub ista conditione: ergo aliter contra mandatum contrahi non potest: & si contractum est dissolui potest. Nam respondeo quod talem conditionem papa non potuit apponere contra substantiam matrimonii, & per quam rite iam matrimonium consummatum possit dirimire: quia papa non potest facere contra substantiam rei, quia esset ponere contrarietatem in subiecto quod vellet rei substantiam & ipsam substantiam opprimere, quod est contra *l.certarum.de testa.tute.* Sed substantia matrimonii est, vt sit in proposito contrahentium perpetuum: quia matrimonium est viri & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem continens. sed hic papa ad tempus volens matrimonium subsistere, apponit quid contra substantiam matrimonii: & sic non potest esse matrimonium. Item papa non potest facere illa quæ specialiter sunt sibi prohibita, secundum Inno. sicut est quod dissoluat matrimonium carnali copula consumatū post baptisma: in quo cum figuretur quid indissolubile, & ipsum matrimonium indissolubile est: Et sicut Deus non potest illa ex quibus suæ excellentiæ derogaretur, vt dicit magister Sententiarū *lib.1.c.14.* sic nec potest papa. Et ideo dicit, Deus nunquā dissoluet à se ecclesiam: sic nec papa vnquā dissoluet matrimonium carnali copula consumatum: quod significat vnionem ipsam Christi & ecclesiæ, vt dixi. Non ob. no. in *c.fi.de spon.duo.* quia fateor quod papa posset ibi approbare secundum & primum dirimere: quia primū ibi erat solum per verba de præsenti contractū sine carnali copula, quod papa potest dissoluere: sed consumatum non. Et si dicis, quare ergo secundum ibi non approbat, si approbet seu approbare potest vt dixi? quia respondeo quod cū per prius alteri esset ius quæsitū per primū contractū, secundū matrimonium non tenuit: quia contractum post ius alteri quæsitum. vnde ibi non approbando secundum non dirimit matrimonium consumatum carnali copula: quia non erat matrimoniū, licet papa ipsum comprobando potuisset ipsum firmare & roborare etiam in præiudiciū primi, per prædicta. Nō ob. *c.quanto,* vbi dirimit inter infideles etiam carnali copula consumatum: quia illud matrimoniū non erat ratum, vt dixi in dicta quæstione, *an papa dispenset in matrimonio carnali copula consumato,* quæ incipit: *videamus modo* &c. Et sic papa dispensare ibi potest: sed postquam matrimonium est ratum post baptismum nunquam dissoluit: sicut nec dispensare posset quod quis habeat duas, vt ibi: quasi hæc duo vel alterum ipsorum facere sit contra fidem, contra quam pro quocunque magno bono, vel euitando magno malo facere non licet: vt 13.*di.quod ait,* & quod ibi not. Non ob. quod dispensat contra ius diuinum & contra Euangelium &c. quia ex dictis in dictis quæstionibus, & in hac quæstione patet responsio. Non ob. quod dicitur de matrimonio spirituali: quia fateor quod non debet contrahi ad tempus, vel sub conditione, vel ad diem, nisi papa velit: vt 7. *quæstio.1.pastoralis.* Sed tunc respondetur, quod est fortius carnale quam spirituale, licet spirituale sit dignius, quia spirituale potest à papa dissolui, carnale non: vt not. in *capit. inter corporalia. de translatio.prela.* Non ob. quod dicitur de consuetudine, quod illa inducit vt matrimonium carnali copula consumatum dirimatur: quia

text.

Digitized by Google

text. in *capit. super eod. de cogi. spiritu.* loquitur vt dirimat matrimonium ante contractum per consuetudinem prohibitum: tunc si nunquam fuit matrimonium non potest dici quod dirimatur. Et intellige quod consuetudo potest inducere prohibitionem in matrimonio, vt dirimat post contractum, quando illa consuetudo habet approbationem iuris antiqui: etiam quamuis per nouum correpti: vt no. in dicto *c. super eo. de cog. spi.* alias si nō haberet approbationem iuris antiqui, non posset consuetudo inducere impedimentum, vt dirimeret contractum: sed bene posset inducere, quando esset causa dolosa impedimentum, vt impediret contrahendum: vt no. Doc. in dicto *c. super eo.* Et ideo posset inducere consuetudo, vt matrimonium in quinto gradu contractum non valeret, & dirimeret contractum. Ex quibus concludo quod in matrimonio carnali copula consumato post baptisma Papa in nullo casu potest dispensare ipsum totaliter dissoluendo, vt forte cū alio contrahent: sed ante baptisma sic. & sicut non potest dissoluere, ita non potest ante contractū mandare ipsum perficiendum, vt demum post consumationem aliquo casu dissoluatur, vt cum aliis contrahatur: sed eius consentientibus vt religionem in dicto casu ingrediantur sic. & sic intelligo hanc dubiam quæstionem.

SVMMARIVM.

Pontifex dato quod non potuerit taliter statuere, an valeat simpliciter dispensatio quod possint contrahere, non obstante voto continentiæ, reiecta illa expositione conditionis quod duret vsque filium masculum susceperit, vel in totum vitietur dispensatio.

CAPITVLVM XXV.

TErtiam nunc quæstionem assumo: an per illam adiectionem quod matrimonium duret donec filium masculum susceperit, vitietur tota dispositio, vel solum ista conditio reiiciatur: videtur primo quod actus in totum vicietur, per tex. in *l. actus legitimi ff. de reg. iur.* vnde sumpta est regula in *c. actus legitimi. de reg. iur. li. 6.* Nam quando dies vel conditio adiicitur contra substantiam actus, viciat ipsum actum totum. ita loquitur, vt dixi, supra hæc regula *c. actus legitimi.* Sed talis est ista conditio: quia matrimonium quod debet esse perpetuum, facit temporale & ad tempus, siue ipsum resoluit in conditionis euentum. Et pro hoc videtur casus in *c. fi. de condi. app. & 32. q. 2. c. aliquando. & c. solet.* Secundo de hoc videtur casus quod non valet in aliquo dispositio in *l. per seruum. §. 1. ff. de vsu & habi.* vbi quando apponitur pactū contra substantiam vel naturam rei in contractu deductæ: quando tale pactum apponitur incontinenti, non valet contractus nec pactum. sed matrimoniū est contractus, & res deducta in contractu: ideo pactum appositum contra eius substantiam non valet: dicta *l. per seruum. §. 1.* Tertio hoc probatur à simili auctoritate glo. quę hoc tenet in monachatione: q si aliquis profiteretur religionem retentus sibi ad dominium aliquibus bonis, quod vitietur ingressus: ita no. glo. in *d. l. per seruum. ff. de vsu & ha.* & glo. in *d. c. fi. de condi. ap. & c. fi. qui cle. vel vo. & in c. 2. de sta. mona.* & glo. in *cle. eos. de regula. in fi.* In contrarium videtur tex. in *l. cum precario. ff. de preca.* vbi est tex. quod si res datur præcario, vt non possit ante certam diem reuocari, quod valet datio & contractus precarii: sed non illud pactum quod non liceat ante reuocari, cum sit contra substantiam precarii: & tamen hoc pactum non vitiat totam dationem precarii, sed ipsum solum vitiatur pactū. Secundo videtur casus in *l. si quis in principio test. ff. de le. 3.* cum ibi no. per Doc. Nam si quis fecit testamentum etiam cum pacto de non reuocando, valet testamentum, sed non pactum, cum sit contra substantiam testamenti, quę est vt in eo voluntas hominis sit libera & ambulatoria vsque ad mortem *l. 1. C. de sacrosan. ec.* cum quis non possit sibi legem imponere, à qua sibi non liceat recedere, vt ibi *& l. pe. ff. de arbi.* Tertio de hoc etiam videtur casus in *l. si quis hæres instituatur excepto fundo. ff. de hære. insti.* coniuncta. *l. hereditas ex die. eo. ti.* Nam hæreditas non potest dari quibusdam rebus exceptis alteri non relictis, nec ex die certo, vel ad diem certum dari non potest quia est contra substantiam hæreditatis, quæ est vt sit successio in vniuersum ius quod defunctus habuit *l. hereditas. de verbo. sig.* Sed si daretur ex die vel ad diem, non haberet totam hæreditatē: quia non in tempore, quo nondum dies venisset: & sic non patitur diuisionē, in quo vel in rebus ipsa hæreditas in eodem hærede alio coherede non dato: vt *l. 1. §. si ex fundo. ff. de hære. insti.* ita non patitur in tempore, vt dixi, supra in alia quæstione per *l. miles ita heredem. ff. de mili. te.* & tamen si quis instituatur ex die vel ad diem, tollitur adiectio diei, & dispositio pura remanet. Idem si dicit: instituo Titiū ex fundo: quia detracta mentione fundi remanet hæres in solidum: Idē si dicit, excepto fundo: quia sublata exceptione est heres totius. Sic in hoc casu detracta mentione quod dissoluatur interuentu masculi valeat dispensatio & matrimonium, & illa adiectio vicietur. Quarto hoc probat *l. vbi mihi ita donatum. ff. de dona causa mor.* vbi si donatur causa mortis, vt non liceat reuocare, quod est contra substantiam donationis causa mortis, certè talis adiectio non vitiat contractum, sed transit in donationem inter viuos, vt ibi: ita hic hæc verba interpretentur *vt duret, donec filium susceperit*: subaudi & monachus demum reuertatur ad monasterium, & similiter castitatem obseruet: vt in *capit. 1. de conuer. coniu.* Quinto de hoc videtur tex. in *l. pacta. in fi. ff. de contrahen. emp.* vbi pactum appositum contra substantiam contractus non valet, sed remanet contractus: sic in nostro casu non valet ista adiectio, *donec filium* &c. sed valet matrimonium, sed non adiectio.

Digitized by Google

Quid igitur nunc dicendum? Ego salua meliori deliberatione credo quod dispensatio & tota dispositio vitietur in totum, per tex. in dicto *capit. aliquando. & capit. solet. 32. q. 2.* & per casum in *capit. fi. de condi. app.* vbi est casus quod conditio apposita in matrimonio, quæ habeat resoluere matrimonium in vita iugalium, vt quod matrimonium duret donec opulentiorem inuenerit, vitiat matrimonium in totum. Non ob. contraria: Pro quorum solutione vltra omnes Doct. censeo distinguendum sic: Quia aut pactum apponitur contra substantiam contractus: & tunc aut apponitur incontinenti, aut ex interuallo. Si incontinenti: aut dispositio incipit à pactione, aut à conditione. Si à dispositione vel pactione incontinenti apposita, & tunc aut potest sic interpretari vt valeat, & ita quod non sit contra substantiam contractus, etiam si opus foret transferendo ipsum in alium contractum, quem verba pati possunt: tunc valet vt ille alius contractus *l. vbi ita mihi donatum ff. de dona. causa mor.* quæ sic debent intelligi. aut non potest interpretari vt transeat in alium contractum, sed est contra substantiam contractus qui celebratur: & tunc aut sunt actus legitimi qui numerantur in *l. actus legitimi ff. de reg. iur.* qui ex sui natura & substantia diē vel conditionem non recipiunt: & tunc appositio diei vel conditionis contra substantiam talium contractuum vitiat ipsum contractum. Aut non sunt de illis actibus: vel si sunt appositio & pacta contra substantiam non est circa diem vel conditionem, sed in aliquo alio contra substantiam: tunc dic quod aut appositio pacti est contra substantiam contractus, sed non eius obseruantia, nec est turpe pactum: & tunc valet contractus, sed non pactum: ita debet intelligi *l. cum precario ff. de preca. & l. si quis in principio testim. de le. 3.* & dicta *l. si quis hæres instituatur & l. hereditas ex die. & l. 1. §. si ex fundo ff. de here. insti.* Nam apponere pactum quod non possit reuocari præcarium, nisi adueniente certo tempore, est contra substantiam præcarii: & ideo non valet, licet si nunquam infra ipsum tempus reuocaretur, non esset contra substantiā præcarii. Simile in testamento facit quis testamentū, vt non liceat reuocare. hæc adiectio est contra substantiam testim. Et si contingat tamen non reuocari, hæc obseruantia non est contra substantiam testim. Similiter apponere dispositionem, quod quis vnicus institutus non habeat totam hæreditatem, est contra substantiam: quia hæreditas est successio in vniuersum ius &c. *l. hereditas ff. de ver. sig.* Et tamen si contingat quod totam non habeat de facto, non est contra substantiam. Et ideo si in casu *l. vbi ita mihi donatum*, ibi donatio non potuisset, trāsire in donationem inter viuos, valuisset tamen vt donatio causa mortis illo pacto vitiato apposito: quia quod non reuocaretur donatio, hæc obseruantia non erat contra substantiam, licet appositio pacti sic. & hoc probat *l. si stipuletur in 2. responso. de verbo. obli.* ibi, *si perpetua causa prohibitionis sit*, quasi secus si non sit perpetua, & causa nō sit turpis, vt ibi. Nec ob. prædictis dicta *l. vbi ita mihi donatum in 2. responso*, vbi non poterat inter virū & vxorē valere vt donatio inter viuos: & tamen non valet vt donatio causa mortis: quia ibi. l. interpretatur propter dubia verba, quod sit donatio inter viuos, quæ non valet inter virum & vxorem. Sed ego loquor, quando constaret quod contrahentes volebant, quod esset donatio causa mortis cum illo pacto vt non reuocaretur: tunc valeret donatio, sed non pactum. per *l. cum precario ff. de preca.* Vel dic quod non valet, licet non habeat perpetuam causam prohibendi: quia donatio inter virum & vxorem censetur habere statim tunc animi continere turpitudinem, & sic non valet, *d. l. si stipuler. 2. respon.* sed si non haberet tunc turpitudinē: loquor valeret quando ipsorū contractus habere cēseretur tunc turpitudinē, sed si cōtractus haberet tūc turpitudinē, sed tantū pactū haberet turpitudinē, tūc cū fuit interpositū, hoc nō vitiaret dispositū: sic intellige *l. si quis in principio testi.* & q̄ dixi supra. Et multo magis hęc vera sunt, si pactū tale adiicitur ex interuallo, vt valeat cōtractus, sed non pactū nisi ex pacto posset trāsire in spē noui cōtractus, ita quod à primo recessum videatur: quia tunc valet vt secundus cōtractus. tex. est *in l. pacta. in fi. ff. de contrahen. emp.* quæ l. loquitur solū, quando ex interuallo tantum tale pactum fuit appositum. Si vero pactum & eius obseruantia est contra substantiam contractus: tunc si apponatur incontinenti, nec cōtractus nec appositio pacti valet: vt in *l. actus legitimi* & tex. est in *l. certarum cum l. se. ff. de testa. tu. & l. 1. ff. si cer. peta.* Nam pactum appositum vt mutuum non fiat accipientis vitiat contractum mutui, cum sit contra substantiam eius, quæ est vt fiat de meo tuum: vt dicta *l. certarum.* Nam tutor si datur certæ rei, non valet datio. Et est ratio, quia vna res non debet diuerso iure censeri, *l. eū qui ædes in fi. ff. de vsuca.* Sed tutor datur principaliter personæ. ergo in bonis eius non debet esse diuersitas. & quia in obseruantia etiam esset ista repugnantia, ideo in nullo valet. Similiter si quis velit emptionis contractum celebrare sine precio, non valet contractus emptionis: vt *l. 1. §. 1. ff. de contrahen. empti.* & pro hoc videtur bonus tex. in *capit. si quis basilicam. de conse. di. 1.* & loquitur ibi, quando pactum est appositum in vi modi contra naturam rei siue substantiam in contractu deductæ: ita etiam intelligo tex. in *capit. fi. condi. appo. & in cap. solet. & aliquando. 32. q. 2.* nam si contrahitur matrimonium pacto apposito, quod mulier euitet prolis procreationem, vel vt in adulterium se præbeat, vel quod duret donec inuenerit ditiorem: tunc tale pactum & eius obseruantia est contra substantiam contractus, & vitiat contractum: quia substantia matrimonii consistit vt sit perpetuum, vt dixi: & quod habeat tria bona, fidem prolem & sacramentum 32. q. 2. §. *quid ergo.* ideo quod mulier euitet prolem viro se cum ea commiscente est contra substantiam in pacto & in obseruantia, dicto viro secum commiscente vt euitet prolem: quia si contraherent eo pacto, vt euitarent prolem ratione continentiæ obseruandæ istud non vitiaret matrimonium. Patet in Ioseph & Maria, qui non habuerunt propositum commiscendi: nam valuit matrimonium: quia licet pactum esset contra substantiam matrimonii, ipsa obseruantia non

tia non

Digitized by Google

tia non erat contra. Et ideo etiam si deduxissent in pactum expresse sum matrimonium valuisset, sed non pactum, quin potuissent licite à tali pacto recedere : licet secus sit quando vult euitare prolem, vt dixi, viro secum commiscente : quia hæc sunt contra substantiam in pacto & in obseruantia. Et idem cum vult separari & cum alia contrahere, vel quando vult alteri commisceri carnaliter : cum enim in pacto & in obseruantia hæc sint contra substantiam matrimonii, vitiatur ipsum matrimonium ex alicuius appositione talium in pacto incontinenti apposito, dicto *capit. fi. de condi. appo. & l. certarum. de testa. tu.* cum similibus: quæ iura sic debent intelligi: licet quidam dicunt, quod in *l. cum precario*, ideo valuit contractus, sed non pactum, quia nulla erat turpitudo in pacto: quod secus in casu dicti *ca. fi. de condi. appo.* Sed isti male dicunt & contra tex. in *l. si quis in principio testamenti*, cum ibi no. per Doc. coniuncta *l. si stipul. hoc modo. de ver. obli.* Nam si facio testamentum pacto apposito, quod non liceat reuocare testamentum sed non pactum: & tamen pactum est contra bonos mores ciuiles: vt no. in dicta *l. stipulo hoc modo*. Item sola turpitudo in *c. fi.* non vitiat matrimonium : vt si contraho matrimonium pacto apposito, quod occides Titium, valet matrimonium: vt *c. 1. de condi. appo.* sed non pactum. & est spirituale in casu matrimonii, vt valeat contractus matrimonii initus sub conditione turpi, quando non est contra substantiam matrimonii: licet in aliis contractibus secus sit *l. impossibilis ff. de verb. ob.* Sed si tale pactum contra substantiam matrimonii adiicitur ex interuallo, tunc valet contractus sed non pactum : vt *l. pacta in fi. ff. de contr. ahen. emp.* quod est verum, nisi ex nouo pacto posset transiri in nouum contractum & recedi à primo: quia tunc valeret pactum secundi contractus: dicta *l. pacta. in fi.* Si vero incipit contractus à præcedenti conditione, vt si in casu *l. cum præcario*, contractus sic fuisset initiis : concedo hanc rem præcario, sed non liceat ante kal. reuocare : vel in casu *c. fi. de condi. appo.* si dictum fuisset: contraho matrimonium si procreationem prolis euitaueris: tunc dico, si est conditio cui ius resistat tunc illa tanquam impossibilis vitiat contractum & pactum *l. impossibil. de verbo. ob. & l. generaliter. & l. si plagii.* hoc tamen est in contractu matrimonii, vt tunc non valeat contractus matrimonii : sed si non est contra substantiã, sed alias habet conditionem turpem etiã cui ius resistat: vt si contraxi matrimonium, si furtum feceris, si occides hominem: tũc valet matrimonium reiecta tali turpi conditione: vt est tex. in dicto *c. fi. & in cap. 1. de condi. apposi.* & est speciale in contractu matrimonii. Si vero est conditio cui ius non resistat, tunc si sunt cõtractus legitimi, qui numerantur in *l. actus legitimi. de iure iur.* & sic conditio cum appositione diei vel conditionis contra substantiam ipsius actus: & tunc actus vitiatur: vt ibi, & in regula: *actus legitimi. de reg. iur.* si vero non sunt de illis contractibus: vel si sunt de illis, non est appositio conditionis in die, vel conditione, quæ sit contra substantiam actus, sed alia conditio cuius non assistat: vel si sint alii contractus quam illi ibi enumerati, & sit conditio etiam contra substantiam actus cui ius non assistat: tunc valet contractus, sed non pactum, dicta *l. cum præcario. ff. de praca.* & sufficit conditionem impleri saltem de facto *l. quidam cum filium. de verbo. obli.* nota. in *l. continuus. § cum quis ff. eo. ti. l. mulier. §. 1. de condi. insti.* Aliquando pactum non est contra substantiam contractus : sed est contra substantiam vel naturam rei in contractu deductæ: tunc si tale pactum apponitur incontinenti, non valet contractus nec pactum *leg. per seruum. §. 1. Digest. de vsu & ha.* & ista potest esse ratio *c. fin. de condi. appo.* quia matrimonium est ibi contractus & res in contractu deducta: & ideo non valet ibi contractus, quando apponitur pactum contra naturam matrimonii. Si vero ex interuallo apponitur : tunc si pactum est turpe, non valet: dicto *cap. fin. condi. appo.* sed valet contractus. aut non habet turpitudinem tale pactum: & tunc si ad diminutionem adiicitur, valet: sed si ad augmentum, non valet vt actionem pariat, sed vt exceptionem producat: sic dicta *l. de contrahen. empt.* Aliquando est pactum contra accidentalia siue naturalia rei in obligatione deductæ: tũc valet contractus, sed non pactum *l. 1. §. 1. Digest. si vsufruc. peta.* nisi possit transire in alium contractum : quia transit tunc in alium : vt *l. manusata. in fin. Digest. de contrahen. emp.* Nam pactum appositum, quod res non transeat in dominium emptoris, est contra naturalia rei in obligatione deductæ: & ideo valet vi alterius contractus, vt ibi. ita debet intelligi ista materia male explicata, quæ facit ad infinitas quæstiones. primum sic constituo procuratorem, si non reuocauero : vel pacto apposito quod non liceat reuocare, tunc valet constitutio, sed non conditio vel pactum de nõ reuocando, cum sit contra substantiam contractus ipsa conditio vel pactum: & est cõditio cui ius non resistit, licet non assistat: dicta *l. cum præcario ff. de praca.* Et idẽ in omnibus quæ dependent à nuda voluntate disponentis, & sunt ad placitum voluntatis reuocatoria, vt valeat voluntas vel dispositio, non obstante pacto vel conditione, aut negatiua voluntatis: vt si facio testamentũ sub conditione, si non liceat reuocare, vel quod non liceat reuocare pacto apposito : nam valet testamentũ conditione reiecta & pacto. idem credo in casu *l. vbi ita mihi donatum ff. de dona. cau. mor.* Nam si ibi expresse dixisset, quod non vult quod illa donatio sit inter viuos, sed sit causa mortis, quæ non possit reuocari : tunc valeret vt donatio causa mortis, sed pactum de non reuocando esset irritum : & similiter conditio si donasset causa mortis si sibi non liceat reuocare.

Item faciunt ad aliam subtilissimam quæstionem : si aliquis ingressus est monasterium pacto apposito, quod sibi liceat retinere certa bona, an valeat ingressus, & irritetur pactum illud retentionis solum : an vero vitietur ingressus : in qua dico, quod aut ingressus fuit conditionalis,

Digitized by Google

aut purus, sed pactum fuit adiectum de bonis retinendis. si conditionalis, tunc si potest aliter interpretari, vt non vitietur ingressus, valebit pactum & ingressus, vt intelligatur de retentione bonorum conniuentibus oculis abbatis, quod licet monachis: vt in *c.2. de sta. mona. ar. deten. l. vbi ita mihi donatum ff. de dona. causa mor.* loquor vt habeant secundum casum *capit. 1. de sta. mo.* & dummodo non habeat iure obligationis: quia verba debent interpretari sic ratione personarum *l. plenum. §. equitii. de vsu & ha. in cap. soluta. de maiori. & obedi.* Si vero non potest sic interpretari, vt valeat, sed sit contra substantiam omnino: vtputa quia expresse dixit, quod sibi liceret iure proprietatis & dominii aliqua retinere: vel vellet quod ex pacto in perpetuum sibi deberentur ad vsufructum vel administrationem: quo casu ius ex stipulatione haberet vt proprium: tunc vitiatur ingressus. ar. dicti *capit. fi. de condi. apposi.* Nam sicut pactum vel conditio apposita contra substantiam carnalis matrimonii vitiat contractum: ita conditio contra substantiam monachatus, vt est paupertas: dicto *c.2. de sta. mona. & de regula. c. ex parte.* cum enim votum hoc casu sit emissum conditionaliter, non obligat pure, etiam si conditio de se non sit licita, vt videtur voluisse Inno. in *ca. scripturæ. de voto.* & videtur tex. *17. q. fi. c. fi. in fin.* Est enim hæc conditio turpis in monacho & contra substantiam monachatus: vt in *c. soluta. de maiori. & obe.* vnde vitiat monachatum, dictis iuribus: licet forte idem foret si esset alias turpis, & non contra substantiam monachatus : vt in *capit. fi. qui cleri. vel vo.* vt vitiet etiam monachatum : vt si vouero religionem, si hominem Titium occidero. cum enim sit spirituale in matrimonio carnali, vt hæc ipsum non vitiet: vt in *capit. 1. & in cap. fi. de condi. appo.* non sic credo in monachatu : quia in contrarium in aliis est ius commune. Sed si ingressio fuerit pura cum adiectione pacti : tunc aut pactum fuit appositum incontinenti, aut ex interuallo. si incontinenti, tunc si potest sic interpretari vt teneat ingressus, & valet iuxta ea quæ proxime dixi, & exemplificaui, vt intelligatur retentione bonorum conniuentibus oculis abbatis : quia verba contractus sunt interpretanda secundum naturam contractus super quo interponuntur *l. si vno. ff. locati.* & secundum qualitates personarum contrahentium *l. plenum §. equitis ff. de vsu & ha.* igitur fiet interpretatio de habendis bonis, vt dixi : & de hoc videtur tex. in *cap. fi. qui cle. vel vo.* secundũ solutionem glo. ibi quæ incipit: *ergo non erat*, tenendo quod illius mulieris ibi tenebat ingressus, & pactum fuerat factum de retinendis bonis in ingressu, & in ipso ingressu : licet quidam vt Inno. aliter intelligant illud c. vt dicam statim in fi. huius quæstionis. sed si non potest fieri talis interpretatio, vt quia expresse dixit, quod volebat retinere certa bona ad dominium & proprietatem tunc vitiatur ingressus & pactum : cum sit contra substantiam monachatus & ius resistat : dicto *cap. fi. de condi. appo.* & hoc tenet glo. in *l. per seruum. §. 1. ff. de vsu & ha.* per illum tex. qui optime probat. nam hoc pactum non est solum contra contractum & eius substantiam : sed & contra rem quæ venit in contractu siue substantiam rei venientis in contractu : quia monachus est contractus & res quæ venit in contractu. & ita tenet glo. in *capit. fi. qui cle. vel vo. & in capit. 2. de statu mo.* idem tenet Bar. Bric. & Paulus de Eleaza. idem Roffredus, licet aliqui contra, vt glo. decreti *32. q. 2. capit. solet in fi. magna glo. &* Vincen. & Inno. & hosti. in *cap. insinuante, qui cle. vel vo.* & Philippus & Damasus & Guil. Naso: & Glo. in *auth. ingressi. de sacrosanc. eccl.* & idem Pet. & Iac. de Are. & Io. Andr. in dicto *cap. fi. de condi. appo.* dicentes quod repugnantia adiecta in spiritualibus non tollit id quod est fortius & principalius *l. si ita quis hæres instituatur, excepto fundo ff. de hæredi. insti.* sed habetur pro non adiecto. vt ibi respondent ad *capit. fi. de condi. appo.* quod in matrimonio carnali obligatio fit homini, cui est imputandum, si tali conditioni consentit. Nam consentiendo est in culpa: & ideo non valet matrimonium ad eius vtilitatem : & hoc probat bene *l. non solum. ff. de act. & obli.* Sed in monachatu obligatur Deo, cui nihil potest imputari vel culpæ ascribi, licet ad professionem sic fuerit ab abbate admissus. Sed ista ratio mihi non placet: quia concluderet quod matrimonium non deberet valere, si apposita fuisset alia turpis conditio, etiam quæ non esset contra substantiam matrimonii, cum recipiens cum tali conditione fuerit in culpa, & tamen non est verum quod matrimonium non valeat : vt dicto *capit. fi. de condi. appo.* Secundo assignat aliam rationem & responsionem. igitur conditio turpis contra substantiam matrimonii vitiat matrimonium, quia omnis eius substantia est à Deo. vnde conditio ipsi contraria irritat eum : quod non est in monachatu, quia quod monachus non habeat proprium est ex institutione ecclesiæ *12. q. 1. capit. certe. & capit. nolo.* & ideo hoc tolli potest, cum sit à sola institutione Papæ : *de sta. mona. capit. cum ad monasterium.* & hoc tenet Archi. *32. q. 2. cap solet.* hæc ratio etiam non placet: quia dato quod sit ex institutione ecclesiæ : tamen quod leges non habeant locum in suis dispositionibus quis facere priuatus non potest. vt *l. nemo de le. 1.* Item quia etiam pacta adiecta contra substantiam contractus à iure ciuili vel gentium inuentos irritat ipsos contractus: vt *l. certarum. de testa. tu.* & dicta *l. actus legitimi.* Item assignat aliam rationem: quia in matrimonio est contractus vltro citroque obligatorius, *de ver. sig. l. labeo la. 2.* & obligatur certæ mulieri, quia matrimonium non recipit incertitudinem : *de spon. capit. 1. lib. 6.* sed monachatus licet possit dici contractus: vt in *capit. ad Apostolicam. de regula.* non est tamen illius formæ cuius est matrimonium, quia in matrimonio hincinde nascitur obligatio, sed in monachatu non, sed tantum profitens obligatur, alter vero solũ recipit, sicut in ordine vel in ordinis receptione *28. di. diacони.* in quibus morte recipientis professionem vel ordinẽ dantis non dissoluitur monachatus vel ordinatio. item protestatio contra naturam ordinis, vt quod possit contrahere, non vitiat ordinis receptionem, sicut fit in matrimonio

matrimonio morte alterius iugalium. Et ista est ratio, quare non valet matrimonium, sed monachatus sic. Sed mihi non placet ista ratio per dictam *l. certarum*, vbi est solum factum testatoris, & non valet datio : & ideo placet plus prima decisio, per iura primo inducta. Nam & in matrimonio obligatur quis etiam Deo, licet in monachatu per prius & in matrimonio per posterius siue secundario. igitur communi consensu non potest dissolui carnale matrimonium, *de iureiur. capitulo tua. el 2. & de regu. veniens. & capit. fi.* Item quia licet monachatus fiat Deo, non fit tamē nisi medio hominis recipientis loco Dei : *de regu. capit. porrectum. & capit. ad Apostolicam.* quia etiam obligationes, quæ fiunt Deo, non valent in foro contentioso, nisi recipiantur ab homine : vt no. in *l. illud. C. de sac. sanc. eccle.* facit *de vsur. quanquam li. 6.* & quod no. Inno. *de sepul. c. parrochiano & ff. de arbi. l. arbiter intra certum.* Spe. in *ti. de loca. §. nunc aliqua. ver.* 74. Non ob. quod Dei præsentia debet repleri contractus *l. properandum. §. sin autem. C. de iudi.* vel quod Deus recipiat vbi deficit homo : quia non constat, quod Deus sic vouentium conditionaliter, pure recipiat : quia iste sic vouendo conditionaliter, vel cum huiusmodi pacto contra substantiam, non est omnino voluntarius, & forte peccat, & victimæ impiorum abominabiles fiunt vel sunt Domino *1. q. 1. c. sicut populus. & c. odit Dominus.* & ideo licet quis profiteatur ordinem Cisterciensium, non tamen est monachus illius ordinis, nisi profiteatur in manibus illius qui potest ipsum ordini incorporare: vt in *cap. porrectum de regu.* no. in *c. quod Dei timorem, de sta. mona.* Item cum votum emittatur conditionaliter vel modaliter siue qualificate, non videtur quod obliget pure, etiam si conditio vel qualitas de se non sit licita : vt videtur voluisse Inno. in *c. scriptura de vot.* & no. tex 17. *q. fi. c. fi. in fi.* & supra dixi. Nec video rationem, quare abbas, qui potest professionem recipere & non recipere non possit eam recipere taliter, quod non sit vitiosa: & quod sit vitiosa, quod obligetur profitens sicut vxor viro. nec est verum, quod habere proprium non sit contra substantiam monachatus: quia secundū hanc substantialitatem recipitur ab ecclesia: vt dicto *c. cū ad monasterium.* Et sicut quando fit contra substantiam contractus inductam à iure ciuili vel gentium non valet contractus. *l. certarū. de testā. tu.* quando pactum & eius obseruantia est contra substantiam contractus: vt in *l. cum precario.* coniuncto. *c. fi. de condi. appo. & l. per seruum* §. 1. *de vsu & habi.* sic quando fit contra substantiam inductam à iure canonico, quando pactum & obseruantia est contra substantiam : vt dixi, supra cum igitur professio debeat fieri certæ personæ recipienti & per profitentem, non video cur pacta apposita contra substantiam non irritent: sicut si promissio fieret seruo contra substantiam, qui seruus est minister Domini non valeret : quia haberet iure istius stipulationis iure proprio : Et licet factum mali ministri non deberet posse dissoluere obligationem iam contractam, tamen potest impedire suo medio, vel ipso mediante contrahendam obligationem: vt in *l. si communis seruus ita. & l. seruum fructuarium. & l. 2. ff. de stipu. ser.* Hoc enim non nascitur obligatio ex contractu inualido : & sic impedit acquirendam : vt no. 16. *q.* 6. §. *fi.* & ibi glo. no. non dissoluitur, vt dixit Io. An. Et quod Deus ipse non intelligatur recipere talem obligationem cum tali protestatione facta, probatur : quia sic vouens vel profitens non est in tali professione omnino voluntarius, quem voluntarium Deus quærit, coactum vero exactionatur diabolus, id est, emit vel acquirit 15. *q. 1. non est.* no. *quod me. cau. in c. abbas. in glo. ad fi.* Quare teneo, quod si pactum apponitur vel protestatio in professione contra substantiam professionis, quod incontinenti concipiatur, vel fiat conditionaliter, quod vitietur ingressus sicut matrimonium carnale: & hoc nisi possit taliter interpretari, quod non vitietur salua verborum substantia: quia tunc valebit, vt habeat iure administrationis, vt dixi. Et aduerte quod talis administratio non intelligetur, vt habeat vim pacti præcise, quia in hoc monachus haberet contra substantiam monachatus, quia haberet ius istius stipulationis iure proprio: sed habebit administrationē ad nutū abbatis reuocabilem, & non vt propriam: quia verba sunt intelligenda secundum personas, cū quibus proferuntur *l. plenum. §. equitii. de vsu & habi. de maio. & obe. solitæ.* Sic potest saluari opi. Bar. qui hanc distinctionem posuit per *l. vbi ita donatum. de do. causa mor.* quæ fuit gl. in *capitulo insinuante. qui cle. vel vo.* immo forte dici posset, quod si abbas iurasset non reuocare hanc administrationem, quod non posset : vt in *capitulo non est obligatrium.* & quod ibi Io. An. *de reg. iur.* Item iste qui sic vouit posset implorare officium superioris, sicut seruus potest pro obligatione Domini : vt no. Inno. *qui cle. vel vo. c. insinuante.* quod dictum est verum: quia ex quo implorat officium iudicis, patet quod nulla est obligatio. *l. qui per collusionem : de acti. emp.* & si iste monachus non habet hæc vt propria, ita quod debeat hæc conuentio irritari. Si vero apponitur ex interuallo, vitiat pactum, sed non ingressum. Et hæc videntur vera, quando vterq; consensisset in pactū tam profitēs quam ipse recipiens. Sed si tantū vouens apposuisset pactum, & abbas nō consensisset recipiens, sed consensisset solū professioni sed non pacto: tunc est maius dubium. nā Inno. & Io. An. in dicto *c. fi. de condi. appo.* volunt quod demum tale pactum vitiet, quando ambo contrahentes in ipsum consenserunt. secus si alter non cōsensit, vel simpliciter tacuit: quia habetur tunc pro dissentiente fauore religionis siue iurisdictionis. Et ideo dat cautelam Hosti. quod si vnus apponat tale pactum: contraho tecum donec aliam inueniam idoniorem: vt alter dicat, consentio matrimonio sed non pacto. ar. *d. c. aliquando* 32. *q.* 2. sed mihi videtur sic dicendum ꝙ si prius anteponitur pactū tale per vnū contrahentium: & aliter expresse dissensit, & nihilominus demū cōtrahunt, quod tenet contractus vt purus. Ratio, quia demum consentiendo simpliciter, qui pactum apponebat, videtur à priori protestatione & pacto recessisse. *l. cum in plures. §. locator horrei. ff. de loca.* not. in *l. pacta nouissi-*

Digitized by Google

ma. C. de pac. & in l. non solum. §. morte ff. de no. ope. nun. & in tua cap. tua d spon. Idem si quærens tale pactum apponere ipsum solum in mente gessit, quia licet loco adulteri sit censendus tenet matrimonium d.c. aliquando 32.q.2. facit l. si repetendi, de condi. ob cau. talis enim tacita mens contrahentis habetur pro non apposita. Si vero tale pactum fuit expressum per vnum contrahentium, & alter tacendo consensit nihil dicens, vel alter consentiendo matrimonio tale pactum incontinenti apposuit, & non aliter consensit altero tacente & non contradicente: tunc credo quod contractus non valeat: per tex. in dicto c. si. de condi. appo. qui loquitur indistincte dum dicit: si alter dicat alteri: nota quod non dicit, si ambo dixerint: sed quando alter alteri dixit, & subaudi alius non contradicendo consensit: credo quod non valeat, licet si expresse dissensisset, & postea copulati reperirentur: ille videretur à priori pacto inhonesto recessisse. & ita in proposito; si illo paciscente & volente retinere in professione bona ad dominium & proprietatem abbas dissensisset, tunc & ille conuersus postea reperiretur, videtur à pacto & protestatione recessu: & sic potest esse bona cautela Host. Sed si paciscentem simpliciter recipit, & abbate nihil dicente sed solus recipiente talem sic protestantem, credo ingressum vitiari: quando incontinenti fuit facta cum pacto vel protestatione professio. secus si ex interuallo: quia tunc dicta in talibus præfationibus non viderentur repetita in hac professione ex interuallo facta l. ticia. §. idem respondit ff. de verb. obli. & sic potest saluari dictum Inno. Et intelligo hæc vera non solum si retentio prædicta bonorum sic facta, conditionaliter & professo, dicendo profiteor si licet hæc bona ad proprietatem & dominium retinere: sed quocunque ex pacto incontinenti apposito sit facta dicta bonorum reseruatio contra substantiam monachatus: vt puta voueo professionem vt bona ad proprietatem retinere liceat. Nam licet natura modi sit non suspendere principium actus, sed dare qualitatem actui iam in esse producto: cum tamen apponitur ex pacto incontinenti, videtur in esse l. lecta. §. dicebam. si cer. pe. Et ideo si est modus turpis & sic impossibilis de iure, quia turpe est in monacho retentio bonorum ad proprietatem, vitiat totum contractum: præsertim quando est contra substantiam dicta l. certarum. de testa. tu & l. impossibilis. de verbo. obli. & l. generaliter. & l. si plagii. eo. ti. vbi est casus, quod si promissio fit ex causa plagii, contractus est nullus: & poterat fieri per modum esse. Nam licet causa veniat ad firmandum id quod est, tamen si est turpis vel contra substantiam in appositione & obseruantia, vitiat dictum actum, dicta l. si. plagi. quæ potest loqui quando causa apponebatur per modum, promitto vt plagium committas: vel, promitto causa plagii committendi. loquor semper quando est modus vel causa, cui ius resistat in appositione & in obseruantia. secus si non assistat: & sic solum in appositione prohibitio: vt dicta l. vbi ita donatum. quæ loquitur per viam modi: vt l. cum precario. de preca. Et idem si per modum exceptionis fiat cum pacto apposito incontinenti: vt si dicit, voueo me & mea, exceptis bonis talibus, quæ reseruo ad dominium mihi: quia & tunc vitiaretur ingressus, quia substantia ingressus non est vt omnia sua dedicet, immo antè potest testari & aliis relinquere: vt in auth. si qua mulier. de sacrosan. ec. Fateor tamen, quod si bona alteri non attribuisset, sed simpliciter excepisset, à dedicatione, quod essent monasterii. per tex. in aut. ingressi, de sacrosanc. ec. coniuncta l. si quis ita heres instituatur, excepto fundo ff. de hære. insti. Idem dico, si conditio apposita in professione est resolutiua, donec inuenerit ditiorem, quæ ditio donec inducit resolutionem hoc casu: vt not. in l. 1. ff. de condi. & demon. & tamen talis conditio resolutiua vitiat matrimonium apposita in contractu matrimoniali carnalis, fortius ergo monachatum vitiabit. hæc dixi, quia Dominus Anto. de Butrio ausus est dicere: quod si prædictis modis contraheretur matrimonium carnale sine conditione, ita quod non esset conditio apposita in initio matrimonii, sed solum resolutioni esset adiecta conditio, quod valeret matrimonium carnale: & fortius monachatio: sed ipse in hoc dicit contra casum dicti c. si. de condi. appo. dum dicit, quod si contrahitur matrimonium donec idoniorem inuenerit, quod non valet: & tamen illa erat conditio resolutiua per iam dicta. Idem dicit, si per viam modi contraheretur dicendo: contraho vt euites prolem: vel, vt ad adulteram te præstes: vel, contraho causa adulterii quod subeas causa prolis euitandæ; dicens, quod valeret carnale matrimonium: Et pro eo facit l. vbi ita mihi donatum l. cum precario. sed non credo quod bene dicat: cum huiusmodi pactiones turpes. quæ vitiant præcedentem contractum: vt dicta l. si plagii & l. generaliter de verb. obli. & hoc quando sunt contra substantiam. nam aliæ turpitudines quomodocunque appositæ non vitiarent matrimonium sed alios contractus, sicut supra dixi. Tene ergo hoc quod matrimonium vitietur & monachatus, quicquid ipse dicat: & ad l. vbi. & l. cum precario. responde per supradicta.

Sed ad vnum est hic aduertendum: si aliquis profitetur castitatem & obedientiam in manibus abbatis; & paupertatem cum ista retentione bonorum, ex qua vicietur ingressus: an saltem sit astrictus voto castitatis & obedientiæ? Dico quod si constat quod volebat vouere castitatem, vouit: licet non teneat ingressus respectum bonorum: quia tamen sicut ille qui vult vouere solum castitatem & non alia substantialia solennizat votum, quando illud emittit respectu certæ regulæ cum facit in manibus illius, qui potest eum religioni incorporare: vt not. Doct. in capit. insinuanti qui cle. vel vo. Sic hic quia ex quo in bonis apponebat peccatum contra substantiam solum in voto paupertatis: hæc adiectio vitiat in aliis: ergo & sic in castitate remanebit obligatus, & erit votum adeo solenne, quod dirimet matrimonium post contractum per dictum, c. insinuante. sic intelligo hanc materiam notabilem.

Nunc

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Pontifex an possit cum bigamo dispensare, vt non obstante bigamia vel alia irregularitate, quia fortè vir sit sanguinis, possit ad sacros Ordines in Presbyteratum, & Episcopatum promouere.

CAPITVLVM XXVI.

NVnc videamus si papa potest cum bigamo dispensare, vt non obstante bigamia, vel alia irregularitate, quia forte vir sit sanguis, possit ad sacros ordines in presbyteratum & Episcopatum promoueri? Quidam Doc. Nicolaus furiosus dixit, quod non, nisi vsque ad subdiaconatum inclusiue: per tex. 34. *dist. c. lector*. & si ordinetur dicit quod non reciperet characterem plusquam si ordinaretur asinus. de quo certum est quod asinus characterem non reciperet. Et pro hac opinione facit: quia tollere vitium bigamiæ non pendet à potestate papæ. Nam cum surgat à diuisione, quia diuisit carnem suam in plures, & sic non possit significare vnionem inter Christum & Ecclesiam, quæ significatur per commixtionem carnalem cum vna vxore: vt in *c. debitum de biga*. & hoc non possit reintegrare papa. Nam licet papa in his omnia possit sicut Deus: vt *de transla. præla. per totum*, Deus tamẽ non potest post ruinam virginem reintegrare. 32. *q. 5. capit. si Paulus. Co. de rap. vir. l. 1.* Sic papa postquam quis carnem suam diuisit in plures, ipsum reintegrare non potest quod diuisum non fuerit: quia Deus non potest facere quod facta non sint facta nisi fictione. *l. in bello. §. factæ. ff. de capit. in auct. de aqua. do. §. 1. colla. 7. l. verum. ff. de reg. iur.* Item quia non videtur papa posse contra Apostolum dispensare: vt notat. 25. *quæst. 1. c. sunt quidam.* Item quia talis irregularitas videtur esse de iure diuino. *dicto capit. debitum de biga.* quia oportet Episcopum vnius vxoris esse virum. 25. *distin. capit.* 1. & 2. & hoc est quod dicit Apostolus & dictat ius diuinum: vt not. *de elect. coniug. capit. sane el.* 1. contra quod papa non potest dispensare. *de re. spo. causas.* Sed beatus Thomas super *quarto sententiarum di. 27. q. fi.* dicit quod bigamiæ non est adiuncta irregularitas de iure diuino vel de iure naturali, sed de iure positiuo. Patet quia si nõ obstãte bigamia ordinetur, ipsi imprimitur character: vt est tex. 50. *d. c. quicũq.* quicquid dixerit Nicolaus prædictus. Nec est de essentialibus ordinis, quod aliquis non sit bigamus, per prædicta: & quia in istis quæ sunt de iure positiuo papa multum potest: vt no. in *c. proposuit: de conces. præben.* ideò potest cum bigamo dispensare. Et sic concludit dictus secundus Thom. Non obstant contraria: quia non est contra Apostolum quod dispensetur cum bigamo. Nam Apostolus non prohibuit cum bigamo dispensari: sed tantum vetuit ipsum non ordinari. Similiter Apostolus prohibuit criminosum ordinari. 25. *di. nunc autem*, & tamen Episcopus dispensat cum criminoso ab adulterio citra: vt in *c. at si clerici de iudi.* Preterea dato quod Paulus prohibuisset, papa posset contra prohibitionẽ Pauli cum causa dispensare: quia papa est maior populo & cæteris Apostolis in administratione, præterquam Petro cui in administratione est par, cum sit eius loco, 2. *q. 7. ca. puto*, & maior aliis in hac administratione. 22. *di. c. sacrosan.* Item talis prohibitio Apostoli est ab homine non à Deo immediate. ergo non ligatur ex ea potestas papæ quæ non est ex homine sed ex Deo: *de iudi. c. nouit.* Et pro hoc facit sententia In. *de renun. c. nisi cum pridem in §. personæ irregularitas:* vbi tenet quod omnis irregularitas sit à iure positiuo. & idem dicit in *c. si celebrat. de cle. ex. mi. in addi.* & hanc sententiam sequuntur canonistæ non ob. quod non potest restituere diuisum & diuisionem, quam fecit bigamus de suo corpore in plures: quia, vt dixi, hoc quod diuisus non ordinetur non est à iure naturali, aut diuino, sed à iure positiuo, contra quod papa dispensat, vt dictum est. Fuit enim inductum hoc impedimentum non ex defectu sacramenti, sed quia non posset esse orator viduitatis, qui coniugia frequentauerit: vt dixit tex. 26. *di. c. vna in fi.* Aliqui tamen voluerunt dicere, quod esset de iure diuino hæc irregularitas. & esset solum in hoc quod bigamus non posset promoueri: sed non esset quod non posset per papam dispensari: vt dicit In. *c. nisi §. persona de renun.* Sed hoc non credo verum: quia si ipsa irregularitas esset de iure diuino, tunc imprimeretur character si quis ordinaretur bigamus sine dispensatione, quod est contra tex. in dicto *cap. quicunq. 50. di.* Item si esset à iure diuino irregularitatis bigamiæ: papa saltem tacite videretur prohibitus dispensare: vt not. in *capit. litteras de resti. spo.* nisi subesset causa, & papa vellet dispensare: quia contra ius diuinum etiam papa potest dispensare cum causa: vt dixi supra in quæstione: *an dispensit contra ius diuinum.* potest etiam dici, quod & si defectus sacramenti sit causa irregularitatis: vt dixit glo. 26. *dis. in summa*, tamen non sit causa finalis & immediata, sed solum sit causans ipsam irregularitatem, 25. *di. c. Achatius.* ita dicit Inn. quod debet intelligi tex. in *c. debitum de biga.* vnde non est proprie defectus sacramenti causa prohibitionis. Sed illa est ratio: quia non potest esse orator viduitatis, qui coniugia frequentauerit: dicto *capit. vna in fi. 16. di.* Et idem dicit de omni irregularitate, vt sit à iure positiuo, siue quia sit regularitas ratione delicti, siue quia vitiatus corpore, vel illegitimus, vel obligatus ad ratiocinia, vt possit in his papa dispẽsare. Ex hoc infertur, quod si de facto se facerent tales promoueri, quod characterem susciperent: dicto *capit. quicunque* 50. *di.* Probatur per simile: quia in veteri testamento non erat irregularitates perpetuæ, sed temporales tamen: vt si exibant extra castra, vel tangebant mortuum: & ita est in nouo testamento quando suspensus ab officio celebrat; secus si à beneficio. Ex quibus concluditur, quod papa in omni potest irregularitate dispensare: & sic dispensare potest cum obligato ad ratiocinia, per prædicta, & in *capit. 1. de obli. ad ratioci.* & cum homicidis & bigamis, vt etiam sacros ordines recipiant. Non obstat *capit. lector. 34. dist.* quod ibi Martinus papa dicit de Episcopis, quod non possint nisi in minoribus dispensare: sed non in sacris. Et ordo subdiaconalis tunc

Digitized by Google

non erat inter sacros: vt in *c. à multis. de ata. & quali.* Et quod non loquatur de papa, patet quia non potuisset lege imponere successori: vt in *cap. innotuit. de elec.* nec si ipsi. *l. pe. ff. de arbi.* Ex quibus concludo, quod papa potest cum bigamis dispensare & cum omni irregularitate: & quandoque consueuit: vt no. glo. in dicto *c. lector.* quae dicit quod Lucius dispensauit cum Panormitano episcopo: & Martinus dispensauit in subdiaconatu: dicto *c. lector 34. di.* Nec placet quorundam distinctio, qui dicunt, quod de ordinata potestate papa dispensat vsq; ad subdiaconatum inclusiue: in diaconatu vero vel presbyteratu nō potest de ordinata potestate sed de absoluta. sic nam si est vera sententia beati Thomae quam sequitur Innoc. in dicto *capit. nisi in §. persona. de renun.* quod omnes istae irregularitates sunt de iure positiuo: tunc papa de ordinata potestate potest contra illud dispensare, cum sit supra ius positiuum: vt not. *de conces. preben. capit. proposuit.* & in *cle. 2. de iure iurando.*

SVMMARIVM.

Pontifex an possit à iuramento absoluere ligatum.

CAPITVLVM XXVII.

FAciunt etiam ista ad quaestionem, an papa possit à iuramentis absoluere ligatum. In qua dubitatione variae sunt glossatorum sententiae, quae sunt relatae. *15. quaest. 5. capit. auctoritatem. &* *85. dis. capit. florentinum.* not. *de spon. capit. 2. & in capit. quanto de iureiur.* Nam Laurentius voluit quod papa demum possit absoluere cum causa & claue discretionis interueniente, sine causa vero non possit & dixit tamen esse legitimam, quando ex obseruatione sequeretur scandalum incomportabile: vt dicto *c. quanto.* & dicto *c. 2. de spon.* vel si malum exemplum sequeretur in multos: Huguccio vero dixit indistincte papam non posse absoluere à iuramento licito: & omnia iura quae dicunt papam posse à iuramento absoluere intelligenda fore de iuramentis illicitis. *15. quaest. 5. auct. cum capitulis suis.* Et assignat rationem: quia in his, quae sunt de iure naturali, papa non potest dispensare: vt in *cap. & si Christus. de iureiu.* vbi dicitur: *Vouete & reddite vota Deo. & in cap. magnae. de voto.* Tancredus fuit autem in opinione, quod in omni iuramento quemlibet possit absoluere, dummodo fiat commutatio in aliud quod sit Deo magis acceptum & causa subsit: & sine causa non possit. Ego vero sic dico. & primum dico considerandum, si iuramentum est illicitum. nam si constat quis potest contra illud proprio auctoritate venire. Si vero est licitum & constat: tunc si est licitum ex parte praestantis sed non recipientis, tunc absoluit papa quin immo quilibet episcopus: nec est quod aliqua extrinseca causa subsit, sed sufficit turpitudo illicita ex parte recipientis. Et idem si recipiens locupletur cum damno alterius: licet non adsit alia turpitudo: *de iureiur. cap. veniens. in glo. si.* dum tamen damnum enorme sit. immo plus voluit Inno. *de elec. cap. venerabilem,* quod si superioris copia haberi non possit, tunc posset quis venire cōtra iuramentū propria auctoritate, quando vrgeret necessitas. *11. q. 3. c. antecessor.* Si autem iuramentū est licitum ex parte vtriusq; videlicet praestantis & recipientis, tunc si iuramentum est praestitum in materia spectante ad papam, vel quae à papae dependeat potestate, vel in materia concernente publicam vtilitatem & in manibus papae consistente: tunc papa potest tollere iuramentū propria auctoritate: vt in *c. veniens. de iureiu.* Et est ratio: quia tale iuramentum interpositum super re alterius, non potest esse praecisum nisi inquantum vult superior. Sicut enim cum concernit vtilitatem solius priuati, ille priuatus potest absoluere: vt in *capit. sicut. de spon. & cap. 2.* & not. legistae in *l. labeo. Digest. de iureiur.* sic & hoc casu papa, qui erit superior, poterit: quia isto casu censetur excepta auctoritas superioris: vt in *cap. veniens. de iureiur. & de rescrip. capit. constitutus.* Si autem iuramentum praestatur in alia materia ad papam non pertinente vel ipsius potestate non dependente, quia forte iuramentum est factum Deo & ipsi dictum vt ipsi soli placeat: vel ad vtilitatem tertii: & tunc cum causa potest papa à iuramento absoluere. Et est ratio: quia cum causa papa potest priuato auferre rem suam: & sic videtur à iuramento absoluere in praeiudicium ipsius tertii ex non causa licita respectu iure tertii, quando commisisset aliquid tertius, ex quo posset suo iure priuari, non simpliciter quod committet in maius bonum si parti non est magis bonum: & hoc quando est praestitum tantum parti, licet si praestitum tantum Deo: tunc est causa quando commutat in meliori bono: vt no. in *c. 2. de iureiur.* Et quando dicatur praestitum tantum Deo, vel tantum parti, vel Deo & parti: vide in *capit. 2. de spon.* sine causa autem non posset absoluere, vt videtur velle glo. in dicto *cap. quanto.* & Inno. idem in *c. cum inter. de renun.* & hoc est verum quantum ad hoc vt absolutus: vel cum quo est dispensatum sit securus in foro poenitentiae: vt dicto *c. quanto. & 15. quaest. 5. auctoritatem:* sed in foro contentioso praesumeretur causa, & esset tutus in illo per absolutionem papae: vt not. Archi. in dicto *ca. Florentinum.* & beatus Tho. in *secunda secundae. 89. distinct. arti. 9.* quod intelligo verum adeo quod de hac absolutionem non posset per concilium, vel quemcunq; alium disceptari, siue etiam recenseri aut disceptari: cum facta pontificis nullius sint iudicio submissa. *9. q. 3. c. nemo & 60. di. si papa.* quae tamen intelligo vt pluries dixi, supra nisi ex tali absolutione turbaretur status vniuersalis ecclesiae, vel fidem concerneret: quia tunc non posset cognoscere concilium generale, si causa fuisset legitima. *25. q. 1. cap. sunt quidam.* Et ideo si papa iurasset & vouisset renunciare papatui propter vnire forte ecclesiam, & tollere schisma quod ingeret vel propter aliud bonū quod cōcerneret statū ecclesię vniuersalis: si iurasset aliquo loco celebrare generale, conciliū, ꝑpter tollere aliquas haereses quę in Dei ecclesia pura

ingerent:

Digitized by Google

ingererent: tunc si vellet se absoluere vel alteri suam absolutionem commisisset, posset concilium animaduertere si causa esset legitima: vt dixi. supra in quæstione *qua sit maior: an sententia papæ vel concilii.* sic intelligo hanc quæstionem.

SVMMARIVM.

Pontifex an possit dispensare in casibus lege diuina prohibitis in matrimonio.

CAPITVLVM XXVIII.

VLterius dubitatur: an papa potest dispensare in casibus lege diuina prohibitis in matrimonio? Circa quod primo est inuestigandum, qui casus sint lege diuina prohibiti. Pro quo est sciendum, quod in Leuitico duæ tantum personæ erant prohibitæ: quia filius nec matrem, nec pater filiam ducere poterat. postea lege alia diuina duodecim personæ sunt prohibitæ, mater, nouerca, soror, neptis, amita, matertera, vxor patrui: licet glo. in dicto *capit. literas.* dicat *vxor patris,* sed est corrupta scriptura: quia vult dicere *vxor patrui.* nam vxor patris est nouerca, de qua dixerat, & ideo vult dicere *vxor patrui & vxor fratris.* & hæc erat prohibita, quando cum prole decessisset: alias vxor fratris mandabatur à fratre suscipi ad sobolem suscitandã: vt habetur. 8. *q.* 1. *c. olim de diuor. cap. fi.* Item priuigna ac filia priuigni vel priuignæ & soror vxoris. hodie vero in Lege gratiæ, plurimę personæ sunt prohibitæ, vt continentiæ locus sit: vt hos casus refert glo. in *c. literas de resti. spol. in glo.* in verbo *diuina lege.* & in *cap. gaudemus de diuor.* in *glo.* 1. Visis modo qui sunt casus lege diuina prohibiti, occurrit dubium, si papa potest in his casibus dispensare. videtur primo quod non, per tex. in *c. literas de restit. spol.* vbi tex. expresse dicit quod in illis papa dispensare non potest. In contrarium videtur id quod supra dixi. quia papa potest causa subsistente interpretari ius diuinũ seu cõtra ipsum dispensare, & in casu isto quod possit, videtur tex. *de diuor. c. gaudemus.* vbi si infidelis contraxit matrimonium in secundo gradu, & conuertatur ad fidem, potest ex dispensatione papæ ob fauorem Christianæ religionis ipsam retinere, & tamen secundus gradus erat lege diuina prohibitus. 30. *q.* 3. *pictarium.* & etiam probatur in Leuitico, vbi secundus gradus consanguinitatis affinitatis est prohibitus, dum dicit, *turpitudinem sororis vxoris tua & filia eius non reuelabilis. filiam filia eius, filiam filii non sumes.* propter hæc dixit glo. quod in Leuitico prohibetur secundus gradus in ascendentibus. Et ideo tex. in *c. gaudemus,* loquitur in collateralibus, in quibus in secundo gradu dispensat ecclesia. Sed in hoc est notandum quod si loquimur in tex. ascendentes & descendentes, tunc est prohibitio non solum in secundo gradu, sed in infinitum: vt notat glo. *instit. de nup. §. ergo,* vbi glo. dixit quod si Adam viueret non posset vxorari. & in istis credo quod ecclesia non dispenset: & est ratio, quia regulariter non transcendit ad nepotem, qui filii loco est, & cum filiis siue liberis iure diuino non est matrimonium. & hoc dixit Philippus, quod in secundo gradu ecclesia in ascendentibus & descendentibus non dispensat. sed ego in infinitum credo quod non dispenset: quia cum non inueniatur ab ecclesia hactenus factum, intelligitur prohibitum: vt in *ca. inter corporalia. ver. præsertim: de transla. præla.* In secundo gradu collateraliũ est aduertendũ, quod si sunt æqualis lineæ, ipsi non sunt iure diuino prohibiti contrahere. & ideo filii duorum fratrum iure diuino legitime copulabantur: vt no. *de consang. & affini. c. de infidelibus.* notat Io. An. in *cap. per venerabilem, in ver. potest. qui filii sint legit.* quamuis isti sint in secundo gradu de iure canonico lineæ transuersalis. & de istis loquitur tex. *c. gaudemus,* ibi: *qui constitutionibus canonicis non artantur*; quasi secus sit, si contraxisset contra legem diuinam: quia papa tunc non dispensasset, vt probat ibi tex. dum dixit de pagano conuerso, qui habebat plures vxores, vt illas contra ius diuinum non retineat, sed primam tantum. & idem si repudiauit vxorem secundũ paganorum morẽ vel ritum aut legem: aut factus Christianus aliam non superinducet contra ius diuinum. vnde ibi est casus quod contrà ius diuinũ papa non dispensat contra prohibitionẽ canonicam cum existentibus in secundo gradu: quia vt dixi, filii duorum fratrum non erãt prohibiti iure diuino. & ideo glo. male allegat illum text. quod papa dispenset ibi in secundo gradu lege diuina prohibito: quia non loquitur de secundo gradu prohibito lege diuina, prout esset quando sunt transuersales lineæ inæqualis, vt patruus & nepos. isti enim bene sunt prohibiti iure diuino, & cum istis ecclesia non dispensat, quia non reperitur hactenus dispensatum. igitur censetur prohibitum: *d. c. inter corporalia de translat. prælat.* & sic esset cum sorore vxoris, quæ est in primo gradu affinitatis, & filia eius in secundo lineæ inæqualis. Sed si sunt æqualis lineæ transuersales isti solum iure canonico sunt prohibiti, & cum istis dispensatur, *d. c. gaudemus,* quia dispensare solum contra prohibitionem canonicam non diuinam. Ex quibus concludo quod in casibus lege diuina prohibitis in matrimonio ecclesia non dispensat. & ita dixit expresse tex. in *d. c. litteras de resti. spol.* & expositiones, quod non oporteat vel non expedit, positæ per glo. *in d. c. litteras,* sunt falsæ. & hæc sufficiant de hoc dubio. Ex istis infertur quod papa posset dispensare vt fratri relictam fratris vxorem acciperet, quãdo frater decessisset sine sobole: quia talis coniunctio iure diuino erat permissa. & de hoc est casus in *c. fi. de diuor.* vbi papa dispensat cum infideli conuerso vt retineat vxorem quondam fratris defuncti sine sobole, vt ibi.

SVMMARIVM.

Pontifex an possit cum homicida dispensare, vt post peractam pœnitentiam ministret in officio altaris.

Digitized by Google

CAPITVLVM XXIX.

AN autem possit papa cum homicida voluntario dispensare, vt post peractam pœnitentiam ministret in officio altaris? videtur quod non, per tex. in *c. finali de tempo. ordinan.* & *de accusa. ca. inquisitionis*, *Psalmo 62*. Nam Dominus dixit Dauid Prophetæ post pœnitentiam; *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinis es. 1. q. 7. si quis omnem de consecra. di. 1. ca. 1. 50. di. miror. & c. aliquantus. & cap. si quis clericum. & c. de his.* In contrarium videtur. nam & Petrus fuit irregularis, quia abscidit auriculam seruo. 24. *quæst. 1. si Petrus. & 23. q. 3. pro membris*, & fecit illud voluntarie. 24. *q. 4. c. ille gladium*. Idem fuit de beato Paulo, qui scienter sollicitauit lapidantes Stephanum. & tamen demum Apostolus & Doctor gentium assumptus est. 50. *dist. 5. contra*, & Petrus summus pontifex remansit. Sed dicunt quidam, quod in baptismate fuit omnis irregularitas abolita. 26. *distin. cap. deinde*, quæ responsio debet procedere in Paulo, sed non in Petro: quia ante abscisionem auriculæ erat baptizatus & presbyter factus in anteriori sero cænæ. vnde respondent alii, quod irregularitas nondum erat introducta, quæ est demum à iure positiuo, vt dixi supra in quæstione *an papa dispenset cum bigamo*, & quod etiam ista sanguinis sit de iure positiuo, patet quia in veteri testamento licebat sacerdotibus interficere. 2. *quæst. 7. § item cum Balaam. & capit. Daniel.* Sed posito quod esset de iure diuino hæc prohibitio per verba prædicta prolata contra Dauid Prophetam: Ego tamen credo, quod licet papa cum tali difficultate dispenset, tamen potest dispensare: quia lex diuina alias hoc sibi permittit. Nam cum nepote Aaron dispensatum extitit post duplex commissum homicidium: *Numeri 25. capit.* notatur 2. *quæst. 7. cap. Daniel.* dixit enim Dominus, *ecce do ei pacem fœderis mei & erit tam ipsi quam semini eius paratum sacerdotium sempiternum.* cum igitur reperiatur alias de iure diuino dispensatum, & ita volunt Doctores in *capit. sicut dignum de homicid.* licet Specu. aliter sentire videatur in titulo *de lega. §. nunc breuiter dicendum. ver. 5.* & hoc legitima causa subsistente, cum qua nonnunquam interpretatur delinquentes irregularitatem non incurrisse, vt si infans, dormiens, siue demens, aut aliquis pro tuitione suæ salutis aliter non valens euadere occidit. Nam isti irregularitatem non incurrunt, vt hodie est declaratum in *clemen. si furiosi de homici.*

SVMMARIVM.

Pontifex an possit cum Simoniaco in ordine vel in dignitate aut beneficio dispensare.

CAPITVLVM XXX.

SVperest vt nunc videamus, si cum Simoniaco in ordine vel dignitate aut beneficio papa potest dispensare? & videtur quod non cum simoniaco ordinato simoniace, vt 1. *q. 1. capit. statuimus decretum, cum cap. sequentibus*, præsertim in *c. erga simoniacos.* Nam solum videtur dispensari posse cum simoniaco ordinato à simoniaco non simoniace: vt dicto *cap. statuimus.* igitur si est ordinatus simoniace, non videtur cum eo dispensari, 1. *q. 7. c. requiritis.* propter hoc dixerunt aliqui, quod cum simoniaco in dignitate non dispensatur, vt dictis iuribus. Sed cum simoniaco in beneficio simplici dispensatur: vt in *c. per tuas el. secundo de simo.* Specu. notat in *ti. de lega. §. nunc breuiter dicendum. ver. 8.* videtur tenere quod papa cum simoniaco in ordine non potest dispensare. Sed quicquid dicatur, veritas est quod papa potest cum eo dispensare quocunque simoniaco, dum tamen renunciet beneficio simoniace adepto, & executioni ordinis simoniaci adepti, *de accu. c. inquisitionis*, quia pœnitentiam retento beneficio agere non posset. 1. *q. 7. c. requiritis de accu. c. inquisitionis.* ita no. Doct. in *c. de simoniacis de si.* & in *c. penulti. eo. ti.* no. in *c. 1. nisi cum pridem. §. 1. de renunc.* Et idem si est ordinatus simoniace ordinato ignorante, quando est manifestum: vt 1. *q. 5. c. præsentium.* sed si talis esset occultus, posset episcopus dispensare: vt *d. c. de simoniacis.* & qualiter & quomodo possit cum simoniaco in ordine aut dignitate siue beneficio simplici dispensare? dic vt no. in *d. c. de simonia.* per Doc. & tex. qui dicunt quod cum simoniaco non dispensatur, intellige per alium quam per papam, vt no. *de simoniacis. c. tanta.* verum tamen est dubium, an papa posset facere quod quilibet posset ordines recipere à simoniaco occulto? Doc. dicunt quod sic in *c. per tuas, el. secundo, de simo.* & hoc negans esset hereticus 19. *ds. nulli.* nisi papa in statutis diceret, quod per tale statutũ non intendit aliorum opinionibus derogare: quia tunc non deberent ordines sumi à simoniaco quãuis occulto, vt dictis iuribus Et hoc credo verum, quia executio ordinis à iure ablata simoniaco propter simoniam potest ipsi à papa restitui: quia habitum & actum ordinandi semper simoniacus episcopus retinet. vnum credo, quod papa non posset statuere vt prohibita, quia simoniaca possent cum simoni fieri, quia hoc esset nutrire peccatum contra dispositionem diuinam, quod non licet 24. *q. 2. legatur.* & quia ista iure diuino sunt prohibita & naturali, quibus iuribus papa velit nolit est subditus 40. *dis. si papa. & ca. homo Christianus.* secus si essent simoniaca quia prohibita, quia cum ista sint à iure positiuo, papa ex causa potest contra ista iura dispensare. dixi supra in quæstione *an papa potest esse simoniacus vel an simonia cadat in papam.*

SVMMARIVM.

Pontifex an possit dispensare cum illo, qui scienter se fecit rebaptisari, qui de iure promoueri non potest.

CAPI-

CAPITVLVM XXXI.

VLterius dubitatur, an possit dispensare cum illo qui scienter se fecit rebaptizari, qui de iure promoueri non potest: vt 1. *q.7. capit. qui in qualibet, de consecra. dis.4. quibus.* isti tex. videntur dicere quod non, & maximè tex. in *capit. confirmandus.50.di.* tamen veritas est in contrarium : quia ista inhabilitas est à iure positiuo, contra quam papa potest dispensare, cum supra ius possit, vt in *c. innotuit de elec. & c. proposuit, de conces. præben.* & iura contraria intelliguntur, quod papa cum his non consueuit dispensare, non quod non possit per prædicta. & idem dicendum est cum iterum ordinato ab hæreticis in subuersionem fidei: de quo. 1. *q.7. c. conuenientibus. & c. audiuimus Domine, ad fi.* vt cum isto non consueuerit dispensare, licet possit. Idem est dicendum de illo, qui fecit sibi ordines vel ordinem aliquem reiterare: de quo 1. *q.7. c. saluberrimum, in fi.* dicunt etiam quidam, vt Specu. in *ti. de lega. § nunc breuiter. ver.* 12. quod vbi discoloratur status Ecclesiæ vniuersalis, quod papa non potest dispensare. 1. *q.7. c. & si illa.* sed tu dic, vt dixi supra in quæstione *an papa dispenset contra statum vniuersalis Ecclesiæ*, vbi hæc declaratur.

Et isti sunt casus in quibus licet papa possit, non consueuit dispensare. Sunt & alii, in quibus difficulter dispensat, vt in excommunicato, suspenso vel interdicto, qui facit se ordinari in contemptu clauium, excommunicatione durante: *de sen. excom. c. cum illorum. §. sin autem.* & idem si durante excommunicatione in contemptum clauium celebret: vt in *c. si quis Episcopus in concilio* 11. *q.3.* Idem de recipientibus beneficia ab illo qui violat interdictum papæ vel cõtemnit: vt *de exces. prela. c. tanta.* Idem in falsario litterarum Apostolicarum per tex. in *c. ad falsariorum, de crimi. fal.* ibi, *perpetuo* &c. Idẽ in hæreticis & eis sacramenta ministrantibus. nam non dispensat nisi papa & difficulter: vt *de hæreticis. c. excommunicamus. §. sanè clerici.* Idem in Sodomitis. vt in *c. clerici, de exces. prela.* Idem in reuelante peccatum in confessione pœnitentiali perceptum, *de pœni. & remis. c. omnis. in fi.* Item incorrigibilis & in nimia pertinacia perseuerans: *de dolo. & contu. c. veritatis.* Idem in crimine notorio de iure vel de facto: vt in *c. fi. de tempo. ordi.* Item cum assessiuis vel dantibus ipsis consilium vel fauorem: vt *c.1. de homici. li.6.* Item in delicto infamiam ciuilem inducente: vt no. glo. *in c. nisi. §.1. de renun.* Itẽ cum infame infamato ex delicto per sententiam declarato: vt 2. *q.3. §. hinc colligitur.* in istis etiam post peractã pœnitentiam papa difficulter consueuit dispensare cum instituto in sacris, vt Subdiacono vel presbytero, quod matrimonium contrahat quidam, vt Io. glossator decreti dixit, quod aut recipiens ordines expresse astrinxit se voto, & tunc papa non possit dispensare per *c. cum ad monasterium in fi. de sta. mona.* aut non astrinxit se voto expresse, sed fuit ligatus solum constitutione papæ, quæ facit vt suscipientes ordines emittere videantur votum castitatis, & tunc papa possit dispensare, ita notat glo. 32. *d. de illo.* Sed ibi Bartho. Brixi. videtur in *additionibus* tenere contra glo. quod papa possit etiam, quando expresse, vouit dispensare. Et pro ista sententia Bartholomæi facit id quod dixi supra in quæstione *an papa dispenset cum monacho vt matrimonium contrahat.* nam plura ibi dicta ad hanc quæstionem reduci possunt & ratio, quæ mouit Io. fuit quod votum castitatis videtur annexum ordini presbyterali, sicut dicitur quod est annexum monachatui : & ideò papa non posset dispensare : ratio, quia licet cum monacho possit quia potest eum facere non monachum, non tamen sic est in presbytero vel Diacono, quia non possunt facto papæ desinere esse tales, per illa quæ dixi in dicta quæstione *an papa dispenset cum monacho.* sed tunc videretur idem dicendum siue fouit expresse siue non expresse. Nam suscipiendo sacrum ordinem videtur ipsum suscipere cum omnibus suis annexis, & comprobare omnia statuta in ipso ordine. & ratio, quia ignorare talia iura esset supina ignorantia, maximè quia hoc est omnibus etiam vt plurimis mulieribus notum. Sed alii dicunt, quod castitas non est annexa ordini presbyterali siue ordinibus sacris, sed est solum inducta ipsi ordini ex constitutione Ecclesiæ : vt in *cap. pe. de voto, li.6.* & ideò si tacitè vel expresse quis vouit castitatem ordines sacros suscipiendo, videtur quod papa possit sicut potest in aliis votis dispensare. & ita tenet & dixit Vincentius, cuius opinionem credo veram. & quod non sit annexa castitas ordini sacerdotali vel sacro, patet secundum aliquos: quia Ecclesia orientalis facit presbyteros, & tamen coniugantur, & non continẽt. Sed ista ratio mihi non placet, quia si orientalis Ecclesia hoc non amisit ex voto vel constitutione, ista ratio est sufficiens. quare non est annexa castitas isti ordini in occidẽtalibus? quia si occidẽtalis recepit, videtꝑ q̃ potuerit annecti ordini sacro castitas, sicut annexa est monachatui, quia natura seu annexio à iure potest attribui actui ciuili, sicut est monachatus & ordo, sicut actui naturali à natura. *l. adoptio ff. de adoptis.* Sed credo quod nõ sit annexa castitas etiam secundum Ecclesiam occidentalem ordini sacro, aliàs sequeretur quod si ordinaretur quis ad sacros post matrimonium contractum, qui ordo sacer non dirimit matrimonium an contractum : vt not. in dicto *capit. ex parte, el. secundo, de conuer. coniu. & in c.1. de vot. lib.6.* & ibi glo. quod stante matrimonio, in quo quis non potest continere exigente debitum vxore, vel quod non imprimeretur sacer ordo, quod est falsum: dicto capit. *ex parte* : vel quod dirimeret matrimonium non carnali copula consummatum, quod similiter secundum veram opinionem est falsum, vt dictis iuribus. Teneo ergo quod castitas non sit annexa ordini sacro, sicut est annexa monachatui, sed quod recipiens ordinem sacrum sit solum astrictus voto, contra quod votum papa cum causa potest dispensare, sine causa non: in *capit. non est non de voto.*

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Pontifex an circa impedimenta matrimonii spiritualis possit dispensare, vt puta compater suscipiat commatrem, & sic de aliis.

CAPITVLVM XXXII.

NVnc videamus, si circa impedimenta matrimonii spiritualis vel papa potest dispensare, vt puta quod compater suscipiat commatrem in vxorem, vel qui baptizauit vel leuauit de sacro fonte leuatum vel leuetam accipiat, vel quod filii leuantium inuicem contrahant, inter quos est vtriq; impedimentum, vt in toto titulo *de cogna. spiri.* vel quod pater accipiat filiam adoptatam, inter quos est impedimentum cognationis legalis, vt in toto titulo *de cogna. lega.* Dicas quod cum hęc impedimenta sint à iure positiuo, papa potest dispensare, non tamen consueuit dispensare inter compatrem & commatrem, vel leuantem & leuatum: sed inter fratres spirituales, vt inter duos filios leuantium, bene papa consueuit dispensare, & generaliter in prohibitis iure positiuo papa potest dispensare, vt notatur in *capit. proposuit, de concessione prebenda. & de statu monacho. cum ad monasterium.* & ideò cum legali filio potest dispensare. Et ideò potest dispensare, quod periurus vel constitutus in mortali peccato non repellatur à ferendo testimonio, *de re indi. capit. cum Io. & An. Instit. de iure naturali §. sed quod principi.* sicut etiam cum eo dispensare potest in ordinibus: vt in *c. dilectus de tempo. ordi.* & ita notat Specu. in ti. *de teste. §. 1. ver. sed quaritur vtrum papa.* Item an potest dispensare super horis canonicis, vt clericus qui ratione beneficii est obligatus ad dicendas horas canonicas, alias non dicat? Guil. in *cle. dignum, de celebra. mis.* dixit quod ex causa potest in aliquibus horis dispensare quod non dicantur. Alii in dicta *cle. dignum.* dixerunt quod potest in totum in horis omnibus dispensare, cum sit à iure positiuo: vt in *capit. 1. de cle. mis. in cle.* & ita ibi tenet Cardinalis Florentinus. Ego verò ita dicerem. nam quidam sunt astricti ad dicendas certas horas ex voto, vt quia vouit singulis diebus dicere officium beatæ Mariæ, & in istis papa potest commutare in maius bonum, sicut in aliis votis: vt in *capit. 1. de voto.* Nam oratur Deo etiam bonis operationibus: vt *de constitu. distinct. 5. capit. nunquam.* Non autem posset in totum remittere. Quidam sunt astricti ad horas ex constitutione Ecclesiæ, vt quod septies in die dicant officia ordinata: iuxta illud Psalmistæ: *Septies in die psallatur Domino.* & in *clem. 1. de cele. mis.* ibi: *horis debitis.* & in istis est attendendum, quod est actus orandi, & est modus orandi. Actus orandi competit homini ad Deum iure naturali & diuino: quia est actus latriæ, & est pars iusticiæ, quam reddit homo Deo quod debet siue actus duliæ, quando homo honorat sanctos siue sanctas creaturas propter Deum, & istud papa non posset in totum in homine tollere: quia in totum non tollit iura diuina & naturalia vel debita Deo. & quod sit Deo debita seruitus orandi: probatur in dicto *capit. nunquam de cons. dist. 5.* posset autem papa modum orandi ordinare, vt probatur in *clem. 1. de cele. mis.* vbi commutat astrictos ad diuinum modum orandi ad alium modum. Et ideò licet psalmista dicat, septies orandum, tamen posset papa pauciores horas decernere, cum sit à iure positiuo, sed non in totum remittere actum orandi, sicut dixit Guil. Et conclusiue dico, quod potest ligare etiam occulta, *de concess. preben. cap. & libet.* Item personas ineptas ad matrimonium aptas facit, & econtra, vt *de desponsa. impuberum. capit. ad dissoluendum de consang. & affini. cap. non debet de conuer. coniuga. cap. ex publico de diuor. cap. quanto. & cap. gaudemus.* Sed quod dixi, quod ineptas personas aptas facit, intellige quando sunt ineptæ ex iuris dispositione, secus si dico naturæ. vnde non posset facere, quod furiosus durante furore essent vir, vt matrimonium tunc initiaret: quia non potest hoc casu inducere quod sit matrimonium sine consensu, iuxta notata per Doct. in *cap. si. de spon. duo.* & furiosus consentire non potest. Item non posset facere, quod esset matrimonium inter impotentes habitu & actu deducendi ad effectum matrimonium, vt cum frigido vel spadone vtriusque testiculi. In matrimonio verò spirituali & in personis ordinandis & in beneficiandis & deponendis & de obligandis ad religiones, & de religionibus instituendis, & destituendis, & in his & similibus istis illud potest ꝙ vult, *de religio. do. per totũ, & de transl. c. quanto.* Et ideò impedire potest professiones, *de regula. c. cum in insulis. & de regula. c. nõ solum, li. 6.* Et ideo teneret constitutio, ꝙ sine licentia papę exempti profiteri non possint. vel posset etiam mandare alicui volenti profiteri regulam arctiorem, quod illam profiteretur, vt in *mercuriali* constat *de reg. iur. in 6.* & ibi late Io. An. loquor semper cum ratione causa non potest tamen facere, vt dixi, quod facta non sint facta: quia contra veritatem facti, & sic de veritate non sunt facta, non potest disponere. Et ideò de nigro album non potest facere, *de iureiuran. c. & si Christus.*

SVMMARIVM.

Pontifici Maximo quæ sint ei tantum reseruata in depositione Episcoporum, & absolutione, dispensatione, legitimatione circa beneficia, & similia reseruata in spiritualibus.

CAPITVLVM XXXIII.

DIximus quæ possit papa per potestatem pontificialem, nunc stat inscribere quæ sint tantum tuæ beatitudini reseruata. aliàs hoc in *cap. translationem de offi. dele.* latissime retuli. Et adde ibi scriptus, quia etiã solus papa deponit Episcop. *3. q. 6. c. accusatus. & in c. quamuis. & c. multũ stupeo. & de transla.*

Digitized by Google

transla. prala. c. inter corporalia. Sed an posset episcopum sine causa à sua sede amouere. videtur quod non vt 7. q. 1. *c. sicut alterius.* nisi probatur quod sicut sponsa carnalis dimitti non potest, ita nec etiam sponsa episcopi potest ab episcopo auferri. Si enim in matrimonio carnali copula cōsummato papa nō potest dispensare, ita videtur in hoc matrimonio spirituali. Et si aliter de ipsa disponatur, adulterium cōmittitur, *eadem causa. c. sicut vir.* cum causa autē potest auctoritate Romanæ sedis etiam auferri episcopus, & sic demum cum causa potest ab episcopo ecclesia auferri: vt in *c. nisi cum pridem de renunc. de transla. prala. c. quanto,* vbi necessitate vel vtilitate vrgente videtur posse episcopū transferre, si tunc non vice hominis sed vice puri Dei hoc faciat, vt *ibi & in c. 2. eo. ti.* Sed Deus iniuste aliquādo episcopū non priuaret: ergo nec papa. Episcopus enim consecrando se ecclesię suę se dedicat eidem. & ideo permittit eā regere, vnde Deo obligatus est. non potest igitur papa talem obligationē remittere, sine causa 24. q. 4. *c. si is qui prælatus.* & sicut votum aut iuramentum papa sine causa non potest remittere, vt late scripsi in opere hoc Monarchiæ. ita nec episcopatum episcopo potest auferre, & ipsum ad aliud matrimonium spirituale transferre. Item iure diuino prælati in sedibus constituuntur: quia dum consecrantur, Deus inuisibiliter gratiam administrat & potestatem præstat, 1. *quæst. 1. cap. multi. & cap. dictum. & deinde. cap. cum deputati,* ibi: *diuina gratia vocati.* probatur quia & Christus Iudam non amouit, quamuis foret malus. Responsio, eius delictum aliis non erat notū: vt in *c. si sacerdos de offi. ordi.* Nec apostoli alium surrogassent, si ille se non suspendisset *Actuum. 2. capi* & ideo dicitur, quod Deus hanc dissolutionem sibi reseruauit: vt notatur in *capit. 1. 2. & 3. de translatio. prala.* quamuis tamen ab initio præficere episcopum administrationi istius vel alterius loci potest de iure positiuo. 22. *di. c. 1. sicut & ecclesiarum distinctio.* ipsa tamen vocatio est à Deo, iuxta illud apostoli, *Ite in vocatione qua vocati estis.* Idem videtur quod de vna ecclesia curata sine causa ab ipsa presbyter remoueri non potest. 21. *q. 2. sicut vna.* Item præfectio episcoporum est secundum ordinationē apostolorum, qui ordinauerunt in singulis ciuitatibus episcopos, & in parrochiis presbyteros: ergo sine causa papa nō videtur posse disponere. & hoc videtur decidere text. 7. *q. 1. sicut. & 16. q. 7. c. inuentum,* vbi dicitur quod ab ecclesia sua nisi pro graui culpa non est quis amouendus: quia beneficia debent esse perpetua. 55. *di. præcepta:* nec est priuandus si sine sui culpa inhabilis factus est: vt in *c. 1. de cler. ægro. & in c. 1. de capel. mona. li. 6. & de sent. excom. in c. nulli,* vbi no. quod sine causa papa mandare non potest quod contra sententiam apostoli excommunicatus recōmunicetur. Ad idē. 10. *di. c. 1.* vbi papa causa non subsistente non potest diuidere episcopatū in duos. Ad idem glo. in *c. 1. 22. di.* quæ dicit, quod sine causa papa non potest tollere de iure vnius ecclesiæ & dare alteri. Vnde ego diceret, quod si subest causa legitima, & constat, papa possit transferre episcopū, & etiam episcopatū sibi adimere. Si vero nulla subest causa, tunc papa non deberet, nec de ordinata potestate. si tamē de facto facit, à nemine potest de hoc iudicari: vt plene dixi in Monarchia in tractatu: *an disponat cōtra ius diuinū,* nisi ex tali mutatione vel turbatione turbaretur status vniuersalis ecclesię, vel si discolaretur. 9 *q. 3. per principale,* vt de delictis ex quibus episcopus esset deponendus: & an potest diffiniri & deponere: vel quod est amplius etiam ex contemptu aliquorum canonicorum, qui non fuissent in electione vocati post confirmationē & secutam consecrationem, forte de facto posset eius electionem annullare: de quo videtur tex. quod non in *cap. accusatus. prealle.* & not. glo. in *cap. ex tua in ver. remouet. de cleri. non resi.* & Inno. in *capit. quod sicut. de elec. in glo. in ver. infirmandam,* vbi tenet quod si canonicatus agit de contemptu ad dirimendam electionem episcopi, quod si de facto consecuta est confirmatio & consecratio, concilium non deponit vel Archiepiscopus, sed remittit ad papam: & quod ad finem deponendi non pronunciet concilium: tenet Archi. in *d. c. accusatus. in ver. diffinire.* & gl. 34. *distinct. quorundam.* potest tamen concilium prouinciale ad finem suspendendi vel excommunicandi cognoscere de talibus delictis. 12. *di. c. de his. in fi.* 11. *q. 3. si quis episcopus* 18. *di. propter.* ita vult Archid. in dicto *c. quorundam.* & glo. in dicto *c. accusatus. & cap. ex his. & 2 quæst. 1. primates.* facit *de sen. excom. capit. venerbilibus. §. 1. li. 6. & 10. quæst. 3. quia cognouimus.* 18. *distinct. placuit. & cap. si episcopus.* notat Inno. *de cleri. non residen. cap. ex tua. in ver. procedatur.* & hoc etiā possunt inferiores, vt Officiales, Archidiaconi absente tamen Archiepiscopo à prouincia longe: sed nō si est in prouincia vel prope: si tamen faciunt, valet sententia: vt in *c. Romana. §. officiales de offi. ordi. li. 6.* & ibi nota. Sed quod ad finem deponendi cognoscat conciliū prouinciale vel Archiepiscopus, videtur. notat Hosti. & Doc. in dicto *c. quod sicut de elec.* vbi contra Inno. dicunt, quod ad finem vt deponatur consecratus potest agere canonicus de contemptu, & consecratus potest per archiepiscopū remoueri, non obstante. *ca. accusatus,* & iura prædicta, quia loquuntur quando accusatur episcopus de crimine vt deponatur: sed vbi quæritur electio irritari propter contemptum, tunc conciliū prouinciale & Archiepiscopus possunt deponere. fatetur tamen Hosti. quod in consecrato esset honestius consulere pontificem, ne viderentur eius priuilegium vsurpare. Ego vero sic concludo: quod si agitur de cōtemptu, ex quo dicatur electio non legitime facta, & vt consecratus remoueatur, tunc credo quod possit ab Archiepiscopo remoueri, licet aliqui dicant contra, qui tamen sunt in eorum dictis varii. & ita loquitur. *c. quod sicut.* Quandoque agitur etiam ciuiliter, vt remoueatur ab episcopatu solum: vel criminaliter, vt remoueatur ab ordine propter crimē forte vel non residentiam, tunc licet de hoc cognoscat prouinciale concilium, non tamen deponit sed remittit ad papam: ita notant Doc. in *d. c. accusatus.* Concilium autē generale bene credo quod possit deponere: quia illud fulcitur auctoritate papæ. 16. *di. per totum.* notat glo. 2. *q. 1. primates. & 5. q. 4. c. 1. & 2.* immo ex speciali cōmissione papæ quilibet alius episcopum deponit, vt notant Doct. in *dict. c. ex tua. de cleri. non resi.* vbi dubi-

Digitized by Google

tat Hostien. an papa potest committere presbytero cardinali, vt deponat episcopum, & dicit quod non audet ponere os in cælum, sed quod miratur si papa depositionem episcopi presbytero committat. ego vero firmiter teneo quod sic. nam, vt dixi *de consue. ca. quanto*, vbi tenui quod papa possit committere presbytero, vt ordinet presbyterum vel episcopum : sic econuerso depositionem ipsorum. Sed maius esset dubium, si diacono cardinali vel alii simplici clerico vel laico an possit committere vt degradaret episcopum vel presbyterum, aut ab ordine deponeret, vel ab episcopatu episcopum remoueret. Et in hoc ego sic dicerem, quod si quærimus de depositione ab ordine actuali vel verbali, & istam credo quod papa non possit committere inferiori à presbytero. & ista non procedunt solum à potestate papæ, sed dependent ab ordine episcopali: quia sicut collatio ordinum pertinent ad episcopum. 25. *di. perlectis. ver. ad episcopum*, ita etiam ipsorum ordinum ablatio siue depositio. & ita notant Doc. in *capit. ex transmissa de elec.* per tex. in *capit.* 1. *quæst.* 7. *& cap. si autem.* & ideo episcopus confirmatus nondum consecratus non posset aliquem deponere ab ordine etiã minori, vt notant Doct. in dicto *c. transmissa*, quia cum non possit ante consecrationẽ illos conferre, ita nec deponere ab illis. presbytero autem bene posset papa committere talium depositiones, vt dixi in dicto *cap. quanto*: sed non laico vel inferioribus clericis etiam in sacris constitutis. depositionem vero à beneficio credo quod papa posset etiam laico committere, quia ista depositio non est ordinis, & papa etiam potest laico spiritualia tractanda committere. 63. *di. Adrianus.* no. 15. *q.* 6. *in summa. & de iudi. decernimus.* Credo etiam quod si papa vellet committere etiam laico cognitionem depositionis episcopi ab ordine, vt laicus simpliciter cognosceret & referret, non autem pronunciaret deponendũ, cum non sua sententia deponeret quod illud posset: quia talis sententia vel audientia non est ordinis: vt notatur in dicto *c. ex transmissa.* no. in *l.* 4. *duas. de dam. infec.* alias *l. cognitio.* §. *vt possessio. ff. de offi. eius cui man. est iurisdi.* no. 50. *di. studeat.* Et ideo dixerunt aliqui, quod episcopus confirmatus nõ consecratus posset causas presbyteri criminales etiam depositionis ab ordine audiri, licet non diffinire 3. *q.* 6. *c. quamuis, cum duo. sequen* & ideo episcopus tantum confirmatus posset demandare aliquem ordinandum, licet ipsum non possit ordinare: quia tale mandatum est iurisdictionis, non ordinis: vt notant Doc. in dicto *cap. ex transmissa.* Concludit ergo, quod depositio ab ordine nõ potest fieri per papam inferiori à presbytero, licet concilium prouinciale posset cognoscere & pronunciare ad finem excommunicandi vel suspendendi faciunt notata in *c. degradatio. de pœ. li.* 6. Sed si contra episcopũ agitur ad finẽ solum suspendendi, excõmunicandi vel interdicendi, tunc non est dubium, quod conciliũ prouinciale pronunciat & cognoscit: dicto *c. ex his.* 12. *di.* cum sim. alleg. Quandoque agitur contra episcopũ ad finem, vt propter delicta detrudatur in monasteriũ, tũc Archi. 2. *q.* 6. *c. biduũ in fi.* tenet quod prouinciale conciliũ cognoscat, sed solus papa actualiter detrudat p *l. inter pœnas, de interdic. & rele.* Quod credo verũ, quando conciliũ vult cognoscere solum vt referat papę, quod illum in ergastulo detrudat, & quando ex tali detentione perderet episcopus beneficiũ. Secus si episcopatũ nõ perderet, nisi quod loco pœnę pro aliquibus mensibus vel temporibus in monasterio detrudet, sed episcopatũ non perderet, tunc credo quod ad hunc finẽ prouinciale concilium cognosceret. sic intelligo notata in dicto *c. biduum.* An autem possit concilium cognoscere de crimine, ex quod veniat deponendus, vt saltem pronunciet episcopũ deponendum, non tamen actualiter deponat? Glo. Io. tenet quod sic in dicto *c. biduũ. in fi. si quidem insulam. & 16. q. 1. frater noster*, per notata in *l. 1. C. si aduer. liber.* vbi iudex pronunciauit aliquem liberantum. & *l. inter pœnas, de interdi. & re. ff.* vbi præses pronunciauit deportandum, licet non posset deportare, quando insulam non habet. & hoc tenet Archi. in dicto *cap. accusatus.* super glo. in verbo *suspendere.* notatur. 17. *quæst.* 4. *si quis suadente.* & pro ista doctrina videtur glo. & ibi per modernos in *l. fi. C. vbi & apud quem*, vbi est tex. quod de causa restitutionis in integrum non potest in arbitrium compromitti vt restituat, potest tamen pronunciare secundum glo. ibi *aliquem restituendum esse.* Sed quidam moderni reprehendunt ista duo dicta. primum quod concilium non possit pronunciare deponendum : quia text. in *capit. quamuis. & capit. multum stupeo. in quæst. 6.* reseruat concilio tantum cognitionem non pronunciationem. nam omnis pronunciatio videtur concilio interdicta. nec obstat *l. inter pœnas* : quia ibi non erat ablata potestas pronunciandi, sed tantum exequendi, quia non habebat insulam. similiter in dicta *l. fi.* vbi tex. dicit non possit cognoscere, & nullam sententiam dare potest, præsertim quia in integrum restituo requirit iudicis officium, quod non est in arbitrio. mihi videtur glo. & Archi. dicant verum, quod possit pronunciare concilium deponendum. hoc probat tex. in dicto *capit. accusatus*, ibi *vel iudicatus idem*, quia iudicatio non est simpliciter interdicta concilio, sed est ipsi interdicta Romano pontifici inconsulto, vt dicto *c. accusatus.* ideò si pronunciat eum deponendum consultando papam, credo quod sufficere, quoniam pronunciando non deponit, sed suam insinuat pontifici voluntatem. si autem vellet concilium pronunciare non referendo pontifici, credo quod non posset : quia actus pronunciandi est sibi interdictus non referendo principi. Credo etiam in causa restitutionis in integrum, quod arbiter nõ posset pronunciare quem restituendum, quando est arbiter iuris: quia talis potestas est sibi interdicta, vt dicta *l. fi.* Sed vt in arbitratorem, credo quod sic, vt saltim valeat vi pacti, & pareat metu pœnæ, vt ille contra quem peteretur restitutio parere laudo teneretur. ar. *l. 2. C. communia vtriusq.* Et illud quod dixi supra quod papa non potest committere inferiori à presbytero depositionem Episcopi ab ordine: idem dico de quolibet alio in sacris constituto, vt eius degradatio non possit committi nisi Episcopo vel presbytero, non Diacono vel Subdiacono, & minus laico, per prædicta.

Quis

Digitized by Google

Quis autem episcopum absoluat à depositione? quidam allegant glo. 12. *di. praeceptis in fi. glo.* quod fauore absolutionis possit concilium absoluere: & hoc prout habetur in glo. licet ab alio absolui possit. & hoc tenet Io. Mo. in *c. inquisitionis, de sen. excom. li. 6.* & Gof. in *sum. de for. compe. in princ.* sed glo. in dicto *c. perceptis*, habetur aliter per aliquos: quia aliqui habent *nec absolui*: & tunc tenet totum oppositum, quod nec per concilium absolui possit, sed solum à papa. Et istud est verum, quia est tex. *5. q. 4. ca. 1.* ibi, *indicetur vel damnetur.* & hoc tenet in glo. quoniam ista causa absolutionis est de maioribus: & ideo est iudex solus papa, nec quod alius absoluat comperitur. ergo est standum regulæ quod solus papa possit. *3. q. 6. multum stupeo*, ibi, *nihil decerniens.* & in *c. quamuis*, ibi *diffinite.* Ex quibus duo enucleata sunt, quod Episcopos solus papa deponit: secundo quod solus papa à depositione absoluit. Et ex hoc infertur, quod sicut prouinciale concilium non pronunciat absoluendo vel condemnando etiam vbi agitur ciuiliter ad depositionem Episcopatus, multò minus pronunciat quando agitur, criminaliter, vt deponatur ab ordine: & ita legatus vel Archiepiscopus nõ poterit, quia pronunciare de dissolutione matrimonialis vinculi spiritualis pertinet ad solum papam: vt in to. ti. *de transl. præla.* & quod legatus natus vel etiam de latere non possit, volunt Docto. in *c. 1. istius tituli.* possunt tamen isti cognoscere & papæ referre. Sed Archiepiscopus debet tunc facere cum aliis comprouincialib' Episcopis. *3. q. 6. si quis Episcoporum.* Et quales & quot esse debeant: not. *3. q 8. in suam. & 15. q. 7. in suam.* sed tunc non deponant vel pronunciant, vt no. Archi. *34. di. quorundam*, etiam si ageretur ciuiliter à remotione ab administratione: vt no. Inno. & Doct. in *c. graue de præben.*

Nunc alias causas dicamus tantum isti sedi reseruatas. Et quidem omnes maiores causæ sunt ipsi reseruatæ: vt in *capit. maiores. de bap. & in capit. vt debitus. de appel.* Quæ autem illæ sint, potest dubitari. Primũ de causis fidei. Nã istæ papæ videntur papa reseruatæ. *24. q. 1. quotiens*, præsertim quando fidei articulos contingant. vt in c. maiores. de bap. In contrarium mihi videtur facere. *80. di. c. 2.* vbi videtur istæ causę ad ipsos pertinere: quod sede vacãte ad capitulũ Ecclesiæ cathedralis: vt *de hæreti. ad abolendam.* quare glo. in *dicto c. 2.* dixit quod si est dubium clericorum, pertinet ad papam; si laicorum, pertinet ad Episcopos: vt *de hæret. c. cum Christus.* Ego dico, quod si dubietas est per Ecclesiam iam decisa, & per aliquos verum reuocetur in dubium: siue tales sint clerici siue laici, Episcopi possunt de his cognoscere: Si verò illud, de quo dubitatur, non est decisum, tunc hoc determinat solus papa. ita videtur velle glo. in dicto *c. quotiens. & 80. di. c. 2.* cum dicit quod *ca. ad abolendam*, habet locum in causis decisis, vt omnes seruent in his quod Episcopi mandant. Sed in dubiis decisio, pertineat ad papam. *16. q. 1. frater noster.* & hoc est quod dixit glo. in *dict. c. 2.* quod causas fidei dubias determinare pertinet ad pontificem. Sed illas sine dubitatione ventilare pertinet ad Episcopos. Nam Episcopi factas decisiones tueri debent, fiendas facit solus papa. Et ideò dicunt Doct. quod Episcopi sunt in causis hæresis iudices ordinarii, & debent inquirere: & si sunt negligentes, priuantur: vt in *c. excommunicamus. §. 1. de hære.* Illud tamen, quod dixi, quod solus papa decidit causas fidei, intellige quando non est collectum concilium generale, vel papa non est suspectus de illa hæresi. nam si esset collectum concilium generale vel prouinciale Romanum, tunc papa debet facere de consilio concilii, quod præfertur in hoc sententiæ papæ: vt no. glo. *15. di. sicut sancti.* Et ego plenissime posui in titulo conciliorum in quæstione: *quæ sit maior: an sententia papæ vel concilii.* Et si papa est de illa hæresi suspectus, debet concilium conuocare.

Consueuit etiam dubitari de causis electionum Episcoporum & appellationum ab eis, vtrum connumerentur inter maiores causas. Quidam quod sic, per *c. vt debitus de appel.* Sed veritas est in contrarium: patet quia earum confirmatio quoque pertinet ad Archiepiscopos vel patriarchas siue legatos, vt in *c. si abbatem. 2. responso. de electio. lib. 6.* quæ si essent maiores causæ non possent per tales expediri, vt hic. Nec obstat quod ex appellationis interpositione debet solum per sedem Apostolicã cognosci: vt in *cap. quamuis. de electi. li. 6.* quia appellatione sedis Apostolicę intelligitur etiam legatus de latere vt no. glo. in *d. c. si abbatem. in v. transferendi.* vnde causæ appellationum super electione Episcoporum non sunt de causis tantum papæ reseruatis. Non ob. no. in *c. 2. de feu.* vbi dicitur quod si aliquis iurat non alienare Romano pontifice inconsulto, quod tunc legatus nõ possit absoluere: quia illud dicitur quando iurat nominatim papæ vel summo pontifici: quia aliud est papa, aliud sedes Apostolica, vt in *c. si gratiose. de rescrip. l. 6.* Non ob. no. in *isto. c.* vbi glo. & Doct. loquuntur de reseruatis sedi Apostolicæ, quæ tamen non potest legatus, quia ipsi loquuntur, quando fit mentio sedis Apostolicę in casibus tantum papę reseruatis, vt tunc nõ intelligatur de legato de latere, sed in aliis casib' non reseruatis, si fit mentio sedis Apostolicæ, includitur legatus, vt dicto *c. si abbatem de offi. lega. c. 1. de priuil. capit. auctoritate. §. inhibemus. libr. 6. facit cle. per litteras*, & quod ibi not. *de præben.* & hoc quando simpliciter dicitur *Apostolica sedis*, secus si esset aliqua dictio taxatiua vel restrictiua, quia tunc legatus non comprehendetur, vt not. Lapus in *cle. grauis. de senten. excommuni.* Idem si diceret, *sine licentia papæ: vt in cap. cupientes de electio.* Ex quo infertur quod si papa dicit, *reseruamus nobis absolutionem talium*, tunc pœnitentiarius vel alius legatus non poterit absoluere. Non obstat not. in *cle. quia contingit. de religio. domi.* & ibi. glo. in v. *Apostolica, sedis.* Nam ibi loquitur in testamento, & de mutatione eius quod pro lege seruari debet. *13. quæst. 2. cap. vltima voluntas.* Vnde sicut legatus non potest mutare legem communem: vt in *capit. dilectus. de præben. & capit. dilecto*, ita non potest mutare testamentum, quod est lex priuata, sed solum mutat papa. Et ideò distinguendo concludo, quod si aliqua sunt lege vel iuramento prohibita *sine licentia Apostolicæ sedis*, tunc aut est hoc tantum super casibus sedi Apostolicæ reseruatis, & tunc potest solus papa, vt hic: aut sunt casus non

Digitized by Google

reseruati & tunc aut est dictio taxatiua tantum vel æquipollens, dicendo *ad voluntatem sedis Apostolicæ tantum*: & tunc idem quod non possit legatus: vel simpliciter dicitur *sedis Apostolicæ*, & tunc potest legatus, dummodo non exprimatur nomen papæ vel verbum *papa*, vt quia diceret: *nobis reseruamus*. Ex quibus infertur, quod de causis electionum Episcoporum legatus cognoscit sic intellecto *c. quamuis de elec. li. 6.*

Item infertur vnus alius casus tantum papæ reseruatus, mutationes testamentorum. dicto *c. quia contingit.*

Item & alius casus, quando quis iurat non facere aliquid Romano pontifice inconsulto: tunc non disponit in his, nisi solus papa: licet secus foret si iurasset non facere sine licentia sedis Apostolicæ, quia tunc legatus posset.

Papa etiam solus religiones approbat: vt in *c. 1. de vol. 6.*

Item solus canonizat sanctos: vt *c. de reliqui. & vene. sanc. l. 6.* no. in *c. fi. de fieri.*

Item solus inducit solennitatem voti, vt post ipsum solenne non teneat matrimonium, vt in *d. c. 1. de vo. li. 6.*

Item solus absoluit incendiarios excommunicatione maiori: vt in *c. tua nos de sen. excom.* licet de hoc sint opiniones, vt ibi dixi.

Hæc omnia intellige nisi de consuetudine, vel stilo Romanæ curiæ esset, quod etiam isti casus vel aliqui eorum censerentur missi legato de latere multotiens: quia tunc venirent in generali commissione, etiam eis aliter non expressis, vt est casus in isto c. nam licet casus excommunicati absolutionis per violentam iniectionem manuum in clericos sit reseruatus papæ. 17. *q. 4. si quis suadente Diabolo*, tamen cum papa consueuit legatis de latere hanc potestatem absoluendi concedere, certè hodie venit in generali mandato: vt in *c. ad eminentiam. de sen. excom.* Et idem dico in omnibus aliis similibus casibus.

Item solus papa erigit siue de nouo ordinat Ecclesias cathedrales. 16. *q. 1. c. fœlix. & c. præcipimus.* Ita intellige no. in *c. cum inferiores: de ma. & obe.*

Item solus facit ea quæ in isto. c. continentur: videlicet quod subiicit vnam Ecclesiã cathedralem alteri.

Item vnit Episcopatus. Item quandoq; diuidit. Item etiam ius primatiæ concedit. legatus autẽ bene posset vnam Ecclesiam subditam Episcopo eius mensæ vnire, quam Episcopus debet postea regere per vicarium perpetuum: vt hæc no. in *cle. de reb. ec. non alie.*

Item solus facit sedium mutationes, vt quod sedes, quæ erat Episcopalis Monteflasconis sit hodie Conuetana: vt fecit modernus papa Eugenius, 7. *q. 1. c. temporis qualitas.* Item solus eximit Episcopos & abbates. 16. *q. 1. frater noster.*

Item solus approbat & reprobat aliorum scripturas & etiam concilia, 15. *d. sancta Romana.* & 17. *di. regula*, vbi habes quod etiam solus concilium vocat, vt hæc plenius dixi in tractatu conciliorum. faciunt no. in *c. damnamus de sum. tri.* vbi papa damnauit scripta Ioachimi abbatis: & approbauit scripta Magistri sententiarum.

Item solus potest damnationes remouere: & tamẽ præses prouinciæ ad se iniustè damnatos nõ potest absoluere *l. 1. in fi. ff. de quæsti.* sed papa à se vel aliis damnatos absoluit, vt in toto ti. *C. de sen. pas.*

Item papa solus restituit, vt in glo. hic & *c. sic vnire. de exces. præla.*

Item solus recipit cessiones vel renunciationes Episcoporum. 6 *q. 3. deniq. & de renun. nisi cum pridem.*

Item solus certa vota commutat, vt votum terræ sanctæ, vt in *c. magnæ. & ca. quod super his de vo.*

Item solus restituit clericum solemniter degradatum: vt no. glo. 2. *q. 6. ideò*, vbi gl. dicit quod idem est de summis negociis Ecclesiarum: & ideò papa restituit solus clericum depositũ, Ratio, quia non deponitur clericus nisi pro delicto graui & manifesto & causante irregularitatem, in qua papa solus dispensat *1. di. in summa.*

Item postulatum postulatione sollenni ad Episcopatum solus papa confirmat, siue sit legatus alteri Ecclesiæ: quia licentiam transferendi non præbet nisi papa: *de transla. præla. per totum*: nisi transferendus esset abbas, quia tunc licentiam præbet legatus. & idem si sit postulatus propter impedimentum indispensabile, nisi per solum papam: quia tunc etiam si postulatur ad inferiorem dignitatem, non confirmatur nisi à papa: vt no. in *c. à multis de æta. & quali. & de tempo. ordi. c. dilectus.* Idem si esset impedimentum dispensabile per inferiorem, sed postularetur ad Episcopum: vt no. In. & Doc. in *c. 1. de postu. præla.* & Arch. 60. *di. c. fi.* quicquid dicat glo. ibi: licet si hoc postularetur ad inferiorem dignitatem posset per inferiorem dispensari, quando postularetur per viam gratiæ communis, secus si per viam gratiæ spiritualissimę: vel quando foret cum maxima discordia postulantium: vt hæc habentur in *c. bona el. 2. de postu. præla.* vel quando debuit postulari, & fuit electus, tunc admittitur de gratia specialissima: sed solus papa hoc facit: vt in *ca. 2. de corpo. 6. & in c. quia diligentia de elec.*

Item si clericus eligatur ad aliam Ecclesiasticam dignitatem, non potest compelli ad illã acceptandã per aliquẽ inferiorẽ à papa: ab ipso autẽ papa sic: vt no. gl. 7. *q. 1. scias*, potest tamẽ ab inferiore fieri de nolente nolẽs: vt no. 40. *d. ante omnia in glo. & 74. di. sin summa.* causatiue tamẽ sed nõ præcise.

Item secundum Pe. & Abbatem si cum aliquo est super crimine dispensatũ, vt possit promoueri & per acta pœnitentia peccati, ex quo ad promouendũ in Episcopum reddebatur inhabilis, nunquã tamẽ promoueri poterit ad Episcopatũ, nisi per papam recipiatur, vel per eum secum dispensetur & hæc vi-

Digitized by Google

hoc videntur probari ex no. in *ca. innotuit. de elec.* & ideò secundum istos notorii fornicatores & alii qui essent propter crimen impediti ad Episcopatum promoueri non poterunt, etiam peracta pœnitentia promoueri: quia circa promotionem ad Episcopatum solus papa videtur posse dispensare: vt supra dixi. & not. in *capit. gratum. & capit. fi. de postu. prelat.* ad hoc § 6. *di. cenomanensem. & de elec. cum dilecti.* specu. in ti. 2. § *nunc de Episcoporum. ver. sed nunquid legatus.* facit glo. Iohannis. in *ca. scriptum. de elec. ver. præsumptionem. in fi.* quæ dicit quod si dispensatur cum aliquo in minori dignitate, non intelligitur de maiori dispensatum: ideò si dispensatur quod obtineat dignitatem, non obtinebit Episcopatum: vel possit habere Episcopatum, non habebit Archiepiscopatum. Ego verò aliter dicerem: quia est inspiciendum an vitium contractum sit deletum & abolitum, quod impediebat promouendum in Episcopum, vel etiam simpliciter cum aliquo dispensatum. Si vitium sit delectum, debet inspici forma abolitionis, & quomodo est sublatum.

Pone enim, quod aliquis est natus illegitimus, & postea legitimatur, an poterit sine alia papæ dispensatione ad Episcopatum assumi. In hoc dicas: aut legitimatur subsequentia matrimonii, quo casu abolitur vitium iuris communis beneficio: vt in *cap. tanta. infra. qui fil. sint le.* & tunc talis sine alia dispensatione poterit eligi in Episcopatu & promoueri: vt no. in *c. innotuit supra de elec.* & ibi glo. in *ver. coniugata*, licet alicui aliter dicant: vt no. in *c. ad extirpanda. de fil. presb.* Non obstat quod iura videntur requirere, quod eligendi in Episcopum sint nati legitime: & iste dicitur fictè natus: quia facta non possunt haberi pro infectis nisi fictione op. *l. in bello. § factæ. ff. de c.* quia respondeo quod iura communia sic disponentia verificantur in casu ficto: no. in *c. innotuit. de elec.* licet secus in statutis regulariter: vt no. in *l. 3. § hæc verba. ff. de neg. ge.* Idem dico de legitimato secundum casum *auth. item si quis. la. 2. de natu. li.* quando pater dixit in testamento filiū, nec adiecit naturalem. Si autē est legitimatus spirituali principis priuilegio, tūc si solū ab imperatore vel alio seculari, tūc nō poterit promoueri sine papæ dispensatione: quia talis dispensatio, vt dixi, pertinet ad papā *d. c. gratū & fi. de postu. prela.* Si vero est legitimatus à papa, tunc est inspicienda forma legitimandi, quæ est multiplex: vt no. Docto. moderni in *c. per venerabilem. qui fi. sint le.* Et ego late dixi in *secundo libro Legitimationum in causa finali in quæstione: an sint vere vel ficte legitimi.* Nam aliqua est restitutiua, per quam disponitur in vitium matrimonii, vel de prole propter matrimonium, de qua in *c. per venerabilem. & c. quidam nobis. & c. ex tenore. qui fil. sint leg.* & iste est vere legitimus: & sine alia dispensatione potest ad episcopatū admitti, vt statim dicam in proxima legitimatione. Aut legitimat papa non disponendo de matrimonio, sed restituit forte aliquē natalibus antiquis & pristinæ naturæ & ingenuitati antiquæ: de qua est text. *qui. mo. nat. effi. sui. § reliqui. & § si quis ergo*: tunc Io. An. vult sentire, quod talis non possit eligi in episcopum sine alia dispensatione papæ: vt ipse no. in *c. innotuit. & in c. cum vilion. de elec.* quasi legitimatus principis priuilegio: vt videtur text. in *l. fi. C. de his qui ve. eta. impe.* qui secundum aliquos debet intelligi de legitimatione naturali non ciuili: sicut quando relinquitur in casu mortis intelligitur de naturali non ciuili *l. ex ea parte § insulam. de ver. obli.* Et ideo dixit Inno. quod si in hac restitutione fiebat mentio promotionis ad Episcopatum, posset sine alia dispensatione promoueri: alias non. ita credo quod si papa restituit aliquem illegitimum natalibus antiquis & pristinæ naturæ, tunc si talis saltem erat naturalis sine alia dispensatione, posset eligi in Episcopum: ita intelligantur tex. & glo. in dicto *c. cum vilion.* quia hæc legitimatio abolet totaliter vitium: in *auct. quib. mod. na. effi. sui. § si quis ergo. & l. fi. ff. de nata. restit.* Non obstat quod debet intelligi de legitimo de iure communi, non principis priuilegio. Nam iste est legitimus de iure communi, quo vult vt talis possit petere legitimationem per priuilegium principis, dicto § *si quis ergo.* Non obstat quod dicunt quod debet intelligi de legitimatione naturali, non ciuili. Nam sic argumentantes non intelligunt, quia differentia legitimi & illegitimi non processit à natura, secundum quam omnes liberi nascebantur & omnes legitimi, sed sicut bella seruitutes, ita concupiscētia ius illegitimum adinuenit: vt in *auct. qui mo. na. effi. sui in § naturalia*: & ideò hoc ius legitimi & illegitimi est de iure ciuili, vel de secundario iure gentium. vnde cum sint legitimi, de iure communi sufficit. Aut etiam legitimatus erat spurius, qui de iure communi non potest supplicare principi vt legitimetur: vt in § *si. in auct. qui mo. na. effi. sui.* tunc credo quod non possit eligi sine papæ dispensatione: quia est legitimus de absoluta potestate non iuris communis dispositione, de qua iura non videntur cogitasse. *d. l. fi. C. de his qui ve. æta. impe.* Aliquādo papa legitimat, vt nunc iura legitimorum conferendo: & differt à præcedenti: quia illa est restitutiua & trahitur retro ad tempus natiuitatis: ista fit simpliciter ex nunc & non trahitur retro: quo casu quando est factus quo ad omnia talis est verè legitimus, vt nunc & tunc credo quod sine alia dispensatione spirituali non possit eligi in Episcopum. Ratio, quia canon requirit quod promouendus sit natus legitimus: dicto *c. innotuit*: sed iste non dicitur natus legitimus verè vel fictè: quia licet hodie sit legitimus tamen dicitur natus legitimus, nouit collatiua, non trahitur retro. ita potest intelligi quod no. Io. An. in *mercu. sine culpa. de reg. iu.* licet si esset restitutiua, traheretur retro: vt supra tetigi, & dixi in dicto tractatu *legitimationum primo libello in causa fi. in q. an legitimatus succedat in iure primogenitura*: aliquando non est vera legitimatio, sed est dispensatio. vt not. *c. 1. de fil. pres.* & tunc si fit dispensatio per inferiorem à papa, non potest ad Episcopatū promoueri. Si fit à papa: tunc si dispensat in aliquibus vel minoribus dignitatib', vel simpliciter in dignitatibus, & non fit mentio de Episcopatu, tunc non potest eligi in Episcopū: vt in *c. scriptū*, & ibi glo. in *ver. præsumptioni de elec.* no. Doc. in *c. dilectus. el. 2. de præben.* Et si esset dictum ad Episcopatum, tunc non ad Archiepiscopatum. Si verò esset generalis dispensatio apta comprehendere Episcopatum, tunc non est opus alia dispensatione

indubio tamen ad ipsum non extenditur dispensatio: vt no. Doc. in *d. c. cum vicles.* sic intelligo hoc de defectu natalium.

Si autem alius est defectus impediens episcopatum, tunc aut irrogatur ipso iure legis dispositione, forte quia deliquit, aut venit defectus irrogandus per sententiam, quia si condemnabitur forte efficietur infamis primo casu vt in notorio fornicatore & similibus: Aut dispensatio est facta à papa, aut ab alio inferiore, tunc si papa dispensauit in aliquo, puta quod propter delictum tale non deponeretur à dignitate quam habeat, tunc non poterit eligi in episcopum sine noua licentia papæ: dicto *cap. scriptum. de elec. & in cap. 1. de fil. presb. in 6.* quia tales dispensationes sunt stricti iuris, nec extenduntur vltra casum in eis comprehensum, vt ibi. Aut dispensauit delictum abolendo omnem infamiam, & egit pœnitentiam, tunc credo quod poterit promoueri. Sicut enim papa & princeps restituit ad famam, qui potest solus, cum senatus solus hoc potest: vt *l. 1. §. de qua. ff. de postul.* & no. Inno. in *cap. cum te, de re iudi.* vbi dicit quod collegium Cardinalium potest: certe cum omnia sint abolita, poterit eligi in episcopum sine alia dispensatione. Sed si dispensabit inferior à papa, non potest. Si vero defectus non irrogabatur ipso iure, sed demum per sententiam, infamia forte ex illa surgente: & tunc si iudex causa cognita voluit abolere delictum, & extinguere, ac famam reseruare, ex hoc grauiorem forte pœnam imponendo, quod facere potest iudex: vt notatur in *l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his qui not. infa.* & tunc puto quod poterit promoueri: & hoc si ista facit antequam actus promotionis immineat. Sed si fieret in tempore existente promotionis, quia iam electus vel sperabatur eligi, tunc non potest fieri nisi à solo papa. ita intelligi not. per Doc. in hoc articulo in *c. ac si clerici. de iudi.* Sed si infamia non surrexisset, quia forte soluit ante sententiam, vt euitaret infamiam: secundum no. in *l. infamem. de publi. iudi.* Credo quod poterit promoueri. sed si infamia fuit irrogata, tunc nõ dispensabit nisi papa. nec sufficiat peractio pœnitentiæ: vel si secum dispensauerit vt non deponeretur, licet si futuras promotiones sibi reseruasset abolendo delictum poterit promoueri peracta pœnitentia, & delicti non remanente macula. sic intellige istam pulchram quæstionem.

Item solus papa dispensat cum eo, qui sibi amputauit virilia sine causa, etiam si errans in fide crederet ex hoc magis Deo placere: vt in *c. significauit. de corpo. vici.* & hoc in missa celebranda: quia in aliis officiis sacerdotalibus potest episcopus dispensare, vt ibi: vel forte solus papa dispensat cum corpore vitiato: vt *d. c. significauit.*

Item solus papa dispensat in pluribus canoniis suæ præbendæ habendis in eadem ecclesia: vel in vna præbenda & alia canonia: licet in diuersis ecclesiis dispenset episcopus: vt in *c. literas. de concess. preben.* per Io. An. & tenent Docto. in *c. cum iam dudum. de preben.* faciunt no. in *cle. 1. de preben.* In duobus autem simplicibus Goff. in *summa de preben. §. si in aliis simplicibus*, tenuit simpliciter quod circa pluralitatem plurium beneficiorum dispenset episcopus & in diuersis diœcesis ambo episcopi dispensent. Et similiter si vnum sit curatum & aliud simplex: vel aliud sit simplex & aliud dignitas: & hoc quando fit in simplicibus dispensatio in duobus retinendis. Sed si fieret super multitudine habenda vltra duo fit à solo papa. ita notatur in *cap. 1. de consue. in 6.* Et hoc teneas dimissa opinionem Petri Hyspani, qui voluit quod quando plura beneficia simpliciare quirunt residentiam, quod tunc solus papa possit dispensare contra consuetudinem Ecclesiæ. 35. *quest. 1. quæ ad perpetuam.* & videtur de mente Inno. in *cap. fi. de cleri. non residen.* Nam si interpretatur consuetudo, quæ est optima legum interpres, & indistincte in duobus simplicibus beneficiis episcopi dispensent, potest etiam in eadem ecclesia etiam in canonicatu & dignitate episcopus dispensare: vt not. in *c. 1. de consue. in 6.* & quando beneficia sunt inæqualia, quia non sunt eiusdem tituli, sed sunt difformia, dispensat episcopus etiam in eadem ecclesia: vt no. in dicto *cap. 1. de consue. in 6.* In præbendis autem eiusdem ecclesiæ & in diuersis titulis non dispensatur episcopus, sed solus papa. vt nota. in *dicta cle. fi.* Item solus dispensat in duobus curatis per eundem retinendis: vt in *capit. de multa.* & ibi no. *de preben.* Et idem de vno curato & dignitate, vel in duobus dignitatibus vel de duobus personatibus, vel de vno personatu & de alia dignitate. & hoc no. in *cap. de multa. de preben.* vbi in his attenditur stilus curiæ quod facit ius commune: vt in *cap. quam graui. de cri. fal.* quicquid dixerit Hosti. Pet. & Abbas & Archidi. 70. *di. sanctorum.* & not. in dicto *ca. de multa.* qui dixerunt quod si inferior vellet in talibus dispensare de gratia, puta propter merita personarum, quia tunc posset solus papa. Si vero propter ecclesię necessitatem, tunc possit solus episcopus: alias contraria opinio esset ecclesiis onerosa, quod subsistente necessitate ecclesiæ episcopus non possit dispensare *infra c. 1. de consue.* Et quia est fortius vinculum Dei quam hominis, sed iuramentum potest remitti, quando est damnosum ecclesiæ: vel non seruandum, *de his quæ fi. à ma. par. ca. c. 1.* ergo multo minus videtur seruanda contraria opinio, alias insurgeret absurditas quædam. Ego vero teneo contrarium, vt dixi, propter stylũ curiæ, qui sic seruat. facit quod no. in *c. non potest. & c. cum singula. de preben. in 6.* & hoc tenet Io. An. nec tene opinionem Archi. & Host. & prædictorum, quia sequeretur ex hoc, quod necessitate ecclesiæ suadente episcopi possent imponere manus ad quæcunq; principis seruata, quod est falsum, vt hic not. & faciunt illa quæ dicam infra in quæstione, *an episcopus possit cum illegitimo dispẽsare in curato beneficio in causa summa necessaria.* Sed vidi dubitari, an quod aliquis habeat in eadem ecclesia duo altaria in titulum, sit opus dispensatione papæ, & sic an in inferioribus beneficiis & præbendis habeat locum, quod in eadẽ ecclesia quis non possit habere duo talia beneficia. Alii, vt Petrus de Ancha. in *d. c. 1. de consue. in 6.* sunt varii. nam aliquando dixerunt ꝙ possunt haberi ex di-

Digitized by Google

ex dispẽsatione episcopi, cum non reperiatur prohibitum: & aliquando dixerunt, cum sit eadẽ ratio in istis quæ in præbendis, non possit sine dispensatione papæ. & pro hoc facit text. in *d. c.* qui prohibet retentionẽ perpetui beneficii in eadem ecclesia, vt duo simul & semel possideant etiam dispensatione episcopi. & hoc vult tex. ibi dum dicit *quocunq; nomine censeantur*: & sic dictio geminata *quocunque* est apta comprehendere etiam altaria: vt in *l. balista ff. ad treb.* facit *c. 2.* & quod ibi no. *de concess. præben.* & ibi tex. dicit *illa ecclesiastica ministeria concedantur antequam vacent.* & postea in §. 1. subdit quod *omnia officia ecclesiæ infra sex menses conferantur.* & sic in prima & secunda parte comprehendit altaria, quæ continentur appellatione *beneficii*, vt ibi tenet glo. *in fi.* & glo. 1. *in fi. in cle. 2. de deci.* Aliqui dicunt, quod non possunt comprehendi altaria in illo. *c. de consue.* vt patet in expositione tex. ibi per Archi. in ver. *officium*, & tenet Fede. de Senis in *consiliis* 120. quia officium est proprie, quando aliquis vltra quem ministerium ecclesiæ habet aliquid vltra particulariter agere. & hoc probat tex. in *l. legatus seniis. §. siquid officii. de leg. 3.* Et habentes altaria non habent aliquid vltra quam ministerium. igitur non est officium: & tex. in *d. c. 1. de consue.* loquitur de dignitatibus, canonicatibus, personatib9 & officiis & aliquorũ istorum nomine non comprehenduntur altaria. sed Guil. de Monte laudano. supra coniuncta extrauagante *execrabilis*, *in glo. in ver. absque dispensatione. versi. quid ergo de consuetudine*, tenet quod *cap. 1. de consue. in 6.* habeat locum in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis retentis in perpetuum titulum. Et sic sentit quod habeat locum in altaribus, quæ includuntur sub nomine beneficii, vt dixi. Et istud credo verum, quando ambo darentur in titulum perpetuum beneficii, & maxime si statuto vel consuetudine vel priuilegio talia altaria essent incompatibilia. Idem si nihil disponeretur à iure speciali, quia tunc in eodem corpore ecclesiæ non possunt retineri quando sunt vniformia. Ratio, quia appellatione officii de lata significatione comprehenditur omne ministerium vel omnis actus qui exercetur. hoc vult Tullius in *rethoricis*, dum dicit oratoris. & proba tex. in dicta *l. legatis. §. siquis officii. de le. 3.* Modo quando lex etiam pœnalis est apta comprehendere etiam in propriatis verbis casum habentem identitatem rationis ad illum fit extensio: glo. est no. in *cle. 1. de deci.* in verbo *gregibus.* est tale nomen officii, vt dixi. & probat tex. in *cle. 1. de vi. & hone. cleri.* licet non credam, quod sicut capiatur pro omni exercitio, quod quis habet vltra communẽ institutionem. ideo si sunt omnes canonici, & vnus habeat ius expellendi excommunicatos, illud dicetur officium: vt dicto. § *siquid officii.* Sed si vnum altare daretur in titulum, aliud in stipendium, puta pro magistro grammaticæ, tunc posset episcopus dispensare. sed circa duo altaria in titulum retinenda dipensat solus papa.

Item solus papa dispensat, quod filius clerici sit successor immediatus in beneficio paterno: vt in *c. pen. de fil. presb.* & hoc est indubitatum, quando talis filius esset illegitimus: sed cum legitimo tenet Hosti. quod episcopus posset dispensare: & hoc causa subsistente pro vtilitate ecclesiæ non possit. Et idem Io. & Archi. 56. *di. in summa*, vbi dicit quod si vitium est notum ita quod diffamaretur ecclesia, & tunc possit solus papa: alias autem episcopus. Sed glo. in *c. 1. de fil. presb. in sexto*, in verbo *tala*, tenet quod solus papa possit dispensare: quia quantum ad istam prohibitionem, quod filii non succedant in beneficio paterno illegitimi & legitimi æquiparantur: vt in *c. ad extirpandas. de fil. presby.* & hoc ne detur successio in beneficiis, ita dicit ibi tex. & in *ca. pen. eo tit.* Appellatione ergo filiorum in ista materia comprehenduntur legitimi & illegitimi, vt *d. c. ad extirpandas.* & ita tenet Romana curia, dico siue sit causa siue non sit causa vtilitatis ecclesiæ.

Item solus papa dispensat in pluribus canoniis & præbendis. Non obstat *c. veniens, de fi. presby.* quia ibi papa fecit gratiam. & ille text. potest intelligi de filio legitimo sicut illegitimo, cum quo illegitimo est concessum. sed omnes tenent quod episcopus non dispensat. Vel dicas quod licet filius non possit retinere beneficium immediatè paternum, si tamen est sibi collatum de facto per viam iusticiæ, i. quia ordinatus ad illud debet habere aliquod beneficiũ, tunc potest ex dispensatione episcopi illud obtinere, donec sibi de alio prouideatur. & iste est casus notabilis in *d. c. veniens.*

Item solus papa beneficia ecclesiastica sui natura perpetua confert ad tempus, vt not. in dicto *c. veniens.*

SVMMARIVM.

De dispensatione illegitimorum ad sacros ordines, & beneficia Ecclesiastica.

CAPITVLVM XXXIV.

PApa etiam solus dispensat cum illegitime natis, vt promoueatur ad sacros ordines, vel ad beneficium curatum, vel personatus, aut dignitates: vt in *cap. 1. de fil. presby.* iuxta. *capit. 1. eo ti. in 6.* vbi probatur quod in minoribus ordinibus & beneficiis sine cura dispensat Episcopus. Sed est dubium: an potest dispensare in pluribus simplicibus beneficiis? Credo quod non: quia tex. permittit in beneficio simplici. vnde ista singularis locutio permissiua in materia prohibitiua non extenditur ad pluralitatem: vt in *c. gaudemus. de diuor.* & probat optime tex. in *c. is qui de preben. in 6.* vbi si permittitur alicui quod possit conferre beneficium, intelligitur de vno & non de pluribus cum illegitimis: ergo solus papa dispensat in pluribus beneficiis simplicibus. Sed quia dixi quod Episcopus dispensat cum illegitimis ad minores ordines est dubiũ, si potest in quocunq; illegitimo: siue sit incestuosus, vel adulterinus, siue naturalis tantũ? glo. in *c. 1. de fi. presby. in 6.* in verbo *defectũ*, tenet quod in quocunq; & qualicunq; defectu possit dispensare: quia dignus est venia qui alieno vicio laborat. *l. le-*

Digitized by Google

gem.C.de natu.lib. idem Archi. allegat. 28. *quæst.* 1. *idolatria. & de coniug. lepro. cap.* 2. In contrarium facit quod ista concessio Episcopi non debet extendi ad spurios, qui omni penitus indigni sunt clementia in *auc. qui mo. na. effi. sui, in* §. *in fi.* sed debeat restringi ad naturales qui sunt concepti ex simplici fornicatione. Et ratio, quia isti spurii non possunt de ordinata principis potestate ab ipso legitimari: *d.* §. *fi.* & ideò cum princeps iste se reddet difficilem, non videtur quod in simplici concessione videatur hanc potestatem concedere, iuxta no. *cap. fi. de fil. pres.* vbi papa difficulter dispensat cum natis ex adulterio vel incestu. Ego credo, quod si talis concessio fieret ab Imperatore concedente potestatem legitimandi patientes defectum natalium, tunc soli naturales possent legitimari: quia, vt alii legitimari possent, esset opus de iure ciuili clausula derogatoria: in *dicto* §. *fi.* quam Imperator non censetur apponere, nisi spiritualiter mentionem faceret: secus si est in papa, quia non apparet quod hanc legem sibi imposuerit, quod de ordinata potestate non posset cum spuriis dispensare: immo contrarium comperitur in *capit.* 1. *de fil. presby.* Et ideo in simplici concessione papa concedente facultatem legitimandi patientes defectum naturalium, credo quod veniant incestuosi vel adulterini: nec ex eo quod se reddet difficilem, videtur denegare illis, quibus concedit hanc potestatem, sed eos monet quod & ipsi reddent se difficiles: & hoc credo verum: quia licet dispensatio quantum est cum eo cum quo fit, sit strictè interpretanda tanquam contra ius & odiosa, tamen ipsa concessio respectu concedentis & eius cui facta est concessio debet latè interpretari: vt not. glo. in *l. venia, de ius vocan.* & statim dicam. Sed tunc dubitatur, si est spurius duplicatus, vt quia adulterinus & incestuosus simul, an potest Episcopus dispensare? Videtur quod licet possit dispensare cum adulterino. 27. *quæst.* 1. *virginem*, tamen cum laborante vtroque morbo videtur quod non possit: vt no. Ioh. An. & Butri. in *c. ac si clerici. de iudi.* vbi habens facultatem dispensandi in simplicibus, vt cum adulterino vel incestuoso, non legitimat in mixtis *l. vim passam.* §. *præsumptione Digest. de adulte. l. si ita scriptum. ff. de li. & posth.* vbi tamen de benignitate comprehenditur casus mixtus. secus ergo de rigore. & ita dicit Ioh. Cal. in *c. susceptum de repu. in* 6. & Io. An. in titulo *qui fil. sint legiti.* in Spec. *versi. huic quæstioni.* Ego determino contrarium in opere *Legitimationum in secundo libello* in causa materiali: & maximè hoc credo indubitatum in casu nostro: quia canon indefinitè permittit Episcopo quod dispensat cum patiente defectum natalium quo ad ordines minores. Nam licet ipse actus legitimandi & ipsa legitimatio sit odiosa, tamen ipsa concessio potestatis & ipsa potestas est fauorabilis: quia est principis beneficium, ergo latè interpretandum: *infra de verbo. signi. c. ... lim. l. fi. de consti. princ.* Et secundum hoc comprehendit casum istum: *d. l. si ita scriptum.* Cum enim ista concessio sit facta Episcopis de positione iuris communis, censetur proprio motu facta: vt not. Doct. & ibi, Bal. in *auct. quas actiones. C. de Episc. & cler.* & ideò latè interpretanda, vt not. Archid. 1. *quæst.* 7. *nisi vigor Docto. de electio. cum in cunctis.* in verbo *liberam.* not. *de consang. & affi. capit. quod dilecto. & in capit. si motu proprio. de præben. libr.* 6. Item respectu ipsius papæ concedendis istud est beneficium: vt not. in *capit. fi. de simo.* ideò fit lata interpretatio. Et ex istis concludo quod possit Episcopus cum incestuoso & adulterino simul dispensare. & hæc vult Bart. in *l.* 2. §. *ex his de verb. obligat.* & istud teneas quicquid dicat Iohan. An. & Butri. in dicto *capit. at si clerici.* vbi ipsi dicunt, quod facultas ipsa legitimandi concessa Episcopis est fauorabilis non odiosa: ideo extendēda ad casum istum. & ista sunt vtilia ad multa dicenda. cum dicimus, quod ista concessio est fauorabilis, fit etiam dubium: an cum talibus Episcopus dispensat in canonicatibus Ecclesiæ cathedralis. Io. ... ro vult quod solus papa possit, Episcopus non: quia si prohibetur Episcopus dispensare in curatis, ergo canonicatibus cathedralib⁹, quia sunt maiores curatis beneficiis: probatur. cura accedit præbendæ canonicali quam digniori: vt in *c. extirpandæ* §. *quia verò de præben. & in c. quamuis, de præben. in* 6. vbi appellatione Ecclesiarum ciuitatis & diœcesi non comprehenditur Ecclesia cathedralis, ... sententiam sequuntur Domini de Rota dicentes quod canonici cathedrales habent quandā præeminentiam super clericos diœcesim & ciuitatis: quia sunt pars corporis Episcopi, *de testa. requisisti.* quia Episcopus habet se vt caput: canonici vt membra, *de his quæ fiunt à præla. c. nouit. & c. quanto.* non videtur igitur Episc. concessum cum talibus dispensare. pro ista sententia facit, quia in concessione facta Episcopo per tex. in *c.* 1. *in fi. de fi. presbytero in* 6. quod istis spuriis possit de beneficio non curato prouidere, tacite intelligitur de sua ciuitate vel diœcesi. Sed si hoc exprimeretur in litteris nō cōtineretur Ecclesia cathedralis, vt *d. c. quāuis.* ergo minus quando tacitè sic exprimitur. Archidia. autem tenet contrarium mouetur leuiter: quia non reperitur expresse prohibitum: ergo videtur concessum. allegat no. in *capit. veniens de fil. presby.* & Hostien. in *summa ad fi. eo ti.* ibi circa hæc sententiam. Archid. tenet etiam Oldra. in suo *consilio.* 213. allegat tex. dicti *capit. quamuis de præben. in* 6. Nam in materia odiosa & restringibili, si vna complectitur totam prouinciam, potest fieri prouisio in Ecclesia cathedrali & metropolitana: ergo multo fortius in nostra materia circa dispensationem defectus natalium, quia talis habilitatio reddit eum habilem nedum in ciuitate vel diœcesi sed in toto mūdo. *ff. de ... l. pe.* 11. *quæst.* 3. *si quis à proprio.* cum ergo sit concessa habilitandi spurios potestas, & ista se extendit vbique, extenditur & ad beneficia vbique sita, & sic comprehendit Ecclesiam cathedralem. ... ista ratio contra videtur multum apparens, non tamen stringit secundum me. nam licet dispensatus vel legitimatus vbiq; sit habilis, tamen quod potestas data Episcopo cōferēdo ei beneficiū nō curatū cum, vt dixi, intelligatur tacite in sua ciuitate vel diœcesi, non debet concludi Ecclesia cathedralis, & quod non stringat ostendo sic. nam si scribitur taliter Episcopo pro habili aliquo qui esset ...

bilis in toto mundo, tamen si dicatur; prouideas isti habili in ciuitate vel diœcesi tua, non comprehendetur ecclesia cathedralis. vnde argumentum Oldra. non stringit. quare Io. An. in *addi. Specu. in ti. de fi. presby. in fi.* conatur per distinctionem concordare: quod si dispensatio est facta stricte per episcopum, qui dixit, dispensamus quod ille obtineat ecclesiasticum beneficium, tunc sit vera opinio Io. Mona. vt per hanc non obtineat canonicatum cathedralem. Si vero est facta ampla dispensatio, vt possit habere beneficia curata, tunc comprehenduntur canonicatus cathedrales. Ego de isto tanto Doct. miror & de sequentibus eum: quia nos quærimus de iuribus dispensationis, ad quæ beneficia extendentur: sed dubitamus, si episcopus potest dispensare in canonicatu cathedrali. Item sua distinctio non est bona: quia dispensationem ad curata beneficia episcopus cum istis non potest facere: vt in dicto *cap. 1. de fi. presby. in 6.* Secundo quia si faceret ad beneficium simplex simpliciter, non dicendo nec ciuitatis vel diœcesis, includeretur canonicatus cathedralis. hoc probat tex. in dicto *cap. quamuis*, dum dicit *hoc casu*, quasi secus sit in aliis. & ille tex. loquitur, quando scribitur vt alicui prouideatur in aliqua ecclesia ciuitatis vel diœcesis, vt non comprehendatur cathedralis: secus si mandaretur episcopo, vt prouideretur alicui de beneficio ad suam collationem spectante: quia tunc includeretur canonicatus cathedralis. Non enim illa decretalis dicit quod literæ beneficiales non extendantur ad ecclesiam cathedralem, sed quod quando fit mentio de ecclesiis ciuitatis vel diœcesis, non comprehendatur cathedralis. & hoc probant iura allegata in prima glo. ibi, & notat Io. An. in *addi. Specu. in ti. de actione & petitione. §. super actionibus in ver. pen.* ibi, *item caute.* nec videtur verum quando scribitur episcopo, intelligatur tacite de beneficiis suæ ciuitatis vel diœcesis, cum etiam ed episcopum spectet cõferre in ecclesia cathedrali *de elec. cum ecclesia.* ergo illa videtur principaliter inclusa, nisi nominatim excludatur. hoc approbat stilus curiæ. nam quando scribitur episcopo in forma pauperum, excluditur etiam cathedralis in literis, quæ alias includeretur, *de preben. c. pro illorum. & de ata. & quali. cap. accepimus.* Non obstat, quod data est forma spiritualis, vt includatur cathedralis, si quod dicatur de ecclesiis prouinciæ, vt dicto *c. quamuis*: quia fateor quod sic scribendo includitur cathedralis sed non est forma specialis, vt aliæ excludatur. vnde ego dico primo, quod licentia concessa episcopis cõferendi talibus illegitimis simpliciter beneficium comprehendit canonicatum ecclesiæ cathedralis, per supra scripta dicto *c. quamuis*, vbi dicitur quod dictæ literæ quæ sunt de ambitu strictæ intelligendæ: secus ergo in casu nostro, vbi interpretanda quia istæ literæ sunt beneficium & gratiosæ, ideo debent late interpretari, vt dixi. supra vt comprehendant canonicatum ecclesiæ cathedralis, vt ibi & dicto. *capit. accepimus, de ata. & quali. & in c. pro illorum, de preben.* & in illo episcopus valeat & possit dispensare. Fateor autem quod si dispensasset cum illegitimo, vt possit obtinere beneficium in sua ciuitate vel diœcesi, tunc non veniret canoni canonicatus cathedralis ecclesiæ. ratio, quia dispensatio, prout est facti, est stricti iuris, vt in *capit. 1. de fil. presby. in 6.* ergo restringenda. & sic habet locum. *ca. quamuis.* secus si simpliciter dixisset, quod possit obtinere aliquod beneficium, quia tunc credo quod possit habere cononicatum ecclesiæ cathedralis. non ob. *capit. extirpandæ. §. quia vero.* quia ille tex. non loquitur de ecclesia cathedrali tantum, sed loquitur de maiori, quæ dicitur maior quandoque quia matrix etiam si non sit cathedralis. vel vt no. in *cle. 1. de iudi. & in cle. quamuis. §. si vero de fo. compe.* & secundum hunc intellectum nota quod parrochialis ecclesia potest vniri canonicatui ecclesiæ colligiatæ. sic intelligo hanc quæstionem. Sed an poterit dispensare vt obtineat canonicatum in ecclesia metropolitana? dicit Io. An. in *cap. 1. de fil. presby. in 6.* quod Io. Mona. tenuit quod non, per illud. *cap. quamuis*, sæpe allegatum. Ego istud teneo, quando dispensat episcopus quod subditus obtineat simplex beneficiũ, quia episcopus nõ potest se de beneficiis metropolitani impedire. & tex. in *c. 1. de fil. presby. in 6.* dicit, dummodo si tale quod valeat per episcopũ dispensare. Si fiat dispensatio à metropolitano, non video stantibus rationibus supradictis quare dispensando non habilitant eum ad canonicatum suæ ecclesiæ cathedralis metropolitanæ. Sed tunc dubitatur, an ex causa summe necessaria ecclesiæ possit episcopus cum illegitimis dispensare, vt admittantur ad ecclesiam parrochialem? videtur quod sic: quia, vt supra dixi, talis concessio facultatis dispensandi videtur fauorabilis siue large interpretanda. & sic videtur quod prohibitio facta de non dispensando in curatis restringatur, quando fieret sine causa vel ex gratia solum propter merita personarum: secus si propter necessitatem ecclesiæ: quia necessitas non videtur subesse huic prohibitioni. *1. quæst. 7. nisi rigor. & cap. tali de ser. non ordi. cap. famul. in fi. & de conse. di. 1. sicut non alii.* & ita tenet Io. Mona. Ego credo contrarium, per ea quæ dixi, supra ibi. Item papa solus dispensat in pluribus canonicis, & probatur in *cap. si.* cum ibi notatis *de æta. & quali. li. 6.* super ætate non dispensat episcopus ad curatũ, quæcunque sit causa, alias, vt dixi, sequeretur quod causa subsistente episcopus posset ad quæcunq; tantum principi reseruata manus imponere: quod est falsum. & ita tenet Io. An. & cõmuniter moderni. Et sic nota aliũ casum, in quo solus papa dispẽsat in beneficio curato obtinendo per patientem defectum ætatis: de quo in *capit. 1. de æta. & quali. in 6.* Sed vlterius dubitatur, an cum talibus episcopus dispenset in dignitatibus vel personatibus, quibus cura nõ imminet animarũ: videtur quod sic, per supradicta, cum ista concessio sit fauorabilis & extendenda. & tex. in *c. 1. de fil. presby. in 6.* non videtur prohibere, nisi in curatis beneficiis: ergo non in istis. Item tex. in *cap. si. de fil. presby.* qui prohibet in dignitatibus & personatibus vt non dispensetur per papam, videtur loqui de istis curatis, dum subdit etiam tex. *& aliis curatis*, vt dicto *aliis.* implicet de similibus qualitate, vt in *capit. sedes. de rep.* & cum solum excludere videatur curata, non ergo dignita-

Digitized by Google

tes & personatus non curatos: *de decimis, ad audientiam*, cum si. & cum ista sit gratia, ergo non restringenda, nisi quatenus verba sonant, vt in *capit. olim de verbo. sig.* & hoc in simile videntur determinare Doc. & ibi Io. An. in *capit. is cui de praeben. in 6.* facit. *capit. pe. de verbo. sig.* vbi appellatio beneficii comprehendit dignitatem. ad hoc *capit. si propter tua debita. de rescrip. li. 6.* & quae supra dixi in quaestione quae incipit: *sit etiam dubium.* glo. tamen in dicto. *capi. 1. de fil. presbyt. li. 6.* in verbo *beneficium* tenet quod episcopus non potest. & in *capit. 1. de aeta. & quali. eo. li.* in verbo *canonicum*, allegat. *cap. fi. de praeben.* & hoc tenet Archi. sed per malas responsiones: quia dicit quod ista dispentatio est odiosa: ideo sub potestate dispensandi in beneficio non comprehenditur dignitas allegat dictum. *cap. fi. de praeben.* & in glo. fi. ista ratio non est bona, per ea quae supra dixi. vnde in hac quaestione ego dubito, & crederem potius oppositum, tamen non descendo ad opiniones Doctorum, quod episcopus non potest dispensare in dignitatibus non curatis. probat tex. in dicto. *c. fi. de fil. presby.* cum dicit indefinite de dignitatibus & personatibus vt non dispenset nisi papa. & dum dicit *& alia curata beneficia*, non tribuit illam qualitatem curae praecedentibus: quia cum ibi dispensatio sit contra ius comune, quando competit episcopo in dignitatibus, ideo illa qualitas curae subnectitur si repeteretur in dignitate ampliaret dispensationem episcopi contra commune. ideo non fit ibi illa repetitio. *l. talis scriptura in fi. de leg.* 1. ergo remanet quod episcopus non potest dispensare, & concessio facta in *c. 1. de fi. presby. in 6.* quae ampliat facultatem episcopi contra ius commune in dispensando: licet sit large interpretanda, per praedicta, tamen cum dicat *in beneficiis non habentibus curam*, cum postea subiungat in quibus episcopus possit dispensare, & episcopus in dignitatibus est curatis non dispenset, habeo quod non poterit dispensare. Sed tunc dubitatur, an in rectoriis non curatis, & non dignitatibus, episcopus possit cum istis dispensare, si teneremus, quod ista facultas esset odiosa & restringenda, tunc ista non comprehenderetur appellatione benefici: vt in dicto *c. fi. de praeben.* Sed si teneremus quod sit fauorabilis, tunc includitur: vt in *c. pe. de verbo. signi.* & quia si includuntur praebendae & canonicatus cathedrales, quae sunt maiora beneficia, & istae rectoriae includentur: & quia legislator reseruauit sibi solum dignitates, personatus & beneficia curata: vt dicto *cap. fi. de fi. presby.* ergo rectoriae non sunt inclusae. allegat Archi. 27. *quaest. 2. capit. lex diuina iuxta fi. & 16. distinct. vbi nam. & 28. quaest. 1. capit. iam nunc. & de sen. excom. capit. cum illorum. §. 1. & capit. nuper* non ob. *c. fi. de praeben.* quia loquitur in praesentationibus, quae sunt odiosae, vt in *c. quamuis. de praeben. in 6.* Nos sumus in hac opinione, quae vt dixi infauorabilis. Necest verum quod dicit Io. An. quod sumus in materia restringibili, vt patet ex supradictis. Non ob. *capit. 1. de fil. presby.* vbi praelationes sunt interdictae istis illegitimis, qui loquitur sine dispensatione. cum dispensatione autem episcopi poterunt habere, per nota. in dicto *capit. 1. de fil. presby. in 6.* Dubitatur insuper an si beneficium est simplex, sed habet ecclesiam parrochialem annexam, an cum istis poterit episcopus dispensare? ideo Io. An. in dicto *ca. 1. de fil. presby. in 6. in ver. tale*, tenuit quod non allegat tex. in *c. super eo. de praeben. in 6.* Sed Archi. tenet contrarium per literam huius. *cap. super eo.* & quia si ex hoc praebenda diceretur curata, non posset tenere cum alia dignitate: vt in *capit. de multa, de praeben.* & tamen hoc est falsum, vt ibi; licet posset tenere dignitatem & solam praebendam & dignitatem, vt ibi. & ita in casu nostro habere posset ex dispensatione episcopi. ratio, quia illud quod alteri vnitur vel annectitur, illius materiam sapit, *de sta. mona. cap. recolentes.* notatur *ne sede vacan. capit. 1.* & quia Ecclesia annexa sequitur naturam principalis, vt *de offi. dele. capit. super gratia. & de reindi. cap. accessorium.* etiam ideo si vnio parrochialis ecclesiae non est facta necessariae, sed aeque principaliter, tunc fateor quod episcopus non posset dispensare, sed solus papa. & sic saluari potest dicta glo. & pro isto facit tex. in dicto *c. 1. de fil. presby. in 6.* dum dicit, quod non potest promoueri ad beneficium quod habet curam. sed promotus ad beneficium habens ecclesiam curatam annexam, dicitur promotus ad primum beneficium non ad curam: vt no. in *cap. si eo tempore de rep. in vi.* ergo non impeditur promoueri respectu curae annexae. & ita teneo. Insuper dubitatur, an episcopus potest istis conferre beneficium homines ordinem sacerdotalem vel super annexum? glo. videtur dicere quod in hoc possit solus papa: in *d. c. 1. de fil. presby.* quia si non potest episcopus dispensare in ordine sacro, nec consequenter in beneficio tali ordini annexo. Lapus abbas dicit, quod hoc procedit, si requirit hunc ordinem post adeptum beneficium, tunc poterit episcopus dispensare vt obtineat tale beneficium: ordinem vero recipiat à valente dispensare in ordine. & hoc videtur probari in *c. si pro clericis pauperibus. de praeben. in 6.* Et licet quidam dicant, quod haec doctrina est contra illum tex. & ibi nota. non est verum: tex. probat ibi illam quaestionem: & notata ibi per Doct. loquitur, quando tempore adepti beneficii requirebatur ordo ille, & tunc non possit assumi. & ita notant Domini de Rota *sua conclusione* [illegible] *nis mihi* &c. Sed ista distinctio Lapi abbatis videtur contra casum & ibi notata in *c. ei cui de praeben. in 6.* quia licet quis non reputetur habilis, si non habet ordines tempore promotionis requisitos: vt *c. si pro clericis pauperibus. & de elect. cum in cunctis*, tamen si eo tempore non sit in aetate apta ordinibus requisitis, reputatur inhabilis: quia qui est inhabilis ad antecedens, censetur etiam ad consequens. & sic est in patiente defectum natalium, qui ad sacros ordines reputatur inhabilis sine dispensatione papae. haec autem habilitas, quod papa possit dispensare, non consideratur, vt *l. apud Iulianum. §. fi. de leg. 1.* vbi talis dispensatio iudicatur impossibile. & ideo ego teneo indistincte, quod in tali beneficio non possit episcopus dispensare. faciunt notata in *capit. dudum de elect.* sed requiritur dispensatio papae.

Ad

Ad solum etiam papam appellatur obmissis mediis, vt dicit hic glo. ar. 3. *q. 6. c. 3.* & 4. sed de cõsuetudine obseruatur quod idem est in legato de latere. & hoc tenet Bar. Brixi. 2. *q. 3. c. 2.* probatur in *c. 1. de offi. dele.* vbi tex. dicit, quod per appellationem vel quærelam. sed tenentes quod non adeatur legatus nisi gradatim, intelligunt illum tex. quod loquatur quando appellatur ab episcopo ad legatum non omisso medio. & hoc tenet Io. An. sed quod appelletur omisso medio ad legatum tenet gl. eiusdem Io. An. in *c. nõ putamus de consue. in 6. in glo.* in verbo *officiali.* & *de appella. Romana in ver. curam.* & istud dicitur approbare consuetudo. Solus enim papa à nemine iudicatur. 9. *q. 3. nemo.* & *c. aliorum.* & 40. *dist. si papa* 17. *dist. § hinc etiam*, nisi sponte se alieno iudicio submittat. 2. *quæst. 7. nos si competenter.* Sed dicas, quod idem est in Cæsare, & de quolibet alio non recognoscente superiorem. nam ipsi sunt soli iudices in causa propria, vt *l. est receptum. ff. de iurisd. om. iudi.* Item papa solus seipsum deponit, & renunciat papatui in manibus suis: licet alii non renuncient, nisi in manibus superioris supra *de renunc. super hoc & per totum.* & *in l. legatus de offi. præsi.* probatur in *c. 1. de renunc. li. 6.* & quod solus seipsum deponat, probatur & notatur 21. *di. nunc autem.* Sed qualiter ista probantur dixi plene in hac Monarchia mea in *q. 3.* quæ incipit *an dignitas papalis per habentem perdi possit*, vbi late dixi de renunciatione, de hæresi, de simonia & de omni delicto siue peccato scandalizante ecclesiam, vbi ista sunt subtilius percunctanda.

Dicunt etiam quidam quod regalis dignitas à solo papa consueuit impetrari. ipse enim determinat à quo & vtrum rex inungendus sit: vt in *c. 1. de sacra vncti.* in verbo *vnde in veteri.* & pro ista sententia videtur doctrina Inn. in *c. per venerabilem, qui fil. sint legit.* qui dixit quod reges seculari subsunt papæ non imperatori. Sed ista intelligo ego sane, quod an rex sit inungendus, & à quo istud est quod impetratur à solo papa, vt in dictis iuribus. Sed dignitas regalis in non subditos ecclesiæ sed imperio impetratur à solo Cæsare, arg. *capit. nouit de iudi.* quia reges temporaliter subsunt imperatori & non papæ, secundum notata. 63. *distin. Adrianus.* & *l. deprecatio. ad legem Rodi. de iac.* & reges & regna subsunt Imperatori de iure gentium. *l. ex hoc iure. ff. de iusti. & iure.* Fateor autem quod subsunt papæ & non imperatori in spiritualibus & in pertinentibus ad iudicium ecclesiæ, sed non in aliis temporalibus, præterquam dictus regulus Apuleiæ, dictus rex Siciliæ qui dicitur esse de patrimonio ecclesiæ. nam istum in regno præficit solus papa, vt in *cle. pastoralis de re iudi.* ita intelligo ista dicta.

SVMMARIVM.

An Papa vel alius Episcopus possit facere contra statuta Ecclesiarum.

CAPITVLVM XXXV.

Item dubitatur, si statutum esset in ecclesia & iuratum & confirmatum auctoritate apostolica, quod diceret quod nullus nisi legitimus posset ad beneficium etiam simplex admitti, an tunc posset episcopus dispensare an solus papa? Io. Monachus argumentat primo quod sic, vt possit solus episcopus, quia statutum est iuris ciuilis pars: vt *l. 1. C. de legi.* & *sena. consul.* sed quando plures prohibitiones procedunt ab eodem fonte, sublato principali & aliud tollitur. *l. fi. Cod. de duobus reis.* facit quod notat glo. in *capit. non debet de consang. & affini.* vbi dicitur de impedimento publico honestis. iusticię probatur, *C. de nup. l. si libertam.* Sed cum episcopus possit tollere ius commune in hoc quo ad simplex beneficium: vt in *cap. 1. de fil. presby. in 6.* ergo videtur & tollere statutum quod idem quod ius commune continet. Ex quo enim ista duo procedunt ab eodem fonte, censeri debet inhabilis ex vna via non ex pluribus, sic respondet ad notata in *c. 1. de constit. in 6.* nam loquitur in statutis vltra vel præter vel contra ius commune disponentibus, non in his quæ essent simpliciter secundum ius commune: quia in illis non procedit ignorantia principis. nec obuiat si dicitur, episcopus non potest tollere statuta vel consuetudines ecclesiæ, vt *de consue. ca. cum consuetudinis*: quia non loquitur in statuto vel consuetudine idem quod ius commune disponente: quo casu ita potest tollere statutum & consuetudinem sicut ipsum ius commune, cum tale statutum veniat in consequentiam iuris communis, ar. *l. cum principalis. ff. de re iudi.* facit. *l. 1. Cod. de codi.* Concludere videtur tandem quod quando est simplex statutum secundum ius commune, tunc procedant supra dicta. Si autem vltra statutum sit iuratum vel confirmatio apostolica, quæ præcesserit dispensationem, tunc per dispensationem contra ius commune vel statutum non tollitur iuramentum vel confirmatio statuti, *de rescrip. cap. constitutus.* nam subiectum iuris communis videtur ex istis vel altero istorum tantum, vt non videatur simplex ius, vt de iuramento probatur in *c. debitores.* & *c. cum contingat de iureiuran.* & de confirmatione apostolica probatur in *c. 1. de transla.* & *de compe. veti. c. 1.* & 2. & tunc istas mutationes non facit episcopus, sed solus papa, qui est supra ius: vt in *ca. proposuit de concess. praben.* dicit tamen etiam quod impetratio facta à papa non valet, non facta mentione de statuto, quamuis essent ibi clausulæ, quæ statuta tollant, tamen non iustificant vel habilitant personam iam per statutum inhabilitatam. Sed ego pro examinanda hoc vtili quæstione plenius dico, quod plurima sunt videnda. Et primo quando hoc statutum esset simplex non iuratum non confirmatum à papa, an tunc adderet vinculum iuri communi. & sic erit secundo videndum, an possit hoc statutum tollere, maxime aliquo casu dispensando. ex quo erit videndum an episcopus possit contra propriam dispensationem seu constitutionem vel sui præcessoris dispensare. Vlterius erit videndum, quod foret iuratum an posset ipsum tollere dispensando, & si tollendo fieret periurus. Vltimo

Digitized by Google

si potest ipsum tollere dispensando, & auctoritate Apostolica confirmatũ. Ex istis clarius apparebit intellectus istius quæstionis non bene per Doc. explicatæ.

Venio ad primam quæstionem & glo. in *ca.* 1. *de consti. in* 6. dicit quod istud statutum est idem quod ius commune, & aliqui verò moderni vt Butri. *de rept. in c.* 1. dicunt quod aut tale statutum venit ius commune antiquum declarando, forte quia super intellectu eius sunt variæ sententiæ, tunc dicit quod addit vinculum & est ius municipale. *l. minimè*, & ibi glo. *ff. de legi.* facit tex. & glo. in *cle.* 1. *de elec.* Si verò statutum est vniformiter intelligibile, tunc si statutum habet diuersam rationem statuendi à lege, quod est impossibile: quia quædam habent vnam rationem in vno, quam non in alio. 31. *di. aliter. & capit. si.* tunc statutum addit vinculum: sed si ratio statuti & iuris communis est eadem, tunc si statutum disponit taliter, vt actionem producat, tunc addit vinculum, quia datur conditio ex lege. *l.* 1. *ff. de condi. lege.* si autem non parit actionem, tunc dicit lex confirmans vel antiquam roborans sed legem nouam non facit, sed est eadem cum confirmata, *l. ius autem ciuile. ff. de iusti. & iure.* Ego verò teneo, quod semper dicatur statutum & addat vinculum: quia dato quod non oriatur actio, saltem oritur officium iudicis vel alia dispositio, vt notatur in dicta *l.* 1. *ff. de condi. ex lege.* sicut enim cum ius commune deducitur in pactum, valet etiam vi pacti, ita hic valet iure municipali vnde simpliciter reuocato iure communi hoc statutum non videtur reuocatum. & hoc est de mente Bar. in *l.* 1. §. *item lex falcidia. ff. ad legem fal.* Ex quibus patet, in contrarium sunt nulla fundamenta prima Iohan. Mona. & hoc etiam declarabunt quę dicam in proxima quæstione.

Et ideo assumo secundum dubium, an simpliciter dispensando Episcopus contra ius commune videatur & contra statutum dispensasse & statutum abstulisse. glo. in *c.* 1. *de constitu. in* 6. in verbo *facti* tenet quod sit sublatum statutum. ratio, quia statutum modo non est facti, nec consistit in facto, immo est iuris & consistit in iure. igitur sublato iure & statutum idem continens sublatum censeatur pro hoc videtur casus in *c.* 1. *de rescrip.* vbi si papa rescribit contra ius commune, videtur etiam auferre priuilegium competens alicui secundum ius commune. & ita tenent ibi In. & Do. vbi volunt quod si presbyter impetrauit ius colligendi decimas in parrochia sua, quod est de iure communi, quod si aliquis demum ex parrochianis impetrauerit exemptionem à decimis, quod valet talis impetratio de priori priuilegio non habita mentione. Secundo quia si contrarium diceret, esset dicere quod diœcesani possent tollere papæ iura simpliciter condendi, potestatem remouendi aliqua iura communia in suis diœcesibus, si Episcopi statuerẽt in sua diœcesi illud quod ius cõmune. tertio probatur, quia si aliter dicens nunquam papa posset reuocare ius cõmune simpliciter, probatur in *d. c.* 1. *de consti. in.* 6. vbi æquiparantur consuetudines & statuta. & licet papa reuocet ius cõmune, statuta tamen & consuetudines abstulisse non videatur, cum sint facti modo si sublato iure cõmuni nõ censeretur sublata consuetudo, tunc cum omne ius sit scriptum & consuetudine sit roboratum ex vsu lõgi temporis, papa nõ posset tollere simpliciter contrarium condendo, quod falsum videtur per tex. cum ibi notatis in *c. super eo de cogna. spi.* vbi probatur quod consuetudo iuri antiquo conformis videtur sublata, nisi ex obseruatione iuris nõn induceretur scandalum: quia tunc non censeretur reuocata, vt ibi notatur. Item licet ius commune sit in statutum deductum, non tamen est ius singulare statuentium. igitur iuri communi sublato & istud tollitur, quia vt non tollatur est opus quod sit singulare statuentium: *dicto c.* 1. *de constitu. in* 6. Item quia si Episcopus vel papa tollit ius commune, quod est fortius multo magis tollit ius municipale, quod est minus: ad hoc *de fide instru. pastoralis*, vbi est casus, quod si allegetur decretalis extrauagans, quæ sit consona iuri communi, iudex debet iudicare secundum eam, quia iudicat secundum ius commune: & ideò sublato iure communi videtur & statutum sublatum, quia & ipsum ius commune est. Sed Io. de Ligna tenet contrariũ sex rationibus: nã hoc statutũ est singularium personarum, quod probant iura quæ supra deduxi, dum dixi quod addit vinculum: ergo non videtur tolli sublato simpliciter iure cõmuni: vt est tex. in *c.* 1. *de consti. in* 6. Item quia sunt duo vincula vt duę seruitutes, vna sublata alia remanet, vt in *c. ex tua. de auc. & vsu. pal. & in c. pastoralis de priuile.* igitur licet tollatur ius cõmmune, statutũ remanet: probat. *l. intelligere. C. de luitione pignoris.* & sublata actione personali per præscriptionem 30. annorum, non tamen tollitur actio hypothecaria. Et ideò papa vel Episcopus tollens ius commune, tollit solum illud primum generale. ergo non illud statutum speciale. Quarto lex non habet robur obiectu dispositionis, sed ex auctoritate disponentis. 9. *q.* 3. *cuncta per mundũ.* & ideò lex principis ligañs omnes: vt in *c.* 1. *de constitu.* Sed inferiores ligant solum sibi suppositas, *de constitutis. vt animarum in* 6. ergo attendi debet auctoritas condentis, non qualitas obiecti, vt sit idem tollens & inducens: vt in *ca. de reg. iur.* ideo licet papa simpliciter tollat ius commune, non videtur tollere municipale, quod ipse non induxit, quod tamen si vellet posset tollere. Vltimo ad multiplicationem vinculi requiritur dissolutionis multiplicatio: vt in *capit.* 1. *de treu. & pa.* & pro ista parte videtur tex. in *capit. cum dilectus de cleri. non resi.* facit. *de consti. cum omnes.* Et ad rationes glo. respondetur, quia non potest negari quin statutum sit falsum. nam cum addat vinculum, vt supra dixi, illud est facti inter ipsos subiectos, licet etiam contineat ius commune. non obstat *capit.* 1. *de rep.* quia ibi loquitur in priuilegio idem quod ius commune continens, quod non addit vinculum, nec ratione obiecti cum sit idem ratione condentis seu auctoritate cum sit eadem auctoritas. Sed ad casus statuti duæ auctoritates & duo obiecta, & sic duæ dispositiones & duplex vinculum. Sed forsan ista responsio non est bona: quia quatenus inferiores statuunt, faciunt iuris

& prin-

Digitized by Google

& principis permissu: vt *l. omnes populi. ff. de insti. & iur.* & sic ipse princeps videtur disponere per medium subditorũ:vt in *c. super litteris de rescriptis.* quod re. iuris quod plus introducit & vinculi, negari non potest quod plus inducit dispositio municipalis quamuis cõmune non obstat quod sic auferri posset papę potestas auferendi iura cõmunia faciendo statuta iuri cõmuni conformia:quia respondeo, quod ipse potest tollere statuta, quando apparet de eius voluntate. Sed tollendi simpliciter ius cõmune, hoc est quod dicimus quod nõ tollit statutũ: Nõ obstat illud de consuetudine & obseruãtia iuris, quod inducet consuetudinẽ, quia non est verũ, quãdo ille vsus non erat factus, nisi ad finẽ obseruandi ius cõmune, & non ad finem inducendę consuetudinis: vt notat Bar. in *l. labeo. de supp. lega.* siue in *l. 3. in fi. eo. ti.* Item quamuis papa possit tollere statuta, tamen non præsumitur illa velle tollere nisi exprimat: vt in dicto *c. 1. de consti. in 6.* & quando generaliter tolleret consuetudines vel statuta, illud intelligatur nisi oriretur scandalum: vt in *c. super eo. de cogna. spi.* Non ob. *c. pastoralis, de fide instru.* quia ibi non dicitur quod illa sit ius commune.

Quid ergo dicendum? ego dicam primo de priuilegio, si priuilegium continet idem quod ius commune, an illud intelligitur sublatum remoto iure communi. Secundo dico de statuto. Rediens ad primum exemplum, pono. habet ecclesia aliqua à papa priuilegium, vt patientes defectum natalium non admittantur ad beneficium simplex sine episcopi dispensatione hic est conforme iuri communi: vt in *c. 1. de fil. presby. in 6.* modo si papa vel episcopus dispensat cum patiente defectum natalium in dicta ecclesia, an dispensare videantur solum contra ius de statuto non habita mentione. Doc. concludunt quod sic per casum in *c. 1. de rescrip.* hoc tamen limitat In. & sequuntur communiter Doct. in *c. veniens. de præscrip.* vt hoc sit verum, quando priuilegiũ in totum continet ius cõmune, sed si in parte contineret ius commune, & in parte ius speciale, vt primum non tollitur de ipso nõ facta mentione, dicto *c. veniens.* Mihi videtur, quod isti dicant contra casum dicti. *ca. 1. de rep.* qui tex. non potest intelligi nisi quando priuilegium continebat aliquid contra ius commune. Nam si intelligas illum tex. in inhabili ad appellandum, quod illa facultas sibi fuit cõcessa. & sic, verbum *libere* ibi intelligatur secundum ius commune: quia tunc est noui actus concessio. *l. si quando secundũ vnum intellectum. C. de inoffi. testa.* & sic in omnibus debeat intelligi secundũ vnum ius commune: vt in *auct. omnes peregrini. C. communia de succes.* tamen negari non potest, quod quatenus ipsi inhabili ad appellandũ sibi conceditur facultas appellandi, istud est priuilegium contra ius commune. i. priuata lex. *3. di. priuilegia.* Si vero illa concessio appellandi fiebat alias habenti facultatem ad appellandum, tunc cum esset actus iam concessi extensio, verbum *libere* non pateretur restrictionem ibi secundum ius commune: vt no. Doc. in *l. 1. § nunciatio. ff. de nouis ope. nunc.* notatur in dicta *l. si quando secundũ alium intellectum. C. de inoffi. testa.* & tunc etiam non potest negari quin sit priuilegiũ, quatenus poterat vltra metas iuris appellare. & sic in dicto *c. 1. de rescript.* ibi semper de isto priuilegio fuisset fienda mentio, quod tamen Doc. ibi non admittunt. Ego credo quod dicta Doc. sint intelligenda, quod quatenus priuilegiũ includit in se ius cõmune, quod pro tollẽdo ipso iure cõmuni nõ sit opus facere mẽtionẽ de priuilegio per tex. *dicti. c. 1.* & ratio, quia priuilegiũ nõ videtur priuilegiare illud, quod cõpetebat de iure cõmuni, ideo ad ipsum solũ tollendũ non erat opus mentionẽ facere: quia illa iuris cõmunis dispositio generalis respicit derogationẽ per contrariã speciem, vt ibi: sed si per secundũ quis vellet tollere primũ priuilegiũ, quod ipse inhabilis non posset appellare ratione primæ inhabilitatis, tunc non posset in hoc tollere primum de eo non habita mentione. & idem quando concessio esset facta habili, si vellem tollere solum per secundũ ius cõmune comprehẽsum in primo, tunc possit sine primi mentione. Sed alia quæ sunt in priuilegio non sic intelligo illũ tex. Ex hoc infero quod qualitercunq; sit priuilegiũ in se concludẽs in aliquod ius cõmune, quod in illo tollatur per secundũ etiam de ipso primo non habita mentione, licet si vellet tollere illud, in quo inducit priuilegiũ, non posset de primo non habita mentione. & ista sunt vera in priuilegiis. Sed in literis ad beneficia, quę sunt de maiori ambitu, vt in *c. quamuis de præben. in 6.* non valerent literę de speciali statuto loci etiam continente id quod ius commune non faciente mentionem. & ita intelligunt Doc. Io. Mona. qui hoc tenuit in *cap. 1. de fil. presby. in 6.* & ideo si statutum diceret, quod illegitimus non admittatur ad beneficia, impetratio non valeret facta ab illegitimo, per quam derogaretur solum iuri communi, si de statuto non esset facta mentio. quod est verum etiam si essent tales derogatoriæ generales apponi consuetæ: quia cum per statutum personale illegitimi sit inhabilitata, licet istæ tales tollant statuta, tamen non in habilitant seu legitimant personam. & ita pronunciauit papa.

SVMMARIVM.

An statutum censeatur sublatum, sublato iure communi dispensatione vel alia lege.

CAPITVLVM XXXVI.

NVnc attingo dubium, an statutum censeatur sublatum sublato iure communi dispensatione vel alia lege? Ad hoc dicunt quidam, quod si rationes statuendi sunt diuersę, tunc sublato iure communi statutum non est sublatum, per iura per Io. de Ligna. allegata. Sed si statutum regulatur ab eadem causa seu ratione, quod præsumitur in dubio, tunc si dispositio secunda disponit in ius & in iure rationem iudicando tale ius præcedens irrationabile, & tunc dicunt quod statutũ tollitur: quia ex hoc ostenditur, quod est irrationabile. & iste est casus in *d. c. 1. de consti. in 6.* dũ dicit, *dũ tamen sint rationabilia.* Sed hoc dictũ mihi nõ placet, quia papa vel princeps nõ præsumitur legẽ reuocare, & in

Digitized by Google

dubio aliam concedere, nisi quia secunda iusticior & rationabilior, & prima non aut secunda: tanquam irrationabilis non valeret. 4. *di. erit autem*. Item non sequitur, papa ratione iuris vniuersalis inducit legem communem in vniuerso irrationabili: ergo est in isto loco particulari irrationabilis, cum possit esse in hoc particulari loco prima ratio conueniens, secunda non. Nam diuersæ propter locorum varietates possunt esse rationes statuendi, & ideò credo istos non bene dicere, nisi papa declaret etiam in hoc loco, legem esse irrationabilem, vel sic de facto appareat quod esset. faciunt notata 31. *di. in c. aliter cum se.* sed si lator legis non inducat legem, quam tollit irrationabilem, tunc licet tollatur ius commune, statutum propter ea non tollitur, per iura per Ioh. de Ligna supra allegata. hoc tamen limitant aliqui Doc. moderni in *cap. 1. de consti. in 6*. quando illi qui statutum condiderunt essent tales, qui contra ius commune disponere siue sunt subditi imperio, vt not. in *l. omnes populi. de iusti. & iur.* Sed si esset statutum clericorum, qui non possunt derogare iuri communi, vt in *cle. ne Romani de elec.* notat. Ioh. An. in *addi. Spec. in ti. de elec.* tunc tale statutum per se non subsistit, tanquam contra legem superioris emanatum. Sed isti malè dicunt, licet & inferiores clerici non statuant contra legem superioris, tamen si statuunt secundum ius, tenet eorum statutum, licet postea veniat casus quod sit contra ius. glo. est nota. in *capit. cum dilectus de consuetu. in ver. constitutio in fi.* Ex quibus concludo, quod licet auferatur ius commune secunda dispositione siue dispensatione, per hoc non intelligitur sublatum ius municipale, nisi de auferendo ipso sit facta mentio, vel declaretur quod talia statuta sint irrationabilia, secundum quod antea dixi. nam licet reuocetur ius, non reuocatur ratio naturalis iuris. id est obligatio naturalis surgens ex consensu statuentium. ar. eorum quæ notant glo. & Doc. in *c. nouit, de iudi.*

SVMMARIVM.

a An Episcopus posset tollere tale statutum vel dispensando, vel forte aliud condendo.

CAPITVLVM XXXVII.

ALiud dubium si Episcopus possit tollere tale statutum vel dispensando vel fortè aliud condendo? & in hoc plura sunt videnda. Primo si potest tollere statutum factum à suo prędecessore vel à seipso solum confectum. vel quando est factum à se vel prædecessore cum cōsensu capituli, an sine illo possit tollere contraria fortè constitutione vel dispensatione. & intelligo quando non esset iuratum vel auctoritate Apostolica confirmatum: quia de istis statim dicam. Ad primum an tollat statutū proprium vel prædecessoris. Io. Mona. & Io. An. videntur dicere, quod si statutum secundum est secundum ius, id est continens id quod ius, tunc possit ipsum tollere. secus si disponat aliud à iure, non dico contra ius: quia clarum est quod contra ius non posset statuere, vt in *cle. ne Romani, de elec.* tunc videtur quod nō possit, per notata in *c. cum consuetudinis, de consue.* Ego credo quod legē ab eo simpliciter conditam vel à suo prædecessore Episcopus possit tollere. text. est 12. *q. 1. c. certe.* not. Ioan. An. in regula *cui licet, de reg. iur. in mercu. in 6*. nam cum procedat totum Episcopi auctoritate, ipsum potest tollere, quia non potest quis legem condere vel imponere à qua non licet recedere. *l. si quis in principio. ff. de lega. 3.* nec prædecessor poterat legem imponere prædecessori: *de elec. innotuit*, cum si loquor quando esset simpliciter ab Episcopo editū: sed si esset editum de consensu vel consilio capituli, sicut præsumitur istud, vt illegitimi nō admittantur, cum agatur de statu Ecclesiæ, & sic est, opus consensus capituli: vt notatur in *c. nouit de his quæ fiunt à præl. sine consen. ca.* Et in hoc est attendendum, vtrum velit absolute ipsum tollere, an simpliciter contra ipsum dispensare si vult in totam tollere, non pōt sine consensu capituli, si statutū disponit circa requirentia consensum capituli, vel sine consilio. si requiretur consilium, quod quando sit notatur in *c. nouit, de his quæ fi. à præla. sine consen. cap.* & est ratio: quia distractus debet regulari secundum formam contractus: vt in *c. 1. infra de reg. iur. & in l. ab emptione. ff. de pac.* Si verò vellet circa ipsum dispensare, tunc duo sunt notanda. Si Episcopus fecit contra proprium statutum, an possit dispensare. Et si potest, an de consensu vel consilio capituli. Ad primum In. est sibi contrarius, quia in *c. dilectus de tempo. ordi.* tenet quod non possit: quia ex eo quod legem fecit, fuit alteri ius quæsitum, quod per eum tolli non potest. *l. si priuatus. ff. qui & à qui.* Item quia debet pati legē, quam ipse tulit, quasi sit facta pro bono omniū. 4. *di. erit autem.* ergo pro cōmodo vnius priuati tolli non debet. Sed ipse notauit cōtrarium in *c. ad monasterium de sta. mona.* & hoc communiter tenetur: quia si potest ipsum in totum tollere, ergo fortius dispensando in aliquo admonere & hoc notant quidam in *c. at clerici, de iudi.* nisi tale statutum transiuisset in contractum, vel esset iuratū sed de hoc dicam statim. Quando ergo transiuisset in contractum, non posset dispensari: quia causa dispensationis concerneret solum interesse priuati. *l. quod semel. ff. de decre. ab ordi. fa.* vt forte si propter scientiam vel eminentem virtutem promouendi dispensaretur. sed si dispensaretur propter publicam vtilitatem Ecclesiæ, credo quod tunc possit, ar. eorum quæ scribuntur in *c. in nostro de iureiuran. & l. item si verberatum. §. si forte. ff. de rei ven.* non ob. quod sit conditum pro cōmuni bono, quia interdū à cōmuni bono receditur pro cōmodo particulari vnius, quando ex hoc sequitur commune bonum, vt notant Do. in *c. de multa de præben.* sed an tunc requiratur consensus vel consiliū capituli allegetur pro & contra in *d. c. at si clerici.* nā tex. ibi cum clericis prout pōt notare causam agentē, videtur requirere cōsensum capituli: ad hoc in *d. c. nouit de his quæ fiunt à præla. & 1. di. de pœnitentib.* sed cōmuniter tenetur contrarium per *c. at si clerici*, ibi *cum clericis*, vt notet causam patientē. & hoc ideò, quia ius dispensandi cōpetit Episcopo de iure spirituali, in quo nō habet cōmunitatē cum capitulo: *de foro compe. c.*

eorum,

cursum de elect. cum in cunctis ad fi. nisi consuetudo dictaret oppositum: *de consu.c.2.l.6.* Et ex istis patet quod potest proprium statutum tollere, & in ipso dispensare.

SVMMARIVM.

An Episcopus possit tollere statutum iuratum: & an eo tollendo efficiatur periurus.

CAPITVLVM XXXVIII.

SEd modo attingamus an potest si est statutum iuratum, & an tollendo efficiatur periurus. Do. in c. 1. *de fil. presby. in 6.* videntur concludere quod non possit: quia statutum secundum eos addit vinculum, quod ab Episcopo prætextu iuramenti tolli non potest & hoc tenet Arch. in *c. si à sede, de praben. libro 6.* per text. in *capit. dilecto de prabend.* vbi text. æquiparat statutum iuratum alteri statuto à sede Apostolica confirmato auctoritate papæ cum adiectione decreti irritantis, si secus fiat, vt ita non valeat factum contra iuramentum, sicut factum contra decretum papæ. nec mirum: quia quando statutum habet decretum papæ, habet confirmationem vicarii Iesu Christi puri hominis. Sed iuramentum roborat Deus, cui magis est parendum: *de transla. prala. inter corporalia.* 11. q. 3. *Iul. & c. qui resistit.* 8. *di. quo iure.* Et in hanc sententiam videtur inclinare Inno. in prædicto *c. dilecto* faciens distinctionem, quod cum iuramentum est interpositum super actu mere spirituali, tunc actus qui fit contra non valet: secus si actus sit temporalis: vt in *c. sicut de sponsa.* & hanc distinctionem sequitur Archi. in *c. omne* 22. q. 1. & Domini de Rota in *antiquis conclusione* mihi vel 294. volentes quod in causis spiritualibus & in quibus non datur actio ad interesse facta contra iuramentum non teneant: *d. cap. dilecto.* secus in rebus prophanis, allegant. *l. eo quidem. Co. de condi. ob causam*, coniuncta *l. nemo, de pac.* Et ideò volunt, quod si est constitutus procurator ad renunciandum beneficium ex causa permutationis, quod si interuenit iuramentum, non possit reuocari. non obstat *capit. sicut, de sponsa*: quia ibi actus secundus non erat bono modo reuocabilis. & hoc sequitur Archidia. in dicto *capit. si à sede. & in c. duobus, de rep. lib. 6.* cum igitur recipere aliquem ad beneficia Ecclesiastica sit actus modo spiritualis, videtur non valere, & idem in terminis dicti *capit. dilecto.* receptio ibi canonicorum est actus spiritualis, & ideò tex. videtur sentire quod receptio canonici vltra numerum iuratum non valeat. Et pro ista sententia videtur glo. fi. in *capit. 2. de iureiurand. libr. 6.* vbi vult glo. quod si mulier iurauit non alienare rem dotalem, nisi imminente necessitate, & cum iudicis auctoritate, quod si postea aliter alienat, actus & alienatio facta non valet: per tex. in *capit. intellecto. & in capit. ea, de iureiuran.* & fuit sententia Hostien. & ferè omnium post eum in *capit. cum contingat, de iureiuran.* & tenet eam Bar. in *l. si quis pro eo. ff. de fidei.* hoc idem firmat Spec. primum in titulo *de emp. & vendi.* §. *in loco. ver. & non generale*, secundo in ti. *de instr. edi.* §. *compendiose. ver. quid si iurauit*: vbi vult, quod si quis fecit primo testamentum, & iurauit illud non tollere, quod si facit secundum testamentum contra iuramentum, quod secundum non valet: quia omne iuramentum seruandum est, quod seruari potest sine interitu salutis æternæ: *de iureiuran. c. si vero. Et quod me causa. cum dilectus. & dicto c. cum contingat in fi.* nam redditio iuramenti est de iure naturali & præcepti diuini. 22. *quast. 1. si peccatum* in principio & *de iureiuran. & si Christus*, ibi: *redde Deo* circa finem. vnde nullo modo est infigendum. 32. *quast. 7. capit. flagitia, & de noui. ope. nunciatio. cap. ex iniuncto. & de regu. iur. qui scandalizauerit.* Et pro hac sententia videtur tex. in *capit. 1. de sepul. libr. 6.* vbi est tex. quod qui iurauit in sua vltima voluntate non mutare electam sepulturam non potest ab illa electione discedere, licet si fecisset ad preces prælati illius Ecclesiæ in qua elegit sepulturam, non valuisset electio & sit ibi casus vel videtur esse de hac quæstione quod non licet à iuramento recedere, & sic determinatur, quæ not. Hostien. *de sepul. in summa* §. *an licitum. ver. quid si quis eligat.* ad hoc *cap. veniens, de accu.* nisi qui non iurauit accusare repellitur accusare volens. ad idem *de iureiuran. ca. quemadmodum.* §. *& illud. & in fi. dicti cap. rursus.* etiam quando alicui licet contra factum suum venire cum minori alienanti rem suam. *l. 2. C. si aduersus vendi.* vel mulieri alienanti fundum dotalem. *l. lex Iul. ff. de fundo dotali*, vel mulieri renuncianti iuri hæreditatis paternæ. vt *l. pactum quod dotali. C. de pac. & l. pactum. C. de colla.* eis præcluditur via iurantibus non contrauenire, vt *Co. si aduersus vendi. auctorit. sacramenta puberum. & in capit. cum contingat de iureiuran. & de pactis. capit. quamuis. libr. 6. & de iureiuran. licet mulieres eodem libr.* sic in casu isto licet contra statutum simplex liceret Episcopo dispensare, non tamen contra iuramentum per dicta iura. istud probatur in *cap. si inter, de spon.* vbi si duo iurant matrimonium inter se & per verba de præsenti, contrahunt sine carnali copula, si demum vnus eorum copulat matrimonio etiam cum carnali copula, valet primum & non secundum. ad idem *de spon. capit. sicut*, nisi si aliquis contraxit sponsalia de futuro cum Berta & iurauit, & demum contraxit cum Seia & iurat per verba etiam de futuro, quod valent prima sponsalia & non secunda: Sed in contrarium facit, quia si noui & iuraui non contrahere matrimonium, sed profiteri, si postea contraho, tenet matrimonium, vt in *capit. 1. de voto libr. 6.* probatur in *capit. veniens, qui cleri. vel vouen.* & in omnibus iuribus dicentibus, quod licet simplex votum impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum: vt in *capit. meminimus. & capit. rursus, qui cleri. vel vouen.* Ad idem tex. in *capit. qui post votum, de regula. in 6.* vbi si aliquis vouit intrare certam religionem, si demum intrat aliam etiam laxiorem, valet secunda professio solennis contra votum primum: & licet hæc iura loquantur in voto, possunt tamē intelligi etiam in iuramento: quia iuramentum solū nō solennizat votū. Et non est differentia inter votū & iuramentū, vt in *c. magna. §. cū igitur de voto.* In quib' iuri-

bus probatur, quod actus potentior factus post iuramentum etiam super re spirituali, sicut est ingressus religionis, valet contra præcedens iuramentum. quod est bene notandum, quia est contra illam distinctionem. supra relatam per Inn. vnde & si actus est spiritualis, qui geritur contra iuramentum, videtur valere, licet Inno. & multi moderni contra, vt statim dicam: probatur istud in *capit. sicut ex litteris de spon.* vbi si iuraui vnam accipere per verba de futuro, & de præsenti contraho cum alia, valet secundus contractus primo irritato. hoc firmat glo. in *ca. si. de procur. in 6.* in verbo *reuocatus*: vbi concludit, quod si aliquis constituit procuratorem ad matrimonium contrahendum, & iurauit non reuocare, quod si reuocat, tenet reuocatio, licet sit periurus. loquor etiam, quando iusta causa reuocandæ non superuenit. quia si superuenisset, valent reuocatio sine dubio, *de iureiuran. quemadmodum.* hoc confirmat sententia Doctorum legistarum, qui tenent, quod si fiat testamentum quod testator iurat non reuocare, si postea reuocat, tenet secundum: ita notat Cyn. & Doc. in *l. 1. C. de sacrosanc. eccle.* & Bar. in *l. si. quis in principio testamenti de leg. 3.* plus subdens quod ex tali contrauentione non est periurus, quam tale iuramentum non esset obligatorium, auferens liberam testamenti factionem, & sic erat contra bonos mores, arg. *l. stipulatio hoc modo, de verbo obli.* coniuncto *c. non est obligatorium, de re. iur. in 6.* hoc idem Io. An. in regula *semel de re. iur. in 6.* dicens quod secūdum testamentū tenet, sed contraueniens est periurus. hanc sententiā sequitur Specu. in *ti. 2. § nunc tractemus. ver. sed si legatus*: vbi tenet, quod actus gestus contra iuramentum tenet & valet. & ibi Io. An. in *addi.* ideò electio facta contra numerum iuratum valet, quando electus vel receptus contra numerum iuratum non procurasset se eligi. tunc enim non valeret, quia esset particeps periurii, per notata in *ca. 1. de offi. dele. & 2. quæst. 1. cap. notum.* & ideò non teneret electio. tamen periuri non sint capaces dignitatum. & ita de isto qui esset particeps periurus *de sin. excom. si concubina.* Et periuri priuari debent beneficiis: *de iureiuran. c. querelam.* Quid igitur inter tantas varietates dicendum? Quidam moderni ex suo capite faciunt distinctionem: aut illud quod iuratur obseruari habet alias secum concursum dispositionis iuris communis, vt in casu glo. *c. 2. de iureiuran. li. 6.* quia alienatio fundi dotalis habet prohibitionem iuris communis: vt *l. lex Iul. de fundo do.* & tunc tale iuramentum est licitum & ideò illud, quod fit contra tale iuramentum, non valet. ita intelligunt glo. *c. 2. de iureiuran. in 6.* si autem non habet concursum iuris communis, & tunc aut actus iuratus contra quem fit est mere spiritualis, aut partim spiritualis partim temporalis, aut in totum temporalis. primo casu quando est mere spiritualis, tunc actus factus contra non valet. ita loquitur textus in *c. dilecto, de praben.* & illud videtur ibi de mente Innocen. Secundo casu quando est actus non mere spiritualis sicut est matrimonium, in quo datur dos, pro eo vt in *toto titulo C. & ff. de iur. do.* quod tamen secus est in actu mere spirituali, vt in receptione alicuius in canonicum, in quo si interueniret pecunia, esset simonia: vt in *c. Iacobus & c. dilectus de simo.* tunc actus factus contra iuramentum tenet, quando est plenior actus contra iuramentum quam actus iuratus. ita loquitur *c. sicut, de sponsa.* Et idem videretur concludere, quando actus est mere temporalis, vt distinguatur, si secundus est actus fortior siue plenior, valet secundus, alias non. Sed istæ doctrinæ in omnibus sunt falsæ. Et primo si ego iuraui intrare certam religionem: hoc iuramentum habet iuris communis assistentiam, vt in *toto titulo. de voto*: & tamen si profiteor aliam etiam laxiorem, valet actus secundus: vt dicto *capit. qui post votum. de regula. li. 6.* Item si voui continentiam simplici voto, hoc votum etiam iuramento firmatum habet concursum iuris communis, quod debeat obseruari. Et ideò impedit matrimonium contrahendum: vt in *capit. rursus. & in capit. veniens qui cle. vel vo.* & tamen si fiat matrimonium per verba de præsenti contra votum & iuramentū, valet: vt *d. c. veniens. qui cle. vel vo.* Item promisi ducere Bertam & iuraui per verba de futuro, tenet hoc iuramentum, nec debeo de iure aliam ducere: ita quod hoc iuramentum habet concursum iuris communis: & tamen si contraho cum alia per verba de præsenti tenet contra iuramentum: vt in *capit. si inter. & capit. sicut de sponsa.* Et ideò illa pars distinctionis non est vera: quod si inter res mere spirituales, quod si contra fiat non valeat: vt *d. capit. si post votum. de regula. in 6.* Nam si voui voto simplici, & iuraui intrare certam religionem, qui actus est mere spiritualis, si contraho demum matrimonium cum muliere, contractus tenet. *d. c. veniens.* & idem si intro aliam religionem laxiorem. Item non placet alia consideratio, quod actus secundus valeat contra iuramentum, quando secundus est plenior & fortior. Nam si feci primum testamentum, & iuraui reuocare, si facio postea secundum solenne testamentum etiam sine iuramento, valet secundum & non primum: vt not. Io. An. in *cap. quod semel. de reg. iur. in 6.* & Bar. in *d. l. si quis in principio testam.* & tamen primum testamentum videtur plenius, quia iuratū: & secundum simplex. Item si contraxi matrimonium per verba de præsenti cum Berta sine copula carnali & sine iuramento, si postea contraho cum alia verba de præsenti cum copula carnali & cum iuramento, nihilominus præualet primum matrimonium; quamuis secundum plura vincula habere videatur: vt in *c. si. de spon. duorum.*

Vnde mihi videtur, quod hic duo videnda sunt: primum an actus gestus contra iuramentū sit validus: secundo si sic gerens actum contra iuramentum sit periurius. Ad primū considero, quod interdum actus qui secundo geritur contra procedens iuramentum, non potest sortiri effectum de per se siue sine iudicis ministerio. Interdum potest sortiri, vel sortitur sine iudicis ministerio. primo casu actus qui quæritur contra iuramentum fieri non tenet: ita loquitur. *l. 1. & auct. sacra. pube. Cod. si aduersus vendi.* ita loquitur. *c. veniens. de accu. & de iureiuran. quemadmodum.* Nam iudex non debet audire volentem accusare, cōtra tuum denegat auxilium: vt no. in *d. l. 1. & de iureiur. c. si vero.* Similiter iudex non restituit minorem & iuramentum, quia non vult esse auctor periurii. Et ideo si tale statutum in

Digitized by Google

tum in nostris terminis,non posset reuocari sine auctoritate superioris,puta papæ: tunc actus gestus contra non valeret. ita decidit Bar.in *d.l.omnes populi.ff.de iusti.& iur.*ibi *circa secundum commune sta-* *tutũ* &c.& fuerũt ista ac sunt verba Io.An.in regula *quod semel.de regulis iur.in mercuria.*ibi ad allega- ta tertio: vbi dicit quod sunt quædam quæ per se consequuntur effectum sine iudicis ministerio : vt baptismum,matrimonium,professio,testamentum quod morte confirmatur, in his valent quæ fiũt per iuramentum per iura supra allegata. Sed alia quæ requirunt iudicis ministerium,vt reuocatio a- lienationis rei minoris,vel rei dotalis,vel querela inofficiosi,& his similia,&in his iudex denegat su- um auxilium siue ministerium:vt *d.l.1.si aduersus vendi.* secundo casu quando potest actus fieri & ef- fectum sortiri sine iudicis ministerio, tunc aut præcedens actus iuratus est licitus , & secundus actus qui fit contra primum est illicitus,siue à iure illicitus reputatus,& tunc valet primus actus & non se- cundus contra primum iuramentum factus:iste est casus in *c.intellecto. & in c.eam te.de iureiurand.* & dicitur esse secundus actus illicitus & præcedens iuratus illicitus,quando talis actus habet resisten- tiam etiam iuris ciuilis quod non fiat:quia si talis iuris ciuilis resistentia confirmatur iuramento, ius canonicum tunc arbitratur hoc iuramentum honestum & adeo licitum, vt si postea veniatur contra hoc,secundus actus reputetur illicitus & non valeat : vt si rex iurauit bona regni non alienare, si a- lienat etiam cum iuramento,non tamen alienatio.*dict.c.intellecto.*ita potest intelligi glo.no. in *c.2.de iureiuran.lib.6.* nam mulier iurauit non alienare rem dotalem sine causa,si alienat & iurat non valet: nam cum primum iuramentum haberet ius ciuile conforme & resistẽs ne contra fieret , si interuenit iuramentum hoc corroborans,censetur adeo licitum vt secundus actus non valeat tanquam illici- tus: loquor quando ius resistebat etiam ciuile : secus si actui præcedenti iurato ius ciuile simpliciter non assisteret,non tamen resisteret:quia tunc si fit contra , non vitiatur secundus actus cum iuramẽ- to:vt probant omnia iura quæ supra adduxi. licet enim in præcedentibus casibus , si non esset iura- mentum de non alienando præstitum, valeret alienatio contra prohibitionem ciuilem interueniẽ- te iuramento: vt in *c.cum contingat.de iureiuran.* tamen si talis dispositio iuris ciuilis prohibens cõue- nire habet partem contrafacientem præambulum iuramentum de non faciendo:tunc secundus iu- dicatur illicitus & non valet. Si vero secundus actus nõ reputatur de se illicitus à iure,quod est quã- do de se est honestus : tamen licet qui iurauit non facere inhoneste faciat vel illicite , & efficiatur ex hoc periurus: actus tamen nihilominus valet factus etiam contra prius iurata:vt in iuribus supra al- legatis:& in *c.sicut.& in c.si inter.de spon.& d.c.qui post votum.de regulis.*loquor siue actus præcedens sit mere spiritualis,siue mixtus,siue mere temporalis.Non obstat contraria,& primo nota. in *ca.1.de fil. presby.in 6.* quia salua reuerentia ego arbitror,quod contra tale statutum iuratum episcopus venien- do faciat actum validum. Sed an sit periurus,possit dubitari:de quo statim dicam.nec obstat *ca.dile- cto.de praben.*per quem tex.tamen contra Archi. quia Io.An. & alii qui tenent ibi quod receptio te- nuit,respondent quod in tex.ibi illa est allegatio partis, non iuris communis dispositio : vel non di- cit illa litera quod receptio non teneat,sed dicit quod fieri non debet : sed non damnat eam si con- trafaciat.nec obstat si dicitur quod recipientes sunt periuri,& sic infames. *C.de transact.l.si quis maior. 6.q.1.c.infames.* Et sic videntur gesta ab eis non valere: quare sint ab actibus legitimis repellendi: vt in *c.licet ex quadam.de testi.cogen.* Iohan.An.dicit quod non incurrunt periurium, nisi post actum fa- ctum;vt ipse no.in *d.mercu.quod semel.in fi.*& statim dicam in sequentibus:& dum tex.in *ca.dilecto,* æ- quiparat receptionem contra statutum iuratum,sicut contra decretum papæ:respondetur quod illa æquiparatio non est per omnia : quia non est quando ad inualidam electionem siue receptionẽ: sed sit in hoc quod non debeant recipere vltra numerum. nec ex hoc quod si fit contra iuramentũ præ- stitum Deo Deus irritat,quod contra fit,vel decretum imponit irritantium, licet contrafaciens in- currat periurium. & sic allegata in contrarium non obstant : nec est vera distinctio Inn.de actu spiri- tuali quod non valet contra iuramentum,per ea quæ supra dixi : licet Archi. & Domini de Rota illã sequantur,qui non respondent ad *c.sicut.& c.si inter. de spon,* tunc dicunt quod actus sequens non est commode reuocabilis; quia sicut reuocaretur præcedente voto solenni, ita præcedente simplici iu- ramento,si esset iuramentum tantæ efficaciæ : sed quando non est, ideo non tollit actum qui postea geritur siue sit matrimonium,quod de facili non tollitur: siue alius actus, qui facilius tolli posset : & ideo male dicunt Domini de Rota, quod si aliquis constituit procuratorem ad remittendum ex can- sa permutatum, & iurauit non reuocare quod demum eum reuocare non possit : quia immo potest, licet sit periurus:& ita consuluit Fed.de Sen.vt no.in *c.si.de procura.in 6.* Nec ob. ista glo.in *d.c.2 de iu- reiur.in 6.*per illa quæ supra dixi.non ob.no.per Spe.in *d.§.compend.de instr.edi.* quia Io.An.in dicta regula *quod semel,*tamen quod secundum testamentũ valeat & ita tenent omnes legistæ: licet si du- bium an sit periurus, vt infra dicam. & iura allegata per Spec.probant quod actus contra iuramentũ fieri non debent. Sed debet reddi iuramentum Deo sed non dicunt an si contra fiat actus teneat vel non. Non obstat.tex.in *c.1.de sepult.in 6,* nam Io.An.in *d.mercuriali,quod semel,*respondet quod illud est spirituale in odium allicientium ad sepulturam eligendam. Item ille tex.non concludit illud ad quod inducitur,sed potius concludit quod neutrum valet & decedat intestatus : quod est verum in casu illo expressæ electionis sepulturæ,sed non in aliis. Non obstat not.in *capit. veniens de accu.& de iureiurand.quemadmodum.& in dicta leg.1.sed aduersus vend.* quia istis est responsum per supradicta. Non obstat *capit.sicut.& capit.si inter.de spon.* vbi contraxi per verba de præsenti sine copula carnali, & iuraui , si postea contraho cum alia cum copula , non valet secundus actus sed primus iura- tus. Et idem in duabus sponsis , de futuro iuratis , vt prima sponsalia valeant , & non secunda.

Nam prout dixi, quod secundus actus valet contra iuramentum, illud debet intelligi, vt primus [illegible] ctus ad secundum remaneat in dispositione iuris communis, vt si ipse primus actus iuratus non habeat iuramentum, vt secundus valeat actus, qui à iure præfertur. Et ideò cum de iure communi secundum matrimonium etiam carnali copula consummatum non tollat primum per verba de præsenti simpliciter contractum, dicto *c. si inter, de spon.* ita non tollit etiam si interuenit iuramentum. Et hoc ponderat ibi text. dum dicit, *siue sit iuramentum interpositum siue non.* idem in duabus sponsis, de futuro. Nam secunda sponsalia de futuro non solum prima similiter de futuro: secus si secunde essent de præsenti. Et est ratio, quia de iure matrimonium de præsenti soluit spõsalia de futuro, etiam iurata, vt *d. c. sicut.* nec ponderatur hic quis actus sit fortior ratione iuramenti. Et ideo si sit secundũ testimoniũ contra primum iuratũ, valet secundum et non iuratum. Et ideo si vendo rẽ vni, & iuro alteri non vendere, vel iuro ipsum contractum obseruare, si demum vendo secundo, & ipsi trado etiam sine iuramento, potior erit causa secundi emptoris quam primi, per *l. quotiens. C. de rei ven.* licet primus contractus videatur fuisse fortior propter vinculum iuramenti. Similiter si iuraui vendere Titio, postea per stipulationem promitto alteri vẽdere, quis sit fortior vel potior? credo quod primus propter iuramentum, quod debet seruari, & parit de iure canonico actionem. 22. *q. 5. iuramenti.* notatur *de insti. cum venissent.* & ibi Io. An. Ex quibus concludo, quod regulariter actus factus contra iuramẽtum tenet. Sed tunc insurgit dubium, an facientes sint periuri, vel actus factus dicatur à periuro, & an valeat, aut non supposito quod ante sint periuri, vt statim dicam. Concludentes primo in quæstione proposita, vt si statutum continet idem quod ius cõmune, tunc Episcopus potest dispensare, & sic idem si sit iuratum vt contra ipsum possit dispensare. Et tamen in hoc aduertendum quod quidam in *capit. at si clerici de indi. §. de adulteriis verò*, dicunt quod licet Episcopus possit tollere statutum, non potest tamen dispensare: quia non potest seipsum absoluere. Sed ego credo quod sicut actus valet quando in totum eum tollit, licet incurrat periurium, vt supra dixi: ita credo quod teneat dispensatio: quia si potest in totum tollere, fortius in parte dispensando, licet incurrat periurium: quod hoc non facit actum nullum, vt dixi: ideò frustra disputatur, si potest seipsum à iuramento absoluere. Fateor tamen, si vellet dispensare sine periurio, & tunc non possit sine superiore, quia seipsum non potest absoluere, nisi quando statutum contineret solum commodum iurantis, vt dicam infra in proxima quæstione. Idem si sit auctoritate Apostolica confirmatum, & quando est iuratum & confirmatum, si non est ibi decretum papæ reddens irritum & inane, vt tunc possit dispensare, vt probat tex. in dicto *capit. dilecto*, *de praben.* & ibi per Doc. in *capit. cum accessissent, de institu.* secus si esset ibi decretum, quia tunc non posset dispensare: dicto *c. dilecto.* sic intelligo hanc vtilem quæstionem.

SVMMARIVM.

An dispensatio Episcopi contra statutum iuratum dicatur facta à periuro; vel an sic dispensando periurium incurratur, & si incurritur, an valeat actus à periuro factus.

CAPITVLVM XXXIX.

ET adhuc pro eius lucidatione ampliori est videndum, si talis dispensatio dicitur facta à periuro vel an sic dispensando periurium incurratur & si incurritur an valet actus à periurio factus. Ad primum in testamento tenet Bar. & legistæ quod periurium non incurrat. assignant rationem supradictam, vt hæc no. supra in *l. si quis in principio testamenti, de leg.* 3. Io. An. tenet contrarium in *d. mercu. quod semel.* pro prima communi opinione legistarum facit, quod iuramentum habere debet tres comites, veritatem, iusticiam, & iudicium & si quod deficit non est seruandum, vt notat glo. in *auth. quod eis. Coll. de nup.* Sed veritas cõsideratur siue de præsenti in præsens, siue de præterito in præteritum, siue de futuro in futurum. Item debet habere iusticiam, quod sit iustum & sit honestum, [illegible] nullum inhonestum. 4. *di. erit autem.* sed hoc videtur inhonestum, vt quis sibi legem imponat, à qua recedere non liceat, dicta *l. si quis in princip.* maxime ex quo auferat sibi liberam testandi factionem, quæ debet esse libera vsque ad mortem. *l. 1. C. de sacrosanct. eccle. 13. q. 2. c. vltima voluntas.* & est contra bonos mores. *l. stipulatio hoc modo, de ver. obli.* Sed ego credo, quod opinio Ioh. An. sit verior [illegible] omne iuramentum ligat, quod seruari potest sine interitu salutis æternæ, vt probant iura quæ [illegible] retuli, relata secundum Specu. in ti. *de instru. edi. §. compendiosè. ver. quid si quis iurauit.* sed sicut testator potest non mutando cum illo decedere, nec artatur ad mutandum, sic potest non mutare & iuramentum seruare. Nec illud quod sit contra bonos mores solum ciuiles reddit iuramentum nullum [illegible] iure canonico, alias sequeretur quod alienatio fundi dotalis non firmaretur iuramento, nec [illegible] perdendi hæreditatem à filia, quod est contra *c. quamuis, de pac. li. 6.* vt hæc plenius dixi in *c. non [illegible] tingat, de iureiuran.* & vide plenius in dicta *mercu. quod semel* ibi absolutionem, vbi vult quod sit [illegible] iurus. & *c. non est obligatorium* loquitur, quando est contra bonos mores naturales vel diuinos, & [illegible] sentit Bal. in *l. pactum. C. de colla.* & hoc nisi mutaret testamentum ex causa, quia hæredes essent [illegible] hæretici, *de iureiuran. quemadmodum.* tunc fieret permutatio sine periculo periurii. Sed de dubio [illegible] tuti si dispensando vel disponendo contra illud incurratur periurium, & actus sit factus à periuro, & an valeat vel non? Dico ad primum, quod videtur quod disponens contra, incurrat periurium: quia iuramentum est seruandum, cum seruatum non vergit in dispendium salutis æternæ, *de iureiurand. si vero. 22. quæst. 1. omne quod.* & Archidi. *de praben. li. 6. si à sede.* & Docto. in dicto *capit. dilecto.* pro hoc videtur

detur casus in *capit.* 1. *de iureiuran. lib.* 6. vbi prælatus obligatur iuramento obseruare statutum iuramento firmatum: & si quis iurauit non reuocare testamentum, ipsum reuocando periurium incurrit, vt dixi. Sic qui iurauit statutum obseruare, illud tollendo tacite vel expresse periurium incurrit. ad hoc *de iureiuran. quanto*, vbi qui iurauit obseruare monetam, illam tollendo committit periurium. Quid enim est statutum obseruare nisi ipsum non amouere? *dicto capitulo quanto.* Et hoc determinat Bar. in *l. omnes popul. de iusti. & iure*, in quæstione quæ incipit *circa secundum.* probatur *de sponsa. sicut & cap. cum inter.* præterea & si possint tollere statutum, & forte iuramentum veniens in consequentiam, tamen quando contraueniunt simpliciter statuto & iuramento non sublato incurrere videntur periurium: quia licet recipiendo vltra numerum iuratum eo ipso statutum tollere videantur: *de institut. ca. cum accessissent in fi. & cap. cum M.* & eodem instanti quo videntur tollere statutum & iuramentum tollere videantur, tamen cum tollunt iuramentum & statutum iuramentum inueniunt aliter ipsum non dicerentur tollere supra. *de respon. impub, ad dissoluendum. & l. nam & si sub conditione.* § *rumpendo, de iniusto testa.* ergo tollendo incidunt in periurium nam cum in puncto concurrant: vt in dicto *c. cum accessissent. & cap. cum omnes. de consti.* prius videtur periurare quam constitutionem tollere: quasi penetrabilior sit actus & gladius spiritualis quã temporalis: vt no. in fi. Inno. in *c. præterea. el. secundo, de appel.* & infra dicam. Ex quo videtur cõcludi quod contrafacientes sint periuri: & hoc tenet Archi. in *c.* 1. *de cleri. non resi.* & ibi Io. Mona. *in* 6. pro quibus videtur casus in *c.* 1. *de iureiur. in* 6. iuncto. *cap. quanto. de iureiur.* In contrarium facit, quia omnis constitutio sui natura est commutabilis, prout exigit temporis varietas, cui conformari debet: vt in *cap. non debet. de consang. & affi.* quinimmo videtur subiacere mutationi ex sola rationabili condentis voluntate. 12. *q.* 1. *certe*, quia distractus debet regulari secundum naturam contractus: vt in *c.* 1. *de regu. iur.* Sed sicut est in voluntate condentis statuere, ita & statutum auferre: quia par videtur esse ius soluendi & ligandi. *de pœn. di.* 1. *c. verbum. de hæreti. cum ex iniuncto, in fi. & in l. ab emptione. ff. de pac.* maxime ne videantur statuentes legem sibi imponere, à qua non liceat ipsis recedere *l. si quis principio testamenti. de leg.* 3. iuramentum ergo adiectum constitutioni debet illius constitutionis naturam imitari & sequi durabilitate sui constitutionis naturam tanquam principalis. vnde deberet plus durare quam constitutio, *de consti. ex litteris. de elec. venerabilem. in fi.* in omni enim iuramento super implemento vel stabilitatis actus inest conditio resoluens iuramentum, si res in eodem statu non permanserit. 22. *q.* 2. *cap. ne quis.* nam iuramentum recipit omnes conditiones & limitationes sicut à iure recipit actus, sub quo est interpositum: vt in *c. quemadmodum. de iureiur. l. fi. C. de non nume. pecu.* Sed constitutio, vt dixi, habet naturam quod mutetur ex temporum varietate: ergo hanc conditionem recipiat iuramentum. nam de tali tempore quando mutaretur constitutio, non videtur cogitatum, & iuramentum non debet extendi ad incognita: *de iureiur. quinta vallis. & c. clericus.* sic enim cum iuratur prælato non astringitur iurans ipsi deposito *de elec. venerabilem. in fi.* 15. *q.* 6. *auctoritatem, & de censibus significauit*: Sic in constitutione non astringitur ad obseruantiam, ipsa remota: hoc probatur. priuilegium enim concessum rei cessat re perempta vel cessante: vt in *capit. ad audientiam, de con. edifi.* 16 *q.* 7. *& hoc diximus*, sic cessante statuto cessare debet iuramentum ipsi accessorium. ar. *c. accessorium de reg. iur.* quod autem possit tolli constitutio tacite vel expresse, probatur *de consti. c. cum accessissent.* alias sequeretur absurdum, quod si lex temporis immutabilitate efficeretur iniqua vel impossibilis, illa non posset reuocari contra notata in *c.* 1. *de his quæ fiũt à ma. parte. c. &* 1. *q.* 7. *c. quod pro remedio*, cum si. facit tex. in dicto *c.* 1. *de iureiur. in* 6. & hoc facit: quia si iuraui soluere. 10. Titio, excusor si præcipit Iudex quod non soluam: *de censi. significauit.* Sic quando iuraui seruare statutum, excusor si superior aufert & præcipit non seruari. ad hoc, si superior fecit statutum & strinxit se ad obseruantiam ipsius cui iurauit, potest à tali iuramento contra statuendo me absoluere: *de spon. præterea.* Item iuramentum ligat secundum mentem iurantis, sed non creditur iuris iurantis esse, nisi quantum durat statutum, *de iureiuran. cap. quemadmodum*: quia non est verisimile, quod iurauit obseruare statutum, si contingat reuocari. Item si illi, qui condiderunt statutum, puta quod non recipiatur canonica, nisi in sacris, si ipsi contrauenuint, ex hoc videntur tacite statutũ auferre: *de consti. cum accessissent. & c. cum omnes.* ergo & iuramentum illi accessorium, *de fide instru. ca. inter dilectos.* §. *cæterum.* faciunt notata *de rescript. constitutus*, ad hoc quia iuramentum recipit interpretationem & limitationem de iure communi, vt *de iure iuran. veniens.* & iuramentum de implendo aliquem actum recipit restrictionem ad actus capaces implementi, ideo iuramentum de obseruando statutum recipit interpretationem, vt debeat impleri donec in facultate statuti, & sic implemẽti: dicto *c. veniens.* sicut iuramentũ de exequendo sententias intelligitur de exequibilibus, & maxime in quolibet iuramento intelligitur excepta auctoritas superioris, *de rescrip. constitutus. & c. veniens.* & sic ius superioris reuocantis intelligitur exceptum, si à superiore non reuocetur. Item quia si statutum reuocatur ex causa, quia ventum est ad causam, quod si statuentes sciuissent non statuissent: videtur tunc quod possit venire contra iuramentum: per *c. si vero. de iureiur.* & ibi dicunt Doc. moderni quod Bononiæ Doc. non sunt periuri, qui iurarunt in collegio vel ad lecturam de mane nõ recipere forenses Docto. quia illos recipiunt, quia ipsi ciues non sunt sufficientes: sic ergo sit in statuto super hoc iurato. Quid igitur dicendum? Docto. in hoc articulo diuersimode loquuntur. nã Bar. vt dixi, vult quod quando statutum est iuratum, tunc si illud tollitur, incurratur periurium. Et hoc sequitur Archi. & Io Mo. *de cle. non resi. c.* 1. *li.* 6. dicentes quod sine causa statuentes non possunt statutum vel consuetudinem iuratam in melius reformare sine metu periurii. Io. An. dicit, quod si sta-

tutum est simpliciter iuratum obseruari, tunc si statuentes veniunt contra ipsum statutum ipso per antea non sublato, tunc periurium committitur. Si vero ante omnia statutum tollant, tunc nō sunt periuri contrafaciendo, quando iurauerunt simpliciter seruare statutum. & in hoc discrepat à Bal. & à prædictis: quia iuramentum videtur arctare, donec durat statutum, per ea quæ supra dixi. secus si iurassent seruare statutum & contenta in statuto: vtputa, dicit statutum quod non recipiatur canonicus nisi existens in sacris. si tunc iurent seruare statutum & contenta in statuto, tunc etiā si auferrent statutum, erunt periuri recipientes non constitutum in sacris. Pau. vero in *cle. 1. de regula.* & Io. de Ligna. videntur discrepare à dicto Io. An. & etiam inter se. Nam in primo membro dum Io. An. dicit, quod veniendo contra statutum iuratum ipso per antea non sublato, quod incurritur periurium, hoc displicet Pau. nam dicit quod sicut quando auferunt statutum expresse veniendo demum contra non incurrunt periurium. Sic etiam simpliciter veniendo contra ipsum statutum illo expresse non sublato non incurrunt periurium: quia tacite videntur auferre statutum: vt in *ca. cum accessissent. de consti.* vt idem operetur tacitum quod expressum *l. cum quid. si cer. pe.* Cum enim concurrant cum eodem puncto, quod censeantur abstulisse statutum tacite & etiam venisse contra iuramentum interpretandum est, quod abstulerunt statutum, nec incurrerint periurium: & ne idem actus operetur contrarios effectus *l. qui hominem. §. si. ff. de solu.* & *l. titio non morietur. ff. de vsufru.* Cum enim ex contrauentione tacite videantur abstulisse statutum, vt in dicto *c. cum accessissent & cap. cum omnes:* ergo non potest operari aliud, quod dicat contra constitutionem factam: quia idem actus non debet operari rei destructionem & eiusdem rei effectum propter incompassibilitatem, vt in *c. maiores. de bap. ver. sed ad huc.* no. 57. *di. c.* 1. incipit: *si quis in agritudine.* & hoc quando collegialiter contraueniunt. secus si singulariter: quia singulariter non potuissent statutum tollere, certe periurium incurrunt. Non ob. secundum eum no. per Inno. in *cap. preterea. el. 2. de ap.* vbi si Iudex dixit, *excommunico te si elegeris.* Nam secundum vnam opinionem si eligat electio non valet, quasi ab excommunicato facta, & præcedere censeatur tunc actus excommunicationis: quia licet ibi ista duo concurrant, tamen ex ordine intellectus pręsumitur ibi excommunicatio pręcessisse: quia gladius spiritualis est omni alio penetrabilior: sed in nostro casu non est dare actum primū vel secundum: sed in eodē instanti dicentur duo contraria, quod est impossibile: vt supra dixi. Hoc tamen displicet Io. de Lig. per ea quæ dicā infra, secundū Dominum meum, qui etiam hoc reprehendit. Item dum Io. An. dicit, quod quando iurauerunt statutū & contenta in statuto obseruare, quod sublato statuto cōtraueniendo incurrant periuriū. hoc non placet Io. de Lig. dicenti quod idem est iurare statutū simpliciter & iurare seruare contenta in statuto referendo se ad statutū: allegat *de excep. cum venerabilis,* vbi irritato instrumento & confessio quæ ex illius productione resultabat erit irrita. nam sic iurantes non videtur principaliter iurare contenta in statuto sed accessoriè consequenter iuxta no. in dicto *c. cū venerabilis.* vnde concludit quod siue iurauerint statutū obseruare siue contenta in statuto referendo se ad statutum, quod tollendo ante statutum postea veniendo contra non sint periuri. Et idem dicit, quando iurent incontinenti, postquam iurauerunt statutum, seruare contenta in statuto, etiā si se non retulissent ad statutū, vt sublato statuto cōtraueniendo non sint periuri. Ratio, quia ea quæ fiunt incontinenti, videntur inesse *l. lecta. ver. dicebā. ff. si cer. pe.* & videntur se retulisse ad iuramentū præstitū de obseruantia statuti. secus si iuramentū de obseruando contenta in statuto fuisset appositum ex interuallo: quia tunc non reuocando veniendo contra, etiam non referendo se ad statutum, essent periuri. Dicit autem Dominus meus Anto. de Butri. in *c. 1. de his quæ fiunt à maio. par. c.* quod hæc quæstio est de puncto, & ideo subtilis. de qua per legistas in *l. aretusa. de sta. ho. & in l. sed & ha partes. §. si. ff. quod me. cau.* & ideo dicit quod debet fieri consideratio à quo momento facti surgat reuocatio statuti: an ab ipsa præparatione facti, an ab ipso facto dum est in fieri, vel ab ipso facto prout est in esse productum. Primis duobus casibus diceret verum Pau. secundum eum. Ratio, quia prius inuenitur statutum sublatum quam contra factum. Si autem ab ipso facto, prout est in esse productum, siue à fine facti, quod videtur sibi verius: quia ante factum possent pœnitere, & non tolleretur statutum *l. qui falsum. ff. de fal.* & quia cum dicitur de facto debet intelligi, de facto cum effectu: vt in *c. relatū. de cleri. non resi.* tunc oportet videre, à quo surgit periuriū, an à præparatione contrafacti, an à persecutione cōtrafactionis, an à fine facti. Primis duobus casibus si loquimur quo ad Deum, habet ipse pro constante quod à præparatione & prosecutione contrauentionis quis sit periurus: quia iam in animo firmauerit, facere contra iuramentum. vnde cum priuatio statuti, vt dixi, surgat à fine facti: & periurium à præparatione siue prosecutione, certe præcedere videtur periurium reuocationem ipsius statuti: & sic quantum ad Deum est periurus. Sed si habemus respectum ad forum contentiosum, tunc dicit, quod credit, quod à fine facti surgit periurium: & sic in puncto concurrit reuocatio statuti & incursio periurii. In quo est considerandum, quod istorum in ordine intellectus præcedat periurium. Ratio, quia vinculum iuramenti est Dei & hominis: sed reuocatio statuti est tantū actus hominis, sed isti actus Dei sunt penetrabiliores actibus hominū: vt in *d. c. præterea. el. 2. de app. de sen. ex. c. venerabilibus li. 6.* & ideo sunt periuri: quia sublatio statuti sequēs non tollit periuriū sequēs. Secūdo mouetur: quia sublatio statuti surgit à facto cōtrauentionis ipsius statuti perfecto & cōsumato. ar. *d. c. relatū. de cle. nō re.* ergo per prius præcedit ipsum cōtrafactū quā statutū sit remotū: igitur præcedit statutū, quia periuriū secūdū eū est actus immediatus, qui sequitur statim ex conuentione. Sed amotio statuti est actus mediatus. nam consensus est medium volens statutum tollere: sed actus immediati sunt per prius quam actus mediati.

Vnde

Digitized by Google

Vnde ipse in hac materia sic concludit, quod quandoque statuentes iurant seruare simpliciter statutum, & non reuocare. Primo casu concludit quod si reuocant per prius expresse statutum, quod postea contraueniendo non sunt periuri. Aut non reuocant, sed simpliciter contraueniunt: tunc Io. An. & antiqui Doc. tenebant, quod essent periuri: sed Pau. in *cle. 1. de regu.* dixit quod hoc erat verum, quando simpliciter illi de capitulo qui statuerunt contrauenissent: secus si collegialiter: quia videntur per prius statutum abstulisse: vt *d. c. cum accessissent. & capit. cum omnes. de consti.* vnde sicut quando expresse abstulissent, non essent periuri, ita & quando tacitè, per ea quæ supra dixi. Non obstat no. in *d. ca. præterea. de appel.* quia ibi vtrumque potest concurrere: & excommunicatio ratione penetrabilitatis censetur præcedere, sicut infusio gratiæ & remissio peccatorum: quia ingressio vnius operatur hoc casu ingressum alterius. *32. q. 1. ca. cum renunciatur.* Præterea periurium incurrunt sub conditione, si recipiant iuramentum non existentem in sacris contra statutum: ergo ante receptionem non sunt periuri. *l. cedere diem. de verb. signi.* sed receptione facti statim desinit constitutio esse. ergo simul & semel & vinculum iuramenti, alias sequeretur quod tollendo expresse statutum essent periuri: sicut essent tollendo tacitè, quod secundũ omnes est falsum. vnde Dominus meus, vt dixi, tenet contrariũ: per not. in *d. c. præterea*, & supra dixi: quia renũciatio statuti surgit ex consumata contrauentione: ergo prius contrauenitur quã tollatur: vnde periurium incurritur: Itẽ quia ex cõtrauentione quis immediate incurrit periurium, sed non immediatè tollitur statutum: quia statutũ dicitur tolli per consensum renunciandi statuto, qui consensus est actus mediatus. Sed actus immediati sunt per prius quam actus mediati: & ideò periurium incurritur. Et hoc est verum, quod sunt periuri ipsi statuentes, qui iurauerunt, sed non eorum successores: quia cum iuramentum sit personale, vt *de iureiur. c. veritatis*, non ligantur successores. Si autem fuit iuratum seruare statuta & contenta in statuto, tunc Doc. volunt quod veniendo contra, etiam sublato statuto committatur periurium: licet Io. de Lig. contra, vt supra dixi. Sed do. Anto. tenet sententiam Doc. quod secundum iuramentum debet aliquid operare: vt in *c. si papa. de priuile. li. 6.* alias tale tale secundum iuramentum censeretur nugatorium, cum tamen non debeat sine causa præstare: & in dubio delictum nõ debet præsumi, quod esset, si iuramentum esset, superfluum & nugatorium: *de iureiur. c. & si Christus.* vnde quando iurauerunt statutum & contenta in statuto, tunc cassato statuto periurium incurrunt: & multo magis si de per se contenta in statuto iurauerunt: iuxta no. per In. *de excep. cum venerabilis.* & hæc quando statutum continet vel religionẽ aut pietatem, vel interesse aliorum quam ipsorum statuentium, vel aliquid quod sit Deo magis placens: quia Deo obligantur, nec possunt factum iuratum statuto vel non statuto reuocare. Sed si iuramentum respiceret tãtum commodum ipsorum statuentium, tunc videntur sibi remittere iuramentum cum capitulariter contraueniunt, & non incurrunt periuriũ, iuxta not. in *c. 2. de spon.* Nã si sponsi periurauerũt spõsalia, & eodẽ instanti cõmuni voluntate cum aliis sponsalia contrahant, non sunt periuri: quoniam in dubio debet præsumi quod nõ habuerunt animũ delinquendi *l. merito. pro socio.* & sic tacitum est iuramentũ, & iuratum non reuocari, tunc ipse Anto. secundũ Io. An. in *addi. Spec. in ti. de iureiur. §. 1. ver. quid si aliquis*, concludit, quod si ista statuta concernunt solũ interesse & fauorem illorum qui iurarunt, tunc ipsi possunt sibiipsis tale iuramentum remittere, & contrauenire, ar. *l. si quis in princ. testi. de leg. 3.* & hæc habita mentione de tali clausula: alias non viderentur à prima intentione recedere. Si autem non concernunt fauorem & interesse ipsorum, tunc non possunt contrauenire, per prædicta. Et hæc quæ dicta sunt, procedũt quando ipsi statuentes statutum reuocarent. Sed si reuocaretur à superiore, tunc non essent à iuramento tuti, sed tenerentur obseruare, non obstante reuocatione superioris, per no. per glo. fi. in *c. cũ non deceat. de elec. lib. 6.* nam durat obligatio naturalis surgens à vinculo iuramenti: iuxta not. per Inn. in *d. c. cum venerabilis. de excep.* & ita concludit do. meus Do. Anto.

Ego autem in hac quæstione aliam sententiam habeo quam Doct. Et primo cum Do. communiter dicunt, ꝙ si statutum est iuratum obseruari, quod si tollitur, expresse tollens non sit periurus: mihi non placet, quando statutum esset licitum & honestum; & si reuocatio statuti & conditum statutum esset honestum, quod est possibile: vt no. Doct. in *c. fi. de consue.* Nam credo quod tunc tales reuocantes essent periuri: per tex. in *c. 1. de iureiur. li. 6.* vbi prælatus, qui non ligatur lege prædecessoris: vt in *c. innotuit. de elec.* obligatur iuramento seruare statuta licita. Quid enim operetur hoc iuramentum, cum per actum contrarium tacite videatur tolli non possint, cum alias tali legi ipse iurans non esset obligatus, quia non ligantur: vt no. in regula *cui licet. de reg. iur. lib. 6. & in auct. quibuscunq. de sacrosan. ec.* & idem de lege prædecessoris, vt dixi. vnde ibi est casus in *d. c. 1. de iureiur. in 6.* coniuncto *c. quanto. de iureiur.* vbi probatur quod nil aliud est statutum obseruare quam ipsum non amouere: vt in *d. c. quanto.* Et in hoc videtur verior sententia Bar. & Archi. quam aliorum: loquor quod quando est iuratum, continet aliud interesse contra ipsorum iurantium. Et idem dico & multo magis, quãdo simpliciter veniunt contra statutum eo non reuocato: quia si tollendo expresse statutum incurrunt periurium, multo magis quando tacite ipsum tollunt contraueniendo: immo hoc casu periuriũ magis incurrunt: quia secundum communem opinionem Doc. iuramentum habet vim clausulæ derogatoriæ: vt notat Io. An. in regula *quod semel, ad fi. de reg. iur. in 6.* per tex. in *l. cum pater. §. filiis matrem. de leg. 2.* & Bar. not. in *l. omnes populi. de insti. & iur. in tertia quæstione principali ad fi.* vnde simpliciter veniẽdo contra non aufertur statutum, cum non sit facta mentio de clausula derogatoria *l. si quis in principio testamenti. de leg. 3.* & ibi notatur: & *l. si mihi & tibi. §. in legatis. de leg. 1.* semper loquor quando statutum continet interesse aliorum quam iurantium. Et ideo falsa videtur doctrina Pauli & sequacium,

quod veniendo contra statutum tacite illud tollant & non incurrant periurium: quia non possunt illud tollere nisi de clausula derogatoria, id est, de ipso iuramēto fiat mentio. Sed an posset procedere, si esset clausulæ derogatoriæ, statim dicam. Non enim habet hoc iuramentum tacitam clausulam, si durat statutum, postquam ipse qui habet facultatem tollendi iurat eius obseruantiam, quæ in hoc consistit vt pactum contrarium non tollatur tacitè vel expresse: Ideò vana videtur subtilizatio Domini mei Domini Anto. de Butri. An sublatio statuti surgat à præparatione facti, an ab ipso facto cùm est in fieri, vel esse sublatum & iurantem in periurium incurrisse; & hoc prout iurassent seruare statutum simpliciter. Et si iurassent seruare statutum prout durat statutum, vel iurassent simpliciter obseruare contenta in statutò: tunc possent procedere dictæ subtilitates: quia qui iurat obseruare contenta in statutò non obligat se ad reuocandum statutum & non possunt dici in statuto contenta, si statutum sit sublatum: & tunc stabit consideratio, si faciendo contra auferunt statutum, cum non videantur facere contra contenta in statuto: & cum non concurrat simul & semel contrauentio, ex qua fit statuti tacita ablatio, erit videndum quod præcedat: an ablatio statuti ex quo periurium non incurritur; an fiat prius contrà statutum ex quo periurium incurratur. Et hæc procedunt quando qui iurauit est vna persona singularis, in cuius potestate sit ablatio statuti. Sed si esset vniuersalis vel collegium, tunc minus videtur posse procedere, quod dicit Dominus meus. Nam collegium & vniuersitas vt persona ficta non potest obligari ad periurium; sicut nec ad excommunicationis sententiam: vt in *capit. Romana. §. vniuersitatem. de senten. excom. lib. 6.* Et ideò si iurant obligantur vt singuli ad periurium, non vt collegium: tunc si collegium vt superior expresse remoueret statutum, ipsi singulares de collegio, qui sunt obligati ad obseruantiam, non viderentur immunes à periurio: cum licet collegium superior abstulisset statutum, ipsi inferiores singulares non viderentur immunes à periurio: per not. secundum eundem Dominum meum in dicto *capit. cum non deceat. de electi. in glo. fi.* quod tamen ego non credo, vt infra dicam. vnde Doct. Anto. videtur secundum doctrinā suam malè dicere, quod si collegium vel vniuersitas expresse tollat statutum, quod non sint periuri venientes contra. Insuper dato, quod sublato statuto contrafaciendo non incurrerent periurium, tamen si ipso expresse non sublato contrafaciant, an incurrant periurium: & in hoc etiam non placet, quod dicunt multi, vt Iohan. de Ligna. & Do. meus, & etiam in casu quo simul concurreretur ablatio statuti, & incursio periurii, quod prius dicatur periurium incurrere quam videantur statutum abstulisse, per rationes & iura quæ supra retuli: quia hæc verba *promitto obseruare statuta vel contenta in statuto* faciunt conditionem, vt sim demum periurus si non obseruo: vt *l. stipulatio ista de verbo. obli.* quæ conditio debet impleri perfectè & in forma specifica: vt *l. 2. & l. qui heredi. & l. meuius de condi. & demon. l. cedere diem. de verbo. signi. l. quæ sub conditione. §. quotiens. de condi. institu.* notatur in *l. in illa stipulatione si kal. de verbo. obli. & in capit. commissa. de elec. lib. 6.* nec sufficit apparatus contraueniendi iuramento; quia si præparat statutum tollere, non videtur tollere sed tollere velle: vt *l. amplius. non peti ff. rem ra. ha.* Forus enim constitutionis non intendit punire malam mentem de periurio, sed ipsam facto perfectè declaratam: vt not. Dyn. in regula *peccatum. de regu. iur. in 6.* & his non committitur periurium, nisi facto expleto & finito, & ita tenet ipse Dominus meus in dicto *capit. præterea. de appe.* & sic in hoc argumento est sibi contrarius. Cum enim vellet tollere ante statutum, vel prius vellet delinquere vtrumque pendeat à potestate & arbitrio ipsorum statutum reuocantium, quod prius videantur voluisse delinquere: hæc omni ratione caret. nec in pœnis debet assumi talis ordo intellectus, vt videatur quis prius deierare & periurium incurrere, quam statutum tollere quod causat periurium, quod si esset sublatum, non causaret: immo contraria interpretatio sumi debet. *l. si de interpretatione. & l. præses. ff. de pœnis.* facit *l. merit. ff. pro socio.* & pro ista sententia est glo. & Bar. in *l. non solū. §. sed et probari. ff. de no. ope. nun.* probatur ex not. in *l. eum actum. in fi. ff. de neg. ge. & in l. 2. C. de peti. hære.* tunc enim cum possunt partes se absoluere à iuramento ipso contraueniendo tacite videntur se absoluere, vt est text. in dicto *capit. præterea de spon.* ita in proposito non video rationem, quare non videantur ante omnia statutum abstulisse, ne periurium incurrant. Item pro ista parte videtur casus in *l. si fuerit in fi. de re. du.* vbi est casus quod quando duo incurrunt iniunctam, & est opus quod ad validitatem alterius præcedat, tunc vel actus non valet, vel non incurritur periurium: quia vt incurratur est opus, quod præcedat ipsum contrafactum reuocationem statuti: quod cum non sit, sed in eodem puncto concurrant, vel periurium non incurritur, vel debet assumi quod est fauorabilius: dicta *l. si fuit. de re du. in fi.* not. in *l. si post mortem. de leg. 3.* vnde cum sit magis fauorabile quod teneretur pactum quam periurium, quod dicentur per prius ante abstulisse statutum. Non obstat not. in ipso *c. præterea*, quod non credo quod ipsa doctrina sit vera, per illa quæ supra dixi: vel ibi erant duo actus diuersarum personarum, quia dixit iudex: *excommunico te si appellaueris vel dixeris.* Nam si postea appellat, incurrit excommunicationem, & appellatio non suspendit, quia post appellationem interpositam: quia actus excommunicationis tanquam gladius spiritualis, & per consequens penetrabilior & velocior, subintelligitur præcessisse actum appellationis. hic autem est vnicus actus contrauentionis contra statutum, qui pendebat à sola potestate contrauenientium, qui credendum est quod intendebant verisimiliter velle statutum tollere, per iam dicta: quod secus est in mente iudicis excommunicantis præcedere. Vnde secundum mentem eiusdem fieri debet interpretatio, & non secundum mentem excommunicati: præsertim quia excommunicatio non fundatur super appellatione, sed super inobedientia, & præcedit causa in qua fundatur

excommuni-

Digitized by Google

excommunicatio; etiam aliquando sit actus exterior appellandi ligatur: ergo cum primum contumacia est præparata, & in esse cum deliberatione producta, non prout apparet per appellationem in perfecto esse producto. Nam iniusta esset excommunicatio, si quis excommunicaret post appellationem iam interpositam: vt in *c. Romana. §. cæterum. de sen. excom in 6.* no. *de sen. excom. in c. à nobis. de consti. vt animarum.* §. 1. & maximè foret iniusta monitione noua non præcedente secundum Inno: in *d. cap. præterea.* Sed ista non vendicant sibi locum in periurio & casu nostro: quia in foro contentioso; vt dixi; non inspicitur animus deliberatus delinquendi, nisi veniant ad actum facti: vt no. Dyn. in dicta regula *peccatum.* quod secus est in foro spirituali & diuino; vt 5. *di. palea.* sed pensandum etti foro assimulatur forus contentiosus in excommunicando & censuris: & sic in pœnis spiritualibus à iudice promulgatis pro inobedientia; quæ committitur statim cum quis deliberat esse velle inobediens; sed non sicut in periurio causando; licet credam quod sit verior alia opinio; quando Iudex non subesset, qui interpretaretur sententiam suam vel sui prædecessoris; vt intelligatur excommunicasse post appellationem interpositam & actum perfectum. quoniam de isto deliberato animo & contumacia in foro contentioso non potest constare; nisi appellatione interposita, vt supra dixi: sed Iudex interpretaretur, quod ipse intellexit ligare præparationem appellantis, esset vera opi. Inno. quod potest facere Iudex interpretando suam sententiam vel prędecessoris; iuxta plene no. per Bar. in *l. ab executore. ff. de appel.* Et ideo si Iudex hoc interpretaretur, succederet opinio Doc. sed non sic potest interpretari animum illorum, qui contra statutum veniunt, quia ipsi qui contraueniunt debent interpretari animum proprium, vt est glo. no. in *l. papi. scribit si frumentū. in fi. ff. de rei vendi.* no. *Insti. de act. §. sed iste.* Ex quibus concludo, quod vbi conueniendo tacite tollitur statutum, quod esse potest, quod infra dicam, quod tunc intelligantur per ante abstulisse nec incidisse periurium, secundum Pau. quicquid alii dicant.

Et ex istis etiam declaratur, quod superuacua videtur disceptatio, si est iuratum obseruare contenta in statuto, & statutum, in quo (vt dixi) discrepat Io. de ligna. ab aliis Doc. quia si ex sola contrauentione contra statutum incurritur periurium, vt dixi; non multum aperit dicere contenta in statuto. Sed supposita opinione Io. An. pro vera quod sublato expresse statuto non incurratur periurium, tunc est dubium, si est factum iuramentum de statuto seruando & contentis in eo: an incurratur periurium. Credo quod si est vna conceptio verborum dicendo *iuro obseruare statutum & contenta in statuto:* tunc videtur iurare contenta in statuto prout in ipso insunt & accessorie: iuxta no. in *c. cum venerabilis. de excep.* & licet tot videantur iuramenta quot sunt iurata *l. scire debemus. de ver. obli.* tamen in hoc casu censeo hæc iurata accessoriè, prout in statuto sunt contenta. Sed si iurasset obseruare statutum, deinde in alio iuramento iurasset seruare contenta in statuto, vt in hoc exemplo: statutum dicit, quod non recipiatur nisi existens in sacris: Episcopus iurat seruare statutum: item iurat non recipere in canonicum nisi constitutum in sacris: tunc credo quod Doc. verum dicant, etiā si fiat incontinenti, at hoc iuramentum aliquid addere videatur: *de priuile. si papa. li. 6.* & hoc probat no. per Inno. & Doc. in dicto *c. cum venerabilis.* Item dum Dominus Anto. dicit, quod illud quod est dictum, quod si statutum tollitur, quod tollitur iuramentum, dicit ipse, hoc est verum quando tollitur per ipsos statuentes: secus si superior tollat, quia si inferiores iurassent seruare statutum, non esset propterea sublatum statutum: per glo. singularem in *c. cum non deceat. de elec. li. 6. in glo. fi.* quæ incipit: *effectus.* Et est ratio secundum eum, quia quādo statutum tollitur à superiore, licet tollatur statutum, non tollitur vinculum iuramenti proueniens ex consensu: licet tollatur statutum, remanet obligatio naturalis ex consensu: faciunt no. in *d. c. cum venerabilis. de exceptis.* quæ ratio cessat, quando remouetur statutum ex consensu statuentium, quia tunc tollitur vinculum iuramenti & cōsensus. Sed ego credo, quod sit ponderanda forma iuramenti. Si enim iuratum simpliciter statutū obseruari, tunc credo quod sit totum oppositum, q̄ statuentes tacite vel expresse non possunt tollere sine periurio: sed superiores sic. Nā, vt dixi, statuentes qui iurant obseruare statutū, iurant non amouere: quia obseruantia consistit in non amouendo statutum: vt dixi per *c. 1. de iureiur. li. 6.* coniuncto *c. quanto. de iureiur.* vnde sunt astricti vinculo consensu iuramenti non auferre. Sed inferior qui iurauit, ita demum videtur astrictus, si durat statutum, vt iuramentum reguletur secundum naturam eius super quo interponitur: & hanc censetur habere conditionem. præterea si superior mandat inferiori, quod non obseruet iuramentum, certe ipse iurans esset immunis à periurio: vt in *c. significauit. de censi.* & hoc est verum, etiam si iurasset obseruare statutum & contenta in statuto in eadem oratione: quia consensus iuramenti habet conditionem annexam, quandiu statutum durat: sed si ex interuallo iuratur obseruare contenta in statuto principaliter, siue adhibeatur mētio in statuto siue non, tunc procedit illa glo. quia sublato statuto remanet vinculum naturalis consensus, nisi superior expresse remittet iuramentum, & talem consensum ita debet intelligi glo. illa: pro qua tamen facit: quia licet quæratur tolli statutum, non tolluntur statuta iurata: vt probatur in *c. 1. de consue. li. 6. & in c. quia sæpe. de elec. li. 6.* vbi videtur tex. quod non tollantur statuta, nisi de iuramento fiat mentio: vt in *c. cum aliquibus. de rep.* glo. tamen in dicto *c. cum non deceat;* intelligit illum tex. quod sublatum esset statutum, sed duraret iuramentum. vnde pro absolutione istorum dubiorum omnibus prædictis examinatis duo dico principaliter intuēda. Primum, si statutum iuratum potest auferri vt periurium non incurratur per statuentes. Secundo si adhuc, vt tollatur statutum iuratum, est opus quod fiat mentio de iuramento. Ad primum excludā casus non dubios. Et quidem si illi qui statutū condiderunt, vel subditi non sunt illi qui iurauerunt, sed illi successores, tunc possunt reuocare vel venire

Digitized by Google

contra statutum sine metu periurii: quia iuramentum est personale, & non egreditur personam: vt in *c. veritatis. de iureiur.* adeo quod si episcopus sub nomine dignitatis iurasset, & demum dimisisset episcopatum, si demum iterum fuisset verum ad illud reassumptus, contraueniendo non esset periurus: vt no. in *d. capit. veritatis.* Si vero illi met sunt qui iurauerunt, tunc aut est ille qui habet facultatem statutum reuocandi: & tunc aut subest aliqua causa, vel tacita conditio de his quæ excusarunt eum vel eos à periurio, vt quia statutum est deductum ad impossibile, vel eius obseruantia est hodie illicita effecta, vel contra ecclesiasticam libertatem, vel forte superior, qui potest imperare, mandat quod reuocetur: & tunc poterunt tollere ipsum statutum, & contra ipsum venire etiã non sublatum sine metu periurii: vt in casibus no. in *cap. quemadmodum. de iureiur.* Et hoc probat *capit. 1. de iureiu. in 6.* Et idem si ventum est ad casum, quod si statuentes sciuissent, non statuissent: vt no. in *d. capit. si vero. de iureiur.* ita debet intelligi glo. 11. *di. in ca. in his*, quod ex causa non obstante iuramento possint contrauenire. Aut nulla subest causa legitima, vel si est statutum, nihilominus potest subsistere licitum & honestum, quod est possibile, vt dixi: quod not. Doc. in *capitulo si. de consue.* Et tunc aut statutum continet solum vtilitatem & interesse istorum statuentium, & tunc si non possunt hoc statutum tollere sine superioris auctoritate, tunc tollendo vel contraueniendo sine dicta auctoritate sunt periuri: vt dixit Bar. Aut ipsi soli possunt statutum tollere, & tunc possunt statutum reuocare iratum: vt in *ca. praeterea. de spon.* Sed si contraueniant statuto non sublato, tunc si in contrauentione non est clausula derogatoria, per quam videantur iuramento derogare, vt si dicerent; *non obstante quacunque contraria dispositione, etiam iuramento firmata:* tunc credo quod non sint periuri, quia non poterant sibiipsis legem imponere à qua non fuisset eis licitum recedere *l. si quis in principio testamenti. de le. 3.* Sed si non esset clausula derogatoria, esset maius dubium. Sed adhuc credo idem, quia non est præsumendum quod voluerunt se illaqueare periuriis, sed quod voluerint vt poterant perantea tollere statutum, & ipsos à iuramento absoluere, & non esse periuros. Et credo quod tacite erit sublatum statutum, & per consequens iuramentum, per *d. c. 2. de spon.* quia iuramentum habet tacitam conditionem, nisi ille cuius interest illud remittat: & cum hac conditione intelligitur Deus ipsum recepisse: vt no. in *c. quemadmodum. de iureiu.* Non ob. quod si non existunt clausulæ derogatoriæ, quod non censetur statutum reuocatum: per no. in dicta *l. si quis in principio testamenti.* Nam. do. Anto. dicit, quod illa derogatio operatur quo ad validitatem reuocationis statuti, sed non quo ad illaqueandum ad periurium propter præsumptionem, quod voluerint elinquere. Sed ista responsio non placet, quia negari non potest, quod si non tollitur statutũ tacite vel expresse, quod ipsi contraueniendo statuto incurrunt periurium: quia in foro contentioso non consideratur solum animus delinquentis, vt in regula *pactum. de regu. iur.* sed consideratur euentus *l. aut facta est. §. euentus. ff. de pœnis.* Impleuerant enim conditionem inducentem periurium, quia cõtrafecerunt statuto non sublato: ergo sunt periuri. Sed ego respondeo, quod nõ incurrunt periuriũ: quia contra iuramentũ non obliget, habet tacitam conditionem, nisi ille cuius interest remittat: dicto *c. quemadmodũ.* quia vnum non contraueniendo videntur tacite remittere iuramentũ, vt in dicto *c. 2. de spon.* vbi qui iurauerunt sponsalia, si ambo scientes contrahunt cum aliis inuicem sibi remittunt iuramenta, & sic etiam clausulas derogatorias ex ipso iuramento surgentes. Quare tene, quod tacita statuti ablatio quasi perantè tacite remissum sit iuramentum, & etiam clausula derogatoria, quæ illam met habebat conditionem, si ille cuius interest non remittat, teneat. Si autem continet interesse aliorum quam ipsorum statuentium, tunc si illi quorum interest consentiunt, & tunc possunt etiam contrauenire: & vt dixi, tacite contraueniendo abstulerunt statutũ: & hoc magis est si expresse ipsum abstulerunt. Si vero illi, quorũ interest, non consentiunt, tunc si iurauerunt obseruare statutũ, non possunt ipsum amouere tacite vel expresse, quin periuriũ incurrant: & multo magis si iurauerunt obseruare statutũ & contenta in statuto, vel si iurauerunt statutũ non reuocare, quia modo potuerunt se obligare iuramento in fauorẽ tertii à Domino reuocandũ, & sibiipsis legẽ imponere à qua recedere non licet: quod non est, quando continet solũ interesse ipsorũ statuentiũ, quia tunc sicut possent statutum tollere non obstante iuramento, ita & illam clausulam iuratam de non reuocando, vt no. Io. An. in *addi. Specu. in ti. de vi. §. 1.* Sed si iurassent simpliciter seruare cõtenta in statuto, per quod non astrinxissent se ad omnino reuocandum statutum, tunc credo quod possent statutum reuocare, & contraueniendo non essent periuri: quia tale iuramentum habet conditionem, donec duret in eodem statu 22. *q. 2. ne quis.* sed ipsi possunt reuocare statuta etiam facta ad tertii vtilitatem, nisi quando transiuissent in contractum: vt no. in *l. quod semel. de decr. ab ordi. faci.* vt eius sit tollere, cuius est condere legem *l. nihil tam naturale. de reg. iuris*, ne videantur sibi statuentes legẽm imposuisse, à qua non liceret ipsis recedere: dicta *l. si quis in principio testi.* Quandoque illi qui iurauerunt non sunt illi qui habent facultatem auferendi statutum, sicut sunt illi de vniuersitate vel collegio: quia, vt dixi, collegium & vniuersitas non obligatur ad iuramentum, sed solum singulares de collegio obligantur, etiam si per sindicum iurassent: nec ipsi singulares statutum possunt tollere, sed solum potest vniuersitas vel collegium. Etidem si superior aliquid statuit, & inferiores iurauerunt obseruantiam statuti, tunc aut contraueniunt ex aliqua causa de supradictis, ex quibus, vt dixi, statuentes periurium non incurrerent contraueniendo: de quibus in dicto *capitulo quemadmodum*: & tunc similiter ipsi subditi ex tribus causis, vel ipsarum aliqua contraueniendo periurium non incurrunt.

Aut

Digitized by Google

Aut nulla subest causa talis, & tunc aut iurauerunt seruare simpliciter statutum & contenta in statuto, aut solum contenta in statuto de ipso non habita mentione, aut iurauerunt seruare statutum & ipsum non reuocare. Primo casu si superior reuocat statutum, credo quod qui iurauit inferior non sit astrictus, quia tale iuramentũ habet tacitam conditionem, si statutum durat, vt sic imitetur iuramentum naturam statuti super quo interponitur, vt dixi supra in principio. nam recipit conditionem, si res in eodem statu permaneant. Si vero iurauerunt seruare statutum & contenta in statuto, tunc si iurauerunt obseruare contenta in statuto accessorie propter statutum forte in eadem oratione & vnico iuramento, & tunc similiter propter reuocationem statuti non sunt obligati amplius ad obseruantiam, rationibus antedictis. Si vero iurauerunt per se principaliter vtrumque, quod est quando in diuersis orationibus etiam si ex interuallo vel incontinenti habita, vel non habita mentione de statuto, & tunc licet tollatur statutum non possunt contrauenire, quia non tollitur obligatio proueniens ex iuramento, cum iurauerunt seruare contenta in statuto. Hoc tamen intellige, nisi superior mandaret non obseruari iuramenta, vt dicam statim in sequenti membro: Si autem iurauerunt seruare simpliciter contenta in statuto, vt si dicat statutum, quod non recipiatur canonicus nisi existens in sacris: & illi de capitulo iurauerunt non recipere aliquem nisi constitutum in sacris: & tunc est idem quod in primo membro dixi, cum limitatione tamen quam statim subdam. Vltimo casu quando statutum est iuratum & iuratur non reuocari, tunc si conueniunt sunt periuri. Nam licet tales subditi non haberent facultatem statutum tollendi, & similiter illi de collegio, qui iurando obligantur singulariter ad iuramentum non vt collegium, sed ipsi singulares prout singuli, & tunc non possunt statutum tollere: sed tantum collegialiter; possent tamen, prout iurauerunt, non reuocare: hoc sacramentum, vt aliquid operetur, debet interpretari; ipsi singuli de collegio non consentiant, vt collegium statutum reuocaret. Et ideo hoc casu tollendo essent periuri: & alii inferiores si sic iurauerint, debet interpretari, vt reuocationi non consentiant. Nec ob: quod dixi, quod possunt se absoluere statuentes ab ista clausula de non reuocando: quia non poterant sibi legem imponere à qua non liceret recedere: vt no. Io. An. in *addi. Spe. de iureiur.* §. 1. quia illud intelligo, quando continet interesse ipsorum solum sicut iurantium; secus si tertii, vt in nostro casu: quia sine ipsis, quorum interest, non possent reuocare. hæc tamen intelligo vera, nisi in reuocatione statuti, quæ fieret per superiorem, expresse mandaretur, quod contrarium per subditos non debeat obseruari. Nam tunc si mandantes sunt tales, quod possunt iurantes absoluere vel cogere eos ad sic faciendum, tunc mandatum excusaret eos: vt in *c. significauit dicent.* Et si dicatur, quare non excusat eos mandatum tacitum de non obseruando statutum, quod surgit ex reuocatione statuti? Respondeo, quia hoc extenditur solum ad statutum & eius obseruantiam, non ad alia iuramenta de obseruando contenta in statuto non reuocando. Et ideo est opus, quod de istis iuramentis fiat mentio: vt est tex. in *cap. 1. de consue. lib. 6. & in c. quia sæpe. de elect. eod. lib.* not. *de rescrip. c. constitutus.* Et ideo est opus videre, si ad hoc vt tollatur statutum est opus, quod fiat mentio de iuramento: glo. in *cap. cum non deceat. de elect. lib. 6.* videtur dicere quod sic: pro qua facit, quia iuramentum habet vim clausulæ derogatoriæ *l. cum pater. §. filius matrem. de le. 2.* Sed ad tollendam clausulam derogatoriam est opus, quod de ipsa fiat mentio: dicta *l. si quis in principio testamenti.* Et pro glo. videntur facere text. proxime allegati *de consue. capit. 1. de elect. quia sæpe. lib. 6.* Et quod not. Docto. & glo. in *capit. 1. de filii. presby. in 6. & in capit. cum aliquibus. de rescrip. in 6.* In contrarium faciunt not. 18. *distin. quoniam quidem.* & quod not. Iohan. An. in *capit. sicut ait. de hæreti. & de magistra. super specula. & de conces. præben. capit. 1.* Vnde ego in hoc ita dicerem: aut statutum quæritur tolli ab ipso qui habet auctoritatem ipsum auferendi & ipsum condendi: aut à superiore rescribente. primo casu aut statutum expresse reuocant & tunc aut iurauerunt simpliciter obseruare statutum; & statutum continebat solum interesse reuocantium; & tunc reuocando statutum in consequentiam & iuramentum; & hoc sicut iurassent simpliciter obseruare statutum; vel statutum & contenta in statuto, vel statutum non reuocare, quia semper inest conditio, nisi ipsi in quorum fauorem statutum est confectum tacite vel expresse illud remittant: vt *d. c. quemadmodum. de iureiur.* Et hac remissione est opus clausula derogatoria; quia statim quod reuocant & remittunt proprium interesse, & sic iuramentum clausulam derogatoriam producens: Si autem continet interesse aliorum, tunc similiter quod si illi consentiunt tollitur statutum sine alia clausula derogatoria: quia illa non tollitur nisi de ipsa fiat mentio: dicta *l. si quis in principio testamenti:* immo forte non possent reuocare, quia pro interesse tertii potuerunt iurando sibiipsis legem imponere, à qua non liceret recedere: & hoc quando non subesset causa, nisi nuda voluntas reuocandi: sed si subesset causa; per quam possent illi, quorum interesse est, præiudicare: vt Dominus vel plures ciuitates subditis præiudicant *l. item si verberatum. §. item si forte. de rei vendi. leg. venditorum. §. si constat. communi. prædio.* tunc credo quod possent tale statutum tollere cum clausula derogatoria. quod est verum, etiam si inter subditos transiuisset in contractum; per iura proxime allegata. secus si non essent subditi, quia non possent statutum reuocare. sed si iurassent simpliciter seruare contenta in statuto de ipso non habita mentione, tunc reuocatio valeret statuti non habita mentione de iuramento, in hoc non se astrinxerunt ad statutum reuocandum, vt supra dixi. Si vero superiores quærunt reuocare statuta inferiorum, tunc aut rescribendo in litteris ad beneficia vel priuilegia, & tunc non censentur reuocare statuta iurata, nisi de ipsis habita mentione: dicto *c. constitutus. de rescrip. & c. 1. de fin. presby. in 6.* Sed si superior ius commune condendo, tunc potest etiam sine clau-

sula derogatoria, vel iuramento non habita mentione: vt in *c. 1. de consti. lib. 6.* vbi sufficit quod de statutis fiat mentio ad ipsa tollenda absque eo, quod de forma validante statutum fiat mentio. Sic intelligo istam materiam, quicquid scribant alii. Ant.

SVMMARIVM.

Continuatur disputatio de reseruatis specialiter Papæ.

CAPITVLVM XL.

ITem solus papa ordinando scienter excommunicatum, ipse videtur absoluere: vt in *cle. si summus. de sen. ex.* quod non est in aliis: quia in absolutione ab excomunicatione requiritur certa solennitas: *de sent. excom. c. cum desideres.* no. *eo. ti. c. fin autem*; cui solennitati papa astrictus non est. In dubio tamen ille qui ordinatur, seu cum quo prælatus communicat, præsumitur non excommunicatus nec defectiuus: vt in *c. illud. de cle. excom. mi. & de priui. cum olim.* Item solus papa vel Romanus populus, cum ad magistratum promouet inhabilem, videtur cum eo dispensare, quando concurrunt publica vtilitas, communis error, & si papa sciuisset, secum dispensasset: vt est tex. in *l. barbarius. de offic. prato.* & ibi per Bar. licet quando non concurrerent talia, papa disponendo cum inhabili non videtur dispensare: vt in *c. veniens. de fil. presby.* & hoc quando inhabilitatem ignorauit: sed si scienter cum inhabili disposuisset, tunc si esset clausula, quod non posset absolutionem impetrare, & inhabilis est prohibitus impetrare absolutionem, vel si est clausula derogatoria, quod aliter non teneat absolutio: tunc non videtur secum dispensare, etiam si facit ex certa scientia, si non apponit clausulam, *non obstante*, arg. *l. si quis in principio testamenti. de leg. 3.* & hoc est de mente Bar. in tractatu *ad reprimendum*, in verbo *non obstante*. De iure autem ciuili sunt multi casus, in quibus est quis prohibitus impetrare: vt spurii qui sunt prohibiti impetrare legitimam, vt in *authent. quibus mo. natu. effi. sui. § fi.* & hoc de iure ciuili: & ideo Imperator legitimando spurium ex certa scientia, non valeret impetratio sine clausula *non obstante*. Sed hoc non haberet locum in papa, qui non est obligatus illis legibus prolatis à Cæsare ipso inferiore *l. nam magistratus. ff. de arbi. & de maio. & obe. c. cum inferior.* sed esset idem quod in non prohibito impetrare. Item est prohibita impetratio in casu *l. 1. Cod. de peti. bo. subla. & in l. 1. Cod. de Thesau. li. 10.* & hæc de iure ciuili. & generalis approbatio, de qua 10. *distin. sine adiutorium*, non se extendit vt papa videatur se submittere, quia legibus positiuis princeps subiectus non est: vt *l. princeps legibus. ff. de legi.* sed si subest inhabilitas, sed non est prohibitus impetrare, vel nō est ibi clausula derogatoria, tunc si est saltem clausula *ex certa scientia*, papa videtur cum inhabili, sed inferiores non videntur dispensasse, sed oportet recurrere ad nota. in *cap. veniens. de fi. presby.* vt ponderentur qualitates actuum, vtrum sint solum in pati aut in agere, prout ibi notatur. si vero non est ibi clausula *ex certa scientia*, tunc si in verbis dispositiuis principis fit mentio de inhabilitate, vt quia dicat, *tibi illegitimo, vel minori vel inhabili conferimus tale beneficium*, tunc videtur secum tacite dispensasse. arg. *l. item vulpianus. de excu. tuto.* ita potest intelligi glo. in *cap. statutum*, in verbo *litterarum. de rescript. lib. 6.* secus si de inhabilitate fieret mentio solum in verbis narratiuis supplicantis, & non in certa principis scientia: quia ad eam probandum requiritur, quod de ea fiat in litteris mentio: vt in *cle. & si principalis. de rescript. in glo. fi.* nec potest probari per testes, licet Domini de Rota dixerint contra: vt no. in *cap. 1. per quos fiet inuestitura.* & ideo si productus fuisset papæ infans, cui contulisset beneficium, non tamen de infantis ætate fieret mentio in litteris, nec esset clausula *ex certa scientia*, papa non videtur secum dispensasse. & hæc vera in papa, etiam si non probetur de alia causæ cognitione, dummodo sit clausula *ex certa scientia*, vel sit facta mentio de inhabilitate in verbis dispositiuis principis, licet secus esset in aliis inferioribus: vt not. *de fil. presby. capitulo veniens.*

Item solus papa scribendo vniuersitati tanquam vniuersitati, quæ approbatione indiget, illam videtur approbare scribendo *ex certa scientia*: vt in *cle. attendentes. de sta. mona. & de elec. cap. indemnitatibus. § fin.* Quidam tamen dicunt, & hæc iura probant contra, coniuncta *cle. sancimus. de sen. excom. in 2. responso.* Dicas, quod si papa scribit *ex certa scientia*, tunc videtur approbare: sic debet intelligi quod scribit Inno. in *c. cum ab ecclesiarum prelatis. de offi. or.* Et si scribit aliquibus non vt vniuersitati: vt cum dicit scolaribus Bononien. videtur approbare illos, vt constituant vniuersitatem, vt not. in *d. cap. indemnitatibus. § pe. de elect. lib. 6. & in clem. attendentes.*: & scribit Inno. in *d. cap. cum ecclesiarum. § fin.*

Item solus reuocat facta prædecessoris: vt in *c. 1. de seque.* Non potest tamē ipse etiam cum concilio reuocare priuilegia ecclesiæ Romanæ: vt no. in *c. felicis. de pœn. lib. 6.*

Item solus subditis suis deportatis concedit remeatum, sicut etiam in subditos suos Imperator *l. relegati. ff. de pœn.*

Item solus indelegabilia delegat *l. 1. ff. qui pro sua iurisdi.*

Item rescindit iudicata, etiam quæ transiuerunt in rem iudi. & coram principe attenditur veritas magis quam iudiciorum rigor *l. 1. in fi. ff. de quæsti. in § sunt autem.*

Papa etiam solus remouet appellationem *l. fi. C. de sen. & interlo. om. iu.* Peruertit etiam iudiciorū ordinem: vt in *c. in causis de re iudi.*

Item ius alterius quandoque tollit: vt no. in *cap. quæ in ecclesiarum. de consti. & in l. quæro. ff. de na. ta. resti.*

Item

Item iudex est in causa propria.21.*di.nunc autem.ff.de his quæ in tes.delen.l.proxime.* & *ff.de iurisdi. om.iud.l.est receptum.* Credo tamen, quod idem sit in quolibet superiorem non recognoscente.

Item se inferiori submittit.2.*q.* 4.*nos incompetenter.*

Item solus de plenitudine potestatis supplet actus nullos, *de re iudi.cle.pastoralis.*

Item facit solus tabelliones: *de fi.instru.cum.p.tabellio.* Comites Palatinos cum simili potestate creando, sicut ego sum & filii mei.*l.1.de cura.furi.in glo.*

Item contra ius commune solus vtitur clausula derogatoria.*ff. de offi.procon.l.nec quicquam.§.fi.*

Item solus veniam ætatis concedit.*l.1.Cod.de his qui ve.æta.imper.* & *l.* 2. Et not. quia dico *veniam ætatis concedit*: sed an dispenset cum minore, vt promoueatur ad ordines vel beneficium, infra dicam.

Item solus permittit infantes emancipari *l.iubemus.C.de eman.libe.*

Item quicquid sibi placet, legis habet vigorem.*l.1.ff.de consti.princ.*

Item vbi est princeps, est omnis solennitas *l.omnium.C.de testa.* Item vbi princeps, ibi nō potest dici dolus vel fraus committi *l.probatorias.C.de diuer.off.li.*11. Et plurima istorum competunt etiam Cæsari inter proprios subditos: sicut & papæ in subditos suos.

Item solus vocatur summus sacerdos.22.*di.sacrosancta.*

Item solus habet omnem dignitatem & omnem potestatem, quam habuerunt omnes patriarchæ: vt dicit beatus Bernhardus *de consideratione ad Eugenium.*

Item solus tenet locum principis Apostolorum.12.*q.*1.*c.videntes.*

Item solus maiorem habet auctoritatem quam sancti.20.*di.c.*1. & *c.de libellis.*

Item quem papa confirmat, nemo infirmat.10 *di.cap.fi.* Nota quia dico, quod confirmationem factam à papa illam nullus infirmat: possent tamen remoueri ab episcopis propter supereminentes excessus.1.*q.*1.*filium vestrum.*

Item solum suæ leges ab omnibus sunt seruandæ: quia leges papæ censentur leges beati Petri. 11.*di.palam.* & vbi papa, ibi vniuersalis Synodus.19.*di.Anastasius.*27.*di.nec licuit.*

Item quia vbi est papa, ibi est communis patria.*de dilat.c.exposuit.* per Inno.

Item ista papæ reseruata nemo alius potest.3.*di.§.porro.*17.*di.huic sedi.*

Item solus censetur habere omnia iura in scrinio pectoris.22.*di.præterea.*

Item solus dispensat vt constitutus in sacris in subdiaconatu vxoretur.32.*di.de illo.*

Item solus committit spiritualia mero laico: *de iudi.c.decernimus.*96.*di.c.bene quidem.* 63. *di.Adrianus.* Et ideo rex Angliæ & Vngariæ conferunt præbendas in regnis suis: & Imperatores aliquādo habuerunt priuilegium, vt eius oratores vocem haberent in electione papæ: dicto *capit. Adrianus.* hæc tamen intelligo, nisi talia spiritualia dependerent ab ordine: vt conficere corpus Christi, ordinare ad sacros aliquem, quod est ordinis episcopalis, talia non committit laico, vt plene scripsi in *c. quanto.de consue.* & supra in hoc opere.

Item censetur restituere ad famam, eo ipso quod promouet infamem.44.*dist.cum autem.* quod intellige vt supra dixi, an scienter disponendo cum inhabili videtur dispensare.

Item papa solus renunciat in manibus Dei, id est, in manibus propriis, quia est Vicarius Iesu Christi: *de renunc.c.1.li.6.* quod intellige, vt dixi in quæstione: *an papatus perdatur renunciatione.* & no. 79.*di.si quis.*

Item solus habet plenitudinem potestatis à solo Deo: & potest clericos non in sacris constitutos prohibere ne matrimonium contrahant.82.*di.proposuisti.*

Item solus papa est episcopus exemptorum 93.*di.nulla.*

Item solus deponit imperatorem.*de re iudi.c.ad Apostolicæ.* quod intellige vt dixi supra sc. causa hæresis subsistente vel simili. Et idem dicunt aliqui de aliis regibus.15.*q.*6.*alius.* sed hoc intelligo in causa hæresis, alias non: nisi sit rex temporaliter papæ subditus, quia tunc pro graui crimine posset eum deponere: *d.c.alius*, vbi papa non deposuit sed deponentibus assensum præbet.

Item solus papa dispensat cum bigamo, vt promoueatur ad ordines vel beneficia.34.*dist.lector.* & solus promouet insufficientes, vt filios presbyterorum & spurios: vt in *capit.* 1. *de fil.presbyt.* & de his spuriis dicam infra. Et minores 30. annis ad episcopatus: *extra de elect.capit.cum nobis olim.*

Item promouet ad episcopatus illos, qui non sunt in sacris ordinibus constituti: *de elect.dudum. elect.*1.*in fi.de æta.* & *quali.à multis.* quia ad eum solum pertinet, qui potest de episcopatibus iudicare. 18.*distin.à multis.in fi.*56.*dist.cenomatensem.* & istud est tenendum: quia postulandus ad episcopatum semper postulandus est à papa: vt not.Doct.in dicto *c.fi.de postu.præla.* no.in dicto *cap.à multis.* & istud est tenendum, quicquid sentiat Spec.in *ti.de leg.*3.*§.nunc de episcopis.ver.*53. & *in ti.de leg.§. nunc ostendendum.ver.*13.

Item solus dispensat in ætate ad dignitatē episcopalem, quæ est 30. annorū, *de el.cum in cunctis.* est in dignitate abbatiali, quæ debet esse 25.annorū: vt no.Io.An.in *c.identitatibus.de elec.li.6.* non dispensat alius à papa: *de æta.* & *quali.c.1.li 6.* & idem in abbatissa, vt non dispenset in ætate nisi papa: vt *d.c.identitatibus*, coniuncta dicta *decre.vnica.de æta.* & *quali.li 6.*

Item dispensat solus in dignitatibus vel personatibus habentibus curam animarum annexam vt in *c.1.de æta.* & *quali.li.6.de elect.cum in cunctis.§.inferiora*, vbi probatur quod requiritur ætas 25.annorum. & istud est verū, quicquid dicat Spe.in *d.§.nūc ostendendū.v.*13. & *in §.nunc de episcoporū.v.*8. & ita tenent moderni in dictis iuribus: & in *c.cum dilecti.de el.* vbi probatur. In aliis autem dignitatibus

Digitized by Google

vel personatibus curam animarum annexam non habentibus cum eo, qui compleuerit. 20. annum, potest Episcopus dispensare: sed cum eo, qui non transcendit annum. 20. non potest cum his nisi papa: vt hæc probantur in *dicto c.1. de ata. & qua. li. 6.* & idem in Ecclesia parrochiali: vt *de elec. c. licet canon libr. 6.* Et istud est hodie tenendum, quicquid dixerit Hostien. qui tenuit, quod in ætate ad curata possit Episcopus dispensare. & idem Archi. qui dixit, quod pro vtilitate vel fauore Ecclesiæ possit Episcopus dispensare: sed non fauore personæ. Ego autem non discedo ab his, quæ dixi, quod nullo modo possit dispensare: & tenet glo. in *d. c. cum in cunctis. & cum dilecti. de elect.* in simplicib' beneficiis non habentibus dignitatem vel curam animarum annexam in ætate, quæ est 20. annorũ: vt no. Io. An. in *c. sed tempore de reg. iu. li. 6.* Episcopus potest dispẽsare: quia cum prohibitũ sit solũ in curatis vel dignitatib', & in *c. vnico prædi. de ata. & qua. li. 6.* In aliis videtur permissum vt in *d. c. vnico.* dũmodo in canonicis Ecclesiæ cathedralis sit ætas 14. annorum: de quo in *c. ex eo. de elect. li. 6. & in cle. vt hi qui. de ata. & qua.* In aliis simplicib' non habentibus annexum ordinem, sufficit ætas 7. annorum. respectu autem ordinis, & quod ante ætatem in ordine requisitam minor ordinet illum: igitur hoc non potest Episcopus dispẽsare: Io. An. in *cle. generalem. de ata. & qua.* sed in beneficio habente annexũ illum ordinem, bene posset Episcopus dispensare ex causa legitima & necessaria.

Item solus citat per generales citationes, vel spirituales, quæ fiant de aliquo absente, ponendo citationes in audientia contradictarum, & in palatio papæ, & in valuis Ecclesiæ principalis illius loci, in quo papa residet: vel illi citant, quibus hoc spiritualiter & ex certa scientia papa committit: vt est tex. & no. in *cle. 1. de iudi.*

Item solum inter sibi subditos & princeps inter suos committũt causam appellatione remota. *ff. q. ap. non licet. l. 1. in fi.* adeo vt etiam delegatus papæ non possit committere appellatione remota: vt *de offi. dele. c. super quæstionum.* §. 1.

Item solus superiorem non habet in mundo nisi Deum: *de elec. licet in fi.* & ideo ab eo, cum non habeat superiorem, non appellatur: sed à legato sic: vt *de re iudi. c. cum causa. quæst.*

Item licet doli capaces & maiores. 14. annis possint voto & religioni obligari, tamen in insulis, vt ibi est vita sanctissima, determinat tempus vt annis 18. ante verò obligari voto non possunt: vt in *c. quia in Insulis de regula.*

Item solus approbat contractus nullos: vt in *c. 1. de transac.* & iudicia nulla reddit aliqua. *3. q. 6. hoc quippe.* Et ratio, in beneficialibus frequenter apponitur ista clausula, *supplentes defectum si quis est de plenitudine potestatis, de elec. c. illam*; quia per istam potest supra ius dispensare: vt *de conces. preben. c. proposuit. de cogna. spi. c. 1.* dicit tamen Spec. in ti. *de leg. §. nunc ostendendum. ver.* 28. quod per istam clausulam videtur dispensatum, si aliquis est defectus iuris, & circa iuris solennitatem, non circa personã supplicantis: vt si forte fuit excommunicatus, vel illegitimus, vel alium naturalem defectum patiebatur: & potest esse ratio, licet Spec. non alleget: quia iura positiua cẽsentur habere in scrinio sui pectoris: & illa tollere censetur, sed defectus personarum & ea quæ sunt facti sciuisse non præsumũtur. *l. si. ff. pro socio.* Et ideo super istis non censetur dispensare. Item si dicetur simpliciter *supplentes defectum si quis circa solemnia fuit*, & non diceret *de plenitudine potestatis*, parum tunc operaretur, nisi defectus fuissent expressi. *l. sed & si quis*: *§. quæsitum si quis cautio. & de offi. deleg. ex parte.* Tu etiam dicas, quod per istam clausulam non fit approbatio in non subiectos, vt *de re iudi. cle. pastoralis.* & ideo licet processus papæ vel principis non subiaceat solennitati vel ordini iuris positiui, istud est verum, quando disponit inter subiectos, non inter non subiectos. Item talis suppletio habet locum quo ad effectus iure positiuo inductos vel ordines, non quo ad effectus naturales, vel à iure naturali inductos. & ideo papa in bonis patrimonialibus cleri non potest sententiare vel statuere ipso non vocato: & ideo demum propriam Clerici vel quorundam Pizochiarum non potuit papa motu proprio declarare publicam, illis non vocatis: De quo fuit magna quæstio Florentiæ pro hospitale de Vespuciis. Item per hoc non posset validare sententiam nullam ex defectu citatis: quia citatio tanquam defensio est de iure naturali: vt dicta *cle. sæpè*, & per Inno. *de consti. capit. quæ in Ecclesiarum.* & per hoc patet quod actum nullum ex defectu potestatis papa hunc defectum supplere non censetur: vt nota in dicta *cle. pastoralis.*

Item solus supplet defectus regios: vt in *cap. cum inter vniuersas. de elec. in fi.* & vacante imperio defectum Imperatoris: *de fo. compe. licet ex suscepto.* & ista licet sic asseuerentur per Specu. in ti. *de leg. §. nunc ostendendum. vers.* 19. ego non credo quod sint vera: & primo non obstat. *capit. inter vniuersas*, quia supplet defectum regis Apuliæ sibi subditè: vel loquitur in mera materia spectante ad pontificem, sicut est, quod regius requiratur assensus in electione Archiepiscopi. & *capit. licet ex suscepto de for. compe.* non dicit illud, ad quod communiter allegatur, quod vacante imperio papa succedat in illo iure, vt ibi plenè scripsi. Fateor tamen, quod si vacaret imperium, & laicus non posset adire iudicem, & laicus opprimeretur in sua iusticia, quod tunc posset adiri papa: ita dico in *d. c. licet.* & ita intelligo dictum tex. & *cle. pastoralis. de re iudi.* nec illud reperitur iure cautum, quod vacante imperio papa succedat in iure imperii: quia sequeretur, quod papa posset tunc dare vicariatus terrarum imperii, & infeudare terras imperii, quod non credo: & tex. in *cle.* non dicit, quod succedat in iure imperii: sed in quadam potestate, quam habet imperio vacante. Reges enim pro secularibus subsunt potius imperatori quam papæ nisi rex Apuleiæ: & ideo potius adiri debet Imperator quã papa. Et ideo diebus meis Imperator consensit priuationi regis Daciæ, & substituit quendam Ducem Bauariæ: de quo dixi supra in ver. *dicunt autem quidam quod regalis dignitas.*

Item

Digitized by Google

Item dicit Spe. in ti. *de lega.* §. *nunc ostendendum. ver.* 22. quod abbas vel prior exemptus renunciat solum in manibus papæ & non alterius, per *c. dilect. de renuncia.* Dicit ad secundum Goff. quod transferri vel confirmari potest auctoritate legati de latere per *c. cum venerabilis. de consue.* & ita vult Inno. Hosti. tamen contra quod nec transferri potest sine auctoritate papæ: allegat *c. quod translatione. de offi. dele.* quia regulare est, quod nullus potest renunciare nisi in manibus proprii prælati: vt *de renuncia. admonet,* cum suis concordantiis. Respondet ad *c. cum venerabilis. de consue.* quia cum dicit, *qui nostras in illis partibus tunc gerebat vices:* videtur quod specialiter fuerat sibi demandatum. dicit tamen quod curia tenet, quod tali monasterio Legatus prouidere nō potest, præsertim diuisi & solenni monasterio: & licet aliud sit prouidere, & aliud confirmare, cum curia moleste fert, cū in tali monasterio confirmet. Tu dicas prout hodie determinatum est in *c. si abbates. de elec. lib.* 6. nam per illam decretalem Doct. volunt quod Legatus de latere possit abbatum & exemptorū renunciationem recipere electionem in ipsis confirmare: & etiam ipsas ecclesias conferre: quod tamen est verū, nisi papa specialiter illas reseruasset: vt in *c.* 2. *de preben. lib.* 6.

Item solus papa dispensat cum simoniaco in ordine vel dignitate: vt in *c. si alicuius. de elect.* vt si dederit pecuniam vt ordinaretur vel dignitatem consequeretur: vel sciuit quod alius daret & non contradixit: vel si sciuit postea & ratum habuit. Tu autem latius distingue, vt volunt Docto. in dicto *c. si alicuius. de elec.* facias tria membra. Sed quandoque quis est adeptus simoniace ordinē: Quandoq; ecclesiam curatam, prælaturā vel dignitatem: Quandoque simplex beneficium. Primo casu, quando adeptus est ordine simoniace, aut scienter vel eo consentiente vel postea ratum habente, vel ipso pecuniam dante: quibus casibus non solum perdit executionem ordinis sic suscepti sed etiam aliorum: & per consequens ab administratione temporalium remouetur 1. *quæstio.* 1. *quibusdam de simo. cap. tanta. &* 81. *di. eos.* & his casibus nullus nisi papa dispensat. 1. *quæstio.* 1. *reperiuntur. & de simo. cap. nobis,* quia episcopi in criminibus non dispensant, nisi in adulterio & minoribus adulterio: *de iudi. ac si clerici.* sed simonia est grauius crimen adulterio: vt *de simo. licet hely. & cap. seq.* solus ergo papa dispensat. licet quidam dixerint, quod hoc casu nec papa potest dispensare, quod non est verum. Aut ipso ordinato ignorante nec postea ratum habente: & tunc quamuis in ordinibus simoniace susceptis possit ex dispensatione remoueri 1. *quæstio.* 5. *præsentium. de si. cap. de simoniace:* & in aliis ordinibus non simoniace acquisitis remaneat sine dispensatione, veros ordines non poterit sine dispensatione recipere, si in ordine simoniace recepto non dispensetur: in quo etiam dispensat solus papa, quando delictum est manifestum. sed si occultum, poterit episcopus dispensare 1. *quæstio.* 5. *præsentium. de simo. ex tua. & cap. de simoniaca.* Secundo casu quando quis est adeptus simoniacę dignitatem vel prælaturam aut beneficium non simplex: & tunc aut consentiente vel sciente tacite vel expresse: vel eo ratum habente, vel pecuniam dante: & tunc si sponte renunciat nondū accusatus, vel non ex timore reprobationum, tunc potest episcopus dispensare, vt in illa ecclesia obtineat beneficiū, & in aliis susceptis ministret: sed si in eadem ecclesia habet beneficium, in qua simoniace voluit nancisci dignitatem, tunc dispensabitur vt in minoribus ordinibus ministret, non tamen ad maiores ascendat 1. *quæstio.* 5. *cap.* 1. Sed ipsam simoniacę adeptam dignitatem nullo modo ministrabit: & sic magis punitur remanens in ecclesia in qua simoniam commisit, quam si ad aliam transeat. Si autem fuit simonia commissa eo ignorante: tunc si fuit facta ab inimicis propter hoc promotionem impedire intendentibus, & non nocet sibi: *de simo. cap. nobis.* Aut ab amicis: & tunc si expectat sententiam in tota ista vocatione ecclesiam talem vel dignitatem habere non poterit, nec hoc casu poterit episcopus dispensare hac vice: vt dicto *capit. si alicuius. de elect.* quod intelligit Hug. nisi vtilitas vel necessitas ecclesiæ id requiretur: vt 1. *quæstione* 7. *nisi rigor.* in alia autem vacatis posset episcopus dispensare: vt dicto *capit. si alicuius,* à contrario sensu, ibi: *ea in re.* Si autem libere renunciaret, tunc glo. in dicto *c. si alicuius,* dicit quod tunc poterit episcopus dispensare: adeo quod intelligit Hosti. pro necessitate vel vtilitate ecclesiæ, nō autem propter merita personæ, nisi de vt media persona per quam purgetur vitium 1. *q.* 7. *c. & si ita.* Tertio casu quādo adeptus est quis simplex beneficiū, tunc si eo ignorante nō tamē libere renunciauit, sed remotus est propter hoc, tunc non poterit secum prima vice episcopus dispensare: vt dicto *c. si alicuius.* Si eo autem sciente, tunc episcopus non dispensat nisi suadente ecclesiæ necessitate vel vtilitate: vt dicto *c. si alicuius.* In omnibus autem casibus, quibus dictum est episcopum posse dispensare, dic verum, nisi secum simonia commissa fuisset: vt not. 1. *q.* 5. *præsentium:* quia tunc non posset dispensare, sed tantum solus papa: quia simoniam cōmittendo reddidit se indignū facultate dispensandi: *de cle. coniug. c. diuersis fallaciis.* excluditur enim omne pactū & spes expressa: *de offi. de dele. ex parte el.* 1. Et dubitatur, si simonia est commissa circa officia mortuorum, benedictiones nubentium, sepulturas, crisma, & alias vnctiones sacrorum vasorum & vestimentorum benedictiones: quis potest in talibus dispensare? Dicunt Docto. vt refert Specul. in ti. *de lega.* §. *nunc ostendendum. ver.* 23. *in ver. sed nunc quid dispenset episcopus,* ibi concludit quod episcopi possunt in his dispensare per regulam *c. nuper. de sen. excom.* quæ est quod à sententia canonis absoluit episcopus, nisi quādo papa sibi expresse reseruasset: & nō reseruādo sibi expresse videtur aliis cōcessisse facultatē relaxandi. Quis autē dispenset cū monacho per simoniam recepto? dic vt notatur in *c. veniēs. & c. de regularibus. de simo.* vbi colligitur, q cū his potest episcopus dispensare. cū ordinato autē simoniaco prælato dicendū est, quod caret executione, donec per eum fuerit per papam dispensatum: de quo dic vt no. 1. *q.* 1. *c. si quis à simoniacis.* Si est dubium iuramentum sit licitum vel illicitum, solus papa declarat: *de cle. non resi. ad audientiam: de elec. venerabilem.* §. *pe. & de iureiur. capit. verum,*

Digitized by Google

Et an papa potest à iuramento absoluere, dixi supra in hoc opere in *hac quæstione*. & quando dicatur illicitum iuramentum, & quot modis, ita quod possit iurans contrauenire propria auctoritate, dixi *de iureiur. cum contingat.*: & ibi etiam dixi, quando intelligitur excepta à iuramento auctoritas superioris, ita quod superior possit absoluere vel non: & ibi dico de episcopis & papa: & secundum in his locis sumpta: intellige quod no. Spe. in ti. *de lega.* §. *nunc ostendendum. ver.* 24. Dico etiam in dicto *c. cũ contingat.* de iuramento vi vel metu extorto, an valeat vel sit licitum illud relaxare, ibi vide.

Ipse etiam solus excõmunicatũ à se recõciliat, vel ille cui cõmitteret: quia eius est ligare, cuius est soluere: vt in *cap. 1. de reg. iur. & 21. disti. inferior de maio. & obe. c. cum inferior*. vel papa defuncto eius successore: *de elect. venerabilem.* §. *rationibus ver. fuit quidam. de offi. ordi. pastoralis.* §. 1. *ver. ad quod.*

Solus etiam absoluit à sententia sua, non legatus: vt *de elec. venerabilem* 16. *q.* 1 *frater.* & à sententia legati vel sui delegati, cum sunt defuncti, vel aliter eorum iurisdictio expirauit, & quibus nullus successit in officio ipsi iniuncto: vt in præfato. *ver. ad hoc, de offi. dele. c. quærenti. de concessi. praben. c. quia diuersitatem. de off. dele. c. audiuisti.*

Item solus quando lex vel constitutio obscura sit, ipse illam declarat: *de sinto. per tuas. de sen. exc. inter alia.*

Item legati sui quando eius est finita legatio, & alius in tali legatione non successit, vel si quæratur de dispensatione in casibus illis, qui sunt per easdem leges sedi Apostolicæ reseruati, tunc ad solum papam pertinet dispensatio & declaratio: *de offi. delega. c. super quæstionem.* §. *intentionis* 25. *q.* 1. §. *si ergo.* & de sententia sine constitutione sui legati. probatur in *c.* 1. *de loca. & de consang. & affi. c. quod dilectio.* Quamuis ipse legatus, dum durat legatus, possit suam constitutionem interpretare: vt *de verbo. sig. c. ex parte. el. primo.*

Item ipse interpretatur processum sui legati: *de electio. venerabilem. de appel. nouit.* & ista sunt verba Specu. in ti. *de lega. in* §. *nunc ostendendum ver.* 27. Sed hic est aduertendum, ne ista verba nos decipiant, quod ista sunt vera, quando principaliter aliquis iudex esset adeundus pro tali declaratione: vt *de iudi. c. cum venissent.* Et idem quando quæritur haberi interpretatio, quæ faciat ius quo ad omnes: vt not. Inno. & Docto. in dicto *c. cum venissent. & de appella. cum specialis.* Sed si dubitatur, an papa potuerit facere, tunc solus papa cognoscit, vel potius generale concilium in tribus casibus; vbi agitur causa fidei, vel turbatur bonum vniuersalis ecclesiæ, vel agitur de bono vniuersalis ecclesiæ: principaliter his casibus maior est sententia concilii generalis quã solius papæ: vt dixi supra in quæstione *quæ sententia est maior papa an concilii.* Sed si in causa aliqua incidenter cognoscendum esset de intellectu constitutionis papæ: tunc etiam inferiores iudices interpretantur triplici interpretatione, sed nõ quarta interpretatione. Nam est quadruplex forma interpretandi: vt no. glo. in *l.* 1. §. *qui operas ff. ad tertul.* in ver. *expositiua siue declaratiua:* vt cum verbum est dubium vel ambiguum vel æquiuocum: & istam faciunt inferiores incidenter: & ideo iudicando quotidie inferiores incidenter à papa declarant verba priuilegiorum interpretanda. Secunda est generalitatis restrictiua vel arctatiua: vt quando lex loquitur generaliter vel indefinite, vt in casu *l.* 1. *C. de sacrosanc. ec.* in verbo *habeat vnusquisque habilis ad testandum:* & hanc similiter, vt dixi faciunt inferiores. Est & tertia extensiua vel ampliatiua: & istam etiam similiter faciunt *l.* 1. §. *qualiter. ff. de tutel. l.* 1. *de mili. testa.* Est postremo quarta arrogatiua siue correctiua: & istam non faciunt inferiores etiam incidenter, sed solus papa: vt plenius hoc scripsi in *c. cum venissent. de iudici.*

Item solus absoluit participantẽ ex certa scientia in diuinis officiis cum excommunicato à se: vt *de sen. exc. c. significauit.* ita dicit Specu. in dicto ti. *de lega.* §. *nunc ostendendum. ver.* 28. Dicit tamen quod istud communiter aliter intelligatur. Tu dicas quod quinque requiruntur, vt sit locus illi. c. primo quod participans sit clericus: secũdo quod participatio sit ex certa scientia: tertio quod sponte: quarto quod excommunicatio sit papalis: quinto quod communio fiat in diuinis; quodcunque istorum deficiat, non habet locum illud. c. secundum Host. & Io. An.

Item papa ex certa scientia salutando excommunicatum, ipsum absoluit: licet glo. 2. *in c. si aliquando. de sen. ex.* dixerit contra: quia non seruat salutando formam, quæ est data pro absolutione: de qua in *c. cum desideres. de sen. ex.* Secundo quia simplex asseueratio iudicialis vel extra iudicialis nõ facit quem liberorum: vt *l. iubemus. C. de lib. causa. & l. non nudis. & l. non epistolis. de probati.* hoc tamen intellige, nisi seruum apud acta filium nominaret: quia ex hoc cõsequeretur libertatem *l.* 1. §. *similiq; modo. C. de lati. li. tol.* sed veritas est illa, quam dixi. Ratio, quia non præsumitur excommunicatus, quẽ papa scienter ad osculum admittit, *de priuileg. cum olim essemus.* ergo indubio videtur eum absoluere: maximè quia papa nulli subiacet formæ iuris positiui, sed quod vult est, dummodo appareat de eius conscientia, quia legi positiuæ non subiacet, *l. digna vox. C. de legi. & ff. de legi. l. princeps legibus.* data ergo certa scientia papæ & voluntate, talis absolutus censendus est, licet non dixerit, *absoluo te:* quia potestas iurium positiuorum pendet à potestate papæ & voluntate. quod ergo vult papa, seruetur constituto de eius voluntate, quicquid iura positiua dicant. Et de hoc videtur casus in dicto *c. aliquando,* à contrario sensu: quia si ignoranter vel nulla cogitatione participat. ex quibus concluditur, scientia papæ non censetur absoluere. ergo data scientia, censetur absoluisse. Item quia maior debet esse potestas papæ quam aliorũ. si enim papa non posset absoluere nisi seruando formam iuris positiui, tunc nulla esset potestas papæ vltra alios. Et ideo videmus, quod princeps sola voluntate manumittit. *ff. manu. l. ap. & C. de fideicom. liber. l. si voluntarie.* & hoc est hodie clarum per tex. in *c. si summus. de sen. excom.* & ita tenent communiter Doct. in dicto *c. si aliquando. de sen. excom.*

Solus

Solus etiam sententiam excommunicationis relaxat, quando sedi Apostolicæ vel sibi illam relaxationem seruauit, de sen. excom. c. nuper: licet si sibi & sanctæ suæ sedi non reseruasset, tunc illam remitteret Episcopus: vt d. c. nuper.

Item cum eo qui furtiue ordines recepit, si sentẽtia excommunicationis contra tales lata erat, dispensat solus papa, quod in susceptis ministrare possit, vel ad superiores ascendere: vt in c. 1. de eo qui fur. ordi. recepit, licet si non esset lata contra tales excommunicatio, dispensaret Episcopus & abbas: vt in dicto c. 1. & est ratio primi dicti: quia primo casu talis incurrit irregularitatem, cum quo irregulari solus papa dispensat. 11. quæst. 3. si quis Episcopus damnatus. & in capit. cum illorum, de sen. excom. & in cap. 1. de senten. excom. li. 6. & de re iudi. c. 1. eo. li. tangit glo. & Doct. in c. clerici. de cle. excom. ministrãte. & hoc vult Specu. in ti. de leg. §. nunc ostendendũ. v. 30. & in §. nunc de Episc. v. sed nunquid Episcopus vel legatus. Hosti. tamen dixit, quod si talis irregularis est paratus desistere, & se corrigere, quod secũ dispensauit Episcop⁹. patet, quia quando non fecit in contemptũ clauium, poterit Episcopus dispẽsare, vt in c. 2. & in c. postulasti de cle. excõ. ministrante. veritas est, quod curia tenet, quod solus papa dispẽsat & ita obseruatur. Dicit tamen Io. An. in d. c. cleri, quod habet consuetudo, quod Legati de latere dispensant plus de facto quam de iure cum irregularibus, qui non in contemptu clauium se diuinis immisceret. sed hoc est contra. c. 2. de cle. excom. ministran.

Item priuatus ab officio, quia sit hæreticus vel fauens hæreticis, à solo papa restituitur. vt in c. excommunicamus. v. si verò clericis. de hæreticis.

Item prætextu delict. Ecclesiastici absoluit vasallos à fidelitate Domini contumaces, & potest supponere terrã occupandam à catholicis prætextu delicti Domini: vt d. c. excommunicamus in secunda parte.

Item si aliquis est suspensus in eo, quod hæreticis sacramenta ministrat, iste non potest nisi à papa absolui, vt d. c. excommunicamus de hæreticis.

Causas etiam ad papam delatas ipse solus examinat, & diffinit, siue sint ad eum delatæ per relaxationẽ factam vel pollicitã: vt C. de relati. l. 1. & per totũ. & C. de appel. l. ex illo. & in c. licet. & de offi. lega. & hoc, nisi re integra & antequam partes relationem approbassent, vel antequam etiam delata papę partes cõsensissent, & iudex qui pollicitus erat referre de causa ipsa cognosceret: vt not. de appel. intimasti. & in d. c. licet de offi. le. & l. 2. C. de relati. siue per appellationem esset deuoluta, vt d. c. intimasti, siue per commissionem, vt de offi. lega. c. studuisti. quia si papa commisit vel delegauit alteri, legatus etiam de latere non potest se intromittere, nisi vt notatur in d. c. studuisti. Item si est deuoluta per querelam. 2. q. 1. quotiens, siue per postulationem porrectã: vt in c. bona. el secundo, de postu prala. siue per reuocationem à se factam, vt in l. iudicium soluitur. ff. de iudi. & de appel. c. vt nostrum. & de procura. auditis: siue alio quocunq; modo sit ad papam deuoluta. nam in his omnibus ipsius papæ est superioris iussio vel responsio exspectanda: vt 3. q. 6. multum. & 6. q. 3. denią; & l. 1. C. de relatio. potest tamen legatus causam appellationis ad papam interpositam examinare, non vt ei præiudicet, sed vt magis causam instructam remittat; & ei creditur in hoc, vt in c. constitutus, de appel. & ibi de hoc. & de accusa. ad petitionem ad papam remiserit, quia postea se intromittere non potest, cũm desierit esse iudex, vt in prędicta decretali licet. & de postula. prela. bona. hoc tamen sciendum est, quod quando appellatur maximè extra iudicium, si appellatus coram eo à quo appellatum est, vel coram alio ius suum super eo super quo est appellatum prosequitur, appellans coram illo nõ excipit, quod ipse appellauit ad papam: quare ille non debet se super hoc intromittere: appellatus aut si appellationem negat, vel aliam confitetur, sed dicit quod per eam non est translata iurisdictio ad iudicem, ad quem appellatum est, vel dicit tempus prosequẽdæ appellationis elapsum, tũc de hoc bene cognoscit iudex, à quo est appellatum vt in c. Romana. §. si vero vocatis: nisi forte superior iam inceperit de appellatione cognoscere: quia tunc causam à iudice appellationis acceptam nullo modo inferior tangere debet: de offi. de leg. c. pastoralis. non ergo derogat appellationi à papa interpositæ legatus vel quilibet ordinarius, qui de causa cognoscere poterat, cognoscendo vtrum appellatio causam detulerit ad ipsum vel ad primum iudicem remanserit: sententia tamen super hoc lata partibus præiudicat, nisi fuerit ab ipsa appellatum. ff. de iudic. l. si quis ex aliena. & de appel. c. sollicitudinem. & sic in quæstione, quæ fuit inter Archiepiscopum Pisanum & communitatem Pisanam processit Speculator, licet ad papam pro parte communis Pisani ad sedem Apostolicam appellatum diceretur. non enim passim est admittenda quælibet appellatio: immo diligenter considerare debetis, à quo appellatur, an debeat illi deferre.

Item dicit Specul. in tit. de lega. §. nunc ostendendum. vers. 34. quod si dubitatur de rescripto Apostolico contentioso, vtrum per aliud rescriptum eiusdem reuocetur, solus Apostolicus cognoscit. allegat de offi. dele. c. 2. & idem dicit in gratiosis scilicet priuilegio, de indici. cum venissent. de cõfirma. vti. vel inuti. c. 1. & 2. Sed aduerte ne ista locutio faceret te errare: quia illa decretalis secunda habet multos intellectus: sed ille est verus, quod quando super eadem causa ad eosdem iudices litteræ impetrantur sub diuersis formis, eadem tamen data ad diuersos producuntur, tunc secundũ quam formam litterarum procedatur consulendus est papa: vt no. quia dixi sub eadem data: quia si essent datæ diuersæ, tunc nõ constaret quæ fuissent primæ, & quæ secundæ, non valuisset impetratio secundarum facta mentione de primis: & procederetur solum in primis: vt de rescrip. c. cæterum: vel procedi posset per secundas, si de primis non fuit obiectum, & facta est citatio ex secundis: per ca. vt debitum. de appel. no. de rescript. c. 2. sed si facta citatione vigore secundarum si citatus vtatur suis litteris, & dicat se paratum ex illis procedere, & sint litteræ sub eadem data, sed forma diuersa, tunc pro-

Digitized by Google

cederet quod papa adeundus sit: dicto *capit.* 2. & potest adiri super declaratione intentionis suæ per quas velit procedi, vel super facto: vt dicat quæ fuere priores: quia forsan aliquæ de mane, aliquæ de sero impetratæ fuerunt. potest etiam intelligi illa decretalis 2. quando litteræ fuerunt impetratæ ad diuersos iudices & sub eadem data, & sub formis contrariis non obstat si dicatur immò tunc debet ambo iudices cõuenire & determinare: vt *de rescript. c. pastoralis*: quia illud procedit, quãdo dubium esset per iudices decisibile. sed qua forma sit procedendum, non potest constare, nisi papa consulatur. Et intellige hoc, quando pariter litteræ ambæ præsentabantur, vel facta etiam ex aliqua citatione pars aduersa comparet, & opponat de suis litteris, licet si non opponeretur de aliis, & esset initiatus processus ex aliis haberet locum. *c. vt debitus*, quod staretur præsentationi: vt supra dixi. posset etiam intelligi, quando ad diuersos esset facta impetratio ad diuersos sub eadem data & forma ne iudicum sententiæ essent diuersæ vel processus: *de ordi. cogni. cap. tuam. & de conces. prab. quia diuersitatem.* cum autem dicit Spec. quod idem est in *c. cum venissent, de iudi.* ego dixi & declaraui supra in illo articulo, *quis interpetratur rescriptum pontificis.*

Solus etiam papa sine causæ cognitione & non vocatis quorum interest, potest dare custodem fructuum alicuius beneficii vacantis: *de elec. generali li. 6. & c. vt præterita.* & no. in *c. 1. vt eccle. bene.*

Item solus papa quando aliquis agit supra alium, & non probatur delictum, vel illud pro quo agit potest ex eadem instantia condemnare reũ: quia licet non fuerit probatum confitetur quod petitur verum esse, & alii inferiores non: quia debet sententia esse conformis petitioni, *de simo. licet hely.* & hoc tenent canonistæ in *d. c. 1. vt Ecclesiastica bene.* & in Spe. in ti. *de actio. & petitio. §. super accu. v. quia si reus in 4. columna.* & est dictum Compostolla. *de rescrip. mandatum post glo.*

Item solus papa potest retinere omnes fructus beneficiorum omnium, quod non possunt alii inferiores, licet Episcopus posset retentionem ad tempus dicere aliquorum beneficiorum: vt no. in *c. si propter tua debita.* & ibi glo. quæ incipit *an legatus*, sed non omnium, perpetuo verò: no. vt in *cle. si vna de re. eccle. non alie.* notat Doc. in *cap. 1. vt Ecclesiastica benefi. super glo. fi.* & probatur in *c. pe. de verb. sig.*

Item ipse solus reuocat futuram fiendam electionem vel postulatio. si aliter fiat quam ipse mãdat, *de elec. c. innotuit in fi. & de preben. c. inter cætera*, quod non posset alius inferior secundum Hostien. quia futuri temporis non pertinet ad inferiorem iudicem. *l. §. 1. de vsuris*: & quia quod nondum est, rumpi non potest. *l. nam & si sub conditione. §. rumpendo. ff. de iniusto testa.* & hæc vult Spec. *de leg. §. nunc ostendendum. v.* 37. sed ista doctrina videtur contra tex. in *c. 1. de conces. preben. l. 6.* vbi executores dati à papa vtuntur hoc decreto sed ipse respondet, quod hoc est verum. quando tale decretum per papam est appositum in litteris ipsorum executorum. Archi. & Io. An. dicunt, quod hoc est contra tex. in *c. si soli, de conces. praben.* & ista est verior sententia & communis hodie Doctorum episcopi.

Item solus facit legem siue constitutionem generalem, *de consti. c. 1. l. 6. l. 1. C. de summa tri.* Et per hanc approbat consuetudinem, quæ alias non excusaret: *de consecra. eccle. vel altaris. cap. à qua de tempo. ordi. c. 2. de cogna. spi. c. super eo.*

Dicit etiam Specu. in dicto *§. nunc ostendendum. ver.* 39. quod solus approbat electum imperatorem, & confirmat vel infirmat electionem ipsius gratificando cui vult, quando sunt plures in discordia electi, consecrat, inungit & coronat ipsum, vt *extra de elec. venerabilem*: & etiam iustis ex causis repellit, vt ibi etiam coronatum deponit, *de re iud. c. Apostolica*, Item secundum aliquos eum ordinat qui ordinem habet, *63. di. Valentinianus in fi. & in §. principibus in fi.* dicunt enim quidam, quod habet ordinem sacerdotis, per notata. *ff. de rerum diui. l. sacra.* Alii dicunt, quod est subdiaconus, episcopo in officio subdiaconatus, ministrat, veritas est, quod nullum habet ordinem. & tex. qui dicit *iuxta ordinem*, expone, id est officium. habet enim characterem militarem: vt *1. q. 1. quod quidẽ. 50. di. si quis post.* sed aduerte cum dixit Specu. quod eum deponit & eius electionem confirmat & gratificat inter plures in discordia electos: dic de hoc, vt dixi in prima quæstione istius operis in 9. & 10. *argumento* & in responsionibus ad illa.

Ipse etiam de aliquo facit nihil rei etiam mutando: vt *l. 1. primo responsio. C. de rei vxo. actione, de excess. prala. ca. tanta. §. 1.* immutat ergo substantialem rei naturam, puta faciendo de illegitimo legitimum, *qui fil. sint legit. c. per venerabilem.* & de monacho canonicũ *74. di. quorundam.* & de monacho nõ monachum, vt dixi in quæstione *an papa posset cum monacho dispensare vt matrimonium contrahat*, licet beatus Thomas hoc non teneat ista tamen in intelligenda sunt in mutando naturam rei in aliam naturam. nam nõ posset dispensare, quod monachus contrahat matrimonium & si monachus: quia esset velle rei substantiam consistere contra substantiam naturæ ipsius rei, quod est impossibile, vt dixi in dicta quæstione & similiter de nihilo aliquid facit, *de transac. c. 1. & in c. 1. de confir. vti. vel inuti. & 3. q. 7. hac quippe & de concessio. prabenda. c. constitutus.*

Item solus vbique pallium portat, quod nulli alteri licet: *de vsu pallii. capit. ad honorem.*

Item concedit pallium instanter petenti, quod nulli alteri competit cõcedere, nisi patriarchis vt *c. antiqua. de priuil. & de elec. c. significasti.*

Item solus legibus solutus est. *ff. de legi. l. princeps legibus*, licet de honestate leges seruare debeat. *l. digna vox. C. de legi. & de supplen. negli. prala. licet.* quod est verum de legibus positiuis: sed legi diuinæ & naturæ est suppositus, velit nolit: vt no. *de consti. c. quæ in Ecclesiarum.*

Item appellatur ad Deum prætermissis mediis. *2. q. 7. ca. 1. 2. & 3. & de appel. dilecti*: cum ad alios appellatur seriatim: vt *2. q. 7. metropolitanum. 11. q. 1. peruenit.*

Item eius sententia facit ius, si animo condendi ius pronunciat: *de re iudi. c. in causis.*

Item

Digitized by Google

Item abbate & monachis contradicentibus potest monachum de monasterio extrahere, & alieno episcopo vel principi in socium assignare vel secum tenere, 11. *q* 3 *per venerabilem*. 8. *di. qua contra mores*. Item dispensat in criminibus, quæ sunt maiora adulterio: *de iudi. at si clerici*.

Canonica impedimenta matrimonialia restringit & annullat: *de consang. & affi. non debet*. & in gradibus lege diuina prohibitis dispensat in secundo gradu lineæ æqualis, non lineæ inæqualis: *de resti. spo. literas*. Et ideo dispensat inter patrueles: non autem inter patruum & neptem, vel auunculum & neptem.

Item extra quatuor tempora anni potest solus ordinare ad sacros: puta diebus Dominicis & aliis festiuis diebus: *de tempori. ordi. c. 1. & c. de eo*, quod non possunt alii inferiores: si tamen extra ista tempora inferiores ordinarent, quis dispenset cum ordinante vel ordinato? quidam dicunt quod solus papa: vt *de tempo. ordi. c. cum quidam. & c. cum dilectus*: licet quidam dicunt per *c. consultationi. eo. ti.* quod etiam archiepiscopus poterit dispensare per illam decretalem: sed non est verum: & in illa decretali archiepiscopus fecit de mandato papæ, qui alias non potuisset dispensare cum ille ordinatus non erat sibi subditus sed subditus erat suo suffraganeo: *de offi. ordi. ca. pastoral.* volunt tamen ibi Doct. quod licet episcopus ille, qui ordinauit indebite, non possit cum ipso taliter ordinato dispensare: quia est particeps delicti: sicut dixi. supra de ordinato symoniace, poterit tamen successor dispensare, quia non reperitur ipse prohibitus. ista est communis sententia Doc.

Solus etiam eadem die promouet vnum ad duos sacros ordines, *de tempo. ordi. c. dilectus*. cum illo autem sic promoto ab alio poterit fieri ab episcopo dispensatio: quia istud non inuenitur prohibitum. Solus etiam à se ordinatum promouet ad alios ordines: *de tempo. ordi. c. cum in distribuendis*.

Item solus in die suæ consecrationis, ordinatis. celebratis. etiam antequam sumpserit pallium, potest episcopos consecrare & alia facere quæ habentur in *c. quod sicut. de elec. §. præterea*.

Papa etiam solus ius dat ad vacaturas ecclesias vel præbendas: vt *de præben. relatum. & de rescrip. eam te. & de conces. præben. ca. proposuit*. ipse autem potest de non vacante præbenda aliquem inuestire, quod non possit etiam alius executor apostolicus: vt dicto *c. proposuit*. dicit tamen ibi, quod non est suæ intentionis talia facere, licet possit. Et ista faciunt ad quæstionem. receptus est aliquis canonicus in aliqua ecclesiæ auctoritate legati apostolici: postea recipitur alter auctoritate papæ: vacat præbenda: quis recipietur potior? Doc. concludunt, quod receptus auctoritate papæ: per *c. cum super. de conces. præben.* cum enim ius ad vacaturas sit prohibitum per Lateranense concilium: vt in *c. 1. de conces. præben.* certe legatus tale ius conferre non potuit: *de fi. presby. c. 1. & fi. & de præben. c. dilectus el. primo*.

Item solus scribit, *si talis vult renunciare Martino ecclesiam suam, ipsi Martino conferas: de offi. dele. ex parte. el. primo*, & facit recipi aliquem in canonicum vltra numerum, quem ecclesia habet, videlicet numerum canonicorum auctoritate Apostolica confirmatum: *de rescrips. c. constitutus*. non enim papa & legatus talibus decreti concilii: *de elect. c. significasti*. & hæc sunt vera, nisi legatus in literis haberet specialem gratiam conferendi vacaturas, non obstante certo canonicorum numero: tunc præferetur secundo recepto auctoritate papæ: quia primus constitutus per legatum debet dici constitutus auctoritate papæ: quia ex officio legationis legatus non potuisset conferre.

Solus etiam potest auferre rem vni & dare alteri. 23. *q.* 8. *conuenior. & ca. se. in fi. & 12. q. 1. futuram ecclesiam*: quia solus Princeps potest aliquem iure suo priuare. *C. de quadri. præscrip. l. bene à Zenone. & 9. q. 3. cuncta per mundum. & c. per venerabilem*. ista sunt verba Spe. in ti. *de lega. §. nunc ostendendum. ver.* 57. Sed ista verba requirunt altiorem indaginem: & primò intueri oportet, vtrum res particulares sub imperio contentæ sint principis? & videtur quod sic: vt in *prima constitutione ff. & l. de precario. ff. ad l. Rodiam. de iactu. & C. de quadrien. præscrip. l. bene à Zenone*. & istam opi. tenuit Martinus. Sed glo. & Do. omnes tenent contrarium: quia plures non possunt esse in solidum domini eiusdem rei. *l. si vt certo. §. si duobus vehiculum. ff. de commo.* non obstant iura allegata: quia intelliguntur, quod sit dominus quo ad protectionem. sed dominus Bar. in *l. 1. §. per hanc, el. 2. ff. de rei ven.* dixit quod est considerare dominium vniuersale prout vniuersus orbis est vnum quid vniuersale, & istius vniuersitatis Imperator & dominus, & pro eo daretur rei vẽdicatio: *d. l. de precario*, quoddam est dominium singulare singulariũ rerum, & istud non est principis, sed singularium dominorum. simile videmus in grege: quia quis põt esse dominus gregis, & si singula corpora non sint sua: vt *l. rerum mixtura, de vsuca.* Contra istam tamẽ doctrinam est tex. in *l. 1. in fi. & l. 2. & 3 ff. de rei ven.* quia quando in grege est plus de alieno quam de proprio, grex non potest dici illius, cuius dicitur in dominio esse, nec posset ab eo vendicari. & ideo videtur melius dicere, quod princeps est dominus quo ad protectionẽ, non autem est dominus rerũ particulariũ. igitur non videtur, ꝙ posset illas res tollere ab vno & dare alteri. potest ẽt dici, quod est dominus orbis vniuersaliter, sed non particulariũ: *d. l. de precario*, vbi ipse dicit quod est *orbis dominus*. Et ideo quatenus orbem vniuersalẽ vellet vendicare sine dominio rerum particularium, & tũc posset & est orbis dominus vniuersaliter. secus si in ista vniuersitate vellet administrare particularia bona singulorum, quia hoc modo non diceretur orbis dominus, per notata in *d. l. 1. in fi. & 2. & 3. ff. de rei ven.* per prædicta. sed ad quæstionem propositam dicendum est, quod sine causa princeps non potest alicui rem suam auferre. tex. est in *c. 1. de natura feudi*, ibi Imperator si inuestiuit aliquem de feudo, illũ non potest de inuestire: ratio, quia inuestitus habet ex contractu principis, contra quem contractum non potest venire sine causa, vt ibi, & hoc vult Inn. in *c. quia in ecclesiarum, de consti. & in c. quia plerunq; de immu. ecclesiarum*. Bar. in *prima constitutione. ff.* & hoc vult glo. in *l. 1. ff. de consti. princi. & in l. quotiens. C. de preci. impe. offe.* quia dominia sunt de iure gentium, *l. ex hoc iure. ff. de iusti. & iure*. quod ius gẽtium

Digitized by Google

princeps non potest tollere, licet ex causa posset commutare. vide tamen de his quæ plenius dixi supra in questione *an princeps potest contra ius gentium dispensare*. & certum est, quod non sine causa: & licet causa quandoq; præsumatur, & sic ille cui fit dispensatio sit tutus in foro contentioso, tamen in foro animæ & pœnitentiali non esset tutus, si in veritate causa legitima non subesset.

Solus etiam, dicit Specu. in *dist*. §. *nunc ostendendum. v. 58.* ipse potest contra omnia statuta & concilia venire: *de elec. significasti*. sed ista sunt sane intelligenda, vt dixi supra in tractatu conciliorum. præsertim in illa q. *quæ sententia sit maior an papa an concilii.*

Ipse solus insignia episcopalia inferiorib', puta abbatibus, confert, puta mitriã, anulum aureũ baculum pastoralem, sandalia & similia, vt not. Host. *in summa de vsu pallii. §. & quibus diebus vti & notandũ*. quia istis vti nõ licet, nisi constitutis in illa dignitate, cui hęc conueniant: vt *de vi. & honesta cleri. c. clerici*. facit. *l. 1. C. de vesti. oloberis li. 11. & c. vt nemini liceat in frenis & sellis equestribus, eodem libro.*

Similiter facit ante se portari crucem, vt in *c. 1. vt lite pen. de priuil. c. antiqua*. & quæ Archiepiscopi in signum sunt, prout est pallium, petunt solum à papa illud instantissime sibi dari de corpore beati Petri: *de elec. c. significasti, ad fi.*

Ipse etiam solis leicis concedit spiritualia, puta ius eligendi aliquem ad Ecclesiam *de iure patr. c. nobis fuit*. & aliquos solus potest eximere à præstatione decimarum: *de decimis. c. à nobis*. quod alius facere non posset, vt in *c. quamuis. & in c. tua, de decimis*. Spiritualia igitur potest papa laicis demandare, quæ tamen sunt eis aliter interdicta: *de consti. ecclesia sanctæ Mariæ. & de rebus eccle. non alie. c. fi. & de iudi. decernimus, de arbi. c. contingit*. ista tamẽ debent intelligi sanè, vt deleget laico spiritualia, quæ nõ dependent à potestate ordinis, quia illa non posset demàndare conferenda vel conficienda ordinẽ talem requisitum non habenti: vt in *c. quanto, de consue*. & dixi supra in quæstione *an papa deleget clericis vel laicis ea quæ sunt ordinis episcopalis*. ideo non posset mandare laicis, vt ordinarẽt presbyteros, cõficerent corpus Christi, licet presbytero posset concedere ea quæ sunt ordinis episcopalis, vt scripsi in supradicta quæstione. Et ideo concedit presbytero vt possit infantes crismare. 50. *di. peruenit. & de sacra vnc. c. 1. §. quia verò & de conse eccle. vel alta. c. aqua.*

Itẽ solus sedet in sede, quam Dominus sibi in personam beati Petri specialiter elegit: vt *qui fil. sint leg. c. per venerabilem in v. rationibus. v. sane. & de baptis. maiores, in princi*. ideo quod summus pontif. appellatur, *de statu mona. c. 1. c. cum ad monasteriũ in fi*. quod interpretatur *summus pontifex* quasi ad aliã vitam æternam pontem faciens.

Ipse etiam solus dispensat cum suspenso seu interdicto ab homine vel excommunicato celebrante: licet quidam dixerint quod possit dispensare episcopus, si monitus velit abstinere. 11 *q. 3. de illis, & de cleri. excommuni. mini. clerici*. sed veritas est, quam primo dixi, vt 11. *q. 3. c. si quis episcopus damnatus. & c. se. & c. placuit, de cle. excom. ministran. c. illud. & de eo. qui fur. or. recepit. c. 1, & de sen. excom. ca. cum medicinalis. §. fi.*

Item solus absoluit occisores clericorum, vel quando eos enormiter læserunt. 17. *q. 4. cap. si quis suadente*. & hoc, vt dixi, quando iniuria est enormis, vt *de sen. excom. c. cum illorum*. secus si leuis, quia illam remittit excommunicantis legatus: quia si est leuissima, absoluit episcopus, *de sen. excom. peruenit*. facit. *c. si. non alicuius eo. ti*. dixit etiam Spec. in dicto *§. nunc ostendendum. v. 68*. quod solus papa dispensat cum nouitio vel homine alterius professionis, vt fiat abbas. & ita tenet In. & Io. de Deo in *c. officii, de elec*. sed Compostellanus & cõmuniter Doc. contra per tex. in *c. de transla. prela*. non obstat *c. officii* quia ibi legatus non dispensauit, sed confirmauit electionẽ, & quia cassanda erat ex causis in ea positis: & quia ista causa non erat de reseruatis specialiter papæ, de quibus in *cap. post translationem, de offi. de lega.*

Ipse etiam solus dispensat, vt monachus vel in minoribus constitutus episcopus fiat, *61. d. miramur. 63. di. Valentinianus.*

Solus etiam papa dispensat cum illo qui excommunicatus ordinem suscepit, *de sen. excom. c. cũ illorum. §. 1.* & hoc siue sciat ius siue ignoret & etiam quod plus est si non recordatur de facto, propter quod excommunicatus est, quia in culpa est, & cum his non possunt episcopi dispensare.

Ipse etiam solus dispensat cũ ordinato scienter in apostasia, *de aposta. c. fi*. nec ob. *c. ex parte de tẽp. ordi*. quia monachus transeũdo de suo monasterio ad aliud, non est apostata, etiam si transeat de maiori regula ad laxiorem, quando transitus est occultus, tũc potest administrare, vt *d. c. ex parte de tẽpo. ordi*. secus si notorius sit transitus, tunc non potest administrare: vt *d. c. fi. de aposta*. non ob. si dicitur, non potest esse non notorius transitus monachi de vno monasterio ad aliud, vt in *c. quanto, de transla. prela*. quia illud. c. loquitur in episcopo, qui transit cum magna comitiua. Ego autem dico, quod episcopus præest multis & publice. vnde transitus ei licet occulte factus, non potest non esse notorius secus in monacho, qui stat in monasterio secretus: vt *d. c. ex parte*. Concluditur, quod cum ordinato in apostasia solus papa potest dispensare. fateor tamen, quod si secum dispensat in ordine suscepto, non tollitur, quin postea cum consensu episcopi sui possit ad vlteriores ordines promoueri. ita intelligo notata in *d. c. fi. de aposta.*

Item solus dispensat cum ordinato à schismatico: vt in *cap. 2. de schisma*. hoc tenet glo. Bernardi. Alii contra, quod potest episcopus postquam non inuenitur ipsi inhibitum, quia censetur sibi permissum. sed hæc est vna opinio, de qua *de iud. c. at si clerici*. Tu dic secundũ Host. aut talis ordinat' eligitur in episcopũ, & tũc solus papa secũ dispẽsat: vt *de elec. c. quia diligentia*. idẽ in monasterio exẽpto, *de consuetu. cap. cum venerabilis. de renuncia. cap. p. & f*. In aliis beneficiis aut recepit ordines scienter vel

supina

supina ignorantia,& tunc nullus dispensat, *de ordi.ab episcopo qui renuncia.epi.cap.1 & 2.* Si ignorantia probabili & tunc dispensat proprius episcopus, si non fuit ipse, qui schismaticos ordines contulit. Nã episcopus delinquens non dispensat, *de ordi.ab episcopo qui renuncia.epi.ca.1.& 2.* nisi quando ipse episcopus, qui deliquit, fuit absolutus: vt notatur in dicto ti. *de ordi.ab episcopo qui renuncia.epi.*

Item solus dispensat papa cum illo, qui monachatum suscepit, & dimisit episcopatum, & eius executionem, vt recuperet episcopatum & eius executionem: vt in *c.post transla.de renunci.* & hoc indubitanter est verum, quando renunciauit propter crimen, quod præsumitur quando renũciauit episcopatui & ordini executionis, vt *d.c.post translationem.* & est ratio: quia hoc casu cõcilium Cõstantinopolitanũ vetat talem iterum assumi ad dignitatẽ episcopalẽ, contra quod conciliũ papa non facilè dispensat. ideò inferiores, vt episcopi, dispensare non possunt. In aliis autẽ casib⁹ quãdo propter infirmitatẽ renũciasset vel defectũ scientiæ, si causa cessauerit, an possit? dic vt *d.c.post transl.de renun.*

Solus etiam dispensat in gradib⁹ etiam sola lege canonica prohibitis in matrimonio, & non legatus: vt no.glo.in *c.quod dilecto, de consang.& affini.* & *eo.ti.c.quia circa.* & *de transac.c.fi.* & *35.q.3.c.quędam.* & *c.quod scripsi.* Gofr. tamen dixit, quod hoc est verum, quod generaliter non posset legatus dispensare in matrimoniis, vt dictum est, sed in vno casu vel duobus sic, vt no. Doct. in *d.c.quod dilecto.* sed communiter tenetur, quod nec in vno casu legatus possit dispensare.

Solus etiam dispensat cum regularibus exeuntibus ad audiendum leges vel Phisicam, vt promoueantur: vt in *c.non magno, in fi.* & *c.si super specula, ne cle.mona.* secundum glo.& Doc.

Solus etiam dispensat cum ordinato ministrante, vt ad superiorem ordinem ascendat: vt *de cle. non ordi.minis.c.1.* quia sicut cum ordinato suspenso ministrante episcopus non dispensat, ergo multo minus dispensat cum non ordinato ministrante, quia magis peccat, & hoc ordine suscipiendo: sed in suscepto & in beneficio videtur, quod episcopus possit dispensare. ita videntur concludere Doct. in dicto *capit.2. de cleri.non ordi.ministran.* Quidam tamen, vt Specu. in ti. *de lega.* §. *nunc. de episcoporum. vers.18.* volunt, quod si non habens ordinem exerceat diuinum officium in superiori ordine, quẽ non habet quod tales efficiuntur irregulares & ideò solus papa cũ tali dispenset, etiã in suscepto ordine de misericordia debet tollerari vt ad superiores ascẽdat *11.q.3.paruulis.25.q.2.sic decet.* sed credo quod verior sit opinio, quod sicut cum diacono missam celebrante potest episcopus post peractã pœnitentiam secum, vt retineat beneficium, dispensare, & etiam post triennium vt possit diaconatus officiũ exercere: vt *d.c.2.de cle.non ordi.minis.* ad sacerdotium non possit promoueri, nisi auctoritate papę, vt legitur & notatur *de cleri.excom.minis.cap.1.& 2.* ita possit cum omnino non ordinato minist. Sed tunc cum nullum habet ordinem, ad nullum poterit promoueri sine auctoritate papæ, per dicta. Inno. tamen in *c.dilectus, de tempo.ordi.* indistinctè videtur dicere, quod episcopus possit cum talibus dispensare.

Solus etiam possit cum excommunicato dispensare, vt collatum sibi in excõmunicatione beneficium retineat. glo.in *c.postulastis de cle.excom.mini.* dicit quod episcopus possit dispensare, ex quo sibi papa nõ reseruat: *de sen.excom.c.nuper.* Idem Inn. *de temp.ord.dilectus.* & Spe.in ti. *de lega.* §. *nunc de episcoporum.v 6.* Sed Io.de Deo contrà in excõmunicato ex contemptu Apostolicæ sedis. Ego credo secundũ Hosti. quod si talis sit excõmunicatio, quod possit in ea solus episcopus dispensare, tũc posse similiter in retentione beneficii ipsa collatione dispẽsare. Sed si est excõmunicatio, à qua nõ possit absoluere nisi solus papa, cũ tali nõ dispensat episcopus, sed solus papa dispensat. ar. *de offi.ordi.pastoralis, de sen.excom.c.à nobis, el.secundo.* quicquid dixerit Cõpostellanus in *c.quod sicut, de elec.* qui dixit quod excõmunicatus credere non tenetur, quod est contra tex.dicti *c.postulasti,* secundũ Io.An.

Solus etiam papa concedit vniuersaliter ius funerandi religiosis aliquibus, puta Minoribus vel Prædicatoribus per totum orbem, quamuis episcopi hoc possent, sed tantum in propria diœcesi: sed papa vniuersaliter per totum orbem: vt in *cle.dudum.de sepul.* & ibi notatur.

Diaconibus etiam papa solus cõcedit, vt compagibus siue sãdalib⁹ vtantur, vt *93.di.peruenit ad nr.* & clericis vt manipulis vti possint, dixi, supra in ver. qui incipit *ipse etiã solus insignia episcopalia* &c.

Item solus dispensat in decimis non dandis, *de decimis.c.ex parte.* & *ca.statuimus, de transac.* Sed de hoc ego plenius dixi supra in quæstione *an papa dispenset contra ius diuinum,* ibi quando pono de interpretatione restrictiua.

Item solus potest concedere, vt Christianus portet arma Saracenis: vt *de Iudæis c.significauit.* de quo dic, vt ibi: quia dubium sit an possint portari arma Saracenis pro redimendis captiuis sine excõmunicationis pœna: dic vt ibi per Inno. Hosti.& Doc.

Ipse etiam solus dispensat cum clericis conferentibus hæreticis Ecclesiastica sacramenta, & eleemosynas, & oblationes ab eis recipientibus, vt *de hæreticis.c.excommunicamus.* §. *si verò clericus. v.sane,* & ibi glo.in verbo *spei.*

Ipse etiam solus dispensat circa canones pœnã irrogantes in enormibus delictis, vel certam satisfactionem iniungentibus, vt cum homicida vel simoniaco in ordine vel beneficio. allegat notata in *c.post translationem, ad finem, de renuncia.* facit *de iudi.cap.at si clerici in §.primo.* Sed istud non videtur bene dictum: quia episcopus quandoq; dispensat cum hæretico. *50.dist.presbyteros:* cum sacrilego. *51.di.si quis presbyter:* in capitalibus occultis. *50.di.de his:* cum simoniaco in beneficio, & quandoq; in ordine. *2.q.5.c.fi.de elec.si aliquis.*

Item cum simoniaco & ideo iste est pulcher articulus, in quibus criminibus dispenset episc. vel solus papa, quod tangunt Doc. in dicto *c.at si clerici.* Ego omissis opinionibus sic concludo, quod aut

Digitized by Google

loquimur in materia pœnitentiali, & tunc dispensatio est episcopis permissa, nisi vbi appareat esse prohibita: quia pœnitentiæ sunt arbitrariæ: *de pœni. dist. 1. quem pœnitet. & cap. mensuram*, vbi est glo. quod dispensat etiam vbi certa pœnitentia est statuta: vt in dicto *c. quem pœnitet.* dicit enim, *possunt plus proficere vel pœnitentibus parcere*. & sic expresse disponit quod dispenset. Alias autem iura simpliciter dicunt, quod pœnitentiæ sunt arbitrariæ. gl. tamen in *d. c. mensurã*, dubitat vtrum ille cum quo dispensatur minus legitime, sit tutus in foro animæ. & idem in presbytero, nisi appareat quod casus sint reseruati & qui casus sint, isti habentur *de pœnis. c. 1 li. 6.* per Hosti. in *summa de pœnitentiis. §. 2.* Si autem quæritur an episcopus possit dispensare circa canones pœnales, vel inhabilitantes, tunc dicas, quod si dispensatio appareat prohibita, tunc debet seruare ius prohibens, & tunc dispensat solus papa. & casus prohibiti numerantur per Spec. in ti. *de legato. §. & nunc de episcoporum in prin.* vsque ad dictum, *prohibentur autẽ episcopi.* & ponunt Doc. & In. in *c. dilectus, de tempo. ordi.* si autem non appareat expresse permissa nec prohibita episcopis, tunc si dispositio, contra quam quæritur dispensari, est dispositio concilii generalis, & tunc non dispensat episcopus, secundum glo. *de elec. cum dilecti. & in cle. 1. de elec.* de quo in *c. fi. de fi. presby. & de elec. c. cum monasterium de pellicia.* & ratio potest sumi per tex. in *ca. post translationem, de renunc.* Et idem si canon est latæ sententiæ, non dispensat episcopus: vt no. Archi. 45. *di. sicut scienti.* excepta excommunicatione: vt in *c. nuper. de sen. excom.* quæ duo prædicta ego intelligo vera, nisi canon concilii vel latæ sententiæ indulgeret dispensationẽ etiam simpliciter, quia deberet intelligi, quod conceditur episcopis: quia de papa nõ erat opus dicere, quia eius auctoritas semper censetur excepta: vt *de elec. significasti.* hoc tamen intelligo, nisi canon disponeret in materia episcopis non permissa: vt si canon dicit episcopum deponi, nisi secum dispensaretur: tunc non intelligitur reseruata episcopis dispensatio: iuxta nota. in *capit. 1. de indi.* & hoc not. Hostien. in *capit. 1. de bigamis.* Sed si loquitur canon etiam concilii vel latæ sententiæ in materia cõmuni episcopis & papæ: tunc simplex reseruatio dispensationis comprehẽderet episcopos, per rationem prædictam. Si autẽ est alia constitutio, in qua fit dispensatio permissa, licet non dicatur simpliciter episcopis, tũc potest episcopus dispensare: no. *de temp. ordi. dilectus & de pœnis. c. in quibusdam*, & Io. An. in *c. 1. de supplen. negli. prælat. li. 6. super glo. pe.* post Hostien. quod limitatur verum, nisi canones legem imponant ipsis episcopis: quia tunc non dispensat, nisi reperiatur concessum: alleg. *d. c. dilectus. de temp. ordi.* idem Archi. *27. q. 1. virginem*, Io. An. in *prima constitutione super glo. fi.* Si autem dispensatio est prohibita, vel non apparet permissa, quia ius prohibet, & non dicit quod possit dispensari: & tunc episcopi non dispẽsant, quia seruare debet canones, & solius principis est illos relaxare. & hæc patent in materia delictorũ in adulterio & in minoribus; quia in illis semper dispensat episcopus, nisi in quibus appareat prohibitus. in superioribus aũt non dispensat, nisi vbi apparet sibi permissum: & cum est facta permissio non habet locum argumentum à pari vel maiori, vt extendatur facultas dispensandi: no. *de elec. cum in cunctis.* Io. An. in regula: *qua à iure. de regu. iur.* & Fœde. in *consilio. 14.* & probatur *de rescript. in nostra. & de præben. c. cui non de sacerdotali. li. 6.* facit quod no. in *c. fi. de fi. presb. eo. li.* Quod credo verum, etiam si esset ratio expressa in canone dispensandi: quod patet, quia si papa dispensaret ex aliqua ratione vel causa, quod habens in ecclesia beneficium, posset obtinere aliam integram præbẽdam: propter hoc non posset obtinere mediam, licet esset maior ratio in media: vt est tex. in *d. c. cui de non sacerdotali.* hoc probat tex. in *auth. hic constitutio*, vbi est ratio expressa in *l. & tamen. l. fi. Cod. de sacrosanct. eccle.* non corrigitur: ita nec dispensatio inducitur. & hoc credo verum, licet quidam contra: per not. in *cle. 1. de elect. in c. 1. de tempo. ordi. in 6. & in c. quamuis. de elect. li. 6. & in l. 1. Co. de his qui ante apertas tabulas. & in l. 2. C. per quas perso. nobis acqui.* nam ego teneo id, quod dixi per nota. in *cle. auditor. de rescrip.* & ita tenet Anto. de But. in *c. fi. de consue.* non obstante contraria per ea quæ scripsi in *l. si vero. §. de viro, soluto matrimonio.* dicunt etiam quidam, quod si vrgente magna necessitate episcopus vellet dispensare & transgredi canones, quod tunc sibi liceret: & hoc dicunt quod tenent Domini de Rota *conclusione 265.* probatur per *l. si hominem*, & quod ibi no. *ff. mandati*, vbi videtur text. quod episcopi possunt statuere contra iura: ergo potius dispensare causa emergente: quod credo verum, quando, si episcopus non dispensaret, emergeret magnum discrimen suæ reipublic. & multo magis vniuersali ecclesiæ, & papæ non posset haberi remedium, quia forte non posset recurri ad ipsum: nam tunc liceret contra ius statuere & dispensare: text. est, & ibi not. Bar. in *l. cum Nauarcorum. Cod. de nauicularijs. lib. 11.* sed si posset haberi recursus ad papam, non credo quod liceret transgredi canones. Inferiores autem ab episcopis non dispensant contra canones, etiam vbi dispensatio est permissa, nisi quatenus ipsis inferioribus esset permissum. Occurrit tamen dubium, an vacante sede possit capitulũ dispensare in casibus permissis episcopo? & si teneremus quod talis dispensatio competeret episcopo iure spirituali, tunc facultas talis non transiret ad capitulum. sed ego teneo, quod episcopo competat de iure cõmuni: & tunc Federicus in *consilio 29.* tenuit quod sic. Sed tunc occurrit dubiũ, an hoc procedit vbi agitur de depositione clerici? videtur quod ista non transeunt in capitulum: quia hæc competunt ratione ordinis. Ego tamen credo, quod capitulum possit episcopis cõmittere cognitionẽ huius delicti. dico episcopis: quia vnus episcopus solus non cognoscit. 15. *q. 7. c. si autem. & c. si quis*, & ibi plene *in summa*: quia talis cõmissio est iurisdictionis, non ordinis: not. *de el. transmissa.* & post relatione facta poterit capitulum dispensare: quia hæc dispensatio est iurisdictionis, vt patet ex prædictis. Et idem credo de episcopo non consecrato, sed confirmato: sic intelligo istam materiam.

Item solus dispensat in voto continentiæ, & per accessum terræ sanctæ: de hoc dixi supra *an dispenset cum monacho vel presbytero in voto continentiæ.*

Ite

Item solus habet vtramque gladium: sed hoc dixi in prima quæstione huius operis super illo verbo ecclesiæ *duo gladii*.

Ipse etiam est successor Petri, & vicarius Iesu Christi vice non puri hominis, sed veri Dei gerẽs in terris: *de transla. c. inter corporalia. & c. quanto & c. licet vti eccle. bene. c. vt nostram.* §. 2. *ver. porro.* 22. *di. c.* 1. vnde omnia regit & iudicat, vt sibi placet. 9. *q.* 3. *cuncta per mundum.* Et licet alibi episcopus quoad quædam dicatur Vicarius Christi: vt 33. *q.* 5. *mulierem. de sacra vnc. c.* 2. *ver. caput enim. & ver. se.* non tamen in omnibus est vocatus, sicut papa qui habet plenitudinem potestatis: *de vsu pallii, ad honorem:* & alii sunt in partem sollicitudinis vocati. 2. *q.* 6. *decreto. & ca. qui se scit.* & dummodo non veniat contra fidem, potest facere quicquid sibi placet, auferendo etiam suum cui vult: quia non est qui ei dicat: *cur ita tu facis?* 19. *dist. in memoria.* nam apud eum est pro ratione voluntas: & quod ei placet, legis habet vigorem *insti. de iure naturali.* §. *sed & quod principi.* potest etiam omne ius tollere. & contra ius dispensare: quia non habet superiorem, nisi Deum: *de elec. c. licet.* Sed ipse super omnes est, nec potest ab aliquo iudicari. 21. *di. in nono. & c. nunc autem.* Et habet cæleste arbitrium, *cap. de summa trini. & fide catho. l.* 1. habet enim cælestis & terreni iura imperii: vt 22. *di. c.* 1. hæc sunt verba Spe. in ti. *de lega.* §. *nunc ostendendum. ver.* 89. Sed ista omnia ita in genere dicta sunt sane intelligenda secundum illa quæ supra per me dicta sunt primo in quæstione, *quæ sit maior an sententia papæ an concilii.* & supra in toto isto opere, dum tracto de papæ potestate atque potentia.

Et generaliter omnia quæ sibi papa reseruauit, nullus alius potest: immo si aliqua immineant, quæ sedes Apostolica sibi reseruare non apparet, si sunt grauia & ardua, illa sunt ad sedem Apostolicam referenda. probatur 15. *q.* 1. *ca. in Gallearum. qui fi. sint legi. c. per venerabilem,* circa finem, præsertim in versi. *si difficile.* 17. *dist. multis, de baptis. in fi.* dicitur quod Moyses constituit principes & tribunos, vt quicquid maius esset, ad eum referunt. Hæc sufficiant dicta de vicario Christi in spiritualibus: nunc dicamus de Romano imperio & Christi vicario in temporalibus &c.

PARS V.

DE ROMANO IMPERIO, ET CHRISTI Vicario vniuersali in temporalibus.

SVMMARIVM.

Imperii Romani & Cæsaris iustissimæ & firmissimæ potestates & origines fuerunt, & hodie sunt.

CAPITVLVM I.

MVlta quidem iam elucidata sunt, ex quibus patent Romani imperii firmissimæ potestates: ne tamen multi falso forsan ducti errore opinarentur imperium tuum, sanctissime Federice Cæsar, initium iniustum, aut habuisse violentum, ad ipsam quæstionem tractandam, videlicet quis ex imperiis orbis quatuor, quæ fuerunt tanti excelsi solii palmam prius fuerit iuste adeptus, reditum facio. Et in his forsan diceret multi, quod si mortalium quispiam iura hæc sibi primùm asscripsit iuste, profecto Romani non fuerunt, non Macedones, non Medi, sed potius inuenti Syrici, his forte moti rationibus: quod in nullius bonis erat vel est, id primum iure gẽtium concessum occupantibus est. *l.* 1. *& l. quod enim. ff. de acqui. re. do.* sed in statu nocẽtiæ & post peccatum primi parentis, quo tẽpore iuribus seculi per principes & reges à Deo generi humano dispositos inductũ est ius dominii, quo ad propria & particularia dominia. 9. *di. quo iure.* cum ante omnia communia forent. 1. *di. ius naturale,* non reperitur vt mortalium quispiam primũ iura hæc nactus fuerit, nisi Babylones, qui primum imperio & potentia cæteris animantibus præualuerunt. ergo iura imperii sibi primum iuste occupatione ascripserunt. & hoc firmari videtur *Daniel.* 2. *c.* vbi Daniel exponens somnia Nabuchodonosor regi, Syrico inquit: *Tu rex regum es, & Deus cœli regum fortitudinẽ, & imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestias agri atque volucres dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit.* Ex quibus videtur cõcludi, iussu & permissu Dei apud Babylones fuisse vniuersa iura imperii: & sic hodie etiam, si hæc in iudiciali calculo ponerentur, videtur forte dicendum, cum olim dominus & hodie dominus præsumendus sit. *Cod. de proba. l. sint possidetis.*

SVMMARIVM.

Imperium apud Syrios, Babylonios olim, sic & hodie esse & iura vniuersa permissu Dei.

CAPITVLVM II.

HAec potest sententia roborari iure gentium. condita sunt regna & particularia dominia distincta, *Digest. de iustit. & iure. l. ex hoc iure.* sed cum iure naturæ inferiora bona omnia terrena essent omnium gentium, vt vniuersorum communia, *prima distinctione ius naturale:* quod à maiori gentium parte factum est in ipsis, id debet haberi ratum cæteris etiam reluctantibus: vt *Digest. ad municip. l. quod maior. & Digest. quod cuiusque vniuers. no. l. nonnulli.* maxime cum facerent pro communi bono, non pro bono principaliter singulorum, vt notat Inno. & Bar. *de consti. c. cum omnes.* sed regi per vnum est commune bonum: vt *ff. de ori. iur. l.* 2. §. *nouissime,* & philosophus 12. *Metaph. in fi.*

Digitized by Google

vbi dicit: *entia nolunt male disponi: pluralitas principatuum mala: vnius ergo princeps.* cum ergo maior pars gentium humani generis constituerit apud Babylones imperium, cæteris aliis nobilitate, virtute, ac potentia præstantius, ergo ipsi iuste iure gentium regna, à quo sunt condita, conuenerunt orbis monarchiam, tanquam cæteris præstantiores & nobiliores. assumptum vero, quod apud Syricos primum fuerit fere omnis mundi potentia, & imperiũ, & orbis & gentium mundi pars maior, ad quod historici omnes referunt, quibus fides de facto tam antiquo est profecto exhibenda, iuxta no ta *extra de proba. capit. cum causam. 30. quæst. 1. peruenit.* quia antiquis scripturis fides est adhibenda, notat Specula. *de probatio. c. videndum. ver. 9. de præscript. c. ad audientiam. & C. de contrahen. & commit. stipu. l. optimam & l. celsus de proba.* facit. *l. legata. ff. de suppel. leg.* & quod ibi notatur, præsertim quia factum est antiquum, in quo sufficit leuior probatio, vt notat Inno. *de verbo. sig. capit. veniens, de iura. calum. cap. cum causam. & in cap. licet ex quadam, de testi.* & ibi Io. An. in *nouella super verbo propter bre. uem.* & notatur. *C. de proba. l. proprietatis. & de nego. ge. at qui natura. §. cum me.* Nam in antiquis cum sit difficilis probatio, sufficit probatio præsumpta: vt notatur. *ff. de secundis ta. l. qui ex liberis.* Cyn. in *l. 1. de sen. excom. qua pro eo in fi. de proba. l. 1.* notat Innoc. *de testã. cum in officiis.* Cyn. in *l. si non conuitii de iniuriis, in prima quæstione.* Et maxime beatissimo Augustino credendum, cuius dicta vsque ad vnum iota nos amplecti oportet, nec licet contra illa resilere, 15. *di. sancta Romana.* ipse namque dicit, quod regnante Nino Beli filio tempore Abrahæ maximum fuit Assyriorum imperium. vnde Augustinus 10. *de ciuitate Dei* inquit, quod Ninus rex vniuersos Asiæ populos, excepta India, subiugauit. Asiam dico, non illam partem, quæ huius maioris Asiæ prouincia est, sed eam quæ vniuersa Asia appellatur. Et hoc imperium secundum August. 10. *de ciuitate* durauit mille ducentis quinquaginta annis ab anno, quo Ninus rex regnare cæpit, vsq; quo translatum fuit ad Medos per Orbatium præfectum regis Sardanapali luxuriosissimi, quem apud Babyloniam ipse Orbatius occidit. deinde per Cyrum Persarum regem Babylonia capta & deleta transiuit ad Persas. cum igitur ex prædictis nullus ante Babylones iura hæc fuerit assecutus, sed ipsi potentia & potestate ex maioris gentium partis constitutione imperium ipsum quæsierunt, ergo iuste apud eos fuit & est vel gentium cõstitutione vel prima occupatione & possessionis naturalis apprehensione. *l. 1. de acquir. pos.* & sic non iustum est apud Romanos vel alios, cum plures eiusdem rei in solidum domini esse non possunt. *l. si vt certo. §. si duobus vehiculum. ff. commo.*

SVMMARIVM.

Imperium iniuste apud Romanos, Macedones vel alios fuisse, & hodie esse apud Cæsarem.

CAPITVLVM III.

QVod iuste non potuerit esse vel fuerit apud Romanos, Macedonicos, vel alios potest ostendi naturali & diuino iure. item iure gentium & ciuili, naturali iure insinuatur sic: omni enti formato naturaliter inest, & insita inclinatio naturalis est, vt excludat vi vel aliter omne repugnans suæ naturali dispositioni. hoc ordinauit ab æterno Deus & natura, vt patet in simplicibus & mixtis. Nam aquæ insitum est igni resistere, & econtra: sic etiam est in cæteris elementis. & hoc vult Tullius *primo officiorum circa principium in capit. principio.* hoc etiam idem in mixtis. Nam brutis naturaliter inest tueri propriam salutem. *l. 1. §. cum arietes. ff. si qua pau. fe. di.* cum secundum sententiam philosophi: *omne ens appetit viuere,* & sic propriam salutem tueri. & in *secundo de anima, ibi naturalissimum* &c. sic est in rationabili creatura insita naturalis inclinatio etiam circumscripto intellectu, vt sponte descendat ad repugnandum quæcunque ipsi aduersantia: *de pœni. dist. 2. capit. corpus nostrum.* & quod hoc sit verum, potest ostendi. nam non debemus credere, quod Deus & natura omnium creaturarum productiua: vt in *cap. 1. de summa tri.* minus debuerit esse solicita in conseruatione rationabilis creaturæ quam cæterorum irrationabilium, cum rationabiles omnibus sunt nobiliores. *Cod. de sacrosanct. eccle. sancimus, de pœni. & remiss. cap. cum infirmitas. 33. quæst. 5. hac imago,* cum propter ipsas rationabiles cætera facta sunt, *l. in pecudum, de vsu insti. de re. diui. §. in pecudum,* & philosophus *primo Politicorum.* si igitur ipsa natura inclinationem naturalem introduxit in cæteris creatis ad quæcunque contraria profuganda, quanto magis hoc rationali introduxit creaturæ? *de sacro. sanc. eccle. auct. multo magis.* Ex quibus infertur, quod omnis actus, qui fit propter tollere dissonum & repugnans conseruationi naturali, iuste fit & ortum habet à principiis naturalibus & iure naturæ, etiam distincto à iure gentium. hoc probatur in *l. vt vim, de iusti. & iur.* prout vim licet propulsare cuique. hoc videtur velle glo. 1. *di. ius autem naturale:* & in dicta *l. ex hoc iure. & l. vt vim:* vbi videtur probari, quod repulsio iniuriæ sit de iure naturali principaliter, maxime dum glo. ibidem brutis hoc ius appropriat. hoc sentiunt naturales philosophi, dum dicunt, quod duplex est in elementis & rebus inanimatis potentia vna, per quam intendunt ad propriam quietem & alia per quam resistunt & agunt in prohibentia & in contraria. videmus enim, quod ignis est naturaliter calidus & leuis, & per leuitatem tendit in locum proprium & in quietem sibi cõuenientem: per calliditatem vero agit in contraria. ne igitur ignis per quæcunque contraria impediatur, ne in proprio loco suæ leuitatis quiescat, data est ei potentia calefactiua, vt per eam agat in contraria, & ipsum corrumpentia, & ipsis resistat. & sicut natura hoc dedit inanimatis rebus, vt habeant duplicem potentiam; vnam per quam adipiscantur propriam quietem; aliam per quam agant in prohibentia & contraria: multo magis sic hoc tribuit animalibus. nam dedit eis duplicem appetitum sensitiuum; vnum per quem conse-

consequitur propriam quietem & delectationē, vt appetitum concupiscibilem: alium, per quem aggrediuntur prohibentia & contraria, vt appetitum irascibilem. Nam sicut grauia propter grauitatem recedunt à loco sursum, tanquam à non conueniente, & tendunt ad locum deorsum, tanquā ad locum eis conformem, & per frigiditatē resistunt contrariis, ne corrumpantur à propria natura, & deserant propria loca & propriam quietem: sic animalia per appetitū concupiscibilem fugiunt mala tristantia, & prosequuntur bona delectabilia: per irascibilem vero aggrediuntur contraria, quæ possunt ab huiusmodi delectationibus prohibere. igitur coeunt, & sibi simile gignunt. & hæc est natura, vis quædam in rebus existens, similia de similibus procreans. 1. *di. ius naturale*, & ibi glo. & si natura dedit hæc inanimatis rebus & brutis, multo magis dedit hominibus, vt habeant naturaliter inclinationem ad appetendum bona, & ad propulsanda contraria & mala? licet regulatio istius inclinationis in homine sit de iure gentiū, prout ista naturalis inclinatio regulatur pro rationis dictamine, dicta *l. ex hoc iure.* & *l. 1. C. vnde vi.* & hoc sentire videtur glo. in *l. naturales.* §. *fi. in ver. gentiū, de acqui. rerū. do.* hoc probatur tex. in *cle. pastoralis. ver. ceterū, de re iudi.* vbi dicit, de defēsione, q̄ sit à iure naturali. & sic pro ipsa bellare iuris est naturalis. pro hoc tex. in *l. itaq;, ad legem aquil.* & dicitur ciuilis lex hoc permittere, quod est naturalis iuris, postquam nō vetat. *l. scientiā.* §. *qui cum aliter*, & ibi glo. *ff. ad legē aquil.* licet ipsum ius gentium vel ciuile limitet & restringat, vt fiat cū moderamine inculpatæ tutelę: dicta *l. 1. C. vnde vi.* sicut alias ius positiuū limitat naturale, vt in comestione, quod tēpore quadragesimæ nō comedantur carnes, 4. *di. c. deniq;*. sed cū naturaliter omnes homines liberi nascuntur, *ff. de iusti. & iure. l. manumissiones.* & *in auct. quibus mo. na. effi. sui.* §. *natura*, sequitur quod inspecto naturali iure quilibet licite resistere potuit Romano populo, qui alienā sibi submittebat libertatem, cum (vt dixi) iure naturali cuique sit insitum posse tueri, quod suæ naturali repugnat compositioni, & ad naturæ cōtraria propulsanda. vnde cū populus quilibet iuste se potuerit in sua libertate tueri, naturali iure inspecto, sequitur etiā q̄ iniuste Romanus popul' quęsiuit cūctos submittere ditioni.

CAPITVLVM IV.

IVre autem diuino sententia hæc ostenditur. Ille actus est iure diuino licitus, qui est consonus charitati: sed defensio libertatis patriæ & defensio proximi libertatis eius, & propria etiam defensio est actus charitatis: ergo est iure diuino permissus. assumptum probatur: nam charitate posita excluditur omnis actus iuri diuino reprobus, cum ipsa se non compatiatur cum reprobis, & cum ipsa charitas sit cuiuslibet liciti fundamentum: *de pœni. distinct. 2. capit. si radicata.* & *capit. charitas est* & *capit. quia radix.* Ad hoc, dictum apostoli dicentis, quod & si fidem habeam vt montes transferam charitatem autem non habeam, nihil habeo: *de pœni. di. 2. si enim.* §. *euidenter in fi. de conse. di. 4.* solet minor de defensione primæ & proximi ostenditur. *ff. de iusti. & iur. l. velati.* & 24. *q.* 8 *c. igitur.* & *c. omni timore.* & *c. hortatu.* & 63. *di. Adrianus*: in quibus probatur quod pro defensione patriæ clerici possunt exhortari suos milites ad bellum, nec ex hoc occisione secuta irregulares efficiuntur. 23. *q.* 5. *de occidendis.* & hoc vult Augus. 19. *de ciui. Dei*, dicens, *pertinet quippe ad virtutis officiū, & viuere patriæ & propter patriam filios procreare.* Item Tullius officiorum primo, *non nobis solum nati sumus, partem patria vendicat, partem amici*, ad hoc facit, quia pars debet se exponere pro salute totius: quia secundum philosophum *primo Ethicorum* bonum commune est pręferendum bono particulari. sed homo est quædam pars ciuitatis, secundum philosophum in *Politicis*: igitur debet se propriari tanquā pars pro toto, & tanquam minus bonum pro meliori se exponere: immo licet patrem propter patriam occidere etiam filios. *ff. de religio. l. minime.* cum publica vtilitas includens in se priuatam priuatæ præferenda sit. *ff. pro socio. l. actione.* §. *labeo, de postu. prala. c. bona el. primo.* & hoc Dei iudicio fieri dici oportet: aliter ratio gentium & humana non sequeretur in sua rectitudine Dei naturæ intentionē, quod est impossibile & maxime quia nascitur quis magis rei publicæ quam parentibus. *ff. de ven. in pos. mit. l. 2.* §. *generaliter.* & *l. post liminium.* §. *filius, de capti.* facit quod scribitur in Specu. *de aduocato. ver. quid si pater.* & *ver. præcedenti.* & quod no. Archi. 45. *di. cum beatus*, & Cyn. in *l. 2. C. de patri. qui fi. distra.* & diligere proximum sicut seipsum est actus charitatis: vt in *c. proximos.* & *c. proinde de pœni. dist. 2.* & eum defendere: vt 23. *q.* 4. *c. ipsa veritas*, & *q.* 3. *c. fortitudo.* & *c. non inferenda.* Et hoc monstratum est in Moyse, qui prostrauit Ægyptium conculcantem Hebræum: *de pœni. di. 2.* §. *item oppositum.* & 23. *q.* 3. *ca. non inferenda.* hoc idem figuratum est in Euangelio de pastore veniente lupo gregem dimittit & fugit. 23. *q.* 3. §. *item vasa sacra. in fi.* & 43. *di. c. si rector.* Si ergo communi & diuino licet defendere patriam & proximos & eorum libertates & propriam etiam libertatem; ergo iuste faciebant populi resistentes Romano populo, qui alienam quæsiuit submittere libertatem.

CAPITVLVM V.

QVod hoc iure diuino licuerit, ostenditur. nam lex diuina non obuiat totaliter actibus prouenientibus à natura, licet ipsos aliquando modificet & refrenet, vt patet per singulos discurrendo, nam non inhibet totaliter cibum, nec carnalem commixtionem, licet ista certo rationis dictamine regulet, ergo permisit populis ius diuinum defensiones contra Romanos, quæ sunt à iure naturali: pro hoc glo. in dicta *l. scientiam.* §. *qui cum aliter. ad legem Aquil.* quæ dicit quod lex iura naturæ permittit, cum non vetat. Præterea cum lex canonica hoc permittat, ergo & diuina. antecedens probatur *de restit. spol. capit. olim*, *de re iudi. in clem. pastoralis*, *de homici. clemen. si furiosus.* consequentia bona ostenditur. nam canonica legi diuinæ subalternatur, & sic in-

Digitized by Google

uicem non potest contradicere: nam ad eundem finem tendunt, licet variè nam lex canonica nõ solum tractat de conseruatione vniuersitatis humanæ in vnum in pace & tranquillitate, vt in *proœmio decretalium*, super quo maximè prouidet ius ciuile, sed etiam vlterius tendit præparando ad statum æternæ beatitudinis, in quo lex tenditur principaliter diuina, & sic necesse est quod attenta identitate finis, id quod est lege diuina prohibitum est. & l. canonica, & econuerso. sed lege canonica est defensio permissa, ergo & diuina lege. vnde male dicit glo. *ff. de iusti. & iure. l. vt vim*, quod non iure poli & fori sit permissa propulsatio iniuriæ, nisi illam salues. quod loquitur de interiori præparatione cordis. 23. *q.* 1. §. *his ita*. nam tunc non licet iure diuino defensio, 23. *q.* 1. *in summa*. si ergo iure naturali diuino & canonico licet iniurias propulsare patriæ, proximorũ & proprias, iustè resistebant quicũq; populi Romanis vsurpantibus iura alienæ patriæ proximorum & propria.

Capitvlvm VI.

Diuino iure non apprehendisse Romanos imperiũ, ostenditur. Imperium nõ potest competere, nisi illis, qui illustrati sunt lumine fidei, & illis qui sunt de ouibus Christi. 23. *q.* 8. *conuenior*. sed populus Romanus, & Octauianus Augustus, & alii Romani principes, maximè qui ante Christum fuerunt Christiani, cum tamẽ publicum primum imperatorem Christianum Constantinũ fuisse legimus: ergo alii præcessores non habuerunt iura monarchiæ, sed potius Bisantini & Græci primum dici debent habuisse imperium. nam in Græcis Constantinum transtulisse imperium Siluestro permittente certum est. *cap. di. palea Constantinus*. vnde apud Græcos tanquam primos iustos & orthodoxos fideique lumine illustratos debet fuisse vniuersi orbis imperium. Diuino etiam iure apud Romanos non fuisse ostenditur per ea, quæ scripsi in prima quæstione in 12. *vel* 13. *argumento partis primæ*, vbi dixi, quod hoc Dominium vniuersale erat Dei, quia ipse mundum fecit. Item punitiones & cohertiones per seipsum exercuit, vt ibi dixi. Romani igitur Dominiũ suscipiendo, quod erat Dei, iniustè receperunt: igitur eorum non fuit iustum imperium: quia ex Dei constitutione, cum concessit ipsum Dominium & cohertionem aliis, dum dicitur in psalmo: *terram dedit filiis hominum*, patet quod ipsam dedit cõmiter possidendam: & quia communio parit discordiam. *l. cum pater. §. dulcissimis, de leg.* 2. voluit quod occupanti concederetur pars occupata: vt Deut. 11. c. *quamcunq; terram calcauerit pes tuus*, mansit. calcata ergo ab aliis & iã diuino iure aliis acquisita non licuit Romanis occupare. ꝙ iure diuino reprobatum sit Romanum imperium & omnis monarchia, ostenditur. Christus fuit & est ille lapis sine manibus abscissus, qui manibus percussit in pedibus, & contriuit, quã statuã illæ quatuor monarchiæ figuratur, Assyriorũ, Persarum, Græcorũ & Romanorũ vt habetur *Dan. 2. c.* notandum, quod eam per in pedibus: quia sicut pes est vltima pars corporis, sic monarchia Romanorum fuit vltima. vnde illam videtur Christus specialius improbasse, & merito: quia omnes monarchiæ per violentiam & vsurpationem inceperunt. Dignum ergo fuit, vt propter iniusticias ipsorum regnum de gente in gentem transferatur: *Ecclesiastes* 10. c. & factum est regnum mundi huius Domini nostri Iesu Christi, qui regnabit in secula: *Apocalyps.* 11. *c.* & pro hoc faciunt omnia iura quæ induxi supra in *prima quæstione*, dum dixi de regno Christi in *prima parte*.

Capitvlvm VII.

IVre gentium ostendi potest non fuisse apud Romanos. nam, vt pluries supra dictum est, maximè in *prima quæstione in confutatione*. 12. & 13. *rationis*, iure seculi inuentæ sunt propriorum dominiorũ acquisitiones in statu nocentiæ post pactum Adæ. 8. *dis. quo iure*. 1. *dist. ius naturale. & c. ius gentium. & l. ex hoc iure, de iusti. & iure.* Nam licet iure diuino omnia essent in dominio rationalis creaturæ commissa, *Genesis primo cap.* illo tamen iure illud dominium erat commune, & similiter iure naturali: dicto *capit. ius naturale.* & 12. *q.* 1. *dilectissimis*, & dicto *capit. quo iure*: sed iure gentium inuentum est, vt aliqui aliqua, alii alia sibi appropriarent, vt dictis iuribus. Nec hoc quippe malum fit, immo necessarium atque bonum. Nam vt probat philosophus 2. *Politicorum* melius instituitur ciuitas, si ciues proprias habent possessiones, quam si omnes ipsas possiderent pariter communes, contra sententiã Socratis: quia naturale est res communes negligi, & communio vt plurimum discordiam parit. *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de lega.* 2. vnde iure gentium vel diuisione illarum rerum communium est data proprietas particularis in dominiis, vt dicta *l. ex hoc iure*, ibi, *dominia distincta, discreta gentes*, & sic primo fecerunt parentes primi Abraham & Loth: *Genesis 13. cap.* vel iure occupationis, vt quæ in nullius bonis essent, occupanti concederentur. *l.* 1. & *l. quod enim, de acquirend. re. do.* & hac de re, naturali apprehensione possessio est iniuncta primorum Dominorum acquisitio. *Digest. de acquir. pos. l.* 1. & iuxta illud; *quamcumque calcauerit terram pes tuus*: alteri tamen iam quæsita vel occupata occupare hodie non licet, vel demum licuit: quia si secus fieret, esset contra ipsum ius gentium, quod induxit, vt tanquam propria occupata vel apprehensa retinerentur, & contra id quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: *Math.* 7. *c.* & 1. *di. ius humanum*. & quia scriptum est: *non concupisces rem proximi tui*: Exodi. 20. cap. in quibus verbis omnis rapina est prohibita. 24. *quæstione* 5. *pœnale*, in quo prouidit ius ciuile dando actiones contra inquietantes iam quæsita, & actionem furti, vi bonorum rap. *ff. de acqui. rerum do. l. naturales.* § *Gallinarum*, vt hæc omnia plenius notat Inno. *extra de voto & vo. redempt. c. quod super his, in principio magnæ glo.* cum igitur bona, dominia particularia ipsorum, essent multis regibus & populis iam occupatione vel diuisione quæsita: item & iurisdictiones aliquibus regibus acquisitæ electione forte populorum sibi reges constituentium: dicta *l. ex hoc iure*: non videtur licitum

tum

rum fuiſſe Romano populo vel alteri ipſa regna & Dominia aliis quæſita occupare. & ſi occupauerunt, fecerunt contra ius gentium, & debent ſpoliatis illa reſtituere.

CAPITVLVM VIII.

POteſt hoc ſic oſtendi, imperium vniuerſale nõ fuiſſe apud Romanos vel Biſantinos vel alios. ille dici debet adeptus iura terreni imperii inferiora cuncta mortalia, vt vno ſummo monarchæ reſpondeant, ab ipſoq; gubernẽtur atq; regantur ad inſtar ſuperioris regiminis, ſecundũ quod nos regulari debemus. 33. *q.* 5. *hac imago*. & philoſophus *primo methaurorũ. & ſecundo cæli*. hoc aũt non accidit Romanis nam non inferiores omnes populos ſuo habuerunt ſub Dominio, immo ipſis aliqui populi hoſtes erant, aliqui fœderati & omnino liberi, aliqui cum quibus nec hoſpitia nec noticiè nec amicitiè erant vt hæc probantur. *Digeſt. de capti. l. non dubito. & l. hoſtes. & l. poſtliminium ius competit*. facit ad hoc, quod hiſtorici aliqui referunt auctentici, qui dicunt, quod nomen Romanũ montem Caucaſum non tranſiuit. Ex quibus apparet, quòd non omnes ſuæ ſubmiſere iuriſdictioni, vnde dici poſſent iura monarchiæ nacti inferiores orbis, quæ dicitur à *monos* quod eſt vnus, & *archos* princeps, cum vt dixi) omnium nõ fuerunt adepti principatum. & hoc inhærendo ethymologiæ vocabuli: *inſti. de dona. §. eſt & aliud*. 16. *q.* 1. *ſi cupis*. 21. *di. cleros, de praben. cum ſecundum apoſtolum, de fur. l.* 1. *& ff. de teſta. l.* 1.

CAPITVLVM IX.

QVod iuſte Romani non fuerunt adepti orbis vniuerſale Dominium, inſinuatur hoc modo nulli dubium antequam Romani orbem vniuerſum vſurpauerint, aliqua fuerũt iuſta Dominia probatur in populo Iſraelitico, in quo fuit poteſtas regalis legitima, quę incepit à poteſtate Saulis, & durauit vſq; ad euentum Chriſti iuxta id Prophetæ Iacob: *non auferretur ſceptrũ de Iuda & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt*. & notatur in *c.* 5. *§. in veteri de ſacra vnct.* vbi enumerantur nonnulli reges, qui iuſtum Dominium habuerunt, vt rex Dauid, Salomon & ſimiles fuerunt. ergo ante Romanum imperium legitimi principatus, quibus tamen in poſterũ Dominatũ eſt Romanũ imperium. vnde opus eſt de neceſſitate dicere, Romanorũ poſſeſſionẽ iniuſtam fuiſſe, poſtquã occupauerunt quæ per alios ante iuſte poſſeſſa fuerũt. & quia quod reges inſtitutione Dei regnarent, probat illud, *per me reges regnant*. & in pſalmo, *Deus iudiciũ tuũ regi da*. approbauit ergo Deus regna. ſed imperium nullibi videtur approbatum. & 1. Petri. 2. capit. ſcriptum eſt: *Deum timete regem honorificate*. & illi, *ſubditi eſtote omni poteſtati ſiue regi tanquam præcellenti*, de maio. & obe. ſolitæ &c.

CAPITVLVM X.

HAnc dignitatem non eſſe aſcribendam Romano populo, probatur ſic: hic honor eſt conferendus & aſcribendus nobiliſſimo, cum ad dignitates & honores nobiles ſunt eligendi, in *auct. de defen. ciuita. §. interdum, in fi. §.* vnde iure ciuili plebeius non debet ad dignitatem eligi. *Digeſt. de decurio, l. honores, §. his qui*. poteſt moraliter oſtendi. nam dignitas & honor alicui aſcribitur in prœmium virtutis, ſecundum philoſophum vnde non niſi virtuoſo, & ſic nobili, honor & dignitas danda eſt. Nam prima ſunt meritis menſuranda, iuxta ſententiam Euangelicam, *eadem menſura qua menſi fueritis remetietur & vobis*. Et ſic virtuoſiſſimo, & per conſequens nobiliſſimo, prœmia maximarum dignitatum & prælationum ſunt cõferenda. vnde *Deuteronomii* ſcriptum eſt, *de tribus noſtris ſapientes nobiles conſtituit eos principes*. & Eccleſiaſtici 10. *Beata terra cuius rex nobilis*. & hæc de re Imperator dicitur nobilimus. *ff. de na. re. l. quotiens*. ſed Romanus populus non fuit huiuſmodi: ergo ipſi vt nobiliſſimo talia iura non ſunt aſcribenda. nam ſiue conſideres nobilitatem, prout Theologi capiunt, ſiue prout morales & naturales capiunt, ſiue prout iuriſtæ capiunt, nulla fuit in Romano populo. ergo ipſi Romano populo iuſte non eſt monarchia aſcribenda. Secundum theologorum ſententias non fuerunt Romani nobiles, cum adepti fuerunt orbis magiſtratum, cum ſecundum ipſos nobilis ſit qui eſt in Dei gratia. dico de gratia gratum faciente, videlicet de eo qui eſt in charitate, qui non poteſt eſſe ſine gratia: *de pœni. diſt.* 2. *caput. Charitas eſt, vt mihi videtur & capit. traducta*, cum ſi. quæ gratia Dei in hoc conſiſtit, vt faciat hominem ſibi gratum, vt vult Magiſter. 2. *ſententiarum diſt.* 12. ſed tales non fuerunt Romani vel eorum principes: nam omnes fuerunt gentiles, & Chriſtum non nouerunt, & ſic charitatem & Dei gratiam non habuerunt, quæ charitas eſt in amando Chriſtum, conſiſtit & in ipſum credendo: *de pœni. diſt.* 2. *c. charitas eſt à qua*. ſi ergo Deum non nouerunt, & ſic Chriſtum non honorificauerunt, ignobiles fuerunt, 1. *Regum* 2. *cap.* Secundum vero morales non poſſunt dici Romani fuiſſe nobiles vel nobiliſſimi. nam ſecundum philoſophum *primo Politicorum* 4. *c.* nobilitas nil aliud quam virtus. & malicia determinauit ſeruum & liberum, nobiles & ignobiles. Idem Iuuenalis poeta dicens:

Nobilitas animi ſola eſt atque vnica virtus.

Vnde ſecundum eos. ille poteſt dici nobilis, cui ineſt habitus electiuus in medio conſiſtens, circa ea quæ pertinent ad dominari ſeu præeſſe. vnde non loca, non antiquũ genus facit nobiles, ſed propriæ virtutes. 40. *di. c. illud & c. ſe. & eadem di. c. non. & c. ſequens*. virtutes autem hæ non fuerunt in Romano populo: immo fuit populus nephandiſſimus tã à principio vrbis cõditæ quam tẽpore proximo adeptionis imperii. In principio oſtẽditur eorũ ignobilitas: nã propter ipſam & eorũ vitia, quia maxime

raptores erant, vxores à vicinis proximis non inuenerunt. Item in proximo adeptionis imperii & tempore Cæsaris etiam erat populus nequissimus. qua de re Iugurta rex Numediæ, vt refert Salustius in Iugurtino, maxime confidebat iniuste bellare & spoliare Adherbalem optimum fratrem suum & fœderatum Romani populi, sperans demum ambitu omnia à populo flagitiosissimo Romano pecunia posse redimere. eorum tunc nepharia ostendunt ciuilia bella Marii & Syllæ, de quibus testatur Augustinus. 2. *de ciuitate Dei. c. 23. & 24. & tertio eiusdem. cap. 27.* dicens: *Tempore illis & in ipsa quoque vrbe cadaueribus vici platea, fora, templa, theatra completa sunt.* & ibidem refert Lucanum dicentem: *Excessit medicina modum.* Item tunc etiam scelerata coniuratio Catellinæ, Cæsaris & pompei. Ciuile bellum Gaii octaui, & aliorum, quos tandem referam. Iure etiam ciuili nobiles dici non poterunt, cum omnes essent pastores & plebei: & nobilitas non sit de iure ciuili, nisi apud positos in dignitate: vt no. in *l. 1. C. de digni. li. 12.* populus autem Romanus in nulla erat à principio dignitate, excepto Romulo, qui fuit eorum rex. ergo nō erat populus nobilis. ipse vero Romulus nec nobilis dicendus est aut fuit, iure ciuili inspecto, cum attenta veritate spurius fuerit, & sic infamis, vt no. Azo in *summa de infamibus*, & Bal. in *l. generaliter. C. de insti. & subst.* Hi non sunt, etiam si forent ex nobilibus geniti, nuncupandi ex illa progenie, nec dici debent nobiles, nec subiiciuntur honoribus vel pœnis nobilium, vt notat glo. in *cle. 1. de baptis.* & legistæ. *C. de verbo. sig. l. fi.* Ipsi enim spurii non sunt nisi in subsidium ad dignitates admittendi, *l. generaliter. §. spurios. & l. spurii. ff. de decurio.* ergo nobilitates ciuiles non nanciscuntur, quæ nobilitates in solis dignitatibus iuris ciuilis consistūt, quæ vtique infamibus non sunt concedendæ. *l. neque famosos. C. de dignita. li. 12.* & si tales initium habuerunt vitiosum, nulla deinceps potuit esse legitimi vel nobilis nascendi conditio, dato tali incestuoso principio & radice corrupta. *l. fi. C. de natu. li. 1. q. 1. principatus. & c. cum Paulus.* somniare igitur videntur, qui volentes nobilem reddere Romanum populum, Eneam dicunt eorum ductorem atque patrem: quia & si secundum philosophum 1. & 2. *Ethicorum*: Nobilitas sit virtus generis. vnde ex quo de vna progenie processerunt multi insignes & principantes aliis, aliquis demum descendens posset dici nobilis: tamen hoc non fuit in Romanis. Nam quomodo sunt de stirpe Eneæ? patet, quia Remus & Romulus fratres geniti sunt ex Ilia filia Munitoris & de stirpe Eneæ: & erat consecrata Marti: quæ tamen vituperose & contra ius peperit geminos filios, quorum patrem ignoramus. Sed poetæ fugendo dicunt ex Marte genitos, vt inquit Virgi. *Martem grauem geminam.* veritati tamen inhærendo, quæ est amica iuris, potius credendum est, quod fuerit sacerdos quidam Martis. vnde si fuit ex Siluia gente ex matre Romulus Romanorum ductor, non sequitur propterea quo ad nobilitatem illorum progeniem sed paternam etiam, si fuisset ex matrimonio legitimo. *l. lex naturæ. de sta. ho. & l. cum legitimæ.* vel si patre non cognito maternam sequitur conditionem. *l. vulgo. ff. de sta. ho. cum l. se.* non tamen credas, quod Matris nobilem conditionem habeat. hinc est, quod talis filius matri illustri non succederet vna cum alis filiis legitimis. *C. ad orphi. l. si qua illustris.* Item male nobilitat Eneam, & per consequens Romanum populum, ex triplici vxore ipsius Eneæ, Creusa filia regis Asiæ & Didone quæ fuit ex Affrica, & Lauinia quæ fuit Italica: quia & si aliqua possent reprobari, non vera. Nam Dido non fuit Eneæ tempore vel ab ipso visa: nec etiam ex libidinoso appetitu Eneæ se occidit, sed potius castitatis intuitu. & verba Virgilii sunt figmenta: tamen ex hoc non sequitur Eneæ nobilitas vel Romani populi: quia vir non illustratur vxoris nobilitate, sed potius è conuerso: in tantum quod si nobilis nubat plebeio, desinat esse nobilis: si vero nubat nobili, retinet propriam & viri nobilitatem: sed vir tamen non innobilitatur vxoris ingenuitate. *l. 1. C. de digni. li. 12. & l. mulieres. eo. ti.* facit. *l. mulieres. C. de incolis.* vnde cum ex nobilitate Eneæ non probatur nobilitas Romani populi quæ non descendit in spurios. Et ex supra deductis probatum sit Romanum populum non, nobilem sed ignobilem. ergo non conuenit ascribi ius imperii quod debet cōferri nobilissimo. Erit ergo potius dicendum quod fuit apud Syricos: apud quos tanto & tam antiquo durauit tempore: & hodie adhuc maximum est apud illum quem soldanum vulgariter & materne nominamus.

CAPITVLVM XI.

IVre etiam ciuili Romanum populum non fuisse imperii apices adeptum, probari potest. Nam ipse populus & Imperator eius armis & per violentiam ea, quæ quæsierunt, occupauerunt: & sic malæ fidei fuerunt: non fecerunt illa iuris proprii, sed sunt illa spoliatis restituenda. *2. q. 2. per totum. 3. q. 1. redintegranda. de resti. spo. c. sæpe. ff. de rei ven. l. si vero. C. ad l. Iul. de vi. l. si quis ad se fundum. ff. de vi & vi ar. l. 1. in prin. & §. qui autem inde eiectus:* quæ violentiæ cum commissæ fuerint nomine Romani populi, & eius imperii, non solum obligauerunt committentes restitutionem & ad legales pœnas, quinimmo & successores in tali dignitate. vnde & Imperatores moderni videntur teneri ad pœnas collegales & restitutionem: iuxta no. per Innoc. *extra de ordi. cog. dilectus.* Ad quod facit quod no. Bart. in *l. pe. ff. de no. ope. nunc. & l. 1. ff. de priuā. delic.* licet glo. aliter sentire videntur. *3. q. 1. in primis.* Sunt enim huiusmodi successores in dignitate generales administratores, qui succedunt in vitium. *ff. de acqui. pos. l. Pomponius. §. 1. ff. de diuer. & tem. præscrip. l. cum hæres. C. de acqui. pos. l. vitia.* Et quod ad restitutionem successores in dignitate, saltem teneantur etiam de eo, quod ad ipsos non peruenit iure canonum inspecto: text. est in *ca. 1. de rapt. & in c. fi. de sepul.* licet secus foret de iure ciuili, quo non tenerentur successores, nisi quatenus ad eos peruenit. *d. l. de priua. delic. & l. 1. C. ne ex delic. defunc.*

CAPI-

Digitized by Google

CAPITVLVM XII.

AMplius videtur, quod non solum populi & principes iuste resistebant Romano populo libertates alienas occupanti: immo si se subtraxerunt & hodie subtrahunt ab eorum iurisdictione, & à Cæsare, iustè faciant. nam licet vim vi repellere. *ff. de iusti. & iu. l. vt vim. ad l. Aqu. l. l. scientiam. & qui cum aliter. de resti. spo. olim. de sen. ex. capit. si vero.* 1. *di. ius naturale.* 23. *quæst.* 1. *in summa.* sed cum rapina & violentia, quæ fit in retentione personarum cum rebus habeat actum successiuum & continuum: quia in retentione violenta continuo fit exercitium violentiæ: vt vult Inn. *extra de indi. nonit. in glo. magna circa medium.* pro quo facit *l. si diuturno. ff. de pœ. & l.* 1. *in fi. de vsufr. acer. & l. vis maior. C. de proba.* & quod ibi no. & in *c. quod me. causa in fi. glo.* ibi: *quia viuente viro.* certe quandocunq; quis se in pristinam vendicat libertatem, dicitur iustè facere: nec in aliquã pœnam incidit. ad hoc *l. ius eius* & quod ibi no. *C. de probat.* & quod not. Bar. in *l.* 1. §. *interdictũ. ff. vti pos.* ibi, *quærit. glo. pone.* vnde etiã sic subtrahentes se à violentia post centum annos, dicitur incontinenti & iuste facere, nec aliquam pœnam incidit, nec ex tali subtractione Romano populo vel Cæsari ius aliquid quæritur, ad hoc facit: quia cùm non sit vel fuerit iudex, qui iudicium det inter Cæsarẽ seu Romanum populũ, & inter oppressos, licitum est cuiq; in propriã se vendicare libertate etiã ex interuallo, nec incideret talis in cõstitutionem. *l. si quis in tantam. C. vnde vi. & 6. q. 6. placuit:* quia cum iudex non sit, licet etiã ex interuallo vim vi repellere: vt no. glo. 1. *di. ius gentium.* ar. *l.* §. 1. *si debitorẽ quæ infra cre.* & est de mente In. *de resti. spo. olim.* pro hoc quia etiam ex interuallo, vbi iudicis nõ adest copia, possum bellum iudicem facere. *l. nullus, C. de iudic. l. si alius.* §. *bellissime. ff. quod vi. aut clam.* ad hoc cum aliena iactura nõ videtur, quod populus Romanus iustè occupauerit orbis Dominium. *l. nam natura. de condi. indeb.*

CAPITVLVM XIII.

SEntentia hęc ante facta sed etiam palã fit. nam iure naturæ omnes liberi nascuntur: in *auc. qui mõna. eff. sui.* §. *natura. ff. de iusti. & iur. l. manumissiones.* nec potest constitutio cohercere vel immutare ipsam naturam vel naturales stimulos. *l. amicissimos de excu. tuto.* facit. *l.* 2. *&* 3. *de li. causa. ff. & l.* 2. *de vsu. c. re. quæ vsu. cons.* cùm ciuilis ratio non possit perimere naturalem. 5. *di.* §. 1. *ff. de cap. di. Leos. insti. de iur. na.* §. *sed naturalia.* Et ideo non licet defensiones, quæ sunt à iure naturali, constitutione tollere: *de re iudi. cle. pastoralis.* no. *de iur. fis. l. prohibitum. l.* 10. aliàs *l. facultas.* ergo iure iudicibus non solũ cum armis legalibus, videlicet banno, & aliis licitum est suas iurisdictiones defendere, & libertates: sed et armis materialibus: vt vult In. *extra. de censi. c. venerabili.* quia pro tuitione et iurium incorporalium, vt sunt iurisdictiones, vim vi licet armis repellere. *l.* 1. §. *hoc interdictum,* vbi Bart. *ff. de iti. actuq; priua.* cũ hæc sint quædam defensio iuriũ naturalium, quæ vt dixi, non potest nec poterit constitutione tolli. pro hoc facit, quod dicitur, quod vsurpans cathedram Petri. i. papatum, de eo expulsus per vim non habet beneficium vt restituatur tanquam spoliatus: vt not. Hosti. in *summa. de resti. spo. arg. c. licet. de elec. &* 23. *di. in nomine Domini.* & ibi videtur glo. in v. *audientia,* quæ dicit, quod vbi lex denegat audientiam, ibi spoliatũ non est restituendus. sic Romani vel Cæsar si vsurpauerunt ius imperii, & eius cathedram, eo tandem spoliati videntur non habere ius repetitionis, & iustè videntur spoliati & spoliari posse: dolo. n. facit quod peteret imperator, quod restituturus esset: quinimo & si cõstaret quod possedisset, non est ipsi spoliato facienda restitutio: cum non solum videatur esse præsumptio quod eã occupauit iniustè. Et sic non est sibi restitutio fienda: *de resti. spol. ad decimas. li.* 6. immo & notoriũ videtur in iure, quod per violentiam Romani occupauerunt. præterea & si occupatione forte aliqua Romano populo sunt quæsita, tam diu in eorum dominio manserunt & esse intelliguntur, quãdiu eorum custodia sunt coacta. *ff. de acqui. re. demi. quod enim.* Cum igitur fere omnes mundi populi nõ pareant Romano populo vel Cæsari, & se in pristinam reuocauerint libertatem, videtur quod etiam hodie iura Romanus populus non retineat monarchiæ.

CAPITVLVM XIV.

QVod iniustè Romani orbis imperiũ occupauerint, vel Cæsar ac Gaius Octauius eorum quisq; ille primus fuit, iure ciuili. sic potest ostendi in iure quęrendo ex præliis initium iniustũ an iustũ sit spectari oportet: non exinde sequitur. ar. *l. si quis initium.* §. *illud quoq; ff. quod quisq; iur. & l.* 1. §. *cũ arietes. ff. si quadru. pau. fe. dic.* vnde in bello iniusto causam præbet, etiam si demũ defendendo se quid raperet vel aduersarium cum quo præliatur spoliaret violenter & iniuste facere diceretur: quia non licet propulsare legitimum aggressorem, *C. de his qui ad ecc. confu. l. si seruus.* Et hæc est ratio, quare nõ licet iudici resistere: quia iustè facit vel iure permittente: immo debet quis damnatus ad mortem vltro se iudici offerre: vt in glo. *de re iudi. in cle. pastoralis.* ac fugiens & subtrahens se à tali iudicio peccaret secũdum Paulum ibi, quod intelligo verum: demum ex tali suo actu damnatus nõ faciat quid. vnde eius sequeretur mors immediatè si damnatus ad mortem vt fame pereat sibi cibum ministratum non sumeret. nam hoc esset seipsum occidere, quod non licet. 23. *q. ver. si non licet.* & hoc sentit ibi Stephanus: alios autem actus per quos iudici pereat se non occidendo immediate facere tenetur: vt puta, ire ad iudicium, vt fecit regulus, vel non fugere de carceribus, per quod quis se immediate non interficit: immediatè autem vt pareat sententiæ, non debet se interficere quisquam, ita cõcordo has opiniones. quandocunq; ergo iusta est offensio, ex parte offensi est iniusta defensio: iuxta not. per gl. 1. & Bar. in *l. vt 6. ff. de iust. & iur.* hinc est quod banniti & hostes ciuitatis, qui secundum formæ ciui-

Digitized by Google

tatis iura possunt offendi,non possunt aggressores offendendo defendere. Et idem in filio,qui cæditur moderate à parente,vel vxor à viro,aut seruus à Domino. similiter econuerso qui habet initium iusti belli,tute potest occidere & spoliare: vt no.in *c.sicut de iureiur.* per In. & secundum Deum & in foro conscientiæ licita est occisio & spoliatio ad defensam:vt no.in *c.1.de homi.* & satis supra rationibus persuasi:nec tunc ad restitutionem damni tenetur aduersario:vt est tex.secũdum vnam lec. *C.ad le.Iul.de vi.l.si quis se ad fundũ.* Nã secundum philosophi sententiã nõ incipit qui ira aliquid facit,sed qui ad iram prouocat.pro hoc *l.in tribus.ff.de iudi.* sed ex relatu auctorum illustrium reperitur, quod initium Romanorum fuit violentum iniustum: quibus priscis referentibus de facto tam antiquo & momentaneo perfecto standum est:vt supra in 2.*arti.*ostendi,*c.cum causam de proba.*& eius quod no. in *l.optimam C.de contrahen.& commit.stip.* maximè cum in his gestis antiquis opinio habeant firmissimæ probationis robur:præcipuè in his casibus, vbi ex relationibus talibus sunt quasi notoria:vt not. Innoc.*de iureiur.capit.cum in causis.*& in talibus sufficit probatio per famam:vt not.Innoc.*de ver.sign. cap.veniens.*. Nam sufficit talem extare memoriam.*l.in summa.§.& idem labeo,ff.de aqua plu.ar.* immo ipse magis arbitror,vt eorum auctorum relatu hæ quæ primæ fuerunt violentiæ notoriæ Romanorum adhuc nobis notoria sunt,etiam si nullus viuit de his, qui ipsis violentiis interfuerũt,ad hoc tex.optimus *de condi.2.c.semel Christus.*Nam Christum fuisse notorium est, & tamen nullus illorum superest,qui fuerit tanti nefandissimi facinoris particeps. & hoc vult tex.in *dicto c.semel*,ibi *& scimus & certum habemus*, & spe immobili tenemus. quæ præfecto retineri non possent immobiliter, nisi notoriæ haberentur. Ex quibus apparet, quod notorium facti transeuntis durat in posteros,etiam si nullus supersit, qui viderit, dummodo ex relatu vera scribentium fama sit. pro hoc text.*de elec. bonã.* Nam transitus illius episcopi ad aliam ecclesiam est notorius. & idem *de fi.presbyt. capit.quoniam*, quia notorium est ibi patrem habuisse personatum. & hæc sunt contra illos, qui dicunt,notorium demum esse, si rei euidentia superest. nam ipse dico sufficere semel fuisse notorium & conseruatum demum per præscribentes in posterum noticiam. & sic etiam hodie esse notorium, dicto *capit.semel Christus.*facit quod dicit Inn.in *d.c.cum in causis.de iura.calumn.* sed quis sani capitis notorium neget, quod Romanum imperium à rapinis & violentiis non inceperit, cum ex his profecerit maximè. nam Remus & Romulus,qui vrbem Romam construxerunt,peremypto Amulio eorum auunculo magno & ex stirpe genito Siluiæ gentis regnum tradiderunt Numitori eorum materno auo: & tandem cum construxissent vrbem, Romulus vt vniuersum haberent dominium spoliauit fratrem Remum dominio pariter & vita,vt refert Titus Liuius *li.1.ab vrbe condita*: & Lucanus *primo li.*& habetur.*ff.de rerum diui.l.fi.*vnde Iuuenalis poeta Romanus loquens inquit : *maior primus quisquis fuit,aut illud quod dicere nolo.* id est latro Romulus habere paululum raptum commiserunt mulierum vnde orta sunt prima bella inter Romanos & Cemenses, quos Romani armis impetu occupauerunt demum eisdem de causis cum Custronientis & Antematibus, quorum etiam ciuitates inceperunt deinceps quæ cum Sabinis, cum quibus mediantibus raptis vxoribus concordiam inierunt: de quorum iniusticia Romanorum contra Sabinos, testatur Augustinus 3.*de ciuitate Dei.ca.*13. Ex quibus apparet, Romanorum imperium à rapinis & contra ius gentium incepisse: quod ius gentium dictat hominem homini insidiari nephas esse.*ff.de iust.& iure.l.vt vim.*& sic non licuit Romanis insidias facere, quas fecerunt in raptu mulierum : immo ex hoc grauissimas pœnas meruerunt,*l.raptores.de epi.& cle.l.1.de raptu.virgi.* hoc idem fuit in Iulio Cæsare,qui occupauit solus Romam ciuitatem,aliàs *potestatem*.nam cum Quirinus consul foret Pompeio simul & Cassio consulibus ad Galliarum destinatus prouincias obtinẽdas:cum contra Romanos sanctiones venisset.noluit enim post lustrum primum venire Romam, & exercitum remittere, dicante senatu: & sic læsæ maiestatis crimẽ commisit.*ff.ad l.Iul.maie.l.lege.12.tab.*ibi,*exercitum successori nõ tradiderit*,Romana vrbs merito sibi reditum & cũ triumpho introitum denegabat: ipse verò collecta mundi potentia Romã obtinuit & Pompeiũ in Æmathia debellauit:expulsisq; patribus senatorib. & occupata libertate sibi iura imperii vsurpauit:quod latè detestatur Tullius in *li.officiorum*,dum dixit,*apud Ennium nulla sancta societas nec fides regni est.declarauit enim id temeritas Gaij,qui omnia iura diuina & humana peruertit,per eum quem sibiipsi opinionis errore finxerat principatum.* & post in 3. libro dicit: *Ecce rex populi Romani dominusq; omnium gentium esse concupiuit:& id perfecit.hanc cupiditatem si honestã quis esse dicet, amens est.* probat enim id & legum & libertatis interitum.hoc idem Policratus lib.8. dicit de Cæsare: *hic qui rempublicam armis occupauerit, tyrannus reputatus est:& magna parte senatus consentiente strictis pugionibus casus fuit.*cui demum post & in initio tali successit Augustus adoptiuus eius:& qui filius aciæ filiæ sororis Cæsaris & filius Gaii Octauii,hæres extitit, ipse Cæsari.& nomen assumpsit Cæsareũ & dignitatem.Et sic tam ipse quam successores eius ad restitutionem tenetur, secundum In. *extra de ordi. cog.c.cum dilecti*,vt supra dixi. Et post quandoq; ciuilia bella. Mutinense,in quo debellauit Antoniũ Philippensẽ,in quo cũ Antonio debellauit Brutũ & Cassium & demũ post orbis diuisionẽ,quam inuicẽ fecerunt,ipse Gaius Octauius,cui data est Roma,Italia,Gallia,& Hispania;& Marcus Antoni⁹, cui asscripta est Asia,pontus & crues;& Marcus Lepidus,cui concessa est Africa pusinũ,in quo Lucium Antonium; fratrem Marci Antonii,expugnauit demum. & quartum contra Sextum Pompeiũ filium magni Pompei in Cicilia:vbi etiam Marcũ Lepidum debellauit.quintũ contra Marcũ Antoniũ,qui repudiata Octauia vxore eius & Augusti sorore susceptaq; Cleopatra,ipsi Octauio bellũ indicauerat, in quo etiam miserrime ab ipso Augusto deuictus vna cum eius liberis aliquibus peremptus est fauore senatus & totius Romani populi qui ipsum Augustum ac ductorem appellauerunt, sibi or-

Digitized by Google

sibi orbis asscripsit imperium anno sub vrbe condita 735. Ex quibus luculenter apparet, ex quibus ortum habuit potestas ipsa Quirinalis, & eorum in orbe fastigium. Nam à ciuilibus bellis, rapinis, violentiis & in fractis fœderibus diuisionis. vnde & merito sequentes forte arbitrari possint iniustissimi detentores positis & vitiosis principiis. 1. *quæst.* 1. *principatus*. Et hanc sententiam astruentes Romanum principatum iniustum esse vel fuisse somniare dicunt Innoc. *extra de vo. & voti redem. c. quod super his*. cum dicit modernos Cæsares secure tenere posse, quæ retinent cum ignoremus, vtrum qui prædicta occupauerunt iure suo in acquirendo vsi fuerunt aut non. nam, vt ipse inquit: *arbitrari oportet quod iuste gesserint* : *aut quod fortè recupauerint quæ prius violentia perdiderunt* : *aut quia muneribus siue donationibus*, *ad ipsos deuenerunt* : licet tamen in talibus aliquos rebelles habuerunt, quos oppresserunt. ad hoc : quia quilibet iudicandus est bonus, & quod iuste fecerit non iniuste: *ff. pro so. l. merito. & de præscrip. capit. 1. & de præsump. capit. dudum. & C. qui mili. non pos. l. super seruis. lib.* 12. Nam licet hæc essent verba, vbi totalis essent facti ignorantia, non sunt vera in nostro casu, cum constat de violentiis, per iura videlicet quod Romulus spoliauit dominio & vita fratrem naturalem Remum. *l. fi. ff. de re diui.* Item populus expulit regem Dominum suum: vt *l. 2. §. ex actis. de ori. iur.* & infra dicam. & hæc vera sunt certa. vnde hoc esset potius iuris quam facti ignorantia, quæ in præscriptionibus non prodest. *ff. de vsuca. l. nunquam. & ff. de iur. & fac. ig. l. iuris ignorantia.* immo successores vitiorum & culpæ *ff. de diuer. temp. præscrip. l. cum hæres. & de fruc. & lit. ex l.* 2. nec possunt se iuuare ex lõgissima præscriptione, quæ videtur de iure ciuili procedere etiam cum mala fide: quia ex hac causatur tunc exceptio, non autem petitio, si res ad alium venit, *l. si quis emptionis de præscrip. trig. an.* Item non habet locum hodie ratione peccati: vt in *c. fi. de præscrip.* quicquid sentiat Bar. in *l. sequitur. §. si viam. ff. de vsuca.* Et cum ex relatu illustrium scribentium oppositum reperitur, videlicet quod Romanorum initium fuit violentum, quibus referentibus auctoribus standum est, vt ante dixi. Audacter igitur multi asserunt, Romanum imperium vel principatum iniustum fuisse: & nostros Cæsares indebitè sibi orbis imperium vendicare. Iure etiam ciuili non fuisse apud Romanos vel alios, potest ostendi: nam ius ciuile dicitur ius quod vnaquæq; ciuitas sibi statuit. *ff. de acqui. re. do. l.* 1. §. 1. *ff. de insti. & iur. l. omnes*, quamuis simpliciter ius ciuile dicatur ius Romanum per excellentiam: *insti. de iur. natu. §. sed quotiens.* Et ideò si capimus ius ciuile pro iure cuiuslibet ciuitatis, non est dubium quod multæ ciuitates constitutæ ediderunt, quod non subessent Romano imperio. Et inter alios regnum Hispaniæ fecit legem, quod quicunque allegat legem imperii in iudicio, capite puniatur. & quod Hispani non subsunt imperio. no. 63. *di. Adrianus.* Si autem capimus ius ciuile Romanorum diuisim in 6. species, in leges, plebiscita, senatusconsulta, principum placita, magistratuum edicta, & respõsa prudentum, *instit. de iure naturali. §. scriptum. ff. de iustit. & iur. l. ius autem ciuile*, quæ omnia ab ipso populo vel principe auctoritatem receperunt. *C. de legi. l. fi. & l. non ambigitur. ff. de legi.* tũc his non debet credi, quorum reppelluntur auctores: *de hæreti. c. fraternitatis. de testi. licet ex quadam:* nec plus debet credi mortuæ voci quam viuæ: sed leges sunt mortuæ voces principis: ipsa autem est viua vox: in *auct. de consulibus. §. fi.* Et sicut populo Romano vel principi non cederetur, quia in facto proprio nullus est idoneus testis. *ff. de testi. l. nullus*, si non creditur eius legibus vel scripturis suis, *de c. fraternitatis.* vel possumus Romanum populum sua voce & legibus condemnare suis & codicib'. 41. *di. qui in certa.* Nam leges fuerunt, quod Romulus conditor vrbis fuit eorum rex. *l. fi. ff. de re. diui.* & cum vrbem ędificassent, ibi videntur habuisse iurisdictionem: in *auct. de quæsto. §. si vero forsan.* cum ergo reges expulerunt, vt *l. 2. §. ex actis, de origi. iur.* iniustè fecerunt constituendo alium Dominum siue principem iram Dei videntur contra se prouocasse. 7. *q. 1. deniq.* & sic dominium vel iurisdictionem non possunt dici habuisse de iure. Nam ius dicitur quod iustum est. 1. *di. ius. naturale.* Si ergo populus non habuit iustè: ergo nihil transtulit in principem. Antonius Rosellus.

SVMMARIVM.

Imperium Romanorum iustum fuisse, & hodie esse.

CAPITVLVM XIIII.

HÆc autem sententia licet verissima sit: omnes homines liberos nasci, tuerique omni iure iustè posse parentum, patriæ proximorum atque propriam libertatem : qui tamen contra Romanos orbis imperium armis sibi vendicantes hostes in palæstra steterunt, arbitor non defensores sed offensores potius iudicandos. Aut si aliquando defensores eos mallis dicere, non iure diuino, non naturali, non gentium, non ciuili, sed iniuria potius ipsi populo Romano virtuosissimo, & per consequens nobilissimo restitisse : quod hisdem iuribus palam fieri facile est. Nam militare & bella gerere propter tueri Rempublicam & pro iure vniuersalis imperii consequendo, vnde orbi pax & tranquillitas oriatur, non propter proprium ditari, licet & iustè fit, vt vult Augustinus. 23. *quæst.* 1. *militare.* nam pro tuitione propria vel patriæ, vel legum paternarum bella mouere licet quocunque tempore. 23. *quæst.* 8. *si nulla.* sola enim nocendi cupiditas, vel vlciscendi crudelitas, feritas debellandi, & libido dominandi, sunt quæ in bellis iuste culpantur. 23. *quæst.* 5. *quid culpatur.* sed prima bella ipsa fuerunt in populo Romano præcipuè; vltima verò penitus aliena. vnde Augusti. 3. *de ciuitate Dei*: cuius relata in tantum custodiri oportet, quod si contingat habere auctoritatem veteris testamenti vel noui, non sint sacris canonibus præponenda, 20. *di. de bellis.* 36. *quæst.* 2.

placuit:& ipsius dictis standum est, cum ecclesia approbauerit. 15. *di. sancta Romana.* ad hoc *l. 1. si cer. pe.* & *l. leges. C. de legi.* & quod no. Bar. in *l. legata. ff. de sup. leg.* inquit, quod *postquam res Romana ciuibus moribus & campis prospera satis & splendida videretur: inuidia ex habundantia nata vicinos exarsit: qua de re ceperunt Romanos bello tentare. sed Romani dominio & militia intenti, ceperunt festinate reparare, & alius alium exhortari, hostibusq; obuiam ire, libertatem, patriam & parētes armis defendere. & postquā pericula virtute propulerant, sociis & amicis auxilia dabant: quod vtiq; licuit propulsare.* scilicet iniurias sociorum vel infirmorum, 23. *q. 3. fortitudo:* & *capi. non inferanda.* Ipse etiam idem. 4. *de ciuitate Dei* asserit, quod iniquitas eorum, cum quibus bella facta sunt, regnum Romanum auxerunt, quod certè paruum fuisset, si quies & iusticia vicinorum contra se bella nulla prouocasset iniuria. vnde *l. 2. § populo. ff. de ori. iur.* dicit quod Romano populo ius à finitiuis inferebatur, non vero ipsi finitiuis inferebant. Item 5. *de ciuitate* dicit quod duæ fuerunt causæ propter quas Romani tam magna fecerunt, scilicet defensio propriæ libertatis & cupiditas gloriæ. Ex quibus tamen constat, quod bella fuerunt principaliter pro republica tuenda: certe defensores dici debent & iustè fecisse: licet secundario adesset dominandi voluntas: quia inspicitur concurrentibus pluribus causis finalis causa. *l. 2. in fi. de dona.* Anto. Rosellus.

Capitulum XV.

PRæterea illa de bella sunt pacis gloria. 23. *q. 1. apud veros.* Nam illa bella sine violentia geruntur, quæ mouentur vt ad pietatem iusticiæq; societatem victis facilius consulatur. 23. *q. 1. paratus.* vnde bellari licet, vt ad pacis gloriam victos vincendo perducas. 23. *q. 1. noli.* cum pax vinculum sit charitatis: *de iudi. nouit.* Et in his dicatur etiam quis bellando pacificus. *d. ca. noli.* Et hoc est quod dicit philosophus: *non bellamus vt bellemus sed vt pacem habeamus.* quasi dicat, quod pro pacis quiete bellari licet licitè. igitur mouebant bella Romani, vt vniuersum orbem terrarum in vnam societatem iusticiæ & pietatis inducerēt: & in vnam monarchiam & fœderationē, vnde pax sequeretur vniuersalis quæ nō nisi sub vno imperio haberi potest. Quod verò belligerendo non alia fuit Romanorum intentio, insinuat Augu. 19 *de ciuitate Dei* dicens: *Quod igitur Deo placuit per vrbem Romam orbem debellare terrarum vt in vnam societatem reipublicæ & legum per directum longe lateq; componere.* & hoc Dei iudicio fuisse ostendi potest. Nam omnis facultas tendens in bonum à Deo faciente est non solum permissiue sed successiue: cum *omne datum optimum & omne donum perfectum desursum sit procedens à patre luminū,* Iaco. *primo.* & 3. *q. 1. quampio.* sed talia Romanorum bella tendebant in bonum ad pacem & quietem vniuersi, vt vniuersum orbem in pace & sub vna iurisdictione constituerent: ergo Deo & concedēte & permittente fiebant, & per consequens iustè. Nam quod secundū diuinam voluntatē fit vel factū est, id iustum est & sine peccato fit. 25. *di. deinde*: quod verò contra voluntatem Dei fit malū & iniustū est, 22. *q. 5. dixit Dominus.* 23. *q. 8. occidit.* hinc Propheta à mendacio, Israhelitæ à furto, Samson ab homicidiis, excusantur, & iusta fecisse arbitramur, *extra de diuer. gaudemus.* & cum Deus sit omniū creator: *de sum. trini. c. firmiter*; & sic perfectissimus entium, *de bap. maiores, de sum. trini. c. epistola.* *Vt.* & opus imperfectum nouerit: sequitur quod si quid in nobis vel alibi boni est ab ipso, à quo omnia bona sunt: *d. c. quampio*: & si quid mali est à Deo faciente non fit, qui opus imperfectum non nouit, vt dixi: sicque potius ex defectu materiei & nostræ imbecillitatis. sed cum ius nil aliud sit quam ars boni & æqui. *ff. de iusti. & iur.* sequitur cum sit bonum, sit à Deo: sed cum omne quod est à Deo, sit operante in mente & velle Dei: iuxta illud Io. primo *capit. in ipso vita erat.* Eccle. 23. cap. dum dicitur: *Domino Deo antequam omnia crearentur sunt cognita*: adhuc sequitur, quod id iustum est, quod secundum voluntatem Dei est: à qua voluntate omnia bona sunt: & siquidem mali non sit, à Deo, qui malum non nouit, & sic iustum non sit. sed cum, vt ante dixi, Romani bellando bonum intenderent, ergo Deo volente intendebant, & propter hoc iuste. vult Augustinus clare in *v. de ciuitate Dei* dicens: *voluit Deus Romanum esse tam potens & imperiosum* &c. Ex quibus voluntatem Dei insinuat, dum dicit, *voluit*: & sic per consequens eorum iusticiam in acquirendo orbem terrarum. Anto.

Capitulum XVI.

VOluntate diuina orbis sibi ascripsisse Romanorum dominium ostendi potest: In quo animaduerti oportet, quod diuina voluntas est sicut animus humanus & voluntas inuisibilis est: sed ipsius voluntatis humanæ solus Deus scrutator est: vt in *cle. exiuit. de Paradiso. de ver. sig.* not. glo. *in-sti. de acti. §. alia perfecta.* tamen exterior voluntas diuina deprehenditur. 50. *di. si quis præpostera*: sicut & voluntas humana & animus per actus exteriores: probatur *de pæni. di. 1. in actione pœnitentiæ.* vnde animus iudicis per verba ipsius prælata sit palam *ff. de iudi. l. si prætor.* in glo. quæ incipit: *ab absente.* Idem de voluntate alterius priuati. *l. labeo ff. de suppel. le.* & *l. is qui reipublica. ff. ex qui. cau. ma. l. quæro. in fi. de adil. edic. l. capite quinto. de adul.* not. in *l. fulcinius. §. quod latitare. ff. ex qui. caus. in possi. eatur.* Item ex qualitate actuum deprehenditur animus: & talis præsumitur mens fuisse, qualis ex actibus: colligi potest. *ff. de acqui. hære. l. duo fratres. Cod. de insti. & substi. l. reprehendenda.*, vbi glo. colligit not. quod ex facto datur intelligi voluntas, & *insti. de re. diui. §. ceruos.* Nam & in brutis animalibus actus & consuetudo qualitatem naturalis instinctus demonstrant: & non cognitus animus per signa exteriora: sed inclusus nil operatur in actionibus hominum. *ff. de ac-*

Digitized by Google

ff. de acquiren. hære. Lem bonis. & Lerit. & C. de iur. doli l. potui. de condi. ob cau. si repetendi. Item sicut animus humanus & humana voluntas inter alia signa septē indiciis manifestatur, ita & Dei voluntas similiter insinuatur: licet etiam aliis modis pluribus deprehendatur igitur primum diuina voluntas & humana consuetudine per id, quod consuetus est facere ipse Deus. Item ex suæ regionis consuetudine. Item ex eius mente considerata ex præteritis & sequentibus. Item considerari dignitas eius, cum quo Deus disponit. Item charitas & necessitudo: vt hæc probantur. ff. de leg. 1. l. si seruus plurium. §. fi. sed cum ex omnibus præcedentibus prædictis indiciis & gestis & factis aliis plurimis, constet quod Dei voluntate obtinuerunt orbis imperium: ergo illud iustè habuerunt & hodie habent: cum omne quod est secundum Dei voluntatem iustum sit, & secus esse non possit: vt supra dixi. Anto. Rosel.

CAPITVLVM XVII.

EX consuetudine ipsius Dei argui potest, quod voluit ipsam monarchiam esse apud Romanos: & per consequens iustè fuit Deus æternus: sicut vnus solus regit superiorem orbem, ita vult inferiorem orbem per vnum regi. 33. q. 5. hæc imago. Hæc est ratio, quare vnum hominem primum tantum constituit & non plures, cui vni lex commisit dominium orbis: Gen. 3. cap. vt vnus essent Dominus, à quo cæteri orientur. Item ipse Deus populum suum semper per vnum regem voluit regi. 7. q. 1. c. denique. vnde indignatus fuit Dominus, cum decem tribus scissæ fuerunt à domo Dauid, & constituerunt sibi foris regem Hieroboam. ipse etiam Deus viam geniture & hæreditatis communiter vni semper cōcedi voluit principāti: vt patet in Esau & Iacob, qui pro genitura et in vtero matris pugnauerunt, 7. q. 1. in apibus. Item etiam hoc Deus facit in brutis, vt per vnum interdum melius regantur. vnde in apibus vnus est princeps: d. c. in apibus. Item Dei ordinatione grues, vt melius regantur, vnū sectentur. Sed cum Dominus vrbem Romam pretioso sanguine martyrum, maximè Petri & Pauli, qui gloriosissimam illam ciuitatem eorum sanguine primò Deo dedicauerunt. 22. dis. sacrosan. debet orbis caput constitui. 22. q. 1. futuram ecclesiam. & l. 1. §. nulla. de vt. iur. enu. & extra de elec. ca. fundamenta militantis ecclesiæ, li. 6. vt ipse Romanus populus esset gens Domini sancta & populus electus ciuitasq; Dei sacerdotalis & regia, dicto c. fundamenta: & esset fidei nostræ mater & caput. 25. quæst. 1. §. his ita. Co. de sum. tri. l. fi. 24. hæc est fides. Credendum est, quod postquam Romanis orbis permisit subiugare dominium, quod attenta ipsius Dei consuetudine, qui alias populum suum semper voluit regi per vnum: dicto cap. deniq. quod sic etiam de Romanis voluerit ratione suæ consuetudinis, cum remoto Israel eos Romanos suscepturus esset in populum sanctum: cum antiqua Dei consuetudo sit efficax iudicium diuinæ voluntatis in Romanos: dicta l. si seruus plurium. §. fi. de le. 1. hoc etiam insinuatur ratione consuetudinis regionis Dei, in qua versatur. i. cœli; vbi est Deus & habitans, non tamen circumscriptus. Nam cœlum regitur per vnum: d. cap. hæc imago: per diuersa tamen officia vni Deo parentia. 79. di. ad hæc. & sic ratione consuetudinis regionis credendum est voluisse de Romanis, postquam ipsis permisit subiugare vniuersi orbis dominium, & eos elegit in populum suum sanctum vt dictis iuribus supra.

CAPITVLVM XVIII.

SEntentiam Dei talem fuisse, vt vellet Romanos orbis terrarum dominium iuste nancisci, declaratur etiam ex præcedentibus & secutis. ex antecedentibus ostenditur: cum permisit Romanis totum orbem debellare terrarum, & ad finem quippe bonum: & sic à Deo processit, à quo est omne bonum. 1. quæst. 1. quàm pio. Nam secundum philosophum: Entia nolunt male disponi: pluralitas principatuum mala: vnus ergo princeps, vt l. 1. §. nouissimè. de origi. iur. ex sequentibus mens Dei etiam patefacta est. Nam ter postquam Christus rex & Deus natus est, Cæsarem recognouit vniuersalem tēporalium Dominum. primum cum exiuit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, Lucæ 2. c. passus est se describi: tuncq; etiam nasci voluit: ex quo vt iustum à Cæsare demandatum cōprobauit edictum illum, ostendit quod facere non debuisset, si iniustum præcipiebat Cæsar, & orbis fuisset Cæsar iniustus Dominus: cum non decebat Deum tueri in iniusta possessione, & Dominum possessorē iniustū. Et ex hoc dicit Bar. ff. de cap. l. hostis, cuius sententiā in hoc approbo, quod si quis negaret Cæsarem orbis non esse vniuersalem Dominum, esset hæreticus: quia peccatum est ariolandi repugnare, id est, non obedire, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. 32. dist. §. porrò. cum Christus ipse comprobauerit, & ecclesia demum sequens. 6. q. 1. in apibus. 96. di. cum ad verum. & c. si Imperator. & 10. di. quoniam. vnde Orosius dicit in 6. Cæsar quem tantis mysteriis prædestinauerat Deus, censu singulariarum prouinciarum vbiq; censeri omnes homines iussit: quoniam Deus & homo videri & esse dignatus est: tunc igitur natus est Christus Romanoq; censui statim ascriptus vt natus est. hęc illa prima clarissima professio, quæ Cæsarem omnium principem Romanosq; rerum Dominos sigillatim omnium hominū descriptione facta signauit: in qua & ipse, qui cunctos homines fecit, voluit se inueniri hominem, & inter homines ascribi, quod penitus nunquam ab orbe condito in hunc mundum nec Babillonico nec Macedonico imperio concessum est. Secundo ipsum Cæsarem Dominum comprobauit, cum ostenso sibi numismate census inquit, imago Cæsaris. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari &c. 23. q. 1. quid culpetur. & c. militare. & 23. q. 8. conuenior. Ecce nisi ergo illa imago fuisset ei reddenda etiā iniusto creditori seu detentori: quia violentus possessor non fuisset in sua violenta imagine defensandus, sed abolendus. Ipsum etiam & tertio expresse comprobauit, cum ipsi censum seu tributum soluit, quod

Digitized by Google

est subiectionis signum: *de censi.ca.2.* & de hoc est tex.23.*q.8.tributum.* & §.*ecce.11.q.1.magnum*: vbi inquit beatus Ambrosius: *Si Christus censum soluit, tu quis tantus es, qui putas non esse soluendum?* Ex quibus & ex præcedentibus & secutis mens Dei non solum promittentis, sed etiam comprobantis & facientis colligitur, quod eius voluntate orbis fastigium Romani obtinuerunt: & sic iustè, non iniustè, vt multi asserunt. Ad hanc confirmandam sententiam accedat, quod dixi supra in prima quæstione in vltimis confirmationibus siue argumentis, ibi *valido & hoc primum*: & in sequenti illo argumento.

Capitulum XIX.

AD eruendum, hanc voluntatem diuinam fuisse, attendi oportet dignitas Romanorum. nam dispositio & dignitas & voluntas agentis dubia iudicatur inter alia indicia fuisse vel non fuisse secundum passi dignitatem. *l.si seruus plurium.§.fi.de lega.1. l.sed & si susceperit.§.sed & si proponas.ff.de iudi.* in quo oportet animaduertere, quod apud Deum ratione gradus vel generis non est acceptio personarum; sed omnes Deus de limo terræ formauit, & omnes vna terra supportat. 8.*di.quo iure.* omnes enim diuina suscipit gratia: nec est ad Dei cultum masculus plusquam femina liber plusquam seruus, sed omnes in Christo vnam mercedem percipimus: *auctorit.de mona.§.hinc autem*, qui est.2. §.solum enim apud dignitatem est, qui graditur virtutibus. Nam apud Deum non gradus elegantior, sed iure melioribus actio comprobatur.23.*q.4.ca.sicuti.* vnde non filii sanctorum sunt, qui tenent eorum loca vel genus, sed qui faciunt eorum opera. 40.*distinct.capit.2. & 3. & cap. non loca.* Nam ex virtute sola apud Deum quis gratiam comparat, non ex loci vel generis nobilitate. 40.*di.illud.* sed Romani ante aduentum lucis æternæ, id est, Christi, ea virtute, qua tunc poterant homines perfici, perfectissimi erant vltra omnes alios humani generis, eo maximè tempore, cum adepti sunt orbis imperium. dignitas igitur eorum ex virtutibus habitis tam in particularibus ciuibus quam in populo efficax est indicium diuinæ voluntatis, quod Deo concedente orbis vniuersale dominium habuerunt, cum concedendum foret virtuosissimo. & quod virtutibus imperium obtinuerunt. tex. est.228.*q.1.§.ex his.* Item quod dicitur, quod not. ipsis virtutibus mortales cunctos excedebant indi. cunctos auctores & hystoricos. inquit enim Policratus, *Romanorum excellantia & virtute. Si enim gentium hystoria reuoluantur, nihil clarius lucet. Nam & quiete libertatis, & iusticiæ cultu, reuerentia legum summarum gentium amicitiis, ac maturitate consiliorum & grauitate verborum & operum obtinuerunt, vt orbem terrarum subiicerent ditioni.* vnde Iosephus in libro *de captiuitate Hebræorum* dicit quod nimirum sit *Eufrates ab Oriente & Oceanus ab Occidēte; item à parte Meridiana fortissima regio Africa: & à Septentrione remis: atq; isti termini sunt imperii: cum aliquis meritò possit dicere minorem esse possidentibus possessionem.* cui testimonium viri huius, & si fortè alias non feret standum, cum Iudæus post Christum fuerit, eius tamen testimonium ab aliis illustribus auctoribus referentibus idem substantificatur: vt est tex. singularis. *ff.de edendo.l.si quis ex argentariis.§.primo*, secundum Iacobum Butri. vnde dictum testis vel vilis personæ, de quo merito ratione vtilitatis posset dubitari, valet si habet cōtestem non vilem sed fide dignum, vt *dicta l.* quod est multum cordi tenendum. hoc idem insinuat Valerius li. quarto dicens, *non vitio sed animi virorum & mulierum in ciuitate erant, eorumq; bonis dignitatis extimatio cunctis bonis pensabatur, hac imperia conciliabant, hæc iungebant affinitates, hac in foro hac intra priuatos parietes plurimum poterant. quilibet enim rem patriæ non suam ampliare properabat, & potius esse pauper volebat in diuite imperio quam diues in paupere, & huic tā glorioso proposito hæc merces dabatur, quod nil eorum quæ virtuti debentur, emere pecunia licebat.* Idem Augustinus 5. de ciuitate Dei exclamat dicens, quod *cum Romani haberent rempublicam, id est, rem communem patriæ opulentissimam atq; ditissimā, ita ipsi in domibus suis pauperes erant, vt quidam eorum, qui iam his consul fuerat ex illo senatu hominum pauperum pelleretur notatione censorea, quia decem libras argenti habere repertus est.* hoc idem dicit Titus Liuius li.1. ab vrbe condita dicens: *Nunquam respublica maior fuit, nec sanctior, nec ditior bonis exemplis, nec vnquam ciuitatē auaritia & luxuria tā tarde intrauerunt, nec ibi tantus & tam diu honor fuerit paupertati & temperantiæ intantum, quod quanto minus rerum, tanto minus cupiditantis habebant.* hoc idē Tulli' testatur de officiis dicens (cuius dicto etiam in facto suæ vniuersitatis est standum. *l.in tantum §.1.de re.diui.*) *Imperium de republica beneficiis tenebatur non iniuriis. Bella autem pro sociis autem de imperio gerebantur. Exitus autem bellorum erant aut mites aut necessarii, regū, populorū & nationum portus erat, id est refugium, senatus nostri autem & magistratus & imperatores in ea re maxime laudem capere studuerunt, si prouincias, si socios æquitate & iusticia defendissent.* Itaq; illud patrocinium orbis terrarum potius quam imperium poterat nominari. Ad hæc accedant, quæ infra dicam in argumento quod incipit: *præesse principari.* De ciuibus autem particularibus, quales virtutibus fuerint pollentes, percunctare beatissimum Augustinū in *li.de ciuitate Dei.c.19.* vbi ponit eorum exempla de cœlo patriæ. Nam pro ipsius libertate nōnulli proprios filios occiderūt: vt primus Brutus cōsul, & deinde Torquatus, & aliqui pro patria sibi ipsis mortem propriam constituerunt: vt Marcus Curtius, qui armatum in arrupto terræ cū equo pro patria se deiecit: & Marcus Regulus rectè patriæ consulēdo voluit potius diuersa tormēta subire, quam patriam recto consilio defraudasse. Et *eodem li.c.6.* vbi dicit, quod eorū mos nobilissim' erat *Parcere subiectis & debellare superbos:* Acceptaq; iniuria ignoscere potius quā persequi mallebant. qua de re homine quasi sponte se ipsi subiiciebant, quod confirmat exemplum, quod de Scipione

Affri-

Affricano Valerius refert, quod cum miræ venustatis Scipio virginem bello cepisset, eam desponsatam inuiolatam parentibus reddidit: & aurum quod pro redemptione puellæ traditum fuerat, eius doti accessit. Ex quo quidem facto hostes ad amorem Romanorum adduxit: ipseque etiam Scipio beneficio potius quam metu obligare homines maluit; exterasque gentes fide ac societate iunctas habere, quam tristi subiectas seruitio retinere. si Decios, si Fabios, si Scipiones memorem vnius gesta cuiusque ac virtutes referendo vereor: ne longius extra materiam ordiendo nimis longam retro seriem enarrarem. Idem si Ciminantum recitem ab aratro dictatorem tractum. Aut Marchũ Curium Samnutum oblationes deridentem. Aut fabricii paupertatem regis munera contemnentis: Aut Camilli pietates contra Faliscos, ipsiusque virtutes contra gallos. idem si vtriusque Catonis virtuosa velim & sancta eorum gesta enarrare, in quibus profecto nec calamus nec mens ipsa sufficeret. Hoc tamen tantum conclusiue sufficiat, quod populus ipse Romanus sanctus, prius, felix atque deuotus eius virtutibus & dignitate meruit aliis anteponi nationibus. *C. de insti. codi. confir. l.* 1. Idem Antonius &c.

CAPITVLVM XX.

RAtione etiam charitatis ostensæ à Deo reipublicæ Romanæ potest ostendi diuina voluntas *ff. de re. dubi. l. si fuerit. & l. si is qui.* §. 1. Nam voluit illam per Petrum & Paulum præcioso ipsorum sanguine sibi dedicari. 22. *di. cap.* 2. *de electi. cap. fundamenta. li.* 6. ibidem etiam suæ diuinæ monarchiæ caput & vicarium constituit. 22. *distinct. cap.* 1. 2. 3. & per totam illam distinctionem. Si ergo diuinam ibi constituit monarchiam multo fortius & iuste mundanam constituisse credendum est ratione charitatis prædictæ. Hanc etiam charitatem & diuinam voluntatem, vt Romani eo volente orbis obtinerent iurisdictionem ostendunt miracula à Deo pro ipsis Romanis sepe facta vt orbis consequerentur dominium. Nam miraculum seu miracula testimonium sunt diuinæ voluntatis, *de hereti. cap. cum ex iniuncto.* Nam inuisibilis Dei potentia pro ipso ostenditur, vt ibi. Et hoc, quando à Deo immediate, non ex arte procedunt: cum etiam mali miracula faciant arte: vt Simon magus, Iannes & Mambres, qui Scynifes tamen cum Moyse facere non potuerunt 1. *quæstione* 1. *teneamus. & cap. prophetauit.* Et hæc ratio, quare in canonizatione sanctorum exploratur de miraculis non arte factis, quia ibi creditur fuisse testimonium diuinæ voluntatis: vt *de reli. & vene. sanct. capit.* 1. *&* 2. *extra de testim. capit. venerabilis.* Nam secundum Thomam in 3. lib. contra gentiles in secunda secundæ capit. 178. *Miraculum est quod præter ordinem in rebus communiter insistentis diuinitus fit.* vnde patet quod non nisi à Deo miracula sunt vltra naturam facta. Et ideo prædicti Iannes & Mambres cum Scynifes facere non potuissent arte, dicebant: *digitus Dei hic est* dicto *capit. teneamus. & 26. quæst. 5. cap. nisi.* vnde miraculum est secundum ipsum Thomam in prædictis locis, *diuina immediata operatio sine operatione secundorum agentium.* Et ideo Dominus cum misit Moysen ad Israhelitas, qui in Ægypto erant, dedit ei signum miraculi: *dict. c. cum ex iniuncto.* Sed cum pro Romanis, vt orbis dominium obtinerent, signa & miracula manifesta Deus fecerit, & maxime pro augusto Cæsare, vt iudicaret eum Dominum vniuersi, credere oportet per ipsa miracula & signa ipsos habuisse & habere orbis Dominũ Dei voluntate: & etiã Augusto Cæsari talibus miraculis præcipue concessisset. Signa vero Dei manifesta sunt hæc, quæ fidei digni auctores referunt. Nam postposito miraculo, quod contigit sacrificante Numa Romano rege. Nam anchile de cælo in orbem prolapsum est: cum hoc forte non pertineat ad cognitionem diuinæ voluntatis circa iura monarchiæ obtinenda. Et idem de signo mulieri præstito, quæ ad purgationem sui clibanum à qua plenum à tyberi in vrbem duxit: quia hoc similiter non ad rem. Nonne legitur quod cum Sabini habita conspiratione per arcem capitolinam, vrbem intrassent: & debellatis Romanis vrbe iam fere tota capta illam spoliassent, Romulum, Deo preces effundentem, vt imperium suum conseruaret, vouentemque exinde solenne templum se Deo structurum, collecta iterum Romanorum potentia, miraculose post votum ipsum inimicos ab vrbe vituperose confugasse? Quid aliud etiam quam diuinam voluntatem patefecit miraculum quod capta à gallis vrbe sola capitolii arce pro Romano imperio resistente contigit? Nam noctis Galli arcem ipsam cum tempore clam vsurpate conarentur, & fere mœnia transcẽdissent, dormientibus custodis inuisus anser apparuit, & clamore excitatis custodibus contra Romanorũ vltimum excidiũ remedium præbuit: de qua Hystoria glo. meminit in *c.* 1. *§. inde namq. in ver. omnium sanctorũ. extra de reli. & vene. sanc. in cle.* Nonne Oratium Clodẽ miro Dei iudicio Porsennæ restitisse dices, & tot milibus exercitus eius, donec pons tyberis frãgeretur: & demum eodem miraculo vulneribus plenum, & armis euasisse oppressum ad suos incolumen enarrasse, manifestius etiã diuinũ iudiciũ patefecit, signum cælitus præstitum contra Pœnos pro vrbis Romanæ salute. Nam post conflictum Canensem Romanis ab Hanibale illatum, cum pro expugnanda vrbe ipsa ad ianuas eius Hanibal bis exercitũ duxisset & bellum cum Flacho & Romanis consulibus pluries diuersis diebus iniiceret, pluuia cũ grandine mixtabis acies viri vsq; turbauit. propter quæ Orosius in quinto dicit: *quod non Romana fortitudo sed diuina miseratio obstitit Hanibali vt nõ caperet & subuerteret vrbem Romanã.* Augustũ etiam Cęsarẽ diuino dictante iudicio orbis imperiũ suscepisse cęlestis nutus enunciauerũt. Nã cũ bellũ Philippẽse dubiũ valde die sequenti factur' esset in quo Brutum & Cassiũ debellaret, & esset ęgrotans, medico eius nocte dormiente, quidam cælitus missus apparuit, qui exposuit, vt si in sequenti Die victoriã augustus vellet attingere, in acies se conferret & bello seipsũ præsentaret, qui cũ secundũ monitiones fecisset supernas, post variam fortunã

Digitized by Google

tandem Deo fauente obtinuit hoc ipsum. videlicet Augustum orbis principem supremum, factorē æternum ordinasse dato in cælo prodigio patuit, cum redeunti ipso Octauio (vt dicit Suetonius in secundo) post Cæsaris mortem ab Apolonia, ad quam missus fuerat studii causa variis de imperio itractantibus, tamen vrbem intraret, hora fere tertia subitò, claro & puro sereno, circulus ad similitudinem cælestis arcus cinxit orbem solis, quasi (vt dicit Orosius) monstraret eum vnum & maximum in mundo & solum solem clarissimum, cuius tempore venturus erat, qui ipsum solem solus & totū mundum fecerat. O igitur miseri, qui tam Dei manifestis signis & lucidæ voluntati resistunt. non enim peccant in Cæsarem. non in imperium, non in hominem alium, vel mundum istum, sed in Deum, qui æternaliter hæc constituit, mundum nostrum melius regi per vnum. 33. *q.5. hac imago.* 11. *q.3. qui resistit.* Antonius Rosel.

Capitvlvm XXI.

VOluntas etiam occulta hominis vel Dei iudicatur adesse vel abesse ratione necessitudinis. *d.l.si. seruus plurimum.* §. *si.* quod exponens gl. intelligit, i. *consanguinitatis.* & secundum expositionem hanc nulla videtur esse coniectura diuinæ voluntatis in hoc casu. vel potest dici quod est coniectura. Nam eos suscepturus erat Deus in filios adoptionis. *de conse. di.2. c. quia corpus:* & remoto Israel cū eis cognationem habiturus erat spiritualem. Nam ibidem constituturus erat suæ ecclesiæ caput & vicariatum. 22. *di. c.1.* & 2. & *extra de elect. fundamenta militantis ecclesie. li.6.* Nimirum ergo, si ratione consanguinitatis & cognationis spiritualis futuræ, eis dedit potestatem orbem vendicandi, vt ecclesia temporaliter, demum & spiritualiter melius regeretur per vnum. Nam dedit eis Romanis potestatem filios Dei fieri, *Ioh.1.* postquam acceptauerunt legem Christi: & sic eius filii facti sunt: *de peni. di.1. c. nunquid autem.* præuidens Romanos futuros filios adoptionis, dedit merito potestatem orbē subiugandi. Sed cum text. posset intelligi proprie ratione necessitudinis & iniunctis necessitatis agenti vel passo, i. disponentis vel illius cum quo disponitur. & tunc ista præsumptione potest dici voluntatem affuisse, cum Romani monarchiam obtinuerunt. Nam, vt pluries dictum est, necesse erat & est mundum inferiorem regi vno principe, sicut superior mundus regitur. 33. *q.5. hac imago. l.2.* §. *nouissime. ff. de origi. iur.* & philosophus secundo Metaphysicæ inquiens: *Entia nolunt male disponi: pluralitas principum mala: vnus ergo princeps:* quæ latius prosequor . . . sic ergo erat necesse mundum hunc sensibilem regi vno principe. igitur Deo permittente Romanis totum mundum acquirere credendum est ex præsumpta voluntate, ratione necessitudinis non solum permisissē sed voluisse: & sic iuste habuerunt, cum secundum Dei voluntatem haberent, vt pluries dictum est. hoc etiam potest ratione ostendi. nam si Romani orbis imperium non habuissent, quod obtinuerunt, iam Dei opera essent imperfecta, contra tex. *de baptis. maiores de summa tri. epistola victor.* quod sic ostenditur: sicut n. forma non pōt esse sine materia: *de sum. tri. ca.1. in cle. ver. porro,* & facit *ff. de vsufr. l.2.* & sicut actio non potest esse sine passo secundum philosophum: cum actus actiuorum sit in patiētē disposito: & probatur *ff. de tutel. l.1.* ibi in cap. libri, cum Cōmentator ibi dicit ēt secundo, ꝙ qualibet agentia mensurātur secundum qualitatē suorum passiuorum: ita diuina voluntas non intendit tantum formas & fines earum sine materia seu sine mediis, per quæ perueniat ad finalem formam intentam & eius operationem: alias quod Deus intenderet ad finem non perduceret: & sic opera faceret imperfecta: quod nephas est dicere: & est contra illud etiam, *quod est à Deo ceptum vel volitum non relinquitur imperfectum; Co. de emen. iusti. codi. in princip.* cum qui velit vnum, velit omne per quod peruenitur ad illud. *l. oratio. de spon.* & *l.2. ff. de iurisd. om. iu.* sicut & qui vult consequens, vult antecedens. *ff. de procu. l. ad rem mobilem.* & *l. ad legatum.* necesse est igitur ad intentionem Dei, qui mundum hunc vult regi per vnum: vt dixi supra ad esse materiam vel medium instrumentum Dei, vel instrumentū per quod perueniatur ad intentum finale Dei. Et hoc est quod sentit philosophus *in Politicis:* quod quidā sunt non solum singulares homines, sed populi apti nati ad principare: alii quidē ad subiici: & talibus secundum eum ad solum regi est expediens, sed etiam iustum: & hoc est quod sentit gl. *1. di. ius gentium.* dum dicit, quod *peccat seruus qui recedit à suo Domino.* Nam cum esset aptus natus subiici peccat se subtrahendo, vt ibi & 17. *q.4. si quis seruum.* sed cum ad hāc suam Dei intentionem per cæteris ad dominandum constituerit Romanos in ministros, vt per vnum principatum inferiora ad instar superiorum gubernarent, certe tanquam Dei ministri iusta fecisse arbitrandi sunt. 23. *quæst.2. Dominus, in fi.* & Dei voluntatem intenderunt qui vult inferiora regi per vnum: quod regimen præterquam Romanis nō potest ostendi aliquibus gentibus aliis cōpetiisse. Vnde ipsi Romani Dei merito præelecti in hoc ministri iudicandi sunt & iuste orbem terrarum suo dominio subiecisse: aliter poneres Dei opera imperfecta, videlicet ipsum aliquem bonum finem intendere: media vero, per quę veniatur ad illud negligere: quod cum nullus adhuc fecerit, Romanis exceptis qui orbem totū seu orbis partem maiorem subiecerūt: vnde necesse habemus dicere, aut Romanos illos fuisse, aut Deū vsque adeo negligere vel neglexisse finem per eum intentum: quod de Deo non est phas dicere: cū philosophus dicat 2. de cælo & mundo: *Et frustra natura dedisset stellis motum progressiuum: si non dedisset organa ad istum motum;* sic Deus frustra monarchiam inferiorum ad instar superiorum intenderet, 33. *q.5. c. hac imago,* si ad ipsa organa non intendisset. dicendū est ergo, Deum adhuc ad hanc monarchiam Romanos præelegisse, vt organa & ministros, & sic iuste fecerunt. 23. *q.2. Dominum, in fi.*

Capitvlvm XXII.

PEr sortes etiam positas à Romanis, cum æmulis ipsorum de imperio decertantibus, diuina volūtas patefacta est. nam cum ante Euangelicam doctrinam sortilegium damnatum non erat, sed

cum ipso

eum ipso occulta diuina voluntas potuit explorari. 31.q.2. *in summa.* & §. *his ita.* vnde Augustinus in 31. Psal. inquit: *sors non est aliquid mali: sed res in humana dubitate diuinam diiudicans voluntatem.* 16.q.1. *sors.* & ideo Iosue ante doctrinam Euangelicam sorte exquisiuit peccatum Achor, & Saul Ionathan filium suum peccatum fecisse comperiit, & Ionas fugens à facie domini à nautis deprehensus sorte in mari deiectus. similiter Mathias quoque in apostolatu à Petro assumptus est. & licet post Euangelium sint sortes prohibitæ, ne per cõtinuum vsus homines in idolatriam dilabantur. 26.q.2. *non exemplo.* & *c. non statim.* § *his ita,* tamen ante Euangelicam non erant inhibitæ, quinimmo in dubiis iudiciis & causis, & vbi iudicis alicuius mundani scientia non potest attigere, vel forte vbi iudicis etiã copia haberi non potest pro temporalibus credo adhuc sortes licitas fore *ff. de iudi. l. sed cum ambo. C. communia de lega. l. si duobus* 21. *di. cleros:* illas tamen, quę nulla superstitione vel dæmonũ diuinatione fiant. Nã illæ penitus sunt eliminandæ. 26.q.2. *qui sine Domino.* & 4.q.5. *per totum.* Cum paleis vero vel simplicibus dictis casibus adhuc hodie sortes licitæ sunt, quando immo & certaminibus & duellis licet sorte voluntatem Dei exquirere, quia certare nihil aliud est quam certum facere. Et licet iure Romano atque canonico ius certandi & duellandi sit hodie prohibitum sine licentia superioris. 2. q.5. *monomachiam, de pur. vulg. per totum. de cler. pugna. indu. per totum C. de gladi. l.* 5. pro republica tamẽ licet duellum & certamen suscipere, *de postu. l.* 1. §. *bestias. insti. de excu. tuto.* §. *sed si in bello,* & *in feudis in capit.* 1. *de pac. tenen.* & quidam moderni in *l.* 1. *C. de edi. li. tol.* quod tamen intelligo pro republica non recognoscente superiorem, vel pro republica auctoritate principis, vt ille cuius nil aliud interest possit certare, alias non, vt est glo. in *l. cum filius.* §. *fi. de leg.* 1. & vt exinde Dei voluntas exquiratur. & auctoritate superioris licet duellum inire, dicta *l.* 1. *de gla.* Et sicut superioris auctoritate licet maxime pro erudienda veritate alicuius publici dubii, ita non recognoscentes superiorem iuste poterant & possunt per viam duelli & certaminis lites ante dictas dirimere. hoc ostendi potest, quia multis & multis casibus iure Longobardorum duellum licet. Item & loci consuetudine, vt in Sicilia, in dicto *cap.* 1. *de pace tenen.* quia duellum est singularis pugna ad probationem veritatis, vt ibi notatur licet credam quod succumbens, licet pro confesso & conuicto habeatur, non debeat puniri capitaliter, si id pro quo certatur haberet pœnã aduersanti capitalẽ annexã: vt in 10. *coll. de papa. te. c.* 1. §. 1. *ratio:* quia hæc probatio & coniunctio, quæ surgit ex pugna, contra eum qui perdit est præsumptiua probatio. ex qua non debet mors infligi, cũ requirantur probationes luce meridiana clariores. *l. fi. C. de probat.* & ibi hoc tenet Nico. de Matra. & Bal. & si dicis, ergo hæc confessio non est sufficiens probatio in causa imperii: quę est de toto vniuersali mixto corpore generis humani: & sic maior quacunque causa, quæ sit etiam de persona & vita cuiusq; humani indiuidui. fateor: sed hæc cũ aliis supra & infra deductis probationibus plenissime probant Romanorũ iusticiã. nam & duæ semiplenę probationes, diuersi generis ad finem vnum tendentes, constituunt vnam plenã probationẽ: vt not. glo. in *l.* 3. § *eiusdem. ff. de testi.* licet si tenderent ad diuersos fines imperfecte duæ probationes, nõ facerent vnam perfectam. *l.* 2. § *fi.* & *l. Spadonem.* § *qui multa iura ff. de excu. tuto.* & *in c. illud. de præsumpt.* quia ad vnum genus probationis iudex non debet suum animum informare: vt in *c. causam. de re iudi.* vel dico quod etiam posset puniri capitaliter, qui se illi soli probationi sumptæ ex certamine tantum subiecisset. Et ideo si populi, qui cum Romanis decertauerant, solis sortibus duellandi vel pręliandi suam iusticiam posuerunt, & hanc pro vera probatione sufficere assumpserunt, arbitror hoc ipsum solum sufficere, & secundum hanc probationem posset sententia ferri etiã capitalis & de causa totius imperii. Et de hoc tex. in *l. fi. C. de probat.* ibi, *vel iudiciis.* per quem tex. arbitror quod ex probationibus, ex quibus insurgeret vehementissima præsumptio, possit quis capitaliter damnari: vt si aliquis visus fuit intrare domum, & ex illa exire cum gladio sanguinolento, & demum mulier reperitur mortua: dicta *l. fi. C. de probatio.* & *in* 7. & ibi nota *ff. de fur.* & hoc quando ex talibus iudiciis arguitur ad verum dolum: secus si ad præsumptum, & alia forte iudicia euacuarent priora: vt no. Bar. in *l. quod nerua. in fi. quæstionis ff. depositi, in tractatu culpa latioris.* & ita potest saluari quod not. Inno. in *c. afferte. de præsumpt.* qui dixit, quod ex vehementi præsumptione non possit quis criminaliter puniri. quod licite tamen fieri non potest, nisi pro ipsa veritate erudienda, atque manifestanda iusticia, quæ sit occulta. nam duellantes cum subintrant stadiũ pugnæ, corporaliter iurare debent, quod credunt dominos, pro quibus pugnam subintrant, & patriam suam, fouere iusticiam: vt in extrauagantis. Federici quæ incipit *de iuramento à campionibus præstando:* nec est tamen duellum statim permittendum, sed cum aliter veritas patefieri non potest, ne Deum tentare iudicemur, non eius voluntatẽ excutere: *d. c. monomachiam:* & hoc vbi esset diffamatio & discordia iam suborta: nam licet esset dubium, non suborta discordia non liceret alicui duellum prouocare: & debent esse pares duellantes seu prouocantes ad duellum, ne minor velit maiori adæquari. Item hoc, vbi vertitur graue præiudicium reipublicæ. nam non ex omni causa Leui liceret: quia esset etiam tentare Deum: & hoc vbi non esset strepitus iudicii electis. alias videns se semper succumbere posset petere viam duellandi, quod esse absurdum: sed duellantibus ingredientibus zelo iusticiæ pro erudienda Dei voluntate occulta, & sub ipsius Dei iudicio, quis diceret aut crederet vt Deum non habeant tunc iuste iudicantem, & parti iustiorem causam habenti adhærentem? cum scriptum sit, *si duo plures ne conuenerunt in nomine meo, ego in medio eorum sum.* 24.q.1. *alienus.* § *si autem agitur.* credo quod in hoc sacrilego schismate, vbi non poterat per viam iusticiæ haberi cognitio veritatis, & vertebatur tamen summum totius Christianitatis periculum, quod licuisset per sortes aut duello inter pares dirimere, positis duobus quemlibet à parte sua, licet honestior & sanctior fuisset renunciationis aut cessionis via pro bono pacis adinuenta, quam non iudico hæreticam aut insanam, vt aliqui asserebant

Digitized by Google

propter ipsam non subire, quinimmo potius orthodoxam & fidelem: vt in *c. 1. de rmun. li. 6.* licet multi hypocrizantes, vt obtinerent pontificatus fastigium, haberent in ore plurimum: sed post adeptum solium præsulatus Apostolatus in intellectu est in intentione minimũ. cum ergo Romani superiore, nisi Deum, non recognoscerent certarentq; ante legem euangelicam de imperio obtinendo. Nam secundum Augustinum v. *de ciuitate Dei* Romanos ad facta miranda compulit: quia imperare videbatur eius gloriosum seruire, non ingloriosum: pro quo imperio maximum erat dubium, quis prælectus à Deo foret, vt præeminens & minister, super quibus cum iudex non esset, qui inter Romanos & cum ipsis de imperio dimicantibus iudicium interponeret, licite & iuste diuinam voluntatẽ certaminibus & duellis exquisierunt, vt iuribus antedictis, cum pro eruenda veritate & iusticia manifestanda fecerunt, in quibus cum obtinuerunt, voluntate diuina obtinuerunt, & sic iuste 23. *q. 5. dixit Dominus.* 23. *q. 8. occidit.* cum succumbentes fuerint habiti pro confessis, *de pace tene. c. 1.* & ibi glo. & hoc siue certamen fuit duorum, vel trium, siue plurium, & vniuersale. nam cum in duello & pugna singulari Deus esse credatur duellantibus & plurimum suscipientibus amore iusticiæ & veritatis occultæ propalandæ recte iudex & arbiter, quanto magis credendum est Deum iudicem esse si bello dimicatur vniuersali? ar. *l. qua de tota. de rei vendi. & l. qui scit. in prin. ff. de vsur.* & quod in certaminibus & duellis & imperio suppositis Romani certando & duellando præualuerunt, palam est. nam cum Græcis Romani athelizantibus pro imperio Pirrho Epirotarum rege pro ipsis veniẽte, Fabricio pro Romanis, post Tarantinum bellum Romanorum fœlix & superior victoria fuit. & quod de imperii solum præeminentia bella gererent, non alia ambitione, insinuant verba ipsius Pirrhi, quæ refert Tullius in *lib. 1. officiorum* oratoribus Romanis dicta, dum captiuos suos auro à Pirrho quærerent redimere, inquit enim: *dono accipite: nam non auro belligeramus, sed ferro vitam tractamus: interq; nos an me velit regnare hera (i. fortuna) quidve ferat sors, virtute experiamur. heram* Pirrhus fortunam nominabat, quam nos recte *Dei prouidentiam* appellamus. supremum etiam victoriæ brauium in omnibus bellis Punicis Romani obtinuerũt. nam licet in primo varia sæpius sors fuisset: & nonnunquã terra & mari Pœnis res magis prosperæ in se fuerunt, infelici tamen ipsorum Africanorum fine terminata sunt. & idem in secundo, Scipione Africano existente pro Romanis, Hannibale vero pro Carthaginensibus: similiter & tertio cum altero Scipione Africano succubuerunt: & tandem Carthago deleta. in duellis etiam obtinuerunt. nam cum diu de imperio cum Albanis decertassent, qui ex eodẽ stipite profecti erant, tandem de vtriusq; gentis consensu cõmuni per tres Horatius hinc, inde per tres Curiatios dimicatum est, & Dei iudicium conquisitum, interfectisq; iam duobus Horatiis ex parte Romanorum positis, tertius germanus Horatius omnes tres Curatios ex parte Albanorum positos miraculose superauit. qua de re Albani sub Hostilio Romanorum rege venerunt. & idem fuit cum finitimis pluribus, vt cum Sabinis & aliis. & post multas & varias diuersarum gentium debellationes: vt sc. Assyriorum, Gallorum, Punicorum, quas referre etiã succincte prolixum minus foret, orbis vniuersum dominiũ nacti sunt, vt inquit scriba Christi Lucas euangelicus dum dicit: *Exiit edictũ à Cesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Vnde ex prædictis omnibus manifeste deprehenditur, Dei iudicio Romanos orbis vniuersi principatũ subiugasse, & sic iuste, rationibus antedictis, quod nulli mortalium ab orbe condito amplius contigit. vnde Augustinus v. *de ciuitate Dei* dicit: quod cum diu fuissent regna orientis illustris, voluit & Deus occidentale fieri illustre: quod licet tempore esset posterius, imperii magnitudine & latitudine fuit illustrius & imperium: hoc vero non humanis iurib' aut incertis casibus sed ineffabilib' mysteriis & profundissimis Dei iudiciis dispositum fuit: vt inquit *Hor. in secundo.* Felix ergo Romanorum genus Dei iudicio meruit aliis anteponi nationibus. *C. de Iusti. codi. confir. l. 1.* O ineffabilis sapientia, quàm inscrutabilia sunt iudicia tua! quis modo non cognoscit igitur, Deum voluisse orbis vniuersum dominiũ esse apud Romanos, cum foret necesse ad subtulendum & puniendum peccatum Adæ, qui fuit Dominus vniuersæ terræ, *Gen. 3. ca. & 33. q. 5. hæc imago,* vt esset alter successor dominus vniuersi, sub quo peccatum illud punitione ordinaria deferetur: cum inferiores superiorẽ arguere non possent aut iudicare. 2. *q. 7. Petrus, & per totam illam quæstionem.* facit *l. nam & magistratus. ff. de arbi.* igitur opus fuit Adæ primo parẽti priuato Dominio illud alteri conferri: qui successor in eodem dominio peccatum prædecessoris priuato dominio cognosceret & puniret. 24. *q. 1. Achatius,* vbi successor papæ de hæresi prædecessorem iudicare potest: & idem vniuersale concilium, sed non alter. Et hæc est ratio, cur Christus, in quo punitum est peccatum Adæ. *de sum. tri. c. firmiter,* voluit à Pontio Pilato iudicari, nõ à Iudæis vel Herode: quia Pilatus erat præses Tiberii principis vniuersi: & qui successor Adæ primo parente iuste poterat eius scelerata contra Deum delicta commissa damnare. Nã alii non fuissent iudices: & sic punitionẽ inferre non potuissent. Hæc est etiam ratio, quare non alio tempore Christus descendit & incorporatus est, cum nullus ante Romanos orbis vniuersi nactus fuerit dominium, sub quibus potuisset Christus iudicari, & peccatum primi parentis deleri & puniri. Taceant ergo, qui nõ intelligunt Dei ista mysteria tam secreta, & approbent Romanum imperium cum profundissimis Dei iudiciis comprobatum. Anto. Rosel.

CAPITVLVM XXIII.

PArs ista quod sit vera, sic ostenditur. Illa bella sunt iusta, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est; vel quæ vendicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere quod iniuria ablatum est. 23 *quæst. 2. Dominus.* talia enim fuerunt Romana bella: & propter hoc Roma orbem terrarum sibi subiecit. Nam, vt inquit Augustinus, 5. de ciuitate Dei: *voluit enim Deus Romanum regnum esse tam potens & imperiosum ad domanda multa & grauia mala multarum gentium.* pro hoc: quia omnis actus punitiuus malorum sit à Deo, cum scriptum sit: *mihi vindicta, & ego re-*

Digitized by Google

tributum.ad Heb.10.& ad Rom.13. & hoc facit Deus vel immediatè per se, vt in prima creatione mūdi, cum ipse puniuit Cayn & Lamech, *Gen.* 4.& 2.c.& not.Inn.*de fo.comp.licet*, excepto per proprios ministros. Vnde regibus & principibus datus est à Deo gladius ad vindictam malorum, laudem vero bonorum: *de maio.& obed.c.solitæ.2.q.7.§.item cum Dauid.* sed vt ostendit ipse per signa præ cæteris in ministros prælegit Romanos, vt orbem regerent terrarum, & mala punirent & vindicarent: & sic iuste apud eos iura posita sunt Dominii: cum hac de re non belli fautores aut ductores dici debeant, sed potius Dei ministri. 23.q.2.*Dominus in fi.* Et hæc est ratio, quare filii Israhel licitè pugnabant & spoliabant terras Amorreorum & aliorum, quia in hoc Dei ministri erant. pro hoc 23.q.1.*paratus*. Nā illa bella sine beniuolentia non geruntur, quæ fiunt vt ad pietatem iusticiæque societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtilius vincitur: quantum nil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas & mala voluntas, velut interior hostis roboratur. *d.c.paratus.*

CAPITVLVM XXIV.

HOc potest naturaliter ostendi. homo dicitur minor mundus: & sicut fit gubernatio in paruo mundo, sic in toto vniuersali similitudinarie: vt dicit philosophus 8. *Physicorum.* & probatur *de conse.di.4.c.est vnitas.* sed in regimine vnius indiuidui corporis naturalis constat, quod vbi nullus est humorum excessus, nulla est rebellio repugnans, nulla distractio conseruationum naturali & directioni. vbi autem est humorum excessus propter inordinatum forte regimen, tunc pugna est naturæ tendentis in conseruationem, cum excessibus tendentibus in destructionem: vt aliquando sufficiat naturalis potentia ad correptionem repugnantiæ expellendo ipsos humores malorum de corpore: *d.c.est vnitas.* Et aliquando propter excessum morbi, natura est per se impotēs: & tunc opus est adiutorio extrinseco, vt medicamine sapientis, qui exhortator naturæ ministrando congrua ad expulsionem morbi ipsius naturæ auxiliator existat: sic in magno est mundo. Nam aliquādo in climatibus eius nullus est rebellium excessus: & tunc non est pugna, sed tendit solum natura ad mundi conseruationem, quod est in pace & tranquillitate viuere, vt in *prohæmio decretalium.* Aliquando est rebellis excessus & discordia tendentium in destructionem: & tunc est opus medicamine: vt in dicto *prohæmio decretalium.* & hoc fieri potest, vel ab ipsa natura reducente rem ad debitos terminos sedando rebelles, vt videmus interdum, quod orta seditione vicinitatum, & sic morbo exorto ipsi inuicem eorum prudentia reconciliantur. Aliquando est tantus excessus rebellum, quod non potest natura: tunc opus est medicamine rebellico, vt expulsis rebellibus reuertatur ad pristinam sanitatem. vnde merito Deus, qui est omnium creator & medicus vniuersi: *de sum.tri.c.1.de pœni.di.3.c.adhuc multum. de conse di.2.c.& sancta,* adhibuit Romanos ministros & medicos ad domanda multa & grauia mala multarum gentium, secundum præcedentem sententiam Augustini, vt hominem & mundum magnum in pace & societate seruarent. vnde recte & iure, Deo permittente & natura, Romani consecuti sunt orbis imperium, & vniuersalem pacem mundo dederunt. vnde primus Augustus adepto mundo clausit sacraria Iani, quod templum erat stans apertum ad bellum. & hæc profecto bella iusta fuerunt, quæ Deus imperauit, qui nouit quod cuique fieri debuit, in quo ductor exercitus, vel ipse Romanus populus non tam auctor belli quam minister iudicandus est. 23.q.2. *Dominus.* Anton. Rosel.

CAPITVLVM XXV.

IVre vero gentium quod obtinuerunt Romani orbis magistratum & dominium, potest ostendi. Nam postquam iure seculi inuenta fuit dominiorum acquisitio. 8.*di.quo iure.& l.hoc iure*, cum iuribus omnibus supra multotiens allegatis: per reges & principes gentium, quibus mediantibus iure gentium & seculi Deus distribuit generi humano. *d.c.quo iure*, statutum fuit, vt quæ bello capiebantur, obtinentium fierent. Item & iura postliminii sunt inducta: vt *l.naturales.§.fi.& l.transfuga ff.de acqui.re do.& de acqui.pos.l.1. 1.di.ius gentium.& c.ius militare.23.q.5.dicat ff.de iur.fis.l.Diuus.ff.de cap.l.si captiuis.§.expulsis.& l.postliminium est ius.* & communis hæc lex fuit iure gentium non tam Romano populo quam hostibus. Nam ita Romani capti efficiebantur serui capientium. sicut econuerso & bona Romanorum capta hostium dominio acquirebantur: cum dominia, quæ iure gentium cōstituuntur, peræque omnibus hominibus competant. Nam ius ipsum gentium ortum habuit cum humano genere, & ipsi inest naturaliter: ideo interdum à iure ius gentium *naturale* nuncupatur. *ff.de acqui.re.dom.l.1.* sed cum Romani virtutibus bellicis & armis obtinuerunt orbem terrarum: ergo iuste iure gentium distincto à iure diuino, & quod ius gentium à Deo est comprobatum. 8.*di.quo iure,* vniuersam iurisdictionem & orbis dominium sunt bellando adepti: maxime Iulius Cæsar primus: vt de ipso Lucius Florus inquit in quarto libro dicens: *Non inuitis ciuibus omnes in vnum principem congesti sunt, certa templa, imagines in Theatro, distracta corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cœlo, ad hæc pater patriæ, perpetuus dictator.* non igitur hic titulus gratæ patriæ monstrat Cæsarem fuisse tyrannum, nec clementia eius, qua in hostes & proximos vsus est: sed cum omni solennitate iuridice tenuit principatum, & inuidia non iure sed iniuste occisus est à quærentibus proprium priuatum ipsorum augere magistratum: qui tamen omnes tandem infra triennium mala morte perierunt omnes excitatores rursus ciuilis belli ac occisores patris patriæ. vnde Policratus 8. libro inquit: *Iulius Cæsar primus vrbem prudentiæ ac regi militaribus iuribus acquisitus.* & notes & alia eius auctoritate supra in contrarium enarrata in vltimo argumento partis contrariæ Policratus non dixit tyrannum Cæsarem; sed dixit ipsum tyrannum reputatum.

Digitized by Google

CAPITVLVM XXVI.

HOc potest sic ostendi. Nam Romani aut bona mobilia, quæ ab hostibus fuerant capta, recuperauerunt, quorum dominia per capturam factam ab hostibus perdiderant: aut hostium bona propria mobilia vel immobilia primum obtinuerunt. Siquidem recuperauerũt res proprias vel fœderatorum & collegiatorum suorum: & hæc recuperare potuerunt duobus modis; aut redemptionibus, quia ab aliquo sunt redempta pecunia: vel quia à militibus Romanis de hostium manibus recuperata sunt. Et si quidem si redempta sunt pecunia, quis dubitat, quod si fuit ab hostibus liber homo redemptus, quod iure postliminii pristinam recuperat libertatem: vt *l. postliminium est ius. de cap.* debet tamen esse loco pignoris redimenti vt seruus, donec restituat precium quo redemptus est *l. si. C. de capti.* & si alia res non homo liber fuit redemptus: & tunc aut redimens redemit nomine Domini cuius erat, aut nomine proprio. Si nomine Domini: tũc si erant plures Domini, & nomine omniũ facta est redemptio, ad omnes Dominum statim reuersum est *l. in bello §. si seruus plurium. de capti.* Sed si non omnium Dominorũ, sed vnius tantum nomine facta est redemptio, pro parte illius tantum Dominũ suæ partis reuertitur & cæteræ partes manent penes redimentes prius: priores tamen Domini possent offerre preciũ, vt statim dicam. Si verò erat vnus, & eius nomine fit redemptio, statim dominium reacquirit quod perdiderat. *l. postliminium. de capti.* & iuribus supra allegatis. Si vero redimens non redimit nomine Domini, tunc si facit ignorans fuisse alienã & ab hostibus captam, redimendo suam facit: sed ab eo, qui fuit prior Dominus & ab hostibus spoliatus, infra trienniũ potest fieri oblatio precii quo redemit: & ei tunc tenetur eam restituere: *dicto §. si seruus.* Et si emit sciens alienam fuisse, licet redimendo suam faciat, tamen quamcunq; prior spoliatus Dominus offerre potest precium rei, & restituere tenetur: vt dictis iuribus. prædicta tamen sunt vera, præterquam si illæ res ab hostibus captæ non fuerint à perdentibus turpiter deperditæ. nam tunc non esset ius postliminii. *l. 2. de capti. & l. 3.* & hoc not. glo. 1. *distinct. ius gentium*, in glo. *postliminium.* vnde si fœderati populi Romani in aliquo bello eorum tristicia perdidissent fortilicia & castra: & demum à Romanis fuissent recuperata pecunia, vel aliter, non fuissent prioribus dominis restituenda, sed fuissent Romani populi. Item prædicta beneficia non competiissent his qui transfugissent. nam fuerunt in numero hostium *l. postliminium. §. transfugas.* Et ideo si vnus militum perdidisset primum bona, & demum ad hostes transfugisset, vt faciunt quotidie mali stipendiarii: & demum facta pace reuerteretur, & forte aliqui sua bona inueniret ab aliquo redempta, quæ ipse vellet redimere offerendo precium illi qui redemit, non esset audiendus. Interdum Romani non redemptionem, sed per vim capta recuperauerunt: & tunc si non erant adhuc recuperata ducta per hostes in præsidia, certus dominus, qui amiserat, recuperat quia nunquam dominium amisit. Nam non dicuntur capta, nisi cum ducta sunt in hostium præsidia: vt *l. postliminium. de capti.* quæ verba sunt notanda: quia etiam si talis dominus amisisset possessionem illius rei sua desidia vel tristicia: quæ si fuisset recuperata, postquam fuisset ducta in hostium præsidia, non debuisset ipsi reddi *l. 2. & 3. de capti.* & supra dixi. nunc tamen restitueretur, quia nondum eius amiserat dominium, licet possessionem sic. & ideo si aliquo dormiente fortilicium mala custodia esset captum, & antequam perfecte victum esset, amici perdentis recuperarent, debet ei dimitti domino: licet si iam esset totaliter perditum, & recuperaretur, non esset restituendum, vt dixi. Si vero ducta iam erant intra præsidia hostium: & sic hostibus dominia quæsita, & à Romanis perdita erant rerum dominia: vt *l. postliminium. §. in pace. de captiuis*, tunc siue recuperentur capta ab hostibus in bello, vel circa bellum, quocunque tempore recuperentur, siue in pace vel quocunque, sunt primis dominis iure postliminii mobilia vel immobilia restituẽda: vt: *l. postliminii. & l. postliminium est ius de cap. & l. si quid bello. & l. si captiuus. §. 1.* fallit. nisi Domini priores, qui petunt ab his qui recuperauerunt sibi restitui, illa perdiderunt eorum tristicia: vt dictis iuribus. Et idem si fuit effectus primo perdens transfuga: vt dixi supra. Idem si essent contra pacis fœdera vel treugæ recuperata, non restituuntur priori Domino: quia non habet in his ius postliminii locum: vt dicta *l. in bello.* Ex quibus patet, quod siue per recuperationem siue per redemptionem Romani bona ab hostibus capta recuperauerunt, quod illa iure sui iure gentium iuste fecerunt. Si vero bona hostium mobilia vel immobilia ceperunt, etiam iuste eodem iure gentium sua ita Romani fecerunt. Nam immobilia requiruntur reipublicæ occupantium: mobilia vero sunt ipsorum militium. *l. si captiuus. §. 1. & l. si quid bello*, & iuribus in proximo argumento allegatis. & hoc igo spiritualia bona immobilia & mobilia capta à Romanis fuerunt, vbi autem hostes venerunt vniuersaliter in manibus Romanorum occupate forte vel fœderatione vel aliter tunc transiuerunt sub Romanorum iurisditione & vniuersali dominio & fœderatione Romani populi: sed particularia dominia mobilium vel immobilium non erant occupantium, sed apud ipsos deuictos hostes manebant: vt no. Iaco. de Belui. in *auct. de here. & fal. in prin. in tertia opp.* quod refert. Bar. *ff. de offi. l. diuus.* facit. *l. 1. de offi. præfe. præto. Afri.* Nam ipsi sic capti vniuersaliter efficiebantur de Romano populo, & eorum bona & propriam libertatem retinebant. *l. hostes de cap.* licet quandoque ratione suspicionis deuictos Romani traherent de propriis prouinciis & in Italiam ducebant, Latinique vocabantur, qui tamen alienare poterant bonaque in prouinciis habebant: iuxta not. in *l. 1. C. de lati. liber. tol. & l. certa forma. C. de iur. fis. li. 10.* Quod vero dixi, occupantibus militibus bona mobilia concedi: intelligendum est sane, & vt ipsi præsentent ipsa mobilia Duci belli, qui distribuat inter fortissimos pugnatores. 23. *q. 5. dicat aliquis.* 1. *di. ius militare. in* glo. *principis* & in tex. in *ver. stipendia.* & in

Digitized by Google

& in ver. *item preda.* debet tamen dux etiam illis distribuere, qui remanserunt ad campum & salinas custodiendũ, vt sunt hodie illi qui remanẽt vel apud vexilla vel cum carriagio, & debet pro se capitaneus retinere primitias, quas nos caposoldos nominamus, de quibus suis senioribus debent distribuere, vt habetur 1. *Reg. 30. c.* Cum ergo ad propositũ, aut Romani bona propria redimerunt, aut recuperauerũt ante ablata. & iure postliminii rerum sua fecerũt; secundum quod vult Inno. *de voto & vo. redemptio. c. quod super his*, vel bona hostiũ occupauerunt, & illa etiam iure gentiũ vel sub sua iurisdictione vel dominio acquisierunt: vnde merito iure gentium iuste nacti sunt orbis vniuersale dominium, per iura prædicta sic prolixe deducta, vt omnibus innotescat, quid fiendum de rebus in bello obtentis.

CAPITVLVM XXVII.

AD adiuuanda prædicta facit, nam cũ Romani in eorũ territoriis ab hostibus turbarentur potuerunt iuste statuere vt singuli capti efficerentur serui, vel sub sua iurisdictione. nam sic captis hostibus potuissent ratione illatæ violentiæ ipsos ad mortem damnare naturaliter, quod est plus: vt *C. vbi de cri. agi opor. auct. qua in prouincia.* quanto magis ad ciuilem seruitutem poterunt eos damnare, vel vt essent sub eorum iurisdictione. & hoc est quod sentit Inno. *de iureiuran. c. sicut.* vnde hostibus à Romanis victis dicta lege præcedente vel deinde secuta. quę l. facta fuit, vt *l. si quid in bello. & l. in bello, de cap.* iuste fuerunt sub Romano populo. Quin immo amplius arbitror, quod cum Roma non haberet superiorem, nisi Deum, & similiter eius hostes, quod bello in dicto Romanis, vel ipsis Romanis indicentibus alteri absque aliqua lege præcedente vel secuta, quæ ibidem capta fuerunt effecta sunt capientium, vel sub eorum iurisdictione: quia hoc est inductum de iure gentium *l. naturalem. §. fi. de acqui. re. do. & l. ex hoc iure. de iusti. & iure.* licet aliter sentiat Inno. in dicto *c. sicut.* sed illud dictum Innocen. debet intelligi, quando bellantes habent superiorem, vt capta in tali bello non sint capientium, nisi tali præcedente constitutione vel secuta. hodie tamen credo in hoc attendi armorum cõsuetudines. Nam consuetudines & mores ius gentium, & ciuile induxit seruitutem: postliminiũ: ita hodie ritum & morem alium potest inducere noua consuetudo loci vel municipii, vt *l. 3. §. si quid lex. ff. de sepul. vio. l. de quibus. ff. de legi. & l. 2. quæ sit longa consuetudo.* & ideo hodie qui capiuntur consuetudine, non fiunt serui, sed habent alium ritum & morem, qui vtique seruandus est. Et ideo cum consuetudo sit hodie, quod stipendiarii etiam qui sunt aperte iuste bellantes, non puniantur vt prædones: dicam, *vt prædones non puniantur*, à iudicibus non posse nec debere puniri, cum in talibus debeat attendi consuetudo. Sed cum Romanorũ tempore essent consuetudines ante dictæ, igitur iuste Romani acquisierunt orbis imperium omni iure tã diuino quã naturali vel gentiũ vel ciuili inspecto.

CAPITVLVM XXVIII.

PRæterea principari per ciuilem potentiã est principari seruis: per virtutẽ vero est principari volẽtibus & liberis: vt est tex. in *c. ea vindicta, in fi. 23. q. 4.* & hæc vltima melior, vt inquit Philosophus 7. *Politicorũ.* & probatur in *l. 1. C. de offi. præfec. præto. afri.* Sed principari virtutibus, solis Romanis fuit & non aliis ergo iuste in eos fuit imperium. Nam secundum Salustium in Catellinario, *in pace beneficiis magis quam timore imperium gubernabant, & accepta iniuria potius parcere quam prosequi volebant. igitur domi boni mores & militia celebrantur, concordia maxima, minima auaricia erat, ius bonũ quod apud eos non magis legibus quã natura valebat. Ciues cum ciuibus de virtute certabant. in sacrificiis deorum magnifici, domi temperati, in amicos fideles erant.* vnde Quintillianus in libro de Cannis inquit: *Si existimemus Romanũ imperium, nonnullos præfecit gentium multitudo maior est quam cæteris gentibus. Aut maiora corpora quam Cimbris. Aut maiores diuitiæ quam ditissimis regnis. aut contemptus mortis facilior quã pluribus barbaris causam vitæ non habentibus. sed Romanos principes fecit seueritas legum ordo militiæ, amor libertatis, pluraq; moribus quã viribus vicerunt.* vnde Eunodius in quadam epistola inquit: *Roma est domicilium legum, studium nostrarum, firmamentum mundi, curia dignitatis, patria libertatis.* Ex quibus deprehenditur, quod sub Romano populo vniuersis orbis virtutibus regebatur. vnde meruit aliis anteponi nationibus. *C. de iusti. cod. confir. l. 1.* cum sub tali imperio populi consequerentur libertatem sub aliis secundum virtutem *l. 1. C. de offi. prafec. præto. affri. in auct. de hære. & falci. in principio.* Nam Romani moribus & virtute: alii potentia dominabantur. vnde regulariter Hanibalis gesta, qui pro Pœnorũ imperio in palæstra stetit contra Romanos, nullus crudelior, nullus fallacior fuit, vt refert Augustinus *tertio de ciuitate Dei. c. 19.* Nam contra pacis fœdera deleuit Saguntum ciuitatem hispaniæ Romano populo amicissimam. scrutetur scipionis gesta Romani principis Hanibali auersi, nullus pudicus, nullus fidelis, nullus ex armorum ministris magis sanctus fuit. vnde hiberos sibi pudicitia iuuenis conciliauit. Necesse erat ergo per tales principes populum ita sanctum, ita deuotum, ita pudicum & pium orbi vniuerso merito principari, sub quo subditi libertates assequerentur, & iuga excuterent seruitutis.

CAPITVLVM XXIX.

QVod igitur Romanis obiicitur in prędictis in casu, quod fuit imperiũ apud Syrios, hoc profecto negatur. Nam nullus orbis terrarum mediã partem obtinuit Romanis exceptis, qui vniuersum orbem obtinuerunt, vel saltem orbis partem maiorem, quod sufficit, vt infra, & si non totum nacti fuissent. Nam Ninus etsi Asiam totam obtinuit perempto Soroaste magico, Iudæam habere nõ potuit, nec cæteras mundi plagas. vnde imperium nõ habuit, licet habere tentauerit: quia quãdo plura requiruntur ad consecutionem certi iuris, non sufficit aliqua nancisci, vt ius illud quęsitum dicatur, nisi omnia quis nactus sit. *C. de rei vendi. l. quotiens.* nec *Daniel. 2.* dicitur imperium vniuersale fuisse apud Syrios, sed ipse dicit designando totum pro parte, alias ipse mendax esset, quia non habuit Na-

Digitized by Google

buchodonosor imperium totum orbis, sed partem. igitur, vt dixi, Daniel verba debent intelligi. Obiicitur etiam quod alteri quæsita iam iure gentiũ non licuit iure diuino vel naturali vel gentium occupare Romanos, nec diffiteor. Nullus tamẽ adhuc vniuersale occupauerat imperiũ. vnde in comprehensione Romani poterãt illud suum iure gentiũ facere *l. qui enim. de acquir. re. do.* & licet exercerentur imperiũ, non tamen particularia domina à possidentibus perdebantur, quia dominia particularia non sunt Imperatoris, nisi quo ad protectionem *C. de preci. impe. offe. l. quotiens.* Præterea, vt dixi, Romani potius fuerunt defensores, vel si offensore fuerunt iudicio Dei & iuste, vt supra ostendi in vltimis confirmationibus. vnde iuste nacti sunt orbis dominium, cum essent Deo volente inuasores, quos neq; iuste propulsare licebat, *C. de his qui ad eccle. confu. l. si seruus.* & licet non essent Romani Christicolæ, iuste tamen obtinuerunt, quia nondum lux illa erat in mũdo, sed demonstrauit *Ioh. 1. c.* vnde post lucem ipsam si quis non esset de ouibus Christi, esse non posset fateor Imperator 24. *q.* 8. *conuenior.* ante vero Christum etiam gentiles, dummodo alias virtuosus, esse poterat Imperator. & si negas fuisse Romanos virtuosos & sic nobiles: ego inficior. Nam licet forte Romulus, tamen non credo, vel alii primi construentes vrbẽ non essent, sequentes fuerunt virtuosissimi, a quibus saltem incepit virtutis gradus & nobilitatis. Et licet forte ali qui, forent mali, & essent multi, populus tamẽ de se pro parte maiori pius, fœlix & clemens erat, vt supra confirmãdo dixi. vnde propter malos, vbi etiã boni sunt, nõ licet propterea vrbẽ Romã abiicere: sicut nec propter malos pisces licet retia Dei rũpere 2. *q.* 1. *multi*, cũ similibus. vnde si cõsiderãtur optime Romanorũ iura proxime relata, profecto nõ fuerũt inuasores alieni iuris, & bellorũ nunciatores, sed defensores, & defendẽdo orbis dominiũ acquisitores: & cum inuasores fuerũt, iusti erant offensores, maximẽ Iulius Cęsar, quem in pluribus epistolis inuenio fuisse pacis patriæ optimũ zelatorem. Nec refert, quid Cicero senserit de Cæsare, cum perraro de hoste benẽ sentiat hostis eius. Itẽ est Cæsar Augustus, qui primũ vniuersum orbis imperiũ nactus est. Nam post mortẽ Cæsaris Antonio & multis de imperio obtinẽdo decertantibus, nulli fauit sententia senatus & populi Romani, nisi ipsi Octauio, qui iuste populi decreto orbis habuit dominiũ, in ipsum omnis iurisdictio est translata *l.* 1. §. *cum autẽ. C. de vete. iure enucl.* & resistentes ei iniuste resistebant, cũ illi contra, ipse secundũ sententiam Romani populi pugnaret & si hæres legitimus ac filius Imperatoris Romani, vt in vltimo cõfirmationib⁹ ostendi: vnde merito & iuste ipse obtinuit, & cæteri debellati sunt. Taceãt igitur detrahentes Romano imperio, vt intelligãt profundissimis Dei iudiciis illud fuisse firmatũ. Cognoscãt quã cuncti, quod qui Imperatori resistit, Dei ordinationi resistit. 11. *q.* 3. *qui resistit:* ipsosq; profecto negantes Cæsarẽ nõ esse dominiũ vniuersi, & monarchiam suam non esse vtilem mundo & necessariam: nempe iudico hæreticos & insanos, cũ peccatum Ariolandi sit repugnare. i. non obedire, & scelus idolatriæ nolle acquiescere scilicet principi 32. *di.* §. *porro*, cũ necesse sit mundũ regi per vnum 33. *q.* 5. *hac imago.* & reipublicæ necesse sit per vnum consuli *l.* 2. §. *nouissime. de ori. iur.* Et quod iuste apud Romanos sit vltra ante dictas rationes facit tex. 12. *q.* 1. *futuram ecclesiam* 2. *q.* 7. *beati Petrus & Paulus. & in l.* 1. *C. de Iusti. co. confir.* illud Hieronymi dicentis, *virtutibus Romani meruerunt imperium*, 28. q. 1. §. *ex his.* Item cum dicit: Item quia & si totus orbis, pars eius tamen maior sub ipso fuit. vnde quod orbis pars maior fecit pro bono communi, non pro bono principaliter singulorum debet haberi ratum, cæteris etiã reluctantibus *ff. ad munic. l. quod maior ff. quod cuiusq; vniuer. no. l. nulli.* & quod notatur *extra de consti. c. cum omnis.* sed orbis pars maior imperium constituit apud Romã & Gayum Cęsarẽ, & postea in Augustũ, quod fuit opus necessariũ & piissimũ humano generi ergo iuste fuit apud eos, non alios, qui nunquam tale præmiũ nacti sunt. *deprecatio. ff. ad legẽ Rodi. de iactu, de quadrien. præscrip. l. bene à Zenone. & l.* 2. §. *si quis à principe. & §. merito, ne quid in loco publi.* Et ideo sine causa princeps rem meã alteri dare potest *l. item si verberatum ff. de rei vend. l. Titius. ff. de euic.* Et quia orbis pars maior potuit sibi principẽ eligere, *instit. de iure na.* §. *sed quod principi. C. de veteri iure enu. l.* 2. §. *cum enim, de orig. iur. l.* 2. §. *igitur.* sicut de Saulo dicitur quod populus ipsum regem constituit *Reg.* 1. *c.* 18. *q.* 1. *Moyses* 93. *di. legimus facit l. ex hoc iure. de iustitia & iure.* Et sicut collegium eligit prælatum sibi, vt in *c.* 1. *de elec.* ita & populi regem. esset enim orbis alias quasi monstrum, habens plura capita, *de offi. ordi. c. quanta.* cum tamen reipublicæ intersit per vnum consuli, *l.* 2. §. *nouissime. ff. de origi. iur.* ideo sub Cæsare sunt omnes nati 11. *q.* 1. §. *hac.* & ipse totius orbis obtinet monarchiam 12. *q.* 2. *c. futuram ecclesiam.* & merito, quia imperium traditũ est à cælesti culmine. *C. de vete. iur. enucle. l.* 1. *in principio.* Imperatorem enim misit Deus legem animatam in terris: *auth. de consuli.* §. *fi. col.* 4. Et ideo Deus de cœlo imperium constituit, vt difficilius legem imponat, & humano generi distribuat: in *auth. de fide instru. & ea.* §. *quia igitur. col.* 6. & sic cum à Deo sit imperiũ, quia non potestas, nisi à Deo: *de homi. c. pro humani.* §. 1. *li.* 6. qui ei resistit Dei ordinationi resistit, 11. *q.* 3. *qui resistit.* Nam qui pręceptum Imperatoris contemnit, sibiipsi iudicium acquirit & inter homines pœnas, & apud Deum frontẽ non habebit 11. *q.* 1. *Imperatores.* Concludamus igitur orbis imperiũ iuste fuisse diuino iudicio apud Romanos, & apud Iulium Cæsarem, & Gaium Octauium, & reliquos successores vsque in nostrum gloriosissimum Federicum.

SVMMARIVM.

Romanorum orbis terrarum Imperium, apud quos vel fuerit, vel hodie esse possit iure pleno, corroborationibus pluribus roboratur.

CAPITVLVM XXX.

ELucidauit satis, vt arbitrorum, per me Deus Romanorum de orbis imperio iura manifestissima, præterquam his, qui offuscari cupiunt inuidiæ nebulis. Nunc autem vt finem huic primo libello,

Digitized by Google

situt pollicitus sum, cõcludam, discutiendum censeo, si apud Bisantinos sacra hæc vnquã iura fuerũt, aut hodie sunt vel esse possunt; sine potius inuictissimos Germanicos esse dicendum est. Et dicerent profecto Græci Romanum imperium fuisse & esse adhuc apud ipsos. Nam Constantinus gloriosissimus fauore beati Siluestri & totius ecclesiæ sanctæ Dei, elargita vrbi ipsi matri ecclesiæ 12. *q.* 1. *c. futuram ecclesiam. & de elec. c. fundamenta in legatis ecclesia lib.* 6. sedem imperii constituit in Bisantum, 96. *di. c. Constantinus,* quod renunciare non potuisset in manibus papæ vel alterius præfecti, nec etiam eius successores sine licentia Romani populi, à quo recepit imperii dignitatem, *insti. de iur. na.* §. *sed quod principi, & l.* 1. §. *cum autem de vete. iur. enucle.* arg. *l. legatus. ff. de offi. præs. l.* 2. §. *& cũ placuisset. de origi. iur.* 17. *q.* 1. *consaldus.* non enim potest quis officium renunciare, nisi in manibus superioris, à quo recepit, dictis iuribus: si ergo Cõstantinus habuit, & successores adhuc hodie possunt dici habere. pro hoc videtur text. *de maio. & obe. c. solitæ.* vbi papa scribendo enunciat Constantinopolitanum Imperatorem, & verba enunciatiua papæ in suis litteris prolata quando super aliquo, in quo suam intentionem pontifex fundet, sunt prolata, probãt: vt in *cle.* 1. *de probat.* facit *de priuil. si papa li.* 6. sed papa in decretali *solitæ* fundabat intentũ suum dicens: quod quamquã Constantinopolitanus esset Imperator, tamen debebat Constantinopolitanum patriarcham facere sedere in parte sinistra in scabello posito ad pedes suos. Ex quibus enunciet eum Imperatorem, tali enarrationi, vt plenæ probationi, standũ est, dicta *clemen.* 1. *de probatio.* Et si est Imperator Constantinopolitanus: ergo nõ alter vniuersalis erit vel esse potest, cum talia iura non nisi vni principi danda sint 7. *q.* 1. *in apibus:* licet de facto aliquando duo fuerint, vt ibi. his tamen non obstantibus hæc summa veritas est, quod imperium fuit iure apud Constantinum & successores Græcos Cæsares vsq; ad quendã successorem alium Constantinum & Leonem eius filium, vt dictis iuribus, deinceps vero nõ. Nam aduertendũ est, quod Imperator protector & adiutor est ecclesiæ, & debet illam defendere: *de electio. venerabilẽ.* & exaltare papam debet 63. *distinctione, tibi Domino:* & tueri debet clerum. 96. *di. c. fin.* & miserabiles personas, 23. *q.* 5. *princeps c. administratores.* Item oportet scire, quod cum ecclesia ipsa Romana opprimeretur ab Astulfo Longobardorũ rege, ipsa ecclesia petiit patrocinium & auxilium à dicto Cõstantino tunc Cæsare & à Leone eius genito: & cum præstare patrocinium recusarent, Stephanus papa secundus natione Romanus transtulit imperium in Germanos: *de elect. venerabilem. de iureiuran. cle. Romani:* & datum fuit imperiũ primum Karolo Francorũ regi & filio Pipini: quẽ Zacharias papa ante præfecerat regem Franciæ, remoto Ludouico: vt 15. *q.* 6. *alius.* & hic Karolus papiam obsedit, & Desiderium impugnantem ecclesiam regem cœpit: vt 64. *di. Adrianus.* & facta fuit translatio talis, Anno Domini septingentesimo 56. secundum Goffre. vel secundum alios septingentesimo quinquagesimo quinto: quæ translatio cum fuerit iuridica, amplius non fuerunt Imperatores Græci, sed Germanici, qui electi legitimi demum sunt ab electoribus, qui potestatẽ eligendi ab ecclesia susceperunt. i. ab vniuersali collectione: dicto *c. venerabilem.* & intelligo modo *ab ecclesia.* i. ab vniuersali collectione fideliumq; ecclesia. Nam solus papa non disponeret vel cõcederet alicui ius eligendi Imperatorem seculare: cum hanc potestatem habere non reperiatur. & licet tex. in *c. venerabilẽ,* dicat quod Electores habent à sede Apostolica ius eligendi, intelligitur mediate, non immediate. Nam respectu illo habito, quod sedes Apostolica transtulit imperium in Germanos, per hoc possunt dici Electores habere à sede Apostolica potestatẽ immediate vero potestatem eligendi Electoribus non potest concedere, quia illam nõ habet. Et ideo papa non posset ipsos illos Electores priuare, & ipsum Imperatorem eligere: vt no. glo *de re. iudi. ad Apostolicã li.* 6 *in glo. pe.* Et quod iusta fuerit talis translatio, non absoluta, potest ostendi rationibus: Nam cum ipsi Cæsares teneantur auxiliari ecclesiæ, si erant vel sunt negligentes committunt peccatum grauissimũ, cum negligentia in principe sit enorme peccatũ 24. *q.* 1. *officii.* Et ideo si moniti persistunt in tali peccato & obstinatione, certe suspectam hæresim incurrunt 40. *dist. si papa,* & quod ibi dicitur, possuntque iuste anathematizari 23. *q.* 5. *administratores.* Et hæc omnia ipsis Græcis facta fuerunt: sed cum non propterea propter omnia ista se mouerint, iuste remoueri à principatu potuerunt: quia ex talibus peccatis & obstinationibus, etiam posset ipse pontifex remoueri 40. *dist. si papa:* quando peccatum est tale, quod scandalizat totam ecclesiã Dei. & pontifex & princeps in tali peccato obstinati, nec moniti resipiscunt à pontificatu remoueri queunt. ita remouit propter talia pisanum concilium Gregorium duodecimum, & sanctum Constantiense concilium Benedictum assertum pontificẽ duodecimum: & ipsum Gregoriũ iterum remouissent, nisi in sancta ipsa synodo iuri si quod prætendebat in Apostolatu renunciasset, vt renunciauit. facit ad hæc quæ dixi supra in prima quæstione in responsionibus ad prima agumenta in nona responsione. vnde merito Græci negligentes fuerunt priuati. pro hoc: quia imperium non debet esse extra ecclesiam nostram 23. *q* 8. *conuenior* 1. *q.* 1. §. *sed istud. & ff. de excu. tu. l. spadonem.* §. *iam autem.* & ibi not. glo. & *l. fi. C. de iudi. & in auct. iusiurãdam quod præsta. ab his. in prin. &* §. 1. *col.* 6. *& in prohemio institu. in prin.* licet olim ante aduentum Christi foret secus, *l. generaliter in fi. ff. de vnde legit.* ita not. glo. in dicta *l. fi. C. de iudi.* sed Græci sunt extra ecclesiam nostram. Nam sunt scismatici, & sic hæretici 24. *q.* 1. *in summa.* vnde eis non potest imperiũ iuste competere: sed est ex tali translatione apud Germanos, qui verè sunt Germani siue nobiles 34. *di. c. quorundam:* quamuis hodie Græci ab obstinatione, remoti, summum Romanum pontificem cognoscant, & eius adhæreant vnitati, remoto scismate, in quo dicebant pontificatum esse apud Constantinopolitanum episcopum: vt no. 22. *di. renuntiantes:* & nostrum regem Romanorum Fridericum in principẽ recognoscũt: vnde largo nomine Græcorũ dicitur Imperator: vt no. glo. *de elec. venerabilẽ.* & sic respondent ad *c. solitæ.* Et q̃ imperiũ sit apud Germanos. i. Theutonicos, est tex. *de consecra. di.* 5. *c. in*

Digitized by Google

dic. Et si est, quod est apud Theutonicos, iuste hodie est apud piissimũ nostrum monarchã gloriosissimum Federicũ, qui canonice nemine discrepante electus est: & ab his Principibus, qui de iure & cõsuetudine potestatem eligendi receperunt. *de elec. c. venerabilẽ.* & merito electus est: quia vir & princeps est sanctus & optimus, quod eius actiones ostendunt. nam pro reparatione status ecclesiæ sanctæ Dei concilium conuocari fecit pro tollendo sacrilego scismate de Dei ecclesia ipsa apud Cõstantiam prouinciæ Maguntinæ: quæ Charitas alteri principi non contingit: & tamen ipsum scisma horrendum 40. fere annis viguit in Christi ecclesia sponsa prædicta & tandem annuente Deo, & fauentibus sanctis orationibus sacratissimi Augusti, qui non parcens laboribus vel impensę per omnia Christianorum climata peragrauit, in Italiam primum, deinde in Galliam, Aragoniam atque Angliam. & primum in Germaniam, Illiriea & Vngaria sublatum est ipsum horridum scisma, renunciatione Gregorii & carceratione Iohannis 23. di. quem sancta Synodus condemnauit & deposuit & in carcerem trudit: licet postea ad cardinalatus officium per Martinum quintum restitutus extiterit in ciuitate Florentina, & damnatione Benedicti 22. alias 14. cui orbis omnis obedientiam sustulit; & ipse in mari apud Panisculum opidum iniustissimũ Aragoniæ se reclusit, & ibidẽ defunctus est: & à Synodo sancta præfata electus extitit sanctissimæ vitæ vir prosapiæ nobilissimæ de Columna natione, & ex Baronibus vrbis, Dominus Martinus Romanus, cui religiosissimus Cæsar & orbis vniuersus, vt vero Apostolico obedientiam præbuit.

Quod imperium non sit apud Græcos, sed in Germanos no. & tenet glo. *9. q. 1. in apibus*: & licet papa cum enunciat imperatorem: *de maio. obe. solita*, illud debet intelligi, quod fuit antequam fuisset facta translatio in Germanos: aut si tenes, quod post fuerit, dicas quod cum illa enunciatio fiat ibi à papa de facto alieno: potest tamen probari contrarium, vt nota. in dicta *clemen. 1. de probatio.* immo secundum aliquos ibi non facit probationem, nec transit onus probandi in aduersarium, nisi fiat motu proprio ipsius pontificis: vel dicas quod enunciatio papę etiam super eo, super quo fundat intentionem, non facit probationem, quando iura canonica aliud contra disponunt eius quod enunciatum est. sed sunt ad concordiam iura contraria reducenda: vt intelligatur, quod de facto nominatur Imperator in dicto *c. solita.* non de iure: cum de iure imperium non sit apud Græcos, dicto *c. venerabili.* Vel dicas, quod largo modo dicitur Imperator: vt notat glo. in dicto *c. venerabilem*, in verbo *in Germanos.* vel dic: & hoc videtur verius & magis notabile, quod tunc enunciatiua verba papæ disponũt vel probationem inducunt, quãdo emanant circa id, quod pontifex principaliter posset disponendo facere & inducere: vt si enũciat circa spiritualia vel ecclesiastica. Si autẽ enũciatio esset facta circa id, quod papa sua dispositione nõ posset principaliter inducere vel disponere, vt circa mere tẽporalia ipsi nõ subiecta: *de iudici. c. nouit*, tunc talis enunciatio. Et si esset talis, vbi pontifex fundaret intentionem suam, nullam dispositionem nec probationem induceret inter non subditos pontifici. Nam si non potest sua principali dispositione de nõ sibi subiectis disponere, *de foro compe. c. licet ex suscepto. & de iudi. c. nouit*, multo minus sua enunciatione disponet vel probationem inducet. sed disponere de iure imperii secularis, non spectat ad pontificem, nisi in subsidium, vt dictis iuribus. ergo nec enunciando de ipso quicquã disponit. Et ideo dixi in quæstione iam de facto, cum papa concessisset Dominis quibusdam in temporalibus facultatem exigendi septuaginta milia ducatorũ à clero suo, eò quia dicebat in dictis priuilegiis illos Dominos temporales pro ecclesia esse obligatos illustri Comiti Guidantonio Comitis Montis fereti in dictis septuaginta milibus ducatorum, quod ex talibus verbis per pontificem enunciatis probatur obligatio, quod dicti Domini temporales essent obligati ad dictam quantitatem dicto illustri Comiti, iuribus & rationibus ante dictis. Et quia vbi non potest consensus disponere, ibi nihil operatur cõfessio, vt est tex. in *c. super eo, de eo qui cognouit consangui. vxo. sua.* ad hoc, quod scribitur in *l. si forte. ff. de castre. pe. & l. si donatione. C. de collationibus.* sic in nostro casu cũ enunciat illum Imperatorem, qui nõ est, ex hoc nulla probatio vel dispositio sequitur. Concludamus igitur Romanum imperium iuste esse apud Germanos, & per consequens apud nostrum monarcham iustissimũ Fredericũ, cuius vota Deus æternus prospere, feliciter & perpetuo secundet.

FINIT TRACTATVS DE POTESTATE IMPERATORIS AC PAPÆ: ET AN apud papam sit potestas vtriusq; gladii: & de materia conciliorum qui appellatur Monarchia, editus per excellentissimum vtriusque iuris Doctorem Dominum Antonium de Rosellis de Aretio.

GREGO-

GREGORII DE HEIMBVRG IC. ET CONSILIARII ARCHIDVCALIS AVSTRIACI,

Admonitio

DE INIVSTIS VSVRPATIONIBVS PAPARVM ROM. ad Imperatorem, reges & principes Christianos,

SIVE

CONFVTATIO PRIMATVS PAPÆ, TEMPORE Felicis Papæ V. & Eugenii IV. Antipapæ ſcripta, ſub Friderico III. Imperatore.

SCIENTI *bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi:* Iac. 4. Vbi Gloſſa, *Magis peccant ſcientes, & non facientes, quam ſi neſcirent.* Licet ipſa boni ignorantia magnum ſit peccatum, cum ſcriptũ ſit, *Ignorans ignorabitur.* Ignorantibus enim, tanquam virginibus fatuis, Chriſtus dicet, *Neſcio vos.* Hoc vtique verum eſt de ignorantia affectata, ſecundum Gloſſam vbi ſupra, ſcilicet cum quis non vult nec ſcire, nec diſcere, cum poſſit. Neminem igitur ignorare decet, quæ ſunt publica: nemoque excuſatur in negligentia, boni ignorantiam prætendens, ſaltem eorum quæ ſcire tenetur: multo minus, ſcientiam habens.

Damnabilis igitur ſcientia Prælatorum & Doctorum, quam in opere nihil boni ſequitur, imo opere doctrinæ repugnatur: cum impugnatio veritatis agnitæ, quæ peccatum eſt in Spiritum ſanctum, tales redarguat, & ſi non corrigatur, damnabiliter inuoluat. Ex iis Prælatis & Doctoribus ſcientia præditis, eloquentia fulgentibus, opere peruerſis, & ſuæ ſcientiæ verius diuinæ contradicentibus, conſtituta eſt Eccleſia carnalis, quam Ioannes Apocalyp. XVII. *meretricem magnam, ſedentem ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram, de vino proſtitutionis eius*, vocat.

Videamus ſtatum præſentis Eccleſiæ, cuius caput totum mundum humiliare ſatagens, imperium ſuppeditans, offerens beneficia vænalia, vinum proſtitutionis huiuſmodi quibuſdã huic capiti familiaribus adhærentibus Eccleſiaſticis dulce, Principibus & ſecularibus, primum quidem acerbum, ſed aſſuefactione ſophiſticatum propinat. Qui quadam praua, non dico conſuetudine, ſed corruptela inebriati, putant omnem talem proſtitutionẽ ex diuina inſtitutione ortam: quia ſophiſtice ille proſtitutor ex commiſſione ouium Apoſtolo facta, eius ſe dicit vicarium, imo Chriſti plenitudinem poteſtatis ſe accepiſſe gloriatur. Cuius contrarium ipſe ex verbis Chriſti ſciens, tamen iniquę ſcientiæ contrauenĩens peccatum, quod ſcienti & non facienti (ſecundum verba aſſumpta) eſt, vſquequaque non erubuit: ac per hoc peccatum accumulans, totum mundum ſibi ſubiecit. Et ſic hæc meretrix ſedet *ſuper aquas multas:* id eſt, populos, ſecundum expoſitionem Angeli, *eodem capite.* Sedet enim, oligarchiæ totius mundi dominium vſurpans; mentienſque ſibi tanquam Chriſti vicario, & Petri ſucceſſori, à Domino plenitudinem poteſtatis eſſe collatam, vt ridiculoſe videri poteſt. *Tit. de iureiurand. & de ſentent. & re iudic.* & nouiſſime in libello quodam Eugenii quarti, pleno erroribus, qui incipit, *Deus nouit, &c.*

Hac vſurpatione poteſtatis in Eccleſiæ ſanctæ diſcrimen, ſecularis & imperialis dignitatis præiudicium, & totius mundi inquietudinem, idcirco tantum inualuit, quod nemo Doctorum auſus fuit contradicere: aliis tacentibus ob ſpem promotionis ad beneficia, aliis ob metum perdendi iam adepta. Liberius fuit à multis annis de poteſtate Dei, quam Papæ prædicare vel diſputare. Omnes enim vino dictæ meretricis inebriati, dulcedine mulcebroſa tacti, adulantes ſacram Scripturam exponunt in confirmationem erroris retorquentes. Quod quia Imperatores, Reges, Principes, & Communitates, vel propter ignorantiam ex ſtudii & ſcientiarum in adſuefactione prouenientem, vel propter nimiam laſciuiam mundanam eos occupantem (quam in eis laureatus Poeta *de Laude vitæ ſolitariæ tractatu IV.* in principio deplorat) videre non potuerunt, ad tantam ſeruitutem deducti ſunt, vt credere compellantur, fidem hanc eſſe de neceſſitate ſalutis; *Papam ſcilicet habere tantam ſibi à Chriſto collatam plenitudinem poteſtatis, vt poſſit omnia quæ in terris ſunt, diſponere pro libitu voluntatis ſuæ: nec quiſquam ei audebit dicere, Cur ita facis? Cum etiam* (vt terminis vtar ſuorum adulatorum) *ipſe Papa Angelis habeat imperare.*

Et *nunc Reges intelligite*, ſecundum Prophetam, *erudimini qui iudicatis terram*, attendite & videte peccatum grauiſſimum: quia ſcientes Epiſcopi Romani bonum non faciunt, imo veritati Euangelii contradicunt in facto. Euangelium enim *Lucæ XXII.* oſtendit, Chriſtum nec Apoſtolis

nec Petro aliquam plenitudinem potestatis vel dominatus tradidisse, imo dominatum & potestatem verbo & exemplo prohibuisse dicens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos. Benefici vocantur, vos autem non sic.* Vbi Origenes, Hieronymus, Chrysostomus & Basilius, concorditer loquentes sentiunt, quod Principes seculares non contenti tantum habere subditos, sed etiam dominando eis vtuntur: *Vos autem non sic*, scilicet vos Apostoli & mei successores sed vestrum est seruire, ministrare, & pascere verbo & exemplo. Quare vestras vtilitates negligatis, & inferiorum procuretis, & mori pro salute inferiorum non recusetis, *non turpis lucri gratia, neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*, vt inquit Petrus in *prima Canonica, cap. 2.*

Putet fortasse quis, quod concesserint Christus & Petrus Papæ dominatum in populo: qui prohibent ipsum inter Apostolos, & in clero? Audiat beatum Bernardum libro de Considerat. tract. IV. ad Eugenium Papam: *Quod* (inquit) *habuit Petrus, hoc dedit, sollicitudinem* (vt prædixi) *super Ecclesiam. Nunquid dominationem? Audi ipsum: Neque vt dominantes, sed forma facti gregis ex animo. Ne autem dictum sola humilitate putes, verum etiam veritate, vox Domini indicat in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Planum est, quod Apostolis interdicitur dominatus. Igitur tu vsurpare audes, aut vt Dominus Apostolatum, aut vt Apostolus dominatum? Plane ab vtroque prohiberis. Si vtrumque simul habere velis, perdes vtrumque. Alioquin non te de numero illorum putes exceptum, de quibus conqueritur Dominus sic: Ipsi regnauerunt, sed non per me: Principes extiterunt, sed non cognoui eos.*

Paulus quoque 2. Timoth. 2. *Nemo* (inquit) *militans*, id est, in spiritualibus, secundum Glossam beati Ambrosii, *se implicat secularibus.* Et quid Apostolus velit, *prima Corinth. 6.* ostendit, scribens, non Petro, non Clero, sed Vniuersitati fidelium: *Secularia*, inquit, *iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Textum supra scriptum exponentes Ambrosius & Augustinus, in Glossa, sic inquiunt: *Super iudicia constituite contemptibiles: id est, minoris meriti, quam sunt Presbyteri & Sacerdotes. Qui autem spiritualibus dotati sunt, secularibus implicari non debent, vt dum non coguntur inferiora disponere, valeant superioribus deseruire.* Hæc est Glossa, etiam sumpta de moralibus Gregorii.

Ad hunc intellectum loquitur Bernhardus *primo de Consid. cap. 2.* ad Eugenium Papam, & alios Romanos Episcopos, dicens: *In criminibus, non in possessionibus potestas vestra. Propter illa enim non propter has, claues accepistis regni cœlorum, praeuaricatores exclusuri, non possessores. Vt sciatis*, inquit, *quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata.* Et subdit: *Quaenam tibi videtur maior dignitas & potestas? dimittendi peccata, aut diuidendi prædia? Habent hæc infima & terrena suos iudices, Reges, Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in messem alienam extenditis?*

Ex quibus patet, fabulam & figmentum esse, quod in *Decretalibus Pontificum Romanorum* scribitur, quod à Christo habeant plenitudinem potestatis sibi collatam: & huiusmodi dominiũ, vt & Regibus & Principibus in temporalibus præfecti sint.

Ridicula est etiam probatio, quam adulatores Paparum ad id consueuerunt adducere ex *cap. de ma. & obe.* de Luna & Sole. Nam quamuis Luna recipiat lumen à Sole, non tamen motum & influentiam: ita, quamuis Reges & temporales Domini per lunam designati recipiant, & recipere debeant lumen doctrinæ à Papa & suo Clero, per Solem designatis, non tamen eis ex hoc dominari concessum est. Imo similitudo bene intellecta efficit contrarium. Nam illa duo luminaria, scilicet Sol & Luna, sic creata sunt, vt Sol præsit diei, Luna nocti: sic Papa & Clerus præsunt diei, id est, doctrinæ spirituali, & orationi, ad impetrandum diuinam misericordiam, vt notatur *ad Hebr. 2.* Illa autem quæ Dei sunt, lux & dies sunt: quibus præesse debet Papa, sub metaphora Solis. Quæ autem mundi tenebræ & nox sunt: quibus præesse debet Imperator, sub metaphora lunæ. Sicut igitur Sol, quanquam illuminat lunam, nullum tamen dominium habet in eam: sic Papa & Clerus, etsi luce doctrinæ debeant Imperatorem & seculares illuminare nullum tamen datum est eis dominium à Christi institutione in eos, sicut nec magistro in discipulos.

Ad hunc sensum scribit Apostolus 2. Corinth. 10. dicens: *Testem inuoco Deum in animam meam, quod parcens vobis, non veni vltra Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ.* Vbi Gloss. Quare dicit, *non quia dominamur?* quia cum dixit, *parcens vobis*, ne forte indignarentur designato dominio, ideo dixit: Non dico *vobis parcens*, quia dominemur, sed quia adiutores gaudii & emendationis vestræ sumus, in qua est libertas, non dominium.

Imo non esset expediens, spirituales Doctores, Papam & suos habere dominium, vel coactiuam potestatem. Nam compulsis & inuitis nihil vel modicum prodest fides, & quæcunque exhibitio virtutis. Constat enim, coacta seruitia Deo non placere. Idcirco nec Iudæi nec Pagani ad susceptionem fidei, per vllam legem à Christo datam compelluntur sub pœna præsentis seculi. Si ergo Christus dedit Papæ (sicut seipsum fallendo decretare solet) plenitudinem potestatis in Christianos Reges, quare non in Iudæos? Quod si sic, culpa eius grandis est, quod saluti eorum, tanquam potestatis plenitudinem habens, non prouidet.

Dictis alludit Chrysostomus in suo Dialogo, qui etiam *de dignitate sacerdotali* intitulatur, lib. 2. cap. 3. inducens supra allegatum dictum Apostoli, *Non dominamur fidei vestræ*, dicens: *Hi qui foris sunt iudices seculares, malignos quosq; cum subdiderint, ostendunt in eis plurimam potestatem, & eos inui-*

Multos à prioris vitæ prauitate compescunt. In Ecclesia vero non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora conuerti: quia nec nobis à legibus data est talis potestas, vt auctoritate cohibeamus homines à delictis. Et in personas omnium Sacerdotū hæc dixit. Subdens aliam causam sui dicti, inquit: *Nec si nobis data esset talis potestas, haberemus vnde exerceremus huiusmodi potestatem, cum Dominus noster Iesus Christus nō necessitate & violentia submotos à peccato, sed propria voluntate se sponte abstinentes, remuneraturus.*

Sed si aliqua cohercio contra hæreticos necessaria fuerit; per fideles Principes à DEO potestatem habentes exerceri potest, & debet, *ad nutum Sacerdotis*, & non imperium, vt dicit Bernhardus, vbi supra, cum ex Scripturis sanctis nullum habet sacerdotium secularem principatum.

Imo talem assumere Clerum, Christus non solum (vt patet ex præmissis) verbo præcepti vel Consilii prohibuit, verum etiam exemplo suo, quod Clero specialius debet esse disciplina morum, aperte demonstrat; quando non solum à se, suisque discipulis exclusit seculare dominium, verum etiam seculari potestati voluit suos subiicere: imo sese exhibuit ipsi potestati iudiciali subiectum. Nam filius hominis non venit iudicare mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: *Iohannis 12.* Et Iohannis 18. ad Pilati quæsita respondit, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* probat: *Nam si regnum meum, &c.* Quem locum exponentes Sancti, primum beatus Augustinus dicit: *Per hæc verba Christus Iudæis & Gentibus opportunius, apertiusque respondit, quasi diceret: Audite Iudæi & Gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quid vultis amplius? Venite credendo ad regnum meum, quod non est de hoc mundo.* Chrysostomus super eodem passu: *Non priuat*, inquit, *Christus mundum sua præsidentia & prælatione, sed ostendit regnum suum non esse humanum & corruptibile.* Item Augustinus supra dictum: *Tu dicis, quia Rex sum ego*, inquit: *Non quia se Regem timuit confiteri, sed ita liberatur, vt nec se Regem neget, nec Regem talem se esse fateatur, cuius regnum putetur esse de hoc mundo.* Dictum est enim: *Tu dicis*, id est, *Carnalis carnaliter loqueris.*

Ex quibus patet, quod Christus mundanum Regem se esse negauit verbo. Vide quomodo Christus Rex esse voluit, imo fugit vtiq; : *Ioan. 6.* Et per B. Augustinum & Chrysost. super eodem passu. Et *Luca 12.* dicitur, quod Christus rogatus per quendam de turba, vt diceret fratri, vt diuideret secum hæreditatem, respondit: *Homo, quis me constituit iudicem? &c.* Super quo beatus Ambrosius: *Bene terrena declinat, qui propter diuina descenderat. Nec Iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, viuorum mortuorumque habens iudicium, arbitrium, meritorum.* Et subdit: *Merito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare.* Hæc ille. Ex quibus patet, quomodo Christus refutauit temporalem potestatem, atque mundanum dominium.

Restat nunc videre, quomodo se suo exemplo seculari potestati subiectum exhibuit: per illud innuens, cunctos fideles, tam Clerum quam Laicos, subesse debere realiter & personaliter iudicio coactiuo Principum huius seculi. Dixit enim Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Glo. interlinearis: id est, *pecuniam & tributum.* Super quo Chrysost. *Tu*, inquit, *cum audieris, Redde, quæ sunt Cæsaris, &c. scito dictum in omnibus, quæ pietati concordant.* Et beatus Ambrosius in Epistola contra Valantinianum, quæ intitulatur, ad plebem: *Solue*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Tributum Cæsaris est, non negetur.* Et rursus Matth. 17. Christus iussit solui didrachma pro se & pro Petro, super quo Origenes: *Filius*, inquit, *Dei, qui nullum opus fecit seruile, quasi habens formam serui, quam propter hominem suscepit, tributum dedit.*

Vnde patet, si Christus suos Vicarios, & Petri, qui se præfuerunt cunctis mortalibus, voluisset habere exemptos, pro se & Petro didrachma non soluisset. Ad hunc sensum loquitur beatus Ambrosius in epist. cuius titulus, *De tradendis basilicis: Tributum*, inquit, *petit Imperator, non negetur: Agri enim tributum soluunt.* Subdit: *Soluimus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: tributum Cæsaris est, non negetur.* Et beatus Bernardus in epist. ad Archiepiscopum Seuerum: *Sunt*, inquit, *qui suggerunt subditis, suis superioribus rebellare. Christus aliter iussit & gessit: Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quod ore loquutus est, mox opere impleri curauit. Conditor Cæsaris non cunctatus est Cæsari reddere censum. Exemplum enim dedi vobis, vt & vos ita faciatis.*

Consequens est videre, quid in hac materia Christus commiserit suis Apostolis. Puto nihil aliud, nisi quod verbo & exemplo docuerit. Ait enim Apostolus ad Titum 3. *Admone illos quibus prædicas, subditos esse Principibus & potestatibus*, non dixit, *Episcopis.* Vbi beatus Ambrosius: *Admone, quasi diceret; etsi habes tu imperium spirituale de spiritualibus, tamen admone illos subditos esse Regibus & Principibus quia Christiana religio neminem priuat iure suo.* Quod dixit pro tanto Ambrosius; quia etiam fideles Regibus malis & infidelibus docuit Apostolus subesse. Quemadmodum dixit idem Apostolus *prima ad Timoth. vltimo*, vbi Glossa (secundum beatum Augustinum) *Sciendū quosdam prædicasse, communem omnibus in Christo libertatem esse: quod de spirituali libertate, qua Christus nos liberauit, vtique verum est, non de carnali, vt illi intellexerunt.* Ideo inquit Glossa Augustini: *Hic contra vos loquitur Apostolus, iubens seruos suis dominis subditos esse.* Ideo causam addit Apostolus: *Ne blasphemetur nomen Domini*, quasi aliena inuadentis: & lex Christiana quasi iniusta contra leges prædicet ciuiles.

Qua igitur conscientia præsumit quis Sacerdos, etiam Papa, obsoluere fideles imperii vasallos à iuramento fidelitatis, & ab obedientia, ad quam CHRISTVS, & Apostoli vnumquemque adstringunt, potissimum salua fidei pietate? Et si Papa cum lege sua oligarchica poterit dispensare, cū lege diuina non poterit sine erroris nota.

Vnde Apostolus ad Romanos 13. quo in hac materia nihil manifestius: *Omnis*, inquit, *anima*

Digitized by Google

(id est, homo) *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à* DEO. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Nam Principes non sunt timori bono opori, sed malo. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malefeceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit. Ideoque ex necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ecce Apostolus neminem excepit, neque Petrum, neq; suos successores. Petrus hoc idem sensit in II. capite primæ Canonicæ : *Subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter Dominum*, scilicet constitutæ in principatu. Quem intentum aperit, dicens: *Regi tanquã præcellenti. &c.* Quibus omnibus comparatis, & adiunctis Patrum expositionibus, clarissimè patet, quid Christus tradiderit Apostolis potestatis, & quid Apostoli suis successoribus : certe nihil aliud in Scripturis sacris reperiri clare poterit, nisi quod sint subiecti Regibus & principibus, non quod dominentur.

Nec doctrina Apostolica præmissa, facta verbo, caret facto & exemplo. Nam vt habetur *Actorum XXV.* Paulus a Sacerdotum iudicio ad Cæsarem appellauit, dicens : *Ad tribunal Cæsaris sto.* Glossa interlinearis: *Quia hic est locus iudicii.* Nec putandum est, Apostolum hoc metu mortis fecisse, qui iam pro veritate mori deliberauerat, vt *Actorum XXI.* Quis autem demens æstimabit, Apostolum suo verbo tantum crimen admisisse, producendæ vitæ suæ gratia, vt omne sacerdotium indebite subiecerit suo exemplo & doctrina iurisdictioni Principis secularis? Maxime, quia non compellebatur ascendere Hierosolymam, ad tam præiudiciale mendacium toti sacerdotio faciendum. Apostolum igitur credendum est sensisse in opere, quod protulit ore, secundum imitationem sui magistri Christi, qui se Vicario Cæsaris in iudicio subdidit, ac ei illam potestatem iudicandi, desuper datam, non solum permissam, dixit.

Quibus omnibus summatim recollectis, patet luce clarius, sacerdotio nullam potestatẽ, multo minus plenitudinem potestatis mundanæ & temporalis, à Christo collatam : imo verbo & exemplo Apostolis, & per consequens Apostolorum successoribus esse interdictam.

Hæc præmissa nostri Papæ sciunt : id est, scire deberent, quæ si nesciunt, eorum ignorantia peccatum non eleuat, sed aggrauat. Imo ex sacra Scriptura per Sanctos exposita, oppositũ eius deducere non possunt: & tamen suis fabulosis *Decretationibus*, quo ad præsentem materiam, oppositũ scribunt, & ad practicam multis annis, ad imperii, imo totius Christianitatis inquietudinem & desolationem, ponunt & posuerunt. Peccatum igitur est eis, quia iuxta assumptum verbum, *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.*

SEQVITVR SECVNDA principalis pars.

PORRO primitiua Ecclesia præmissa sciens, & ob hoc nullum seculare dominium sibi vendicans, sanctis moribus & doctrinis Ecclesiam ædificauit, & Imperium Romanum ad fidem Christi & sui sacerdotii reuerentiam induxit. Sed postquam effrenata cupiditas ac fastus dominandi. Ecclesiam modernam & carnalem effecit, miris sophisticationibus reuerentiam Imperatoris conuertit in debitum : priuilegium & immunitatem à deuotis Imperatoribus concessam, in dominium : & sic paulatim in vsum vsurpatorium plenitudinis potestatis processit. Quod videre poterit quiuis clarissime, intueri volens *Chronicas* & *Speculum historiale.*

Nam reuera à beato Petro vsque ad sanctum Syluestrem, tempore Constantini Magni, in hac materia temporalis dominii nulla fuit quæstio, trecentis fere annis. Sublimati enim in Papam, non ad temporale dominium, sed ad martyrium trahebantur trecentis fere annis. Huius Ecclesiæ gloria fuit, non purpura, non diuitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus; sed, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, Domine:* sperantes ex hoc non acquirere sedem temporalis eminentiæ, sed sedem iudicantium duodecim tribus Israel, iuxta Christi promissam. Sed à tempore Syluestri, qui fuit tricesimus quartus Papa à Petro, incœpit Ecclesia mixta. Sanctus enim Syluester Constantini donationem pro vsu Notariorum, qui gesta Martyrum describerent, & pauperum, non in dominium, sed vsumfructum acceptauit. Et vt mixtura in sede Paparum Romanorum appareat Ecclesiæ sanctæ, & carnalis, tertius post ipsum Liberius Romanorum Papa, dictus Leo, non de tribu Iuda, hæreticus Arrianus factus est: & nisi surrexissent sancti Doctores, Hieronymus, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, quorum meritis & doctrina Ecclesia fuit illuminata, vtique pro tunc abusu temporalium fides Romana sed non Petri, defecisset.

Ab hoc tempore vsque ad tempore Othonis primi habuerunt Papæ ab imperio multam reuerentiam & deuotionem, sic quod Imperatores ex deuotione & reuerentia in principio promotionis eorum alii legatione, alii personis propriis se præsentarint Papæ, eius benedictionem petentes & recommendantes se suis orationibus ad imperii gubernationem & statum salutarem. Et, si aliqua hæresis surrexisset (sicut multæ illis temporibus surrexerunt) tum de mandato vel supplicatione diuersorũ Imperatorũ Concilia sacra celebrata sunt, in quibus ab Ecclesia aliquando Papæ accusati coram Imperatoribus canonice sunt purgati, quando adhuc nullum dominium Papa sibi vsurpabat. Sed sub imperatorum priuilegiis & dominationibus ita reuerenter habiti sunt

Digitized by Google

sunt Papæ, vt etiam quidam Imperatores ex deuotione à Papa coronari voluerint. Et tunc insolescere incipientes, plures ab Imperatoribus depositi sunt. Vt puta Ioannes 12. quia lubricus & incorrigibilis fuit, ab Othone primo deponitur, & Leo 9. substituitur: communique voto statuitur, *quod nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatorum*. Othonum itaque tempore, quia Imperium fuit validum, insolentia Paparum fuit refrenata. A quibus cum voluntate Romanorum & Imperii procerum constituti sunt Electores Imperatoris: non auctoritate Papæ, quia nihil ad eum pertinebat, nisi reuerentia deuotionis.

Post tertium Othonem incœperunt cogitare Papæ subtiliter, quo modo Imperatores deuotos & reuerentiales facerent suos subiugales: & non erat eis modus conuenientior, & Imperio periculosior, quam corrumpere Electores, saltem spirituales, & ponere in seditionem, vt electio fieret per discordiam, & sic necessario haberent partes ad Papam, & ad eius sedem recurrere. Vnde multa schismata in Imperio Papis agentibus orta sunt. Quibus non obstantibus, Henrici tertii temporibus adhuc per Reges & Principes prouidebatur sedibus Episcopalibus, & per Episcopos cū scitu Principum aliis beneficiis. Vnde, cum Cardinales graue schisma trium Paparum procurassent, quidam Heremita scripsit Imperatori, in hæc verba:

IMPERATOR HEINRICE,
OMNIPOTENTIS VICE,
VNA SVNAMITIS
NVPSIT TRIBVS MARITIS:
DISSOLVE CONNVBIVM,
ET TRIFORME DVBIVM.

De hoc scismate dicitur, vigesima tertia distinctione, *In nomine Domini*. Ille Henricus collecto exercitu se transtulit ad Italiam, & captis tribus Papis, ductisque Romam, fecit synodum, & synodaliter omnes relegauit, & substituit Clementem secundum, & compulit Romanos iurare ad vitandum de cætero schismata, & quod nemo sine consensu Imperatoris in Papam assumatur. Quod factum Cardinales & Papa ægre ferentes, timentesque se optatum dominium in Imperium consequi non posse, nisi procuratis dissensionibus in Germanica natione, tunc potentissima; concitauerunt Rodolphum Ducem Sueuorum & Burgundiæ contra Henricum quartum, mittentes coronam auream Maguntino & Coloniensi, dantes eis in mandatis, vt contra Heinricum constituerent Regem Rodolphum. Et sequutum est inter eos bellum grauissimum, in quo victus est Rodolphus, qui exspirans suis astantibus dixit: *Iussio Apostolica, & petitio Principum, me fecit iuramenti transgressorem: videte igitur manum abscisam; qua iuraui Domino meo Henrico, non vitæ, nec gloriæ eius insidiari.* Quo victo, Maguntinus de Papæ mandato, & Saxonum adiutorio, alium suscitauit Henrico aduersarium; Constituit Regem Hermannum Knoflock: contra quem cum Heinricus pugnaret, à Gregorio septimo excommunicatus est. Quod ægreferens Heinricus (sicut merito) collecto exercitu, Gregorium de Roma ad Franciam fugat: & Vippertum Rauennæ Episcopum Papam constituit, quem Clementem nominauit: & factum est schisma, videlicet Papa procurante. Mandantibus etiam Papis, & spiritualibus Electoribus exequentibus, bella Saxonum contra Imperatorem facta sunt: in quibus tanta strages Christianorum & Almanici sanguinis facta est, vt etiam ipsi Gregorio, horum malorum Procuratori, horrenda videretur: & nefas suū confessus, omnem processum contra Henricum & suos famulatum retractauit. Successor autem suus Paschalis X. potestate vsurpata par, sed malitia maior Gregorio, Principes contra Henricum IV. concitauit, imo eius proprium filium, quem etiam contra patrem fecit per multos Episcopos Rheni in Regem coronari, & vocari Henricum V.

Heinricus igitur Quintus cum exercitu grandi Romam veniens, & Papæ benedictionem & coronationem deuotione consueta petens, requisitus est à Papa, vt præstaret iuramentum fidelitatis. Et hic primus in Chronicis repetitur exegisse iuramentum ab Imperatore. Rex autem iurare nolens, dixit, *Imperatorem nemini iurare debere, cui iuramentorum sacramenta ab omnibus sint exhibenda.* Facta igitur contentione, quis eorum videretur maior, contra Euangelium Christi *Lucæ* 22. vt supra, irruerunt Romani, & factum est prælium durissimum in domo S. Petri, quale prius non est auditum. Præualuit exercitus Regis, repleta est domus sanctificationis morticiniis, profluxit sanguis in Tyberim, visi sunt ibi Cardinales trahi nudi funibus in colla missis, Papamque ligatum. Nec solui potuit, nisi promissione præcedente, quod Papa dimitteret de cætero libertates Imperii & Imperatoris infractas, præcipue de inuestitura Episcopatuum & Abbatiarum per virgam & annulum, authoritate & consuetudine à Carolo Magno habitas, & continuatas per trecentos annos sub 63. Apostolicis Episcopis. Habentur hæc in summa sparsim *lib.* 27. *Speculi historialis, cap.* 10.

Ex quibus patet, quæ fuit Cardinalium Paparumq; intentio, quamuis animositate Imperatorum iure repressa. Cautelose tamen sub Lotario & Conrado *Decretum* compositum est. In quo quamuis sint cum sanctorum autoritatibus, Paparum *fœnum & paleæ* (*al. frasck.*) multæ mixtæ, tanta tamen à quibusdam ei datur reuerentia, vt Euangelium putetur esse contentum in eo. Et ex tunc carnales Papæ ex *Decreto*, quasi libro authentico, plenitudinē potestatis, non tamen ex Euangelio, assumere, præsumpserunt in tantum, vt Adrianus Secundus Friderico primo petitam,

Digitized by Google

more prædecessorum suorum, benedictionem negaret. Qui strepam equo, Papa desidente, sinistrā tenuit: cum dextram, vt voluit Papa, tenere debuisset. O Deus, quanta superbia! Die sequenti valde punita est sedes Romanorum, facta cæde à Teutonicis, qua maior ante non fuit audita vno bello. Hoc Friderico residente in Almania, mortuo Hadriano, ortum est schisma magnum per electionem Cardinalium, sed sedatum per optimum Fridericum.

Demum Innocentius tertius composuit *Decretales*, pro maiori defensione plenitudinis potestatis. Vnde mortuo isto Friderico, Innocentius quartus & sui successores disposuerunt cum Electoribus Imperii quod semper in discordia eligerentur duo vel tres Imperatores; in eum finem, vt cuius partem Papa foueret, sustineret Papales vsurpationes, & cogeretur ad iurandum & resignandum Papæ iura imperialia, & collationes Episcopatuum Abbatiarum, & cæterorum beneficiorum: quæ Imperio existente vnito, semper contra Papas (vt supra patet) defensa fuerunt.

Et hoc totum, quod ad huiusmodi partialibus imo schismaticis Regibus extorquere poterant, *libro VI. Decretalium* & *Clementinis* pro iuribus à Christo collatis conscribi fecerunt, & sic diuiso vel vacante Imperio ad vlteriora processerunt, reseruantes sibi omnes electiones, & dignitates, quantumcunque Canonice dispositas: imo collationes beneficiorum, nihilominus grauantes Episcopatus & beneficia, cum annatis, & cæteris symoniacis exactionibus, pro confirmationibus, quę alias ad Imperiū pertinebant, vt sic Papę exhauriant thesauros mundi, quasi imperio non contenti sint vsurpato. Et merito nostri Papæ se possunt dicere & scribere *vicarios Christi & Petri*, præmissis attentis: quasi ab eis acceperint totum ausum gloriandi de plenitudine potestatis, quem tamen ausum Paulus insipientiam dixit, 2. *Cor.* 2.

Prædicta epilogizantes videre poterunt, quid intersit inter Christum Dominum & Vicarium suum.

Christus enim regnum mundanum exclusit:
Vicarius illud ambit.
Christus regnum fugit oblatum,
Vicarius ingerit, vt habeat negatum.
Christus se negauit constitutum secularem iudicem:
Vicarius præsumit iudicare Cæsarem.
Christus se subdit Cæsaris vicario,
Vicarius Christi se præfert Cæsari, imo toti mundo.
Christus appetentes primatum reprehendit,
Vicarius de primatu etiam cum tota Ecclesia contendit.
Christus in die Palmarum in asino equitasse legitur,
Vicarius pomposo equitatu non contentus est, nisi dextra strepa ab Imperatore teneatur.
Christus discordes Iudæos & gentes in vnum regnum Ecclesiasticum congregauit,
Vicarius Germanos olim concordes sæpe seditionibus conturbauit.
Christus innocens patienter iniurias pertulit,
Vicarius reus Ecclesiæ & Imperio iniuriari non cessat.

Quod abolere & reformare sacrum Concilium Basiliense satagens, & Christi præsentem vicarium ad aliqualem formam vitæ Christi reducere cupiens, impeditur vsque nunc. Nam reformatione incœpta, quia curiam Papæ tetigit, ventum validum contra se commouit, ita vt nauicula Petri videatur quasi fluctibus absorpta: quæ cū mergi non possit, fluctuat. Quod fit, quia hi, qui primo contra insolentias Eugenii fuerunt in ipso, & cum ipso sacro Concilio feruentissimi, ita quod electionem eius etiam publice declararunt inualidam, & ad eius vsque depositionem, nisi humiliatus fuisset, erroresque suos retractasset, processerunt, per eum corrupti, iam contra ipsum sacrum Concilium, vna secum errores eius approbantes, sine fœdere rebellant: primatumq;, quem sacro Concilio prius Catholice ascripserunt, ipsi nunc erroneæ asscribere non verentur. Meretrix enim supra descripta tot habet amatores, ne dixerim adulatores, de vino prostitutionis eius inebriatos, vt sponsa Christi vnica, & eius repræsentatiuum Concilium, inter mille vix poterint vnum verum amatorem habere.

Propter vnum enim capitosum hominem, alias in errore de Spiritu libertatis aberrantem, et diu reformationi Ecclesiæ Romanæ se opponentem, totam Ecclesiam perturbantem, errores carnalium Paparum (de quibus dictum est,) sequentem, imo plus potestatis quam aliquis suorum prædecessorum vsurpantem, pro primatu supra generalia Concilia contendentem, ebrii & cæcutientes videntur omnes fore, & spirituales & seculares: specialiter Almani, de quibus plus miserandum est. Ii enim vltra bonum honestum, quod à sacris Conciliis prouenire consueuit, bonum superutile à sacro concilio Basiliensi recipere potuissent: videlicet, exactionum diuersa genera, quo ad clerum euadere, libertates Imperii iure belli iustissime acquisitas, & Germanico sanguine manutentas, sophismatibus Apostolicis subreptitie vsurpatas, recuperare quiuissent.

Expergiscimini igitur ebrii, abstergendo puluerem, iuga colli grauissima soluendo, postponendo damnabilem neutralitatem, 24. q. 1. *Schisma siquidem*, quod dicunt, fundamentū, (qui Canon bene inspectus, potius reprobat neutralitatem,) sicut & omnes Germaniæ vniuersitates reprobarunt ipsam rationabiliter, & sacrum Concilium adhuc cum nauicula Petri fluctuans

resar-

Digitized by Google

resarciendo, eoque sufficienter recollecto, si quæ de facto processerunt diiudicando, reformationem ante eius dissolutionem faciẽdo. Qua rite facta impleatur illud, quod de carnali Ecclesia prophetatum est Apocalyp. 13. *Cecidit Babylon magna & odibilis, quia de vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores*, id est, Symoniaci, *de virtute deliciarum eius diuites facti sunt*.

Audite omnes, qui aliquem zelum bonum habetis, & intelligite vobis dici, quod sequitur ibidem: *Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, ne de plagis eius accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum*: & alia quæ ibi ponuntur. Ex quibus sic plane dictis non restat de cætero excusatio per ignorantiam Regibus & Principibus, & communitatibus quibuscunque, quin videntes ingratitudinem Paparum, quibus data sunt gratiose temporalia, & priuilegia ab ipsis diuis Imperatoribus, pro vsu pauperum & personarum Ecclesiasticarum (quæ conuerterunt in abusum, adeo vt eos, qui donationem gratiosam fecerunt, pro beneficiis redigant in vilem seruitutem) merito corrigantur per sacrum Concilium, vt refrenetur audacia eorum per manum validam Imperatoris, qui plus in hac re patitur. Nam eximius Rex Angliæ, Franciæ, Dux, Marchio non astringitur Papæ quocunque iuramento: factus Imperator, iurare tenetur secundũ Decretales eorum fabulose fictas: ita vt supremus Monarcha magis seruilis conditionis, quam quicunque eius inferior, fieri censeatur. Hæc pro admonitione eorum, quorum interest, rudi stylo, vt melius possint intelligi, commemorasse sufficiat.

M. WESSELI GRONINGENSIS PHRISII, DOCTORIS THEOLOGI, qui lux mundi vulgò dicebatur,

Tractatus

DE DIGNITATE ET POTESTATE ECCLEsiastica, de vera & recta obedientia, & quantum obligent subditos Mandata & statuta Prælatorum,

Anno Domini circiter MCCCCLXXVII.

CAPVT I.

Quod subditi non obligantur credere Papæ, nisi rectè credenti.

PAPA tenetur credere, & obligatur cum omnibus obligatis fidelibus, & quando credit sic ut obligatur, tunc fideles obligantur credere quod ipse credit. Non quia ipse credit, sed quia credit, quod credere debet. Etsi alius melius eo crediderit quod credere debet, ipse Papa debet cum illo credere, quocunque etiam laico & muliere. Non quia laicus est, aut quia mulier ita credit, sed quia ad veritatem Euangelii recto calle incedit. Vnde Petrus 2. *ad Galat.* non recto pede ad veritatem Euangelii incedens tenebatur Paulo, non quia Paulus aut subditus erat, credere, sed quia ad veritatem Euangelii rectiori pede incedebat. Vnde concluditur, quod licet verisimiliter præsumendum sit, summum pontificem & prælatos tanto rectius ad veritatem Euangelii incedere, quanto cæteris aliis altius in sublime dignitatis euecti sunt, & ita cæteris paribus potius illis quam alicui subditorum credendum. Non tamen simpliciter subditos obligatos ad credendum illis. Hoc enim adeo irrationabile est, & blasphemiæ plenum, vt etiam quacunque hæresi pestilentius inueniatur. Potest enim Prælatus & summus Prælatus errare, vt primus illorum à Domino Iesu proprio oraculo electus, & spiritu Sancto plenus errauit: Sed hoc factum Domino permittente, vt sciremus non homini, sed spiritui Sancto nostram fidem obligatam. Et recte. Fides enim cum sit virtus Theologica, soli Deo obnoxia, in solum Deum credit, in quo solo iustus viuit per fidem. Valde periclitaretur vita iusti, si penderet ex vita Papæ. Summorum enim Pontificum plerique pestilenter errauerunt, vt nouissimis diebus nostris, in Constantia, celebri concilio claruit. Benedictus, Bonifacius & Iohannes XXIII. quam grauiter fidem lacerarunt. Et nostris postremis diebus, Pius secundus, & Sixtus quartus: Quorum alter patentibus bullis regna terrarum sibi vendicauit: Alter turpissimas dispensationes, non solum de præstito in causa ciuili iuramento, sed etiam de præstando, de plenitudine potestatis plumbatas bullas emisit, in abusu potestatis Apostolicæ. Quicquid frater Petrus, vel Comes Hieronymus, insolenter aut auare gesserit, ipse postea eum resciret, ratificauit etiam bullis plumbatis.

CAPVT II.

Quod primus Papa Petrus errauit & correctus à Paulo, omnibus in exemplo, vt sciant sapientes de sale infatuato quid faciant.

NVllus Papa sapientior Petro. Nullus maiore authoritate sancto Petro. Nullus maiore

Digitized by Google

ſanctitate quam ſanctus Petrus. Ita vt ſi nullus debeat Papæ dicere, quare ſic facis? aut Papam reprehendere & iudicare, maximè Petrus non debeat reprehendi. Sed quæro: Si Papa irreprehenſibilis & non rectè ad veritatem Euangelii inceſſerit, vt facile videre poſſunt omnes, quibus eſt ſpiritus ſapientiæ Dei, quid cauſæ eſt, quare non debeat ab illo reprehendi? quia ſapientiſſimus & ſanctiſſimus eorum à ſapientiore & ſanctiore reprehenſus eſt palam coram omnibus, cum improperio. Improperauit Paulus poſt acceptum Spiritum ſanctum, ſicut ante Spiritum ſanctum datum, illis vndecim recumbentibus, Dominus Ieſus improperauit incredulitatem cordis eorum. Sic nūc Paulus Petro improperat metum, humanam infirmitatem, inconſtantiam, & ſcandalum fidelium, non ſolum puſillorum, ſed etiam perfectorum: quia Barnabæ Apoſtoli, & id cum ignominia & publica confuſione. Sed ſicut hæc diuina diſpenſatione circa Petrum, ita diuina benignitate plenariè circa non ſolum Petrum, ſed Eccleſiam omnemq; in omne æuum conſolandam acta ſunt. Petro enim data charitas, & ſapientia & humilitas, vniuerſa hæc detrimenta, maiore prouentu fortiorē reſurgere poſt ruinam. Et ex Paulo didicerunt ſapientes omnes, de ſale terræ, quid facere debeant, ſi contingat ipſum infatuari. Ad nihil enim valet, niſi vt mittatur foras, & conculcetur à ſapientioribus: ſed hoc non amplius aut vltra, quam infatuatum fuerit. Grandis igitur hæc ſententia contra indignos Eccleſiæ prælatos.

CAPVT III.

Dominis etiam diſcolis obediendum, quomodo intelligendum.

VErbum *diſcolis* in Canonica beati Petri Apoſtoli: *Serui obedite Dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Non tam grauiter obligat ſeruos, vt plerique accipiunt, volentes conditionem ſeruilem in omnibus malorum dominorum præceptis obligatam parere. Sed hi non intelligunt, vim verbi Græci. *Diſcolos* enim eſt, cui difficile vacatur, vt Matth. 19. *Quam difficile diues vacat, vt intret in regnum cælorum.* Difficilibus ergo Dominis obediendum, non reprobis, hoc eſt, praua mandantibus.

CAPVT IV.

Statuta Prælatorum Eccleſiæ, quomodo accipienda prælati quando tolerandi, aut repellendi.

INterrogantes Dominum Phariſæi, quare diſcipuli eius tranſgrederentur mandata ſeniorum, acceperunt aliam maiorem quæſtionem reſponſalem, non in fructuoſam eruditionem. Nā & ſententia docet & exemplo. Sententia, vt ſciamus, non ſic Eccleſiæ Prælatorum ſtatuta accipienda, ſicut mandata Dei: ſic enim grauius eſſet iugum Euangelii, quam iugum legis. Docet etiam exemplo, quomodo fideles, vbi vident ſcandaloſum errorem ſuperiorum, inuehant corripiant; ſi occultum, occultè, ſi apertum, apertè. Nam Dominus illorum conatibus in faciem illorum errata obiecit, & hoc expedit, ne inſoleſcat arrogantia per licentiam dimiſſa ſuo arbitrio, quæ corripi, coerceri & abſcindi non poſſet. Ergo quotienſcunque impudenter peccant, & tamen inſolenter inſtant, cum adiuncto errore immodeſtiæ, repellendi ſunt, exemplo Domini. Si tamen id obſeruatur, quo non contra verbum Domini contemnatur eorum ſana monitio. Quam diu enim ſedent in cathedra Moſi, facienda ſunt quæ dicunt. Sedere autem æſtimantur, quamdiu, quæ faciunt, non palā eorum verba retundunt. Vbi vero tam ſcandaloſa eſt eorum vita, vt plus corrum pant exemplo, quā ædificent verbo, non iam ferendi, quia nō in cathedra Petri ſedent, ſed in cathedra peſtilentiæ. Et hi omnes, exemplo Domini, ab officio admonentis, velut inutiles repellendi, maioris turpitudinis eiectione.

CAPVT V.

Eccleſiam habere diuitias, eſt bonum & malum.

BOnum eſt quod Eccleſia habet multas diuitias, & temporalem poteſtatē, & melius eſſet, ſi plures haberet. Bonum enim eſt, multa bona poſſe, & melius plura poſſe. Malum eſt, quod Eccleſia habet multas diuitias & temporalem poteſtatem, non ſolum quia malū exinde poteſt, ſed etiā quia multa mala exinde facit. Male aduerterunt priſci patres, quando iudiciaria ſuſcepta, opes admiſſæ ſunt, quantum principes ſeculares ſuos volunt ex opibus Eccleſiæ prouideri. qui fere omnes corrupti ſunt, & ſi qui incorrepti accedunt, occupatione & ſollicitudine corrumpuntur.

CAPVT VI.

De ſimonia & collationibus beneficiorum, an Papa bene ad ſe reuocet.

IN quibuſcunque rebus obtinens poteſt Simoniam committere acquirendo vel alienando, eius rei non eſt Dominus, vnde Canonici beneficiorum & beneficialium prouentuum Domini non ſunt vnde etiam donare non poſſunt. Neque Papa ea dare poteſt, ſicut neque vendere, neque vllum ius vltra fidelem diſpenſationem tribuere poteſt. Committere poteſt fidelem diſpenſationē & credere illis quod fideliter diſpenſent: Infidelem autem diſpenſationem tolerare non licet, etiam papæ, niſi propter maioris periculi euidenter ſecuturi declinationem, & quicquid aliter in beneficialibus geritur, perperam fit, vnde quod beneficiorum collationem ad ſe reuocat, quid aliud facit, quam vt onus reddendæ rationis exaggeret? Cū verò diſſolutis & corruptis munere vel ſeruitio, vel propter hæc vel ſimilia diſtrahit, non in officiū diuinū diſpenſat: & quoniam in longinquo

quas prouincias rem diuinam velut fortunæ committit, quasi diuinarum rerum curam non habeat. Inde quæ mala sequantur, proh dolor, passim ante oculos videre est.

CAPVT VII.

Statuta & mandata hominum, quantum obligare possint.

DE horis & ieiuniis mandatis, quomodo obligent, satis ille venerabilis Gerson ostendit. Nec obstat, quod in contrarium allegatur, de rationabilissima sapientia conteƈta, quia non propterea periculose obligat, sicut neq; consilia Euangelica, quæ plurimum sapientiæ continent, non tamẽ propter hoc Deus infirmam plebis multitudinem voluit nisi finaliter ad consilia obligari. Finaliter enim nemo nisi per foramen acus, columba per foramen petræ intrabit. Ratio igitur adduƈta militat, in tantum obligare præcepta prælatorũ Ecclesiæ quantum sapientiæ cõtinent: obligare, inquã, conditione contentum fruƈtum consequendi. Si enim quisq; absq; mortali offensa licet infirmiorib' nõ omnes consiliorum perfeƈtiones assequi & equidẽ filios lucis esse, quis passim volet infirmæ multitudini mortalem laqueum iniicere, vltra necessaria præcepta? Vnde satis miror eos, qui ex ammonitione, obligationem parturire parant. Omnis enim Ecclesiæ potestas, inter medicum & ægrotum est compaƈta, id est paƈto duorum constans. Non enim potest pastor pascere, nisi quantum grex pascitur. Non potest saluare, nisi quantum sanantur oues: non potest ligare, nisi quantum ligantur vinculis charitatis; non soluere, nisi quantum Sathanæ vinculis exsoluuntur. Hanc à domino Ecclesia accepit potestatem, vt cum ille fideliter ministrat, & iste fideliter obtemperat, vterq; sui fruƈtũ officii consequantur. Ecclesiastica potestas connexa est, vt possit quantum pascit, est etiam compaƈta, vt pascat quantum alter pascitur.

CAPVT VIII.

Consilium pro infirmis.

VAlde pro infirmis facit, non solum in metu incontinentiæ, sicut verbum Apostoli; *propter incontinentiam vnusquisq; habeat vxorem suam: Melius est nubere quam vri.* Et iterum: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè & consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas.* Vbi ergo per metus aliarum tentationum, puta infirmitatis, impatientiæ, inconstantiæ, rationabiliter timeretur, similis prudentiæ consilium esset, humiliter inferiora compleƈti, plærisque vanum ante lucem surgere, sed in consilio Domini sedere in ciuitate, donec induamur virtute ex alto. Et grauis hinc surgit quæstio: Vtrum liceat alicui talium infirmorum consilium Apostoli abiicere? Et vtrum abieƈtio obligat irremediabiliter, vt non liceat redire ad consilium Apostoli. Credo autem stultam promissionem displicere Deo, sicut impia iuramenta non obligare contra salutẽ. sicut enim dicit Apostolus, propter incontinentiam suam nubendum: Ita Dominus Iesus propter inconstantiã infirmorum in persecutione fugiendum de vna ciuitate in aliam. Adeo enim consilium infirmitatis via est, ad sanitatem, vt pro sanitate faciat, quod non contra sanitatẽ pugnat. Iuxta illud, *Pro vobis est, qui non est contra vos.* pastor gregem Dei pascere positus est: verum quia grex pascendus rationis & liberi arbitrii est, non prorsus in potestate pastoris traditus est, vt nihil ab eo exigatur nisi pastori obedire. Debet n. ouis ipse dignosse, quibus pascatur, quibus inficiatur, & quomodocunq; oblatã etiam à pastore ipso vitare pestiferam infeƈtionẽ, & in hoc si sequatur pastorẽ, non excusatur. Debet ergo popul' pastores ad pascua sequi. Quando verò non pascit, pastor non est, neq; tunc velut in officioso, grex ei parere tenetur. Præcepit enim aliquando reƈtus reƈtũ & reƈtè, & parendũ est; aliquãdo reƈtũ non reƈtè præcipit, & vt cõmuniter parendũ est, iuxta illud; *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt.* &c. Si verò non reƈtum præcipiat per ignorantiã, quantumlibet bona voluntate reƈtus, vbi melius reƈtum grex nouerit, non parere debet, maximè autem vbi neq; reƈtum, neque reƈtè præceperit.

CAPVT IX.

Dileƈtionem proximi debemus Deo, non proximo.

MIhi præceptum est proximum diligere. Debeo igitur dileƈtionem proximi, non proximo, quia proximus non me sua lege obligatum, fecit me debitorem. Debitor igitur Deo sum tantũ, qui solus me sua lege obligauit. Facilè iam hinc liquet, quã verum verbũ sit illud Psal. pœnitentis: *Tibi soli peccaui.* Dicimur tamen debere pietatem, reuerentiam, gratiam, obsequium, retributionem quibusdã. Dicit Dominus in oratione quosdã nostros esse debitores. Et Apostolus monet, *Nemini quicquã debere, nisi vt inuicẽ diligamus*, quasi saltẽ id confiteatur debitũ inuicẽ diligere mutuo. Verũ quia impossibile est veritatẽ veritati repugnare, & superiores duæ veritates irrefragabiliter cõstẽt, verè oportet postrema hæc ita accipere, vt ad sanam veramq; sententiam dilucidentur. Debemus igitur Angelis, & prælatis reuerentiã, parentibus pietatẽ, beneficis gratiam, egeno subsidium quantũ eisdẽ ratione cõmode defertur, non quia debetur, sed quoniã quod præcipienti Deo debitores sumus, hoc exhibitum illis commodũ est. Cõplexa igitur non simplex locutio; per emphasim schematica, non immediata. Vtrũq; mandatum de diligendo Deum & proximũ, Dei mandatũ est, & eius voluntate obligatorium. Vnde & omnia legis mandata, Dei debitores non constituunt simpliciter: vnde non homini debitor sum, de non eũ occidendo vel odiendo, vel calumniando. Nõ.n. homo homini legẽ tulit, aut per legẽ obligauit. Nullæ igitur leges vel communi consensu multitudinis latæ, vel à prælatis, vel principibus vel magistratibus æditæ, quęcunq; magis obligant, quam in diuina lege cõpre-

Digitized by Google

henduntur vel præcipiuntur. In diuina lege præcipimur obedire præpositis, potestati non solum, pacem ciuilem ciuitatum nostrarum seruare, pluraq; talia quæ sine illorum seruatis legibus nō seruantur. debemus ergo parere illis; sed ipsum parere non debemus illis sed Deo debemus, quod illis paremus, quemadmodum quod illos diligimus, Deo debitores sumus, non illis. Hinc iam clarius illucescit, quomodo illorum præceptis parere debeamus, vt quia Deo debitores sumus ad parendū illis, duntaxat illis parendum quoad nihil contra Deum, præcipiunt. nihil n. propter Deum sic & contra Deum. Hinc etiā facile liquet. quanta & æqualia præcipere possunt. Et hæc duo penes conscientiam vtriusque. Secus verò de forensi & contentiosa obligatione, quoniam in ea quisq; tantum obligatur, quantum est vinculum affectionis & desiderii de bono præcepto. Vnde tantū quisq; ægrotus obligatur audire medicum, quantum bonæ valetudinis fructum desiderat ex eius mandato: si multū, multū: si parum, parū. Parū enim obligatur fatuo medico parere, quē talē nouit. Semper. n. quisq; tantū obligatur, mandato quantum bonum expectat ex obseruato, & talibus valet regula, nō teneri mandato, quando ex obseruato maiora detrimenta sequuntur, q̄ ex præterito vel dimisso. Vnde Grammaticorum præcepta rationabiliter prætereuntur & negliguntur à pueris egenis, quib⁹ necessariū ditari, vt viuant, quam doceri, vt clareant: quoniā si scholam sequerentur, claritatē cum sanitate & vita perderent, quibus non parentibus pœna, non grammaticè loqui cum sua sequela: sic de præceptis legices, sic de Philosophiæ, sic regum, sic summorū pontificum. Quia sic in causa salutis obedire summo pontifici, sicut in causa infirmitatis medico, si possit rectè de vtriusq; præceptis diiudicare. Et qui nō potest rectè diiudicare, quando hæsitat, recurrat ad illius directionem de quo non dubitet.

CAPVT X.

Prælatis quatenus à subditis obediendum.

PLurimi volunt prælati Ecclesiarum & monasteriorum, & secundum sententiam sacræ scripturæ obedientiam promtam & necessariam subditis ad salutem. Iuxta illud, *omnia quæ dicunt facite, quæ autē faciunt nolite facere.* Verum si obedientia perspicaciter inspiciatur, tam ex voluntate præcipientis, quam ex forma præcepti, tā ex necessitate præcepti, quam ex fructu & fine præcepti. Voluit. n. vt per sapientiam præsidentis, imperitæ subditorū simplicitati consuleretur, vt ita proficerent, & accederent ad Deum. Propter ergo sapientiam Dei conquirendam, Deus obligauit simpliciores, sed non solū sapientia fructus erit fideliter obedientibus, quoniam ipsa prompta & humilis obedientia per se placet, nisi prorsus fatua fuerit. vt nihil serpentinæ prudentiæ admittat. Prælatus enim, nisi quantum sapientiam docet audiendus non est. Quia qui prælatos post Apostolos audit. Christum audit. Vbi ergo secundum Christum docent vel præcipiunt, illic sicut sapientia ipsa si loqueretur, audiendi sunt alias non audiendi, sicut Paulus Petrum non audiuit, scandaloso exemplo cogentem gentes iudaizare. In omnib⁹ igitur sapienter dictis audiendi sunt, sicut si sapientia de cœlo loqueretur, propter sapientiam in verbis comprehensam. Non igitur propter pastoralem authoritatem simpliciter audiendi.

Canones igitur ex statuta eorum tantam vim habent, quātam sapientiam continent. Vnde nō possunt sub pœna peccati mortalis præcipere, nisi quando præuaricatio inobedientis de se mortalē stultitiam implicat. Vnde rebus neutris, vt erat illud Pii papæ decretum de alumine, non obligantur fideles peccare mortaliter, propter solum beneplacitum papæ.

CAPVT XI.

Explicatio verborum Domini de Scribis & Pharisæis audiendis, sed qua moderatione.

VErbum Domini Iesu de Pharisæis & Scribis sedentibus super cathedram Moysi, licet multis inconsiderate loquentibus scandalum pariat; Si diligenti oculo consideretur, etiam in sua latitudine seruandum erit. Quia si attendatur latitudo, qua præcipitur, satis restricta ac determinata ex vtroque fine, ex præcedentibus enim, quia dicitur de sedentibus in cathedra Moysi, hoc est docentibus instar Moysi. & ex posteriori fine cum dicitur, secundum opera eorum nolite facere, quia similiter satis moderatur, quia si secundum opera eorum nō faciendum, etiamsi ad illam impudentiam venirent, vt secundum sua opera docerent ac dicerent, non essent iam sustinendi nec audiendi. Neq; qui secundum opera eorum dictis eorum obediret (quantumcunq; latè Dominus ipse dicat, *omnia quæcunq; dixerint vobis*) excusabilis esset, quia talia dicentes nō in cathedra Moysi sedent, sed in cathedra pestilentiæ: qui non dicunt secundum Moysen dicentem, Spiritu sancto inspiratum. Possunt n. secundum Moysen loqui, etiā corrupti homines, licet non sentiant sicut Moyses: quemadmodū liber mortuus dirigere post viuum, & legendus est mortuus codex, sic & sermo mortui scribæ vel mortui pharisæi. Monet Apostolus probare omnia, sed quod bonum est tenere. omnia igitur quæcunq; dixerint, non secundum corruptam affectionē suam, sed secundū rectitudinem cathedræ Moysi facienda, facere & seruare præcipimur. In aliis non præcipimur seruare aut facere quæ dicunt.

CAPVT XII.

De vera & recta obedientia.

OBedientia si recta fiat, iustitiæ naturalis portio. semper n. iusto mandato superioris qui subditus est parere debet. Vnde quia Dei præcipientis mandata semper iusta sunt, semper est eis obediendū. Reliquorū verò mandatis obedire indiscrete indiscretio est. Apostolus *ad Gala. vlti.* neq; Angelis de cœ-

de cœlo obtemperandum aliter annunciantibus aut Euangelisantibus, præter id quod acceperant. Vult omnis præcipiens obediri sibi, sed non eodem spiritu ductus. Vult sanctus prælatus obedientiam, quia profectum sperat obedientis. Vult corruptus prælatus obedientiam subditorum vt pro libito dominetur. Inter hæc non discernentes quidam indifferenter & effrenè dicunt semper obediendum. Et quod si nullus reliquus fructus insit, satis tamen ex illa prompta obedientia sit, si propriam voluntatem abneget, quasi propriæ voluntatis abnegatio semper bona sit, allegantes illud Bernardi, *nihil arsurum in inferno, nisi propriam voluntatem*: nescientes iidem ipsi, omnem ibi voluntatem propriam fractum iri. non ergo propriam voluntatem frangere semper bonum illis, quibus frangitur, nisi altiore illorum non fracta voluntate frangatur. Verum alii volunt monasticam aut Ecclesiasticam pacem, ac per hoc & charitatem turbari & lædi. Charitas autem semper seruanda, quare etiam semper obediendum. Hi discrete pensarent verbum charitatis, non tam præcipitem indiscretæ obedientiæ sententiam ferrent. Est tamen charitas Dei, est charitas hominum, & in hominibus diligendis ratio quædam habenda, quo maiora illorum bona magis diligantur, & adeo magis, vt propter maiora bona aliquando minorum iactura fiat & dispendium. Pax fraterna, si cum charitate fraterna salua seruari possit, semper quærenda. Alioquin in periculo charitatis (quemadmodum in tempestate frumentum proiicitur è naui) temporalis domesticorum pax proiicienda. Non enim cum errantibus, cum immundis, obscuris, cum prophanis pax habẽda. Quæ enim communio luci ad tenebras? Non ergo vel propter pacem vel propriæ voluntatis abnegationem omni præcipienti semper obediendum.

CAPVT XIII.

Subiecti estote omni humanæ creaturæ, quomodo intelligendum.

DIcit Petrus: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*: Principaliter hoc verbum de præpositis intelligens. debent enim fideles populares prælatis suis esse subditi, tam docẽtibus credendo, quàm præcipientibus obediendo. Sic tamen quod meminerint se ad hæc astrictos propter Deum. Hoc est vt primò suam credulitatem in Deum & in euangelium referant, primò suam obedientiam in Deum offerãt. Vnde quod populus pastori suo credit, si sane credit, propterea credit, quia Euangelio conforme credit. Et si putaret pastorem suum difformiter prædicantẽ, non crederet neq; obediret contra legem præcipienti. Hoc enim est subiectum esse omni creaturæ propter Deum, pastori credere propter Euangelium, præceptis & exemplis parere propter legem. Euangelium veritatẽ habet, lex pręceptum, exemplum magnum audiendi, quanto verba euangelii obediendi, quãto præcepta leg. imitandi. Hinc iam clarè liquet. quanto in credendis ad credendũ prælato Doctor ex officio subiiciatur. Si. n. verè Doctor est, sicut esse debet institutus & exercitatus, debet per exercitatos sensus vel æquè vel magis nosse veritates sacrarum literarum, quàm non doctores, nõ exercitati prę-lati. Et hoc saltem ex debito; verum de facto apertius aliquanto claret. Et qui reuera melius & clarius theologicam veritatem nouit, non in credendo subiiciatur asserẽti minusq; cognoscenti. Omnes n. in credendo primo subiecti sumus Euangelio, vt neq; Angelo de cœlo aliter docenti, neque sancto Paulo ipsi per epistolã sit credendũ. De exemplis aliqua mutauit Ecclesia: puta in tẽpore, loco, mẽsura fractionis panis, propter finem dissimilẽ. fructum disparem in posteris ex priscis. Non quod exemplũ cœnæ mutauerit, hoc. n. iam præcesserat immutabile: sed quod primam imitationẽ ritu mutauerit: Vnde & legis præcepta quædam immutauit. Sed Euangelium nunquã præsumpsit immutare. Quod. n. vel imitando vel obediendo mutabile credidit, & mutauit, propter immutabilẽ Euãgelii veritatẽ immutauit. Illa n. lux est ad obediendũ & imitandũ. Vnde tanta necessitas est verè scienti Euangeliũ, tanta necessitas Euangelio: vt nulla multitudo, nulla celsitudo mouere debeat scientẽ discredere. propter Deũ n. Euangelio credim⁹, & propter Euangeliũ Ecclesię & Papæ, nõ Euãgelio propter Ecclesiam. Vnde quod Augustinus de Euangelio & Ecclesia dicit, originis de credẽdo verbum est, non cõparationis aut præferẽtiæ. Dixit. n. Apostolis Dominus Iesus: *Prædicate omni creaturæ, docentes eos seruare quæcunq; præcepi vobis*. Non igitur audiendi, nisi quantum missi; non missi, nisi cum Euangelio; non Euangelisantes, nisi secundum Euangelium. sed quia verisimilius est vnum aliquẽ potẽtes Euangelium toti multitudini contradicentẽ errare, quam totã doctorum virorum Ecclesiã: Ideo debet, quicunq; ille fuerit semper suspectum se habere, & formidare de errore. Verũ quia sit nõ impossibile multos doctos errare, debet semper apparentẽ Euangelii veritatẽ primò amplecti. Debet igitur secundò diligenter inquirere veritatẽ & intelligentiã Euangelii. Debet tertio rationes contradicentium diligenter attendere, & illi parti, quam viciniorem Euangelio inuenerit, firmiter adhærere.

CAPVT XIV.

De Scribis & Pharisæis audiendis, quomodo intelligenda verba Christi.

EX illo verbo Domini Iesu: *semper in cathedra Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæ dixerint vobis seruare, seruate & facite*: multi prælatorum Ecclesiæ trahunt erroneam & falsam intelligentiam. Putant enim ex hoc verbo datam eis autenticam potestatem, vt obligare possint auditorẽ ad seruandum & faciendum quæ dicunt. Et errant alii pœnes latitudinẽ horum verborũ. Putant. n. propter latissimã distributionem verbi, cum dicitur, *quæcunq; dixerint seruare, seruate & facite*. Sed isti facilius reducuntur ad rectũ. Facilè. n. videre est, quod non omnia eorũ verba, quæ dicunt, seruare & facere oportet. Nõ. n. eorũ insidiæ, nõ publicæ expressæ & pertinaciter assertæ perfidię verba seruãdæ

Digitized by Google

vel facienda, non ſcribarum & phariſæorum blaſphemiæ ſeruandæ vel faciendæ, ſi dicunt, *in Beel-zebub dæmoniorum principe Dominum Ieſum eiicere dæmonia*: ſi dicunt, *quicunq; iurauerit in templum nihil eſt, qui autem iurauerit in aure templi, debet*. Cum eos tales dicentes Dominus Ieſus fatuos & cæcos ap- pellat, nunquid adeò deſipiendum, vt fatuos & ſtultos duces ſequamur? Ante fortaſſis dicent, Do- minum Ieſum cum hæc diceret, illa non meminit ante dixiſſe? vel cum illa prædiceret, non præuidit hæc poſtea ſe dicturum? Præterea cauere iubet à fermento phariſæorum, & exponit in textu, ab hy- pocriſi doctrinæ eorum qui præcipit omnia facere & ſeruare quæ dicunt, idem Dominus præcipit, cauere à fermento doctrinæ eorũ. Oportet igitur auditorẽ ſcribarum & Phariſæorũ ſimplicem eſſe vt columbã vt nihil niſi bonũ granũ quęrat. ſed inſup prudentẽ, & ſapientẽ; hoc eſt, prudentes aſtuti- as non ignorare, vt norit omnia phariſæorũ & ſcribarum probare, ſed quod bonum eſt in illis tenere ſolum. hoc diſcretionis ſpiritu præditos eſſe oportet fideles auditores: Nõ n. habent ſcribæ & phari- ſæi præceptiuã poteſtatẽ, vt princeps ſacerdotũ habebat & ſub eo ordinati. Sedebant n. ſuper cathe- dram doctrinæ non ſuper tribunal aut ſolium: Sicut hodie apud nos doctores vel prædicatores. Sed primus errorum, qui non tam latus eſt, plus aliquid laboris habet propter conceſſam præſidentibus poteſtatem regiminis. Sed perſpicaciter diiudicantib' eadem ſtatera præcepta populo in aſſumẽdis prælatorũ præceptis, qui in audiendis corruptorum doctrinis: Oportet n. tam prælatorũ quã docto- rũ præcepta ſic ſeruare & facere, quemadmodũ Paulus monuit hoc eſt, quamdiu in cathedra Moyſi ſedentes ſecundũ Moyſen dicunt, & ſi quid extra vel contra, non magnopere ligat fides contra legẽ perfectè libertatis. Dei n. ſerui ſumus, non Papæ: cui vtiq; ſeruiremus, ſi ad omnia eius qualiacunq; o- bligaremur. Dictum eſt autem, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*.

CAPVT XV.

De cæcitate & fatuitate ſcribarum & phariſæorum.

QVi iurat in templo, iurat in eo qui habitat in eo; & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum, *Matth.* 23. Qui iurat per creaturam Dei ſui, rectè iurat per creatorẽ eius. In huiuſmodi ſi fatui & cæci ſcribæ & phariſæi cõtrariũ dicãt ac doceãt. nũquid propter ſupe- riora verba audiendi ſunt, contra verum & vnicum magiſtrũ? Certè nunquã, niſi quando ſecundum illum docent, & ad illum ducunt ſtultũ n. & cæcum ducem nemo ſequitur, niſi cæcus. Vnde non ſo- lum & phariſæos ſtultitiæ & cæcitatis duces innuit ibi Dominus Ieſus, ſed etiam ipſos populos du- ctos ab eis. Dicit enim: *Fatui & cæci duces cæcorum*. Stultus reuera & cæcus eſt, quicunq; ſtultum & cę- cum ſequitur. Et quando volebant mittere manum in Dominum Ieſum, laudatur turba, quorum ti- mebant lapides, non audentes reſpondere propoſitæ quæſtioni de Baptiſmo Ioh. Et ſi turba temera- rios metu lapidationis eos ab inſano auſu non repreſſerit, ſequẽti paraſceue, digne per ſanctũ Au- guſtinum vituperatur & ſceleris in Chriſtũ particeps facta eſt. Dominus Ieſus poſt ſeptẽ illa Væ, ſcri- bis & phariſæis cõminata, vocat eos nomine Hieruſalẽ, quicunq; doctrinam & paſtorale officiũ pro- fitẽtur, & nihilominus veritatem & rectitudinẽ ſuppeditant. Inquit enim: *Hieruſalẽ Hieruſalem, qui occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur*. Quod autem ſolos hos nominat, patet ex verbis text' cum ſubdit: *Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & nolu- iſti*, Ecce manifeſtè tres partes. Prima Hieruſalẽ, ſecunda filii Hieruſalem, Tertia, Domin' Ieſus, qui vult congregare filios, quemadmodũ gallina. Secundi ſunt filii Hieruſalẽ congregandi ſub alas gal- linæ. Tertii ſunt, nolentes cõgregari ſub alas gallinæ ſeductores & cæci, & ſtulti paſtores & doctores. Hinc iam quæro ſi qui de tertio ordine doctores & paſtores gallinę volenti congregare, velint ſtudiis gallinæ obſtare & contradicere, quem debent audire pulli gallinæ? Licet dicat Domin' Ieſus, *omnia quæcunq; dixerint vobis ſeruare & facere, ſeruate & facite*. Certè niſi cæci & ſtulti fuerint pulli confugi- ent ad alas gallinæ, quantumlibet noſter mercenari' paſtor verò paſtori oblatret. ſed quare Domin' Ieſus tam latam diſtributionem expreſſit, niſi vt noſtram diligentiam ſcripturarũ collatione mutuò congruentium ac declarantium collatione exerceret? Non n. ita attenderemus expreſſum, quam ſa- pit exercitatione inuentum, vt habet exercitium ſapientiæ & veritatis meritum ſuum.

CAPVT XVI.

Intentio Chriſti, quando prædicatores, & paſtores non ſunt audiendi.

VAldè notanda intentio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qua vbi finali diſcurſu totius Euangelii *Mat.* 24. concluditur, non audiendos doctores, prædicatores, paſtores, quando & contra debitũ ſuũ inofficioſè docent, prædicant, paſcunt, vti ſunt Hypocritæ, oſtentatores, qui omnia opera ſua faciũt, vt videantur ab hominib'. Ambitioſi, qui quærũt primos diſcubit' in cœnis, primas cathedras in ſy- nagogis. Vani, qui in inuanis oblectantur, volentes in foro ſalutari & vocari ab hominibus Rabbi. A- uari, deuorantes domos viduarum. Ficti, qui occaſione & prætextu longæ orationis. Corrupti & pe- ſtilentes, quia cum habeant creditam poteſtatem regni, neq; ipſi miniſterium pietatis exercent, neq; alios volentes fideliter exercere ſinunt. Hoc eis Dominus Ieſus improperat cũ dicit, *Væ vobis Scribæ, Phariſæi, Hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum coram hominibus, vos autem non intratis, & ingreſ- ſuros non ſinitis*. &c. Pſeudodoctores, docentes populum falſa contra veritatem fidei ſalutaris, vt illi de iurando in templo & in altari nõ teneri, ſed obligari ex iuramẽto, qui in dono oblato iuraret Per- uerſi, culicem excolãtes, camelũ glutientes, maiora legis negligẽtes, & circa minora ſæueri, peruerſi. Mandatorũ hominũ diſtricti exactores, diuinæ voluntatis conculcatores, quia nolũt ſubditos ſuos

congregari

congregari sub alis fouentis gallinæ salutaris. Huiusmodi cum sint, subditi tamen, quibus regnum cœlorum appropinquauit, quem duorum sequentur, an eos qui non ingrediuntur, & volentes non sinunt, an eum qui per omnem vitam nostram semper ad misericordiam præsto est congregare eos velut pullos sub alis suis? In tali ergo casu tenentur matrem gallinam audire, non falsos, vanos ostentatores, ambitiosos, auaros, peruersos, pseudodoctores, pestilentes prædicatores, stultos, cæcos, cæcorum duces prælatos. Tenentur tamen subditi sustinere eos in ministerio, quamdiu sustinentur facere & seruare, quæ bene & sanè dicunt, vbi malè dicunt vel docent, non debent eis obedire, nisi velint cum cæcis cæci esse, & ab aliis gallinæ & regno cœlorum excludi, & à pestilentibus corrumpi & infici. Quomodo enim non pestilentes & mortiferi, quos Dominus Iesus vacat serpentes, & genimina viperarum? Expresse enim dicit Apostolus, *colloquia praua corrumpere bonos mores.* Quorũ ergo colloquia praua magis quam corruptorũ doctorum, prædicatorum, pastorum, presbyterorũ, prælatorum? Horum sermo sicut cancer serpit, non solum sermo, sed exemplum prauum Pronum enim omne malum ad imitationem. Sed quicunque siue Papa, siue pastor alius, vnum de pusillis istis scandalizauerit, hoc est, à rectitudine, à profectu viarum Dei praua dogmata, neglecto ministerio, corrupto exemplo impediuerit, expedit magis vt mola asinaria ligetur in collum eius, & in profundum maris demergatur, quam sic pestilenter præsideat & corrumpat.

Cap. XVII. *Omnis prælatus pusillos scandalizans est Antichristus.*

OMnis igitur quantumlibet in dignitate præsideat, quanto pusillos scandalisat, & à puritatẽ viarum veritatis & vitæ contra Christi voluntatem retardat, tantò est Antichristus; quoniam omnis talis contra Christum conatur, vt scilicet perdat, pro quibus Christus fudit sanguinẽ suum. Quid enim aliud est perdere, quos Christus saluare per mortem nititur, quàm Christo absistere? Christus per obedientiam vult saluare, multi prælati per inobedientiam præceptorum & corruptũ exemplum non curant scãdalisare per omnia illa, quæ Dominus Iesus *Mat.* 24. cõmemorat ad plebem. Hæc si vera sunt, vt mihi videtur, nisi melius informet, oportet ex superioribus rationibus per quẽlibet bonum virum paruulos admoneri, ne scãdalisentur. Sed nisi in particulari de singulis deformitatibus & pestilentibus prælatorũ corruptis exemplis admoneantur, minus vitare poterunt. Hæc si doceamus, mox hypocritas, ostentatores, ambitiosos, vanos, illecebros, auaros, prælatos, nõ solũ contra nos, verum & contra cõmissum populũ concitabimus. Licet Dominus Iesus, qui scandalum passiuum prohibuit, omnium scandalisantiũ dedecora publicè prædicauit in populo *Mat.* 23. Non solum sandalizantium dedecora detegens, sed & æternum væ scandalisantibus denuncians. Verum qui hoc Domini Iesu exemplum sequi volet, sciat, quia Dominus Iesus, quando hoc prædicauit, iam paratus erat crucem baiulare, cuius qui nolit sequi exemplum, sinat scandala quieta passim pullulare. Semper enim videndum, ne medicina morbo nocentior sit, propter tẽpora periculosa. Et vnde periculosa? nisi propter corruptam vitam passim prælatorum Ecclesiæ. Hæc licet ad Scribas & Pharisæos Dominus Iesus dixerit, non tamen propter illos, quibus regnum Dei mox postea auferendum, sed in longinquum doctrina respexit scripta propter nos, quibus à nostris pastoribus, prædicatoribus, doctoribus, quando non sani fuerint, simile periculum impendet. Expressè namq; Dominus Iesus in fine huius *cap.* 24. duo genera seruorum vocat super familiam suam constituendorum. Notat quosdam fideles & prudentes, dantes familiæ escam in tempore. Alios seruos malos, qui ex mora Domini malã & stultam fiduciam capientes comessantur, inebriantur, extolluntur, super conseruos tyrannidem exercent. Quicumque illorum exemplo corrumpitur, vt cum eis in foueam cadat, non excusabit illum sua ignorantia vel cæcitas vel stultitia. Si quis per cæcitatem & stultitiam scandalisatur, cæcus & stultus est, quia per propriam cæcitatem illorũ corruptelas adeo probat, vt sequatur in corruptelam. Qui verò per sanam doctrinam & bonum exemplum scandalisatur vt peior fiat, hic non inter pusillos habendus, sed inter Scribas & Pharisæos, qui sapientiæ consilia respuit, hic Prophetas lapidat & occidit, huius interitu sapientia gaudebit & ridebit. Passiuum ergo scandalum, duplex est, quoddam pusillorum, quo pusilli scandalisantur alterum pharisæorum, de quo Dominus Iesus, melius esse vt scandalisentur, quam vt veritas taceatur. Pusilli scandalisantur ex malo, pharisæi scandalisantur ex bono. Assumitur quandoque ad regimen, qui non assumitur ad sapientiam, cuius est authoritas absq; dignitatem sola potestate. Sed quia nulla data potestas contra sapientiam & veritatem non deferendum ducatui cæco, quia qui cæcum duce sequitur, & qui in foueam cadit propter cæcitatum ducis, non propter auctoritatẽ ducis, minus cadit.

Caput XVIII.

Quantum subditi prælatis & superioribus suis obedire obligantur.

COnsideratu dignum, quantum debet subditus prælato suo, & inferior suo superiori. Hoc enim debitum non est conditionis vt sit debitũ absolutè, sed magis est pacti cum prælato. Non enim superior Dominus est inferioris, licet inferiores Dominos eos vocent & superiores aliquando iustis causis perferant. Nisi tamen superiores iuxta debitum pacti, legi pactorum æqui sint, non tenebitur subditus integro debito, sed quantũ ille legem superioris implet, eatenus debitor est subditus. Vnde si prorsus legem ille prælatorũ abiecerit, iam tunc nullo debito ligatur subditus. Omnis enim illa subiectio voluntaria & spontanea esse debet, quare non subeunda nisi cum deliberatione. Deliberatio autẽ causam considerabit & fructum. Vnde quandocunq; causa cũ fructu eiuscemodi sunt, remouere possent deliberantem ante contractum, pari ratione soluunt obligatum, quando alter contrahentium deficit in promisso. Fere enim ex natura huius obligationis est, vt subditi superiorem sibi eligant, quatenus talẽ eligant, in quo & ex quo suæ deliberationis fructũ & causam proxi-

Digitized by Google

me confectent. Videntur autem omnium cautissimè agere in eligendo Mendicantes, qui quotannis electionem sibi renouant, licet non in singulis annis nouum sibi eligant. Sed si non esset, cui tutè se committerent, possent eius in locum alium eligere meliorē. Si n. cum statu mutato mutaretur in peius, expediret vtrisq; discedere. Quod ergo de matrimonio sponsi & sponsę fingunt inter Episcopum & Ecclesiā, debitæ fidei sacramentū est, nō indissolubilis vinculi; alioquin casu nullo libellus repudii locum inueniret. Quia verò sponsus non est, sed paranymphus esse debet, cū tamen sæpè non sit. Deberent ergo semper deiici à dignitate, quando indigni essent præsidentia. Indigni autem semper, quando solum infructuosè. Sustinentur autem, & id maiorum incommodorū timore, sicut & meretrices in ciuitatibus. Deberet etiam simile esse de regibus. Vnde in omni Republica bene instituta, summus magistratibus vel tempore vel autoritate, vt vel annuus tantum sit, vel suffragiis consentientium ab insolentia compescatur. Quid n. electio signat, nisi libertatem deliberantis? Oportet n. parere meliori, & hunc debet electio coniectare, à quo quantum electio deficit, pro tanto ei non est obediendum. Vnde esset perfecti viri, quantum honestè possunt, sese subtrahunt ab eis exemptiones quærunt, & habent in multis ex iure communi. Ex hoc fundamento non solum regibus non parēdū in malis, verum etiā iure deberent regno turbari, nisi maiore damno timerentur accepta mala resartū iri. Sed publico cōsensu impensæ & opera perditæ, quādo suscepta plaga priore vulnere resarcitur.

Capvt XIX.

Quod magis sapienti quam papæ consentiendum.

VBi sapiens à papa discrepat, potius & magis est sapienti quam papæ standum aut consentiēdum. Quia sententiam excommunicationis à sapiente latum Papa absoluere non potest, qualis est illa sententia: *Qui non amat Dominum Iesum, anathema sit.* Hanc sententiā papa absoluere non potest, neq; vinctum per eā absoluere. Manet aūt quisq; tantū recisus à Deo & excōmunicatus, pro quanto Deum non amat, licet sit in statu salutis & gratiæ, cum communionē tamen illam nuptialem amplexuū & osculorum non participat, quam sentit amans. Multū n. differunt inter se *desiderans, diligens* & *amans*. vnde timens Deum, excommunicatur à gradu desiderantium, desiderans à gradu diligentiū, diligentes à sublimitate ac dignitate amantium.

Capvt XX.

In contradictione papæ & sapientis, quid agendum.

IN casu simultatis & contradictionis inter papam & sapientem, non solum papa tenetur audire & sequi sapientem, & sapiens in his quibus verè sapiens, hoc est, in quibus creditur sermo veræ sapiētiæ secundum immaculatam legem Domini, nullatenus debet à sua sententia discedere, & sequi papalem autoritatem. sed ēt omnis Ecclesia fideliū, qui cognoscit rectum sermonem sapiētiæ, debet similiter adhærere sapienti. Factum hoc nuper in concilio Constantiensi, quando Ioanni XXIII. dissēserunt fideles & Ioh. Gerson. consenserunt. Quis n. hodie contradicentib' ac dissentientibus Eugenio ac Bernardo Clareuallense, non Bernardo magis quā Eugenio cohæreret? Docet hoc exēplo suo Eugenius, qui conseruas illas monitiones & corruptiones *de Consideratione* plurimas tā desideranter acceptauit. Pontificū igitur mandata, quantum obligent, ad Theologum diffinire spectat, si tamen verè theologiset. *Quis est hic & laudabimus eum?* Plus igitur consensu sapientum Ecclesia in vnitate, quam prælatorum regimine continetur. Quia sapientum consensus efficaciter à Deo dirigitur: Prælatorum regimen sæpè non ita, vt quando cæci cæcos ducunt, vel deserunt, vel errare sinunt.

Capvt XXI.

Quod sæpè verus papa est Pseudoapostolus: verus prælatus falsus pastor.

VErus prælatus, qui legitimo titulo in cathedra Petri sedet. Iustus verò titulus cēsetur, qui vel canonica electione, vel superioris collatione prouenit. Sequitur igitur, quod sæpè verus papa est pseudoapostolus, verus prælatus falsus pastor, verus præsidēs falsus Episcopus. Oportet ergo populū sæpe & perferre pseudoapostolos & Euangelistas, pseudoepiscopos, pseudopastores, alioquin peior fiet scissura.

Capvt XXII.

Papa quando non ædificat, nihil facit, nisi periculosè.

PApa debet esse prudens & fidelis seruus, quemadmodū ægroto medicus peritus ac diligēs. Vnde sicut ægroto medicus imperitus aut negligens nihil facit, nisi periculosè, Sic summus pontifex, quicquid non fida ac sapiente integritate facit, aut contra hæc facit, nihil est quod facit. Quia constitutus vt ædificet, quando non ædificat nihil facit. Quia constitutus vt dispenset, qui non fideliter dispensat, verè dissipat. Sub temulento & per fido mercenario pastore grex perit. Cui ebrio, somnolento, securitatem, promittenti, nemo de grege sapienter credit. Longè ergo aliter Petro & Apostolis, Dominus Iesus claues regni cœlorum tradidit, aliter nostris prælatis. Prudēs enim & fidelis seruus constitutus super familiam Domini sui, das eis mensurā tritici in tempore, hoc est, pabulū altissimum omnium studiorum pietatis sollicitudine, circa peruigili, oratione, doctrina, bono exemplo, præcedens, proficiens subditis, quantum solet caput sanum ac dignum prodesse in populo. Nostris vero prælatis negligentiam, lasciuiam, incuriam, pompam, præeminentiam, censuram, rigorem, securitatem mandatorum, tutelam conseruandę prælationis. Has ergo nō puto claues regni cœlorū, immo puto clauem esse pharisæorum, qua nec ipsi ingrediuntur, cum per ista non ingrediantur,

& alios

Digitized by Google

& alios ingredi non sinant, malo exemplo corruptos & impeditos. Quantumcunque certent pro claue potestatis, & verè certent, quia reuera clauis est; magis clauis est & verior clauis pietatis, sine qua nihil facit clauis potestatis: & vbicunque fuerit, semper inuenit sibi coniunctam clauem potestatis. Nūquam per has artes Petrus, Paulus ianuam regni cælorum gentibus aperuissent. Nunquam suo consilio, suo studio, suo exemplo, duxissent, liberassent à iugo seruitutis & corruptionis. Liquet hoc ex familiaribus eorum, qui quanto magis illorum conscii, tanto sunt morum socii. In omnibus enim cathedralibus Ecclesiis collegiatis, vbi sunt crassiora beneficia, semper qui claues anteferreas habent, primi sunt ex domo Papæ & Cardinalium: qui quales in ædificatione sunt, nisi qualiter ibidem vnde venerunt instituti sunt. Nunquam hoc fastu Cardinalium cum Apostolis & discipulis vel in Hierosolymis Præside Romano ac pontificibus, nunquam Antiochiæ, nunquam Romæ, nisi maioribus armis inuito Nerone, inuito Senatu ianuam regni aperuisset: ianuam dico regni cęlorū, quia sui regni fortassis ita potuisset aditum aperire. Sed postquam per Spiritum sanctum charitas diffusa fuit in cordibus eorum, & per charitatem confirmati sunt, & per charitatem & fortitudinem animati sunt Euangelisare, & pati pro salute credentium, cooperatus est eis dominus, vt ostium salutis ac regni aperiretur credentibus, non fidem dante Petro interius, sed exterius tantum seminante verbū euangelii, in quo nulli vel gratia vel sapientia, iustitia, est magis quam in libro scripto vel impresso.

CAPVT XXIII.

Declaratio verbi Apostoli, non est potestas nisi à Deo.

NOn perfunctoriè aut superficialiter legendum aut intelligendum verbum Apostoli ad Romanos: *Non est potestas nisi à Deo, & quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Possunt enim qui in potestate tam corporali quam spirituali errare, & grauiter errare, vt in via Dei scandalisent subiectos, & obedientes in mortalem errorem præcipitarent. Liquet hoc de Romanis Imperatoribus Christianæ fidei & pietatis persecutoribus, quibus forti cōstātia Laurentius & Vincentius resisterunt. Imò si populus pietate incensus arma contra furentes illos Imperatores mouisset, & ita illorum insaniam cohibuisset, non putarem in hac secessione mortaliter populum peccasse. Imò Augustinus necem Domini refert in tacitum plebis consensum, quòd Principibus molientibus non resisterunt. Et Hieronymus aperte sanctam rusticitatem asserit nocere in Ecclesia Dei, quanto destruentibus eam non resistit. Et Ambrosius, vna cum Gregorio, volunt non carere scrupulo societatis occulto, qui manifesto sceleri desinit obuiare. Sceleratis ergo potestatibus oportet obuiare, nisi velimus occulta societate participare. Verba ergo Apostoli de potestatē, sicut alibi moderatur ipse dicens, *Non est potestas nisi in ædificationem*, intelligenda sunt. quatenus enim ædificat potestas, à Deo est, & quatenus non ædificat, qui resistendo ædificat, à Deo potestatem resistendi habet: Posse igitur ædificare potestas à Deo est, & qui plus ædificat, plus in potestate est. Plus igitur in vera potestate Paulus quam Petrus, plus Bernardus quam Innocentius vel Eugenius, plus Franciscus quam Honorius. Præcipiuntur subditi monere prælatum. *Dicite Archippo, vide ministerium tuum, vt impleas illud.* Immo præcipiuntur subtrahere se ab omni fratre ambulante inquiete & inordinate. Igitur multo maxime à prælato corrupto.

CAPVT XXIV.

Clerus corruptus maximè Ecclesiam destruit.

NEmò magis Ecclesiam destruit, quam corruptus clerus. Destruentibus Ecclesiam omnes Christiani tenentur resistere, vsque etiam ad vltimos, puta rusticos, iuxta illud: *Sancta quippe rusticitas quantum Ecclesiam Dei ædificat vitæ merito, tantum nocet si destruentibus eam non resistit.*

CAPVT XXV.

Insolentia prælatorum & principium oritur ex nequitia & stultitia populi.

OMnis error, omnis licentia, omnis insolentia prælatorum, principū & regū ex malitia, nequitia, stultitia populi ortum habet, patet hoc satis ex bonis, magnis quibusq; ciuitatib⁹, vbi minor principū licentia, magis autē ex optime rectis optimorū religiosorū monasteriis, vbi nihil sibi licere prælatus æstimat, præter rectum, & si quando aliter putaret, non diu sineretur. Maximè autem ex facto Ioannis Baptistæ regem arguentis, de his qui non licebant, insolentiam regis non admittentis. Et si plurima populi pars fuisset eiusdem sapientiæ, nisi corrigeret, non eum regno sustinuissent. Tales igitur vti omnes sunt principes ex populi peccatis, velut ex originis nido pullulantes. Nihil mirū ergo, si vipera suo partu damnificetur, si in re familiari ac dura seruitute calumniā patiatur à principe populus foris: quia nulla damna pietatis ac religionis in Deū persentit. sentiat foris, vt per sensa foris vexatio aliquando det intellectum auditui, ad sentienda maiora interiorum bonorum detrimenta.

CAPVT XXVI.

De dispensatione prælatorum, vnde habeat fundamentum, & quando non opus est eam petere, & quare petitur.

MAndatorū implendorū esse non solū differentias, ēt ante declarationē euangelii, sed esse grad⁹ Iudæorū Scribæ cognouerunt. Sed & Dn. Iesus sui oris oraculo explanat dicēs: *Primum omnium*

Digitized by Google

mandatorum, diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima &c. *hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Et confitentem Scribam, hæc esse maiora omnibus holocaustomatibus & sacrificiis, Dominus Iesus vult vera confitentem commendauit, non cum longe esse à regno Dei. Verum erat hæc duo maiora esse omnibus holocaustomatibus. Hic autem gradus maioritatis tantā habet vim, vt in causa coincidentiæ duorum legis mādatorum semper maius ac primum mandatum, minoris obligationem excludat. Non enim in lege Dei est contradictio, & ideo seruis Dei non est perplexitas. Et super hac veritate solida fundatur omnis prælatorum licentia dispensandi. Immo quia in lege Dei contradictio esse non potest, ac per hoc neq; seruis Dei perplexitas. Tenetur omnis fidelis Dei seruus, mox absq; quacunq; dispensatione minoris mandati sese promptum accingere ad maiora, quando non potest vtrumque. Docet Dominus Iesus de coincidentia duorum legis mandatorum, de honorantibus parentibus, & de offerendis muneribus, quorum primum naturale ex necessarium, reliquum voluntarium & liberum. Omnibus enim holocaustomatibus & sacrificiis maius est non solum parentum necessitatibus, verum etiam proximorum indigentiæ subuenire, etiam si sacrificium voto & iuramento firmaueris. Sed quod in talibus dispensatio petitur, fit aut propter metum ignorantiæ propriæ, aut vexationis aliunde.

M. WESSELI GRONINGENSIS PHRISII,

Propositiones XX.

DE POTESTATE PAPÆ ET ECCLESIÆ; & de duobus mandatis charitatis.

I. Omnis auersio à malo, omnis conuersio ad bonum, omnis iustificatio, omnis vnio spiritualis cum Deo, ex duobus illis primis mandatis.

II. Omne pendens tendit, vt per ventu in perfectum absoluatur.

III. Omnis igitur lex & Prophetica promissio, & præcepta sola charitatis perfectione, pendent implenda.

IV. Quandiu illa duo mandata non perfectè fuerint impleta, nō perfectè implebit Deus promissionem suam de ingressu regni.

V. Omnis potestas Papæ prærogatiua extra & supra cæteros in Ecclesia pastores est merè iurisdictionalis.

VI. Omnis iurisdictionalis ecclesiastica potestas debet esse secundum arbitrium viri sapientis, prout vtiq; verè sapiens determinabit.

VII. Hoc debitum creditæ potestatis non facit summos Pontifices inerrabiles, ita vt nō possint errare, aut ita vt necessitet eos in bonum.

VIII. Nulla ecclesiastica siue ordinis siue iurisdictionis potestas, potest quenquam suo arbitrio facere, vt illa duo mandata perfectè impleat.

IX. Potest iurisdictionis potestas Papæ ministerium facere in monendo, docendo, mouēdo, ædificando, verbo & exemplo, regimine, ministerio Sacramentorum.

X. Sed vt ędificentur, nullius potestatis aut imperii iura exercet in cordibus ędificatorū, vt ideò intus ædificentur, quia Deus vult.

XI. Deus, qui Papam constituit super familiam suam, non requirit ab eo, vt subditorum corda conuertat & inflammet, sed vt ad hæc fideliter communicetur.

XII. Volentem aliquando Paulum euangelisare Spiritus Iesu non permisit.

XIII. Iurisdictionalis potestas est earum rerum, in quibus homo ab homine regendus.

XIV. Quæ immediatè inter Deum & hominē geruntur, hæc sibi Deus diiudicāda reseruauit.

XV. Qui, quæ intra hominem sic aguntur, vt nullis indiciis foris pateant, scire non potest, iudicare non debet.

XVI. Quando purgādus oculus aut quàm purus esse debeat, quo dignus inueniatur videre Deum, nullus mortalium diffinire potest.

XVII. Quæ Papa de seipso diffinire nosse non potest, hæc non potest in aliis iudicare.

XVIII. Qui neque potest neq; debet, si vult iudicare, peccat & errat, & iudicium nullum est, velut à non suo iudice latum.

XIX. Omnis actus ex tali ter nullo iudicio sequens etiam nullus.

XX. Plenaria remissio prærequirit iudicium de perfecto, purgato oculo. Vnde non efficacior illa remissio, quam fit verax præcedens diiudicatio.

PRO-

Digitized by Google

Propositiones XIII.

DE POTESTATE PAPÆ ET MATERIA *indulgentiarum: missæ Domino Iacobo Hoeck Decano Naldicensi.*

I. Non amplius Papam posse super pœnis relaxandis, quàm super peccatis remittendis.

II. Non magis hominem impunem esse à supplicio, quàm sit immunis à peccato.

III. Omne peccatum quantumcunque veniale suo naturaliter supplicio, æternis legibus colligatum, propter innexam imperfectionem, distantiam, dissimilitudinem, turpitudinem, reprobationem, ignominiam, & repulsam à fruitione.

IV. Multos verè confessos, contritionem & indulgentialem conditioné executos, verè paruulos in Christo, verè adhuc valde informes Christo, multo partu opus habentes, antequam Christus formetur in eis.

V. Papam nullâ potestate arbitraria posse perfectè formare Christum in paruulis & imperfectis.

VI. Papam non posse euacuare, quod ex parte est; non posse facere, vt veniat, quod perfectum est; non posse facere de viatore comprehensorum; nec posse viatorem perfectum etiam in termino vitæ constituere.

VII. Papam non ampliùs posse super meritum passionis Christi, quàm super baptismum in Spiritu sancto.

VIII. Nullam sponsam diuinum illum thalamum intraturam, nisi perfectè menstruis omnibus purgatam, totam pulcram, immaculatam, & iudicio Salomonis perfectè decoram.

IX. Maculas menstruorum nihil esse, nisi male perfectos amores.

X. Nisi perfectè amantem, minimè posse gaudere Deo.

XI. Omnem imperfectum amorem, exclusum à perfecta fruitione.

XII. Omnem exclusionem amanti pœnalem esse.

XIII. Papam pœnales exclusiones, & chaos magnum firmatum inter imperfectè amantes & perfectè amandum tollere non posse.

Propositiones XXXII.

DE THESAVRO ECCLESIÆ ET PARTICIPATIONE, PER *quem, quibus, & quomodo thesaurus iste dispensetur, & de qualitate Purgatorii.*

I. Participatio cœlestis Hierusalem est in id ipsum.

II. Participatio in id ipsum est penes perfectam charitatem.

III. Qui de profectu & perfectione omnium timentium Deum, recte & perfecte gaudet, æstuat & glorificat Patrem, qui in cœlis est, hic perfecté particeps est omnium timentium Deum.

IV. In participatione cœlestis Hierusalem semper mensura desiderii, est mensura participii.

V. Papa quanto potest fideli ministerio hoc desiderium suscitare, tanto potest facere participes omnium timentium Deum.

VI. Qui non potest imperantis iura exercere in desiderio, non etiam potest arbiter esse in participio.

VII. Participatio in idipsum quædam beatitudinis est, quædam sanctificationis.

VIII. Participatio sanctificationis quædam actualis, quædam habitualis.

IX. In illa Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, semper actualis nihil nisi Deum amantium, aut propter Deum.

X. Actualis participatio quædam perfecta, quædam imperfecta.

XI. Perfecta participatio nulli contingit, nisi duobus illis primis mandatis impletis.

XII. Actualiter nemo participat omnium timentium Deum, nisi qui actualiter cognoscit, æstimat, desiderat, omnia bona timentium Deum; & actualiter inde glorificat Deũ Patrem in cœlis.

XIII. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

XIV. Pro mẽsura dilectionis est mensura cooperationis in bonum, & participationis in idipsum, & participationis timentium Deum; si parum, parum; si multum, multum; si habitualiter, habitualiter.

XV. Si ex mensura dilectionis pendet mensura participationis, solus ille potest efficaciter decernere participationem, qui solus potest infundere dilectionem.

XVI. Post Deum, & Saluatorem, potius in voluntate fidelium, quàm in potestate papæ constitutum, quis quanto particeps fiat omnium timentium Deum.

XVII. Omnibus credentibus in nomine vnigeniti filii Dei, data potestas filios Dei fieri; ergo hæredes; ergo participes.

XVIII. Hæredes Deo papa non potest facere cohæredes Christo, cum ad habitum non sit motus. iam enim sunt.

XIX. Thesaurorum Ecclesiæ non facit participes, quo siue volente, siue non volente, fidelis nihilominus pro primi mandati mensura participat.

XX. Qui thesaurum ecclesiæ non adhuc sapienter habitu vel actu æstimat & concupiscit, non adhuc participat, quia solum pro tanto participat, quanti æstimat.

Digitized by Google

XXI. Thesaurus Ecclesiæ, cæleste regnum, nuptialis fruitio, sanctum Sacerdotium, realiter idem sunt, vt vnum non sine reliquo contingat.

XXII. Nulla fidelis anima nuptialem illam vocationem audiet: *Veni sponsa mea, veni, coronaberis*, nisi præcedant illa, quæ dignam faciant hac vocatione, vt sit iudicio veri Salomonis antè tota formosa & perfecta.

XXIII. Totam pulchram, totam formosam solus ille iudicat & vocat, qui desponsat.

XXIV. Qui vel se vel proximum nuptialibus amoribus digne exercitatum iudicat, seipsum seducit, & veritas in eo non est.

XXV. Neque Prælatorum auctoritas, neque sacramentorum veritas in hac vita immunem constituunt à peccato.

XXVI. Qui non potest immunem à peccato reperire, non potest impunem decernere.

XXVII. Amanti animæ grauissima afflictio est, sanctorum desideriorum dilatio, quam neque tollere potest Papa neque debet.

XXVIII. Naturale, iustum, sanctum, imperfecte amantibus animabus hoc purgatorium, vt nuptialiter, sed imperfecte amantes thalamo sponsi excludantur.

XXIX. Purgatorium, vt si verè purgatorium sit, oportet vt sordes purget.

XXX. Sordes amoris nihil ita purgat, vt æstuans, dilatus & sitiens amor se ipso incenditur, quemadmodum sapientia consideratione inclarescit. erit enim ignis, qui probet opera vniuscuiusque.

XXXI. Post hanc vitam quædã peccata dimittuntur. igitur post hanc vitã charitas perficitur.

XXXII. Alias pœnas dolorosas ex igne non refello, sed principaliter purgatorias esse nego.

M. WESSELI GRONINGENSIS
PHRISII, DOCTORIS THEOLOGI,
Responsio,
DE POTESTATE PONTIFICIS Romani in indulgentiis.

IACOBVS ANGVLARIS DECANVS Naëlduicensis M. Wesselo S.

NON minus (mihi crede) dignissime Vuessele, ego ad te scribere, quam tu meas accipere literas, iamdudum desideraui, sed aut nuncium non habui, aut adeo fui necessariò & quidem sæpius secularium rerum tumultibus occupatus, quod ne minimum quidem tẽpusculum, quo tuis scriptis intenderem, aut contemplationi vacare possem, habuerim. Et reuera me mea in laqueos hos, qua nihilum petentibus negare scio, deiicit cordialitas. Verũ nunc bonum mearum nactus literarum baiulum, ex somno tantum mihi temporis surripui, quod nostra tibi de te tuisque propositionibus mentem transscripsi, & quidem incultè atque confusè. Inprimis itaque te scire cupio, me nullatenus in te deceptum esse, quippe quem maiorem experientia, & tuorum scriptorum lectitatione, postea cognoui quam ante plurimorum & quidem magnorum relatu audiueram. At vnum duntaxat ex literis tuis colligo, quod virum grandẽ (mea opinione) vehementer dedecet. Id est, quod dura te iactas ceruice, qua cunctis in dictis tuis quandam niteris ingenii singularitatem, adeo vt plurimorum iudicio Magister contradictionis, merito valeas appellari. Et (ne dubites) tua doctissimi viri singularitas plærosque scandalizat. Fateor ingenuè, alterius me esse contradictionis, qui non nisi ob maximas causas à communibus veterũ patrum soleo recedere limitibus, eosque defendere magis quam impugnare. Meministi (haud dubito) huiusce opinione grandem hunc virum Buridanum, in *Ethicorum suo proœmio* extitisse, quando dicit, sese *modernorum adinuentionibus crebrius, traditionibus verò antiquorum nunquam deceptum fuisse*.

In materia indulgentiarum non possum à te non dissentire, neque te rationibus oppugnare intendo. Quæ nam enim spes quæso mihi esse potest, durũ illud atq; inexpugnabile tuum atq; imperterritum caput rationibus expugnare, quod neq; malleo communis credulitatis omnium, neq; authoritatis antiquorum patrum gladio valet emolliri. Meam duntaxat opinionẽ atq; iudicium paucissimis explicabo. Verum est, de indulgentiis nihil expresse ex sacra scriptura haberi, nihil de ipsis veteres scripsisse doctores, quanquam Gregorius dicatur, (quod nusquam tamen legi) septennes Romanis in stationibus indulgentias collocasse. Ex hoc tamen non audeo (quemadmodum nec debeo) illam tecum sententiam effundere, vt prælatos hoc facientes obseruantesq; errare credam. Et reuera (vt nihil te celam) horrore attonitus inauditæ veritatis primitus scribere destiti, quãuis semper sperauerim te illa potius conferentiæ & indagandæ veritatis gratia quam assertiuè pronunciasse. Non.n. te ad illud asseuerandum mouere debet, quia in sacra Scriptura & euidentibus Apostolorũ traditionibus de ipsis haberi nihilũ. Cum plæraq; dignoscas, quæ nõ minus sub pœna ignis credere

oportet:

Digitized by Google

oportet illis quæ in prædicta fidei regula continentur. *Multa* enim dicit Euangelista, *fecit Iesus quæ non sunt scripta in libro hoc.* Huiusmodi autē est (vt de cæteris taceam) quod Petrus fuerit Romæ. Credere te non ambigo confessionem Sacramentalem de necessitate existere salutis, ad bonum sensum nescio tamen, an bene scires in regula fidei stabilire. Scio doctores ad hoc complures conatos fuisse, sed an rite (ita quod duram ceruicem conuincere possint) fundauerunt, tibi magis iudicandū relinquo. Ego præter Scotum mihi vtcumq; in hoc placentem, vidi neminem, quamquā non admodū mihi displiceat dicere vt aliqui volunt) illam obligationem non esse scriptam in libro Euangeliorum; sed eā Apostolos à Christo audiuisse, & ab Apostolis ad nos vsq; peruenisse authoritate Ecclesiæ, ex qua quantum pendere debes ipse videto. Istud idem nostris nonnulli volunt de indulgentiis ēt asserere. Vides quorsum ista tendunt. Ipse siquidem in hoc tanquam in nostræ conscientiæ basi & fundamento, tibi etiam ex corde repugno, firmiter credens, asserensq; Papam posse nedū vnam horam indulgentiarū, sed & plures annos, imo & plenariam decernere indulgentiam. Neq; tamē credas me adeo desipere cum plerisq;, vt consentiam firmū fore quicquid Papa in talibus statuerit, ēt si deliret statuendo. Hoc tantū firmum esse, q̄ in huiusmodi statuerit, claue non errante, & Christo nō reprobante. In mentem venit dictum venerandæ circumspectionis & maximæ scientiæ viri (quē tu melius, vt credo Parisiis Decanū nostræ Dominæ nouisti) Magistri nostri Thomæ de Cursellis. Quibusdam. n. in Basiliens. consilio Papæ potestatē plus debito extendentibus, fertur dixisse, *sibi à Christo dictū, quicquid ligaueris super terram, erit ligatum. Non autē, quicquid dixeris esse ligatum.* Dices fortassis, non sufficit dicere, nisi dicti rationē adiunxeris. Reuera, charissime Wessele, pro magna tibi ratione imò magis quam ratione debet esse Papæ nedum, sed & omnium tam prælatorū quam doctorum autoritas, qui oēs indulgentias aut largiuntur, aut largiendas esse scribunt, docentq;. Recordare Augustinū dixisse, *Euangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ compelleret.* Nonne ēt in corpore iuris pēr Ecclesiā approbari pleraq; de indulgentiis capitula loquuntur? Nonnè venerabilis Gerson ad idē esse videtur, dicens: *Indulgentiarum concessionem non esse paruipendendam sed deuote in fide, spe, & charitate Christi, qui talē dedit hominibus potestatem, amplectendā? Constat eius*, vt eius verba prosequar, *quod fructuosior sit & acceptabilior cæteris paribus talibus innitens operatio, quā alia eisdem non innitens. Consilium est igitur* (subdit ipse) *solidum & sanum, vt absq; curiosa discussione, de praciso & certo earum valore, studeat homo pius tales acquirere.* Idem ipse in principio eius, quod *de indulgentiis* fecit opusculi, (in cuius circa finem prædicta habentur verba) videtur in sacro velle Euangelio huiusmodi pontificū fundare ac stabilire potestatē. Allegato namq; illo Mat. 18. *Quæcunq; alligaueritis* &c. cum nonnullis aliis Sacri Euangelii passibus ait *fundatur denique super præmissis potestas omnis, indulgentias conferendi.* Iste siquidem noster doctor cum sentiat (& quidē bene opinione mea) nullum purum hominē, imò neq; totam Ecclesiam posse quippiam ad peccatū mortale obligare. Videtur contra tuam æstimationem vel istud Christi dictum: *Quodcunq; ligaueris super terram*, non de peccatis, sed de pœnis intelligi. Cū his ego ita esse & prædico & doceo. In ea itaq; te, quo ad palum nostri certaminis meum nunc percepisti iudicium, & quidē pro personæ qualitate merito flocci pendendum. Mea namq; de indulgentiis sententia est ista. In confessione Sacramenti, quæ nonnunquam de attrito facit contritū, in temporalem mortali crimini debita perpetua pœna commutatur. Hanc temporalem pœnā quo adusq; per sacerdotem fuerit taxata & iniuncta, de foro Dei æstimo, & non Papæ, cum verò fuerit iniuncta & virtute clauium ad eam pœnitens obligatus, iam eam de foro Ecclesiæ iudico. Super hanc Ecclesiam habens potestatem, non quod eius arbitrium sit apud Papam, vt quicquid in talibus Papa decreuerit, ideo in foro diuino sic subsistat, quia de illis Papa sic voluit, neque quod Papa possit illā pro libito suæ voluntatis remittere, sed quia pro illo possit de Thesauro Ecclesiæ satisfacere, meritaque sanctorum & præcipue passionis Christi in locum illarum pœnarum ordinare. Neque huius assertionis meæ oppositum, quas mihi tradidit præceptor meus Engelbertus Leidensis tuæ ostendūt propositiones. In quibus longe aliter, quam communes Ecclesiæ doctores, *Thesauri participationisq;* vocabulis vt videris, quo fit vt eis non ad rem sed ad vocem duntaxat contradicas. Concedunt omnes tecum, Papam neq; posse cuipiam gratiā conferre, neq; si ipsemet aut alius quispiā in gratia sit iudicare, & multo minus præcipere, vt quis sit in gratia. Sed quod ex his tua intētio possit deduci, fateor me non intueri. Ex his enim solum inferri potest, Papam neq; indulgentiarum capacem facere, neq; talem quempiam certitudinaliter iudicare posse. Quod rursum cuncti tecum affirmant, verum tamen omnibus tuis istis præmissis, siue antecedentibus stat in veritate oppositum consequentis, per te illati, Papam scilicet verè contrito confessoq; ac conditionem implenti posse indulgentiam modo dicto conferre, etiam si papa id exigat plenariam, quatenus tales carne soluti mox euolent ad regnum. Neq; vereri debes, si Ecclesiam peregrinantiū nobiscum ita extollas te blasphemum in regē, regnum cælorum offensum ire. Nam sordes, quas ne libens quidem videris in pulcherrimum illud regnum velle recipere, magna pro parte ex mole corporis animam grauantis præueniunt, carneque deposita mox abluuntur cessantque. Non sunt in ea tunc immundæ cogitationes, non tot insipientiæ, ignauiæ, pigritiæ. Sanctorum desideriorum dilationem, quam probè dicis amanti animæ grauissimam afflictionem, rei desideratæ exhibitione Deus ipse tollit. Non est etiam inibi amor aliquis impurus, sed omnia ibi pulchra, omnia perfecta sunt in suo genere. Nihil illic impurum vel imperfectum. Non itaque ob istas sordes abluendas animam, quæ lucrata est plenariam indulgentiam, in purgatorio necesse est detineri, quo minus statim euolet; dummodo eo in statu moriatur. Purgatorium non est sordibus, sed potius à pœnis, quæ ibidem soluuntur, purgandum Theologi nominant. At quanquam quæ dixi possibilia docenda populoque prædicanda sunt, vix

Digitized by Google

tamen crediderim de centum milibus animam vnam quidem, sic statim euolare, cum hoc prægrandi quodam glorioso, soleo de beatissima Dei genitrice prædicare. Fortassis enim, immo sincere credens indulgentiam adipisci, aliquod est crimen aut per obliuionem aut per negligentiam non confessus, cuius pœnam nisi hic soluat, in purgatorio patietur. Insuper quis in momento adeptionis earum ilico decedit, aut potius quis non post adeptas crimina aut cōmittendo aut omittendo accersiscitur. Omnes quoque (vt satis tuæ videntur innuere propositiones) manent, vel in venialibus, & quotidie offendunt.

Ipsa siquidem manentia peccata nullus asserit esse dimissa, vera tamen manet ista conditionalis, quod si quis sit verè de omnibus contritus & confessus, impleueritque opus indulgentiale, illi potest Papa de thesauro Ecclesiæ communicare. Itaque si sic plene contritus absque noui peccati perpetratione moriatur, mox euolabit. Talem indulgentiam supremus Papa Christus latroni impartitus est in cruce. Nec ista mirari vir doctus debebis, cum secundum omnes tanta posset esse contritio, quod omnem culpam & pœnam deleat, faciatque absque aliqua dilatione ad regnum euolare. Adultus etiam quantumcunque fuerit criminosus & Christo difformis si mox baptizatus moriatur, statim candidissimus, purissimus & in Christo perfectè formatus in regno apparebit. Neque regnum, vt videris, formidare sordidum & turbulentum facit in sua receptione, qui tamen si superuixisset multo partu opus habuisset, antequam Christus formaretur in eo. Video papirum deficere, ea propter finem facio. hæc ergo prout multiplex diuersaque occupationum varietas permisit satis improuise, atque alio distractus de te tuisque propositionibus calami officio designaui, petens vt ipse qui magis est collectus, & ob id beatior, quæ ego confuse nimium more occupatorum & aliis intentorum scripsi, colligas & rursus mihi quam primum scribas. Tuum siquidem erit ex his, quibus conuenimus, & dissentimus elicere, nosque in puncto contradictionis, ad rem statuere, Vt nostri veritatis doctores (quanquam nominales appellentur) satius his, qui reales dicuntur efficere solent. Quo facto ad id peccatum quasi ad signum Romanum & auctoritatum telis tecum libens sagittabo. Eo enim pacto fiet, spero, vt veritas tandem in difficilimis facile inueniatur. Non vt est sese Deus nobis hæc ocia dedit, quæ tibi, sed tamen haud postponam scribere posthac. Quam primum semper tua scripta recepero, scribam. Neque tamen potero post hac tantum occupari, quin vti iam semel iterum atque tertio pollicitus sum, indilate semper tuis scriptis vel parum dictando responsum dabo. Interim, ô dulcissime Magister noster optime, vale. Ex Naelduuick. IX. calendas Augusti, per vere tuum (vt plene dignus es) Decanum ibidem.

EPISTOLA VENERABILIS M. WESSELI GRONINGENS. Responsoria ad M. Iacobum Hoeck Decanum Naelduuicensem,

DE INDVLGENTIIS.

SAlute sua medius intersit conferentibus, qui in suo nomine congregatis promisit medius fore. Gratias habeo dignationi tuæ, dignissime Magister noster, pro diu desiderato mihi tuo de me iudicio. Et quo melius clariusque de mea possis opinione diiudicare, statui quantumlibet laboris fagitans, aliquanto longiusculum desideratis tuis scriptis respondere. Indagandæ veritatis desiderio tractus non debeo pigritari, vbi cum doctore Orthodoxo, & eo veritatis amantissimo & studiosissimo, longum desiderata offertur non solum, & petitur conferentia.

In primis itaque rogo, & per geminam charitatis legem obsecro, non sic hanc meam singularitatem accipias, velut iactantiam putem, quasi cunctis in dictis meis quandam hitar inuenire nouitatem. Quod si mentem & animum meum cernere posses, profectò non iactantiam, sed magis quærimoniam iudicares, qua coram Deo in oratione sæpe aures misericordiæ suæ pulso, ne propter duram ceruicem meam nonnunquam iure mihi suspectam, adduci me sinat in reprobum sensum. Mihi crede, si erro, non tam libidine quam habetudine seducor, bono interim & sereno animo certus mihi, quod semper tanta sollicitudine veritatem fidei quæsiui & quæro, quam cum inuenero, non solum per tui similes viros Doctissimos & probatissimos, sed & per quemcunque etiam nouissimum etiam per meipsum, semper paratus sim corrigi & confiteri. Et id facto non semel Parisius ostendi, primo quando vocatus Heidelbergam neglectis grandibus beneficiorum pollicitationibus, quas per dictum Quapponem pro tempore confessorem Domini Archiepiscopi Coloniensis, Comes Palatinus offerebat, ea sola intentione & animo Parisius contendebam, vt famosissimos illos duos viros Magistros, Henricum Zomeren, & Nicolaum Traiecti, velut nouus & singularis athleta suis opinionibus disturbarem & à sententia formalium in meam realium reuocarem. Hæc mihi tamen. fateor arrogantia fuit. Sed vbi fortiorum occursu, propriam deprehendi imbecillitatem ante tres menses meæ sententiæ cessi. Et mox omni studio scriptores conquisiui, in libros Scoti, Maronis, & Boneti, quos illius viæ principes acceperam. Neque illo contentus, ante annum incepi viæ Scoti, & cum omni diligentia quantum potui perspecte grauiores in ea, quam in via realium errores deprehendens, etiam corrigi paratus, mutaui sententiam & nominales apprehendi. In quibus (ingenue fateor) si quid fidei contrarium putarem, hodie paratus remearem, vel ad formales vel reales. Vnde secundum sententiam beati Augustini 24. q. 3. c. dicit Apostolus, *Nullius mihi pertinaciæ conscius sum, etiam si non mox acquiesco, quando propter hebetudinem non assequor, quod aliis datum*

cele-

celerius clariusq; capere. Argumento & exemplo mihi sanctus ille & catholicus orthodoxus Hieronymus, qui in tam grandi & periculoso errore totius canonicæ scripturæ auctoritatem subruente, proptereaq; peiore quam vel Arrii vel Sabellii error fuerit, non mox monenti Augustino cessit, sed sententiam defendens & contradicens, rescripsit epistolam. Dices fortassis, non tantas hodie concedi inducias. Neque contra id ego contendo, sed hoc mihi satis est, si tam quærendi veri, morosa sollicitudo verè Hieronymum, quia syncera fuit, ab hæresi defendit, nullum ego credo hæreticum qui pari sollicitudine verum quærit, & pari promptitudine agnitum confitetur.

Capvt I.

ASseris item, neq; discredo, multos hanc meam singularitatem scandalizare. Neq; minus me hoc illorum scandalum vrit. Quorum ego nullo singularitatis ambitu, sed veritatis (vt mihi videor) zelo raptus & coactus, non hodie, sed ante annos. 33. crebro Parisius inter doctos quosq; proposui, quoniam à puero ridiculum & indignum semper mihi visum, credere aliquē hominem suo decreto posse facere, quo bonum in oculis Dei vt quatuor, fieret bonum vt octo, solo decreti humani accessu aut interuentu. Confiteris tu maximas ob causas, interdum te à veteribus Patrum limitibus recedere. Num igitur tibi leues aut futiles causæ videntur, quibus ab hac noua indulgentiarum assertione, patres ante Albertum ac Thomam vt (ipsi scripto testantur) discesserunt, asserentes nihil esse, nisi piam fraudem ac dolum non malum, quo plebs officioso errore trahatur ad pietatem? Non ergo temporibus illis omnes credebant, neque qui sincera sollicitudine verum quærebant, hæretici fuerunt. mihi sane non paruæ illorum causæ videntur, qui propter indubitatam scripturæ autoritatem, necessariè confitendam, à probabili sententia pontificum discesserunt. Apertius dico. Quam diu mihi videtur, quod papa vel quæcunq; multitudo contra scripturæ veritatem alterat, semper debeo scripturæ veritatem prima sollicitudinis parte amplecti; secundo autē quia non probabile tātos errare, debeo diligenter veritatem vtriusq; partis peruestigare, sed semper cum reuerētia maiore sacri canonis, quam humanæ assertionis, quicunq; sint assertores.

Quantos errores in materia indulgentiarum Romana curia temere præsumpserit, & pestilenter publicauerit, & hodie noxiæ pullularent, nisi sana paucorum verorum theologorum seueritas obstitisset, non opus omnia commemorare. Tu tibi testis & argumento es, in his quæ vel Parisiis vidisti, vel inde regressus, in patria fecisti & pertulisti. Tu nosti, si tuis aduersariis fundata supra firmam petram pietas in causa fuit. Nosti quanta Ecclesiasticæ authoritati, quanta catholicæ fidei reuerentia debeatur, habes in hanc sententiam totam fere nouam distinctionem.

Capvt II.

QVod ad astruendam antiquorum authoritatem, grauem illum veritatis testem Buridanum allegas, non solum probe sed & liberaliter facis, mihi licentiam non solum, sed & incitamentum afferens, tantum virum sequendum, qui tam fauorabiliter & rectè pro antiquis loquitur, & magis pro antiquioribus, quorum probatior commendaciorque virtus ad nos peruenit. Num quid cum dicit, *se antiquorum traditionibus nunquam deceptum fuisse*, Albertum, Thomam vel Scotum, vel vniuersæ realium aut formalium scholæ quenquam notauit? Hos enim omnes nouicios & ferè contemporaneos æstimauit. patet hoc facilè per totum illius clari operis decursum, vbicunque problematicum aliquod incideret, non secundum illorum, sed semper secundum nominalium sententiam determinat. Alii sunt igitur antiqui illi, quorum sententiis præsertim in moralibus nunquam sæpè confitetur deceptum. In materia indulgentiarum non potes à me non dissentire, neque tamen rationibus oppugnare intendis, quia non speras durum caput meum rationibus oppugnare, quod neque malleo communis credulitatis omnium, neque gladio autoritatis antiquorum patrum valeat emolliri. Quid quæso, vir bone, quod rationibus dicis, non te compugnaturum? quasi ego rationem non fidem attulerim. De autoritate antiquorum aliquatenus tetigi, tacturus amplius vbi magis oportunum. De communi autem credulitate consideratius aliquanto disserendum video, & necessarium iudico, tum ex tua, tum scholæ, tum potissimè Christianæ religionis assertione. Palam enim tum sequentibus asseris, non posse quemquam certitudinaliter iudicare; neque adeo desipis cum plerisque, vt consentias firmum fore quicquid in talibus Papa statuerit, si deliret? Tu solas eas firmas confiteris, quando clauis non errat, & Christus non reprobat. Quasi vel perfectæ charitatis ministerium per Spiritum Sanctum in cordibus fidelium diffusæ (quam solam Augustinus regni clauem diffinit) errare possit, vel talis clauis ministerium aliquando Christus reprobet.

Capvt III.

VEnerabilem illum Gersonem allegat, dignum allegatu, dignum consideratu. Qui multa valde in abusu indulgentiarum reprobat. Primò dum principaliter eas magis ad potestatem ordinis, quam ad potestatem iuridictionis refert, *hanc in indulgentiis eminentiorem, vtiliorem, eligibiliorem.* Hoc verbum tanti viri, si ad rigidam veritatem, quam cōtinet, explicetur, nonne statim status

omnium indulgentiarum, & omnis nutat assertio, quando per simplicis pastoris aut sacerdotis ministerium ordinis, per sacramentalia digne præcepta, eligibilius, vtilius, eminetius, ac per hoc & propinquus ad plenariam remissionem acceditur, quam per omnem plenitudinem papalis iurisdictionis.

Confitetur idem varios variè tradere de indulgentiis, nihil igitur vnum & inconfusum traditur. Confusa verò credulitas, non est catholica, sed seditiosa magis, quia singula singulorum. Quod si pauculas eas annotationes perspicaciter consideres, videbis papam nihil posse, nisi vel iurisdictione papali propria, vel ordine clericali, vel adoptione filiali. Tres enim has potestates in Ecclesia inuenimus. Tertia propriè propria filiis adoptionis, & propter eam reliquæ duæ potestates in eius ædificationem sunt. In ordinis potestate, siue presbyter siue episcopus, *ministerium quidem exhibet*, secundum Ambrosium, sed *nullius potestatis iura exercet*. Iuxta ordinis potestatem papa si quid potest, id iurisdictione potest, & illa directè & principaliter, secundum eundem Gersonem, *nullam pœnā dimittere potest, nisi quam infligere potest, vti sunt, excommunicatio, suspensio, inhabilitatio, priuatio, irregularitas.*

Præterea tenet idem doctor, quod *solus summus pontifex Christus*, (excludit igitur pontificē Romanum) *cum Patre & S. Sancto potest plenaria authoritate dare omnimodam indulgentiam à pœna & culpa, quam dum confert, simul dat innumerabiles dies & annos indulgentiarū infinitos.* Grauiter per hoc verbum, licet leuiter videatur annexum, inueniens errorem plenariæ remissionis, quasi dicat, papā non habere talem immensam potestatis plenitudinem.

Et grauiter valdè contra fundamentalem intentionem, facit verbum eiusdem venerabilis viri, qui dicit & verum dicit, quod *in iustificatione impii naturaliter prius gratia infunditur, quam culpa dimittatur, & quod prius reatus dimittitur, quam culpa dimittatur.* primi ratio, quia non tollitur priuatio, nisi constitutione habitus. Secundi ratio, quia lex non mulctat, nisi præuaricatorem. Præuaricatione igitur cessante, cessabit & mulcta. post ergo culpam perfectè dimissam, nullus restat reatus; reatus n. culpam seu præuaricationem habet pro causa totali. Conuertibiliter igitur cum ea statuitur ac destituitur. Præterea expressè reprobat idem venerabilis theologus, illas tantorum annorum indulgentias, passim in diuersis Romanorum pontificum concessionibus repertas, & enormitatē vocat. Notat igitur papam de errore, quando ad quæstorum turpitudinem reuocat. Quādo item communes indulgentiarum concessiones asserit difficile saluabiles, probans donationem irritā esse, quæ se extendit vltra mensuram obligationis. Et manens in fundamento suo priore, quo nullam pœnā relaxare potest, nisi qnam posset infligere. Pro ratione dicti subdit, quod *nullus minister Ecclesiæ possit ad pœnam temporalem tantum obligare.*

Consulit idem venerabilis Theologus, vt suas indulgentias papa moderetur, quo diuinæ iusticiæ simul & misericordiæ non derogent. Istud consiliū si sanū, sicut verè sanū consiliū est, neq; de impossibili, neq; de ineuitabili dabitur, quia in talib⁹ non cadit consiliū. Potest igitur Papa per suas indulgētias, diuinæ iusticiæ diuinæq; misericordiæ derogare. Sed hoc impossibile, nisi diuinæ sapiētiæ præiudicet. Sed hoc non nisi per ꝓpriā stultitiam & errorē quod si faciat scandalum præbet pusillis.

CAPVT IIII.

POnit præterea venerabilis ille quasdam cōsiderationes ibidem tanquam absolutas, quæ si absolutæ sint, ab re positæ sunt, nihil facientes ad propositum. Igitur si ad indulgentias aliquid faciēt, oportet comparatiuè intelligantur. Dicit itaq; *Si quis petit pro se, & id perseueranter & piè & in nomine Iesu, & ex charitate petit, efficax erit eius oratio. Qui fundatur super verbo; Si quid petieritis in nomine meo, dabit vobis.* Hæc si comparatiuè ad concessionem bullæ papalis referantur, quid aliud concludunt, quam potius immitti verbo Domini, quam bullæ papali? valdè hoc loco considerandum & quærendum puto, quale oporteat esse nomen illud Iesu, in quo petentes accipient. Non n. puto quod notio illa, qualem de Domino Iesu Cayphas & Annas habuerunt, prophanam & indignam, idoneam fuisse ad impetrandum apud patrem. Sed illud nomen pium, & sanctum, sapientiale scilicet, q qui habet, scit quanta oporteat pro nomine Iesu pati, hoc nomen sapientiale de Deo, de Iesu sanctificati petimus. Quæro igitur, hoc nomen Iesu, quam sanctificatum esse debeat, & petitio quam feruens esse debeat & ardens, vt omne petitum impetret? Potest enim minus ardens & ardentior esse. Qui si sanctissimo nomine ardentissima fuerit, vti debet, vtrum ad obtinendum quod petitur papæ voluntas necessariò interueniat? Quæ si non necessariò interueniat ad impetrandum, rationabiliter illa consideratio à tanto viro interposita est.

Sed omnium potissimè considerandum verbum eius finale, quo dicit, *certissimum signum salutaris indulgentiæ esse bona facere & mala pati.* Certius igitur hoc signum secundum hunc venerabilem theologum, quam bulla plumbata, secundum omnes regulas cancellariæ. dato etiam quod propria manu papa de plenitudine potestatis ex certa sententia subscripserit. Sed hoc certissimum signum, nisi merè perfectum fuerit, non erit certissimum. Dicit enim propheta, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quærendum igitur, quomodo contritum & quanto? Tropo dicitur contritum, quod inter morales à tumore proprio ac duritia comminutum. Et qui sunt hi duo morales, nisi quos venerabilis hic doctor ponit, facere bonum quod præcipit, pati flagella, quæ infligit? Hi sane duo morales, granem frumenti & adipem pinguem præbentē delitias regibus, Patri, Filio, & Spiritu Sancto, quos ideò reges in plurali dicit, quia personaliter plures quādo etiam sacer canon eos Deos viuentes in Hebræo fonte nominat. Hoc granum frumēti perfecta contritione ad

tione ad animã sui humiliatum & contritum, vt nihil sui amoris retinuerit, vt sine exceptione dicere possit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, ad vtrumque scilicet paratum, ad currendam viam mandatorum tuorum, & paratum cor meum Deus in flagellã tua. Profectò si vtrumq; perfectè dicere possit, certissimum iuge signum indulgentiarum habebit. Verum si quid adhuc sui amoris habet imparatum, & incontritum, licet centum bullas habeat, filo & plicatura & omnibus cancellariæ clauibus aut ferreis instructas, quanto adhuc in contritum, & minus humiliatum cor eius, licet verè, contritum & verè confessum, quia imperfectè contritum & confessum, tanto Deus adhuc despiciet. Liquet igitur ex venerabilis huius viri sententia, indulgentias Papales non tam certum, signum remissionis esse, quam perfectam contritionem cordis inter hos duos molares contriti. Sed omnium catholica confessione certum est, quod ista talis contritio, si perfecta fuerit, nullis papalibus bullis indigebit. Et hæc si minus perfecta fuerit, per papam perfici non poterit. Papalis vt plenaria sit, hac indiget, & hæc si plenaria fuerit, papali non indiget. Hæc de venerabili illo Gersone.

CAPVT V.

DE reliquis autem quid censendum sit qui, tanta inuicem varietate inter se dissident, vt ferre impossibile, sit duos inuenire, prorsus inuicem concordantes. Tu cum Gersone & Bonauentura contra doctorem sanctum, non necessario præcisè quantum sonant valituras. Bonauentura quo validæ sint, oportere iustam causam subesse. Doctor sanctus non putat priuilegium sancti Petri saluum & integrum, nisi valeant præcisè quantum sonant. Neque aliter putat vniuersalem ecclesiam ab errore damnabili posse defendere. Et eligit magis damnare Papam de puncto irrationabilis concessionis, quam de falsæ assertionis. Communem contra me credulitatem allegas. Quis quæro religiosorum etiam Cartusiensium aut Minorum de strictissima obseruantia, per nullam indulgentialem in extremo vitæ absolutus, à suo priore nolit, vt post mortem oretur pro eo? Et quis est viuorum, qui non oret pro illo? Dicis forsan, post indulgentialem absolutionem venialiter illum peccasse. Sed illam scrupulosam cauillationem Eugenius Papa excludere volens, declarauit suam desuper voluntatem, quod solum pro vltimo instanti vitæ, quo morientes mox in gratia discederent. Pro tali igitur moriente, & sic indulgentiis munito tuam fidem & confessionem exigo, velles adhuc pro te orari; velles adhuc pro alio orare aut non? Quod si dicas, vtique; vbi illa tua communis omnium credulitas? Quanta igitur communis credulitas, cui merè sapiens integro confidit? Primum sane credulitas argumentum firma fiducia.

CAPVT VI.

COnfiteris, nihil à patribus expressum in scriptura. hoc si affirmatiuè intelligas, videlicet pro stilo & consueto cursu indulgentiarum Ecclesia solito, satis assentior. Si verò penitus distribuas, vt prorsus nihil de eis vel astruendis vel improbandis habere putes, valde renitor. Ponit enim iudicio meo, non primus papa Petrus, sed per Petrum Spiritus sanctus, vnicam solidam & solam bullam indulgentialem, quam solidam contestatur, quia per eam abundanter ministratur introitus in regnum Dei saluatoris nostri Iesu Christi, & quod eadem etiam sola sit, idem contestatur, subdens, quod cui non præsto sunt illa decem illic enumerata, cæcus est & manu tentans & obliuionem accipiens purgationis veterum delictorum. Nulla igitur alia bulla suscipienda vel admittenda, quæ non hanc includit. omnis igitur alia superflua. Aliquid igitur habetur in scripturis de indulgentiis, quia de abundanti introitu in regnum. Qui enim aliud abundans introitus in regnum, quam plenaria remissio à pœna & à culpa? præterea cæcitas & manu palpatio, & veterum delictorum purgandorum obliuio, quid est aliud, quam à regno exclusio? Hanc meo interim iudicio vnicam solidam, & solam indulgentiarum bullam Petrus Apostolus in *secunda canonica capitulo primo* ponit. Aliquid igitur inuenitur in scripturis de plenariis indulgentiis licet nõ secundum vsitatum hodie morem in populo. De huius bullæ integritate nullus Petri successor aliquid relaxare potest, nihil fœcundius abiicere.

CAPVT VII.

DOctores antiqui nihil expresè scripserunt, quia talis abusus nondum temporibus Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii irrepserat. Et si Gregorius Magnus dicatur, quod nusquam tamen legisse confiteris, septennes in stationibus Romanis indulgentias collocasse: *Ex hoc tamen non audes, quemadmodum nec debes, mecum illam sententiam effundere*, &c. quod dicis *ex hoc*, Quid quæso illud *ex hoc*? An quia vulgo dicitur, an quia nusquam legisti? Quasi ego ex altero duorum, tanquam idoneo argumento sententiam aliquam effuderim. Valde siquidem ad re, propterea sententiam aliquam effundere, quia vulgò dicitur quippiam. Si verò propterea sententiam aliquam non mecum effundis, quia nusquam legisti? Sed neq; ego sententiam vel hanc vel illam effundo, quia nusquam legi, Gregorium Magnum septennes illas indulgentias in stationibus collocasse. Qui ante annos 34. Parisius dicaciter magis quam sagaciter, vtinam non temere, inter doctissimos quosq; crebro & Romanæ anno penultimo Pauli, in pœnitentiaria papæ sententiam hanc effundi, quam nunc tibi effundo, quoniam ita compellare placet. Effudi paratus tamen tribus illis Theologis Magistris nostris Parisiensibus, Wilhelmo de Phalis, Iohan. de Buxella, Iohan. Picardo,

conferre sententiam hanc meam cum illis. Horum duo primi de pœnitentiaria Papæ; quartus ego illis paratus conferre non meas rationes, sed scripturas meo iudicio meam opinionem de indulgentiis tangentes. Sed venerabilis Magister noster Ioannes Picardus recenter de Parisius veniens, & nō parua ex parte ab olim, quæ argumenta mea recolens, quemadmodum & reliqui duo, vetuit meam ventilare, asserens minus quam duobus mensibus ante suum ad nos aduentum disputationem Parisius fuisse in vico Sorbonæ, à quo nemo doctior, sed omnes quam venerant confusiores recesserunt. Meminisse potes, annus enim erat nescio vltimus Pauli, quo tu non postremus de schola Theologorum Parisius fuisti, & præcedente die, qui lunæ in carnis priuio fuit, inuitato mihi per cubicularium Papæ Henricum Dalman in camera parlamenti, prandētibus nobis, per iocū dixit Magister Wilhelmus, qui supra de phalis in aurem Ioannis de Bruxella: *Vellem nunc adesse Magistrum nostrum Iacobum Scheluert.* & subriserunt ambo, vt cubicularius verbi & risus causam quæreret, & illo causam dāte propter meam singularem de indulgentiis opinionem; non parum ex loco illo agitato mihi, solaciosè satis cubicularius hoc accepit, inquiens, non hoc nouum esse. Quin etiam postea Curiales ipsos audiui plenis verbis in meam sententiam consentientes, & id liberius quam ego. Num subdis verbum, istud scilicet: *Et reuera, vt nihil te celem, inaudita veritatis horrore attonitus, primo scribere destiti.* Quæ quæso veritas illa tali ac tanto viro inaudita? Et quid eam si veritas est, horruisti? Rogo te si verè nihil me celas, non hanc me veritatem celes, vt & ego inauditam eam ex te audiam discamque. Saltem in hoc non scribere non desistas. Verè enim profiteor tibi, conferentiam hāc indagandæ veritatis me causa suscipere, & libenter suscepi, sperans per te, per tui similes bonos magis quam cōtentiosos vel instrui, vel confirmari in veritate, quam semper à puero quæsiui præ omnibus rebus, & nunc magis quam vnquam, quia per veritatem vnica via est ad vitam. Plus autem saltem non minus, gratulabor victus quam victor, quanto mihi meus, quam alienus profectus optatior est, vel esse debet. Vnde non parum admiror te virum sapientem, quod me tam leuem facilemque assertu iudices, vt ex hac sola negatiua, vt quia nihil in scriptura continetur de indulgentiis adeò solummodò moueri me putes. Scio sanè non solum sacram scripturam esse fidei regulam adæquatam. Scio quædam per Apostolos tradita quæ scripta non sunt. Et omnes eas traditiones, velut canonicam scripturam, in fidei regulam suscipiendas. Hæc duo sola, & quæ ex his per necessariam consequentiam euidenter deducta constant, vnicam fidei regulam constituunt. Et hanc solam fidei regulam confiteor ad rigorem, à qua nemini licet absq; salutis interitu declinare. Multa tamen extra hanc piè credenda, hoc est non abnuenda, propter pietatem quam euidenter fouent.

De sacramentali confessione mos Ecclesiæ, non admodum tibi displicet, illam à Christo traditam Ecclesiæ per Apostolos. Placet mihi hæc tua sententia, generalibus quidem Ioannis in *sua canonica*, sed specialioribus verbis Iacobi confirmatam. Confiteor ergo in hac fideli regula debere me pendere ex Ecclesiæ autoritate, cum qua credo, non in quam; credo in Spiritum Sanctum regulam fidei regulantem, locutum per Apostolos & Phrophetas; cum Ecclesia sancta credo, secundum Ecclesiam sanctam credo non in Ecclesiam, quia credere actus latriæ est, virtutis theologicæ sacrificium, soli Deo offerendum. Et secutus adiungis, quod nonnulli ex nostris volunt indulgentias ita esse de fidei regula. Qui quæso sunt illi? Nonne venerabilis ille Antonius Florentinus Episcopus, vir in vita sua spectabili honestate præditus, vt hodie multa cæra tumbam eius, vbi requiescit, adornet, qui velut hæresim censet aliquid contra indulgentiarum cursum sentire? Sed nunquid igitur Gerson hæreticus, qui tam grauiter & fundamentalibus verbis hodiernum cursum inussit? Video quorsum ista tendunt, quia si verum illi dicerent, omnis qui contradiceret in regulam fidei, quia contra traditionem Apostolorum impingeret, & si pertinaciter insisteret, hæreticus esset. Sed vbi quæso illi ex nostris, imo (vt cum stomacho loquar) suum hoc mendacium, suum errorem stabilient? Nunquid Euangelio aut Apostolorum consuetudine traditum? Nunquid perhenni à temporibus Apostolorum, obseruationum perpetua consuetudine roboratum? studiosissimus ille, qui supra, Chronographus Antonius, qui in hanc sententiam plurimus est, planè confitetur, nondum inuenisse quando indulgentiæ habuerint initium. Et quasi Legistis & Canonistis potior in hac re valeat autoritas, ipse Theologus Doctor & Episcopus Iohannem Andreæ coniugatum allegat, scripto reliquisse, quosdam alios Doctores referre Bonifacium Octauum de consilio Cardinalium primum instituisse. Digna auctoritas, quæ tanti viri sanctitate roboraretur. Tria grandia fecit Bonifacius ille: persuasit Celestino cedere Apostolatum, asseruit papam Dominum omnium, statuit indulgentias. Intrauit vt vulpes, regnauit vt Leo, defunctus vt canis. Et eundem plenarias voluisse fore de centenario in centenarium, tresque tantum assignasse Ecclesias vsitandas, Lateranensem, sancti Petri, & sanctæ Mariæ Maioris: Et hoc circa annum Domini 1300. Igitur per hos 1300. annos, vbi & quare obdormiuit illa Apostolica traditio, si sic Apostolica, vt in regula fidei strictè accepta connumeranda sit? Non puto ego in regula fidei censendum, quicquid Bonifacius Octauus, vel post eum Clemens, aut Gregorius determinauerunt. Satis ad hoc venerabilis ille Gerson palam reuerendissimus ille Antonius confitetur copias bullarum Clementis totam continere exorbitantiam, quod non credit fuisse bullatas, quæ tamen hodie Viennæ, Limouis, Pictauis plumbatæ in thesauro priuilegiorum reseruantur.

Et subdis te in hoc, tanquam conferentiæ nostræ fundamento, velut in basi etiam, ex corde

mihi

mihi repugnare. Quid quæso illud fundamentum & basis tam solida? An quod indulgentiarum ipse cursus Apostolorum Christi traditione inceptus, continua Patrum obseruatione talis ad nos peruenerit? Hanc enim proximo præmisisti. Suspicor igitur hoc tanquam fundamento & basi te mihi ex corde repugnare. Aut si aliud pro fundamento vel basi habes id explices, cuius motiuo firmiter credis, & asseris Papam plenariam posse decernere indulgentiam.

CAPVT VIII.

HOc firmiter credis, non tamen cum plærisq; desipis, vt consentias firmum fore, quicquid in talibus papa statuerit. Tu firmiter credis & asseris, papam plenariam posse decernere. Et plæriq; si consentiant firmum fore quicquid in talibus Papa statuerit, iudicio tuo desipiunt. Vtraque hæc tua verba sunt, plenariam indulgentiam si decernat, firmiter credis & asseris: & si quid in talib' papa statuerit consentias, desipis, nisi forte extra hanc plenariam indulgentiam, aut supra statuat. Non video quomodo nutantia hæc verba quadrabis, vt coeant. Non decent magnopere constantem animum tuum mutantia hæc verba. Nosti schola nostra nominalis, talem verborum diffidentiam & discohærentiam non admittit. si propterea non desipis cum plerisq;, quia non putas firmum fore, si quid in talibus statuerit, non iam firmum fore desipies, vbi plenariam statuerit.

Et velut pro ratione subdis, etiam si papa deliret. quid si non pro ratione subderes, in cassum subderetur. Ac si vt iudico pro ratione subdis, rationabiliter mecum sentis, in talibus papam posse delirare. Sed quæso te, quomodo in talibus possit delirare, si non per inscitiam, perfidiam, aut maleuolentiam à regula fidei exorbitet? Sed qualibet horum modorum, indulgentiarum donatio cassa & ambigua delirabit. Cautus igitur ad conditionalem tanquam inexpugnabile vallum refugis, hoc tantum firmum fore, quod in huiusmodi papa statuerit, claue non errante, & Christo non reprobante.

Quid quæso necessaria conditio illa, claue non errante? Quæ namque clauis illa regni cælorum, & quis error eius clauis? Clauem igitur talem ponis, quæ errare possit, & simul efficax & legitima regni & cælestis regni clauis est? O formidolosum regnum, cuius portæ, seræ, vectes, claues huiusmodi sunt, quibus error & falsitas & ignorantia surripere possunt. Clauis, quam Augustinus explicat, charitas est per Spiritum sanctum diffusa in cordibus filiorum regni. Has duas claues Dominus Iesus ante resurrectionem Petro promisit, quando dixit, *tibi dabo claues regni cælorum*; Et, *quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, Et quodcunq; solueris super terram, solutum erit in cælo*. Has item claues post resurrectionem non vni, sed vnitati donauit, quando insufflauit in eos dicens, *accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueretis, retenta sunt eis*. Istas duas claues penes Augustini sententiam nequaquam vel Christus aliquando reprobat, neque aliquando errare contingit. Quia charitatem per Spiritum Sanctum diffusam in cordibus filiorum Dei, & Spiritum Sanctum claues regni exponit, & soluere & ligare dicit similitudine charitatis in consortium recipere, vel dissimilitudine à consortio excludere. Et quia sic in consortium similitudinis recipere pietatis magis est quam autoritatis, quisque sanctorum nullo sexu vel conditione prohibetur ligare & soluere, neque hanc ligationem aliquando Christus reprobat, quia neque aliquando errare contingit. Si verò clauem errare dicas, quando errat is, cui commissæ claues sunt, non verbis pugnam paro, quoniam ego sententiæ Augustini fixus hæreo, quæ talem nutantium verborum ambiguitatem non formidat. Imò sic totus in tuam sententiam concedo, confitens primum & sanctissimum papam Petrũ errasse, quo postea sciret Ecclesia, non sese ligatam summorum pontificum determinationibus. Quin in diffidentia fidelis omnis teneatur, exemplo sancti Pauli pro regula fidei contra papam in faciem, & si non aliter coram omnibus resistere.

Adducis verbum venerabilis illius viri Thomæ de Curcellis volentis Petro dictum, *quicquid solueris non ei dictum esse, quicquid dixeris*, & bene alligatum ac dictum verbum ad veritatem. Sed nondum per hoc satis declaratum. Plus enim oportuit adiicere, quomodo scilicet & per quæ ligaret & solueret, quo verbum Christi clarum & lucidum & indubitatum fieret. Ego autem sic accipio, quod minister Christi, si secundum traditionem Christi & Euangelii ministret, siue fidei verbum, siue fidei sacramentum, siue charitatis exemplum, & subditi siue auditores fideliter accipiant, quod reuera fidei, & pietatis minister soluat & liget in terra, ligata & soluta in cœlis, & quacunque alia via vel soluere vel ligare tentet, nihil esse quod facit. Nihil enim nisi salutaris pietatis ministerium Petro puto, & successoribus eius promissum. Et hoc interim, donec per te aut alios fuero sanius informatus.

Neque parum horrori mihi est verbum tuum illud, quo mones, quod magis quam pro ratione mihi esse debet auctoritas Papæ. Numquid Parisien. facultatis Theologiæ, non dico ratione maius fuit, imo nunquid fuit pro ratione clementis auctoritas, quando temeritatem illam Angelis in cœlo præcipientem reprehenderunt & correxerunt, quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio quas vellent elargiebantur? Item nunquid quando indulgentias à pœna & culpa publicabant? Horum tamen errorum hodie bullæ plumbatæ reperiuntur. Tu autem mones in huiusmodi auctoritatem papæ non solum pro ratione, sed super rationem debere esse mihi. Quæ quæso in his ratio mea, non scriptura sacra? Nunquid vis Papæ mihi autoritatem supra scripturam sacram? Papæ voluntas & scripturæ autoritas non æquè cõstituta sunt, vt vo-

Digitized by Google

luntas papæ secundum scripturæ veritatem, non veritas à papæ volũtate regulanda sit. Et hinc velut minoris momenti fundamento adiicis Prælatorum autoritatem, & ne quid summe desit, addis insuper Doctores. De prælatorum autoritate quod allegas non aliud puto, quam principium petere. Doctores non omnes largiendas volunt, nisi quantum proficiunt ad pietatem, & in hanc sententiã nonnulli mitius loquuntur, dato quod in multis vna tecum Ecclesiæ formam & abusus non approbant. Qui quantumlibet indulgentiarum concessionem non paruipendendam esse, sed in fide, spe, & charitate Christi amplectendam, neque ego paruipendendam duco, quin deuotè in fide, spe, & charitate Christi dona Ecclesiæ data in clauibus complector.

CAPVT IX.

CÆterum illud verbum Augustini de Euangelio & Ecclesia non amplius probat, quam continet. Originis non comparationis verbum est, *Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ credidissem.* Quemadmodum primæ multitudinis credentium quisq; rectè dixisse potuisset: *Ego Euangelio non crederẽ, nisi Petro credidissem.* Sic & hodie nisi domesticis primum puerulus, & postea scholasticis, demum Ecclesiasticis credidissem, hodie Euangelio non crederem. Euangelio tamen magis, quã alicui mortalium multitudini credo, adeoque debeo credere. Quod si sentirem omnes homines discredere, denuo nihilominus Euangelio quam illis adhærere. Paruulæ nascentis adhuc fidei originem texit Augustinus in verbo suo, non authoritatem Ecclesiæ cum Euangelii dignitate comparat.

Quod in corpore iuris pleraq; capitula de indulgentiis loquuntur, sino & ratum habeo, quia noui quod ante tempora Ioh XXII. fuerit indulgentiarum vsus in Ecclesia, & ex hinc decretalibus insertum non abnuo, sed vt propterea velut fide tenendas obliger non assentior.

Ad venerabilis Gersonis moderationem quid sentiam, respondendum, aliqua liter ex præcedentibus puto posse colligi. Christus de peccatorum remissione expressam dedit potestatem, de pœnarum nullam expressit. Sed potestas illa, quomodo debet intelligi, satis iam in peccatis soluendis publica fides est. Vult Gerson expresse quod in peccatorum remissione naturaliter prior sit gratię infusio, quam culpæ remissio, quia nihil aliud est culpæ remissio, quam gratiæ infusio. Propterea dimissa fuerunt ei peccata multa, quia dilexit multum, & secundum eundem, prior æternæ pœnæ remissio, quam resurgat à peccato. Et ad hæc tria minister Christi quantum cooperatur, tantũ ligat & soluit ministerialiter tantum, quia scilicet verbo vel ministerio concurrit. Sed quantis Dei muneribꝰ in ligato vel soluto perceptis concurrit ministrando, neq; soluens nouit, neq; solutus, neq; ipse in imperio vel facultate habet. Et si hæc mea sententia seruat & saluat omnia verba Domini, quid opus vlteriorem Prælatis tribuere potestatem? Et si quis tribuat, vbi fundabit, ita quod nõ oporteat nutãter vel titubanter pro ea saluanda loqui? De administrationibus ordinum in effectu sacramẽtali nemo ambigit, qui sequatur non ponenti obicem. In iurisditionalibꝰ verò nõ ita, sed hoc ideo quia iurisditionalem quidem potestatem plæriq; protendunt ad internum forum, forrassis vltra quàm oportet. De pœnis ego simpliciter teneo, donec sanius informer, quod pœna cũ suo peccato remisso remittitur, neq; vllum prorsus à peccato immunem deinceps obligat ad pœnam.

Vnde quod purgatio indicitur, est propter gratiam imperfectam, cum qua quædã venialia manent. Et sicut illa nõ ad mortem sunt, sic illorum pœna solum temporalis. Hæc si solum sic rationabiliter assererentur, mouerent mediocriter intellectum vrgentes, iuxta verbũ Prophetæ beatificantis eos, *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata & quibus non imputat peccatũ Dominus.* Sed habemus apertius testimonium de pœnis, illud scilicet Ioannis in canonica, *perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet.* Hæc igitur consequentia est Spiritus Sancti, per discipulum illum quem diligebat Iesus, *Quia timor pœnam habet.* ideo timor non est in perfecta charitate. Ex hac forma arguẽdi ego arguo à cõtrario sensu. Purgãdi in purgatorio habent pœnã & timorẽ, ergo non sunt perfecti in charitate. Sic puto sensisse venerabilem illum Gersonem, quia scio de mente sua esse vniuersam autoritatem Apostolicæ sedis ex canonicarum scriptuarum veritate pendentem, debere moderari & æstimari, non scripturæ veritatem ex papali voluntate aut autoritate, etiam si non deliret aut erret. Quare si quicquam postea vel in illo de indulgentiis venerabilis ille aliter dicat, mitius aliquanto quam Theologica pura veritas habeat, puto pietati magis tacentẽ condescendere, quo non veritas malitia quorundam pusillis scandalum pariat. Nosti studiosam & officiosam viri illius pietatem, quam sæpè suam opinionem aliis contra sentientibus deferat. In quo tamen valde mirandum videtur tam diuersum à verò & recto consilium. Vt in epistola monente, *quid & qualiter studendum sit*, vbi monet illas logicas acrubologias penes distinctiones multiplicium declinare & c. pleraq; talium scholastico exercitio necessariam. Quis enim vnquàm ad illum apicem theologiæ, quo Petrus de Alliaco conscendit, absque diffinitionibus, diuisionibus, argumentationibus, distinctionibus, instantiis logicalibus perueniret? In disputationibus dico, vbi discussionis dente opus est: non in sermonibus ad populum, neque in contemplatione ad Deum. Quomodò Petrus Iohannem de monte sono in *Rota de errore.* 14. *illarum conclusionem* concussisset, nisi distinctione multiplicis aut elenchi ignorantia antecedente vel consequente delusum docuisset? Opus igitur Theologicis logicam inferre. Et Gerson ipse quo tandem tantus ipse Theologus, nisi per accuratissimam illam suam magistri Petri logicam euasit? Qui non solum illum de Monte sono, cuius condemnationi idem ipse Gerson interfuit & iustam fuisse asserit: Et vniuersum ordinem Prædicato-

Digitized by Google

catorum ab vniuersitate Parisiensi quatuordecim annis abscisum, eò quod eorum Baccalarii dictos errores nollent abiurare, zelo quodam doctrinæ Sancti Thomæ, quam ipse in *tertia parte sui tractatus contra Iohanem de Montesono* æditi clarè docet, non sic approbatam, quo vel in minimo iustam illius doctoris de Montesono cuius condemnationi impediret. Puto igitur virum illum studiosum pietatis & ædificationis latissima in Ecclesia Dei scandala ex pertinaci scholasticorum contentione expertum, elegisse magis errorem sustinere veritatis in pusillis, quam scissurã & scandala charitatis. Et hinc mitiora sua dicta in hanc partem accipienda, vti videmus consilium naufragi, suas & charas merces in tempestate iactantis, quò vitam & animam saluet, natura duce & lucente, quando non vtrumque, saltem quod minus malum subimus, quo maius declinemus. Vnde & ego sæpius Parisius & hodie quandoque meipsum reprehendo, quod aliquando cum non capacibus materiam istam confero, atque vtinam solum sine fructu. Vnde crebro & illum ac te beatos iudico, quibus officiosior in talibus moderatio est. Legisti credo sententiam eius in propositione apud Petrum de Luna, quomodo *communis error interdum facit ius.* Quoniam præualente errore multa sapiens vel agere vel omittere tenetur, qualia cessante errore, si faceret vel dissimularet, ipse grauiter esset obnoxius. Puto igitur prudentem illum virum, postquam diligentibus lectoribus oculos per eas propositiones, quæ indubitatam veritatem continent, aperuit, consulte remissius rigorosam abditam veritatem, pro tardioribus, propter contentiosos tacuisse. Quomodo enim aliter tam discrepantes, venerabilis illius viri sententias concordabimus? Cum sint quædam earum tam euidenter pro me, vt in eis meam ego intentionem fundare putem. Sed id interim apud te. Quædam verò tam remisse atque quietè pro populari assertione, quo tu in eis contra me, neque id ab re, quia pari te & illum studio communis pietatis allegare puto quo illum scripsisse, cum vtrosque par procella iactauerit. Et ego consilium tuum laudo, si ita facias, doceas & prædices.

Quòd in sacramentali confessione nonnunquam ex attrito contritum faciat pœnitentia, omnimodis assentior, quando confitens pacto sacramentali obicem non ponẽs, promissam vitæ gratiam suscipit. Neque per gratiam viueret, nisi charitatem in aliquo gradu susciperet qua sine neque viueret neque aliquo modo contritus & humiliatus esset. Qui enim nõ aliquatenus inter illos duos molares paratus est conteri, non adhuc humiliatus & contritus est. Sed contumax duritia cordis eius adhuc despicabilem Deo facit. Qui si perfectè contritus fuerit, non per Ecclesiam obligatus pœnam patietur. Meministi scio vulgatorum illorum verborum libro 4. sent. di. 18. *Alii verò dicunt, solum Deum, non sacerdotem, dimittere debitum æternæ mortis, sicut & animam interius per seipsum viuificat.* Ipse enim sicut animam per semetipsum viuificat, sic peccata pœnitentium per semetipsum tegit. Sicut enim retinuit sibi potestatem baptismi ita & pœnitentiæ. Sed & omnibus liquido confessum est, quod in remissione peccatorum nihil operatur sacerdos, nisi sacramenti tantum administrationem. Sic in pœnitentiæ sacramento Dominus in abscondito per sacramentum operatur secundum dispositionem accedentis. Ipse enim per seipsum peccata tegit, quando propter infusam charitatem ad pœnam non reseruat, & tunc debitum pœnæ soluit. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Sunt enim tunc secundum Augustinum tecta, quando per charitatem abolita, vnde sic inquit: *Si enim texit Deus peccata, noluit aduertere. Et si noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire, sed voluit ignoscere.* Et in fine ca. concludit sic: *Ex his apertè ostẽditur, quod ipse Deus apertè pœnitentem soluit à debito pœnæ. Et tunc soluit, quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionem.* Et in rubro dicit, hanc esse sententiam veriorem, quam illam de præcedenti ca. vbi quidam volunt culpam diuinitus, sed pœnam per sacerdotem dimitti. In octauo cap. allegat verbum Ambrosii in eandem sententiam dicentis: *Sacerdos quidem suum officium exhibet, sed nullius potestatis iura exercet.* Et idem: *Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis mortuus est.* Et item Augustinus: *Nemo tollit peccata, nisi solus agnus Dei tollens peccata mundi.* & quomodo tollit peccata, nisi dimittendo debita? debita quomodo dimittit, nisi dando quo faciamus legem totam, vt nec iota nec apex desit? Nam is dimittit præterita, qui præseruat à præsentibus, & saluat ab instantibus. Sed postrema duo, præsentia scilicet & futura, tam quo ad pœnam, quam quo ad culpam à solo agno Dei tolluntur. Et quod hæc Augustini verba non contrarientur verbis Domini, illis videlicet: *Quodcunque ligaueritis* &c. consequenter idem magister eiusdem Aug. verbis ostendit, illa verba sic intelligenda, quod Ecclesiæ charitas per Spiritum S. diffusa in cordibus eorum, qui charitatis ac Spiritus sancti participes sunt, peccata dimittit: eorum verò qui horum non sunt participes, retinet. Et in eodem ca. expressè quod secundum Aug. distributiones illas esse accommodas, vt sit sensus non quoscunque volueritis ligare, aut quoscunque putatis ligare, sed in quos verum iustitiæ & misericordiæ opus exercetis. Aliter quasi opera vestra in peccatores non agnosco. vnde subdit: *Spiritus S. qui datus est omnibus sanctis charitate cohærentibus, peccata dimittit siue corporaliter sese nouerint, siue non. Similiter cum retinentur alicuius peccata, ab eisdem sanctis retinentur, à quibus ille sui cordis prauitate seiungitur, siue corporaliter ignotis, siue non.* Secundum hanc Augustini sententiam cõcorditer ad superiorẽ: soluere & retinere peccata, principaliter solius Dei est. Ecclesiæ tamen participatiuè, per Spiritum S. Ecclesiæ datum principaliter dimittentem & retinentem. Et subdit: *peccata igitur per Ecclesiam dimittũtur, quando aliquis Ecclesiæ iustorum coniungitur. Et per Ecclesiam peccata retinentur, quando à charitate Ecclesiæ excidit, iungẽte vel excludente Spiritu Dei Ecclesiæ donato, per quem ordo & ministerium & regimen in Ecclesia.* Quia quãto participationi Spiritus cooperantur, tanto ligant, & soluunt in terris, tantoq; ligatum & solutum

Digitized by Google

in cælis. Sicut & frater Domini grandi verbo extollit, inquiens: *Si quis conuerterit aliquem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum*, & quomodo conuertet ab errore viæ suæ prioris, nisi per sapientiam rectitudinis viarum Dei? Sed hæc sapientia, rectitudo & ambulatio, nunquid principaliter à fratre conuertente? Nunquid igitur dicendum eum saluatorem simpliciter eius; quem ab errore reuocauit? aut nunquid ipse illi multam charitatem infudit, quod sic operiat multitudinem peccatorum? Potest autem sic popularis quisque nullam habens ordinis aut iurisdictionis administrationem, solo studio & officio pietatis alium fratrem reuocare ab errore. Et potest ille reuocatus ab errore tanta feruere charitate, quo valde illi multa peccata remittantur, & multæ pœnæ remittantur. Nunquid igitur pœnarum & peccatorum remissio autoritati potius, quam charitati tribuenda? & potest integerrimus rectitudinem viarum Dei amplecti, quam ille qui conuertit ab errore prioris viæ? Nunquid igitur maior ista conuersio ab illo? Sed redeo ad Magistrum qui *eadem dist. cap. ligant quoque*, expressè vult potestatem sacerdotum esse in ostendendo in facie Ecclesiæ, quemadmodum Sacerdos legalis in lepra, quam neque aspergere neque auferre valebat. Vnde circa hoc inducit Hieronymum his verbis: *Hunc locum quidam non intelligentes, aliquid suscipiunt de supercilio Pharisæorum, vt vel innoxios damnare vel soluere noxios posse putent, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita inquiratur.* & subdit tibi Magister sic: *Apertè hic ostenditur, quod non sequitur Deus iudicium Ecclesiæ.*

CAP. XI.

QVo contra tua de indulgentiis sententia est, quod quandocunque per confessionem sacramentalem ex attrito fit contritus, æterna pœna in temporalem diuinitus commutatur? Et quamdiu per officium sacerdotis non taxatur, manet fori diuini, tanta quantum Deus arbitratur. Non igitur charitatis incremento restat pœnæ minoramentum. Sed postquam sacerdotis officio taxata fuerit Ecclesiastici fori facta est, vt iam deinceps non vltra Deus eam protendat, quam sacerdos eam taxauerit. Non igitur charitatis incremento tribuendnm illud restantis pœnæ minoramentum, & propterea Papam habere super eam potestatem. Formidolosè tamen hanc sententiam asseris quando subdis, *Non quod eius arbitrium sit apud Papam, & quicquid Papa in talibus decreuerit ideo in foro diuino sic subsistat, quia de illis Papa sic voluit. Neque quod Papa posset illam pro arbitrio suæ voluntatis remittere.* Satis confiteri mihi videris contrariam assertionem valde esse temerariam. Sed considera, si minus periculosum sit asserere, quod subdis. *Sed quia pro illo Papa potest de thesauro Ecclesiæ satisfacere & in locum illarum pœnarum per sacerdotem iam taxatarum ac per hoc iam de foro Ecclesiæ factarum, videlicet de passione Domini ordinare.* Hic iam per tua propria verba quæro, vtrum fructus Dominicæ passionis, ita sit in arbitrio Papæ, vt quicquid in merito passionis Christi Papa decreuerit, ideo in foro diuino sic subsistat, ac tantum valeat in foro diuino, pro illo cui Papa decreuerit, ac tantum illi mensurandum sit ex aceruo passionis Domini, & id ideo, quia Papa sic voluit, vt Papa possit pro libito suæ voluntatis pœnam confessoris taxatione, vt asseris, Ecclesiasticam factam, æqua parte passionis domini donata debitori remittere. Quod si dicas posse, non pro libito sed iure. Quæro, quo iure? nisi misericordiæ & iusticiæ, quando Deus pœnitentem misericorditer & iustè misericorditer peccata præterita abolendo ob iustè præsentem charitatem acceptando participem facit magni illius holocausti incensi & thesauri. Sed quomodo, nisi æstimantem tanquam thesaurum? Thesaurus enim nomen æstimationis est, & condignæ æstimationis. Nemo enim illi thesaurum dare potest, qui non æstimat, quacunque vel Imperiali vel Papali potestate præditus. Si quis autem Ecclesiæ thesauros dignè æstimat, aut non dignè, Papa de nullo, neque de seipso certus diiudicare potest. Et si quis illius thesauri dignus æstimator fuerit, consequitur & participabit siue Papa donet, siue non. Manent igitur tales pœnæ temporales finaliter diuino foro taxandæ tantum, licet pia subditorum obedientia humiliter propter Deum Ecclesiasticæ taxationi sese subdens accepta Deo sit, & non infructuosa in conspectu Dei. Hæc mea de participatione thesaurorum Ecclesiæ sententia, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Deum trinum & vnum, verbum incarnatum, vnigenitum Dei factum, primogenitum in multis fratribus Iesum Nazarenum, Regem Iudæorum, Iesum Christum filium Dei viui, morte interueniente testamentum factum, thesaurum Ecclesiæ iudico. Thesaurum hunc vnusquisque quanti æstimat, tanti cognoscit & amat. Et quanti cognoscit, æstimat & amat hunc thesaurum, tanto ad imaginem Dei reformatur, & formatur Christus in eo. Solum enim per hæc tria cognoscendo, scilicet verum Deum & quem misit Iesum Christum & Spiritum sanctum, cognoscendo, inquam, æstimando & amando thesauri illius participes efficimur. Hic ego si thesauri nomine aliter vtor, quam omnes Ecclesiæ doctores thesauri & participationis vocabulis vti debent, non video, te rogo, videre me facito. Ego meam sententiam quo clarius potui, elucidaui, & non parum gratulor tuum hoc de mea paruitate iudicium, quo palam asseris me non ad rem, sed voce tantum communibus Doctoribus contradicere. Desideratissimum enim accipio, saluis vbique scriptis, cum reliquo Doctorum cætu conuenire. Concedunt omnes mecum primo, quod Papa non posset alicui gratiam conferre. Secundò, quod neque, si ipsemet sit, aut alius quispiam in gratia sit, diiudicare possit. Tertiò, quod multo minus præcipere possit, vt quis in gratia sit. per magna verò gratia esset, si egeno efficaciter thesaurum interiori ho-

ri homini donaret. Iam enim thesaurum sapientaliter cognosceret, gloriose & sublimiter æstimaret, ardenter amaret. Et post hæc velut grande obiicis inconueniens, non te posse intueri, quomodo ex hic mea intentio deduci possit, quasi ego solum ex his tribus deduxerim. An non ego primi & magni mandati perfectam impletionem & obseruationem necessariam cum stabili perseuerantia vsque in diem Domini pro fundamento positionis posui? An non ego quæcunque vel de sacramenti vsu, vel de ministeriorum Ecclesiæ potestate in sacra scriptura, vel de vtrorumque horum efficientia continentur, ex his duobus mandatis interpretanda & moderanda dixi pendere? Nonne perfectam cordis munditiam ad ingressum regni necessariam dixi? Nonne plenarias indulgentias in perfecta participatione cælestis Hierusalem in idipsum, & perfectam participationem in perfecto desiderio & amore? Nonne ego ingressum nuptialis thalami in perfecta præparatione & adornatione sponsarum constitui? Nonne ego perfectam punitatem in perfecta peccatorum immunitate constitui? Nonne propter hæc ego dixi, Papam de nemine meram impunitatem decernere posse, quia neminem potest à peccato reperire immunem in hac vita, etiam quantumlibet verè contritum & confessum, quamdiu non fuerit perfecte contritus, quod neque discipulus ille quem diligebat Iesus dicere præsumsit, *si, inquiens, dixerimus, quia peccatum non habemus nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et istis vna cum tribus illis tuis communiter confessis & concessis, puto meam intentionem posse deduci, nisi forte, communes doctores etiam istis vti superioribus integrè confessis, adhuc saluas manere dicunt indulgentias. Quod si ita sentiant, gratulor illis, & meam confiteor non solum, sed & conqueror & plango imperitiam, qua non video quomodo stantibus istis decem, cursus iste indulgentiarum in Ecclesia consuetus, tam pleno ore, tam audaci assertione saluus consistere possit. Omnes istæ res, quas allegaui, necesse sunt in tanta sui perfectione, vt ad eam suspicandam humanus caliget obtutus, & ad earum perfectionem Papa nihil potest. Et cum perfectæ fuerint, absque vllo Papæ interuentu mox omnimodam impunitatem consequantur.

CAPVT XII.

CVm his quomodo oppositum intentionis meæ stet rogo me doceas. Signum scientis est posse docere. Dicis, plenariam posse conferre indulgentiam, si causa id exigat. Quæro quæ sit illa causa? Num extrinseca vlla vniuersalis Ecclesiæ, vt in bellicis infidelium eruptionibus armis refellendorum? Non puto sic sentias propter multa in talibus actibus necessario fere venialia interuenientia inquinamenta. An fortassis dirutarum sacrarum ædium innouatio aut restauratio. Neque hoc puto sentias. Neque etiam si oportuerit famatæ religionis monasterium aliquod extruendum, omnes etiam facultates suas in horum sustentationem tribuentibus per hoc idoneam causam subesse puto, vt mox euolent. Et valde attendendum verbum tuum, *si causa id exigat*, quia si causa id exigat, Papa si non donet, num propterea pia illa causa id exigens exacto suo iure carebit? Intrinseca fortassis igitur causa aliqua id exiget. Sed quæcunque illa fuerit extra cardinem perfectæ charitatis, & non ex ea pendeat, & non perfectè cum ea cohæreat, fideliter credere piè confiteri me dico, non posse per eam cuiquam plenariam indulgentiam conferre, etiam quantumcunq; aut qualiscunque fuerit.

CAP. XIII.

DIcis de verè contritis carne solutis, quod mox euolent, si fuerint Papalibus indulgentiis muniti. Miror ego doctissimum te virum, non meminisse terribilem illum ignem rationabilem, qui igneam legem in manu Dei inscribendam cordibus nostris, vniuscuiusque opus probaturum. Rationabilem planè ignem secundum Augustinum *de verbis Domini, sermone* cxii. rationabili disciplina cuiusque opus probantem, lignum, fœnum, stipulam exurentem, videlicet omnem malum amorem. 26. *cap. libro* 21. *de ciuitate Dei*. Manifestè enim & confesse illud, de quo Paulus loquitur, spirituale fundamentum est, neque legitimè superædificata argentum, aurum, lapides preciosi, corporalia sunt. Igitur neque quæ contra legem spiritualis ædificii superędificata, lignum, fœnum, stipula, corporalia erunt, sed spiritualia. quod si septem hæc spiritualia sunt, qua dementia tandem insaniunt, vt octauum, videlicet ignem vniuscuiusque hominis interioris probaturum, opus corporale somnient. Nunquid ignis corporalis diiudicare aut probare potest opera interioris hominis vnico illi fundamento superædificato, quæ cognoscere non pôt? Malos illos amores imperfectam adhuc in à carne solutis charitatem puto, quam S. Bernardus in libello suo, *de diligendo Deum*, nondum sese ad perfectum confitetur assecutum, vt scilicet sese non nisi propter Deum diligeret. Puto igitur in carne solutis oportere crescere charitatem in eam distantiam, dissimilitudinem & perfectionem, qua distant cœli à terra, & qua lumen lucernæ ad perfectam diem: iuxta illud, *Iustorum semita quasi lux crescens in perfectum diem*. Et propter hãc inæqualitatem, puto, quod Dominus Iesus regnum cœlorũ grano sinapis, globo cœli cõmensurauit. Id et contestatus fuerit, quando de Ioanne Baptista dixit; *Qui minor est in regno cælorum, illo maior sit*. Et quanto maior? Certè quanto meridies lumine lucernę lucentior. Confiteor ego tecum carne solutos, longè maiore charitate flagrantes, quam hic Ioannes Baptista feruebat, quanto lucentiore sapientia illustrari, sub magno illo pastore & episcopo

animarum suarum, quanto alacriore iudicio in laudem & gloriam Dei sub euidenti tonitruo venientis & pulsantis & confestim recepti, tanto esset feruentiore igne charitatis. Hic Ioannes licet prae multis esset sanctissimis viris, lucerna tamen tantum fuit. Omnes in gratia morientes, priusquam carne soluantur in lumine lucernę vigilantes, expectantes Dominum parati suscipere cum expectatione, vbi pulsantem audiunt, & confestim aperientes suscipiunt magno desiderio expectatum, euacuant lumen lucernae in matutinum sydus, orientis eis luciferi lumine commutantes. Et illius felici ducatu & beneficio, quo digne crescere possint, orant cum Symeone, Vt carne soluantur, & cum latrone in gratiam recepto, in paradisum restituantur. Illic ipse, vt Ezechielis eulogio 34. promittit, *Ipse requirit oues suas & visitat eas, sicut pastor visitat gregem suum in Die, quando fuerit in medio ouium suarum pridem dissipatarum, sic visitabit oues suas & liberabit eas de omnibus locis in quibus dispersae fuerant, in Die nutis & caliginis educet eas de populis, congregabit eas de terris. & inducet eas in terram suam, & pascet eas in montibus Israel, in riuis & cunctis sedibus terrae. In pascuis vberrimus pascet eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.* Ipse Dominus Iesus pastor eorum pascet oues suas & accumbere faciet. Quod sanum in eis fouebit, & quod minus, curabit, requirens quod perierat, reducens quod abiectum, alligans quod confractum, & quod infirmum consolidans, quod pingue & forte custodiens, pascens eas in iudicio. Idem ergo pastor & Iudex & Dauid fidelis pastor secundũ cor Domini, omnem Dei voluntatẽ faciens in ouibus gregis Dei pascet eos, quousq; auror͂ euacuet aspirans dies, quam & aspirantem diem sol oriens euacuet. Et hic iam primo pastor Dauid regnum tradet Deo, postremo perfectissimè traditurus post iudicium vniuersum. Hanc seriem ducatus animarum à lumine lucernae praesentis exilii, quo pusilla sapientia fidei nostrae sicut granum sinapis est & velut paruum centrum quod crescere oportet in illam coelestis globi immensitatem vniuersum processum, & felix animarum incrementum vsque ad orientem solem, purgationem puto, & in hac purgatione non poenam quae ad modicum vtilis est, sed ad omnia valentẽ pietatem, & illam pietatem per se purgatricem. Habet nihilominus illa pietas, imo flagrans amor dilatus, languorem & poenam suam, habet etiam felicem consolationem. Consolatur praesentia pastoris & saluatoris. Verũ quia doctor & Euangelista est, missus à Patre docens amorem, quo ipse Patrem amauit & amat, & illum suum amorem imitari. Inardescunt igitur illic amore, sed quia nondum dignè amant, adhuc differuntur, & affligitur anima eorum. haec afflictio non dolor est, sed moeror est secundum Deum, & sicut ex charitate Dei, ita efficax vt charitatis augmentum impetret. Et quantò moerentior, tantò sanctior, tantoque impetrantior. Neque propterea Paradisi felicitatem puto minorem, quia loci illius felicem quendam à principio incolatum, non beatam sempiterno mansionem mansuro puto. Credo enim Adae & Euae primum & magnum in lege mandatum fuisse, sicut nobis & Angelis officiosum, non ociosum. Legitimè igitur saltem contra seipsos certaturos, legitimum ergo de se Deo pacificum sacrificium, holocaustum & incensum oblaturos, quod nisi parati vtrumque, facere scilicet & pati, non integrè offerunt. Felix illic incolatus, non status beatus progenitoribus nostris promittebatur. Imo quo si perstitissent, secundo vento, prospero cursu, magnis incrementis consummandae charitatis, in permanentem ciuitatem habitationis contendissent. Semper etiam vti tunc ita nunc, oportebit purgare per lumen surgentis aurorae & aspirantis diei, donec perfecta lucente Dei sapientia, perfecta Dei laude fulgentes & perfecta charitate Dei ardentes, digni Deo videndo iudicentur, non suo vel cuiusque hominis iudicio, sed assumentis tantum Dei arbitrio. Et sic erit festiuus ille dies nuptialis & beatus thalami ingressus, ad quem nulla non perfecto amore flagrans, immatura adolescentula, menstruata concubina digna admittitur. Facilius haec, venerabilissime Magister, intelligunt, quibus non ignota sententia nominalium, de gradus ad gradum intentione, quemadmodum partis ad partem compositi, in extensione compositi. Ponunt enim compositionem gradus ad gradum in intensione, vnde volunt intensius omne compositum esse, quemadmodum Peripatetici omnes componi continuum additione partis ad partem extensione. Itaque facile fit intellectu, quod necessarium est traditu, oportere videlicet nos crescere in charitate non excidente, sed manente & hic & in futuro. Sed pergrande necesse est incrementũ fieri, antequam ex grano sinapis illa caelestis globi immensitas crescat, antequam ex paruulo lucernę lumine, clarum illud meridianum lumen erumpat. Sed quantumlibet crescant, quamdiu aliquis in eis est amor sui, quo se propter Deũ non amant, malus amor est & non charitate perfectus, quia perfecta charita non quaerit quae sua sunt. Neq; oportet hunc sui amorem carni tribuere. Talis.n.amor sui maximus reperitur in eo, qui est rex super omnes filios superbiae, qui tamen carnem & sanguinem non habet. Hic amor sui quantũlibet minimus, malus tamen per Augustinũ vbi supra nominatur, quia maculam in veste nuptiali constituit, & coronam eius obnubilat, similitudinẽ & magnitudinẽ Dei corrumpit. quid.n. Deo dissimilius, quàm aliud à Deo, non propter Deũ amare, cum Deus nihil nisi propter se amet? Per has maculas, per hos naeuos, propter hanc dissimilitudinem ego regni illius decorẽ, thalami nitorem, templi sanctitatẽ pollui dixi, quando passim quisq; cũ ea vera confessione, ea vera contritione, qua hic in gratia recipimur, ita polluti & menstruati, transmittente vel magis intrudente Papa thalamo vel templo importunus iniiceretur. Neq; putat Aug. mox deposita carne omnes malos amores vnà depositis, omnemq; simul charitatis imperfectionẽ transisse ad perfectum. Estq; in eandẽ sententiam Guilhelmus Parisiensis *ca.* 100. *primae partis*, & id multis argumentis ad lõgum. Vnde istos malos amores arbitror peccata illa, quae in futuro seculo remittentur, vt etiam illic

(donec

(donec perfectæ iustitiæ sol eius oriatur) dicere non possint sese peccatum non habere. Contrarium verò per quem locum regulæ fidei stabilire possint, nondum video. Vnde valde miror communẽ Doctorum scholæ nostræ inaduertentiam, qui non veterum primæuæ Ecclesiæ autoritate mouentur, purgatorium ignem à punitorio distinguentium. Gregorius Naziancenus, purgatorium ignem dicit, quem Dominus Iesus misit in terram, volens vt arderet. Et istũ, quia sordes rationales imperfectæ sapientiæ, imperfecti de Deo iudicii, & imperfectæ iustitiæ purgare debet, rationabilem esse oportebit. Quod etiam Paulus innuit, quando dicit, *ignem illum probaturum*; qui si probat, vtique cognoscit, quale vniuscuiusq; opus fuerit. Punitorium verò ignem dicit illum, qui præparatus Diabolo & Angelis eius. Multum enim insolens, & noua verborum licentia, vt purgare dicamus illum, qui nihil impurum aufert, nisi fortassis noua impositione sanare dicamus, qui nullam præcedentem vel impendentem ægritudinem tollit. Violentiam hoc facere nominibus est, vbi actiuorum habituum nomina prohibentur, oppositarum, priuationum commemoratione vel mensione diffiniri. Non apud Latinos tantum purgatorius dicitur, sed & apud Græcos καθαρτικὸν πῦρ dicitur. Tropo vtrumq; dicitur, ignis videlicet & purgatorius. Tropus autem omnis, in similitudine fundatur. Similitudo autem rationabilem intelligentiam fundat, vt qui illam repellit, naturæ bellum inferat.

Et subdis, *animam, quæ lucrata est plenariam indulgentiam, dummodo in eo statu moriatur* &c. Quę- ro in quo statu? an in eo statu, quo verè contritus & confessus, verè in gratiam restitutus indulgentias lucratus est? Quæro, si inter lucrandum venalia simul habeat, vtrum plenarias indulgẽtias lucratur? Si sic, ergo cum ligno, fœnum, stipula superædificatis, absque probante igne transibit contra legem Apostoli. Si dicas, quod non; nullus ergo plenarias indulgentias lucrabitur in via, quia in multis offendimus omnes. Et si dixerimus etiam tunc, videlicet inter pœnitendum, quia *peccatum non habemus, seducimus nosmetipsos, & veritas in nobis non est*, quia nemo nostrum implet perfectè mandatum primum, quantumlibet syncerè confitens, aut quantumlibet sese diiudicans, communicet. Et sem- per orare præcipimur, *dimitte nobis debita nostra*. Semper ergo debitores manemus & sumus, quæ nũ- quam perfectè dimittentur, nisi quando perfectè diligemus. Dicis, *dummodo eo statu moriatur*. Quæ- ro iterum, in quo statu? An in eo statu imperfectæ charitatis, & multorum debitorum & venialium, quando plenariam indulgentiam lucrabatur? Imo magis quando plenariam indulgentiam falso er- rore seductus, quia in imperfecta charitate lucrari credebat. Tu & bene de sequentibus venialibus iustum scrupulum facis, adeo vt præcedentes indulgentias annihilet. Quare de venialibus inter lu- crandum eas concomitantibus, non parilem scrupulum facis? Præsentia igitur irritam facient magis quam futura? Quis in confessione de omnibus venialibus digne confessus & contritus non dico, sed vel memor fuit? & si memor, quid confert, quam diu non perfecto zelo execratur? & quomodo po- test perfectè zelare, qui nondum perfectè amat? quomodo perfecta charitate fuit, qui postea reci- diuat? quis medio illo tempore inter actum sacramentalem & indulgentialem, non offendit venia- liter? Sed propter hunc scrupulum quidem quo stabilirent, & non irritas concedere cogerentur, dicebant, Papam etiam culpam venialem posse remittere, quia verè nisi hoc possit, cum non possit quemquam reperire mundum à veniali, non poterit cuique plenariam donare indulgentiam. Sed quod venialia dimittere non possit, satis patet, quia qualiacunque peccata nemo dimittit, nisi con- trarias virtutes efficaciter infundat, sicut nemo cæcitatem & cæcitatis incommoda tollit, nisi qui vi- sum & visus perfectionem donat. Non enim dimittuntur peccata multa, nisi multum diligenti. Vn- de valde hoc loco congruit quæstio, qua quidam dubitant, vtrum recta fuerit illa Eugenii quarti sollicitudo & sollicita pietas, volentis omnes tales plenarias indulgentias in extremo articulo mor- tis, in gratia decedentium, pro vltimo tantum instanti, quo postea non venialiter peccarent, intelli- gendas ac iudicandas, vt propter hanc sequentium venialium obstantiam non impediantur à fructu indulgentiarum. Tu quoque propter eandem sequentium obstantiam venialium vix vnam de cen- tum milibus credis euolare, sed cur igitur non hanc veritatem publicè prædicant?

Neque etiam mihi placet, quod per surreptionem iniuriæ aut obliuionis, inconfessa peccata punienda putes, quasi inconfessa dimissa non sint, quando contraria charitas, contrario officio ac- ceptum Deo facit. Nulla enim confessio tollit, quamdiu non charitate officiosum restituit. Præterea ex hac tua positione sequeretur, ea inconfessa eidem non solum ad pœnã, sed etiã ad culpam in fu- turo seculo imputanda remanere. vnde liberaliter facis, confitendo, quod manentia venialia nemo potest dimittere. Magis autẽ liberaliter facis, cum subdis, *si sit plene contritus*, quasi mecũ sentiens, pos- se aliquem verè contritum esse, qui non sit plene contritus. Et si plene contritũ Papa vel schola dicat per plenariam remissionẽ confestim euolare, nihil ego miror. Mirabor, si Papa talẽ faciet euolare.

Probè plurimum facis, communem omnium sententiam explicando, quod secundũ omnes, tanta possit esset contritio, quod culpam omnẽ & pœnam deleat. Sed hic à te quæro tuam sententiã, quanta erit illa contritio? an illa superior Gersonis, prorsus parata ad faciendũ omne bonũ & para- ta ad patiendũ omne malum? Hanc ille contritionem dixit esse certissimum signum indulgentiarũ. An ista vulgaris contritio languida, infirma, imbecillis ad vtrumq;, debilis ad currendum viam mã- datorum Dei, tenera, delicata, refuga pati pro nomine Iesu. Parce mihi, si plurimos tales ego suspi- cer, qualem ego meipsum in pœnitentia reperio. Talibus ego scio, multa opus remissione; imò non multa, sed plenaria remissione. Verum etiam scio non eos plenariam remissionẽ consecuturos, quãdiu non plenariè amant, vt ad vtrumq; Gersonis perfectè parati sint. Quicunque igitur propter imperfectam talem contritionẽ opus habet indulgentiis, ille ad huc habet imperfectã contritionẽ.

Imperfecta contritio, nulla nisi ex imperfecta charitate. De adulto etiam baptizat
remissionem consequatur, & id regulariter, non tecum sentio, qui licet regularis
ponit obicem gratiæ Dei, verè in Spiritu Sancto viuificatur, vt etiam criminoso m
tur peccata multa, si diligat multum. Sed si inter baptisandum & post parum di
adhuc in Christo & lactis opus habentem iudico. Qui enim inter baptisandum &
cat, verè venialiter peccat, & verè baptisatur, & cum verè venialiter peccat, verè
stipulam superædificat. Talis igitur non auro, argento, lapidibus preciosis puris
dificat, quomodo ego non quasi per ignem transiturus, etiam si à baptismo mox
modo item imperfecta sapientia, imperfectum iudicium, imperfecta charitas, qu
perfectè dantur in baptismo, non imperfectum regnum constituant? Quomodo
ginis partibus imperfectis, perfectus Christus, perfectè formatus apparebit? San
ter diliget, quam istic dilexit in baptismo, languidi amoris regnum erit, cæcutient
bante iudicio, sordida iusticia, præparatum. Paulus eos lactis opus habere dicit, n
solidorum ciborum. Petrus monet, velut modo genitos infantes rationabile lac con
lus hæredem quanto tempore paruulus est, nihil differre à seruo, sed oportere sub tu
ribus esse, vsque ad tempus à patre diffinitum. Et quod illud tempus à patre diffini
pus perfectæ conformitatis id exemplar in monte monstratum? Christus enim passus
bis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quid enim passus pro nobis,
nobis, nisi relicto nobis exemplo, instituamur, animemur & incendamur ad seque
fectè sequendum vestigia eius? Quod cum perfectè expleuerimus, veniet tempus d
tre. Nunquid igitur extra diffinitam legem Patris ante tempus contra testamentum
sapientia mox regni illius ciuis aptus æstimabitur? Indignum puto vt in mensa illa, i
paruulorum more & insipientia lacte quis opus habeat. Video & ego in hoc epist
mihi quoque papyrum deficere, quare & ego finem facio, non vti tu necessariis amic
tionibus distractus, sed quem ferè totum ignauia premit, nisi quantum tui desideriu
attrahit. Vnde etiam, & si non pro desiderio, tamen pro soliti corporis metro, plu
riter, tuis iussibus rescripsi, meo captu ad punctum contradictoris, designans, quibus
mus vel dissentimus. Rogans ego te & supplicans, vt velut ad signum sagittariorum ratio
ctoritatibus concertes, quo sic tandem veritas in hac assertione difficilima, facilius, vt
ueniatur. Fateor non sunt ocia tibi quæ mihi, sed & conqueror, quod etiam torpenti
est acrimonia, quæ tibi. Vnde etiam non mihi fructuosum negocium vti tibi, vnum hoc
venerandissime Domine Decane, Magister noster, ex ego, promissis tuis robur insit, vt p
scribere postponas, vtque quam primum scripta mea receperis, rescribere non pigriteris
iam pollicitus meis ipse scriptis, vel parum dictando respondeas. Fateor importunus vr
tua tibi verba censeas importuna. Atque vtinam sic, ô venerabilissime atque dulcissi
noster, quam felicissimè valeas. Ex Gronigen. 13. Calendas Octobris, per tuum Vuessel

---

M. IACOBI ALMAIN SENON
SIS, DOCTORIS THEOLOGI PA
RISIENSIS,
Expositio,

DE SVPREMA POTESTATE ECCLESIASTICA E
ca; Circa quæstionum decisiones Magistri Guillermi de Ockam,
super potestate Summi Pontificis.

Anno Domini MDXII.

De diuisione potestatis in ecclesiasticam & secularem, & earum definitionibus.

CAPVT I.

AD petitionem cuiusdam venerabilis viri, inceptor has octo quæstiones de pot
mi pontificis ædidit. Et primò quæritur: Vtrum potestas suprema spiritualis,
suprema secularis, siue laica, in tantum ex natura rei distinguantur, quod in
dem cadere non possint, hoc est, quod non possit vnus & idem homo illas dua
habere. Sed antequam materiam quæstionis aggrediamur, veniunt termini declarandi.
dendum est, quid sit potestas. Secundò eam diuidendo in spiritualem & temporalem. V
in genere nihil aliud *est*, quam *facultas quædam propinqua ad exercendam aliquam*
supposito. Exemplum; domificator habet potestatem domificandi, i. facultatem, qua in propinqu
in talem operationem. Ignis habet potestatem calefaciendi. Verum in proposito non ca
neraliter, sed pro potestate iurisdictionis. Et *potestas iurisdictionis est facultas propinqua dic*

Digitized by Google

est, ferendi sententiam etiam in inuitum: Vt dicit Marcilius de Padua in *secundo suo*, tractans hanc materiam de origine potestatum: quod iudex propriè est ille, qui habet facultatem propinquam ferendi sententiam, & potestatem præcipiendi, vt illa sententia demandetur executioni: & potestatem ferendi pœnam, contrà non facientes vel repugnantes; & sic illa tria sunt in iudice. Verbi gratia. Iudex siue præses habet potestatem dicendi ius, inter personas altercantes: & ferendi sententiam inter illas. Et dicto iure, habet præcipere, vt sententia ab eo lata demãdetur executioni. hoc facto potest imponere pœnam secũdum exigentiam negocii non demandantibus suam sententiam executioni vel contradicentibus. Iam doctor præsupponit, quòd sunt duæ tales potestates: vna laica siue temporalis, & alia spiritualis siue ecclesiastica. Et primò videndum est de ecclesiastica, tanquam de nobiliori. *Potestas ecclesiastica iurisdictionis* (vt dicit de Gersono) *est potestas à Christo, Apostolis, discipulis, & eorum legitimis successoribus supernaturaliter & specialiter tradita ad ædificationem ecclesiæ militantis, secundum leges euangelicas, pro consecutione fœlicitatis æternæ.* Primò ponitur *potestas* loco generis: & tangitur causa efficiens huius potestatis, cùm dicitur: *A Christo.* Nam ante aduentum Christi non erat potestas ecclesiastica coercitiua secundum multos: quãuis secundum aliquos in antiqua lege Mosi excommunicabant. Tamen dico, quòd illo modo excõmunicari, erat extra synagogam eiici. Quicquid sit de hoc, non habebant talem potestatem ecclesiasticam, sicut nunc habemus in lege gratiæ. Tangitur etiam causa materialis, & qui sint habentes talẽ potestatem, in ista particula: *Apostolis* &c. Et causa formalis in isto verbo, *Secundum leges euangelicas.* quia qui sunt tali potestate præditi, in dicendo ius debent vti legibus euangelicis, ecclesiasticis, & non ciuilibus. Vltimò tangitur causa finalis, in vltima particula. Sed *potestas laica siue secularis est potestas à populo ex successione hæreditia, vel ex electione alicui vel aliquibus tradita regulariter ad ædificationem communitatis quantum ad res ciuiles secundum leges ciuiles pro consecutione habitationis pacificæ.* Primo tangitur causa efficiẽs & origo huius, scilicet *à populo* regulariter. Et licet aliquando Deus specialiter dederit aliquibus hanc potestatem laicam, vt Sauli 1. *Reg.* 10. & Dauidi. 2. *Reg.* 5. & aliquibus, qui vtebantur ista potestate super Israel, vt patet *Iudicum primo*: tamen regulariter neminem Deus instituit. Hac occasione quæritur: Vtrum talis potestas laica sit à Deo? Et videtur, quòd sic. ad Rom. 3. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit.* & sequitur in textu: *Non est potestas, nisi à Deo.* Ideo talis potestas laica est, æquè bene à Deo sicut potestas spiritualis.

Pro solutione dicit Durandus in primo *de origine iuris*, quòd potestas tẽporalis siue laica est à Deo quantum ad debitum: sed frequenter non est à Deo, quantum ad acquisitionem & vsum. Primum probatur, nam secundum dictamen rectum, debitũ est talem potestatẽ esse. Naturaliter enim iudicant homines, quòd oportet eos subdi alicui, qui eis iudicium & ius siue iustitiam administret. ergo secundum iudicium rectum naturaliter nobis insitum, debitũ est talem potestatem regiã seu secularem esse. Ex ordinatione enim insitum est nobis tale iudicium naturale, vt conformiter ad ipsum viuamus, & hoc à Deo. nam *signatum est lumen vultus tui super nos:* hoc est, Deus naturaliter nobis inseruit lumen vultus sui, hoc est vnũ iudicium, quo naturaliter iudicamus omnes, politicè adinuicẽ viuentes debere subiectos esse alicui vel aliquibus, quibus incumbat ex officio facere mutuam iustitiam. ergo quò ad debitum ipsa potestas secularis siue laica est ex ordinatione diuina. sed non est à Deo regulariter, ad istum sensum, quòd alicui Deus cõmunicauerit istam iurisdictionem laicam: quia nunquam alicui regulariter immediatè Deus communicauit hanc potestatem, nec dedit speciale præceptum, vt alicui communicaretur. Ideo non est à Deo, quantum ad istum sensum. Et sic tangitur prima differentia inter has duas potestates: quia ecclesiastica est immediatè à Christo instituta, sed laica quamuis à Deo sit ex ordinatione quantum ad debitum, nunquã tamen est à Deo regulariter, & immediatè instituta. Et in primo sensu capit Paulus: *Non est potestas nisi à Deo* &c. Secunda differentia. Potestas spiritualis fundatur in dono spirituali & supernaturali: alia verò non: igitur ex parte fundamenti differunt. spiritualis enim fundatur in charactere. Vtrum in fide, difficultas est: sed omnes concedunt illam fundari in charactere baptismali, hoc est in illo dono supernaturali & spirituali. sed potestas laica nõ fundatur in illo: quia etiam ipsa est apud infideles. Ex hoc sequitur, quod fuerunt baptizati Apostoli ante cœnã: quia valdè verisimile est, quòd instituti sunt à Christo sacerdotes, sicut nunc instituuntur. sed modo non possunt institui, nisi prius fuerint baptizati. igitur. Tertia differentia sumitur ex fine immediato & propinquo ordinationis potestatis ecclesiasticæ, vt ducantur homines mediante ipsa ad fœlicitatem æternam. sed finis alterius est, vt ordinentur homines ad pacificam cohabitationem. Et sic multipliciter differunt illæ duæ potestates: scilicet ex parte instituentis, fundamenti, & finis.

De multiplici potestate ecclesiastica. CAP. II.

CONsequenter videndum quotuplices sint tales potestates ecclesiasticæ. De Aliaco post Ioannem de Parisiis assignat sex potestates ecclesiasticas, immediatè à Christo traditas. Prima est ordinis, hoc est sacerdotalis potestas: & est essentialiter ipse character sacerdotalis. & talis fuit instituta à Christo, vt postea videbitur. Vnde regularius dicitur, quòd fuit instituta in cœna, quando dixit Apostolis: *Hoc facite.* Hoc est, accipite potestatem hoc faciendi, hoc est consecrandi. Armachanus dicit, quando vocauit eos Apostolos. Secundo est potestas administrandi sacramenta populo, & præcipuè sacramentum pœnitentiæ. Et regularius dicitur, quod fuit instituta in die quando insufflauit, dicens: *Accipite spiritum sanctum.* & ad hanc spectat potestas baptizandi. Et licet omnes

possint baptizare in casu necessitatis, soli tamen sacerdotes possunt ex officio. Tertia potestas est iurisdictionis, quam definiuimus supra: & est in foro exteriori, id est, potestas corrigendi & infligendi pœnam in contumaces etiam inuitos. Et fuit tradita Apostolis Matth. 18. in istis verbis: *Si peccauerit in te frater tuus.* Et habetur tandem ibi: *Sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Similiter *quæcunque solueritis & ligaueritis* &c. etiam ligamine excommunicationis. Quarta est potestas instituendi ministros, distribuendi beneficia & dignitates ecclesiasticas. & quando ista fuerit collata, & quibus est difficultas. Dicit Ockam, quod fuit data Petro, Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas.* quia ad caput spectat distribuere officia membris. Sed hoc non est verisimile: quia immediate subdit, quod Cephas interpretatur Petrus. Sed opinio communior & probabilior est, quod fuit collata per illud verbum: *Pasce oues.* nam ad officium pascendi non solũ spectat, quod audiat confessiones & ministret sacramentum pœnitentiæ, sed etiam quod possit alios instituere super determinatas regiones & populos, ad eos pascendos & erudiendos in necessariis ad salutẽ. Ideo Petro fuit data potestas etiam instituendi ministros ad pascendum, & instituendum, & distribuendum cæteras dignitates ecclesiasticas, sicut episcopatus, curas &c. Quinta potestas est Apostolatus, seu prædicationis: quod idem est. hanc contulit Apostolis Christus Matthæi & Marci capitulis vltimis: *Ite prædicate euangelium omni creaturæ.* Vltima potestas ecclesiastica, quæ oritur ex supra dictis, est potestas accipiendi, & etiam exigendi à subditis temporalia pro necessitatibus victus & vestitus, instituta à Christo, quando dixit, *Dignus est operarius mercede sua.* Notandum, quod dicit Ockam in *tertia parte dia. libro 2. c. 3.* quod duo sunt hominũ genera. & hoc habetur ex beato Hieronymo in capitulo: *duo sunt. in decretis.* Sunt enim homines spirituales, & laici. Itẽ rerũ quædã spirituales, & quædã tẽporales seu seculares. Res spiritualis, vt est euangeliũ, doctrina sancta, sacramenta &c. Res purè seculares, vt sunt bona tẽporalia. Itẽ peccatorũ quoddam seculare, & quoddã spirituale. Quia in hac definitione quæritur, ad quæ peccata se extendat potestas illa? dicit Ockam, quod seculare peccatum est, quod seclusa quacunq; reuelatione diuina & in lege naturæ stando esset peccatum: tale dicitur peccatum seculare, vt homicidium: quia secludendo quamcunq; legem diuinam, adhuc est peccatum. Sed peccatum spirituale est, quod est de directo contra euangelium, quod nobis ex reuelatione diuina traditum est: vt peccata contra sacramenta commissa: sicut illa, quæ committuntur contra legem naturæ, vocantur secularia. Item negociorũ quædã sunt spiritualia, & quædã tẽporalia. Exemplũ primi, vt celebratio missarũ, exhibitio sacramenti, cõiunctio matrimonialis &c. Exemplũ secundi, vt venditio, emptio, locatio. Itẽ causarũ quædã spirituales, & quædã tẽporales seu seculares. Seculares, quæ sunt de negocio seculari, vt de emptione, de furto &c. Spirituales seu ecclesiasticę, quę agũtur de re spirituali: vt de simonia, matrimonio &c. Item iurisdictio quædã ecclesiastica, & quędã secularis. Item iudici quidã ecclesiasticus, & quidam secularis &c. Patet, quid est potestas laica, & quid ecclesiastica, & de differẽtiis earũ, tam ex parte instituentis, quam ex parte fundamenti: quia vna est instituta immediate à Christo, alia à populo. Et vna fundatur in prudentia & in bonis naturalibus. Alia vero in bono spirituali & supernaturali, scilicet in charactere baptismali. Similiter ex parte finis differunt. Et sic patet triplex eorum differentia.

De fundamento potestatis spiritualis siue ecclesiasticæ: in quo videlicet fundetur:

CAPITVLVM III.

NVnc consequenter mouendæ sunt quæstiones. Et primo circa potestatem ecclesiasticã: verum fundetur in charitate, vel in fide, vel solũ in charactere baptismali. Pro solutione sit prima propositio. Potestas ecclesiastica non fundatur in charitate. oppositum huius fuit error Pauperum de Lugduno, Valdensium: quem postea reuocauit Ioan. Vicleffis, & vltimate condemnatus contra Bohemos in concilio Basiliensi. Apparentia pro ipsis erat, quod antequam Christus daret hanc potestatem Petro, præmisit signum scilicet, *Diligis me?* & signum erat, quod antequam posset illam habere, requirebatur charitas: alias frustra quæsiuisset, *Diligis me?* Sed probatur oppositum: & sit probatio primæ propositionis: quia sequeretur, quod totus ordo ecclesiasticus esset incertus & instabilis. Patet primum, quia secundum hunc modum dicendi, nullus auderet firmiter asserere se esse episcopum aut curatum &c. Patet nullus est de cõmuni lege, qui auderet firmiter asserere se esse in gratia: quia nescit homo vtrũ odio, aut amore dignus sit. Ergo si requiritur de necessitate charitas tanquam fundamentum, vt aliquis fungatur illa potestate ecclesiastica, nullus esset certus, an habeat illam: quia de cõmuni lege nullus est ita certus, quin possit à gratia sæpius etiam in die cadere. Ergo si eo ipso, quod cadit, perdatur potestas ecclesiastica, esset multum incertus &c. quod nemo habet concedere. Vltra dicebant Bohemi, quod potestas ecclesiastica non solũ fundatur in gratia gratum faciente, sed in gratia prædestinationis, sed hoc est multo maius periculũ, quam asserere q in gratia gratum faciente, vt imponit eis quidã Doctor. Dicebant, quod gratia prædestinationis facit hominem esse membrum ecclesiæ, & non gratia gratum faciens, sed ad hoc sequeretur maior incommodo: quia est magis incertum aliquem esse prædestinatum, quam esse in gratia. Secunda propositio quam ego probabiliorem reputo, quia eius opposita non est dãnata. Potestas ecclesiastica non fundatur in fide ex iure diuino: quamuis aliqui tenuerunt oppositum, vt Ockã, de Thure cremata. Sed Gerson est eius opinionis, q non necessario requiritur fides, vt quis habeat hanc potestatem. Patet quãuis non esset ita incertus ordo hierarchicus, tamẽ remaneret incertus adhuc. Patet, quia nullus

potest

potest certitudinaliter scire, an habeat fidem infusam. Secundò, nullibi in euangelio repetitur passus ad hoc. ergo nil est asserendum circa hoc, nisi habeatur passus expressus. Sed apparentior ponitur ratio: & suppono, quod conferre beneficia spectat ad forum publicum ecclesiasticum. tunc accipio episcopum, vel curatum simoniacum mentalem. & vt apparentior sit ratio: capio Papā hæreticum mentalē, qui habeat errorē in intellectu cum pertinacia in volūtate, ita quod nullum sit signū exterius, per quid possit conuinci ipsum esse hæreticum. secundū hanc opinionem non esset amplius Papa. Patet nullus potest fieri de non Papa summus pontifex nisi altero istorū trium modorū: scilicet, quod eligatur ab ecclesia, vel à concilio gerente vices ecclesiæ, vel ab aliquibus gerētibus vices ecclesiæ vel concilii, puta à cardinalibus: vel nisi sit specialiter à Christo talis potestas papalis collata immediatè, sed nullo istorū modorum talis efficeretur Papa: ergo illatū verum. & nō potest seipsum constituere papā: nec tenetur in illo casu in foro exteriori reuelare suum peccatū: neq; se diffamare. igitur iam ecclesia exponeretur magno periculo, scil. quod nullus esset Papa. Ideo probabilius est, quod potestas ecclesiastica iure diuino non fundatur in fide infusa. Dubitatio: An hæretici sint priuati ista potestate ecclesiastica eo ipso facto, quo incidunt in hæresim, vel quando incipiūt manifestare suā hęresim? Et videtur, quod non perdant illā, nisi quando incipiunt manifestare suam hæresim, per capitulum *audiuimus. de hæreticis*. dicitur quod *antequam incipiant prædicare suā hæresim*: adhuc si confinxerunt, eo ipso quod incipiunt, neminē damnare possunt. Sequitur ex hoc, quod antequam manifestarēt suam hæresin, poterant dānare, & vti tali potestate ecclesiastica. Pro solutione huius dico, quod habentes hanc potestatem correctionis seu potestatem à Christo collatam, nō solum habent potestatem instituendi pœnam pro peccatis præteritis, sed etiam instituere possunt contra peccata futura aliquos canones sententiæ latæ: in quam incidunt transgressores, sine aliqua alia sententia. Prima pars patet de se. Secunda probatur. multi sunt canones sententiæ latæ: vt patet de percutiente clericum. ergo ecclesia habet potestatem. Item notum est, quod non repetens rem suam certo tempore, talis res per authoritatem ecclesiæ, puta per præscriptionē vel vsucapionē efficitur alterius. Talia sunt iura canonica sententiæ latæ quantum ad præscriptiones vel vsucapiones secundum leges: quæ aliquæ sunt etiam sententiæ latæ. Ergo habens potestatem ecclesiasticā potest ædere canonem pro peccato futuro, ita, quod transgrediens incidit in pœnam illius canonis eo ipso facto, quod transgreditur. In capitulo *Quicunq;. de concubinariis, in pragmatica*, eo ipso quod notorii sunt concubinarii priuantur fructu futuro beneficii per semestre, id est, per sex menses. ergo sicut ecclesia potest aliquem probatum hæreticum destituere à suo beneficio per sententiam latam ab homine: ita potest ædere canonem, quod quicunq; incidet in hæresim manifestam (quo facto cadet in illam) erit sua potestate ecclesiastica priuatus.

Secunda propositio. Est multum apparēs, quod ita ecclesia ædidit canonem sententiæ latæ, quo ad priuationem beneficiorum, & potestatis ecclesiasticæ contra hæreticos. Patet sic, sunt expressi textus ad hoc 24. q. 1. *in c. Didicimus: Didicimus omnes omnino schismaticos & hæreticos nullam habere potestatē ecclesiasticam*. ergo est multum apparens & probabile, quod ecclesia ita instituerit canonem sententiæ latæ, quò ad priuationem omnis potestatis iuris ecclesiæ contra hæreticos, & causa est; quia sunt in periculo maximo ouium sibi cōmissarum. igitur.

Tertia propositio. Iurisdictio ecclesiastica quælibet fundatur in charactere baptismali iure diuino: ita quod nullus est capax illius nisi habeat charactere baptismale. Ex hoc sequitur, ꝙ non baptizatus non potest alia sacramenta recipere ecclesiastica: Ista tertia propositio nō potest euidēter probari per sacras literas, neq; per aliquod antecedēs deductū ex illis: sed expressè est determinata per ecclesiā, *de presbyt. non baptizato. c. Si quis*: vbi dicitur, quod *si nō baptizatus videatur recepisse ordines, baptizetur, & postea reordinetur*. ergo signū est, quod character baptismalis de necessitate præsupponitur, antequā aliquis recipiat hanc potestatem ecclesiasticam: nam baptismus est omnium sacramētorum ianua: & nullus efficitur membrum ecclesiæ, nisi prius fuerit baptizatus. ergo in nullum talem non baptizatum habet iurisdictionem summus pontifex. ergo non potest talē ordinare quantumcunq; attentet. Vltra, non potest talē ordinare: ergo non est capax talis potestatis ecclesiasticæ.

An potestas ecclesiastica sit æqualis in omnibus sacerdotibus:

CAPITVLVM IV.

QVæritur consequenter, vtrum in quolibet sacerdote sit æqualis potestas ecclesiastica: vel maior in vno, quam in alio. & non quæritur vtrum sit maior secundum institutionem humanam; sed secundum institutionem Christi primariam & diuinam hoc est, vtrum ipsa potestate ecclesiastica ex primaria institutione diuina sit æqualis in omnibus sacerdotibus. Pro solutione sit prima ꝓpositio. Omnis potestas purè ecclesiastica est à solo Christo instituta. Et in ista parte tangitur secūda differentia inter has duas potestates. Pro cuius declaratione supponitur illud, quod habet Henricus in suo tractatu *de potestate*, quod aliud est instituere potestatem, & aliud instituere aliquem in aliqua potestate tali. Vnde instituere potestatem, est facere, quod in aliqua communitate sit illa potestas ad regendum talem cōmunitatem. Sed instituere aliquem in tali potestate, est alicui dare authoritatem, vt in supposito illius communitatis illa potestate vtatur. Et inter ista duo vnum potest esse sine alio: & vnum est prius alio. Nā prius est instituta potestas, quā aliquis instituatur in illa: quia potest esse dato, quod nulli supposito detur, & si nō tēpore, saltē prius natura: sed sic est, quod Christus potuit instituere, quod in cōmunitate Christiana esset aliqua potestas, qua posset aliquis alicui

Digitized by Google

subdi,& arceri à malis:& qua peccantes posset punire,puta per excommunicationem & cætera, antequam dederit alicui authoritatem vtendi tali potestate. Nam Matth.18.instituit authoritatem & & potestatem excommunicandi: *Si peccauerit in te frater tuus* &c. Sed pro tunc nulli supposito ecclesiæ dedit potestatem vtendi tali potestate,scil.excommunicandi:sed solum Ioannis vltimo, quando dixit Petro: *Pasce oues meas*.ergo institutio talis potestatis præfuit, antequã esset aliquis,qui haberet authoritatem vtendi tali potestati. Similiter in ciuilibus potest institui potestas aliqua,vel aliquod genus cruciandi & puniendi malefactores,antequam sit aliquis habens potestatem,& authoritatem vtendi tali potestate. ideo opinio cuiusdam doctoris videtur vera, quod quamuis Christus nullum instituisset Papam,puta Petrum:nihilò minus ecclesia potuisset aliquem instituere Papam, & supremum Hierarcham. Patet; Antequam Petrus esset Papa institutus, authoritas papalis erat iã instituta.ergo per electionem potuisset fieri,quod aliquis habuisset potestatem vtendi tali potestate in subditos ecclesiæ,sicut non eligitur Papa. Istis suppositis patet prima propositio, videl. quod potestas ecclesiastica est immediate à solo Christo instituta,imo instituibilis. Patet,non potest institui potestas ad regendum aliquam communitatem,nisi ab illa communitate , vel à superiori illius communitatis,quod probatur. Non potest aliquis obligari,nisi per consensum suum, vel ex præcepto & voluntate superiorum:quia non est,nisi iste duplex modus obligandi.sed ista potestas ecclesiæ est ad regendam communitatem Christianam.ergo non potest institui, nisi à Christo superiori huius communitatis, vel à cõmunitate Christiana. & non potest assignari superior communitatis Christianæ,nisi Christus vel Papa.sed non potest institui à Papa,nec à tali communitate Christiana. ergo solum ab ipso Christo. Quod non à Papa,patet. Prius natura est esse potestatem papalem, quã sit Papa.igitur. Similiter nullus potest se instituere in aliqua communitate superiorem,ergo. Quod non à tota communitate,patet. Potestas aliquid includens,quod superat & excedit omnem facultatem humanã,non potest institui à communitate humana: sed potestas ecclesiastica aliquid includit omnem potestatem humanam excedens,scil.posse pœnam relaxare in purgatorio, & aliquẽ excludere à suffragiis ecclesiæ,puta per excommunicationẽ. Similiter includit posse consecrare corp' Christi,quæ quidem excedunt omnem potestatem humanam.ergo minor vera. Hoc argumento vtuntur doctores ad probandum,quod ecclesia tota non potuisset instituere aliquod sacramentum: quia sacramentum aliquid includit,scil.conferre gratiam:quod totam potestatem humanam superat & transcendit. ergo non potest institui à potestate humana.

Secunda propositio. Potestas ecclesiastica est,in singulis sacerdotibus æqualis. Patet, quilibet sacerdos,quamlibet materiam consecrabilem consecrare potest:nec potest quicunq; alter quãcunq; aliam constitutionem facere quin consecret: ergo quilibet tantam habet potestatem consecrandi sicut alter. Vnde non potest facere Papa,quod si sacerdos attentet cõsecrare panem triticeum, quin consecret.similiter & vinum.ergo quantum ad consecrationem,quilibet tantam habet potestatem super corpus Christi,& sanguinem sicut alius.

Tertia propositio. De secunda potestate ecclesiastica,scil.administrandi sacramenta fidelibus,est controuersia inter doctores,an in omnibus sit æqualis vel non:& hoc circa tria puncta. Primum est de administratione sacramenti pœnitentiæ,vtrum ex institutione Christi seclusa constitutione humana sit tanta potestas in quocunq; sacerdote,sicut in quolibet alio,quod est quærere, vtrum simplex sacerdos habet tantam potestatem quemcunque fidelem absoluendi sacramentaliter sicut Papa,seclusa constitutione humana. Secundum punctum est, vtrũ ex institutione Christi, quilibet sacerdos habeat potestatem administrandi sacramentũ confirmationis. Tertium,vtrũ quilibet sacerdos ex institutione Christi habeat authoritatẽ conferendi sacros ordines,vel nõ. Quantum ad primum,duplex est modus dicendi. Vnus,quem recitãt communiter docto.& quem tenet Armachanus & Durandus,quod omnes sacerdotes ex institutione prima Christi,seclusa constitutione & potestate humana, habent æqualem potestatẽ vnumquemq; fidelem absoluendi. Patet, concurrentibus omnibus,quæ sunt de necessitate sacramenti,secundum institutionem Christi,est verum sacramentũ:& disposito suscipientis talis suscipit verum effectũ sacramenti.sed ad sacramentum pœnitentię necessaria sunt,minister materia & forma.minister est quilibet sacerdos ex institutione Christi,quia cuilibet sacerdoti dictũ est, Ioan.20. *Quorum remiseritis* &c. Materia, sunt peccata confessa. Forma,est ipsa absolutio verbalis, *Absoluo te* &c. Dispositio sucipiẽtis,est ipsa contritio. Tunc arguitur sic.secundũ institutionem Christi, quilibet sacerdos est minister: & accepit potestatẽ conferendi hoc sacramentum:& peccata confessa sunt materia : ergo quando ista tria concurrunt, verum est sacramentum pœnitentiæ. Secundò probatur,& multum apparẽter. Quilibet sacerdos in extrema necessitate vnumqueq; dispositum realiter de facto absoluit: ergo realitr & de facto vnumquemq; absoluendi habet authoritatem. Patet,quia si non haberet, in nullo casu absolueret: quia non datur sibi noua potestas propter nouum casum superuenientem. Item secundum multos alios, nunquam fuit data iurisdictio,nisi quando dictum est Petro, *Pasce oues meas*. & tamen erant sacerdotes.ergo quantum ad absolutionem sacramentalem quilibet quemlibet habet potestatem absoluendi. Præterea, vt dicit Durandus, sacerdos reuelans confessionem punitur, non solum tanquam reuelans secretum,sed tanquam reuelans confessionem:etiam dato, quod reuelauerit confessionem non sui subditi,secundum constitutionem ecclesiæ. Præterea sit Sortes, qui ignoret constitutionem,ꝙ quilibet tenetur suo proprio Curato confiteri:& confiteatur alteri non suo nõ ponẽs obicem,recipit verũ sacramentum.ergo talis sacerdos ministrat sacramentũ:ergo habet potestatem & authoritatem. Item sit Sortes peccator credens Platonẽ esse suum Curatũ, qui de facto non est

ex tali quod ignorantia confitetur illi Platoni, & non ponit obicem. talis recipit verum sacramentum, & rem sacramenti. Igitur Plato illum realiter absoluit. & sic secundum hanc opinionem quilibet sacerdos ex institutione diuina, & Christi, habet tantã potestatem quantum ad illam iurisdictionẽ in foro interiori, sicut alius, & sicut Papa: nec potest Papa facere, quin absoluat, si attentet, dummodo alius non ponat obicem.

Contra hoc arguitur sic. bene sequitur. Iste de facto, qui confitetur alieno, & ignorat constitutionem de non confitendo alieno, est absolutus. ergo si postea perueniat ad eius notitiam, quod aliter non erat eius Curatus non tenebitur amplius confiteri. Patet, nullus, qui confessus est sua peccata, & est absolutus ab illis, absolutione sacramentali, tenetur amplius illa confiteri, nec potest de nouo obligari ad illa confitenda. sed talis est absolutus sacramentaliter: ergo non potest iterum de nouo obligari ad illa confitenda. Patet, non est in potestate Papæ quod fuerit realiter absolutus & sacramentaliter, & obligare eum denuo ad confitendum. & hæc est propositio Gerson. Nam in primis confiteri peccatum, est vnum ex grauissimis & difficillis præceptis legis nouæ. sed ecclesia nõ potest obligare nos ad ea, quę sunt difficillima, puta ad ingressum religionis, & ad perpetuam continentiã. Ego si sum iam confessus peccata mea, ecclesia non potest obligare ad illa eadem confitenda. Sed consequens propositionis prædictæ videtur falsum: puta quod talis, qui confessus est per ignorantiã sacerdoti, quem credebat suũ curatũ esse, qui tamen non erat, non teneatur iterũ illa peccata confiteri. Patet, quia quilibet semel in anno tenetur omnia sua peccata cõfiteri proprio sacerdoti. Secũdo arguit Gerson. Capio peccatorẽ adultum, qui multa peccata commisit ante baptismũ, post baptismũ ecclesia non potest eum obligare, vt confiteatur illa ante baptismum cõmissa. Ratio est, quia illa sunt sacramentaliter dimissa per baptismum. Ergo similiter dicendum est in casu prædicto. Item multi dicunt, vt Scotus *in quarto*, quod peccata semel confessa, & absoluta sacramentaliter, nõ sunt amplius materia confessionis, & si confiteantur iterum, non erit absolutio sacramentalis, nec sacramentum, nec aliquid operabitur in eo, qui iterum illa confitetur. hoc est, non conferet gratiam. Et est probabilior opinio. quam opposita. Et ego concedo cum Gersono, quod talis non tenebitur amplius confiteri sua peccata, quæ fuerunt sacramentaliter dimissa. Vnde dicit Gerson in *lectionibus super Marcum*, quod ecclesia non potest aliquem obligare ad confitendũ peccata, à quibus est semel absolutus sacramentaliter. & præcipuè innititur isti rationi: Non potest ecclesia imponere onus vltra, quod impositum est à Christo, & ex difficillimis. ergo cum iam adimpletum est iuxta præceptũ Christi, ecclesia non potest amplius obligare ad iterum confitendum. & talis si commisit aliquod peccatum à tempore præsentis absolutionis, confiteatur proprio sacerdoti.

Prima igitur opinio est, quod potestas absoluendi sacramentaliter à peccatis, est in omnibus sacerdotibus æqualis: & si attentent absoluere, absoluunt: nisi confitens ponat obicem. nec potest facere Papa quin absoluant si attentent: quia non potest facere Papa, quod positis necessariis ad sacramentum quin sit sacramentum illis tribus supradictis positis. ergo non potest facere quin suscipiens recipiat gratiam.

Secunda opinio est, quod ex institutione Christi est maior potestas ecclesiastica, quantũ ad administrationem sacramenti pœnitentiæ in vno, quam in alio. Hoc declarans Gerson *consideratione quinta* ait, quod antequã aliquis possit absolui ab altero, duplex requiritur subiectio: Vna spõtanea, qua quis se subiicit libere in tali foro secreto. Secunda subiectio est iuridica: quæ scil. non est spontanea subiectione, sed ex authoritate superioris facta. ideo dicit ista opinio, quod antequam aliquis absoluat alterum: simpliciter si tentet, requiritur illa duplex subiectio, scil. spontanea & iuridica. Vltra dicunt doct. quod ex institutione Christi in nullius fuit potestate, nisi in Petro, ita, quod Christ' nullos homines vnquã subdidit alicui nisi Petro, quando fecit eum curatum vniuersalis ecclesiæ illo verbo, *Pasce oues meas*. tunc Christus contulit potestatem iuridicam Petro: & cunctos Christianos signatos charactere baptismali fecit subiectos Petro sub subiectione iuridica. Vltra dicũt, quod etiam est verisimile, quod ex institutione humana episcopatus diuisi sunt à Petro, vel à successoribus eius, vel ab episcopis: Nam quod sit vna cura hic, & alia alibi, non instituit Christus: sed institutum est ab ipso, cui collata est potestas à Petro vel à successore eius hoc instituendi, & diuidendi curas & episcopatus. nam aliis dedit authoritatem iuridicam, & quibusdam certum populũ. Tunc dicunt, quod nullus dato, quod attẽtet, absoluit: nisi in illo sit illa duplex subiectio. & hæc opinio potest suaderi apparenter. Primò, si ex institutione Christi quilibet posset in quẽlibet vti ista potestate clauis: sequitur, quod sicut Papa non potest impedire, quin degradatus, & suspensus consecret si attentet: ita non poterit quin etiã absoluat & sacramentaliter in foro conscientiæ si tentet absoluere. antecedens patet, quia Papa non potest immutare, quod est ex institutione diuina. sed ex institutione diuina habet authoritatem consecrandi. Eodẽ modo si habeat potestatẽ absoluendi ex institutione diuina, absoluet. sed consequens est falsum. quod patet: quia, qui absoluitur ab excommunicato, non est absolutus, in *capit. Ad probandum, de sententia & re iudi.* Hoc argumentũ facit de Palude: sed non est multum ad propositum, quia loquitur de sententia in foro exteriori. sed probatur apparentius per *capit. Omnis vtriusq; sexus.* dicitur, quod si aliquis iusta de causa alieno voluerit confiteri sacerdoti, petat licentiam à proprio: alias non poterit absolui ab alio vel ligari. ergo si iste, qui non est suus curatus, attentet illum, absoluere, non absoluet. Et quod hoc sit de iure diuino, videlicet, quod hoc nullus possit eligere confessorem sine licentia sui curati vel superioris, patet per *capitulum, si episcopus, de pœnitentiis & remissionibus, lib. 6.* vbi dicitur, quod nulla consuetudine introduci potest, quod aliquis posset eligere confessorem præter licentiam superioris, tunc bene sequitur:

Digitized by Google

nulla consuetudine introduci potest, quod aliquis posset eligere confessorem, qui possit absoluere per liberam subiectionem: ergo quod iste alteri non possit, est de iure diuino, quia contra quodlibet ius purè humanum aliqua consuetudo introduci potest. patet per præscriptionē: imo magis statur consuetudini quando est contra ius purè positiuum, quod nihil habet de iure diuino vel naturę admixtum. Ex quo sequitur, quod in Papa est maior potestas administrandi sacramentum pœnitentiæ, quam in quocunq; alio, quia iure diuino. ergo quicunq; se subiicit liberè, absoluitur à Papa, & non à quocunq; alio. Ex quo sequitur secundò, quòd quicunq; confitetur alteri non curato, quem credit inuincibiliter esse suum curatum: licet absoluatur: propter ignorantiā, nihilò minus illa absolutio non est sacramentalis. Patet, ibi non est materia sacramenti pœnitentiæ, quæ requiritur iure diuino. scil. subiectio illa iuridica. sed in tali casu est tantummodò subiectio prima, quę non sufficit. igitur. Contra hanc opinionem sunt apparentiæ magnæ, quoniam secundū hanc opinionem sequitur, quòd Papa à nullo posset absolui sacramentaliter. Patet, quia nō est alicui subiectus nisi prima subiectione, scil. voluntaria, & non iuridica: quia Papa non habet superiorem præter Deum. ergo non est subiectus alicui ista secunda subiectione. ergo si requiritur ista duplex subiectio, Papa nō poterit sacramentaliter ab aliquo absolui. Item sacramentum pœnitentiæ institutum fuit Ioan. 20. *Quorum remiseritis*. in die resurrectionis serò cùm introiuit ianuis clausis, postea fuit dictum Petro, Ioan. 21. *Pasce oues meas*. Tunc arguitur sic. In illo tempore intermedio fuerunt plus quam octo dies intermedii, à tēpore institutionis sacramenti pœnitētiæ, antequam diceretur Petro, *Pasce oues meas*. In quo verbo fuit data illa subiectio iuridica. ergo simpliciter ex institutione diuina non requiritur ista secunda subiectio, sed solum prima. Quantum ad primum argumentum, sequitur quòd Papa à nullo &c. nego consequentiam: quia Papa est vel potest esse peccator, ergo potest obligari, vt confiteatur. ergo potest confiteri alicui sacerdoti: quia antequam confessio sit sacramentalis, requiritur duplex subiectio de necessitate. dicit Durandus in *quarto, distin*. 19. quòd est verū in omnibus aliis à Papa: dans talem causam, quod clauis ista, quæ vocatur potestas iurisdictionis in foro pœnitentiali, quantū est de se, est respectu omniū hominum & peccatorū. & est primum eius dictum, quod in institutione illa: *Quorum remiseritis*, nulla fuit facta exceptio. Dicit vltra quòd talis potestas clauis fuit facta Petro respectu aliorum à se, ita quod non est inclusus in illa, neq; successores eius, quia nec Petrus, nec eius successor potest seipsum absoluere. Igitur à quolibet sacerdote absolui potest. ideo in illo *potest* non requiritur talis secunda subiectio iuridica. secus est de aliis, qui non possunt absolui sacramentaliter, nisi sint subiecti ista duplici subiectione. Quantum ad secundum cum arguetur sacramentum pœnitentiæ fuit institutum antequam diceretur Petro: *Pasce oues*. ergo in illo tempore intermedio confiteri potuit: & tunc nulla erat subiectio secūda. ergo talis non requiritur antè, quā quis possit hoc sacramentum conferre, & alius recipere. Dico, quod consequentia non valet, hoc sacramentum erat institutum antequam &c. ergo poterat conferri ab aliquo puro homine. nam Christus instituit sacramentum Eucharistiæ, antequam essent instituti ministri & sacerdotes, ideo non sequitur, est institutū, ergo potest conferri ab aliquo puro homine: quia stat quòd nondū sit institutus minister illius sacramenti. Alia difficultas circa hanc materiam: & arguitur multum apparenter. In extrema necessitate quilibet sacerdos quemlibet absoluit sacramentaliter etiam à quocunq; peccato: & tamen non habet iuridicam authoritatem super personam illam, sed solum per liberam subiectionem. ergo illa iuridica authoritas non requiritur. Quātum ad hoc, dico quod habet authoritatem iuridicam ex commissione, quia authoritate ecclesiæ vel Papæ. Nā Papa quemlibet sacerdotem committere potest, vt quēlibet absoluere possit. Alia difficultas, quam tractat de Palude *in* 4. Sortes est in extrema necessitate vel in maximo periculo mortis. nullū habet sacerdotē præter sacerdotem excōmunicatum. Vtrum teneatur illi confiteri? Videtur quòd non: quia nō debet participare cum excōmicato, à fortiori nec cum illo in sacramentis. Similiter videtur, quòd talis sacerdos excōmunicatus non potest illum absoluere: quia sententia lata ab excōmunicato nulla est. Dicit de Palude, quod tenetur confiteri illi, & potest illum absoluere, quia illa necessitas æquiparatur ignorantiæ, ideo excusatur: & talis necessitas non habet legem. Nā participare cum excommunicato, qui ignoratur excōmunicatus, non est peccatum, in *cap. ad probandū*, *de sententia & re iudicata*. si est publicè excōmunicatus, sententia est nulla. ergo per argumentum à contrario sensu, si est secrete, sententia est bona. Item certū est, quòd teneor participare cū excōmunicato in necessitate corporali, ergo à fortiori in spirituali & animę: vt si non possum sacramentaliter ab alio absolui, teneor petere absolutionē ab excōmunicato. & dicit de Palude, quòd iste excōmunicatus non possit, est solū de iure positiuo: sed necessitas non subiicitur legi positiuę, quāuis semper subiiciatur diuinæ. cū ergo necessitas non est subiecta legi positiuæ: ergo potest contra rigorē iuris positiui, nō tamen contra intentionem, Ideo relinquitur satis probatum, quòd secundum hanc opinionē omnes sacerdotes sunt impares, quantum ad hanc secundam potestatem.

Alia difficultas. Vtrum omnes sacerdotes æquales in administratione sacramenti confirmationis? Dicit Armachanus & Marcilius, quòd omnes sunt æquales in collatione sacramentorū, & quilibet potest de facto, quamuis non possit de iure; sed opinio communior est, quòd solus episcopus est minister huius sacramenti confirmationis & ordinis patet, *de consuetudine: ca. quanto*.

Quarta propositio. Quantum ad hanc materiā non omnes sacerdotes sunt æquales, puta quantum ad ecclesiasticam potestatem iuridicam & publicam, quæ respicit forum exterius, ad quā spectat peccata punire, conferre beneficia, cōstitutiones ædere, excōmunicare, degradare, indulgētias confer-

conferre. Et quamuis ista propositio non possit ex sacris literis deduci, est tamen firmiter tenenda: ita quòd in vno est maior potestas, quàm in aliis. patet sic: quia opposito dato sequitur, quòd ordo Hierarchicus esset omnino inordinatus & confusus, quia quando vnus ligaret, esset in potestate alterius soluere. Item sequitur, quod nullus presbyter haberet potestatem super alterum quantum ad hanc potestatem coerctiuam, quia par in parem nullum habet imperiũ: vnde papa omnes potest punire, & nullus ipsum. ergo sequitur, quod ex institutione Christi, non omnes sunt omnino æquales. Item si episcopus attentet excommunicare non suum, talis non est excommunicatus. ergo non habet authoritatem diuinam à iure diuino. Item arguitur apparẽter: Christus fuit sapientissimus, quia plenus sapiẽtia, & quòd instituerit optimã politiam. sed optima politia debet regi regimine regali: vt dicit Aristoteles *in politicis*, hoc est, quòd sit vnus, qui in vnumquemq; habeat authoritatẽ punitiuam, & nullus alius in eum. ergo verisimile est, quòd in spiritualibus Christus instituerit superiorẽ, qui habeat quemlibet coercere, & nullum super eum. ideo vni, scilicet Petro & successoribus eius data est vniuersalis potestas constituendi canones, & cõferendi beneficia, dignitates ecclesiasticas, per totum vniuersum orbem: & nulli alteri. Ipse enim in vniuerso orbe habet prẽuentiones, & potestatem conferendi indulgentias plenarias in toto orbe, & nullus alter hoc facere potest. Hinc dicit Scotus, quòd papa potest aliquem authoritate à Christo sibi collata excommunicare maiori excommunicatione. & ratio sua est: quando est aliquis excommunicatus maiori excommunicatione, quilibet tenetur talem vitare. sed episcopus in diœcesi alterius non potest hoc prohibere, neque ligare maiori excommunicatione. ideo sequitur, quòd est maior potestas, secundum institutionem Christi in vno quàm in singulis: imò in vno est suprema, & in quibusdam aliis est solùm potestas inferior ad illam, quæ est suprema, & talis vocatur potestas papalis: & est libera facultas propinqua vtendi potestate ecclesiastica in quemlibet Christianum. Ideo resolutoriè dicendum est ad istam secundam quæstionem, quòd quantum ad iurisdictionem, quæ respicit forum exterius, quòd non est in singulis sacerdotibus æqualis, sed est vna suprema, scilicet in ipso papa, etiam ex institutione Christi, & non solùm humana.

An suprema potestas ecclesiastica possit duobus simul ex æquo conferri.

CAPITVLVM V.

CONsequenter videndum est, vtrùm ista suprema potestas, quæ est suprema in vno, possit duobus simul ex æquo conferri: ita quòd politia Christiana, quæ est regalis, possit commutari in aliam speciem, puta in aristocratiam vel democratiam: & hoc lege Euangelica stante: propter aliquam legitimam superuenientem causam. & videtur, quod sic. nam aliquando fuerunt duo, quorum quilibet erat papa ex æquo. vnde hic vnum, quod supponitur, verisimile est, quod Petrus vsque ad mortem exclusiuè fuit papa: sed simul cum eo ipso adhuc viuente fuit Clemens etiam papa, habens plenitudinẽ huiusmodi potestatis. ergo illa potestas aliquãdo fuit duobus cõmunicata ex æquo. maior est nota: quia Petrus habuit illã à Christo instituente ipsam. sed minor patet in *ca. Si Petrus*. 8. *q*. 1. dicitur, quod *Petrus Linum & Cletũ adiutores asciuit, dans normã Apostolicã: & potestatẽ ligandi non contulit Lino, sed tantum Clementi, qui beato Petro tradente sedem Apostolicam meruit obtinere*. habetur ex illo *ca.* quod talis potestas ligandi & soluendi Petro viuente fuit in Clemente. & hoc habetur in *historiis summorum pontificum*. quod Petrus fecit Clementem papam, & hoc ipso adhuc viuente. Item arguitur. possunt esse duo episcopi ex æquo in eodem episcopatu, similiter duo curati in eadem cura. ergo & duo papæ. consequentia tenet, quoniã papa nihil aliud est, quã curatus vniuersalis ecclesiæ. Probatur antecedens. Nam Augustinus accessit Valerio Hyponensi episcopo, & factus est coepiscopus. ergo tam Valerius, quàm Augustinus in solidum quilibet erat episcopus Hyponensis. ergo in vtroq; erat potestas illa ex æquo. Item possunt simul esse duo Imperatores, quorum quilibet est Imperator, ex *cap. Nunc autem* 21. *distin.* dicitur, *tempore Maximiani & Diocletiani Augustorum*, ex hoc verbo *Augustorum*, sequitur, quòd quilibet erat Augustus. ergo erant tunc duo Imperatores. Item supponitur, quòd omnis verus successor Petri habet eãdem vel tantam potestatem ex institutione Christi, quantam habuit Petrus. Itẽ tũc arguitur sic, si sit possibile duobus istam supremã potestatẽ communicari, vt Lino, & Cleto: quæritur, an Linus possit ligare Cletũ, vel non? Si sic: ergo Cletus non est papa, cùm habeat superiorem in spiritualibus, scilicet Linum. imò implicat, quòd papa habeat superiorem in spiritualibus, & potestate ecclesiastica, & sit papa. Si non, ergo ista propositio falsificatur de successore Petri, *Tibi dabo claues, & quodcunque ligaueris super terram* &c. quia non potest ligare illum. ergo non habet tantam potestatem quantam habuit Petrus ex institutione Christi. & non loquor de ligatione in foro interiori, sed exteriori coercitiuo. implicat, quòd papa iuridicè ab vno ligetur: (non dico à concilio) & si talis non potest ligare: ergo non est papa. nam Nicolaus de Cusa dicit, quòd *papalis potestas est libera super alios à se ligandi & soluendi facultas*. sed in isto casu Linus non esset papa, quia non posset ligare Cletũ. & sic videtur, quòd politia regalis Christiana non potest mutari in aliã speciẽ. & hoc quærit Ockam in *secunda parte dialogi, lib.* 2. *cap. à vicesimo vsque ad vicesimum Octauum*.

Pro veritate elucidenda termini prius declarãdi sunt. nam *politia regalis* nõ est nisi politia, in quã quidem vnicus rectè dominatur ad vtilitatem totius communitatis. *Aristocratica* est, quando pauci dominantur ad vtilitatem communem. *Democratica* quãdo valde multi dominantur ad vtilitatem

Digitized by Google

communem.hoc declarat Aristo.8.*Ethy.c.*10.dicens,quod triplices sunt reipublicę species,& totidem transgressiones,scilicet regnum,optimorũ potestas,& tertia censu potestas.& inter has summa & optima est regnum infima autem censu potestas:& media est potestas optimorum. & species oppositæ siue transgressiones sunt,regni transgressio,tyrannis:optimatũ potestatis, paucorum potentia:& censu potestatis, popularis potestas. Vltrà supponitur, quod nulla est politia purè ciuilis, & nulla est regalis,quin possit mutari in aliam speciem,puta Democraticam vel Aristocraticam: quia quælibet talis est instituta iure purè positiuo.ergo quælibet potest in aliam mutari. Istis suppositis sit prima propositio.In nullo est suprema potestas spiritualis,quin ipso viuente alteri conferri possit.patet, nullus habet istam plenitudinem potestatis, quin possit liberè cedere adueniente legitima causa, quo facto alteri poterit conferri. maior patet per *capit. Quoniam, libro 6. de renunciatione.* Similiter habetur de Marcellino,qui cessit Marcello. Similiter de Clemente,qui cessit Lino. ergo nullus habet plenitudinem huius potestatis,quin simpliciter cedere possit, sicut dicitur in illo *capit.præallegato*.Quia difficultas erat,vtrum papa possit papatui cedere, hoc est renunciare illi potestati, quam nunc habet. Dominus de Gersono, allegat tres rationes pro vna parte.sed Glossa illius *cap.* dicit, quòd non, quia omnis renunciatio debet fieri in manibus superiorum.sed papa non habet superiorem.igitur.Rationes Gerson & valentiores sunt istæ.notum est, quod quando papa consentit electioni,facit votum de regenda vniuersali ecclesia, sicut monachus de obseruanda regula. tunc sic, nullus potest dispensari à voto,nisi à superiore: sed papa nullum habet superiorem, à quo possit dispensari super tali voto emisso de regenda ecclesia,nec potest in melius commutari. ergo non potest cedere papatui.Secunda ratio,quia est verum matrimonium spirituale, inter papam & ecclesiam, sed sicut in matrimonio carnali non fit solutio nisi causa fornicationis, ergo similiter nisi papa fuerit hæreticus,non poterit cedere à potestate illa.tamẽ non obstantibus illis rationibus fuit conclusum, quòd papa potest cedere & renunciare:inducti exemplo illo sanctorũ,qui ita cesserunt.Contrà,non fit renunciatio nisi in manibus superiorũ. Dico,quòd verum est si talis habeat superiorem.Ad aliud, papa emittit votum. sed quilibet tenetur obseruare votum nisi dispensetur ab isto habente authoritatem hoc faciendi. sed nullus est,qui hoc possit facere. igitur. Dicit Gerson, quòd quando votum vel emissio & obseruatio voti vergit in detrimentum salutis,vel in peiorem exitum, puta in periculum mortis corporalis,non est obseruandum: vt si vouerem toto isto anno manere in hoc loco,& vigeret pestis,nõ tenerer illud obseruare.vide in *cap. de iureiurando*.sed quando potest haberi superior recurrendum est ad illum,vt declaret illud votum non obligare. ideo quando tale votum papæ vergit in peiorem exitum salutis, non amplius obligatur per illud. sed vbi est sufficiens,non debet cedere nisi sit alius,qui valde notabiliter sit sufficientior. Quantum ad tertium dicitur,quòd aliud est matrimonium corporale, & spirituale. nam matrimonium corporale denotat matrimonium inter Christum & ecclesiam præsentialiter, sed non significat ita præsentialiter matrimoniũ inter papam & ecclesiam:quod non est ita indissolubile sicut corporale. Resolutio ergo est, quòd papa potest alteri cedere talem potestatem supremam.

Secunda propositio. Nõ potest duobus ex æquo ista potestas spiritualis stante lege Euangelica conferri:ita,quòd quilibet habeat plenam,hoc est,quòd ipsa remanente in ipso,alicui alteri conferatur.Ista propositio ponitur in Gloss.*7.q.1.in c.Non autem*.nam ista duo nõ stant,quòd in isto remaneat plenitudo huius potestatis,& alteri conferatur.& ponatur,quòd sint duo,scilicet a,& b,habentes talẽ plenitudinẽ potestatis spiritualis ex æquo.tunc vel a,potest ligare b,vel non? Si non,& prius potuit,ergo diminuitur eius potestas.Si primum, videlicet, quòd possit ipsum ligare:ergo b, nõ habet istam supremã potestatem. Glossa allegat multas rationes.Prima est,quòd ecclesia Catholica est vna.patet,habetur in vno articulo,*Credo in vnam sanctam ecclesiã*.& non est vna.nisi vnitate capitis.& cõtra illum articulum non potest fieri dispensatio.ergo nõ potest talis potestas simul duobus cõferri. Secunda ratio.Christus instituit vnicum caput ecclesiæ: & non potest ecclesia contra institutionem Christi; igitur.Itẽ tertia ratio apparẽtior,Ecclesia est vnũ corpus mysticũ,cuius papa est caput.ergo si essent duo ex æquo, tunc illud corpus haberet duo capita non subordinata.ergo esset corpus monstruosum, quamuis habeat duo capita vnũ alteri subordinatum, scilicet papam,qui Christo vero & principali capiti ecclesiæ subordinatur.cõsequens est falsum ergo secunda propositio vera.ad rationes in oppositũ de Petro & Clemente secundũ historias, cùm dicitur quòd Petrus instituit Clementem papã:dico quantũ ad hoc, quòd nõ est euidens ex sacris literis quòd Petrus semper fuerit papa vsq; ad mortẽ.fortasse videns Petrus,quòd erat propinquus morti,& quòd non posset ecclesia nec fideles ipso mortuo facilè congregari pro eligendo successore,voluit vtilitati ecclesiæ consulere,& cessit.vnde dicit Ockam,quod non regulariter papa potest instituere successorem, sed solùm in casu,puta, quando sequitur magna vtilitas ecclesiæ,& periculum est in mora, tunc potest cedere,& alterum constituere. Secundò dicit, quòd in illo *cap. præallegato* non habetur, quod Petrus instituerit Clementem papam,sed solum, quod dederit illi potestatem signandi, & soluendi, sicut vicario, sed tamen dependenter, sicut episcopus potest instituere vicarium, & tantum operari quantum ad hoc quod est ligare,& soluere,sicut proprius episcopus,sicut sunt episcopi suffraganei, sed tamẽ dependenter:quia poterit retrahere quando voluerit.Dico etiã.quòd Petrus instituit Clementem vicarium,sed tunc est difficile saluare quomodo Clemẽs successerit papatui,nisi fuerit electus post mortem Petri. Quantũ ad secundũ argumentũ,stat in eodẽ episcopatu esse, ex æquo duos episcopos,vt patet de Augustino,& Valerio:in *cap.Non autem*.gl. dicit quod Augustinus nõ erat adeò pri-

eò pri-

eò principalis episcopus, vt Valerius, sed Valerius retento titulo administrationem dedit Augustino tanquam idoneo ac suffraganeo, retenta tamen dignitate episcopali. Veruntamē dato, quod possint esse duo episcopi ex æquo, tamen non sequitur quod duo summi pontifices. & ratio est. nam quod in episcopatu Hyponensi vel alio sint duo episcopi, hoc nō est ex institutione diuina & Christi, sed humana. sed quod sit aliquis, qui habeat regere totam Christianitatem, est ex institutione Christi, & q̃ aliquis regat hunc episcopatum, est ex institutionē humana; ideo potest committi duobus ex æquo. alia verò, quę est ex institutione Christi, non potest, neq; aliquis potest contra talem cōstitutionē, quod ex ęquo duobus conferatur. ideo consequentia non valuit, videlicet possunt esse duo episcopi in vno episcopatu: ergo & duo summi pontifices. Ad secundum cùm dicitur, possunt esse duo Imperatores ex æquo, transeat. nam imperium non est dominiū à iure diuino introductū, sed solum à iure positiuo. ideo dominium regale potest mutari in aristocraticum vel democraticū. sed ipsa potestas papalis suprema in spiritualibus est potestas ex iure diuino introducta, à Christo immediatè instituta. ideo non potest mutari in aliud genus dominii aliud ab illo, quod Christus instituit. Habetur ergo resolutoriè, quod plenitudo illius potestatis in aliquo existens, non potest ex æquo alteri conferri: ita, quod quilibet eorū seorsum habeat illā. Similiter non potest aliquibus conferri ita, quod nullus eorum seorsum habeat, sed quod illi copulatim habeant, secluso concilio generali. nam concilium, id est, illi de concilio simul iuncti, possunt facere ea, quæ sunt iurisdictionis; & nullus eorū seorsum nisi ex cōmissione plurium, sicut in aristocratico dominio vel democratico. Similiter dico; quod ista plenitudo potestatis non potest esse in pluribus: ita, quod nullus seorsum habeat. quod si hoc posset fieri, ponatur inesse, videlicet quod duo habeant illam, & nullus seorsum sine alio quantum ad exercitium: & sint Linus & Cletus. iam quæritur: vel Linus est verus papa, vel non? Si non, ergo Linus potest excommunicari. quæritur ergo à quo feretur sententia excōmunicationis super Linum? non à solo Cleto, quia non solus habet illam potestatem: quia Linus habet etiam illam: & non consentiet, quia non potest Linus nec participaliter nec totaliter ferre sententiā super seipsum. Similiter dicendum est è diuerso, quod Linus non posset excōmunicare Cletum. Ergo videtur mihi, quod hoc repugnet, videlicet quod aliquibus duobus copulatim conferatur, ita quod nullus eorū seorsum habeat illam, sed illi simul iuncti. Igitur soli vni potest conferri, & talis potest pro rationabili causa cedere, sed ipso cedente necesse est, quod vnico supposito conferatur.

An suprema duæ potestates, scilicet ecclesiastica & laica, in eadem persona concurrant.

CAPITVLVM VI.

VIsum est in præcedentibus, quid potestas suprema ecclesiastica, quomodo illa non potest duobus ex æquo conferri; sed de necessitate ex institutione diuina residet in vnico supposito: non tamen quin aliquando possit stare in nullo supposito, vt quando papa est mortuus. sed si ipsa sit, oportet de necessitate, quod sit in aliquo determinato, & non in duobus. Quæritur nunc, vtrum ista suprema potestas spiritualis, & suprema potestas laicalis in eadem persona concurrant.

Circa hanc quæstionem ponuntur tres opiniones: sed antequam accedamus ad illas, primò notandum est ex Ioanne de Parisiis 7. *capit. sui tractatus*, quod ista duo differunt, scilicet habere dominium seu proprietatem in rebus temporalibus, & habere iurisdictionem in ipsis. nam habere dominium proprietatis, in aliquibus rebus temporalibus nihil aliud est, quàm habere facultatem propinquam vtendi, disponendi, alienandi, retinendi illas res pro libito: sicut habet vnusquisque laicus in rebus, quas labore proprio aut successione acquisiuit sibi, & hoc regulariter. sed habere potestatē iurisdictionis est habere facultem propinquam dicendi ius, & sententiandi, quid iustum, aut quid iniustū, & authoritatiuè sentētiandi quæ res ad vnū, & quę ad aliū spectet. vnde in rebus meis habeo potestatem dominii, sed nō potestatem iurisdictionis, sed ipse princeps, vt substitutus à principe. nā certum est, quod potest perturbari pax, & respublica per hoc, quod alius vsurpat alienū, vel per hoc, quod aliquis nimis amat, quæ sua sunt, & vult pro vtilitate reipublicæ cōmunicare. hinc est quod à populo cōstitutus est princeps, qui habet authoritatiuè sententiare, quid huius vel illius, & quod faciendū pro reipublicæ vtilitate, & tuitione ipsius aliquid exigere. Ex isto infero correlario. Primùm; quod tria sunt de integritate potestatis iurisdictionis in rebus tēporalibus. primùm, est potestas, seu facultas propinqua (quod idem est) authoritatiuè sententiandi, quid ad vnum spectet, vel quid alterum. & hinc orta disputatione inter duos dicentes, hoc est meum, hoc est tuū: recurritur ad principē vt rectè sententiet. Secundum, est potestas iniuriantem alterum pœnis condignis ad eius peccatum afficiendi. Tertium, est potestas ab vnoquoque secundum debitam proportionem tributa & vectigalia exigendi. hinc est quod in principibus est potestas imponendi pædagia & tributa. Secundum correlarium. Ista duo simul stant: iste habet potestatem supremam iurisdictionis, & iste est pauperrimus quantum ad potestatem dominii aut proprietatis in rebus temporalibus. patet, si esset aliqua communitas, in qua esset vnus pauper abundans sapientia, post illa communitas illum constituere eorum principem. tunc arguitur sic: Ex ista electione, iste habet potestatem iurisdictionis; hoc est sententiandi, quid vnius, & quid alterius, exigendi ab eis, & eos pœnis condignis afficiendi: & talis est pauperrimus. ergo correlariū secundū verum. Tertiū correlariū est, quod talis ex iure

Digitized by Google

naturali habet ius ab vno quoq; exigendi, secundū debitam propositionē ad condecentiam sui status.patet,si seminet inter eos ius,debet eorum temporalia secundū decentiam sui status metere. ergo iure naturali tales illi obligantur. Quartum correlarium. Quamuis habeat potestatem etiam in homines,illi tamen non sunt eius serui,sed manent liberi. Vnde Aristoteles dicit, quod rex est, qui dominatur aliquibus tanquam liberis,sed despotes est ille, qui dominatur aliquibus tanquam seruis.& talem ponit differentiam Aristoteles inter despotem & regem. Vnde de ratione regalis dominii est,quod rex dominetur aliquibus tanquam liberis.& de ratione despotis,quod dominetur aliquibus tanquam seruis. Primum correlarium.Multum refert de Christo quærere, an habuerit potestatem dominii in singulis rebus temporalibus,vel an habuerit potestatem iurisdictionis in singulis rebus temporalibus.patet,quia multum differunt habere potestatem dominii,aut iurisdictionis. Vltimum correlarium prohabile. Non repugnat fratri minori habere supremam potestatem iurisdictionis in rebus temporalibus, quamuis ei repugnet habere supremam potestatem dominii aut proprietatis in ipsis.prima pars probatur,& apparenter. nam si aliquis frater minor eligatur in papam,habet potestatē dicendi ius in illis rebus temporalibus aut terris, quæ immediate quò ad temporalia subduntur iurisdictioni papæ.hoc est, habet potestatem & authoritatem sententiandi duobus altercantibus de re,hoc tuum,& non illius. & hoc est habere potestatem iurisdictionis in temporalibus.ergo non repugnat professus habere potestatem iurisdictionis in temporalibus. Quòd autem repugnet ipsis habere dominium,patet ex voto. Istis suppositis sit prima proposito. Summus pontifex vel ille,qui habet supremam potestatem in spiritualibus,non habet in singulis hominibus, & singulis rebus temporalibus supremam potestatem dominii seu proprietatis (quod idem est) ex institutione diuina.patet sic.lex Christiana ex institutione diuina est lex maximæ libertatis in ordine ad legem Mosaicam,quæ dicebatur lex seruitutis in ordine ad nouam.sed si summus pontifex haberet supremam potestatem dominii in singulis rebus, esset lex intolerabilis; & nullo modo libertatis. patet, quia quilibet esset seruus pontificis, & posset de rebus cuiuscunque disponere ad libitum, & ipsis inuitis res suas in dominium alterius transferre. sed hoc esset intolerabilis seruitutis. ergo ex institutione diuina non habet supremam potestatem dominii in singulis hominibus & rebus ipsorum.imò dicere oppositum, vt dicit Ockam,est multum hæreticale & perniciosum:quia aliqui voluerunt dicere, quod erat Dominus quantum ad proprietatem rerum , & poterat disponere de ipsis dummodò non esset contra legē diuinam vel naturalem.sed hoc sapit hæresim. Quantum ad id,quod tactum est in probatione huius propositionis, notandum quòd lex Christiana est lex supremæ libertatis præcipuè in ordine ad veterem legem. patet Iacobi primo capite: *Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis*.& ad Gal. 4. *sumus filii libera & non ancillæ*, vbi comparat legem nouam ad veterem &c.

Secunda propositio,in qua iacet difficultas totius materiæ, quæ est de intentione ipsius Ockā, est:quòd summus pontifex ex institutione Christi non habet supremam potestatem iurisdictionis in rebus temporalibus.patet:ille,qui possidet res temporales iure alterius puri etiam hominis,non habet in illis supremam potestatem iurisdictionis:imò alter,cuius iure possidet, habet maiorem potestatem in illis.sed summus pontifex est huiusmodi:ergo.patet minor ex Augustino,& ponitur in *cap. Quo iure, Octaua distinctione*.Dicitur:*Quo iure defendis villas ecclesiæ?* loquitur de temporalitate,& vocat ius humanum ciuile.ideo quærit,quo iure, an diuino,vel humano.statim probat quòd non iure diuino: quia *Domini est terra*.ergo *iure Imperatoris dicitur, hac villa est mea : hac est tua*.ergo sequitur manifestè quòd iure Imperatoris dicitur,hæc villa vel hic seruus dicitur esse ecclesiæ. ergo iure alterius papa possidet terras ecclesiæ.Item ille non habet supremam potestatem iurisdictionis in rebus temporalibus,qui per cursum rerum temporalium habet alterius legibus vti. sed papa est huiusmodi.igitur.maior est nota:quia iste,cuius legibus vtitur, habet maiorem potestatē & proprietatē minor patet in *c. cùm ad verum, dist.86*. vbi ponuntur duæ dignitates distinctæ, & vnaquæque indiget altera.Item tertiò,ille non habet supremam potestatē (loquor ex iure diuino) contra quem in temporalibus potest fieri præscriptio:quia in iis,quæ debentur iure diuino, non potest fieri præscriptio. sed contra papā in temporalibus potest fieri præscriptio. igitur. Nota quòd nunquā potest fieri præscriptio contra ius diuinum. hinc est quòd nunquam potest fieri præscriptio de obedientia, quæ debetur papæ &c.sed contra res temporales papæ saltem centum annorum potest fieri præscriptio. Et istæ sunt rationes satis apparentes, quòd summus pontifex non habet supremam iurisdictionem in rebus temporalibus,& hoc potest probari per authoritates scripturæ.nam habetur Matth.20. *Principes gentium dominantur eorum:vos autem non sic*:dicebat Christus Apostolis. Similiter videtur quòd Christus non habuerit hanc potestatem : quia duobus litigantibus respondit: *Quis me constituit diuisorem inter vos?*

Tertia propositio,quę magis de mēte doctoris est, quam opposita, & ponitur contra opinionē priùs tactam,quòd istę duæ potestates ex natura rei nō ita repugnant,quin in eodē supposito possint inueniri.patet multipliciter.nam ad habendam iurisdictionem supremam in temporalibus,satis est habere prudentiam de rebus temporalibus,per quam iudicandum est,quid agendū,vel non agendū in illis,& iustitiam,per quam possit aliquis sententiare quid vnius, & quid alterius. sed ista duo non repugnant illis,quæ requiruntur ad potestatē in spiritualibus.igitur. Item probatur secundò, vt dicit Durandus *de origine iurisdictionis*.nam in Mose erat suprema potestas iurisdictionis in temporalibus:quia ad ipsum erat recursus pro iustitia habenda.sed in ipso eodem fuit suprema potestas in spirituali-

Digitized by Google

ritualibus.maior est ex *Pentateucho Mosi*,sed minor probatur. nam Moses consecrauit Aaron in presbyterum. ergo erat superior. Similiter ipse Moses obtulit sacrificium Domino: ergo in ipso erat suprema potestas tam spiritualis,quàm laicalis.Similiter Machabæi habuerunt supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus,& erant sacerdotes. Igitur suprema potestas & vtraque tam in spiritualibus,quam in temporalibus non repugnat eidem supposito. Similiter matrimonium ex natura rei non repugnat in spiritualibus.Item habens ducatum, qui efficitur episcopus, non perdit iurisdictionem,quam priùs habuit.ergo si aliqua potestas particularis in spiritualibus, & temporalibus nõ repugnat,eidem nec suprema. Resolutio huius est:Papa non habet supremam potestatem dominii aut proprietatis in hominibus aut rebus eorum. Item non habet supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus. Et tertiò habetur, quod istæ duæ supremę potestates ex natura rei non repugnant:ita quod non implicat contradictionem eas eidem supposito conuenire.

De suprema potestate laicali, an iure diuino sit annexa spirituali.

CAPITVLVM VII.

QVæritur consequenter circa secundum capit. quod ponit Ockam in *prima quæstione*: Vtrum suprema potestas laicalis ex iure diuino, & ex institutione Christi sit annexa supremæ potestati spirituali? In isto *septimo capit.* allegatur opinio contraria secundæ propositioni priùs positæ. vnde opinio prima fuit, quod ex natura rei istæ duæ potestates sunt ita distinctæ, quod eidem supposito competere possunt. Secunda opinio, quod de facto cadunt in eundem hominem, scilicet in summũ pontificẽ,non ad istum sensum,quod summus pontifex sit laicus, sed ad istum sensum, quod super res temporales,& homines tanta vti potest potestate, quanta quicunque alius etiam Imperator vel rex.& vltra addunt aliqui de ista opinione, quod papa habet tantam potestatem in rebus temporalibus,& spiritualibus, quòd quicquid attentet facere circa illas, dummodò non repugnet iuri naturali, vel diuino: quamuis repugnet iuri ciuili vel canonico, ipsum factum tenet,quamuis ipse peccet faciendo,vtputa si tentet transferre rem meam in dominiũ alterius: quamuis peccet hoc faciendo,tamen ipsum factum tenet.Similiter si tentet me obligare ad aliquid faciendum, quod non repugnet directè iuri naturali vel diuino,quod sim obligatus,quamuis peccet me obligando. Et vt dicit Gerson,ista fuit opinio adulatorum papæ,& fundamentum huius opinionis; videlicet quòd suprema potestas laicalis residet in summo pontifice,habetur vt dicunt, ex multis authoribus scripturæ,etiam ex institutione Christi.primò probatur. ille, qui habet potestatem ligandi quemcunq; si tentet aliquem ligare,de facto est ligatus.sed summus pontifex habet potestatem vnumquemque ligandi & soluendi.ergo.Patet,minor.dictum est Petro pro se & successoribus suis: *Quemcunque ligaueris* &c.Similiter, *Tibi dabo claues regni cælorum*. in istis verbis fuit facta promissio summo pontifici.ergo aliquando Christus illam promissionẽ impleuit,& nihil excepit dicens, *quodcunque* &c. Hoc argumento vtitur Innocentius in *cap.solita,de maioritate & obedientia*; volens ostendere potestatem ecclesiasticam maiorem laicali. Item arguitur:ille, qui à Christo constitutus est super reges & regna; habet supremã potestatem in temporalibus. sed papa ex ordinatione diuina sic constitutus est: ergo habet supremam potestatem in temporalibus. consequentia certa est.sed minor patet: nam dictum est Hieremiæ, qui non erat supremus sacerdos: *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum. & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes,& regna vt euellas & plantes*: Hieremiæ primo.ergo à fortiori illi,qui erat supremus sacerdos.Item tertio;ille,qui habet in temporalibus,& secularibus iudicare, & nullus alius super ipsum, habet supremam potestatem in secularibus,& temporalibus.sed summus pontifex est huiusmodi.Patet 1.ad Corinth.6.dicit Paulus, *Angelos iudicabimus: quantò magis secularia*? Ergo summus pontifex ex institutione Christi habet secularia iudicare. Quarto arguitur; Christus habuit supremam potestatem in temporalibus: sed sic est, quod omnis potestas, quam habuit Christus,collata fuit Petro suo vicario & successoribus:aliàs nõ fuisset plenè vicarius Christi,Patet maior.dicit enim ipse Christus; *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*.ergo habuit supremam potestatem in quibuscunque temporalibus. vnde misit dæmones in porcos,& submersi sunt: *Marci.5.*& maledixit ficulneæ,& arida facta est. ergo si non habuisset potestatem in illis,damnificasset proximum.ergo habuit supremam in temporalibus; & per consequens successores eius.sed de hoc postea videbitur.

Consequenter Ockam allegat tertiam opinionem in *tertio capit.* cuius principium est tale; *Alia est opinio quodammodo media*,& in illo *tertio capit.* allegat primum dictum huius secundæ opinionis, quod *istæ duæ potestates non ita repugnant ex natura rei, quòd eidem non possint conuenire de facto*. Secundum dictum; *Non cadunt de lege in eundem ex institutione diuina.* primum dictum probat cum tertia propositione suprà posita in *sexto capit.* aliquibus rationibus ipse Ockam. Prima, suprema potestas laicalis non repugnat ordini: ergo neque supremæ potestati in spiritualibus. Patet antecedens,aliqua potestas in temporalibus,quæ non sit suprema,non repugnat ordini. ergo nec suprema; quia non videtur maior ratio de vno,quàm de alio. Assumptũ patet,si vnus comes vel dux efficiatur episcopus vel sacerdos,remanet dux. ergo habet potestatem iurisdictionis, quia de ratione comitis vel regiæ potestatis hoc habet. Similiter sunt multi episcopi, duces, vt sunt illi, qui dicuntur Pares in Francia, ergo habent potestatem iurisdictionis. imò non repugnat fratri minori. ergo nullo modo repugnat supremæ potestati in spiritualibus. Sed quantum ad secundam partem

Digitized by Google

puta quod de lege non cadant in eundem hominem, imò ex ordinatione diuina non debent cadere, quamuis eis non repugnet ex natura sua, patet: ille, qui habet supremam potestatem in temporalibus, debet se temporalibus implicare. qui verò habet supremam in spiritualibus, minimè debet se implicare negotiis secularibus. ergo illæ duæ potestates non debent cadere in eundem hominem. Maior pro prima parte patet: quia ille est finis suæ potestatis, scilicet mutuā pacem conseruare. ergo debet illis se implicare. Alia pars patet. *Nemo militans Deo debet se negotiis secularibus implicare:* secundæ ad Timoth. 2. Similiter Petrus in canonica ait, *Non sis fideiussor* &c. Vide alias authoritates ad hoc propositum, quas citat ipse Ockam, *cap*. 4.

Secundo ad idē arguitur, illæ duæ potestates, quæ diuersis actibus & dignitatibus sunt à Christo institutæ, non debēt eidem personæ competere, sed illæ duæ supremæ potestates sunt huiusmodi. Patet, 86. *di. c. Cum ad verum.* dicitur, quod sicut Imperator non debet sibi assumere summū pontificis honorē, ita nec summus pontifex Imperatoris honorem. Ratio, quia Christus illa distinxit distinctis actibus, & distinctis personis cōpetere voluit. Item qui habet supremam potestatē in temporalibus, debet vel potest sanguinem fundere vel iubere, quod sanguis humanus fundatur à ministris suis pro iustitia seruanda, vnumquemq; plectendo pro peccatis. sed hoc non licet illi, qui habet supremam in spiritualibus, licet in vniuersali possit inuenire maleficos esse puniendos: sed non in particulari, scilicet accusando vel condemnando. ergo illa suprema potestates in temporalibus, nō debet conuenire illi, qui habet supremam in spiritualibus. & istæ sunt rationes apparentiores, quas latius in *c*. 4. ipsius Ockam videbis, si vis.

Capitvlvm VIII.

An Christus habuerit supremam potestatem temporalibus.

Visis tribus opinionibus, quarū prima fuit, quod suprema potestas spiritualis, & suprema laicalis, ex natura rei ita distinguntur, quod in eandem cadere non possunt personā: secunda, quod concurrunt in eandem personā, & tertia quod non distinguntur ita ex natura rei, quin possint in eandē concurrere personā, verumtamē non concurrunt nec debent: his positis doctor pręcipuè nititur impugnare secundam opinionem, in qua iacet tota difficultas. Vnum motiuum secūdæ opinionis fuit, quòd qui habet supremam in spiritualibus, est vicarius Christi. sed Christus habuit supremā in temporalibus, quemadmodū & in spiritualibus: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* ergo qui habet supremam potestatem in spiritualibus, habet etiam in temporalibus. sed papa habet supremam potestatem in spiritualibus, cum sit verus Christi: ergo habet etiam supremam in vtraq;, & sic habet supremam in temporalibus. Occasione huius rationis talis mouetur difficultas: Vtrum Christus habueris supremam dominium in quibuscunque rebus temporalibus? Supponitur primò ex præhabitis, quod aliud est quærere, an Christus habuerit in singulis rebus temporalibus proprietatem, vel an habuerit potestatē iurisdictionis. Secundò supponitur, quòd quando quæritur, an Christus habuerit supremam iurisdictionem, quòd dupliciter hoc intelligi potest: vel secundum dignitatem, vel secundum humanitatem, & quæritur de vtroque. Secundum dignitatem non est difficultas: quia *Domini est terra & plenitudo eius:* Psalm. 23. Ideo secundum diuinitatem habet potestatem vnamquanq; rem in dominium alterius transferre ad libitum eius: sicut patet de vasis argenteis Ægyptiorū, & de terra promissionis, quæ transtulit in filios Israel. Ideo secundum diuinitatem habet proprietatem rei, & potestatem iurisdictionis. Solùm ergo restat difficultas, an secundum humanitatem. Et supponitur tertiò, quod aliud est quærere de Christo secundum humanitatem, vtrum habuerit in singulis rebus temporalibus proprietatem, & potestatem iurisdictionis iure hæreditario matris vel patris putatiui: vel vtrum habuerit aliquo ab priuilegio sibi à Deo collato, puta quod Deus trāstulerit ei, quò ad humanitatem, verum dominium cunctarum rerum, & potestatē iurisdictionis. Quartò supponitur, quod aliud est quærere de Christo existente in mortali vita, vel post resurrectionē. Istis suppositis non quæritur, vtrum Christus habuerit in temporalibus proprietatem, aut potestatem, iurisdictionem secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem. & in isto sensu dupliciter intelligitur, vel vtrum iure hæreditario tanquam verus hæres Mariæ, vel vtrum habuerit, quia diuinitas in eum transtulit.

Pro solutione huius quæstionis, sit prima propositio. Christus secundum humanitatem habuit proprietatē in aliquibus rebus temporalibus iure hęreditario. Patet sic. Notissimū est, quod Ioseph pater Christi putatiuus, cuiur Christus erat verus hęres legalis & successor, habuit dominium in aliqua re. & verisimile est, imò tenetur communiter, quod Ioseph mortuus est antè, quam Christus pateretur. Similiter virgo Maria, cuius secundum humanitatē fuit verus hæres, habuit proprietatem in aliquibus rebus. ergo cùm Christus fuerit verus hæres ipsorum, verisimile est quod habuit dominiū proprietatis in aliqua re cuius erant proprietarii. ergo Christus iure hæreditario non solùm potestatem iurisdictionis, sed etiam habuit proprietatē in aliquibus rebus. imò malè sonare videtur, quod Christus fuerit mendicus: quandoquidem dicitur verè mendicus, qui solo titulo indigentiæ petit aliquid. verè & realiter talis dicitur mendicus, & notum est quod quāuis Christus non habuisset proprietatē in aliquibus rebus, habuisset tamen ius petendi, quia seminabat & docebat: ergo nō solùm titulo indigentiæ petebat: ergo non fuit verè mendicus, sicut rex administrans iustitiā subditis & cōmunitati, petens & exigens ab illis pro manutenentia sui status, non est mendicus, quia nō titulo indigentiæ petit, sed administrationis. sic de beneficiatis potest dici. Patet igitur, quod Christus non fuit mendicus, sed habuit non solùm aliquarum rerum vsum: verumetiam proprietatē in illis rebus.

Sed difficultas eſt, an habuerit in regno Iſrael veram proprietatem, hoc eſt, an habuerit poteſtatem iuriſdictionis iure hæreditario in regno Iſrael, præcipue in regno Iudæ. Primo non eſt difficultas de toto vniuerſo quod non habuit ſupremam poteſtatem iuriſdictionis, in toto vniuerſo iure hæreditario. Patet, nullus parentum eius fuit verus monarcha totius mundi, nec Dauid, nec Salomon; igitur. Sed difficultas eſt, vtrum habuerit in regno Iuda veram poteſtatem iuriſdictionis iure hæreditario, ita quod fuerit verus rex Iuda non ſolum priuilegio conceſſo à Deo. Reſpondet Armachanus in *in 4.cap.16.* quod Chriſtus fuit verus Rex Iuda ſecundum humanitatem iure hæreditario: & quamuis hoc non poſſit euidenter probari, tamen aſſumit id, quod habetur Num. 27. quod *ſi in aliqua domo non ſit maſculus, filia eſt hæres bonorum paternorum & maternorum*: & ſic nō erat ità in Regno Iudæ & Franciæ. Vltra ſupponit vnum quod verum eſt, ſcilicet quod ipſa virgo Maria realiter deſcēdit ex Dauid, & non ſolum Ioſeph. Patet, ſi non deſcendiſſet virgo ex Dauid, Chriſtus non deberet vocari in ſcripturis ſemen & filius Dauid, quia non eſt realiter filius Ioſeph, ſed virginis. ergo ſi virgo non realiter deſcendiſſet ex Dauid, non fuiſſet filius Dauid, neque ſemen eius. Sed quandocunque in lege antiqua non erat maſculus, filia ſuccedebat. ergo viro ceſſante in domo Dauid, ad virginē deuoluebatur ſucceſſio, & ſic virgo Maria habuit verum ius hæreditariū in regno Iuda: & ex conſequēti Chriſtus filius eius. Quantum ad hoc, vtrum iure hæreditario ſpectaret verum regnū Iudę ipſi Chriſto: apparet mihi, quod non pertinet ad eum regnum Iudæ ſecundum humanitatem. Et ratio, quæ me mouet contra Armachanum, eſt, quia vt notum eſt, Machabæi verè & realiter dominati ſunt in regno Iuda, & non erant tyranni. ergo realiter habebant poteſtatem iuriſdictionis in regno Iudæ & tamen ipſi Machabæi erant de genere Leui. & ſi deſcendebant ex domo Dauid, hoc erat per matres & fœminas, quia erant ſacerdotes. ergo de domo Leui. & ſic longo tempore antequam virgo Maria naſceretur, erat ablata poteſtas à domo Dauid, ergo ipſa virgo Maria non habuit poteſtatem iuriſdictionis in regno Iudæ. ergo credendum eſt, quod Chriſtus non habuit poteſtatem in illo ſecundum humanitatem. Reſolutio, ergo quantum ad tria puncta eſt. Primum, certiſſimum eſt, quod Chriſtus iure hæreditario habuit proprietatem in aliquibus rebus. Secundum punctum, quod eſt ambiguum, Chriſtus iure hæreditario nō habuit poteſtatem in regno Iudæ. Tertium, quod eſt certiſſimum, Chriſtus iure hæredirario ſecundum humanitatem non habuit poteſtatem iuriſdictionis in vniuerſo orbe, ſiue in ſingulis rebus, cum nec Dauid, nec aliquis eorum, à quibus deſcendit, illā habuerit: ergo nec ipſe Chriſtus. Reſtat modo difficultas inter doctores, cum Chriſtus non fuerit verus monarcha iure hæreditario, an fuerit per priuilegium ſibi collatum à Deo verus monarcha. Aliqui dixerunt quod Chriſtus non habuit illam poteſtatem iuriſdictionis eo tempore, quo viuebat in carne ſecundum humanitatem. Rationes habet multum apparentes. Primò, habetur Lucæ 12. quod venit aliquis ad Chriſtum dicens ei, *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei, Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* q. d. nullus. Tunc ex illo arguitur ſic, Chriſtus non habuit poteſtatem diuidendi hæreditatem inter illos duos fratres. ergo non habuit ſupremam poteſtatem iuriſdictionis in temporalibus. Et hoc argumentum eſt multum apparent. Nam quicunq; habuit ſupremam poteſtatem iuriſdictionis in temporalibus, habuit poteſtatem diuidēdi & dicendi ius, puta, quid iuſtum, & quid iniuſtum in quacunq; re tēporali, quo ad omnia: ergo videtur ex dicta authoritate, quod Chriſtus non habuit ex priuilegio, à diuinitate conceſſo ſecundū humanitatem talem poteſtatem iuriſdictionis in omnibus rebus temporalibus. Item dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: ergo non habuit poteſtatem regiam in hoc mundo: & per conſequens non habuit ſupremam iuriſdictionis poteſtatē in temporalibus, Vnde quatuor dicit hæc opinio. Primū, Chriſtus ſecundum humanitatem non habuit proprietatem & poteſtatem in ſingulis rebus. Patet, *Volucres cœli nidos habent, filius autem hominis non habet. vbi caput reclinet.* Secundum, Iure hæreditario non habuit poteſtatem iuriſdictionis in ſingulis rebus temporalibus. Tertium. Iure hæreditario non habuit poteſtatem iuriſdictionis in regno Iudæ. Quarto, Non habuit illam in rebus temporalibus ex priuilegio ſibi à diuinitate conceſſo. Sed contra hanc ſunt multi textus. Primum quod Deus *fecit illum hæredem omnium*: ergo ex priuilegio habuit poteſtatem in omnib. Vnde dicit ſanctus Thomas, *de regimine principum*, quod Chriſtus *ex conceſſione à Deo ſecundum humanitatem habuit ſupremā iuriſdictionis poteſtatem in ſingulis rebus temporalibus*: ideò elicitur ex dictis ſancti Thomæ quod ſecundum humanitatem non iure hæreditario, ſed conceſſione à diuinitate ſibi facta habuit ſupremam poteſtatem iuriſdictionis in ſingulis rebus temporalibus. Similiter in Apocalyp. quod *habet in femore ſuo*, id eſt humanitate, *ſcriptum rex regum* &c. Tunc bene ſequitur, Chriſtus ſecundum humanitatē habet poteſtatem ſuper reges: ergo habet poteſtatem ſuper ſingula, quæ habent reges: ſed ipſi reges habent poteſtatem in temporalibus, ad minus iuriſdictionis: quamuis non habeant in ſingulis proprietatem Dominii: tamen habēt iuriſdictionem, id eſt, dicendi ius, & definiendi de vnaquaq; re tēporali: & dicto iuri tenentur ſubditi obedire: quod ſi non fecerint, habent poteſtatē rebellantes & contumaces iuſtis afficiendi pœnis: ergo Chriſtus ſecundū humanitatē ex conceſſione, habet poteſtatem iuriſdictionis in ſingulis reb' temporalib'. Similiter habentur multæ authoritates in Eſaia, & Euangelio facientes ad hoc. Propterea dicit Tho. quod *monarchia Chriſti incepit à conceptione* & quod *habuit ſupremam poteſtatē in temporalibus, & iuriſdictionē in ſingulis rebus.* Et probatur à ſigno. Reges adorauerunt eū, tanquā ſubiecti tēporaliter: ergo ſignum erat, quod erat verus Domin', & monarcha in ſingulis rebus temporalibus. Et pro iſta opinione facio talem rationem. Chriſtus habuit poteſtatē ſecundum humanitatem ex conceſſione à diuinitate ſibi facta obligādi homines etiam ad mortale.

Digitized by Google

& Christus secundum humanitatem non potuit errare: & quilibet alius ei secundum humanitatem tenebatur credere. & exequi, quod Christus secundum humanitatem ei asseruisset & præcepisset: sed si Christus asseruisset sententialiter de aliqua re temporali: hæc res est istius, & non alterius, tunc alter fuisset obligatus reddere illam rem illi, cui Christus adiudicasset: & illã reddere secundum Christi sententiam, ergo erat in illo superioritas & authoritas iurisdictionis, etiam erga quoscunq; homines: imò habuit potestatem vnumquemq; regem priuare & oppositam legem instituere: damnatis gratiam facere, & eos liberare: habuit igitur iurisdictionis potestatẽ secundum humanitatẽ, & omnes illi parere tenebantur & ratione subiectionis ad illius sententiã adimplẽdam obligabantur: & hæc opinio est probabilior. Potest etiam suaderi hoc modo. Nam Paulus habuit potestatem petendi temporalia quo terminatione spiritualium, quãuis non vsus fuerit illa. Similiter Christus habuit potestatem in singulis rebus, quãuis non sit vsus illa potestate. Iam quæritur cũ sit probabile, q̃ habuerit istam potestatem in singulis reb⁹ temporalib⁹, & fecit papã vicarium suum, an concesserit successoribus suis, i sta supremam potestatẽ iurisdictionis in temporalibus. Respondent cõmuniter Doc. vt dicit Ioannes de Parisiis, quod non oportet Christum omnẽ potestatẽ, quam habuit in temporalibus, contulisse Petro. Nam potestas Christi secundum humanitatẽ nõ fuit allegata sacramentis. Nam secundum humanitatẽ habuit potestatẽ remittendi peccata etiam absq; sacramentis: sed papa nõ habuit potestatẽ illã remittendi peccata sine sacramentis: ergo Christus nõ contulit Petro, & ei⁹ successorib⁹ omnẽ potestatẽ, quam habuit: ergo hoc dato quod Christus habuerit supremam potestatẽ iurisdictionis in tẽporalib⁹ secundum humanitatẽ, nõ potest inferri quod totam illam cõtulerit Petro. Similiter habuit potestatẽ faciendi miracula: & quamuis illam cõtulerit Petro: nõ tamen in omnib⁹ successorib⁹ eius. Similiter non cõtulit Petro potestatẽ instituendi sacramẽta: ergo quantũ ad ista tria non contulit omnẽ potestatẽ iurisdictionis, quam habuit in rebus temporalib⁹ Petro & successori⁹.

Alia difficultas. Cum ergo summus pontifex non habeat supremã potestatẽ laicam iurisdictionis, nec in corpora nec in res hominum quæritur, an ipse & ecclesiastici sint supremæ potestati laicali subiecti, vel sint ex institutione diuina exempti & hoc quantũ ad iudiciũ coercitiuum, quo ad bona sua & corpora. Pro cuius declaratione supponitur, quod qui habet iurisdictionẽ temporalẽ, nõ solum habet illam super res, sed etiam super corpora. Secundò supponitur, quod habens illam, non solũ homines pro demeritis iustis potest afficere pænis: sed etiam ab eis exigere aliquod tributum personale, sicut ecclesiastici habent ius decimas petendi nõ solum prædiales, sed etiam personales: ita ad istã potestatem supremam laicam iurisdictionis non solum spectat eos punire, sed etiam tributum personale exigere. Nã licitè potest princeps pro republica & sustentatione sui status rationabile tributũ petere. Hoc fecit Cæsar, quod approbauit Christus cũ dixit: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Similiter dictũ fuit discipulis, *Magister vester non soluit didrachma*; & verisimile est quod didrachma erit tributum personale. Istis suppositis quæritur, an ipsi prælati ecclesiastici sint iure diuino ab ipsa potestate laica coercitiua exempti, ita quod ille, qui illam exercet, non possit ecclesiasticorum peccata punire, nec ab illis tributa exigere. Quantum ad hoc sit prima propositio. Ecclesiastici quantum ad prædia sua, & res immobiles non sunt iure diuino à iurisdictione laica coercitiua exempti. & loquor de omnib⁹ ecclesiasticis vniuersaliter. patet, ecclesiastici iure diuino nullam habent potestatẽ, sed ex iure diuino habent ius petendi decimas. & quamuis ius sit immobile: tamẽ ipsæ res, puta decimæ, sunt res mobiles. Præterea notum est, quod aliquod prædiũ aliquando donatur ecclesiastico, & stat quod sit obnoxium alicui principi, quantum ad reditus annuos. quo facto si transferatur in dominiũ ecclesiastici, trãsit cum onere suo id est, cum obligatione ad soluendum tributum vel censum annuum illi domino laico. ergo non sunt iure diuino exempti à tributo, quo ad res immobiles. Itẽ possident illas tres solum iure principum, quia tenent illas in feudum à regibus & principibus.

Secunda propositio. Ecclesiastici non sunt subiecti potestati laicæ coercitiuæ, quantum ad eas res, quæ eis competunt iure diuino, puta quantũ ad decimas, ita quod nihil ab eis exigi potest. Patet duplici ratione. Nam laici exercentes potestatem laicam tenẽtur ipsis ecclesiasticis soluere. ergo ecclesiastici ad nihil tenẽtur eis. Itẽ quandocunq; quis possidet aliquid lege vel authoritate superioris: in illo quod possidet lege superioris, non obligatur inferiori: sed ecclesiastici habent decimas, & ius in illis immediate auctoritate Dei, qui est supremus sup oẽs reges exercẽtes iurisdictionẽ laicã & coercitiuam, ergo quantũ ad hoc nullo modo obligantur illis exercentibus iurisdictionẽ coercitiuam.

Tertia propositio, in qua iacet difficultas inter doctores. An ecclesiastici, quantum ad personas eorum sint exempti iure diuino à potestate coercitiua laica, ita quod laici iudices nõ possint pro demeritis ecclesiasticos punire, nec eis tributũ personale exigere? Dicit Marcilius *in 2. c. 4.* Quod nõ Oppositum tenet Carlerius in *quibusdam tractatibus, quos edidit post concilium Basiliense de gestis in illo.* Dicit Marcilius, qui multum exaltauit potestatem laicam, quod ecclesiasticæ personę sunt à Deo iudicio laicali coercitiuo subiectæ. Et ad hoc probandum adducit tres rationes præcipuas, ex sacris literis. dicit notũ esse ex priuilegio ipsos ecclesiasticos esse exẽptos. sed quantũ est ex institutione diuina, sunt iudicio coercitiuo laicali subiecti. ad Ro. 13. *Omnis anima subiecta sit potestatibus sublimioribus.* Dicit gl. quod *in verbo omnis, nullus excipitur, & nullus excluditur. Omnis anima* secũdũ gl. *i. omnis homo.* Itẽ *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: Et *qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit.* Et subdit, *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem.* tamen non expressè videtur sequi, quod personæ ecclesiasticæ sint subiectæ, quantum ad corpora eorum ad tributa. Secunda authoritas habetur. 1. Pet. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue*

Digitized by Google

ti, sine ducibus tanquam ab eo missis ad vindictã malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est volũtas Dei. ergo videtur quod personæ ecclesiasticæ sint subiectæ, quantum ad corpora eorum ad tributũ. Tertia ratio est, quæ magis ad apparens: nam habetur *Act.* 25. quod Paulus declinauit iurisdictionem sacerdotum legis, & appellauit ad tribunal Cæsaris, *à quo* (vt inquit) *oportet me iudicari.* Sed certum est, quod Paulus erat ecclesiasticus, imò episcopus, & non est mentitus; nec timore pœnæ hoc dicebat: imò pro veritate mori decreuerat, & iudicari volebat à Cæsare. ergo persona ecclesiastica non est ex iure diuino à laicali iurisdictione exempta, nec quantum ad corp⁹, nec quantum ad tributum, & hæc est opinio Marcilii. Sed oppositũ tenet Carleri⁹ quondã regalis collegii Nauarræ socius meritissim⁹, in quodã *tractatu, quem edidit contra Bohemos,* quod ecclesiasticæ personæ ex iure diuino sunt exẽptæ, quo ad corpus à iurisdictione coercitiua laicali, & fundat se, Mat. 17. Venerunt exactores, qui didrachma accipiebant, & dixerunt Petro, *Magister vester non soluit didrachmas ait, Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens, Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributũ vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Iesus, Ergo liberi sunt filii. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da eis pro me & te.* Ex isto textu videtur, quod non soluerit ex debito. Dicit Carlerius, quod *per liberos intellexit ecclesiasticos.* ergo exemit ecclesiasticos à tributo personali soluẽdo laicis. Et hoc est probabile, quod eo ipso, quod aliquis esset effectus ecclesiastic⁹, potestas laica nullam habet in illum potestatem, quia est effectus filius & liber. Et ista opinio videtur probabilior.

CAPITVLVM IX.

In quo soluuntur rationes primæ opinionis recitatæ à doctore Ockam, in 1. capit. suæ primæ quæstionis.

VIsæ sunt tres opiniones, & doctor ad tertiam se resoluit, quæ probat duo. Primum, quod ex natura rei non habent repugnantiam illæ duæ supremæ potestates. Secundum est, quod non debẽt de facto in eandem personam concurrere. Restat modò soluere rationes primæ opinionis, quas adducit in *primo capitulo suæ primæ quæstionis.* Iam soluit illas in suo *quinto capitulo eiusdem quæstionis.* Prima ratio erat illa, quæ ex opposito diuiduntur, habent repugnantiam, quia non possunt omnimodè conuenire: sed potestas laica & ecclesiastica ex opposito diuiduntur. ergo. Dicit doctor ad maiorem, quod quamuis ea, quæ ex opposito distinguntur tanquam contraria, ex natura rei non possint idem subiectum primum habere, licet possint cadere in diuersas personas eiusdem subiecti, tamen sæpè ista, quæ distinguuntur ex opposito tanquam diuersę species, aut aliquo modo ex opposito inter se distincta: & ideò licet non secundum idem, tamen possunt cadere in eadem personam, imò nonnunquam in idem subiectum. Dat doctor duo exempla. Primum, ordo sacer, & ordo nõ sacer, quodammodò ex opposito diuiduntur: & tamen in eundem hominem cadunt. Secundum exẽplum, honestum, & delectabile, ex opposito diuiduntur, & tamen in eundem cadunt.

Secundò arguitur, illæ potestates, quæ duo capita constituunt, simul in eodem esse nõ possunt, quia tunc vnum corpus haberet duo capita, vel duo corpora idem caput: sed illæ duę potestates sunt huiusmodi, vt patet; igitur. Dico quod laici & ecclesiastici sunt vnum corpus mysticum, quia omnes insigniti charactere baptismali, qui habent charitatem, sunt membra illius corporis sana: & qui habent fidem & non charitatem, sunt membra illius corporis, sed non sana: & qui carent vtroq;, sunt membra arida: & sic dico quod est vnum corpus. Vnde dicit Gerson, quod *non est possibile de lege posita, quod in solis laicis remaneat fides, vel quod in corpore mystico ecclesiæ sunt soli laici: quia tunc esset possibile de lege posita, quod ab ecclesia cessarent sacramenta omnia præter baptismum*; sed hoc est falsum.

Tertiò, & apparentius arguitur. potestas suprema laici includit dominationem: nam *principes gentium dominantur terræ*, sed spiritualis excludit illam dominationem coercitiuam authoritate Petri, *Pascite qui est in vobis gregem non dominantes*: ergo ecclesiastica excludit illam dominationem: & sic videtur, quod ita ex natura rei distinguantur, quod in eodem conuenire non possint. Dico quod dupliciter intelligitur, quod potestas ecclesiastica excludat dominationẽ. vno modo quod de ratione potestatis ecclesiasticæ & integritate eius sit, quod habens eam dominetur dominio coercitiuo, quo dominatur princeps laicus: & sic dico, quod excludit illam dominationem: Alio modo, quod de ratione ipsius, nullam habet potestatem dominandi: & sic falsum est, neq; excludit omnimodam dominationem. Dat doctor exemplum *lex euangelica dicitur lex libertatis, id est, non est de ratione legis euangelicæ, quod aliquis sit seruus, quia nullum facit seruum. Similiter potest euangelica de ratione sua nullum facit dominantem*: & est egregium verbum Ockam, & bona similitudo de seruo. Patet ex dictis quomodo suprema hierarchia spiritualis non habet plenam potestatem in temporalibus, & quomodo ex opinione Carlerii personæ ecclesiasticæ, quantum ad personas eorum sunt exemptæ à potestate laica coercitiua. Possunt adduci aliæ rationes ad hoc probandum de Constantino, cui obtulerunt librum &c. Dixit autem Constantinus, qui erat supremus hierarcha in temporalibus: *Vos autem ab homine iudicari non potestis*: ergo ipse, qui erat verus Imperator, asseruit se nullam habere potestatem super ipsos episcopos: ergo verisimile est, quod ecclesiasticæ personæ, quantum ad earũ personas, sunt à laici iurisdictione exemptæ. Item quando Ioseph reddidit terram subiectã Pharaoni, terra sacerdotum mansit libera: & sic valde apparenter probat Carlerius suam opinionem.

Modo veniunt soluẽdæ rationes Marcilii, prima erat authoritas Pauli ad Roman. 13. *Omnis anima* &c. Et per *sublimes potestates* intelligit Imperatores & reges, quia subdit: *Non sine causa gladiũ por-*

Digitized by Google

ur. Quantum ad hoc de Lira soluit sic: *omnis anima, id est, hominum quilibet, puta laici laicis, & ecclesiastici ecclesiasticis.* Nihilò minus: quia per *sublimes potestates* videtur intelligi principes seculares, alias expositiones dat Carlerius. Prima, *omnis anima, id est, omnis homo animalem, id est, ciuilem vitam ducens.* Nam hominum quidam animalem, id est, ciuilem, alii spiritualem ducunt vitam: & vocatur illi animales, isti verò spirituales: & hãc ponit Paulus, *Spiritualis homo omnia diiudicat, & à nemine iudicatur:* & sic nulli est subiectus, quo ad istam potestatem laicam coercitiuam. Secunda expositio ex intentione textus & glossæ est, quod est ibi distributio accommodata: *Omnis anima, hoc est, omnis homo, id est, de aliquo statu hominum, aliquis homo est subiectus potestatibus sublimioribus.* Ad secundum argumentum Marcilii & authoritatem *primæ Petri secundo*, dupliciter exponit Carlerius, nam dicebant Bohemi, quod principe negligente punire clericos, populus poterat sine peccato eos interimere. Prima expositio Carlerii est, quod loquitur laicis, cum dicit, *Subditi estote omni creaturæ.* Primò, loquitur seruis, vt sint subditi dominis, & filii parentib', quia statim subiunxit de filiis, seruis, & vxoribus. Secudo dicit glossa cõmunis: *Subditi estote, per humilitatẽ propter Deũ (& est consiliũ) nõ subiectione iuridica, sed humili subiectione.* Ad tertiã authoritatẽ fortissimam de Paulo, qui declinauit iudiciũ sacerdotũ, videtur q̃ erat subiectus Cæsari iuridica subiectione. Primò, istud verbum Pauli, *A quo me oportet iudicari:* sic primo exponitur, hoc est, *à quo iudicabor:* quia fuit condemnatus à Cæsare, nõ quod habuisset potestatẽ iudicandi, sed quod eum iudicauit. Secundo appellauit Paulus Cęsarẽ: non quod esset superior eius, sed quia erat superior iudicibus volentib' condemnare Paulũ, quia habebat potestatẽ decernendi, quod malè iudicabant Paulum, & vt declararet eorum iudicium nullum. Et sic soluũtur authoritates, quas adducit Marcilius.

Aliæ sunt authoritates, scilicet, *Nullã haberes super me potestatẽ, nisi data esset tibi desuper.* Illa intelligitur de potestate permissa. Nam Pilatus iudicauit Christũ de facto, non de iure. Relinquitur ergo opinio Carlerii probabilior, quam altera, imo altera videtur condemnata in *Concilio Basiliensi, c. 10.* in quo ostenditur, quænam potestas data fuit Petro per ista verba, *Quodcunq; ligaueris super terram.*

Doctor in *secundo cap. suæ primæ quæstionis* adducit rationes aliquorum, quibus nituntur probare papam habere potestatem plenariam, tam in spiritualib', quam in temporalib': ad quas respondetur in hoc *septimo cap. eiusdem quæstionis.* Prima fuit, Matth. 13. Christus illam plenitudinem potestatis promisit Petro, per illa verba, *Quodcunq; ligaueris.* ergo promisit potestatem vnumquemque ligandi nullum excipiendo: & circa hoc argumentum mouebuntur quatuor bonæ quæstiones. Et pro intellectu notandum primò, quod contingit hominem dupliciter solui. Vno modo, ab aliquo præcepto, quo prius obligabatur: & illud vocatur dispensatio. Iam difficultas est, an per ista verba, *Quodcunq; ligaueris super* &c. promisit Petro potestatem vnumquemq; à quocunq; præcepto soluendi. Similiter contingit hominem ligari multipliciter. *ligari*, id est, ad nouum quid obligari: vt si voueam paupertatem, ligor de nouo, id est, ad nouum quid obligor. Secundo, contingit hominem *ligari*, id est, ad certam pœnam obligari in foro interiori. & ista verba: *Quodcunq; solueritis & ligaueritis*, nõ intelliguntur de ligamine peccati: quia papa non posset vnum facere peccatorem: sed de ligamine, ad pœnam soluendam ratione peccatorum. Alio modo, contingit aliquem *ligari* ligatione excommunicationis. Vtrum Christus promiserit Petro hanc potestatem ligandi pro quacunque re? Dicit doctor ad hanc authoritatem dans duas solutiones. Prima, quod per talia verba: *Quodcunq; ligaueris*, solum promisit, & dedit duas potestates Petro. Primò, potestatem absoluendi hominem peccatorẽ à peccato, non quod ipse remittat peccatum, vel det gratiam & gloriam æternam. Secundò, est data Petro authoritas pœnam in tali foro secreto taxandi: non quod habeat potestatem coercẽdi ad pœnam sustinendam. & est opinio Marcilii de Padua, quod nec papæ nec clerico dedit potestatem coercitiuam. Sed dicit doctor, quod vltra illas duas potestates adhuc dedit Petro potestatem coercitiuam, qua vnumquemq; fidelem ea, quæ sunt necessaria pro consecutione felicitatis æternæ, cogeret obseruare: & si omitteret, punire. ideo data est potestas coercitiua Petro vnumquemq; fidelem coercendi ad diuina præcepta seruanda & non obseruantes excommunicandi. Vnde nũquam papa habuit potestatem coercitiuam ad cõsilia, sed bene ad præcepta. Dicit doctor, saluis iuribus & libertatibus eorum, quia non meruerunt, quia nunquam dedit Christus authoritatẽ Petro aliquem regẽ temporalem à iurisdictione sua deponendi. ergo in ista authoritate, *quodcunq; ligaueris.* promisit potestatẽ absoluendi sacramentaliter, & taxandi pœnam, & potestatẽ coercitiuam ad obseruationem mandatorum Dei, & non ad consilia, & non dedit potestatem laicos suis proprietatibus & dominiis priuandi: nisi in casu, si contingeret principem secularem abuti rẽ sua in perniciẽ Christianitatis, vel fidei, ita quod ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternę nõ negat, quin in tali casu papa possit eũ deponere, etsi alii doctores hoc negent, quãuis habeat potestatẽ declarãdi ipsum esse deponendũ. Patet, quia esset occasio, quod ratione talis potestatis papa efferretur in maximã superbiã. & illa plenitudo potestatis esset multũ damnosa subiectis. Ideo illa esset nociua papæ & subiectis: & sic non est verisimile, quod Christus ei talẽ contulerit. Dices, si nemi nẽ excepit, quomodo audes aliquẽ excipere? Respondetur, quod Christus & Apostoli verbo, & exemplo docuerunt aliqua excipienda: *Reges dominantur: vos autẽ non sic.* Similiter exemplo quando voluerunt eum facere regẽ, aufugit. Et sic patet, quomodo contingit multipliciter hominem ligari. Primo, ligamine peccati, id est, esse in mortali. Secundo, ligari, id est, ad pœnam obligari. Tertio, ligari ligamine excõmunicationis, quæ est obligatio ad non participandum in sacramentis ecclesiæ, & cum fidelibus. Quartò, ligari, id est, obligari ad aliquam operationem faciendam, vel omittendam. Similiter quadrupliciter intelligi potest, q̃ Petro data fuit potestas soluẽdi. Primo *soluẽdi* id est absoluẽdi à peccato

per sacramentum pœnitentiæ. Secundò *soluendi*, scilicet à pœna debita peccatis, per indulgentiarum largitionem. Tertiò *soluendi* ab excommunicatione. Quartò *soluendi* id est dispensandi in præceptis.

Circa prædicta monetur difficultas, vtrum Petro fuerit collata potestas vnumquemque fidelem pro quocumque peccato mortali ligandi ligamine excommunicationis. Apparet quod sic: quia dictum est indifferenter: *Si peccauerit in te frater tuus* &c. (non distinguendo de quocunq; peccato) *sit tibi tanquam ethnicus*, id est, excommunicatus. ibi est collata potestas excommunicandi. ergo videtur quod pro quocunq; peccato possit excommunicare. Secundo ad idem. Data est papæ omnis potestas pro regimine fidelium ad consequutionem felicitatis æternæ. sed à quocunq; mortali exire necessarium est vnicuiq; fideli pro consequutione vitæ æternæ. ergo potestatem habet summus pontifex vnumquemq; peccatorem pro quocunq; mortali excommunicandi: cum excommunicatio sit ei medicinalis. In oppositum arguitur, quia tunc vnus malefactor posset à duobus ex æquo puniri pro eodem peccato. hoc est, inconueniens: igitur. Pro solutione primo supponitur, quod non loquimur de veniali, quia nullus potest excommunicari pro veniali: imo nec corrigi fraternaliter, nisi sit de proximis mortali. non enim perditur anima pro veniali, ideò veniale nō est materia coërctionis. Secundò supponitur quod mortalium quædam consistunt in actu interiori, qui ex natura rei est incognoscibilis hominibus, sicut est volitio occidendi: vel odium, quod nondum progressum est in opus, & illud peccatum est incognoscibile hominibus, quia solus Deus est, qui intuetur cor. Aliud est peccatum, quod est progressiuum ad opus, vt furtum, percussio clerici &c. Et est multiplex. primum, quod quamuis sit cognoscibile, non potest tamen propter defectum testium cognosci iuridicè: vt cum Sortes occidit Platonem, & ipsi soli erant. Aliud est peccatum exterius, quod potest iuridicè probari, & constare hominibus iuridicè. Peccatum vero, quod consistit in opere exteriori primo modo, est multiplex. Nam est aliquod sic se habens, quòd nec potest probari peccatum nec peccans, hoc est, nec factum nec factor: vt aliquis dat alapam alteri, & nullum ex illa restat vestigium nec hoc factum nec reus huius facti probari potest. Aliquādo factum & actor facti probari possunt. Supponitur tertio, quòd peccatorum quoddam est spirituale, quoddam verò temporale. Spirituale est quod de directo est contra legem euangelicam, & contra sacramenta, ita quod seclusa lege euangelica non foret peccatum. Aliud est temporale seu seculare, quod seclusa quacunq; reuelatione diuina & euangelica, stando in lege naturæ adhuc esset peccatum. exemplum primi, vt sunt peccata cōmissa contra sacramenta. exemplum secundi, vt peccata contra præcepta decalogi. Quartò supponitur, quod in temporalibus contigit dupliciter peccare. vno modo peccato erroris siue oppositionis: hoc est iudicando de peccato, quod committitur circa temporalia, non esse peccatum: vt iudicando furtum non esse peccatum. Similiter homicidium &c. Alio modo contingit peccare peccato vendicationis, id est, vendicando sibi vel retinendo, quod est alterius.

Istis suppositis respondetur ad quæstionem, cum quæritur vtrum Petro fuerit collata potestas vnumquemque fidelem pro quocunque peccato excommunicare? Et sit prima propositio. Nec Petro nec successoribus eius, nec iudicibus ecclesiasticis est collata potestas excōmunicandi peccatorem pro peccato interiori. & hanc tenent omnes theologi. patet, ex euangelio *Matth.* 13. ex parabola de zizania. prohibuit zizaniam eradicari ex frumento. per *zizaniam* intelligit malum hominem eradicari, id est, excommunicari, propter duas causas. Primò, propter defectum cognitionis. Secundò, propter periculum inquietationis seu perturbationis reipublicæ. propter hæc prohibuit saluator zizaniam, id est, malum hominem ab agro, id est, ab ecclesia eradicari, id est, excommunicari. ergo ex tali parabola apparet, quod non est collata potestas iudici ecclesiastico, pro tali peccato, quod nullo modo cognosci potest excommunicanti. Item probatur, *de pœnitentia, distin. prima*: *cogitationis pœnam nullus patiatur*. supple, ab homine: sed ab illo, qui cognouit corda. Breuiter, dicunt communiter doctores, quod summus pontifex non habet potestatem super actus interiores, sed solum exteriores Sed tenentes oppositum adducunt aliquas rationes. Prima, argumentum glo. in *clementina, de hæreticis*, quia secundum illam glossam excommunicantur inquisitores fidei, quando omittunt inquirere. ergo. Item præcepto papæ & ecclesiæ homo tenetur semel in anno cōfiteri, sed præcepto diuino semel in vita. ergo habet iurisdictionem supra peccata secreta. Similiter in *clementina multorum*, excommunicantur pro negligentia. Dico, quod illa negligentia est aliquid exterius, & sicut opus exterius probari potest, ita & ipsa omissio exterior potest probari. Quantum ad secundum, dicit Durandus *in quarto*, quod verum est, quod tenemur confiteri semel in anno præcepto humano, & non diuino. ergo habet iurisdictionem supra secreta cordium. Distinguo: vel de per se, negatur: vel per accidēs, conceditur. Nam sumere sacramentum Eucharistiæ, est opus exterius & super tale opus exterius habet ecclesia iurisdictionē de per se. & quia non potest aliquis digne illud sacramentum suscipere, nisi prius contritus, & confessus fuerit secreta cordis, sic de per accidēs præcepit Ecclesia illa confiteri, in quantum est vnum necessarium ad opus exterius, quod de per se præcepit: alias nullo modo posset præcipere illam confessionem interiorem.

Secunda propositio. Iudex ecclesiasticus, vt supremus pontifex, habet potestatem infligendi pœnam pro exteriori peccato manifesto, quamuis peccator sit secretus. Aliqui tamē dicunt oppositū, vt Godofredus in *quodlibetis*. probatur ista secunda propositio. habetur. 5. *quæst. prima* de quodā, qui edidit libellum diffamatorium, qui erat ignotus. Dicit Grego. nisi talis cōfessus fuerit, ipsum pri-

uamus perceptione corporis,& sanguinis,& si sumat,à corpore ecclesiæ sit diuisus. ergo quãuis peccator sit occultus,& peccatum publicum,potest feriri sententia excommunicationis,si peccatum sit publicum,& iuridicè probatum.in *capitulo, Quidam malignus spiritus.5.quæst.prima.* Et illud est vnum argumentum,quòd si secularis iudex non potest exercere suam iurisdictionem coercitiuam in illũ peccatorem, quia secretus est, ecclesiasticus debet suam exercere in illum.

Tertia propositio,difficilis & problematica inter doctores. Si vtrumque sit ignotum: an talis possit feriri sententia excommunicationis? Dicunt multi, quòd non. Primo habetur ex iure diuino parabola. Secundò de processu euangelico. Tertiò quia excõmunicare est actus iurisdictionis,& tria requiruntur,antequã quis possit excommunicare. Primo iurisdictio ex parte ferentis. Secundò conuictio, & pax salua. Ergo sententia lata, nulla esset in illo casu. Primùm habetur expressè in *capitulo, Sicut in tuis, de simonia.* Constat eos in tantum culpabiles, quòd si excessus eorum esset ecclesiæ manifestus,venirent sententia excommunicationis feriendi. ergo per oppositum(quod est fortissimum argumentum in iure)si excessus non sit manifestatus, non sunt feriendi censura ecclesiastica. ergo vbi nec peccatum est publicum nec peccator,non potest quis excommunicari. 32.*distin.* Tua nos. Alii dicunt oppositum ex *cap. Si sacerdos prima quæst.*1. quod si sacerdos aliquem cognouerit reum etiam ex confessione solùm,quamuis non possit iuridicè probari,tenetur illum excommunicare,ipso,qui passus est damnum,petente: quamuis tenetur non nominare. nam neque peccatum neque reus est notus iuridicè,quia talis sacerdos cognoscens in confessione,scit vt Deus. Ergo potest aliquis feriri sententia excommunicationis,quamuis actor & peccatum sint secreta. Pro ista difficultate supponitur,quod contingit aliquem multipliciter feriri ista pœna spirituali, scilicet excommunicatione. Vno modo quòd excommunicetur sententia lata à iure: quando scilicet facta contra præceptum iuris, quod datum est cum additione pœnæ.& isti canones sententiæ latæ non dantur nisi pro peccatis futuris,& nunquam pro præteritis: ita,quòd si ante canonem latum *si quis suadente* &c. quis percussisset clericum,non fuisset excommunicatus. Aliquando contingit aliquem excommunicari ab homine, & hoc è contrario: puta pro peccatis præteritis. & adhuc ab homine dupliciter, vno modo nominatim,hoc est,quòd nominetur in prolatione sententiæ. Alio modo non nominatim,sed excommunicatione generali. Quantùm ad ista cùm quæritur,quando peccatum est ignotum, & actor etiam, an possit excõmunicari,supposito,quod peccatum sit exterius? Dico primò, quòd potest feriri sententia lata à iure, vt percutiens clericum, quamuis hoc probari non possit, non est dubium quin sit excommunicatus. Sed vtrum possit excommunicari ab homine? Dico quòd non nominatim,per *cap. Si sacerdos*,si sit secretum,certum est quòd non debet nominari, nec potest. sed si feratur sententia isto modo, *quicumque fecit hoc, sit excommunicatus:* dicunt plerique,quòd talis non est excommunicatus,nisi factum fuerit iuridicè probatum. & est opinio multorum in theologia. & vtrunque est probabile,vel quòd potest,vel quòd non potest.

Ad authoritates.prohibuit Christus zizaniam eradicari antequàm cognosceretur. Dicunt,qui tenent oppositum,quòd prohibuit solùm excommunicari nominatim. Similiter ad processum,quẽ Christus prædixit *Matth.*18.eodem modo dicunt nominatim. Ad *capitulum de simonia, Ex tuis literis*, si excessus esset manifestatus ecclesiæ, essent excommunicandi: verum est nominatim. Ideo quamuis excessus non sit manifestus, veniunt excommunicandi sententia generali. Sed tenendo oppositum difficultas est,quod non debent absolui. Dicunt quod in foro conscientiæ absoluuntur ab illa excommunicatione: imò si non possint se separare à fidelibus,nisi prodendo suum crimen,tenentur non se separare,quia tenentur non se diffamare & scandalizare. sed si possint se separare sine scandalo,tenentur se separare.

An ex ordinatione diuina ad papam spectet de quolibet peccato ordinariè cognoscere.

CAPITVLVM X.

Consequenter quæritur: Vtrum sit concessa ex institutione Christi Petro regulariter potestas pro omni mortali excommunicandi,etiam supposito,quod actor & peccatũ nota sint? Supponitur quod iam dicta sunt quomodò duplex est peccatum,scilicet seculare,& spirituale. similiter peccatũ seculare est duplex,scilicet erroris, & vendicationis. Istis suppositis sit prima propositio: Ad iudicem ecclesiasticum,vt est papa, episcopus, officialis &c. spectat ordinariè cognoscere de quocunq; mortali etiam oppositionis,& erroris in rebus secularibus ex ordinatione diuina. Et in ista propositione coincidunt omnes doctores. & loquor de mortalibus semper. Patet,nullum est mortale nisi quia contra legem Dei,vt patet ex definitione peccati data ab Augustino: *Peccatum est dictum, factum vel concupitum contra legem Dei.* sed sic est, quòd ad iudicem ecclesiasticum, quia ecclesiasticus est, secundum hanc considerationem de omni,quod est contra legem Dei,spectat ordinariè iudicare, an sit contra legem Dei,vel non. Ex ore enim eius legem requirent. ergo ad iudicem ecclesiasticum spectat ordinariè,& iudiciariè cognoscere, de omni peccato erroris vel oppositionis in rebus secularibus: vt si quis diceret furtum non esse peccatum, imò si cum pertinacia diceret,talis esset hæreticus. sed notum est,quod hoc spectat ad iudicem ecclesiasticum,de talibus cognoscere.

Secunda propositio. Regulariter ad iudicem ecclesiasticum non spectat ordinariè cognoscere de vendicatione rerum secularium,puta cuius sint, aut cuius non sint. patet,nam quòd ista res sit istius, & illa illius,hoc est ex iure ciuili ex *capitulo, Quo iure*, supra allegato. ergo hoc debet iudicari secundũ

leges

leges ciuiles. sed ad ecclesiasticum vt ecclesiasticus est, non spectat cognitio iuris ciuilis, in *capitulo Quo iure*, & *capitulo, Nouit, de iudiciis*: *Non intendimus de feudo iudicare, quia ad ipsum spectat*, id est, regem vel imperatorem. *in criminibus, non in possessionibus nostra potestas est.* Et istud apparenter deducitur ex sacris literis. nam summus pontifex nõ habet maiorem authoritatem, quàm habuit Christus, secundum humanitatem. sed Christus secundum humanitatem, non habuit hanc authoritatem discernendi de feudis, & de rebus secularibus, & de vendicatione rerum secularium. nam ipse quasi negans à se authoritatem illam, respondit iuueni interroganti eum, vt iuberet fratrem suum diuidere hæreditatem: *Quis constituit me diuisorem inter vos?*

Contra hanc authoritatem sunt duæ authoritates, quæ videntur expresse sonare oppositũ. Prima habetur. 11. *quæst. 1. cap. Quæcunque dissensiones oriuntur inter Christianos, ad ecclesiasticos sunt deferenda, & ab eis terminanda.* ergo etiam dissensiones, quæ oriuntur de venditionibus. Dico quòd istud capitulum expresse ponitur à Palea. & ideo nec approbatur nec reprobatur, imò nullius est approbationis. Alia authoritas habetur. 1. ad Cor. 6. *Angelos iudicabimus: quanto magis secularia?* ergo magis ex officio, quia clerici sunt spectat de secularibus iudicare. quantum ad hoc Ockam optimè soluit. Reprehendebat n. Paulus fideles qui conueniebant sese mutuo corã iudicibus infidelibus. admonebat enim eos, vt componerent inter se antequam adirent iudicium. & si non, quod ex consensu partium aliquos deligerent arbitros. si autem non, recurrent ad ordinarium. & ita debet facere quilibet bon' iudex. Vnde nos *Angelos iudicabimus*: supple iudicio approbationis approbando beatitudinem bonorum, & damnationem malorum. *quantò magis secularia?* iudicabimus iudicio supple approbationis approbando illud esse tuum &c. Vnde in istis duabus propositionibus concordat maior pars doctorum.

Iam difficultas est. nam notum est hoc esse meum, & illud esse Sortis: nihilo minus Sortes detinet, & sic notum est ipsum peccare detinendo me inuito: & in illud peccatum Sortis est peccatum seculare, & non spirituale: quia non est de directo contra sacramenta. quæritur modo, vtrum ad summũ pontificem, vel iudicem ecclesiasticum spectet ordinariè tale peccatum punire, vel solum ad iudicem laicum? Quantum ad hoc sunt tria dicta. Primum: Non spectat ad summum pontificem quẽlibet, de quolibet tali peccato, etiam quod noscitur esse peccatum, ordinariè iudicare seu punire. & hoc conceditur fermè ab omnibus doct. Patet, non spectat ad summum pontificem de tali peccato punire infidelem purum ordinariè; patet antecedens, 1. ad Corinth. 5. *Non est mihi cura de iis, qui foris sunt*, id est, de infidelibus. hoc est, nullam habeo potestatem coërcitiuam super eos. Hoc dato de peccato puri infidelis, quod sit notum, & quod ipse concedat realiter alienum detinere: adhuc ad pontificem, vt pontifex est, non spectat istum de tali peccato ordinariè punire. quod maior pars doctorum concedit & hoc satis Paulus innuit: qui postquam idololatras, ebrios, maledicos, rapaces præmisit, statim subiunxit; *Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare?* Panorm. in *cap. Nouit, de iudiciis*, tenet oppositum: videlicet, quod summus pontifex in peccatis, quæ sunt contra legem naturę, potest infideles excommunicare, & coercere censura ecclesiastica: sed communis sententia doct. tenet oppositum.

Ex isto dicto sequuntur aliqua correlaria. Primum, infidelis non tenetur vitare excommunicatum fidelem. Ratio est, quia summus pontifex non potest obligare illum ad vitandum, quia nullam habet iurisdictionem in ipsum. Secundò sequitur, quod fidelis excommunicatus non tenetur vitare infidelem. Nam in excommunicatione sunt duo. excommunicatus enim tenetur vitare fratres suos Christianos, & illi ipsum: & vltra tenetur se à sacramentis abstinere. Tertiũ quod sequitur est, quod vitare excommunicatum, quantum ad collocutionem, & quantum ad illa, quæ sunt merè ciuilia non videtur esse de iure diuino, vt dicit Ockam in *Dialog.* sed solum de iure positiuo: tamen videntur aliquæ authoritates oppositum sonare. Difficultas est, vtrum vitare excommunicatum sit præceptum diuinum, vel humanum? Dicit Ockam, quod est humanum. Ratio est, quia si esset diuinum, nulla indigẽtia etiam extrema posset aliquem excusare de participando cum excommunicato, quia propter nullam indigentiam etiam extremã sunt præcepta diuina frangẽda. sed indigentia extrema excusat de participando cum excommunicato, ergo illud est solum iure humano prohibitum. & hoc argumentum est multum apparens: ideo vitare quantum ad ciuilia ista, & non sacramenta, est solum de iure humano & non diuino.

Secundum dictum, in quo non est difficultas, est quod ad pontificem spectat ordinariè iudicare vnumquemq; pro crimine, quod est purè spirituale, puta pro peccatis contra sacramenta, vel articulos fidei commissis. Patet, ad ipsum spectat noscere ius diuinum, & aliis manifestare, & inobedientes aliqua pœna punire. igitur. sola igitur est difficultas in hoc: puta si Sortes fidelis, qui peccat mortali peccato, quod solum est seculare peccatum vtrum ad summum pontificem ordinariè spectet iudicare de tali crimine, vel ad laicum? Apparentia est, quod solum ad laicum, qui pro eodem peccato nullus debet puniri diuersis pœnis. sed talis punietur à iudice laico: igitur. Quantum ad hoc est difficultas, in qua aduersantur doct. Durandus in *tertia quæstione, de iurisdictione ecclesiastica* tenet quod ad iudicem ecclesiasticum spectat ordinariè de omni actione humana cognoscere, præsertim si consideretur per modum iniuriæ aut peccati: & si vnumquemque pro omni peccato mortali pœna ecclesiastica punire. & loquitur semper de fidelibus. Patet multis argumentis, & faciam duo apparentiora. Primùm est. cuius est considerare finem, semper est considerare media ordinata ad illum finem, quia semper media sumunt rationem à fine. & illa propositio videtur satis nota,

Digitized by Google

sicut medicus, cuius est considerare sanitatem, considerat ea, quæ inducunt sanitatem, & quæ impediunt ipsam. sed sic est quod corpus est propter animam: & temporalia propter spiritualia: & quælibet actio humana debet ordinari in vltimum finem, id est, beatitudinem. ergo cuius est ordinariè cognoscere de spiritualibus, & fine vltimo, & de spiritu, eiusdem est cognoscere de omnibus ordinatis ad illa, & præsertim de actionibus humanis, quando ponuntur sub ratione conuenientis, vel impedimenti ad illum finem. Et ipse Durandus vocat hanc rationem irrefragabilem. Secunda ratio, quæ est apparentior, sumpta est ex authoritate Christi, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus* &c. nam si detineat mea, vel percutiat me, peccat in me. tandem ex processu dicitur, *Dic ecclesiæ*, id est, prælato ecclesiæ potestatem habenti illum excommunicare, pro quocunque peccato, quod est in fratrem commissum. & hoc est multùm apparens, & probabile, quòd ad summum pontificem, & ecclesiasticos iudices spectat ordinariè iudicare, de omni actione humana proposita, vel constituta sub ratione iniuriæ vel peccati, & vnumquemque pro tali peccato pœna afficere, præcipuè pro peccato contumaciæ.

Aliter dicit Ioan. de Parisiis & Ockam, quòd summus pontifex regulariter non debet iudicare, seu aliquem punire pro peccato, quod est purè seculare (quod dico propter adulterium, quod non est purè seculare, imò contra matrimonii sacramentum. Similiter vsura non est peccatum purè seculare) sed solùm in tribus casibus. Exemplum. Iudex ecclesiasticus non debet punire furantem pro furto, nec homicidam pro homicidio, supposito quòd sit laicus. Tunc dicit Augustinus super Amos prophetam: *Quædam sunt peccata ita enormia, quòd non veniunt à iudice ecclesiastico punienda, sed à seculari.* Vltrà dicit Ockam in fine *dialog.* quòd papa in tribus casibus potest. cui concordat Gerson. Primus, quando peccans est iuridicialiter subiectus iurisdictione laica summo pontifici: potest tunc ipsum punire. Secundus est, quando in terra, in qua talis peccat, non est aliquis dominus temporalis: vel si sit, perniciosè negligit peccatorem punire. Patet per *capitu. Licet, de foro competenti*, vbi expressè ponitur talis casus. Tertius, Quando iudex secularis nullam pœnam potest infligere, vt in casu cùm peccator est occultus. nam pœna temporalis non infligitur, nisi personæ cognitæ. Ideo in istis tribus casibus ad summum pontificem, & iudices ecclesiasticos spectat punire de tali crimine purè seculari. sed illis exceptis, dicit Ockam, non spectat ad summum pontificem ipsum laicum de crimine purè laico regulariter punire. Quid ergo respondebit Ockam ad argumentum Durandi? Dicit Ioan. de Parisiis ad maiorem, *cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare* (supple innuitiuè, id est, innuere) *quæ sunt media necessaria ad illum finem consequendum, & quæ impedimenta.* & hoc verum est, quod spectat ad ecclesiasticum, quia ad eum spectat ostendere, quod est necessarium ad felicitatem consequendam. Sed si intelligas, cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare iudicio coërcitiuo, & correctiuo de quolibet necessario, ad illum finem, negatur, imò illa est falsa vniuersaliter, cuius est iudicare de fine, illius est iudicare de mediis iudicio coërcitiuo, & hoc ordinariè de quolibet necessario vel impediante respectu talis finis. Etiam dico, quod summus pontifex non iudicat de beatitudine æterna isto iudicio, de quo loquimur, sed per modum doctrinæ, & incitamenti ostendendo de mediis necessariis ad salutem. Regulariter ergo ciuilia ad laicos pertinent. Ad secundum: *Si peccauerit in te frater tuus:* non excludit aliquod peccatum, neque spirituale, neque temporale: ergo ecclesiasticus super quodlibet peccatum habet authoritatem. Dicit Ockam primo: *si peccauerit, dic ecclesiæ*: quòd per *ecclesiam* non intelligitur ecclesiasticus solùm, sed quæcunque communitas fidelium, siue sint soli ecclesiastici, siue soli laici, siue vtrique simul iuncti. & hoc modo exponitur *dic ecclesiæ*, id est, tali communitati, puta tali parochiæ. Dicit secundo, quòd per illam authoritatem non datur potestas coërcitiua iudici ecclesiastico, sed solùm datur eadem potestas, quæ datur ipsis testibus. nam dicitur: *Adhibe duos testes*. & non datur testibus authoritas excommunicandi, sed increpandi & admonendi. ideo dicit, quòd similiter nõ datur iudici ecclesiastico potestas excommunicandi, sed declarandi ipsum esse excommunicatum. Verùm videtur Durandi opinio probabilior, & conformior processui euangelico, quod quicunque de aliquo certum est, quòd est mortale: saluo ordine iuris, puta saluo processu de correctione fraterna, tandem pro contumacia venit excommunicandus, quia vult desistere ab illo peccato. Hanc defensat & ad longum nititur probare Carlerius ponens vltimum suum correlarium tale, quod *asserere iudicem ecclesiasticum non posse cogere laicum ad soluendum debitum quando certum est, quòd ipse debet illud, vel ad cedendum bonis, est errare in materia clauium.* Habetur ergo resolutio, quando de aliquo exteriori facto certo, quòd est peccatum, potest iudex ecclesiasticus seruato ordine iuris, de quocunque tali ordinariè cognoscere, & in foro exteriori publico peccantem censura, id est, excommunicatione ecclesiastica punire, & præcipuè si fuerit contumax. Et hæc opinio est sacris literis conformior.

An papa possit aliquid præcipere, cuius transgressio indicat mortale peccatum.

CAPITVLVM XI.

Consequenter videndum est, de secundo ligamine: vtrum papa vnumquemque ligare possit ligamine præcepti obligantis ad peccatum, hoc est, vtrum Petro & successoribus eius fuerit in illo verbo, *Quodcunque ligaueris* &c. à Christo collata vel promissa potestas vnicuique aliquid præcipiendi sub pœna peccati? Arguitur primo, quòd non. nam non est peccatum nisi contra legem Dei. Patet per definitionem peccati ab Augustino datam. ergo nullus legislator humanus habet potestatem præcipiendi sub pœna peccati. In oppositum arguitur. habetur in sacris literis, vt 1. Petri cap.

Digitized by Google

tri cap. 2. *Obedite præpositis vestris etiam discolis*. Similiter habetur, *Qui vos audit, me audit*. Communiter habetur circa hoc controuersia inter doctores. De Gersono in quarta parte *de vita spirituali animæ* dicit, *Nulla transgreßio legis naturalis, aut humanæ ea ratione, qua est naturalis, aut humana, est peccatum mortale*. & hæc propositio est conformis ad dicta Durandi. Dicitur notanter *ea ratione, qua naturalis vel humana*, quia eadem lex potest esse naturalis & diuina: vnde voco legem naturalem illam, quæ omnibus ratione vtentibus ex iudicio rationis communis est, secluso, quocunque signo sensibili exteriori. Vnde dicit Gerson, quod *mortale est, quod operatur reatum ad pœnam æternam*, id est, obligationem ad pœnam æternam, siue deacceptationem. His suppositis sic arguit; legislator non potest condere legem cum adiectione pœnæ, quam non potest infligere. Nam legislator ciuilis frustrà conderet legem de aliquo faciendo sub pœna excommunicationis: quia illam non potest infligere nec exercere. Similiter legislator ecclesiasticus frustrà conderet legem sub pœna suspendii, quia illam non posset exercere: sed sic est, quòd nullus legislator humanus potest infligere pœnam æternam, quæ debetur mortali, nec de ea cognoscere in suo foro: ergo nullus legislator humanus potest condere legem, quò ad adiectionem pœnæ æternæ: ergo non potest obligare sub pœna peccati mortalis capiendo mortale pro illo, quod operatur reatum ad pœnam æternam: aliàs legislator posset condere legem cum adiectione pœnæ impossibilis. Vnde dicit Durandus, quod legislator nō potest condere legem de actibus interioribus, quia de illis non potest aliquid cognoscere in suo foro, nec eos punire: sed solius Dei est pœnam æternam cognoscere, & eam infligere: ergo non spectat ad legislatorem humanum &c. hoc est, nullus prælatus, aut ciuilis, aut canonicus, siue ecclesiasticus potest subditis aliquid præcipere sub pœna peccati mortalis. Ex ista prima propositione sequitur secunda correlaria, quod aliquis potest satisfacere, & adimplere præceptum humanum per mortale peccatum, sicut & aliquis potest mereri transgrediendo præceptum humanum. Patet primùm de illo, qui ieiunat propter appetitum vanæ gloriæ. Actus interior non subiacet imperio hominis, & per illum interiorem, dummodò impleatur exterior, non transgreditur præceptum humanum. Exemplum secundi, patet de illo, qui aliquam mulierem desponsauit clandestinè per verba de præsenti, post modum cum alia contrahit in facie ecclesiæ: cogitur habitare cum secunda, quæ non est sua vxor, sub pœna excommunicationis: talis nolendo cohabitare secū propter Deum meretur, & transgreditur præceptum humanum, & ista est summa opinionis de Gersono. Sed pro opinione opposita, quæ videtur rationabilior, sit prima propositio. Non solùm papa, sed quilibet sacerdos virtute clauium in foro pœnitentiali, & secreto ei in tali foro subiecto ex vi præcepti, potest ipsum subiectum obligare ad aliquam pœnam, quam tenetur acceptare, & facere sub pœna peccati, qui secluso suo præcepto nullo modo peccaret transgrediendo: & hæc est etiam opinio sancti Thomæ: quamuis Scotus oppositum dicat. Ratio est; vnusquisque iudex ordinarius suum subditum conuictum & accusatum de peccato, cuius cognitio ad suum forum spectat, potest punire, & certam pœnam imponere, quam tenetur sufferre. Hinc dicit sanctus Thomas, quod iustè cōdemnatus ad mortē, etiam si pateat ei locus fugæ, tenetur obedire illi sententiæ: & si aufugiat, peccabit: sed sic est, quod iste sacerdos est ordinarius, quantùm ad forum pœnitentiale & secretum, & alter subditus, quantùm ad illum forum: & sufficienter conuictus & accusatus, quia sua confessio est sufficiens conuictio: cùm in tali foro idem sit reus, testis, & accusator, ergo potest illi indicere & imponere pœnam, quam tenetur sufferre: & secluso tali præcepto de illa pœna sufferenda, quamuis fuisset confessus, non fuisset obligatus sub pœna peccati: verumtamen apud Tho. & (apparentia est) superueniente tali præcepto sacerdotis, cui se subiecit, tenetur illam ferre, & non potest renuere, dummodò ipsa pœna sit rationalis: imò tenetur sub pœna peccati adimplere illam pœnam. Vnde authoritas illa, *quodcunque solueris*, intelligitur à peccato, & *ligaueris*, supple ad pœnam, *erit ligatum* &c. videtur hoc sonare: ergo ex vi præcepti sacerdotis ordinarii pœnitens sub pœna peccati tenetur illam adimplere: & hæc opinio videtur probabilior, quam opposita. Scotus dicit, quod si subiiciat se, ad vtrunque tenetur.

Secunda propositio. Concilium generale quantùm ad forum exterius (quia per se non habet potestatem super actus interiores: nam non potest audire confessiones) potest aliquid præcipere sub pœna mortalis, quod secluso præcepto non foret peccatum stando præcisè in lege diuina: & communiter doct. satis concordant in hoc. Patet, concilium generale est tantæ potestatis, sicut erat in primitiua ecclesia: sed in primitiua ecclesia poterat condere legem & statutum, cuius transgressio erat mortale peccatum, ergo & nunc. Patet maior ex tempore Apostolorum, Actuum 10. *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil vobis imponere, præterquam hæc necessaria, vt abstineatis ab immolato & suffocato sanguine, & fornicatione*. Licitum erat gentibus ante & post conuersionem suffocatum sanguinem, id est, occisum sine emissione sanguinis comedere: & hæc prohibebantur in lege Mosi, quæ non obligabat gentiles, & abrogata iam est quantùm ad cerimonialia: nihilò minùs in tali concilio fuit eis prohibitum sub pœna peccati, vt abstinerent ab immolato & suffocato: & erat eis necessarium pro mutua conuersatione. Similiter fornicatio erat simpliciter prohibita, & sic transgressio erat peccatum: ergo potest concilium aliquid prohibere sub pœna peccati. Præterea est præceptum sub pœna excommunicationis (quæ non potest fieri nisi pro peccato) sumere semel in anno eucharistiam. Similiter potest concilium generale ipsam ecclesiam obligare ad aliquid, ad quod, priùs non erat obligata, quia concilium gerit vices ecclesiæ, & repræsentat totam ecclesiam, ideo potest ipsam ecclesiam obligare.

Digitized by Google

Tertia propositio, quam pono secundum hanc opinionem. Summus pontifex in foro exteriori potest aliquid præcipere, ratione cuius trangressio erit mortalis, quæ non esset tali præcepto secluso. Pro cuius suasione dicit Gerson, quòd si medicus expertus & scientificus diceret mihi, iste cibus est pestifer: si ex illo comedas, morieris: teneor non comedere, non vi præcepti medici, sed vi huius præcepti, *non occides* quia teneor non me occidere. Similiter quando prælatus dat aliquod præceptum mihi: teneor illud adimplere, non vi præcepti prælati, sed vi præcepti diuini & superioris. Dico vltrà, quòd potest pontifex virtute potestatis sibi datæ condere præceptum, cuius actio contraria erit peccatum, & adæquatè contra tale præceptum summi pontificis: ita, quòd non erit contra præceptum diuinum directè, neque contra aliquam alteram legem, præterquàm contra legem summi pontificis. Patet sic, summus pontifex obligat ex vi præcepti eius consanguineos in quarto gradu non contrahere: ita, quod illegitimi reputantur in gradu, vel statu prohibito geniti, vt habetur *extrà de clandestina desponsatione, cap. Cum inhibitio.* Sint ergo Sortes & Berta consanguinei in quarto: tunc obligantur non contrahere ad inuicem, ita, quod si contrahant, peccabunt mortaliter, & non erit matrimonium, & ad hoc non obligantur virtute præcepti diuini, quod notificetur nobis per præceptum summi pontificis: ergo ex præcepto summi pontificis obligantur: & vltra, ex præcepto summi pontificis obligantur: igitur talis transgressio est peccatum ex hoc solùm, quia contra præceptum summi pontificis, & non solùm diuinum. Similiter si post istam obligationem factam à summo pontifice in quarto & tertio gradibus Sortes cognosceret Bertam carnaliter, grauiùs peccaret, quàm faceret seclusa tali illegitimatione, quia committeret incestum: ergo illud peccatum efficitur notabiliter grauiùs in esse peccati mortalis, quàm foret sine tali constitutione summi pontificis: igitur talis constitutio ligat ad mortale. Item possunt adduci ad hoc suadendum multæ rationes, & authoritates variorum authorum. Nam ponit Ockam in *fine primæ partis dialogorum, & circa tertiam*, quod summus pontifex ratione delicti priùs commissi in foro exteriori, potest aliquem detrudere in monasterium, & ligare eum, vt seruet perpetuam castitatem, ita, quod si attentet contrahere, peccabit. & secluso præcepto pontificis posse contrahere: ergo potest aliquem ligare ad aliquid, cuius transgressio inducit peccatum mortale. Præterea ante præceptum de non participando cum excommunicato, nullus peccabat communicando cum illo, ergo potest pontifex in foro publico & exteriori ratione clauis sibi datæ à Christo aliquem ligare ad mortale. Similiter ratione delicti potest præcipere pœnam in foro exteriori: & ille, cui præcipit, illam tenetur adimplere. Ideo quantùm ad pœnam soluendam potest ligare sub pœna peccati. Item in sacramentis, vt in matrimonio, potest aliquem ligare sub pœna peccati mortalis, vt visum est de non contrahendo in tertio & quarto gradibus. Similiter quantùm ad specificationem præceptorum Dei potest ad aliquid ligare sub pœna peccati mortalis: nam ex iure diuino teneor confiteri, & suscipere eucharistiam, sed non est ex iure diuino specificatum tempus quando teneor, nisi ex vehementi probabilitate, quòd nunquam postea daretur opportunitas: & summo pontifici data est authoritas à Christo certum tempus determinare, in quo quilibet fidelis Christianus rationis compos sub pœna peccati mortalis teneretur, vt dictum est in lectione *quarti*, in allegatione & declaratione illius *capituli, omnis vtriusque sexus, de pœnitentiis & remissionibus*: & sic in istis tribus casibus se extendit potestas summi pontificis ad arctandum fideles ad aliquid, sub pœna peccati mortalis. primus ratione culpæ, quia habet potestatē punitiuam. Secundus in sacramentis, præcipuè matrimonii, quia potest materiā illegitimare. Tertius, præcepta diuina ad certum tempus limitando. Ad rationes domini de Gersono, ad primam, quæ præcipua est inter alias: *nullus legislator potest condere legem cum adiectione & appositione alicuius pœnæ, quam non potest in suo foro infligere, vt argutum est de laico, qui non potest statuere aliquod statutum obseruandum sub pœna excommunicationis.* Distinguo, vel si talis legislator non habeat authoritatem ab aliquo, qui possit eam infligere in suo foro, verum est, sed vbi habet authoritatem ab illo, qui potest cognoscere discrimen, & pœnam condignam illi infligere, negatur. Vnde dico, quod summus pontifex, quia est vicarius Christi, habet authoritatē ab illo cognoscendi in suo foro de crimine, & aliquid præcipere sub obligatione ad pœnā æternam. Et nō est simile de prælato ciuili, puta de rege vel alio tēporali iurisdictionē habente in temporalibus, cùm talis non habeat potestatē aliquem obligare ad aliquid, cuius transgressio inducat pœnam æternam: quia non est immediate vicarius Christi, sicut summus pontifex, cui potestas immediate ab ipso Christo cōmissa & collata est, igitur.

An papa possit dispensare in præceptis.

CAPITVLVM XII.

VIsum est de prima parte authoritatis, quomodò papa potest vnumquemque ligare, puta ligamine excommunicationis pro peccato. Secundò ligare potest, id est, ad pœnam obligare pro culpa præcedente. Item ligare potest ligamine præcepti ad aliquid faciendum vel omittendum. Iam videndum est de secundo membro authoritatis, vtrū summus pontifex authoritate à Christo sibi collata immediatè possit vnumquemq; fidelē soluere. Et non loquor, an summus pontifex possit vnumquemq; fidelem soluere à ligamine excōmunicationis, quia notum est ꝙ sic. Similiter nō quærimus, an papa possit soluere à ligamine peccati, quia certum est quod sic, si sit presbyter, (non presbyter in papam electus, habet authoritatem in foro exteriori) nec est difficultas, an papa possit soluere à pœna post remissionem culpæ, puta per indulgentiarum largitionē. Difficultas ergo præcipua est, vtrū

papa

Digitized by Google

papa possit vnumquemq; Christianum ligatum ligamine præcepti, id est, obligatum, soluere, id est desobligare, & hoc est quærere, an possit dispensare à præcepto. Secundò supponitur, quod inter præcepta, aliqua sunt purè naturalia, iuris purè naturalis, & illa sunt, quæ vnicuique vtenti ratione nota sunt, vel saltem ex eis deducibilia immediatè, prima vocantur *principia*, & secunda *conclusiones*. Alia sunt præcepta positiua, quæ vnicuique vtenti ratione non sunt nota, neque deducibilia ex eis in consequentia euidenti, sed fortè multùm eis conformia, & propter illam conformitatem ab ipso superiore præcepta, & ista sunt duplicia: nam quædam sunt diuina, altera verò humana. Exemplum primi, vt præcepta à Christo data pro lege euangelica, puta quòd vnusquisque baptizetur, confiteatur &c. Quamuis enim sint diuina, sunt tamen positiua, quia non sunt de lege naturali, sed ex tempore posita: & non sunt necessariò vnumquemque obligantia. Exemplum secundi, vt sunt multa præcepta humana. Tertiò supponitur, quòd dupliciter homo obligari potest. Nam est quædam obligatio, qua obligatur homo absq; omni consensu eius, etiam ipso inuito: & ista obligatione obligatur homo ad omnia præcepta, quæ à Deo sunt data. Ex quo sequitur, quod quilibet homo obligatur ad susceptionem baptismi, & talis obligatio non dependet à consensu libero hominis. Alia est obligatio, quæ ortum habet à consensu obligati: & secluso tali consensu nunquam oriretur talis obligatio, vt obligatio, qua obligatur religiosus seruare obedientiam & castitatem. Nam per liberum consensum suum ad hoc se obligauit, & per promissionem liberã. Similiter sit Sortes maritus Bertæ: obligatur illi, quantùm ad actus matrimoniales ex libero consensu, & promissione illius. Istis suppositis, quæritur an papa possit aliquem soluere à prima obligatione vel secunda? Tertiò supponitur, quòd isti sex termini differunt, scilicet reuocatio legis, & abrogatio eiusdem; dispensatio in lege, & derogatio illius; interpretatio legis, & epikaizatio. Nam reuocatio & abrogatio in hoc conueniunt, quod lex totaliter aufertur, quantùm ad omnes, & quantùm ad conditionem legis, etiam in ordine ad quodlibet tempus, vt lex Mosi est reuocata & abrogata, quantùm ad cerimonialia & iudicialia, quia nullus mansit obligatus ad illa. Sed differunt, quia reuocatio fit à legislatore vel superiori, & abrogatio à consuetudine, & in hoc solùm differunt. Reuocatur lex, quando cassatur obligatio illius ab ipso, qui illam condidit. vel à superiore: sed abrogatur quando cassatur eius obligatio omnimodò per consuetudinem oppositam. Ex quo sequitur, quod lex diuina nullo modo potest abrogari, quamuis possit reuocari, sed lex humana potest, & abrogari, & reuocari. Item dispensatio & abrogatio in hoc conueniunt, quia dispensatio & abrogatio, non auferunt totaliter legem, sed solùm in ordine ad quandam certam personam, vel in ordine ad certum tempus, vt data est Sorti potestas copulandi in tertio gradu cum Berta. cum tali est facta dispensatio lege, quia nõ nisi ad certam vel certas personas. Sed differunt, quia dispensatio fit à legislatore, & abrogatio à consuetudine. Item interpretatio & epikaia differunt, quia interpretatio fit à legislatore, & præcipue vbi lex habet duos sensus. Sed epikaia est, quando occurrit casus particularis, in quo seruare legem esset contra rationem legis: & iudicare in tali casu legem non esse obseruandam, est vti epikaia. Istis suppositis est nunc quæstio terminanda, qua quæritur, vtrum summus pontifex ex authoritate à Christo sibi collata habeat potestatem vnumquemque obligatum, tam præter consensum, quàm ex consensu suo ab illa obligatione soluendi?

Quantùm ad illud, sit prima propositio. Papa non potest in lege purè naturali, aut diuina dispensare, aut reuocare: & sic nemine, nec totam cõmunitatem à debito illius legis potest ipse soluere. Patet sic. Quandocunq; sunt duo superiores, & inter illos est ordo, quia vnus superior, si talis superior præcipiat aliquid vni tertio, & inferior oppositum, vel prohibeat, obediendum est superiori, neglecto præcepto, vel prohibitione inferioris: ergo cùm Deus sit superior in ordine ad omnes præcipiens aliquid vel prohibens, contra illud non potest papa, nec dispensare, nec reuocare, nec oppositum præcipere, vel prohibere. Nam si ita est inter homines, puta si Imperator aliquid præcipiat, & dux oppositum, quod obediendum est imperatori: à fortiori ita erit inter Deum & homines. Ista propositio patet manifestè ex vigesimo secundo cap. Apocalyp. & vltimo: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super eum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & ciuitate sancta: & de his, quæ scripta sunt in libro isto, dicit qui testimonium perhibet istorum.* Ergo summus pontifex nullo modo potest dispensare in his, quæ sunt de lege euangelica: & ista propositio ponitur in multis, capit. 25. quæst. 1. *Omne quod actum est contra legem naturæ, aut euangelicam, irritum habeatur.* Ideo fermè conceditur ab omnibus, quòd non potest papa obligationem ortam à iure diuino, vel naturali etiam in inuitum aliquo modo reuocare, nec in ea dispensare. Aliqui tamen iuristæ tenent oppositum istius propositionis. Panormitanus in *capitulo*, *Licet*, *de feriis*, dicit, quod papa potest dispensare in lege diuina, in præceptis affirmatiuis saltem. Patet, de sanctificatione sabbati, & hoc est contra præceptum diuinum. Similiter hoc tenet Angelus *in Summa*. Nam Martinus quintus consilio maturò habito dispensauit inter aliquos in secundo gradu consanguinitatis, qui est lege diuina prohibitus. Similiter temporibus nostris papa dispensauit cum aliquo, quòd haberet duas sorores vnam post alteram, contra legem Dei, quia habetur: *Non reuelabis turpitudinem vxoris fratris tui*, vt patet in rege Portugalliæ, qui successiuè duas habuit sorores, imò nunc tenet secundam: & de rege Angliæ, qui cepit vxorem fratris defuncti: ergo potest papa dispensare in illis, quæ sunt lege diuina prohibita. Item contra legem naturæ est non maleficos punire: *non patiaris maleficum viuere:* sed princeps laicus sæpe condonat vitam malefactoribus: ergo dispensat contra legem non solùm diuinam, sed naturæ. Quantùm ad primum, nego, quòd papa dispenset in præceptis diuinis: & cùm arguitur de dispensatione sabbati, dico quod non dispensat, sed declarat. Aliquando capitur di-

Digitized by Google

spensatio pro iuris declaratione: & sic potest: sed non potest dispensare, id est, ius diuinum relaxare: & cùm dicitur, de iure diuino est nullum opus seruile exercere: dico quòd in antiquo testamento erat, quod nullum opus seruile die sabbato exerceretur: sed illud erat cerimoniale & non est de iure diuino euangelico, multùm tamen conforme iuri diuino euangelico: sed non est simpliciter de iure diuino, sed præcisè humano. Item in antiquo testamento, quamuis esset prohibitum nullum opus seruile exercere: tamen si fuisset necessarium, erat eis licitum, puta extrahere bouem de puteo: & hoc ostendit Christus Iudæis reprehendentibus discipulos euellentes spicas die sabbati: & non loquitur hic de seruitute peccati, quia talis omni tempore iure diuino est prohibita &c. Item fuit licitum Machabæis pugnare: ideo dispensare in illo, est solùm ius declarare, & non reuocare siue relaxare. Vnde papa permittit piscari & capere haleca die festo, & in hoc ius declarat, & non relaxat. Ad aliud de affinitate in secundo gradu affinitatis, dico quod non habetur quod sit prohibitum iure diuino: & si de facto ita esset, dico quod non erat dispensatio, sed dissipatio: & ad authoritatem: *Non reuelabis turpitudinem vxoris fratris tui*: dico quod illud in veteri testamento erat cerimoniale: ideo non manet in lege euangelica. Sed instatur, quia ecclesia tenet esse de iure diuino non contrahere in illis gradibus affinitatis: & licet hoc non reperiatur in sacra scriptura, tamen dicit hoc tenere verbotenus ab apostolis, sicut tenet formam sacramentorum, quæ non reperitur in sacra scriptura, & est de iure diuino. Solutionem quærat rex Portugalliæ, qui successiuè duxit duas sorores. Ad aliud de laico præcipuè, qui multis malefactoribus dat gratias & condonat: dico primo, quod de lege naturæ est maleficum punire. Secundo dico, quod nulla determinata pœna de lege naturæ determinatur isti malefacto. Tertiò dico, quando non punire non cedit in detrimentum reipublicæ, non est contra ius naturale non punire: sed vbi punire est necessarium ad tranquillam conuersationem reipublicæ, & non puniri cedit in detrimentum reipublicæ & in perditionem: tunc est de iure naturali punire: & tunc neque rex, neque princeps potest legitimè malefactori dare veniam. Ex dictis relinquitur prima propositio manifesta.

Secunda propositio: Papa authoritate à Christo sibi immediatè collata potest obligatum obligatione purè humana soluere, etiam quamuis non habeat ortum à suo consensu, scilicet obligati. Patet per illud commune, *Cuius est legem condere, illius est reuocare*: sed summi pontificis est legem cõdere obligantem Christianos (habet enim à Christo authoritatem constituendi canones & præcepta) ergo ipse habet authoritatem soluendi ab illo ligamine obligationis. Vnde papa non est sub iure, sed supra ius, supple canonicum. Illud, quod est institutum pro charitate & communi vtilitate, non debet contra charitatem militare, sed leges humanæ sunt tales, quod in aliquo casu obseruatio illarum esset in detrimentum charitatis, aut communis vtilitatis: ergo in tali casu apud legislatorem est authoritas remouendi talem legem. Difficultas prima: Vtrum sine causa quacunque, sed ex sola voluntate sua papa possit legem canonicam reuocare vel dispensare? Exempli gratia, vt nulla est causa, neque vtilitas magna, quòd Sortes capiat consanguineam in tertio gradu, an papa pro suo beneplacito possit dispensare, quòd illam ducat: & quòd vterque, tam papa, quam cæteri, cum quibus dispensauit, sint securi in sua conscientia? Ockam in *dialog.* ponit decem & nouem casus, in quibus papa non potest, & eiusdem sententiæ est Durandus *de origine iuris*. Et Bonauentura affert rationem, quia non potest licitè & sine causa rationabili lex obseruata reuocari, vel cassari à quocunque legislatore vel successore eius, & præcipuè, quando affert detrimentum reipublicæ eius reuocatio vel cassatio: ergo non potest reuocari vel cassari, nisi tantum vtilitatis, vel plus afferetur reipublicæ, quantùm ex reuocatione vel cassatione eius auferatur. Patet antecedens: consuetudo multùm valet ad obseruationem legis humanæ: & quæ contra consuetudinem fiunt, quamuis minùs mala, grauiora tamen æstimantur. Nam consuetudo mala peruertit intellectum, quod facit iudicare illud, quod est peccatum, non esse peccatum. Ideo lex, quæ diu obseruata fuit, & consueta obseruari in aliquo populo: si reuocetur vel auferatur, aliquid detrimenti reipublicę illius afferet: cõsuetudo enim multùm confert ad obseruationem legis. Alia difficultas, an papa possit soluere ab obligatione ortū habente à statuto concilii generalis? Nam communiter dicitur, quod concilium generale est supra papam. Gerson *decima consideratione de potestate ecclesiastica*, dicit resolutoriè, quod si occurrat casus, in quo seruando est contra intentionem concilii, ita quod si concilium esset congregatum (nam rarissimè congregatur) dispensaret in tali statuto, concilium in tali casu relinquit authoritatem papæ dispensandi: ideo potest dispensare, non tamen regulariter, quamuis concilium sit supra ipsum.

An contra Apostolorum statuta possit Papa dispensare.

CAPITVLVM XIII.

CONsequenter quæritur, vtrùm dispensare possit contra statutum alicuius Apostoli: & quæritur hoc 27. *quæst.* 4. an possit dispensare de bigamia. Nam statuit Paulus, quod nullus bigamus esset presbyter & episcopus. Et apparet quod papa non potest in tali casu: quia postquam illud est in sacro canone, est de iure diuino, & quicquid in illo continetur: ergo papa non potest super illo dispensare. Sed oppositum arguitur: nam quantùm ad ea, quæ sunt iurisdictionis, Paulus erat inferior Petro, ergo papa in illis statutis Pauli, & constitutionibus Apostolicis potest dispensare, imò etiam in cõstitutionibus Petri. Iuristæ dicunt quòd sic. In *cap. Authoritatem*, 5. *q.* 6. *in glos.* habetur quod potest dispensare contra Apostolum. Similiter & plerique theologi, vt 27. *dist. quarti* Durandus, S. Thomas, de Pa-

de Palude, qui multas rationes adducunt, Ratio Durandi; in omnibus pœnis, quę nō sunt de iure diuino vel naturali, potest dispensare, quia est supra omne ius positiuū non diuinum: sed irregularitas, quæ sequitur ad bigamiā, est vna pœna, quę non est de iure diuino nec naturali. Patet, nihil est de iure diuino positiuo, nisi quod est de veritate fidei, vel necessitate sacramenrorū: sed quod sacerdos nō sit bigamus, non est de veritate articulorum, nec de necessitate sacramentorū: ergo nō est de iure diuino. Quantum ad hoc dicit, quod Apostoli fuerunt reuelatores multarum constitutionū, quæ fuerunt statutæ à Christo, quāuis non sint scriptæ in euangelio, sed scriptæ in Apostolo: & verisimile est, quod nunquam retulit Paulus aliquid sub præcepto quin habuerit à Christo. De bigamia, apparet mihi, quod non potest consequenter dispensare: quia Paulus posuit per modum præcepti, & habuit authoritatem præcipiēdi toti ecclesiæ, ideo referebat præceptum illud tanquam acceptum à Christo. Contra, Lucius papa dispensauit cum Panormitano, qui erat bigamus. Dico quod si dispensauerit cum vero bigamo, qui de facto habuit duas vxores, non fuit vera dispensatio, sed dissipatio: quia eadem authoritate, qua Paulus dicit de episcopo oportere ipsos esse *pudicos non vinolentos* &c. Eadem authoritate dicit, & *vnius vxoris virum*. sed illa concedunt omnes dixisse, tanquam tradita à Christo: Igitur illud est, de iure diuino. Habetur igitur ex resolutione, quod papa potest in statutis à puro homine dispensare, sed non sine causa rationabili. Item non potest soluere aliquem obligatū obligatione ortum habente à iure diuino vel naturali. De obligatione autem, quæ oritur ex iure positiuo etiam sine consensu obligati, potest dispensare & soluere ab illa obligatione.

Restat difficultas de illa obligatione, quæ oritur ex consensu obligati: qua scilicet nō potest obligari inuitus, vt obligatione, quæ oritur ex iuramēto, voto, promissione matrimonio &c. Nā null⁹ obligatur ad castitatē antequam cōsenserit, neq; ad aliquid, quod iurauit se facturum prius, quam liberè consentiat & iurauerit. & ista est duplex difficultas. Prima, Vtrū papa possit dispēsare in obligatione quæ oritur ex voto simplici? Secūda, An in obligatione, quæ oritur ex voto solēni? Quantū ad primum, conueniunt doctores omnes in hoc, quod papa potest dispensare, seu soluere hominem ab obligatione, quæ oritur ex consensu proprio per votum simplex. Sanctus Thomas *secunda secunda, q.* 78. *articulo* 10. dicit quod *dispensatio voti intelligenda est admodum dispensationis, quæ fit in obseruantia alicuius legis. Nam lex fertur vel ponitur à legislatoribus respiciendo ad id, quod est, vt in pluribus, bonum. sed tum contingit in aliquo casu non esse bonum: oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse seruandam. & hoc propriè est dispensare in lege. Similiter, qui vouet, quodammodo statuit sibi legem obligans se ad aliquid, quod est secundum se & vt in pluribus bonum, potest tamen contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impedimentum: quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto. & ideo necesse est, quod determinetur in tali casu votum non esse seruandum. & si quidem absolutè determinatur votum aliquod non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autem pro hoc, quod seruandū erat, aliquid aliud imponatur: tunc dicitur commutatio voti. Vnde minus est votum commutare, quam in voto dispensare: vtrumq; tamen in potestate ecclesiæ consistit.* Hæc Thomas. Contra hoc est difficultas totius materiæ. nam ex deductione sancti Thomæ sequitur, quod papa non potest dispensare in voto, capiendi *dispensare* pro relaxare ius, id est, soluere ab obligatione: sed solum videtur, quod potest dispensare, id est, ius declarare. Patet consequentia ex illo discursu, papa non dispensat nisi pro casu in quod illud, de quo est votum, est malū, vel maioris boni impedimentum: sed in tali casu votum prius emissum non obligat amplius: ergo in tali casu non dispensat, id est, non relaxat, sed ius declarat. Patet minor: Nullū votum periculosum est obligatoriū (& hoc cōceditur ab omnibus) sed in casu illud est perniciosum, quia vouere aliquid malū, est perniciosum. Similiter vouere aliquid non malū, sed maioris boni impedimentū, est etiā perniciosum. Tunc bene sequitur: istud est nūc malū, vel saltem maioris boni impedimentū: ergo votum de illo est incautū vel perniciosum, & per consequens non obligatoriū. Dices: si nunc emitteretur votū de illo, verū est, quod esset malum & incautū: sed pro tēpore, quo fuit emissum, non erat malū, nec maioris boni impedimentū. ergo. Cōtra, est maxima doctoris (& hanc ponit Bonauentura *in tertio circa finem*) talis: *Quandocunq; est votū de aliquo, quod in casu obseruare vergit in peiorem exitum, vel impedit profectū maioris boni, & in casu non: superueniente casu, in quo non vergit, non obligat pro tunc.* Propterea dicit sanctus Thomas in quarto: *Illud quod si præsens esset impediret votum ne fieret: si post votū superueniat, aufert obligationem*, ergo quāuis in casu, in quo emittebatur votum tale non fuisset incautū: si tamen superueniat casus, in quo de nouo emittere esset incautum & incautè vouere, votum priùs emissum nō obligat. & sic videtur, quod papa nō dispensat, id est, relaxat, sed declarat. Dicit Bonauētura: quod *in nullo voto potest papa dispensare*, id est, ius relaxare: *sed tātummodo declarare.* Ratio eius est, postquā votum est emissum, nō est à iure positiuo, quod oriatur obligatio, sed à iure naturali vel diuino, quod remaneat talis obligatio. sed papa nihil potest super dispositione iuris naturalis aut diuini, quia inferior nihil potest super dispositione iuris superioris. ergo, quamuis emittere votum, sit quid liberale & supererogationis, postquàm tale emissum est, oritur obligatio à iure diuino & naturali, de obseruatione illius, qui vouit. Nam obligatio voti ex duobus, quæ sunt de iure naturali, consurgit. Primùm, quòd homo sit verax in promissis. Secundùm, quòd non possit impediri per suam obligationem liberam à profectu maioris boni, vel ab aliquo, quòd cedit in diuinæ maiestatis honorem. ideo, postquàm emissum est, & non accidit casus in quo &c. nec est maioris boni impedimentum, à iure naturali oritur & continuatur obligatio: & sic nullo modo potest papa pro tunc dispensare. Sed si accidat casus, quòd obseruare sit malum, vel maioris boni impedimentum: ad pontificem spectat declarare talem non esse obligatum in tali casu.

Aliter dicunt sanctus Thomas *in quarto* & Richardus, quod papa potest ipsam obligationem soluere, & non solùm declarare, sed etiam ius relaxare. Ratio sancti Thomæ, quæ apparens est, sic ponitur. Votum non potest esse de illicito. ergo per votum non potest auferri ab aliquo illud, quod suum est: quia illud esset illicitum, incautum, & perniciosum. & cum quilibet Christianus teneatur ad obedientiam respectu summi pontificis, sequitur, quod per votum non potest fieri, quin superuenienti causa rationabili teneatur vouens summo pontifici præcipienti oppositum illius, de quo emissum est votum, obedire. Obedientia enim pertinet ad summum pontificem, & in casu potest aliquid mihi præcipere, & teneor illud adimplere. ergo, quamuis prius emisissem votum de tali, ipsi pontifici teneor obedire præcipienti oppositum: aliàs auferrem pontifici, quod suum est. Nam in tali casu si alteri præcipisset, fuisset alter obligatus parère. ergo & ego qui votum emisi. ergo summus pontifex non tantù ius declarat, sed etiam relaxat, id est, per suam operationem facit, quod non sum amplius obligatus, & seclusa operatione manerem obligatus.

Ratio Richardi est talis; Papa habet potestatem tantam vel maiorem super fideles, sicut prælatus religiosus super religiosos sibi subiectos. sed prælatus religiosus dispensat in votis extrinsecis, hoc est, quę non sunt de essentia religionis. ergo papa in voto extrinseco potest dispensare (dicuntur enim vota extrinseca respectu votorum, quæ emittuntur in baptismate.) & ista opinio videtur securior, quod papa non solùm potest ius declarare, sed etiam relaxare. nam postquam votum emissum est: quamuis illud obseruare esset voucnti bonum, & non impedimentum maioris boni, & sic nondum cassata esset obligatio voti: si tamen sit vehemens probabilitas & suspicio, quod talis infringet votum, propter causam apparentem, ita quod est valde difficile eum obseruare quin frangat illud, nisi papa dispenset cum tali: in tali casu nō solùm potest ius declarare, sed etiam relaxare. Illud n. quod est institutum pro charitate, non debet militare contra charitatem. vnde recta ratio naturalis dictat vnicuique, quod in ecclesia debet esse aliquis loco Dei, qui inspectis periculis & personis & commoditatibus earum, possit prouidere vtilitatibus, infirmitatibus, & damnis. & sic adueniente casu, quo obseruatio voti verget in malum & detrimentum vouentis, potest papa cum tali dispensare, vt euitetur malum, quod aliàs magnum accideret communitati, sine tali dispensatione. Vnde differentia est, inter opinionem sancti Thomæ & Bonauenturæ; quia Bonauentura diceret, quod papa non potest dispensare de voto simplici, nisi in casu, in quo de facto votum efficitur perniciosum, & non amplius obligatus. & hoc est tantummodò declarare ius, hoc est, declarare, quod tunc votum non obligat. Sanctus Thomas vltrà hoc diceret, quod non solùm in illo casu, sed adueniente causa rationabili, cum qua tamen de facto adhuc votum tenet & obligat, papa potest dispensare pro illa causa rationali. & hoc est, ius relaxare, quia ibi non declarat, sed cassat obligationem. Ad rationes alterius opinionis, quod postquam votum emissum est, oritur obligatio non iure positiuo, sed diuino naturali: quia de iure naturali est, quod homo sit verax in promissis: & super ius diuinum aut naturale, nihil potest papa. Dicunt aliqui, quod in omni voto intelligitur conditio explicitè vel implicitè: puta si superiori placeat. Sed, vt dicit sanctus Thomas, talis solutio nihil valet: quia si posteà papæ nō placeret, quod obseruarem, non essem ampliùs obligatus: quod est falsum. Et ratio sancti Thomæ est; sunt aliqua, in quibus sumus liberi: & dato quod papa illa prohibeat, possumus licitè illa facere: vt seruare castitatem. si papa mihi prohiberet illam seruare, possum oppositum facere. & ipso prohibēte possum vouere, & illam seruare. Et ad argumentū; ex iure naturali oritur obligatio voti. ergo de iure naturali est, quod obseruetur. verum est, quousque obligatio superiore gerente vices Dei pro causa rationabili sit ablata, & non aliàs. Ad aliud si Sortes promittat aliquid, quod potest facere, & non facit: mendax est. Similiter si iurat, periurus est. sed papa non potest dispensare nec in periurio nec in mendacio. Verum est remanente obligatione: sed quando est ablata vel soluta obligatio, nec est mendax, nec periurus. Resolutio est ergo, quod papa potest soluere aliquem ab obligatione voti simplicis: & sic ius relaxare, & non tantum declarare.

An papa possit dispensare in voto solenni.

CAPITVLVM XIV.

QVantum ad secundam partem, de qua est maior difficultas, an videlicet papa possit soluere ab obligatione voti solennis, hoc est, dispensare in voto solenni? dicit S. Thomas quod non, & hoc non ratione obiecti, seu materiæ, de qua est votum, quod non possit recompensari in melius, sed ratione solennitatis: quia quod semel Deo sanctificatum est, amplius ad humanos vsus trahi non debet. Alia est opinio aliorum communiter tenentium oppositum: videlicet Durandi, Richardi, & aliorum, quod quando emittitur votum de aliquo, & postea superuenit casus, in quo esset incautum & perniciosum vouere de nouo, votum prius emissum non amplius obligat. Et hoc fatetur etiam sanctus Thomas. Sed potest accidere talis casus Sorti in voto castitatis perpetuæ. Ergo votum prius emissum à Sorte de castitate perpetua non amplius obligat. & sic in tali casu papa potest dispensare, ad minus ius declarare, vt patet in casu, quo regnum adueniret filio regis vnico religioso, & est verisimile, quod regnum exponeretur maximis bellis & discriminibus, nisi capiat illud. Et videtur, quod plus tenetur ad seruandum bonum commune, quam ad castitatem. & hoc argumentum videtur mihi apparentissimum, quod non possit emitti votum solenne de quocunque bono de consilio, vt de castitate, quantumcunq; solenne, quin possit accidere casus, in quo papa possit dispensare, id est, ius relaxare. Et arguitur contra Thom. sic. solennitas voti est solum ex institutione ecclesiæ, & non

ex iure

Digitized by Google

ex iure diuino aut naturali. sed casu aliquo in omni iure positiuo humano potest papa dispensare, vel saltem ius declarare. Ergo in voto solenni castitas. cum votum solenne nihil importet vltra simplex nisi aliquid pure positiuum ex institutione ecclesiastica. sed in omni positiuo iure & humano potest dispensare, saltem epikaizare. ergo si potest in voto simplici castitatis, potest in solenni. Votum duplici tantummodo sollennizatur, scilicet per professionem religionis, & per sacri ordinis susceptionem. Sed contra hoc est argumētum fortissimum pro parte sancti Thomæ. Arguitur sic. votum solēne saltē religionis dirimit matrimonium contractum ratum & nō cōsummatum. & nō dirimit iure humano, ergo diuino. & vltrà: ergo à fortiori iure diuino impediet matrimonium futurum: ergo iure diuino illegitimat hanc personam ad contrahendum. sed papa in personis illegitimis iure diuino dispensare non potest. ergo papa in voto solenni non potest dispensare. Quod autem nō dirimat matrimonium ratum iure humano sed diuino, patet per illud: *Quos Deus coniunxit homo non separet.* ergo papa non habet potestatem separandi matrimonialiter coniunctos. & matrimonium per ius humanum nō dirimetur si sit contractum prius. hic dicunt cōmuniter doct. quod gentiles in tertio gradu cōtrahentes, & qui contraxerunt, si conuertantur ad fidem, debent manere in tali matrimonio, quia illud est verum matrimonium. & non potest solui iure positiuo humano. ergo minor satis probata, quod tale votum non dirimit matrimonium iure humano, sed diuino.

Quantum ad hoc argumentum est diuersitas inter doct. nam dicit de Palude *in quarto duo*, quæ non videntur cohærere & stare simul. Primum, quod ista mors ciuilis, quæ fit per votum solenne religionis, dirimit iure diuino matrimonium ratum nō consummatum. Secundum est, quod ista mors impedit contrahendum, dicit solum esse iure humano, & solum ex illegitimatione humana. Sed arguitur contra hoc. Ex dictis suis ista simul starent: matrimonium ratum dirimitur, & tamen si postea attentet contrahere sine causa legitima contrahet de facto. Patet, illa simul stabant antequam esset talis mors, puta si esset abrogatum illud ius illegitimationis. tunc si tentet contrahere, de facto contrahet. ergo stando præcisè in lege diuina posset desponsare duas viuentes absq; morte. Item postquā contraxit cum secunda, vtrum ad dirimendum illud matrimonium sit necessarium aliud votum solenne de nouo? Non est apparentia, quod sic. ergo difficile est dicere, quod votum solēne diuino iure dirimat matrimonium ratum, & tamen iure positiuo solum impediat contrahendum.

Dicunt iuristæ aliter, quod papa potest dispensare in matrimonio rato. Item quod potest statuere, quod per secundum matrimonium rumpatur primum. Vltra, vt habetur in quadam glossa, quidam princeps quæsiuit dispensationem à papa, & allegauit papæ vnam glossam dicentem, quod potest. Respondit illi papa: *Maledictus qui te docuit illam glossam.* quasi dicat: Possum quidē, sed non possum nisi pro magna necessitate. ita quod illa glossa dicit quod papa potest relaxare obligationem mutuam, quę oritur ex mutuo consensu ante consummationem matrimonii. Et ad authoritatē. *Quos Deus coniunxit* &c. verum est, quādo est coniunctio corporum & animorū simul. Istud tamē videtur mirabile, quod papa possit dissoluere matrimonium ex beneplacito eius, & quod possit statuere, quod per secundum matrimonium rumpatur primum: quia tunc aliquis posset omnes mulieres desponsare: Videtur mihi dicendum, quod tale votum solēne religionis iure diuino dirimat matrimonium ratum: & impedit eodem iure matrimonium contrahendum.

Soluit doctor *in libro* argumenta Innocentii, quibus nitebatur probare plenitudinem potestatis in temporalibus competere summo pontifici, ex verbis Christi: *Quodcunq; ligaueris* &c. Dicit Innocentius, quod ly *quodcunq;* nihil excipit. Soluit authoritatē Innocentii, quod non solum est falsa, sed hæreticalis, & quod multa verba Innocentii sapiunt hæresim. Postea mitius agendo cum Innocentio, diceretur, quod nihil excepit, sed postea excipienda docuit. Vel aliter: nihil excepit, quod sit necessarium ad consequutionē felicitatis æternæ. Alia authoritas Hieremiæ primo: *Constitui te super omnes gentes, & regna.* Ostendit doctor quatuor rationibus illam esse sophisticam. Primò, quia Hieremias non erat summus sacerdos: & hoc dato, quod fuisset, dictum fuit illi tantūmodo sicut prophetæ. Doct. non multum curans de authoritate Innocētii, dicit illam authoritatē, qua fundat se in Hieremia, non esse multum curandam. nā Innocenti' in eodem cap. dicit, quod extra *ecclesiam nullum est verum dominium, sed tantūmodo perniciosum.* sed dicit doct. quod hoc est hæreticale. & circa hoc mouebuntur duæ quæstiones.

Iam doct. *in 12. cap.* soluit rationem positam *in 2. capit.* cum arguitur probando, quod papa habeat supremam potestatem & plenitudinem in temporalibus. Ille, qui habet temporalia seu secularia iudicare sine exceptione, habet plenam potestatē in illis. sed papa est huiusmodi. ergo. consequētia est certa cum maiore, sed minor probatur. 1. ad Corinth. 6. *Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Hoc dicit sine exceptione. ergo. Respondet doct. negando minorem. & ad authoritatem Pauli dicitur, quod Paulus non dicit hoc in sua propria persona, quia loquitur in plurali, neque erat papa, neque loquebatur in persona pontificis, sed dicit hoc loquens de toto cœtu fidelium, volens dicere, quod inter fideles esset aliquis constituendus, à fidelibus siue laicus siue clericus, & adhuc magis laicus quam clericus, qui haberet causas temporales & seculares inter ipsos diiudicare, saluo tamen iure iudicis infidelis. Vltra dicit doctor, quod non vult dicere Paulus, quod sit constituendus iudex in secularib', qui in rebus temporalibus habeat omnimodā plenitudinē potestatis in ipsis: quia hoc esset perniciosum reipub. posset enim me priuare bonis meis sine culpa. sed est aliquis constituendus in rebus temporalibus, qui habeat dicere ius, puta hoc est iustum, vel non. hoc est tuum, vel alterius. Non quod habeat omnimodā plenitudinem potestatis, neq; omniū dominium. Dicitur tamē saluo

iure infidelium. nam tempore Pauli & Apostolorum erant multi conuersi Christiani, qui nullam habent iurisdictionem, quorum iurisdictio temporalis erat apud infideles. Neq; prohibuit Paulus fidelibus, quod non agerent causas coram infidelibus superioribus, sed fecit Paulus, vt quilibet bonus iudex debet facere. Primo incitauit partes, vt concordarent inter se sine strepitu iudiciali: & si non, caperent arbitrum: ne eorum malicia cognosceretur ab infidelibus. Vltra dicit Doc. quod fidelis potest in quibusdam causis litigare corã infideli. Et Paulus noluit omnino præcipere, quod nullo modo litigarent coram infideli, sed priùs componerent si possent. quod in aliquibus casibus est licitum. Primus casus, quando infidelis conuocat fidelem ad infidelem iudicem habentem ordinariam potestatem super eum, vt Sortes fideli habitat in regno infidelium, conuocatur ab infideli coram iudice infieli. tenetur parere. Secundus casus, si alter fidelis quamuis maliciosè trahat ad iudicem infidelem habentem potestatem iurisdictionis inter eos, oportet, quod se defendat. Tertius casus, si Sortes fidelis est actor, & tenetur rem propriam recuperare pro tunc, & non potest nisi coram iudice infideli: in hoc casu tenetur partem conuocare coram iudice infideli. Paulus ergo non vult dicere, ꝙ sit illicitum litigare coram infideli iudice: sed dicit, quod in primitiua ecclesia debebat potius cõtumeliam aliquam pati, quam litigare coram illo.

Veniendum est nunc ad solutionem quartæ rationis, quæ tangitur in *secundo capitulo*: quæ solutio tangitur in 12. *cap.* ibi, *ad quartam allegationem*. Arguitur, quod papa habeat supremam potestatem laicam in temporalibus. Nam antiquo testamento sacerdotes semper fuerunt superiores regibus, ergo habebãt maiorem potestatem, quam ipsi reges. patet de Samuele, qui vnxit Saulem in regem, & dedit ei potestatem regalem. & cum nullus dat quod nõ habet, sequitur, quod habebat potestatẽ regalem ad minus eminenter. Similiter, 4. *Regum*. 11. constituit Ioiada Ioas regem. Idem patet, de Carolo Magno, & Constantino imperatoribus, qui exhibuerunt semper reuerentiam summis pontificib⁹. Et sic patet quod tam in veteri testamento, quam apud gentiles & Christianos sacerdotes vnxerunt reges, & deposuerunt eos à regno: vt dictum est de Samuele, qui vnxit Saulẽ, & eum deposuit. Quãtum ad hoc est solum difficultas in exponendis sacris literis. nam 1. *Regum* 8. Quęsiuerunt filii Israel à Samuele, qui erat eorum iudex, regem: & consuluit Dominum. Dixitq; ei Dominus: *Constitue super eos regem*. Respondet doctor, quod Samuel non constituit super eos regem, tanquam habens authoritatem constituendi, sed fuit promulgator constitutionis Dei. & hoc est satis conforme illis textib⁹. nam Samuel non habet potestatem regiam. Tenet de Aliaco, quod Deus erat immediatus rex filiorum Israel, antequam esset constitutus rex Saul: & Samuel erat, sicut Domini de parlamento, sub rege, ita quod Samuel erat minister regis exercendo actus potentiæ regiæ, tanquam minister. Patet. 8. c. 1. Regum: *Ipsi non te spreuerunt, sed me, ne regnum super eos*. ergo Samuel erat solus minister, & Deus verus rex eorum. Vltra dicit doctor, quod Samuel nõ habeat potestatẽ instituendi regem, sed solũ habuit ministrationem illius, qui habuit potestatem instituendi regem, scilicet Dei. & ratio: non n. cõstituit Samuel Saulem regem authoritate sua, sed authoritate illius, cuius mãdato tenebatur parere, tanquam minister. Neq; Samuel eum deposuit, sed Deus. nam dicitur in textu: *Quia abiecisti sermonẽ Domini, abiecit te Dominus, ne regnes amplius*. ideo fuit solùm sententiæ deponentis insinuator & promulgator. Ideo quantum ad primum argumentum nego, quod Samuel regem instituerit & deposuerit, sed fuit minister, sicut Domini de parlamento proferunt sententiam de deponendo aliquem à ducatu, non authoritate, quam habeant in se sed regia. Non potest hoc etiam dato, quod Samuel fuisset summus sacerdos. nam non omnes de genere Leui erant sacerdotes, licet bene essent Leuitæ: sed soli de domo Aaron erant sacerdotes. Quantum ad aliud, vbi dicitur, quod Ioiada fecit Ioas Regem, hoc negatur: imò erat Ioas filius regis, qui remansit, & erat Ioiada tutor & custos, Ioas veri regis, postea mandauit Athaliam occidi. sed ex hoc nihil potest inferri. Quod autem Alexander magnus exhibuit reuerentiam summis sacerdotibus: dico, quod etiam reges debent hoc facere. nam potestas ecclesiastica est præferenda regali nõ in temporalibus. Ideò Alexander nõ exhibuit reuerentiam Ioiadæ supremo sacerdoti, tanquam supremus in temporalibus esset, sed tãquam maiori eo in altero genere potestatis Pariter dicendum est de Carolo magno. Ex dictis patet, quomodo Samuel non contulit potestatem regiam Sauli, eo quod potestas regia fuerit collata à sacerdotibus: imò Samuel non erat sacerdos, quia non erat de domo Aaron. Nam doctores attribuentes papæ plenitudinem potestatis in tẽporalibus, in hoc se fundabant, quod in antiquo testamento fuit collata potestas regia regibus, per ipsos sacerdotes, sed hoc solutum est.

Doctor iam in duodecimo capitulo ibi, *Quod verò prædicti* &c. nititur probare, quod istæ allegationes sunt contra allegantes, & quod Iustinianus, Constantinus & Carolus Magnus recognouerunt sacerdotes tanquam superiores in temporalibus. Primò patet, de Constantino qui dedit temporalia summo pontifici, ergo illa non erant summi pontificis, sed ipsius Cõstantini ante donationẽ. Item non legitur, quod Cõstantinus resignauerit potestatem imperialem tanquam non suã, & postea habuerit eã ex dono põtificis. legitur tamen ꝙ ipse tẽporalia dedit, ex *capitulo*, *Constantinus*, di. 96. ergo hoc erat suũ. igitur non recognouit papam suum superiorẽ in temporalib⁹. Nõ est difficultas apud opinionem communiorem, quod ante Constãtinum Magnũ papa non habebat authoritatem imperialẽ. Et sic eẽ non habuit authoritate Dei, vel ex institutione Christi. Difficultas est inter Doctores, an post illam collationem factam Syluestro papæ, habuerit papam illã authoritatem imperialẽ? Videtur, quod sic per illa duo *capitula*, *Constantinus*, vbi dicitur ꝙ Constantinus coronam & authoritatẽ imperialẽ? dedit Apostolicis. ergo ex resignatione facta iã supremus pontifex habet supremam

mam potestatem in temporalibus, saltem in regionibus occidentis. Item ex *secundo capitulo* habetur, quod consilio satraparũ omnẽ potestatem imperialẽ constituit sedi Apostolicæ. ergo. Dicitur, quod in c. illorum capitulorum ponitur Palea, tanquã non habentium authoritatem. Dicunt cõmuniter doctores, quod nunquã legerunt in historiis authenticis, quod Constantin⁹ resignauerit imperium. Legitur bene, quod Cõstantinus fundauit ecclesias Romæ, & eas dotauit: sed quòd resignauerit imperium occidẽtale, nunquã legitur. Vltrà dicunt pleriq; doctores, quod quãuis nisus fuerit resignare, hoc tamen nõ potuit. nã dicitur Imperator *Augustus* ab augendo. potest n. augere, sed nõ diminuere: & non habet authoritatẽ neq; potestatem dandi regiones illius neq; alienandi: sicut Rex Fanciæ nõ habet authoritatem resignandi regnum, neq; prouinciam datam fisco, alteri dare. Regnum n. nõ est regis, sed cõmunitatis: & ipsa potestas regia est ipsius cõmunitatis. ideo non potest ad libitum alteri resignare. De patrimonio potest, sed nõ de regno. ita dicunt de Constantino. Vnde donatio videtur quædam lex esse. Modò vnus Imperator non potest cõdere legem, quę successorem liget & obliget. Ergo nõ potest quantum ad ea, quæ sunt imperii donationem facere, quæ obliget sequentes. Dicant tertio supposito, quod Cõstantinus habuerit potestatem dandi, adhuc propter hoc non potest argui quod papa habeat authoritatem super regnum Franciæ, quia illud nõ erat subiectum Cõstantino. nunquam n. Rex Franciæ habuit superiorem in temporalibus: & dato quod aliquando tyrannicè occupatum fuisset, nunquam tamen pacificè. Patet, *per capitulum, Venerabilẽ, qui filii sunt legit.* & gloss. in illo capitulo, corrumpit textum, neque quadrat cum textu. De Iustiniano expressè dicit Doct. & bene, ex verbis suis in legibus positis habetur, ꝙ ipse nõ recognoscebat papam suum superiorem in temporalib⁹, imò inferiorem. Patet; ille nõ recognoscit illum suum superiorẽ in temporalibus, qui condit leges, quas vult ab illo obseruari super dispositione temporaliũ: sed Iustianus edidit leges super dispositione temporalium, quas volebat etiam à summo pontifice obseruari. Patet; ædidit legem, ꝙ contra Ro. ponti. nõ curreret præscriptio nisi centenaria. per hoc n. fatebatur se habere supremam iurisdictionem in temporalibus super põtificem: quamuis recognoscat se simpliciter inferiorem: quia potestas spiritualis est excellentior temporali, & potest excõmunicari & absolui. ergo est simpliciter inferior. sed quantum ad res tẽporales non recognouit superiorẽ. Similiter dicendũ est de Carolo Magno, quod non recognoscebat superiorem in temporalibus.

Ad quintam allegationem. Arguit quinto, & circa hoc mota est quæstio: Christus habuit supremã potestatem in temporalibus: sed papa est eius vicarius: ergo habet supremam in temporalibus. & Innocentius tertius adducit pro se, quod Imperator accipit à papa ensem & eum vibrat: ad denotandũ quod habet potestatem illam à papa vti ense. Dictum est de Christo, quo ad diuinitatem, quod habuit supremum dominium. & vtrum quo ad humanitatem, dictum est ample suprà. Iam difficultas est, an habuerit supremam iurisdictionis potestatẽ in temporalibus? Nõ habuit à patre nec à matre: an à Deo? Aliqui dicunt, quod non, vt Mendicantes: & quod Christus fuit verè mendicus. sed quidã doctores hoc reputant hęreticũ. Dico, quod illam habuit. tamen nõ sequitur, Christus habuit supremã iurisdictionis potestatẽ in singulis rebus temporalib⁹, ergo & eius vicarius. nõ valet cõsequentia: nam Christus secundũ humanitatem maiorẽ potestatẽ habuit, quã papa habeat. puta instituẽdi legẽ euangelicam: neq; habuit potentiam alligatam sacramentis. poterat n. cõdonare peccata sine applicatione sacramentorum. & vicarius eius non habet illam, sed solum illam, quæ explicatur in suo vicariatu. nam dedit ei potestatem remittendi peccata, prædicandi, instituendi ministros ecclesiæ, excõmunicandi, dandi indulgentias. sed nullibi reperitur, ꝙ dederit ei potestatem instituendi & destituẽdi reges tẽporales, Ideo ex collatione sibi facta à Christo non habet potestatẽ supremã iurisdictionis in temporalibus. An Christus illam habuerit à Deo? Credo, ꝙ sic. *Data est* n. inquit, *mihi summa potestas in cœlo & in terra.* & aliquando illam exercuit, videlicet quãdo misit dæmones in porcos: alias intulisset damnũ proximo. similiter quando acceptis funiculis eiecit vendẽtes & ementes de tẽplo.

Ad sextam, cum sic arguitur: sicut se habet anima ad corpus, ita spiritualia ad corporalia. nam gratia est præferenda cuicunq; bono tẽporali. Item sicut corpus regitur per animã, ita corporalia regi debent per spiritualia, & per illos, qui potestatẽ spiritualem habent. & tales debent impedire, ne habentes temporalia vtantur illis contra legem Dei, & eos coercere. Dico, quòd corpus quantum ad aliquas rationes non subiicitur animę, vt in descensu, & multis aliis operationibus. Eodẽ modo dico, quod habentes administrationem rerum temporalium, quantum ad aliquid non subiiciuntur habentibus iurisdictionem spiritualem: vt in istis contractibus, emptione, venditione, & multis aliis. Ideo est aliquantulum simile, & aliquantulum dissimile. quare nihil ex hoc concludi potest.

Quantum ad septimum, arguitur sic. ille, qui est omnibus legibus solutus, habet potestatẽ supremam, & ciuilem. sed papa est huiusmodi. negatur minor. papa non est lege diuina solutus, sed est bene solutus legibus humanis aliorum pontificum. nam sicut ille, qui ædit & constituit legem, non obligat seipsum, ita nec suos successores. An sit solutus legibus conciliorum vniuersaliũ? Dico, quod est obligatus illis, imò vouet obseruare leges conciliorum. sed hoc infra tractabitur. Dico etiã, quod aliquibus legibus ciuilibus non est solutus, vt patet in præscriptionibus. imò papa fatetur contra se currere legem præscriptionis. imò si sint aliquæ leges de liberatione & iure alteri⁹, tenetur obseruare: Vt si aliquis transtulerit rem suam in papam, cum aliqua conditione, tenetur ad illam conditionem (prælati seculares sunt capaces donorum temporalium: secus de Regularibus) vt si Rex aliquam ciuitatem donaret ecclesiæ Ro. cum conditione de soluendo tributo, vel recognitione honorum: illa

lege pontifex obligatur: quia res transit cum conditione apposita per dantem. ideo falsum est, quod papa sit omnibus legibus humanis solutus.

Ad octauum; illi, cui est obediendum in omnibus, habet supremam potestatem in omnib⁹, papa est huiusmodi. nego, quod vniuersaliter sit papæ obediendum in omnibus (imò si præciperet papa, quod contraherē matrimonium, nō teneor obedire) sed in omnibus necessariis ad consequendū felicitatem æternam, & ad obseruationem legis euangelicæ. Sed quis iudicabit hoc esse necessariū? Dico, quod docti viri iudicabunt doctrinaliter, & papa authoritatiuè: Similiter & concilium generale potest authoritatiuè iudicare. Sed si papa falsè iudicaret, ad prudētes spectat iudicare illum malè iudicasse: & talis non obediendo est tutus, dūmodo sit apparens, quòd malè præcipit. sed in dubiis semper est ei obediendum.

Ad vltimam allegationem arguunt pro secunda opinione. Ille est supremus in temporalibus, à cuius iudicio in quacunq; re non licet appellare, nec de eius iudicio iudicare. sed papa est huiusmodi. igitur minor patet per textum. 90. *q.* 3. negatur minor, imò papa in tribus casibus iudicari potest. Primus ponitur *di.* 40. *c. Si papa cæteros iudicaturus, à nemine iudicabitur nisi in crimine hæresis vel fidei.* ergo per illud capitulū papa tenetur subire iudicium humanū in materia hæresis. Dicit tamē Doctor, q̀ contingit papam de facto esse hæreticum siue interiori hæresi, siue exteriori. contingit secundo non esse hæreticum, sed de hæresi diffamatum vel suspectum. Si autem fuerit hæreticus qualicunq; hęresi siue mentali siue exteriori, non est amplius papa. & est opinio Doct. quam tenet hic, & in *primo libro Dialogorum*, quod quicunq; cadit in hæresim siue manifestam siue occultam, tam iure diuino, quàm humano est ecclesiastica potestate priuatus. & hoc de potestate ecclesiastica iurisdictionis. sec⁹ est de ordine. Adducit Doctor vnam authoritatem, & vnam rationem. Authoritas est ad Titum 3. *Hæreticū hominem post primam & secundam admonitionem deuita.* & ex hoc sumitur argumentum, nullus obligatur suū caput & supremum deuitare, imo tenetur eum sequi. sed quilibet Christianus cognoscens summum pontificē esse hæreticum, post primam & secundam monitionē eum deuitare tenetur. ergo de facto non est amplius summus pontifex. vnde glo. in 1. cap. 24. q. 1. dicit: *Si scire meum prælatum hæreticum, & excōmunicaret me, nō dimitterem celebrare in secreto, non tamen in publico.* Secundò arguitur sic. ille, qui non est membrum ecclesiæ, non est caput ecclesiæ, sed hæreticus qualicunq; hæresi non est membrum ecclesiæ. quamuis n. sit membrum putridū vel aridum, non est tamen simpliciter mēbrum: & ablata fide nulla est coniunctio ad Christum. ergo non est amplius membrū corporis mystici, scilicet ecclesiæ. ergo non est caput, quamuis ecclesia existimaret eū papam: quia potest tota ecclesia errare in facto, non autem in iure. tamen nō est amplius papa neq; caput ecclesiæ, si sit verè hæreticus, & est opinio Docto. Sed posito quod non sit de facto hęreticus, sed solùm diffamatus de hæresi: dicit Doct. tenetur subire iudicium humanum. Sed quis iudicabit eum? Respōdet, q̀ Episcopus loci, in quo tunc est papa: & si non sit Episcopus, tunc Episcopi vicini debent eum iudicare. & supposito, quod tales Episcopi nolint audire accusantem, & denunciantē & per consequens neq; eū iudicare: tunc quilibet habens potestatem coercitiuā, vt rex vel imperator, vbi non potest aliter iudicari, possunt violenter eum capere. Sed si sit aliquis eum accusans vel plures, etsi non sit hæreticus, tamen tenetur subire iudicium humanum, puta concilii. & si non sit congregatum, debent congregari Episcopi propinquiores. Secundus casus, in quo debet subire iudicium humanum, quando est diffamatus de peccato publico notorio. in prædicto *capitulo, Si papa, in glossa,* vt sit notorius fornicator, & frequenter charitatiue correptus nolit emendari, & præcipuè si tale crimen cedat in perniciem ecclesiæ. Dicit glossa, quòd *pertinacia equiualet hæresi: & eodem modo de eo iudicium fieri debet sicut de hæretico.* Tertius casus, quando pontifex aliquid detinet, quod est alterius, vt aliquam regionem vel prouinciam alicuius ducis, debet subire iudicium humanum. Sed quis eum iudicabit? Dicit Doct. q̀ vel ille, cuius bonum detinet, habet superiorem, vel non. Si non, vt est imperator, debent ex communi consensu dare potestatem arbitro iudicandi. Sed si papa nolit se subicere, tunc armis ille poterit recuperare res suas, & mouere arma contra summum pontificem, postquam ipse fuit inuasor. Si autem ille, cuius possessionem detinet, habet superiorem: recurrere debet ad illum, & ei⁹ authoritate potest mouere bella & arma contra ipsum. quare mouetur talis quæstio sequens circa istud capitulum.

An à sententia summi pontificis possit appellari.

CAPITVLVM XV.

Vtrum à sententia summi pontificis possit appellari: & an sit altera potestas super potestatem summi pontificis: quod est quærere, vtrum summus pontifex in sua potestate alteri potestati etiam ordinariè subiiciatur, etiam manendo summus pontifex. Arguitur, quod non in c. Nemo 9. q. 3. *nemo iudicabit primam sedem.* i. Apostolicam, *neq; à clero, neq; ab Augusto, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur.* ergo non est potestas quæ sit ordinariè superior ad summum pontificem. Oppositum arguitur ex deductione Constan. & Basil. conciliorū, cui concilio quilibet Christianus etiā in papali dignitate constitus obedire tenetur. ergo. Pro cuius declaratione videndum est, quid sit conciliū generale. Cōmuniter definitur sic, & præcipuè à Io. de Gersono: *Et congregatio authoritate legitimè facta, ad aliquem locum ex omni statu hierarchio, nulla persona fideli petente audiri exclusa ad tractandum, ea quæ concernunt publicam ecclesiæ vtilitatem & mores ipsius.* Ex prima particula sequitur, quod omnis congregatio nō legitimè vocata & cōgregata, nō est cōciliū generale. & generaliter authoritas legitima, est au-

Digitized by Google

est authoritas pontificis. Verumtamen in tribus casibus sine eius authoritate potest concilium congregari. Primus casus, si papa sit mortuus morte vel ciuili vel naturali: (nam aliquando vacauit duobus annis sedes Apostolica) tunc sine eius authoritate potest generale conciliũ conuocari. Secũdus casus, si requisitus legitimè, renuat conuocare. Tertius, quando tẽpus & locus fuerunt assignata per conciliũ præcedens, sicut in concilio Basiliensi assignatum futurũ concilium fuit Lugduni, & intra septennium. & in primis duobus casibus non refert quis conuocauerit: tamen in primis recurrendũ est ad cardinales. Dicitur *ex omni statu hierarchico.* nam sunt duo status hierarchici in ecclesia, scilicet status prælatorum superiorum, & inferiorum. vnde in tali concilio debent interesse singuli episcopi. Similiter ex parte clerici & curatorum de singulis episcopatibus aliquis debet interesse: & tales habent vicẽ & authoritatem deliberandi in concilio. Deinde dicitur *nulla persona fideli petente audiri exclusa, ad tractandũ ea, quæ concernũt ecclesiã & mores ipsius.* & quia ecclesia non potest tota cõgregari in vno loco, conciliũ generale repræsentat illam. Quæritur nunc, vtrum tale generale conciliũ ritè cõgregatũ ordinariã habeat iurisdictionis potestatẽ supra papam? Respondetur, quòd hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod papa teneatur obtemperare statutis & decretis per conciliũ sub pœna peccati: alio modo, quod si nõ obtemperauerit, quod conciliũ habeat authoritatẽ & potestatem feriendi papam etiam ipso remanente summo pontifice pœna ecclesiastica, id est, excommunicatione. Supponitur vlteriùs, quod sex sunt potestates ecclesiæ, quæ tactæ sunt priùs. Prima, super corpus Christi verum. Secunda, super corpus Christi mysticũ. Item potestas Apostolica coercendi, instituendi prælatos ecclesiæ, & sexta sumendi necessaria vitæ. Istis suppositis sit prima propositio. Concilium generale legitimè congregatum immediatè à Christo habet potestatẽ illam coercitiuã in foro exteriori & publico. Loquitur enim de potestate, quæ respicit forum exterius. nam conciliũ generale non habet potestatem consecrandi neque absoluendi sacramentaliter, cum non sit sacerdos. Et solũmodò quæstio de potestate iurisdictionis in foro exteriori. illã authoritatẽ habet à Christo immediate, & non à Papa: vt dicunt Iuristæ. Patet propositio, *Matth. 26.* Loquebatur Dominus ad Petrum immediatè: *Si peccauerit in te frater tuus* &c. tandem dicit: *si non audierit ecclesiam, sit tibi tãquam ethnicus & publicanus.* postea subiunxit in plurali: *Quæcunq; solueritis* &c. ergo Christus dedit authoritatem ecclesiæ cognoscendi per hoc, quod dicit Gerson, non dicit *dic ecclesiæ*, id est, prælatis ecclesiæ: quia loquebatur Petro, qui non potest esse accusator & testis & iudex, ideo ibidem non capitur *ecclesia* pro aggregatione prælatorum. dedit ergo potestatem ecclesiæ cognoscendi. ergo concilium generale immediatè repræsentans vniuersalem ecclesiã, & constituitur ex cuiuslibet ecclesiæ partiali mẽbro, habet potestatẽ cognoscẽdi super quẽcunq; fidelẽ, & cognitione habita sententiandi, & contra non parẽtes exercere pœnam & censuras ecclesiasticas. Ex illa authoritate fundant se Docto. quod cõcilium generale habet immediate à Christo potestatẽ iurisdictionis coercitiuam.

Habitum est supra quomodo potestas ecclesiastica iurisdictionis, saltem, quæ respicit forum publicum, est toti ecclesiæ à Christo immediate communicata. quod patet, Matthæi 16. *Si peccauerit in te* &c. statim subdit, *dic ecclesiæ.* in quo verbo est authoritas data cognoscendi de crimine, quia frustra fuisset dicere ecclesiæ, nisi ecclesia authoritatem haberet. & si est data ecclesiæ potestas cognoscẽdi, & per consequens puniendi, id est, excommunicandi. ergo ex institutione prima Christi est ecclesiæ authoritas communicata iurisdictionis, & per consequens concilio generali ecclesiam vniuersalem repræsentanti, quia constituitur ex aliquo membro cuiuslibet ecclesiæ particularis.

Circa hanc propositionẽ, quæ est multum vniuersalis, ponũtur aliquæ particulares de actibus iurisdictionis ecclesiæ. vnde multi sunt actus iurisdictionis ecclesiasticæ, seu effectus potestatis ecclesiasticæ, quos exercere potest conciliũ generale, scilicet, ædere canones, dare indulgentias, excõmunicare. & sub excommunicatione continentur siue intelliguntur aliæ pœnæ, quas ecclesia exercere potest ratione criminis, vt, interdicere, degradare &c. & vltrà potest dispensare: isti sunt quatuor effectus potestatis ecclesiasticæ, quos exercere potest concilium generale: & similiter omnes similes actus, qui respiciunt iurisdictionẽ, excepta absolutione sacramentali: & qui sunt actus iurisdictionis exterioris, potest exercere. Et quantum ad istos actus, ponit aliquis doctor aliquas propositiones.

Prima propositio. Concilium generale potest ex hac authoritate à Christo sibi immediatè data ędere canones punitiuos. Patet sic primò, cõcilium Basiliensę ædidit canones punitiuos contra sacerdotes publicè fornicarios, ꝙ per trimestre fructibus suorũ beneficiorum priuantur: & si recidiuarent & non corrigerentur, perpetuò priuarentur beneficio 83. *in cap. Presbyter*, dicit textus de presbytero, qui dedit literas, quibus docetur de possessionibus ecclesiæ. Dicit concilium Gangrense, quod *ille tenebitur restituere damnum, quod incurritur ecclesia propter celationem illarum literarum vel perditionem, & quod priuaretur perceptione sacri corporis & sanguinis.* ideo conciliũ generale ex illa authoritate potest ædere canones punitiuos.

Secunda propositio. Conciliũ generale potest dare indulgentias. & hoc fuit practicatum in concilio Basilien. Nam Græci excusabant se, quod propter paupertatem non poterant venire ad concilium, tunc concilium dedit indulgentias largientibus bona & pecunias pro expensis illorum Græcorum, pro subleuatione paupertatis ipsorum. Ista secunda propositio sic suadetur. Indulgentiæ procedunt à claue, ita, quod datio indulgentiarum est effectus clauis ecclesiæ. sed clauis regni cælorum est data Petro non tanquam personæ priuatæ, sed vt repræsentanti totam ecclesiam. 24. *quæst. in capitulo, Quodcunq;* fuerunt claues ecclesiæ Petro datæ vt singulari personæ, dicit Augustinus: *sed vt repræsentanti ecclesiam.* ergo concilium generale repræsentans immediatè totam ecclesiam vniuersa-

Digitized by Google

lem, & immediatiùs, quàm Petrus, habet istam potestatem. Item conciliũ generale potest limitare largitionẽ indulgentiarum in ipsis episcopis & prælatis. ergo potest largiri. nam si potest limitare, ergo eminentiùs habet illam potestatẽ. Patet antecedens, in *c. Cum ex eo, de pœnitentiis & remissionibus*. Limitat concilium quod in dedicatione non dantur vltà annum, & in anniuersariis vltra quadraginta dies. ergo concilium habet potestatem limitandi indulgentias, & per consequens conferendi.

Tertia propositio. Potest concilium excõmunicare. patet in verbis Christi, Matthæi 16. *Si non audierit te, sit tibi tanquàm ethnicus*, id est, excommunicatus. Similiter in *capitulo, Omnis vtriusq; sexus*, quod æditũ est in concilio generali: vbi excõmunicantur no cõmunicantes semel in anno, & arcentur ab ingressu ecclesię. ergo concilium excommunicat eos. ergo concilium potest excommunicare.

Quarta propositio. Concilium generale potest dispensare. in *capitulo, Presbyter*. 82. *distin.* est æditus canon, quòd presbyter fornicator deponatur. & ab illo dispensatum fuit in concilio Gangrẽsi, quod permitteretur in ordinibus susceptis ministrare post peractam decem annorũ pœnitentiã. ideo contra canones punitiuos potest concilium dispensare. Habetur ergo resolutoriè, quod concilium in istis quatuor suprà nominatis potest exercere potestatem ecclesiasticam iurisdictionis, & quòd habet potestatem ædendi canones punitiuos, dandi indulgentias &c. Similiter talem potestatem habet qualem papa, vt notum est: qui potest ædere canones, conferre indulgentias, excommunicare, dispensare. Cùm ergo in concilio, & in papa sint istæ duæ potestates, vtrum respiciant se ex æquo: hoc est, an neutra habeat potestatem super aliam, ita, quod vna non sit super aliam. vel, an vna habeat authoritatem super aliam, vt puta, vtrum authoritas concilii sit super authoritatem papæ? De hoc est controuersia inter Doct. Pro cuius declaratione notandum est, quòd multa sunt annexa authoritati alicuius superioris.

Primum est, quod ab inferiori ad superiorem licet appellare, vt ab episcopo ad archiepiscopũ, ab archiepiscopo ad primatem, à primate ad papam, similiter à Baliuo ad curiam parlamenti &c.

Secundùm est, quòd ille habens authoritatem superiorem, potest habentem authoritatem inferiorem iudicare, punire, deponere, suas leges infringere. Nam fungens authoritatę superioris habet potestatem coercitiuam super illam, qui habet inferiorem.

Tertiùm, habens authoritatem superioris siue superior potest ædere leges & constitutiones: & tenebitur inferior secundum illas iudicare: ita, quod si oppositum faciat, de facto suum iudicium erit nullum: ita, quod potest potestatem inferioris certis legibus arctare ad se conformandum illis.

Quartùm, superior vel habens authoritatem superioris certis de causis aliquos potest eximere à potestate inferioris, vt papa multos exemit à potestate inferiorum siue episcoporum.

Istis suppositis est difficultas, vtrum à papa ad concilium vel è cõtra: possit appellari, vel à neutro ad alterum? Item vtrum concilium possit papam deponere & iudicare, vel è contra: vel neutrum alterum? Item, vtrum possit concilium aliquos à potestate papæ eximere, vel è contra: vel neutrum alterum? Item vtrum concilium possit ædere canones, quibus teneatur parere, vel è diuerso, vel neutro modo? Est apparentia in multis textibus, quod papa non possit iudicari à concilio, vt allegatum est suprà, *Nemo iudicabit primam sedem: neque à Cæsare, neque à clero, neque à regibus* &c. ergo concilium non potest iudicare papam: ideo non est supra ipsum, & per consequens non est inferior concilio. Similiter in *capitu. Significasti. de electione*: *Omnia concilia sunt authoritate summi pontificis celebrata*. ergo authoritas concilii dependet ab authoritate papæ. igitur. Item statuta concilii generalis non possunt ligare papam: quia de ratione superioris est, quòd possit inferiorem suis legibus arctare. ergo ex istis textibus videtur, quod nullo modo dici possit, quòd concilium sit supra papam, & quòd authoritas papæ sit sub concilio vel infrà concilium collocata.

Quantùm ad ista est conclusio, quam tenent omnes doctores Parisienses & Galli, quòd potestas papæ est subiecta potestati concilii. Dico primò, quòd quantùm ad originem seu institutionem, potestas papæ non est supra concilium, neque è diuerso, quia vtraque immediatè est à Christo instituta. ergo quantùm ad hoc vna non est super aliam, neque vna dependet ab altera. Sed dicunt cõmuniter doctores omnes Parisien. quòd potestas papæ est sub potestate concilii quantùm ad hoc quòd concilium potest certis legibus papam arctare. ita, quòd tenetur papa iudicare, secundum leges & constitutiones à concilio latas. & quantùm ad hoc est expressa determinatio concilii Basiliensis, & Constanti. quòd concilium in Spiritu sancto congregatum vniuersalem ecclesiam immediatè repræsentans immediatè habet à Christo potestatem: cui omnis Christianus etiam in papali dignitate constitutus obedire tenetur. ergo concilium potest papam certis legibus arctare &c. & isto modo quantùm ad collationes beneficiorum est arctata potestas papæ in regno Franciæ, neque potest sibi ea reseruare amplius. ergo quantùm ad ista est sibi data certa lex, & si faciat contrà, sua sententia erit nulla.

Et apparentia est in ista opinione. Quandocunque sunt duæ potestates eiusdem generis, & vna est deuiabilis, & altera non: potestas, quæ est in supposito deuiabili, debet dirigi secundum potestatem indeuiabilem. Sed quilibet papa est deuiabilis, & concilium generale ritè congregatum est indeuiabile, ergo potestas papæ debet dirigi secundum dispositionem concilii generalis. Apparentia est in maiore maxima, sed minor est vera. nam papa potest deuiare, imò potest hæreticari. Est enim homo non confirmatus, & remanet æqualiter peccator, sicut priùs. Quòd autem concilium ritè cõgregatum non possit errare, patet, semper dirigitur specialiter à Spiritu sancto quantùm ad exercitiũ suæ potestatis. ideo non potest errare secundum id, secundum quod dirigitur. igitur. Patet maior, A-

ctuum

Digitized by Google

ctuum 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* præponitur Spiritus sanctus, quasi regens concilium & gubernans. ergo signum est, quod Spiritus sanctus semper regit & gubernat cõcilium. ergo ratione indeuiabilitatis nituntur ostendere, quod concilium sit supra papam, quantùm ad istud, quod est de ratione superioris potestatis, quod certis legibus potest arctare inferiorem.

Quantùm ad aliud, quod est de ratione superioris potestatis, quod licet ab inferiori ad eum appellare, qui superiorem habet authoritatẽ: videtur satis manifestum, quod licet à papa ad concilium appellare, postquàm papa est deuiabilis, & concilium non potest errare. ergo quantùm ad hoc apparet papam esse inferiorem.

Quantùm verò ad aliud, videlicet, quod potestas superior potest inferiorẽ iudicare: vtrum scilicet ipsum concilium possit papam iudicare, aut deponere à papali dignitate, & alium instituere? Dico, quod quantũ ad hoc conciliũ est supra papam, & ipsum iudicare potest & habet authoritatẽ immediate à Christo. & est maxima apparentia: cum papa sit defectibilis, quòd possit ab ipso concilio, pro erratis puniri. Dicit Dominus de Gersono, quòd quemadmodũ papa potest dare libellum repudii sponsę suæ, id est, ecclesiæ, hoc est cedere papatui, eodem modo si papa sit inutilis sponsę, id est, ecclesiæ, poterit sponsa eum repudiare: & ipsum à papatu auferre. ergo quantum ad illum effectũ iurisdictionis, quod superior potestas potest inferiorẽ iudicare, videtur apparenter quod concilium sit supra papam.

Difficultas quantùm ad istũ modum dicendi: An conciliũ possit excõmunicare papã manentẽ in papatu, id est, ipso existente papa? Hoc postea tractabitur. Quantùm ad alium effectum superioris potestatis, an concilium possit aliquos eximere à potestate papæ, sicut papa aliquos exemit à potestate episcoporũ? Dico, quod conciliũ quantùm ad aliquos effect⁹ potest aliquos eximere à potestate papę. nam potest facere conciliũ, quod aliquos actus iurisdictionis non possit papa exercere in aliquã personã, sicut priùs potuisset ante illã prohibitionẽ: verùtamen non potest quantũ ad omnes sic, quòd non possit posteà aliquos exercere, imò non potest prohiberi vniuersaliter ab omnibus actibus circa aliquam personam. Dat Gerson primò exemplum, de quodam cardinali respectu cuius inhibitum est papæ, ne posset pro peccatis præteritis illum punire, & quòd remaneret perpetuus Legatus: videlicet, quòd papa non posset illum priuare perpetua legatione. sed sic est, quòd papa illos actus iurisdictionis non potuit exercere in illum post tale priuilegium. ergo cõcilium potest aliquas personas eximere à potestate papæ, quantùm ad certos actus iurisdictionis, sed de peccatis futuris non potest concilium facere, neque eos eximere à potestate coercitiua papæ, nisi concilium esset tunc congregatum, & hoc sibi reseruaret.

Adhuc restat difficultas de illo, an concilium possit aliquem omnino eximere à potestate papæ, ita quòd papa non posset eum excommunicare nec pro peccatis præteritis nec pro futuris, vt dicunt aliqui de rege Franciæ, quòd papa non potest eum excommunicare. sed credo quòd concilium non potest illum omnino eximere, quin possit ab ipso papa verè excommunicari pro causa iusta, & pro vera contumacia, nisi consilium esset tunc congregatum, quod reseruaret sibi talem punitionẽ.

Resolutio ergo est, quod potestas papæ potest à consilio certis arctari legibus, & ab ipso ad cõcilium potest appellari, & potest iudicari à concilio: puta (& maximè) si esset hæreticus & obstinatus, & in perniciem ecclesiæ, potest deponi à concilio, & quòd potest eximere certas personas ab eius potestate, quantùm ad aliquos casus. ideo quantùm ad ista potestas papæ est sub concilio, & concilium super ipsum papam propter multa. Primò ratione indeuiabilitatis. Secundò, quia potestas concilii ad plura se extendit, quàm potestas papæ. Nam ad quemcunq; effectum se extendit potestas papæ, similiter & concilii, & cum hoc ad ipsum papam. ideo ratione extensionis potestas cõcilii est supra papam: quamuis potestas papæ non sit à concilio, sed immediatè à Deo: sicut & potestas cõcilii non est à papa, sed etiam immediatè à Deo. nihilò minùs potestas papæ est subdita potestati cõcilii, sicut potestates baliui & præpositi sunt immediatè à rege, tamen potestas baliui est sub potestate præpositi.

Propter difficultatem supra tactam orta est quæstio, sub qua forma deberet poni conclusio in conciliis generalibus. Nam reperitur in statutis hoc modo, *Nos sacro approbante concilio statuimus.* Aliquando reperitur, *Sancta synodus statuit.* Aliquando reperitur, *Sacri concilii authoritas.* in cap. *Nimis. extra de iure iurando*, vbi est conclusio sub ista forma, *Sacri authoritate concilii inhibemus* &c. fuit ergo controuersia, sub qua forma deberet poni concilii conclusio, an nomine concilii, an nomine papæ. Dicit de Aliaco, quòd melior modus est dicere sic, *Sancta synodus statuit* &c. Vel sic, *Authoritate sacri cõcilii statuimus.* Isti duo sunt meliores modi ponendi conclusiones in conciliis, & nõ nomine papæ.

An concilium possit errare.

CAPITVLVM XVI.

Contra hunc modum dicendi, sunt aliqui in oppositum, & pro ampliori declaratione resumẽda sunt aliqua priùs dicta. Nam dictum est primò, quòd concilium est supra papam ratione indeuiabilitatis. Secundò, quia potest ipsum papam iudicare, & non è cõtra, & eum deponere pro rationabili causa. Tertiò, quia concilium potest potestatem papæ certis arctare legibus.

Circa primum. Panormitanus in *cap. Significasti. de electione, & electi potestate*, ponit oppositum, & dicit, & pleriq; iuristæ cum eo, quod *falsum est, quòd concilium non possit errare.* Vnde verũ est, quod

ecclesia vniuersalis non potest errare: sed concilium non est illa: & extra ecclesiam nō est salus. Quilibet Christianus est de ecclesia, & non de concilio semper manet ecclesia, & non conciliū. Quamuis ergo ecclesia vniuersalis errare non potest, nihilò minùs concilium errare potest in moribus, & fide: dicit Panor. Ratio huius est, Concilium Meldense errauit: ergo concilium potest errare. Patet antecedens. Nam 36. *q.* 2. Duo sunt capitula, vnum concilii Meldensis, aliud Hieronymi, cui stant doct. Capitulum concilii est tale: *Placuit, quòd raptor non potest habere raptam in vxorem, etiam si eam dotauerit, & parentes consenserint*: sed Hieronymus in capitulo, *Tria*, dicit: *Tria dico leguntur, in sacris literis matrimonia legitima. Secundum est, si raptor dotet raptam, & precium eius pudicitiæ soluat, ei matrimonialiter coniungatur ex consensu parentum. Primum est, si iuuenis virginem desponsauerit. Tertium est, si rapto auferatur* &c. Arguitur sic. Illud matrimonium secundum est legitimum, teste Hieronymo, imò approbatur, ergo concilium Meldense, dicens oppositum errauit, & communiter tenetur Hieronym. imò videtur dicere Gratianus, quod authoritas Hieronymi fulcita authoritate sacræ scripturæ est præferēda authoritati concilii. hoc est precipuū argumentum Panor. ad probandum, quod conciliū potest errare. Sed respondetur ad hoc negando, quod conciliū errauerit. & ad probationem dico, quod concilium decernit, quòd raptor non potest eam habere, nisi priùs subiaceat publicæ pœnitentię: & ita soluit Martinus in *de temperantia* in materia *de raptu*. Bene verū est, quod si sit solus consensus cū dote, raptor non potest raptam habere, sed si cum hoc subiaceat publicæ pœnitentiæ, consentientibus parentibus potest illam habere. & illud est, secundū legitimum matrimoniū, quod dicit Hiero. in *c. Tria*. & sic non probat Panor. intentum. Itē Hiero. fuit ante concilium, & concilium potest illegitimare personas, quæ priùs erant legitimæ. & potest esse, quòd tempore Hiero. illæ personæ erant legitimæ ad contrahendum, sed posteà sunt illegitimatæ à concilio. Et sic resolutoriè tenendum est, & est probabiliùs, quod concilium ritè cōgregatum non potest errare in fide, & bonis moribus. Vtrū in aliquibus aliis possit errare? Communiter dicunt doctores, quòd sic in his, quæ sunt facti, & non iuris. Exemplum, si Sortes verè contrahat cùm Berta non in facie ecclesiæ, posteà attentet contrahere cum Tiberga in facie ecclesiæ, si materia deferatur ad concilium, iudicabit ipsum debere manere cum secunda, & de facto errabit in illo facto iudicando Sortem esse virum Tibergæ. sed illud est vnū factum, & non vnum ius. ergo in his, quæ consistunt in facto, & non in iure, errare potest concilium. Vtrum possit errare in canonizando sanctos, est difficultas, quia quòd iste sit sanctus, vel non, est vnum factum. Vtrum possit errare in quolibet facto? Dicit Ockam, quòd multiplicia sunt facta, quędam, quæ ex sacris literis elici possunt. exemplum, quòd Christus circuierit per totam Iudæam, est vnum factum, quod trahitur ex sacris literis. Similiter, quòd Moses deduxit filios Israel per desertum. Aliud est factum, quod ex sacris literis non trahitur, vt quòd Sortes sit vir Bertæ. Istis suppositis sit ista propositio. Non potest concilium errare in facto, quod potest trahi ex sacris literis, quia consequenter erraret in his, quæ sunt fidei. Sed in facto, quod non potest trahi ex sacris literis, concilium errare potest, sed in fide, & bonis moribus non potest errare, quia in his specialiter dirigitur à Spiritu sancto. Actuum 15. dicitur, *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Ponitur primò Spiritus sanctus tanquàm director concilii generalis. sed Spiritus sanctus non potest errare, vel aliquem facere errare, neq; decipere. Contrà. ergo Spiritus sanctus nō potest etiam dirigere, vel aliquem facere errare errore facti plùs, quàm errore iuris, ideo Spiritus sanctus non potest esse director erroris facti sicut nec iuris. Dico, quòd concilium generale dirigitur specialiter à Spiritu sancto in omnibus necessariis. Dico etiam, quòd in sententiando, quòd Sortes est vir Tibergæ in casu prædicto, concilium dirigitur à Spiritu sancto, imò bene sententiat: quia secundum alleg. ta & probata, & tenetur sic sententiare. sed non oportet, quòd Spiritus sanctus sit specialiter director omnium aliorum, quæ sunt in cōcilio, puta iudiciorum, intellectus speculatiuorum. Nam hoc est vnum iudicium speculatiuum, hic est vir huius mulieris. sed semper Spiritus sanctus est specialis director quarumcunque sententiarum, & iudiciorum latorum per concilium.

Quantùm ad primum argumentum Panormitani dicentis, quòd *falsum est, quod concilium non potest errare*: Dico, quòd ista propositio, quam assumit, est falsa, scilicet, sola ecclesia vniuersalis errare non potest. & cùm arguit sic Panormitanus, sola vniuersalis ecclesia est, pro qua Christus orauit, ne deficeret fides sua. Dicit enim Petro repræsentanti totam ecclesiam &c. ergo non potest trahi ex sacris literis, quòd concilium errare non potest. sed solùm, quod vniuersalis ecclesia. Nego, imò dico etiam, quòd rogauit pro concilio. Vnde dicit quidam doctor, quamuis Petrus repræsentet vniuersalem ecclesiam, per capitu. Quidam 24. quæstione prima: *Data sunt claues Petro, vt repræsentanti ecclesiam vniuersalem*. similiter concilium generale repræsentat vniuersalem ecclesiam immediatè, quia constituitur ex cuiuslibet ecclesiæ particularis aliquo membro, & datæ sunt claues Petro repræsentanti vniuersalem ecclesiam de remote. ergo dicit doct. quòd quamuis Petrus sit deuiabilis, nihilò minùs concilium generale immediatè vniuersalem ecclesiam repræsentans errare non potest. Et ecce quantùm ad primum. Secundùm erat, quod concilium generale est supra papam, quia ipsum iudicare potest ratione indeuiabilitatis, & ab ipso ad concilium potest appellari. Contrà. nona quæst. 3 cap. Nemo: *Nemo iudicabit primam sedem*. Item 40. distin. capit. *Si papa*, dicitur quòd papa nisi in materia hæresis, non potest iudicari &c. Quantùm ad *cap. Nemo*, Ockam optimè soluit, nemo iudicabit primam sedem iusticiam temperatè desiderantem: hoc est quandiu iustè agit, non debet iudicari. Alii textus sunt constitutiones papæ, & constitutiones aliorum pontificum, qui pro se loquebantur, & nemini credendum est in sua causa. Aliæ sunt meliores apparentiæ.

Christus

Digitized by Google

Christus erat super totum concilium, & non subiectus concilio: sed constituit Petrum, & eius successores suos vicarios, ergo Petrus & eius successores sunt super concilium: Secundò non est difficultas quin Christus instituerit policiam Christianam in optimo genere policiæ: aliàs non fuisset bonus instituens. sed optimum genus policiæ, est policia regalis, puta quando vnus solus principatur: si ergo concilium principatur super papam, policia Christiana esset aristocratica, & non regalis. ergo oportet de necessitate fateri, quod concilium sit papæ subiectum, & non è diuerso. Quantùm ad primum, non est difficultas, quin Christus fuerit super concilium. Concedo etiam, quòd secundum humanitatem fecit papam suum vicarium: tamen consequentia non valet: ergo papa est super concilium. Nam non est difficultas, quin Christus fuerit super infideles, & tamen papa non habet potestatem super illos. ergo consequentia non valet: Christus fuit super concilium generale, sicut nõ valet: Christus fuit super infideles, & fecit papam suum vicarium, ergo papa est super infideles. Ad secundum. optimum genus policiæ est regale, ergo policia Christiana est regalis. Concedo, quia dicit, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* sed illa dicitur regalis, quando vnus solus dominatur, & non plures. Verùm est regulariter. nam in ciuilibus non dicitur policia regalis ex eo, quòd nulla congregatio sit supra regem. nam congregatio nobilium policiæ ciuilis immediate esset supra regẽ, & pro inidoneitate possunt deponi reges, vt patet de Zacharia. Non vocatur ergo regalis eò, quòd nulla congregatio sit super illum, qui gubernat: sed in communitatibus est congregatio semper regens, & semper manet in esse congregationis, sed in policia regali non sic est, quia non est semper cõgregatio nobilium congregata, quæ sit semper super regem. Sic est de ecclesia vniuersali, quia semper est vnus papa regulariter, sed tale concilium generale, quod est congregatum ex omnibus aliis prælatis, vel eorum vicariis, non semper est, qui semper gubernat totã Christianitatẽ. Hinc est, quòd policia Christiana est regalis, & non aristocratica, vel democratica. Concilium politicum est supra regem. & ipsum iudicare, & deponere potest pro inidoneitate, & certa culpa. Similiter nõ est aliqua cõgregatio, quæ regulariter maneat, quæ sit supra papã: sed nihilò minùs tota congregatio prælatorum esset super papam: & nihilò minùs policia Christiana est regalis. & est argumentum præcipuum de Thure cremata, quòd policia Christiana est regalis, & per consequens papa est super concilium, & quòd Eugenius papa poterat dissipare concilium. sed satis visum quomodò soluitur argumentũ. Ad aliàs apparentias. Potestas papæ est immediatè à Christo instituta, & non à concilio, neque potest institui à concilio: sed à solo Deo est instituibilis. Tunc arguitur sic. quandocunque est aliquis institutus in aliqua potestate super aliquam communitatem, quæ potestas non est ab ipsa communitate, super quam constituitur, instituta, sed solùm ab aliquo, qui est superior ad illam totam communitatem: ille non potest auferri nec deponi ab illa tota communitate. secùs est, de potestate regali, & ciuili, quæ instituta ab ipso populo, & per populum alicui communicata. sed potestas papalis non est communicabilis nec institutibilis ab aliquo, de communitate humana nec dissolubilis. Nam illam papalem authoritatem concilium non potest instituere nec dissoluere; imò à solo Deo papalis illa dignitas institui potest. Dico primò, quòd ecclesia non potest auferre potestatem papalem: quia non potest illam instituere. & *vnumquodque dissoluitur per easdem causas, ex quibus componitur*, vt habet regula iuris. Sed difficultas est, an possit illa dignitas auferri ab isto: quia antequàm habeat illam potestatem papalem, aliquid communitatis requiritur, puta quòd ab ipsis cardinalibus eligatur. & quo facto est electus, consequitur illam dignitatem papalem non ab illa communitate eligentium, sed ab ipso Deo. Nam datur analogia: baptismus est vnum requisitum ad gratiam: & gratia solùm à Deo est, & non à baptismo. ergo videtur quòd communitas non potest auferre potestatem papalem ab isto. Quantùm ad hoc, argumentum haberet magnam apparentiam, nisi esset ab illo, qui instituit, potestas collata auferendi: sed est collata à Deo potestas ecclesiæ auferendi si peccauerit super quamcunque. & illa potestas est collata in ædificationem ecclesiæ, & non in destructionem: imò à superiore communitatis collata est in ædificationem. Hinc est, quòd apud communitatem relicta est potestas si in detrimentum ecclesiæ agat, ipsum auferendi. & per consequens concilium immediatè à Christo habet authoritatem iurisdictionis exterioris, super quemlibet Christianum. & argumentum de facto haberet bonam apparentiam, nisi Deus illam potestatem deponendi concilio reliquisset. Et hæc de prima quæstione sufficiant.

SECVNDA QVÆSTIO.

De suprema potestate temporali.

CAPITVLVM I.

IN prima quæstione visum est, an suprema potestas laicalis, & suprema spiritualis, in eandem personam cadere possint, & quid sit potestas spiritualis, & in quo est subiectiuè, & qui sunt actus illius potestatis. quia omnis potestas dicitur potestas in ordine ad actũ: propterea visum est, qui sunt actus illius potestatis supremæ in spiritualibus, & tandẽ visum est; an papa sit subiect' cõcilio generali. Iã qrit̃ in hac 2. q. vtrũ potestas suprema laica seu tẽporalis proprietatẽ sibi propriè propriam ha-

Digitized by Google

beat immediatè à Deo. Vnde visum est, quid sit potestas in temporalibus. Et *potestas* in proposito capitur, pro potestate iurisdictionis, quod nihil aliud est, quàm facultas propinqua dicedi ius, id est, sententiandi, quid iustum, & quid iniustum. Ideo potestas in temporalibus, est potestas dicendi ius in temporalibus, & suprema potestas in temporalibus, est suprema potestas dicendi ius in temporalibus, & ab illa ad alteram non est appellatio, neque ab altera iudicari potest. In primo capitulo circa quæstionē motam, sunt duæ opiniones. Vna dicentiū supremam potestatē in temporalibus proprietatē propriè propriam habere non immediatè à Deo, sed à papa. & fuit recitata in secūdò capitulo primæ quæstionis, quod papa habet supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus, sed hoc repudiatum fuit multis argumētis. Alia opinio ponit aliquas distinctiones. Prima, proprietas alicuius dicitur alicui propriè propria dupliciter: & quælibet potestas tam laica, quàm spiritualis habet suas proprietates propriè proprias. Nam proprietas spiritualis propriè propria est posse excommunicare, absoluere, indulgentias conferre, & alias potestates, de quibus actum est prius. Sūt enim proprietates propriæ illi potestati spirituali. Sed potestas propriè propria potestati laicali est discernere de possessionibus, cuius sint iudicare, condemnare hominem ad mortem ciuilem, seu absoluere à morte ciuili, posse à populis subditis tributa exigere, pro necessitate reipublicæ. Vnde tripliciter intelligi potest, quòd aliqua proprietas dicatur alicui propriè propria. Vno modo, quòd sit illi propriissimè propria, ita, quòd illi soli conueniat sic, quod nulli alteri. Alio modo dicitur alicui propriè propria sic, quòd licet non sit ei propriissima, nihilò minùs inter omnes proprietatès magis illi conuenit, & sic respectu istius dicitur propriè propria, quòd quamuis alicui conueniat, tamen isti magis propriè, quam cuicunque alteri. Secunda distinctio, aliquid esse immediate à Deo dupliciter intelligitur. Primo modo quod illud sit à Deo, sine quocunq; signo creato, & sine quacunq; dispositione creata præuia, ita quòd nullum signū creatum præcedit, vt hoc fiat à Deo. & isto modo Moses habuit ducatum populi Israel immediate à Deo: quia sine quacunq; dispositione præuia Deus per semetipsum contulit ducatum Mosi. Secundo modo, quod ad illud solùm Deus concurrit: tamen aliqua dispositione præuia: vt, cùm Sortes baptizatur gratia, quæ infunditur Sorti, est immediatè à Deo, sed non est à Deo, nisi præsupposito signo, & dispositione præuia. Similiter, cū aliquis eligitur in papam, illa potestas pontificalis est immediatè à Deo, quia non est instituibilis à creatura. Verumtamen Deus isti illam non confert, nisi aliqua electione præuia. Similiter anima rationalis est immediatè à Deo, sed non creatur nisi aliquo disposito ad illam suscipiendam.

Istis distinctionibus positis est quæstio, vtrum talis potestas sit à Deo, videlicet, quòd non sit à Deo nisi præsupposito ministerio alicuius creaturæ præuio. Vel quæstio potest intelligi, vtrum à solo Deo, videlicet, quòd concursus creaturæ nihil faciat, verumtamen instituit ministeriū creatum, antequàm illā conferat. Pro cuius declaratione primò est inquirendū, in quo fundatur illa potestas laica, vtrum in gratia gratum faciente, vel in altero dono supernaturali gratuito, vel in fide vel charactere. De ista quæstione fuerunt controuersiæ inter doctores. Armachanus in tractatu *de paupertate Christi* tenet, quòd omne dominium, seu originale, seu ciuile, seu principatiuum, quod dicitur iurisdictionis, fundatur in gratia gratum faciente, ita, quòd quàm citò peccator perdit gratiam, tam citò perdit dominium. Hanc propositionem nititur aliquibus rationibus probare. Prima. Genesis primo dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt dominetur omnibus bestiis terræ.* ergo dominium ipsius Adæ fundabatur in charitate. ergo & quodlibet aliud Dominium. Quòd autem fundetur dominium Adæ in charitate, patet, per hoc quod dictum est: *Faciamus ad imaginem*, supple per collationem gratuitorum. Antequàm ergo dominetur, signum est, quod illa dispositio requiritur ad dominium. Item Abel habebat dominium in aliquibus rebus, Genesis 4. *Obtulit domino de gregibus suis, sed Cain de fructibus terræ.* ergo per hoc, quod dicit *suis gregibus*, signum est, quòd Abel habebat dominium, & ipse Cain non: quia erat peccator.

Tertium argumentum, Vsus rerum necessarius, ad vitam conseruandam, fundatur in charitate. ergo à fortiori dominium fundatur in charitate. Patet antecedens, 1. *Reg.* 21. Cùm Dauid pateretur famem, petiit panes propositionis. cui respondit Abimelech: *Mundi sunt pueri?* Signum ergo erat: quòd nisi essent mundi, non potuissent vesci illis panibus. ergo cùm minùs sit vti, quam habere dominium: si talis vsus fundetur in charitate, ergo & dominium.

Quartò, iustè viuere, est homagium Deo debitum, propter dominium nobis impensum. ergo si non iustè viuit homo, perdit dominium rerum, quemadmodum vassallus propter ingratitudinem, & scelus contra dominum perdit feudum.

Quintò & vltimo, peccator non est dignus pane, quo vescitur. ergo quilibet peccator est dignus morte. ergo est indignus vita. imò à fortiori est indignus his, quæ necessariò requiruntur ad sustentationem vitæ, scilicet comestibilibus, & potu. Propter has rationes tenet Armachanus, quòd omne dominium tam ciuile, quàm originale fundatur in gratia gratum faciente.

Quantum ad hoc de Aliaco ponit multas propositiones. Prima consequenter ad Ockam dicit tria. Dominium ciuile, vel temporale siue potestas laica non fundatur in gratia prædestinationis. Secundò, non fundatur in gratia gratum faciente. Tertiò, nec in dono supernaturali creaturæ infuso. Patet primùm euidenter: quia tunc non posset esse certitudo in mundo de dominio alicuius. Patet sequela: non potest esse certitudo, quod iste sit prædestinatus. Nemo enim scit, an odio, vel amore dignus sit. igitur. Si dicas, hoc aufert certitudinem dominiorum purè ciuilium, & ponit quemlibet possessorem alicuius rei in statu peccati mortalis. Patet, quia quilibet habet dubitare de qualibet re, an sit

an sit sua. Vltrà dicit, & bene, quòd tale dominium non fundatur in gratia gratum faciente, hoc est, non requiritur gratia gratũ faciens ad hoc, quod aliquis sit Dominus alicuius rei. Præcipua ratio habetur in Exodo. Dominus fecit domos luteas obstetricibus Ægyptiacis, quia ad mandatũ Pharaonis non interficiebant pueros Iudæorum. ergo illę domus erant earum, sed illæ obstetrices non erant in charitate, imò erant idololatræ. Ideo dicit Gregorius, quòd illud obsequiũ remunerauit Dominus bono temporali, quod aliàs remunerasset bono æterno. idcirco non solùm falsum est, imò hæresim sapięns, dicere quòd dominium ciuile fundetur in gratia gratum faciente. infert de Aliaco contra Armachanum, quòd si rex peccaret mortaliter, deuolueretur regnum ad filium. Similiter si rex habeat duos filios, & iunior prius baptizetur, quòd regnum deuolueretur ei Pater; merebatur illud habere, & nõ perdidit, propter peccatum, vt suppono. ergo tur. & multa alia infert absurda. Dico vltrà, quòd nec fundatur in fide nec in charactere, nec in aliquo dono supernaturali. Nam apud gentiles fuit verum dominium ciuile antequã Christus veniret, sed in ipsis non fuit character, nec gratia gratum faciens, quamuis haberent gratias gratis datas. igitur. Vnde suprà cùm assignabantur differentiæ inter dominium spirituale, & ciuile, dictum est in vna illarum, quod spirituale fundabatur in dono supernaturali, & non ciuile dominium. quæritur ergo, in quo fundatur? Dicit Alia. quòd in duobus cõmuniter, scilicet in aliquo titulo creato. secundò in approbatione diuina. nam antequam aliquis sit alicuius rei verus Dominus, oportet de necessitate Deum approbare, id est, Deũ velle, quòd illo dominio siue illa potestate potiatur. Ratio est; quia Deus supremus est Dominus omnium, *quia Domini est terra*. cæteri verò Domini sunt solùm sub ipso. ergo antequã aliquis sit Dominus, oportet de necessitate approbatio Domini superioris. sicut est impossibile causam secundã agere sine prima, ita est impossibile Dominum inferiorem habere iustum dominium vel potestatem, nisi ex approbatione diuina. Hoc dicit Apostolus, *Non est potestas, nisi à Deo*: ergo nullus habet potestatẽ iurisdictionis, nisi ex approbatione diuina, sed Deus cõmuniter approbando habet, vel vtitur aliquibus titulis creatis mediantibus, quibus approbat, scilicet vel titulo successionis, vel hęreditate, vel venditione, vel donatione, vel aliqua permutatione. Tota ergo resolutio de Alia. est quod dominium ciuile non fundatur in gratia prædestinationis, nec in gratia gratũ faciente, nec in fide, aut charactere, siue aliquo dono supernaturali: sed in sola approbatione diuina fundatur quæcunq; potestas iurisdictionis ciuilis & laicæ, ita, quod causa efficiens quare iste est Dominus huius rei, vel habet iurisdictionẽ, est quia Deus vult, & approbat illum esse Dominum illius. Restat modò soluere argumenta Armachani. Quantum ad primum argumentũ de Adam, quod præpositus est Dominus cæteris per donã spiritualia. Dico, quod nõ est inconueniens, quod aliquando Deus sumpserit pro titulo dona gratuita. forsitan sicut fecit in Adam & Abel, sed hoc non requiritur vltrà, imò esset erroneum hoc dicere. Quantum ad aliud de Dauid, quod nõ poterat iustè vti panibus propositionibus sine charitate: ergo nec habere iustum dominium sine charitate. Negatur consequentia. nam quod non potuisset illis panibus iustè vti sine charitate, hoc nõ est, quod ad dominiũ requiratur charitas: sed hoc erat, quia panes sancti erant: sicut ad hoc, quod aliquis vtatur eucharistia, hoc nõ est, quod ad dominium illius requiratur charitas, sed hoc est ratione dispositionis requisitæ, ad talẽ cibum vescendum. Quantum ad aliud, peccator quilibet est dignus morte, & indignus vita: vtrumq; cõcedo: nam Deus posset iustè abstrahere ea, quæ requiruntur ad vitæ peccatoris sustentationẽ. & eum iustè dare morti rationẽ peccati, & auferre quæcunq; necessaria vitæ, & tamen non aufert, sicut vassallus rebellans est indignus feudo, quod habet: ergo Dominus aufert. Non valet consequentia: imò potest sibi relinquere tale feudum. Similiter consequentia non valet: offendens Deum est indignus pane, quo vescitur, ergo Deus aufert, & priuat talem offendentem tali pane: sed bene sequitur: ergo iustè posset priuare si vellet: & sic patet, quomodò ista argumenta Armachani nihil concludunt contra conclusionẽ principalem: videlicet, quod dominium non fundatur in charitate, sed in approbatione diuina &c.

An habens supremam potestatem in temporalibus, habeat proprietatem in aliquibus rebus particularibus.

CAPITVLVM II.

CONsequenter doct. in secundo capitulo ponit duos modos dicendi circa quæstionem, videlicet, vtrum habens supremam potestatem laicam, ex ratione illius potestatis supremæ habeat aliquam proprietatem sibi propriè propriam: supponitur, quod dictum est prius in primo capitulo, quid est habere potestatẽ propriè propriã. & quid est habere immediatẽ à Deo. Itẽ dictum est prius, quod quamuis rex vel aliquis Dominus temporalis habeat iurisdictionem super bona mea, & corpus meum, nihilò minùs bona mea, & corpus meum non sunt eius. nam non sum seruus eius: ideo non habet dominium proprietatis in illis. Istis suppositis difficultas est: vtrum ipsi supremæ potestati laicæ, quia talis, sint aliqua bona, quorum proprietas ad eum spectet, qui fungitur tali potestate. Dicit doctor in principio, quòd habens supremam potestatem laicam, habet proprietatem in aliquibus rebus: puta, quas habebat antequam fungeretur tali dignitate & potestate suprema, & quas obtinet nomine priuato, & non nomine regio, vel imperatorio, in talibus habet proprietatem propriè propriam: sed difficultas est, vtrũ sint aliqua bona ita connexa illi supremę potestati laicę, seu tẽporali, quod quantũ ad proprietatẽ propriè propriã semper sint illius, qui fungitur tali potestate, & q̃ habeat proprietatẽ in illis reb'. & talis est difficultas de curatis, & prælatis ecclesiæ. nã curæ pastorali

Digitized by Google

& episcopatui aliquando sunt annexa aliqua bona. Quæritur inter doctores, vtrum talia bona, quò ad proprietatem sint illius, qui habet curam talem pastoralem, ita, quòd realiter sint eius. Similiter imperiali dignitati annexa sunt aliqua: vtrum talia quò ad proprietatem propriè propriam sint illius, qui de facto fungitur dignitate imperiali? Prima opinio dicit, quòd non sunt eius, & argumentũ huius opinionis est: Quandocunque aliqua, quò ad proprietatem sunt alicuius, potest qualitercunque vult, & pro libito de de illis disponere: & si donat, de facto tenet talis donatio, si prodigè exponat: licet peccet, non tenetur ad restitutionẽ illorum. sed si Imperator disponat, sic prodigè de rebus annexis imperio, non solùm non peccat, sed & tenetur de bonis propriis restituere imperio. ergo talia non sunt eius, quantum ad dominium, & proprietatem propriè propriam. talia, inquam, annexa dignitati imperiali. Similiter dicunt hoc argumento, quòd episcopus prodigè exponẽs bona episcopatus, tenetur ad restitutionem, quia non sunt eius, sed totius cleri, & est, vt dicunt, solùm administrator. Item, qui habet supremam potestatem laicam regalem, regit ad vtilitatẽ publicam & cõmunẽ; & ille non regit, qui regit pro suo priuato bono ergo annexa tali regimini sunt communitatis, & nõ dominantis. ideo rex non est nisi administrator. & est apparentia pro ista opinione. Alia est opinio, q habet proprietatem, ita, quod illa sunt eius propriè: ita quod habens imperium, habet proprietatem propriè propriam in aliquibus rebus. & motiuum illius est, ille, qui habet dignitatem imperialem, debet maximè pollere virtutibus politicis, inter quas magnificentia & liberalitas sunt maximè, sed non potest illis virtutibus pollere, nisi habeat abundantiam rerum: & nisi sit proprietarius, nõ potest donare: ergo in talibus habet proprietatem. quando est in tali dignitate constitutus, aliqui efficiuntur inimici eius, quibus non potest facilè resistere sine acquisitione amicorum, & manu tenentia & largitione bonorum. sed sic est, quod non potest illa largiri, nisi habeat proprietatem in illis. igitur: vtrum ergo rex vel Imperator habeat proprietatem in illis bonis, quæ sunt à communitate deputata dignitati regiæ, vel imperiali. vel vtrùm sit administrator? nam leuantur tributa, & pædagia, tallagia &c. similiter sunt aliquæ possessiones, & vrbes, & castra data regi nõ pro persona sua, sed pro vtilitate regni. Quòd non sint eius, est apparentia, quia Rex non potest alienare regnum, neque præcipuas vrbes regni in alterum transferre.

An Imperator habeat suam potestatem immediatè à Deo, vel à papa.

CAPITVLVM III.

QVantum ad tertium capitulum supposito, quòd Rex vel Imperator habeat proprietatem propriè propriã, est difficultas à quo habet immediatè, vel à Deo, vel papa. Prima opinio est, quod immediatè habet à Deo, quemadmodũ quando eligitur Sortes in Papam, eo facto, quo est electus, & electioni præbet consensum, Deus sibi confert immediatè authoritatem papalem, siue spiritualem, & illam non habet ab electoribus, quia illã non habent: ita, eo facto, quo aliquis est electus Imperator, & præbuit consensum, habet potestatem temporalem supremam à Deo immediatè. Istius opinionis est Glossa. *96. dist. c. Si Imperator*. Ratio istorum est, quandocunq; aliquis eligitur ad potestatem aliquam, & non habet illam ab electoribus, nec à coronante, nec à confirmante: illam habet immediatè à Deo: sed Imperator non habet potestatem imperialem ab electoribus, quamuis requiratur electio, nec à confirmante, ergo habet immediatè à Deo. Præterea dicunt Doct. quod papa habet immediatè à Deo potestatem, non à confirmante: quia non indiget: & si sit aliquis confirmãs, est solum propter pompam, & non necessitatem (sed episcopus requirit de necessitate confirmationem, ideo non habet episcopus immediatè potestatem, nisi à confirmante, & non habet antequam confirmetur & consecretur) eodem modo dicunt de Imperatore, quàm citò est electus, antequam confirmetur, habet potestatem supremam laicam iurisdictionis: & de facto potest vti illa, & exercere; & exercitiũ tenet: præterea dicũt, quod nec habet à confirmatore, nec ab electore, sed immediatè ab ipso Deo.

Secunda opinio, quòd Imperator non habet immediatè illam à Deo, sed immediatè à papa, & mediante papa ab ipso Deo. Ista opinio adducit multas rationes. Prima, est apparentior: quando est aliquis in aliqua potestate constitutus, & alteri ratione talis potestatis præstat iuramentũ fidelitatis videtur habere illam, ab illo, cui præstat iuramentum fidelitatis, sed sic est, quòd Imperator præstat iuramentum fidelitatis papæ: ergo habet illam à papa (in Gallia episcopi præstant iuramentum regi, quantũ ad temporalia, & papæ, quantũ ad spiritualia.) Vnde Imperator in coronatione vltima præstat iuramentũ fidelitatis papæ, ergo habet illam potestatem laicam à papa, & nõ immediatè à Deo. videantur aliæ rationes in doctore. Visum est, vtrũ Imperator habeat proprietatẽ propriè propriam in rebus appropriatis dignitati imperiali, quia nõ est difficultas, quin habeat in aliquibus rebus, quas habebat antequã esset Imperator, & in rebus posteà acquisitis propria industria: sed difficultas erat de rebus dignitati imperiali annexis: & sicut dictũ est, est eadẽ difficultas sicut de clericis, an habeant proprietatem rerum annexarũ beneficio: & hanc difficultatẽ quærit doct. in *secũdo tract. secundæ partis dialo. lib. 2.* Vtrum Imperator sit Dominus omniũ rerum? & apparet quod sic. Nam Imperator est Dominus totius mundi, ergo & omnium rerum temporalium. Item Imperator est Dominus aliorũ hominum à se, ergo à fortiori est Dominus omnium rerum, quæ possidentur ab illis hominibus. Alia apparentia, rex quilibet est Dominus omnium, quæ sunt in regno suo. ergo Imperator mundi omnium quæ sunt in mũdo. Patet antecedens 1. *Reg.* 8. dicit Samuel ad populum petentem regem: *Hoc erit ius regis, filios vestros tollet in curribus, & faciet sibi centuriones: hoc erit ius regis*, si erit ius regis, ergo poterat

hoc

hoc iustè facere. *praeterea filias vestras tollet, & faciet vnguentarias, vineas & agros tollet, & dabit seruis suis.* Ex illis verbis patet, quòd rex habet proprietatem & dominium, & personarum, & bonorum, quia potest & filios tollere, & filias ad seruitium suum, & ad vtilitatem propriam: similiter tollet vineas & agros, ergo vnusquisque rex iure, & iustè habet dominium singularum rerum, quae sunt in regno suo. Pro ista quaestione supponendum dicta suprà, quod Dominus potest importare dominium proprietatis, vel dominium iurisdictionis, ita, quòd sit sensus: vtrum Imperator habeat dominium iuris, hoc est, potestatem dicendi ius super singula, quae sunt in regno: vel vtrum habeat proprietatem illarum rerum: ita, quod sit verum dicere, quaelibet res regni est Imperatoris vel regis. Secundò supponendũ, quamuis ille, qui non habet dominium proprietatis, habet tamen dominiũ iurisdictionis, in aliquo casu habet potestatẽ transferendi inuito Domino particulari rem suam in proprietatem alterius, vt Sortes, qui de facto est verus rex, nihilò minùs non habet potestatem proprietatis, id est, proprietatẽ in rebus Platonis, sed solùm potestatem iurisdictionis. Dico, quod Sortes rex habet aliquando in casu potestatem transferendi res Platonis in Ciceronem, & hoc spectat ad dominiũ iurisdictionis. Nã Plato potest peccare, ratione cuius peccati res suae erunt fisco applicandae: quo facto ad Sortem regẽ spectabit non ratione dominii proprietatis, sed ratione dominii iurisdictionis res Platonis in dominium alterius transferre. Isto modo Imperatores & reges per leges vsucap. & praescrip. quamuis in illis rebus non habuissent proprietatem: nihilò minùs transtulerunt illas authoritate iurisdictionis, in praescribentes & vsucapientes. Notandum vltrà, quòd dominium iurisdictionis non solùm se extendit ad res possessas, sed etiam ad personas. Paulus ad Roma. 13 *Non sine causa gladium portat, in vindictam malefactorum.* Item notandum quòd rerum existentium in regno, quaedam sunt immobiles, alię verò mobiles. Immobiles, quae non possunt transferri, vt ager, domus. Mobiles, quae transferri possunt, vt aurum, argentum, lectus, vasa, &c. & istarum vtraeque quaedam appropriantur Imperatori, sic quòd nulli alteri. Aliae verò appropriantur, quibusdam alteris: exemplum primi, vt fructus paedagiorum, taliarum, salinarum &c. Similiter castra, & quaedam vrbes sunt appropriatae Imperatori vel regi, sic quòd nulli alteri. Istis suppositis, vtrum Imperator sit Dominus omniũ rerum, sit prima propositio. Imperator non est Dominus, quantum ad proprietatem omnium rerum, quae sunt in mundo: imò non est Dominus omnium rerum, quae sunt in Imperio suo: & capio Imperatorem, ac si esset Dominus totius mundi. Patet, quilibet, qui est Dominus alicuius rei, potest illam vendere: sed non potest Imperator omnem rem vendere: ergo non est Dominus, quantum ad proprietatẽ cuiuslibet rei. Ista propositio ponitur in *cap, Eos* 1. *quaest.* 1. habetur ibidem, quòd *omnis Dominus rem suam vendere potest si vult, siue seruum, siue aliquid eorum, quae possidet:* sed sic est, quòd Imperator non potest singulas res imperii vendere, si vult. Patet, non potest res meas ad libitum eius vendere sine peccato, ergo ipse non habet proprietatem in illis rebus. Vnde expresè habetur 23 *quaest.* 8. *in cap. Quae omnia sunt Imperatorum.* Dicit expresè glo. non quò ad proprietatem, sed quantum ad iurisdictionem relinquitur ergo prima propositio vera, quòd quamuis esset aliquis Imperator totius mundi, non esset Dominus omnium rerum, vt ly *Dominus* importat dominium proprietatis. Secundò patet ista propositio; quicunque dat rem, cedit proprietati illius, & transfert illam in alium, & non remanet amplius illius rei proprietarius: imò hoc est donare propriè: sed Imperator multa dat & dedit, ergo nõ remanet ampliùs illarum rerum proprietarius. Et ista propositio est manifesta, videlicet, quòd Imperator non est Dominus singularum rerum. Pariformiter rex Franciae non est Dominus omnium, quae sunt in regno suo. imò nihil proprietatis habet in agris meis, licet habeat proprietatem iurisdictionis in illis. Secunda propositio; Imperator non est Dominus omnium rerum, vt ly *Dominus* importat dominium iurisdictionis, & non proprietatem. Patet, primò non est Dominus regni Franciae, neque illorum, qui sunt in illo regno: per *cap. venerabilem, qui filii sunt legitimi.* Rex Franciae in temporalibus nullum recognoscit superiorem. Hanc propositionem ponit de Maronis in tractatu, quẽ aedidit *de re ecclesiastica:* & deducitur in *procemio pragmaticae sanctionis.* Apparentia est; multi reges, qui nullum recognouerunt superiorem in temporalibus, fuerunt optimi viri & canonizati, vt sanctus Ludouicus, & non est verisimile, quòd si habuissent superiores in temporalibus, quòd non recognouissent illos; igitur. Et ista est propositio Doct. quam credo veram, videlicet, quod Imperator quantum ad ea, quae sunt in regno Franciae, nullam habet potestatem iurisdictionis. Secundò, Imperator non habet potestatem in viros ecclesiasticos, praecipuè in sacerdotes, imò sunt exempti iure diuino, vt dictũ est prius, à iurisdictione laica: & hoc expresè habet Innocentius, in *cap. Solitae. de maioritate & obedientia.* & cùm dicitur: *Non sine causa gladium portat:* hoc est intelligendum, quod solùm in eos gladio vtitur, id est, iurisdictione temporali, qui sunt illi subiecti, puta in laicos. Huius opinionis est Innocentius. 3. quòd sacerdotes & ecclesiastici nullo modo potestati, id est, iurisdictioni imperiali sunt subditi: & hoc dicit Panormita. in *c. Solitae.* Ergo secunda propositio vera, quod Imperator non habet dominiũ iurisdictionis in singulis hominibus, & rebus mũdi. Consequẽter apud Doct. dicitur, quod in rebus mobilibus appropriatis imperio habet dominium proprietatis. Patet sic, ille habet dominium proprietatis in aliqua re, qui potest illam qualitercunque, & ad libitum exponere, quamuis aliquando peccet exponendo: qui tamen non tenetur ad restitutionem sed Imperator qualitercunq; exponat prouentus imperii & fructus, id est, res mobiles, vt fructus vrbium &c. nullo modo tenetur ad restitutionem, quocunque modo exponat: hoc est, certissimum: ergo quantum ad istas res mobiles Imperator habet dominium proprietatis. Eodem modo dicitur de ecclesiasticis, quòd in rebus mobilibus, id est, in fructibus beneficiorum, qui proueniunt ex rebus, hoc est, agris & posses-

Digitized by Google

fionibus annexis beneficio, habent proprietatem: & qualitercunque exponant illos fructus, non tenentur ad restitutionem, vt dicit Dominus de Gersono. Similiter Imperator quantum ad res mobiles sibi prouenientes ratione dignitatis imperialis, habet in illis proprietatē propriè propriam. Sed quantum ad res immobiles dicit Ockam in loco præallegato: Si alienatio illarum rerum immobiliū non sit in detrimentum imperii, tunc Imperator potest donare & alienare, vt quædam castra, quosdā agros non notabiles: sed si alienatio illarū sit in maximum detrimentū imperii, nullo modo potest alienare pro libito: imò si tentet alienare, alienatio est nulla: & tenetur restituere. Resolutio: Imperator siue rex non habet dominium proprietatis, in singulis rebus regni vel imperii. Secundò non habet dominium iurisdictionis in singulis rebus, nec in singulis personis: sed quantum ad res mobiles annexas imperio habet proprietatē & dominium proprietatis ad libitum eius disponendo: quātum verò ad immobiles, vt est imperium ipsum: vrbes, castra, iura imperialia, ducatus: quorū alienatio esset in detrimentum imperii, non habet dominium proprietatis: quia vt dictum est, non potest pro libito alienare, vel donando, vel vendendo, vel commutando: eodē modo dicendum, de quolibet rege & suo regno. Vnde filia in regno Franciæ succedit in rebus mobilibus, sed quantū ad immobilia ad regnum spectantia, vt regnum ipsum, & cæteras vrbes, quæ sunt regno annexæ, nunquam succedit. Ratio est, quia nunquam fuerunt patri regi appropriata: quia nunquam potuisset pro libito disponere neque vti. ideo quantum ad res mobiles, habet proprietatem propriè propriam. Similiter quantum ad res immobiles, quæ non sunt de annexis, vel propriis regni. His dictis restat soluere authoritatem: primi Reg 8. *Hoc erit ius regis* &c. *filios & vineas tollet* &c. Quantū ad hoc dicit Ockam, quòd ibi *ius* non notat dominium proprietatis, sed iurisdictionis: nam istud ius, scilicet sumere filios & agros, erit solum ius illa assumendi in vtilitatem publicam. Nam rex pro vtilitate & conseruatione reipublicæ, occurrente necessitate potest accipere homines ad hoc, & cuiuscunque hominis bona licitè sumere ad tuitionem reipublicæ & regni. & ideo *hoc erit ius regis*, hoc est, hanc habebit potestatem, vt pro vtilitate cùm fuerit opportunum sumat, & filios, & vineas, & agros: sed ex illo textu non intelligitur, quòd rex illis vtatur pro vtilitate priuata & propria, sed pubica.

In quo recitantur tres opiniones variæ, quomodò imperium sit à papa.

CAPITVLVM IIII.

HAbitum est de duabus opinionibus. Prima erat, quòd Imperator habet proprietatē à Deo immediatè præsupposito aliquo humano, id est, electione. Secunda, quod habet à papa: & ista diuiditur in tres opiniones, vt patet in 4. *cap.* Prima, quòd papa habet plenam & omnimodā potestatē in rebus temporalibus: ita, quòd potest absque peccato vnumquemque dominium temporalem remouere: sed hoc fuit impugnatum. Secunda dicit, quòd Imperator habet illam potestatem à Papa, quia Petro commissæ sunt claues & terreni, & spiritualis regni: nam dati sunt Petro duo gladii: scilicet, temporalis & spiritualis: sed cùm aliquis est institutus in illa potestate, non potest summus pontifex remouere. Ideo ista secunda opinio dicit, quod potestas imperialis est à papa, & ipse Imperator electus nihil habet potestatis quousque confirmetur à papa, & papa dat sibi summam potestatem in temporalibus, sed ipso confirmato non potest papa ipsum destituere, nisi propter duas causa. Prima, pro dicto, sicut priuantur vassalli feudo pro admisso in Dominos suos. Secunda, propter necessitatē & vtilitatem reipublicæ, puta, si talis efficeretur omnino inidoneus ad imperandum: in illis casibus potest Imperator destitui à papa. Habet ergo secundum hanc opinionem potestatem Imperator à papa, sicut curatus ab episcopo: & quemadmodum episcopus postquàm instituit aliquem curatum in beneficio, non potest illum priuare beneficio, nisi pro certa causa, ita etiam papa non potest Imperatorem postquàm est institutus deponere. Tertia opinio est, quod Imperator sumit potestatē à papa non iure diuino, sed iure humano: ita, quod tempore Constantini magni, ex consensu Romanorum conuocat ipse Constantinus suos satrapas & nobiles: & inito consilio ex consensu cōmuni translatū est ius imperii occidentalis, ad papam. Dicit ergo tertia opinio, quod Imperator habet potestatē iurisdictionis à papa, sed non est iure diuino: puta, quod Christus contulerit papæ potestatem constituendi Imperatorem, sed iure humano, in quantum ipse Imperator ex consensu Romanorum transtulit ius imperii in summum pontificem. Et sic resolutio est ista. Prima opinio dicit, quod imperialis potestas est immediatè à Christo. Secūda, quod est immediatè à papa: & ista secunda diuiditur in tres modos dicēdi. Primus, quod papa potest pro libro disponere. Secundus, quod papa iure diuino potest deponere & instituere Imperatorem, sed ipso instituto non potest deponere sine causa. Tertius, quod talis potestas est immediatè à papa, sed solùm iure positiuo, puta, post collationem factā à Constantino: & isti tres modi dicendi ponuntur in 4. *cap.*

An Imperator habeat sibi appropriatā immediatè à papa, vel à Deo.

CAPITVLVM V.

VIsum est in præcedentibus de duabus opinionibus, & de subdiuisione secundæ in tres modos dicendi. visum etiam est quomodò Imperator est Dominus, aut quantum ad proprietatem, aut quantū ad iurisdictionē. De rebus datis imperio, puta de immobilibus, nō habet dominiū pinguissimum, quia illas non potest alienare, quod est proprietas dominii pinguissimi in c. *Eos. prima. quæst.* 1. qui

qui potest alienare cum vult, habet dominium pinguissimum, sed quantum ad fructus perceptos, & res mobiles habet dominium pinguissimum. Eodem modo dicendum est, de Ecclesiasticis, nam episcopus nō habet dominium pinguissimum in rebus immobilibus concessis episcopatui, scilicet in villis, agris, castellis: illa n. alienare non potest: sed in fructibus perceptis de illis rebus immobilibus. Opinio cōmunior est, quod habet dominium pinguissimū: & quamuis peccet malè vtendo illis fructibus, non tenetur tamen restituere: & potest illos donare, cuicunq; voluerit & donatio tenet, licet aliquando peccet donando. Alii dicunt, quod est solū dispensator. Consequenter in isto *ca.* ponitur tertia opinio, quam credo solam verā inter cæteras, quæ dicit quod imperator nō habet proprietatē sibi, vel non habet ea dona, quę sunt appropriata sibi, immediate à Deo, nec à papa primo vel secūdo modo habendi, sed habet immediate à Deo tertio modo habendi. Nam vt visum est, habere immediate à Deo primo modo, est sic habere à Deo, ꝙ à nullo alio habeatur, nec etiā aliquid aliud præuium præsupponitur, vt illud habeatur à Deo, sicut habuit Moses ducatum filiorum Israël immediate à Deo: sed habere immediate à Deo secundo modo, est habere à solo Deo, aliquo tamen præsupposito: verum habere tertio modo immediate à Deo, est illud in principio habere ex donatione hominis, sed postquam donatum est, non tenet quod est donatum, nisi à Deo: ita, quod in possidendo illo possessor nullum recognoscit superiorem præter Deum: tunc dico, quod imperator non habet illa, quæ habet immediate à Deo, primo vel secundo modis, sed tertio modo. Patet quātum ad primum: nam illa, quæ habet ratione imperii, non est dicendum, quòd illa habeat immediate à Deo, nisi constet, vel per reuelationem, vel per scripturam: sed non constat, neq; reuelatione, neq; scriptura sacrā imperatorem illa, quæ habet, habere immediate à Deo, ergo nón habet immediate à Deo, primo vel secundo modis habendi. Vnde quando aliquid potest haberi ab hominibus, non est dicendū, quod immediate habeatur à Deo, nisi per reuelationem, vel per scripturam sacram habeatur notum & cōstet: sed bona imperatoris possunt haberi ab hominibus. Patet, Deus fecit humanum genus Dominū cūctarum rerum: *Gene.* 1. ergo humanum genus potest in alterum transferre aliquarum rerum dominium: ergo illa, quæ habet imperator, possunt humanitus, vel ab hominibus acquiri: & non constat, quòd habeantur immediate à Deo, neq; per reuelationem. Nam Deus nunquā reuelauit alicui vel aliquibus, quod in aliquem transtulerit imperium, saltem in istum, qui nūc est, nec habetur per scripturam. ergo non est dicendum, quòd immediate sit à Deo. Dices per illud habetur: *Quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Dico, quod per illa verba non habetur, quod Deus dederit aliqua Cæsari, quia imperatori, sed habetur solùm, quod quæ dedistis priùs, & ad quæ reddenda estis priùs obligati ex vestro consensu, reddite. & sic ex illa authoritate non potest haberi, quod imperium sit immediate à Deo. Secundum dictum. illud est immediate à Deo tertio modo. nam postquam Sortes factus est imperator: quæ sunt data imperio, & non sunt data intuitu suæ personæ, in illis non recognoscit superiorem præter Deū: ergo post illam donationem habet illa immediate à Deo tertio modo habendi, scilicet à Deo: & non est vasallus alicuius. ideo quātum ad ea, quæ habet ratione imperii, tenet illa immediate à solo Deo. ideo bene (dicit Doct.) factum est, quod imperator habeat potestatem in illis. & ad regendum cōmunitatem indiget bonis. ideo sunt assignata, quædam quæ sunt adiuncta dignitati imperiali, & hoc ab hominibus, licet post adiunctionem nō recognoscat imperator illos homines, qui talia dederūt, superiores: sed solum in istis habet Deum pro superiore: quia amplius nullū recognoscit superiorē, sed quantum ad donationem tenet immediate à congregatione populi, vel generis humani. & ista opinio est facillima & verior: videlicet, quod imperator non tenet immediate imperium, nec à papa, nec à Deo primo vel secundo modo tenendi seu habendi, sed tenet immediate à Deo tertio modo habendi. Nititur iam soluere argumenta in oppositum pro secunda opinione, quæ dicit, quod immediate imperator habet imperium à papa. Dicit Nicolaus papa, quod Deus Petro terreni & cælestis imperii claues contulit, siue commisit. ergo sicut Petro est commissa spiritualis potestas, ita & terrena, ergo imperator tenet illam à papa. Vnde Nicolaus & Innocētius maximè loquuti sunt pro potestate papæ. Vnde committere claues cœlestis regni, est dare potestatem spiritualem; & terreni, est dare potestatem laicam.

Quantum ad hoc, sanè exponenda sunt verba Nicolai papæ, ne videantur sapere hæresim. Vnde dicit Nicolaus in eodem *capitulo* quod *Christus immediate fundauit ecclesiam, & supra petram fidei nascentis erexit.* hoc nisi sanè intelligatur, est contra decursum sacræ scripturæ. Nam Christus non erexit immediate super fidem nascentem, ecclesiam Romanam. Patet, quia ecclesia Hierosolymitana & Antiochiana erant priùs erectæ, quā Romana. ergo verba secundum rigorem verborum sapiunt hęresim manifestam. Eodem modo ista duo verba, quod *beato Petro claues regni & cælestis, & terreni commisit*: nisi exponantur sanè, sapiunt hæresim. & maxima inconueniencia sequerentur. Primum, quod reges Francorum, qui nunquā recognouerunt superiorem, *extra, qui fi. sunt legi. c. Per venerabilem*, fuissent manifestè hæretici. Patet, quia habuissent assensum firmissimum contra articulū fidei: quia si Christus cōmisit Petro potestatē laicam, hoc est articulus fidei, ꝙ omnis illam habens immediate habet ab illo. Sed dico, ꝙ illa verba, *Christus commisit Petro curam cælestis & terreni regni*, dupliciter exponūtur: vno modo, ꝙ *cælestis regni*, habeat potestatem, hoc est, ecclesię triumphantis: & hoc est, falsum, quia non habet papa potestatem super illos de ecclesia triumphāte, sed solum in eos, qui sunt in carne mortali. sed per cæleste regnum intelligit bonos, & per terrenum malos: & in vtrosq; habet potestatem, scilicet spiritualem, quæ vocatur potestas clauis. Secunda expositio est, ꝙ per *caleste regnum* intelligit eos, quorū conuersatio est in cęlo: hoc est, qui totaliter sunt dati

Digitized by Google

vitæ spirituali:vt sint contéplatiui,& qui non curant temporalia. & per *regnum terrenũ* intelligit eos, qui se dãt vitæ actiuæ,& terrenis negociis.ideo papa intelligit per *regnũ cœleste* congregationẽ ecclesiasticorũ:& per *terrenum* congregationem laicorũ.& datã est Petro à Christo,super vtrosq; potestas spiritualis. Tertio,illa verba possunt sic exponi,*cõmisit Petro claues terreni,& cœlestis regni*:hoc est,dedit ei potestatẽ super imperatorẽ, qui habet regnũ terrenum,non,quod dederit potestatem temporalẽ, sed spiritualẽ:quæ potestas vocatur spiritualis.& quælibet istarũ expositionũ sufficit. Ideò per *regnũ cœleste* nõ debemus intelligere paradisum;nec per *terrenum*,imperium;sed per *cæleste*, bonorũ,& per *terrenum*,malorum congregatio intelligitur.& tunc fateor,ꝙ Petro data est vtraq; potestas,vt visum est.nam habet potestatem iurisdictionis spiritualem coercitiuam,super bonos & malos.

Ad secundam allegationem.Secundo arguitur.ab illo est imperium,qui est suprem' iudex inter mortales,& cunctorum mortalium.sed papa est huiusmodi.ergo.Dico,quod minor est falsa.primo papa non est iudex infidelium,in *c.Gaudemus,de diuor.Statuta Apostolica non ligant infideles*.& 1.ad Corin.5.*Non est mihi cura de his,quæ foris sunt.* Secundò,si intelligas,ꝙ sit iudex cunctorum fidelium, ex hoc non infertur,quod imperium sit à papa.Nam imperator,quia imperator,habet potestatẽ super infideles,qui sunt in terra imperiali, & papa nihil potestatis habet super illos. ergo imperator nõ habet suam potestatem laicam à papa; sed dico, quod papa est supremus iudex cunctorum fidelium in spiritualibus,sed non in omnibus,puta,in temporalibus:imo imperator est iudex papę in temporalibus. Vnde Doctor ponit talem propositionem: *Imperator est iudex Papæ in temporalibus.* Patet, antequam aliquis efficitur papa, imperator est iudex eius.ergo, postquam est effectus papa. Patet consequentia ex illo verbo Apostoli: *Vnusquisque maneat in eadem vocatione, in qua vocatus est. si sit seruus, non sit ei cura.* Tunc arguitur sic. ius diuinum nullum liberat à seruitute; ergo si Sortes sit seruus imperatoris,antequam sit electus in papam,post electionem non liberabitur à seruitute iure diuino,& loquor semper iure diuino.sed si liberatur,hoc est solum iure positiuo.Patet ex ex Apostolo:*Vnusquisq;* &c. ergo cum papa subdatur imperatori quantum ad temporalia,antequam eligatur: ipso electo talẽ ex iure diuino non liberabitur ab illa seruitute & subiectione. ideo imperator quãtum ad temporalia iudex supremus summi pontificis.& ista est sententia Doct. quod ecclesiastici nõ sunt exempti iure diuino,sed solum iure humano,si sint.

Ad tertiam allegationem. Tertio arguitur ad idem. ab omni illo est imperium,qui potest imperatorem deponere. sed papa hoc potest; igitur.maior est certa, quia cuius est constituere, eiusdem est destituere, & è diuerso. sed papa potest constituere imperatorem, ergo & deponere.Patet in capitulo, *Alius.* 15.*q.*6. Zacharias papa deposuit regem Francorum,& instituit Pipinum patrem Caroli.Similiter Innocentius deposuit Federicum Imperatorem. ergo papa potest deponere ipsum imperatorem.

Ad primum respondet Doctor,transeat maiorẽ. & ad minor notat Doctor, ꝙ imperator põt esse dignus depositione dupliciter.Vno modo,propter crimẽ spirituale,vt propter hęresim,quia hæreticus & schismaticus,& vtitur potestate eius,in detrimentũ Christianitatis.Alio modo,propter crimẽ ciuile, vt puta, negligit administrare Iusticiã,ꝙ̃ tenetur administrare ex officio: vel vtit̃ sua potestate in vtilitatem propriam subtrahẽdo bona à subditis,pro suo cõmodo particulari,&non cõmuni. Tũc si imperator sit dignus depositione propter crimen primi generis, puta, propter crimen spirituale, potest deponi à papa, cum habeat plenam potestatem in puniendis peccatis spiritualibus. Sed si fuerit dignus depositione propter crimen secundi generis,puta propter crimen ciuile & politicum, non spectat tunc ad papam imperatorem deponere, sed ad eos, quos spectat eum ordinare,hoc est, ad communitatem ciuilem, vel ad eos, qui gerunt vices communitatis ciuilis, in quos scilicet communitas transtulit suam potestatem.ideo propter crimen spirituale potest à papa deponi imperator;propter verò crimen ciuile,ab ipsa communitate &c.

Aliter dicit Io.de Parisiis breuiter,ꝙ *propter nullum crimen siue spirituale, siue ciuile spectat ad papã imperatorem deponere,nisi de per accidens.* Vnde notandum,ꝙ *ad illum spectat iuridicè aliquem deponere ab aliqua potestate,qui sententia lata,de depositione est depositus*: hoc est, quã sententia lata nihil habeat amplius potestatis. hoc supposito dicit: *qualicunque crimine irretiatur imperator,non potest papa ferre sententiam,qua lata ipse imperator sit à potestate pristina depositus,sed per accidens potest*: *quia potest excommunicare ipsum pro crimine,& singulos cum eo participantes,& sic inhibere subditis,ne participent cum illo & per illam excommunicationem illos cogere ad depositionem ipsius imperatoris.ideo non spectat ad papam* (dicit) *sententialiter deponere ipsum,licet spectet sententialiter excõmunicare, & finaliter per censuram excommunicationis eos,qui habent authoritatem deponendi,cogere,vt illum deponant.*&sic de per accidens deponit solũmodò,& non directè. Eodem modo dicit Iohannes de Parisiis, ꝙ *imperator potest papam deponere, puta,si papa vtatur sua potestate in detrimentum reipublicæ,post imperator sub pœna confiscationis bonorum purè ciuiliũ,quæ tenet ab imperatore,vel à rege tanquã vasallus: & propter huiusmodi sententiam latam ab imperatore,illi, ad quos spectat,cogentur tandem ipsum auferre à sua potestate summi pontificatus.sed non potest per se qualicunq; crimine sit irretus deponere.* Verũtamen dicit Doctor, ꝙ papa potest imperatorẽ deponere, in duob' casib'. Primus,ꝓ crimine purè spirituali,vt est hæresis. Secundus, quando illi,ad quos spectat iure ordinario,sunt negligentes ipsum deponere. Vnde dicit Doctor *tertia parte dia.secundo libro*, quod vniuersaliter si negligat iudex secularis exercere iurisdictionem laicam pro loco & tẽpore,deuoluitur potestas exercendi ad iudicẽ spiritualẽ. ergo,vbi ad quos spectat imperatoris depositio, nõ possunt auferre vel negligunt, deuoluitur potestas auferendi ad summum pontificem.

Iam

Digitized by Google

Iam respondendum est ad capitulum, *Alius*. & dico, quòd sic intelligitur, *Zacharias deposuit regem*, id est, deponentibus consensit. Vnde tunc temporis non erat adhuc vniuersitas Parisiis, quia tempore Caroli Magni fundata fuit, & sic pauci erant Docti in Francia, & habuerunt recursũ ad papam, & sic *deposuit*, id est, consuluit, vt possent deponere: & sic non deposuit authoritatiuè. Quantũ ad aliud de Innocentio, qui *deposuit Fredericum imperatorem*, dicit Doct. quòd Innocentius deposuit in concilio, non quòd ea habuerit authoritatem deponendi: sed concilium deposuit: & Innocentius tulit sententiam, vel loco concilii, à quo acceperat authoritatem deponendi, deposuit. Resolutio Doct. in hoc argumento est, cum apparētia, quòd nunquam potest papa principem seculare(seclusis suis vasalis) deponere, nisi in duobus casibus prætactis.

Ad quartam allegationem. Papa potest supremum imperium transferre de gente in gentem. ergo ab ipso dependet potestas imperialis. Patet, papa transstulit imperium à Græcis in Germanos. Dicit Doct. quod papa potest transferre imperium: sed hoc est solum casualiter. Vnde papa potest exercere iurisdictionem in purè temporalibus casualiter, hoc est, quando non est iudex secularis. ita si desit congregatio populi, pōt papa transferre, & hoc casualiter. Secūdo, pōt pro crimine purè spirituali: vt si gens illius imperii efficeretur heretica, vel transferret se ad aliā sectā Christianā, posset propter hoc papa illam gentē priuare dignitate imperiali, & sic transferre in aliam gentē: sed hoc non est regulariter, sed solū casualiter. Regulariter pōt pro crimine hęresis, sed nō pro culmine ciuili: nisi casualiter, puta in defectu alterius, qui pōt: vel pro negligentia. vt dictū est. Contrà, ab illo est imperiū, à quo imperator examinatur, inūgitur & coronatur: sed post electionē imperator futurus electus examinatur à papa, inungitur & coronatur. ergo. Nego antecedens: & ratio est, quia per talem examinationem nihil iuris & potestatis accipit à coronante vel examinante: sed eo facto, quo electus est, habet summam potestatem imperialem, sicut papa electus ante confirmationem, quamuis etiam non sit sacerdos, habet habet omnimodam potestatem iurisdictionis in ecclesia. Similiter dicendū de imperatore isto modo. Idem argumentum curreret de rege Francorum, qui inungitur ab archiepiscopo Remensi: & tamen nihil potestatis ab illo accipit. nam illud est solum solennitatis, & non potestatis. Similiter multi fuerunt imperatores, qui non coronabantur à papa, & erant veri imperatores. Nam talis coronatio saltem iure diuino nihil dat potestatis, sed est tantummodo solennitas. Quærit consequenter Doct. quare imperator pręsentatur examinandus papæ, postquam est electus. Dicit, vt corrigatur de magnis criminibus à papa, si commiserit. Secundò, & apparentius, vt papa cognoscat & declaret electionem esse validam. Vnde quando rex mittit legatum ad papā, literæ præsentantur parlamento, non quod parlamentum aliquid potestatis exhibeat legato, sed, vt parlamētum declaret potestatem esse in tali legato. Similiter postquam imperator est electus, præsentatur papæ, vt declaret talem electionem fuisse legitimam, & authoritatem imperialem esse in electo. & est resolutio Doct, quamuis multi textus decretalium videatur sonare oppositum. in *cap. Venerabilē*, dicit papa. quod ad ipsum spectat imperatorem confirmare, ita, quod ante confirmationem nihil habet potestatis. hanc tribuit sibi papa potestatem: sed oppositum est probabilius. & primo dico, ꝙ præsentetur electus papæ, est de iure positiuo. Secundò præsentatur imperator, non, vt habeat authoritatatem à papa. Tertiò præsentatur, vt declaretur, quòd talis electio est legitima. Dico ergo, quòd nihil habet potestatis à papa, sed ab electione: & non habet à Deo apud Docto. & est opinio probabilior: sed habet à populo, & populus potest dare papæ authoritatem instituendi imperatorem, quia populus illam habet. & potest in alterum transferre. & si sic, hoc est solùm iure positiuo. sed non legitur passus, ex quo trahi possit, quòd populus talem potestatem instituendi imperatorem contulerit papæ. ergo.

Ad argumentum, imperator tenetur præstare iuramentum fidelitatis papæ: sed illud iuramētum fidelitatis est signum vassallatus. ergo imperator est vassallus papæ. ergo habet potestatem à papa. Quantùm ad hoc, nego, quòd teneatur præstare iuramentum papæ: imò potiùs è diuerso, papa habens prædia, tenetur potiùs præstare iuramenta fidelitatis imperatori, ratione prædiorum, & ad tributum soluendum. Paulus enim ad Rom. 13. vniuersis præcepit fidelibus: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Et Christus Mat. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Secundò fateor, quòd imperator præstat iuramentum papæ, non ratione imperii, sed, quòd tuebitur & defensabit ecclesiam: sicut rex iurat in curia parlamenti, se defensurum regnum, &c. & non accipit potestatem regiam ab illa curia. Vnde iure naturali inter dominum, & subditum est mutua obligatio, quia dominus siue princeps tenetur subditos defendere & tueri, & ipsi tenentur ad tributum soluēdum principi. Dico ergo, quòd non iurat, neque præstat iuramentum papæ, tanquàm recognoscens illum superiorem in temporalibus, sed vt dictum est.

Ad septimam rationem. Visum est de quibusdam rationibus, quibus nitebantur aduersæ opiniones probare, imperium esse immediatè à papa: & allegatum est, *capitulum, Alius 15. quæst. 6.* sed difficultas est ex capitulis sequentibus: quia dictum est, quod papā non potest deponere regem, nisi in duobus casibus, scilicet, pro crimine ecclesiastico, id est hæresis, quia papa habet plenam potestatē in illis criminibus. Secundus, quando non sunt alii, ad quos spectat ordinariè & iuridicè depositio: quia sicut tenet doctor, & habetur *de foro competenti*, vacante sede imperiali, quia non est tūc iudex ordinarius, ius cognoscendi, de causis imperialib' deuoluitur ad papā. Sunt apparentiæ pro opposito. Vnde aliquē esse regem, nihil aliud est, ꝙ habere superioritatem erga subditos, & in subditis esse obligationē parendi regi, & sententiæ definitiuè ipsius, quantùm ad res, quæ sunt iurisdictionis.

Tunc arguitur sic; papa potest vnumquemque absoluere à iuramento fidelitatis, quod præstitit regi, ergo papa potest vnumquemque regem deponere, quantùm ad illam potestatem regalem & iurisdictionem, quam habet erga subditos. Tunc bene sequitur. Isti absoluuntur à iuramento fidelitatis præstito regi, ergo rex non est ampliùs superior eorum. sed papa potest facere antecedens, id est, ipsos absoluere ab obligatione iuramenti fidelitatis. ergo facere potest etiam consequēs, puta, quod rex non habeat ampliùs superioritatem super ipsos, & quòd non sint ampliùs vassalli, & subditi ei'. ergo papa potest facere, quòd non sit ampliùs rex, non solùm casualiter, sed etiam ordinariè. & vltra, ergo potest illum ab illa potestate destituere. Patet antecedens; ad papam ordinariè spectat dispensatio in votis & iuramentis, ergo papa potestate ordinaria, & regulari potest istos absoluere ab obligatione iuramenti & fidelitatis, quod præstiterunt principi. & ecce ratio præcipua iuristarū probantium ex illa, quòd potest dominium temporale auferre ab ipso principe. Secundò, arguitur sic, papa potest excommunicare dominum temporalem, in *cap. Nouit. de iudic.* Vbi se ostēdit habere potestatem excommunicandi regem Francorum. sed in casu, in quo rex esset excommunicatus, vasalli eius pro tunc non tenerentur ei præbere obedientiam, & pro tunc sententia lata à rege nulla esset, quia sententia ab excommunicato lata nullius est efficaciæ. ergo, pro tunc deponit papa dominum tēporalem à iurisdictione, quā habet. & ista sunt duo apparentiora argumenta, pro parte aduersa. Quantùm ad primum concesso, quod papa potest absoluere subditum à iuramento fidelitatis, negatur antecedens: saltem capiēdo *soluere*, vt tantum valet, sicut ius relaxare, & non ius declarare. & ad probationem cùm dicitur: papa potest vnumquemq; dispensare à iuramento, sicut à voto, cùm sit eadem obligatio vtriusque, imò secundum Holcot, *iuramentū magis obligat, quam votum*, ergo potest omnes vassallos à iuramento fidelitatis soluere. Dico, quod duplex est iuramentum. Quoddam est, ꝙ fit solum in fauorem Dei. Aliud est, quod fit in fauorem certæ personæ alterius à iurante, vt, Sortes iurans perpetuo seruare castitatem, hoc iuramentum non fit in vtilitatem alterius personæ à iurante sed solum in vtilitatē propriam ipsius iurantis, & reuerentiā Dei. Exemplum secundi, Sortes iurare se soluturum Platoni decē aureos, istud iuramentū fit in vtilitatem alterius personæ à iurante: scilicet in vtilitatem Platonis. Similiter iuramentum fidelitatis præstitum principi à subditis fit in vtilitatē Domini, & non solū propter reuerentiam Dei. His suppositis, quantū ad iuramenta primi generis, papa potest dispensare, cum sit vicarius Dei; quantum verò ad iuramenta secundi generis, nō potest dispēsare, hoc est, ius relaxare, quia papa non habet potestatem aliquā faciendi, cōtra ea quæ sunt in perniciem & damnum alterius. Nam non potest soluere Sortem ab obligatione, qua Platoni obligatur, vt in casu prædicto. Similiter, si papa solueret vasallos à iuramento fidelitatis principis, hoc esset in perniciem & detrimentum principis, & libertatem regis. ideo à quocunq; iuramento vel obligatione, quæ obligatio est in vtilitatem alterius personæ, à persona obligata, non potest papa talem ab alterius obligatione soluere. nam faciendo de obligato non obligatum, hoc esset in iniuriam alterius personæ: & si hoc faceret, teneretur ad restitutionem. Et sic resolutio est, quod à iuramento præstito in fauorem, & vtilitatem alterius personæ à persona, quæ iurauit, papa non potest dispensare, neq; alterū ab obligatione ex iuramento proueniente soluere. quare non potest papa regulariter soluere vasallum ab obligatione, qua obligatur suo superiori.

Ad aliud cum dicitur, papa ordinaria potestate & regulari potest regem & principem excommunicare. Concedo. nec potest aliquis eximi à tali iuridica potestate, nisi per concilium, vt dictum est supra: sed in casu, quo temporalis Dominus erit excommunicatus, vasalli tunc non tenentur ei obedire: ergo tunc non habet potestatem iurisdictionis in eos, quam prius habebat. Hoc argumentū tangit multa satis difficilia. nam habetur ex multis textibus & ex practica, quod familiares excōmunicati possunt participare cum eo ad minus in rebus ciuilibus. ergo cum rege excommunicato vasalli, & subiecti possunt participare, cum sint quodammodo serui eius. nam obedientiam tenentur illi dare & exhibere. Quantum ad hoc dicitur in *c. Nemo.* & in gloss. quod illa obligatio vasalli & subditi, qui non est seruus domesticus, pro tempore quo Dominus est excommunicatus, est sopita, sed non ablata. ideo, pro tempore excommunicationis principis serui locatitii non tenentur non communicare secum in rebus ciuilibus, sed alii subditi. dicit gloss. *absoluuntur ab actu obligationis, sed non ab obligatione*, & tenentur pro tali tempore secum non participare, & non obedire: sed ipso absoluto ab excommunicatione tenentur, vt prius. Circa hoc est alia difficultas; si Sortes sit excommunicatus, & Plato habet aliquid à Sorte, quod accepit furto vel mutuo: vtrum Plato teneatur illi pro tunc restituere? Si sic, ergo tenetur secum participare. Resolutio gloss. est, quod pro tali tempore est sopita obligatio, ita, quod in tali tempore, si non possit restituere aliter, nisi participando cum eo, non tenetur neq; potest licitè tunc restituere. & sic restitutio aliquando ratione excōmunicationis sopitur. Eodē modo dicendum est in vasallis, quod ratione excōmunicationis principis sopitur eorum obligatio, sed non soluitur simpliciter. Opinio Doct. simpliciter probabilior est, quod nec per excommunicationem, nec alio modo potest papa principem deponere à sua dignitate imperiali & regali. Sed arguit Doctor contra hoc, in *septima ratione*, ab illo est imperium, qui habet vtrunq; gladium, scilicet tam spiritualem, quam temporalem. sed papa est huiusmodi. ergo. Patet antecedens supponendo, quod per gladium materialem intelligitur potestas regia, ad quam spectat vti gladio in malos. ad Romanos 13. *Non sine causa gladium portat.* sed Petro & successoribus commissus est vterque gladius. Lucæ 22. quæsiuit Christus, an essent gladii? respondit Petrus: *Ecce duo gladii sunt.* & cum eduxisset Petrus vnum illorum, dixit Christus: *Mitte gladium in vaginam.* & non dixit,

Aufer

Aufer gladium.& per hoc ostenditur, quòd prohibuit vsum illius,& non potestatem. & ex illo passu arguunt, quòd vtraq; potestas est commissa Petro.& ista sententia videtur esse Innocentii quarti, q̃ in gremio ecclesiæ ambo gladii sunt.& qui extra ecclesiam sunt, nullius habent gladii potestatem. Respondit doct.negando, quòd vterq; gladius sit cõmissus Petro:& ad probationem, *Lucæ* 22. dicit Doct. quòd duo sunt in sensu literali,hoc est,intelligitur de gladiis materialibus. & tẽpore, quo Christus hoc quæsiuit,nondum erat Petrus Papa,sed post resurrectionem factus est, ideo tunc non quærebat,an haberet gladiũ spiritualem. Bene verum est,quòd in sensu mystico potest intelligi per istos duos gladios.ista duplex potestas:sed ex sensu mystico non potest efficax argumẽtum ad aliud probandum sumi,nisi fuerit per alium passum scripturę habitum.ideo per illos duos gladios nõ potest inferri,quòd fuerit Petro & successoribus cõmissa vtraq; potestas.Secundò ego dicerem, quòd quamuis intelligatur in sensu literali,non tamen sequitur quòd fuerit commissa Petro.nam licet in ecclesia sit vtraq; potestas,non tamen in eadem persona.nã illa potestas, quæ significatur per gladiũ materialem,est Petro prohibita.Dixit enim Christus Petro, *Mitte gladium in vaginam. Reges gentium dominantur* &c.Si verò in sensu literali,per vtrunq; gladium, vtraq; potestas acciperetur,solum potest inferri,quod vtraq; potestas est in ecclesia:sed non potest inferri, quòd vtraq; potestas sit in ecclesia,in eadem persona.Et ad verba Innocentii si intelligantur, quòd extra ecclesiã nullus habeat legitimam potestatem,qua vtatur gladio materiali,illa sapiunt hæresim. Nam & apud fideles, & apud infideles,vt vera potestas laica.ideo parum curandũ est de authoritate Innocentii in proposito.

Ad octauam rationem. Arguitur sic.ab illo est imperium in ordine,ad quem se habet imperator, vt discipulus ad magistrum.sed imperator in ordine ad Papam est huiusmodi,in *capitulo*, *Solitæ*, *de maioritate & obe*.ergo imperium est à summo pontifice.Item dicitur,quod quicquid lucis habet luna,hoc habet à sole.ergo,à simili quicquid potestatis habet imperator,hoc est à Papa. Dico, quòd tales comparationes imperatoris ad Papam non fuerunt propter temporalia,sed solùm propter spiritualia,quæ suscipit ab ipso Papa.Imperator enim est filius Papæ,non propter temporalia,sed propter spiritualia.Et sic,ex his non potest inferri,quòd imperium sit à Papa.

Ad decimam rationem.Arguitur sic.ab illo est imperium , qui vacante imperatore habet imperium regere.sed mortuo imperatore imperium habet regi à Papa.ergo.Dico,quòd cum deest imperator,ex institutione Christi imperium non debet regi à Papa,imò ab electoribus imperatoris.& de facto ita est,quòd regitur ab eis,& tamen si Papa ex institutione Christi haberet regere imperium, mortuo imperatore malefacerent electores,si non permitterent eum regere, & in potestatibus malefactum est cedere iuri suo.sed si Papa habeat regere, illud est solum ex institutione humana. ideo vacante imperatore,qui habent illum instituere,debent illud imperium regere. Similiter vacante Papa,qui habent alium eligere & instituere,vt sunt cardinales,debent papatũ regere. Similiter vacante episcopo,canonici,qui habent alium præficere & eligere,debent episcopatum regere.Et hæc pauca circa secundam quæstionem dicta sufficiant. Accedendum iam ad tertiam sequentem quæstionem.

QVÆSTIO TERTIA.

An iurisdictionis temporalis authoritas dependeat à Papa & Romana ecclesia.

CAPITVLVM I.

IN præsenti quæstione quærebatur,an Imperator habeat possessiones,quas possidet, ratione imperii à Papa,vel à Deo : & tandem resolutio doctoris fuit,quòd nõ habet immediate nec à Deo, nec à Papa ad istum sensum,quod nec Deus,nec Papa immediatè ei contulerint tales possessiones:sed habet immediatè à populo, sic,quod sunt collatæ ipsi ab ipso populo, & post collationem nullum recognoscit superiorem in illis præter Deum. Et sic in isto sensu, habet immediatè à Deo illas possessiones. Visum est etiam principaliter de duobus punctis. Primum, vtrum bona annexa dignitati imperiali sint imperatoris,quantum ad proprietatem:& de hoc fuerunt duæ opiniones.Secundo visum est,an imperator sit proprietarius omnium rerum imperii, puta, an sit proprietarius in bonis Sortis,Guillermi,Ioannis &c.Et satis ad hoc responsum est,secundum mẽtem Doct. Iam in ista tertia quæstione quæritur, Vtrum Papa & Romana ecclesia habeat committere iurisdictionem imperatori & cæteris principibus non recognoscentibus superiorem in temporalibus, ita, quòd potestas iudicandi,quam habent temporales Domini,cuiuscunq; conditionis fuerint,nõ recognoscentes superiorem in temporalibus, sit à Papa ex ordinaria sua potestate ? Hoc est,an Papa ex ordinaria potestate habeat committere iurisdictionem Dominis temporalibus,ita, quod sine tali commissione ordinatè illam iurisdictionem exerceant.

Et antequam aggrediamur quæstionem,primò supponenda sunt aliqua pro intellectu illius. Primò,quod imperator vel Rex habet multas potestas iudiciarias.Primò habet potestatẽ punitiuam in corpus hominũ subditorũ & in bonis:ita, quòd potest illos ad mortem condẽnare,ad mutilationẽ

membri, ad carceres perpetuos, & ad bonorũ perditionem. & ista vocatur potestas punitiua in corpus subditorum, & auferendi eorum bona & libertates. Præter hanc punitiuam habet aliam potestatem iurisdictionis, secundum quam potest & tenetur adiudicare vnicuiq; quod suum est. Nam quando est quæstio de possessione, potest Rex authoritatiue definire cuius sit. & sic iudicando non punit aliquem. nam per hoc, quod iudicat hanc rem esse Platonis, quam Sortes nitebatur vsurpare, non punit ipsum Sortem, ideo illa potestas non est punitiua, aut correctiua, est tamen iurisdictionis. Habet enim potestatem diuidendi dominia. in *c. Quo iure. 8. distinct.* Habet enim potestatẽ præceptiuam, ad quam spectat leges condere, & potestatem imponendi talias & tributa, pro exigentia boni cõmunis & reipublicæ regni. Vtrũ illas potestates habeat à Papa, vel Romana ecclesia? Quantum ad primam potestatem, scil. punitiuam & super corpus & membra & bona subditorũ, sunt difficultates. Prima, an liceat imperatori & regi siue Domino temporali occidere maleficos. Secunda est, an liceat principi occidere innocentem. Tertia, supposito, quod aliquem iustè condemnare potest ad mortem, an liceat cõdemnato fugere si possit: similiter se defendere à morte? Et istæ sunt tres difficultates præcipuè circa potestatem punitiuam, quantum ad punitionem mortis. Quantum ad primã difficultatem arguitur, quod non. Deus enim vult eos viuere. Ezechielis, 18. *Nolo mortẽ peccatoris.* ergo cum imperator debeat se confimare voluntati diuinæ, non debet aliquem morte punire. oppositũ arguitur. Exodi. 22. *Maleficos non patieris viuere.* Pro solutione huius difficultatis aduertendum est, duplices esse homines malos in politia. Quidam sunt mali solum sibiipsis: & mali malicia cordis & cogitationis, & non operis exterioris, qui non progrediuntur ad opus, & malicia eorũ non est nota. Similiter, quamuis aliquando progrediantur ad opus exterius, tamen illud opus nõ est perturbatiuum reipublicæ, neq; damnũ proximo inferens, vt prodige exponens sua bona. Alii verò sunt mali & sibi & aliis, vt fures & homicidæ: qui damnum proximo inferunt. Supponendum vlterius, quod quælibet persona se habet in ordine ad cõmunitatem sicut membrũ in ordine ad corpus. Nam sicut corpus hominis constituitur ex pluribus membris, sic corpus humanum politicum constituitur ex pluribus personis: & quælibet particularis in ordine ad totam politiam se habet sicut membrum vnum in ordine ad suum corpus. Tertio supponitur, quod principes imperantes debent intendere bonum commune, & non proprium. Et hoc habetur ex Aristotele ponente differentiam inter dispotem & regem siue principem: quia despotes intendit bonum proprium, & princeps bonum commune. Nam despotes principatur aliquibus tanquam seruis intendendo solum bonum particulare. His suppositis sit prima propositio.

Non licet alicui priuatæ personæ maleficum occidere quantũcunq; nociuum cõmunitati, & hoc capiendo priuatam personam, quæ non habet potestatem neq; cõmissariam neq; ordinariam in republica. Ista propositio est Augustini in primo de ciuitate dicentis: *Qui sine authoritate publica maleficum occidit, ab homicidio immunis esse non potest.* & ista propositio deducitur etiam ad longũ 23. *quæstione.* 5. per totum: videl. quod non licet cuicunq; priuatæ personæ quemcunq; maleficum occidere. Vnde rationem assignat sanctus Thom. *quæstio. 64. articulo* 3. non est licitum quenquam interficere, nisi eius vita fuerit communitati nociua. sicut non est licitum membrum abscindere, nisi propter vtilitatem corporis, ita, nec est licitum membrum communitatis remouere, nisi propter vtilitatem totius cõmunitatis. ergo solum ad illum spectat interimere maleficum, qui habet curam totius communitatis, nec amore vindictæ, nec odio personæ: sed solum, propter bonum publicum & amore iustitiæ & æquitatis. ideo solum, qui habet intendere bonum communitatis, habet hoc facere. sed huiusmodi non est persona priuata, alias non esset priuata. sed publica. igitur &c.

Secunda propositio responsiua ad quæstionem. Licet personæ publicæ maleficũ occidere cõmunitati nociuũ. Hæc patet manifestè, & sunt multæ authoritates Augustini, in *libris de ciuitate* ad hoc facientes, & Exodi. 22, *Non patieris maleficos viuere.* imo est pręceptũ. Veruntamen ratio potest haberi ex supra dictis. quilibet homo particularis in ordine, ad totam cõmunitatem est membrum. ergo, sicut licet gerenti curam totius corporis abscindere membrum pro sanitate totius corporis; similiter licebit gerenti curam communitatis pro vtilitate ipsius reipubli. aliquam personam interimere. ideo licet principi, regi & habentibus curam communitatis maleficos interficere. & ad præceptum diuinum, *Non occides*, dicitur, quod prohibetur occidere authoritate priuata, sed non publica.

Circa primam propositionem est difficultas, & ponitur talis casus. Sortes cognoscit, quod Plato vult & potest totam rempublicam destruere & incendio dare, nihilo minus antequam hoc faciat Plato, nõ potest ipse Sortes aliter prouidere reipublicæ, qui est priuata persona, nisi Platonẽ interficiat. an in tali casu teneatur Sortes, qui est priuata persona, Platonẽ occidere: & videtur, quod sic, quia magis tenetur tueri totã communitatem, quam vitam propriam siuè personam propriam. sed in casu, quo Plato inuaderet Sortem volendo eum interficere: nisi aliter posset euadere, quam occidendo Platonem, non malè faceret illum occidendo, quia vim vi repellere licet, vt clamant iura. ergo, vbi non potest aliter subuenire reipublicæ, nisi interficiendo Platonem, videtur, quod teneatur illum occidere, quia tenetur se morti exponere pro salute communitatis. ergo licet in casu personæ priuatæ maleficium occidere.

Circa secundam propositionem potest esse difficultas. & arguitur sic, persona publica non habet authoritatem, nisi à personis priuatis; & præcipuè, quando fit per electionem: ergo personæ priuatę habent authoritatem, quam dent isti: ergo licet priuatis personis maleficum interficere. Vnde certũ est, quod vbi Rex fit per electionẽ, non habet potestatẽ, nisi à subditis eligentibus: ergo illi

habent

Digitized by Google

habent talem potestatem:& per consequens licet eis exequi actum illius potestatis. ergo licet personæ priuatæ, sicut publicæ, maleficos occidere.

Quantum ad primum, dicunt aliqui & præcipuè Buridanus, quod in tali casu potest occidere Platonē, & hoc non facit, vt persona priuata, sed vt publica gerens vices cōmunitatis. Verūtamen Dominus de Gersono in tractatu, quem facit super isto præcepto, *Non occides*, dicit, quod quamuis Plato sit tyrannus volens totam rempublicam destruere:& sit Sortes persona priuata nullam habēs authoritatem super Platonem neq; commissionem ordinariam:non licet illi occidere Platonē. Et ratio sua est, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. licet ergo teneatur Sortes destructionem reipublicæ impedire pro posse suo, hoc tamen est per media licita. Sed argumētum est fortè oppositum, & multum apparens, si Sortes cognoscat Platonem velle ipsum interficere:nisi possit aliter euadere, quam eum occidendo, non peccat illum occidendo. ergo à fortiori, cum plus teneatur reipublicæ, quam propriæ saluti simpliciter. videtur &c.

Quantum ad hoc argumentum, licet Sorti occidere Platonem ipsum impetentem, vbi nō potest aliter euadere. sed est diuersitas inter Doctores. Nam tenet de Anchona, quod nō licet occidere inuasorem: etiam quamuis non pateat euasio, nisi per occisionem: imo dicit, quod occidendo peccat. Vnde dicit, ꝙ tripliciter potest homo occidi. vno modo odio personæ, vel amore vindictæ, & prohibetur per illud, *Non occides*. Alio modo occiditur amore iustitiæ, & hoc per illud præcipitur, *Maleficos ne patiaris viuere*. Tertio modo occiditur necessitate ineuitabili, & hoc permittitur, *Exodi*, 22. vbi permittitur, quod fur nocturnus occidatur. Vnde dicit, quod permissio est de minori malo. & ideo dicit, quod non debemus vim vi repellendo occidere, quamuis non possimus aliter euadere. & ratio sua est, plus teneor diligere animam proximi, quam corpus meum: sed occidendo istum, qui me iniustè & malo animo aggreditur, perdo animā eius, quia ipse peccat mortaliter cum sit in actu peccati me nitendo occidere. sed si permittam me occidere, solum perdo corpus meum, & non animā. ergo lege charitatis plus obligor permittere, quod interficiat me, quam illum occidere in tali actu peccati: cum lege charitatis plus tenear diligere animam proximi, quam corpus meum. nam corpus meum est vltimum in ordine charitatis, quod tenear diligere. Adducit ipse de Anchona authoritates Augustini, quæ videntur hoc expresse sonare. Nam dicit in lib. 1. de libe. arbi. *Homo, qui inculpatā lege alium aggreditur & occidit, qualiter immunis sit à peccato, videre nequeo*: dicit Augustinus. ergo ex authoritate Augustini talis realiter occidens aggressorem peccat. Tamen ista opinio videtur multū dura & difficilis, cum communis omnium Docto. opinio sit in oppositum. Nam secundum illam opinionem sequitur, quod nullum posset licitè in bello iusto alterum occidere. nam si est iustum ex parte mei, tunc ex parte partis aduersæ, est iniustum, & ideo scio aduersarium esse in peccato, cū iniuste pugnet contra me. & propter hoc argumentum dicit de Anchona, quod non licet vnquā gerenti bellum ex parte sui iustum, aduersarios occidere. quod tamen videtur absurdum. Propterea ab aliis aliter dicitur. Vnde S. Tho. *secunda secundæ. q.* 64. dicit, quod inuasus si intendat inuasorem occidere, ita, quod ex intentione occidat, de facto peccat. sed si intendat se solum defendere, & vitā conseruare, & se defendendo occidat, nullo modo peccat, ita, quod nullo modo intendat occisionem, sed ei displicet talis occisio: imo alius seipsum occidit, in quantum non desistit ab impetitione. & dicere oppositum esset multum durum, & videtur contra æquitatem naturalem permittere se interficere. vbi potest euitare.

Ad argumentum, quod est fortissimum, licet Sorti occidere Platonem, pro defensione suæ vitæ propriæ. Dico, quod verum est: sed non licet intendere voluntariè. Vnde dico duo. primum, sum certus, quod Plato aggredietur me, & nō adhuc aggredietur, non licet mihi illum occidere: sed quando est in actu aggrediendi, licet occidere, si non possim aliter euadere. Similiter dico, si Plato esset in actu oppugnandi ciuitatē, licet cuilibet de ciuitate illum occidere, quia sunt defensores: sed quando solū constat de proposito, dico, quod non licet mihi priuatæ personæ illum occidere nunc quāuis constet mihi certitudinaliter, quod cras euertet ciuitatem. Resolutio est, licet priuatæ personæ inuasorē occidere, præter intentionē occidendi. Secundò, licet ciuiliter de ciuitate occidere oppugnantē ciuitatē quando est in actu destruendi: sed non licet, quando est solū in ꝓposito destruendi.

Quantum ad argumentum contra secundam propositionem. Rex nullam habet potestatem nisi à populo. ergo tota communitas habet authoritatem occidendi. Dico, quod sic, si null' esset Rex: sicut quilibet potest abscindere membrum putridum à corpore suo, quando non est alius, qui abscindat, ita similiter tota communitas potest &c. Sed ista persona singularis vel illa nō potest, ita cōmunitas, à qua Rex habet authoritatem: sed particularis persona non potest, ideo quantum ad primam potestatem correctionis quilibet imperator & Dominus temporalis habet authoritatem auferendi vitam.

Quantum ad secundam quæstionem, qua quærebatur, an liceat principi occidere innocentem? Nā visum est, quomodo licet principi occidere, non tamen omnes maleficos, puta maleficos militiā interiori & exteriori, quando talis militia non perturbat rēpublicā &c. Quæritur ergo, an licet principi occidere innocentē? & apparet, quod sic. licet principi exponere vrbē igni & gladio, pro rebellatione: sed in illa sunt aliqui innocentes, vt paruuli: ergo licet principi occidere innocentē. Consequētia est certa. & antecedēs, quo ad primā partē videtur practicari sæpe. Oppositū tamē arguitur, Exodi, 23. *Insontē & iustū non occides*. Pro solutione dupliciter potest intelligi quæstio, vno modo sic, an liceat principi occidere illum, qui realiter est innocens, est tamen probatus nocēs & malefactor

& princeps vel iudex non habet certitudinẽ de opposito, puta de eius innocentia. Quãtum ad hoc, nulli est dubium, quin possit princeps vel iudex talem damnare ad mortem: sed tota difficultas est inter doctores, vtrum liceat principi vel iudici, qui vt persona priuata habet certitudinẽ de innocẽtia istius, sed non posset illã probare, nihilo minus conuincitur nocens per testes omni exceptione maiores, an liceat illum innocentem damnare ad mortem? Circa hoc est multiplex modus dicendi. De lira dicit duo super illo, Exodi. 23. *Insontem & iustum non occides.* Primum est: si iudex vel princeps est certus de maleficio Platonis, puta, quod est homicida, nihilo minus Plato probatur innocens coram iudice ab illo facto, cuius Sortes iudex habet certitudinẽ de opposito, non licet Sorti occidere Platonem. Hoc dictũ probatur. si liceat tunc occidere Platonẽ: vel licitum est ei, vt priuatæ, vel publicæ personæ: Non primum, quia nulli, vt priuatæ personæ licet quenquam interficere. Nec potest dici secundum, quia non habet viam conuenientem vt occidat, vt publica persona: quia non est ei ordine iuris probatus nocens, vt publicæ personæ. ergo in tali casu non licet Sorti occidere Platonem. & hoc de necessitate est fatendum. Habetur *de consecratione, distin.* 2. quod non licet sacerdoti curato expellere à mensa Christi illum, quem scit peccatorem, vt priuata persona. ergo eodẽ modo hic dicendum est. Secundum dictum ipsius de Lira est, si Sortes princeps vel iudex sciat Platonẽ innocentem, nihilo minus per testes omni exceptione maiores probatus est nocens, vt puta homicida: non licet etiam (dicit de Lira) ipsum Sortem damnare Platonem ad mortẽ vel occidere. & huius sententiæ est Guillermus Odonis super *libros Ethicorum.* Et ratio præcipua est ex textu iam allegato, *Exo.* 23. Nam si est innocens, ergo est indignus morte. ergo occidens & sciens peccat contra iustitiam. Et sic resolutio de Lira est, quod iudex non tenetur iudicare secundum allegata & probata, quando habet scientiam particularem de opposito, quãuis non possit repellere testes, neq; probare innocentiam accusati, imo tenetur non iudicare secundũ allegata & probata. Et ista duo dicta differunt, quia in primo casu non habet viam occidendi, & in secundo habet viam non occidendi, scil. cedendi officio. Primum patet, quia quamuis sciat illum dignum morte, non habet viam occidendi. nam non habet viam occidendi tunc, nisi vt priuata persona. sed non licet ei vt priuatæ personæ. igitur. Secundum patet, puta quod habeat viam nõ occidendi: quia potest cedere officio &c. Oppositæ sententiæ est S. Tho. 2. *q.* 67. *arti.* 2. Et idem dicit Altissio. & Richardus, & gloss. *de consecra. dist.* 2. & idem habetur 3. *q.* 7. *cap. Iudicet. in glo.* Tenent omnes cum. S. Tho. Vnde in tali casu dicit sanctus Thom. aut Sortes est supremus iudex, puta imperator vel Rex non recognoscens superiorem in tali potestate iuridica: aut non est supremus iudex. Si non sit iudex supremus, vel potest remittere ad superiorem, vel non. si nõ, puta, quia vel superior præcepit ei, vt cognoscat de causa: dicit, quod propter hoc tenetur renunciare. Si non potest: tunc vel potest sine scandalo iustitiæ ipsum liberare, vel non. Nam aliqui sunt casus ita enormes, quod etiam supremus iudex non potest dare vitã sine scandalo iustitiæ. In tali casu non potest non occidere, imo tenetur condemnare. Resolutio Thom. est, *q. allegata, arti.* 2. quod iudex potest cognoscere aliqua dupliciter. vno modo, vt priuata persona: alio modo, vt publica. si vt priuata, nec licet condemnare, nec absoluere: quia secundum talẽ cognitionem nullam habet potestatẽ. Sed vt persona publica aliquid potest cognoscere dupliciter. vno modo in communi: alio modo in particulari. In cõmuni per legem naturalem diuinam, aut humanam: hoc est, per leges publicas, diuinas, aut humanas: contra quas nullas probationes admittere debet. Vnde in cõmuni cognoscit, quod omnis malefactor est occidendus, quando malefactor est perturbatiuus reipublicæ. Alio modo potest cognoscere in facto particulari, vt persona publica, puta per iuramenta & testes & alia huiusmodi legitima documẽta, quæ debet sequi in iudicando magis, quã id, quod ipse nouit tanquam priuata persona. Dicit ergo, quod in casu, in quo Sortes iudex scit Platonem innocentem, nihilo minus probatur nocens. & fecit omnem indaginem ad refellendum testes, & non potest illum liberare sine scandalo iustitiæ, in tali casu licet Sorti iudici Platonẽ innocẽtem damnare ad mortẽ. & istam opinionem dicit Præposi. probabiliorem. & hoc intellige sanè, puta supponendo, quod non tenetur cedere ex officio, contra id, quod dicit Lira: & non potest remittere ad alterum: & si non cedat officio, tenetur condemnare. Ratio mea fortissima pro ista opinione est ista: capio Sortem episcopum, coram quo agitatur materia de matrimonio inter Sortẽ & Bertã. nam Sortes probat Bertam esse suam vxorem: nihilo minus episcopus scit oppositum, sed nõ potest probare, & Plato probat per testes omni exceptione maiores, quod Berta sit vxor eius, quia eã desponsauit in facie ecclesiæ: tunc episcopus tenetur adiudicare illã adhærere Sorti, & ei reddere debitum. & potest casus poni districtius, puta, quod causa agitetur coram Papa, qui non potest cedere papatui, nisi ex consensu cardinalium & ecclesiæ, & ratione insufficientiæ. & supposito, quod non potest cedere: ergo oportet de necessitate, quod iudicet, & non potest iudicare, quod non sit vxor eius. Patet, per opinantem oppositum non potest iudicare de aliquo, nisi sciat, vt persona publica, quia scientia, vt persona particularis non sufficit ad ferendum iudicium. ergo saltem in casu iudex tenetur iudicare contra scientiam, quam habet, vt persona priuata siue particularis. Eodẽ modo iudex laicus debet facere. Nam si probauerim hanc rem esse meam, quæ de facto nõ est mea, & iudex certo scit, quod non est mea, tenetur adiudicare illam rem mihi. similiter tenetur condemnare innocentem probatum nocentem, quamuis, vt persona priuata sciat oppositum: & hoc seruato ordine iuris, quem tenetur obseruare. Quid ergo ad argumentum, Exodi. 23. Exponunt *insontem*, id est, quẽ cognoscis insontem & iustum, vt persona talis, id est, vt persona publica non debes condẽnare. sed in casu iudex non congnoscit istum insontem, vt iudex, imo habet ea, quæ sufficiunt ad oppositum,

Digitized by Google

positum, vt persona publica: ideò in tali casu potest illum adiudicare morti. Dices, nunquam licet alicui facere contra conscientiam, sed iste occidendo facit contra conscientiam: ergo non licet istum occidere. verum est, quod nunquam licet alicui facere contra conscientiam. sed nego, quod iste faciat contra cõscientiam. Contrà: iudicat istum esse innocentem, neq; dignũ pœna & morte, & iudicat eũ nõ esse occidendum, dico, quod iudicat eum esse occidendũ, si rectè iudicat. Vnde ista cõsequentia nil valet; iste est innocens: ergo nõ est dignus morte. Vnde dico, quod ex parte iudicis iustè occiditur, & istud iudiciũ esset erroneũ in iudice, iste nõ est iudicandus à me. imò istud iudiciũ est verum, iste est iudicandus à me. & nõ tenetur illud deponere. Contra, ergo faciet cõtra conscientiã: nego, & dico, ꝙ facere contra conscientiam, est facere contra dictamen practicum, de aliquo faciendo vel nõ faciendo. quamuis ergo iudicat iudex, quod est innocens & verè, tamen iudicat rectè, quod est occidendus. Eodem modo dicendum est de lictore, qui cognoscit certitudinaliter cõdemnatũ ad mortẽ per iudicem, esse innocentem: debet eum suspendere, quamuis sciat illum esse indignũ morte postquam habet mandatum à iudice iustè præcipiente & iustè condemnante. & ista opinio videtur probabilior, quod postquam non potest ad alterum remittere, neq; absoluere sine scandalo, & concesso, quod non tenetur cedere (nam esset valde difficile, quod rex teneretur cedere regno, propter istum casum particularem) quod ipse iudex debet talem innocentem condemnare.

His prælibatis circa materiam tertiæ quæstionis, accedendum est ad illam tertiam quæstionem, qua quærebatur, vtrum talem potestatem coercitiuam habeat Imperator vel Dominus temporalis à papa & Romana Ecclesia. Prima opinio est, quod ex institutione Christi habuit talem à papa. Cuius opinionis sunt, qui dicebant in præcedentibus quæstionibus, quod papa habet plenitudinem potestatis tam in temporalibus, quam in spiritualibus, & quod in vtrisq; potest facere sine peccato omne illud, quod non est contra legem naturæ aut diuinam. sed papam cõmittere talem iurisdictionem nõ est contra legem naturæ, aut diuinam siue euangelicam. Item, qui exercet illam sine cõmissione summi pontificis, iniustè exercet, patet, nisi papa cõmitteret, negligenter faceret opus sibi cõmissum: & nõ potest papa per se exercere. nam data est ei potestas, & prohibitum est ei, ne illam exerceat: ergo oportet, quod alteri cõmmittat: & nisi alteri committeret, negligeret opus sibi cõmissum. Quod autẽ exercens sine commissione papæ iniustè exerceat, patet. quicunq; assumit honorem, nisi ad illũ sit vocatus, tanquam Aaron, etiam loquendo de honore tam in spiritualibus, quã in tẽporalibus, præsumtuosè assumit, & talis est notandus de ambitione, & non intrat per ostium. vnde ad prælatum spectat iuridicè & ordinariè prouidere de beneficiis particularibus. ergo eodem modo cum ad papam ordinariè spectet illam iurisdictionem cõmittere etiã ex institutione Christi, si aliquis assumat libero sua arbitrio, ambitiosè assumit. Et iste est primus modus dicendi, scilicet, quod omnes exercentes iurisdictionem temporalem habent illam potestatem exercendi à papa. Vltra dicit Doct. quod eiusdem sententiæ debent esse, qui tenent, quod licet papa nõ habeat illã plenitudinem potestatis, de qua dictum est *q.1.ca.1.* tamen habet plenitudinem potestatis, quantum ad omnia, quæ necessaria sunt pro cõmunitate fidelium gubernanda. sed ad debitum regimen fideliũ necesse est, ꝙ sint aliqui exercentes vsum gladii. ergo si papa habet plenitudinẽ potestatis, ita quod potest, quicquid nõ est cõtra legẽ naturæ aut euangelicam, siue dicatur, quod habet plenitudinẽ potestatis, quod teneatur prouidere de regimine fidelium, tenetur committere istas iurisdictiones temporales.

Tertia quæstio proposita in principio huius tertiæ quæstionis erat: an condemnato à principe ad mortẽ liceat fugere, si pateat ei locus fugæ. Et apparet, quod non, per illud, quod scribitur ad Ro. 13. *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit.* & loquor de potestate principum. sed non licet resistere ordinationi Dei. ergo non licet resistere principi seculari. si igitur damnatus ad mortem aufugeret, resisteret huiusmodi potestati. ergo non licitè faceret, & per consequens peccaret, & iniustè ageret. Oppositum tamen arguitur; quilibet naturaliter inclinatur ad seruãdum vitam suam; ergo licet seruare quando hoc fieri potest, sine iactura alterius, puta, sine percussione, vel læsione alterius vel dãno, vt puta, si aliquis haberet damnatum custodire sub aliqua pœna, non liceret ei aufugere. Pro ista quæstione aduertẽdum est, quod aliud est loqui de iniustè damnato, & iterum de iustè damnato potest intelligi dupliciter, vel de illo, qui est iustè damnatus ex parte iudicis, & non ex parte sui. ex parte iudicis, puta, quia iudex seruauit ordinem iuris iudicando illum, secundum allegata, & probata, & tamen ipse de facto est innocens. Aut de iustè damnato, & ex parte iudicis, & ex parte sui, quia videlicet seruatus est ordo iuris in damnando ipsum, & realiter merebatur damnari, quia innocens erat, & malefactor. His suppositis sit prima propositio. Iniustè damnatus ad mortem ex parte iudicis, puta, quia non seruauit ordinem iuris, vel nõ habuit probationes sufficientes ad damnandum ipsum, potest, imò tenetur fugere, si ei pateat locus fugæ. patet sic, quod teneatur fugere. nã iure naturali quilibet tenetur seruare vitam propriam quantum potest medio licito; ergo Sortes, qui est iniustè damnatus ex parte iudicis, si pateat ei locus fugæ, & non fugiat, peccat contra legem naturalem, qua tenetur seruare vitam suam quantum potest. ergo, cum istud medium, puta fugere, sit Sorti licitum ad seruandum vitam, imò est ei licitum quemadmodum esset ei licitum fugere contra hostes, eum iniustè aggredientes, & persequentes, tenetur iure naturali fugere. Alia ratio adducitur ab aliquo Doct. quæ talis est. ille iudex ad iudicando illum morti peccauit. ergo dando sententiam executioni pecabit. & Sortes, qua lege, scilicet diuina tenetur diligere proximum, tenetur etiam vitare peccatũ in proximo. ergo cum teneatur vitare in proximo peccatũ, etiã tenetur fugere, si ei patet locus fugæ. Dices, ergo martyres obligabantur fugere, cum multis patebat locus fugæ, & erant iniustè damnati

Digitized by Google

ad mortem. Dico, quod quando ex fuga imminebat scandalum in fide, non tenebantur fugere, imò oportet, quod, iniustè damnatus maneat præcipuè, si ex fuga illius immineret periculum in fide.

Secunda propositio. Licet damnato iniustè isto modo impetere principem, & rebellare si possit, ita, quod posset vincere vi sua. patet, vnicuiq; vim vi repellere licet, & hoc quando infertur vis iniustè. sed in illo casu infertur vis iniustè. ergo in illo casu licet vim vi repellere, & occidere cũ moderamine inculpatæ tutelæ. & hoc expressè habetur, Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* & loquitur de illis, qui ducuntur iniustè ad interitum. & arguitur sic. Quilibet tenetur se magis diligere, & liberare quam quantumcunque proximum. sed sic est, quod quando proximus iniustè ducitur ad mortem, quilibet tenetur liberare si possit, etiam per violentiam. ergo à fortiori si possit, ipse illam vim repellere debet: imo ad hoc tenetur.

Tertia propositio. Iustè damnatus ex parte iudicis, tamen iniustè ex parte sui, licitè potest aufugere, si pateat ei locus fugæ, quia est realiter innocens. patet apud omnes Doct. si a. possessio sit mea, nihilò minùs Plato probat eam suã, & per iudicem adiudicatur Platoni: si possum sine periculo corporis, & famæ eam occupare, & capere bene facio. dicitur notanter *sine periculo famæ*, quia si eam capiendo reputarer fur, & latro, non debeo eam capere. nam bona fama præstantior est bonis fortunæ. dicitur notanter etiam *sine periculo corporis*, quia corpus magis est diligendum, quàm fama: & fama, quàm bona externa, & super omnia ista, vita magis est diligenda. ergo à simili, si Sortes sit iustè damnatus ex parte iudicis, & iustè ex parte sui, adhuc corpus suum remanet eius: ergo potest fugere etiam cum periculo famæ, quia corpus magis est diligendum, quam fama.

Quarta propositio, in qua est difficultas inter Doct. Si Sortes sit iustè damnatus ad mortem ex parte iudicis, & sui, & pateat ei locus fugæ, an teneatur aufugere? dico, quod potest licitè aufugere, & sine peccato. & in hoc maior pars Doct. conuenit. hoc tenet de Gandauo *quod libeto nono.* quãuis oppositum imputetur sancto Thomæ, tamen non legi in ipso, sed dicit, quod potest licitè aufugere: vt patet. *secund. secund. q. 59. in vlti. artic. in solutione 2. argumenti.* dicit quod nullus condemnatur ad manendum in loco, vnde ducatur ad mortẽ. tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod iustum est eũ pati: sicut etiam, si aliquis sit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat, si cibũ sibi occultè ministratũ sumat, quia non sumere esset seipsum occidere. patet sic. vnusquisque tenetur seruare vitam suam iure naturali indispensabili, dummodò possit hoc medio licito, & sine iactura alterius. sed in tali casu Sortes potest conseruare vitam suam. Primò, iudex non patitur iacturam ex eius fuga, neq; custos, supposito, quod nõ seruet eum sub pœna. ergo. Holcot *in tertio* adducit multas rationes ad istam propositionẽ. nam Sortes potest posteà maius bonum cõmunitati facere, quam mors ei' fuisset communitati bona, quia non licet interficere, nisi propter bonum commune. similiter potest pœnitere, & multa alia bona facere. ergo in tali casu Sorti proponẽti illa bona facere, licet aufugere. & hoc satis suadet S. Tho. in *loco præallegato* de condemnato, vt fame pereat. potest comedere, si ministretur ei cibus, quia nullus potest condemnari, vt seipsum interficiat. imò dicit de Gandauo, si posset violenter à custode carceris, vel quouis alio panem subtrahere, licitè potest, quia in tali casu cum sit in extrema necessitate, omnia sunt ei communia. Diceret aliquis, & est apparentia maior, quę possit haberi, pro parte opposita, si Sortes esset condemnatus ad perditionem bonorum, post illã cõdemnationem nõ potest illis bonis vti, neq; retinere, imò committeret furtum: quia non sunt ampli' eius. similiter, si Sortes iusto iudicio condemnetur in seruitutem alicuius, nõ potest sententiam latã aufugere ab eo, imò tenetur parere ei, cuius est seru': imò si fugiat, tenetur de damno domino suo, & eum recompensare de iniuria facta. ergo à simili, si Sortes sit iustè damnatus ad mortem, corpus eius & vita non videtur esse ipsius, sed reipublicæ. ergo, si fugiat, iniuriam facit communitati, cui vita adiudicata est, & per consequens ipse peccat. & ista est maior apparentia, quæ haberi potest pro opposito. & hoc assumunt alii Doct. tenentes oppositam partem.

Quantum ad hoc, optimè respondet de Gandauo dicens, quod dupliciter cõtingit habere dominium in aliqua re. vno modo, quantum ad substantiam rei. alio modo, quantùm ad exercitiũ operationum aliquarum circa illam rem. primo modo ille habet dominium, qui substantiam rei alienare potest. Secundo modo, qui locauit equũ, vel domum, habet dominium isto secundo modo. Hoc supposito dicit vlteriùs, quod nullus potest habere dominium in corpore alterius, quantùm ad substantiam præter animam informantem tale corpus: vt sit Sortes quantumcunq; seruus damnatus ad mortem: nullus habet dominium, quãtum ad substantiam corporis eius, & vitam præter animã ipsius, adeò, quod quantum ad substantiam semper remanet corpus animæ eius. ergo anima tenetur regere ipsum, nutrire & conseruare in esse quantùm potest. sed quantùm ad aliquas operationes exercendas circa corpus, iudex habet dominium, vt puta citare eum, prouocare, incarcerare, mortem inferre, & sic malefactoris corpus, quantùm ad substantiam semper remanet animæ eius, sed quantum ad aliquas operationes exercendas dominium est apud iudicem. propterea dicit idem de Gandauo, & consequenter sanctus Thomas, quod si Sortes sit vinculatus, non licet ei frangere vincula, & carcerem, quia non habet dominium sui corporis, quantùm ad hoc, neque rebellare. nam si rebellaret, licet principi illum inuadere. bellum enim est iniustum ex parte Sortis: ergo illicitè rebellat. & est argumentum efficax: quia si rebellat, quod princeps aggrediatur, bellum est iustum ex parte principis: ergo iniustum ex parte alterius. ergo propositum. Resolutio igitur istius materiæ est, quod quamuis Sortes sit iustè condemnatus, & non vinculatus neque clausus in carcere, neque datus alteri in custodiam sub pœna, ita, quod non immineat alicui personæ detrimentum ex eius

fuga

fugat licet ipsi fugere. Sed est difficultas, vtrum teneatur fugere in tali casu, vel solum sit consilium. Dicit de Gandauo, quod satis elici potest, quod tenetur fugere. imò si non fugiat, est homicida sui. nihilò minus dicit Ioan. de Gersono in tractatu, quem fecit *de esu carnium*, quod potest licitè expectare mortem pro suis demeritis, & satisfacere pro peccatis. videtur tamen mihi, quod si sit ei licitum fugere, quod pro tunc etiam tenetur fugere, quia iure naturali tenetur seruare vitam corporis. quia patet ei medium licitum ad illam seruandam: ergo tenetur. & hoc dicit, de Gandauo & Thomas de illo, qui est damnatus, vt pereat fame, quia tenetur comedere si habeat panem, quia illud est medium licitum ad seruandam vitam eius. Vnde de Gandauo ponit differentiam inter istos quatuor terminos, *necessitas, fas, ius, & licitum*. Vnde non solum in tali casu est ius, fas, aut licitum, sed necessitatis est fugere. & ista opinio videtur probabilior, videlicet, quod teneatur fugere.

Pro ista opinione potest sic argui. Habita sunt tria dicta. primum, quòd papa habet potestatem committendi iurisdictionem laicam, & temporalem. secundum, quod tenetur illam committere, quia aliàs negligeret onus sibi commissum. tertium quod quilibet, qui assumit iurisdictionem illam sine commissione papæ, est arguendus de ambitione: quia assumit honorem non vocatus, & intrat non per ostium. Prima ratio huius opinionis est, necessarium est in omni communitate habere supremum, à quo cunctorum iurisdictiones dependeant. sed tota communitas Christianorum est cōmunitas violentium ad inuicem communicare: ergo oportet esse supremum in illa cōmunitate &c. sed nullus alius potest assignari præter papam. ergo ab ipso dependet iurisdictio omnium aliorum. populus enim si est bene ordinatus, vni gubernatori, & non pluribus debet esse subiectus. Prouerb. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* loquitur enim in singulari, & non plurali, cum, inquit, *gubernator*, & non *gubernatores*. ergo videtur innuere, quod vni populo vnus supremus debet esse gubernator, & non plures, & cum totum genus humanum vnus populus sit, qui optima constitutione, & institutione volentium ad inuicem viuere, & communicare regi debeat, necesse est, esse principem supremum, à quo cæteri dependeant, & illi supremo in omnibus pareant. Præcipua ratio inter cæteras est ista. si non sit supremus aliquis, à quo cæterum iurisdictio dependeat, poterunt esse aliquæ in aliqua communitate non subordinatæ, quarum quilibet illas exercens, erit supremus, & nulli alteri subiectus: ergo poterunt esse plures superiores non habentes superiorem. sed hoc optimo modo regendi obuiare videtur, quia, si sint plures superiorem non habentes, quorū neuter est alteri subiect⁹, vel præsunt eidem populo, vel diuersis. Si eidem populo, ergo non poterit populus exhibere, quod est exhibendum superiori: quia si ambo simul contraria præcipiant, non poterunt subditi suis superioribus parere: ergo necesse erit, vt sint alteri inobedientes, & ad impossibile obligati. quod est impossibile. ergo in communitate bene ordinata non possunt esse duo principes non subordinati. Si autem illi duo superiorem non habentes præsint diuersis populis: ergo illæ communitates non erūt bene ordinatæ. patet; inter illos populos possunt esse dissensiones, cum natura humana est prona ad dissentiendum. & inter diuersos superiorem non habentes, leuiter poterit oriri discordia, quæ per superiorem sedari non poterit. discordia autem inter maiores superiorem non habentes periculosa est, secundum Aristotelem *6. Politico. capit. 9*. Ergo, si non sit aliquis superior ad vtrunq; illorum populorum & ad vtrumq; istorum, qui præsit istis duobus populis: tales communitates non sunt bene ordinatæ. ergo dicit Doctor, oportet confiteri: quod sit vnus aliis omnibus superior, à quo cunctorū potestates, & iurisdictiones dependeant. & non videtur alius à summo pontifice. ergo si iurisdictio omniū aliorum depēdet à summo pōtifice. tunc nec imperatur, nec alius princeps debet iurisdictionem temporalem exercere, nisi sibi à summo pontifice committatur. & hæc est summa huius opinionis, scilicet, quod omnis iurisdictionis authoritas dependet à summo pontifice.

Alia est opinio.

CAPITVLVM II.

VIsum est de iurisdictione principium secularium, ad quos spectat maleficos, & in corpore, & in bonis punire. & illa est prima iurisdictio, quæ vocatur coercitiua, & authoritas publica maleficos damnandi contrahitur à populo. & in 1. *ca.* fuerūt allegatæ opiniones. vna, ꝙ nullus princeps tēporalis potest iustè actum iurisdictionis exercere, nisi ex commissione papæ, & Ro. Ecclesiæ. nunc in isto. 2. *ca.* ponitur secunda opinio, q̄ diuiditur in tres modos dicendi partiales. & vniuersaliter ista opinio dicit, ꝙ principes seculares absq; cōmissione papæ, & Romanę ecclesiæ, possunt iurisdictiones seculares licitè exercere, ita ꝙ nec papa nec ecclesia habent ex institutione Christi, quod debeant illas iurisdictiones illas principibus secularibus committere. Marcilius de Padua, circa hāc materiam ponit tria dicta. Primum, quod papa nullam habet potestatem coercitiuam siue coactiuam ex institutione Christi, & quod nullus habet potestatē excōmunicandi, nisi ex beneplacito populi aut principis. & nititur hoc deducere ex authoritate Pauli, qui excommunicauit fornicatorem conuocato populo. Secūdo dicit, quod papa nō est exemptus ab habēte potestatem coactiuam, imò ipse subiectus est principi seculari habenti potestatē coactiuā. Tertiū dictū, si delinquat vel in spiritualib⁹ vel in temporalib⁹, à principe venit coercendus. Sed ista opinio, quantum ad multa, est damnata, & scādulosa: ꝙ patet per vsum contrariū. nam excōmunicare potest papa, & quotidiè facit sine consensu populi. ergo &c. Secundus modus dicendi est, quod papa quantū ad spiritualia habet potestatē coactiuam per censuras spirituales, puta, per excommunicationem, vt in peccatis contra sacramenta,

Digitized by Google

& contra euangelium. sed in temporalibus, nec habet regulariter, nec casualiter potestatem coactiuam ex institutione Christi: sed si habeat, hoc est, à principe, vel populo. Tertius modus dicendi est, papa habet potestatem coactiuam, per censuras spirituales in spiritualibus, sed in temporalibus non habet illam regulariter, sed solum casualiter. & videtur difficultas ex varietate textuum, an videlicet papa ex institutione Christi, in causis purè laicis habeat potestatem discernendi, iudicandi, & cogendi. Opinio iuristarum quantum ad hoc est, quod summus pontifex non habet regulariter, sed casualiter. regulariter, hoc est, non debet exercere illa, quæ sunt potestatis puræ laicæ. ideo dicunt illũ illã habere in habitu, sed non in actu, quia casualiter potest & debet, puta in duobus casibus. Primus, quando deest princeps secularis. Secũdus, si princeps secularis non possit, vel negligat illam exercere. talibus casibus potest, imò tenetur papa administrare iusticiam in rebus temporalibus. ideo casualiter orta quæstione de possessione aliqua, ecclesiastici possunt se intromittere, nõ tamen regulariter, sed in duobus casibus tantum prius tactis. Quantum ad primum, *extra in c. Licet, de foro competenti*, quod vacante imperio, potest papa se intromittere de negociis temporalibus. Quantum ad secundum, in *c. Ex tenore, eodem tit.* Nam si imperator nõ vult causam terminare, papa debet ex institutione Christi illam terminare. propterea ex institutione Christi, habet iurisdictionem laicam in habitu: sed non in actu. datur simile. si duces subiecti regi nollent iurisdictionem administrare, tunc debet rex illam administrare, & illam habet in habitu. Similiter dicendum est de summo pontifice. Doctor arguit pro ista opinione, & non arguit particulariter pro aliquo istorum trium modorum, sed vniuersaliter pro tota opinione. ille non habet suam iurisdictionem ab illo, cuius est Dominus: quia nunquam Dominus habet iurisdictionem à seruo. sed imperator est Dominus papæ in temporalibus. nam habetur textus. 11. *q.* 1. *capitulo, sacerdotibus*; vbi papa vocat imperatorem *Dominum* suum: ergo est Dominus eius. Secũdo, ad idem ratione arguitur, quod papa sit subiectus imperatori: in qua fundant se Doctores: quæ videtur eis peremptoria. Quælibet res, quæ transit de nouo in dominium alterius, transit cum onere suo, nisi super hoc habeatur speciale priuilegium. sed prædia, quæ transierunt de nouo in dominium papæ, puta per collationem principum, vt Constantini, & Regis Franciæ, puta in Auinione, illa erant imperatori, & principibus subiecta. ergo transierunt cum tali onere, nisi super hoc habeatur speciale priuilegium. ergo papa quãtum ad illa est imperatori, & regib⁹ subditus. vnde dictum est, quod principes non solum habent potestatem in res, sed etiam in personas: quia possunt incarcerare, & occidere. Dico tamen, quod quantum ad istam potestatem, quæ respicit personas, est apparentia, quod papa sit exemptus, ita, quod imperator non potest incarcerare nec occidere eum, quamuis commiserit crimen tali pœna dignum. sed quantum ad ipsas res, quod iure diuino sit exemptus, nulla est apparentia. ergo dicit Doct. ad minus habetur, quod ratione prædiorũ, quæ transierunt cum onere suo in dominium papæ, quæ antequam transirent erãt subiecta principi, quãtum ad iurisdictionem, ratione illorum habens dominium illorum efficitur subiectus alteri habenti iurisdictionem super illa, *de foro competenti. c. vltimo.* patet hoc. persona dupliciter efficitur subiecta. vno modo, ratione criminis. alio modo, ratione possessionis.

Resolutio est, quantum ad primum modum dicendi Marcilii de Padua, erroneũ est, quod papa non habeat potestatem coactiuam in nullis rebus. Item vterque duorum secundorum modorum est probabilis, videlicet, quod papa in rebus purè ciuilibus nullam iurisdictionem nec regulariter nec casualiter habeat iure diuino, & ex institutione diuina, vel, quod habeat non regulariter, sed casualiter, puta, in duobus casibus tãtum supra numeratis, scilicet, si nullus sit iudex temporalis. & si nõ potest exercere, vel negligat, probabile est, quod casualiter in illis duobus casibus habeat iurisdictionem temporalem administrandi in temporalibus.

His opinionibus.

CAPITVLVM III.

IAm nititur soluere, vnam rationem opinionis, & resolutio Doct. est, quod papa non habet cõmittere principibus secularibus suam iurisdictionem, sed illam habent à populo. sed arguitur pro parte opposita sic. Communitas volentium ad inuicem viuere, & in actibus ciuilibus conuersari, inter quos potest oriri discordia, non est bene ordinata, nisi sit aliquis superior, qui possit illorum causas, & discordantias terminare: alias sequerentur bella, & multa alia inconuenientia. sed tota communitas omnium est communitas volentium &c. ergo non est bene ordinata, nisi sit vnus superior. sed non potest dari talis superior, nisi papa, ergo est omnium superior. sed inferiores non habent iurisdictionem, nisi à superiore, ergo omnes habent suas iurisdictiones ex commissione papæ. Quantum ad hoc argumentum, concessa maiore negatur minor, puta, quod talis supremus non potest esse alius præter papam: imò secundum vnum modum dicendi est aliquis alter à summo pontifice ex electione populi & consensu maioris partis aut sanioris, cui etiam papa est subiectus saltem in temporalibus, scilicet imperator. & ista est prima solutio, hoc etiam dicit Marcilius de Padua.

Secunda solutio tangitur à Doctore ibi *aliter respondetur* & ista secunda solutio est melior, & dico, ꝙ omnium Christianorũ est vnus superior, qui potest causas terminare spirituales, vt papa, & alter, qui potest causas ciuiles, vt imperator. Sed, quid dicendum, si reges non sunt subditi imperatori? Dico, ꝙ sufficit, quòd sint duo, vel plures superiores vnus vni parti præsidens, & alter alteri, vt Sortes

tes Gallus,

tes Gallus,& Plato Hispanus, nullus est amborum superior, sed quilibet habet suum superiorem, & orta discordia inter illos actor sequatur forum rei, vt Gallus conueniat Hispanum, coram suo iudice, & principe Hispano, & Hispanus etiam coram suo Ideo non requiritur, quod vtrisq; sit vnus superior, sed, quod quilibet habeat suum superiorem. & dummodò isti superiores sint prudentes, poterunt suas communitates optimè regere.

Porro quia ista.

CAPITVLVM IV.

VIdenda sunt pertinentia ad bonum principatum. Primum igitur est, quod sit ordinatus in bonũ commune, & non in vtilitatem alicuius personæ priuatæ. vnde Aristoteles non solum ponit differentiam boni principatus à tyranno, sed etiam despotico licito : quia principatus ordinatus ad cõmunem vtilitatem. Isto modo Christus instituit principatum sacerdotalem propter vtilitatem communẽ, & non propter bonum priuatum Petri & successorũ. talis autem principatus papalis, & episcopalis est ex ordinatione Christi, quod insinuatum est, à Christo cum Petrum fecit papam dicendo, *Pasce oues meas*: quasi dicat, super oues meas te principem constituo, vt non tollas ab eis lac, & lanam, nisi pro necessitatib' tuis: iuxta illud 1. *ad Corinth.* 9. *Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat?* Ecclesiastici habent titulum petẽdi, & exigendi tẽporalia pro spiritualibus: vt patet ex illa authoritate Pauli. Principatus ergo Apostolicus est ordinatus non propter bonũ principatus, sed propter bonum commune subiectorum ad obtinendum regnum cælorum. & ideo Petrus dicit aliis pastorib': *Pascite qui est in vobis gregẽ Dei.* Ex istis authoritatib' habetur manifestè, quod principatus Apostolicus est institutus propter bonum cõmune. propterea, si Petrus aliquid instituisset cõtra libertatem alicuius particularis personæ, vbi non fuisset necessitas aut magna vtilitas, illa institutio siuè præceptio obligasset. nam quæ fiunt à iudice, & non illa materia, in qua habet potestatem iudicandi, nullius sunt efficaciæ. vnde non fuit data Petro potestas, nisi in vtilitatem subditorum. quare si papa ferat sententiam excommunicationis, & non pro causa vera, vel apparente non est timenda.

Secundo ad optimum principatum.

CAPITVLVM V.

VIsum est, an principes seculares habeant suas iurisdictiones à papa, & est opinio communis inter Doct. Parisienses, quod non. imò antequam esset aliquis summus pontifex, erant principes seculares habentes suas iurisdictiones. & ille modus est tripartitus. vt visum est. nam dicebat Marcilius, quod papa nullam habet potestatem coactiuam. Alii, quod habet in spiritualib' coactiuam, sed non in temporalibus, nec regulariter, nec causaliter. Alii quod in temporalibus non regulariter, sed casualiter. & est opinio iurist arum, *cap. Licet: & c. Ex tenore, de foro competenti.* Item dictum est quod ad optimum principatum requiritur, quod vnus principetur, propter vtilitatem communem. & hoc fuit deductum *in* 4. *c.* In isto 5. *c.* Doct. assumit secundum, quod conuenit optimo principatui, quod principans sit vnus sicut principatus est vnus, ita, quod ad optimum principatum de necessitate requiritur, quod vnus principetur, qui sit superior cæteris omnibus. Pro isto potest multipliciter argui ex mente Aristotelis in *tertio Poluicorum*, nihilò minus Docto. adducit præcipuam rationem Aristotelis, quam facit loco præallegato volens probare, quod principatus regalis, in quod principans est vn', sit melior principatu aristocratico, in quo pauci principãtur, & democratico, in quo multi principantur. & sub regali principatu compræhenditur omnis principat', in quo vnus solus dominatur, siue sit Dux, Comes, vel Balliuus. Et arguitur sic ille: principatus est melior, qui conseruat subiectos in amicitia, pace, charitate, & concordia, prohibendo & impediendo discordias, rixas, & tumultus inter subditos, sed principatu regali ista maximè vitantur; ergo est principalis inter cæteros, & optim'. & ista propositio, est manifesta, quia omnis principat' est ordinatus ad conseruandam charitatẽ, & pacẽ inter subditos, & ad vitandũ dissensiones, & rixas inter illos, ergo ille est optim', quo maximè seruãtur illa, & maximè vitãtur ista, eiusmodi est regalis. igitur. Quod talis sit optimus, qui talia facit, patet per multas authoritates scripturæ. Vnde & princeps pacis Christus, super cuius humerũ fact' est optimus principatus, corporeliter ab Apostolis, & cæteris fidelib' recessurus, ipsis dilectionẽ, & amicitiam singulariter imponebat dicens, *Hoc est præceptum meũ vt inuicẽ diligatis.* & Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis.* & 16. ait, *In me pacẽ habeatis.* & Mat. 10. dicit Apostolis, *Intrãtes domum salutate eã dicentes, pax huic domui.* Finis ergo principalis principat' cuiuslibet est cõseruatio pacis subditorum, & vitatio discordiarũ. sed hoc maximè fit per principatum regalẽ. Pro cuius declaratiōne notandum, quod dissensio proueniens in regno nõ potest, nisi tripliciter prouenire. Vel prouenit inter subditos: puta cum subditi dissentiunt inter se. Secundo, vel est dissensio subditorum ad principem : vel principis ad subditos. & isti duo vltimi modi coincidunt Sed in principatu aristocratico, vel democratico potest prouenire dissensio, & subditorum ad subditos, & subditorum ad principantes, & vnius partis principantium, ad alteram partem principantium. sed per principatum regalem facilius conseruatur pax subditorum, & vitatur discordia inter ipsos. ergo. Insuper dicit Doctor, quando dissentiunt subditi inter se, illa dissensio facilè sedari potest per principantem. sed si orietur dissensio principantium ad principantes, etiam ad omnes alios faciliter se diffundet. vt testatur Aristoteles *Politicorum quinto, cap.* 9. Ideò difficile esset illam sedare propterea, quia subditorum pars

Digitized by Google

adhæret vni parti, & altera alteri, & sequitur dissensio in populo. ergo dissensio proueniens in principatu aristocratico, vel democratico est multo grauior, & perniciosior, quam illa, quæ prouenire potest in principatu regali. Resolutio Doctoris post Aristotelem, & cõmuniter omnium Doctorũ est, quod ad optimum principatũ requiritur, quod sit vnus principans. Ratio præcipua Aristotelis est, quia quando est vnus principans, in dissensionibus facilior est recursus ad principantem, quàm quando sunt plures principantes. ergo regalis est melior. Dices, dicit sapiens, Prouerbiorum 11. *Salus, vbi consilia multa.* Sed in principatu aristocratico, & democratico sunt multa consilia, & plura, quam in regali, ergo est præstantior regali. Nam princeps ad hoc est ordinatus, vt præuideat pericula imminentia, & illis obsistat. sed hoc meliùs prouident plures sapientes, quam vnus solus. plures enim vident oculi, quàm oculus. quod vnus non videt, alter videt. & hoc de necessitate requiritur, puta, præuisio periculorum imminentium, & eorum, quæ possunt ducere rempublicam ad interitum, & ruinam ergo melior est principatus aristocraticus, vel democraticus, quam regalis. & hoc est præcipuum argumentum partis aduersæ tenentis oppositum. Ad hoc respondet Sanctus Thomas in lib. *de regimine principum*, & post eum Ægidius de Roma: supposito, quod omnes homines essent boni non quærentes, nisi quòd iustũ est, & homini, & reipublicæ: melior esset principatus aristocraticus, vel democraticus, quam regalis. Nam duo aut tres quærentes bonum commune meliùs prouident, quàm vnus, sed supposita conditione, & peruersitate, quæ iam reperitur inter homines: quia vnusquisque saltem pro maiori parte, quærit, quòd suum est, & non bonum commune. supposita ergo tali peruersitate hominum pro maiori parti, & etiam quia stultorum infinitus est numerus: ex multis principatibus, quilibet niteretur acquirere sibi maiores diuitias, & honores, & ex hoc facile oriretur dissensio inter principantes in perniciem boni communis, ideo supposita conditione hominũ nunc viuentium præstantior est principatus regalis. Restat ergo inquirere. Visum est quomodo duo requiruntur, ad optimum principatum. Primùm, quòd instituitur propter bonũ commune. Secũdũ, quòd sit vnus principans. Videndum est, quæ sunt incompossibilia illi principatui optimo, & quæ sunt impertinentia. Primo, est incompossibile illi principatui in quantum huiusmodi habere seruos propriè dictos, non dico locatitios, imò necesse est illos locatitios, habere: Ratio est, nullus est in seruitutem redigendus, nisi propter eius culpam. ergo de ratione optimi principatus repugnat illi habere seruos propriè dictos, puta quòd necessariò sint serui tali principanti. & est præcipua ratio, quæ maiorem habet apparentiam. Nam secundum Aristotelem *primo Politicorum*, melior est principatus liberorum, quàm seruorum, quia melior est principatus, qui est meliorum subditorum, sicut melior est principatus hominum, quàm bestiarum. liberi autem sunt meliores, quàm serui. quare principatus seruorum non est optimus iudicandus. meliùs est enim principari bonis, quàm malis. ergo iste principatus, qui est super omnimode liberos, hoc est, qui non sunt serui emptitii, est melior. & hunc vocat Aristoteles regalem. Vnde in plerisque locis habentur tales serui emptitii, & abiecti, sed hoc repugnat optimo principatui: puta, quòd de ratione illius sint tales serui abiecti, & addicti principanti, siue sint boni siue mali. Vltrà repugnat optimo principatui plenitudo potestatis in temporalibus. Patet; illud repugnat, quod est in damnum, & perniciem subditorum; sed illa plenitudo potestatis in temporalibus est huiusmodi. nam est in perniciem reipublicę, quod princeps possit res cuiuscunque priuatæ personæ in dominium alterius transferre pro libito suo, & hoc posset, si haberet illam plenitudinem potestatis, de qua dictum est, 1. *quæst. cap.* 2.

CAPITVLVM VI.

Consequenter restat inquirere, quæ possunt adesse, & abesse optimo principatui. Et breuiter dicitur, quòd ad optimum principatum spectat vnicuique, quod suum est reddere, hoc est iustitiã administrare, leges condere, iudices inferiores, & alios officiales deligere, & constituere, operationes quarumcunq; virtutum præcipere. quilibet princeps ex officio ad ista tenetur, sed tamen ad hoc videtur esse principalissimè constitutus, vt corrigat, & puniat delinquentes. Patet, 1. ad Timoth. 1. *Lex iusto non est posita:* sed iniustis & non subditis. præcipuum igitur, quod pertinet ad principem, est peccatorum correctio. Patet, principes ad hoc maximè sunt creati propter mutuam & pacificam tranquillamque conuersationem subditorum fouendam, & discordias diffidiaque sedanda: & nihil aliud vult dicere in isto *sexto capitulo*, quàm, quod princeps inter cætera magis debet intendere punitioni malorum, ita, quòd actus principalis, propter quem princeps est institutus, est delinquentiũ punitio & correctio.

Ex his patet, quæ sunt optimo principatui necessaria annexa, & quæ incompossibilia, & quæ impertinentia, & dictum est, quod ad optimum principatum necesse est, quod sit propter bonum commune, & quod principans principetur liberis & non seruis, & quod sit vnus principans & non plures. Item repugnat optimo principatui habere plenitudinem potestatis, puta, quod posit ad placitum eius transferre rem meam in alterum, sine quocũq; meo peccato vel causa & facere quicquid non repugnat iuri naturæ & diuino: & visum est etiam quomodo præcipuus actus principantis est malorum punitioni intendere.

Iam Doctor infert aliqua correlaria, ibi, *His visis dicitur*. Primum, non repugnat optimo principatui supremo optimè ordinato, aliquã potestatẽ iuridicam esse alicuius, vel aliquorũ ex istis de cõmunitate illa à supremo principe eiusdẽ cõmunitatis, quæ nullo modo ab ipso supremo principante dependeat, nec sit ab ipso instituta, hoc est, quod non dependeat ab ipso, nec quo ad institutionem, nec

nec quo ad destitutionem saltem regulariter. Patet; dictum est, quod optimus principatus est institutus propter bonum commune, & malorum correctionē: ergo si non impediat malorum correctionē ita, quod nullus delinquens in illa communitate iustam & debitam effugiat vltionem, non repugnat supremo principatui esse aliquem talem iurisdictionem, quæ nullo modo dependet ab ipso supremo, nec quo ad institutionem, nec quo ad destitutionem. Nec etiam talis iurisdictio bono communi repugnat. Patet sic, vndecunque coerceantur malefactores, dummodò coerceantur per potestatem aliquam, vndecunque sit talis potestas, vel à supremo, vel ab altero, non est impertinens bono communi, si puniantur per potestatem publicam & coercitiuam: ergo correlarium verum. Hinc est, quod in aliquibus regnis, vt fertur in regno Aragoniæ, rex non habet instituere iurisdictiones: imò est aliqua potestas iuridica, quæ habetur ex successione parentum ita, quod post patres filii sunt iudices, & filii filiorum erunt iudices, nec illos rex potest destituere, imò sunt sunt supra regem, quantum ad illam iurisdictionem.

Secūdum correlarium. Non repugnat optimo principatui aliquam personam policiæ esse regulariter exemptam ab eius iurisdictione, dummodo sit casualiter subiecta, puta, ratione criminis ab ea commissi. Dicitur regulariter, quia, vt patet in primo correlario, non repugnat optimo principatui aliquam personam habere iurisdictionem, quæ nullo modo dependet à supremo principante: ergo illa non regulariter est subiecta, sed bene casualiter, puta, si peccat talis persona in rempublicā, ad supremum principantem spectat illam punire.

Tertium correlarium. Non repugnat optimo principatui, & supremo, correctionem illius personæ, sic regulariter exemptæ ad aliquem alterum, vel ad alios spectare, quàm ad supremum principantem. Patet sic, quicquid nō repugnat bono communi, est compossibile optimo principatui & supremo; sed quod ista persona sic exempta puniatur ab aliis, quam à supremo principante, nō est repugnans bono cōmuni, & punitioni malorū: ergo. Vnde ponit ista Doc. volens dicere, ꝙ papa nō est supremus principans in policia, sed imperator, si foret aliquis ex vniuersali consensu totius populi. Vltrà dicit, ꝙ non obstante, quod ipse imperator sit suprem' principans, non tamen repugnat, quin papa habeat potestatem coercitiuam, puta, excōmunicandi. Similiter papa est regulariter exemptus à principe, quia non potest eum imperator pro qualicunq; crimine punire: & dato, quod papa cōmitteret crimen, ꝙ scandalizaret totam ecclesiā: adhuc regulariter nō spectat ad supremū principantem eum punire, sed ad concilium generale. Resolutio ergo talis est. Nō repugnat optimo principatui, & supremo esse potestatem in policia, quæ nō dependet ab eo, neq; quo ad institutionem, neq; quo ad destitutionem. Prçterea non repugnat esse personam exemptā à tali principante, quantum ad correctionem, quin possit per alias fieri, quam per supremum principantem.

Sanè licet.

CAPITVLVM VII.

IN hoc *septimo cap.* vult dicere Doctor, quod quamuis supra dicta de optimo principatu sint vera, tā de principatu vniuersali, quā particulari: regulariter nihilo minus ille principatus regalis in casu non esset optimus, imò mutandus in aristocraticum vel democraticum. Patet in casu, quo principās esset tyrannus, vel quandò plures aspirarent ad principandum, & melius seruaretur bonum cōmune per plures principantes. ideo casualiter alius principatus potest esse melior quam regius, dummodò semper seruetur prima conditio necessario requisita ad bonum principatum, puta, quod sit propter bonum cōmune. Et secunda conditio, puta. ꝙ vnus principetur, casualiter potest esse falsa, puta, si ille vnicus ad tyrannizandum aspiraret & declinaret, tunc optimus principatus non esset simpliciter ōmnib' optimus, imò multis esset nociuus, quemadmodū declarat Doctor in præsenti capite. reliqua autem, quæ dicit, clara sunt. quare transeo ad aliud, in quo soluūtur rationes probantes, quod debet esse vnus supremus principans &c.

Per scripta.

CAPITVLVM VIII.

IN hoc *capi.* soluuntur rationes probantes, quod debet esse vnus supremus principans. Arguitur sic. In omni communitate aliquorum volentium cōmunionem habere ad inuicem, & habere contractus ratione, quorum possunt oriri dissensiones & discordiæ: necesse est habere supremum in illa cōmunitate, à quo cæteræ potestates & iurisdictiones dependeant: sed tota communitas mortalium est congregatio &c. ergo oportet. quod sit vnus supremus à quo &c. sed nullus potest esse, nisi papa, quia potestas eius non dependet, nisi à Deo, & non à principe vel regibus. Ad hoc argumentum negatur maior, quia non repugnat optimo principatui esse aliquam iurisdictionem, quæ non dependeat ab illo, vt dictum est in primo correlario: sufficit, quod casualiter dependeat, & non regulariter. Alia ratio præcipua. Si sint duo præcipientes non subordinati, & ambo vocent eandem personam iuridicè: talis persona erit perplexa. Exemplum, vt si imperator vocet Sortem pro re ciuili, & papa eodem tempore vocet eundem pro re ecclesiastica: si istæ potestates sic se haberent, quod nulla ab altera dependeret, iam Sortes esset perplexus: nam si vadat ad papam, contemnit imperatorē, & peccat quando res est licita: & è contra si vadat ad imperatorem, contemnit papā: ergo policia nō erit optimè ordinata, si sint duæ potestates coercitiuæ in communitate, & nulla dependeat ab altera. Doctor respondet negando, ꝙ sequatur personā in aliquo casu esse perplexā: quia vel

Digitized by Google

in vocatione ambo explicant causam, quare vocant, vel non. Si explicant causam, vadat ad eum, qui vrgentiorem explicat causam: vt, Rex vocat Sortem, vt defendat ciuitatem, quia imminet periculū: similiter, Papa vocat filiū, pro causa non tam vrgenti: debet tunc obedire regi. ideo debet ire ad illū, qui causam, vrgentioré explicat, secundū quod vir prudēs iudicabit in illis exercitatus. Si verò nullus explicat causam, dico, quod necessarium est ire ad supremum principanté, vt, si Papa & Rex vocant me, apparentia est quod debeo ire ad regem. Nam Rex habet maius dominium in corpora nostra, quā Papa, quia non dominatur corporibus. Contrà, potestas Papę à nullo dependet, nisi à Deo: sed potestas regalis ab alio dependet, puta, à populo: ergo Papa habet potestatem immediatè à Deo, & per consequens maiorem. Respondetur, quod dupliciter intelligitur potestatem aliquam dependere à Deo: vno modo, quod nullus præter Deum illam instituit: & sic potestas papalis dependet à Deo. Alio modo, quod Deus illam conferat nullo requisito creato: & sic potestas papalis nunc non sic dependet à Deo, quia prærequiritur electio: sed illa, quæ fuit in Petro, à solo Deo dependebat. Tertio modo, quod à solo Deo depēdeat, quantum ad destitutioné, & sic potestas Papalis non à solo Deo depēdet, quia concilium generale potest destituere ipsum Papam. Dico ergo tria. Primū, potestas papalis dependet à solo Deo, quātum ad institutionem. Secundum, non dependet à solo Deo quantum ad nouam collationem, quia requiritur electio. Tertium, neq; dependet à solo Deo, quantum ad destitutioné. Dico vltrà, quod potestas regalis non dependet à solo Deo, quantum ad illa tria suprà dicta. Vnde argumentū bene probat, quod potestas papalis est dignior, quam regalis, sed non probat, quod ipsa sit supra potestatem regiam, quantum ad institutionem & destitutionem. Resolutio ergo huius quæstionis tertiæ est, potestas iurisdictionis principum secularium non dependet, nec à Papa, nec à Romana ecclesia: imo Papa illam iurisdictionem laicam non habet, nisi ex collatione imperatorum, & principum, aut ex præscriptione. Opinio verò iuristarum est communis, quod summus pótifex habet eam saltem in habitu: hoc est, si talis princeps, qui habet eam regulariter negligat illam exercere, vel non possit: ad Papam spectat illam exercere: & hoc est, habere in habitu, in *cap. Nouit. de iudiciis.*

QVÆSTIO QVARTA.

IN præcedenti quæstione visum est, vtrum principes seculares habeant suas iurisdictiones à summo pontifice, vel ab ecclesia Romana. Resolutio fuit, quod non. & Doctor in quæstione, nihil aliud inquisiuit, nisi, quæ requiruntur ad optimum principatum, & quæ sunt illi repugnantia, & quæ compossibilia & quæ impertinentia: & præsupponebat summum principatum non esse in summo pontifice: sed supremum principantem, si aliquis esset in toto orbe, esse laicum &c. Consequenter in ista quarta quæstione, quærit, vtrum electio alicuius in regem Romanorum, eo ipso, quo est electus, habeat in terris imperialibus iurisdictionem, & plenitudinem administrationis, vel eo ipso, quo est vnctus, & coronatus per summum pontificem: & hæc materia ampliùs tractabitur in octaua quæstione huius. Duo sunt modi dicendi: & primò supponendum est, quod postquam Constantinus cessit imperio occidentali, & transtulit imperium in potestatem papæ: primus, qui imperauit ab illo tempore in partibus occidentalibus, fuit Carolus Magnus filius Pipini, qui substitutus fuit loco Childerici, ab ipso Zacharia papa depositi: in *cap. Alius 15. quæst. sexta.* Secundo supponendum, quod antequam Carolus Magnus imperaret, erat rex Francorum iure hæreditario prouueniente à patre suo Pipino. Item supponitur, quod antequàm ipse Carolus Magnus esset Imperator, vi belli iusti multas terras & regiones acquisiuerat, scilicet, maiorem partem Italiæ & Alemaniæ, & Vasconiam. nam qui ibidem regnabant, vel erant infideles, vel inimici ecclesiæ: & sic iusto bello acquisiuerat. ideo antequàm esset imperator, in multis regnis erat Princeps.

Istis suppositis dicit prima opinio, quod rex Romanorum, antequam sit coronatus, habet iurisdictionem in rebus & prouinciis, in quibus Carolus Magnus iustè dominabatur, antequam esset imperator, ita, quod ista prima opinio dicit duo. Primum, quod rex Romanorum eo ipso, quo rex Romanorum, antequàm confirmetur & coronetur, in rebus, in quibus Carolus Magnus habebat potestatem principatiuam, antequam esset imperator, habet etiam antequam sit imperator. Secundum dictum, in rebus occidentalibus, in quibus nihil administrationis habebat Carolus Magnus, antequam esset rex Romanorum, nihil habet iuris.

Secunda opinio, quam tenet communitas principum Germaniæ, est, quod eadem est iurisdictio penitùs, & administratio regis Romanorum, & imperatorum: ita, quod solùm est acquisitio noui nominis in consecratione & coronatione, & non alicuius noui iuris, ita, quod quamcunque administrationem habet imperator, eandem habet rex Romanorum, & in quibuscunque terris & regnis: ita, quod confirmatio vel coronatio, quæ fit per summum pontificem, vel legatum eius, non dat electo nouam administrationem, sed solummodò nouum nomen, quia vocatur imperator tūc, & non priùs vocabatur. Vnde ista opinio opinatur, & supponit, quod antequam esset aliquis papa institutus, erat imperator, & vocabatur rex Romanorum. Tunc arguitur sic; rex Romanorum, qui nondum est coronatus, est successor, & hæres illorum imperatorum, qui erant ante papam: sed quilibet successor in re succedit in tanta potestate, quantam habebat ille, cui succedit, per regulam iuris, *Si quis, lib. 6.* ergo iste, qui nunc est rex Romanorum, quamuis non sit coronatus, succedit in tanta pote-

Digitized by Google

potestate, quantam habebant prædecessores eius, qui fuerunt antequam vnquam esset papa: ergo eo ipso, quo rex Romanorū, habet tantam administrationem, & potestatem, quantam habuerunt illi, qui præcesserunt papam. Doctor in *tertio capitulo* nititur ponere differentiam, inter has duas opiniones. Prima dicit, quod nullus est legitimus rex Romanorum & imperator inter illos, qui fuerunt post Carolum Magnum, ita, quod nihil iuris habent in regno & imperio, nisi in quantum sunt eiusdem Caroli Magni successores, eius scilicet successores, non solùm in quantum fuit imperator, sed etiam in quantum fuit Francorum rex hæreditate succedens Pipino patri suo, qui deposito Childerico rex Francorum subrogatus fuit, vt ad longum patet in historiis, & in quantum idem Carolus Magnus, per bella iusta & licita sibi multas terras acquisiuit, & regno Francorum adiunxit.

Secunda opinio, vt aliquis sit rex Roma. & imperator, non oportet, quod succedat Carolo, vt regi Gallorū, sed sufficit, quod succedat Carolo imperatori, imo succedunt, & sunt successores principaliter primorum imperatorum, & regum Romanorum, quorum nonnulli fuerunt temporibus Christi, & apostolorum. ideo non sunt successores Caroli, nisi in quantum ipse fuit successor primorum imperatorum. patet; nam est magis apparens, quod Cæsar Augustus fuit imperator, quàm Carolus Magnus. Est enim approbatum ex sacris literis, & ex verbo Christi, quod fuit verus imperator ipse Cæsar Augustus. Dixit enim Christus, *Reddite, quæ sunt cæsaris cæsari*: & non dicit, Reddite, quæ cæsar dicit esse sua: sed, quę de facto sunt cæsaris. Ex illo passu habetur certitudo, quod cæsar erat verus imperator. Similiter *Actuum*. 20. Paulus appellauit ad cæsarem. ergo testatur Paulus, quòd habebat potestatem iudicandi ipsum: ergo in Iudæa habebat cæsar verum dominium iurisdictionis: ergo ex sacris literis satis habetur, quod fuit verus principans: ergo si aliquis sit verus rex Romanorū, & princeps, est magis successione illorum, qui erant tempore Christi: ergo imperator, qui nunc est, est magis successor illorum, qui fuerunt tempore illo. vnde non est nobis certum de Carolo Magno, nisi per quasdam historias, & decreta pontificum: sed est articulus fidei, quòd alii tempore Christi fuerūt veri imperatores. Prima opinio dicit, quod nullus est verus rex Roma. nisi vt succedit Carolo filio Pipini, & regis Gallorū. Secūda opinio dicit, quod sufficit, quod succedat Carolo Magno, vt imperatori: sed veriùs succedit, vt Augusto, & vocantur imperatores Augusti. Vltra dicit secunda opinio, in quo iacet difficultas, quod nunquam fuit aliquis legitimus rex Francorum ante Carolum Magnum, ita, quod Pipinus & Childericus non fuerunt veri reges Francorū. ergo Carolus Magnus non fuit verus rex Francorum, nisi postquam imperator factus est. Patet sic. nam si aliquis fuerit legitimus rex Francorum, antequam Carolus Magnus esset imperator, vel fuit eo ipso, quò pater eius erat verus rex Francorum, vel fuit cum consensu populi, vel ex eo, quod papa illam potestatem sibi contulit: sed nullum istorum est dicendum: & supponitur, quod Romani aliquando verum principatum habuerunt in regno Francorum. hoc supposito Galli post illud rebellauerunt imperatori, & sibi regem constituerunt. Hoc supposito vult probare Doctor, quod antequam Carolus Magnus esset verus imperator, fuit aliquis verus rex Francorum. Patet; si ante, vel fuit per hæreditariam successionem, vel per consensum populi, id est, electionem veram, vel interpretatiuam, vel alio modo: sed nullum istorum est dicendum; igitur. vnde primus rex Francorum tyrānicè regnum occupauit, si erat verus principatus regni Francorum apud Romanos: sicut nullus potest modo intrare in regnum Francorum, & illud occupare, nisi ex consensu regis, vel Gallorum, nisi intret tyrannicè: ergo principium principatus eius nullius fuit efficaciæ; ergo nec successio. fortè diceret aliquis, quod successu temporis præscripserunt. Contrà, ad præscriptionem requiritur bona fides: ergo, si fuit mala fides, non potuerunt præscribere. Item contra supremum principantem non currit prescriptio, quia non subiicitur legi: ergo, si regnum Francorum primò spectabat ad imperatorem: non potuit currere præscriptio: ergo, cum prima introductio in regnum Francorum fuerit post principatum Romanorum legitimè acquisitum, non potuit aliquis contradicente Romano imperatore intrare, nisi tyrannice. Dico, quod incepit esse legitimus rex in Gallia ex consensu populi, quia consensit populus in aliquem, vt regeret. Contra, quamuis populus, qui non habet regem, per consensum suum posset liberè aliquē regem facere: populus tamē, qui habet regem, rege non peccante non potest alterum facere regē: ergo si contra dixerit imperator, qui habebat legitimum principatum in Gallos, nullus consensus illorum potuit facere, quod ille, qui intrauit tyrannicè, esset verus rex Galliæ. Vnde non potest populus Galliæ facere regem nouum absque demerito illius, qui nunc est, & non cedente: sed si non haberet regem, posset instituere. Dicit Chrisostomus super hoc, *Soluite & adducite mihi*, quod *populus, qui elegit regem, non potest amplius illum destituere, nisi propter peccatum*. Si ergo populus cōsenserit in nouū regem altero contradicente, nihil iuris habuit: ergo, non potuit esse rex per talem consensum. Nec potuit fieri per donū papæ, quia non potest alterum in damnum alterius constituere: ergo, si principatus fuit apud regem Romanorum, papa non potuit transferre sine peccato, aut consensu: & ista opinio dicit, quod antequam Carolus Magnus esset imperator, nullus fuit verus rex Gallorum. Sed non est apparētia, quia Clodoueus fuit sanctus, & allata sunt illi insignia Gallorum.

Ad rationes, dico, quod imperator intrauit tyrannice in Galliam, & contradicebat populus: & quamuis fuerit victor, nihilò minùs tyrannicè occupauit Galliam, & non regulariter. Contra, postea populus consensit. Dico, ꝙ nō constat de consensu populi. Secūdò dico, ꝙ licèt cōsenserit populus, ille cōsensus fuit exactus ꝑ metū cadentē in constantē viū: ergo, nō dabat potestatē &c. Nā si aliquis

Digitized by Google

populus esset absque rege; & consentiat per metum cadentem in constantem virum, talis in quem consentit, non est verus rex, cum talis consensus non det potestatem plenariã: hoc igitur dato, quod posteà consensissent Galli, non sequitur, quod imperator habuerit super Gallos potestatem, quia talis consensus fuit per metum, qui non dat potestatem. Dico ergo, & credo ita esse, quia Galli non fuerunt longo tempore sine rebellione; ergo signum est, quod non consenserunt: & sic argumentũ non habet magnam apparentiam.

Resolutio secundæ opinionis, quæ est conformior practicę modernæ, est, quod rex Romanorum non succedit Carolo Magno, in quantũ erat rex Francorũ, quia aliquando fuit Carolus Magnus rex Francorum, & nondum erat rex Romanorum, sed longo post tempore effectus est rex Romanorum & imperator. igitur rex Romanorum non succedit Carolo, vt regi Francorum, sed vt imperatori. Vltrà dicit, quod rex Romanorum postquam à principibus Germaniæ est electus: antequã coronetur, habet omnem administrationem in temporalibus, quam habet post coronationem. Et hãc opinionem tenent iuristæ multi, & habent tenere, qui ponunt imperatorem non esse in temporalibus papæ subiectum: quod patet. nam bene sequitur: iste in temporalibus nullum habet recognoscere superiorem: ergo quantum ad istam administrationem, quæ respicit temporalia, à nulla singulari persona accipit authoritatem. Nam si ab ista singulari persona acciperet authoritatem, ergo illa singularis persona haberet vniuersalem potestatem, quam alius, qui ab ea accipit, & eius potestas acciperetur ab illa. Vnde rex Francorum nullam administrationem sumit ab archiepiscopo Remensi, quamuis inungat ipsum: sed illud est solennitatis solum. Dico similiter, quod postquam rex Romanorum est ritè electus, illa coronatio post electionem est solum solennitatis, sicut concordant iuristæ & theologi, quod papa postquam electus est, habet supremam administrationẽ in spiritualibus, & omnimodam iurisdictionem: & per hoc, quod coronatur ad altare sancti Ioannis Lateranensis, nihil potestatis de nouo accipit, cum nulla singularis persona potestatem spiritualem huic conferre possit. Similiter est de rege Romanorum, cum nullum recognoscat in temporalibus superiorẽ, nullus potest illam illi conferre: sed, quod confirmetur & coronetur à papa, hoc est, solennitatis, & non necessitatis. Dices, practica videtur in oppositum: nam imperator iste Maximilianus fuit electus, antequam moreretur vltimus, & tamen post electionem non habuit administrationem in temporalibus, & imperialem: ergo imperator aliunde sumit istam potestatem, quàm ab electione, & nõ potest dici, nisi à confirmatione & coronatione: ergo ab illa sumit illam potestatem imperialem. Si dicas, quod electus habeat administrationem, antequam præcedens moriatur, tunc duo haberent administrationem ex æquo, & sic imperium non esset regale: quod non est dicendum. Vnde eligitur, vt eo mortuo succedat priori in tali dignitate & potestate, quam habuit præcedens. Nam, qui habent prouidere imperio, possunt pro rationabili causa eligere illum, qui debet succedere: ita, quod priore mortuo electus realiter immediatè post mortem consequetur actualem authoritatem, quam habebat priùs in potentia: sicut rege mortuo proximus masculus consequitur potestatem regiam in regno Franciæ. Similiter possent, qui habent prouidere imperio, determinare certam personam, quæ habeat talem potestatem, & ex rationabili causa faciunt ante mortem ad euitanda iurgia & bella. Fateor igitur, quod antequam moriatur imperator, ille, qui iam electus est in rege Romanorum, non habet illam potestatem imperatoriam. Dices, à quo sumit posteà? Dico, quod ab electione præcedente priore mortuo constituunt electum in tali potestate, quemadmodum filius est hæres patre mortuo. Resolutio doctoris, & opinio, quæ videtur probabilior inter duas opiniones, & communis practica. Sed Doctor mouet difficultatem de Carolo Magno: nam sicut dictum est, fuit verus hæres Pipini: sed mortuo Pipino acquisiuit Carolus Magnus multas terras: in quibus ante acquisitionem nihil iuris, aut potestatis regalis habebat, vt in Tholoza, Alemania, Vasconia, & Hispania. Et post acquisitionem habebat in illis potestatem, non, vt hæres Pipini. Doctor supponit tanquàm certum ex historiis, quod Carolus Magnus fuit verus rex Gallorum, ex successione Pipini. Sed quò iure possidebat illas terras, in quibus priùs nihil habuit? Dicit Doctor, quamuis ante acquisitionem nihil iuris in illis habuerit, fortè diceretur, quod iure belli: nam qui in bello iusto aliquid acquirit, illud efficitur suum, & æstimandũ, quod Carolus Magnus iusto bello acquisiuit multa. Et dicit Doctor duo, quod quamuis ante acquisitionem nihil iuris in illis habuisset, nihilò minus aliqui tyrannicè regebant illas in perniciem subditorum, & in contumeliam Dei & fidei. ideo quilibet potens, vt Carolus Magnus, potuit iustè mouere bellum contra eos, & illos terris illis, & prouinciis spoliare: in quibus terris & prouinciis Carolus habuit regiam potestatem illo iure, quo alii reges in regnis suis, qui potestate regia decorantur: in illis tamen terris, vt nonnullis apparet, Carolus antequàm esset Imperator, non habuit regiam potestatem. Consequenter ponit aliquos casus, in quibus, quæ capiuntur in bello, non efficiuntur capientis & detinentis. Primus, quando bellum est de rebus repetundis in bello iusto, & tantùm acceptum est ab hostibus, quod secundum sanam conscientiam est sibi satisfactum de omni damno dato & labore, & operibus, tam suis, quam suorum: si capiatur aliquid vltrà, quamuis bellum sit iustum, illud non efficitur capientis: ergo nõ semper in bello iusto, quod capitur ab hoste, efficitur alterius, qui capit. Secundus casus est, quando ille, contra quem geritur bellum iustum, offert ius, & vult satisfacere. Alius est casus, quando ille, qui gerit bellum iustum, non habet iurisdictionem super illos, quibus facit bellum iustum, sed tantummodò pugnat, & alii eum inuadunt: tunc enim nec licet bona, nec personam aduersam capere, nec inuasorem detinere: sed potest ille, qui iustè pugnat & repellit iniuriam, res quibus spoliatus est vendicare &

re & recuperare. Alius casus, quando habens iustum bellum capit rem alterius ab hoste iniustè detentam. Res enim vel seruus innocentis, aut etiam innocens homo si detinetur ab hoste & pòst capiatur à iustè pugnante: non transit in dominium capientis. Item si subditi & vassalli alicuius domini, authoritate sui domini pugnant contra inuasores, & detentores rerum domini: si illas capiant & recuperent, non efficiuntur detinentium & occupantium: non propter hoc enim, quod bello iusto illas res capiunt, dominus illarum perdit dominium: patent igitur casus, quibus gerentes bella iusta non efficiuntur domini rerũ, quas in illis bellis iustis occupant. His suppositis dicit Doct. quod licet Carolus per bella iusta occupauerit multas prouincias, & terras, non potuit tamẽ per huiuscemodi bella iusta facere eas suas, quia pertinebant ad dominium, & ius imperatoris & fortè aliquæ illarum ad ius & dominium aliorum, qui non poterant per Carolũ priuari iure, quod habebant in eis; veruntamen Carolus poterat illas terras licitè occupare, & fructus accipere, quousq; sibi satisfactum esset de laboribus & expensis, & operibus suis & suorũ, præsertim, si veri domini illarum terrarum, ipsas modo debito minimè repetebant. Sicut autem per huiusmodi occupationẽ non potuit illorum dominium acquirere saltem principale, ita nec per eam in eis potuit dignitatem regis adipisci. Sed postquam fuit imperator, nactus fuit in eis imperialem & regiam potestatẽ: quamobrẽ, quia imperatores successores Caroli non succedebant Carolo, in quantũ erat rex Francorũ, nec in quantum per bella iusta terras aliquas occupauit: aliquas assignauit imperio, vt imperator successor suus omnes illas eodem iure possideret. Aliquas autem attulit cuidam filio suo, aut nepoti. Ideo imperatores Romanorũ, seu successores Caroli sibi subiectas eodẽ iure, vel diuerso possident omnes terras, quo possidebat Carolus, in quantum imperator erat, & quas possidere debent, in quantũ reges, seu imperatores Romanorum: Vt autem sciatur, quare dicitur *eodem iure vel diuerso*, notat doct. quod Carolus & quidam alius Imperator non habent omnino idem ius, seu potestatem in omnibus terris sibi subiectis. nam imperator, vel rex aliquibus terris, & vrbibus præest immediate, aliis verò mediate. Dicitur præesse immediate, quando nullum alium recognoscunt dominum præter illum. Dicitur præesse mediate, quando alter dominus præest immediate, qui habet immediatum dominium, quamuis talis sit regi vel imperatori subditus. Concludit doct. in *fine huius capituli tertii*, quod Carolus antequàm esset imperator, non habuit regularem in Italia potestatem: & ideo Italia numquàm fuit à dominio regni Germaniæ, regnum quasi accessorium principali, præsertim si Italia comprehẽdit etiam Romam, quæ est caput imperii: sed aliquo tempore, tam Italia, quam Germania, fuit prædictis causis imperio deputata ad onera imperii sufferenda.

Et hæc sunt, amantissime lector, quæ ego ipso legente excepi, nec alias quæstiones legit, tum quia faciles, tum legitimo impedimento irretitus cessauit: poterit studiosus lector, quod residui est percurrere, & errata corrigere, & nobis veniam dare.

BEATI RHENANI PATRICII SELESTADIENSIS,

IN MARSILII PATAVINI PRO LVDOVICO BAVARICO Imperatore Romanorum Apologiam, aduersus mendaces Historias quorundam,

Præfatio,

LICENTII EVANGELI SACERDOTIS NOMINE olim publicata, Anno Domini MDXXII.

CVM diligenter meum tacitus horum temporum perturbationes grauissimas, periculosissimasq; considero, Christiane lector, quibus nullũ iam scelus aut deest, amplius, aut scelus esse videtur, quibus non absurde illud accommodaueris Oseę vaticinium: *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulteriũ inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit, non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei amplius in terra. Omnes velut equus ad cursuram, ad prædam leo, accingimur ad malitiã.* Quis iam pauperis miseretur? Quis viduæ, aut pupilli circumscripti iniuria commouetur? quæ tribunalia iam sancta? Quæ iura non quæstui nunc, quam bono & æquo opportuniora? Vbi iam, vel à quibus (etiam proceribus Ecclesiasticis) in allegendis præfectis, seu officialibus diœcesis, non habetur maior ratio eorum, qui sunt meliores augendo censui, quàm retinendæ innocentiæ? In summa, dat census honores, census amicitias, census sacerdotia census auctoritatem. Pauperculus, quamuis pius, integer, prudens vbique iacet. *Locutus est diues & fatue, & omnes verbum eius perduxerunt vsq; ad nubes. Locutus est pauper, & sensate, & nemo illi auscultauit.* Cuius modestia iam non alget; audacia vero, & impudentia iam non mirifice floret? Cuius veritas iam non est publice odio, contrà assentatio, adulatio, obsequium, non inter prima est in precio? Quando fuit minor iura bonæ mentis, maior sitis pestilentissimæ cupiditatis? Annon omnes à maximo vsque ad minimum sequimur auaritiam. Quis innocentem imbecillum vindicat à potente? Quis iudex tam incorruptus,

qui hodie non capiatur munere? Quando minor iurisiurandi religio, periurii licentia maior, atque contemptio? Quænam præuaricatio, fraus, perfidia, falsitas tanta, quæ non ipsorum iurisperitorum subtilitate (vt ne dicam duplicitate) si dolosi spes alicunde refulserit numi, non dealbetur pulchre, legibus plane iam ad ludibrium versis? Annon ludibria sunt, quæ pecuniæ gratia quotidie in iudiciis torquentur, eleuantur, eluduntur, pro cuiusque causidici iam libidine? Cui nunc iure experienti non est moriendum citius, quàm litis videre exitum possit? O præclara iura, præclara ista tribunalia, quæ implorata, sic opem miseris ferunt, vt præstiterit multo id quicquid erat, propter quod litem intenderunt perdidisse, quàm in eos labyrinthos incidisse iudiciorum? Vidi, vidi ego quosdam non exiguæ pecuniæ dominos huiusmodi mora & sufflamine litium, eò redactos inopiæ, vt necesse haberent mendicatim victum quærere, quosdam alios in πτωχοκομίοις expirare, qui ante litis exordium censum quinque millium possederant. Hoccine est iam lites decidere, quieti & vtilitati ciuium legitimè consulere? Sed omissis iudicum subselliis, quid sobrium, aut modestum, aut æquum animo meditamur iam amplius? Quando luxus profusior, auaritia ardentior, stuprorum adulteriorumque petulantia nequior, superbia erectior, ambitio impudentior, fraus perfidiosior, latrocinii vis improbior, sitis sanguinis acrior, bellorum periculorumque omnium furor perniciesque præsentior? Cui hanc tam variam, tam multiplicem, tamque iugem rerum omnium perturbationem, debere nos, arbitrare, Lector Christiane? cui enim? nisi grauiter læsæ veritati Euangelicæ. Illa nonne inuisa magis nobis, suis (quemadmodum censeri quidē volumus) vernaculis, quàm vllis immanibus Barbaris? Quam enim auctoritatem inter nos illa, quam maiestatem iam sibi defendit amplius? Imo quid eas his temporibus contemptius, quid conculcatius? Lumen mundi extinximus in nobis, & miramur, si in omnia mala exoculatæ velut belluæ passim impingamus, imo (quod grauius) multi non impingentes modò, verum plane pereuntes, nos perire præ mentis inopia non sentiamus, sed cladibus velut victoria insolescamus. *Ego sum veritas & lux mundi*, ait CHRISTVS, *qui me sequitur, non ambulat in tenebris.* Ecce veritatem, qui est Christus, contemnimus aperte, & nihilo tamen minus nomen Christiani non erubescimus transfugæ veritatis magnificè prætendere. Si Christus veritas? quid Christianus, nonne veritatis ex professo discipulus? At quid aliud potuit docere veritas, quā seipsam, & discipulis aliud discere hac magistra quam veritatem ipsam? An non ita conuenit? An potest ignis esse non calidus, & quod attigerit, ab ipso non incalescere? Ita Christus cum sit veritas, quomodo potest suos non docuisse veritatem? Vsque quo ergo filii hominum, graui corde, relicta Christi veritate, sequimur humanum sensum, hoc est vanitatem, & mendacium? cuius vtique doctrina hæc est. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quid horum iam nobis non plane insipidum videtur, aut stupidum? Spiritu pauperem, mitem, misericordem, pacificum, innocentem esse, lugere, esurire & sitire iustitiam, ac pati quoque amore illius persecutionem: quid his vocibus obsoletius? quid insolentius hac tempestate? Quis hæc iam non vt delirantium somnia, & Hyberotum nænia exsibilat, atque explodit? Dic Latomo hæc, dic Egmondano, dic Hochstrato, cucullatis tantum (ne nominem sanctissimos Vicarios, & reuerendissimos illos infulatos) vt superstitiosum quendam te atque hæreticum eiicient continuo, illud Christi in te velut cornu obuertentes: *Vade retro nos Sathana, scandalum enim es nobis.* Per veritatem illam te obtestor hic, lector Christiane, in quonam illa paupertas spiritus vera nunc spirat? Qui non nostri magis sensus spiritu inflati, alios nunc præ nobis, quasi sanctiores ipsi non quotidie condemnamus? Qui nunc vel vno offensi pilo, proximo nostro vsque ad amentiam non irascimur? Qui honores, opes, voluptates nunc non sitimus, vel in contumeliam iustitiæ? Misericordiam non magis temere nunc alicubi reperias inter homines, quam in cœni volutabro bonum odorem. Age qui iam (non dico, sumus) mundo corde, sed qui non abhorremus etiam hoc plus, quàm vllum olim gentes obscœnum augurium. Vbi est vllus reliquus iam amplius in terris paci locus? Qui iam sustinemus propter iustitiam Dei vel tenuissimam potentis alicuius inuidiam? Imò enimuero, qui eam ipsi non obterimus atque oblidimus, vt statuamus nostram? *ne iustitia Dei* (vt inquit Apostolus) *simus subiecti?* Si vero iam illa superiora lux mundi Christi docuit, hæc illi ex diametro contraria, non dubium, quin nox & cæcitas Stygia prodiderit.

Nihil igitur mirum, neque nouum, si Euangelicæ lucis contemptæ pœnā merito luimus, si in densissimis humanarū superstitionum tenebris (velut profundis tēpestatibus) infeliciter, idq; indies magis ac magis naufragi iactamur, bellis alterimur, latrociniis obsidemur, nouis & inauditis ęgritudinū fœditatib' vexamur, fame laboram', tyrānis opprimimur, ꝓdigiis ac mōstris exagitamur, ferarū ac bestiarū improuisis incursionib' infestamur, eruptionibus aquarū delemur, hiatu & voraginib' terræ absorbemur. Quoquo deniq; versum oculos animumq; intendimus, omnia sæua, infesta, dira miseraque occurrunt. Tumultuatur puer contra senem, ignobilis contra nobilem, dissipata, luxata turbata, omnia ruere videntur. Et futura præsentibus grauiora adhuc formidabilioraq; timentur, neque iniuria. Has enim pœnas, hæc supplicia à nobis reposcit contempta veritas, abiecta & despectu lucis disciplina. Quia paupertatem spiritus ridemus, nunc merito quoque regni cœlorū spem, promissionemque terrenis inhiantes, proiecimus. Quia mites esse desiuimus, merito etiam non tam posside-

Digitized by Google

possidemus terram nunc, quam pro ea cædibus, & acie cruenta confligimus. Quia iniustitiam sitimus, & opprimimus iam passim iustum, merito nusquam fere iam vestigii iustitiæ vltra reperimus, & mutuis inuicē iniuriis nos euertimus. Quia misericordiā repudiamus, meritò illam ipsi etiam aliquādo grauiter desideramus. Quoniam nihil iam corde amplectimur mundum, meritò quoq; purissimum veritatis radium non assequimur, sed mendacio circumuenti, penitus à fide & Euangelio excidimus. Quid est enim aliud ab Euangelio excidere, te obtestamur lector Christiane, quam pro Christi lenitate arrogantiam, pietate insolentiam, charitate odium, pace bellum, exinanitione dominationem, & imperium orbis terrarum (vt quotidie fit) vsurpare? & nihilominus adhuc de fide, de Christianismo sibi placere? An vsquam Christus docuit, terrena imperia in hoc seculo ambienda? anne omnibus modis ista potius monuit fugienda? (id quod à veris eius discipulis constat esse seruatum ad assem) cum dixit: *Non potestis seruire Deo & Mammonæ.* Qui rite in illum crediderunt olim, hoc verum nihil omnino hæsitantes, omnibus sponte abdicatis, velut proiectis onerosis sarcinis, vitæ dominium liberi, expeditiq; sunt secuti, cæteris cæcorum duces se professis, hoc irridentib⁹. In quo ista periculosissima ætate nihil veremur, ipsi quoq; Pharisæos sequi magis quam Apostolos, dicentes, expedire in primis Ecclesiæ, omnia habere pinguia omnia vectigalia sibi, sagaciter conquirentes ex tota scriptura sancta, diuitum aliquot nomina, quibus nostram fulciamus vtcunque sententiam, sexcentis interim locis contrariis, clausis oculis (vt dici solet) dedita opera præteritis. Nec tamen paululum interfuerit, inter illorum & nostras, si quis aduertat diligenter) rationes. Primo vereor, ne non æquè sancto iure, nos opes nostras, atque Abraam, Iacob, Isaach, Iob, cæterique tales suas, parauerimus. Qui nonnisi ex labore & agricultura innocentissime quærebant sua. Nos sine molestia nostra alieno labore (sæpè etiam dolore) vereor ne confecerimus nostra. Præterea illi hæc nec diuitias æstimabant quidem, nec cum affluerent, cor adiiciebant, sicuti nos, qui pro his acrius inter nos, quam pro vita ipsa belligeramus. Plurimum igitur inter illos & nos, inquam vereor ne intersit diuersitatis, si modum, si vsum, si affectum diligenter quis expendat, & nec ideo quoq; nostram sententiam, illorum iuuari quicquam posse exemplis, quæ tantum & plus etiam abfuerint ab ista cupiditate nostra (qua nos diuitias inhiamus modo) quantum illud ipsorum seculum, ab hoc nostro frugalitate iam abest, & continentia seculo. Quando illi cædibus inter se quotidianis pro his rebus modo sic debacchabantur, vti nos? Quando verò non has illi instrumenta habebant beneficentiæ etiam aduersus aduenas & ignotos? cum nos fere aut iniuriæ inferendæ, aut lasciuiæ habeamus præsidia. Quando illi eas non ita deniq; habebant, tanquam non haberent? Contra nos, quando eis non ita viuimus addicti, vt possideri magis quam possidere eas, mancipia magis esse, quam Domini earum deprehendamur? vt nulla Christi beneficia in nos tanti sint nobis, quorum nō promptissime obliuiscamur. Mammonæ huius infelicis ergo. (odiosa dictu sunt hæc, at odiosius verè obiici ista nobis posse, nec verè posse refelli) an putamus Abraam illum quantascunque opes ægrè amissurum fuisse propter Deum, propter quem vnigenito etiam filio indubie omni substantia terrena, ne dum sua, sibi iucundiore tam æquo animo fuerat cariturus? Age, qui auaritiæ nostræ ab illorum sanctorum exemplis quærimus patrocinium, ridicule quidem, conferamus nostrum animum, cum illorum erga istas sordes animo, & dicamus tunc (si quid pudet nos) illi fuerunt diuites, ergo nobis licet per fas & nefas die noctuque ad diuitias eniti illorum prætextu. Quis nostrum ex tot lucrosissimis sacerdotiis, quæ Romæ mirâ solicitudine confarramus assidue, vno vellet carere nunc æquo animo propter Christum, fabæ semodio? At illi filios vnigenitos etiam occidissent, animo in illius gratiæ spem obsequentissimo. Illi patriam & omnem cognationem suam, ad eius vocem sine mora relinquebant. Nos contra eius edictum, agrum agro, domum domui copulamus vllo iam absque termino eo (quod bene vertat) processimus, vt augustiora spacia reliquerimus, prophanis. quam eis abstulimus, nec quiescimus præterea, priusquam illas quoq; reliquias inuolemus, totum populum vnà cum liberis & vxoribus nobis seruum sistamus, idque cum fecerimus Abrahæ eiusque similium sanctorum exemplo licuisse defendemus. Nonne bella fuerit hæc collatio? Cui vnum illi vnquam iniuria pullum gallinaceum ademerunt? nos autem quotidie nostri compendii causa totas familias euertimus, & tamen sal terræ censeri (meritò sane) populi comparatione affectamus. Christus non vno in loco suos negat esse de hoc mundo, vt nec semetipsum, quoque dicens; *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret vtiq; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ecce quem Christus elegit, non est huius mundi. Quare Paulus *si mundo,* inquit, *placerem Christi seruus non essem.* Et nos pro dominio mundano non secus aut leuius quotidie quam vlli ethnici, Alexandri, aut Iulii olim (quorum etiam nominibus ne abstinemus quidē) nunc nullis non copiis depugnamus. Hoccine est ex Christi præscripto esse mites? hoc spiritu esse pauperes? hoc misericordes hoc sitire & esurire iustitiam? Hoccine est consentientem cito esse in via aduersario? non resistere malo? ferienti dexteram maxillam, præbere ei & alteram? Hoccine est inquam auferre volenti nobis tunicam, dimitttere ei & pallium? hoc diligere inimicos, & benefacere his qui oderunt nos? An Christum hæc docuisse suos tergiuersari audemus, aut possumus citra euidentissimum præuaricationis crimen? Quid his manifestius, quid notius tandem.

Sed vt elabamur hinc aliqua stropha. Non sunt ista (inquimus) ad literam sic accipienda, imo hæreticum ferociter pronunciamus eum statim, quisquis potius germanum sensum scri-

pturæ quàm coactum à nobis, duxerit esse tuendum, explanationi sanctorum patrum (nempe Scoti, Thomæ, Syluestri, Catharini, & id farinæ hominum) asserentes inhærendum. Cum ergo nunquam scripturæ de se credere liceat, sed interpretis sensum vbique necesse sit amplecti pro verissimo, quid hoc aliud est tandem, quam subigi inuitis hominibus (etiam nauci quibusdam) credere, Deo autem non credere? Imo quid aliud hoc, quam abrogata lege diuina, populum Christianum alligare libidini humanæ, & id palam agere, vt Ecclesia nulla certa iam amplius nórit Euangelia, nullos certos habeat Apostolos & Prophetas? Iam enim quod (cogitare saltem scelus sit inexpiabile) audet impietas affirmare meliorem scilicet multo Ecclesiam fuisse futuram, sine Euangeliis, proinde nec scribi aliquando ea nec recipi expediuisse. O linguam sulphure & naphtha ardente compescendam. Christus inquit Apostolis suis, *Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ:* impietas inquit, *melius fuisse nunquam natum Euangelium.* Hoc est, colaphum Christo infringere, Hoc sane nemini (opinor) non palam, nihil propemodum in scripturis sanctis reliquum iam, cui genuinus, proprius, & suus superfit intellectus amplius. Omnia ad nostram pompam, ambitionem, potentiam detorsimus. *Pasce oues meas. sequere me. Pro te & me. Tu conuersus confirma aliquando fratres tuos; Duo gladii hic. Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque ligaueris*, &c. Quid autem horum iam nostræ non seruit libidini, magis quam Christi intentioni? Et licet apertissima sit (vel cæcis) horum omnium sententia, si totam æstimes historiam Euangelii, nihilominus sic tamen ea contendimus accipienda, veluti eis in rem nostram profuerit abuti. Pari modo quis nostrum ferat iam, aliter quam pro arbitratu nostro & hæc intelligi? *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est est me dignus. Nolite thesaurizare vobis in terra, vbi fur effodiat, tinea arrodat. Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Nequaquam his adstruere nobis licebit (quem defendimus) Antistitis Ro. primatum, nisi inducto callide fuco aliquo & cohibente veritatem (ne exercere sese quoquam possit liberè) tectorio incrustauerimus hæc, alioqui sine hoc, sole liquidius apparebit, humilitatem nobis sacerdotibus à Christo ibi præceptam: *Sic non erit inter vos.* Et è diuerso superioritatem (vt vocant) dominandi planè interdictam. An, inter vos non dominabimini, sicut subditis dominantur reges gentium, hoc valet scilicet; Tu Petre cum tuis successoribus Romani imperii hæres esto perpetuus? O expositionem (ne dicam quid grauius) obelisco dignam? Deinde, *Ego veni ministrare & non ministrari*: est, Imperatores, & reges terrarum, tua ac successorum tuorum in solio plusquam regio præsidentum, venerabundi gemmata osculentur vestigia. Tum illud: *Qui primus voluerit esse inter vos, erit vester seruus: Et qui voluerit inter vos fieri maior, sit vester minister*: aliud significat nihil, quam; apud nos est præcipiendi potestas, reliquam Ecclesiam manet parendi necessitas. O Petre, si hoc verbis suis voluit Magister tuus, cur tu igitur factus iam princeps & caput fratrum tuorum, inquis ipse: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis.* Sed increpat grauiter hic sanctissimus quidam: *Non te tibi hæc, sed subditis loqui.* Quam opportunè tunc ille reperit (quo confugeret) cauum, quasi verò Petrus quicquid docuit vnquam verbotenus (vt nos modo) & non magis multo opere atque exemplo docuerit perpetuo, & hoc quoque ipsum Christi magistri sui more atque instituto, de quo Euangelista inquit: *Cœpit Iesus facere & docere.* Sic & Paulus: *Estote*, inquit, *imitatores mei, sicut & ego sum Christi.* Vnde & idem factorem verbi commendat, non auditorem seu Doctorem solum, nisi fortasse docere & non facere decebat Petrum, & sumpto inde iam more decet idem nunc cæteros, fateor ingenue (quæ mea est obtusitas) me Theologiam hanc non intelligere. Præterea quid ita idem Petrus vna cùm Iohanne, ab Apostolis reliquis ire in Samariam iussus, iuit? aut quid ita non puduit Apostolos ad ministerium hoc abuti principis sui prærogatiua? aut cur nihil istiusmodi tandem ipse præ se fert omnino in epistolis suis, dicens: *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Oro te, Lector, an vsquam in his verbis vllum primatus momentum tibi suboleat saltem: *Obsecro seniores qui in vobis sunt consenior.* Quid his verbis modestius? quid simplicius? *Consenior* dicendo, primum nihil sibi supra cæteros arrogat, deinde obsecrando, nihil imperii, nihil primatus in illos sibi vendicat. Et profecto si Petrum, si Paulum ipsum, aliosque in scriptura diuina loquentes nobis, tam Prophetas, quam Apostolos potius, quam nostra ipsorum somnia, audimus, certe nihil se aliud quam ministros, & potestatem suam, quam ministerium nuncupant ipsi, ab omni honoris specie, ne dicam primatus ambitione, abhorrentes longissime. Nonne ipse Dominus (est enim inculcandum hoc sæpius) inquit: *Non veni ministrari sed ministrare*? Nec satis erit seruo, vt sit sicut Dominus suus, nisi etiam maior sit illo? Quid opus est pluribus? Nostris scholiis & commentariis vniuersam prope scripturam diuinam sustulimus atque euertimus. Non est euersa fortasse, quæ muta nihilo plus ferè lo-

quitur

quitur aut poteſt ipſa ſub nobis tyrannis, quam puer ſub pædagogi ferulis, hoc eſt, nihil niſi ꝙ nobis perplacuerit, meros principatus, primatus, monarchias: cum ipſa interim nobis (noſtris inanibus fumis remotis) nihil prius quam harum rerum contemptum vbique ſuggerat. Imperium, opes, aurum, vilia, caduca, fugacia clamitans. Petrus Simoni Mago, aurum offerenti, *tecum ſit*, inquit, *aurum tuum in perditionem*. Eccleſiaſticus: *Aurum* (ait) *lignum eſt offenſionis, væ eis qui ſectantur illud.* Et nos, bone Deus, quos hamos, quas naſſas, quæ retia, malo iſti modo non teximus aſſiduæ? quid auri & potentiæ gratia non tentamus impigere? Quem ſcripturæ locum non adulteramus? Paucis illis verbis, *Ecce duo gladii hic*, Mundi gladium Imperatori extorſimus, & Eccleſiæ (ſi placet Chriſto) aſſeruimus non inſtrenue, quamuis ipſe affirmet, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & iuratiſſimus eius Orator Paulus clamitet: *Arma noſtra non ſunt carnalia ſed potentia Deo.* Et quo nihil omittamus in auſum, nos ipſos, fundamentum & caput ſtatuimus vniuerſalis Eccleſiæ. Hinc nata illa (olim ignota penitus ſanctis) vocabula, *generalis Vicarius*, *Pontifex Maximus*, & alia multa huiuſmodi adhuc illis peregriniora. Quorum nihil legimus in Petro, ſibi tribuiſſe aut vſurpaſſe Petrum. Paulus nullum agnoſcit caput Eccleſiæ, præter Chriſtum. Nos vero vtriuſq; Eccleſię & imperii ſcilicet caput adhuc nobis reſcribimus.

Quantas autem eo nomine Tragœdias hactenus ipſi Eccleſiæ exciuerimus, quot cum Imperatoribus prophaniſſime certauerimus, referre longiſſimæ eſſet hiſtoriæ. In quibus, Ludouicus Bauaricus Imperator inclytus, illuſtriſſimi ſanguinis Bauarici (vnde, & Palatinorum Rheni Comitum propagata celſitudo) fulgentiſſimum decus, magnanimitate, clementia, religione, cunctis pacis bellique artibus, omnibus denique imperatoriis laudibus, nulli temporis ſui principum ſecundus, cuius defenſionem ſubiecimus (quam mallem Germano eum debere quam externo) adeo arroganter, ſuperbe, contumelioſe acceptus eſt primum à Iohanne XXII. Deinde à Benedicto XII. & poſtremo à Clemente VI. vrbis Romæ epiſcopis, vt nihil ſupra, ob nullum grauius delictum, vt etiam Baptiſta Egnatius (& ſi alioqui, ſuorum Romanorum Pontificum ſtudioſior ferè nimio) confitetur ipſe, quam quod citra Iohannis aſſenſum appellationem imperatoris ſibi vſurpare ſuſtinuerit. Hæc viſa eſt illi Romanæ ſanctitati idonea ſatis ratio, quare tanto principi diuinis interdiceret non ſolum, verum etiam, hæreticum, per diſperſos ad hoc ipſum à ſe omnibus locis concionatores inſontem prouulgaret. Et concitandæ rebellionis ſtudio contra eundem, omnes iuratos ei quoquo modo ſacramento abſolueret, bello præterea vexaret, duceſque ad id bellum potiſſimos Cardinales & Abbates legeret, Clemens etiam Carolum Boœmiæ regem, aduerſarium ei ab electoribus deſignandum procuraret, quo eo plus diſcordiarum & cædium inter principes Chriſtianos exardeſceret. qua vna techna ſemper hactenus ſuam tutati ſunt funeſtam iſtam orbi potentiam. Si quis vicarius Chriſti eſſe poteſt his moribus, non video equidem, qui non etiam poſſit Chriſti vicarius, quiuis mundi eſſe tyrannus. Sin autem non vindicandum, ſi pro perſecutoribus orandū, etiam his qui oderunt eum benefaciendum, regnum terrenum fugiendum, ab omni auaritia abſtinendum, ſecundum ſpiritum non ſecundum carnem ambulandum, non video rurſus quomodo inter ſupradictos mores, & Chriſti inſtitutum, non interſit omnino plurimum. Neq; me latet quantam hic Camarinam moueo. Sed interim, valeant valeant, inquam, quicunq; ſunt (vel ſacerdotes) illi, quorum gratiam aliter quam veritatis transfuga, retinere non poſſum propter quam ipſa quoq; futurum prædixit veritas, vt fratrem frater traderet in mortem, & pater filium, & inſuper inſurgerent filii in parentes, & morte eos afficerent. Tantum abeſt vt cuiquam amicus eſſe poſſim aut debeam, qui huic veritati ipſe amicus non fuerit, vt nulli etiam blandiſsimo naturæ vinculo, imo ne angelo quidem de cœlo aliud annuncianti hic cædendum ſit mihi.

Hæc itaque veritas (quæ vna veram pacem, charitatemque largitur mortalibus) cum à regno mundano abſterreat paſsim tot locis, tot modis, ipſa ſuos, itidem inculcans, *regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et, *vos non eſtis de hoc mundo.* Et, *niſi quis renunciauerit omnibus.* Item, *facilius eſt intrare Camelum per foramen acus quam diuitem in regnum cœlorum.* Præterea & illud: *Non poteſtis ſeruire ſimul Deo & Mammonæ.* Nec non parabolam illam diuitis in inferno ſepulti epulonis. Et alterius illius maiora horrea ſomniantis. Quid item illam comminationem in diuites aſperrimam? *Væ vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Ecquid fortaſſe non ſatis liquida ſunt iſta Chriſti filii Dei, quo animo erga, terrena hæc eſſe ſuos velit, indicia? Et tamen Benedictus XII. cum Mediolani, Veronæ, Vicentii, Mantuæ, Rhegii, Cararii, Pataui, Ferrariæ, Mutinæ, Argentæ, abſentis Ludouici Imperatoris præfectos eorundem locorum (certo illis imperato quotannis tributo) ſuos inſtitueret vicarios, Apoſtolicè Ludouicum hac arte ſpolians poſſeſſione Italiæ, omnem imperii poteſtatem ſuam eſſe dictitabat, eo quod Chriſti Ieſu ſuperni regis eſſet vnicus in terris Vicarius, ſucceſſor Petri. Nunquid hoc eſt ſecundum ſpiritum ambulare? aut ſecularibus ſe negotiis non implicare? iuxta præceptum Pauli Timotheo ſcribentis? *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit.* Sed hic in promptu adeſt duplex nobis ſolutio: vna Romanum Pontific. non allegari verbis Pauli, quoniam inferior non habeat imperium in ſuperiorem. Altera, quod ipſius vterque ſit gladius ſolius, cui tertia auctarii vice accedit, Omnia eſſe eiuſdem, propter illum Chriſti ſermonem: *Data eſt*

Digitized by Google

mihi potestas omnis in cœlo & in terra. Hinc absolutam potestatem eliciuimus, hinc vtrumque gladium nobis assumpsimus, hinc auctoritatem supra Concilia (Euangelia ipsa) attribuimus, hinc imperium asseruimus, & quieturam nunquam in Reges & Imperatores dominationem arripuimus: cum tamen multum diuersa monuerit Christus, non in terra scilicet thesaurizandum, sed in cœlo baiulandum crucem, non triplicem gemmis auroque coronam vertice gestandam, ministrandum non imperandum. Sic nunc viuitur, sic arbitrio nostro scriptura exponitur, sic hominum sensum, hominum spiritum, pro scripturæ sensu, pro Dei spiritu iam discimus atque suscipimus? Hunc audimus, huic obtemperamus, Christi vero sermonem, quinam vsquam audimus iam, aut credimus amplius? Attamen ille dixit: *Oues meæ vocem meam agnoscunt, & ego vicissim agnosco illas. Alienum non audiunt illæ, sed fugiunt.* Si igitur oues Christi eius vocem audiunt vnius, & alienum fugiunt, qui possumus tandem nos probare oues illius esse? qui hoc miserrimo tempore, eius Euangelium non modo non audimus, sed odimus insuper, sublatumque è mundo vellemus, dicentes (ô nefas) *meliorem fore Ecclesiam absque verbo Christi.* Qui nusquam non suum sermonem, sua mandata solum inculcat custodienda, inquiens: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Contra autem, quid exprobrat durius Iudæis, quam sermonem suum ab eis præteritum? cum inquit: *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Rursus paulò inferius: *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ab initio conditi hominis si excutias, Lector Christiane, inuenies omnes, qui Deo placuisse à scriptura sancta commemorantur, Dei sermonem, non suum homines docuisse. Quando, te rogo, Moyses, quando Helisæus, Helias, & sic deinceps, ad nouissimum vsque dixit: Hæc ego Moyses, hæc ego Helias, & non semper potius, hoc dicit Dominus Deus vester? Quando Petrus, quando Paulus suum aut hominis prædicauit Euangelium, & non Christi? Nonne ingenue testatur Paulus, Euangelium quod ipse doceret, non ab homine esse, sed à Christo, execraturque eum libere (vel angelum de cælo) quisquis præter illud annunciare sustinuerit aliud. Quid? quod quatuor Euangelia hæc, quibus solis assentitur Ecclesia, annis ante aduentum in carne Christi circiter sexcentis, spiritu Dei reuelante, præuidit Ezechiel? prophetiam quatuor Euangeliorum similitudine quatuor animalium, quorum primum hominis, secundum leonis, tertium vituli, quartum aquilæ, absolutissimè exprimens, in quibus singulis singula de Christo sacramenta figurantur. In hominis facie natiuitas eius in carne: in leonis, rugitus prædicationis Euangelicæ seu resurrectionis sacramentum: vituli sacerdotium æternum; in aquilæ, diuinitatis mysterium propagandæ toto mundo Ecclesiæ prodendum. An Ecclesia carebit eorum Euangeliis, quos suæ Euangelistas ipse spiritus dedit Ecclesiæ? Matthæus cum esset publicanus, ad hoc munus ab ipso (quis dubitet) Christo vocatus, Euangelium primo, sermone Hebræo ædidit Iudæis ad Christum conuersis. Marci Euangelium, Euangelium est Petri, cui à Christo dictum peculiariter fuit: *Pasce oues meas.* Ita & Lucæ Euangelium Pauli est gentium Doctoris, assecuti arcana Dei, quæ non licet homini loqui, à quo ei tribuitur etiam laus in Euangelio per omnes Ecclesias. Iohannes qui de cruce Domini sui meruit audire, *Ecce mater tua*, ab omnibus Asiæ totius Episcopis & legationibus fatigatus, nouissimo scripsit Euangelium, neque tamen id operis suscipere ante est ausus, quàm indicto in commune ieiunio & orationibus Deum propitiassent. Hoc Euangelium fortasse existimabimus licuisse (si collibuisset) destituere Ecclesiæ, quod tot precibus, tot legationibus, indictis insuper publicè supplicationibus & ieiunio, vt sciberetur impetrauit? Quare parcius obiectet quisquis est, ita & hæc Euangelia suscepta ab Ecclesia tanquam in arbitrio eius fuerit, non etiam ea suscipere, & verbum veritatis reiicere. Proinde Euangelia approbauit Ecclesia, non hoc est auctoritatem detulit, quam si libuisset auferre quoq; potuisset, vt Platonis aut Aristotelis opera hactenus Doctorum hominum consensus approbauit, pro quorum veritate nemo tamen facile mori audeat. Sed approbasse Euangelia Ecclesiam, est eam indubitabili eorum veritati pro qua etiam mori eam, si modo esse velit salua, oporteat, tanquam loquentis corā Christi verbo inseparabiliter inhæsisse. An Ecclesia, cuius misericordia saluata est, in eius verbum auderet hanc sibi desumere censuram, vt in vllo eius (vel minimo) apice dissentiret ab illo, & nō potius susciperet modis omnibus atq; adoraret? si prophetiam quæras vaticinio Ezechielis, si ministros primos, fidei Apostolis atq; columnis, si auctore qui mandauit toto mundo annunciari immortali seculorū, rege Christo ipso mota atq; subacta. Sed non satis hoc, Ecclesiæ adscribere licentiam, in vtramuis partem ferendi de Euangelio Christi sententiam, nisi amplius dicant quidam, optimum fuisse nullum olim proditum literis Euangelium. Ergo quod nemo (nisi prophanissimus) negat sancto spiritu inspirante ad eruditionem & consolationem Ecclesiæ scriptum, optimum esset, non fuisse scriptū: ergo Euangelistę perniciosi fuerunt Ecclesię? ergo Apostoli qui mundo tradiderunt primi, quod erat nociturum, non Doctores sed destructores fuerunt veritatis? Et qui mandauit prædicare ipse Christus, non id mandauit quod esset optimum sed quod prohibuisse fuisset optimum? Quid hoc est monstri, Deus bone, expedire vtilitati Ecclesiæ Euangelia nulla scripta aliquando fuisse? Et qualis illa per Christum futura esset tandem Christianorum Ecclesia, sine verbo Christi, super quo vno, velut super firmam petram fundata, atque extructa est. Ecclesiam ne illam futuram putemus? an Synagogam potius quampiam Sathanæ sine Euangelio Christi? Cur ipsa Ecclesia nullam missam? nullam

Digitized by Google

nullam concionem sine Euangelio celebrari instituit? Cur Euangelio adorabundi ex more assurgimus, si adeo nullus est vsus in Ecclesia illius? Ecce cuiusmodi Tragœdiæ mouentur non ob hoc, vt vnius homunculi potestaté exæquemus Christo, quod aliter fieri posse non speramus, nisi prætexto Ecclesiæ nomine, illi destituēdi si velit etiam Euangelii, asseramus auctoritatem. Sed Christus inquit, *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Quod si ita est, ergo quicunq; à Deo inspirante manifestatū (quod negauerit nemo, vt dixi, nisi Sathanas ipse) Euangelium non audit, aut Ecclesiæ perniciosum asserit, ex Deo non est, sed ex patre Diabolo, cuius desideria cupit perficere. *Si manseritis in sermone meo,* inquit idem saluator noster Christus, *vere mei discipuli eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* ergo qui in Euangelio eius non permanserit, non erit discipulus verus Christi. Cuius ergo? Antichristi. Nec cognoscet veritatem. Quid ergo sequetur? mendacium patris sui operabitur, nec liberabitur à veritate. Quid patietur? cum hædis, hoc est, impiis ad sinistram statuetur.

Sed vt memor principii, recurram ad caput aliquando thematis mei. Cum veritas, hoc est, fides verbi Dei, sola ab interitu liberet, incredulitas euertat, quid adhuc dubitamus quin propter explosam iam vndique illam mala hæc præsentia (grauiora indies laturi) sustineamus? Dominus per Hieremiam dixit: *Ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum, quomodo ergo conuersa es mihi in prauum, vinea aliena?* Ecce in vinea sua electa omne semen verum plantauit. Nos verum in prauum conuertimus, ideo quoque non Domini vinea sumus electa, sed aliena. Quid ita aliena? quia verbum illius adulteramus. Ille locutus est: *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Nos autem in terminationem hanc eius nihil veriti, pro verbo illius sacro, nostrum suæ Ecclesiæ sensum obtrudimus oppressæ, id quod nos locuti sumus, verbum Domini asseuerantes, nihil illud fulmen propheticum cogitantes: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Quid autem aliud facimus, scripturam ad voluntatem nostram, libidinemque excipientes, quam lucem nostra, Dei verò verba tenebras interpretantes? Inde merito quoque hæc opprobans nobis Hiere. inquit, *Propheta & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in ea, afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum ait Dominus.* Idem Petrus admonuit dicens, *Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei.* Si autem primum à nobis? quis finis eorum qui non crediderit Euangelio Dei? Sed hæc i.li nobis omnino tanquam qui fabellam (vt aiunt) surdis. Obduruimus enim aduersus veritatem penitus, & vt aspides surdæ, vtiliter incantantis vocem scripturæ obturata pertinaciter aure excludimus. Vale Christiané Lector, & Ecclesiasticæ disciplinæ ad deteriora prolabantis quotidie (quoniam aliter nihil restat ferè) communibus mecum suspiriis ingemisce. Anno Domini M D XXII.

DEO SOLI HONOR ET GLORIA.

GEORGII WICELII, DOCTORIS THEOLOGI ET PAROCHI FACCHENSIS,

Adhortatiuncula,

VT VOCETVR CONCILIVM,

ad Archiepiscopum Moguntinensem, &c. priuatim scripta. Anno Domini M D XXXII.

PAVLVS APOSTOLVS 1. Cor. 1.

Adhortor vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos schismata, sed sitis integrum corpus, eadem mente, & eadem sententia.

SOlenne est & à maioribus acceptum panegyricis, hoc est, laudatoriis atq; plausibilibus festisq; gratulationib' in populari cœtu habitis, ingressos excipi principes, idq; partim vt significationem gaudii & promptiss. voluntatis ciuium erga se intelligant, partim vt ea specie tam cōmoda eaq; hora tam opportuna officii sui submoneātur, quos alioqui difficile sit pro re (vt debet) compellare. Tale à me in præsentia minime expectet celsitudo tua, clariss. princeps, vtpote qui is nō

Digitized by Google

sum, à quo præstari huiusmodi queat. Deinde Faccham, nō Hallim ingressam R.D.T. excepimus. Postremo nullo eā opinor laudem desyderio ardet, quippe plus quam credi possit harum futura. Hoc volo, hoc tantum ago. Vbi inaudiui R.D.T. aduētare, cœpi mecum animo reuoluere, ecquid incola, tanto Primate fumosa oppidi nostri tecta subituro facerem gratulabundus, vnde fructus aliquis ad Remp. Christianam redire videatur, posteaquam nunc pro huius salute impensè laboro. Nā hoc congruere potissimum Episcopo Ecclesiæ, & professionem meam decere putaui. In mentem igitur immissum est ilicò (non diffido quin οὐρανόθεν) vt quoniam diœceseos R.D.T. presbyter sum, maiore cum fiducia ad hanc de eo auderē scribere, citra quod neq; Ecclesiæ gubernatio, neq; Religionis cōseruatio vlla est. Sed sine proloquii ambage istud eloquar. Conciliū œcumenicū est, Reuerendi. Præsul, cuius diutino desiderio tantū non enecti pii vbiq; homines crebros ab imo pectore gemitus ducunt, & oculis non siccis vident mala Christiani orbis innumera. Pendet & spe sola exercetur probis. quiq; inter hęc, nec portus sese adhuc vllus aperit. Inde coram Ecclesię confusionē sentio, cui ire obuiam, cui mederi, q̃ restituere pōt nihil nisi conciliū. Hoc vnum rebus fidei iuuādis concessit Dominus IESVS, ad cuius mentionem sursum corda surrigamus cultores. Hoc ceu perfugium afflictæ religionis nostræ vnicum suo exemplo commendauerunt nobis Apostoli Domini Iesu. Hoc mandarunt sancti patres, vt modis omnibus necessarium ad tuendum Ecclesię negotiū. Ad hoc hortantur morbi Ecclesiæ periculosiss. & varii casus. Ipsa adeo animarum infinitarū iactura vel sola animos omnium huc nō commouere modo sed perpellere etiam debebat, vt omissis omnibus Conciliū vocetur, quo videlicet concilientur pugnantes inter se opiniones, quoad fieri possit, atq; adeo quo concilientur inimici animi illorum, qui ex æquo omnes tamen vnum adorant Christum, quo inquam vniatur coagmenteturq; Ecclesiæ corpus tot ac tam horrendis modis dilaniatum, quo deniq; concordia Christiani nominis vniuersas terras rumore peruagetur, in eius gloriam cui' vnius res agitur. Nemo sicut ego quidem iudico, aliquid præsentius inuenire poterit, quo incōmoda tolli queant. Alii papyro, alii ferro, alii bulla pontificia, alii persuasione, alii concionū vi, hoc est, clamoribus existimant rei esse occurrendum, sed falluntur. Libri enim libros pariunt vtrinq;, clamatur vtrinq; nō sine rabiosis cōuitiis. Armis arma repelluntur, bullas aspernātur Germani, persuasiones suo loco valere possunt, hic tota luditur opera. Quisq; n. alteri nititur persuadere, quod sibi esse rectum ac æquum videtur. At in concilio quæstiones allatæ ad viuū examinantur, controuersiæ seriò dispiciuntur, obscura elucidantur, dubia certificantur, Mobilia solidantur, Ibi nullius nisi recti, veri, honesti respectus. Agitantur pleraq; quasi in conspectu Dei, vt de quib' immortali iudici sit olim reddenda ratio. Ibi nullo metu proponitur, liberæ sunt sententiæ, sed iudiciū seuerum propositū manet. Nihil effugiet Lydiam regulam. Estq; itaq; concilium, si timore Dei opt. max. cogatur, pharmacum Reip. ecclesiasticæ, asylū veritatis, extricatio atq; enodatio difficilium causarum, assertio Maiest. scripturæ sanctæ, redintegratio diuini cultus, recisio improbatorum morum, deletio Christo indignarum consuetudinum, excidium errorū, terror hæreseon, consolatio spesq; catholici populi, breuiter certa sanitas Ecclesiæ Dei. Viderunt hoc maiores nostri, quum neutiquam absre cauerunt, ne vltra decennium concilii necessitas differretur, nimirum vt vel huius metu quidam non boni mali quippiā audere absterrerentur. Atqui nunc nonaginta fermè anni abierunt, quod concilium fuit, & illud ipsum quod fuit non vsq; adeo Ecclesiæ Christianæ profuisse cum suspirio videmus.

Voluerant quoq; iidem sapientes & religiosi viri, vt quotannis prouinciales siue Episcopales Synodi cogantur, in quibus si qua incidant intoleranda, corrigantur. Nam qui fieri potest, vt in tāta Christianorū turba non plurima vsu veniant, quæ emendare necesse sit, vt iā de clero nihil commemorē. Quando igitur tam salubris tamq; necessaria res est conciliū, Christi nomine vocatum, & hoc carere Religio planè nequit, maximè in eā tempestatē impacta, in qua non sine lachrymis versamur, nihil vtilius poterit facere R.D.T. religiosissime Heros, qui vt instet sedulo, ne negligatur q̨ in trib' Comitiis Cæsarea Maiestas, assentiente Principium voluntate, de conuocando cōcilio decreuit. Re experiamur q̨ ex animo decreuerit, de quo vt ipse nihil dubito, ita nō desunt, quibus id fulgur ex vitro est. Plurimū valebit apud omnes Imperii Rom. Proceres, si R.D.T. acriter & ardēter institerit. Quis n. est in omni Præsulū albo celsitudine tua celebrior? Quis nescit quam sit R.D.T. erga pietatem, erga bonos mores, erga rectas literas affecta? Nouimus quanta solicitudine, non Augustæ solum, verumetiam Sueinphordiæ vere proximo egeris, vt coeant cum Ecclesia sectæ, vtq; sepeliatur ter detestanda discordia, quæ in prælia Germaniam armatura erat. Nec in obscuro est, permulta nūc extstere, tot sæculis sensim in Ecclesiam illapsa quæ minimè probet sapientia tua. Quæ res, vt nihil aliud, non mediocrem animi tui pietatem nobis declarat. Proinde summe Præsul, & Domine illustr. huc referat pietas ista tua omnem curam, industriam, laborē, vt dicatur dies, vt deligatur idonea ciuitas, vt euocetur Pontif. Rom. vt impigre coeatur ex omni prouincia Christiani orbis. Ne, obsecro per salutem, propediat negotium multo omnium saluberrimum (vt solet quod Dei est.) Satanas. Ne detineat malitia quorundam Magnatum, qui nihil castigatum volunt, nec ea quę aperte gentilia sunt. Ne obsistat Schismaticorum perfidia. Nam illi conciliis omnibus pridem valedixerunt, & suā istam Doctrinam Angelorum etiam iudicio subtraxerunt. Ne deniq; remoretur clericorū aliquorū iniusticia, cuius meritam metuunt correctionem, malentes probro esse Religioni sacrosanctissimæ, quam decori. Sat ô sat darū atq; largitū nonnullis erroribus, quos præter rē inuexerunt ociosuli quidam, & iniquitatibus quibus miserè premitur infœlix Ecclesia. Etenim quousq; volentes patiemur

eam

eam defœdatam, quum purgare possitis? Qur autem non possitis capita, si voluntas adsit? Et qui fit, vt primis Ecclesiæ temporibus adeo in procliui erat vocare concilia? Et ea nec pauca, nec tam necessaria, vti nunc? Si olim vna Quæstio congregare valuit sanctam Synodum, mirum si iam non congregent centũ? Si non quàm maxime opus est, de nullo cogitetur concilio. At quis inficiabitur, q̃ maxime opus esse? Quis nisi summe cæcus, summe malus? Quærimoniæ omnis sexus, omnis ordinis, omnis ætatis cœlum cotidie pulsant. Dolores sunt vehementissimi, mœrores grauissimi Cõmiseramini igitur Christiani populi vicem qui incertus mirificis æstibus fertur ac fluctuat, nec satis sibi persuasum habet, vbi pedem figat. Et periculum est ne indies plura exoriantur schismata; cuius immensi mali culpa est nulla, nisi synodi intempestiua dilatio. Vulgus contiunculis mellitis ab ecclesia cateruatim abductum est. Ad hanc verò reduci nunquam poterit, nisi concilio arbitro. Nec diffido facile reduci posse, si amputentur modo superstitiosa, inutilia, perniciosa, immodica, idque dolenter magis quam inimice. Audio vndique qui percupiant redire, si non ita deterrerent odiosa offendicula. Ferè.n. maior pars populi pertæsa est schismaton, vtpote materiam duplicatorũ malorũ. Fatentur se ea via non ituros in vitam. Fatentur omnia propè prioribus deteriora, nec se inclinare rem ad emendationem sui, ô spem maximam de ornamentis Christianę Religionis deque communi salute, si id boni, hoc est, Concilium mox futurum dissidia componat, & tollat Ecclesiæ dedecora, ob quæ blasphemiis immanissimis oneratur apud Turcas, Indos, Ruthenos, Iudęos, hæreticos. Itaque nihil est, quo minus aut possitis, aut debeatis, ô columina. Tempus ad hoc inuitat. Nam Turchicæ res in Hungaria propediem speramus suam nanciscentur catastrophen. Admonet causa. Compellit necessitas ineuitabilis. Hortatur ærumna perplexæ plebis. Flagitat schismatis confidentiss. atque audacissimi secura peruagatio, & plurima quæ ex hoc suppululant. Extimulat ruina domus Dei. Nec ad hoc quicquam deest. Sunt viri doctissimi & clarissimi in Europa, per quos sanctiss. negotium transigi, extant libri vetustiss. & singulari authoritate, quorum adminiculo expediri rectissime queat. Imperator Carolus V. Inuictissius præsto est in Germania nostra. Est vnde sumptus sustententur. breuiter minimum maximum, nihil deest. Hic non comminiscar immortalitatẽ consecuturos Heroes quotquot sategeritis, vt concilio Christianissimi languoribus medicina paretur. at R.D.T. peculiarem etiam famam nominis (& si eam non vsque quaque spectat) reportabit, si primam curam adhibuerit solicitatrix atque impultrix cæterorum Principum. Considerandum maximopere est, immmere grauissima pericula, ni in tempore statui rerum publicarum succurratur. Qui insidiatur calcaneo nostro, qui lolium lappasque superseminat, qui quærit quos deuoret, mihi crede, non agit ferias. Superest vt fiat Concilium & ex Concilio consensus. Diu superstes viuat R.D.T. Facchæ. Anno Domini M. D. XXXII.

GEORGIVS WICELIVS.

CLAVDII GOVSTÆI PRÆTORIS SENENSIS,

Tractatus,

DE POTESTATE REGIA in Ecclesia.

CAROLO IX. A DEO CORONATO FRANCORVM REGI, DOMINO SVO.

Nostra, tibi toto quæ seruit opella libello,
Rex pie, sincero quantus es ore probans,
Pensatum iusta credet mercede laborem,
Si posthac Tantus, Quantus es, esse voles;
Et tibi commisso sic fias celsior orbe,
Vt soli tantum subiiciare Deo.

QVA

REGIA POTESTAS, QVO DEBENT AVCTORE solennes Ecclesiæ conuentus, indici cogiq;?

Quis in his, cum emendanda est omnium Ordinum deprauatio, Regum, Sacerdotum, Nobilium, Procerum, Magistratuum, Populi, locus & ordo consedendi.

Ex Sacris literis, piorum auctorum libris, Conciliorum omnium actis, compendiosa discussio.

Digitized by Google

QVanquam tibi satisfacturi, iam nota congesserimus: tamen in colligendis tantum tem-
poris impendendum fuit, vt infra præscriptæ dilationis angustias, opera abs te mandata
non potuerit exigi. Vnde si quid in mora peccatum est, non nostrum nobis enatum cle-
mens condonabis, sed tibi iustius imputabis: qui sermone rem verbosiore, licentiore &
diffusiore tractari pręcepisti. Et iure quidem; cum seria tantò meliora sint, quantò pro-
lixiora. Cum rebus vtilibus modum de præscriptis terminis ponere, sit vtilitatem
quadamtenus commodis alienis decerpere, & præter charitatis legem inuidere, quæ tantò potior,
tantoque gratior est, quantò diuturnior. Vocandos aliquot notæ probitatis homines, in arcanius &
intimius quoddam colloquium præmones matris Reginæ & Summatum Regiæ agnationis princi-
pum iussu, ad componendas de negotio Religionis, iampridē natas, & subinde nascentes turbas, &
vt sua tantæ rei non desit veritas, iam præcipiti murmure quæri refers, qui & ex quo ordine, collo-
quii præsides futuri sint? Nouum esset, cum licentiosa rerum diuinarum deprauatio, iugibus diu-
turnis & efficacissimis ad emendationem, piorum querimoniis huc tracta & exacta sit: si bonis cep-
tis inimicus ille homo, cui mille nocendi artes, mille argumenta supersunt, non totus incumberet,
vt nascentem & ad huc quasi lacteam sanctæ concordiæ frugem, contentiose ambitionis lolio, co-
naretur inficere: sed opponendæ artes artibus, & occurrendum precum frequentium pharmacis, ne
concordiæ recentis agnelli, fascinis inquinentur, offendantur, perdantur. Qui præesse volunt fu-
turo conuentui, commenta, personas, laruas, fucos, sui gradus Ecclesiastici prætexunt. Detonant in-
super rem tentari omnium maximè Ecclesiasticam. proponunt preterea rem iugi consuetudine, per
continuas in rebus sacris operas, sibi cognitissimam, nullis vel ducibus, vel magistris, vel monitori-
bus, vel præsidibus, quam sui ordinis viris, componi & melius peragi posse. Causantur nostri ordinis
homines, dicam an parcam dicere? ab his cuiusdam notæ nomine, laicos vocatos, ad hunc cœtum
propter imperitiam, & nullam sacrarum literarum cognitionem, ineptos, vt hoc quasi velo, ne dicā
telo, dum laicos excludunt, summam potestatem (Regem non audent dicere.) tanquam sacerdo-
talibus infulis carentem, cum populo suo, id est, nobiscum: non tantum cœtu depellant, sed nec
auditorem, vel comitem dignentur. Nobis autem, non nostram, sed IESV-CHRISTI gloriam, fucis
eorum, commentis, artibus, mendaciis, propè aliam factam in suum natalem nitorē vindicantibus,
alia, longe sanior & verior sententia est. In hoc scilicet conuentu, locum suum Clero, id est, illis: po-
pulo, id est, nobis: & summum Principi, tanquam superinspectori, Legato proconsuli, & soli verè
DEI Vicario esse debere. Quinimmo & super hæc audemus, nullum illis, id est, deprauatis clericis,
ibi consessum esse reliquendum, nempe reis obscuratæ DEI gloriæ futuris; & si quidem vllus debe-
tur, hunc omnibus, id est, ipsis & nobis, promiscuum postulamus, hoc ipsis modestiores rei, quo nos
quoque reformandi reatum agnoscimus, ipsis in primarum cathedrarum ambitu, pertinacissimè
obstinatis. Hæ sunt quædam velut lineæ præscripti abs te nobis operis, consulente, vter ex reis, id est,
illis & nobis, qui reformandæ sacræ Religionis ardoribus, quasi quibusdam febribus æstuamus & æ-
groti laboramus, sanius sapiat, vel insanius desipiat? Ego autem, vt futuri laboris scopum, quodam
compendio, & per indicem tibi sub oculis ponam, hæc à me queri existimo. Quid & quantus sit in
Ecclesia Rex? & nos, id est Clerus & populus quid in hoc, qui propediem cogendus est, conuentu
præstare & agere debeamus? An solius principis censura, an omnium sit? an illius decretorum exe-
quendorum solius sit & efficacia & cura? vt scilicet præsit & audiat, & nobis vtrinque disceptanti-
bus, in vnam concordiam disposita, quasi caput nostrum oculis suis, vel probet, vel improbet, im-
probata respuat, & probata strenuus exequutor, edictis palam propositis, tanquam lingua nostra
loquatur. His veluti capitibus subterscribenda, tanquam partes partibus, & membra membris red-
dere conantem, si ieiunum, nec satis plenum inueneris, feras; si redundantem, etiam probes, qui li-
centiore epistola, & vberiorē tractatu, negotium exequendum mandaueris.

Ad huius ergo corporis constitutionem, contendentibus nobis, primore tractatu, de capite
quærendum est, & eius, non aliunde quam ex veritatis fonte petenda & statuenda est ratio. Ratio
autem, cum & ipsa sit res Dei, ex literis quoque Dei formanda est. *Eum* (inquit Dominus per Moy-
sen) *constitues Regem, quem Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum.* Plena sacramentis hæc ver-
ba sunt. In iis primùm miremur Deum iudicem, qui vasorum domus suæ figulus amplissimus, hu-
manæ quasi discussionis imagine probat, quæ quib⁹ imponat, quæ velit imperare, quæ velit parere,
& cum vno omnia luto constent, & vna omnia figulauerit rota, & vna çoxerit fornax, secundum ta-
men figuli, non notam, sed iustam voluntatem, alia aliis præferuntur, & quædam sunt in honorem,
& quædam sunt in contumeliam, id est, inferioribus ministeriis deputantur. Et vt vno verbo res
exigatur, cum sic elegerit Deus, diues tamen in omnes qui inuocant nomen eius, & sine imprope-
rio summus largitor, tam sancti negotii facit populum participem. Eligit Deus, & constituit Re-
gem populus. Certis tamen terminis hæc muneris societas præscripta & definita, extra gentem
suam, euagari non sinitur. *Non poteris* (inquit Deus) *alterius gentis hominem, Regem facere, qui non sit
frater tuus.* Legitur ergo Rex à Deo, constituitur à populo, sed gentilis, sed contribulis, sed cogna-
tus. Cum aliunde sumitur, vel Dei vindicis punitio est, vel regni mutatio. Gloria ergò Deo, qui
non ita pridem, hæreditaria suffectione, Francis Francum Regem imposuit, annis quidem puerum,
sed maternis & agnatorum principum consiliis sua pueritia consiliosæ senectutis seria superan-

tem.

tem, sed nec satis visum est Spiritui sancto actum esse, si praescriberet electorem Principum esse Deum, populum constitutorem, & cuicunque nationi ex se non aliunde, legendum, nisi lecti quoque & constituti regis mores formaret dicens; *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis, in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præceptæ sunt.* In solio regni, Regiæ super omnes contribules potentiæ gloriam agnoscere debemus, vt omnes, quamuis impares gradu potestatis, & alius honoratior alio, inferiores tamen & subditi, in regia sublimitate, grandiorem & excelsiorem Deum amemus, ex æquo omnes, & si occasio erit, pariter timeamus. Ex descriptione autem legis, cuius Dominum Deum agnoscimus authorem, admonemur, si quid intra cancellos & limites Legis, constituerit Princeps, tanquam cœlo demissam veritatem, obuiis pronis & facilibus animis, excipiamus, exceptumque strenui compleamus, citra moras insolentis inquisitionis, non cunctantes, non murmurantes, quis enim ferendus est post diuinum consilium discussor? cum scriptum sit, *per me Reges regnant, & potentes iusta decernunt*; Hoc est Leges regiæ legibus diuinis consonæ, sane non regia mandata sunt, sed diuina, ne vel ipsa deses subditus negligat, vel curiosus scrutator inuestiget, ne, dum scrutatur maiestatem, opprimatur à gloria. Quod autem exemplar legis, à sacerdotibus Regi suggerendum statuit Spiritus sanctus, qui continet omnia, non inclusus vel exclusus, non ita infra terminos cogendum est, vt nomine sacerdotii tantum expressi sint, qui hodie sacrifici sunt, & vocantur, quasi sacerdotib' Leuiticę tribus, veri sacerdotes imaginariis, suffecti. Excidit. n. Leui & Leuitica tribus, exciderunt & vestra, & noua fecit omnia Deus, mundũ per Christum reconcilians sibi: & per Apostolorũ suorum pręconia, palam iussit, omnibus in gratiam suam vocatis, edici, *Vos genus electũ, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes adnuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc aũt populus Dei, qui non consequuti misericordiã, nunc aũt misericordiã consecuti.* Cui succinit Edicto, alius itẽ seruus Dei, qui testimoniũ præhibuit verbo eius, & ipse quoq; legatus IESV-CHRISTI dicens, *Ipse* (vtiq; Christus) *est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo, & fecit nos reges, & sacerdotes Deo & patri suo.* Nos ergo Regis à DEO lecti constitutores cum regno subscribimus, Legem quoq; regni Regi damus & ipsi sacerdotes, tanto melioris sacerdotii, quanto potior vmbris veritas, quãtò imaginibus res melior, quantò famelicis cibi præsentes, q̃ exhibendi commodiores. Legenda etiam Lex Regi præscribitur, vt ipse sibi, regnique publicis negotiis, ex lectione eius solus consulat, prouideat, occurrat necessitatibus, medeatur angoribus rupta sartiat, solida contineat, noxia dimoueat, profutura promoueat, non autem semper ex alieno consilio pendeat, vt non tàm ipse Rex, quam consiliarii eius, Reges Regis videantur. Neque otiosa est pars Legis, quæ in hoc legem à Rege legi iubet, vt discat timere Dominum Deum suum, cum desit alius Regi timendus, libero nempe, & omnibus extra diuinos timoribus, absoluto. Sed nec vacat & alia Legis pars, quæ in hoc Legem Regibus legendam proponit, vt verborum & ceremoniarum DEI quæ in lege præcepta sunt custos sit. nam & hinc statuitur pro lege certa, cunctis fidelibus constanter credendum, & obseruandum verborum Dei, item ceremoniarum Dei custodiam summam esse & præcipuam regiæ functionis operam. Et si quas de iis rebus, vel necessaria pietas, vel insolens curiositas, excitauerit quæstiones, non alio quam regio arbitrio, coactis in hoc ex omnium suæ ditionis ordinum flore, probatissimis quibusque fore componendas, & ad ipsius Legis regulam reformandas. Extra quam, ne quid de fuco, vel absolutæ potestatis improbanda superbia, sibi blandiatur Princeps licere, eiusdem Legis retinaculis, & quodam veluti fræno cohibetur, decernentis custodienda verba quæ in lege, non extra Legem præcepta sunt, custodiendas item ceremonias, quæ in lege, non extra legem mandatæ sunt: Ad cuius præscriptum sic componere & formare mores suos debet Rex, ne declinet in partem dexteram vel sinistram. Hæc agentibus diuina largitas, quæ regnum prærogauit, addit ad istius gratiæ cumulum Regibus, regni diuturnitatem, & in filiis perennitatem. Rebellibus autem, & suum & regni sui excidium, eadem, quæ nunquam mentitur, veritas, mox vindex sistit & exhibet. Probant hoc Saules, quibus liberisque eorum, Regia potestas noxiis, diu non constitit, sed in Dauidem translata est. Exhibet huius rei veritatem Salomon, primis regni temporibus donis sapientiæ cælitus collatis cumulatissimus, postea propter peccata detractis, insipientissimus, & certis Dei minis, in stultiore filio, decem regni partibus, non ita multum post, mulctandus. Et ne vndecim tantùm familiis populi Israelitici Lex hæc Regia scripta videatur, ceruicosique sacerdotes, vino contentionis ebrii, Leuiticam familiam, cui se solos prætexũt subrogatos esse, Legis istius vinculis comprehensam & obligatam inficientur, admonendus est, (si quis tamen hæc quoque, si quis captus amore leget) in libro Moseos (cui *Deuteronomium* titulus est) hanc legem esse descriptam, qui titulus, ex peregrina Græcorum lingua nostrati Latinæ redditus alteram vel secundam Legem signat, & Euangelicæ legis quædam præfiguratio est, quæ omni creaturæ, nedum Sacerdotali Ordini, scripta est, teste irrefragabili IESV-CHRISTO, qui dixit *Datam sibi esse potestatem in cælo & in terra*, & delegauit Apostolos suos in vniuersum mundum, Euangelii sui omni creaturæ Doctores, nisi forte pertinaces sacrificuli, alium sui ordinis authorem fore, sine pudore mentiri velint: quod si velint, facile cedimus, nam alia manuum impositione in ordinẽ suum adlectos, quam non norunt totam Apostolicæ & Euangelicæ literæ, credimus. Vt ergo vmbra

Digitized by Google

& veritas sibi respondeant, oportet legem Deuteronomii, quæ in imaginem veritatis Euangelicæ adumbrata est, vinculis legis Regiæ, Leuitas quoque innexuisse, sicut Euangelica veritas suis quoq; ministris & sacerdotibus scripta est, & sic agnoscere, non tantùm populo Christiano, qui ministerio per electionem non est adligatus Euangelico, sed & omnibus in hoc ministerium coaptatis, propositam, scriptam, & sancitam esse, Regiæ dignitatis Legem. Quod facile est euincere ex illa Samuelis parte, vbi congregati vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad ipsum in Ramatha, dixeruntque ei, *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut vniuersæ habent nationes*; quorum etiam voce, in omnibus quę locuti fuerant, audiri ab ipso Samuele voluit Dominus, sic tamen vt eos contestaretur & prædiceret eiuius Regis, qui regnaturus erat super eos. Quum legis vniuersos maiores natu Israel collectos, nunquid animo tuo coram sistit, exhibet & repræsentat Spiritus sanctus omnem Iacob (qui & Israel vocatur) posteritatem, in duodecim familias distributam, in quibus Leuitica quoque tribus accensetur? Omnibus ergo Israelitis, tum Dei decreto, Legem anteriorem, vel potius prædictionem futuri regni repræsentantis, Samuelis ministerio, præfectus est Rex Saul, qui eos iudicaret, illisque ius diceret, & eos legibus suis regeret, etiamque (quod abnuunt sacerdotes) contra legis præscriptum facientes Legis Doctores, & greges eorum suo iure addecimaret. Nam & ibi in ipsa prædictione iuris Regii scriptum est: *Greges quoque vestros addecimabit*. Et (quod omnium ægerrimè ferunt ipsi sacerdotes, exemptionem & libertatem Regiæ potestatis prætexentes, impieque præter Apostolicas regulas, dominationem negantes) subscriptum est, *Vosq; eritis ei serui*. Rex ergo, in Israele futuram, quę nunc præsens est, Ecclesiam imaginante, quid est? nempe iudex omnium, Dux ad pugnas suorum, denique super omnes suos summus: cui filios suorum tollere, & ponere in curribus suis, facereque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituere sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum, eodem iure suo licet. Cui quoque potestas est filias suorum sibi vnguentarias & focarias, & panificas statuere; agros, vineas, & olïueta suorum, cum rei facti fuerint, in fiscum suum tollere, & seruis suis elargiri; suorum quoque segetes & vinearum reditus, addecimandi ius illi est: & ad extremum singulis suorum viritim, vel vniuersis generatim, operas indicere. Hoc ergo est rex in Ecclesia: Ecclesia (inquam) id est, in plebe ex aquâ & Spiritu sancto renata, sine negatione nominis Christi, templo & domo DEI, Colũna & stabilimẽto veritatis, Virgine sancta, castissimis sensibus sponsa CHRISTI, ex ossibus eius & carne, non habente maculam neque rugam, integra Euangeliorum iura seruante. In Ecclesia (inquam) hoc quod prędictum est censetur, & est regalis sublimitas. Ecclesia nempe Regina in veste deaurata & circumamicta varietatibus, fœcunda vita in lateribus domus Domini: Matre adulescentularum quarum non est numerus, vna speciosa columba, electa matris suæ atque perfecta, omnium inquam matre laicorum & sacerdotum (quanquam nos ad *laicum* nomen horreamus, natum Diaboli inuidia, ad vnius populi, vnius synagogæ, vniusq; Ecclesiæ partitionem, totoq; literarum sanctorum corpore, nusquam inueniendum, nisi vno tantum loco, vbi famelico Dauid ad cibum necessarium languenti, nullos tum adesse panes laicos respondit tabernaculi sacerdos) ædificata, in fundamẽtis Prophetarum & Apostolorum, & ipso angulari lapide IESV CHRISTO: Domo magna vasorum omnium diuersitate locuplete, cuius vitis si sacerdotes abnuunt esse palmites, in societate regalis culminis & Regis, quem summum habet palmitem, ipsius Ecclesiæ sancta & sincera confessio: quid superest, nisi vt præcisi & amputati, in ignem mittantur, vt ardeant?

In ipsa postremò Ecclesia concors Apostolicis sententiis vir doctissimus vndecunque Tertullianus, Reges & Imperatores adgnouit à Deo secundos. Post quem primi sunt ante omnes, in quibus iudicium quoque Dei suscipi professus est, qui gentibus illos præfecit; in quibus sciuit & nos quoque scimus, esse quod Deus voluit, proni adorantes grande Regium & Imperatorium nomen, quod à Deo traditur. Colendi ergo sunt in Ecclesia Imperatores & Reges quomodo licet, & ipsis expedit, vt homines à Deo secundi, & quicquid est à Deo consecuti, solo Deo minores. Hæc autorem Tertullianum præferentia, quamuis iniquis Iudicibus vellicari queant, vel infirmiora censeri, propter consequentem hominis errorem, qui (vt ait Hilarius constantissimus Trinitatis in vnitate, & vnitatis in Trinitate confessor, idemque Gallorum omnium probatissimus scriptor) *detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*, tamen habent præstructores Apostolos, & in his primores Petrum & Paulum. Hic enim Romanam Ecclesiam & in Romana cunctas docens, *omnem animam*, id est, vnumquemque, *potestatibus sublimioribus subditam esse constituit, non enim est* (ait) *potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: nam princeps Dei minister est, baiulans gladium vindicem in iram, ei qui malum agit*, eique tributa præstantur tanquam ministro Dei, quæ nec ipse CHRISTVS solui Cæsari vetuit, & exactus, per Petrum summatem Apostolum, pro se ipsoque Petro, & eius fidem quantoque secuturi, solui iussit. Ille verò Petrus, admonet quotquot in Ecclesia sunt, *subiici debere Regi, quasi præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam nocentium, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei*. Nec negligenter prætergrediendum est, quod Paulus principem gladii vindicis baiulum facit, vt ex gladio summam potestatem, & qua nulla sublimior est, intelligamus. nam & leges Romanæ, *gladii potestate*, merum vel summum Imperium circumloquuntur. Petrus autem, cum parendum Regibus tanquam præcellentibus iubet, in *præcellentia* summæ potestatis apicem,

quo

quo nihil est altius, exprimit, & vterque omnibus indicit soluendorum tributorum necessitatem, Petrus quidem facto, detractum pisci staterem pro CHRISTO, sique publicanis soluens; Paulus autem verbo, vt hinc quoque colligatur vacationem munerum, & immunitatem tributorum, quæ solenni pensitatione ab omnibus præstari debent, nulla lege, imo lege vetante, sacerdotibus, per supinos vel deceptos Principes olim præstitam, ad populi grauamen, quibus & sua, & immunium tributa pensitanda sunt & onera ferrenda: nam certum est si bene fiscales nouimus artes, id captiosa largitate vacationis agi, vt onus, quod sacerdotio decerpitur, oneri populari superindicatur. Qui ergo DEI electione, populi constitutione, vel hæreditaria sorte, regalibus solijs Reges insident, venerunt ad summum, nec habent quo crescere, vel prouehi possint altius. Regnum ergo summus est in Ecclesia gradus, cui omnes subesse, ad quem omnes sine vllo sacerdotalis vel proceritatis vel popularis status discrimine debent attendere. Hoc innuentibus Corona, quæ in circulũ acta caput Regium, cui superponitur, loco centri habet, ad quod, tanquam ad originem puncti omnes circumuoluti, id est, quæcunque regni membra referri, & ab hoc pendere debent. Item hoc præsignificante gladio, quod est supremi dominii symbolum, quem CHRISTVS iubens Petrum vagina condere, sacerdotibus detraxit, Regibus qui ante gesserant solis habendum reddidit, & in hoc summam Ecclesiæ, Regnique administrationem delegauit. Nouit hoc peculiaris nobis Rex & imperator Ludouicus, à iugi pietatis studio, Pius dictus, apud Ansegisum Legum eius scriptorem ad Episcopos dicens. *Quoniam complacuit diuinæ prouidentiæ, nostram mediocritatem ad hoc constituere, vt sanctæ suæ Ecclesiæ, & regni huius curã gereremus, ad hoc certare, & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus, vt tria specialiter capitula, & à vobis, & à nobis, Deo opẽ ferente, in huius regni administratione, conseruetur, i. vt defensio, exaltatio & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & seruorum illius congruus maneat, & pax & iustitia in omni generalitate populi nostri conseruetur.* Paulò post sequitur: *Sed quanquam summa huius ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & diuina auctoritate, & humana ordinatione, ita per partes diuisum esse cognoscitur, vt vnusquisque vestrum,* (ad Episcopos sermo est.) *in suo loco & ordine, partẽ nostri ministerii habere cognoscatur. Vnde apparet quod ego omnium vestrum Admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adiutores esse debetis. Nec enim ignoramus, quid vnicuique vestrum, pro sibi commissa portione conueniat, & ideo prætermittere non possumus, quin vnumquemque iuxta suum ordinem admoneamus.* Summa igitur ministerii, per Deum Regibus crediti, functio est, Ecclesiæ & regni cura: summus ergo Ecclesiarum, & secundus post Deum præfectus, Rex est, cuius sollicitudinibus in parte leuandis, suo quisque loco succenturiantur, & adiutores applicantur, in curis Ecclesiasticis sacerdotes; & popularibus negotiis, Regiæ cognationis, vel inferioris nobilitatis Optimates.

Hinc iam explorandum est, quantus sit in Ecclesia Rex, quod commodissimè fieri potest, si primæ notæ actiones, quas in Ecclesiastica cura, regni nempe parte potissima, per Reges in rem Ecclesiæ explicitas, in vnum velut indicem collegerimus, & electorem quasi in rem præsentem duxerimus. Dauid filii DEI & Saluatoris nostri exprimens imaginem, posteros Aaronis, nulla certa lege, nullo certo ordine, sacerdotali ministerio fungentes, in classes, vices & sortes distribuit, adumbrans Christianæ Ecclesiæ, quæ portio regni Christiani est, Regibus Christianis tantundẽ iuris esse, si quam contingat in Ecclesiastica functione, de confusione turbam surgere, vnumquemque suo ordini reddendo. Idem constituit hymnicines pangendis Dei laudibus, continua religione seruituros. Salomon eius filius templum, cui nullum par sequentibus temporibus conditum est, solennibus votis, frequentissimo totius Ecclesiæ Iudaicæ conuentus dedicat. Ezechias serpentem Æneum medendis serpentum ignitorum morsu appetitis Iudæis, Mosis obsequio, cælesti Imperio, pensili forma subleuatum, cum diuini obsequii fraude, adhibitis adorationibus popularites verteretur in Deum, deiectum vrit, & hinc elogio pietatis honoratur, nec vllius calumniæ nota sugillatur, quòd imaginem agendi in crucem CHRISTI sustulerit, & contumelioso nomine *Nehustan* vocauerit, nomen eius, id est, rem aeneam, seu vile quoddam æs & contemnendum, quasi admonens abutentes hoc idolo in contumeliam diuinitatis, nihil hoc aliud esse quàm æs. Iosias conflari pecuniam in templum Domini inlatam iubet, partirique in fabros, ad instauranda sartatecta templi. Ipse præsenti & quasi imminenti diuinæ iræ metu perculsus, inuentum Legis librum, sibi religiosus reus recenseri iubet, quin & impendentem Dei vindictam, neglectæ legis vltricem, prophetide Olda consulta, per Elchiam sacerdotem, piè importunus flagitator suspendit, & Regio culmini, sacerdotii rem & titulos iungens, ascendit ad templum Domini, omnibus viris Iuda vniuersisque, qui habitabant Ierusalem, Sacerdotibus, Prophetis, & omni populo, à paruo vsq; ad magnũ, comitibus, legit cunctis audientib⁹, omnia verba libri fœderis, sublimis in concionatorio gradu, & fœdus percutit coram Domino, vt custodirent præcepta eius, & testimonia, & ceremonias, acquiescitque populus pacto, & sic abolita imperiis eius per Elchiam Pontificẽ, & secundi ordinis sacerdotes, idololatria, verũ Dei cultum restituit, & diuinitus in pœnitentiã genti directus, aufert abominationẽ impietatis, vnde memoria eius in cõpositione odoris pigmẽtarii, omni ori, quasi mel indulcat. Et vt desinam, & rẽ ad initium, cuius pars exciderat, reuocẽ, ipse et Dauid, verè manu fortis, præludẽs Ecclesiasticis exorcistis, melodia citharæ; vltorem & flagellatorem Saulis dæmonẽ, indictis quibusdam feriis, sedat & placat. In ipso Euangelii limine, primitias Gentiũ, magi Reges piis iisdemque mysticis oblationibus, dedicãt, dũ census agit Augustus, dum turbatur Herodes, & omnis Ierosolyma cũ illo

soli cum pastoribus obsequioso cultu, Deum in puero agnitum, Episcopi ex Regibus adorantes, solisque muneribus loquaces Euangelium posthac literis mandandum, factis repræsentant, confessi verum hominem, Mirrha, quam mos est funeribus preciosis impendere: Regem Auro, per quod singulis quinquenniis, coronarii sumptus profligantur, & tempus regnorum diuiditur: Thure Deum, quo sacræ religionis maiestas, piis & odoris nubibus amplificatur. Audiunt Duces & præsides Cæsarum, Paulum de quæstionibus Legis concionantem, & Cæsaris tribunal appellantem, cum Apostolis Apostolum dimittunt ad Cæsarem. Regiæ sunt ergo functionis, adiuratio dæmonum, distributio sacerdotalium ministeriorum, dedicatio templorum, collapsorum instauratio, deprauati cultus, ad Legis regulas reformatio, ipsæ conciones publicæ, auditoribus etiam summis sacerdotibus, & prophetis, & vniuerso populo. Ad hoc quoque culmen pertinet, populum per vota & pacta probatis religionibus addicere, simulachra tollere, etiam iubente Deo dicata, cum in contumeliam eius coli cœperint. Quasi quidam sequestres & mediatores sua suorumque populorum vota, piis oblationibus Deo commendant, vero (ni fallor) & non adfectato, fungentes sacerdotio, & vel ipsi vel eorum legati, etiam legis quæstiones discutiunt, & hoc in summate Apostolo, cuius instantia quotidiana, fuit sollicitudo omnium Ecclesiarum: & vt in summam omnia iungamus, non frustra gladium portant in Ecclesia. Opinor enim quod & Romanis scribens Paulus, Ecclesiæ scribebat, non vni tãtum, sed vniuersæ, recordatus verbi Dominici, *quod vni dico, omnibus dico:* & dicens, *non frustra gladium portat, Dei enim minister est*, iubet siue est Sacerdos aliquis, siue antistes, siue monasticam vitam professus, iis cedi debere, quibus sunt magistratus mandati. Parabolæ etiam laudatæ fraudationis in villico, & vocatorũ ad dispungendas rationes seruorum, num inumbrant piorum Regum efficaciam & sedulitatem, qua fide administrentur res Ecclesiasticæ, suo iure discutientium? Sic cum notissima sint ex his, & multò pluribus, quæ nunc non occurrunt, insignioribus exemplis Regiæ potestatis, in Ecclesiis officia, nonne ambigere pudor est, an conuentibus Ecclesiasticis, ad ordines deprauatis moribus infames, instaurandos coactis ipsi Reges & adesse & præesse debeant? sed quia moribus antiquis restat Romana, & vi quadam fidem vrgent, & extorquent prompta ex probatis autoribus exempla, iam hinc:

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: iuuat integros accedere saltus,
Insignemque piis meorum petere inde coronam.

Et domestica ex vernaculis nobis conciliis, id est, Gallicis, Germanicis, Francicis, deinde Hispanicis & antiquioribus Græcis & Africanis exempla seligere, quibus ostendi possit Reges factis de religione Synodis, interfuisse & præfuisse, si non ipsos, at certe eorum legatos, præsentibus etiam Romanorum pontificum legatis: atque iam hinc ordimur. celebre dictum est, & omnibus Romanæ Legis, solidam cognitionem habentibus, in ore frequentissimum, eanos nostra facere, quibus auctoritatẽ damus. nec minus notum est, eos qui mandatam iurisdictionem suscipiunt, proprium nihil habere sed eius qui mandauit iurisdictione vti. Et quanquam prætor sit is, qui alienam iurisdictionem exequitur, non tamen, pro suo imperio agere sed eius cuius mandato ius dicit, partibus fungi. præterea vices agentium mos est, sic iudicum voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates, splendeant mutuato lumine, nitantur viribus alienis, & quædam imago in illis videatur esse veritatis, qui proprii non habent iura fulgoris. Nam & vicaria dignitas, ipso eius nomine, potestatis alienæ, se tradere indicat portionem: & iudicationis Regiæ solet & debet repræsentare reuerentiam. Toto hoc ergo tractatu, quo nitimur ipsos Reges, per se, conciliis interfuisse & præfuisse, ob oculos, ex actis eorum, cunctis ponere ita nos à beneuolis lectoribus exaudiri precamur: vt ipsi quoque Reges, vel adfuisse vel præfuisse, Synodis intelligantur, cum per Legatos interfuerunt & præfuerunt; vel cogẽdarum, Episcopis admonitores, & authores fuerunt.

Clodoueus, qui & *Ludouicus* Romanis, & nostratib⁹ Frãcis, & Gothis, dictus est *Lodois*, & Cassiodoro *Ludis*, veneranda Christianorum fide, Francorum primus muniuit imperium: & ab ipso sacro fonte, pene ad huc recens: & albis cælestibus candens, omnes ditionis suæ quotquot erant, probatos Episcopos, siue ii Mitropolitæ, siue Suffragatores, & secundæ notæ, sacerdotes forent, Regiis epistolis Aureliam accersiuit: in vnumque vocatis, & coactis conuentũ, titulos ipse præscripsit: quibus definitiones suas subscriberent, non de prophanis negotiis, sed de religionis catholicæ, & gloriosæ fidei cultu. his enim stimulis, Regios iussus expressos, ipsi suis epistolis testantur Episcopi. Qui etiam Regiæ potestatis ampliore testimonio, quæ statuerunt ab ipso Rege comprobari, & tanti regis consensu, ac domini maioris auctoritate seruanda, sententiæ suæ accessione, deprecati sunt. In Episcopis iussu Regio conuenientibus, non inuitam, vel extortam obedientiam, sed cælitus mandatam, ad testimonium Regiæ sublimitatis collige. Hinc enim scriptum est, *subiecti estote Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis, quia sic est voluntas Dei*: in Rege autem iubente sinister interpres, iuris alieni quoddam furtum, ne suspiceris: sed iustam Regii iuris executionem, ipsis inuocatis Episcopis testibus, pronus adora, qui rescribentes eidem Clodoueo, veri & obsequiosi Episcopi, profitentur se in vnum colligi iussos, à rege religionis catholicæ cultu, & gloriosæ fidei cura, excitato, quin & in eo, sacerdotalis mentis affectum veri interpretes agnoscunt, his propè testimoniis ex Rege sacerdotem facientes, sed & si dignabere, ad istorum quæ scribimus recognitionem, aliquando vacans, Synodi ipsius Aureliensis primæ, commentarios euoluere: vel nondum cognitum disces, vel agnitum, memo-

memoriæ tenacius figes, in ipsa Regiæ epistolæ subscriptione, ipsis etiam Episcopis Papæ nomen adscribi, omnibus tum sacerdotibus commune, sed seculi sequentis infelicitate, ne dicam, socordia, dum sinuntur omnia ambitioni licere, ita vni Episcopo peculiare factum, vt si quis id, vel nudis cogitationibus adtrectet: mox, nocentissimus sacræ Maiestatis reus, sacris omnibus excidat. Sed & habet illa epistola aliquid augustius, & tanti Regis animosissima & constantissima fide dignius, nempe, quod omnes à se vocatos Episcopos, ipse profitetur Apostolica sede dignissimos: vt hinc velle visus sit edicere, (& certè verè edixerit.) non illos tantum Episcopales thronos esse & vocari Apostolicos, qui fide, religione, doctrina, sint Apostolorum constituti, nempe Romanum, Ierosolymitanum, Antiochenum, Thessalonicensem, Philippensem, Colocensem, Ephesium, Galatum, sed & alios, qui à Vicariis & Apostolorum discipulis Doctoribus, ad agnitionem veritatis venerunt, esse quoque tam sancti nominis participes. Rem enim, (vt veritas exigit) exactè perpendentibus, quid aliud est Ecclesia, in numerosas sortes, ad ministerii felicitatem dispertita, quam vnus Domini nostri IESV-CHRISTI, & eius amicorum Apostolorum thalamus? quæ proinde, & esse & dici meritò debet tota & in singulis partibus, Christiana & Apostolica Ecclesia, siue sedes: vt & hinc quoq; certissima definitione statuatur, eos esse fures, & prophani altaris seditiosos excitatores, qui sedis Apostolicę parricidales prædones, rem & actũ sacri nominis sibi solis, per sacrilegium insolens, eripere volentes, aliis eiusdem functionis participibus abducunt. Hactenus de epistolis Regia & Episcopali eiusdem Synodi nobis scriptum sit, statim ad aliam nominis eiusdem progressuris: hoc tamen, ne excidat, quia huius seculi reprimendæ superbiæ, monitore spiritu sancto, scriptum est, ante adnotato, esse, scilicet vetitum sexto illius concilii capite, *vt nullus secularium, ad clericatus officium præsumat accedere: nisi cum Regis iussione, aut cum iudicis voluntate.* Solent vel natis iam morbis ad curationem, vel nascituris ad auersionem, parari remedia ex regulis & institutionibus medicorum. Spiritus ergo Sanctus summe solers animarum medicus, in sanctis illis Episcopis, iam tunc videns aliquos, numero satis magno, & seculo posteriore grassante licentia, exorituros longe numerosiore, qui ad excutiendas, quæ iure diuino & Regio, solent popularibus indici functionum necessitates, ociosæ quodam libertatis morbo contaminati, clerici fieri vellent, & in hoc liberum & immune clericorum consortium, clam subrepere ad fraudem tributorum & vectigalium: vetuit, ne ad hoc officii genus liceret accedere, nisi vel Regis iussione, vel iudicis voluntate, quæ sua essent, (si vellent) liberaliter remissurorũ. Seruatã par est credere longo tempore constitutionẽ, magno regis, maiore regni, maximo Ecclesiæ fructu & cõmodo Regis, cum illi per hãc immoderatã immunitatẽ sua non minuerentur tributa, vectigalia, & operæ Exercitales, regni, cum hæc leuius expedirentur imperata, toto corpore munera subeunte, nullis per immunitatis largitatem subductis. Ecclesię ne tantus adaugeretur, & adcresceret clericorum numerus, vt iam populo maior, sua numerositate laboraret & vilesceret, & fieret ad executionẽ maledicti prophetici, sacerdos sicut populus, & ociis clericatus beatæ immunitatis dilatatus, impinguatus, incrassatus, recalcitraret: q nos, in quos fines seculorum deuenerunt, non inuidentes ordini, sed indolentes eius deprauationi, maximo Ecclesiæ, Regis, Regnique detrimento vidimus, & prolixius, visuri sumus, si non excitetur Christianissimus Rex, ad autorem sui generis Clodoueum, & hauriẽs ex eiusdem sancti spiritus fontibus, Christianam audaciam, redundanti clero, metas ponat, tam necessaria restitutione renouata, statuens, vt qui iam facti sunt clerici, sic persistent, noui autem recentesq; nulli clericentur, nisi sua iussione, & iudicum suorum voluntate, testimonio Episcoporum ante probati, & tandundem de suis facultatibus, fisco addicentes, & subsignantes, quantum tota vita pensitare poterant. Et hoc Honorii & Maioriani Augustorum Romanorum exemplo, qui talibus clericalem redundantiam frenis luxurantem coercuerunt. Et quia multorum seculorum mos est, serias res annulis ad posteritatem obsignata mittere, annulum nobis huic adplicaturis parti succurrit Ecclesia iam tum morbo secularis superbiæ laborãte, Episcopos suas epistolas solitos annulis obsignare, vt hinc clareat solennes & quodammodo sacros ad honoris fulgorem, Episcopalibus digitis impositos, non esse solius spiritualis cum Ecclesia sua coniugii indices, sed & ad testimonium rerum datos. Collige & tu quisq; Tholosas es, metropoliticum nomen, nobilissimæ Tholosæ esse multo antiquius Iohannis secundi Papæ temporibus, qui non tantæ ciuitati dedit, sed reddidit, nominis eius insigne, annosiore temporis situ obsoletum. Nã & actis illius concilii subscribit Leontius Tholosanus metropolita. secunda Synodus Aurelianensis, in ipso actorum limine, profitetur *ex præceptione gloriosissimorum regum, de obseruatione Legis se tractaturam, conuenisse:* vt hinc fides constet, solenne tum fuisse, morisq; receptissimi, conuentus de obseruatione legis catholicæ disceptaturos, nunquam nisi regio iussu conuocatos. Ne autem de tacitis Regum nominibus ignorantiæ nubes offendatur, constat ex eiusdem Synodi subscriptionibus eam conuenisse, *nono Calend. Iulias, anno vigesimo secundo Domini Childeberti Regis*, qui fuit vnus ex præcedentis Clodouæi filiis, cui & in partem regni suffectus est, diuisione totius regni in Tetrachias facta, vel nondum nata, vel certè neglecta lege, quæ vel est vel fingitur, *Salica*, de solito primogeniti in regno primatu, nullis in partem regni consortibus admissis. Anno quoque regni eiusdem Childeberti Regis *eiusdem* vicesimo sexto, conuenit & aliud Aurelianum synodale concilium, ordine & numero tertium, cuius conuentus patres, duodecima sua definitione, agnouerunt Regium de rebus Ecclesiasticis, esse quoq; iudicium. Et præterea legibus Regiis, quas de rerum præscriptionibus dictauerunt anterioris temporis principes, suum locum in omnibus Ecclesiasticis ne-

Digitized by Google

otiis illa ętate fuisse. Iidē quoq; Episcopi, cum Iudæis, à die cœnę Domini, vsq; in secundā sabathi, id Pascha, hoc est, ipso toto quatriduo, procedere inter Christianos, neq; Catholicis populis se vllo loco, vel quacunq; occasione, miscere præsumant, sancta interminatione vetant: Item, *cum Iudices ciuitatum vel locorum, si Hæreticum aut Bonosiacum vel cuiuslibet alterius hæresis sacerdotem, quamcunq; personam de Catholicis rebaptisasse cognouerint, quia* (inquiunt) *Reges nos constat habere Catholicos, non statim distrinxerint, & ad regis fidem propterea distringuendos adduxerint, annum excommunicant, & abstinent;* propè fidem est, ætate eorundem Clodouæi filiorum Regum Synodum quoque hanc, iussu eorum conuenisse. Ex qua quoque hoc memorandum colligitur, Reges scilicet, iure suo, tanquam in hoc Dei ministros, esse hæreseon & hæreticorum cognitionales iudices, & iustos disceptatores, quibus ad istius iurisdictionis facilitatem iudices ciuitatum & locorum subseruiunt. Quinti quoq; Aurelianensis concilii, titularia inscriptio præfert eius Synodi patres hic conuenisse, *mandatis & præceptis eiusdem Childeberti Regis clementissimi.* (Hæc est Episcopalis adclamatio) *Principis, triumphorum titulis inuictissimi, sacræ fidei amatoris, & Christianæ religionis studiosi.* Ne autem ambitiosulus aliquis, principatus in Ecclesia Regii solidati, quid aut adroderet aut decerperet, in arctum quoddā cuiusdam partis, vniuersalem cogens manus scribæ velociter scribentis, id est, spiritus sancti iam inde sacrilegium prætereuertens interpretem, posterioribus olim seculis dicturum, Regibus præter congregationem, nihil in Ecclesiasticis licere conuentibus, in ipso actorum eiusdem concilii limine, cœlestem præscripsit sententiam. *Ad diuinam* (inquit) *gratiam referendum est, cum vota Principum concordant animis sacerdotum.* Audis Regum vota præscribi, sacerdotalem concordiam subscribi? vt Regis solo Deo minoris, pronus in sacerdotii quocunq; ad pietatem consensu & consessu, venereris apicem, & tantæ rei Deum (qui habitare facit vnius moris in Ecclesiæ domo) profitearis artificē. Sed ex episcopali calamo, præsule sancto spiritu, ad normam posterorum, pro disciplina ordinis Ecclesiastici, dictatas ibidem sententias, leges noueris esse Regias. Et cum decima illius sacræ Synodi cōstitutione sacerdotii venalitatem præmiis, veluti pecuniis comparatam, exauctoratione plecti, iussūq; ei, qui consensu cleri ac plebis ad Episcopatum lecto, regia subscripserit voluntas, episcopalis man' imponi dignitatis, legeris, ambigere desinas an Episcopalibus Synodis atq; ipsis adeo Episcopis (quibus in agmen sacrum conuenientibus, Synodi fiunt.) sublimiores, idest, Regiæ anteferendæ sint potestates, quas earū eorumq; tam ex imperio commeatuq; conueniendi, quam ex lecti Episcopi probatione, certissimos agnoueris authores. In hoc quoq; cōuentu (quod citra crimen omitti nō potest) videmus Regis Childeberti & Vltrothæ Serenissimæ eius coniugis ad Xenodochii perennitatem constitutioni subscribentes Episcopos, & quia iam morbus ambitionis, deprauatos Episcopos in ardorem cuncta sibi rapiendi concitauerat. Legem meliores Episcopi (qui tum conuenerant) de facto Principis, ad cuius exemplum, totus orbis subditus componendus est. Metas ambitioni determinantes, fixerunt ne futurus Ludunensis Episcopus vbi ad exceptionem peregrinorum, tam pius excitabatur locus, ex episcopalibus titulis, ipsum locum resq; ad eius instructū, Regia liberalitate, delegatas, sibi addiceret, & Regiæ potestati & posteritati detraheret. *Permansura*, inquiūt, *authoritate decernimus, regalis institutionis ordinem, de condito Lugdunensi Xenodochio, Domino inspirante, manuum nostrarum subscriptione firmantes, vt quod præfato Xenodochio aut per Regum obligationem, aut per quorumcūq; fidelium eleemosynam, collatum aut conferendum est in quibuscunq; rebus atque corporibus, nihil exinde ad se, quolibet tempore Antistes Ecclesiæ Lugdunensis reuocet, aut ad ius Ecclesiæ transferat: vt succedentes sibi per temporum ordinem sacerdotes, non solum de facultate Xenodochii ipsius, aut de consuetudine vel institutione nihil minuant, sed dent operam, qualiter res vel ipsius stabilitas in nullam partem, detrimentum aut diminutionē aliquam patiatur, prouidentes vt præpositi semper strenui ac Deum timentes decedentibus substituantur, & cura ægrotantium, numerus & exceptio peregrinorum, secundum indictam Legibus Regiis institutionem, inuiolabili atq; iugi semper stabilitate permaneat. Si quis autem quolibet tempore constitutionem sacrilegus & improbus præsumptor nostram obuius eludere tentauerit, aliquid; de consuetudine vel facultate Xenodochii fraudauerit, vt Xenodochium, (quod Deus auertat) esse desinat, vt necator pauperum, interminabili anathemate feriatur.* Cum ergo latas, in conuentibus Ecclesiasticis, iussu regio conuenientibus leges, regias esse constituerim', tantò sanctiores, quātò maius est habere subscriptores Episcopos, quā populares suffragatores, nonne palam est etiam regibus licere, in re pietati & proinde ecclesiæ maximè peculiari, nedum propria, i. Xenodochiis legē figere, cui ne suus quidē episcop' audeat obuiare, & hinc aliquid, in alios titulos transcribere, vel pietate forsan æquales, vel maiores? Et iure certè occursum est Diœcesanæ licentiæ, Ecclesia tum sanctiore & integriore, ne per fucum melioris operis, res in sumptus peregrinorum, sanctione perpetua, destinatæ, non iam Xenodochii essent, sed Episcopi, tituli alterius mendacio, rem suā curantis, & in alieno testamento sibi quid adscribentis. puto q; Ecclesia Lugdunensis Bernardi Castigatissimi, eruditissimi, & sanctissimi monachi, nobilis elogio, quod Apostolicarum traditionum semper tenacissima, & nullis vnquam, sibi dispar inconstantiæ motibus, Ecclesia (inquam) plena iudicii, diu summa religione, sanctissimam seruauerit constitutionem. Sed quia naturali quodam morbo, rebus bene constitutis, per diuturnitatem, vel posterioris seculi deprauationem, natiuus ordo deciditur, & alienus inducitur, exigit à me quam regio culmini debeo, fides, vt Regem meum, cui à Deo creditus sum, & à quo totus pendeo, ne quod dici solet regalibus suis aliquid ipse per Actorum suorum supinitatem detrahi sinat, & antistitem Lugdunensem, admoneam, ne laqueis anathematis horrendi circumplexus, de Xenodochia, id est, peregrinaria, suam (quod intolerabile est, vsitatissimum tamen.) faciat, aut quod est improbius,

dum vel

dum vel sua non curant, vel nesciunt Reges, vel in mulionum mercedes, vel deterioris notæ ministeriorum, deuoluat. Certus Principem non ægrè laturum, serui recta monentis officium, & antistitem Lugdunensem, supra natalium splendorem, religionis & pietatis dotibus cultissimum, non dedignaturum præsessoris sui, nomine & veritate sacerdotis, qui tantæ Synodo, & tam piæ constitutioni, & præsens adfuit, & subscripsit, auctoritatem. Et præterea spes est, qui mos est verè, (qualis est) illustribus, ampliora (si exegerit occasio) præstiturum, nempe, vt eiusdem sacerdotis solium dignus hæres insideat, & mentem exhibeat, curaturum ex tanti Regis, & tantorum Episcoporum lege, ne Lugdunensis Archidiaconus suo desit officio, quinimo sedulus operam det Laurentinum quendam nostro seculo restituens, insignem sacris martyrii & fidelissimæ dispensationis titulis, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum, singulis diebus Dominicis, vt necessitas vinctorum (secundum præceptum diuinum) misericorditer subleuetur, pro quibuscunq; tandem illi culpis, carceribus inclusi fuerint, competens victus de domo Ecclesiæ tribuatur. Et certè par est, tantam Ecclesiam (de Lugdunensi sermo est,) antiquissimo primatus honore, totis probatis liberis testatissimo, in hanc rem Lugdunensis primæ, secundæ, tertiæ, id est, sibi Lugduno, Rhotomago, Turonibus, & Senoniæ Lugdunensi ducem fore, vt deinde in totas Gallias restitutionem, tā pii, tamq; necessarii operis, inferni prædonis iniquitate, vel fraudatam, vel obliteratam, vel ereptā, fœlici propagatione exporrigat, & sarciat.

Migraturis ergo tandem nobis Aurelia, & in aliis quoq; Synodis nostratum ciuitatum, Regia iura scrutaturis, tantum super est, mitem & sincerum lectorem admonere, quanquam totis iis Aureliorum Synodis, ipsi per se Reges non interfuerint, tandundem tamen præstitisse, vel epistolis vel imperio collectionis. Si enim ex Euangelicis litteris, qui cum Deo colligunt ad authorem Deum collecta grati & officiosi collectores referre debent, à quo bonorum operum natales, progressus atq; termini sunt & manant, quomodo autorem Synodorum inficiari possumus Regem, quibus ipse & Dux & autor, colligendus fuerit? Bis tantum Parisios à nostratibus Episcopis conuentum est. Nā totidem Parisinæ tantum Synodi typis impressæ circumferuntur. Ex quibus posterior tantum nobis vsui futura est, seposita & interim dilata in aliam necessariam operam priore. In hanc ergo posteriorē conuenientes aliquot, cum suffragatoribus suis episcopis, Metropolitæ, Sabaudus Arelatensis, Cōstitutus Senonensis, Isichiꝰ Viennēsis, Nicetius Treuerensis, inuitante, & proinde authorante eodē Childeberto Rege, Saphoratum Episcopum Parisinū, per peccandi cæcitatē in præcipitia reatꝰ lapsum, ne cæcus cæcorum dux persisteret, gradu Episcopali dimouerunt, & claustris monasterialibꝰ iam addictum probauerunt, & diuina regiaq; authoritate, in locum vacantem, sufficiendi alteriꝰ Episcopi, Metropolitæ Senonensi, ad quem ordinatio pertinebat, potestatem fecerunt. Quale est & quanto dignū miraculo, Regiæ ciuitatis Episcopū, quadam Regis manu, in Episcopis huc eius iussu conuenientibꝰ præsidentis, Episcopum solio deturbari, & ad hoc culmen, viam alii præstrui? Nōne & hic sublimiorē potestatem, id est, Regiā, diuino iure, sua videmus exequentē? Ariberto gloriosissimo Francorū Rege, Turonibꝰ collectæ metropolitanæ, prætextatus Rothomagensis, & Fœlix Bituricensis, cum aliquot ex suffraganeis Episcopis, *conniuente eodem Rege, se in vnū conuenisse* profitentur, subiudicantes inconniuentia, per quam vtraq; sursum deorsumq; cōcilia pene iunguntur, corporis Ecclesiastici concordiā, in quo, velut in humano corpore, nonne monstrū esset, si caput (regia sublimitas) in pedes dimitteretur, & pedes in culmen capitis, insano delirio, vnde spectatum admissi risū continere non possent amici, subrigeretur? Hinc quoq; ergo necessaria statuendi occasio est, Regem quoq; in Turonico conuentu Episcopis fuisse conueniendi & definiendi authorem, nisi in contumeliā diuinæ constitutionis, ereptam capiti dignitatē pedibꝰ imprimere, & suprema, detrimēto totius ordinis ima facere velimus, reclamante eadem Turonica secunda Synodo.

Guntrannus Franciæ ditionis partiarius Rex, ex solidi regni diuisione, inter se & consortes Regiæ potestatis fratres facta, pietatis & religionis studiosissimus, duos (dum in humanis ageret.) conuentus Episcopales, Matisconem (regni sui nobilem ciuitatem) coegit. Priori ipse per authoritatem congregationis interfuit, socius Metropolitarum Episcoporū Prisci Lugdunensis, Artemii Senonēsis, Euantii Viennensis, Remigii Bituricensis, Syluestri Bizuntinensis, & aliquot eorū (qui ipsis suffragabantur.) Episcoporum. Ipsi autem bene conscii Regiæ in Ecclesia potestatis, & quantū debetur eiꝰ gladio, cuius non est (sacrarum litterarū testimonio) frustraneꝰ & ociosus baiulus, septimo definitionum suarū capite, conspirantibus in vnum concordiam sententiis, iā inde, seculi posterioris cōtrariam & plenam temeritatis licentiam subodorantes, edixerunt *secularē iudicem esse reis clericis, homicidiorum, furtorum, aut maleficiorum, proprium, germanum, verum suum & legitimum disceptatorem.* In homicido, omnium hominum cædem, quomodocunque, quibuscunq; artibus, dolis, ingeniis, in parētibus, filiis, liberis, seruis, ministerio diuino dicatis, popularibus clam vel palam, factam cōplectentes: in Furto, sacrilegia, prædas rapinas, & famosorū huiusmodi peccatorū nomina concludētes: in malefico venenorū scelera, carmina ad pelliciendas alienas segetes, & animaliū excidiū, designantes: quæ legē bene Docti, diuinitus id sancientem, vindice gladio coercenda nouerant. Sed & ipsi regiæ dignitatis veri & officiosi professores, dum Childeberti Regis Leges aliquot diebꝰ Iudæis publico interdicentes, & sacerdotibus suū honorē, ab alterius professionis hominibus equis desiliendo, capite detegendo, via cedendo proscribentes, agnoscūt: quid aliud q̄ hæc iuris regii, non vnde, vnde sed cœlitus, esse confessi sunt? posteriore Synodo Matisconensi Metropolitis eodem Prisco Lugdunensi, Bertechranno Burdegalensi, Emerito Ebredunēsi, prætextato Rhotomagēsi, Syluestro Bizō-

Digitized by Google

tinensi, Sulpitio Bituricensi, & aliquot ex eorum prouincialibus coepiscopis, & missis absentium episcoporum subsignantibus, & id Regii principatus esse vltro, (vt par erat) professis, idem Guntramnus Rex partis Frãcorum publico edicto potestatem episcopalem vocat *paternam*, vt in Ecclesiæ suæ filiis, quidam patres carnales in domo sua liberis, citra fasces, gladii minas & efficaciam, vim potius exerceant verborum, quam verberum, minores regia potestate, cuius est (exigentibus culpis) nõ verba tantum, sed & adhibere verbera, non tantum terrere sed gente, domo, patria, facultatibus, noxios absterrere; addens idem rex. *si obstinati peccatores, Episcopos monitores neglexerint insolentes, iuxta quod conditio causarum, aut excessus exegerit personarum, alios seueritate canonica corrigẽdos, alios vinculorum pœna percellẽdos, vt æquitatis in omnibus omnium ordinum hominibus, vigore seruato, distringat legalis vltio Iudicium, quos non corrigit canonica prædicatio sacerdotum.* Quin etiam sancit *clericorũ transgressiones, quantò illis pro diuino amore reuerentia maior impenditur, tanto acriore vindicatione plectendas.* præterea, (q̃ est diuinæ propè potestati par) decernit idem Princeps agente & impellente (vt dignũ est credere) spiritu sancto, vt *in omnibus diebus Dominicis, in quibus sanctæ resurrectionis mysterium veneramur, vel in quibuscunq; reliquis solennitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula, vniuersa plebis coniunctio, deuotionis congregatur studio, præter alimentarias causas, omnes ab omni omnino corporali opere suspendi, nec vllum litibus & iurgiis locum fore*, subiungens omnium episcoporum consensu suæ solicitudinis fore, socio Metropolita Lugdunensi, conuentib⁹ Synodicis locum definire, magno & insigni regiæ in Synodalibus conuentibus potestatis testimonio, terminumq; Edicto talem imponens. *Cuncta ergo* (inquit) *quæ huius edicti tenore decreuimus, perpetualiter volumus custodiri, quia in sancta Synodo Matisconẽsi, hæc omnia, sicut nostis;* (ad Episcopos sermo est) *studuimus definire, præsenti authoritate vulgamus.* Rex ergo legibus suis, diem alio die religiosiorum facit, sua & iudicium suorum potestate, passim omnes omnis ordinis homines, sibi à Deo creditos, Sacerdotes, Nobiles, Vulgares, deuios ad officiorum viã retrahit, reos obstinatos, amplius percellit, clericos homicidii, furti maleficiorumq; reos discutit, & plectit, & conuentibus tandem Synodicis, locum disponit & præfinit, nobili in Ecclesia, (vltra quam vix vlla est augustior) potestate.

Proximum matisconibus nos inuitat oppidum cabilo, & ipsum magno Episcoporum conuentu, ætate eiusdem Clodouæi nobile, vt & in sententiis eiusdem, regem ipsum, quis & quantus in Ecclesia sit, exploremus. Limen ipsum tanti consessus pulsantibus, & obuia fit prima sententia Gandérici Lugdunensis, Armentarii Senonensis, Donati Bizuntinensis, Vlfolendi Bituricensis Metropolitarum, & subscribentium sibi aliquot Episcoporum, agnoscentium Ordinatorem & Euocatorem Clodoueum Regem, Zelo religionis, & orthodoxæ fidei prouocatum: cuius & in epistola totius cõuentus, ad Theodorum (forte Arelatensem Episcoporum) qui vocatus, consulto per contumaciam defuerat, profitentur omnes Episcopi se præceptis Cabilonem conuenisse, vt ex his colligatur, fuisse tum communem sensum, nullas fuisse Synodales legitimas congregationes, si deesset vel euocatio, vel regia præceptio. Quin & hic non negligenter prætergrediendum est, quod super admissum iam olim in Ecclesia pœnitentiæ fructum, recenti decreto, & nunquam antea Gallis Episcopis tentato, noua introducitur agnoscentorum, euulgandorum, confitendorumq; peccatorum forma, Ecclesiis ante Gallicis, vel omnino nulla, vel rarissima, vel (quod procliuius credere est) incognita, per quam reus singula peccata, vltro, quasi indicem ex tabula legens, intimis contaminatæ conscientiæ recessibus & latebris, per linguam & verbum euoluat, pandat, exponat palam, & quasi numeret sacerdoti, qui velut indicator & præmonstrator, quo quæq; peccata pœnitentiæ modo, qua formula plectãtur & eluantur, præsignificet, indicet & præmonstret, vt hinc (quisquis es industrius & strenuus lector) agnoscis confessionem huiusmodi, temporibus Apostolicis esse nuperiorem, quod ex alia Synodo Cabilonensi (cum huc ventum fuerit) adnotabitur exactius, hoc tamen prædicto, confessionem (vt videtur,) auricularíam tum vniuersos sacerdotes, (qui Synodo intererant) nullo exemplo, neque re satis expensa recepisse.

Theodoberto quoq; rege gloriosissimo piissimoq; eiusdem Clodouæi per Theodoricum filiũ nepote, Aruernum conuenit alia Synodus, quę in ipsa actorum suorum fronte, authorem & mandatorem suæ congregationis regẽ profitetur, in tradita per manus fide & religione perstans, admittẽte, literis diuinis impellentib⁹, Regiam sublimitatem, vel per congregationis facultatẽ, vel euocationẽ vel præceptionem, vel per se, vel per legatos, epistolas, Synodis, & adesse posse, vel debere.

Carlomanus vno propè atq; altero seculo, quos recensuimus, principibus, recentior, languente iam regum Francorũ fide & fortitudine, solo regis titulo, eius æui rege minor, cætera Rex, non tamen vniuersalis, sed eius regni Francici portionis, quæ Austrasia veteribus Francorum annalibus, i. Orientalis Francia dicitur, frater Pipini, filius Caroli, vulgò Martelli, anno ab incarnatione Christi, septingentesimo quadragesimosecundo, vndecimo Cal. Martias, adhibitis in cõsilium seruis Dei, & Optimatibus Regni sui, Synodũ congregauit, ex Episc. Bonifacio, Burcardo, Reginfrido, Guntario, Witebaldo, Dadano, & Edano, *consilium daturis, quomodo Lex Dei, & Ecclesiastica religio, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruerat, recuperaretur*, (& quod mirere magis, quanquã res nota, vel quæ nota esse debet, nullum miraculo relinquat locum) idem refert Carlomanus, non obnitẽte sed agnoscente concilio sacerdotũ & Optimatum suorũ, singulis ciuitatibus regni sui singulos Episc. cõstituisse, & illis eundem Bonifaciũ Archiepiscopum super imposuisse, qui tum *Missus*, i. legatus erat *sancti Petri*, id est, Sedis Apostolicæ Romanæ. Præterea recenset statuisse Synodum anniuersariam, singulis suo iussu congregandum, *vt nobis* (ait) *præsentibus Canonum decreta, & Ecclesiæ iura*

restauren-

Digitized by Google

instaurentur, & Religio Christiana emendetur, & fraudatis Ecclesiis pecunia repræsententur. Quin etiã narrat falsos presbyteros, adulteros, & fornicatores Diaconos, & clericos Ecclesiis eleminasse, gradibusque pulsos, ad publicam pœnitentiam adegisse. Sed & præcepisse indicat vt (secundum canones) *vnusquisq; Episcopus admonente Graphione* (quem alia Francorum monumenta, *Comitem* & *iudicem* vocant) *qui & defensor est Ecclesiæ, populus Dei paganias non faciat.* Hæc exactius appensa, prodant æquis interpretibus, Principem illum summa suæ potestatis cognitione claruisse, nempe se eum fore, quẽ sibi à Deo creditæ gentes, vt sublimiorem potestatem agnoscerent, cui liceret accire Regni sui Episcopos in vnum cõuentum, non ad leues vel ludicras res, sed ad instaurationem religionis, per iniuriam anteriorum Princpum obliteratæ, cui etiam ius esset, singulis ciuitatibus singulos Episcopos præficere, & illis ministerii summum Doctorem pręponere Archiepiscopum, cui item potestas esset non aliunde emendicata, sed ab ipso cœlo data, collapsa Ecclesiæ iura instaurare, deprauatum Christianismum emendare, & fraudes Ecclesiis in pecunia, id est, in qualicunque re factas, sarcire, & petulantes veneria, vel alia lasciuia, clericos cuiuscunq; ordinis, exauthorare & gradu deturbare, Episcopisq;, quibus officium est auersos verbis ad officiũ reducere, (quoniã quid amplius nõ licet.) addere comites, & Iudices, qui neglectores verborum, ad officium compellerent asperitate verborũ. Ad summum tandẽ credidit idem Princeps suæ functionis esse, ne idololatria principali (vt ait Tertull.) Generis humani crimine populus suus in contumeliam creatoris inficeretur. & hic vacat futiliter quærere, an princeps, cuius in Ecclesia tanta sunt officia, Synodis pręesse, ipsis adesse & in eis summo & principe loco sedere debeat.

Præfari possum, quod pluribus in humiliore negotio familiare fuit, maius me opus mouere, & ordinem rerum mihi nasci maiorem. Ad Carolum n. Francorum Regem, eundemq; Romanorum Imperatorẽ, ventum est, magnitudine & rerum gestarum fœlicitate, prærepta ferme omnibus, & anterioribus & posterioribus gloria, sine pari, propeq; solũ, præterea pietatis & religionis studio, summos æquantem. Cui quantò animus in res diuinas fuit propensior, tantò in illis priorum principum incuria deformatis cura impensior cõponendis. Eius ergo iussu fraternitatis Episcopalis cætus Arelatum fuit adunatus, lectis in hanc curam legatis efficacissimis Iohãne Arelatensi, & Nebridio Narbonensi Archiepiscopis. Qui cum emendatione digna perspexissent, quã breuissimè fieri potuit adnotata, eidem Imperatori præsentãda decreuerunt, vt si quid esset ibi minus, eius prudentia suppleretur, & si quid secus quam ratio habet, occurrisset, eius iudicio emendaretur, & si quid rationabiliter taxatum esset, eius adiutorio, opitulante diuina clementia, perficeretur. In Carolo ergò iubẽte, sublimitatis Regiæ culmen cœlitus manans agnosce, in Episcopis iubente parentibus, obsequi veri & officiosi fidem, quæ iubet talem in regibus honorari potestatem, in Legatis, propone tibi principis imaginem, per illos Synodo præsidentem, in oblatione ad supplendum, emendandum & perficiendum, sub signa concilii veram confessionem, profitentis hæc omnia pœnes imperatorem Dei constituentis imperio fuisse. Cui quoq; ius sit vi, potentia & Regia manu definita complere, vt hinc decretorum Synodicorum principes, nõ inficietis executores. Obserues præterea (hoc æuo) Chrismati locum suum pro genere sacramenti nullum tamen authorem præferentis in Ecclesia fuisse. Arelatẽsi successit Synodus Turonica, in quam collectorum Episcoporum hæc vera professio est. *Quantũ piissimi Imperatoris nostri excellens animus diuinæ sapientiæ fulgore sit irradiatus, ad gubernandum præsentiũ rerũ statum, ipsius imperii sibi à Deo dati liquidò testantur negotia, quæ quanta sint industria administrata, prudentia ordinata, facilè vel ex eo præcipuè perspici potest, quod hic toto animo inuigilat, inuestigando, quæ ad pietatẽ & veram religionem pertinent. His igitur intentus, pios ac religiosos Dei sacerdotes, Ecclesiæ gubernacula, in regno sibi diuina largitate collato tenẽtes, saluberrimis exhortationibus admonuit, vt sibi commissos verbis & exemplis regerent, qui Turonis congregati pro paruitate nostra, quæ secundum Canonicam regulam emendatione indigent, distinctè per capitula adnotauimus Serenissimo Imperatori ostendenda.* Item eiusdem generis Epilogus, subscribentium hæc inconuentu suo à se in hunc modum ventilata, quæ vel stent, vel cadant eiusdem piissimi Principis iudicio. In hac iterum Synodo pœnitentiæ quæstio discussa est, qualiter hominibus vltra delicta sua profitentibus tempus abstinendi, & à communione Christiani cætus interim desinendi, præscriberetur, quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus, & indiscretè hæc iudicia proferrentur. Ideoq; necessarium videri, consultis ad sacrum Palatium congregãdis Episcopis, hinc aliquid certa constitutione, definiri & statui, & cuius antiquorum *liber Pœnitentialis*, potissimum sequendus sit, vt & hinc quoq; certa figatur regula, pro Regię in Ecclesia potestatis testimonio, in *sacro Palatio*, id est, Principis domo, quæri posse de pœnitentiæ ratione, rarò & insigni sanctæ Ecclesiæ bono, & huic rei quis potissimum sit è pœnitentialibus antiquorum libellis admittendus, libellis (inquam) quibus prisca sedulitas, singulis culpis, suas pœnas inscripsit. Sed ex hoc congregratis in illa Synodo Episcopis, incitatore & authore serenissimo Principe, conuenit, quod tamen præsentis ætatis (irato cœlo) non probat Ecclesia, vt quilibet Episcopus, habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subiecti erudiantur, prout capere possint, de fide catholica, de perpetua retributione bonorum, æterna damnatione malorum, resurrectione futura, vltimo iudicio, quibus operibus promerenda sit beata vita, & quibus excludenda, & vt easdem homelias, quisq; apertè trãsferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quò facilius intelligere possint, quæ dicuntur, sed hanc (vt dictum est) fœlicitatem seculis nostris inuidet Episcopalis insolentia, volens ipsa in cellam Domini vinariam, id est, sacrarum literarum libros, per claues sibi creditas, id est,

Digitized by Google

linguarum cognitionem, & concionum publicam libertatem, introire sola, & illam populis idiotis & vernaculæ tantùm linguæ sciis, sua cuiq; lingua vulgatã, incendiis, bonorum prædis, exiliis, cædibus prohibendo præcludere, eos qui hæc vel auderent, vel possent absterrendo. Est & in Cabilonẽsi consilio Regiæ in Ecclesia dignitatis & potestatis sublimæ testimonium, professione Epis. & Abbatũ totius Galliæ Lugdunensis subsignatum, qui quæcunq; adnotauerunt, ad sacratissimum Imperatorem nẽpè Carolum, referunt, *minus quidem plena, per sapientiã eius plenam supplenda, & rationabilia confirmanda*, vltro agnoscentes quodã eius Synodi capite sibi Episc. & regiis Comitibus post Imperialis apicis dignitatem, populi Dei creditã gubernationem, vt summus & primus in hoc ministerio grad' pœnes Regem sit, ipsis post illum secundis, & quoniam huic quoq; Cabilonensi secundæ Synodo, iugo penè intolerabili, visum est, fœdos impuræ conscientiæ recessus sacerdotibus reis & ipsis hominibus, nulla Dei lege, prodendos, replicata est, tũ de huiusmodi re disputatio & in hoc concordi ę termino, tandem quieuit piæ contentionis altercatio, quosdã, scilicet, solummodo Deo confitenda esse peccata dicere, quosdã verò sacerdotib. etiam profitenda esse percensere, ꝙ vtrunq; non sine magno fructu intra sanctam fieri Ecclesiam docent Episco. patres. Ita duntaxat, *vt & Deo qui remissor est peccatorũ, confiteamur peccata nostra, & cum Dauid dicamus, Delictum meum cognitũ tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi, dixi, Confiteor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et secũdum institutionem Apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem, vt saluemur. Confessio itaq; qua Deo fit, purgat peccata, ea verò qua sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata.* vnde colligere licet, primum quidem illa ætate solitos esse Christianos sua sacerdotibus peccata retegere, non vt hinc ipsa sibi parci & remitti fiderent, iam per factam Deo eorum confessionẽ, cõdonata sed vt per hoc disciplinæ genus docerẽtur qualiter pręscriptis per antiquos Canones pœnis, diluerentur. Non ergo remittebant auditores confessionis, professa peccata: quid n. (amabo) opus erat ocioso labore purgari iam purgata, & condonari remissa? Vimq; quibusdam pœnis exteriorib' eorumque eluendorum tribuere, summa Dei contumelia, solius omnium peccatorum sanguine, in hoc impenso, dilutoris & remissoris? Sed & hanc politiam geminandæ confessionis, si quis (suã antiquitati reuerentiam seruando) nolit obliterari, vltro non renitentes, ipsi quoq; sacræ vetustatis tenacissimi custodes cedimus, si soli, qui non norunt præsciptas singulis peccatis in canonibus pœnas, ad hoc se tantum prodere reos adigantur, vt illas pœnas doceantur, & Docti desinant. Cæterum quam superflua & inanis religio est, eum qui quid nouerit, id vt discat ad sacerdotem mittere? Qui dũ audit & docet scientem peccatorem, vel ingrato labore vexatur, vel alium nescientem fraudat: quod & nosse videntur iidem Episcopi, qui non perenniter vel iugiter hac operatione, i. peccatorum confessione pollicentur professoribus veniam, sed plerunq;, ambiguitatis incerto, suum iudicium calũniantes, & quodammodo deludentes. Et cum ipsi statuant modum pœnitentiæ, peccata confitentibus vel per antiquorum Canonum pręscripta, vel authoritatem sanctarum scripturarum, vel Ecclesiasticam consuetudinem, quæ omnibus patent, imponendum, quæso vana est insolentia eum, qui hæc omnia norit, ad sacerdotem ablegare, vel ad legendos pœnitentiales, libros iam merito eliminatos, qui eorum certi sunt errores, incerti auctores, cogere? postrema eorum est sententia, digna piis Episcopis, nempe cœlesti magisterio formata, qua monent, qui plenius nosse desiderat, quid generaliter, in omnibus, & ab omnibus, sequendum sit, quid vitandum, qualiterue inter sanctam Ecclesiam sit viuendum, sanctarũ scripturarum prata præcurrere non desistat.

Hæc agentes tandem ad locum adpulimus, vnde partem tituli, quẽ opellæ huic pręscripsimus, sponsionis & memores & debitores, exhibere suspensis longo desiderio lectoribus, queamus, nempè quis sit in Synodis ordo considendi sacerdotibus, Nobilibus, Iudicibusq; tandemq; quis constitutus locus. Hic locus est Magontina Synodus eiusdem Caroli Augusti ætate, frequentissimo cœtu, celebrati. præfantur ibi qui conuenerant Episcopi, *conuenisse sibi, de communi collegio clericorum & laicorum*, id est, vno Dei populo rei tantę capaci, tres facere turmas, sicut & fecisse literis mandarũt, narrantes, in prima turma consedisse Episcopos, cum quibusdam notariis, legentes atq; tractantes, sanctum Euangelium, Epistolas, & actus Apostolorum, Canones & diuersa sanctorũ patrum opuscula, pastoralemq; libum Gregorii, cum cęteris sacris dogmatibus diligenti studio perquirentes. Vnde statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum, sinceritate Doctrinæ & exemplis iustitiæ inconuulsum, largiente Dei gratia, perficere & conseruare possent. In alia autem turma consederunt Abbates, ac probati monachi, regulam sancti Benedicti legentes, atq; diligenter tractantes. vnde monachorum vitam in meliorem vitam, cum Dei gratia perducere possent. In tertia demum turma sederũnt Comites & Iudices, in mundanis legibus vulgi iustitias perquirentes, omniumq; aduenientiũ causas, diligenter examinantes, & quibus poterant modis determinantes. Tandẽq; supplices, ea quę paucis capitulis perstrinxerunt, authoritate regia, si pietas eius esse dignum iudicauerit, expostulant confirmari, & quicquid emendandũ erit emendari, vt ita emendata, sibi, cunctæq; Christianæ plebi, & posteris, ꝓficiant ad vitã, salutem & gloriã sempiternã: Per hoc ingenue profitentes, totas Synodos, eorũ ordinẽ in consensu, sententiis dicentis, & decretis exequendis, atq; adeò omniũ emendationũ, probationem vel improbationẽ de regiæ sublimitatis arbitrio, pendere. Subit Rhemensis Synodus, ad temporũ sancti & fortis illius Imperatoris Caroli felicitatẽ, par priori, in confessione Regię in Ecclesia potestatis, hoc tamen nõ incõcinne nec abs re amplius addẽs, hanc ipsã Synodũ, ab eodẽ rege collectam, more priscorum Imperatorum, vt hinc præiudicetur, ipsas quæ conuenerint citra regiam voluntatem Synodos, non fuisse legitimũ conuentũ, sed veteris moris (qui pro lege habend' est) pręvarica-

varicationem & insolentem contemtum. Synodus insuper ad theodonisuillam sub eodem Principe collecta est, Metropolitarum Coloniensis, Treuerensis, Remensis, cum nunciis reliquorũ Galliç, ac Germaniæ Episcorum, vbi digna seueritate, legem in hoc conscripta, sacrilegæ cœdes Episcoporum plexæ sunt, & Imperator, & pene omnes Galliæ Principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces, & Ecclesiasticus ordo cratificatorias adclamationes rependit Principibus, vt & hinc pars alia propositionis nostræ sibi constet, & quæstio exoluta sit, quid in conuentibus Ecclesiasticis Principes agere debeant, an adesse taciti, an disceptare, & subscribere? Et certè hic & statuerunt, & subscripserũt, mercedem piæ constitutorum gratiarum repensationem per ordinis Ecclesiastici laudes reportando.

Ludouicus superno munere victor Augustus, Carolique patris non impar virtutibus, sed & ipso mansuetudine superior, Imperiique Romani & Francici dignius hæres, Anno incarnationis Dominicæ, octingentesimo decimo sexto ad Aquasgrani palatium generalem sanctumque conuentum indixit, & selectis ex omni sacerdotum choro probatissimis, & doctissimis quibusque, suppeditata vbere librorum copia, regularem librum vitç clericalis professoribus, scribendum curauit, & lectum frequentissimaque synodo probatum, dignisque præconiis laudatum, Regia sacerdotalique sententia, statuit ab omnibus qui in Canonica professione Domino militant, modis omnibus obseruandum: hac opera testatum seculis posterioribus relinquens, pietatis & religionis studium, Regiæque sublimitatis in formandis & componendis cleri moribus, suæ pietatis officium, & indicans Regii throni futuris sibi successoribus, ne concessam cælitus Regibus potestatem, sinerent eripi, alioque per mendaciorum fucos transcribi. Ante monuimus (si memoria non fallimur) principibus indicendarum synodorum, sociis Metropolitis, prærogatione cælesti, ius fore, quod nec ipse Ludouicus religiosissimus imperator, aut prætermisit, aut ignorauit, aut in detrimentum Regiæ in Ecclesia potestatis, vel dolo, vel potentia cuiusquam sibi passus est intercipi. Nam anno imperii regnique decimo sexto, quo quique locorum, quibusque præsidibus sua præceptione conuenirent Episcopi, Regia in hancrem lege lata præscripsit. *Conuentus* (inquit) *Episcoporum debent fieri in quatuor locis, i. Maguntia, quo isti Archiepiscopi cum suffraganeis suis conuenire debent, Autgarius, Adebaldus, Hetti Bernoinus; Parisi, Archiepiscopi, Ebbo, Ragnoardus, Latramnus, Archiepiscopus Senonis qui fuerit, cum eorum suffraganeis: Lugduni Archiepiscopi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agarius, cum eorum suffraganeis: Tolosa, Notho, Bartholomeus, Adelelmus, Aiulfus, cum eorum suffraganeis*, Et quia per iuris cõmunis regulas, vocandarum synodorum prouincialium facultas est Archiepiscopis, ne cuiquam non iure suo, sed legum Canonicarum præscripto, tantus Rex, synodos ditionis suæ, suis quasque locis partibus esse videatur, Lector est admonendus, omnes prope synodorũ scripturas esse testes, nullas iure conuenisse, nisi vel imperante, vel inuitante, vel conniuente, vel dispensante cuiusque regni Principe, & ne in hac quoque parte ius quoddã pecculiare propriumque supra commune omnibus Francicis Regibus fuisse, aut inficietur ignorans, aut dissimulet sciens, petenda ratio est eius rei ex alia eiudem Imperatoris lege, quæ est legum eius Ecclesiasticarum vigesima quinta, ibi ergo quo quisque Archiepiscoporum loco, Regia legatione fungi debeat, cum præscribitur, & earum quæ supra cõmemorata sunt ciuitatum nomina designentur, singulare quid & speciale significatur, eorũ scilicet locorũ Archiepiscopos esse Regios quoq; legatos, sed in quam rẽ, & quid regia vice prçstituros? Nempe statis & sollennibus synodis attributorum sibi Episcorum imagine quoq; Regia præfuturos, ne per monstriquandam videlicet deformationem, suũ caput desit corpori id est suus subditis Princeps, ad Dei (post quem secundus est) conuentibus gloriam, rem, sic capitis & membri communem, vt tamen summa sit Principis cura, cæteris, ad oneris leuamen, in solicitudinis partem vocatis. Tituli singularis igitur insigni quadam nota, per illam legem ciuitatibus ibidẽ descriptis, præficiuntur ad curam rerum Ecclesiasticarum & secularium, duo Principis unius Legati ad indicium Regiæ vnius in vtraque parte,, potestatis, *Vesentioni*, quæ est anterioribus Romanis Maxime sequanorum, præficiuntur, *Heminus Episcopus loco Bernoini Archiep. & Monogundus Comes; Maguntia eiusdem ciuitatis Archiepiscop. Heistulfus, & Rotbertus comes; Treueris, Hetti eorundem Archiepisc. & Adalbertus comes; Colonicia Agripina, Adalbertus eiusdem Archiepiscopus, & Æmundus, Comes; Rhenis Ebbo Archiepiscopus eorum, quando potuerit & quando non licuerit occupato, Chrotadus Episcopus eius vice, & Gotfridus comes*, eorum tamen functione, ad curarum ministeriiq; facilitatẽ, intra sex Comitatus Rhemẽsem, Catalaunensem, Suasionẽsem, Siluanectensem, Beluacensem & Laudonensem circũscripta. Super quatuor verò reliquos Episc. ad eandẽ diœcesim Rhemensẽ pertinentes, i. Nouiomacensẽ Ambianensẽ, & Taruanẽsem, Rangarius Episcop. & Beringarius Comes præesse iussi sunt. senonib' (vnde mihi, qui hæc in literas mitto, materna origo est) Ieremias Archiepisc. & Ingobertus Comes; Rothomacho, Willebertus Archiepisc. & Ingobertus Comes; Turono, Landramnus Archiepisc. & Rotberdus comes; Lugduno tandem, Tarentasiç, Viennæ, Albericus Episc. & Richardus Comes præfecti sunt. Titulus aũt legis ardenti minio sancti spiritus igneum fulgorẽ repræsentante, collucens, q̃ functioni supra nominatorum conuenientẽ habet, consonantemque significationem. *De nominibus* (inquit) *locorum, vbi missi Dominici* (rem grandem grandibus quoque literis ad imaginem vetustissimi exemplaris, quod fuit beatæ memoriæ Leotherici quondam Seonum Archiepiscopi ipso Ludouico vix vno seculo nuperioris apices apicibus commetientes exscripsimus.) *legatione funguntur*. Cum *Missos* legis subeat in mentem familiare Romanis legibus nomen *Legatorum*, potestate par, solo vocabulo literisque solis & elementis impar; cum legens subiicis *Dominicos*, admitte Domini

vnius Vicarios, & audens authoritate legis ampliora, rerum vnius Reipublicæ, vniusq; populi, solis ordinum titulis discreti, curas, administrationem, compositionem, tranquilitatem noueris, vni Domino cælitus delegatas, & vt expeditius faciliusque transigantur, in duos sacri & popularis ordinis viros dispertitas, qui non sua, sed vnius aliena iurisdictione fungentes, suis actionibus, vni se militare potestati, vtrique ordini, cælesti imperio præstitutæ, de nomine Missorum & Legatorum fateantur. In Minii rubore, vim gladii Principalis agnosce, ad bonorum tranquillitatem, noxiorum Cruore rubentis, & tandem ipsum Dominum, vnde *Dominici* dicuntur & sunt missi, vtrumque rutilis vestibus (ex more) micantem. Et ignitum de minii rubore in eodem titulo fulgentis, sancti Spiritus (qui familiari literis sacris sermone, *ignis* dicitur) auctoritate, rebus humanis sacris popularibusq; præesse Principē fateare. Nam & hoc admonent formulæ quædam, in eiusdē Principis legib⁹, vel ecclesiasticis, vel (vt locutus est qui literis eas mandauit Ansegisus) mundanis. In quarum priore, sub titulo *de commemoratione eorum quæ ad legationem* prædictorum *missorum pertinent*, Princeps laudabili in Rempub. sibi à Deo creditam, sedulitate commendabilis, *admonet suæ sublimitatis vicarios, omnibus generaliter notum facere quæ sit eorum legatio, proponereque se, ad hoc esse à Deo missos vt si quilibet Episcopus aut Comes ministerium suum, quolibet impedimento præpeditus, implere non possit, vel si forsan vterque negligentius aliquid in sua functione fecerit, ipse certior factus, diligentiam suppleat impotentis, & interposita cognitione, manu, operaque negligentis tarditatem vel emendet vel excitet.* Constat igitur legatos Principum, Dei quoque (quo solo Principes sunt minores) legatione fungi: vt imaginem Principū referentes, non populares tantum Iudices, sed & sacerdotes, vel deprauatos corrigant, vel segnes excitent, vel noxios loco moueant, insigni Regiæ maiestatis & potestatis in vtroque ordine sacerdotali & populari, testimonio. posteriori vero constitutione, ipsis Regiæ potestatis actoribus, id est, Missis Dominicis, & Legatis proponitur, *qui esse in conuentibus populi totius, priore tractanda loco causa, nempe Christianæ religionis, deinde quid vel ex parte, in eius rebus neglectum sit, vel funditus omissum: vt neglectus, iugi & continua eorum cura sarciatur, & quod ad augendum fuerit, exactiore nixu consentientibus Episcoporum & Comitum strenuis & sedulis consiliis, propensissimè curetur, & tandem si quid in Christianis rebus, regulæ authoritatique diuinæ, per licentiam deprauationis abductum sit, in deuia deformationis, ac discordiæ, studiis vtriusq; ordinis Legatorum, sua forma, via, & concordia reddatur.*

Viguit quoque cælestis gratiæ munere, feruor auitus & paternus, in fælici filio Carolo, eius nominis, Francorum & Romanorum Rege secundo, qui auum patremque, genuinus hæres, pari virtutis totius imagine, referens, curæ imprimis habuit, ne suus religioni decor, sua regula, vel vigor deesset, vel quadamtenus minueretur, *etiamsi* (hæc vox est sanctorum Melden. concilii patrum) *digni peccatis huius ætatis Apostoli Nortmanni, ipsa Barbaria tum ferociores, infensissimiq; Christianæ pietatis hostes, incendiis vrbium, cædibus populorum, prædis bonorum obstreperent, auique prioris tranquillitatem, incursionis suæ nubilis obducerent.* Nam euocatis Vuenilone Senonum, Hincmaro Rhemorum, Rodulpho Biturigum, Guntbaldo Rothomagensium Metropolitis Episcopis, & eorum suffraganeis, primum Coloniam, deinde Lutetiam parisiorum, posthæc ad Theodonisuillam, postremo Lauriacum villam Regiam agri Andegauensis, subinde Beluacum, tandem Meldos, Anno incarnationis Dominicæ, Octingentesimo quadragesimo quinto, decimo quinto Calend. Iul. indictione octaua, considentibus & adsidentibus Franciæ, Germanicæ, & Gallicæ nobilitatis frequentissimis proceribus, primum sacerdotibus, ac Dei seruis, munificentiæ Regalis priuilegia stabiliuit, regali potestate, illustriumque virorum strenuitate, insuper Reipubl. iudicum monita fortitudine constituens, *vt suum quisque suo ordine ministerium, religiosis Episcopis, ad rerum sacrarum curam, vltro concurrentes & obuii iungerent.* Sed & omnium ordinum, siue eorum qui præerant Sacris Episcoporum, siue qui Rempub. curabant sublimiorum potestatum consensum, honori Regio, Regalique dignitate, suam sanxit regulam, fidem, sinceritatem & obseruantiam. Præterea non immemor, id quoque Regii iuris, per auiti paternique regni tempora, fuisse, vt lecti Clericali & Populari concordia Sacerdotes, soliis manu Regia, suis imponerentur: Concordibus omnium ordinum sententiis decreuit, *vt quandocunque DEO dispensante quilibet Episcopus ad Deum migraret, submota funditus peste Simoniacæ labis, sine dilatione, iuxta canonicam authoritatem, sedes vacans Episcopum à se regulariter designatum, & gratia sancti Spiritus consecratum, acciperet.* Monacharum composuit; Monasticenque professis, Abbatem eiusdem professionis præfecit, commendata iure Regio, monasteriorum cura: Episcopia, id est, domos Episcoporum, in peculiaria quædam diuersoria, semota hinc hospitalitate, per ambitionem mutatas suæ regulæ restituit: ornatasque & bene compositas Episcopis, pauperum subleuandis & solandis necessitatibus, redhibuit, Regiasque in his mansiones, iure Regio, per antiquitatem, in transitu constitutas, vltra quam par erat licentiores, ad temperantiam Regibus & Episcopis dignam redegit: manus insuper petulantis exercitus, Regem peregrè subsequentis, arctata in abstinentiam præda, coercuit. Iustitium sacræ parcimoniæ diebus, dum ieiuniorum Deo Christianus cœtus victimas litat, indixit, vtque liberius Episcopi quæ Christi sunt, docerent, iurgia, forensesque strepitus, ipsamque adeo causidicinam vetuit exerceri. Item circummeare sua territoria iussit Episcopos ipsos per se, non opera vicaria: facilitatem insuper ex alia, in aliam ciuitatem migrandi penè nimiam, in canonicæ regulæ modestiam restrinxit, abductum pene Metropolitanis sedibus honorem, statutis antiquarum sanctionum præstitutū, iussit à comprouincialibus Episcopis, omnem citra vllum detrimentum, redhiberi. Tandemque (vt par est credere) cælitus admonitus, & iam inde cācellos, licentiosis magistris figens in exponēdis prædi-

candisq;

tandisque diuinis scripturis, Catholicorum tantum & probatissimorum patrum sensus, vt quisque sequeretur, edixit, & impensiore cura, vocum nouitates prode, & prolatas, mox acerrimè coargui, & comprimi mandauit: Episcopisque Doctores dedit comites, sacrarum rerum cognitione, & pietate commendabiles, qui iuxta sincerissimum & purissimum sensum Catholicorum patrum, fidem, eiusque per sedulas operationes efficaciam, presbiteros plebesque presbiterorum, docerent, *ut domus Domini* (placet ipsius verba literaliter exscribere, vt impressius lectorum mentibus insideant) *quæ est*, inquit, *Ecclesia, sine lucerna verbi diuini remaneat*. Ac postremò, iuges & perennes, Ecclesiis suis adesse iussit Episcopos, propter sacra mysteria, vel ministeria fidelibus exhibenda. Vetuit etiam. Babtisma omnibus diebus licere, nisi supremæ necessitatis articulis, ad eius exhibitionem, pietas vrgeretur Christiana. Et vt tandem desinamus, Canonico nomini, id est, Clericatui, suam rem atque efficaciam reddit, tandem coactis omnium Episcoporum canonicis, esse quod vocabantur, vt regulari nomini, morũ par compositio responderet, secundum Aquensis synodi regulares institutiones à Ludouico patre, subscribente cætu, qui tum conuenerant, Episcorum, ante sancitas.

Videmur nobis (si non morosus aliquis lector obluctetur.) fecisse satis huius opellæ capitulis ex nostratibus, domesticisque Francicarum synodorum testimoniis, sed & cognatas iuxta sponsionẽ ex Germanicis concilii subscriptiones, prolixiore forsan tractatu collecturis concitatioris ingenii lector, parcat, placati & cunctantis faueat. Nam quid nimium in rebus diuinis, & in asserenda Regũ vera dignitate, videri vel debet, vel potest? cum huiusmodi labor, non tam gratulatio, quam debiti officii sit executio. Arnulphus & ipse gente Carlingus auos, incensu & stemmate generositatis suæ, Ludouicos, Carolos, Guntrannos Childebertos & Clodoueos computans, synodis duabus Mogontina & Triburiensi, suo imperio coactis, iure cælitus indulto, præfuit & interfuit, optimates habens sacrosancti huius ministerii Francicæ. Germanicæ, & Gallicæ nobilitatis optimos quosque Comites, qui & subscripserunt, facta tamen ante pollicitatione, se regis idem spondentis imperiis, mox executores adfuturos, compellendorum ad synodicarum sententiarum obedientiam detrectatorum.

Otho & ipse materna origine Carlingus, Ioãnẽ Romanæ sedis Episcopũ, *monstrũ* (vt huius tẽporis scriptor Liutprãdus scripsit Ticinẽsis) *nulla virtute redemptũ à vitiis*, ipse synodo Romanæ præsidens, cui clerus, Nobiles Optimates, plebis Principes, atque adeo ipsa selecta plebs adfuit, ore imperiali, diuina efficacia, subscribente clero & populo. solio Petri indignũ prędonẽ, meretriciis turpitudinibus contaminatissimũ, deturbauit: & detersa fœdi hominis rubigine, impio piũ, improbo probũ, Leonẽ Hirco suffecit Episcopũ. Et ne excidat, Lector piarũ rerũ curiose, si quando citatũ leges authorẽ, memento per verbũ, *placet*, summã synodali sentẽtiæ clausulã regali sermone impositã. Et cum Romana leuitas digresso principe, Leonẽ inconstãtia venali, solio põtificali deturbasset, recepto Ioãne statim reditu eiusdẽ principis, proteruiã coercitã, exauthorato imperiali iure, quẽ mortuo Ioanne suffecerant, Benedicto, dictũ, scriptum, & antiquis creditũ est, Ecclesiam, quæ si vna non est, nusquã est pro diuisione regnorum, nullam vel ferre vel sentire partitionem debere: sed vnam semper, suis absoluto orbe, nullo corporis interuallo, partibus constitutam & continuam persistere.

Hæc admonemus, quoniam fœlici adhuc, & nec dum in extremam ruinam lapsa Republica Romana, vnus erat Ecclesiæ status Galliis, duabus Germaniis, & Britannię. Imperii nempe Romani occidua parte ditioneque in trium prætoriorum summas præfecturas dispertita, Italicam, Gallicã, & vrbis tandem Romæ pręfecturam, quarum præfecturarum pręfectis titulus illustrium erat, quẽ obruta & in varias partes lacera Republica, reges externarum nationum, Francicæ, Burgundicæ, Vandalicæ, Alanicæ, Gothicæ, tanquam Augustum quid, & Romanæ maiestatis splendorem referens, sibi quisque inscripserunt. Porro suberant dispositioni viri illustris præfecti prætorio Galliarum, diœceses infra scriptæ: *Prouincia Galliarum decem septem. Viennẽsis, Lugdunensis prima, Germania prima, Germania secunda, Belgica prima, Belgica secunda: Alpes maritima, Alpes pennina, & Graia: maxima sequanorum: Aquitania prima, Aquitania secunda: Nouem populi: Narbon prima, Narbon secunda: Lugd. secũda, Lugd. tertia: Lugd. Senonia. Prouincia Hispaniarum septem, Betica, Lusitania, Callecia, Tarraconensis, Carthaginensis, Tingitania, Balaares. Britanniarum quinque prouinciæ, maxima Cæsariensis, Valentia, Britãnia prima, Britannia secunda, Flauia Cæsariensis.* Et cum iis omnibus per vnitatem regiminis, eadem esset in sua cuique portione, Reipublicæ regendæ forma, par quoque fuit in religionis ordine concordia, probat hoc Britannorum Episcoporum querimonia, qui labem Pelagianę superbiæ salutem suam sibi, summa gratiæ diuinæ contumelia, tribuentis, inuitato Gallorum Episcoporum suffragio, ex regni & religionis cõmunione sociorũ, nẽpe Germani Antissiodorensis, & Lupi Frecensis auxilio, pugnis duabus celeberrimis repressit, & funditus attriuit. Non ergo pręter rẽ, absurdũ ineptumque videri debet, si nos Galli synodos Hispanicas præfectorii nobis tribunalis olim societate coniunctas, & sacrorum nunc quoque socias, ad argumenti nostri discutiamus authoritatem, Gothis certè Regibus omnes coactas, sed Christianæ religionis pietate claris, & ad vsque miratum commendabilibus. Agebatur annus quintus gloriosi Gothorum Regis Reccaredi, (cuius in sequentibus futura mentio frequentissima est) cum aliquot sancti Episcopi, quibus sedis prærogatiua præses erat sanctitate pari Leander Episcopus, animi sacræque religionis coniunctione, Gregorio Romano Pontifici, eius nominis primo, deuinctissimus, agnocentes clericalem quoque castitatem Regiæ curæ cælitus, vt Ecclsiastica cætera, commendatam, Hispalim conuenientes placere sibi tertia definitione scripserunt: *Vt si Presbiteri, Diaconi, vel Clerici consortia extranearum, fœminarum, vel ancillarum familiaritatem, per admonitionẽ sui sacerdotis, non semouissent, seculi Iudices easdem mulieres permissu voluntateque Episcopi cõprehensas, in suũ sibi lucrum vsurparent, vt hoc vitium dũ impar est sacerdos inhibere, sufficeret potestas iudicialis coercere,*

Iurato tamen ab iisdem iudicibus sacramento, vt eas Clericis nulla arte restituerent. Quod si restituissent, ipsi iudices sacris abstinerentur. Mulieribus vero illis iuxta priorũ Canonum seueritatẽ, à sacerdote distractis, pretiũ earũ, indigentibus dispensaretur. Hac synodo fuit anterior Toletana tertia, regno eiusdem gloriosissimi piissimi & Deo Fidelissimi Reccaredi Regis, priore hoc augustior, quod omnium Episcoporum Hispaniæ & Calleciæ erat toto cætu frequentior. Cui huc omnes mandato eiusdem principis conuenerant, tam de eius conuersione, quam de gentis Gothorum relicto Arrianismo innouatione in Domino exultaturi, diuinæque dignationi pro tanto munere gratias acturi, cuius Synodi ne dum cuncta discutimus, qui placere & iuuare volumus, prolixitate sermonis inofficiosi denotemur, ad propositum commodas satis erit excerpere sententias. Ibi ergo in conciliis, quę ad vniuersalem fidei tractatum cōueniunt, Principes præloquuntur: certa & vera congregatorum illuc Episcoporum cōfessio est, collapsæ cætus Ecclesiastici disciplinæ, instaurationem curę & operæ regalis fore: Ipsosque adeo Pontifices, Regiæ gubernationi subesse: Regis item, nō aliunde quam cœli munere ius esse synodos Episcoporum indicere: & eorum, facta indictione, si nolint sacris legibus contumaces suggillari, officium esse, sedulo efficacique obsequio, nulla cunctatione. præsentes & frequentes adesse. Insuper ibi agnoscunt Episcopi, diuina prouidentia, per instantiam principum, pelli & deturbari obices Hæreseon: Ecclesiæ mores obsoletos in antiquum nitorem restitui: ordinemque canonicum, quem sacerdotalibus sensibus iugis, detraxerat obliuio, & quem ætas illa senescire fatebatur, diuino dono, eiusdem Principis obsequio, rursum patefieri. Ibi placita principum, pronunciante Notario, recitantur. Ibi pia professio est, idololatras vtriusq; magistratus Regii & Ecclesiastici, sedulis efficacibusque censuris coercendos; parricidas filiorum parentes, quos est alere tedium numerosos; vtroque iudicio seueriter distringendos. Et ne hæc Ecclesiastica videretur Regię per gratiam cessisse potestati fides est ex actis synodi, eiusdem Regis Reccaredi gloriam, iudicibus imperare dignatam, vt amouendum cum sacerdote tantum facinus diligenter curarent, & adhibita seueritate prohiberent. Gothi in hac synodo veterem perfidiam exuentes, Regem suum secuti, per vnctionem sacrosancti Chrismatis, & manus impositionem, sancto paracleto spiritu recepto, ex alienis Christiani facti sunt, eidemque Regi, sancta constitutione, quicquid ad componendum Ecclesię statum, mandato suo, fraternitas Episcopalis statuerat, confirmanti, subscriptores fuerunt hoc ordine. *Ego Reccaredus Rex, fidem sanctam, & vera confessionem, quam vna per totum orbem Catholica confitetur Ecclesia, corde retinens, ore adfirmans, mea dextera, Deo protegente, subscripsi, ego Balda gloriosa Regina, hanc fidem, quam credidi & suscepi, manu mea, de toto corde subscripsi*, Secutæ sunt regales subscriptiones, plenæ iucundæ pietatis & religionis, Episcoporum acclamationes: *A Deo æternum meritum vero Catholico Reccaredo Regi, à Deo æterna corona vero Orthodoxo Reccaredo Regi præsens gloria & æterna amatori Dei, Reccaredo Regi, nouarũ plebium in Ecclesia conquisitori, merenti veraciter Apostolicũ meritum, qui Apostolicũ impleuit officium.* Subscripserunt ét anathematisantes, hæresim Arriani dogmatis Anastasius, Murila, Viligiscus, Somnila, Cardingus, Bercilla, Arbitrus, Eruiscrius Episcopi olim Arriani, tunc primũ Christiani. Subscripserunt quoq; Gusinus, Fonsæ, Affrila, Abila, Eiarius, & oẽs illustres Gothorum seniores, & hac synodis decretis meta fixa, sancitũ est, vt semel in anno, in loco, quẽ Metropolitanus elegerit, congregarentur Episcopi: & illis in vnum conuenientibus, fierent sacræ societatis comites, locorum Iudices, & patrimoniorum fiscalium Actores; *Vt discant ex decreto* (inquiunt Episcopi.) *domini nostri Reccaredi Regis, quam piè, iustè, & humaniter, cum populis agere debeant, nec iniustis vectigalibus, & immoderatis exactionibus ipsos premant, sed potius à grauaminibus leuent, vt bonos populi tutores facere decet nec angariis, aut operis superfluis, vel priuatum onerent, vel fiscalem grauent. Ex regis insuper admonitione prospiciant Episcopi qualiter iudices cum populis agant, præmonitos corrigant, insolentes Principibus reos deferant, pertinaces (donec resipiant.) communione suspendant. Vtrique tamen, Episcopi, Iudices & Actores regalis patrimonii, non ante concilio excedant, quam locum elegerint, quo succedente tempore, ad concilium redeant.* Hic habes Lector bonam partem Sponsionis nostræ plena fide præstitam, scilicet, Iudices populares, & rei Regiæ priuatæ, & fiscalis Actores, suo iure, non nuper à temeritate, sed antiqua constitutione, synodorum Episcopalium, & esse participes & capaces, nempe ipsos Regii corporis partem, cui Regi, cælestis muneris prærogatiua, in conciliis locus, tanquam populi sibi à Deo crediti, vel factis addicti, vel vacantis, capiti destinatus est. Hispalim iterum conuenerunt, Sisebuto Rege, Isidorus, Bisinnius, Rufinus, Cambra, Fidentius, Theodulphus, & Honorius Episcopi. Ibiq; in cætu ad Ecclesiasticas necessitates, non omnes sed quasdam coadunatorum Episcoporũ, illustres viri Sisibutus rector rerũ publicarum, & Sualanes Actor rerum Fiscaliũ, loco suo, ipsis Episcopis consederunt. Non ergo solis intersunt iis Synodis sublimes seculi magistratus, quæ pro generali Ecclesiæ statu cōponendo, coguntur: Sed & iis, per quas in partem, nonnullis Ecclesiæ rebus datur opera reformandis, & quod ad deprimendũ clericale supercilium non est vsquã clarius adnotatum, sedentibus seculi potestatibus, stat religiosissimus Clericatus. Toletũ quartò conuentum est, annũ iam tertiũ regnante gloriosissimo principe Sisenando, Nonis Decẽbribus, ab Hispanis & Callecis Sacerdotibus, iussu imperioq; commonitis Regio. Et tum cōsentientibus omniũ sententiis, duo quædam decreta sunt, propositæ quæstioni lucẽ plurimam adferentia. Prius vt pro cōpellendis Iudicibus, vel secularib' viris, ad Synodũ, strenuus à principe postularetur executor. Posterius vt hora diei prima ante solis ortum, oẽs eliminentur Ecclesia, & conuenientes Episcopi, pariter introeant, & secundũ ordinationis suæ tẽpora sedeant: vocentur deinde presbyteri, quos causa probauerit introire: post hos ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Post Episcopos, presbyteri sedeãt: Diaconi in conspectu eorũ stent. Deinde ingrediantur Laici, qui cōcilio interesse lecti meruerint. Ingrediant

Digitized by Google

quoque Notarii, quos ad recitandum, vel excipiendum ordo postulat, sedentes in diuturno silentio sacerdotes, ad oratione͂ vocet Archidiaconus, Oratione finita & ab omnibus, *Amen* reddito, monens Archidiaconus Episcopos, dicat, *Erigite vos*. Codex canonum sedentibus Episcopis in mediu͂ proferatur: capitula de conciliis agendis pronuncientur: Metropolitanus Episcopus conuentu͂ adloquatur. Tertium quoque quod ex iis subnotari meretur, & lectoribus ob occulos poni, est, iam olim vsitatum esse, legi ad concilium Episcoporum probatos laicos, non officio quidem gratuito, sed iure debito, Vt cum vna sit duorum ordinum Ecclesia, si desit alterius ordinis, vel pars, non iam sit Ecclesiasticum concilium, sed particulare contubernium. Ibidem, præterea (quod ante iam commonuimus) pręcepto excellentissimi Sinsenandi Regis, idem co͂stituit sanctum concilium, vt omnes ingenui clerici, pro officio religionis, ab omni publica indictione, atq; labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruiant nullaque præditi necessitate ab Ecclesiasticis officiis retrahantur. Vnde probatio est, clericos publicis necessitatibus (si Regio munere non fiant immunes vacationemque meruerint) succedaneos esse cæterorum popularium imagine, quibus hęc est cælestibus imperiis subeunda functio & religiosa tantum frequentia piis admonitionibus ad Regem co͂muniter factis, soluitur. *Te quoque* (Episcopis inquientibus) *præsentem Regem ac futuros ætatum sequentium Principes humilitate debita deposcimus, vt moderati & mites erga subiectos excitantes cum iustitia & pietate populos a Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qua vos nobis præstitum largitori Christo repe͂datis, in humilitate cordis, cum studio bona regnantes actionis. Nec quisquam vestrum solus in causa reum sententia feriat, sed co͂sensu publico, Rectoribus iudiciis sociis, manifesta delinquentiu͂ culpa clareat, seruata à vobis in offensis ma͂suetudine: vt non seueritate magis in illis quam indulgentia polleatis, vt du͂ omnia hac* (*authore Deo*) *pia à vobis moderatione conseruantur, & reges in populis, & populi in regibus, & Deus in vtrisq; lætetur*. Tande͂ annuente religiosissimo principe, definitionibus co͂cilii subscribitur. Vnde quoq; probatur, annuente͂ principem, sua quibus consensit, fecisse decreta, claro regiæ potestatis in Ecclesiasticis conciliis testimonio, principes, ipsis conuentibus vel summos præesse, vel certe summate loco subscribere. Quinta quoq; synodo Toletanæ, gloriosus princeps Chintilanus rex, agens annu͂ primum sui principat' interfuit, sociis Optimatibus & Seniorib' Palatinis. Synodus e͂t Toletana sexta secundo eiusde͂ Chintelanis anno coacta est, 6. Idus Ian. quæ multas, iungens cum ipso principe, optimatibusq; eius illustribus, censuræ consortium, pietatis plenas constitutiones, ad obsequiu͂ fidemq; Regis pertinentes, sanxit & constituit. Braccara̅ præterea Callecíæ prouinciæ Metropolim ciuitate͂, præcepto gloriosissimi regis Ariamiri, Cal. Maii conuenerunt Lucretius, Andræas, Martinus, Cottus, Hildericus, Lucentius, Timotheus, & Maliosus, quibus, aspirante domino, Regalis sublimitas concessit simul positis considere, & contagione͂ Priscillianicæ pestis è præcisis iam stirpib' subnascente͂ reuellere. Secu͂da ite͂ Braccarensis synodus eiusde͂ regis Ariamiri, anno 2. 18. Cal. Ian. inspiratione Dei, ordinatione & præcepto eius, repræsentata est 7. e͂t Toletana synodo cum ageretur annus Chindasuindi regis V. Cal. Nou. repressæ sunt clericales in regiam sublimitatem conspirationes. Sed & Reccesiuntus veræ clementiæ dignitate præcipuus rex, sacrum 8. in ciuitate͂ Toletanam coegit conciliu͂, & media synodo primu͂ accliuis, deinde sede Regia sublimis, gratulatus est Episcopis, quod sua iussione conuenissent, & illustribus ex aula sua Regia viris, quos sanctæ synodo primatus interesse, iam dudum constitutus voluit, vtrisque diuini nominis adiuratione constrictis, *adiicio* (inquit) *consensionis meæ, verum plenumque promissum, vt quodcunque iustitia aut pietati salutarique discretioni, vicinum decerneret sancto consensu elegeritis omne* (*fauente Deo*) *perficiam & aduersus omnimodam controuersiarum querelam principali authoritate muniam*. Sunt hæc (si non fallor) plenissima testimonia Regis suo iure Synodum accersentis & eodem iure Synodicas constitutiones exequentis. Huic quoque Synodo subscripsere post Episcopos, Abbates, Vicarios Episcoporum, viri illustres officii palatini Odoacer, & Odila Comites cubiculariorum, Aduulphus, Gabillo, Adaculphus, Gilla Commites, Paulus Comes Notariorum, Ruchila Comes patrimoniorum & frequentissimi Goticæ Nobilitatis proceres, titulis Ducatus, & Comitatus insignes, Nona synodus Toletana anno septimo eiusdem Reccesionti Regis Cal. Nouembribus, definientibus Episcopis sexdecim, alienorum votorum frustratores, qui certis adfixerunt locis sua beneficia, vt maneret, differentium gratia, vel ab Episcopis vel à Iudicibus seculi, corrigendos censuit. *Si autem* (*quod auerteret Deus*) *per sceleris societatem, vel Metropolites conniuerent, ad regias aures in castigationem noxia fraudis compellendas, vene͂dum posteritatem admonuit*: certa probatione regiæ in votis fidelium potestatis, si vel in totu͂ fraudentur, vel locis interpolentur. Anno 8. Toletana Synodus 10. gratias agit *glorioso rerum Dn. Reccesiunto regi, cuius sanctissimo voto retenta sancta paternitatis traditione, ad sacrum potuit adunari conuentu͂*, quem pia & vera professione sanct. (qui huc conuenerunt) Episc. claudentes, dicunt eiusdem gloriosiss. principis inhærente voluntate religiosa, quicquid decreuerunt, Actorum se textibus adligasse, & subscriptionibus confirmasse, de moribus per antiquam traditionem receptis, authorem decretorum suorum principem, vel certè participem facientes. Collecti posthæc, in nomine S. Trinitatis Episcopus Carthag. prouinciæ, Toletu͂. Vuambani Regis, anno 4. 7. Id. Nou. *Eramus* (inquiunt) *hucusque pro colluuione seculi labentis instabiles, quia series annosa temporu͂ subducta luce conciliorum non tam auxerat vitia, quam matrem omnium errorum ignorantiam, mentibus otiosis ingesserat. Hactenus florentem Domini vineam deuastarunt apri frendentes sponsam Christi, quam sui preciosissimi sanguinis effusione, sibi conciliari conspirans hæreticorum subdola machinatio, inconsutile͂ Domini vestem diuidere, vnitate͂ fidei scindere*

Digitized by Google

charitatis fomenta tollere, conata est: Proprioq; sensui pertinaciter inhærens, sacræ scripturæ puritatem suæ prauitatis intelligentia prophanauit. Præterea sacrosanctam Ecclesiam Dei vulnerant, etiam custodes eius, qui cum deberent ob dignitatis excellentiam cæteros ad charitatis & vnitatis obseruantiam, per exempla virtutum prouocare, sal infatuatum facti potius scandali quàm ædificationis suggerunt materiam. Cernimus hinc, quo Babylonicæ confusionis olla modo succensa, nunc auerterit & subduxerit conciliorum tempora, nunc sacerdotes Domini resolutis moribus, purpurata secutos incitamenta meretricis irretiuerit, nempe quia conuentus Ecclesiastici defuit disciplina: nec adfuit qui castigaret errantes, sermone diuino non tam neglecto quàm exoso: & sic cum defuerit pontificibus in vnum conuentum vocandis Regia præceptio, facta est deprauatorum vita totis sceleribus immanis. Cum tandem diuina clementia, praua in directa deplanans, negligentia diligentiam subrogans, ignorãtia disciplinam sufficiens, socordia solertiam, schismati veritatem substituens, pro zizaniis vera pacis vincula nectens, pro caducis cælestia, pro turpibus honesta desideria suscitans: In hacque lachrymarum valle mortuos potius quàm viuos, à terrenis & infimis ad sublimia nos erigens: in hoc vasto periculorum mari, sine remige, vagos sine clauo, huc illucque tempestatum collisis inter se fluctibus per abrupta iactatos, in continua malorum acie confligentes, vbi versutissimus insidiatur hostis, mille instructus nocendi artibus, ex alto cæli domicilio prospiciens & tempori ætatis nostræ se pronam dimisit, & excitauit saluti præparans nobis religiosi principis mentem, deuotam pariter & instructam. Cuius prouida solicitudinis voto, & lux Conciliorum renouata resplenduit, & alterna cætus nostri charitas, se mutuò vel corrigendis, vel instruendis moribus adparauit, dum & aggregandis nobis hortatu Principis gloriosi facultas data est, & opportuna supparata est disciplina reformandis Toletum ergo diuinæ voluntatis Imperio, & religiosi Principis iussu, euocatorum Episcoporum, quàm pia quàm hæc vera professio est, agnoscentium cælestia in euocatione Principis imperia, eiusdemq; prouidentiæ solicitudini, redditam Conciliorum lucem ad sarciendas Ecclesiæ clades, redhibentium. Dum moratur princeps synodos inuitare, qui legis tot vitiorum sordibus Ecclesiam fuisse deformatam, num ipse quoque vel coactus fateris suam Synodis à cælo per Regem authoritatem manare, quibus obliquitate querimoniarum Synodos non vrgentibus prope imputari vides Ecclesiasticam deprauationẽ? Cęterũ si nec author, nec socius, nec inuitator, nec confessor, nec censor, nec subsignator Synodis & esse, & adesse & pręesse per Deũ debet Rex, vnde profiterẽter Episcopi, modo, diuinæ voluntatis imperio, iussu Regio, se ad instaurandos Ecclesiæ mores conuenisse? qua etiam ratione præfantur se prouidæ Principis solicitudini, restitutam conciliorum lucem debere, si nullam iis adgregandis, vel operam, vel curam vel debet sedulitatem? Sed ne sanctæ confessionis veritatem, vllo sinistræ suspicionis aculeo lacessas, cunctare, & audi decima quinta eiusdem synodi definitione sancitum: *Vt omni anno, ad peragendam concilii celebritatem (tempore quo principis, vel Metropolitani definierit electio) deuotis animorum studiis, in sedem Metropolitanam, ab Episcopis confluatur, annali (si defuerint) nulla Regis præpediti potestate, vel ineuitabili necessitate, excommunicatione plectendis,* Hic tempus Rex & Metropolites definiunt Synodis, & absentia sacerdotum adesse negligentium, nulla potestatis Regiæ, vel ineuitabilis alterius necessitatis iustitia nitens, abstentione mulctatur, vt discamus & inuitationem atque adeo ad Synodum indicto tempore coactionem, & detrectatorum castigationem, Regii & Sacerdotalis esse iuris, ne deinde vacet quærere quid Regibus & Synodis sit commercii. In quorum diuino munere manum totas semel Synodos legimus esse traditas. Id eiusdẽ Synodi sanctis & piis sacerdotibus, hac plena pietatis adclamatione Principi Vuambano facta, sic profitentibus, *religiosus & amabilis Princeps Vuambanus (Ecclesiasticæ disciplinæ suo seculo nouus reparator) omissos conciliorum ordines non instaurare solùm studuit, sed annuis etiam recursibus celebrandos instituit, vt ad alternam morum correctionem, annuo tempore concurrentes Episcopi iuxta Prophetæ vaticinium, quod defractum est, adligent, & quod abiectum est, reducant.* Duodecima primo anno, Decima tertia anno quarto, Erigii Regis Toletanæ Synodi hoc habent institutæ operæ conueniens, quod Episcopi huc vocati, iussu Principis se conuenisse profitentur. Sed & hic consident Seniores Palatini, Principique, Synodali confessione, tanquam verè suum quid Episcoporum electio subsignatur, & tandem ex aulæ regalis officio, sublimes aliquot viri, ad consessum, tractatum, cẽsuram, subscriptionemque Synodales deliguntur, quibus se quoque consessurum Rex ipse pollicetur.

Circumduximus oculos officiosæ mentis, prope per omnes alicuius momenti variarum gentium Synodos, regiæ dignitatis in his, explorata in Ecclesiis earumque rebus, sublimitate: quia tamen nobis est cum prudentissimis exactique iudicii viris res futura, ne causentur medii seculi, (cuius eæ Synodi fætura sunt) Episcopos, infra prioris seculi Ecclesiarum magistri in imum propè puluerẽ, vel meticulosos, vel gratiosos, vel suæ functionis parum callentes elanguisse, & Principibus, (queis familiare vitium est efferri supra se, in magnis & mirabilibus ambulare, & plus quàm par sit, velle, in eum, qui supra recensitus est, Principatum, viam aperuisse) superest nobis huius opellæ reliquias in hoc occupare, vt medii seculi Episcopos suis maioribus respondisse, illorumque fidem secutos, in Ecclesiis locum Principibus solo Dei loco minorem, suo iure subscripsisse, nec illorum gratiæ quicquam cessisse, vel dedisse doceamus. Et quia commodissimus docendis vel admonendis modus est, ex coniunctis authoritatibus ad doctrinam, vel monitionem gradum præstruere: videmur nobis operæprecium facturi, si antiquas etiam Gallorum Synodos superioribus anteriores discusserimus, vel vicinas Germanicas, & prope (si non interueniret Rhenus) coniunctas. Sumatur ergo nobis in manum Synodus Coloniensis, damnando Euphrati coacta, quarto Idus Maias, post consulatum Amantii, & Albini: in ipso cuius limine, dilucet Episcoporum professio, ius (hoc æuo) plebibus etiam

fuisse

fuisse sacerdotes in Synodum cogere, repressuros, qui Christum negassent, hæreticos. Nam hic recitata fuit epistola plebis Agrippinensium, qua excitati Episcopi ad damnationem deploratissimi illius Euphratis conuenerunt, Anno Constantii Imperatoris octauo: in qua & illud suo pondere loco; fraudandum non est, quod ex subscriptionibus laicorum, loco deiicitur absens & inauditus Episcopus. Certè si tantum plebi laicisq; hoc æui licuit, nihil plebis laicorumque Principibus licuisse minus statuendum est, ne capiti in sua membra Principatum impudentissimi fures rapiamus. Arausicam, Decio rumore viro clarissimo Consule, Galliæ prouincialis ciuitatem, conuentu Synodico decoratam fuisse, veteres produnt historiæ, Cæsario pietatis & sacrarum literarum laude, tum Arelatensi inter cæteros commendabili Episcopo. Occasio autem Synodi fuit dedicatio Basilicæ, ad quam Episcopos inuitauerat illustriss. Præfectus & Patricius Liberius. Sed alia non inferior causa Synodum commendabiliorem fecit, i. Pelagiani veneni lues, arrogansq; supercilium, gratiam Dei negantis, salutemq; suam sibi adserentis, opposito sanæ Doctrinæ pharmaco, repressum ne serperet, & iam prope nascens in ipsis cunis suffocatum. Et *quia definitionem* (ait idem qui Synodo præfuit Cæsarius) *sacri conuentus non solũ religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus & cupimus, placuit, vt etiam illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatem cõuenerunt, subscriberent. Petrus ergo, Marcellinus, Fœlix, Liberius, viri clarissimi & illustres Præfecti prætorius Galliarum, atq; Patricii subscripserunt.* Vnde fides est, anterioribus etiam seculis, ad considendum, censendum, suscribendumq; suis Regibus, & Regum Præfectis, in Synodis Ecclesiasticis, locum fuisse, eumq; non ad inanes, vel ociosas res, sed in tantæ grauitatis, quanta fides est gratiæ, per quam si non renascimur, & renati in æternæ gloriç municipatum, & perpetis immortalitatis coronã reformamur iræ filii mansimus, futuri perpetuis ignibus in cibum, & combustionẽ. Cantatissimæ toti orbi Synodo Nicenæ, fuit author (& vt aliquid cum lectoris venia dicatur amplius) præformator, confessor & præfuit censor, quamuis humiliore throno, Constantinus veriore per religionem quam per imperium titulo maximus. Priuata sacerdotum iurgia, libellis oblatis vulgata, in Christum, totius seculi verum iudicem distulit, hoc testatus facto, non sibi iudicandi defuisse potestatem, qui dissidentes Episcopos moderat ore, futurũ Dei forsan acrius iudicium, nolentes per imperatam dilationem morari ac peruenire iussit. Leone & Agathone Romanam Sedem regentibus, quæ Calchedonæ & Constantinopoli conuenerunt Synodi nuperiores, Martianum Constantinumq; Principes paribus Imperii quanquam paulò contractioribus fastigiis excelsos, præsentes & per Legatos nullis addictos Ecclesiasticis ministeriis, sed prætorianos iudices, admiserunt absentes, consessius, censuræq; vel Principes, vel (Romana etiam legatione non reclamante) collegas.

Repræsentauimus boni nominis debitores, æquis creditoribus, pactã in operis diuisione sponsionem, huiusq; toto libelli conatu, veriusquam libello, totum & per partes Principem (solo in Ecclesia Deo minorem) reliquis eius ordinibus ad omnium bonarum rerum conuentus euicimus auctorem, sententiarum, subscriptionumq; vel certè collegam, & solum (qui sumus in diuina iurisdictione gradus est decretorum Synodicorum, donis sibi cœlitus erogatis executorem, vt posthac (nisi pertinacibus ocioq; abutentibus) non vacet inquirere, Regem ne pœnes Synodicarum rerum sit arbitrium, cœloq; manans Imperium membra monstrum est, non habere gratias capitis communes, i. non splendere fruiq; suo loco, Principis sui fulgoribus.

Cum ergo summatem locum Regibus, (effreni pœne testimoniorum cumulo) in conuentib. Ecclesiasticis reddiderimus, deesse videbimur officio nostro, si non & plebem, etiam in participatum tanti culminis, vocauerimus. Omnium Africanarum prima Synodus, Cypriani constantissimi & sacratissimi Dei Martyris auspiciis, hæreticos non habere, quod discordia perdiderant, & prodiderant secedentes à fontibus Ecclesię Baptisma, numeroso Dei Cõfessorum exercitu, pręsente maxima plebis parte definiuit. Præludebant (scilicet) membra Christiana, suis capitibus futuris olim Christianis Principibus, vt cum toto splendore diluxisset diuina in Ecclesiam suam gratia, radiis Regum coruscaret humilitas subditorum. E libertinæ quoq; Synodo, de capitis sui, i. Regio priuilegio, pręsens adfuit Christianæ plebis numerosa congregatio. Titulus testis hoc præfert, *residentibus etiam presbyteris, adstantibus Diaconibus, & omni plebe.* Romana plebs insuper, dum Saxonicus Otho medetur Ecclesiæ Romanæ in amouendo scelerato Ioanne Sacerdote languoribus, ipsa supplicauit, ipsa censuit, ipsa cum suo capite Principe consummauit, & illi, de nomine sui testis obsequii, Dux quidam fuit Imperiola, Imperii contractione suo capite minor, Imperatori tamen suo, tantæ rei per veritatem socius, & nominis quadam diminutione particeps. Facessat ergo ridiculus infernæ poesis versiculus.

Ite foras laici, non est vester locus icy,

Et posthac redeuntes ad mentis sanitatem deprauati Sacerdotes, Laicis Baptismi reliquorumque sacrorum consortibus, Synodicæ non inuideant vtilitatis participationem. Tu autem mente, sedulitate, conatibus totis, opibus, studiis, iugibus vigiliis, ad instaurationem deprauatę religionis iam multos annos feliciter incumbens: hisq; titulis, longe amplius quam gentili nobilitate (quanquam lectissima) sanctis & exactis iudiciis commendabilis (Domine frater) præcipitatam verius quam tractatam oppellam, benignus excipe, & lectam, si non probas supprime, si probas, (non minus quam ego ipse sum) tuam, rebus exhibe communibus profuturam.

Digitized by Google

I. C. G.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.

Liber singularis.

Ad viros Politicos, qui de controuersia inter Paulum V. Pontificem Maximum & Rempublicam Venetam, edoceri cupiunt.

Anno Domini M D VII.

AD VERE PIVM ET VERE POLITICVM LECTOREM,

PRÆFATIO.

SIne caussa multi, etiam interdum viri graues, exortam nō ita pridem controuersiam inter Paulum V. Pontificem Maximum & Serenissimam Rempublicam Venetam, tantopere sunt admirati. Nam vt imperitam rerum plebeculam, & sui duntaxat quæstus diurni satagentem, ad huiusmodi nuntium stupuisse meritò, atq; inhorruisse, non sit rationi alienum: ita, cur hominibus prudentia & notitia rerum ante gestarum, quæq; nunc cum maximè geruntur præstantibus, vlla admodum incesseret admiratio, nihil quicquam profectò erat. quippe illa demum sapientes mirari solent, quæ vel rarò accidunt, vel caussas quare acciderint, obscuras habent, & ad peruestigandū difficiles. At controuersiarum similium & bellorum etiam sæuissimorum, è pari caussa conflatorū, exempla, quibus cunctæ præteritorum nostrorumq; adeo temporum historiæ sunt refertissimæ, quis potest vir prudens ignorare? Caussa porrò in promtu & omnibus obuia. Ex quo enim Summus Pontifex ab adulatoribus suis, fatali magnarum Potestatum peste, sibi persuaderi sinit, suum esse Orbis terrarum imperiū: suam rerum omnium, non spiritualium solùm, sed & temporalium, vti vocant, dominationem: à se vno Reges vniuersos ac Principes pēdere: vt cuius in manu sit regna firmare, mutare, adimere, & in quos voluerit cunq; transferre: quem antè ceu patrem communē omnes venerabantur: omnes grauari, suspectare, ac formidare cœperunt. hinc illa tam frequentia, tam diuturna, totiesq; repetita iurgia, discidia, bella deniq; funestissima, & à Pontifice & aduersus Pontificem ingentibus odiis gesta. Ac licet communi vtilitate exigente ab armis sæpe est cessatum: quia tamen inter diffidenteis animis & sententiis potestates, sibi inuicē perpetuo imminenteis, satis bona fide conuenire nunquam potuit, poterit nunquā: dilatio belli, non certa pax ea censeri debet. Pax antè fida niuibus & flammis erit. *Quis namq; vir cordatus, dominationis legitimæ compos, tam immensum & infinitum imperiū, cui simile ne fando quidem est auditum, non detrectet? non omni nisu eat excussum? Omnino libertate sua, nedum maiestate, Principes spoliant, qui Pontifici potentiā istam, nullis coercitam finibus, diuina humanaq; iura omnia peræquè amplectentem, tribuūt. impunitas, fateor, illis erit interdum: securitas certe nunquā. Quare non si inter Pontificem ac Principes parum sæpe conueniat, admiratione digna res censeri debet: verum illud potius demirari conuenit, quibus tandem machinis persæpe generosæ mentes maximorum potentissimorumq; Principum expugnentur: vt cogi se in ordinem vel non intelligant: vel etiam scientes prudentesq; animis æquis patiantur. Enimuero qua arte plerisq; illorum aliud agentibus manus adeatur, operæpretium est attendere. Quemadmodum enim in ciuitate libera fieri amat, vt pauci quò rerum summam ad se trahant astu ciueis aggrediantur, & iis quæ sapientissimis philosophorum oligarchiæ sophismata nominat: ita planè qui huius inhonestæ seruitutis iugo, (de temporali dominatione Pontificis loquor:) Principes subiicere moliuntur: rei duritiem verborum honestate sedulò molliūt: certam & manifestam vsurpationem, vt iam æuo suo beatissimus pater Bernardus vocabat,* LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ *appellatione velāt. qui si nihil aliud intelligerent, quàm quod ipsæ præ se ferunt voces, amore omnium & prædicatione erant dignissimi. Christianus enim haberi non meretur qui libertatem & conseruationem Ecclesiæ Dei, sponsæ Domini Iesu, pro qua & vitā ponere ipse suā sustinuit, non optet, non pro virili parte adiuuet. Sed aliud longe heic agitur, aliud simulatur: aliud verbis palàm dicitur: aliud reuera in occulto sentitur: & dum Ecclesiæ libertas obtenditur, vnius cū paucis dominatio impotens quæritur. quumque, non secus ac si in hoc vno religionis Christianæ cardo verteretur, certorum hominum in eo desudet hodie industria, vt maiestate sua Imperatoribus, Regibus, ac Principibus vniuersis detracta, non tam supra omnes, quam omnium loco vnus substituatur: inceptis omnibus atque ausis, mire interdum horrendis, Libertatis ecclesiasticæ blandum semper nomen prætexitur. Ne præteritarum calamitatum, quæ ab hoc vno fonte in Italiam, Galliam, Germaniā vbertim sæpe exundarunt memoriā refricem: nunc nuper Pontifex Maximus cum dirum illud anathematis carmen aduersus Serenissimam Venetorum Remp. pronuntiaret: tantarum irarum caussam attulit,* LIBERTATEM ECCLESIASTICAM VIOLATAM. *Fidem Dei atq; hominum! quanā*

ista

ista, obsecro, libertas est, cuius contemtus, tam illustris capitis, tã benè meriti de Ecclesia vniu tot innocentiũ ciuitatum ac populorum damnatione æterna sit expiãdus? Sed cur nomina, q. sunt, commutantur? neq; enim de Ecclesiæ libertate in hac caussa agitur: verùm de paucorum c. loquendi vsu quodam an abusu Ecclesiæ nomine censentur. de impunitate item Ecclesiasticorũ a licentia quiduis specie religionis audẽdi: non de electionum libertate, pro qua mille mortes oppetere, .. tus populusq; Venetus sint parati: nõ deniq; de re vlla ad cõmunem gregis Christiani vtilitatẽ spectante. En quæ dicitur hodie libertas ecclesiastica: quæ tot insontium animarum damnatione sancitur: cuius gratia stabiliendæ DEI OPT. MAX. *laudes silere: iuge sacrificium iubetur tolli: omni pietatis exercitatione infinita multitudo, nihil commerita misella, interdicitur: belli quinetiam & omniũ malorum quæ bella comitantur, metus incutitur. Quid multa? hac est illa libertas, aduersus quam si quis patriæ charitate ductus, mutire audeat,* POLITICVS *è vestigio, tanquam Christiani appellatione indignus incipit vocitari. Vnum hoc nimirum seculo nostro ad omne dedecus restabat, vt quasi parũ in multas partes Ecclesia Dei nostra hac tempestate foret scissa: nouum istud insuper à turbulentis quibusdã tribunis, publicæ tranquillitatis iuratis hostibus adinueniretur nomen: quo consentientes cæteroquin in fidei dogmatis inuicem abalienent: abalienatos in partes secedere compellãt: aut illis etiam, si fortè, velint nolint se adiungere, quos à communione Romanæ Ecclesiæ esse suspensos, Christianus orbis vniuersus dudum gemit.* Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. *Et tamen, quid eos velle aliud aut quærere hodie censeas, qui Politicis quos nominant, voce & scriptis inclementer assiduè dicunt? in odium plebi leuissimæ illos vocãt: differunt, lacerãt, & immanibus conuitiis proscindunt.* Nouatores, Nouatoribus ortos, impios, hæreticos, *locis sexcentis suorum Annalium illustrissimus Cardinalis Baronius, ipsos nominat. Sunt in omnium manibus diuersorum auctorum scripta, velut Thomæ BozZii, Alexandri Carerii Patauini, Romæ, Patauii, atque alibi, ad defensionem istius libertatis ecclesiasticæ* ADVERSVS IMPIOS POLITICOS *publicata: isto enim titulo libri proscribuntur. Pulchram sanè & oppido efficacem rationem, gregem vniuersum ad vnum ouile reducendi: cum & domestici atrocibus maledictis, quæ ingenuorum supplicia sunt, veluti furcis, quod aiunt, foras extruduntur: & iam alienatis, spes quoq; ipsa reditus, nouis quotidie offensaculis obiectis, in æternum præciditur. Sed est tanti libertas ista: vt ad tuitionem illius fasq; deque miscere omnia, cælum terræ, sacra profanis, nullus sit pudor. quumq; cælestis Doctoris præcepta sint ... ad quæ suo etiam ipse exemplo nobis præiuit: Charitatem super omnia modis omnibus fouere, vel cum inimicis: &, Potestatibus à Deo institutis subiici, ac propter conscientiam dicto illis esse audientes: adstruendæ firmandæq; libertati huic, per tot meliora secula incognitæ, penitusq; inauditæ, iurgia assiduè serere, bella vbiq; ciere, Regibus ac Principibus terrori esse, subditos eorum legibus soluere, atq; in proprios armare Principes, cũcta deniq; diuina & humana iura temerare, pium & sanctum vocatur, ac Deo gratissimum esse disputatur. Nempe ita facere illos oportet, qui veteri dicto fidem apud posteros cogitent conciliare:* Male imperando summum imperium amittitur. *Verum ad vos, grauissimi prudentissimiq; viri, qui Principum concilia participatis, iam me conuerto: atq; vt libellum hunc pingui illum quidẽ Minerua scriptum, sed ab amore veritatis & erga potestates diuinitus institutas, deuotione singulari profectum, lectione vestra dignemini, à vobis peto atq; contendo. Interest fidei vestræ, quorum consiliis cuncta in Rep. administrantur, vt caussam hanc, quæ vim omnẽ dominationis ciuilis bene intellecta firmat, sin aliter, destruit, & perspectam ipsi penitissimè habeatis: & à cunctis vestrorum Dominorum subditis velitis studeatisq; accuratè cognosci. Omnium verò maximè Principum vestrorum interest, vt nudam rei veritatem hac in parte à vobis accipiant, eamq; rectè capiant. Solent enim doctrinæ istius assertores, homines solertissima industria atque ingeniosissimi, mirifice illis obrepere, & verbis honestis, quod ante dicebamus, pestilentis doctrinæ venenum incautis propinare. longe enim aliter apud aureis Principum de hac quæstione loquuntur, aliter apud vulgus & in libris suis blaterant. Quod quidem artificium ita feliciter hactenus illis processit, vt quid vere sentiant, quid doceant super potestate principali, pauci adhuc Principes videantur cognouisse. Posthac vero ne rem necessariam possint ignorare, cautio vestra est, prudentissimi sapiẽtissimiq; viri. Nos quidem summis ex ordine vestro proceribus scimus esse persuasissimũ, idq; hoc breui libello clare & liquidò nos demonstrasse confidimus: si doctrinæ isti locus detur, & hæc ... libertas in animos hominum prius admittatur, quam excutiatur: ilicet de ciuilium omnium potestatum vi atq; iuribus esse actum & conclamatum. dominationis enim res ipsa penitus adimitur Principibus: vtut nomen inane illis videatur relinqui. quanquam ne nominis quidem vsurpandi ius, nisi ad alienum arbitrium, per hãc doctrinam ipsis conceditur. quo quid contumeliosius, quid magis probrosum iis possit accidere, qui sublimẽ dignitatis suæ fastigium vni Deo ferunt acceptum? cuius ordinationi manifesto repugnant, qui iura principatuum subuertunt, subditos fidei sacramento soluũt, vincula dominationis ciuilis omnia abrũpunt. Hoc facite cognoscant, sciant, penitusq; imbibant & qui regunt & qui reguntur. Omnium Principum communis hæc caussa est: omnium enim libertatem falsò dicta hæc libertas ecclesiastica opprimit. quid dico opprimit? imo verò regna integra legitimis possessoribus erepta, obtentu huius*

ſcitui Pontifici Maximo vindicantur. idq; tanta vehementia, tanta verborum acrimonia atq; atrocitate, nihil vt queat magis. Legatur, quæſo, vel vnica illa accuratiſſima Cardinalis Baronii digreſſio in XI. Annalium, qua Siciliæ regnum à Rege Catholico it repetitū. mirabéris Carolum V. immortali laude digniſſimum Imperatorem cum filio ac nepote, duobus Philippis Hiſpaniarum Catholicis Reg. S. A. propugnatoribus acerrimis, non ſecus ac viles quoſdam orbis terrarum prædones, & eccleſiæ hoſtes eſſe exceptos. quo autem iure? Libertatis nēpe huiuſce eccleſiaſticæ: cuius nomen ſingulis paginis ad faſtidium vſq; ab auctore inculcatur. Ite nunc Principes, & patrocinio iſtius libertatis opes, regna & vos ipſos impēdite. Nec refert, quod quibuſdā illorū ab hac Doctrina nihil in præſens videtur mali impendere. nam ſi ſemel in animis ſubditorū fundamenta ſuæ dominationis labefactari per incuriam paſſi fuerint: ipſam quoq; dominationē & imperium ſuū labare, nutare, ac parum validis radicibus eſſe fundatū, omnino neceſſe eſt. Cogitate, viri prudentiſſimi, omnibus minari Principibus, vni qui iniuriam facit. Cogitate ſapiētiſſime illud à Felice II. Romano Pont. eſſe dictū: Error cui nō reſiſtitur approbatur: & veritas quæ minimè defenſatur, opprimitur. Negligere quippe, cum poſſis deturbare peruerſam opinionē, nihil eſt aliud quam fouere. *Cogitate eos vos eſſe Politicos, quorum nomē ſectæ iſtius auctoribus tātopere eſt exoſum. Facite igitur, vt vim nominis veſtri probe vos intelligere, & verè Doctrinæ ciuilis eſſe peritos, reapſe experiantur: futuri prouidos, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω ſagaciter proſpicientes: & quod prudentiū docet eſſe propriū ſapiens ille Megalopolitanus: non Fortunæ fidentes, verum conſiliis quæ recta ratio ſuaſerit. Quod ſupereſt, omnes eos in quorum manus hæc noſtra inciderint, obſecro atq; obteſtor, vt ſi quid paullo liberius in hac diſputatione nobis forte exciderit: neq; maleuolentiæ id aſcribant, neq; irreuerentiæ erga ſacrum ordinem, quem debito honore colere me ac venerari profiteor: ſed partim amori patriæ, omne id quicquid erit condonent: quem eſſe in nobis vehementiſſimum nunquam diſſimulaturi ſumus: partim ſtudio veritatis: cuius præcipuam ſemper in omni diſquiſitione habendā eſſe rationem dubitat nemo, qui quidem hominem ſe eſſe natum rectæ rationis participem meminerit. Ita DOMINVS IESVS qui nec fallere nec falli poteſt mea ſupplicis vota exaudiat. Valete prudentiſſimi ampliſſimique viri. & cū DEO bene rem gerite.*

ELENCHVS CAPITVM LIBRI HVIVS, DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA LIBER SINGVLARIS.

CAPVT I.

Cauſa & occaſio ſcriptionis huius. Nominis explicatio. Libertatis variæ ſpecies. Libertatem Chriſtianam à Deo datam, SS. patribus antiquis ſæpe memorari: Libertatem Eccleſiaſticam non item. Error interpretum iuris canonici in definienda libertate Eccleſiaſtica. eius definitio accuratè veſtigatur.

OMnes homines libertatem bonum animi inter præcipua amant, ſibi optant, eiuſque cauſſa aliis fauent. Eccleſiam verò catholicam Domini Ieſu Chriſti, columnam veritatis, ſalutis portum, cun-

Digitized by Google

qui suspiciunt atque venerantur veri Catholici ac Christiani. Et tamen erga Ecclesiasticam libertatem, quam hodie vocant. nō eodem modo omnes qui dicuntur & sunt profectò Catholici ac Christiani, apparent animati. Multi vnicam pietatis Christianæ hanc arcem putant: in huius propugnatione & amplificatione summam religionis totius ponunt: aliter sentiētes vt in errore pernicioso versanteis deuitant, & pro sacris atq; intestabilibus eos habent. pertendere contra alii, falli istos atq; errorem insanum magnum errare: & vim huius appellationis aut simpliciter ignorare, aut subdole dissimulare. quippe hodie libertatis speciosum nomen ab iis prætexi, qui alienum seruitium, & dominationem sibi concupiunt. Quemadmodum vitia sæpe esse virtutes mentiatur, vt tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio pietas, velit videri, quod Gregorius Magnus aiebat: sic libertatem Ecclesiasticam falso ab illis dici atq; ostendi, qui Ecclesiæ, non vindicta Prætoris, sed pretioso Christi sanguine in libertatem assertæ, ipsis etiam Regibus ac Principibus durissimæ seruitutis iugum eant impositum. Bonitatis verba imitari cum noxam pares maiorem esse malitiam. Enimuero nemo est paullo historiarum peritior quin sciat, Libertatem hanc Ecclesiasticā ab aliquot retro seculis instar fomitis cuiusdam fuisse atq; incentiui, quod populos in Europa Christianos inter se commisit, bellisq; dirissimis, atq; iis admodum diuturnis, miserandum in modum lugubriter attriuit. Nunc quoq; cur ille nobilissimus orbis terrarum ocellus, Italiam dico, turbetur & inter bellum ac pacem, salutem aut pernitiem, nutet incertus, eadem ista libertas Ecclesiastica est in caussa. Hoc enim queritur Pontifex Maximus Paulus V. in elogio damnationis aduersus Serenissimam Rempublicam Venetam prolatæ; VIOLATIONE LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ suam sibi maiestatem eos imminuisse. Veneti è contrario, iura Reipublicæ suæ & veram Ecclesiæ libertatem à se proditam iri, si Pontifici morem in hac parte gesserint. Est omnino quæstio hæc longe grauissima: quæque meritò præstantissima multorum ingenia excitauit, vt partis vtriusq; iusta certatim literis mandarent. In tāta scribentium copia nulla erit, spero, inuidia, si & nos cepit impetus rem tantam penitius cognoscēdi. cum præsertim magnus nobis ab illustrissimo Cardinali Baronio scrupulus esset iniectus: qui tot locis suorum Annalium ita libertatem hanc propugnat, vt secius erga illam animatos, hæreticos, & flammis æternis addictos pronuntiare non vereatur. quis erit Catholicus tam socors & salutis suę securus, quem tam atrox denuntiatio non aduertat? non incendat cupiditate intelligendi quid rei sit, quod Libertatis Ecclesiasticæ nomine hodie censetur? nos quæsiuimus, non contēdendi studio, testamur Deum immortalem: sed veri inueniendi desiderio. Igitur, vt ordine ac via progrediatur disputatio, à capite quæstionem arcessemus, & de nomine ipso primum, cuius varia & multiplex vsurpatio, paucis agemus.

LIBER prima notione verbum est ruri natum, vt *clades soboles*, & alia multa, quæ posterior ætas ad res diuersissimas transtulit: λέπος Græcis, cortex arbori detractus. sed pro π alii β ponebant: vnde λεβηρὶς dicta quasi λεπηρίς, auctoribus Grammaticis: qui primitus ea voce significari scribunt λέπος κυάμου fabæ corticem. Veteribus latinis ex eo *liber*, notione eadem primò: cortex ab arbore sua solutus: *liberare*, corticem detrahere. postea cum in bellis captus aliquis captorem suum eluserat, militari elegantia an lasciuia *liber* dici cepit. vt contra qui semel captus victori adhærebat, neque poterat se expedire, *seruus* & *mancipium*. paullo aliter Græcis, ἐλεύθερος ob facultatem eundi quo vellet: non vt nugantur ὁ ἐλεύθων ὅπῃ ἐρᾷ, sed pari analogia ac κηδεμὼν is ad quem funus pertinet, à κηδῶ ... & alia hoc genus. Libertas igitur captiuitati & seruituti opponitur. cæterū & libertas & seruitus multis modis in hominem cadunt: multa item sunt loquendi genera in quibus varia notione vox hæc vsurpatur. de quibus breuiter heic dicendum, ne nominis ignoratio rei ignorantiam, quod alioquin necessario fit, secum trahat. Doctè enim in Gorgia Plato: *qui nomina rectè norit, & res ipsas eadem nouerit*. Plutarchus quoq; sanè quam verissime, ex communi, vt ait, Philosophorum sententia: *qui nomina interpretari rectè non didicerunt, hi & res ipsas perperam accipiunt*. quod in proposita quæstione multis hodie euenire, quæ deinceps dicentur manifestissimè arguent. verùm ad rem. Libertas propriè personis tribuitur: interdum tamen & inanimatis rebus: pro immunitate vel peculiari quodā iure illis indulto. Hominis libertas, vel in singulis spectari potest, vel in pluribus vnum quasi corpus constituentibus. Eius quæ singulis competit, tot species sunt, quot sunt rerum genera ad quas voluntates hominum possunt referri. semper n. ratione voluntatis atque arbitrii de homine dicitur libertas aut seruitus. Voluntates hominum vel res illas respiciunt quas humanus intellectus appetit vt sibi necessarias, quatenus animal est vitæ particeps, sacra scriptura & Patres vocant τὰ βιωτικὰ vitæ huius instrumenta. Aristoteles τὰ πρὸς τὸ εἶναι ἀναγκαῖα, necessaria vt sis. vel ad illas actiones respiciunt in quib' virtutis & vitii discrimen intelligitur; quæ homini conueniunt quatenus rationis est particeps. Philosophus vocat necessaria πρὸς τὸ καλῶς εἶναι: vt non vitam solum degas, sed eam honestam. vel deniq; ad ea spectant, quæ hominis intellectus appetit, quatenus cœlestis suæ originis memor, ad futuram vitam & beatitudinem se comparat. hinc & libertas triplex oritur. Prima est corporis: quæ & primęua appellatio libertatis. de hac multa in libris prudentiæ ciuilis: Sacra Scriptura & Theologorū, non ita multa. quia ad ciuilem vitam plurimum interest liber sit aliquis an seruus. ad futuram beatitatem consequendam nihil prorsus, sicut per sępè in Euangelio docemur. & si vt liberi quam serui esse peroptemus, diserte monet S. Apostolus, priore ad Corinthios. *Seruus vocatus es: non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Sacro ordine & familiis monachorum arceri seruos, multis super eo canonibus & constitutionibus editis, nemo nescit. Proxima huic est libertas animi, priore tanto nobilior, quanto nobilior est animus corpore. hac carent qui vitiis & affectibus seruiunt. illi tenēt, qui expul-

sis vulgi erroribus, vni addicti virtuti nihil cupiunt, nihil metuunt. ad hanc consequendam Moralis tota Philosophorum doctrina fuit comparata. & notissimum est Stoicorum scitum: Solum sapientem esse liberum, cæteros omnes seruos. Sed neque per humani ingenii sapientiam, neque etiã per Mosaicam legem, quæ populo Iudaico pietatis & virtutis fuit magistra, ad libertatem animi potuit quisquam peruenire. omneis enim mortales quà Iudæi quà Græci, peccati serui, vt in diuina illa ad Romanos epistola euincit Apostolus. itaq; nemo ex omnibus mortalibus liber. Tertiũ ideo libertatis genus fuit opus, vt ad optatam libertatẽ homines possent euadere. Hęc est illa spiritus non animi solum libertas, Fidelium propria, morte Domini nostri Iesu Christi Ecclesiæ ipsius parta, tanto priore præstantior, quanto cælestia humanis antecellunt, vita morte, gloria æterna cruciatibus sempiternis. de hac libertate B. Thomas in Iohannis Euangeliũ: *Sermo domini per hoc quod est veritas, liberat à coactione & obligatione vanitatis: per hoc quod est sermo gratiæ liberat à culpa & iniquitatis seruitute: per hoc autẽ quod est sermo omnipotẽtis Dei, liberat à seruitute miseriæ. Primo dat libertatẽ naturæ, secundo libertatẽ gratiæ, tertio libertatẽ gloriæ.* hæc vir acutissimus. Theologi grauissimi libertatẽ hanc ad duo ista referunt: liberationẽ à morte quæ stipendium est peccati. & à præceptorũ legis Mosaicæ præsertim cæremonialis rigida obseruatione. itaq; libertas Christiana duorum generũ est. de priore loquitur Dominus in 8. Iohannis: *Amen amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati seruus autem non manet in æternũ si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* de posteriore B. Apostolus Paulus, ad Galatas cap. 4 vbi post expositũ libertatis huius typum, concludit ad extremũ: *non sumus ancillæ filii, sed liberæ. qua libertate igitur Christus nos liberauit, in ea state: & nolite rursus iugo seruitutis contineri.* Est vero illa demum absoluta libertas cum Deo seruimus. propterea in sacris literis liberum esse, & Deo seruire verbis differũt, re sunt idem. B. Petrus in priore: *quasi liberi, & non quasi velamen habentes libertatem: sed sicut serui Dei.* & Paulus in ea ad Romanos libertatem Christianã vocat *seruitutẽ iustitiæ.* Dominus in Euangelio *iugum* sed lene & subeuntibus salutare ὁ ζυγός μου, inquit, χρηστός huic contrariũ est iugum legalium farcinarum & præsumtionũ humanarum, quę imperitorum conscientiis onera alligant superuacua, vt piè admonet B. Augustinus in erudita illa ad Ianuariũ epistola 119. *Hoc* inquit, *nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt minus curãtur: & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripiatur qui per octauas suas terrã nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit.* Solent etiam beati Patres libertatem Christianam appellare, fiduciam illam quæ bonæ conscientiæ comes est indiuidua: quando aliquis vni Deo placere laborans, gratiam & odium hominum pariter contemnit. hoc sensu dicit Chrysostomus tertio De sacerdotio, cauendum sacerdoti ne potentię cupidus locum illum ambiat: *vt cum libertate omnia ipsi administrare liceat. nam qui in hac potestate ostentui esse non cupit: nec depositionem ab illa formidat. porrò qui metus huius est expers, cum libertate Christianis conueniente omnia facere poterit.* subiungit postea de metu huic libertati & contrario. Petrus Damiani aduersus Leonem Papam arma tractantẽ declamans in epistola ad Firminũ Episcopum. *Et reuera qua fronte, qua libertatis audacia sacerdos quilibet in dissidentium confœderatione desudet, cum ipse suis osoribus non remissionis indulgeat veniã, sed effrenetur implacabiliter ad vindictã.* idem Chrysostomus alibi *libertatem* nominat Sanctorum fiduciam bonis operibus partam: vt cum in sermone de Babyla hunc martyrem ait LIBERTATE *vel, superiorem vel certe parem Eliæ ac Iohanni fuisse.* ἐφθασεν inquit, οὕτως, ὡς μηδὲ τὸ τυχὸν ἀπολειφθῆναι τῆς ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ τῶν γενναίων ἐκείνων ἀνδρῶν. passim alibi idem Sanctus hanc libertatem vocat παῤῥησίαν & πεποίθησιν, quæ sunt Apostolo familia verba. Latino interpreti, *fiducia & confidentia.* Etiam quæ piorum cætui & Ecclesiæ tribuitur à Deo libertas multifariam potest distingui. Interdũ *libertas Ecclesiæ* appellatur, libera conueniendi ad cultũ Dei facultas, à principe & peti & impetrari solita: quod Gregorius Nazianzenus ad Nectarium scribens, dixit ἐξουσίαν λαβεῖν συνάξεως: quidam hodie vocant *libertatem conscientiæ.* Optatus Mileuitanus simpliciter *libertatẽ.* Diuersa ab ista est illa Libertas Ecclesię, quã ipsi datã esse à Christo Ephesini cõcilii Patres pronuntiant. qua de re plura erunt dicenda cap. 3. Atq; hæ sunt Ecclesiæ libertates, quarum partim sacræ literæ, partim venerandi Patres antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Romanæ meminerunt. Postea verò quàm publicè Christianismus fuit receptus, & clerus per imperatores primò, deinde Reges atq; alios proceres Christianos, opibus & dignitate fuit auctus: tũ enimuero cepit paullatim in Ecclesia Dei inter alia multa prius inaudita, vox LIBERTATIS noua significatione vsurpari. honoris. n. prærogatiuam, priuilegia, immunitates & similia omnia iura LIBERTATEM ECCLESIASTICAM, aut numero multitudinis LIBERTATES dixerunt. atq; hoc verbi in frequentẽ adeo vsum tandem venit, vt nullum magis. Quando primum ea vox in Ecclesiis audiri cepta videatur, capite quarto dicemus. Quid autẽ Libertatis Ecclesiasticæ appellatione intelligatur, necdum satis ad liquidum declaratum inuenio, & mirari sæpe subit, quum in iure Canonico tot locis huius libertatis fiat mentio: nusquã tamen ad vim verbi declarandam ne descriptionem quidem vllam, nedum accuratam definitionem esse adhibitam. Interpretes vero Canonici iuris adeo diuersas super hoc sententias prodiderunt, vt frustra inde auxilium speres. Liquet nobis, pro affectu cui usque erga Pontificem Maximum, & R. S. aliter atq; aliter esse ab iis pronuntiatum. In priuilegiorum & immunitatum diplomatis quæ olim Imperatores Christiani aliique Principes, postea etiam Ro. Papæ modo vniuersæ Ecclesiæ, modò aliis priuatim soliti concedere, vocum LIBER & LIBERTAS tralatitius ac sollemnis est vsus. In diplomate Caroli Magni circa annum ab humani generis redemtione DCCCIV. Osnaburgensi Ecclesiæ in Saxonia indulto, hæc leguntur: *Insuper eidem episcopo eiusque successoribus perpetuam concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem: nisi forte contingat vt imper.* &c. In

diplo-

diplomate Nicolai II. circa annum Domini CIↃLX. in gratiam monasterii S. Felicitatis Florentiæ emisso: *Liberum præterea idem reddimus monasterium, atque absolutum ab omni seculari & mundana conditione sine districtione.* in aliis leges *liberam concedimus facultatem, & liberum esse volumus.* nō dubium est mihi, quin ab hac origine Libertatis Ecclesiasticę manarit appellatio. nam & vulgò *libertas* pro priuilegio vsurpabant: & vt ante dicebamus, rude illud atq; impolitum seculum vocem hanc supra modum frequentauit: vt aliquando quid sibi velint coniectura sit diuinandum. In edicto Friderici Ahenobarbi A. D. CIↃ.CCXXII. facto, quo duo monasteria vniuntur. *turbatores temerarios nostræ huius libertatis & vnionis tanquam rebelles numini in perpetuum bannimus.* postea vocat *concessionē & donationē.* sæpè etiam *priuilegium ac libertas* iunctim ponūtur. vel *libertas & immunitas*, vt in Decretali de immunitate, Sexti lib. 3. item, *iura & libertates*, vt ibidē. apud Rigordum, *libertas militū & libertas ac specialis prerogatiua scholariū* Parisiis sub R. Philippo Augusto & eius Patre. *libertates seculares* quid appellet Bonifacius is qui Germanorū Apostolus est dictus, non sine caussa dubitet aliquis. Sic ille in epist. ad Eadburgā, cognomento Buggā Regis Cantiorum consanguineā: *Melius mihi videtur, si propter libertates seculares in Patria libertatē quietæ mentis habere nullatenus possis, vt peregrinatione libertatem contemplationis, si valueris & possis, acquiras.* illud verò minus etiam capio, quin epist. Gregorii VII. ad P. Albanensem episco. & G. Principem Salernitanum scribitur. *Item Magnus Imperator* (de Carolo Magno loquitur) *Saxoniam obtulit beato Petro, eius etiā deuicit adiutorio, & posuit signum deuotionis & libertatis, sicut Saxones ipsi habent scriptum, & prudentes illorū satis sciunt.* hoc est suæ deuotionis, & libertatis Romanæ Ecclesię ac dominationis quā habet in omnes & in omnia. si quis aliter interpretari voluerit per me licet. est n. obscura satis sententia. nec multo clari' illud in diplomate Vrbani II. quo factum cōfirmat Berengarii Comitis qui eius auctoritate cōmonitus, vt ipse Vrbanus testatur, Tarraconem cum agro suo iuris papalis fecerat: Ait: *Nos itaq; qui præstante Deo restitutionis huius optamus cooperatores existere prædicti Comitis institutum libertatesq; & consuetudines, quas nouis Tarraconensis vrbis colonis permulgasse cognoscitur, collaudamus.* Ex ista igitur loquendi consuetudine LIBERTAS ECCLESIASTICA nomen inuenit in Ecclesia Latina: nam Græci vt rem ipsam, ita & nomen ignorarunt. de ea loquor libertate Ecclesiastica, quæ hodie tantopere iactatur, & pèculiariter ita nominatur. Nam errant grauissimè, qui istam libertatem Ecclesiasticam, cum potestate Ecclesiæ confundunt, & cum iure bona cuiuscunq; generis possidendi, cum immunitate, & priuilegiis. Potestas vera Ecclesiæ de qua extat liber eximii Iohannis Gersonis Theologi excellentissimi, ea est quam B. Chrysostomus de munere Sacerdotali differens, in ἔργῳ & ἀρχῇ siue τιμῇ distinguit: *functionem ipsam muneris sacerdotalis, & honorem qui sacerdotibus debetur*, de quo plura sequenti capite. vocat & αὐθεντίαν. hæc potestas vtrum ex iure diuino sit an non, sine blasphemia disputari non potest: quum sit piis omnibus persuasissimū, statim à principio Christum Ecclesiæ suæ & ministris ipsius eam tribuisse. at libertas Ecclesiastica vtrum sit ex iure diuino, diu est cum quærunt Canonici iuris interpretes, & adhuc sub iudice lis est. Et merito sane plerisq; absurdum videtur, iure diuino introductam rem dicere, quam melior Ecclesia per tot secula penitus ignorauit. Ius bona possidendi, in Græcorum canonib' est δίκαιον κτήσεως vel κατοχῆς immunitas, ἀτέλεια τῶν λειτουργιῶν, vel simpliciter ἀτέλεια, aut ἀλειτουργησία. Priuilegia ibidem προνόμια dicuntur, & φιλοτιμήματα βασιλικὰ, δίκαια siue δικαιώματα: interdum etiam παραμυθίαι. & vt *libertatem* pro priuilegio vsurpari ostendimus: Sic ἐλευθερίαν & αὐτεξουσιότητα *libertatem, & propria voluntatis arbitrium* in libris Iuris canonici Grecorum priuilegia certis monasteriis indulta ab imperatoribus Constantinop. dici obseruauimus. Extat Alexii Comneni constitutio, in qua mentio fit monasteriorum institutorū vel κατ' ἐπίδοσιν, vel κατ' ἐφορείαν vel κατ' οἰκονομίαν, παντελῶς κατ' ἐλευθερίαν *quibus plenaria libertas est attributa.* quæ propterea ipse nominat ἐλεύθερα καὶ αὐτεξούσια μοναστήρια. At longe diuersa res est LIBERTAS ECCLESIASTICA: illa de qua iam sermonem instituimus: & cuius naturam atq; vim qui simplici definitione vnica voluere complecti, magnas, si verum dicere licet, nugas egerunt. dictionē n. æquiuocam, nulla prius adhibita distinctione velle definire, quid est aliud nisi operam ludere? aut quis negabit homonymiam multiplicem huic appellationi inesse? quàm variè vsurpata sit vox *libertas* iam ostēdim': idē necessariò obseruandum heic & de voce ECCLESIA: nam quotmodis accipi hæc dictio solet: tot erūt & libertatis Ecclesiasticæ definitiones diuersæ. Proprie ECCLESIA dicitur cætus κλητῶν ἁγίων vt loquūtur Apostoli, hoc est, *fidelium vocatorū vt sint sancti*: qui & Electi appellātur. Sed quia boni maliq; permixtim hoc æuū degim', Ecclesię appellatione solent omnes comprehendi, qui Christi nomen ꝓfitentur. Tertia notio iā olim obtinuit: vt diuiso gregi fideliū in clerum & laicos, sol' clerus tanquā potior pars & nobilior, Ecclesiæ nomine intelligeretur, Quarta deinde & quinta notiones accesserūt, quarum hodie frequētissim' est vsus: illius, cum Ecclesiæ appellatio ponitur ꝓ Romana Ecclesia: huius, cum Ecclesiæ nomen ad vnum Pontif. Romanum designandum vsurpatur. Tres primę notiones Græcæ & Latinæ Ecclesiæ sunt communes: quemadmodū & illa consuetudo loquendi pariter Græcis ac Latinis iam olim vsurpata inuenitur, quando loca sacra *Ecclesiæ* nominantur. Quartā quoq; notionem propter B. Petri honorem, & Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, etiam in Oriente multi, ceterum Occidens totus à multis seculis cepit vsurpare. Quintam ne in occidente quidem omnes vnquam probarunt: sed illi duntaxat, qui vniuersalis Ecclesiæ caput & Principem, imò Dominū papam Ro. agnouerunt. Cum in Capitularibus antiquorum Regum, & coæuis scriptoribus *Libertas Ecclesiæ, & Libertas electionum* cōmemorantur & pro eodem ponuntur: libertas intelligitur vniuersæ Ecclesię à Christo tributa: quamq; perdiu obtinuit: vt communibus suffragiis populi & cleri crearentur, qui erant in sacrum ordinem cooptandi. postea res mutauit: & ius suffragiorum ad solum clerum fuit

translatum. ita pro tempore hæc libertas variauit: Et si ECCLESIÆ LIBERTAS semper est appellata: tertia nempe eius vocis notione, non vt antè prima & secũda. Innocentius III. in epistola ad Constãtiam Imperatricem Reginam Siciliæ, præscribens modum quem in electionibus faciendis vult seruari à Siculis, vocat ECCLESIAM CANONICAM LIBERTATEM. Qui libertatem ecclesiasticam volunt esse exemtionem clericorum ab omni subiectione suorum legitimorum Principum: quæ est Roberti Bellarmini Cardinalis in libello ea de re publicato sententia, itemque aliorum multorum: tertia significatione Ecclesiæ nomen accipiunt. quod etsi sine fraude fieri videatur posse, quia iam olim ea notio illius vocis obtinuit: fraudem tamen periculosissimam habet adiunctam: quia obtentu nominis huius, imperitis & plebeculæ persuadetur, libertatem vniuersæ Ecclesiæ in eo verti: vt illi refragari aut resistere totius impietatis sit cumulus: quum re vera paucorum libertas, imo licentia, & vnius absoluta dominatio hoc colore defendatur. Quamobrem accuratius rem perpendenti liquido constabit, Libertatis Ecclesiasticæ patronos, nomen Ecclesiæ quinta notione pro solo Ro. Pontifice accipere. huic enim vni plenaria libertas paratur, vni imperium, vni potestas, sine fine, sine modo, in capita, res, & fortunas Imperatorum, Regum ac Principum, & omnium prorsus hominum, qui toto orbe terrarũ Christiani dici expetierint. Nam quod aliquis obiiciat, longe aliter Cardinalem Bellarminum docere libro 5. de summo Pontifice: huic obiectioni parata responsio est certissima, de qua pluribus capite sexto agetur, & sequentibus. ibi docebimus, quæ dicto libro disputantur à Bellarmino, feruentissimi zeli patronis libertatis huius ita esse improbata, & quotidie refutari, vt pro indictis & antiquatis sint habenda. Alexander Pesantius Romanus in libro *De immunitate Ecclesiastica & potestate Romani Pontificis*, quem non ita dudum Paulo 5. nuncupauit: editionis Romanæ pag 45. *Dico: summus Pontifex iure diuino habet plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis.* & in ora libri notat auctor: *Papa iure diuino est directe dominus orbis.* eadem multi alii. Verum pergamus vsum locutionis huius ostendere. Gregorii 7. verba sunt in epistola ad Episcopum Patauiensem & Hirsaugiensem Abbatem, quo loco agit de eligendo à Germanis Imperatore in Henrici locum. *Scimus* inquit, *quod fratres nostri longo certamine, diuersisque perturbationibus fatigantur: nobilius tamen esse dignoscitur, multo tempore pro* LIBERTATE S. ECCLESIÆ *decertare, quam misera ac diabolicæ seruituti subiacere. Certant namque miseri, scilicet membra diaboli, vt eiusdem misera seruitute opprimantur: certant è contra membra Christi, vt eosdem miseros ad* CHRISTIANAM LIBERTATEM *reducant.* Verba sunt aurea, mens plumbea. Ecclesiæ proprie dictæ libertas ostentatur, seruitus diabolica deploratur. quis Christianus erit tam ignauus, quem ista non excitent non inflamment odio in Principe suum? sed meminerimus, & hoc loco & similibus aliis de inuestitura Clericorum agi: quam Ro. Pontifex Imperatori & omnibus Principibus ereptam, sibi vni & iis qui ius à se accepissent vindicabat. atque hæc *propria libertas Ecclesiæ* nominatur in canone [illegible] hoc â eius concilii quod Hildebrandus idem A.D. CIↃLXXX. Romæ celebrauit. Heic igitur & in [illegible]nis huic locis ECCLESIA pro Papa sumitur: & LIBERTAS CHRISTIANA appellantur iura quæ [illegible] idem vindicat, tanquam Christi Dei & hominis vicarius. E contrario A.D. CIↃCLVIII. Fridericus Augustus orto inter Regnum & Sacerdotium dissidio, ita scribit ad imperii proceres. *Quia hactenus honorem ac* LIBERTATEM ECCLESIARVM, *quæ iamdiu indebitæ seruitutis iugo depressa est, à manu Ægyptiorum,* (Hadrianum 4. Papam Ro. intelligit:) *studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum iura conseruare intendimus: vniuersitatem vestram super tanta ignominia nobis & imperio condolere rogamus.* heic Fridericus ECCLESIÆ nomine vel vniuersam Ecclesiam, cuius ipse pars erat: vel clerũ intelligit. Et ita sæpissime in historiis rerum gestarum à temporibus Gregorii 7. obseruabis: cum atrocissimè Pontifices atque Principes dissiderent, sæpe etiam armis inter se pugnarent: vtrimque tamẽ DEFENSIONEM ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS pro titulo belli fuisse. Adeo verũ est quod in oratione contra Leptinem prudentissimus oratorum Demosthenes dicebat: solere multos, μεταφέροντας τὰ ὀνόματα ἀπατᾶν: *translatis nominibus in aliam significationem decipere.* Sunt enim multi, qui rerum vocabulis non aliter vtantur quam vt præstigiatores & psephopæctæ suis acetabulis & calculis. Fridericum sane libertatem Ecclesiæ propugnasse, etiam Cardinales illi testantur, qui epistolam scripserunt, cuius initium: *Ex quo contra honorem Ecclesiæ Dei & imperii amicitia inter Dominum Papam Hadrianum & Vilhelmum Siculum facta est &c.* infra dicturi sumus *honorem Ecclesiæ & libertatem Ecclesiæ*, pro eodem sumi solita. Aiunt igitur Cardinales presbyteri: *Nos autem è contra duximus potius Siculum excommunicandum: qui omnia iura Ecclesiæ tam spiritualia, quam temporalia violenter abstulerat: quàm imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & imperii iura fideliter laborabat recuperare, &* ECCLESIAM *de seruitute ad* LIBERTATEM *reducere.* quare si his credimus, libertatẽ Ecclesiæ Pontifex quidẽ falso: at Fridericus vere tutabatur. Neq; hoc mirũ debet cuiquã videri: nõ enim soli huic Imperatori, sed multis etiã aliis Augustis: multis item Francorũ, Anglorũ, & cæterarum gentium regibus pro libertate Ecclesiæ cum Romanis Pontificibus fuit decertandum. quo in certamine Et si eadem omnium Christianorum caussa erat non omnium tamen idem fuit semper animus, neque par constantia. Christianissimorum Regum, piissimorum Franciæ episcoporum totiusq; ordinis sacri ac magnanimorum Regni procerum, propria hæc laus, absit verbo inuidia, quod pietate generosa & generositatẽ pia libertatem Christianam Ecclesiæ suæ, Et si non plane illibatam, firmam tamen & stabilem ad hanc diem, immortali Dei beneficio, conseruarunt. Quis vel in extremo Septentrionis axe positus, leuem saltem aliquam rerum Gallicarũ notitiam fando accepit qui de LIBERTATI-

BVS ECCLESIÆ GALLICANÆ aliquid non inaudiuerit? ita vocat forensis vsus iura libertatis Ecclesiasticæ, quæ quum vniuersæ Ecclesiæ à principio essent communia: (nam vnus idemque omnium auctor & fundator Dominus Iesus:) fato quodam accidit, vt in nobilissimis quibusque Europæ regnis Ecclesiæ sua sibi iura atque libertatem eripi sinerent. vnde factum, vt populis vicinis seruituti suæ ingementibus, LIBERTATVM ECCLESIÆ GALLICANÆ nomen etiam apud exteras gentes illustri fama celebraretur. Quanquam & alia Regna idem ipsa quoque fecerunt, sed remissius, nec pari successu. Sic in Anglorum historiis LIBERTATVM Ecclesiæ illius habetur mentio: & LIBERTATVM REGNI. quæ tamen aduersus oppressionem & angarias Romani Pontificis, parum ipsis profuerunt. extant monumenta ipsorum quamplurima, in quibus cum lamentabili gemitu onera sibi imposita à Pontifice Ro. vel legatis ipsius deplorant. Sed hæc suo loco clare demonstrabuntur. ad propositum redeo. Qui Libertatis Ecclesiasticæ appellatione exemtionem Ecclesiasticorum volunt intelligi: vim huius exemtionis accurate explicant. hæc autem est: vt qui modo Principi huic vel illo subditus erat: vbi inter ordines sacros locum aliquem fuit nactus, momento turbinis liber existat ab omni iurisdictione Principis illius: non ipsum pro principe suo agnoscat: non maiestatem eius reuereatur, nisi pro arbitrio suo: non tributum pendat: non metuat sibi ab illius legibus, diserte enim affirmatur, legibus ciuilibus nullis penitus clericos teneri, quod ad coactionẽ: sed duntaxat quod ad directionem. quid si aliquis è clero, (potest enim fieri) scelus aliquod supplicio dignum in Rep. admiserit? quid si libidine fœdus & maculosus vixerit? nulla ne huius coercẽdi potestas erit Principi? Id verò præcise negatur. Iohannis Marianæ Iesuitæ Hispani verba sunt libro primo, capite 10. eius scripti non inelegantis, quo Philippum 3. Regem Hispaniæ præceptis informat: *Deinde sacrati ordinis immunitates & iura intacta vt sint, curare Princeps debet Neminem ex sacrato ordine supplicio* QVAMVIS MERITO *subiiciat.* Sed quid opus in Hispaniam ire? nam interpretationem iuris Pontificii non possumus aliunde melius petere, quàm ab vrbe Roma? cum præsertim multi admodum ingeniosi homines à paucis mensibus in vrbe libros ediderint, per quos ignorare nobis non licet vim huius verbi. è multis quorum recentia scripta legimus, vnus Iohannes Antonius Bouius Carmelita rem optime videtur expressisse. quare verba eius prætermittere sine piaculo non possumus. eccum illa fideliter ex Italico versa. *Libertas opponitur necessitati, vinculo aut seruituti. quemadmodum igitur libertas peccati in eo consistit, vt peccati vinculis simus soluti: & libertas legis Mosaica in eo, vt iugo ceremonialis Legis simus soluti atque exonerati: sic* LIBERTAS ECCLESIASTICA, *in eo consistit, vt Ecclesiastici in personis, bonis & caussis suis sint exemti, neque legibus potestati & iurisdictioni Principum sint obnoxii, quomodo sunt laici. & hæc vera est ac propria definitio Libertatis Ecclesiastica. qua vi sua omnia complectitur. partes duæ quæ sequuntur reliqua, instar habent declarationis. Quod autem ait Bartolus in autenth. cassa. Libertati Ecclesiastica illa statuta repugnare, per qua Ecclesiastici timidiores, Laici audentiores redduntur: hoc nempe vult: iure exemtionis quo gaudent Ecclesiastici, fieri, vt Principes non dicam directe & cum effectu in ipsos & res ipsorum nequeant manus inicere: sed ne indirecte quidem, & vel tantum in speciem praiudicium facere libertati eorum queant. Dicam planius si potero: vult dicere Bartolus, adeo non posse Principes damnũ inferre Ecclesiasticis, vt* NE LEVISSIME QVIDEM TERRITANDI ILLOS AVT TREMEFACIENDI IVS HABEANT. quo iure qua iniuria, hæc ita dicantur, postea quæremus. habemus certe heic luculentam exemtionis Ecclesiasticorum & plenariæ licentiæ libertatis declarationem. At non nedum omnia quæ propter Libertatem Ecclesiasticam in iure canonico sanciuntur, ad exemtionem Ecclesiasticorum possunt referri. Bonifacius 8, libertatis huius vindex acerrimus, in Sexto, titulo 23. *Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis ne prælatis aut clericis seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt: quum talia in* DEROGATIONEM LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ *præsumantur, eo ipso excommunicationis sententia decernimus subiacere.* Ad perficiendam definitionem Libertatis Ecclesiasticæ, prætereunda hæc Decretalis non erat, quæ de iure quidem exemtionum non est: sed prærogatiuæ Ecclesiasticorum veluti colophonem quendam imponit. Nam si propter res tam leueis flammis æternis deuoueri possunt laici omnes, cuiuscunque dignitatis aut ordinis: quid aliud curare habent imi summi, nisi hoc vnum, qua ratione pacatis Ecclesiasticis vti poterunt? poterunt autem, opinior, si in omnibus præbeant se illis obnoxios: illorum voluntati inseruiant: & de rebus suis statuendi liberum arbitrium ipsis permittant. hoc voluisse isto canone Bonifacium nemo negauerit. Ex iis quæ hactenus disputata sunt, hoc tandem elicimus: non longe ab hodiernorum Pontificii iuris doctorum sententia aberraturum, qui Libertatis Ecclesiasticæ hanc siue descriptionem, siue definitionem contexuerit: *Libertas Ecclesiastica ius est quoddam, primarie quidem Pontifici Ro. adhærens, quo vniuersi orbis dominium illi paratur: secundarie vero Ecclesiasticis, quo viritim & in commune eximuntur ipsi & bona ipsorum ab omni omnium Principum subiectione, iurisdictione, potestate: laici vero ipsis ad omne obsequium redduntur obnoxii.* Hæc definitio vt numeris omnibus non sit perfecta, quod non pollicemur: vim tamen eius quæ à neotericis & proximorum seculorum hominibus, Libertas Ecclesiastica nominata est, satis explicat. Nunc igitur, quo tempore, quibus molitionibus, & per quos in Ecclesiam Dei hæc Libertas sit inuecta quærendum superest. Deinde rationes præcipuas quæ ab illius patronis solent afferri, expendemus: simul quam periculosa res sit tum Ecclesiæ tum Reip. Christianæ eiusmodi licentia breuiter docebimus.

Digitized by Google

Capvt II.

Quæ & qualis fuerit libertas veteris Ecclesiæ à primo eius ortu ad tempora Constantini Mag. comparatio potestatis vtriusq; Ecclesiasticæ ac Ciuilis: & de vtriusq; iure tam ordinario quam extraordinario.

EXpositis variis modis eius Libertatis, quæ Christiana aut Ecclesiastica dici solet, priusquam aggredimur ostendere quo potissimum libertatis genere quæqua ætas Ecclesiæ sit vsa: faciendum videtur vt sacerdotalem potestatem cum Ciuili paucis comparemus: habet enim & Resp. Libertatem suam: quæ ab Ecclesiastica quid differat ex hac comparatione liquido palam fiet. Igitur, ne in tam amplo argumento longius quam instituti ratio postulat, oratio euagetur: proponemus quædam theoremata, siue vt loquuntur in scholis conclusiones, vim & iura vtriusque potestatis complectentes: deinde cuique theoremati breuem explicationem ac probationem subiiciemus.

I. *Ecclesia & Respublica interdum re & ratione: interdum ratione duntaxat differunt.*

Quod dicebat Optatus Mileuitanus, *Ecclesiam in Rep. esse*: id verissimum quidem est: sed eget interpretationis. Nam aliquando ita est Ecclesia in Rep. vt penitus separatas suas peculiares rationes habeat à rationibus Reipublicæ: qui fuit nascentis Ecclesiæ status, antequam obstinatos animos & peruicaciam infidelium Salutis doctrina perfregisset. Interdum sic Ecclesia est in Rep. vt eadem sit quadammodo Respublica: sicut tum accidit quando Paganicorum errorũ caligine depulsa, Christianismi professio vulgo ab hominibus fuit suscepta. Ex eo enim tempore, qui Remp. constituebat populus, idem etiam Ecclesia fuit: verum id diuersa ratione, & fine, vt mox dicetur. quare idẽ est aliquo modo, & non iidem. Auctores heic sæpe ἰδιότητα nominum parum seruant: & vel Reip. ea tribuunt quæ proprie conueniunt Ecclesiæ: vel contra. In epistola synodali ad Ludouicum Regem Francorum Caroli F. ipse Rex dicitur *Rector sanctæ Dei Ecclesiæ*. Rex proprie non est Rector Ecclesiæ: sed Reipublicæ προηγουμένως & primarie: Ecclesiæ vero quatenus pars est Reip. & κατ᾽ ἐπακολούθημα at ibidem & passim, audit Rex *Defensor Ecclesiæ*. proprie.

II. *In omni societate quæ diuersos habet fines, iidem & præesse & subesse possunt diuersis rationibus.*

Quæ ab hominibus ineuntur societates, qua priuatim qua publicè, eæ interdum simplicem habent finem: interdum plures simul. Quoties vectores nauem conscendunt, vt mare flumen traiiciant: tacitam societatem inter se iniisse intelliguntur: cuius finis vnicus & simplex, transuectio. Quando legio ad pugnandum cum hoste triremem ingreditur: duplex heic societas, & finis duplex: quatenus sunt vectores, gubernatori nauis omnes parent: quatenus milites, Tribuno legionis aut consuli. respectu gubernatoris etiam consul inter vectores: & tam huius quam omnium aliorum, salus à peritia & arte illius pendet, rursus gubernator respectu militarium imperiorum, consuli paret & iussa illius capessit. Et Ecclesia & Resp. instar nauis habent: eaq; similitudine passim veteres vtũtur. Ante receptum Euangelium, vnicus Reip. finis erat: degere hoc æui quanta maxima cum commoditate & honestate fieri posit. ea enim in fine, impulsu naturæ, ciuitates instituũtur. Aristoteles modo αὐτάρκειαν, quasi dicas, omnium rerum sufficientem copiam, nominat: modo, humanum bonũ, quod in fruitione illarum dotium & corporis & animi positum est, ad quas in hac vita participãdas, aptum natura finxit hominem. Dixi, in hac vita: quia Doctrinæ ciuilis pimarius finis nõ vltra patet. Est vero aliud insuper hominis bonum, ad cuius participationem, cum aptum initio hominem Deus creasset, atq; ille sua culpa aptitudinem illam amisisset: Christi Seruatoris beneficio immortali, eandem aptitudinem, & quidem efficaciorem iterum est nactus. illud bonum est, beatitas quæ in altera vita pios manet: ad cuius spem ea quæ dicitur Ecclesia in terris atq; intra Remp. ipsius Christi voce cogitur. Sicut instituendæ Reip. finis est adeptio humani boni: sic Ecclesiæ cogendæ, numinis cultus, & ad futuram beatitudinem præparatio. Nec diuerso fine duntaxat Ecclesia & Resp. distinguuntur: verum etiam conditione, institutis ac regimine. Respublica in hoc mundo tanquam in legitima sua patria versatur. opes & omnia vitæ huius instrumenta conquirit: potentiam sibi parat: & fines suos quantum potest promouet. quippe in eo humanum bonum quod dicebamus ex Aristotele, positum esse, vulgo homines autumant. Ecclesia, brabium supernæ vocationis persequens, vt ait Apostolus, & ad melioris vitæ fruitionem spes cogitationesq; suas indesinenter referens, terrenis bonis nõ fruitur, sed vtitur: neq; vt patriam suam terras colit: sed vt inquilina vel peregrina non autem vt ciuis, in iis hospitatur. Idcirco Patres Ecclesiam alio nomine Civitatem Dei vocitant. habet enim πολίτευμα suum & municipatum in cœlis, quod idem inquit Apostolus: didicitq; Ecclesia à Christo Rege suo dicere, *Regnum meum non est de hoc mundo*. hæc tanta diuersitas & rectores diuersos esse desiderat. Qui Ecclesiam regunt communi nomine Sacerdotes: qui Rempublicam, Principes dicuntur. Horum diuersa officia è finium exposita differentia pendẽt: idem è diuersitate subiectorum circa quæ versantur. Nam vt ait Synesius, politica facultas circa ὕλην *materiam* id est res humanas & mundanas, aut, vt Theologi loqui solent, negotia secularia, versatur: sacerdotium, circa Deum, ait idem: hoc est, res diuinas, aut certe humanas, quatenus diuinis sunt coniunctæ. Omnia igitur quæ ad diuina spectant, propriẽ sunt iuris sacerdotalis: & contra, quæcunq; ad publicam rem aut priuatorum bona, facultates & commoda pertinent, omnia iuris sunt Principalis. Ac quoniam in Republica, ceu pars in toto, est Ecclesia, huius quoq; conseruatio & defensio ad Principis officium tanto magis pertinebit, quo nobilior hæc pars est Reip. & quo pluris refert hanc sartam tectã conseruari. Postremò in reb᷑ merè diuinis sacerdotes plenariam potestatẽ obtinente, Princeps ouis erit: at in rebus ciuilibus, sacerdos cõmuni iure cum cæteris è populo censebitur: nisi beneficio principis prærogatiua honoris & priui-

legia

legia illi fuerunt indulta. Hinc sequitur necessario, sacris legibus & vniuersalis Ecclesiæ canonibus Principem Christianum teneri: ciuilibus & politicis sacerdotē. Gelasii Papæ qui circa annū CCCCXII. Felici in administratione A.S. successit, Doctrina hæc est ac sententia: sic enim scribit ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti n. fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerū tamen præsulibus diuinarum deuota colla submittis, atq; ab eis caussas tuæ salutis expetis. inq; sumendis cælestibus sacramentis, eisq; vt competit disponēdis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quā præesse. Nosti itaq; inter hæc ex illorum te pendere iudicio, nō illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si n. quantū ad ordinem pertinet disciplinæ, cognoscentes imperiū tibi superna dispositione collatū,* LEGIBVS TVIS IPSI QVOQVE PARENT RELIGIONIS ANTISTITES, *ne velint rebus mundanis excelsa videantur obuiare sententia: quo rogo te, decet affectu eis obedire, qui pro erogandis sunt attributi mysteriis?* Vides manifestissimam Gelasii sententiam: cum de salute agitur hoc est in spiritualibus, Imperatorem colla submittere: in cæteris, reb⁹, parere pontifices Principis imperio: cuius esse supremum ius in Republica postea ostendemus. Heic verò occurrunt exemtionis clericorum, quæ hodie appellatur libertas Ecclesiastica, patroni: & rem absurdam esse clamitant, vt qui spiritualia administrant tractantibus temporalia subsint. homines acuti non intelligunt, quod initio probauimus: cum primis esse naturæ consentaneū, vt vbi sunt fines diuersi & diuersę potestates, ibi etiam sint imperia diuersa: & idem numero imperet atq; pareat. ratione videlicet alia atq; alia. Sic sæpe videmus eos qui in vita ciuili amplissimos magistratus obtinent, postquam in castra deuenerunt, longe inferioribus parere. medicorum priuata fere vita est, & ab omni iurisdictione aliena. medicorum tamen imperiis ipsi imperatores obtemperant. idem igitur & inferior & superior. in quo venuste lusit olim Themistius: qui à professione sapiētiæ, quæ iure suo regibus imperat, ad sublimen Præfecturæ gradum translatus, ab imperatore Constatio, in elegantissimo epigrammate ita se ipse compellat: Νῦν ἀνάβηθι κάτω, σὺ γὰρ ἄνω κατέβης *nunc ascende deorsum quia sursū descendisti*: cui simile illud B. Chrysostomi homilia in Matt. LXVI. de sublimi Christi omnium domini humilitate, ὁ ταπεινώσας αὑτὸν, inquit, πάντων ἀνάβασις γέγονε. & similia multa apud eundem patrem.

III. *Ecclesia & Respublica Christiana vnicum agnoscit* CHRISTVM, *qui simul sit Rex & Sacerdos.*

Sacræ literæ vnius Christi sacerdotium in Ecclesia agnoscunt secūdum ordinem Melchisedechi: hoc est cum regno iunctum. Psalm. 109. & Apostolus ad Hebræos v. 6. Sane inter homines principio quum regna & dominationes sunt institutæ, erant iidem Reges & Sacerdotes: mansitque ea consuetudo apud Ægypticos aliosq; Barbaros, & ipsos etiam Græcos, per multa secula, vt Plato in Politico, Aristoteles in III. de Repub. Clemens Alexandrinus in VIII. & plures alii sunt auctores. Marcus quoquè Cicero in primò De diuinatione, hoc ipsum de antiquis Romanis testatur. mutauit deinde mos, & in locum primorum Regum, qui & Sacerdotes erant, Athenis, Romæ & alibi reges sacrificuli, tanquam dicis caussa, sunt instituti: non multū iis dissimiles qui celebrantur in mimo. regii n. præter nomen habebant nihil. Plato κληρωτοὺς reges vocat, vt qui sortitione fierent. Etiam in populo Dei similis quondam fuit obseruatio: nā vt de Melchisedecho Rege & Sacerdote notissimo ex vtriusq; Fœderis libris nihil dicam: constat veteres Patriarchas Noachum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, atq; adeo omnes primogenitos, vt docet Hyeronymus, regni & sacerdotii speciem quādam inter suos gessisse, Sed mutatæ consuetudinis auctorem DEVM prodit Synesius, epistola 57. vbi etiam mutationis caussam indicat: *quoniā*, inquit, *res diuina humano more curabatur: propterea coniunctas priùs in eadem persona vitas Sacram & Principalem Deus separauit.* & ait venustè idem præstantissimus scriptor: ἐν τῷ πολιτικὴν ἀρχὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα. Politicam facultatem sacerdotio iungere, conglomerare est in vnum res, quę natura sua coniungi nullo modo queant. Sed rationes cur in Ecclesia sua Dominus eam distinctionem seruari voluerit explicat accurate Galesius Papa, cuius verba necessariò hic asscribam: *Fuerint hæc*, inquit, *ante aduentum Christi, vt quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti pariter reges existerent & pariter sacerdotes: quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia.* mox: *Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atq; Pontificem, vltra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vindicauit. Quamuis enim membra ipsius, id est, veri Regis atq; Pontificis, secundum participationem naturæ magnifice vtrumq; in sacra generatione sumsisse dicantur, vt simul regale genus & sacerdotale subsistant: attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quo suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibusq; distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi: vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent: & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur: quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus: & ideò militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus: vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur: ne extolleretur vtroq; suffultus: & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* hæc Galesius in tomo de Anathematis vinculo: vnde accepit Nicolaus Papa, ex quo Gratianus. Notabis duas caussas grauissimas, cur in Ecclesia Dei nemo homo possit esse Rex & Sacerdos: Prior, *modestia vtriusque ordinis*. appellat auctor grauissimus *modestiam*, quam Græci Politici cum de natura Rerump. disputant ἰσοῤῥοπίαν & ζυγοστάσιον: *momentum æquale & liberamentum par*. docent enim, non posse firmam & stabilem Remp. esse, cuius partes quę geometria proportione illam constituunt, partibus hinc inde momentis in suo ac legitimo statu non contineantur. alioquin futurum omnino, quod heic ait Gelasius, vt nimia po-

iurato tamen ab iisdem iudicibus sacramento, vt eas Clericis nulla arte restituerent. Quod si restituissent, ipsi iudices sacris abstinerentur. Mulieribus vero illis iuxta priorū Canonum seueritate, à sacerdote distractis, pretiū earū, indigentibus dispensaretur. Hac synodo fuit anterior Toletana tertia, regno eiusdem gloriosissimi piissimi & Deo Fidelissimi Reccaredi Regis, priore hoc augustior, quod omnium Episcoporum Hispaniæ & Callecia erat toto cætu frequentior. Cui huc omnes mandato eiusdem principis conuenerant, tam de eius conuersione, quam de gentis Gothorum relicto Arrianismo innouatione in Domino exultaturi, diuinæque dignationi pro tanto munere gratias acturi, cuius Synodi ne dum cuncta discutimus, qui placere & iuuare volumus, prolixitate sermonis inofficiosi denotemur, ad propositum commodius satis erit excerpere sententias. Ibi ergo in conciliis, quę ad vniuersalem fidei tractatum cōueniunt, Principes præloquuntur: certa & vera congregatorum illuc Episcoporum cōfessio est, collapsæ cætus Ecclesiastici disciplinæ, instaurationem curę & operæ regalis fore: Ipsosque adeo Pontifices, Regiæ gubernationi subesse: Regis item, nō aliunde quam cœli munere ius esse synodos Episcoporum indicere: & eorum, facta indictione, si nolint sacris legibus contumaces suggillari, officium esse, sedulo efficacique obsequio, nulla cunctatione. præsentes & frequentes adesse. Insuper ibi agnoscunt Episcopi, diuina prouidentia, per instantiam principum, pelli & deturbari obices Hæreseon: Ecclesiæ mores obsoletos in antiquum nitorem restitui: ordinemque canonicum, quem sacerdotalibus sensibus iugis, detraxerat obliuio, & quem ætas illa senescire fatebatur, diuino dono, eiusdem Principis obsequio, rursum patefieri. Ibi placita principum, pronunciante Notario, recitantur. Ibi pia professio est, idololatras vtriusq; magistratus Regii & Ecclesiastici, sedulis efficacibusque censuris coercendos; parricidas filiorum parentes, quos est alere tedium numerosos; vtroque iudicio seueriter distringendos. Et ne hæc Ecclesiastica videretur Regię per gratiam cessisse potestati fides est ex actis synodi, eiusdem Regis Reccaredi gloriam, iudicibus imperare dignatam, ut amouendum cum sacerdote tantum facinus diligenter curarent, & adhibita seueritate prohiberent. Gothi in hac synodo veterem perfidiam exuentes, Regem suum secuti, per vnctionem sacrosancti Chrismatis, & manus impositionem, sancto paracleto spiritu recepto, ex alienis Christiani facti sunt, eidemque Regi, sancta constitutione, quicquid ad componendum Ecclesię statum, mandato suo, fraternitas Episcopalis statuerat, confirmanti, subscriptores fuerunt hoc ordine. *Ego Reccaredus Rex, fidem sanctam, & vera confessionem, quam vna per totum orbem Catholica confitetur Ecclesia, corde retinens, ore adfirmans, mea dextera, Deo protegente, subscripsi, ego Balda gloriosa Regina, hanc fidem, quam credidi & suscepi, manu mea, de toto corde subscripsi*, Secutæ sunt regales subscriptiones, plenæ iucundæ pietatis & religionis, Episcoporum acclamationes: *A Deo æternum meritum vero Catholico Reccaredo Regi, à Deo æterna corona vero Orthodoxo Reccaredo Regi præsens gloria & æterna amatori Dei, Reccaredo Regi, nouarū plebium in Ecclesia conquisitori, merenti veraciter Apostolicū meritum, qui Apostolicū impleuit officium.* Subscripserunt et anathematisantes, hæresim Arriani dogmatis Anastasius, Murila, Viligiscus, Somnila, Cardingus, Bercilla, Arbitrus, Ermiscrius Episcopi olim Arriani, tunc primū Christiani. Subscripserunt quoq; Gusscinus, Fonsæ, Affrila, Abila, Elarius, & oēs illustres Gothorum seniores, & hac synodis decretis meta fixa, sencitū est, vt semel in anno, in loco, quē Metropolitanus elegerit, congregarentur Episcopi: & illis in vnum conuenientibus, fierent sacræ societatis comites, locorum Iudices, & patrimoniorum fiscalium Actores; *Vt discant ex decreto* (inquiunt Episcopi.) *domini nostri Reccaredi Regis, quam piè, iustè, & humaniter, cum populis agere debeant, nec iniustis vectigalibus, & immoderatis exactionibus ipsos premant, sed potius à grauaminibus leuent, vt bonos populi tutores facere decet nec angariis, aut operis superfluis, vel priuatum onerent, vel fiscalem grauent. Ex regis insuper admonitione prospiciant Episcopi qualiter iudices cum populis agant, præmonitos corrigant, insolentes Principibus reos deferant, pertinaces* (*donec resipiant.*) *communione suspendant. Vtrique tamen, Episcopi, Iudices & Actores regalis patrimonii, non ante concilio excedant, quam locum elegerint, quo succedente tempore, ad concilium redeant.* Hic habes Lector bonam partem Sponsionis nostræ plena fide præstitam, scilicet, Iudices populares, & rei Regiæ priuatæ, & fiscalis Actores, suo iure, non nuper à temeritate, sed antiqua constitutione, synodorum Episcopalium, & esse participes & capaces, nempe ipsos Regii corporis partem, cui Regi, cælestis muneris prærogatiua, in conciliis locus, tanquam populi sibi à Deo crediti, vel sacris addicti, vel vacantis, capiti destinatus est. Hispalim iterum conuenerunt, Sisebuto Rege, Isidorus, Bisinnius, Rufinus, Cambra, Fidentius, Theodulphus, & Honorius Episcopi. Ibiq; in cætu ad Ecclesiasticas necessitates, non omnes sed quasdam coadunatorum Episcoporū, illustres viri Sisibutus rector rerū publicarum, & Sualanes Actor rerum Fiscaliū, loco suo, ipsis Episcopis consederunt. Non ergo solis intersunt iis Synodis sublimes seculi magistratus, quæ pro generali Ecclesiæ statu cōponendo, coguntur: Sed & iis, per quas in partem, nonnullis Ecclesiæ rebus datur opera reformandis, &, quod ad deprimendū clericale supercilīū non est vsquā clarius adnotatum, sedentibus seculi potestatibus, stat religiosissimus Clericatus. Toletū quartò conuentum est, annū iam tertiū regnante gloriosissimo principe Sisenando, Nonis Decēbribus, ab Hispanis & Callecis Sacerdotibus, iussu imperioq; commonitis Regio. Et tum cōsentientibus omniū sententiis, duo quædam decreta sunt, propositæ quæstioni lucē plurimam adferentia. Prius vt pro cōpellendis Iudicibus, vel secularib' viris, ad Synodū, strenuus à principe postularetur executor. Posterius vt hora diei prima ante solis ortum, oēs eliminentur Ecclesia, & conuenientes Episcopi, pariter introeant, & secundū ordinationis suæ tēpora sedeant: vocentur deinde presbyteri, quos causa probauerit introire: post hos ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Post Episcopos, presbyteri sedeāt: Diaconi in conspectu eorū stent. Deinde ingrediantur Laici, qui cōcilio interesse lecti meruerint. Ingrediant

Digitized by Google

quoque Notarii, quos ad recitandum, vel excipiendum ordo postulat. sedentes in diuturnó silentio sacerdotes, ad oratione vocet Archidiaconus, Oratione finita & ab omnibus, *Amen* reddito, monens Archidiaconus Episcopos, dicat, *Erigite vos.* Codex canonum sedentibus Episcopis in mediū proferatur: capitula de conciliis agendis pronuncientur: Metropolitanus Episcopus conuentū adloquatur. Tertium quoque quod ex iis subnotari meretur, & lectoribus ob occulos poni, est, iam olim vsitatum esse, legi ad concilium Episcoporum probatos laicos, non officio quidem gratuito, sed iure debito. Vt cum vna sit duorum ordinum Ecclesia, si desit alterius ordinis, vel pars, non iam sit Ecclesiasticum concilium, sed particulare contubernium. Ibidem, præterea (quod ante iam commonuimus) precepto excellentissimi Sinsenandi Regis, idem cōstituit sanctum concilium, vt omnes ingenui clerici, pro officio religionis, ab omni publica indictione, atq; labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruiant nullaque præditi necessitate ab Ecclesiasticis officiis retrahantur. Vnde probatio est, clericos publicis necessitatibus (si Regio munere non fiant immunes vacationemque meruerint) succedaneos esse cæterorum popularium imagine, quibus hęc est cælestibus imperiis subeunda functio & religiosa tantum frequentia piis admonitionibus ad Regem cōmuniter factis, soluitur. *Te quoque* (Episcopis inquientibus) *præsentem Regem ac futuros ætatum sequentium Principes humilitate debita deposcimus, vt moderati & mites erga subiectos existentes cum iustitia & pietate populos a Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qui vos nobis præstituit largitori Christo repēdatis, in humiditate cordis, cum studio bona regnantes actionis. Nec quisquam vestrum solus in causa reum sententia feriat, sed cōsensu publico, Rectoribus iudiciis sociis, manifesta delinquentiū culpa clareat, seruata à vobis in offensis mā-suetudine: vt non seueritate magis in illis quam indulgentia polleatis, vt dū omnia hac (authore Deo) pia à vobis moderatione conseruantur, & reges in populis, & populi in regibus, & Deus in vtrisq; lætetur.* Tandē annuente religiosissimo principe, definitionibus cōcilii subscribitur. Vnde quoq; probatur, annuentē principem, sua quibus consensit, fecisse decreta, claro regiæ potestatis in Ecclesiasticis conciliis testimonio, principes, ipsis conuentibus vel summos præesse, vel certe summate loco subscribere. Quinta quoq; synodo Toletanæ, gloriosus princeps Chintilanus rex, agens annū primum sui principat' interfuit, sociis Optimatibus & Seniorib' Palatinis. Synodus et Toletana sexta secundo eiusdē Chintelanis anno coacta est, 6. Idus Ian. quæ multas, iungens cum ipso principe, optimatibusq; eius illustribus, censuræ consortium, pietatis plenas constitutiones, ad obsequiū fidemq; Regis pertinentes, sanxit & constituit. Braccaræ præterea Calleciæ prouinciæ Metropolim ciuitatē, præcepto gloriosissimi regis Ariamiri, Cal. Maii conuenerunt Lucretius, Andræas, Martinus, Cottus, Hildericus, Lucentius, Timotheus, & Maliosus, quibus, aspirante domino, Regalis sublimitas concessit simul positis considere, & contagionē Priscillianicæ pestis è præcisis iam stirpib' subnascentē reuellere. Secūda itē Braccarensis synodus eiusdē regis Ariamiri, anno 2. 18. Cal. Ian. inspiratione Dei, ordinatione & præcepto eius, repræsentata est 7. et Toletana synodo cum ageretur annus Chindasuindi regis V. Cal. Nou. repressæ sunt clericales in regiam sublimitatem conspirationes. Sed & Reccesiuntus veræ clementiæ dignitate præcipuus rex, sacrum 8. in ciuitatē Toletanam coegit conciliū, & media synodo primūaccliuis, deinde sede Regia subl. mis, gratulatus est Episcopis, quod sua iussione conuenissent, & illustribus ex aula sua Regia viris, quos sanctæ synodo primatus interesse, iam dudum constitutus voluit, vtrisque diuini nominis adiutatione constrictis, *adiicio* (inquit) *consensionis meæ, verum plenumque promissum, vt quodcunque iustitia aut pietati salutarique discretioni, vicinum decernere sancto consensu elegeritis omne (fauente Deo) perficiam & aduersus omnimodam controuersiarum querelam principali authoritate muniam.* Sunt hæc (si non fallor) plenissima testimonia Regis suo iure Synodum accersentis & eodem iure Synodicas constitutiones exequentis. Huic quoque Synodo subscripsere post Episcopos, Abbates, Vicarios Episcoporum, viri illustres officii palatini Odoacer, & Odila Comites cubiculariorum, Aduulphus, Gabillo, Adaculphus, Gilla Commites, Paulus Comes Notariorum, Ruchila Comes patrimoniorum & frequentissimi Goticæ Nobilitatis proceres, titulis Ducatus, & Comitatus insignes. Nona synodus Toletana anno septimo eiusdem Reccesionti Regis Cal. Nouembribus, definientibus Episcopis sexdecim, alienorum votorum frustratores, qui certis adfixerunt locis sua beneficia, vt maneret, differentium gratia, vel ab Episcopis vel à Iudicibus seculi, corrigendos censuit. *Si autem (quod auerteret Deus) per sceleris societatem, vel Metropolites conniuerent, ad regias aures in castigationem noxia fraudis compellendas, vouēdum posteritatem admonuit*: certa probatione regiæ in votis fidelium potestatis, si vel in totū fraudentur, vel locis interpolentur. Anno 8. Toletana Synodus 10. gratias agit *glorioso rerum Dn. Recesiunto regi, cuius sanctissimo voto retenta sancta paternitatis traditione, ad sacrum potuit adunari conuentū,* quem pia & vera professione sanct. (qui huc conuenerunt) Episc. claudentes, dicunt eiusdem gloriosiss. principis inhærente voluntate religiosa, quicquid decreuerunt, Actorum se textibus adligasse, & subscriptionibus confirmasse, de moribus per antiquam traditionem receptis, authorem decretorum suorum principem, vel certè participem facientes. Collecti posthæc, in nomine S. Trinitatis Episcopus Carthag. prouinciæ, Toletū. Vuambani Regis, anno 4. 7. Id. Nou. *Eramus* (inquiunt) *hucusque pro collunione seculi labentis instabiles, quia series annosa temporū subducta luce conciliorū non tam auxerat vitia, quam matrem omnium errorum ignorantiam, mentibus otiosis ingesserat. Hactenus florentem Domini vineam deuastarunt apri frendentes sponsam Christi, quam sui preciosissimi sanguinis effusione, sibi conciliari conspirans hæreticorum subdola machinatio, inconsutile Domini vestem diuidere, vnitatē fidei scindere*

Digitized by Google

charitatis fomenta tollere, conata est: Proprioq; sensui pertinaciter inhærens, sacræ scripturæ puritatem suæ prauitatis intelligentia prophanauit. Præterea sacrosanctam Ecclesiam Dei vulnerant, etiam custodes eius, qui cum deberent ob dignitatis excellentiam cæteros ad charitatis & vnitatis obseruantiam, per exempla virtutum prouocare, sal infatuatum facti potius scandali quàm ædificationis suggerunt materiam. Cernimus hinc, quo Babylonicæ confusionis olla modo succensa, nunc auerterit & subduxerit conciliorum tempora, nunc sacerdotes Domini resolutis moribus, purpurata secutos incitamenta meretricis irretiuerit, nempe quia conuentus Ecclesiastici defuit disciplina: nec adfuit qui castigaret errantes, sermone diuino non tam neglecto quàm exoso: & sic cum defuerit pontificibus in vnum conuentum vocandis Regia præceptio, facta est deprauatorum vita totis sceleribus immanis. Cum tandem diuina clementia, praua in directa deplanans, negligentiæ diligentiam subrogans, ignorãtiæ disciplinam sufficiens, socordiæ solertiam, schismati veritatem substituens, pro zizaniis vera pacis vincula nectens, pro caducis cælestia, pro turpibus honesta desideria suscitans: In hacque lachrymarum valle mortuos potius quàm viuos, à terrenis & infimis ad sublimia nos erigens: in hoc vasto periculorum mari, sine remige, vagos sine clauo, huc illucque tempestatum collisis inter se fluctibus per abrupta iactatos, in continua malorum acie confligentes, vbi versutissimus insidiatur hostis, mille instructus nocendi artibus, ex alto cæli domicilio prospiciens & tempori ætatis nostræ se pronam dimisit, & excitauit saluti præparans nobis religiosi principis mentem, deuotam pariter & instructam. Cuius prouida solicitudinis voto, & lux Conciliorum renouata resplenduit, & alterna cætus nostri charitas, se mutuò vel corrigendis, vel instruendis moribus adparauit, dum & aggregandis nobis hortatu Principis gloriosi facultas data est, & opportuna supparata est disciplina reformandis Toletum ergo diuinæ voluntatis Imperio, & religiosi Principis iussu, euocatorum Episcoporum, quàm pia quàm hæc vera professio est, agnoscentium cælestia in euocatione Principis imperia, eiusdemq; prouidentiæ solicitudini, redditam Conciliorum lucem ad sarciendas Ecclesiæ clades, redhibentium. Dum moratur princeps synodos inuitare, qui legis tot vitiorum sordibus Ecclesiam fuisse deformatam, num ipse quoque vel coactus fateris suam Synodis à cælo per Regem authoritatem manare, quibus obliquitate querimoniarum Synodos non vrgentibus propè imputari vides Ecclesiasticam deprauationẽ? Cę e ũ si nec author, nec socius, nec inuitator, nec confessor, nec censor, nec subsignator Synodis & esse, & adesse & pręesse per Deũ debet Rex, vnde profiterẽter Episcopi, modo, diuinæ voluntatis imperio, iussu Regio, se ad instaurandos Ecclesiæ mores conuenisse? qua etiam ratione præfantur se prouidæ Principis solicitudini, restitutam conciliorum lucem debere, si nullam iis adgregandis, vel operam, vel curam vel debet sedulitatem? Sed ne sanctæ confessionis veritatem, vllo sinistræ suspicionis aculeo lacessas, cunctare, & audi decima quinta eiusdem synodi definitione sancitum: *Vt omni anno ad peragendam concilii celebritatem (tempore quo principis, vel Metropolitani definierit electio) deuotis animorum studiis, in sedem Metropolitanam, ab Episcopis confluatur, annali (si defuerint) nulla Regis præpediti potestate, vel ineuitabili necessitate, excommunicatione plectendis.* Hic tempus Rex & Metropolites definiunt Synodis, & absentia sacerdotum adesse negligentium, nulla potestatis Regiæ, vel ineuitabilis alterius necessitatis iustitia nitens, abstentione mulctatur, vt discamus & inuitationem atque adeo ad Synodum indicto tempore coactionem, & detrectatorum castigationem, Regii & Sacerdotalis esse iuris, ne deinde vacet quærere quid Regibus & Synodis sit commercii. In quorum diuino munere manum totas semel Synodos legimus esse traditas. Id eiusdẽ Synodi sanctis & piis sacerdotibus, hac plena pietatis adclamatione Principi Vuambano facta, sic profitentibus, *religiosus & amabilis Princeps Vuambanus (Ecclesiasticæ disciplinæ suo seculo nouus reparator) omissos conciliorum ordines non instaurare solùm studuit, sed annuis etiam recursibus celebrandos instituit, vt ad alternam morum correctionem, annuo tempore concurrentes Episcopi iuxta Prophetæ vaticinium, quod defractum est, adligent, & quod abiectum est, reducant.* Duodecima primo anno, Decima tertia anno quarto, Erigii Regis Toletanæ Synodi hoc habent institutæ operæ conueniens, quod Episcopi huc vocati, iussu Principis se conuenisse profitentur. Sed & hic consident Seniores Palatini, Principique, Synodali confessione, tanquam verè suum quid Episcoporum electio subsignatur, & tandem ex aulæ regalis officio, sublimes aliquot viri, ad consessum, tractatum, cẽsuram, subscriptionemque Synodales deliguntur, quibus se quoque consessurum Rex ipse pollicetur.

Circumduximus oculos officiosæ mentis, prope per omnes alicuius momenti variarum gentium Synodos, regiæ dignitatis in his, explorata in Ecclesiis earumque rebus, sublimitate: quia tamen nobis est cum prudentissimis exactique iudicii viris res futura, ne causentur medii seculi, (cuius eæ Synodi fætura sunt) Episcopos, infra prioris seculi Ecclesiarum magistri in imum propè puluerẽ, vel meticulosos, vel gratiosos, vel suæ functionis parum callentes elanguisse, & Principibus, (queis familiare vitium est efferri supra se, in magnis & mirabilibus ambulare, & plus quàm par sit, velle, in eum, qui supra recensitus est, Principatum, viam aperuisse) superest nobis huius opellæ reliquias in hoc occupare, vt medii seculi Episcopos suis maioribus respondisse, illorumque fidem secutos, in Ecclesiis locum Principibus solo Dei loco minorem, suo iure subscripsisse, nec illorum gratiæ quicquàm cessisse, vel dedisse doceamus. Et quia commodissimus docendis vel admonendis modus est, ex coniunctis authoritatibus ad doctrinam, vel monitionem gradum præstruere: videmur nobis operæprecium facturi, si antiquas etiam Gallorum Synodos superioribus anteriores discusserimus, vel vicinas Germanicas, & prope (si non interueniret Rhenus) coniunctas. Sumatur ergo nobis in manum Synodus Coloniensis, damnando Euphrati coacta, quarto Idus Maias, post consulatum Amantii, & Albini: in ipso cuius limine, dilucet Episcoporum professio, ius (hoc æuo) plebibus etiam

fuisse

fuisse sacerdotes in Synodum cogere, repressuros, qui Christum negassent, hæreticos. Nam hic recitata fuit epistola plebis Agrippinensium, qua excitati Episcopi ad damnationem deploratissimi illius Euphratis conuenerunt, Anno Constantii Imperatoris octauo: in qua & illud suo pondere loco; fraudandum non est, quod ex subscriptionibus laicorum, loco deiicitur absens & inauditus Episcopus. Certè si tantum plebi laicisq; hoc æui licuit, nihil plebis laicorumque Principibus licuisse minus statuendum est, ne capiti in sua membra Principatum impudentissimi fures rapiamus. Arausicam, Decio rumore viro clarissimo Consule, Galliæ prouincialis ciuitatem, conuentu Synodico decoratam fuisse, veteres produnt historiæ, Cæsario pietatis & sacrarum literarum laude, tum Arelatensi inter cæteros commendabili Episcopo. Occasio autem Synodi fuit dedicatio Basilicæ, ad quam Episcopos inuitauerat illustriss. Præfectus & Patricius Liberius. Sed alia non inferior causa Synodum commendabiliorem fecit, i. Pelagiani veneni lues, arrogansq; supercilium, gratiam Dei negantis, salutemq; suam sibi adserentis, opposito sanæ Doctrinæ pharmaco, repressum ne serperet, & iam prope nascens in ipsis cunis suffocatum. Et *quia definitionem* (ait idem qui Synodo præfuit Cæsarius) *sacri conuentus non solũ religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus & cupimus, placuit, vt etiam illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatem cõuenerunt, subscriberent. Petrus ergo, Marcellinus, Fœlix, Liberius, viri clarissimi & illustres Præfecti pretorius Galliarum, atq; Patricii subscripserunt.* Vnde fides est, anterioribus etiam seculis, ad considendum, censendum, subscribendumq; suis Regibus, & Regum Præfectis, in Synodis Ecclesiasticis, locum fuisse, eumq; non ad inanes, vel ociosas res, sed in tantæ grauitatis, quanta fides est gratiæ, per quam si non renascimur, & renati in æternæ gloriç municipatum, & perpetis immortalitatis coronã reformamur irç filii mansimus, futuri perpetuis ignibus in cibum, & combustionẽ. Cantatissimæ toti orbi Synodo Nicenæ, fuit author (& vt aliquid cum lectoris venia dicatur amplius) præformator, confessor & præfuit censor, quamuis humiliore throno, Constantinus veriore per religionem quam per imperium titulo maximus. Priuata sacerdotum iurgia, libellis oblatis vulgata, in Christum, totius seculi verum iudicem distulit, hoc testatus facto, non sibi iudicandi defuisse potestatem, qui dissidentes Episcopos moderat ore, futurũ Dei forsan acrius iudicium, nolentes per imperatam dilationem morari ac peruenire iussit Leone & Agathone Romanam Sedem regentibus, quæ Calchedonæ & Constantinopoli conuenerunt Synodi nuperiores, Martianum Constantinumq; Principes paribus Imperii quanquam paulò contractiorib᾽ fastigiis excelsos, præsentes & per Legatos nullis addictos Ecclesiasticis ministeriis, sed prætorianos iudices, admiserunt absentes, consessus, censuræq; vel Principes, vel (Romana etiam legatione non reclamante) collegas.

Repræsentauimus boni nominis debitores, æquis creditoribus, pactã in operis diuisione spõsionem, huiusq; toto libelli conatu, veriusquam libello, totum & per partes Principem (solo in Ecclesia Deo minorem) reliquis eius ordinibus ad omnium bonarum rerum conuentus euicimus autorem, sententiarum, subscriptionumq; vel certè collegam, & solum (qui sumus in diuina iurisdictione gradus est decretorum Synodicorum, donis sibi cœlitus erogatis executorem, vt posthac (nisi pertinacibus ocioq; abutentibus) non vacet inquirere, Regem ne pœnes Synodicarum rerum sit arbitrium, cœloq; manans Imperium membra monstrum est, non habere gratias capitis communes, i. non splendere fruiq; suo loco, Principis sui fulgoribus.

Cum ergo summatem locum Regibus, (effreni pœne testimoniorum cumulo) in conuentib. Ecclesiasticis reddiderimus, deesse videbimur officio nostro, si non & plebem, etiam in participatum tanti culminis, vocauerimus. Omnium Africanarum prima Synodus, Cypriani constantissimi & sacratissimi Dei Martyris auspiciis, hæreticos non habere, quod discordia perdiderant, & prodiderant secedentes à fontibus Ecclesię Baptisma, numeroso Dei Cõfessorum exercitu, pręsente maxima plebis parte definiuit. Præludebant (scilicet) membra Christiana, suis capitibus futuris olim Christianis Principibus, vt cum toto splendore diluxisset diuina in Ecclesiam suam gratia, radiis Regum coruscaret humilitas subditorum. E libertinæ quoq; Synodo, de capitis sui, i. Regio priuilegio, pręsens adfuit Christianæ plebis numerosa congregatio. Titulus testis hoc præfert, *residentibus etiam presbyteris, adstantibus Diaconibus, & omni plebe.* Romana plebs insuper, dum Saxonicus Otho medetur Ecclesiæ Romanæ in amouendo scelerato Ioanne Sacerdote languoribus, ipsa supplicauit, ipsa censuit, ipsa cum suo capite Principe consummauit, & illi, de nomine sui testis obsequii, Dux quidam fuit Imperiola, Imperii contractione suo capite minor, Imperatori tamen suo, tantæ rei per veritatem socius, & nominis quadam diminutione particeps. Facessat ergo ridiculus infernæ poesis versiculus.

Ite foras laici, non est vester locus icy,

Et posthac redeuntes ad mentis sanitatem deprauati Sacerdotes, Laicis Baptismi reliquorumque sacrorum consortibus, Synodicæ non inuideant vtilitatis participationem. Tu autem mente, sedulitate, conatibus totis, opibus, studiis, iugibus vigiliis, ad instaurationem deprauatę religionis iam multos annos feliciter incumbens: hisq; titulis, longe amplius quam gentili nobilitate (quanquam lectissima) sanctis & exactis iudiciis commendabilis (Domine frater) præcipitatam verius quam tractatam oppellam, benignus excipe, & lectam, si non probas supprime, si probas, (non minus quam ego ipse sum) tuam, rebus exhibe communibus profuturam.

LII

I. C. G.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.

Liber singularis.

Ad viros Politicos, qui de controuersia inter Paulum V. Pontificem Maximum & Rempublicam Venetam, edoceri cupiunt.

Anno Domini M D VII.

AD VERE PIVM ET VERE POLITICVM LECTOREM,

PRÆFATIO.

Sine caussa multi, etiam interdum viri graues, exortam nõ ita pridem controuersiam inter Paulum V. Pontificem Maximum & Serenissimam Rempublicam Venetam, tantopere sunt admirati. Nam vt imperitam rerum plebeculam, & sui duntaxat questus diurni satagentem, ad huiusmodi nuntium stupuisse meritò, atq; inhorruisse, non sit rationi alienum: ita, cur hominibus prudentia & notitia rerum ante gestarum, quaq; nunc cum maximè geruntur præstantibus, vlla admodum incesseret admiratio, nihil quicquam profectò erat. quippe illa demum sapientes mirari solent, quæ vel raro accidunt, vel caussas quare acciderint, obscuras habent, & ad peruestigandũ difficiles. At controuersiarum similium & bellorum etiam sæuissimorum, è pari caussa conflatorũ, exempla, quibus cunctæ præteritorum nostrorumq; adeo temporum historiæ sunt refertissimæ, quis potest vir prudens ignorare? Caussa porrò in promtu & omnibus obuia. Ex quo enim Summus Pontifex ab adulatoribus suis, fatali magnarum Potestatum peste, sibi persuaderi sinit, suum esse Orbis terrarum imperiũ: suam rerum omnium, non spiritualium solùm, sed & temporalium, vti vocant, dominationem: à se vno Reges vniuersos ac Principes pẽdere: vt cuius in manu sit regna firmare, mutare, adimere, & in quos voluerit cunq; transferre: quem antè ceu patrem communẽ omnes venerabantur: omnes grauari, suspectare, ac formidare cœperunt. hinc illa tam frequentia, tam diuturna, totiesq; repetita iurgia, discidia, bella deniq; funestissima, & à Pontifice & aduersus Pontificem ingentibus odiis gesta. Ac licet communi vtilitate exigente ab armis sæpe est cessatum: quia tamen inter diffidenteis animis & sententiis potestates, sibi inuicẽ perpetuo imminenteis, satis bona fide conuenire nunquam potuit, poterit nunquã: dilatio belli, non certa pax ea censeri debet. Pax antè fida niuibus & flammis erit. *Quis namq; vir cordatus, dominationis legitimæ compos, tam immensum & infinitum imperiũ, cui simile ne fando quidem est auditum, non detrectet? non omni nisu eat excussum? Omnino libertate sua, nedum maiestate, Principes spoliant, qui Pontifici potentiã istam, nullis coercitam finibus, diuina humanaq; iura omnia peræquè amplectentem, tribuũt. impunitas, fateor, illis erit interdum: securitas certe nunquã. Quare non si inter Pontificem ac Principes parum sæpe conueniat, admiratione digna res censeri debet: verum illud potius demirari conuenit, quibus tandem machinis persæpe generosæ mentes maximorum potentissimorumq; Principum expugnentur: vt cogi se in ordinem vel non intelligant: vel & scientes prudentesq; animis æquis patiantur. Enimuero qua arte plerisq; illorum aliud agentibus manus adeatur, operæpretium est attendere. Quemadmodum enim in ciuitate libera fieri amat, vt pauci quò rerum summam ad se trahant astu ciueis aggrediantur, & iis quæ sapientissimis philosophorum oligarchiæ sophismata nominat: ita planè qui huius inhonestæ seruitutis iugo, (de temporali dominatione Pontificis loquor:) Principes subiicere moliuntur: rei duritiem verborum honestate sedulò molliũt: certam & manifestam vsurpationem, vt iam æuo suo beatissimus pater Bernardus vocabat,* LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ *appellatione velãt. qui si nihil aliud intelligerent, quàm quod ipsæ præ se ferunt voces, amore omnium & prædicatione erant dignissimi. Christianus enim haberi non meretur qui libertatem & conseruationem Ecclesiæ Dei, sponsæ Domini Iesu, pro qua & vitã ponere ipse suã sustinuit, non optet, non pro virili parte adiuuet. Sed aliud longe heic agitur, aliud simulatur: aliud verbis palàm dicitur: aliud reuera in occulto sentitur: & dum Ecclesiæ libertas obtenditur, vnius cũ paucis dominatio impotens quæritur. quumque, non secus ac si in hoc vno religionis Christianæ cardo verteretur, certorum hominum in eo desudet hodie industria, vt maiestate sua Imperatoribus, Regibus, ac Principibus vniuersis detracta, non tam supra omnes, quam omnium loco vnus substituatur: inceptis omnibus atque ausis, mire interdum horrendis, Libertatis ecclesiasticæ blandum semper nomen prætexitur. Ne præteritarum calamitatum, quæ ab hoc vno fonte in Italiam, Galliam, Germaniã vbertim sæpe exundarunt memoriã refricem: nunc nuper Pontifex Maximus cum dirum illud anathematis carmen aduersus Serenissimam Venetorum Remp. pronuntiaret: tantarum irarum caussam attulit,* LIBERTATEM ECCLESIASTICAM VIOLATAM. *Fidem Dei atq; hominum! quenã*

ista

Digitized by Google

ista, obsecro, libertas est, cuius contemtus, tam illustris capitis, tã benè meriti de Ecclesia vniuersa Senatus, tot innocentiũ ciuitatum ac populorum damnatione æterna sit expiãdus? Sed cur nomina, quæ rerũ signa sunt, commutantur? neq; enim de Ecclesiæ libertate in hac caussa agitur: verùm de paucorum cõmodis, qui loquendi vsu quodam an abusu Ecclesiæ nomine censentur. de impunitate item Ecclesiasticorũ agitur, & licentia quiduis specie religionis audẽdi: non de electionum libertate, pro qua mille mortes oppetere, Senatus populusq; Venetus sint parati: nõ deniq; de re vlla ad cõmunem gregis Christiani vtilitatẽ spectante. En quæ dicitur hodie libertas ecclesiastica: quæ tot insontium animarum damnatione sancitur: cuius gratia stabiliendæ DEI OPT. MAX. *laudes silere: iuge sacrificium iubetur tolli: omni pietatis exercitatione infinita multitudo, nihil commerita misella, interdicitur: belli quinetiam & omniũ malorum quæ bella comitantur, metus incutitur. Quid multa? hac est illa libertas, aduersus quam si quis patriæ charitate ductus, mutire audeat,* POLITICVS *è vestigio, tanquam Christiani appellatione indignus incipit vocitari. Vnum hoc nimirum seculo nostro ad omne dedecus restabat, vt quasi parũ in multas partes Ecclesia Dei nostra hac tempestate foret scissa: nouum istud insuper à turbulentis quibusdã tribunis, publicæ tranquillitatis iuratis hostibus adinueniretur nomen: quo consentientes cæteroquin in fidei dogmatis inuicem abalienent: abalienatos in partes secedere compellãt: aut illis etiam, si fortè, velint nolint se adiungere, quos à communione Romanæ Ecclesiæ esse suspensos, Christianus orbis vniuersus dudum gemit.* Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. *Et tamen, quid eos velle aliud aut quærere hodie censeas, qui Politicis quos nominant, voce & scriptis inclementer assiduè dicunt? in odium plebi leuissima illos vocãt: differunt, lacerãt, & immanibus conuitiis proscindunt.* Nouatores, Nouatoribus ortos, impios, hæreticos, *locis sexcentis suorum Annalium illustrissimus Cardinalis Baronius, ipsos nominat. Sunt in omnium manibus diuersorum auctorum scripta, velut Thomæ Bozzii, Alexandri Carerii Patauini, Romæ, Patauii, atque alibi, ad defensionem istius libertatis ecclesiasticæ* ADVERSVS IMPIOS POLITICOS *publicata: isto enim titulo libri proscribuntur. Pulchram sanè & oppido efficacem rationem, gregem vniuersum ad vnum ouile reducendi: cum & domestici atrocibus maledictis, quæ ingenuorum supplicia sunt, veluti furcis, quod aiunt, foras extruduntur: & iam alienatis, spes quoq; ipsa reditus, nouis quotidie offensaculis obiectis, in æternum præciditur. Sed est tanti libertas ista: vt ad tuitionem illius suisq; deque miscere omnia, cœlum terra, sacra profanis, nullus sit pudor. quumq; cœlestis Doctoris præcepta sint* ἀναντίρρητα *ad quæ suo etiam ipse exemplo nobis præiuit: Charitatem super omnia modis omnibus fouere, vel cum inimicis: &, Potestatibus à Deo institutis subiici, ac propter conscientiam dicto illis esse audientes: adstruendæ firmandæq; libertati huic, per tot meliora secula incognitæ, penitusq; inauditæ, iurgia assiduè serere, bella vbiq; ciere, Regibus ac Principibus terrori esse, subditos eorum legibus soluere, atq; in proprios armare Principes, cũcta deniq; diuina & humana iura temerare, pium & sanctum vocatur, ac Deo gratissimum esse disputatur. Nempe ita facere illos oportet, qui veteri dicto fidem apud posteros cogitent conciliare:* Male imperando summum imperium amittitur. *Verum ad vos, grauissimi prudentissimiq; viri, qui Principum concilia participatis, iam me conuerto: atq; vt libellum hunc pingui illum quidẽ Minerua scriptum, sed ab amore veritatis & erga potestates diuinitus institutas, deuotione singulari profectum, lectione vestra dignemini, à vobis peto atq; contendo. Interest fidei vestræ, quorum consiliis cuncta in Rep. administrantur, vt caussam hanc, quæ vim omnẽ dominationis ciuilis bene intellecta firmat, sin aliter, destruit, & perspectam ipsi penitissimè habeatis: & à cunctis vestrorum Dominorum subditis velitis studeatisq; accuratè cognosci. Omnium verò maximè Principum vestrorum interest, vt nudam rei veritatem hac in parte à vobis accipiant, eamq; rectè capiant. Solent enim doctrinæ istius assertores, homines solertissimæ industriæ atque ingeniosissimi, mirifice illis obrepere, & verbis honestis, quod ante dicebamus, pestilentis doctrinæ venenum incautis propinare. longe enim aliter apud aureis Principum de hac quæstione loquuntur, aliter apud vulgus & in libris suis blaterant. Quod quidem artificium ita feliciter hactenus illis processit, vt quid vere sentiant, quid doceant super potestate principali, pauci adhuc Principes videantur cognouisse. Posthac vero ne rem necessariam possint ignorare, cautio vestra est, prudentissimi sapiẽtissimiq; viri. Nos quidem summis ex ordine vestro proceribus scimus esse persuasissimũ, idq; hoc breui libello clare & liquidò nos demonstrasse confidimus: si doctrinæ isti locus detur, & hæc* ψευδώνυμος *libertas in animos hominum prius admittatur, quam excutiatur: ilicet de ciuilium omnium potestatum vi atq; iuribus esse actum & conclamatum. dominationis enim res ipsa penitus adimitur Principibus: vtut nomen inane illis videatur relinqui. quanquam ne nominis quidem vsurpandi ius, nisi ad alienum arbitrium, per hãc doctrinam ipsis conceditur. quo quid contumeliosius, quid magis probrosum iis possit accidere, qui sublimè dignitatis suæ fastigium vni Deo ferunt acceptum? cuius ordinationi manifesto repugnant, qui iura principatuum subuertunt, subditos fidei sacramento soluũt, vincula dominationis ciuilis omnia abrũpunt. Hoc facite cognoscant, sciant, penitusq; imbibant & qui regunt & qui reguntur. Omnium Principum communis hæc caussa est: omnium enim libertatem falsò dicta hæc libertas ecclesiastica opprimit. quid dico opprimit? imo verò regna integra legitimis possessoribus erepta, obtentu huius*

sancti Pontifici Maximo vindicantur. idq; tanta vehementia, tanta verborum acrimonia atq; atrocitate, nihil vt queat magis. Legatur, quaeso, vel vnica illa accuratissima Cardinalis Baronii digressio in XI. Annalium, qua Siciliae regnum à Rege Catholico it repetitū. miraberis Carolum V. immortali laude dignissimum Imperatorem cum filio ac nepote, duobus Philippis Hispaniarum Catholicis Reg. S. A. propugnatoribus acerrimis, non secus ac viles quosdam orbis terrarum praedones, & ecclesiae hostes esse exceptos. quo autem iure? Libertatis nēpe huiusce ecclesiasticae: cuius nomen singulis paginis ad fastidium vsq; ab auctore inculcatur. Ite nunc Principes, & patrocinio istius libertatis opes, regnū & vos ipsos impēdite. Nec refert, quod quibusdā illorū ab hac Doctrina nihil in praesens videtur mali impendere. nam si semel in animis subditorū fundamenta suae dominationis labefactari per incuriam passi fuerint: ipsam quoq; dominationē & imperium suū labare, nutare, ac parum validis radicibus esse fundatū, omnino necesse est. Cogitate, viri prudentissimi, omnibus minari Principibus, vni qui iniuriam facit. Cogitate sapiētissime illud à Felice II. Romano Pont. esse dictū: Error cui nō resistitur approbatur: & veritas quae minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis deturbare peruersam opinionē, nihil est aliud quam fouere. *Cogitate eos vos esse Politicos, quorum nomē sectae istius auctoribus tātopere est exosum. Facite igitur, vt vim nominis vestri probe vos intelligere, & verè Doctrinae ciuilis esse peritos, reapse experiantur: futuri prouidos,* ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω *sagaciter prospicientes: & quod prudentiū docet esse propriū sapiens ille Megalopolitanus: non Fortunae fidentes, verum consiliis quae recta ratio suaserit. Quod superest, omneis eos in quorum manus haec nostra inciderint, obsecro atq; obtestor, vt si quid paullo liberius in hac disputatione nobis forte exciderit: neq; maleuolentiae id ascribant, neq; irreuerentiae erga sacrum ordinem, quem debito honore colere me ac venerari profiteor: sed partim amori patriae, omne id quicquid erit condonent: quem esse in nobis vehementissimum nunquam dissimulaturi sumus: partim studio veritatis: cuius praecipuam semper in omni disquisitione habendā esse rationem dubitat nemo, qui quidem hominem se esse natum rectae rationis participem meminerit. Ita DOMINVS IESVS qui nec fallere nec falli potest mea supplicis vota exaudiat. Valete prudentissimi amplissimique viri. & cū DEO bene rem gerite.*

ELENCHVS CAPITVM LIBRI HVIVS, DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA LIBER SINGVLARIS.

CAPVT I.

Caussa & occasio scriptionis huius. Nominis explicatio. Libertatis variae species. Libertatem Christianam à Deo datam, SS. patribus antiquis saepè memorari. Libertatem Ecclesiasticam non item. Error interpretum Iuris canonici in definienda libertate Ecclesiastica. eius definitio accuratè vestigatur.

OMnes homines libertatem bonum animi inter praecipua, amant, sibi optant, eiusque caussa aliis fauent. Ecclesiam verò catholicam Domini Iesu Christi, columnam veritatis, salutis portum, cun-

cti su-

qui suspiciunt atque venerantur veri Catholici ac Christiani. Et tamen erga Ecclesiasticam libertatem, quam hodie vocant, nō eodem modo omnes qui dicuntur & sunt profectò Catholici ac Christiani, apparent animati. Multi vnicam pietatis Christianæ hanc arcem putant: in huius propugnatione & amplificatione summam religionis totius ponunt: aliter sentiētes vt in errore pernicioso versanteis deuitant, & pro sacris atq; intestabilibus eos habent. pertendere contra alii, falli istos atq; errorem insanum magnum errare: & vim huius appellationis aut simpliciter ignorare, aut subdole dissimulare. quippe hodie libertatis speciosum nomen ab iis prætexi, qui alienum seruitium, & dominationem sibi concupiunt. Quemadmodum vitia sæpe esse virtutes mentiūtur, vt tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio pietas, velit videri, quod Gregorius Magnus aiebat: sic libertatem Ecclesiasticam falso ab illis dici atq; ostendi, qui Ecclesiæ, non vindicta Prætoris, sed pretioso Christi sanguine in libertatem assertæ, ipsis etiam Regibus ac Principibus durissimæ seruitutis iugum eant impositum. Bonitatis verba imitari cum noxam pares maiorem esse malitiam. Enimuero nemo est paullo historiarum peritior quin sciat, Libertatem hanc Ecclesiasticā ab aliquot retro seculis instar fomitis cuiusdam fuisse atq; incentiui, quod populos in Europa Christianos inter se commisit, bellisq; dirissimis, atq; iis admodum diuturnis, miserandum in modum lugubriter attriuit. Nunc quoq; cur ille nobilissimus orbis terrarum ocellus, Italiam dico, turbetur & inter bellum ac pacem, salutem aut perniciem, nutet incertus, eadem ista libertas Ecclesiastica est in caussa. Hoc enim queritur Pontifex Maximus Paulus V. in elogio damnationis aduersus Serenissimam Rempublicam Venetam prolatæ; VIOLATIONE LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ suam sibi maiestatem eos imminuisse. Veneti è contrario, iura Reipublicæ suæ & veram Ecclesiæ libertatem à se proditam iri, si Pontifici morem in hac parte gesserint. Est omnino quæstio hæc longe grauissima: quæque meritò præstantissima multorum ingenia excitauit, vt partis vtriusq; iusta certatim literis mandarent. In tāta scribentium copia nulla erit, spero, inuidia, si & nos cepit impetus rem tantam penitius cognoscēdi. cum præsertim magnus nobis ab illustrissimo Cardinali Baronio scrupulus esset iniectus: qui tot locis suorum Annalium ita libertatem hanc propugnat, vt secius erga illam animatos, hæreticos, & flammis æternis addictos pronuntiare non vereatur. quis erit Catholicus tam socors & salutis suę securus, quem tam atrox denuntiatio non aduertat? non incendat cupiditate intelligendi quid rei sit, quod Libertatis Ecclesiasticæ nomine hodie censetur? nos quæsiuimus, non contēdendi studio, testamur Deum immortalem: sed veri inueniendi desiderio. Igitur, vt ordine ac via progrediatur disputatio, à capite quæstionem arcessemus, & de nomine ipso primum, cuius varia & multiplex vsurpatio, paucis agemus.

LIBER prima notione verbum est ruri natum, vt *clades soboles*, & alia multa, quæ posterior ætas ad res diuersissimas transtulit: λέπος Græcis, cortex arbori detractus. sed pro π alii β ponebant: vnde λεβηρίς dicta quasi λεπηρίς, auctoribus Grammaticis: qui primitus ea voce significari scribunt λέπος κυάμου fabæ corticem. Veteribus latinis ex eo *liber*, notione eadem primò: cortex ab arbore sua solutus: *liberare*, corticem detrahere. postea cum in bellis captus aliquis captorem suum eluserat, militari elegantia an lasciuia *liber* dici cepit. vt contra qui semel captus victori adhærebat, neque poterat se expedire, *seruus* & *mancipium*. paullo aliter Græcis, ἐλεύθερος ob facultatem eundi quo vellet: non vt nugantur ὁ ἐλεύθων ὅπου ἐρᾷ. sed pari analogia ac κηδεμὼν is ad quem funus pertinet, à κήδω ... & alia hoc genus. Libertas igitur captiuitati & seruituti opponitur. ceterū & libertas & seruitus multis modis in hominem cadunt: multa item sunt loquendi genera in quibus varia notione vox hæc vsurpatur. de quibus breuiter heic dicendum, ne nominis ignoratio rei ignorantiam, quod alioquin necessario fit, secum trahat. Doctè enim in Gorgia Plato: *qui nomina rectè norit, & res ipsas eadem nouerit*. Plutarchus quoq; sanè quam verissime, ex communi, vt ait, Philosophorum sententia: *qui nomina interpretari rectè non didicerunt, hi & res ipsas perperam accipiunt*. quod in proposita quæstione multis hodie euenire, quæ deinceps dicentur manifestissimè arguent. verùm ad rem. Libertas propriè personis tribuitur: interdum tamen & inanimatis rebus: pro immunitate vel peculiari quodā iure illis indulto. Hominis libertas, vel in singulis spectari potest, vel in pluribus vnum quasi corpus constituentibus. Eius quæ singulis competit, tot species sunt, quot sunt rerum genera ad quas voluntates hominum possunt referri. semper n. ratione voluntatis atque arbitrii de homine dicitur libertas aut seruitus. Voluntates hominum vel res illas respiciunt quas humanus intellectus appetit vt sibi necessarias, quatenus animal est vitæ particeps, sacra scriptura & Patres vocant τὰ βιωτικὰ vitæ huius instrumenta. Aristoteles τὰ πρὸς τὸ εἶναι ἀναγκαῖα, necessaria vt sis. vel ad illas actiones respiciunt in quib⁹ virtutis & vitii discrimen intelligitur; quæ homini conueniunt quatenus rationis est particeps. Philosophus vocat necessaria πρὸς τὸ καλῶς εἶναι: vt non vitam solum degas, sed eam honestam. vel deniq; ad ea spectant, quæ hominis intellectus appetit, quatenus cœlestis suæ originis memor, ad futuram vitam & beatitudinem se comparat. hinc & libertas triplex oritur. Prima est corporis: quæ & primęua appellatio libertatis. de hac multa in libris prudentiæ ciuilis: Sacra Scriptura & Theologorū, non ita multa. quia ad ciuilem vitam plurimum interest liber sit aliquis an seruus. ad futuram beatitatem consequendam nihil prorsus, sicut per sępè in Euangelio docemur. & si vt liberi quam serui esse peroptemus, diserte monet S. Apostolus, priore ad Corinthios. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Sacro ordine & familiis monachorum arceri seruos, multis super eo canonibus & constitutionibus editis, nemo nescit. Proxima huic est libertas animi, priore tanto nobilior, quanto nobilior est animus corpore. hac carent qui vitiis & affectibus seruiunt. illi tenēt, qui expul-

fis vulgi erroribus; vni addicti virtuti nihil cupiunt, nihil metuunt. ad hanc consequendam Moralis tota Philosophorum doctrina fuit comparata. & notissimum est Stoicorum scitum: Solum sapientem esse liberum, cæteros omnes seruos. Sed neque per humani ingenii sapientiam, neque etiã per Mosaicam legem, quæ populo Iudaico pietatis & virtutis fuit magistra, ad libertatem animi potuit quisquam peruenire. omneis enim mortales quà Iudæi quà Græci, peccati serui, vt in diuina illa ad Romanos epistola euincit Apostolus. itaq; nemo ex omnibus mortalibus liber. Tertiũ ideo libertatis genus fuit opus, vt ad optatam libertatẽ homines possent euadere. Hęc est illa spiritus non animi solum libertas, Fidelium propria, morte Domini nostri Iesu Christi Ecclesiæ ipsius parta, tanto priore præstantior, quanto cælestia humanis antecellunt, vita morte, gloria æterna cruciatibus sempiternis. de hac libertate B. Thomas in Iohannis Euangelii: *Sermo domini per hoc quod est veritas, liberat à coactione & obligatione vanitatis: per hoc quod est sermo gratiæ liberat à culpa & iniquitatis seruitute: per hoc autẽ quod est sermo omnipotẽtis Dei, liberat à seruitute miseriæ. Primo dat libertatẽ naturæ, secundo libertatẽ gratiæ, tertiò libertatẽ gloriæ.* hæc vir acutissimus. Theologi grauissimi libertatẽ hanc ad duo ista referunt: liberationẽ à morte quæ stipendium est peccati. & à præceptorũ legis Mosaicæ præsertim cæremonialis rigida obseruatione. itaq; libertas Christiana duorum generũ est. de priore loquitur Dominus in 8. Iohannis: *Amen amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati seruus autem non manet in æternũ si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* de posteriore B. Apostolus Paulus, ad Galatas cap. 4 vbi post expositũ libertatis huius typum, concludit ad extremũ: *non sumus ancillæ filii, sed liberæ. qua libertate igitur Christus nos liberauit, in ea state: & nolite rursus iugo seruitutis contineri.* Est vero illa demum absoluta libertas cum Deo seruimus, propterea in sacris literis liberum esse, & Deo seruire verbis differũt, re sunt idem. B. Petrus in priore: *quasi liberi, & non quasi velamen habentes libertatem: sed sicut serui Dei.* & Paulus in ea ad Romanos libertatem Christianã vocat *seruitutẽ iustitiæ.* Dominus in Euangelio *iugum* sed lene & subeuntibus salutare ὁ ζυγός μου, inquit, χρηστός huic contrariũ est iugum legalium sarcinarum & præsumtionũ humanarum, quę imperitorum conscientiis onera alligant superuacua, vt piè admonet B. Augustinus in erudita illa ad Ianuariũ epistola 119. *Hoc* inquit, *nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt minus curãtur: & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripiatur qui per octauas suas terrã nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit.* Solent etiam beati Patres libertatem Christianam appellare, fiduciam illam quæ bonæ conscientiæ comes est indiuidua: quando aliquis vni Deo placere laborans, gratiam & odium hominum pariter contemnit. hoc sensu dicit Chrysostomus tertio De sacerdotio, cauendum sacerdoti ne potentię cupidus locum illum ambiat: *vt cum libertate omnia ipsi administrare liceat. nam qui in hac potestate ostentui esse non cupit: nec depositionem ab illa formidat. porrò qui metus huius est expers, cum libertate Christianis conueniente omnia facere poterit.* subiungit postea de metu huic libertati & contrario. Petrus Damiani aduersus Leonem Papam arma tractantẽ declamans in epistola ad Firminũ Episcopum. *Et reuera qua fronte, qua libertatis audacia sacerdos quilibet in dissidentium confœderatione desudet, cum ipse suis offensoribus non remissionis indulgeat veniã, sed effrenetur implacabiliter ad vindictã.* idem Chrysostomus alibi *libertatem* nominat Sanctorum fiduciam bonis operibus partam: vt cum in sermone de Babyla hunc martyrem ait LIBERTATE *vel, superiorem vel certe parem Eliæ ac Iohanni fuisse.* φησὶ inquit, ὥστε μηδὲ τὸ τυχὸν ἀπολειφθῆναι τῆς ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ τῶν ἁγίων ἐκείνων ἀνδρῶν. passim alibi idem Sanctus hanc libertatem vocat παῤῥησίαν & πεποίθησιν. quæ sunt Apostolo familia verba. Latino interpreti, *fiducia* & *confidentia.* Etiam quæ piorum cætui & Ecclesiæ tribuitur à Deo libertas multifariam potest distingui. Interdũ *libertas Ecclesiæ* appellatur, libera conueniendi ad cultũ Dei facultas, à principe & peti & impetrari solita: quod Gregorius Nazianzenus ad Nectarium scribens, dixit ἐξουσίαν λαῶν συνάξεως: quidam hodie vocant *libertatem conscientiæ.* Optatus Mileuitanus simpliciter *libertatẽ.* Diuersa ab ista est illa Libertas Ecclesię, q̃ ipsi datã esse à Christo Ephesini cõcilii Patres pronuntiant. qua de re plura erunt dicenda cap. 3. Atq; hæ sunt Ecclesiæ libertates, quarum partim sacræ literæ, partim venerandi Patres antiquæ Ecclesiæ Græcæ & Romanæ meminerunt. Postea verò quàm publicè Christianismus fuit receptus, & clerus per imperatores primò, deinde Reges atq; alios proceres Christianos, opibus & dignitate fuit auctus: tũ enimuero cepit paullatim in Ecclesia Dei inter alia multa prius inaudita, vox LIBERTATIS noua significatione vsurpari. honoris. n. prærogatiuam, priuilegia, immunitates & similia omnia iura LIBERTATEM ECCLESIASTICAM, aut numero multitudinis LIBERTATES dixerunt. atq; hoc verbi in frequentẽ adeo vsum tandem venit, vt nullum magis. Quando primum ea vox in Ecclesiis audiri cepta videatur, capite quarto dicemus. Quid autẽ Libertatis Ecclesiasticæ appellatione intelligatur, necdum satis ad liquidum declaratum inuenio. & mirari sæpe subit, quum in iure Canonico tot locis huius libertatis fiat mentio: nusquã tamen ad vim verbi declarandam ne descriptionem quidem vllam, nedum accuratam definitionem esse adhibitam. Interpretes vero Canonici iuris adeo diuersas super hoc sententias prodiderunt, vt frustra inde auxilium speres. Liquet nobis, pro affectu cui usque erga Pontificem Maximum, & R. S. aliter atq; aliter esse ab iis pronuntiatum. In priuilegiorum & immunitatum diplomatis quæ olim imperatores Christiani aliique Principes, postea etiam Ro. Papæ modo vniuersæ Eccclesiæ, modò alicui priuatim soliti concedere, vocum LIBER & LIBERTAS tralatitius ac sollemnis est vsus. In diplomate Caroli Magni circa annum ab humani generis redemtione DCCCIV. Osnaburgensi Ecclesiæ in Saxonia indulto, hæc leguntur: *Insuper eidem episcopo eiusque successoribus perpetuam concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem: nisi forte contingat vt imper.* &c. In diplo-

diplomate Nicolai II. circa annum Domini CIↃLX. in gratiam monasterii S. Felicitatis Florentiæ emisso: *Liberum præterea idem reddimus monasterium, atq; absolutum ab omni seculari & mundana conditione siue districtione*. in aliis leges *liberam concedimus facultatem*, & *liberum esse volumus*. nõ dubium est mihi, quin ab hac origine Libertatis Ecclesiasticę manarit appellatio. nam & vulgò *libertas* pro priuilegio vsurpabant: & vt ante dicebamus, rude illud atq; impolitum seculum vocem hanc supra modum frequentauit: vt aliquando quid sibi velint coniectura sit diuinandum. In edicto Friderici Ahenobarbi A.D.CIↃ.CCXII. facto, quo duo monasteria vniuntur. *turbatores temerarios nostræ huius libertatis & vnionis tanquam rebelles numini in perpetuum bannimus*. postea vocat *concessionẽ & donationẽ*. sæpè etiam *priuilegium ac libertas* iunctim ponũtur. vel *libertas & immunitas*. vt in Decretali de immunitate, Sexti lib. 3. item, *iura & libertates*, vt ibidẽ. apud Rigordum, *libertas militũ* & *libertas ac specialis prærogatiua scholarium* Parisiis sub R. Philippo Augusto & eius Patre. *libertates seculares* quid appellet Bonifacius is qui Germanorũ Apostolus est dictus, non sine caussa dubitet aliquis. Sic ille in epist. ad Eadburgã, cognomento Buggã Regis Cantiorum consanguineã: *Melius mihi videtur, si propter libertates seculares in Patria libertatẽ quietæ mentis habere nullatenus possis, vt peregrinatione libertatem contemplationis, si valueris & possis, acquiras*. illud verò minus etiam capio, q̃ in epist. Gegorii VII. ad P. Albanensem episco. & G. Principem Salernitanum scribitur. *Item Magnus Imperator* (de Carolo Magno loquitur) *Saxoniam obtulit beato Petro, eius etiã deuicit adiutorio, & posuit signum deuotionis & libertatis, sicut Saxones ipsi habent scriptum, & prudentes illorũ satis sciunt*. hoc est suæ deuotionis, & libertatis Romanæ Ecclesię ac dominationis quã habet in omnes & in omnia. si quis aliter interpretari voluerit per me licet. est n. obscura satis sententia. nec multo clari⁹ illud in diplomate Vrbani II. quo factum cõfirmat Berengarii Comitis qui eius auctoritate cõmonitus, vt ipse Vrbanus testatur, Tarraconem cum agro suo iuris papalis fecerat: Ait: *Nos itaq; qui præstante Deo restitutionis huius optamus cooperatores existere prædicti Comitis institutum libertatesq; & consuetudines, quas nouis Tarraconensis vrbis colonis permulgasse cognoscitur, collaudamus*. Ex ista igitur loquendi consuetudine LIBERTAS ECCLESIASTICA nomen inuenit in Ecclesia Latina: nam Græci vt rem ipsam, ita & nomen ignorarunt. de ea loquor libertate Ecclesiastica, quæ hodie tantopere iactatur, & peculiariter ita nominatur. Nam errant grauissimè, qui istam libertatem Ecclesiasticam, cum potestate Ecclesiæ confundunt, & cum iure bona cuiuscunq; generis possidendi, cum immunitate, & priuilegiis. Potestas vera Ecclesiæ de qua extat liber eximi⁹ Iohannis Gersonis Theologi excellentissimi, ea est quam B. Chrysostomus de munere Sacerdotali disserens, in ἔργῳ & ἀρχῇ siue τιμῇ distinguit: *functionem ipsam muneris sacerdotalis, & honorem qui sacerdotibus debetur*, de quo plura sequenti capite. vocat & αὐθεντίαν. hæc potestas vtrum ex iure diuino sit an non, sine blasphemia disputari non potest: quum sit piis omnibus persuasissimũ, statim à principio Christum Ecclesiæ suæ & ministris ipsius eam tribuisse. at libertas Ecclesiastica vtrum sit ex iure diuino, diu est cum quærunt Canonici iuris interpretes, & adhuc sub iudice lis est. Et merito sane plerisq; [illegible] absurdum videtur, iure diuino introductam rem dicere, quam melior Ecclesia per tot secula penitus ignorauit. Ius bona possidendi, in Græcorum canonib⁹ est δίκαιον κτήσεως vel κατοχῆς immunitas, ἀτέλεια τῶν λειτουργιῶν, vel simpliciter ἀτέλεια, aut ἀλειτουργησία. Priuilegia ibidem προνόμια dicuntur, & φιλοτιμήματα βασιλικά, δίκαια siue δικαιώματα: interdum etiam παραμυθίας, & vt *libertatem* pro priuilegio vsurpari ostendimus: Sic ἐλευθερίαν & αὐτεξουσιότητα *libertatem*, & *propria voluntatis arbitrium* in libris Iuris canonici Gręcorum priuilegia certis monasteriis indulta ab imperatoribus Constantinop. dici obseruauimus. Extat Alexii Comneni constitutio, in qua mentio fit monasteriorum institutorũ vel κατ' ἐπίδοσιν, vel κατ' ἐφορείαν vel κατ' οἰκονομίαν, παντελῶς κατ' ἐλευθερίαν *quibus plenaria libertas est attributa*. quæ propterea ipse nominat ἐλεύθερα καὶ αὐτεξούσια μοναστήρια. At longe diuersa res est LIBERTAS ECCLESIASTICA: illa de qua iam sermonem instituimus: & cuius naturam atq; vim qui simplici definitione vnica voluere complecti, magnas, si verum dicere licet, nugas egerunt. dictionẽ n. æquiuocam, nulla prius adhibita distinctione velle definire, quid est aliud nisi operam ludere? aut quis negabit homonymiam multiplicem huic appellationi inesse? quàm variè vsurpata sit vox *libertas* iam ostẽdim⁹: idẽ necessariò obseruandum heic & de voce ECCLESIA: nam quotmodis accipi hæc dictio solet: tot erũt & libertatis Ecclesiasticæ definitiones diuersæ. Proprie ECCLESIA dicitur cætus κλητῶν ἁγίων vt loquũtur Apostoli, hoc est *fidelium vocatorũ vt sint sancti*: qui & Electi appellãtur. Sed quia boni maliq; permixtim hoc æuũ degim⁹, Ecclesię appellatione solent omnes comprehendi, qui Christi nomen ꝓfitentur. Tertia notio iã olim obtinuit: vt diuiso gregi fideliũ in clerum & laicos, sol⁹ clerus tanquã potior pars & nobilior, Ecclesiæ nomine intelligeretur, Quarta deinde & quinta notiones accesserũt, quarum hodie freqũetissim⁹ est vsus: illius, cum Ecclesiæ appellatio ponitur ꝑ Romana Ecclesia: huius, cum Ecclesiæ nomen ad vnum Pontif. Romanum designandum vsurpatur. Tres primę notiones Græcæ & Latinæ Ecclesiæ sunt communes: quemadmodũ & illa consuetudo loquendi pariter Græcis ac Latinis iam olim vsurpata inuenitur, quando loca sacra *Ecclesiæ* nominantur. Quartã quoq; notionem propter B. Petri honorem, & Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, etiam in Oriente multi, cæterum Occidens totus à multis seculis cepit vsurpare. Quintam ne in occidente quidem omnes vnquam probarunt: sed illi duntaxat, qui vniuersalis Ecclesiæ caput & Principem, imò Dominũ papam Ro. agnouerunt. Cum in Capitularibus antiquorum Regum, & coæuis scriptoribus *Libertas Ecclesiæ*, & *Libertas electionum* cõmemorantur & pro eodem ponuntur: libertas intelligitur vniuersæ Ecclesię à Christo tributa: quamq; perdiu obtinuit: vt communibus suffragiis populi & cleri crearentur, qui erant in sacrum ordinem cooptandi. postea res mutauit: & ius suffragiorum ad solum clerum fuit

translatum. ita pro tempore hæc libertas variauit: Et si ECCLESIÆ LIBERTAS semper est appellata, tertia nempe eius vocis notione, non vt antè prima & secũda. Innocentius III. in epistola ad Constantiam Imperatricem Reginam Siciliæ, præscribens modum quem in electionibus faciendis vult seruari à Siculis, vocat ECCLESIAM CANONICAM LIBERTATEM. Qui libertatem ecclesiasticam volunt esse exemtionem clericorum ab omni subiectione suorum legitimorum Principum: quæ est Roberti Bellarmini Cardinalis in libello ea de re publicato sententia, itemque aliorum multorum: tertia significatione Ecclesiæ nomen accipiunt. quod etsi sine fraude fieri videatur posse, quia iam olim ea notio illius vocis obtinuit: fraudem tamen periculosissimam habet adiunctam: quia obtentu nominis huius, imperitis & plebeculæ persuadetur, libertatem vniuersæ Ecclesiæ in eo verti: vt illi refragari aut resistere totius impietatis sit cumulus: quum re vera paucorum libertas, imo licentia, & vnius absoluta dominatio hoc colore defendatur. Quamobrem accuratius rem perpendenti liquido constabit, Libertatis Ecclesiasticæ patronos, nomen Ecclesiæ quinta notione pro solo Ro. Pontifice accipere. huic enim vni plenaria libertas paratur, vni imperium, vni potestas, sine fine, sine modo, in capita, res, & fortunas Imperatorum, Regum ac Principum, & omnium prorsus hominum, qui toto orbe terrarũ Christiani dici expetierint. Nam quod aliquis obiiciat, longe aliter Cardinalem Bellarminum docere libro 5. de summo Pontifice: huic obiectioni parata responsio est certissima, de qua pluribus capite sexto agetur, & sequentibus. ibi docebimus, quæ dicto libro disputantur à Bellarmino, feruentissimi zeli patronis libertatis huius ita esse improbata, & quotidie refutari, vt pro indictis & antiquatis sint habenda. Alexander Pesantius Romanus in libro *De immunitate Ecclesiastica & potestate Romani Pontificis*, quem non ita dudum Paulo 5. nuncupauit: editionis Romanæ pag 45. *Dico: summus Pontifex iure diuino habet plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis.* & in ora libri notat auctor: *Papa iure diuino est directe dominus orbis.* eadem multi alii. Verum pergamus vsum locutionis huius ostendere. Gregorii 7. verba sunt in epistola ad Episcopum Patauiensem & Hirsaugiensem Abbatem, quo loco agit de eligendo à Germanis Imperatore in Henrici locum. *Scimus* inquit, *quod fratres nostri longo certamine, diuersisque perturbationibus fatigantur: nobilius tamen esse dignoscitur, multo tempore pro* LIBERTATE S. ECCLESIÆ *decertare, quam misera ac diabolica seruituti subiacere. Certant namque miseri, scilicet membra diaboli, vt eiusdem misera seruitute opprimantur: certant è contra membra Christi, vt eosdem miseros ad* CHRISTIANAM LIBERTATEM *reducant.* Verba sunt aurea, mens plumbea. Ecclesiæ proprie dictæ libertas ostentatur, seruitus diabolica deploratur. quis Christianus erit tam ignauus, quem ista non excitent? non inflamment odio in Principe suum? sed meminerimus, & hoc loco & similibus aliis de inuestitura Clericorum agi: quam Ro. Pontifex Imperatori & omnibus Principibus ereptam, sibi vni & iis qui ius à se accepissent vindicabat. atque hæc *propria libertas Ecclesiæ* nominatur in canone quodã eius concilii quod Hildebrandus idem A.D. CIↃLXXX. Romæ celebrauit. Heic igitur & in [illegible]nis huic locis ECCLESIA pro Papa sumitur: & LIBERTAS CHRISTIANA appellantur iura quæ sibi idem vindicat, tanquam Christi Dei & hominis vicarius. E contrario A.D. CIↃCLVIII. Fridericus Augustus orto inter Regnum & Sacerdotium dissidio, ita scribit ad imperii proceres. *Quia hactenus honorem ac* LIBERTATEM ECCLESIARVM, *quæ iamdiu indebitæ seruitutis iugo depressa est, à manu Ægyptiorum,* (Hadrianum 4. Papam Ro. intelligit:) *studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum iura conseruare intendimus: vniuersitatem vestram super tanta ignominia nobis & imperio condolere rogamus.* heic Fridericus ECCLESIÆ nomine vel vniuersam Ecclesiam, cuius ipse pars erat: vel clerũ intelligit. Et ita sæpissime in historiis rerum gestarum à temporibus Gregorii 7. obseruabis: cum atrocissimè Pontifices atque Principes dissiderent, sæpe etiam armis inter se pugnarent: vtrimque tamẽ DEFENSIONEM ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS pro titulo belli fuisse. Adeo verũ est quod in oratione contra Leptinem prudentissimus oratorum Demosthenes dicebat: solere multos, μεταφέροντας τὰ ὀνόματα ἀπατᾶν: *translatis nominibus in aliam significationem decipere.* Sunt enim multi, qui rerum vocabulis non aliter vtantur quam vt præstigiatores & psephopæctæ suis acetabulis & calculis. Fridericum sane libertatem Ecclesiæ propugnasse, etiam Cardinales illi testantur, qui epistolam scripserunt, cuius initium: *Ex quo contra honorem Ecclesiæ Dei & imperii amicitia inter Dominum Papam Hadrianum & Vilhelmum Siculum facta est &c.* infra dicturi sumus *honorem Ecclesiæ & libertatem Ecclesiæ*, pro eodem sumi solita. Aiunt igitur Cardinales presbyteri: *Nos autem è contra duximus potius Siculum excommunicandum: qui omnia iura Ecclesiæ tam spiritualia, quam temporalia violenter abstulerat: quam imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & imperii iura fideliter laborabat recuperare, &* ECCLESIAM *de seruitute ad* LIBERTATEM *reducere.* quare si his credimus, libertatẽ Ecclesiæ Pontifex quidẽ falsò: at Fridericus vere tutabatur. Neq; hoc mirũ debet cuiquã videri: nõ enim soli huic Imperatori, sed multis etiã aliis Augustis: multis item Francorũ, Anglorũ, & cæterarum gentium regibus pro libertate Ecclesiæ cum Romanis Pontificibus fuit decertandum. quo in certamine Et si eadem omnium Christianorum caussa erat non omnium tamen idem fuit semper animus, neque par constantia. Christianissimorum Regum, piissimorum Franciæ episcoporum totiusq; ordinis sacri ac magnanimorum Regni procerum, propria hæc laus, absit verbo inuidia, quod pietate generosa & generositate pia libertatem Christianam Ecclesiæ suæ, Et si non plane illibatam, firmam tamen & stabilem ad hanc diem, immortali Dei beneficio, conseruarunt. Quis vel in extremo Septentrionis axe positus, leuem saltem aliquam rerum Gallicarũ notitiam fando accepit qui de LIBERTATI-

BVS EC-

Digitized by Google

BVS ECCLESIÆ GALLICANÆ aliquid non inaudiuerit? ita vocat forensis vsus iura libertatis Ecclesiasticæ, quæ quum vniuersæ Ecclesiæ à principio essent communia: (nam vnus idemque omnium auctor & fundator Dominus Iesus:) fato quodam accidit, vt in nobilissimis quibusque Europæ regnis Ecclesiæ sua sibi iura atque libertatem eripi finerent. vnde factum, vt populis vicinis seruituti suæ ingementibus, LIBERTATVM ECCLESIÆ GALLICANÆ nomen etiam apud exteras gentes illustri fama celebraretur. Quanquam & alia Regna idem ipsa quoque fecerunt, sed remissius, nec pari successu. Sic in Anglorum historiis LIBERTATVM Ecclesiæ illius habetur mentio: & LIBERTATVM REGNI. quæ tamen aduersus oppresionem & angarias Romani Pontificis, parum ipsis profuerunt. extant monumenta ipsorum quamplurima, in quibus cum lamentabili gemitu onera sibi imposita à Pontifice Ro. vel legatis ipsius deplorant. Sed hæc suo loco clare demonstrabuntur. ad propositum redeo. Qui Libertatis Ecclesiasticæ appellatione exemtionem Ecclesiasticorum volunt intelligi: vim huius exemtionis accurate explicant. hæc autem est: vt qui modo Principi huic vel illo subditus erat: vbi inter ordines sacros locum aliquem fuit nactus, momento turbinis liber existat ab omni iurisdictione Principis illius: non ipsum pro principe suo agnoscat: non maiestatem eius reuereatur, nisi pro arbitrio suo: non tributum pendat: non metuat sibi ab illius legibus, diserte enim affirmatur, legibus ciuilibus nullis penitus clericos teneri, quod ad coactionẽ: sed duntaxat quod ad directionem. quid si aliquis è clero, (potest enim fieri) scelus aliquod supplicio dignum in Rep. admiserit? quid si libidine fædus & maculosus vixerit? nulla ne huius coercẽdi potestas erit Principi? Id verò præcise negatur. Iohannis Marianæ Iesuitæ Hispani verba sunt libro primo, capite 10. eius scripti non inelegantis, quo Philippum 3. Regem Hispaniæ præceptis informat: *Deinde sacrati ordinis immunitates & iura intacta vt sint, curare Princeps debet Neminem ex sacrato ordine supplicio* QVAMVIS MERITO *subiiciat.* Sed quid opus in Hispaniam ire? nam interpretationem iuris Pontificii non possumus aliunde melius petere, quàm ab vrbe Roma? cum præsertim multi admodum ingeniosi homines à paucis mensibus in vrbe libros ediderint, per quos ignorare nobis non licet vim huius verbi. è multis quorum recentia scripta legimus, vnus Iohannes Antonius Bouius Carmelita rem optime videtur expresisse. quare verba eius prætermittere sine piaculo non possumus. eccum illa fideliter ex Italico versa. *Libertas opponitur necessitati, vinculo aut seruituti. quemadmodum igitur libertas peccati in eo consistit, vt peccati vinculis simus soluti: & libertas legis Mosaica in eo, vt iugo ceremonialis Legis simus soluti atque exonerati: sic* LIBERTAS ECCLESIASTICA, *in eo consistit, vt Ecclesiastici in personis, bonis & caussis suis sint exemti, neque legibus potestati & iurisdictioni Principum sint obnoxii, quomodo sunt laici. & hæc vera est ac propria definitio Libertatis Ecclesiastica. qua vis sua omnia complectitur. partes duæ quæ sequuntur reliqua, instar habent declarationis.* Quod autem ait Bartolus in autenth. cassa. *Libertati Ecclesiastica illa statuta repugnare, per qua Ecclesiastici timidiores, Laici audentiores redduntur: hoc nempe vult: iure exemtionis quo gaudent Ecclesiastici, fieri, vt Principes non dicam directe & cum effectu in ipsos & res ipsorum nequeant manus iniicere: sed ne indirecte quidem, & vel tantum in speciem præiudicium facere libertati eorum queant. Dicam planius si potero: vult dicere Bartolus, adeo non posse Principes damnũ inferre Ecclesiasticis, vt* NE LEVISSIME QVIDEM TERRITANDI ILLOS AVT TREMEFACIENDI IVS HABEANT. quo iure qua iniuria, hæc ita dicantur, postea quæremus. habemus certe heic luculentam exemtionis Ecclesiasticorum & plenariæ licentiæ libertatis declarationem. At non nedum omnia quæ propter Libertatem Ecclesiasticam in iure canonico sanciuntur, ad exemtionem Ecclesiasticorum possunt referri. Bonifacius 8, libertatis huius vindex acerrimus, in Sexto, titulo 23. *Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis ne prælatis aut clericis seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt: quum talia in* DEROGATIONEM LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ *præsumantur, eo ipso excommunicationis sententia decernimus subiacere.* Ad perficiendam definitionem Libertatis Ecclesiasticæ, prætereunda hæc Decretalis non erat, quæ de iure quidem exemtionum non est: sed prærogatiuæ Ecclesiasticorum veluti colophonem quendam imponit. Nam si propter res tam leueis flammis æternis deuoueri possunt laici omnes, cuiuscunque dignitatis aut ordinis: quid aliud curare habent imi summi, nisi hoc vnum, qua ratione pacatis Ecclesiasticis vti poterunt? poterunt autem, opinior, si in omnibus præbeant se illis obnoxios: illorum voluntati inseruiant: & de rebus suis statuendi liberum arbitrium ipsis permittant. hoc voluisse isto canone Bonifacium nemo negauerit. Ex iis quæ hactenus disputata sunt, hoc tandem elicimus: non longe ab hodiernorum Pontificii iuris doctorum sententia aberraturum, qui Libertatis Ecclesiasticæ hanc siue descriptionem, siue definitionem contexuerit: *Libertas Ecclesiastica ius est quoddam, primarie quidem Pontifici Ro. adhærens, quo vniuersi orbis dominium illi paratur: secundarie vero Ecclesiasticis, quo viritim & in commune eximuntur ipsi & bona ipsorum ab omni omnium Principum subiectione, iurisdictione, potestate: laici vero ipsis ad omne obsequium redduntur obnoxii.* Hæc definitio vt numeris omnibus non sit perfecta, quod non pollicemur: vim tamen eius quæ à neotericis & proximorum seculorum hominibus, Libertas Ecclesiastica nominata est, satis explicat. Nunc igitur, quo tempore, quibus molitionibus, & per quos in Ecclesiam Dei hæc Libertas sit inuecta quærendum superest. Deinde rationes præcipuas quæ ab illius patronis solent afferri, expendemus: simul quam periculosa res sit tum Ecclesiæ tum Reip. Christianæ eiusmodi licentia breuiter docebimus.

Digitized by Google

Capvt II.

Quæ & qualis fuerit libertas veteris Ecclesiæ à primo eius ortu ad tempora Constantini Mag. comparatio potestatis vtriusq; Ecclesiasticæ ac Ciuilis: & de vtriusq; iure tam ordinario quam extraordinario.

EXpositis variis modis eius Libertatis, quæ Christiana aut Ecclesiastica dici solet, prius quàm aggredimur ostendere quo potissimum libertatis genere quæqua ætas Ecclesiæ sit vsa: faciendum videtur vt sacerdotalem potestatem cum Ciuili paucis comparemus: habet enim & Resp. Libertatem suam: quæ ab Ecclesiastica quid differat ex hac comparatione liquido palam fiet. Igitur, ne in tam amplo argumento longius quam instituti ratio postulat, oratio euagetur: proponemus quædam theoremata, siue vt loquuntur in scholis conclusiones, vim & iura vtriusque potestatis complectentes: deinde cuique theoremati breuem explicationem ac probationem subiiciemus.

I. *Ecclesia & Respublica interdum re & ratione: interdum ratione duntaxat differunt.*

Quod dicebat Optatus Mileuitanus, *Ecclesiam in Rep. esse*: id verissimum quidem est: sed eget interpretationis. Nam aliquando ita est Ecclesia in Rep. vt penitus separatas suas peculiares rationes habeat à rationibus Reipublicæ: qui fuit nascentis Ecclesiæ status, antequam obstinatos animos & peruicaciam infidelium Salutis doctrina perfregisset. Interdum sic Ecclesia est in Rep. vt eadem sit quadammodo Respublica: sicut tum accidit quando Paganicorum errorũ caligine depulsa, Christianismi professio vulgo ab hominibus fuit suscepta. Ex eo enim tempore, qui Remp. constituebat populus, idem etiam Ecclesia fuit: verum id diuersa ratione, & fine, vt mox dicetur. quare idẽ est aliquo modo, & non iidem. Auctores heic sæpe ἰδιότητα nominum parum seruant: & vel Reip. ea tribuunt quæ proprie conueniunt Ecclesiæ: vel contra. In epistola synodali ad Ludouicum Regem Francorum Caroli F. ipse Rex dicitur *Rector sanctæ Dei Ecclesiæ*. Rex proprie non est Rector Ecclesiæ: sed Reipublicæ προηγουμένως & primarie: Ecclesiæ vero quatenus pars est Reip. & κατ᾽ ἐπακολούθημα at ibidem & passim, audit Rex *Defensor Ecclesiæ*. proprie.

II. *In omni societate quæ diuersos habet fines, iidem & præesse & subesse possunt diuersis rationibus.*

Quæ ab hominibus ineuntur societates, qua priuatim qua publicè, eæ interdum simplicem habent finem: interdum plures simul. Quoties vectores nauem conscendunt, vt mare flumen traiiciant: tacitam societatem inter se iniisse intelliguntur: cuius finis vnicus & simplex, transuectio. Quando legio ad pugnandum cum hoste triremem ingreditur: duplex heic societas, & finis duplex: quatenus sunt vectores, gubernatori nauis omnes parent: quatenus milites, Tribuno legionis aut consuli. respectu gubernatoris etiam consul inter vectores: & tam huius quam omnium aliorum, salus à peritia & arte illius pendet, rursus gubernator respectu militarium imperiorum, consuli paret & iussa illius capessit. Et Ecclesia & Resp. instar nauis habent: eaq; similitudine passim veteres vtũtur. Ante receptum Euangelium, vnicus Reip. finis erat: degere hoc æui quanta maxima cum commoditate & honestate fieri possit. ea enim in fine, impulsu naturæ, ciuitates instituũtur. Aristoteles modo αὐτάρκειαν, quasi dicas, omnium rerum sufficientem copiam, nominat: modo, humanum bonũ, quod in fruitione illarum dotium & corporis & animi positum est, ad quas in hac vita participãdas, aptum natura finxit hominem. Dixi, in hac vita: quia Doctrinæ ciuilis pimarius finis nõ vltra patet. Est vero aliud insuper hominis bonum, ad cuius participationem, cum aptum initio hominem Deus creasset, atq; ille sua culpa aptitudinem illam amisisset: Christi Seruatoris beneficio immortali, eandem aptitudinem, & quidem efficaciorem iterum est nactus. illud bonum est, beatitas quæ in altera vita pios manet: ad cuius spem ea quæ dicitur Ecclesia in terris atq; intra Remp. ipsius Christi voce cogitũr. Sicut instituendæ Reip. finis est adeptio humani boni: sic Ecclesiæ cogendæ, numinis cultus, & ad futuram beatitudinem præparatio. Nec diuerso fine duntaxat Ecclesia & Resp. distinguuntur: verum etiam conditione, institutis ac regimine. Respublica in hoc mundo tanquam in legitima sua patria versatur. opes & omnia vitæ huius instrumenta conquirit: potentiam sibi parat: & fines suos quantum potest promouet. quippe in eo humanum bonum quod dicebamus ex Aristotele, positum esse, vulgo homines autumant. Ecclesia, brabium supernæ vocationis persequens, vt ait Apostolus, & ad melioris vitæ fruitionem spes cogitationesq; suas indesinenter referens, terrenis bonis nõ fruitur, sed vtitur: neq; vt patriam suam terras colit: sed vt inquilina vel peregrina non autem vt ciuis, in iis hospitatur. Idcirco Patres Ecclesiam alio nomine Civitatem Dei vocitant. habet enim πολίτευμα suum & municipatum in cœlis, quod idem inquit Apostolus: didicitq; Ecclesia à Christo Rege suo dicere, *Regnum meum non est de hoc mundo*. hæc tanta diuersitas & rectores diuersos esse desiderat. Qui Ecclesiam regunt communi nomine Sacerdotes: qui Rempublicam, Principes dicuntur. Horum diuersa officia è finium exposita differentia pendẽt: idem è diuersitate subiectorum circa quæ versantur. Nam vt ait Synesius, politica facultas circa ὕλην *materiam* id est res humanas & mundanas, aut, vt Theologi loqui solent, negotia secularia, versatur: sacerdotium, circa Deum, ait idem: hoc est, res diuinas, aut certe humanas, quatenus diuinis sunt coniunctæ. Omnia igitur quæ ad diuina spectant, propriè sunt iuris sacerdotalis: & contra, quæcunq; ad publicam rem aut priuatorum bona, facultates & commoda pertinent, omnia iuris sunt Principalis. Ac quoniam in Republica, ceu pars in toto, est Ecclesia, huius quoq; conseruatio & defensio ad Principis officium tanto magis pertinebit, quo nobilior hæc pars est Reip. & quo pluris refert hanc sartam tectã conseruari. Prostremò in rebus merè diuinis sacerdotes plenariam potestatẽ obtinente, Princeps ouis erit: at in rebus ciuilibus, sacerdos cõmuni iure cum cæteris è populo censebitur: nisi beneficio principis prærogatiua honoris & priuilegia

legia illi fuerunt indulta. Hinc sequitur necessario, sacris legibus & vniuersalis Ecclesiæ canonibus Principem Christianum teneri: ciuilibus & politicis sacerdotē. Gelasii Papæ qui circa annū CCCCXII. Felici in administratione A.S. successit, Doctrina hæc est ac sententia: sic enim scribit ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti n. fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerū tamen præsulibus diuinarum deuota colla submittis, atq; ab eis caussas tuæ salutis expetis. inq; sumendis cælestibus sacramentis, eisq; vt competit disponēdis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quā præesse. Nosti itaq; inter hæc ex illorum te pendere iudicio, nō illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si n. quantū ad ordinem pertinet disciplina, cognoscentes imperiū tibi superna dispositione collatū,* LEGIBVS TVIS IPSI QVOQVE PARENT RELIGIONIS ANTISTITES, *ne vel in rebus mundanis excelsa videantur obuiare sententia: quo rogo te, decet affectu eis obedire, qui pro erogandis sunt attributi mysteriis?* Vides manifestissimam Gelasii sententiam: cum de salute agitur hoc est in spiritualibus, Imperatorem colla submittere: in cæteris, reb⁹, parere pontifices Principis imperio: cuius esse supremum ius in Republica postea ostendemus. Heic verò occurrunt exemtionis clericorum, quæ hodie appellatur libertas Ecclesiastica, patroni: & rem absurdam esse clamitant, vt qui spiritualia administrant tractantibus temporalia subsint. homines acuti non intelligunt, quod initio probauimus: cum primis esse naturæ consentaneū, vt vbi sunt fines diuersi & diuersę potestates, ibi etiam sint imperia diuersa: & idem numero imperet atq; pareat. ratione videlicet alia atq; alia. Sic sæpe videmus eos qui in vita ciuili amplissimos magistratus obtinent, postquam in castra deuenerunt, longe inferioribus parere. medicorum priuata fere vita est, & ab omni iurisdictione aliena. medicorum tamen imperiis ipsi imperatores obtemperant. idem igitur & inferior & superior. in quo venuste lusit olim Themistius: qui à professione sapiētiæ, quæ iure suo regibus imperat, ad sublimen Præfecturæ gradum translatus, ab imperatore Constatio, in elegantissimo epigrammate ita se ipse compellat: Νῦν ἀνάβηθι κάτω, κ̀ γὰρ ἄνω κατέβης *nunc ascende deorsum quia sursū descendisti.* cui simile illud B. Chrysostomi homilia in Matt. LXVI. de sublimi Christi omnium domini humilitate, ὁ ταπεινώσας αὑτὸν, inquit, πάντων ἀνώτερος γίνεται. & similia multa apud eundem patrem.

III. *Ecclesia & Respublica Christiana vnicum agnoscit* CHRISTVM, *qui simul sit Rex & Sacerdos.*

Sacræ literæ vnius Christi sacerdotium in Ecclesia agnoscunt secūdum ordinem Melchisedechi: hoc est cum regno iunctum. Psalm. 109. & Apostolus ad Hebræos v. 6. Sane inter homines principio quum regna & dominationes sunt institutæ, erant iidem Reges & Sacerdotes: mansitque ea consuetudo apud Ægypticos aliosq; Barbaros, & ipsos etiam Græcos, per multa secula, vt Plato in Politico, Aristoteles in III. de Repub. Clemens Alexandrinus in VIII. & plures alii sunt auctores. Marcus quoque Cicero in primo De diuinatione, hoc ipsum de antiquis Romanis testatur. mutauit deinde mos, & in locum primorum Regum, qui & Sacerdotes erant, Athenis, Romæ & alibi reges sacrificuli, tanquam dicis caussa, sunt instituti: non multū iis dissimiles qui celebrantur in mimo. regii. n. præter nomen habebant nihil. Plato κληρωτοὺς reges vocat, vt qui sortitione fierent. Etiam in populo Dei similis quondam fuit obseruatio: nā vt de Melchisedecho Rege & Sacerdote notissimo ex vtriusq; Fœderis libris nihil dicam: constat veteres Patriarchas Noachum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, atq; adeo omnes primogenitos, vt docet Hyeronymus, regni & sacerdotii speciem quādam inter suos gessisse, Sed mutatæ consuetudinis auctorem DEVM prodit Synesius, epistola 57. vbi etiam mutationis caussam indicat: *quoniā*, inquit, *res diuina humano more curabatur: propterea coniunctas priùs in eadem persona vitas Sacram & Principalem Deus separauit.* & ait venustè idem præstantissimus scriptor: ὅτι πολιτικὴν ἀρχὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα. Politicam facultatem sacerdotio iungere, conglomerare est in vnum res, quę natura sua coniungi nullo modo queant. Sed rationes cur in Ecclesia sua Dominus eam distinctionem seruari voluerit explicat accurate Galesius Papa, cuius verba necessariò hic adscribam: *Fuerint hæc*, inquit, *ante aduentum Christi, vt quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti pariter reges existerent & pariter sacerdotes: quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia.* mox: *Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atq; Pontificem, vltra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vindicauit. Quamuis enim membra ipsius, id est, veri Regis atq; Pontificis, secundum participationem naturæ magnifice vtrumq; in sacra generatione sumsisse dicantur, vt simul regale genus & sacerdotale subsistant: attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quo suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibusq; distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi: vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent: & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur: quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus: & ideò militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus: vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur: ne extolleretur vtroq; suffultus: & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* hæc Galesius in tomo de Anathematis vinculo: vnde accepit Nicolaus Papa, ex quo Gratianus. Notabis duas caussas grauissimas, cur in Ecclesia Dei nemo homo possit esse Rex & Sacerdos: Prior, *modestia vtriusque ordinis.* appellat auctor grauissimus *modestiam*, quam Græci Politici cum de natura Rerump. disputant ἰσῤῥοπίαν & ζυγοστάσιον: *momentum æquale & liberamentum par.* docent enim, non posse firmam & stabilem Remp. esse, cuius partes quę geometria proportione illam constituunt, partibus hinc inde momentis in suo ac legitimo statu non contineantur. alioquin futurum omnino, quod heic ait Gelasius, vt nimia po-

testate suffulta partes extollat se, & quod aptissimo verbo dixit Polibius ἐκτὸς id est, *sua sede migret.* At contra ratio est, ne id eueniat quod paullo ante à Synesio dicebamus: sed contra, res sacras sacratæ personæ procurent: non sacras, non sacrati, Episcopi prouinciarum Rhemensis & Rotomagensis ad Ludouicum Regem: *Deus in carne veniens qui* SOLVS REX FIERI POTVIT ET SACERDOS *& in cælum ascendens, suum Regnum id est Ecclesiam inter Pontificalem auctoritatem & regiam potestatem gubernandam disposuit.*

IV. *A Christo Rege & Sacerdote potestatem accipiunt Princeps & Sacerdotes, siue Pontifices: ille ciuilem, hic sacerdotalem sed diuersa conditione.*

Vtriusque potestatis auctor Christus, Deus & homo: neque vel sacerdotalis in rebus diuinis a Rege: vel Regia in humanis pēdet a Pontifice: quod posterius falsò multi hodie nituntur persuadere. vere enim plerique Regum, ac Principum Christianorum inter ipsos honorum suorum titulos DEI GRATIA esse se quod essent. iam olim profiteri ceperunt. recteque Imperator Iustinianus, Nouell. VI. Sacerdotium ac Regnum ab eodem principio scribit manare. nempe Christo: qui vt Episcoporum vniuersitati dixit in Petro, *Pasce oues meas*: ita in Pharisæis vniuerso populo cuiuscunque ordinis præcepit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* idemque Christus per Paulum Apostolum suum clamat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* vbi de potestatibus secularibus ipsum loqui, non ecclesiasticis, ita manifesto sequentia euincunt, vt putidum sit de eo dubitare: merum sophisma aliò transferre. idcirco Gregorius Nazianzenus in concione Nazianzi habita, dicebat, magistratum ciuilem χριστῷ συνάρχειν, χριστῷ συνδιοικεῖν: *communi imperio cum Christo vti, communi administratione.* & Symmachus Pontifex Romanus scribens ad Anastasium: *Defer*, ait, *Deo in nobis: nos deferemus Deo in te.* Nec refert quod Principum alii iure hæreditario, alii per electionem, quidam armis dominationem obtinent: nam etsi Deus ad stabiliendum Principem, aut constituendum sacerdotem certorum hominum ministerio vtitur: impium tamen est, dominium & potestatem quamcumque Deo primarie acceptam non ferre. per Deum enim reges regnant, vt locis prope infinitis sacræ literæ testantur. hoc Principes volunt, cum à Deo immediate potestatem se accepisse suam contendunt. Ludouicus Bauarus Imperator: *Iuris vtriusque testimonia manifeste declarant, Imperialem dignitatem & potestatem immediatè in Filio Dei ab antiquo processisse: & Deum per Imperatores & Reges munditura humano generi aperte tribuisse.* & postea. *Declaramus quod Imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo.* iure hoc quidem. nam si *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed Deus qui dat incrementum*: si neque Paulus ipse est aliquid, neque Apollo: Sed Deus qui dat fidei incrementum: audebimus dicere eos qui Principem in terris eligunt, aut coronam capiti imponunt, esse aliquid? aut negabimus Imperatores Constant. qui à Patriarcha coronam accipiebant, iure & propriè ΘΕΟΣΤΕΦΕΙΣ *à Deo coronatos* se nominasse? Cæterum Regno & sacerdotio illud commune: quod ἀρχαὶ id est, *principatus* dicuntur. Paulus priore ad Corinthios inter Ecclesiastica munera & *gubernationes* recenset. vel à re nautica voce petita, vel à politicis magistratibus. Iohannes Chrysostomus, & in libris De sacerdotio & sæpe alibi docet, episcopatui inesse ἀρχὴν id est munus docendi, sacramenta administ. andi, atque vno verbo, pascendi: & hoc amplius, ἀρχὴν, τιμὴν & αὐθεντίαν *principatum quendam, honorem, & auctoritatem.* Gregorius Nazianzenus suum episcopatum etiā δυναστείαν *dominationem* nominat, & Tribunal sibi attribuit. neque hoc solum: sed cum ciuili eam comparans, tanto maiorem & perfectiorem esse ait, quanto maior est spiritus carne, terrenis cœlestia. quin etiam similia his alia non raro pii Patres ad venerationem sacerdotio conciliandam suis scriptis inspersferunt. Sunt & qui Sacerdotium Soli, quod est luminare maius comparent: Imperium Lunæ, quod est minus luminare. eaque similitudine Innocentius quoque III. iisdem verbis cum vetustioribus Patribus, at non eadem mente vtitur. Enimuero quis æquus rerum æstimator dubitat, cælestia præstare terrenis? spiritum carne, vel etiam animo? aut quis ignorat Sacerdotem diuina legitime administrantem, ratione muneris sui supra omnia terrena imperia longe eminere? quod præclare veteres Augusti illi intellexerunt, qui eum morem primi instituerunt, vt, quemadmodum ipsi in lege quadam narrant, ad Christi altare sine diademate, sine satellitibus, sine cæteris maiestatis insulis accederent. hoc nempe significantes: intra ouile Christi oues se esse: & intra Ecclesiæ septū, solum Christum, & qui vices illius exhibeant, ius proprie ac potestatem habere. Hodie vero quibusmodi testimoniis Patrum antiquorum abutuntur, quò potestatem spiritualium rerum administratione finitam, in dominationem conuertant temporalia pariter cum spiritualibus complectentem: imperitis & veritatis incuriosis mirifice imponunt. nam venerandis illis Patribus aliam fuisse mentem, eosque de exemtione ista clericorum, siue libertate hac Ecclesiastica, ne per somnium quidem cogitasse, imperitia est nescire, impudentia negare, impietas, eaque summa, contra pertendere. Vrgent simile illud, quod ex Gregorio Nazianzeno attulimus: & stupendam inde conclusionem præcipui illorum eliciunt. nec vident, aut videre dissimulant, facundissimorum illorum Patrum esse consuetudinem, vt oratoria vi & ea quam Græci dicendi magistri δεινότητα vocant, plurimum vtantur. multa igitur more oratorio elatè, magnificè, magna cum vehementia, dicere, quæ interpretationis commodæ opus habeant, nam omnia Patrum dicta velle vergere, quod isti faciunt in hoc præsertim argumento, neque ad scopum attendere, prauitatem hæreticorum est imitari: qui impia sua commenta hoc pacto soliti defendere. Sic olim infelix Arius improbam de vero Filio Dei vocem suam ποίημα, ex orthodoxi Patris Dionysii Alexandrini scriptis contra Sabellium tuebatur. propterea

pterea monebat piè & doctè Honorius Papa in epistola ad Sergium Constantin. *quosdam Patrum aliqua balbutiendo docuisse, condescendẽtes ad informandas mentes, atque intelligentias paruulorũ, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent.* Non errabit in talibus qui aureum illum B. Athanasii canonem memoria tenuerit: Οὐ δεῖ τὰ κατ' οἰκονομίαν γραφόμενα καὶ γινόμενα, ταῦτα κακοτρόπως δέχεσθαι. QVÆ PER DISPENSATIONEM SCRIBVNTVR VEL FIVNT, EA MALIGNE INTERPRETARI NON OPORTET. ô canonem, vt dicebam, aureũ, & cuius latissimè vtilitas patet! Nã omnino ita se res habet: Multa olim pii homines, Patres & Principes, non solũ dixerunt aut scripserunt, sed etiã fecerunt pro temporibus rite, pie, sancte: quę maligne & versute à posterioribus sunt accepta, vt ait Athanasius: & quę hodie, neglecta Honorii Papæ salutari ac necessaria admonitione, ad Ecclesiastica dogmata trahuntur, ac pro fidei articulis in animos hominum insinuantur. Plane hoc faciunt illi, qui superius Gregorii Nazianzeni dictum afferunt ad firmandam clericorum exemtionem, vt Cardinalis Bellarminus, & plureis alii. Ea concione vir sanctus duo sibi proposuerat: magistratus atque omnes qui Nazianzi publicas res administrabant solari, & eo metu leuare, in quo tum versabantur maximo propter offensam apud prouinciæ Præsidem contractam. Alter eius scopus est: iram Præsidis mitigare, & ad veniã miseris concedendam, animum ipsius flectere. Est autem ita natura comparatum, vt quoties aliquid eiusmodi petitur, nihil æque ac petentis dignatio spectetur. fere enim pro petentis dignitate, non pro causæ merito, æstimatur petitio. En veram caussam, quare vir diuinæ humilitatis initio suæ postulationis, sacerdotii quod sustinebat, maiestatem adeo magnifice extollat: non vt supra Reges se efferat: verùm vt ciuibus suis in sordibus & pædore iacentibus vtilem se fingat. sic Paulus, vas illud electum, totius virtutis & gratiæ diuinæ hospitium, quo Euangelium suum reddat augustum, iactationem suæ præstantiæ non refugit. Obsecro vero, quid est in Gregorii verbis, quod hodiernæ doctrinæ vel minimum faueat? Sacerdotium enim spiritui comparare, ciuilem potestatem carni, id est homini ψυχικῷ vt loquitur Apostolus, quid est aliud, nisi id dicere, quod vltro omnes fatentur? Spiritualibus præesse Episcopos: temporalibus Principes. at qui exemtionem clericorum & subiectionem Principum in rebus secularibus hinc eliciunt: qua fronte præcedentia paullo ante verba possunt legere? quibus idem ille vir Apostolicus conuenienter doctrinæ Christi & Apostolorum, parendum esse magistratibus bis diserte inculcat? neque vero laicos cogit in ordinem Gregorius, se & reliquos sacerdotes subiectorum numero eximit; quin se quoque laicis accensens, *simus*, inquit, *subiecti, & Deo, & inuicẽ alter alteri, & terrenis principibus: Deo propter omnia: alter alteri, propter dilectionẽ fraternam: Principibus, propter ordinis recti conseruationem*: deinde hoc ipsum pręceptũ verbis Apostoli repetiturus, vnam hanc esse legem præfatur, ex iis quæ nobis Christianis sint impositæ: eamque cum primis laudabilem, optimam, & à Spiritu Dei profectam. Taceo quod se quoque iis adnumerat ibidem Gregorius, tantus sacerdos, qui principi tributum tenentur præstare. Taceo quod ait ibidem: magistratus qui potestatem suam recte administrant deos fieri, ἔξεστί σοι, inquit, θεὸν γενέσθαι *in tua potestate est, vt Deus fias.* vt desinant isti simile Constantini dictum de episcopis tantopere iactare. cum præsertim nusquam in sacris literis sacerdotes dii nominentur: at reperiantur laicæ potestates ita dictæ, quod ignorat nemo. Taceo quod Præsidem compellans sic ait. *Noui te ouem mei gregis, pecudem magni illius Pastoris, & superne à Spiritu praclare educatum, quique à sancta & beata Trinitate iuxta nobiscum illustraris.* quæ oratio grauissimi Patris longe distat ab istorum Zelotarũ fastu, qui Principes & omnes laicos sic arcent sacris, tanquã profanos & ad Dei curam nihil quicquã pertinentes. de quo postea erit dicendi locus. Iudicent nunc lectores non disputandi sed veritatis cognoscendæ cupidi, qua fide Patrum scripta tractent, qui exemtionem clericorum fidiculis subtilis ingenii sui ex illo Gregoriano simili exprimunt. Pari subtilitate & loca B. Chrysostomi quædam afferuntur quibus vel sacerdotium laudibus in cælum vehit: vel simile aliud argumentum familiari illa sibi facundia orator ille sublimis tractat. illud credo, dissimulatur, quod multis locis idem Pater repetit: episcoporum ἀρχὴν, siue præfecturam, non tam esse, recte attendentibus principatum quã ministerium docendi. coactiuam certe iurisdictionem nullam penitus habere, sed admonendi tantum ius & obsecrandi. *Ad doctrinam verbi*, inquit, *sumus instituti*: οὐκ εἰς ἀρχὴν οὐδ' εἰς αὐθεντίαν *non ad imperandum, vel auctoritatem vsurpandam.* in epistolam ad Ephesios. & in ea ad Titum homilia 11. comparantur Episcopus & ὁ ἔξωθεν ἄρχων id est princeps secularis, siue magistratus. hunc ait Chrysostomus νόμῳ κρατεῖν καὶ ἀνάγκῃ, *lege imperare & cum necessitate parendi.* illum ἑκόντων ἄρχειν *volentibus imperare*: hoc est, cogendi ius nullum habere. eandem sententiam in 1. De sacerdotio pluribus explicans: *iudices*, inquit, *seculares*, (οἱ ἔξωθεν) *vbi maleficos legibus obnoxios tenent, potestatis suæ vim exerunt, & inuitos moribus suis obtemperare cogunt: episcopus vero, non vim faciendo, sed persuasione verborum ad meliorem frugẽ maleficum tenetur reuocare. Nam neq; facultas eiusmodi concessa nobis est à legibus, vt peccatores possimus coercere: neque si esset concessa, eius vsurpanda rationem sciremus.* Simili item fide posteriorum Pontificum nonnullorum dicta congeruntur: quibus potestatem illam infinitam in capita Regum ac Principũ videntur sibi vindicare, diuina illa priorum Pontificum humilitas dissimulatur, quæ tanto sublimius illis decus peperit, quanto ipsi à fumoso mundi fastu fuerunt alieniores. Vnicum è multis Pelagii Pontificis Ro. exemplum afferam, qui circa annum Domini IↃLV. sedere cepit. is enim ad Childebertum Francorum Regem fidei suæ professionem mittens: *Quanto*, ait, *nobis studio ac labore satagendum est, vt pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostra Regibus ministremus?* QVIBVS NOS ETIAM SVBDITOS ESSE SANCTÆ SCRIPTVRÆ PRÆCIPIVNT. vt ad rem redeam, quod modò dicebamus è B. Chrysostomo, Sacerdotalem præfecturam coercendi vim nullam habere, de pœna tē-

Mmm

porali intelligendum: nam alioquin nulla potest esse disciplina, quæ præmium & supplicium non proponat. is neruus vnicus disciplinæ & ἀσκήσεως. Sed duæ sunt causæ, cur ita Chrysostomus loquatur: nam quum non alias pœnas vetus Ecclesia nouerit præter presbyterii censuras & anathematis vinculum, qui est gladius ille spiritualis: opinio magni huius Patris fuit, dirum illud telum aut quàm rarissime, aut ne sic quidem, aduersus fideles esse vibrandum: qua de re plura alibi propitio numine. Altera ratio: quod gladius hic spiritualis Sacerdotũ, nisi materiali ciuilis magistratus fulciatur, fieri non nauci ab improbis etiam clericis, nedum laicis, solitus. vel vide legem 11. Cod. Theodosiano, De episcopali iudicio. quia enim pœna sacerdotalis in futura demum vita effectum est sortitura: plureis inuenias, quos posita ob oculos voluptas alliciat: quam qui metu futuri olim mali in officio contineantur. idcirco, licet tanto formidolosior sit gladius hic, gladio magistratus, quanto terribilior mors animæ morte corporis: plus tamen, vt sunt fere hominum ingenia, ad disciplinæ Ecclesiasticæ conseruationem hic quam ille valet. atque hoc est quod Theologi vocare solent insufficientiam & imperfectionem gladii spiritualis. Decreti Quæst. v. c. xx. *Intra Ecclesiam potestates necessaria non essent nisi, vt quod non præualet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem.* Richardus Cantuariẽsis in epistola à Petro Blesensi inter suas posita: *Ecclesia iurisdictionem suam prius exerceat, & si illa non sufficit,* EIVS IMPERFECTVM *suppleat gladius secularis.* Idem & in gladio materiali similem notat insufficientiam: vt propterea opus sit, mutuas operas sibi præstare, & conspirare amicè. Sic ille. *Duo sunt gladii qui mutuum à se mendicant auxilium, atque adminicem sibi vires impertiuntur alternas: sacerdotium Regibus, & sacerdotibus regnum. ideoque si ab altero suppletur alterius insufficientia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata.* Optime vero B. dicebat Bernardus, gladium materialem *iussu Imperatoris moueri, nutu Pontificis:* hoc est, indicante & quasi deferente sacerdote, ac consentiente: id enim est *nutus.* non quod illi volunt qui Principes nobis concinnant, ceu δημίους quosdam & publicos Ro. Pontificis seruos. quum certum sit exerere gladium suum principẽ, tanquam Dei omnipotentis ministrum, Christi Regis vicarium in terris: non ad alienum arbitrium, sed ex imperii sui vi & legitima potestate: cui non minus ceruices suas subiicere Sacerdotes, Pontifices, & quodcunque est Ecclesiasticorum hominum genus debet: quàm ille in Ecclesia collum ipsis submittit, vt dicebat Gelasius. Enimuero sacra Theologia tria in homine considerat: corpus, animum, spiritum. ex his tribus, quod est omnium nobilissimum, spiritus, quo doctrinam cælestem capimus, quam neque caro neque sanguis reuelarunt, ad sacerdotis pertinet præfecturam & potestatẽ. ille spiritũ notitia Dei imbuit: ille cælorũ viam aperit: ille contumaces spiritus gladii sui vi leto tradit. nã separari à cõmunione Christi & gregis Christiani, mors est teterrima. an hæc potestas parua cuiquam videbitur? aut ille contumeliosus in ordinem sacerdotalem poterit iure dici, qui eum vitæ aut damnationis æternæ arbitrum certum (clauis modò ne erret: quod aiunt Theologi) credit? at corpus & animus prorsus in potestate Principis sunt. corpus, propter res corporeas, & vti vocant, temporales illi necessarias: & quia corpori vitam eripere ob noxam & ad vtilitatem publicam, cuicunque subditorum suorum potest Princeps iure suo. animus, quia ciuilibus legibus hunc Princeps informat, & ad ciuilem vitam instituit. nobilior igitur potestas sacerdotalis: sed principalis in regimine Reip. Christianæ latius patet. Theodorus Balsamon iuris Canonici vir consultissimus, in quadam Meditationum suarum: *Imperatorum auxilium ad illuminationem & stabilimentum sese tam animi quam corporis porrigit: quum Patriarcharum maiestas ad animi solummodo vtilitatem coarctetur. nam eorum quæ ad corporis commoda spectant, parua istis cura est.* illud ipsum docet Balsamo, quod modò dicebamus: sed obscurius: nam triplex illa distinctio quam attulimus, mirifice rem illustrat. animum autem inter & Spiritum sacra pagina sic distinguit. Sed appellatione ψυχῆς animi vel animæ sæpe etiam spiritus comprehenditur. Sic sæpe leges, rectorem animorum vel animarum esse sacerdotem nempe quod ad spiritualia. nam quod ad politica Princeps est animorum rector. propterea laudata vox quondam Constantini M. qui in sermonibus super mensam, cui accumbebant plures episcopi, & in his Eusebius Pamphili, ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας. ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην *vos quidem* inquit, *eorum quæ intra ecclesiam geruntur episcopi estis. Ego vero eorum quæ extra, à Deo institutus episcopus siue obseruator queam dici.* vel sic: quia vocula τῶν heic ambigua: *vos quidem eorum qui intra ecclesiam sunt episcopi estis, ego eorum qui extra.* Græci quæ ad Ecclesiam aut forum Ecclesiasticum non pertinent, ea vocant τὰ ἐκτὸς: contra, spiritualia τὰ εἴσω clericos τοὺς εἴσω. sic iudices seculares τοὺς ἔξωθεν δικαστὰς supra dici notabamus à Chrysostomo: non autẽ prophanos aut paganos vt quidã putarunt. Sic *intra Ecclesiam* in iure Canonico, pro in rebus Ecclesiasticis, caussa 20. quæstione 5. *Principes seculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, vt per eandem potestatẽ disciplinam Ecclesiasticã muniant.* Quomodo autem episcopum ageret Constantinus, ita explicat Eusebius. *conuenientia sermoni quem habuerat mente agitans, omnes subditos* ἐπισκόπει. *vicem episcopi obseruabat: & quantum poterat ad piam vitam capessendam eos hortabatur.* Vt Constantinus Episcopum se dixit, sic alii Imperatores dixerunt se sacerdotes: multo durius & periculose. Leo Isaurus ad Gregorium scripsit. Ἐγὼ βασιλεὺς καὶ ἱερεύς εἰμι. neque eo nomine tamen reprehenditur Leo à Pontifice, quod sic scripsisset: verùm ideo potius, quod tituli veritatem opere non exhiberet. Operæ pretiũ verba Gregorii apponere: *obsecutus es peruicaci animo tuo ac domesticis perturbationibus, & scripsisti, Imperator sum & sacerdos. Enimuero qui ante te fuerunt, hoc opere ac sermone demonstrarunt: qui condiderunt & curam gesserunt Ecclesiarum vna cum Pontificibus cupiditate Zeloque accensi, rectaque fidei veritatem peruestigantes.* mox: *hi sunt sacerdotes & Imperatores qui id opere demonstrarunt.* adeo apud veteres extra contro-

uersiam

narium erat, Principes non ſolum Defenſores Eccleſiæ eſſe: qui fuit olim Francorum Regum peculiaris titulus. ſed etiam cuſtodes ac vindices diſciplinæ Eccleſiaſticæ: non vt dogmata fidei innouarent: apage: ſed vt vniuerſum clerum officii quoties erat opus admonerent. quare Ludouicus Pius *admonitorem ſe legum Eccleſiaſticorum non legiſlatorem* vocat. quod aliis verbis magnus Imperator Iuſtinianus ſignificabat nouella 137. cum diceret datam ſibi à Deo ciuilium quaſi legum τὴν ἐξουσίαν, poteſtatem eas figendi refigendi pro vtilitate communi & temporibus Reip. at canonum & Eccleſiaſticarum legum τὴν παραφυλακὴν: cuſtodiam, & defenſionem. & Canonici iuris Græcis auctoribus dicitur Imperator, in rebus Eccleſiæ οὐκ αὐθεντεῖν, ἀλλὰ κανονικῶς διεξάγεσθαι. non cum imperio decernere: verùm ex formula canonum omnia tranſigere. Quod autem iure diuino hæc inſpectio rerum ſacrarum Principibus conueniat, Regum inſtitutio à Deo facta arguit Deuter. cap. 17. & exempla Regum Iudæ. 4. Regum, cap. 12. Ioas Rex quum videret pecuniam ſacram à ſacerdotibus non recte adminiſtrari, immiſcet ſe illi curæ, & auctoritate regia rem componit: idque ſine cuiuſquam querela: ne Ioiadæ quidem Pontificis, à quo in regem fuerat vnctus. 3. Regum, cap. 22. laudatur Ioſaphat vt Rex pius: ſed notatur idem, qui non plane diuinum opus perfeciſſet. non enim altaria diruerat. quomodo autem, niſi eius Rei poteſtas penes Regem fuit? idem de pluribus aliis dicitur. at Ezechias 4. Reg. cap. 18. tanquam religionis inſtaurator vnicè laudatur. plena eſt Eccleſiaſtica hiſtoria ſimilibus exemplis Regum Chriſtianorum, qui in Gallia, Hiſpania, Anglia & alibi vltro atque ex auctoritate regia collapſa pietatis antiquæ inſtituta renouarunt: de quibus alio loco agetur. Hic igitur notandum eſt, diſcrimen inter ciuilem poteſtatem, & ſacerdotalem. nam ciuilis non ſolum in temporalibus directum imperium habet: ſed etiam in res Eccleſiaſticas indirectum. at ſacerdotibus ita res diuinæ permittuntur, vt ſecularibus negotiis ſe immiſcere prohibeantur. poſſunt ſane ex officio charitatis illa attingere: ſed non ex vi, & imperio vllo ſacerdotali. qui aliter ſentiunt, & afferunt Pauli locum è 1. Corinth. cap. 6. & ſimiles alios, cap. 8. refutantur. Scimus extare exempla veterum ſacerdotum Iudaici populi, qui non ſolum Rempublicam attigerunt, ſed res maximas in ea geſſerunt. Verum id, vel expreſſo Dei mandatu factum: vt cum Eliſeus vngit regem Iehu, 4. Regum, cap. 9. vel extraordinario quodam iure: cuiuſmodi ſunt illa officia quæ Græci Philoſophi vocant κατὰ περίστασιν. docent enim: præter proprium cuiuſque ciuis officium pro ratione loci & ſtationis, quam obtinet in ciuitate: ea Reip. tempora aliquando incidere, vt fas cuique ſit publicæ ſaluti, ſi quid poteſt, extrá ordinem conſulere. hæc illi vocant officia κατὰ περίστασιν, velut è caſu & Reip. neceſſario tempore pendentia. ſic cum nemini priuato fas ſit quemquam occidere: in oppreſſa tamen Repub. ſi quis tyrannum occiderit, huic, tanquam de ciuitate bene merito, præmium decernitur. Hæc officia lege certa definiri nulla alia poſſunt, quàm vtilitatis publicæ reſpectu. cuius cauſſa dicunt Græci ſapientes, oportere χαλᾶν τι τῆς ἀκριβείας. *de ſtricto iure aliquid remittere*. iidem pro regula in talibus verſum Poetæ afferunt, qui illud optimum augurium eſſe definit, quo ſalus patriæ conſtabit. qua de re non poſſum quin Ioa. Chryſoſtomi præceptum apponam, ex Homilia xxv. in priore ad Corinthios. Τοῦτο κανὼν χριστιανισμοῦ, τοῦτο ὅρος ἀπηκριβωμένος, αὕτη ἡ κορυφὴ ἡ ἀνωτάτω, τὸ τὰ κοινῇ συμφέροντα ζητεῖν. *Hæc eſt Chriſtianiſmi regula, hæc illius exacta definitio, hic eſt vertex ſupra omnia eminens,* PVBLICÆ VTILITATI CONSVLERE.

V. *Suprema in Repub. Chriſtiana bene ordinata poteſtas eſt ciuilis, non ſacerdotalis.*

Pro certo & confeſſo ponimus, quod in Politicis facile demonſtratur, & de quo nemo prudens dubitat: Saluti Reip. conſuli aliter non poſſe, quàm ſi vnus numero in illa ſit Principatus: ſiue ille ab vnico ſuſtineatur, vt in ſtatu monarchico: ſiue à pluribus, vt in optimatum, vel populari ſtatu. nã & in iſtis, vnus eſt numero Principatus. hoc poſito & conceſſo, quin ſuprema auctoritas in Rep. Chriſtiana ad Principes iure pertineat, ne dubitandum quidem videtur. Sunt ſane Eccleſia & Reſpub. duo ſyſtemata ac corpora, quorum vtrumque in rebus proprie ad ſe pertinentibus, plenariam à Chriſto poteſtatem accepit: ſed cum hoc diſcrimine, vt Eccleſia regibus in hoc mundo foret ſubiecta: regnum ſuum exſpectaret in cælis: ibi non antè cum capite ſuo regnatura. Reſp. regnum in terris teneret: ſed regnum temporale, quod in terris ortum, in terris deſinit. ad hæc, Sacerdotalis poteſtas non ad dominandum à Deo inſtituta eſt: verùm ad miniſterium verbi & rerum diuinarum: quod iam demonſtrauimus. B. Bernardus ad Eugenium, lib. 2. *Apoſtolis interdicitur dominatus: ergo & tibi. Tu vſurpare audes, aut Dominus apoſtolatum, aut Apoſtolus dominatum? Forma Apoſtolica hæc eſt. interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio.* Si hoc verum, (eſt autem veriſſimũ) in Apoſtolis: quanto magis in presbyteris, epiſcopis, põtificibus, quos dignitate pareis eſſe Apoſtolis, nemo, opinor, prudens dixerit? Accedit, quod latius patet Reſpublica quàm Eccleſia. cur igitur pars minor maiori dominetur? cum præſertim, diuerſiſſimæ ſint rationes regendi Eccleſiam & regendi Remp. Si arator peronatus nauticarum rerum imperitus nauem regendam poſcat, *exclamat Melicerta periſſe Frontem de rebus:* tu, qui ſpartam es nactus, tractare diuina, ſacra curare, mundi curis abrenuntiare, Reip. gubernacula tibi deberi contendes? & quum prudentia ciuilis, quæ eſt anima Reip. cum adminiſtratione bellorum ſit coniuncta, cum effuſione humani cruoris, aliis multis ſanctimoniæ ſacerdotali prorſus contrariis: tu duo hæc, adeo ſua natura diſſidentia, tibi vni vindicabis? ſane priuſquam Eccleſia in Remp. admitteretur, ipſa Reſp. erat, & Imperatores ac Reges ſummum ius obtinebant. proferatur locus aliquis è ſacris literis, qui ſua iura Principibus adimat: quique ereptam ipſis dominationem ſacerdotibus Chriſtianis tradat. nos interea credamus cũ vniuerſa Eccleſia. Dominũ Ieſum cum ordinatis iam ante Rebuſp. hoc beneficium nouum contulit, vt etiam Eccleſiæ Dei fierent:

Digitized by Google

priora iura nulla ex parte imminuisse aut labefactasse. alioquin falso caneretur illud Sedulii in Ecclesia Catholica.

Hostis Herodes impie
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia
Qui regnat dat cælestia.

Huic testimonio, non iam Sedulii, sed Ecclesiæ Catholicæ congruunt multorum Pontificum Ro. testimonia, vt Gelasii & Pelagii quæ antè sunt allata. de Gregorio M. dicetur capite 4. Nicolai, qui anno Salutis DCCCLVIII. Benedicto successit, vox est in epistola ad Michaëlem Imperat. *Nihil te præiudicium Ecclesiæ Dei irrogare: illa quippe nullum imperio vestro præiudicium infert.* si Ecclesia nihil præiudicat Principibus, qui ante Christianismum receptum supremam dominationem in suis principatibus obtinebant, manent igitur illis integra sua iura, neque verum est, quod hodie docetur, Dominum orbis terrarum esse Pontificem Rom. & quidem directe, vt quotidie Romæ declamatur, & à certis hominibus etiam alibi. Præterea, certum atque notissimum est: quicquid hodie iuris in rebus temporalibus Ecclesiastici obtinent: id totum ex liberalitate Imperatorum ac Principum Christianorũ manasse. qui profectò cum illa iura, & priuiligia tam multa Ecclesiasticis indulgebant, nihil minus cogitabant, quàm vt sibi detractum summum imperium in eos transferrent. quare locum heic habet illud Hormisdæ Pontificis R. in epistola ad Dorotheum episcopum Thessalonicensem. *Quo pudore, rogo, priuilegia circa te illorum munere desideras, quorum mandata non seruas? & reuerentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi Ecclesiastica potestate deferri?* Hormisda quidem alia de re loquitur: sed plane in hoc quoque argumento valet eadem ratio. nam & in iure canonico Græcæ Ecclesiæ, extat hæc regula: ὁ δωρησάμενός τι βασιλεὺς, εἰ ἀχαριστίας παρεμπέσοι λόγος, ἀναλαμβάνει τὴν δωρεάν. *Rex qui aliquid fuerit largitus interueniente caussa ingratitudinis libertatem reuocat.* & afferunt Græci Patres hanc regulam in disputatione de priuilegiis Ecclesiæ ab Imper. concessis. notissimum etiam est iuris Longobardici æquissimum axioma: *Feudum amittit, qui feudum sciens inficiatur.* quod tamen minus multo est, quàm si eum tibi subditum esse contendas, quem prius Dominum & legitimum tuum principem agnoscebas. Accedant præteritorum temporum exempla, quę pro lege esse debent. nam à Constantino M. qui fuit primus Princeps Christianus, omnes deinceps Imper. præsertim Orientis, sed & Occidentis, quotquot dominationis sibi à Deo traditæ vim intellexerunt: omnes, inquam, supremam potestatem in Republ. Christiana obtinuerunt. idemque ius postea, qui in locum Imperatorum successerunt, variarum gentium Reges, sibi meritissimè vindicarunt. Semper igitur creditum est firmiter ab omnibus, illud quod Gręci interpretes & ciuilis & canonici iuris, passim inculcant: τὸ νομοθετεῖν αὐθέντῃ τοῖς βασιλεῦσι: *ferendi leges in Rep. ius est solis Principibus concessum.* iidem Principes cum ex suggestione, vel consensu Episcoporum, Synodos præsertim maiores indicerent: mox, decreta Synodorum auctoritate sua firmabant. conueniendi enim & cœtus cogẽdi ius à Principe manat. Qui autem negant, Synodos olim iussu Imperatorum ac Principum solitas cogi: rem negant verissimam, certissimam, notissimam, contestatissimam. rem negant, de qua vel dubitare, stupor & imperitia est fœda. rem negant, cuius ita manifesta fides, vt ire contra, sit veritati bellum indixisse, mendacii patrocinium palam suscepisse, pudori & verecundiæ nuntium remisisse. Ignosce, quæso te, Lector candide: exeo enim de potestate, quoties video magnos viros dexteritate ingenii sui vti an abuti, non quò rerum gestarum memoriam è tenebris eruant: sed vt tenebris obruant. Notum omnibus, non solum literis Principalibus conuocari solitos Episcopos: sed etiam publicorum vehiculorum vsum diplomatis regiis fuisse iisdem tributum. Intererant & Principes conciliis, vel ipsi personaliter, vel eorum iussu Præsides prouinciæ, aut alii quos iussissent. Heic verò dignitas, auctoritas, & potestas Ecclesiæ eminebat: cum Princeps ἀτυφίας & modestiæ vindicem agere contentus: de cætero priuatum se gerebat. Patres contra, pro auctoritate à Deo sibi tradita, cuncta gerere: concilio præesse, controuersias Ecclesiasticas dirimere: de fide orthodoxa pronuntiare, hæreticos ex doctrina Christi refellere, cõtumaces exitio deuouere, canones & leges Ecclesiasticas Ecclesiæ præscribere, postremò, ipsa Imperatorum placita super rebus duntaxat Ecclesiasticis, quæ sacris canonibus repugnarent, emendare & antiquare. hæc Patrum legitima potestas, hæc vera Ecclesiæ libertas. quam si quis putet faciendam parui, hic quid magnum in rebus humanis ducat, velim scire. Sed quia, vt ante ostensum est, Episcopi nullam à Deo coactiuam potestatem acceperunt, per quam populum Christianum vi possint adigere, vt sua decreta suscipiat, etsi canonibus synodalibus, apud pios sua constabat auctoritas sine vlla imperiali sanctione, imò verò etiam renitentibus ipsis, & contra furentibus, vt primis Ecclesiæ temporibus, quò tamen in Rep. Christiana locus illis esset, & aduersus inobedientes actio posset institui, ciuilis potestatis auxilium desiderabatur. ergo Imperatores pii, quæ Patres decreuerant in Ecclesia, ea vt reciperentur à populo vniuerso, pro imperiali sua potestate, siue vt loquuntur Iurisconsulti, pro plenitudine suæ potestatis, statuebant & sub adiectione pœnæ sanciebant. ita canones illi, quos prius sola auctoritate episcopali fultos, boni duntaxat piique suscipiebant, vbi accesserat pondus potestatis ciuilis, etiam malos & diuini numinis contemtores constringebant. hoc nimirum est, quod supra dicebamus, gladium materialem supplere quod deest spirituali. extant prope innumerabilia Imperatorũ & Regum edicta, quibus Synodi præsertim œcumenicæ confirmantur. Græci vocant διατάγματα vel θεσπίσματα aut χρυσόβουλλα κυρῶντα τὰς συνοδικὰς ἀποφάσεις, *edicta* vel, *bullas aureas ad synodales sententias regia auctoritate muniendas.* id enim est

κυρῶν.

κυροῦν. Græci politici appellant τὸ κῦρος & τὸ κράτος principatum illum, quem dicebamus esse debere in Rep. vnum numero tantum: velut caput vnicum in vno homine. quam ob caussam sicut Ecclesiæ suæ caput dici solet Episcopus: ita imperator in antiquis monumentis audit *caput temporale populi Christiani.* &, *temporale caput mundi*: item, *rector & temporale caput fidelium.* Vt igitur vnum est in Rep. τὸ κῦρος: sic τοῦ κυροῦν. & sanciendi vt vim legis aliquid habeat, vnius est ac solius Principis. rectè ergo Græci patribus in Synodo adunatis tribuunt τὰς ἀποφάσεις: *ius pronunciandi quid sanctum, quid non*: at τοῦ κυροῦν, id est sanciendi vt vim legis decreta Synodi obtineant, id verò Principi attribuunt. sic legas in iure canonico administrari res Ecclesiasticas Synodali κρίσει *indicio*: & easdem confirmari regia ἐπικρίσει: *indicio quasi secundo.* in epistola synodali de non auellendis episcopis à sua metropoli: εὑρίσκεται καὶ πρότερον γεγενημένον ΚΡΙΣΕΙ συνοδικῇ καὶ ΕΠΙΚΡΙΣΕΙ βασιλικῇ κυρωθέν. id est, *inuenitur & antè simile quid factum* DECRETO *synodi*: & POSTEA FACTO DECRETO *Imperatoris firmatum.* digna quæ obseruetur dictionum proprietas. in eandem sententiā paullo post ibidem scribitur, Imperatores ἐπισφραγίζειν, τὰ κεκριμένα: *decretis Patrum auctoritatis suæ sigillum apponere.* neque tacendum in eodem iure canonico canones Patrum vocari ἐπιτάγματα, vt si dicas *mandata*: Imperatoris edicta, θεσπίσματα. *iussa.* quid plura? Lege diligenter res gestas omnium Principum Christianorum veterum: lege etiam ius ciuile & canonicum antiquum: nunquam inuenies factum, vt vel synodi vllius, vel Pontificis cuiusquam decreta ad vniuersam Ecclesiam spectantia, vim legis in Rep. prius habuerint, quàm à Principe, qui est Reip. caput, id ius accepissent. qui mos, quum in nobilissimo Francorum Regno & à principio fuisset institutus, & magna deinceps religione à maioribus nostris seruatus: nunc quoque ab amplissimo ordine in omnibus supremis Curiis, ceu magnum Imperii arcanum, custoditur. Hoc ius & libertas Regni: cui velut basi ac fundamento innituntur illæ quas forensis vsus appellāt Ecclesiæ Gallicanæ libertates.

Exposita comparatione quam instituer amus sacerdotalis & ciuilis potestatis: ad illud nunc accedamus, quod erat ab initio propositum: ecquam libertatem prima hæc Ecclesiæ nouerit, atq; vsurpauerit. omnes enim in hoc consentiunt Catholici, Ecclesiam Dei quo propius à Christi capitis sui & Sanctorum Apostolorū temporibus afuit, tanto vberius atque illustrius iis omnibus virtutibus abundasse, quæ sunt Ecclesiæ Dei propriæ & necessariæ. videamus igitur si qua forte hodiernę libertatis Ecclesiasticæ vestigia in antiquis temporum illorum memoriis possint obseruari.

Heic vero meminisse oportet eius quod supra dicebamus: primis ortus sui temporibus Ecclesiam ita fuisse in Republica, vt tamen Reip. pars non censeretur: adeo vt separatas penitus rationes suas haberet à rationibus Reipublicæ. omni quippe suppliciorum genere & tormentorum diritate eius interitum per aliquot secula qui Remp. regebant sunt moliti. Poterat sane Deus inde à principio Ro. Imperatorum animos Euangelica luce illustrare: nutritios Ecclesiæ suæ, quod ait Propheta, posteaque euenit, illos efficere: & ad propagationē doctrinæ Christianæ ministerio illorum vti. verùm ita semper solet Deus OPT. MAX. ad res quasque maximas perficiendas, & præsidia & consilia humana aspernari. & erat præterea æquissimum, vt quam ipse in terris vitam dedicauerat: eam discipuli quoque ipsius tenerent, ac posteris eiusdem propositi exemplum darent. Atque vt ante solem creatum lux esse iussa, ne tantum beneficium mortaleis Soli ferrent acceptum: sic ne salutis doctrina virtute Principum initio fuisse recepta, ac mox late diffusa credi posset: terrenas potestates ab hoc munere prouidentia cælestis abiudicauit. Accedit huc, quod dum hac ratione à reliquis mundi hominibus secreta, non tam loco quam institutis Ecclesia Dei viueret: sanctimoniā, pietatem, integritatem illibatam tanto seruabat commodius: quanto erat ab huius vitæ commerciis magis seducta & remota. mundo enim sic vtebantur primi illi fideles, tanquam non vterentur, quod Paulus monet. cùm interim flagrante pietatis zelo, morum innocentia, mutuo inter se amore ac dilectione sincera, humilitate non ficta, iugi futuræ beatitudinis meditatione, fide atque obedientia erga potestates ciuiles, quantum per conscientiam licebat: postremo in tolerandis pro vera religione cruciatibus constantia inenarrabili, & plusquam humana, theatrum vniuerso mundo quotidie fierent: & ipsos etiam hosteis in admirationem sui vel inuitos raperent. huiusmodi fuerunt nascentis Christianismi primordia: hæc prima Ecclesiæ Christi ætas: quam supplicia beatam, ignominia gloriosam, auri contemtus auream, corona martyrii, non autem regni, reddebat augustam. Et tamen, libertatem aliam sancta hæc & Deo chara Ecclesia nullam nouit, nisi spiritualē, quam veteres Patres Christianam nominant: hæc, sicut dictum antea, nihil aliud est, nisi vehemens Deo seruiendi cupiditas. qua cupiditate incensi primi illi Christiani, licet renitentibus Principibus: & synaxes suas & synodos clam primo agitabant: deinde etiam erumpere in plenam lucem ausi, omnes disciplinæ ecclesiasticæ partes cum sancta libertate intrepide exercebant. Deo enim potius quàm hominibus esse parendum à Spiritu sancto didicerant: & Petri cæterorumque Apostolorum exemplo, Actuum V. 29. neque sane alium libertatis eius quam vsurpabant titulum norant. istam vero quæ iam Ecclesiastica dicitur, & ceu Christianæ religionis quoddam Palladium tanta contentione defenditur, laudatur, quotidieque ampliatur, ne nomine quidem tenus habuerunt piæ illæ animæ cognitam. Tria præcipua libertatis Ecclesiasticæ esse capita definitio superius collecta euincebat: Romani Pontificis supra omnes seculares dignitates imperium, Ecclesiasticorum ab omni potestate ciuili exemtionem, & laicorum ad quoduis illorum obsequium subiectionem. quid horum in primitiua Ecclesia est inuenire? Scilicet dominabantur Imperatoribus Ro. Pontifices, qui perpaucis exceptis omneis ad Siluestrum vsque, crudelibus suppliciis iussu Principum

vitam finierunt. Si orbis dominium, vt hodie docetur, iure diuino pertinere ad se magnanimi illi heroes putarant, cur ne tum quidem significationem vllam eius rei dederunt, cum asserendæ dominationi credentium multitudo poterat sufficere? nam armis potuisse illos suum ius persequi, docuit multis post seculis, Gregorius II. cuius exemplo alii deinceps Papæ ferme innumeri pro dignitate Pontificia cum Principibus bella gesserunt atrocissima. Quod autem aiunt hodie multi, fidelibus non infidelibus Imperatoribus Rom. Pontifices imperare, ac propterea ius hoc suum ad Constantini Magni tempora fuisse illis necessario dissimulandum, id vero falsum est & oppidò ridiculum. neque enim de spirituali potestate heic loquimur, cuius respectu sacerdotibus colla submittunt etiam Principes, vt aiebat Gelasius. at in rebus ciuilibus cur minus pleno ac libero imperio vtatur Constantinus, quàm vel pater Constantius, vel Diocletianus, aut quiuis alius priorum Augustorum? Iam & de clericorum exemtione eadem penitus est ratio. nam vt pro fanatico habendus ille sit, qui ante Christianos Principes hoc iure illos fuisse vsos contendat, sic qui subiectione Christianorum Principum illos eximunt, inique faciunt & ridicule, vt de manifesta impietate eorum taceam, qui clarissima Sacræ paginæ verba, quo illa ad suam sententiam flectant, misere contorquent, sicut in sequentibus sumus demonstraturi. Qui autem immunitatis ac libertatis Ecclesiasticæ originem referunt ad Zephyrini & Caii aliorumve Pontificum leges inter flammas ipsas diræ persecutionis latas, si recti iudicii aliquod vestigium haberent, viros sanctos tam absurdæ ambitionis suspicione nunquam traducerent. absurdissimum sane esse non potest negari, eos iugum dominationis ciuilis ereptum iuisse aliis, qui essent ipsi cum maxime eidem dominationi obnoxii: quique mox ad luendas pœnas crudelissimorum Principum iussu sint ducti. De laicorum vero obsequiis erga Ecclesiasticos quid attinet verba facere? quæ eo prolixius illo tempore præstabantur, quo minus exigebantur. Apostolus ad Galatas scribens. *testimonium*, inquit, *perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* sed non erat is Paulus sicut epistolæ ipsius ostendunt, non Apostoli cæteri, qui exactionibus superuacaneis & nouis subinde angariis, quod postea factum, Ecclesias Dei onerarent. Ad horum exemplum quum se totos primæ Ecclesiæ Episcopi, viri sanctissimi componerent, pariter & populos ad omnia quæ exigerentur obsequia paratissimos semper fuisse, non est dubium. necessariis etenim contenti, neque subiectis populis, neque alter alteri dominari pii Pastores appetebant: sed vt Beatus Cyprianus ait, *vniuersi gregis portionem sibi adscriptam, vnusquisque regebat, actus sui rationem Domino redditurus.* Verum enimuero Ecclesia Dei agro non sine caussa in sacris literis comparatur. hunc agrum semente optima initio conspersum, studioque summo à patrefamilias excultum, veterator ille antiquus, non magna interposita mora conatus est adulterare. exinde inter nitentia culta, lappæ, tribuli & steriles auenæ ceperunt succrescere. alii à rectæ fidei noto tramite ad ignotas semitas deuiare: alii prioris zeli ardorem tepore lento mutare: alii diuitias congerere: multi, etiam ex ipsis agri dominici colonis, honoribus inhiare, ambitioni non leuiter se dedere. simulac enim vsura aliqua pacis ab externis hostibus concederetur: omnia hæc è vestigio mala intestina, velut agmine facto, in Ecclesiam irrumpentia, priorem eius pulchritudinem mirifice deturbabant. Beatus Cyprianus de lapsis, loquens de persecutione Deciana longe grauissima. *Si cladis caussa cognoscitur*, inquit, *& medela vulneris inuenitur. Dominus probari familiam suam voluit: & quia traditam nobis diuinitus disciplinam pax longæua corruperat: iacentem fidem & pene dixerim dormientem, censura cælestis erexit.* postea corruptelam Ecclesiæ vir sanctissimus copiose describens, inter cætera mala, illud longe grauissimum commemorat, quod seculares curas spirituali ministerio iam tum illa ætate Episcopi miscere inciperent. *Episcopi plurimi*, inquit, *quos & hortamento oportet esse cæteris & exemplo, diuina procuratione contemta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari: esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire: habere argentum largiter velle: fundos insidiosis fraudibus rapere: vsuris multiplicantibus fœnus augere.* Simillima his sunt, & grauiora etiam, quæ de Episcoporum ambitione ac potentiæ cupiditate Eusebius refert libri 8. initio, dum caussas explicat excitatæ diuinitus persecutionis illius, quam sub Diocletiani imperio passa est Ecclesia vehementissimam. quin etiam in tantum iam temporibus illis contemtum Ecclesiastica disciplina venerat, vt spiritualis gladii auctoritate obsoleta, aduersus contumaciam Pauli Samosateni auxilium gladii ciuilis ab Aureliano Principe infideli, & mox infensissimo hoste Ecclesiæ, synodus circa annum Christi CCLXXV. Anthiochiæ coacta, opus habuerit implorare. Atque hic erat Ecclesiæ tum status, cum prouidentia diuina ex insperato noua facie illam induit.

CAPVT. III.

Qua & qualis fuerit libertas Ecclesiæ à temporibus Constantini Magni ad Gregorium Magnum, Pontificem Ro.

TRecentos propemodum annos inter continuos fere cruciatus, corona martyrii insignis, & sanguine suo, vt plurimum, purpurata, egerat Ecclesia Dei, cum tyrannorum crudelissimorum iugo ipsam tandem eripere, DEO OPT. MAX. placitum. Iam enim optata illa tempora aduenerant, Domino multis antè seculis promissa, à Prophetis prædicta, quando se suaq; sceptra Reges terræ Regi Messiæ erant submissuri: neque ipsum duntaxat humiliter adoraturi: verum etiam Ecclesiæ ipsius

Digitized by Google

psius nutritii, pastores ac defensores futuri. Igitur diuturnam ecclesiæ seruitutem libertas excepit, quam illi Constantinus Magnus primo peperit: quamque insecuti deinceps Christiani Imperatores eidem conseruarunt & variè auxerunt. Quoniam autem libertatis huius interpretatio, vis ac iura pro temporibus mutarunt, sicut capite primo ostendimus: vt clare & liquido possit intelligi, quid ab hac priore posterior differat: (ea nempè, quam hodie Ecclesiasticam vocitant:) temporum distinctionem adhibebimus, eaque separatim considerabimus. Tria itaque libertatis Ecclesiæ tempora in historiis obseruamus, mirum in modum inter se diuersa. Nam à Constantino Magno, auctore illius primo, per annos trecentos, & quod excurrit, sub imperatorum & regum Imperio floruit ecclesia, sola rerum spiritualium & Ecclesiasticarum administratione contenta: ab omni dominationis temporalis contagione aliena & immunis. Hæc est altera ætas Ecclesiæ, quam docendi gratia Pelagii II. qui Gregorium Magnum antecessit, pontificatu terminamus. Secuta deinde est ætas alia, in qua ecclesiastici secularium negotiorum administrationi sese immiscere primo sunt coacti, rebus ita exigentibus: deinde etiam vltro harum rerum curam susceperunt, & pertinere ad se iudicarunt. huius temporis spacium constituimus à Gregorio Magno ad Gregorium VII. tunc primum hodiernæ libertatis Ecclesiasticæ iacta sunt fundamenta. quæ libertas à Gregorio VII. insigniter aucta & confirmata, quum altas iam radices egisset: temporibus deinceps insecutis, per varias occasiones & artes diuersas amplificata, in eam demum formam est perducta, quam primo capite ostendimus. Cum ista ergo posteriorum seculorum libertate nihil fuisse commune illi priori, cuius auctor Constantinus Magnus, omnes æquos lectores eorum quæ hoc capite dicturi sumus, agnituros esse confidimus. cæterùm ne in amplissimo argumento liberior stilus vagetur, certis quibusdam finibus præsentem diatribam coercebimus.

I. *Ecclesia Christiana libertatem religionis à principibus accepit.*

Quicquid iuris Ecclesia est cõsecuta per concessam sibi ab antiquis imperatoribus libertatem, id omne ad quatuor hæc capita commodè potest referri: liberam religionis professionem, quam Imp. Constantinus & Licinius *libertatem religionis* in edicto suo vocant: immunitatem, quæ ἐλευθερία τῶν λειτουργημάτων *libertas à publicis oneribus*, Iustiniano appellatur: exemptionem Ecclesiasticorum à secularibus iudiciis: postremò, auctoritatem etiam de laicorum caussis cognoscẽdi. hæc iura cuiusmodi fuerint illis temporibus de quibus isto cap. agere instituimus, ordine exponemus. Libertatem ergo religionis nominarunt Imp. liberam facultatem omnia agendi, quæ ad Christianam religionem plenè exercendam desiderantur. quo in genere sunt ius conueniendi ad sacras synaxes & publicas preces: ædeis sacras ædificandi: Synodos cogendi: & disciplinæ ecclesiasticæ vsurpandæ. ideò narrat Eusebius, post huius edicti publicationem, incredibili cum alacritate & lætitia populos libere conuenisse: templa struere passim cepisse: multas Synodos celebrasse. Eadem omnia & multo ante fecerant Christiani: sed ἐλευθέρως καὶ ἀπλάστως, vt aiunt Imp. id est, liberè & sine vlla dissimulatione, tũc primum. Erant periculosè in multis, qui non distinguũt inter potestatem à Deo datam Ecclesiæ, & eam cuius auctor est princeps. illa separat Ecclesiam à Republica, dum peculiarem Deo populum ipsam efficit: hæc, Ecclesiam Reipublicæ adiungit, & ad communionem eiusdem iuris cum cæteris Reip. membris admittit. nam vt antea dicebamus, Ecclesia hactenus ita in Reip. fuerat, vt tamẽ pars illius non censeretur: ac propterea æquo iure cum reliquis ciuibus non vtebatur, neq; alium ferè suarum iniuriarum, aut contemtæ disciplinæ vindicem, nisi Deum habebat. vbi verò libertatem religionis à principe fuit consecuta, & iniuriarum suarum vltorem eundem principem habuit: & disciplinæ quoque Ecclesiasticæ custodem ac vindicem: ex quo etiam illud postea euenit, vt hæretici, qui hactenus in eadem caussa cũ orthodoxis catholicis fuerant sub infidelium Principũ imp. edicto Constantini ab Ecclesia separarentur, & libertate Catholicis concessa priuarentur. vide Sozomenum, libro II. capite XXXI. & similibus Principum edictis aduersus hæreticos plena est historia Ecclesiastica.

II. *Ecclesia vetus sub Christianis principibus solita Synodos cogere, aut expressa iussione principis, aut tacito eiusdem consensu.*

Iam diximus, imperatores cum libertatem religionis edictis suis ecclesiæ concesserunt: simul ius liberè cogẽdi Synodos illis attribuisse. Nã cultus Christiani hęc pars est, prorsus necessaria & ἀναγκαίας. propterea Synodi illæ quas statim post libertatem acceptam conuocatas fuisse narrat Eusebius: vt Ancyrana, & Neocæsarena, quarum hodieque extant canones: etsi iussione Constantini coactæ non dicuntur: regia tamen auctoritate, non minus quam quotidianæ Synaxes fulciebantur. Heic verò discrimen cum primis obseruandum occurrit inter topicas particularesque Synodos, & concilia œcumenica. nam illæ quidem iterdum à metropolitanis aliisue episcopis, sine expressa Principis iussione aut consensu, dicuntur congregatæ: interdum expresso imperatorum mandatu: at vniuersales Synodi, nunquam illis temporibus sine iussu Principis leguntur fuisse coactæ. Ratio diuersitatis est: quia vt prospiciendi necessitatibus Ecclesiarum sibi commissarum, plenariam potestatem à Christo primum, deinde etiam à Principe Episcopi metropolitani, & Patriarchæ habebant: sic Princeps conseruare tam in partibus Ecclesiæ, quàm in eadem vniuersa disciplinam Ecclesiasticam, cauereque ne vllam orthodoxa Doctrina innouationem acciperet, sui muneris ac iuris esse arbitrabatur. idcirco Magnus Constantinus, vt antea obseruabamus, episcopum se τῶν ἐκτὸς diuinitus constitutum dicere solebat: quod ad hanc curam Synodos indicendi refert Eusebius, libro primo vitæ ipsius: vbi de cætero eius studio adiuuandæ reformandæque Reip. locutus:

Ecclesiæ tamen Dei, inquit, *peculiarem sollicitudinem impertiens, quum per varia loca exorirentur inter Episcopos dissensiones: ipse ceu communis aliquis Episcopus a Deo constitutus* συνόδους τῶν τοῦ Θεοῦ λειτουργῶν συνεκρότει. *Synodos ministrorum Dei indicebat.* de topicis Synodis hæc intelligenda. atque hinc manifesto patet, Constantinum minora concilia auctoritate sua conuocasse: quoties vel ipse per se, vel ex suggestione Episcoporum publico Patrum conuentu opus esse indicaret. Moris præterea fuit, vt qui prouinciæ suæ suspectas Synodos haberent, iudices à principe sibi dari postularent. Fecerunt hoc Donatistæ, cum Aulinus Proconsul Africæ mandatu Constantini ipsos vrgeret, vt Cæciliano orthodoxo episcopo Carthaginis conciliarentur. id exemplum in simili re primum editum est in Ecclesia Christiana. nam qui dicunt ante Paulum Samosatenum à Synodo ad Aurelianum Imperatorem appellasse: non attendunt, ipsos fuisse pios episcopos in Antiochena Synodo congregatos, qui ad deturbandum ex episcopio contumacem hæreticum, auxilio ciuilis potestatis, prudenter atque vtiliter sunt vsi. Donatistarum verò longè alia ratio. nam hi iudices ab imperatore petierunt non suspectos, qui de caussa ecclesiastica cognoscerent. Sunt enim hæc eorum verba apud Optatum Mileuitanum: *in Africa inter nos cæteros Episcopos contentiones sunt: petimus vt de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas tua.* vides non deferri iudicium de rebus Ecclesiasticis imperatori: sed hoc tantum vt pro sua auctoritate Princeps cogi Synodum iubeat, non suspectam. qui propterea exemplum damnant, quia à Donatistis profectum: pessimè iudicant. simul enim infinitos Romanos Pontifices atque alios viros sanctissimos damnant. quos constat ab imperatoribus petiisse, vt aduersus anteactas Synodos noua concilia indicerent: vt de Patribus Nicenis, Ioh. Chrysostomo, Innocentio primo, Leone, aliisque dicturi sumus. quod autem ait Optatus, Constantinum *pleno liuore respondisse* Donatistis: & eos abiurgasse, quod iudicium à se in seculo, id est, temporali dominatione prædito, non autem spirituale regimen Ecclesiæ obtinente, iudices poscerent: eò valuit, vt significaret Constantinus, melius atque optabilius futurum, si adeo concorditer & amice agerent inter se episcopi: vt nemo ipsorum auxilium à principe opus haberet petere. quod quia primi, & quidem sine iusta caussa, faciebant tunc Donatistæ: quid miramur imperatorem, pacis & vnitatis in Ecclesia conseruandæ studiosissimum, nouitate rei motum, asperioribus aliquanto verbis eos excepisse? cum præsertim omnia noua exempla sapientes aduertere acrius soleant. id autem Donatistarum exemplum, non poterat non esse nouum: cum illud ipsum non multò prius cepisset, vt Christianis imperatoribus subiecta esset Ecclesia Dei. optimè sanè iudicabat Constantinus: id maximè votis omnibus esse expetendum, ne inter episcopos vlla vnquam similis exoriretur contentio: cæterùm hoc quoque sciebat, credebatque firmiter idem ille pius Imperator: quoties id mali genus extitisset, Christiani principis officium esse, vt auctoritate sua curaret per illos rem componendam, quorum est proprium, de causis ad fidem vel disciplinam Ecclesiasticam spectantibus, pronuntiare. idcirco subiicit Optatus: *Et tamen dati sunt iudices: Maternus ex Agrippina ciuitate, Rheticius ab Augustoduno ciuitate, Marinus Arelatensis.* postea concilium Romæ habitum iussu Constantini commemorat. neque enim soli tres illi episcopi de caussa cognouerunt: sed inter plureis, quorum ibidem nomina censentur, hi tres cum Melchiade Romano Pontifice præcipui erant. extat in decima historia Eusebii formata epistola Constantini ad Melchiadem & tres illos superiores eodem exemplo, vt fit in formatis, missa, super conuocatione eius concilii. Inscriptio epistolæ est: Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς Μιλτιάδῃ (Melchiadem plerique Græcorum libri ita vocant) ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων καὶ Μάρκῳ. eruditus Nicephori interpres vertit: *Constantinus Augustus Miltiadi Episcopo Romanorum & Marco, &c. Quæ* videtur fuisse in Græco exemplari, καὶ Μάρκῳ καὶ λοιποῖς. sic sæpè qui litteras formatas describunt, vnius duntaxat, vel ad summum alterius eorum, ad quos illæ fuerunt missæ, nomen apponunt. quare illa, καὶ λοιποῖς *& cæteris*, id designant, paria exempla cæteris quoq; fuisse missa, quorum nomina ponuntur. vt in hac epistola Rheticii, Materni, & Marini. ex quo apparet in hac inscriptione mendosè omnino Marci nomen pro Materni vel Marini irrepsisse: ac pro καὶ μάρκῳ, scribendum esse καὶ μαρίνῳ: vel καὶ ματέρνῳ: quod minus probo. in ea epistola imperator cognitionem huius caussæ Melchiadi Papæ & tribus illis mandat his verbis. *Visum mihi, vt idem Cæcilianus cum decem Episcopis, qui illum reum agere videntur, & alios præterea decem quos ipse sibi ad caussam suam necessarios esse arbitratur, Romam nauigent: vt ibi coram vobis, item Rheticio, & Materno ac Marino collegis vestris, quos propterea Romam properare iussi, audiri queant, prout venerandissimæ legi conuenire cognoueritis.* vides congregationem episcoporum, à Principe imperari: & quidem exertæ auctoritatis principalis verbis: VISVM MIHI, & IVSSI. at iudicium permitti episcopis, vt statuant ipsi ex lege diuina & canonibus. hic enim est quem ipse vocat νόμον σεβασμιώτατον *legem augustissimam*. Porrò Donatistæ Romano concilio non acquieuerunt: sed ad Principem appellarunt. pessimo sanè exemplo, vt meritissimè pius Imperator exclamarit, *o rabida furoris audacia, sicut in caussis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* sed Donatistę hoc colore se tuebantur, quod in Romano iudicio pauciores adfuerant iudices, quam magnitudo caussæ exigeret. & euentus quidem docuit, tergiuersandi animo hæc ab illis fuisse obtenta, neque hoc non videbat imperator, vt apparet ex epistola ad Chrestum, sed rursus hoc quoque norat Constantinus, tot ægras mentes eorum, qui per Africam à communione Catholicorum abhorrebant, vi & suppliciis ad sanitatem perduci non posse. itaque necessitate compulsus, magnam Synodum Arelate indicit. In epistola formata ea fine scripta, sunt hæc verba, *Prospiciendum mihi fuit, vt negotium quod dudum post sententiam latam, spontanea consensione terminatum esse oportuit, nunc certè pluribus præsentibus finem consequi tandem aliquando possit. Quoniam igitur plurimos è diuersis*

Digitized by Google

diuersis ac prope infinitis locis episcopos in Arelatensium vrbe, intra Kal. Augusti conuenire iussimus, etiam ad te scribendum duximus. Rectè autem scribit Augustinus epistola CLXII. Constantinum Synodo hac indicenda, nequaquam illud sibi sumpsisse, vt de Romani concilii patrum iudicio ipse iudicaret: sed eatenus querellas Donatistarum suscepisse, vt alios Episcopos daret iudices. itaque nihil in hoc Constantini facto inuenit Augustinus quod damnet. qui etiam epistola eadem vt consilium eius episcopi se non fore laudaturum ostendit, qui proconsulari iudicio purgari vltro expetierit: aut ad Imperatores prouocauerit: sic eos episcopos, qui iudicium illius cui caussam delegauerat Imperator, non detrectarant, acriter tuetur: ipsum principem non obscurè laudans, quod laboranti Ecclesiæ auctoritate sua subuenisset. verba sanctissimi viri sunt: *Ait quidam* Donatista: *Non debuit episcopus proconsulari iudicio purgari: quasi verò ipse sibi hoc comparauerit: ac non Imperator hoc quæri iusserit,* AD CVIVS CVRAM, *de qua rationem Deo redditurus est,* RES ILLA MAXIME PERTINEBAT. Si iudicio tanti patris rectè fecit Constantinus, quod tumultuantibus in Africa Donatistis, Proconsuli caussam delegauit: quis illum reprehendat, si etiam post concilium Romanum victus pertinaci animositate nequissimorum hominum, instaurari iudicium Arelate ab episcopis, sed longe pluribus numero, maluerit, quam vim adhibere, aut gladio sæuire? Itaque sine caussa in Annalibus Ecclesiasticis de hoc Constantini facto longè aliter pronunciatur. sed nemo miretur, eum qui de potestate Ecclesiastica & Pontificia longe diuersam opinionem ab Augustini sententia, omni ratione tuendam à principio suscepit: de hac quoque re longe aliter quam Augustinum & vniuersam Ecclesiam veterem sentire ac pronunciare. Porrò cùm ne Arelatensis quidem Synodi iudicio acquiescerent Donatistæ, atque iterum ad Imperatorem appellassent: à rigore iuris nonnihil deflexisse visus est Constantinus: cùm de caussa toties ab episcopis iudicata, cognoscere ipse instituit: non vt bene statuta à patribus, quorum ea cognitio erat, imperatoria maiestate antiquaret: sed vt ceruicosis hominibus omnem tergiuersandi ansam pœnitus præcideret, & hac ratione vel inuitos, si posset, seruaret. itaque veniam audentioris consilii fuisse illi postea ab episcopis petendam B. Augustinus indicat: sed veniam facilem, & cum ipsius laude, qui videbatur deliquisse, meritò coniunctam. *Vtinam,* inquit ille. *saltem Imperatoris iudicio insanissimis animositatibus suis finem Donatistæ posuissent, atque vt eis ipse cessit, vt de ea caussa post episcopos iudicaret, à Sanctis antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod vlterius dicerent, non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi prouocauerant: sic & illi aliquando cederent veritati.* Quod igitur de caussa ab episcopis iudicata Princeps cognouit οἰκονομικῶς, & dispensatione factum, vt veteres Theologi loquuntur: neque aut malignè interpretandum, vt illi faciunt qui imperatorem eo nomine grauiter accusant: neque rursus ad exemplum temerè trahendum, vt ex Galesio superiore capite dicebamus. at quod Synodos Romanam & Arelatensem indixit, & episcopis caussam delegauit, hoc verò Imperator ex potestatis suæ vi fecit: eoque iure tum cæteri Imperatores pii sunt vsi: tum hic imprimis Constantinus dum vixit semper religiosissimè. Is igitur, vbi videt flammam in Ægypto ab Ario excitatam tot Synodis topicis episcoporum Ægyptiorum non restingui, suam auctoritatem interponit: & acri epistola tam Arium, cuius impietas nondum planè innotuerat, quam Alexandrum episcopum ad officium reuocat, & vt eleganter ipse ait, inter duos contendentes εἰρήνης πρύτανιν ἑαυτὸν [illegible] εἰκότως, *pacis moderatorem iure suo se admonet.* cùm ne sic quidem hilum esset profectum: secuta est illa nobilissima, celeberrima, augustissima Synodus Nycena. quo auctore, quæso, & quo iubente? si verum est quod hodie pro articulo fidei docemur, nemini præter vnum Romanum Pontificem, non dicam Synodum cogendi, sed ne hiscendi quidem in rebus Ecclesiasticis ius esse: nullum dubium est, Syluestrum Pontificem Roma. Nicenum hoc concilium indixisse. itaque hoc omnes isti hodie libertatis Ecclesiasticæ patroni pro certo & indubitato ponunt. mitto sophistas & nugatores veteris historiæ imperitos. Cardinalem verò Baronium id adeò affirmanter scribere & asserere, quis non miretur? nam hoc veterum nemo dixit. quare igitur affirmatur? saltem aliquid adferret vir diligentissimus ex antiquitatis thesauris, vnde aliqua huius rei suspicio posset videri orta. sed ne id quidem potest. itaque ad miseras coniecturas confugit: de exemplo Dionysii episcopi Alexandrini quondam apud Dionysium Papam R. accusati, & de legatione Osii. quod ad vetus exemplum Dionysii, agemus nos de eo paullopost, cum de appellatione à Synodis tractabimus. Osium verò legatum Romani Pontificis ea gessisse quæ scribit Baronius, tam facilè cuiuis negare silentibus omnibus historicis, quam ipsi affirmare contra omnes historicos. sed vt hoc impræsentiarum illi concedamus, quid inde sequetur, nisi quod ex suggestione Syluestri hoc concilium Imperator indixerit? hoc verò vltro fatebuntur omnes pii, ab episcopis, maximè autem à Romano, vt primæ sedis Antistite, eius admoneri solitos imperatores. nam etiam preces humillimas adhibuisse Romanos Pontifices legimus, vt ab imperatoribus Synodos indici impetrarent, aut si res exigeret, indictas differri. Leo Papa epi. IX. ad Theodosium Imp. *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis episcopale concilium, cito poterunt omnia scandala, quæ in inperturbationem totius ecclesiæ sunt commota, resecari.* idem Leo epist. XLIII. ad Marcianum Augustum, *Poposceram à gloriosissima clementia vestra, vt Synodum quam pro reparanda Ecclesiæ Orientalis pace, à nobis etiam petitam, necessariam iudicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius iuberetis.* Et prior Leone Liberius ad Constantinum scribens: *Ad exorandam mansuetudinem tuam, vt beneuolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & coepiscopũ meũ, sanctum virum Luciferum, cum Pancratio compresbytero meo, & Hilario diacono placuit proficisci: quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse conciliũ impetrare,*

Omitto similia exempla, quæ sunt plurima. ex quibus nemo sanus collegerit, Imperatorem ius indicendi Synodos non habere: verùm illud potius clarè ac manifestè ex istiusmodi testimoniis colligitur: episcopos, præsertim verò Romanum, vt præcipuæ sedis Antistitem, pro cura pastorali sua in Ecclesia Dei, de indicendis conciliis solitos Principibus autem vellere: Principes pro auctoritate quam habent supremam in Republ. cuius pars Ecclesia, concilia indixisse. ergo etiam Nicænum ab Imperatore esse indictum, & ratio manifesta suadet, & testimonia veterum scriptorum euincunt. Eusebius libro III. de rebus Constantini, literas Imperatoris quibus hæc Synodus conuocata, ἐπίταγμα Constantini adpellat: *mandatum & iussionem.* Theodoretus libro primo; *Constantinus*, inquit, *spe componendi tumultus Alexandrinos falsus*, τὴν πολυθρύλλητον ἐν τῇ Νικαίᾳ συνήγειρε σύνοδον. *celebrem illam in vrbe Nicaensium Synodum fidelium congregauit.* Sozomenus de eodem: συνεκάλεσε σύνοδον εἰς Νίκαιαν τῆς Βιθυνίας. *conuocauit Synodum Nicæam in Bithynia.* Socrates, & Galesius, aliiq; in eam rem verbo συγκροτεῖν vsi. quin ipsi quoque Niceni Patres initio epistolę ad Alexandrinos, à Deo & Imperatore συγκροτηθῆναι se testantur. id verbi solent Græci scriptores Ecclesiastici de eo vsurpare, qui auctor fuerat Synodi alicuius habendæ, & qui indixerit. propriè de choragis Atheniensium dicebatur, quorum erat munus, chorum in tribu sua proprio sumtu instruere. quo respexit Eusebius, cum hanc ipsam Synodum appellat χορὸν ἐπισκόπων *chorum episcoporum*, &, εἰκόνα χοροῦ ἀποστολικοῦ. *imaginem chori apostolici.* dicitur & de Imperatore qui cogit exercitum: nam συγκροτεῖν στράτευμα passim leges in historiis Græcorum. Theodoretus & Sozomenus de Synodo Cæsareæ in Palæstina aliquot post annis celebrata, vtuntur vocibus προστάξει, & κελεύσει, ac iussu Constantini illam habitam significant. ea Synodus magna ex parte factiosorum & perditorum hominum conuenticulum fuit, ad perdendum Athanasium coniuratorum. sed optimo Imperatori fraus facta est ab episcopis: qui sub ouina pelle animos lupinos latere non intelligebat. ideò excusat ipsum Theodoretus, quod fidem hominibus improbis habuerit, propterea quod Sacerdotes essent. idem Princeps dolo intellecto horum episcoporum, aliam denuò Synodum in vrbe Tyro προστάξει ἀθροισθῆναι. *iussit congregari* ait Theodoretus. ipse Imperator in epistola ad Synodum edictum suum, quo indicit concilium, appellat κέλευσιν *iussionem*. item ὅρους αὐτοκράτορος ὑπὲρ εὐσεβείας ἐξενεχθέντας: *imperialia decreta pro religione edita.* & ne facultate conueniendi ad malum aliquod patrandum iterum abuterentur episcopi: Dionysium virum consularem ait se misisse, omnium agendorum, maximè autem modestiæ cuiusque futurum ἐπίσκοπον. id est, *exploratorem, & obseruatorem.* Sed hic Dionysius potestate sibi delegata abusus, non disciplinæ custodem ac vindicem se exhibuit: verùm aperta vi grassatus, religiosæ Synodi formam in speciem conuentus secularis, imo tyrannici conuertit. ideò Synodum eam posse vocari iure negat Athanasius in Apologia II. *qua fronte*, ait, *talem conuentum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? vbi spiculator apparebat? commentariensis, loco diaconorum Ecclesiæ, nos admittebat? ille loquebatur, episcopi silebant, vel potius Comiti obediebant. ille iubebat, nos à militibus ducebamur.* hæc & plura his Athanasius de vi adhibita ad illud concilium. Sed huius mali totius non adeò Comes fuit auctor, vt ipsi episcopi Ariani: qui fidem rectam & magnum eius patronum Athanasium vt perderent, extremis Constantini temporibus & postea regnantibus Constantio, Iuliano & Valente, nulli neque violentiæ neq; immanitati pepercerunt. at Constantinus vbi ab Athanasio de rebus Tyri gestis cognouit, regiam potestatē in conuenticuli illius episcopos exerens, apicibus suis sistere se Constantinopolim omnes iubet rationem perperam admissorum redditūros. coacta ibidem & Synodus est, de qua Rufinus: *Arrium nequicquam apud Alexandriam commorantem venire facit Imperator, & imperialibus edictis concilium denuò Constantinopolim conuocari.* Omitto Ierosolymitanum, quòd proximè secutum est Tyrium: & ferè ab iisdem episcopis fuit celebratum. id quum ad encænia templi Ierosolymitani agitanda præcipuè conuenerit, quin iussu Imperatoris sit collectum, ne dubitari quidem potest. obiit verò magnus hic & pius Imperator non multo post Nouæ Romæ actum concilium. Constantiū filium non eodem solum iure cum parente vsum in Synodis indicendis: sed etiam potestatis legitimæ fines longè emigrantem, per regiæ potentiæ ministros in Arianorum suorum gratiam plurimas coegisse Synodos, ex hystoria Ecclesiastica nymis certum. & iure veteres parasynagmata non Synodos appellant, eius auspiciis coactos conuentus Antiochiæ non semel, Philippopoli, Ierosolymis, Sirmii, Nicæ in Thracia, Niceæ in Bithynia & aliis item in locis. hinc illæ adeo frequentes querelæ apud Athanasium, Hilarium, cæterosque eius ætatis scriptores de Constantii, quem ipsi Antichristum dicunt, omnia Ecclesiæ iura temerantis, ausu nefario. iidem tamen in legitimis Synodis ab illo coactis, non inuiti auctoritatem Principis agnoscunt. Sardicensem Synodum fatetur Athanasius conuocatam κατὰ πρόσταξιν. *ex iussione piissimorum Imperatorum Constantii & Constantis.* Ariminensis quoq; Orthodoxę Synodi Patres, Dei κελεύσει *iussione*, & Imperatoris πρόσταγμα *præceptione* solitas cogi Synodos profitentur. quod & superioris Sardicensis Patres, aliis verbis significarunt in epistola Synodi apud Theodoretum libro II. cit. VIII. De indicta Nicæam Synodo œcumenica Constantii litteris, & postea aliis eiusdem literis diuisa in Ariminensem occiduorum, Seleucensem orientalium, habes apud Athanasium in commentariolo de iis Synodis scripto. Liberium quoque Romanum Pontificem, enixis precibus ab hoc ipso Principe, quamuis impio atque hæretico, Synodum expetisse, supra ostendimus. quæ autem à Iulio Papa Constantio imperante in caussa Athanasii habitæ sunt Synodi, eæ cum vniuersales non essent, Principis expressam iussionem minus desiderabant, vt antea dicebamus. itaque metropolitanos & patriarchas in suis diœcesibus episcopales conuentus

uentus propria auctoritate habuisse passim obseruabis. constat sanè vnum Athanasium Alexandriæ multas Synodos è subditæ sibi ditionis episcopis conuocasse. Romano verò Pontifici eximium aliquod ius præ cæteris iam tum cepisse attribui, ostendetur inferius hoc ipso capite. Non abutar otio meo singulis Synodis maioribus minoribusque commemorandis, quæ deinceps intra eius temporis, quo de nunc agimus, terminum, leguntur habitæ. satis erit præcipuas duntaxat carpsisse: ex quibus luce clarius constare æquis lectoribus queat, crudelitati rudis popelli mirificè eos illudere, qui rem adeo veram certamque negant. Iouiano Principe, circa annum Domini CCCLXV. Lampsacenum famæ non obscuræ concilium habetur. narrat autem Sozomenus lib. VI. cap. VII. Hellesponti & Bithyniæ episcopos Hypatianum misisse ad Imper. ὅπως ἐπιτραπῶσι συνελθεῖν ἐπὶ διορθώσει τοῦ δόγματος: *vt sibi venia conueniendi tribueretur ad restituendam in integrum fidem Christianam.* qui responsum ab Imperatore tulit: *Mihi equidem qui laicis accenseor, curiosius de istis inquirere nefas: At sacerdotes quorum ea cura, per se vbicunque voluerint conueniũto.* Græcè est ἐμοὶ μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ: *mihi qui sedē habeo cum laicis,* Alludit Imperator ad sessionem in templo: vbi quum ante Ambrosium sederent Augusti intra sacerdotalis ordinis septa: morem primus ille mutauit, sedemque ipsis posuit separatam quidem à populo, verum extra sacerdotum subsellia: vt in septima historia docet Sozomenus. non igitur negat Imperator, quod falsò & ridicule nonnulli scribunt, indicendæ Synodi tantum ius ad se pertinere: sed infelici Constantii exemplo factus sapiens, nolle se ait πολυπραγμονεῖν, *curiosius rimari* negotium fidei. principalem verò auctoritatem luculente exerit idem, illo verbo συνίτωσαν, *ad Synodum accedunto.* Anno octuagesimo primo supra trecentesimum, œcumenicum concilium habetur Constantinopoli, non numero episcoporum, sed præstantia eorum qui adfuerunt insigne. quis indixit? vni Theodosio Imp. id beneficium acceptum ferunt Episcopi in Synodicis suis: & illis assentitur quantum est historicorum, qui rei meminerunt. Cardinalis tamen Baronius ex animi sui sententia disputat, Damaso Papæ laudem eam deberi. verùm id coniecturis adeò inualidis, vt ne refutari quidem mereantur. Auctor est Socrates, in hac Synodo decretum esse, vt cuiusque prouinciæ negotia à Synodis prouincialibus definirentur: & addit tanquam rem necessariam, etiam Imperatoris sententia id decretum esse firmatum. de Romano concilio anni sequẽtis audiamus Hieronymum in epistola ad Eustachium: *Cum Orientis & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litteræ contraxissent: vidit admirabiles viros Christi Pontifices, Paulinum Antiochenæ vrbis Episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur:* ex quibus verbis apparet, etiam cum Romam Synodus maior indicebatur literis imperialibus id factum, non autem Romani Pontificis. quare ad hanc ipsam Synodum Romanam scribentes Episcopi Orientis, qui tempore eodem Constantinopolim conuenerant, ad veterem Romam & concilium istud vocatos se fuisse testantur, διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων, *piissimi Imperatoris literis.* quod si veræ antiquitatis monumentis indubitatis tantum isti, quibuscum agimus, quantum par erat, tribuerent, poterat vel vnica ea epistola ad euincendum quod heic contendimus, sufficere: quod enim inuitati essent ad Synodum Romanam episcopi orientis, id ipsi charitatis mutuæ & dilectionis Christianæ officium interpretantur, eoque nomine gratias illis agunt: non autem subiectionem suam, dominationem alienam. qui non aliter cum occidentalibus agunt, nisi vt fratres, vt & eiusdem patris familias æqualis dignationis ministri, & ciuilibus potestatibus pariter subiecti. vbi ergo illa temporalis monarchia, quam hodie Corybantes quidam somniant, & in Ecclesiam Dei inuehunt? Anno CCCXCIX. Theophilus Alexandrinus Patriarcha in coacta à se Synodo errores Origenis damnat. sequenti anno Iohannes Chrysostomus patriarcha Constantinopolitanus concilium Ephesi conuocat, & vt labantem disciplinam instauraret, episcopos ditionis suæ XII. vel vt Sozomenus scribit XIII. thronis suis deturbat. magnas lites & multorum odia ambo hi patriarchæ, cum hæc facerent, sibi conciuerunt. sed tamen, qui eos reprehenderent, quod auctoritatem alii debitam vsurpassent, extitit nemo. Principis verò iussione expressa opus ipsis non fuisse, sæpiùs iam dictum. quæ etiam ratio est certissima, cur in tot conciliis minoribus & maioribus, quæ hac tempestate à metropolitanis & Primatibus Africæ Carthagine aut in aliis prouinciis ex comprouincialibus sunt coacta, de iussu aut permissione Principis nihil plerumque dicatur. Synodum quæ Iohan. Chrysostomum solio expulit, coactam fuisse regio σουτάγματι *iussu*, auctor est Sozomenus. ab hac Synodo quum ad concilium œcumenicum Iohannes appellasset, quæ erat vnica mali accepti medela, vt scribit Innocentius papa ad clerum Constantinopolitanum: multum & ab Innocentio & ab vniuersa Romana Synodo eo nomine congregata fuit laboratum, vt per Honorium Imperator Occidentis: ab Arcadio, qui in Oriente rerum potiebatur, eius cogendæ ius ad veniam impetrarent. Palladius Episcopus Helenopoleos in historia rerum Chrysostomi: *Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, vt scriberet Aracadio fratri suo, vt iuberet concilium fieri: quò facilius possent vna vtraque partes Orientis atque Occidentis concurrere.* Sozomenus lib. VIII. extremo: *Innocentius Romæ episcopus reuocari Iohannem cupiens, ad Imp. Honorium & Arcadium legatos misit,* σύνοδον αἰτήσοντας καὶ χρόνον ταύτης καὶ τόπον: *qui Synodum postularent eiusque tempus ac locum.* Exorta deinde contentione de sacerdotio vrbis æternæ inter Bonifacium & Eulalium Antipapas anno CCCXIX. plures ab Honorio Imperatore constant breui tempore fuisse indictas Synodos. Anno CCCCXXX. conuenit Ephesum œcumenica Synodus quæ Nestorii hæresim damnauit. certum est plurimum in eo concilio ac negotio toto delatum esse Cœlestino Ro. Pontifici. Synodum tamen non coegit Cœlestinus: sed Imperat. Theodosius & Valentinianus. extant formatæ Augustorum ad metropolitas missæ quibus

omni caussatione seposita Ephesum ad certum diem se transferre iubentur: itaque vbi conuenere Patres, ante omnia alia poposcit Iuuenalis episcopus Ierosolymorum, vt iussio imperialis in omnium auribus recitaretur. quod & statim factum. non afferã ex Actis eius synodi verba Patrum, quibus disertè fatentur multis locis, adunatos se in illum locũ cum gratia Dei & νεύματι καὶ θεσπίσματι *nutu & edicto* Imperatorum. Cœlestini tantum verba subiiciam ex epistola ad Theodosium. *huic caelesti curæ vel gloriæ vnus quisq; nostrum pro sacerdotali officio operam nostram, in quantum valemus, impendimus: & huic synodo quam esse iussistis, nostram præsentiam in his quos misimus, exhibemus.* postea: *hoc à pietate vestra suppliciter deposcimus, quod vos habere credimus in votis, vt quod à Deo petitis, hoc in fide ipsius caussæ præstetis.* id est, vt quemadmodum firmum ac stabile imperium à Deo vobis petitis: sic ipsi vt inconcussa maneat fides vera, regia auctoritate efficiatis. sic & Cyrillus de eodem Nestorio scribens ad Iuuenalem Ierosolymorum ait, studiosè petendum esse à Principibus χαρίσασθαι τῇ οἰκουμένῃ τὸ βέβαιον εἰς πίστιν ὀρθήν, *vt fidem rectam orbi terrarum præstent immotam.* Omitto concilium Romanum in caussa Sixti Papæ anno CCCCXXXIII. iussu Valentiniani Augusti in Sessoriano atrio habitum: neque enim synodus dici potest conuentus è presbyteris & Senatoribus mixtus: cuiusmodi conuentus in frequentissimum postea vsum venisse alibi dicemus. Anno CCCCXLVIII. Theodosii iunioris mandatu acta est Constantinopoli generalis synodus quæ Eutychetem damnauit. in literis ad synodum scribit Theodosius, *quoniam scimus magnificentissimum Patricium Florentium esse fidelem, & testimoniis probatum in recta fide: volumus ipsum interesse audientiæ Synodali.* etiã Nicolaus I. scribens ad Michaelem Imperatorem, negat ius esse Imperatori vt Ecclesiasticis conuentibus intersit, *nisi vbi de fide agitur.* De Synodo Ephesum vocata sequente anno ab eodem Principe sic LIBERATVS Diaconus: *Dirigens Imperator Sacram Dioscoro in Alexandriam, præcepit vt decem metropolitanos episcopos, quos voluisset, ipse eligeret, & veniret Ephesum, & congregato concilio ipse Eutychetis caussam discuteret: iubens Barsumam Archimandritam adesse.* extat ipsa Imperialis sacra in Actis concilii: si tamen eo nomine dicenda λῃστρικὴ illa prædonum congregatio; in qua impius Eutyches absoluitur: pius vir Flauianus Patriarcha Const. pro scelesto condemnatur. Ad hanc synodum vocatus Leo papa ab Imper. rescribit illi inter cætera: *cum tam euidens fidei caussa sit, vt rationabilibus caussis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum: tamen in quantum Dominus iuuare dignatur, meum studium commodaui, vt clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur.* prudens & sanctum, quod docuit euentus, erat consilium Leonis: cui nunquam placitum est, vt hæc Synodus indiceretur, sed vbi dissuadendo pii pastoris officio functus est Leo, Principis imperio, amputatis excusationibus, quomodo poterat paruit. adeò temporum illorum Pontifices iura hodiernæ libertatis ignorabant. & sunt similia in Leonis epistolis multa. vt cum ad Theodosium scribit petens concilium vniuersale intra Italiam cogendum. *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lachrymis supplicant sacerdotes, vt generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.* & in epistola ad clerum ac plebem Nouæ Romæ: *Quoniam oportet vos post diuinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promouere, vt petitioni nostræ qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imper. dignetur annuere.* quid multa? ex epistola Pulcheriæ Augustæ ad Leonem constat, Marcianum Imper. iure fermè toto indicendæ huius Synodi generalis ipsi Leoni cessisse: ait enim Pulcheria: *Tua reuerentia quocunq; modo prospexerit, significare dignetur: vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino piissimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire: & illic in sancto concilio & de catholica confessione, & de his episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & pietas Christiana exegit, te auctore decernant.* Leo tamen moribus antiquis stetit, & auctoritatem Synodi iubendæ Principi relinquens, pœnes quem Reip. τὸ κῦρος & summum imperium esse norat: ea tantum suggerere, quæ necessaria putaret, suarum partium duxit. sic igitur ille postea in iis quas ad Imperatorem dedit. *Vnde piissimæ solicitudini vestræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini, per legationem quæ confestim ad clementiam vestram, Deo annuente perueniet: quicquid ad caussæ vtilitatem arbitror pertinere plenius atq; opportunius suggeretur.* en igitur Ecclesiæ adhuc temporum illorum consuetudinem: Ro. Pontifex suggerit: Imperator indicit Synodum. ideo in literis Imperialibus, quibus ad hanc IIII. œcumenicam Synodum episcopi vocantur, ita scriptum: *quia dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant literæ sanctissimi Archiepiscopi felicissimi Romæ Leonis: placuit nobis properè sanctum concilium fieri in Nicæa Bithyniæ ciuitate.* postea Chalcedonem iussu Principum Patres huius Synodi sunt translati: vbi concilium anno Domini CCCCLI. est peractum, propter insecutas eius occasione turbas, quæ Orientalem ab Occidentali Ecclesia longissimo tempore diuiserunt, cum primis memorabile. Marciano successit Leo: à quo Imperatore, quum Synodum aliam generalem malæ fidei homines assiduè poscerent: atq; ipse ab eorum petitione alienus non esset: Leo Papa singularis modestiæ pariter ac prudentiæ literis assensum inhibuit. *Literas*, inquit, *clementiæ tuæ, plenas virtute fidei & lumine veritatis, veneranter accepi: quibus cuperem obedire: sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonstrauit.* deinde cur non sit necessaria noua Synodus, caussas affert. Constat sanè parcius ab hoc tempore concilia etiam prouincialia in Oriente fuisse agitata. œcumenicum verò nullum prorsus per annos amplius centum. nam œcumenica Synodus quinta anno Domini IↃLIII. conuenit. sedes eius concilii, Constantinopolis: suasores, Vigilius Papa Romanus qui in ea tum degebat vrbe: & Menas Patriarcha Constantinopolitanus. auctor & iussor, Iustinianus Imper. ideo Patres cum ipsum compellant, solennem illam in simili re formulam ipsi quoque vsurpant, vt se τῷ θείῳ νεύματι, *Dei nutu ac voluntate*; Imperatoris verò προστάγματι *decreto* fuisse congregatos,

congregatos, profiteantur. Hactenus ea tantum concilia recensuimus, quæ Romanorum Imperatorum auspiciis fuerunt conuocata: sub aliorum verò Principum dominatione quæ ratio fuerit seruata, in Synodis indicendis, quæuo obtinuerit consuetudo, sequentibus capitibus perspicuè docebitur. Quoniam tamen, iam illis de quibus nunc loquimur temporibus, non multis solùm prouinciis imminutum est Romanor. Imperium: sed etiam vrbs rerum quondam domina à Barbaris aliquandiu fuit occupata, nonnihil etiam hoc loco de ea re adiiciemus. Enimuero manifesto constat, Reges ac Principes qui in locum Romanorum successerunt, simul cum pietatis Christianæ sacris, etiam ius illud protegendi Ecclesiam, & conseruandæ Ecclesiasticæ disciplinæ suscepisse. ergo etiam hi in suis quisque principiis, non secus ac Romani Imperatores ius cogendi concilia, & robore auctoritatis suæ firmandi, meritissimè sibi vindicarunt: idque, sicut modo dicebam, statim simul ac Christo Regum Regi sua sceptra submiserant: Omnium Regnorum quæ ex dissipatione imperii Roma. originem habuerunt, antiquissimum, nobilissimum, Christianissimum est Francicum. primus autem regum Francorum Christianus, Clodoueus fuit, quintus à Faramondo rege principe. is non multo post quàm legem Christi esset amplexus, Synodos indicendi posteris suis principibus exemplum dedit. Synodi Aurelianensis iussu eius conuocatæ circa annum Domini IↃVII. meminit Hincmarus in vita B. Remigii: *Per consilium beati Remigii in Aureliano ciuitate episcoporum Synodum conuocauit: in quo cōuentu multa vtilia constituta fuere.* Acta Synodi ad ipsum Regē missa ita incipiunt: *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ filio Clodoueo clarissimo Regi. Omnes sacerdotes quos ad concilium venire iussistis:* &c. de Lugdunensi in caussa Salonii & Sagitarii episcoporum Gregorius Turonensis libro quinto: *Quod cum rex Guntheramnus comperisset, congregari Synodum apud vrbem Lugdunensem iussit.* de Cabilonensi idem mox: *Anno quarto Childeberti, qui fuit decimus octauus Gunthramni & Chilperici Regum, apud Cauillonum ciuitatem Synodus acta est, ex iussu Principis Guntheramni.* de Matisconensi idem libro VIII. *Interim dies placiti aduenit: & episcopi ex iussu Regis apud Matiscensem* (al. *Matisconensem*) *vrbem collecti sunt.* Aurelianensis II. sub Childeberto habitæ Patres: *Quum ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem vrbem de obseruatione legis catholicæ tractaturi, Deo auxiliante sancti Patres conuenerint.* idem profitentur & alii patres cæterarum Synodorum quæ illis temporibus vel in eadem vrbe, vel alibi conuenerunt. Similimè & Sigismundus Burgundiorum rex, simul ac Ecclesiæ Dei ouis est factus, Synodum Epaunensem, quam vocant, haberi iussit. Non omittendum est nobilissimum exemplum, quod Hispaniarum suggerunt Historiæ. intulerant in eas oras dirum Arii virus Gothi cum illos tractus occuparunt. Accidit miserante Christo, circa annum IↃLXXXIX. vt maximus Princeps Reccaredus Rex agnitæ veritati dans manus, Fidei confessionem & disciplinam totam Ecclesiasticam in Regno vniuerso susciperet emendandam. an igitur ad rem tantam vltro conueniunt episcopi? an tractorias expectant sibi mitti ab vrbe Roma? neutrum fit horum sed iubet Rex: illi alacres parent, & accurrunt. Auctor Rex ipse, qui eos de more compellans, *Et ideo* ait *venerandi Patres ad hanc vos peragendam congregari iussimus Synodum*, idē ipsi quoq; Patres: *Quum pro fide sua sinceritate gloriosissimus Princeps omnes sui regiminis pontifices in vnum conuenire mandasset:* hæc est illa celeberrima Toletana III. Synodus. sed & initio IIII. concilii Toletani similis professio. *Quum conuenissemus sacerdotes Domini apud vrbem Toletanam, vt regiis imperiis, atque iussis commoniti, à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiæ disciplinis tractatus.* at clarissimus Annalium Ecclesiasticorum auctor de Toletano III. concilio agens, quid non conatur, quò rebus gestis auctoritatem R. P. probet interuenisse? Itaque, vt anus ad armillū, quod aiunt, sic vir Doctissimus ad familiarem sibi machinam se conuertit. Ait Leandrum episcopum Spalensem Ro. Sedis legatum omnia pro imperio egisse. Sanè interfuit ei Synodo Leander: sed vt metropolitanus prouinciæ Bæticæ, non vt legatus summi Pontificis. quod vel in inscriptionibus seruatus ordo euincit. nam Massona episcopo Emeritensi primum locum occupante, Euphenio Toletano ep. alterum: Leander hic in tertium locum est reiectus. quod non ferat, scio, Baronius in Legato R. Sedis. Accedit quod de legatione ista nihil prorsus tot concilio neque rex neque patres: ne Leander quidem cum sermonem habuit initio Synodi, quo gratias Deo agit pro regis & regni conuersione ad fidem. nihil item Isidorus neque in Chronico neque in Leandri vita. Quid? quod etiam ab Arianis regibus veniam congregandi Synodum orthodoxi patres soliti petere? circa annum IↃVI. Agathense concilium coiit: cuius Acta sic ordiuntur: *Quum in Dei nomine ex permissu Regis Alarici in Agathensem ciuitatem sancta Synodus conuenisset.* erat autem Alaricus rex Adrianus, vt plerique omnes illis temporibus Barbari qui Galliam, Italiam, Africam, Hispaniam infestabant: Arianus erat & Theodoricus rex Italiæ, cuius auctoritatem in rebus Ecclesiasticis Pontifices Romani ei subiecti agnouerunt. quum igitur eo regnante quartum Romæ inter Antipapas Symmachum & Laurentium schisma esset exortum: ab auctoritate Principis, quamuis Ariani, mali remedium petitur. Anastasius: *Facta contentione hoc constituerunt patres, vt ambo ad Rauennam pergerent, ad iudicium Regis Theodorici: qui dum ambo introissent in Rauennam, hoc iudicium æquitatis inuenerunt.* Postea quoq; recrudescente malo ad componendas turbas, suburbicarios Episcop. non semel vocat Theodoricus, vt auctoritate Synodali vel iudiciū instauret: vel sine iudicio rem transigant, & quietem ac pacem vrbi reddant. Ait rex in epistola ad episc. quæ *Præceptio regia* inscribitur: *Quia non nostrum iudicamus de Ecclesiasticis aliquid censere negotiis: ideo vos de diuersis prouinciis fecimus euocare.* sed de Synodis in ea caussa habitis, plura inferius hoc capite erunt dicenda.

III. *Synodos veteris Ecclesiæ horum temporum confirmabat Imperator non autem Pont. Romanus.*

Quomodo canones Synodales etiam principali auctoritate opus habeant, capite superiore exposuimus. ibi regiam auctoritatem per quam vim legum habent in Rep. distinguebamus ab episcopali & diuina, per quam in ecclesia valent, & apud bonorum conscientias. sed aliud est conscientiæ forum, aliud ciuile. neque possunt legum ciuilium pœnis ante vindicari Synodalium canonum temeratores, quam eis Princeps vim legum attribuerit. Qui prætendunt hodie decreta Synodica nullius indigere confirmationis à Principe: abundeque iis sufficere quam accipiunt ab episcopo Rom. Ecclesiæ firmitatem, ii vel ignorant quid sit discriminis inter Ecclesiam & Rempub. vel quod potius credam, id agunt, vt toto orbe terrarum ecclesia & respublica in vnum confusæ, vnicum agnoscant qua in spiritualibus, qua in temporalibus supremum Monarcham Rom. papam: sicut Roma facit & vniuersum Petri patrimonium. ibi sanè concedam illis, decreta Ecclesiastica non aliunde firmitatem habere, quam ab vno pontifice: sed qui duas diuersas personas hodie sustineat, Sacerdotis & Principis in Galliis, Hispaniis, & vbicunq; separatæ sunt hæ diuersæ natura sua potestates, longè aliter se res habet: quod & ratio certa & omnium temporum praxis euincit, vt superius dicebamus. Porro confirmatio à principe pluribus fieri modis solita: vel non expresse: cum data venia conueniendi ad Synodum, etiam decreta Synodi intelligitur probare idem princeps: vt plerumque fieri amat in minoribus conciliis: vel expresse: puta edicto aut epistolis eam in rem scriptis, aut sola principis subscriptione. omnium generum passim extant exempla in Actis conciliorum. Subscripta à principibus multa concilia inueniuntur Græca pariter ac Latina. epistolis verò siue edictis principum omnia œcumenica fuisse firmata mox palam faciemus. At non placet hoc Cardinali Baronio. qui de Niceno agens, confirmationem illius non ab imperatore vult esse factam: verum à pontifice. Affert primò locum ex Actis Syluestri, quibus id diserrè sic affirmatur, nihil vt queat disertius. si tamen in tam barbarum & infrunitum scriptorem ea vox cadit. subiicit deinde Felicis papæ III. testimonium, & ipsum quoq; luculentum. postremò veteris Ecclesiæ canonem obiicit: qui semper hunc morem in Ecclesia fuisse arguat seruatum, & quidem inuiolabiter, vt ipse loquitur. Quod ad Syluestri Acta, nihil aliud nunc dicemus, nisi quod tot locis ipse Cardinalis Baroni ingenuè fatetur: falsa esse illa, fabularum & mendaciorum, & nugarum absurdissimarum plenissima. vt potius reddere rationem virum grauem par sit: cur ad rem tantam tam probrosum testem adhibeat: quam mihi quærenda argumenta ad fidem illius infirmandam. Sanè quidem etsi multa sunt in illis spuriis Actis inepta, nihil tamen ineptius tota illa pericopa, quæ patres Nicenos inducit confirmationem decretorum suorum à Sylvestro petentes. vbi neq; verbis integritas, neque sententiæ constat veritas. Felicis III. epistola quæ allegatur licet inter Felicis epistolas habeatur, ipsius tamen Felicis non est, sed *Synodi* Romæ coactæ circa annum CCCCLXXXIIII. Aiunt illi. *Trecenti decem & octo sancti patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atq; auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt: quam vtramq; vsque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratia præstante, custodiunt.* vt horum verborum rectam mentem capiamus: huc referenda sunt, quæ de duplici auctoritate canonum Synodicorum ante disputabamus. nam & princeps illa confirmat, auctoritate regia sanciendo: & episcopi si præsentes sunt, censendo & assentiendo: si absentes ratum habendo quod fuit decretum. Erat autem perpetuus maiorum præsertim Synodorum mos: vt ad patriarchas & alios illustriorum sedium episcopos, Synodicas darent, queis de rebus in conuentu sacro gestis eos faciebant certiores. extantque huius consuetudinis etiam apud B. Cyprianum exempla. episcopi igitur, qui Synodica decreta admittebant, & vt ea obseruarentur in ecclesiis suis operam dabant: non sine ratione confirmationem & auctoritatem illis attribuere dicebantur. quamquam magis propriè illi qui Synodo intersunt canones confirmare dicuntur, quando suis suffragiis illos statuunt. Vtrouis modo accipias, non sine aliqua ratione Felici suo Romana hæc Synodus ius istud vindicauerit: iam enim tempestate illa hoc ad se pertinere Romani pontifices disputabant: vt postea dicemus hoc ipso capite. sed quod aiunt à Nicenæ Synodi patribus delatum esse id iuris Romanæ sedi: prorsus ab historiæ fide est alienum. itaque huius dicti non est facilius rationem excogitare, quam, cur Zosimus, Bonifacius & Cœlestinus Niceno consessui ius appellationum ferant acceptum: de quo patres Nicenos nihil vnquam cogitasse liquido constat. At Cardinalis Baronius, qui superiora verba siue Felicis siue Synodi ita interpretatur, quasi negetur fuisse moris, vt canones Synodicos Principes confirment: cur sententiam manifestò falsam pontifici vel patribus Romanæ Synodi adscribat, ipsi videndum relinquimus. nos hoc scimus, & mox probabimus, nullam & præsertim œcumenicam Synodum sub imperatoribus extitisse, quam sanctionibus suis ipsi non firmauerint. Non magis facit ad rem canon eidem allatus. Iulius papa cum videret Arianos, qui Asiæ, Syriæ & Ægypti ecclesias infestabant, topicas Synodos cogere, fidei regulam nouis inuentis temerare, ac propterea Athanasium solio Alexandrino expulisse: vt illarum Synodorum decreta impia conuelleret, & laborantibus Ecclesiis subueniret: negauit pro legitimis conuentibus illos esse habendos, quoniam, aiebat vetus lex est, siue consuetudo, quæ vetet ecclesias canonem vllum ferre præter conscientiam Romani Episcopi. Sozomenus ita exprimit libro III. εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου. *legem namque extare ad iura sacerdotum pertinentem, quæ illa pronunciat irrita, quæ præter sententiam siue conscientiam, Romani episcopi fuerint acta.* paullò aliter Socrates libro primo non semel κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. quorum verborum sententia est: extare canonem Ecclesiasticum qui vetet absque conscientia Episcopi Romæ canonem vllum condi ab Ecclesiis.

& meritò

& merito quidē: nam quum vniuersæ Ecclesiæ, quæ vnica est, pars potissima atq; adeò caput & censeretur & esset Romanus episcopus: qui neget æquissimum esse, vt neq; in fide, neq; in disciplina Ecclesiastica quidquam innouetur eo inconsulto? Sed ex eo inferre, ius propterea non esse Principum, sancire auctoritate sua Synodorum decreta, & vt vim legum in Republ. habeant illis præstare: quænam obsecro consecutio hæc est? quæ vis argumentationis? vnde hoc conclusio? An quia amplissimus ordo sine consciētia Præsidis sui decernere nihil potest: inde sequitur Christianissimi regis non esse, Senatus consulta confirmare? aut quia auditores Rotæ nihil absente præside suo statuere possunt ius Pontifici non est Rotæ decretis auctoritatem dare? παρὰ γνώμην in hoc canone significat, *non audita super eo sententia Rom. Papæ*: nam etsi poterat Synodus œcumenica aliquid decernere, quod aliter Rom. Papæ videretur: quia, vt ait Hyeronimus, *si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe*: non tamen poterat aliquid decernere, priusquam super eo Rom. Pontificis sententia esset audita ab ipsius legatis. quare quid sit παρὰ γνώμην in hoc canone explicat Theodoretus libro II. cap. XXII. cum inter varias caussas, cur Ariminensis Synodus sit illegitima, hanc quoque adfert: quod Rom. Papæ assensu careret οὗ, ait, πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι. *cuius sententiam exspectare ante omnium sententias oportebat*. Nunc ostendamus veterem Ecclesiam aliter credidisse quam Cardinalem Baronium, & hodiernæ libertatis Ecclesiasticæ patronos. Nicenum concilium epistolis Constantini fuisse firmatum, Sozomenus est auctor. Eius Synodi duo præcipua extiterunt decreta: ordinatio diei Paschallis, & Arii ac Doctrinæ eius condemnatio. de priore scripsit ad Ecclesias vniuersas Constantinus formatam illam quæ ab Eusebio, Gelasio, Sozomeno, atque aliis describitur. ea epistola præcipit Imperator ecclesiæ Pastoribus, vt statutum, Nicenorum Patrum de celebratione Paschatis notum omnibus faciant, suscipiant, & vsum eius in Ecclesia instituant. de Ario imperator ad omnes Ecclesias misit illud edictum, quo damnatio eius continetur: & pœna capitis statuitur in eos qui oblatos sibi Arii libros non exusserint: secundum œcumenicum fuit Constantinopolitanum, quod Theodosius indixit. Patres concilii eo peracto scribunt ad imperatorem: & post grauem actionem gratiarum, quas illi pro studio ipsius erga veram pietatem agunt: subiiciunt verba ista: *Petimus à clementia tua, vt edicto pietatis tuæ confirmetur Synodi sententia: vt quemadmodum literis, quibus nos vocabat, Ecclesiam honorasti: ita etiam decreta communibus suffragiis tandem facta, sigillo tuo confirmes*. En vt pii Patres non solum conuocandi Synodos & decreta Synodica confirmandi ius habere principem agnoscunt: sed etiam vt hoc imperator faciat ad honorem Ecclesiæ pertinere profitentur. Cardinalis verò Baronius, cui ab initio erat propositum, iura Principum ire imminutum, & in ipsam Remp. Ecclesiæ monarchiam inuehere: quum detrahere huic Patrum scripto fidem non posset: quod vnum supererat, non prætermisit: vt interpretatione facti imperialem potestatem eneruaret. vult enim, eò tantum spectasse patres cum studiosè adeo hoc à Theodosio peterent: vt eo modo sibi fidem imperatoris stabilem duraturam oppignerarent. cæterum confirmatam Synodum hanc à Damaso papa eidem placet: idque à Photio memoriæ esse proditum. Enimuero testimonium in hanc rem Photio denuntiari miror: homini Græco, & qui alibi in Annalibus superbus, impius schismaticus, hostis Ecclesiæ Romanæ infensissimus dicitur fuisse. quis ergo credat monarchiam R. S. iis moribus hominem agnouisse? Locus Photii est in libello de septem Synodis œcumenicis. vbi postquam coryphæos è Nicenis Patribus quos ipse ἐξάρχους vocat, nominatim recensuit, subiicit hæc: οἷς οὐ πολὺς χρόνος, καὶ Δάμασος ὁ τῆς Ῥώμης τὰ αὐτὰ κρατῦναι ἐγνωρίζετο, σύμφωνος τοῖς προλαβοῦσι καθιστάμενος. hoc est: *nec multo post Damasum quoque episcopum Romæ eadem firmare est istis cognitum, cum ille ante nominatis consentientē rem se præbuit*. loquitur Photius de auctoritate Episcopali cuius vis est omnis spiritualis, quæque Romæ episcopo communis est cum cæteris aliis: nos autem heic loquebamur de auctoritate illa per quam canones in Republ. vim legum obtinent. quanta igitur absurditas est: quia dicat Photius Papam Roman. auctoritate episcopali ratum habuisse quod decretum erat à patribus in concilio sedentibus: propterea negare principibus suum ius in Republica? an verò quisquam ignorat verba illa κρατῦναι, ἐπικυροῦν καὶ κρατύνειν de Principe & de episcopis diuersa notione vsurpari? Synodus sanè Constantinopolitana quæ proximo anno conuenit, de suis decretis ita scribit ad Synodum Romanam: vt auctoritatem illorum à Rom. papæ confirmatione nequaquam pendere manifestò declaret. exposita enim rerum in concilio hoc gestarum summa, & quibusdam nominatis, quos in nobilissimis sedibus episcopos Synodus instituerat, hæc addit. *quum igitur legitimè hi & canonicè sedes suas apud nos obtinuerint: reuerentiam vestram vt illis gratulетur hortamur: spirituali charitate intercedente, & Domini metu omnem humanum affectum cohibente*. Oecumenici tertii confirmatio regia in fine Actorum habetur, cum imperiali sententia aduersus Nestorium & eius scripta quæ flammis addicuntur, pronunciata. Quarta Synodus generalis Chalcedone habita ab eodem qui iusserat Marciano est confirmata. eius sunt hæc in epistola ad Palladium præfectum præt. *Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Christiana publicè turbis coadunatis & audientibus, tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam & iniuriam facit iudicio reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contenderit: cum ea quæ nunc de Christiana fide à sacerdotibus, qui Chalcedone conuenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & instituta sanctorum patrū* CCCXVIII. *in Nicæa, &* CL, *in hac regia vrbe definita esse noscantur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit*. Quinta vniuersalis Synodus suis sententiis robur tribui petiit ab imp. Iustiniano: & quidem pii patres eadem formula principem compellant, cum hoc illum rogant, qua secundæ œcumenicæ Episc. Theo-

Digitized by Google

dosium in simili re fuerant affati. adeo etiam his priorum modestia placuit: quam paullo ante commendabam. Atq; hæc sunt concilia œcumenica, quæ in illa tẽpora incidunt, quibus de nunc agim^r.

IV. *A sententiis synodalibus appellabatur illis temporibus ad maiorem synodum, vel ad principem.*

Vt de appellationum iure in veteri Ecclesia seruato veritas clareat, rem paullò altius repetere non pigebit. Sciendum igitur: antiquos patres ita attendisse gubernationi commissarum sibi peculiariter ouium, vt curam gregis vniuersi alienam à se non ducerent. quam ob caussam Cyprianus, Athanasius, Basilius, cæterique eius dignationis viri pastoralem curam suam non creditarum sibi priuatim ecclesiarum finibus coercuerunt: sed ad vniuersam Dei Ecclesiam præ feruore pietatis, & studio vnitatis, extenderunt. Bea. Chrysostomus in laudatione S. Eustathii Antiocheni præclarè hoc docet, sic scribens: *edoctus probè fuerat à Spiritus gratia, Ecclesiæ antistitem, non de illa solum, quæ ipsi à Spiritu sit commissa, curam debere gerere: verum etiam de vniuersa quæ per orbem terrarum degit: atque hoc ille ex precibus sacris discebat. nam si pro vniuersa ecclesia, quæ à finibus terræ ad fines extenditur, precandum est: multò magis prospicere omnium saluti cunctas pariter curare, & de cunctis oportet esse sollicitum.* Similis Athanasii laudatio apud Basilium in quadam epistola: *cæterorum quidem*, ait, *Episcoporum plerisq; sufficit, si quæ propriè ad se pertinent, diligenter singuli curent: tibi hoc non est satis. quin Ecclesiarum omnium cura & sollicitudo tanta tibi incumbit, quanta illius, quæ priuatim à nostro omnium communi Domino tuæ fidei est commissa.* ideo etiam κορυφὴν τῶν ὅλων, *totius Ecclesiæ verticem* Athanasium nominat. in alia epistola eundem agnoscit vniuersalem medicum morborum Ecclesiæ. σὲ, inquit, ἰατρὸν τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀρρωστημάτων ὁ Κύριος ἡμῶν ἐχαρίσατο. quamobrem & Gregorius Nazianzenus de Athanasiò scribit: ipsum, quando factus est Episcopus Alexandriæ, πιστευθῆναι τὴν τῆς οἰκουμένης πάσης προστασίαν: præfecturam suscepisse totius orbis terrarum. idemque Gregorius Cyprianum & Athanasium non aliter describit, quam velut generales quosdam omnium Ecclesiarum Episcopos. neque hoc propterea tantum, quod illi de quibus diximus, amplissimarum sedium erant Episcopi. nam etsi ad prærogatiuam dignitatis magnificentia vrbis, vt ait Augustinus de diaconis loquens, plurimum valebat: in iis tamen quæ muneris sacerdotalis propriè sunt, eiusdem meriti eiusdemque sacerdotii omnes censebantur, sicut Hieronymus ad Euagrium scribit. neque aliud videntur voluisse illi Episcopi, quos ait in II. apologia Athanasius, omnes se episcopos pari & eodem honore afficere: neque ex vrbium magnitudine eos censere. itaque tam micropolitani quam metropolitani conuenire sibi arbitrabantur quod in Clementinarum constitutionum libro VI. cap. XIII. legitur in commune de episcopis: ipsos τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν πιστευθῆναι: quasi essent modo quodam singuli vniuersalis Ecclesiæ vniuersales Episcopi. Auctor epistolæ quæ Eleuthero papæ tribuitur: *Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia: vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Sidonius Appollinaris libro VI. ad Lupum Tricassinum episcopum scribens. *Benedictus Spiritus Sanctus, & Pater Dei omnipotentis, quod tu Pater Patrum, & Episcopus Episcoporum, & alter seculi tui Iacobus, de quadam specula charitatis, nec de inferiore Ierusalem tota Ecclesiæ Dei nostri membra super inspicis, dignus qui omnes consoleris infirmos, quiq; meritò consularis ab omnibus.* Ratio autem quæ antiquis patribus hoc persuasit, est: quod vniuersa Ecclesia toto mundo diffusa, vnica est, corp^o eius vnicum caput vnicum Dominus IESVS: ergo etiam Episcopatus vnicus, etsi in plures velut ramos expansus. B. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ: *Nemo fraternitatem mendacio fallat: nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* est autem, *in solidum tenere*, plenario iure, & ὁλοκλήρως: non per vicariatum alius cuiusdam in terris domini: neque item cum socio: nam vnius Ecclesiæ vnus potest esse episcopus, vt canones præcipiunt, & tot locis idem Cyprianus probat. idem epistola ad Stephanum papam. *Etsi pastores multi sumus vnum gregem pascimus & oues vniuersas, quas Christus sanguine suo & passione quæsiuit, colligere & fouere debemus.* alludit Cyprianus ad Pauli verba Actorum capite XX. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* iterum Cyprian^o in diuino libello de vnitate Eccles. *vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus: vt episcopatum quoque ipsum vnum & indiuisum probemus.* Huius qui meminerit, simul veram caussam intelliget multorum veteris Ecclesiæ institutorum. ex quorum silua ingenti pauca heic, prius quam ad appellationum iura explicanda accedimus delibasse satis erit. Solebant igitur patres de omnibus paullo maioris momenti rebus quas in Ecclesia prouinciaue sua fecissent aut statuissent, facere alios certiores. Exempli gratia: Decreuerat Synodus Africana pacem lapsis non dare, nisi post longam pœnitentiam: deinde cum immineret persecutio, placuit alia sententia. id Cyprianus Cornelio papæ per litteras significat: quibus etiam concilii caussas fuse exponit: non quasi inferior reddens superiori rationem: sed ex charitate Christiana ad conseruandam vnitatem. quare idem alibi cur tam sollicitè de petitione lapsorum & confessorum in verecundis postulatis ad clerum Romanum scribat, caussam hanc affert. *Et dilectio communis & ratio exposcit, fratres charissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his quæ apud nos geruntur: vt sit nobis circa vtilitatem Ecclesiasticæ administrationis commune concilium.* clerus autem Romanus ad illum rescribens ingenuè profitetur, non hoc Cyprianum facere, quod teneatur subiectionis ratione: sed ex affectu charitatis. *Hoc te frater Cypriane facere, non mirum est: qui pro tua verecundia & ingenita industria, consiliorum tuorum nos non tam iudices voluisti, quam participes inueniri: vt in tuis rebus gestis laudem tecum, dum illas probamus inueniremus: & tuorum conciliorum coheredes, quia & affirmatores, esse possimus.* ab hac consuetudine Synodicarum literarum vsus manauit, de quibus antea dictum aliquid. Alexander Epis. Alexandriæ initio en-

cyclia

cyclicæ eius quam ad omnes episcopos dedit post damnatum à se in Synodo prouinciali Arium, moris caussam ita explicat. *cum sit vnum corpus Ecclesiæ catholicæ, cumque in sacris literis traditum & præceptum nobis sit, vt concordiæ ac pacis vinculum teneamus: consentaneum est, vti per literas colloquamur inter nos, aliique alios mutuo de rebus quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus: quo siue vnum ex membris patiatur siue lætatur, nos inter nos vel patiamur vnà, vel vnà lætemur*, Solebant etiam in creatione Episcoporum, & suffragia interdum mittere: & ea peracta literis gratulatoriis nouum episcopum affirmare. ita Cyprianus sua & aliorum Africæ episcoporum auctoritate Cornelii Papæ electionem comprobat, epistola Pamalianæ recensionis XLII. qui autem episcopatum erant nacti, de sua vocatione encyclias ad omnes vel saltem primarum sedium episcopos dabant: quæ litteræ professionem fidei ipsorum continebant. extant id genus epistolæ hodieque multæ, præsertim Romæ veteris & nouæ episcoporum, hoc officio inuicem mutuo fungentium. ex Cypriano vero, cuius epistolæ sunt antiquitatis Ecclesiasticæ ingens thesaurus, apparet, etiam de minorum locorum ordinationibus, puta presbyterorum, lectorum, diaconorum hypodiaconorum, literas dari solitas ad träsmarinas quoque ecclesias. Interdum etiam admonebant sese inuicem, hortabantur, increpabant. ita Cyprianus Cornelium papam solatur, & vt hæreticorum minas floccifaciat hortatur. de Stephano verò papa, cui à Basilide negligenter erat obreptum, epistola LXVIII. liberam sententiam pronunciat. quod & super alia re facit sanè quam acerbè in epistolis ad Quirinum & Pompeium. at multo etiam vehementius eundem Stephanum accusat Firmilianus Episcopus Cæsareæ in Cappadocia in literis quas ad Cyprianum misit. qui etsi caussam tuebantur, quam postea Ecclesia non probauit: certum tamen nihilominus eius quod diximus argumentum præbent. Sic quum inter Innocentium Papam & Theophilum Alexandrinum non conuenire accepisset Africana Synodus circa annum CCCCVII. celebrata: sui offici esse admonere Orientis & Occidentis patriarchas, non dubitauit. *Placuit*, canon ait, *vt de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad S. papam Innocentium scribatur: quo vtraque Ecclesia inter se pacem quam præcepit Dominus, teneat.* Romani verò pontifices quam multis per vniuersum idem officium præstiterint, ignorare potest nemo. Solebant & clericos ac sacerdotes in alienis finibus impunè instituere: quantumuis iure ordinario ἀλλοτριοχειροτονίαι essent prohibitæ. vt est in canone Apostolico XXXV. sæpè tamen pii Præsules non ex ambitione, sed ex vi illius quem diximus vniuersalis episcopatus, id leguntur fecisse. præsertim verò necessariis Ecclesiæ temporibus id constat vsurpatum. de Eusebio Samosatorum episcopo, magno Christi athleta, cum in Ecclesiam furebat Valens, narrat Theodoretus libro V. capite XIII. *Eusebius cum multas ecclesias pastoribus orbatas intellexisset: habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam Phœniciam, & Palestinam peragrauit: quo tum presbyteros tum diaconos crearet, tum alia ecclesiastica obiret officia. Quod si quando in episcopos secum Doctrina coniunctos incidebat: eos ecclesiis quæ carebant pastoribus præponebat.* Rufinus de Lucifero Caralitano per Asiam fidei caussâ exulante, Constantii temporibus. *Lucifer intento animo Antiochiam pergit: ibique dissentientibus adhuc partibus, sed vnum tamen reuocari posse sperantibus, si sibi talis eligeretur episcopus, erga quem non vna plebs sed vtraque gauderet: præproperus Catholicum & sanctum virum, ac per omnia dignum sacerdotio Paulinum episcopum celebrauit.* similiter & Osius Cordubensis, Gregorius Nyssenus, & Eusebius Vercellensis, Epiphanius Salaminæ in Cypro episcopus, aliique viri magni, dum per varias occasiones diuersas prouincias lustrant, earum malis pro copia medentur, fidem rectam firmant, ordinationes faciunt. Iam quoties nouæ hæreses vel schismata oriebantur: si cessarent qui proximi erant aut vicini: at qui procul degebant nequaquam cessabant: neque in aliena diligentia spem salutis Ecclesiæ, otiosi spectatores ipsi ponebant. ita Cyprianus Romam Carthagine mittit Caldonium & Fortunatum, vt schisma componant. rursus Cornelio sedente Mettium hypodiaconum mittit Romam Cyprianus, vt confessores illic Nouatiani & Nouati prauitate seductos, ad matrem suam, id est, catholicam ecclesiam vnde recesserant, reuocarent. idemque vir Dei vbi rescisset, Martianum Arelatensem episcopum Nouatiano se coniunxisse: grauem epistolam ad Stephanum papam exarat, qua illi quid sit opus facto, fraternè ostendit. *Cui rei*, inquit, *nostrum est consulere & subuenire, frater charissime: qui diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ ecclesiæ liberam tenentes censuram vigoris peccatoribus exhibemus*, & mox. *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne vltra Martianum peruicacem & superbum & diuinæ pietatis & fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiatur.* Sic etiam Hilarius Gallicanæ Ecclesiæ lumen, postquam cognouisset sedere in Mediolanensi cathedra Auxentium Arianum, illuc aduolat, & ad expellendam illam pestem totis viribus connititur. de Athanasio auctor est Basilius, nullum finem fecisse ipsum, modò præsentem, modò per epistolas: sæpè etiam per legatos suos, cunctas vbique locorum ecclesias ad sanitatem mentis & concordiam atque vnitatem reuocandi. nominatim verò Antiochiæ eundem Athanasium Alexandrinum turbas ingentes sua auctoritate composuisse, & Basilius, ait, & historia Ecclesiastica confirmat. Pari iure & Cyrillus cognito Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum aduersus naturam Christi, & honorem verè θεοτόκου beatæ Virginis blasphema quædam serere dogmata, nihil moratus Prætoris interdictum finium regundorum, mitius primò deinde tota libertate ac fortiter se illi opponit. mox & cœlestinum Romæ Archiepiscoporum ad societatem eiusdem laudis inuitat. Denique in dissensionibus ecclesiarum, vt quisque auctoritate plurimum valebat, aut Dei gratiis abundabat: ita plurimum se etiam remotissimarum Ecclesiarum negotiis immiscebat. neque id temporibus illis cuiquã inuidiosum erat: sed longè potius apud omnes gloriosissimum. adeo tũc temporis pulcherrimæ cui-

dam aristocratiæ propior erat administratio Ecclesiæ: quam illi quæ postea inuehi cœpit absolutæ & crudæ monarchiæ. itaque Nestorius ipse Cyrillum hostem suum eo nomine laudare cogitur: quantumuis pia ipsius admonitione nollet proficere. τῆς δὲ ὑπὲρ τῶν σκανδαλιζομένων φροντίδος, inquit, καλῶς ποιεῖς ἀντεχόμενος. καὶ χάρις τῇ τῶν θείων μεριμνητικῇ σου ψυχῇ καὶ τῶν παρ' ἡμῖν φροντιζούσῃ. quibus verbis, Cyrilli studium commendat consulendi pacis Ecclesiæ sublatis offensionibus: & quod de Ecclesia Constantinopolitana cui ipse Nestorius præsidebat, tantam curam haberet, gratias illi agit. Hæc præmonenda erant, vt quæ fuerint in veteri Ecclesia appellationum iura possit intelligi. Nam quia notum erat vniuersis, ad omnium antistitum curam ex æquo pertinere quicquid vniuersalis Ecclesiæ vnitatem rumperet, aut quietem sollicitaret: qui in prouincia sua, siue iure siue iniuria, damnationis sententiam passi erant: ad aliarum prouinciarum episcopos auxilii petendi gratia sæpe confugiebant. rursus, quoniam inter omnes Ecclesias, Romana variis nominibus eminebat, Romam multi contendebant; vt Romani pontificis gratia, & auctoritate, si cathedra fuissent deiecti, eam recuperarent: si à communione suspensi, ad eandem admitterentur. Ita quondam Marcion in Helenoponto, quæ patria eius portenti fuit, excommunicatus à patre suo, ait Epiphanius, hoc est, episcopo, vt arbitror, Sinopensi, contumeliæ inter suos impatiens, Romam concessit. ita postea Felix & Fortunatus in Africa spirituali Cypriani gladio iugulati, eodem proficiscuntur. sic & Athanasius, Iohannes Chrysostomus, Flauianus Constantinopol. monachi Scythæ atque alii in Oriente malè habiti, vel per se vel per legatos pontificem opem poposcerunt. Qui igitur huiusmodi exempla volunt esse appellationem ad Romanum papam certa testimonia: si quæ hactenus de vniuersalis Ecclesiæ cura diximus, omnium Episcoporum olim communi, attenderint, & dare locum veritati curauerint, aliter sentient. nam etsi prærogatiua quadam honoris eminebat Romana sedes: atque adeo gratia & auctoritate plus aliquanto poterat, quam cæterarum singulæ, quæ vel plurimum valebant: si tamen ius spectetur, non magis Romam primis temporibus appellari solitum, quam vel Alexandriam vel Antiochiam, vel Carthaginem, vel Mediolanum, aut aliò. vnde in simili re subsidium pariter constat esse petitum. nam priuatus hæreticus in Lambesitana colonia damnatus, Carthaginem venit, vt ibi caussam ageret. Nouatianus presbyter Romanus à Romana Synodo excommunicatus, ab Africanis Ecclesiis & Alexandria recipi in communionem expetiit. Scythæ monachi à patriarcha Constantin. abstenti, vt ad communionem viam sibi munirent, legationem duplicem in Occidentem miserunt: vnam in Italiam ad Hormisdam pontificem, cæterosque Italiæ episcopos: alteram, ad Africanarum Ecclesiarum antistites. Iohannes ipse Chrysostomus, cuius exemplum tantopere vrgeri solet, de eodem atramento ad Innocentium Romæ pontificem & Venerium Mediolanensem ac Chromatium Aquileiensem eiusdē argumenti literas exul dedit. Enimuerò vetus obseruatio, & nuda rei veritas hoc modo se olim habuit. Qui sententia Episcopali condemnationem subierant, quo restituerentur in integrum, vel ordinario iure grassabantur, vel extraordinario. Ius ordinarium erat, vt à minore conuentu ad maiorem appellaretur. maximus autem conuentus Ecclesiasticus est, Synodus œcumenica. sed ante Constantinum neque vlla fuit eiusmodi vnquam Synodus: neq; vllum extat cuisquam exemplum, qui eò appellarit. quare neque in Canonibus quos vocant Apostolicos, neque in Clementinis Constitutionibus, vbi tam multa super iudiciis Ecclesiasticis & episcopalibus, de concilio œcumenico vlla habetur mentio, magis quam de appellationibus ad Roman. sedem. Et tamen etiam illis temporibus res controuersas à minore conuentu ad ampliorem referri solitas patet. B. Cyprianus instante persecutione circa caussam lapsorum consilio cum paucis communicato, statuerat, pacem illis laxandam: deinde multis factum improbantibus, vbi primum quies & tranquillitas data esset, ac conueniendi in vnum facultas, copiosum Episcoporum numerum cogit, quibus hanc quæstionem proposuit disceptandam. quum ne sic quidem satisfactum esset multorum scrupulosis mentibus, vltro Cyprianus, disciplinæ Ecclesiasticæ rigidissimus obseruator, numerosiori Præsulum conuentui rem detulit denuo disceptandam: Scribit enim ad Antonianum obtrectatorem suum: *si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur: etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum: qui & ipse cum plurimis coepiscopis habito concilio, in eandem nobiscum sententiam pari grauitate & salubri moderatione consensit.* docet hoc ipsum etiam Iouini & Maximi iterata condemnatio, de qua paullo post. cæterum disciplinæ is vigor tum obtinuit, vt qui sententia Episcopi sui consensu presbyterii esset abstentus, non secus ab vniuersa orbis totius Ecclesia extorris viueret: quàm si eam sententiam œcumenicum aliquod concilium pronuntiasset. huic enim nulla vsquam patebat Ecclesia absq; formatis literis. istas porrò ab vno illo episcopo poterat exspectare, à quo sententiam alligationis acceperat: à mortalium præterea nemine. Si quis enim spreta hac obseruatione, excommunicatum alibi ad communionem in sua Ecclesia admittebat: is neque reum absoluebat: & ipse vinculo eodem se innodabat. Lege canones Apostolicos x. xi. xii. idem xxxii. xxxiii. & in eos canones Zonaram ac Balsamonem. hac ratione eueniebat necessario illud Cypriani: vt vnius cuiusque caussa illic audiretur, vbi erat crimen admissum. ex quo etiam illud pari necessitate consequebatur, vt appellationum ad iudices extra prouinciam nullus esset vsus. atque hoc ordinarium ius erat cum exacta vigebat canonum illorum obseruatio. Qui obstinatiore animo aduersus disciplinam ecclesiæ conspirabant: hi subsidium contra auctores damnationis suæ vnde vnde poterant, sibi comparabant. Sed hac ratione extraordinaria primis illis temporibus neminem penitus vsum legimus præter oppidò paucos, & eos quidem magna ex parte hæreticos. Auctor est Cyprianus,

veterum

veterum hæreticorum & schismaticorum perpetuum hunc morem fuisse, vt postquam ab episcopo suo de Ecclesia essent eiecti, socios communionis ostiatim & oppidatim quærerent. idque duplici fine: nam & spargere virus suum quàm latissime gestiebant: & redire ad communionem Ecclesiæ catholicæ plerique optabant. hinc illa id genus hominum extra prouinciam suam circumcursatio, & legatorum missitatio. verba Cypriani epistola XLI. de legatis Nouatiani ad Africanos. *Ac ne eorum furens audacia vnquam desisteret: heic quoque in schismatis partes Christi membra distrahere & catholicæ Ecclesiæ corpus vnum scindere ac laniare nituntur: vt ostiatim per multorũ domos: vel oppidatim per quasdam ciuitates discurrentes obstinationis suæ & erroris scissi sibi quærant comites.* epistola XLIX. ad eundem Cornelium scribens, *vestris literis*, inquit *& didicimus & docere atque instruere iam cæteros cœpimus: Euaristum de Episcopo iam nec laicum Cathedra & plebis extorrem, & de Ecclesia Dei exsulem per alias longe prouincias oberrare, & ipsum veritatis ac fidei naufragum factum, circa quosdam sui similes paria naufragia concitare.* Sed hos nebulones sine formatis ad se accedentes pii episc. procul amoliebantur, vt etiã duabus illis epistolis testatur Cypr. à se factum. neque solum arcebant communione sua alibi scissos: verum etiam literis insuper suis notabant, idem magnus scriptor, epistola LV. *Priuatus vetus hæreticus in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa grauia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatus: antecessorum etiam nostrorum Fabiani & Donati literis seuerissime notatus: cum caussam suam apud nos in concilio quod habuimus idibus Maiis, quæ proximè fuerunt agere velle se diceret, non admissus est.* interdum tamen non plane reiiciebantur qui sine formatis veniebant: sed iudicium instaurabatur, præsertim quoties prima sententia à paucis fuerat pronunciata. Exemplum eius rei extat in eadem illa epistola. nam ait Tertulliani discipulus, magistro melior: *Sed & Iouinus & Maximus comites cum Priuato hæretico affuerunt: ob nefanda sacrificia & crimina in se probata, sententia nouem Episcoporum collegarum nostrorum condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis in concilio anno priore abstenti.* etsi postulabat rigida canonum obseruatio, vt qui non exhiberent proprii episcopi formatas, inauditi statim expellerentur: quia tamen paucitatem iudicum isti caussabantur, datum hoc eis à Cypriano, vt in consessu numerosiore, ipsorum caussa iterum cognosceretur. Licuit hoc Cypriano cæterisque episcopis pro libertate Christiana, quæ in Ecclesiis tum vigebat: & illo etiam iure vniuersalis curæ, siue vt est in Constitutionibus Clementinis τῆς καθόλυ ἐπισκοπῆς. de quo ante diximus. quo item iure hoc sibi interdum antistites illorum temporum sumebant; vt si quis Episcopus in alia prouincia malè sentire de fide diceretur: accusationem eiusmodi non plane reiicerent: sed pertinere ad se cum maximè putarent. idcirco Dionysius Romanus Pontifex quum à Pentapolitanis accepisset, Dionysium Alexandriæ episcopum de natura Christi perperam sentire ac scribere: delationem hanc, licet falsam & calumniosam vt exitus probauit, non neglexit: sed veræ doctrinæ patrocinium simul suscepit, ac falsam scripto confutauit: & cum eo qui fuerat delatus per literas egit. auctor Athanasius, qui eam historiam fusè descripsit. Porro vbi frustra vicinas prouincias circumcursauerant sententiam passi hæretici: quò facilius fallere possent, longinquas petebãt. Romam igitur plerique veniebant. Cyprianus epistola LV. ad Cornelium Papam: *denique quia conscientiam suam norunt, nec nos audent adire, aut ad Ecclesiæ limen accedere: sed foris per prouincias circumueniendis fratribus & spoliandis pererrant: & omnibus iam satis noti, atque vndique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos nauigant.* quis dubitat, omnium hæreticorum & schismaticorum commune olim fuisse studium, vt, (quod de Nestorio duobus locis scribit Cyrillus) Romanam Ecclesiam possent συναρπάσαι: id est, furto sibi conciliare, & ad partes trahere? nullo enim breuiore compendio ad cæterarum Ecclesiarum communionem peruenire poterant: quam si communicatorias literas ab Romana se impetrasse ostenderent: cuius erat fides notissima, auctoritas maxima. hoc consilio Romam olim sunt profecti, vel literas à Romano Pontifice furto & fraudulenter vt ait Cyprianus, sunt conati elicere, Cerdon è Syria, Marcion è Ponto, Valentinus ex Ægypto: Basilides & Martialis ex Hispania: ex Africa verò Priuatus, Felicissimus, Fortunatus, Nouatus, plureis alii. Deinde horum imitatione posterioribus temporibus quàm plurimi. Longe ab istorum perditorum hominum consilio separanda caussa est sanctissimorum virorum, vt Athanasii & Iohannis Chrysostomi & paucorum similium, quos in aduersis solatium Roma propriis malis petiisse testatur historia. Quod autem neque illi, neque hi cum Romam venerunt, aut legatos miserunt, appellauerint ad Romanum Pontificem, paucis probemus; dicturi postea de iure, ac postremo de vtilitate aut periculo huiusce iuris. Cerdonẽ ac Valentinum, quia appellasse eos Romã, nemo quod sciam, ne recentiorum quidẽ dixit, prætermitto. Marcion apud Cardinalem Bellarminũ in albo eorum qui ad Papam prouocarunt, agmen ducit. Atqui neq; Irenæus, neq; Tertullianus, qui huius aduẽtum Romam cõmemorant, hoc dixerunt. Ne Epiphanius quidẽ quem laudat vnicum Cardinalis Bellarminus. Vnde igitur istud habet: Narratio Epiphanii est hæc: Marcion in patria ab Episcopo suo communione expunctus, multis cum precibus αἰτησάμενος εἰρήνην, *petita pace*, pii & cati senis animum flectere non potuit. ille popularium iocos non ferens, Romam cõcedit quia Hygini morte vacabat tum sedes, presbyteros Romani cleri adit: petit ab his, συναχθῆναι: *vt ad sacram communionẽ admitteretur.* negant illi summo omnium consensu. furere tum Marcion, & Cerdoni se adiungere. quum erroris admonitus, culpam in presbyteros Romanos trãsferret, ac diceret, *cur me suscipere noluistis?* respondent pii presbyteri: *hoc enim facere absq; permissionẽ venerandi tui patris*, (episcopum ita vocabant) *non possumus nos, vna si quidem est fides, vnus omnium consensus, neque licet nobis collega nostro & consacerdoti patri tuo aduersari.* quid heic, obsecro, quod appellationis vel tenuem suspicionẽ præbeat? APPELLARE enim est, prouocare ad maio-

rem potestatem à minore. at negant diserte Romani, posse illum à se solui, qui ab alio esset vinctus. & iure illi quidem. nam veteris disciplinæ canon est, inter Apostolicos 12. *Si quis clericus aut laicus excommunicatus siue abstentus in aliam ciuitatem profectus recipiatur, absque literis formatis, excommunicetur, & qui suscepit, & is à quo susceptus est.* neque huic canoni vlla adiecta est exceptio de priuilegio aliquo hac in parte Romanæ Sedi indulto. nulla ergo heic potestas maior: ac proinde nulla appellatio. At, inquies, recipi se petiit Marcion à Romanis: quod rescindere erat sententiam antè latam: Credebat igitur Marcio, & vulgo tum omnibus erat persuasum, rescisionem sententiarum episcopalium & synodicarum Roma petendam. nugæ. iam diximus, idque ex Cypriano probauimus, hæreticorum ac schismaticorum hunc fuisse morem, vt exclusi à suis, vicinas Ecclesias pererrarent. quid igitur ab illis petebant? nemo sanæ mentis negauerit, communionem cum iis quæsisse, & pacem quam inter suos amiserant. nam illis temporibus adeo penitus in animis fidelium defixa erat persuasio de vnitate totius catholicæ Ecclesiæ: vt quemadmodum ab vna separatus ab omnibus exulabat; sic cum vna coniunctus, ad omnes aditum habebat commercio formatarum. hinc illa abstentorum circumcursatio. quare si expetere Romanæ ecclesiæ communionem, appellare est Romam: ergo etiam ad quasuis alias appellatum Ecclesias. quin potius dicimus, quod historiæ non imperiti sciunt esse verissimum? Nam quia nihil in hoc negotio pro potestate geri solitum: sed κηδεμονικῶς, vt Græci Patres dicere solent, id est, ex officio charitatis Christianæ: nulla fuit appellatio, nulla ad hoc quidem potestatis inæqualitas. porrò clerum Romanum etiam vacante sede, communicatorias literas dandi ius habuisse, ipse clerus ostendit in ea quam scripsit ad Cyprianum, vbi Priuati Lambesitani meminit. Marcioni subiicit Cardinalis Bellarminus Fortunatum & Felicem, *qui in Africa à Cypriano depositi Romam nauigauerunt, atque ad Cornelium appellauerunt.* hæc ille, ex Cypriano, inquit epistola tertia: quæ in Pameliana editione est LV. Cyprianus, vir acutissime, neque Felicem neque Fortunatum Romam nauigasse eo loco scribit: sed Felicissimũ à Fortunato pseudoepiscopo (qui cum & Felix alius pseudoepiscopus faciebat:) & in Africa seditionis vexillifero Romam missum esse cum multis aliis. appellasse ad Romanum Pontificem, neque dicit Cyprianus, neque verum est. Orto in Africa schismate creati fuerant illi duo episcopi, partim à Priuato vetere hæretico, partim ab aliis paucis eiusdem prauitatis sectatoribus. quum exemplo Cypriani, & aliorum qui cum ipso sentiebant, cæteri quoque Africani episcopi à communione sua prædones, Ecclesiæ alienos certatim pronuntiassent: neque illi pace oppidatim per Africæ prouincias quæsita, quicquam proficerent: vt labantem iam factionem multis quotidie remeantibus atque ad Ecclesiam pulsantibus, vt ait Cyprianus, sustentarent, mittunt Romam Felicissimum cum amplissimis literis paucorum pseudoepiscoporum: quos illi mentiebantur esse catholicam Ecclesiam Africanam. Dicebamus supra, morem veteris Ecclesiæ fuisse, vt qui episcopatum essent nacti, ad alios episcopos literas darent, vt epistolas ipsorum elicerent: ex quibus constaret eiusdem communionis ipsos esse. hoc enim modo nouam electionem confirmare dicebantur, qui vel ex remotissimis regionibus ad ipsos scriberent. sic Cyprianus cæterique Africani episcopi Cornelii Papæ creationem comprobant. non est dubium epistolas quas pseudoepiscoporum legatus Felicissimus Romam attulit, eius argumenti fuisse. id enim ad decipiendos Africæ populos futurum erat telum efficacissimum. quare vt à Cornelio communicatorias auferrent, non solum preces adhibuerunt, quas statim repudiauit Cornelius: verùm etiam minas atque terrores: quibus penè Romanus Papa succubuit. sed nutantis gressus firmauit Cyprianus illa diuina epistola LV. quoniam autem magnis clamoribus iactabat Felicissimus Romæ, paratum se probare, sine caussa à Catholicis in Africa se & suos fuisse excommunicatos: ideoque iudicium Romæ renouari postulabat: de eius postulati iniquitate multa disputat Cyprianus, quò animum Cornelii eò inclinantis reuocaret à sententia quæ libertatem omnium Ecclesiarum erat læsura. eius epistolæ pars magna in eo versatur: vt probet auctor, actum esse de fide & disciplina Ecclesiastica, si sacerdotalis dignitas sarta tecta non conseruaretur: *nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus iudex vice Christi cogitaretur.* loquitur autem Cyprianus de se & de omnibus in commune episcopis, qui separatas Ecclesias singuli in solidum tenebant. non de Romano Pontifice, vt falsò & absurdè nonnulli scribunt. quum contra, eo loco Cyprianus ius suum & reliquorũ Africæ episcoporum apud Cornelium Papã aduersus ipsum Cornelium tueatur. an igitur ad Cornelium appellauit Felicissimus, aut illi quorũ missu Romam venit? nequaquam. sed more temporum illorum, de quo ante diximus, querellam de iniuria ab episcopis accepta, vt quidem arbitrabantur, ad episcopos primò Africanos: deinde Romanum, pari iure detulerunt. Cyprianus verò qui virum sanctum Cornelium non tulit potestatis aliquanto plus in eo negotio extentem, quàm charitati Christianæ videbatur conuenire: eo ipso quod tam acriter illum dicta epistola castigat & in ordinem cogit: duo opera eadem nos docet: neque prioribus temporibus tale quid factitatum fuisse in Ecclesia Dei: & quod posterioribus seculis grauiora longè acciderint, mirum id nemini debere videri. Nunquam enim noua exempla in eo manent vnde inceperunt. cuius rei probatio in longum tempus dilata non est, vt declarant quæ statim subiiciemus. Pergit enim Cardinalis Bellarminus, & ait: *Non diu post, Stephano Pontifice Basilides in Hispania depositus, ad Stephanum appellauit.* Basilides & Martialis ob grauissimas caussas depositi sunt in Hispania. Martiali quiescente, Basilides Romam proficiscitur: ibi tam sibi quam Martiali literas communicatorias à Stephano Pontifice impetrat. eodem in Hispania reuerso, tam ipse quàm Martialis sedes suas receperunt. Negamus tamen posse dici istos appellasse ad Romanum

Ponti-

Pontificem. vsi enim sunt, quod iam sæpius diximus, consuetudine veteris Ecclesiæ, quando auxilium sibi quæsiuerunt à Romano Papa, quod frustra, sine dubio, à vicinarum Prouinciarum Episcopis sperauerant. Stephanus verò deprecatoris vice functus est, aut potius testis: non autem iudicis potestatem maiorem exercentis in fratres, & κατεξουσιάζοντος αὐτῶν. certissimum clarissimum, & ipsis pene manibus palpabile argumentū huius est: quod vt Basilides & Martialis auctoritate Romani Pontificis aduersus collegas suos Hispanos, à quibus fuerant cathedra expulsi, se muniuerunt: ita collegæ ipsorum iudicio Cypriani & Africanorum Episcoporum eduersus sententiam Papæ Ro. Si Stephanus auctoritate summi iudicis sententiam secundum excommunicatos pronuntiauerat: idque iuris ea ætas Papæ Ro. tribuebat: quid sibi volunt prioris sententiæ auctores, qui post reditum Basilidis negotium integrum ad Episcopos Africę deferunt, & super eo ipsos consulunt? Cyprianus, Epistola LXVIII. *Cum in vnum conuenissemus, legimus literas vestras, fratres dilectissimi*: deinde post narrationem facti: *& desiderastis rescribi ad hæc vobis, & iustam pariter ac necessariam sollicitudinem vestrā vel solatio, vel auxilio nostrā sententia sublenari.* quæstionem postea tractat & ex diuinis præceptis quid fieri debeat docet. postremo de Stephani facto quid iudicandum esset, ita paucis explicat: *Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, & gesta rei ac tacita veritatis ignarum fefellit: vt exambiret reponi se iniuste in Episcopatum, de quo fuerit iustè depositus.* Vel id ipsum quod tam leui opera, tam paucis verbis Stephani sententiam rescindit Cyprianus, siue hoc sua vnius auctoritate faciat, siue de consilio paucorum collegarum ad quos consultatio fuerat delata: vel id ipsum, inquam, non contemnendum veritati argumentū præbet. nam si præsules isti ad Papam legitime appellatum credidissent, tanquam ad supremum tribunal: censeri ita perfunctoriè iudicis ἀνυπευθύνου sententiam ausuros esse rescindere? at inquies, falsam sententiā rescindere ipsos, & cui error interuenerat: absque hoc fuisset, manus daturos & Ro. Pontificis iudicio acquieturos. non negamus: quin fatemur vltrò eam simplicitatem illius aureæ ætatis fuisse, vt rectè monentibus & olitoribus, quod aiunt sponte sua homines obedirent: nedum Ro. Pontifici, Petri Paulique successori ὁμοδόξῳ pariter & ὁμοθρόνῳ. hoc tamen dicimus, hoc iterum iterumq; affirmamus, monarchica ista imperia illo seculo fuisse inaudita in Ecclesia Dei, adhuc libera adhuc nemini, præter Christū seruituti mancipata. nullum igitur Romæ supremum tribunal: nulla ad curiam Romanā appellationem. Hactenus appellatio ad Romanam Sedem exemplis hæreticorum & schismaticorum est defensá: quorum neque doctrina ad probandum, neque facta ad imitandum in Ecclesia solent proponi. Sed his Cardinalis Bellarminus aliquot sanctorum virorum exempla subiicit: magni Athanasii, qui ad Iulium I. Pontificem appellauit: Iohannis Chrysostomi, qui ad Innocentium I. Flauiani episcopi Constantinopol. qui ad Leonem: postremò etiam Theodoreti, qui item ad Leonem prouocauit. Heic enimuero Lectorem cognoscendæ veritatis studiosum volumus oratum, vt quàm verè, quàm appositè hæc dicantur, sua interesse putet non ignorare, sed probe velit intelligere atque cognoscere. Nos equidem inficias non imus, quin potius vltro profitemur, extitisse ab aliquot retro seculis magnæ auctoritatis viros, qui vt appellationes omnes Romanæ sedi asserent, tantorum heroum exempla in medium attulerunt, & pro regula omnibus fidelibus esse debere contenderunt. Sed enim, aduersus hæc duo respondemus nos. nam & appellasse hosce viros sanctos ad Romanum Papam pernegamus: & quicquid est quod illi necessitate compulsi fecerunt, ad ius ordinarium cognoscendum perperam atque absurde afferri constanter asserimus. Meminerit vero lector de appellatione heic nos loqui vera: hoc est, secundum vocis proprietatem accepta. magno enim errore quamlibet auxilii petitionem ab iniuria passo factam, appellationē vocaueris: quum illa demum vera sit appellatio, quę secundum leges iure ordinario fit, & à minore potestate prouocat ad maiorem. vbi vero potestas aut nulla est, aut par & eadem, non est ea appellatio. sed προσφυγὴ & perfugium: qui autem appellatur, quantacunque auctoritate præcellat, nisi arbitrium à partibus ipsi fuerit delatum, deprecatoris non iudicis officium præstat. Atheniensium humanitas ita quondam celebrata est inter Græcos, vt ad Misericordiæ aram in ea vrbe positam, tanquam ad commune perfugium ex vniuersa Græcia multi, quos potentiorum iniuria oppresserat, confugerent. Heraclidæ, Argiui, Hippocratis liberi cum aliis sexcentis opem & auxilium ibi inuenerunt. si quis tamen dixisset vel Lacedæmone vel Thebis aut apud Megarenses in vicinia positos, ad Athenienses ab omnibus Græciæ partibus appellari: haut dubie non ferret impune: sed potius, qui fuit amor libertatis in illis populis, in magnum periculum veniret, ne audientium manibus discerperetur: aut stupidæ certè ignorantiæ damnaretur: qui inter iuris regulam & humanitatis officia nesciret distinguere. Sic quum in populo Iudaico ex institutione diuina perfugium homicidis ad vrbes quasdam pateret: ad eas tamen ciuitates fuisse appellatum, dementia sit dicere. Denique aliud est aduersus iratum patrem deprecatorem sibi parare: vel aduersus inimici iniurias amicum opem poscere: iudicium illi permittere: aliud ab iniqua pedanei iudicis sententia ad Prætorem appellare, vel à Prætore ad Principem. Athanasium igitur, Chrysostomum, Flauianum & alios viros pios Romanorum Pontificum auxilium implorasse aduersus vim manifestam vltro fatemur: eoque nomine Romanam Ecclesiam laudari satis non posse agnoscimus, & contenta voce prædicamus: quod eadem opera & fidem rectam aduersus Arii, Nestorii, Eutychetis aliorumq; veterum hæreticorum deliria defenderit: & fidelibus episcopis pro eadem caussa laborantibus manum porrexerit. sed appellationē improprie & periculose nominari dicimus, quæ erat auxilii simplex petitio,

quandoquidem, vt iam diximus, non est appellatio proprie dicta, nisi ad maiorem potestatem. quum igitur Athanasius, Chrysostomus, Flauiamus Synodorum decretis sedes amisissent, qui dixerit ad Synodum aliam ipsos appellasse, vere dixerit & conuenienter antiquis: nam adhuc illa ætas superiorem potestatem in ecclesiasticis rebus nullam agnouit. nisi maioris Synodi: aut si forte, Principis: qua de re postea dicemus. At si dixeris ad patriarcham Antiochenum, vel Ierosolymitanum aut Romanum Papam appellasse: aut falso, aut improprie locutus fueris. falso, si de vera appellatione intelligas: improprie, si de auxilii petitione sentias. extant & Athanasii & Ioannis Chrysostomi de suis casibus propria scripta multa. nego posse vel vnicum ex iis locum afferri vbi Romã se appellasse dixerint. nego etiam Socratem, Theodoretum aut Sozomenum in ea re verbum appellandi vnquam posuisse. nihil enim aliud de Athanasio narrant historici, nisi Romam ipsum venisse, vt saluti suæ consuleret. neque de Chrysostomo aliud, nisi hoc: ad Innocentium & episcopos occidentis literas illum dedisse: quibus de sua iniuria certiores illos faceret, & opem atque subsidium ab iis peteret. Ostendimus initio huius disquisitionis, veteres Episcopos tanti fecisse vnitatem Ecclesiæ, vt singuli eorum vniuersalis Ecclesię curam putarent pertinere ad se ratione quadam: ex quo fiebat, vt vnius iniuria omnes aduerteret. itaque licet canones Apostolorum, Niceni & alii multi terminari omnes controuersias iis in prouinciis vbi essent ortæ iubebant: quoties tamen ęquum ius in competenti sibi foro Ecclesiastico, aliquis impetrare non poterat, iudicium ad quosuis alios Episcopos, vel potius arbitrariam de caussa cognitionem deferebat: neque operam detrectabant, qui adibantur. idque non alio iure quam, τῆς καθόλου ἐπισκοπῆς, quod ante exposuimus, & charitatis Christianæ, cuius glutino inuicem hærebant compacti corpus vnicum efficientes. Sic narrat Sozomenus libro 8. Ammonium & Isidorum aduersus Theophili Alexandrini iniurias præsidium petiisse ab Iohanne Chrysostomo Constantinopo. an ergo ius fuit, ab Alexandrino Patriarcha ad Constantinopolitanum appellandi? minime gentium. sed aliud est, latiusque patet officium humanitatis quàm stricti iuris obseruatio: quo igitur iure aditum est ad Chrysostomum? huic quæstioni ita satis faciunt Sozomeni verba in facti narratione: ᾤοντο γὰρ ἐνδίκου παῤῥησίας αὐτὸν ἐπιμελούμενον, δυνατὸν τοῖς δίκαια βοηθεῖν αὐτοῖς. *putabant enim*, inquit, *Ioannem Chrysostomum pro suo studio conseruandæ legitimæ libertatis, posse auxilium in caussa iusta sibi præstare.* Appellat eruditus scriptor ἐπιμέλειαν ἐνδίκου παῤῥησίας, studium illud omnibus Episcopis commune procurandi vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ: nam παῤῥησία ἔνδικος est, ius legitimum id curandi: quod, vt sæpe monuimus, in Clementis Constitutionibus ἡ καθόλου ἐπισκοπὴ appellatur. plane ita & Socrates loquitur libro 2. cum literas illas Iulii Papæ, quas Athanasio & aliis exulibus episcopis dedit, vt in sedes suas restituerentur, vocat παῤῥησιαστικὰ γράμματα: literas scriptas ea libertate quæ singulis episcopis, præsertim verò primæ sedis Antistiti competit. siquis malit referre ad libertatem Ecclesiæ, res eodem redibit: intelligetur enim studium, quod Pastoribus esse debet, conseruandæ libertatis cuiusque fidelium, præsertim Ecclesiasticorum vt hi erant: ne à potentioribus opprimantur infirmiores: quod sibi accidisse querebantur Ammonius & Isidorus. deinde addit Sozomenus: Iohannem scripsisse ad Theophilum: vt profugos istos in communionem reciperet: quia de fide sentirent recte. ni putaret repetendum esse iudicium: mitteret τὸν κατήγορον: id est, aliquem qui aduersus ipsos litem institueret. Sibi nempe Chrysostomus partes iudicis assumit, pari iure, atque ipse postea factione damnatus Innocentio & aliis episcopis iudicium de sua caussa detulit. in ea epistola Chrysostomi ad Innocentium præclare ordinarium ius ab extraordinario separatur. Ait enim de Theophilo, & de se: *Sed absentibus nobis & Synodum conuocare volentibus, iudiciumque flagitantibus, neque cognitionem caussæ fugientibus, sed inimicitias manifestas, accusatores tamen admittebant.* mox: *iniectus in nauim noctu nauigabam, quia Synodum ad istud iudicium vocare volueram:* & paullo inferius, *ingressi ad Imperatorem, orauimus vt ad vlciscenda facinora Synodum cogeret:* & statim. *Nos conscientiæ nostræ fiducia institimus apud piissimum Imperatorem, vt Concilium congregaret.* paucis interiectis: *instabamus iugiter orantes iudicium fieri, in quo audiri iudicarique possemus.* en veram disciplinam illorum temporum. synodus peruersè deiicit Patriarcham. ille aduersus synodum malignantium ad synodum appellat: maiorem nimirum, aut etiam vniuersalem. de Romano Pontifice verbum nullum. vbi verò legitima petitione Chrysostomi spreta, omnia vi gerebantur: neque vllus disciplinæ Ecclesiasticæ locus erat relictus: ita demum vir sanctus auxilium extra ordinem à fratribus suis petere cogitur. hinc illæ ipsius ad Orientis & Occidentis Episcopos literæ. cum primis verò ad Innocentium Ro. Pontificem, vt præcipuæ sedis & præcipuæ auctoritatis antistitem. postquam igitur tam expresse dixit, totiesque repetiit, se via canonica vti volentem, ad synodum appellasse: verum frustra: tandem expositis iniuriis quę sibi & aliis piis episcopis fuerant factæ: *Hæc igitur*, inquit, *omnia cogitantes, domini beatissimi ac reuerendissimi, dignum vestra constantia & congruũ robur ac studium sumite: & hanc perniciem, quæ inuasit Ecclesias, oramus auertite.* deinde petit vt in aduersarios censurę vigorem exerceant: & si opus fuerit, caussę cognitionem suscipiant. atque hoc modo ad Innocentium & alios episcopos Occidentis delata est cognitio caussæ inter Chrysostomum & Theophilum: ipso, vt vides, deferente Chrysostomo. in Athanasii caussa paullo aliter accidit. nam ad trahendum ad se cognitionem de ea re, vtraque pars Iulium Papam inuitauit. Post casum Athanasii habita est piorum episcoporum synodus, quæ ad vniuersos orbis terrarum synodicam scripsit: ad celebriores etiam Ecclesias per legatos misit: quò Athanasii innocentiam cunctis exponere, & ad eius caussam amplectendam vniuersos hortaretur. hæc epistola, ait Athanasius in Apologia de fuga sua, tum ad alios omnes episcopos est missa:

missa: tum etiam ad Iulium episc. Romæ. quare synodus scriptione eius epistolæ velut classicum cecinit aduersus inimicos Athanasii: simul & omnes episcopos quibus esset facultas ipsum adiuuandi, iudices eius caussæ constituit. accessere postea preces non solum Athanasii postquam in vrbem venit: sed etiam aliorum episcoporum qui ibidem pariter exulabant. erant autem hi grauissimi & magni nominis viri, Paulus Patriarcha Constantinop. Marcellus Ancyræ, Asclepas Gazæ episcopi. sed & ab altera parte iudicium fuisse delatum Iulio, Athanasius & ex illo historici, ostendunt. Athanasii verba eodem libro: *Quin & Eusebiani ad Iulium litteras misere, & quia putabant se terrorem nobis incussuros, Synodum postularunt conuocari, & vt ipse Iulius si vellet, iudex caussæ fieret.* Videntur hæ Eusebianæ factionis literæ Romam prius peruenisse, quàm Athanasius eodem appulisset, vel piæ synodi epistola Iulio fuisset reddita. nam Theodoretus ita scribit: Iulius acceptis literis Eusebii, τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ καὶ αὐτοὺς καταλαβεῖν τὴν Ῥώμην ἐκέλευσε, καὶ τὸν θεῖον Ἀθανάσιον εἰς τὴν δίκην ἐκάλεσε. *secundum Ecclesiasticam legem & ipsos* Eusebianos *Romam se conferre iussit, & diuinum Athanasium ad caussam dicendam vocauit.* quam legem Ecclesiæ intelligit hoc loco Theodoretus? nullam quidem scriptam: sed vel illam consuetudinem, de qua dictum superius, cum de Synodorum confirmatione ageremus: vel consuetudinem ἄγραφον ita vocat, vsu Ecclesiæ confirmatam, quæ in dissensione Ecclesiarum quemuis Episcopum, quem altera pars appellasset, iudicem constituebat controuersiæ: si modo altera pars non nollet, vt antea probauimus. sed patriarchalibus sedibus hunc potissimum honorem delatum, credere verum est: omnium autem maximè Romano Episcopo: cuius præcipua semper fuit inter fratres prærogatiua aliqua dignitatis. itaque Sozomenus & Socrates priuilegiorum Ro. Sedis in hac re mentionem à Iulio factam significant: quæ tamen ab episcopis Orientis esse exsufflata, historici memoriæ prodiderunt: nos autem docuimus aliam fuisse caussam grauiorem, quæ illi auctoritatem suam huic negotio interponendi ius daret: ac præsertim Synodicam illam epistolam, cuius exemplum extat apud Athanasium: quæque vt titulus indicat, missa est τοῖς ἁπανταχοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόποις, *ad omnes vbique terrarum degentes Ecclesiæ Catholicæ episcopos.* Iam intelligis candide lector, quantam Iulio & Innocentio iniuriam faciant, qui dicunt ipsos contra consuetudinem Ecclesiæ αὐτοκελεύστως & propria duntaxat auctoritate fretos, rapuisse ad se cognitionem de caussis Athanasii & Chysostomi. Superest de Flauiano dicere. hic vir insignis in synodo Ephesina II. molitione Dioscori episcopi Alexand. qui prædonum conciliabulo illi præerat, & sedem suam depositus amisit, & vitam quoque plagis contusus. de eo scribit Liberatus in Breuiario caussæ Nest. *Flauianus contra se prolata sententia, per eius legatos, sedem Apostolicam appellauit libello.* ex iis quæ hactenus disputata sunt super simili caussa Athanasii & Chrysostomi, apparet locutum esse Liberatum & nouè: quia non ita loquebantur priores, vt probauimus: & impropriè: quia Flauianus non vnicum appellauit Ro. Pontificem: sed simpliciter appellationem interiecit. nam Acta synodi ita habent. *post recitatam sententiam in Flauianum: Tunc Flauianus dixit, Appello à te.* quæ appellationis breuissima formula ex iure communi eius temporis exponi omnino debet. diximus autem ius commune fuisse, vt à synodo ad synodum appellaretur. aut si ea spes decollaret, vt à potentiorum Ecclesiarum fratribus, auxilium peteretur. non est dubiū hoc voluisse Flauianum. accidit vero tunc temporis, vt vi sceleratæ episcopis etiam orthodoxis cedentibus, & damnationi subscribentibus, pauci viros se præberent. in his autem fuerunt legati Leonis Papæ præstantes pietate & animi magnitudine, Hilarus, qui postea fuit Pontifex, & Renatus. atque vt Flauianus appellationem interiecit, sic Hilarus oppositionem. Acta concilii. *Hilarus diaconus Romanæ Ecclesiæ dixit: contradicitur.* idcirco Flauianus rebus desperatis libellum appellationis huic tradidit: eo videlicet fine, vt ad Leonem reuersus, illum stimularet, quò efficeret pro sua auctoritate, ne tantum scelus impunitum sineretur: hoc voluisse Liberatum periti historiæ Ecclesiasticæ illorum temporum non negabunt: si modò anticipatis notionibus nudam veritatem anteponere curauerint. Sine caussa Cardinalis Baronius de hac apud Liberatum vocula tam impotenter Io triumphe clamat. Sed in Annalibus illius non pauca inuenire est eiusmodi νεαρικὰ dicta: quæ me aliquando magno stupore defixerunt. velut cum dicit: siuisse Deum tantis calamitatibus virum cælestem Iohannem Chrysostomum obrui, vt de Romani Pontificis principatu in Ecclesia nemo dubitaret. & cum malorum omnium quæ alicui vel Principi vel prouinciæ humanitus contigerint, nulla alia vt plurimum in Annalibus caussa assignatur, præter vnam hanc: quod maiestatem Rom. Pontificis vel dicto vel facto læserint. non ignoramus quid & quantum veteres Romanis Pontificibus detulerint: at dicta his similia & aliis sexcentis in Annalibus, nulla adhuc reperimus apud antiquos Patres. quid? magnum adeo visum illi stabiliendæ Rom. monarchiæ argumentum, quod dixerit Liberatus Flauianum appellasse Papam Romæ? at cogitaret, contrarium euincere multa, eaque certa argumenta. quod eiusmodi appellationum luculentiores Liberato historici rerum Ecclesiasticarum, neq; in huius Flauiani caussa, neq; vsquam alibi mentionē vllam fecerint. quod Athanasius, quum toties damnaretur, tot ærumnas in Ægypto & Asia perferret, postea etiam ad Treueros siue seponeretur, siue relegaretur, ne semel quidem in tot annorum spatio, huius appellationis expedito remedio sit vsus. quod Chrysostomus iniqua damnatus sententia, non aliò quàm ad Synodum prouocauerit. quod neque hic neque ille cum suos casus narrant, ad Rom. Pontifices Iulium & Innocentium se appellasse vnquam scripserint. quod ipsi illi Pontifices nihil penitus pro monarchica potestate in hac re gesserint, sed communi iure vsi, iudicium instaurari procurarint, literas innocētiæ ipsorum, & suæ cum illis cōmunionis testes ad Ecclesias dederint: deinde pro

Digitized by Google

exulibus preces suas Imperatoribus obtulerint: Iulius Constantio, Innocentius Honorio. quod vbi primum exoriri cepit in Ecclesia huiusce iuris, quo omnia ad Ro. Pontificem Ecclesiæ negotia trahuntur, tenuis aliqua suspicio, pii episcopi se illi opposuerint: vt de Cypriano ostendimus: de variis synodis postea dicemus. postremò cogitaret, Liberatum hunc iis temporibus vixisse, quibus non deerant qui ius istud vel sponte sua Ro. Ecclesiæ deferrent: vel etiam ipsi illud sibi vindicare incipienti secundas facerent. Nos autem heic non quærimus quid pauci Ro. Pontifices amplificandæ potestatis suæ plus æquo fortasse studiosi, vel dixerint vel senserint: de quo inferius dicetur: verùm quid vniuersa Ecclesia illorum temporum quibus de agimus, & crediderit & fecerit. Sed ne quis sit calumniæ locus, doceamus clara luce clarius, ita loqui interdum veteres scriptores, vt appellare eos dicant, qui auxilium ab aliquo non iuridicè sed ἀγαπητικῶς & vt loquuntur mediæ ætatis theologi Latini, charitatiue petunt. Patres piæ synodi quæ expulso Athanasio conuenit, postquam omnes episcopos obsecrarunt, vt Athanasio dextras communionis porrigerent: eius iniuria dolerent: iustam indignationem suam aduersus mali auctores expromerent: subiiciunt ista: ὑμᾶς γὰρ ἐκδίκους τῆς τοιαύτης ἀδικίας ἐπικαλούμεθα. ὑπομιμνήσκοντες τὸ ἀποστολικὸν, ἐξάρατε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. quæ sic erant vertenda: *vos enim tantæ iniquitatis vindices* APPELLAMVS: *Apostolicum illud vobis in memoriam reuocantes: Auferte mala de medio vestrum.* est autem hæc synodica non ad Ro. Episcopum priuatim missa: neque ad vllum alium ex iis Præsulibus, qui plurimum in Ecclesia tum poterãt: sed generaliter, vt præ se fert titulus iam ante à nobis descriptus, ad omnes totius Ecclesiæ catholicæ episcopos. quare huic epistolæ ista subiicit Athanasius: ταῦτα οἱ ἀπ' Αἰγύπτου πρὸς πάντας, καὶ πρὸς Ἰούλιον τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ῥώμης. *hæc Ægyptii cum ad vniuersos scripserant, tum ad Iulium Romæ episcopum.* Si argutari lubet, dicemus piam Synodum à factiosa synodo ad quemlibet Episcopum appellare: nam id sonant verba illa, ἐκδίκους ἐπικαλούμεθα: Græcis appellatio dicitur ἔκκλητος, vel ἔκκλητος δίκη. appellare, ἐπικαλεῖσθαι nota vox Pauli in Actis, Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. *Cæsarem appello.* & sæpe illo capite 25. sed quis ferat dicentem ad singulos pari iure licuisse appellare, propriè dicta appellatione, à synodi sententia? fateamur igitur ἐπικαλεῖσθαι in hac synodica, *appellare* apud Liberatum, & similibus locis, qui rarissime occurrunt de eius auxilii petitione debere intelligi, quod charitas Christiana & cura Pastoralis tenetur afflictis exhibere. propterea Cælestinus Papa in epistola ad clerum Nouæ Romæ, de perfugio Athanasii ad Sedem Romanam ita scribit. Athanasius, inquit ἐν τούτῳ τῷ θρόνῳ εὗρε κοινωνίας ἀνάπαυσιν. ἀφ' οὗ ἀεὶ τοῖς καθολικοῖς γίνεται βοήθεια. *in hac sede inuenit communionis solatium: vnde semper catholicis exstitit auxilium.* planè sic est, vt Cælestinus dicit: qui ad potentiores sedes confugiebant, vbi fidei suæ integritatem probauerant, ad communionem fraternitatis recepti, literis (τύπους & παῤῥησιαστικὰ γράμματα, & συστατικὰ historia Ecclesiastica vocat) donabantur, orthodoxæ ipsorum fidei testibus atque indicibus. deinde ea velut contesseratione hospitalitatis accepta, quocunque venirent, pro fratribus à catholicis excipiebantur. rectè igitur Cælestinus hanc communicationem pacis & appellationem fraternitatis, vt loquitur Tertullianus, κοινωνίας ἀνάπαυσιν nominat: vt quod merum esset humanitatis officium, è fonte charitatis Christianæ manans. ideo Sidonius Lupum Tricassinum, primariæ quondam per Gallias auctoritatis Præsulem, & vt ipse appellat, episcopum episcoporum, ait, *de quadam specula charitatis tota Ecclesiæ Dei membra superinspicere.* Iulius quoque Papa ad cognoscendum de caussa Athanasii charitate ductum se profitetur, non inani & fumoso illo typho, quem tantopere S. Patres detestantur. verba Iulii sunt in responsione ad Synodi Antiochenæ episcopos. *quid? an non charitatis argumentum est, quod presbyteros misimus, qui afflictorum dolores participarent, & eos qui ad me scripserant,* (Eusebianos nempe, qui iudicium ipsi detulerant) *hortarentur huc venire, vt sublatis controuersiis omnia quàm primum componi queant, & neque fratribus nostris male sit, neque vos à nonnullis male audiatis.* Satisfactum est de appellationibus Athanasii, Chrysostomi & Flauiani: quas tantopere libertatis hodiernæ patroni solent vrgere, propter sanctorum illorum martyrum (ita meritò illos appellauerim) auctoritatem in Ecclesia longe maximam. de Theodoreto nihil priuatim addam: nam & huius & omnium eadem ratio est: & epistolam illam Theodoreti ad Leonem Papam, Græce adhuc videre mihi non contigit: in quo tamen quantum sit momenti, piget dicere quoties experti simus in tractandis historiæ Ecclesiasticæ monumentis. Nunc superiori disputationi illud adiicimus: absurdum esse, cũ de ordinario iure disciplinæ Ecclesiasticæ quæritur, exempla illa ingeri, quæ tum edita sunt, cum vi & iniuria late dominante omnia ecclesiæ iura erant sepulta. nam cur Athanasius in Occidentem se cõferret, hæc propior & verior fuit caussa; quia aliter non potuit intra Ecclesiam sæuiebant Ariani, homines violenti, scelesti, omnibus modis detestandi: extra Ecclesiam furor Constantii, Principis hæretici, omnes per Orientem Ecclesias deuastabat: orthodoxi vndique deturbabantur, in exilia relegabantur, mactabantur. Arianis impune quicquid lubebat licebat. omnia autem lubebant quæ bonis essent & molesta & funesta. deiicitur ergo Athanasius & ad cędem expetitur à crudelissimis lupis. quid faceret? quò se verteret? vnde auxilium peteret? nunquam ergo pedem efferret vir ἀξιάγαστος ex illis cauernis vbi tot annos dicitur delituisse? Et erunt qui pro magno iactent Athanasium ex Ægypto & Oriente Romam concessisse? magna sanè DEI OPT. MAX. erga Ro. Ecclesiam apparuit indulgentia: cum per tot secula aduersus illas Orientis lues Arium, Apollinarem, Nestorium, Eutychetem & alios, in propugnaculum Romanam Ecclesiam & plerasque occidentis constituit. nam etsi alia tunc erat caussa, tamen & cum eiectus est Chrysostomus ex vrbe Constantinopol. & cum Ephesi ad mortem est compulsus Flauianus: facies Eccle-

Ecclesiæ Orientali non multo fuit neque pulchrior, neq; lætior, quam viuente Athanasio. iure igitur ad Occidentem oculos in aduersis viri pii conuerterunt: quum ibi & orthodoxa fides vigeret, quod toties illis gratulatur Basilius: & principes rerũ potirentur fidei integræ & vere pii. quales fuerunt, Constantinus iunior & Constãs qui pro Athanasii caussa laborarũt: & Honorius qui pro Chrysostomi. Quæ tunc gesta sunt à viris probis partim iis qui necessitate ad omnia extrema consilia impellebantur: partim iis qui commotis visceribus feruore dilectionis, quiduis tentabãt, quò afflictis opẽ ferrent: ea velle statuere pro lege perpetua Ecclesiæ, mera insipiẽtia est & inscitia. Esto enim: migrauerint & Iulius & Innocentius legitimæ suæ potestatis fines: ius in fratres vsurpauerint non antè vsitatum, adde si voles, fortasse parum legitimum: at constat illis sui facti ratio: cum ea temporũ esset conditio, vt sicut aiunt medicorum filii, extremis malis extrema remedia essent adhibenda. itaque cessante iure ordinario officiis extraordinariæ charitatis fuit locus, atq; adeò fuit opus. ea sunt quæ Græci sapientes, vt superiore capite dicebamus, appellabant officia κατὰ περίστασιν: velut ab ipsa temporum necessitate expressa. quoties autem vel in rempublicam vel in Ecclesiam similis tempestas incumbit, multa fieri à bonis necesse, quæ legitimæ ordinationi repugnent: quia tamen studio conseruandæ vel Reip. vel Ecclesiæ illa fiunt: non solum excusantur ac feruntur: sed omni etiã laude digna censentur. Cœtus cogere, adire ad populum, & publicè pro concione illum affari, solis magistratibus licebat Romæ: cæteris id tentasse, nefas & capite luendum. idemque ius in omnibus rebuspub. bene institutis semper obtinuit. Menenius Agrippa id fecit, & omnium ore est laudatus. quippe turbata seditione resp. id officium à bono ciue exigebat. Populum ad arma vocare, ducem se illi præbere, ciuem occidere, & quidem Tribunum plebi: quis neget esse populi Ro. maiestatem imminuere? P. tamen Scipio Nasica tumultu per Ti. Gracchum turbata ciuitate, quia segniter agebat Mucius consul, sequi se iussis qui saluam Rem. vellent, Gracchum in Capitolium persecutus oppressit: idque Scipionis factum Mucius ipse multis Senatusconsultis non solum defendit, sed etiam ornauit. Quærenti de forma legitima reip. Ro. & iure ciuitatis ordinario, si quis hæc exempla afferret, & similia facta ad ius consuetum reuocaret, censen' pro sano hunc esse habendum? an non potius pro cerrito & circumferendo? Planè hoc faciunt, qui rara exempla bonorum virorum, ad Occidentem & Romam, rebus in Oriente perditis, confugientium, ad stabiliendum ius istud appellationum valere postulant: & quæ pauci pontifices, (de antiquioribus loquor,) publicæ vtilitatis studio, aut certa dispensatione, vt Theologi loquuntur, vsurparunt, ad Ecclesiastica dogmata, contra Honorii Papæ præceptum, trahunt. vtinam potius regulæ illius meminissent, quam ex B. Athanasio in superioribus afferebamus, ac iure meritò commendabamus. QVÆ PER DISPENSATIONEM SCRIBVNTVR VEL FIVNT, EA MALIGNE INTERPRETARI NON OPORTET. Ac de quæstione quidem facti, quod ad illa tempora attinet, quibus de nunc agimus, hactenus dictum esto. superest de iure quæstio: cuius exacta tractatio propter subtiliora quam veriora quorundam commenta, aliam operam & scriptionem desiderat: qua æquo lectori ad omnia quæ obiici solent, abunde fiet satis. rei veritas, vt summatim dicam, hæc est. Ante concilium Sardicense, nihil quicquam penitus hac de re cautum nominatim legitur. sed eo iure vsam esse Ecclesiam Catholicam patet, vt appellationum extra prouinciam vsus omnino ignoraretur. hanc vim habebat obseruatio formatarum, vt iam ostendimus. non enim solui poterat, qui cẽsuræ vinculo fuisset innodatus, nisi ab illo ipso qui nodum adstrinxerat. cui bono igitur appellare? nisi fortasse, à presbyterio vnius Ecclesię ad plurium episcoporum consessum prouocaretur: inde ad comprouincialium Synodum: cui etiam ille intererat à quo appellabatur. Patriarchalium sediũ iura primis seculis sunt ignorata. Romanę quoque Ecclesiæ nullum hac in parte ius eximium fuisse, Marcionis exemplum superius discussum liquido demonstrat. Non tamen negamus iam illis temporibus extitisse, qui in prouinciis suis sententiam passi vicinas prouincias pererrarent, Romam etiam interdum venirent, quò pacem impetrarent. nam id factitatum aliquando, vel illud arguat: quod in canone XXXIII. Apostolico vti vocant, certe antiquissimo, caussa cur tam expressè caueatur, ne sine commendatitiis sui Præsulis, quisquam peregrinus suscipiatur, affertur hæc πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεσθαι. quorum verborum sensus est, eos episcopos, qui sine formatis errones istos admittunt, & de caussis ipsorum cognitionem sibi vindicant, furtiua obreptione sæpè decipi. quare etiam Cyprianus nobilissima illa ad Cornelium Papam epistola, aduersus istos circumcursatores desperatos & perditos homines, vt ipse loquitur, qui Romam ex Africa petebant, statutum hoc affert, veteris Ecclesiæ, æquum & iustum, inquit ipse: VNIVS CVIVSQVE CAVSSA ILLIC AVDIATVR, VBI EST CRIMEN ADMISSVM. quo statuto ita appellationes omnes & Romam & aliò extra prouinciæ fines prohibentur, vt multũ subtilitati ingenii sui confidere illos oporteat: qui aduersum tam manifestam veritatem congredi non verentur. Concilii Niceni regulæ duntaxat XX. hodie extant. easque solas iam inde à principio in corpus canonum, quo vtebatur vtraque Ecclesia Orientis & Occidentis, esse relatas constat. in iis de iure appellationum ne verbum quidem. canone autem III. qui est de creatione episcoporum, hæc habentur: τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων γίνεσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ: *auctoritas & confirmatio omnium quæ in quaque prouincia geruntur, ad metropolitanum spectat.* vnde colligimus, patriarchalium Sedium iura, de quibus tam multa posteriorum ætatum Synodi sanciuerunt, nondum fuisse satis cognita: etsi canon sextus eorundem Patrum illas sedes iam vsu quodam comprobatas, firmat. Secuta est non multò post Synodus Antiochena: cuius canon quartus docet, depositis Episcopis vnicam superesse spem restitutionis, in alia Synodo: porrò hanc Synodum iubent cogi se-

Digitized by Google

quentes canones è solis comprouincialibus, aut è vicina prouincia. xv. ita cauet. *Si quis Episcopus ob quorum criminum accusatus fuerit ab omnibus prouinciæ Episcopis condemnatus, & omnes vnam consentientem aduersus eum sententiam tulerint: is ne amplius ab aliis iudicetur: sed prouinciæ episcoporum firma maneat sententia.* præcedente autem canone præcipitur, si minus conueniat super caussa alicuius episcopi inter comprouinciales, vt proximæ prouinciæ metropolitanus cum aliis episcopis de caussa illius cognoscat. Scio in Beati Chrysostomi caussa homines improbos, qui malo fine hunc canonem allegabant, ea exceptione esse summotos: quod semiariani fuissent eius auctores, magni Athanasii hostes iurati. & sunt sanè æterna infamia digni, qui tantis viris tantum molestiarum exhibuerunt. cæterum ipsorum canonum diuersa caussa est atque auctorum. itaque vetus Ecclesia, quæ ne pessimorum quidem Principum leges bonas repudiabat, magno consensu tanquam huius Synodi canonibus auctoritatis quà in Oriente, quà in Occidente tribuit: vt in Canonici iuris corpus antiquum & statim illos retulerit: & postea eundem honorem iis constanter seruauerit. verùm hæc aliàs pluribus. Antiochenam mox Sardicensis Synodus excepit: cuius magna semper apud orthodoxos fuit auctoritas. fidem namque Nicenam firmauit: & Athanasium putidarum calumniarum absoluit. veteres tamen pro œcumenico illud non habuisse, & pueris notum: qui saltem nomina septem œcumenicarum Synodorum, lippis & tonsoribus nota, non ignorauerint. nam etsi conuocati ad eam fuerant vtriusque orbis episcopi, magnaque adeò, vt Athanasius est auctor, antistitum frequentia hanc Synodum celebrauit: canonibus tamen scribundis per paucos adfuisse Orientalium, nemo dubitat. quæ fuit, haut dubiè, ratio, cur pro vniuersali concilio antiqui istud nunquam habuerint. vt valdè mirum sit, in nuperis Conciliorum editionibus titulum commentitium & falsum esse inditum. sed hoc παρεγχείρημα & similia huic σκαιωρήματα alia multa quo spectent, & qui cæcutiunt clarè vident. Iam diximus quam diuersa illis temporibus regnante Constantio esset conditio Ecclesiarum Orientis & Occidentis: quum hæ singulari beneficio Christi, fidem veram, etsi non vbique, at in præcipuis saltem ciuitatibus, maximè autem Romæ seruarent: illæ miserandum in modum laceratæ, multiplices hæreses palàm fouerent: orthodoxam fidem raris in locis retinerent. propterea, Osius Cordubensis & alii pii ex Occidente Patres eius concilii, qui non semel antè in Athanasii caussa quantum esset in Rom. pontificis auctoritate præsidii, animaduerterant: vt id quasi asylum aduersus Arianorum diram persecutionem Occidentalis imperii hominibus aperirent, nouum ius introduxerunt. decreuerunt enim, vt si quis deponeretur episcopus Romam liceret appellare: atque vt renouetur iudicium à Pontifice Ro. petere. Quòd nouum ius id fuerit, apparet vel ex verbis Osii, qui eius fuit auctor & εἰσηγητής. canone quarto ita scriptum: *Osius Episcopus dixit: Quod si aliquis episcopus adiudicatus fuit in aliqua caussa, & putat se bonam caussam habere, vt iterum iudicium renouetur, si vobis placet S. Petri memoriam honoremus: vt scribatur vel ab his qui examinarunt, vel etiam ab aliis episcopis, qui in propinquo morantur, Ro. Episcopo: & si iudicauerit renouandum esse iudicium renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem caussam, vt ea non refricetur quæ acta sunt: quæ decreuerit Ro. Episcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit, Placet.* Si iure diuino vt hodie declamatur, appellationes omnes fuissent ad R. Sedem relatæ: aut canonibus Nicenis hoc ei ius esset attributum: quid opus erat hoc canone & aliquot sequentibus? aut quis non intelligit rem introduci ab Osio, de qua nihil ad eam diem esset sancitum? nam hoc euidentissimè significatum Osius voluit, cùm diceret: *Si placet vobis S. Petri memoriam honoremus.* An ea mens fuerit Patrum Sardicensium, vt decretis suis omnes tam in Oriente quam in Occidente episcopos vellent teneri: non temere affirmauerim. ea certè erant tunc tempora, vt optandum piis fuerit, non in extremo tantum Oriente occasum versus, quo perueniebat Romæ veteris imperium: sed per totum orbem vtrumque vim decreti huius extendi. sed quum probauerimus pro œcumenico id concilium nunquam esse habitum: putare decreta ab occidentalibus facta vim legis necessariæ in Oriente habuisse, plus quàm pueriliter est errare. habita fuerat paullò ante Synodus Antiochiæ, quæ literis Iulii papæ restitutione Athanasii in Synodo Ro. facta, acerbè admodum respondit: *Rescripserunt*, inquit Sozomenus, *Iulio epistolam verbis ornatam, stilo caussidicino compositam, ironia multa plenam, cui nec minæ deerant grauissimæ.* addebant postea: vt ipsi Romano Pontifici se non opposuerant, cum excommunicarat Nouatianum: ita neque illum ius habere contradicendi. quoties aliquem è suis de Ecclesia eiicerent. in eadem epistola, quum viderentur Orientales, Ro. Pontifici deferre τὰ πρεσβεῖα, id est prærogatiuam aliquam honoris, velut primogenito inter fratres: quòd à principio extitisset Roma Apostolorum schola, pietatis metropolis: mox quo animo hoc dicerent palàm faciebant, hæc subiicientes: *licet ex Oriente Romam venissent, qui religionem Christianam illos docuerant:* quod plane erat priora destruere: ideò rectè ait Sozomenus per ironiam laudatos fuisse Romanos iis literis. illud verò quod sequitur, magis mentem illorum ostendit. apertè namque quem dedisse videbantur honorem repetunt, funemque relegunt. *ut postulare se, ne propterea secundas ferrent, si magnitudine & copia Ecclesiæ minus abundarent.* faceti sanè homines, qui locum principem Romano ita concederent: vt tamen in secundum se reiici non paterentur. atqui si nemo est secundus, neque tertius vt in orbem constituentibus: neque primus quisquam esse potest. Similis facetia vel potius ambitio & æmulatio eorum, qui in canone, concilii Constantinopolitani & Chalcedonensis, quo donatur Constantinopo. honore primæ sedis μετὰ τὸν Ῥώμης, *secundum episcopum Ro.* vocem μετὰ sic intelligendam contendebant, vt noua Roma veteri non postponeretur: quod non argutum, sed planè ridiculum erat: neq; enim ordo potest consistere, si non est aliquis primus, quem cæteri sequantur,

itaque

Digitized by Google

itaque rectè hanc interpretationem explodit Zonaras. illud verò palam contumeliosum quod addunt Orientales in eadem epistola : ὡς ἀρετῇ καὶ πολιτείᾳ νικῶντες: *quod ipsi virtute & moribus vincerent.* hæc non eo animo commemoramus quod nobis probentur : meminimus enim à quibus scribantur, & quo fine : verum, vt ostendamus ita fuisse tunc & semper animatos Orientales, vt canones istos Sardicenses magnis clamoribus fuerint excepturi si quis nouum hoc ius ipsis obtruderet. neque de prauis solum & hæretica dogmata tuentibus id volumus intelligi : sed etiam de orthodoxis & verè piis. quis pietate aut vera humilitate illustrior vixit vnquam magno Basilio? quis omni Christiana laude dignior Gregorio Nazienzeno ? at sciunt qui horum saltem epistolas legerunt, quis horum sensus fuerit, quæ & quàm iustæ querimoniæ de fastu, superbia, & immani cupidine dominandi τῶν δυτικῶν *Occidentalium.* id est Romani pontificis, vt mox probabimus allatis ipsorum verbis modestiæ plenis. Erat orthodoxa Synodus œcumenica Constantinopolitana, cuius epistolam ad Synodum Romanam describit Theodoretus libro quinto, non planè dissimilem illi patrum Antiochenorum : nam & hæc figurata est ac speciem aliam præ se fert, aliam interius spectanti mentem exhibet. vt facile appareat etiam orthodoxos & sanctos per Orientem viros, maiestatem Rom. Ecclesiæ ita coluisse comiter, vt plenam libertatem se obtinere crederent : neque vllo modo esse illi inferiores, nisi ratione ordinis καὶ τῆς ἀξίας. Itaque Zonaras aliique iuris canonici interpretes Græcorum, quoties de appellationum iure disputant, Sardicenses canones interpretantur, de Romanis & eorum prauis interpretationibus grauissimè conqueruntur. iidem Sardicensi concilio non œcumenico duo œcumenica opponunt, Constantinopolitanum & Chalcedonense: quibus eadem iura nouæ Romæ episcopis tribuuntur, ac veteris. Canone autem nono huius appellationes omnes ad regiam vrbem Constantinopolim, reiiciuntur : quod vtique intelligendum de prouinciis Orientalis imperii. at qui nodum hic in scirpo quærunt, & à Nicolao papa veram interpretationem istius canonis petere nos iubent : confingerent pauca saltem exempla, quibus probarent Sardicensi decreto locum in Oriente illis temporibus fuisse. quid ? negabunt isti multos episcopos in Asia, Syria, Ægypto post habitam Synodum Sardicæ, partim iure, partim iniuria fuisse depositos ? proferant ex tanta exemplorum copia , quantam historiæ suggerunt, vnum saltem qui Sardicensis decreti beneficio sit vsus : aut qui omnino ejus mentionem iniecerit. atqui panchrestum hoc remedium erat futurum, quo vterentur omnes, qui per Orientem iniuriam vel paterentur, vel pati se æstimarent. Chalcedonensis concilii canonem IX. vel mutauit, vel explicauit postea Iustinianus Nouella CXXIII. capite XXII. cuius mentem ita exprimit Iulianus capite CCCCLXIIII. *Si contra metropolitanum adire quispiam velit, regionis illius Patriarcha negotium discernat.* sed addit Græcus textus : οὐδενὸς μέρους κατὰ τῆς ψήφου αὐτοῦ ἀντιλέγειν δυναμένου: *ita vt neutra pars sententiæ Patriarchæ sui possit contradicere.* ergo nec appellari Romam poterat. neque hoc nouum ius est à Iustiniano introductum : sed iuris consueti, & dudum in Ecclesiis orientalibus vigentis est affirmatio. Verum enimuero quid quantumque priscis temporibus fuerit discriminis inter auctoritatem œcumenici alicuius concilii & auctoritatem concilii Sardicensis, nemo aut intellexit melius, aut certius docere hodie nos potest, quam Zosimus pontifex, cum duobus successoribus suis Bonifacio & Cœlestino. Post annos circiter LXX. à Synodo Sardicensi celebrata, induxit in animum Zosimus papa hoc ipsum de quo disputamus, appellationum ius ad Rom. Sedem , ab Africanis episcopis impetrare : & vt decreta Sardicensia super ea re facta vim legis Ecclesiasticæ in Africa obtinerent, efficere. eo fine legatos à latere quos iam tum vocabant in Africam mittit, amplis mandatis instructos. Si pro œcumenico concilio Ecclesia Catholica illorum temporum Sardicense habuisset, facilis erat futura caussæ peroratio apud catholicos episcopos Africanos. nam de mente eius concilii nemo poterat dubitare, qui saltem leuiter Acta vel canones inspexisset. sed probe norat Zosimus, legatos suos ad hoc ius impetrandum canones Sardicæ allegantes, hac exceptione ab Africanis repellendos : quod eius Synodi non ea erat in Ecclesia Catholica auctoritas, vt ad tantam rem conficiendam posset sufficere. acutè sanè ac prudenter præuidit Zosimus, quod omnino futurum erat: nam adhuc illo tempore adeo obscurum fuit inter Ecclesias Africæ nomen huius Synodi: vt haut sciam an tota Africa vnus aut alter potuerint inueniri, qui de ea fando aliquid accepissent. docet hoc altum in tot Synodis Carthagine habitis ob id ipsum , de Sardicensi silentium : nemine inter omnes episcopos reperto , (erant hi aliquando plures ducentis: flos delibatus ex vniuersis Africæ prouinciis :) qui vllo indicio proderet, sibi de ea Synodo aliquid esse compertum. quod quidem mirum nemini videbitur, qui meminerit ipsum Augustinum, facile principem cunctorum eius ætatis Africanorum Præsulum, de pio & orthodoxo consessu patrum Sardicensium omnia penitus ignorasse. Lege illius epistolam CLIII. & contra Cresconium libro III. caput XXXIV. videbis virum doctissimum & rerum Ecclesiasticarum peritissimum, nullam ne tenuissimam quidem famam de vllo alio eius nominis concilio accepisse, nisi de conciliabulo quodam Arianorum, qui ad Donatistas ex illa vrbe literas in Africam dederant. propterea Zosimus, vt quod optabat impetraret, tacito Sardicensis nomine, Niceni concilii nomen in commonitorio proficiscentibus legatis dato, singulari solertia posuit. verba eius sunt in illo pittacio : *verba canonum in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio Niceno.* deinde canonem subiicit, quem nemo vnquam dubitauit, septimum esse Sardicensium. Veniunt legati in Africam: cogitur Carthagine concilium illi, mandata sibi tradita exhibent. ad nomen Nicenæ Synodi Patres omnes attoniti, qui de appellationibus ad Romæ papam, nihil vnquam in eius canonibus probè sibi

Digitized by Google

notis, legissent: memorabili pietatis & modestiæ exemplo, quantum sacrosanctæ Nicenæ synodo honoris deferrent, ostenderunt. Statuunt Patres: quia ad vindicandum sibi transmarinarum appellationum ius, canones Nicenos Zosimus in medium afferret, quos in Africanis codicibus non inuenirent: priusquam momenti maximi controuersiam deciderent, mittendos esse ad Orientis Patriarchas, maximè Alexandrinum, & Constantinopolitanum, qui instructiores bibliothecas haberent, legatos: vt de fide suorum exemplarium melius sibi constaret. interim, dum veritas adhuc lateret, Zosimo Papæ hunc honorem habuerunt, vt omnia iura suspensa secundum mandata Legatorum seruarent. dum itur, dum reditur, labuntur anni plures. interea loci moritur Zosimus: cui Bonifacius successit. sed ne hic quidem exitum negotii incepti vidit. nam & ipse diem prius clausit supremum quàm res conficeretur. id verò accidit non ante Cælestini tempora, qui Bonifacii morte vacuum locum obtinuit. vrgent sui antecessoris propositum & Bonifacius & Cælestinus. ac quum vota ipsorum vnica res moraretur: quod canonum qui allati fuerant auctoritas esset incerta: si quantum Nicenæ tribuebat orbis Catholicus vniuersus: tantum & Sardicensi auctoritatis fuisset in Ecclesia vniuersa: quis non videt productis veris tabulis momento rem potuisse confici? sed neque Bonifacium neque Cælestinum fugiebat, paratam exceptionem de qua diximus si pro Nicena Sardicensis in re tanta Synodus nominaretur. Qui aliam causam afferunt, cur stupenda obstinatione animi tres Pontifices Zosimus, Bonifacius, Celestinus Sardicæ canones pro Nicenis laudarint, & Africanis obtrusum iuerint: etsi magni sunt subtilitatum architecti, durissimam tamen prouinciam sustinent. habent enim aduersarium quicum manus conferunt, illam Polybii μεγίστην θεὸν, vinci ad extremum nesciam: Veritatem dico, cuius radii etiam in densissimis tenebris semper micant: nedum in clarissima luce, cuiusmodi hæc est. Quinque amplius annos hoc negotium trahitur: aliquando tamen terminatur: simul & illa quæstio deciditur quam heic ventilamus. Extant Acta publica eius controuersiæ. ex iis describemus nos heic tibi, Lector, illam epistolam, quæ post accepta probatissimæ fidei exemplaria canonum Nicenorum, peracta synodo ad Cælestinum à Patribus Carthaginiensibus fuit missa. habetur hæc synodica in omnibus Conciliorum editionibus, etiam nouissima Coloniensi anni proximi. Quid igitur super appellationibus transmarinis ad Rom. Papam, vniuersale concilium Carthagine coactum ex omnibus Africæ prouinciis, statuisset, ita declarant Patres Cælestino.

Domino dilectissimo & honorabili fratri Celestino, Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, Seruus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Ianuarius, Optatus, Celtitius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus, & cæteri qui in vniuersali concilio Carthaginis affuimus. Optaremus equidem quemadmodum sanctitas tua de aduentu Apiarii lætatos vos fuisse, missis per compresbyterum nostrum Leonem literis intimauit: ita nos quoque de eius purgatione hæc scripta cum lætitia mitteremus. esset profectò & nostra & vestra modò alacritas certior: nec festinata nec præpropera videretur, quæ adhuc tam de audiendo quàm de audito præcesserat. Aduenienti sane ad nos sancto fratre & coepiscopo nostro Faustino, Concilium congregauimus: & credidimus ideo cum illo missum, quoniam sicut per eius operam presbyterio antè redditus fuerat: ita nunc posset de tantis criminibus, à Thabracenis obiectis, eo laborante, purgari. Cuius tanta ac tam immania flagitia decursum nostri Concilii examen inuenit, vt & memorati patrocinium potius quam iudicium, ac defensoris magis operam quàm disceptatoris iustitiam superarent. Nam primùm, quantum obstiterit omni congregationi, diuersas iniurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens priuilegia, & volens eum à nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas, (credens appellasse, quod probare non potuit) communioni reddiderat: quod minime tamen licuit: quod etiam gestorum melius lectione cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato iudicio, cum diuersa eidem obiecta afflictissimi quæreremus, vel moras coepiscopi nostri Faustini, vel tergiuersationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur: Deus iudex iustus, fortis & longanimis, magno compendio resecauit. Tetriore quippe ac putidiore obstinatione compressa, qua tantum libidinum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro eius conscientiam coarctante: & occulta, quæ in illius corde tanquam in volutabro criminum iam damnabat, etiam hominibus publicante: repente in confessionem cunctorum obiectorum flagitiorum dolosus negator erupit. & tandem de omnibus incredibilibus opprobriis vltroneus se ipse conuicit: atque ipsam quoque nostram spem qua eum & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, conuertit in gemitus. nisi quoniam istam nostram mæstitiam vno tantum solatio mitigauit: quod & nos labore diuturnioris quæstionis absoluit; & suis vulneribus qualemcunque medelam, etsi inuita ac sua conscientia reluctante confessione prouidit, domine frater. Præfato itaque debitæ salutationis officio, impendiò deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis: nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere. quia hoc etiam Niceno concilio definitum facile aduertet venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaueri: quanto magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua prouincia communione suspensi à tua sanctitate vel festinatò, vel præproperè, vel indebite videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, (sicuti te dignum est,) repellat sanctitas tua. quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ: & decreta Nicena siue inferioris gradus clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim iustissimeque prouiderunt, quæcunque negotia in suis locis vbi orta sunt, finienda: nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur: maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit Cognitorum, ad concilia suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare. Nisi

forte

forte quisquam est qui credat, vnicuique posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam vt aliqui, tanquam à tua sanctitatis latere, mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum. quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Niceni Concilii exinde transmisistis: in conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicena à sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano antistite, ex authentico missis: quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro è nobis transmissa sunt in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere. nolite concedere ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Dominum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de Fratre nostro Faustino, (amoto iam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia, dolendo Apiario) securissimus, quod eum probitate ac moderatione tuæ sanctitatis, salua fraterna charitate, vlterius in Africa minime sustinere patiatur. Et alia manu: Dominus noster sanctitatem vestram æuo longiore orantē pro nobis custodiat, domine frater.

Multa poterant ad illustrationem huius cum primis memorandæ epistolæ afferri, quæ impræsentiarum missa facientes, pauca tantum adnotabimus magis necessaria. Principio obseruet Lector, sic agere patres Africanos cum Ro. pontifice. vt cum alio quouis episcopo ex honoratioribus. ideo & fratrem vocant, vt semper Cyprianus Cornelium ac Stephanum pontifices. tituli qui heic adiiciuntur, tralatitii sunt, neque habent proprii quidquam. etiam illud SANCTITAS TVA, hodie proprium in compellando papa Romæ: olim commune omnium. ita alii papam, ita papa alios, ita cuncti episcopi se mutuo compellabant. Zosimus Ro. pontifex in epistola ad Africanos episcopos: *censuimus innotescere sanctitati vestræ super absoluta cælestiis fide nostrum examen.* apud Beat. Augustinum in epistolis & in aliis auctoribus frequens est eius formulæ vsus: vt in canone CI. concilii Mileuitani. Apiarius, cuius initio meminerunt patres, presbyter fuit Africanus: qui iustissima Vrbani episcopi sui sententia piorum communione eiectus, ad Zosimum confugerat: & ab eo susceptus atque absolutus fuerat. Sub idem tempus Pelagius & Cœlestius hæretici scelestissimi ab Africanis episcopis excommunicati, quum ad eundem Zosimum confugissent, pariter ab eo sunt suscepti. Atque horum occasione vsus est Zosimus, vt ius appellationum ad papam Ro. in Africa stabiliret. quod vt efficeret tres in Africam legatos misit: duos presbyteros Philippum & Asellum, item Faustinum potentinæ ecclesiæ episcopum: hominem improbum, vt ex hac epistola apparet. qui postquam venit in Africam, multa gessit tyrannicè, contra voluntatem episcoporum Africæ: præsertim in caussa perditi nebulonis Apiarii. quem presbyterio per vim restituit, gementibus Afris: deinde vt renouaretur iudicium in generali hoc concilio effecit. quod iudicium quomodo fuerit celebratum, & quomodo, hærente vniuersa Synodo propter impudentiam Apiarii, quem Faustinus magna vi tuebatur, Deus nodum Gordium expedierit, hæc epistola ostendit. Aiunt patres: *quem tua sanctitas, credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat, quod minime tamen licuit:* More Africanorum parum dilucide loquuntur patres. nam illa: *quod probare non potuit,* vtrum ad Apiarium referri debeant, an ad ipsum papam, obscurum est. Græci ita verterunt: ὃν τῇ ἁγιωσύνῃ πιστεύσασα ἐκκαλέσασθαι, ὅπερ ἀποδεῖξαι οὐκ ἠδυνήθη, τῇ κοινωνίᾳ ἀποδέδωκεν. haut dubiè referentes ad ipsum pontificem. vt sit hic sensus: Pontificem Rom. siue Zosimum, siue Bonifacium, siue ipsum Cœlestinum (nihil enim interest quia quod priores fecerant posteriores confirmarunt:) ideo sumsisse hoc sibi, vt Africanorum episcoporum iudicia antiquaret, & quos illi eiecerant, ipse susciperet, ac suscipi etiam ab Africanis mandaret: quia crederet, ius omnium appellationum ad se pertinere. *quod tamen probari non potuit*: inquiunt illi. verè sanè: nam canones Niceni falsò in eam rem afferebantur: vt mox in hac epistola dicetur. sublato autem illo iure imaginario appellationum: necessario sequitur, quicquid in hoc negotio factum erat à Rom. pontifice, pro imperio & absoluta potestate, id ipso iure esse irritum: vtpote vsurpatum atque illicitum. significant hoc manifesto Patres cum addunt: *quod minimè tamen licuit.* cæterum toto isto scripto sic iura libertatis suæ tuentur Africani, vt de Rom. pontifice & loquantur semper modestissime: & sentire se quam commodissimè videri velint. nondum enim magistra experientia didicerant viri hi sancti, quò tandem ab hisce principiis, quibus se opponebant, euasuri erant deinceps Pontifices. iidem patres Africani, si hodie iubente illo, qui apud Prophetam disiecta ossa compingit, in hanc lucem redirent, & illa intelligerent, quæ postea ab Hildebrandis, Bonifaciis, Alexandris, & similibus sunt gesta: quæque hodie de absoluta Ro. pontificis monarchia non iam disputantur, sed pro necessariis fidei articulis docentur quam stuperent? quàm aliter longè atque olim loquerentur? nam Cardinalis Baronius patientia lectorum palàm abutitur, quando modestas horum querimonias, acrioribus quidem, sed non minus iustis eorum opponit vocibus, qui deinceps vixerunt. aiunt igitur Patres: *deprecamur vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis.* hoc est: ne ea facilitate admittatis qua sæpè hactenus fecistis: neque ea mente, quasi ad Ro. sedem appellationum iura pertineant. nam alioquin noluerunt Patres impedire, quo minus ex illo charitatis officio, quod ante exposuimus, iniuriam in Africa passos, susciperet Rom. Pontifex: & more solito quem indicauimus, illos subleuaret. dominationem, non autem humanitatis officia grauabātur pii patres. sic etiam acci-

Digitized by Google

piendum, quod postea sequitur. *in sua prouincia communione suspensi, à tua sanctitate vel festinatò vel praeproperè, vel indebite videantur communioni restitui.* Patronis libertatis Ecclesiasticae hodiernae, quorum caussam iugulat haec tantorum patrum sententia: ansam ad argutandum praebuerunt voces istae: *Liberius, festinato, praeproperè, indebitè.* nam inde eliciunt, non in totum denegare papae Africanos ius appellationum: verùm petere, vt modus alius humanior earum prosequendarum à pontifice instituatur. Sed quum Coelestinum reuocent patres ad canonum Nicenorum obseruationem: atque iidem seriò, disputent, à Nicena Synodo omnes sublatas esse appellationes: minorum quidem ordinum, disertè: episcoporum verò, per necessariam consequentiam: quis non perspicuè videt falsissimum & absurdissimum esse, quod isti contendunt: de modo tantum appellationum in hoc Carthaginensi Concilio esse actum? euidentissimè patres hoc demonstrant, cum haec postea addunt: *quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est Africanae: & decreta Nicena, siue inferioris gradus clericos, siue ipsos episcopos suis metropolitanis apertissimè commiserunt.* sed & quae sequuntur vanitatem ita cauillantium clarissimè arguūt. eas enim rationes afferunt, quae facilè commentum refellant. *prudentissimè*, inquiunt, *iustissimeq́ue prouiderunt* Patres Niceni, *quaecunque negotia, in suis locis vbi orta sunt, finienda.* quis adeò hebes, aut malignus est, quin fateatur, Africanos Praesules cum ista scriberent, id egisse, vt omnia Africanarum Eccle. negotia in Africa terminarentur? hoc certè Cyprianus volebat, cum eadem illa ratione Acchillea Cornelium papam latius euagantem in lineam reuocabat. Iam quod ibidem Cyprianus dicebat: *paucos esse desperatos & perditos, quibus minor videretur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum,* quàm Cornelii pontificis ad quem scribebat: id ipsum aliis, sed mitioribus verbis huius quoq; Synodi episcopi intelligi voluerunt, cum Coelestinum ita compellabant: *nisi fortè quisquam est, qui credat, vnicuilibet posse Deū nostrum examinis inspirare iustitiam: & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare.* Quod autem saepè diximus, non aliud appellationum genus veterem Ecclesiam aut nouisse, aut in vsu habuisse: nisi à minore Synodo ad maiorem: aut etiam ad oecumenicam: hoc & patres Africani apud Coelestinum heic asserunt: cum propterea inutiles fore appellationes ad Rom. Pontificem ostendunt: *quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus est cognitorum, ad concilia suae Prouinciae, vel etiam vniuersale prouocare.* Verba verò illa Patrum: *nam vt aliqui tanquam à tuae sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum:* interpretatione sunt adiuuanda. probauimus enim satis superque in superioribus, antiquissimum piorum Episcoporum fuisse morem: vt ad alias ecclesias, quae vel haeresi, vel schismate laborarent, vel aliàs tumultuarentur, & literas & legatos suos mitterent: quod à Cypriano, & Athanasio summo studio factitatum narrabamus. an igitur eo iure Rom. episcopum priuare voluerunt Africani? non est ita: sed hoc ideò illi, quia non ex simplici charitate vti caeteri, id facere Romani videbantur: sed ex praerogatiua iuris cuiusdam, & dominatione quam obtinerent in fratres. istud deprecantur & detestantur Africani. propterea & repetunt mox: *executores clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere.* vbi vel executorum appellatio animos prodit eorum qui eos mittebant: qua de re multa Augustinus in epistola ad ipsum Coelestinum. Enimuero in tota hac grauissima Epistola nihil memorabilius occurrit illa diuina modestia, qua vtuntur sancti isti Patres in refutanda allegatione falsissima canonum Nicenorum. agebatur res maxima, libertas Ecclesiarum Africae: quarum dominationem Rom. pontifices videri poterant non optimis artibus appetiisse: iidem manifestissime, si stricto iure agerent Africani, tenebantur falsi conuicti: neque excusationi locus erat, quasi imprudentibus error obrepsisset. nam consulto concilio non autem casu id factum, nemo dubitabat, & erat verissimum. non tamen quiritant Africani: non clamant fraude se circumueniri: non verbum denique vllum edunt asperum, aut charitate illa indignum, quae omnia suffert, omnia sustentat, inquit Apostolus. Sed nec propterea peccatum alienum dissimulant: sed arguunt Romanos pontifices: & quum mentitos eos fuisse non dicant, mendacium tamen locutos esse re pariter ac verbis probant. *illud*, inquiunt. *quod tanquam ex parte Niceni concilii transmisistis, in conciliis verioribus, ex authentico missis non potuimus inuenire.* quid erat aliud hoc dicere, nisi dicere, tres papas qui canones istos pro Nicenis constanter obtruserant, errore lapsos & falsos fuisse nondū videlicet inoleuerat hominum mentibus hodierna quorundam persuasio, quasi errare ac peccare pontifex Rom. non queat. nondum illa portentosa vox Nicolai primi audita in Ecclesia Dei fuerat: *Vetus nouumque Testamentum recipienda esse, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa: sed quod de his recipiendis sancti papae Innocentii prolata videatur esse sententia.* nondum irruperant in ouile Christi Doctores illi, qui regulam pii vel impii, & veri aut falsi obtrusam non aliam agnoscunt, nisi Rom. pontificis voluntatem. Ecce tres ordine pontifices Nicenos haberi postulant canones qui non erant. dubitant Africani: inquirunt rei veritatem: eandem sedula vestigatione inuentam non produnt: verùm asserunt, & aduersus Rom. papam, modestè illi quidem, sed tamen tuentur. Et audebit Cardinalis Baronius diuinam istorum patrum modestiam interpretari argumentum subiectionis? audebit dicere sanctum istud concilium non refragari appellationibus ad Romanam Ecclesiam? audebit negare aliud esse appellatione vti, aliud perfugio? nam exempla quae ex Augustino affert, non probant appellatum esse iuridicè ad papam: sed eo paucos refugisse, qui in iudiciis Africanorum non acquiescerent: qua de re multa in superioribus sunt dicta. caueant studiosi ab huiusmodi sermonis improprietate: nam vocis παρανομία vt appellat Maximus Tyrius grauissimus philosophus, sententiam plane παρήγορον imprudentium animis insinuat. melius ipsi patres Africani: qui *clericorū perfugia* in hac epist. dicunt, non appellationes, at debuit meminisse

Coeli-

Cardinalis Baronius, exempla illa de quibus triumphat, vel ipso teste, contigisse ante peractum hoc concilium: quo decisa tandem est quæstio de appellationibus ad Rom. Papam. à Zosimo vero ad finem huius synodi annorum amplius quinque spatium intercessit. quo toto tempore iura Africanorum, libera ipsorum concessione, fuisse suspensa, iam ostendimus. At post concilium hoc peractum, veritatem Nicenorum canonum exploratam, & synodicam hanc ad Cælestinum missam, adeo nullus fuit in Africa appellationum vsus ad Romanam Ecclesiam: vt multis persuasum fuerit (verè an falsò, non id nunc disputo) Africanos ex illo tempore in totum se à communione Romana separasse: aut ab ipso Papa tanquam, schismaticos esse præcisos. extat sub nomine Bonifacii II. scripta ad Eulalium quendam epistola, cui si fidem habemus, Patres huius sancti concilii, in quibus erat Beatus Augustinus, excommunicati omnes fuerunt à Romana Ecclesia: durauitque id schisma vltra seculum integrum, quod centum & decem est annorum: donec tandem sedente Bonifacio II. venit illa relatio ex Africa: cuius fit in ipsius vita mentio. hæc siue sunt vera, vt plerique omnes credunt: siue eorum vacillat fides, vt pauci existimant: illud certe liquido hinc constat: ita rarò post istud concilium Africanos perfugii caussa, nedum appellationis, Romam ventitasse, vt penitus ab eius communione separati viderentur. Sub finem epistolæ caussam aperiunt Patres, cur tam sollicitè Rom. Pontificibus, appellationes transmarinas ad se trahentibus, resisterent; *ne* inquiunt, *typhum seculi in Ecclesiam Christi, (qua lucem simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert,) videamur inducere.* iidem iam ante ad Bonifacium ita scripserant: *Sed credimus, adiuuante misericordia Domini Dei nostri, quòd tua sanctitate Romana Ecclesia præsidente, non sumus iam istum typhum passuri.* cupiditatem Romanorũ Pontificum stabiliendi ius istud appellationum appellant sancti Patres *typhum seculi*, id est fastum, ambitionem & superbiam. eumque inuehi in Ecclesiam Dei illis dolet: atque id ne fiat, quantum in ipsis est, sedulò impediunt. Sic paucis post annis concilii œcumenici tertii Patres, quum relatum esset, Antiochenum Patriarcham res Ecclesiasticas Cypri insulæ ad cognitionem suam præter antiquam obseruationem trahere: mali exempli rem esse pronuntiantes, typhum hominis coercent: *ne forte*, inquiunt illi canone VIII. *sub specie administrationis rerum sacrarum*, TYPHVS *potentia mundana in Ecclesiam sese insinuet: sensimque imprudentes* LIBERTATEM *eam amittamus, quam Dominus noster Iesus Christus omnium liberator suo sanguine, pretioso nobis largitus est.* ibidem verè pronuntiant Patres, typhum hunc ἀρχὴν εἶναι τῆς πάντων ἐλευθερίας ἀντίῤῥοπον: *rem, qua* LIBERTATI *omnium faciat præiudicium.* Plane dignissimum obseruatu, vtriusque concilii Patres, quum eodem Spiritu afflati idem sentirent, dominandi cupiditatem, fatale iam illa ætate Ecclesiæ malum, eodem modo designasse, & detestatos esse. TYPHVM SECVLI Carthaginienses vocant: Ephesinus consessus ΤΥΦΟΝ ΚΟΣΜΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ. Vtinam & verbi huius vim & præcepti necessitatem qui illa tempora exceperunt episcopi, rectè semper attendissent. sed nos in sequentibus demonstraturi sumus, tanto mox impetu Rom. præsertim Pontifices, ad potentiam parandam se conuertisse: vt præ hac vna cura cætera omnia facerent non magni. itaque fideles monitores, inque his Christianissimos interdum Reges Francorum, qui ipsa huius concilii Carthaginiensis verba illis occinebant insuperhabuerunt. Atque hæc de appellationum ad Pontificem Rom. iure, dicta in præsentiarum sunto. Porrò haut temere factum nobis quidem videtur, quod in legenda historia Ecclesiastica obseruabamus: vt toties fere Episcopi Vrbis Romæ periculosissimè fuerint decepti, quoties, vetustissimorum canonum obseruatione neglecta, excommunicatos aut damnatos alibi à piis Episcopis, suscipere ipsi & audire præsumserunt. Cornelium virum optimum pæne commisit cum Cypriano & aliis piis Africæ episcopis, Felicissimus schismaticorum sceleratissimus legatus. Stephanum Basilides Hispanus contra disciplinam Ecclesiæ susceptus, sententiam edere compulit: quam iustissimè, nec sine aliquo tanti Præsulis dedecore, Hispaniæ atque Africæ Ecclesiæ communibus suffragiis damnarunt. Eustathius quidam fuit Sebastenus episcopus, subdolus & versipellis hæreticus, qui orthodoxorum sententiis in sua prouincia Melitena (partem Cappadociæ sic vocabant) damnatus: ἰδὼν ἑαυτῷ, ait Basilius in quadam ad Occidentales epistola, τῆς ἀποκαταστάσεως ἐπινόησε, τὴν ὡς ὑμᾶς ἄφιξιν: *viam restitutionis hanc sibi adinuenit, vt Romam proficisceretur.* sedebat tum Liberius quem beatissimum episcopum idem nominat, sed & Liberio verba dedit ista vulpecula. impetratis ergo commendatitiis, postquam synodo Tyanensi παῤῥησιαστικῶς Papæ Romanæ literas ostendisset, priorem locum facile recepit. at non multo post canis immundus ad vomitum reuersus, orthodoxas Ecclesias prouinciæ suæ eadem opera turbauit, & gloriam Liberii non leuiter lutulauit. Damasum quoque non dissimiliter Vitalis, alius ex Oriente episcopus, fefellit. ille errore agnito, & μεταδιδαχθεὶς, vt ad Cledonium scribit Gregorius Nazianzenus ἀποκήρυκτον αὐτὸν πεποίηται, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν ἀπάτην αὐτοῦ δυσχεράνας, ἣν ἔπαθεν ἐξ ἁπλότητος. *Vitalem excommunicauit, fraude ipsa insuper offensus, qua præ simplicitate nimia deceptus ab eo fuerat.* Zosimus Patrocli Arelatensis flagitiosissimi tenebrionis blanditiis deceptus, quid non audet? ordinationes Vrsi & Terentii ante annos ferme XX. rite celebratas, & quidem in legitimo concilio Augustæ Taurinorum habito, irritas facit. Erotem & Lazarum zelo Dei accensos Galliarum nostrarum episcopos, non vnis literis iniquissime, vel teste Cæsare Baronio, proscindit: ipsum Patroclum accessione noui honoris quantum potest extollit: postremò Pelagium hostem gratiæ Christi absoluit Zosimus idem: nec non Cælestium hæreticum insignem, & Apiarium omnibus vitiis contaminatum presbyterum aduersus viros sanctos Africæ episcopos, qui disciplinæ gladio in illa portenta animaduerterant, suscepit defendendos. Atque isti sunt, quos dum tuetur Zosimus, de appellationum iure magnas lites orditur. Vixit autem hic Pontifex in

administratione Sedis annum vnum & quatuor menses: qui si diutius sedisset, quo ingenio erat, quid non designasset? Cælestinus, quum Antonii episcopi Fussalensis post obitũ Bonifacii, ad quẽ ille iure merito in Africa sede sua pulsus, confugerat, patrocinium acri contentione suscepisset: terrore tanto eam prouinciam Africa compleuit, vt ad ipsum in hæc verba scribere B. Augustinus cogeretur. *Iudicia illis & publicas potestates & militares impetus, tanquam executuros Apostolicæ sedis sententiam siue ipse, siue rumores creberrimi comminantur: vt miseri homines Christiani Catholici grauiora formident à Catholico Episcopo, quam cum essent heretici à catholicorum Imperatorum legibus formidabant.* omitto similia his exempla: quæ nunquam profectò accidissent: si antiqua disciplina mansisset: ac quod in Marcione factum ostendimus, idem in aliis omnibus esset seruatum, quorum diuersa, at non melior caussa erat quàm Marcionis. Sequitur, vt de appellatione ad Principem paucis dicamus. Est autem diuersissima res cum Princeps appellatur, & cum Synodus maior. nam rerum diuinarum legitimi iudices sunt episcopi, qui ad synodum conueniunt. ad hos igitur prouocatur, vt ad eos quorum est propria cognitio huiusmodi controuersiarum. ad Principem verò, non vt super rebus diuinis ipse pronuntiet: verùm vt iubeat rite atque ordine pronũtiari. est enim hic ἀκρίβειας & disciplinæ ac legitimarum omniũ ordinationum custos ac vindex, non minus in Ecclesia, quàm in cætera Republica. Hæreticum dogma est, quod hodie multi tuentur: qui Principi in rebus Ecclesiasticis nullum alium locum . . . .

Cætera desiderantur per Papam Paulum V. effecta, vt Regio mandato inhiberentur.

STEPHANI WINTONIENSIS EPISCOPI, ANGLI, DE VERA OBEDIENTIA, ORATIO.

QVA EX DIVINIS SCRIPTVRIS HÆC MIRA CVM euidentia colliguntur, tum elegantia exponuntur.

I. Quàm oporteat humanas traditiones posthabere præceptis Dei.
II. Ro. Pontifici nullum esse in alias Ecclesias imperium, nullamq; iurisdictionem.
III. Reges, Principes, & Magistratus Christianos, vnumquemque suæ Ecclesiæ supremum in terris caput esse, & religionem cum primis procurare debere.

ANNO DOMINI M. D. XXXVI.

AVGVSTINVS DE CORRECTIONE Donatistarum, ad Bonifacium cap. 13.

ET nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit, quia homo est, aliter quia etiam & Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo. Sicut seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor, de quo iam diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino Reges inquantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.

PIO LECTORI S. D.

NActi nuper orationem, de vera obedientia R. P. Stephani Episcopi Wintoniensis, committere non potuimus, quin eam tibi communicaremus. Sic docet in hac verus hic Episcopus non minus solide & religiose, quam erudite & eleganter, veram obedientiam esse sequi in omnibus verbum Domini, & hanc Deo in Principibus & Magistratibus, qui gladium gestant, primam præstandam. Horum quoque munus esse, se Deos, patres & pastores exhibere iis, quos illorum fidei commisit Deus, cuius omnes per omnia sumus. Et ideò potissimum, quod illos veram doceri religionem, & in omnibus ad Dei placita institui pro virili sua curent, vera se nimirum Ecclesiarum post Christum capita præstantes. Cum Episcoporum partes sint, gregem domini sacra Euangelii dispensatione pascere, vitaque exemplo ad Christum in omnibus dirigere: & hoc Principibus iuxta Dei verbum parendo, non imperando. Inter quos is demum vere primatum obtinet, qui fide & sedulitate in hoc sacro munere alios antecellit. Hic denique videbis mirum & iucundum sane artificem, in detegendo exitiosissimo illo fuco, quem Romani Pontifices adeo diu iam faciunt toti prope occidenti, se penes esse regni cœlestis & terreni gubernacula: se vt primos in terris Christi

Christi vicarios habere summam & absolutam potestatem in Ecclesias & principes illarum vniuersos.

O verò memorandam Dei benignitatem in Serenis. hunc Regem, omneq; regnum Britanniæ, cui tales dedit episc. Nam non hunc solum habet Anglia, qui cum vera pietate, eruditionem certam, & verè Episcopalem pro grege dominico solicitudinem coniunxit. Est illi & Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Anglicanæ Ecclesiæ primas, vir sanctimonia vitæ, doctrina, constantia & sedulitate in administratione Ecclesiæ eximia. Vidimus & ipsi hic & allocuti sumus, idq; non vulgari cum fructu pietatis R. Patrem Edoardum Foxeum Episcopum Herenfordensem, Serenissimi Regis Britanniæ, ad eos Germaniæ Principes & Respu. legatum, qui instaurandis iuxta verbum Domini Ecclesiis student, virum profectò multis nominibus amabilem & suspiciendum. Tanta præditus est modestia, comitate, doctrina, iudicii acrimonia, & quod verè Episcopale est, in regnum Christi ardore præcipuo. Nec dissimilis huic est, collega eius D. Nicolaus Hæteus Archidiaconus Eboracensis. Qui Angliam habent cognitam, ii prædicant & alios non paucos hisce virtutibus ornatos, quos pientissimus Rex Ecclesiis suis præfecit, præstans scilicet id, quod ei Dominus iniunxit, pastorem & patrem populi sui, quo videas, illum non impia dominandi libidine, aut impatientia iusti & sancti imperii inductum, vt imperium Ro. Episcopo in Ecclesia Anglica lege curiata, omnibus scilicet ordinibus suffragantibus, & legem hanc scientibus, abrogarit.

Agnouit quod res est, suo periculo Ecclesiam Christi à pseudoepiscopis vastari, & impiū esse cōmentum, illos Principum animaduersioni esse exemptos, *Omnem siquidem animam Deus potestatibus supremis, quæ gladium gestant, subiecit*, hoc est, vt D. Chrysostomus hunc locum enarrat, *non solum seculares*, quos vocant, *sed sacerdotes etiam & monachos*, imò addit, *& si Apostolus sis, & si Euangelista, & si Propheta aut quisquā alius, nec enim euertit pietatem subiectio. Nec dixit Apostolus* (addit) *simpliciter, omnis anima obediat, sed subiecta sit*. Hæc ille. Sacerdotes cunctis quidem mortalibus præpositi sunt administratione verbi Dei, omnes enim verbo Dei parere debent. at quia nec doctrina, nec vita semper id præstant. quod est in eorum officio, voluit Deus omnibus sæculis esse eos sub iurisdictione & coercitione Principum & Magistratuum, qui gladii potestate funguntur. Desunt & Principes proh dolor plus nimio muneri suo, verum quoniam multitudo Principum mala, voluit Deus hos suo iudicio relinqui, esseq; cunctis mortalibus sacrosanctos.

Moueat verò nos præclarum hoc & amplissimum Dei donum in Ecclesiam Anglicanam, quod eius Principi talem mentem inspirauit, vt eundem ardentius iam & nostris Principibus oremus, quo & illi tandem inducant animum, quod gerunt munus & ritè cognoscere, & digne obire. In primis verò vt à gubernaculis Ecclesiæ remoueant eos, qui in Ecclesia verè non sunt, vtpote qui palam impiè & viuunt & docent, cum quibus Apostolus vetat cibum sumere, quòd sint adulteri, Scortatores, idololatræ, raptores, ebrii, & aliis summis flagitiis & sceleribus contaminati, quorum deniq; si sacris communices, ipsæ te Pontificum leges sacra communione excludunt: Et præficiant Ecclesiis quales Apostolus & omnes piorum Principum leges, tum sanctorum pontificum canones requirunt, qui Christo cum ipsi credant & viuant, tum prædicando idonei sint intenti.

Hodie namque quotumquemque Episcopi nomine & loco habes, qui quid Episcopi munus sit vnquam serio quæsierit cognoscere, ne dum implere. In hoc potius totis viribus incumbunt, vt Euangelium Domini Iesu Christi modis omnibus oppugnent, & suis nephariam illam licentiam, impia doctrina & vita flagitiosa omnem religionem vitæq; sanctimoniam auertendi & prorsus extinguendi tueantur. In deligendis pastoribus gregis dominici id potissimum requirunt, vt sint in doctrinam puram Euangelii, illi vocant Lutheranam, maxime maledici, cæterum nihil pensi habent, quid sciant, aut quid viuant, excepto, ne habeant vxores legitimo connubio sibi coniunctas. Nam si quis κοιλιολάτρης, ad eos è castris Euangelii transfugiat, qui vxorem legitimam duxit, eam ipsi relinquant, tantum ne habeat loco honestæ coniugis. Ordinem dicunt non ferre, vt quis sancti thori maritus sit, meretricium vero cubile, & grauiora pro ridiculo habent. Sic obseruant Canonem illum Concilii Neocæsarien. *Presbyter, si vxorem duxerit ab ordine illum deponi debere, quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.* Quos leges Dei & sanctorum Principum nullo modo ferunt in Ecclesia, incestos, adulteros & scortatores, hos nostri Episcopi scientes & prudentes Ecclesiis præficiunt. At si quis suæ fragilitatis conscius propter vitandam fornicationem, iuxta præceptum Dei per Apostolum expositum, 2. *Corinth.* 7. vxorem ducat, & meditetur vnius vxoris vir absque crimine viuere, qualem Episcopum requirit lex Dei, is in sacro ministerio tolerari non potest. At conculcare legem Dei, propter hominum traditiones, quid est, si hoc non est? Interim autem dum perditos adeo & deploratos homines Episcopi nostri sacro muneri præficiunt, in hac luce veritatis Euangelicæ vbique potentissime effulgentis, nec admittunt, qui sanam Christi doctrinam dissipato nimium & exitiose erranti gregi Christi administrarent, soluuntur passim homines religione, intercidit omnis respectus honestatis, profligatur cunctus pudor, ruitur in vniuersa scelera & flagitia furore summo.

Istuc autem quid nobis adferre possit quàm certum & sempiternum exitium, idque perbreui? Nec enim potest Deus ferre suam tanto furore oppugnari misericordiam, quam nobis hoc sæculo exhibet tam splendide & magnifice. Verè itaque orandus Deus est indesinenter & precibus flagrantissimis, vt aperiat Principibus nostris oculos, donec eos agnoscere quo sint ab ipso loco constituti,

præstent

Digitized by Google

præstent veros pastores, patres, & Deos populo suo. Contemnant tandem ementitam istam pseudo-ecclesiasticorum immunitatem, & in omnes potestatem, quam illi aliquot Principibus partim superstitione, partim vi oppressis extorserunt. Sequantur potius verbum Dei & exempla pientissimorum Principum Mose, Iehosua, Piorum Iudicum & Regum populi veteris, tum Constantini, Theodosii & aliorum qui in Christiano quoque populo, legibus quæ adhuc nobis extant, & imperio in omnes Episcopos & totum Ecclesiasticum ordinem, in primis curarunt, vt religio sarta fecta esset. Nemo potuit potestatem concedere Ecclesiam Dei euertendi: & quam immunitatem pii Principes sanctis olim Episcopis donarunt, ea tam nihil pertinet ad plærosque, qui hodie Episcoporum titulos sibi venditant, quam nihil ipsi cum sanctis illis patribus habent commune. Quam quæ pii Principes ordini Ecclesiastico contulerunt immunitatem, eam, nullis vnquam Episcopis eò valere voluerunt vt sua essent exempti iurisdictione. Id quod aperto apertius testantur sacræ leges, quæ de Episcopis & Ecclesiasticis rebus extant in Codice, & Nouellis Iustiniani. Vel vna illa de his rebus *constitutio summaria*. 123. abunde docet, sed cum multis aliis, vt & religiosi Principes, curam religionis sibi in primis competere iudicarint, suæq; animaduersioni subiectos habuerint, ordinem Ecclesiasticum vniuersum. Aposterioribus Principibus, qui nomine potius quàm re ipsa imperium Romanum tenuerunt, dolo & vi istam licentiam extorserunt Romani Pontifices.

Vera sacerdotum libertas & immunitas est, verbum Domini libere & & intrepide, sermone & facto prædicare omni carni, summis Regibus æque, atque infimis ex plebe. Vt impune doceant impie, & viuant scelerate, tyrannis est, non libertas aut immunitas Ecclesiæ. Quā si Pseudo Episcopis nostris vlla potest Principum iurisiurandi religio cōfirmare, est iusiurandum vinculum impietatis extremæ. Et si potuerunt abiurare Principes potestatem in istos qui Reipub. Christianæ tantum inferunt exitium, abiurare potest pater curam & defensionem filiorum, maritus vxoris, imperator exercitus, gubernator nauis & eorū quos naui vehit. O vero grauissimam in nos iram Dei, putare Principibus & Magistratibus nephas esse Reipubl. Christianæ summas auertere pestes, aut vllis hominibus derasum verticem, & præscriptis verbis factam unctionem, huc valere, vt soli impune pietatem omnem profligent, & inuicem confessam inuehant & tueantur idololatriam, vitæque perversitatem incomparabilē, idq; freti potestate & opibus Ecclesiæ, patrimonio crucifixi. Vere igitur maxima instantia orandus Deus, vt donet nobis, qui plane sumus, vt oues dispersæ & absque pastore, Principes secundum cor suum, qui nos gregem suum, & opera manuum suarum pascant, regantque in iudicio & iustitia, qui curent ante omnia, doctrinæ & Ecclesiasticæ administrationis synceritatem. tum & vitam reliquam omnem, quo tandē vere populus Dei simus, liberatiq; ab omnibus internis & externis hostibus, seruiamus ipsi Domino & seruatori nostro, in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ. Quam fœlicitatē regno Christi propriā esse S.S. in D. Zacharia & omnib' piis vatibus testatus est. Interim fruere pie lector spiritu & studio hoc vere Episcopali, quæ tibi ista Wintonensis oratio præclare exhibet. Disce hinc quæ sit vera obedientia, omniū ordinū in Ecclesia Christi, oraque Dominum, vt similes Doctores obediētiæ vbiq; plurimos excitet, incrementumque doctrinæ eorum eiusmodi largiatur, quo illa vbique obtineat, & coeamus tandem, vereq; vniamur, & omnes fœliciter ad omnem sanctimoniam & pietatem proficiamus, sub vno capite & Rege atque Episcopo nostro supremo, domino nostro Iesu Christo, quem Dominum confiteri debet omnis lingua. Ipsi sit gloria in sæcula. Vale.

V. F. Capito.
C. Hedio.
M. Bucerus & cæteri Ecclesiastæ Argentoratenses.

IVSTINIANVS IMPERATOR CONstitutione VI. in Nouellis.

IGitur ordinandus Episcopus, aut ex monachis, aut ex clericis sit, etiam in huiusmodi vita testimonii boni, vita bonus, & honestus, & gloria fruens bona, & hoc fundamentum Pontificatus deponens animæ suæ. Sed etiam sic eum constitutum, & ad Episcopatum præparatum competens est, venerabiles & vndique probatas legere regulas ante ordinationem, quas recta & inuiolata nostra suscepit fides, & catholica Dei Apostolicaq; disposuit & tradidit Ecclesia. & cum frequenti eas lectione percurrerit, qui ad ordinationem deducitur: tunc is, qui ordinationem impositurus est, interroget eum si sufficiens sit custodire & agere quæ sacræ regulæ sanciverunt. & siquidem ille declarauerit & dixerit, præcepta sacrarum regularum non se valere seruare: nullo modo ei ordinationem imponi. si vero ille susceperit, & dixerit, quia quantum homini est posibile, complebit hæc, quæ his continentur: tunc monere eum, & dicere, quia nisi hæc obseruauerit, & à Deo alienus erit, & cadet à sibi dato honore, & neque ciuiles leges delictum inultum relinquent, eo quod à præcedentibus nos Imperatoribus, & à nobis ipsis recte dictum est, oportere sacras regulas pro legibus valere.

STE-

STEPHANI WINTON. EPISC.

ORATIO.

EXistimanti mihi,& cognitione mecum tacita consideranti, præsentem in Ecclesia Anglicana ordinum statum,in quo permulta quæ vel hominum,vel temporum vitio iam diu confusa,nonnulla autem labefactata.quædā etiam collapsa,ac tantum non funditus euersa essent, ad pristina rursus diuini operis fundamenta, appenso verbi Dei perpendiculo, reuocata, reposita,ac restituta esse cum viderem, Subibat animum continuo meum,non sine veneranda quadā admiratione,diuinæ veritatis inuicta vis,& magnitudo, quæ nimirum licet humanæ interdum persuasioni ruinas pergraues,ac diuturnas perpessa videatur, manet tamē ipsa solida semper, firma, atq; certa,hominum quidem nonnunquam præstigiis, atq; fucatis artibus, ceu nebulis quibusdam paulisper obducta,ac tempore à Deo præscripto, solis instar,tenebris tandem discussis & profligatis,sese denuo proferens,atq; vindicans: *vt iustificetur Deus in sermonibus suis,& vincat cum iudicetur*. Neq; vero dubito quin in hanc eandem,aut certe haud multo dissimilem cognitionē mecū multi, iiq; docti, graues,ac boni viri inciderint, quibus inepta quadam, & inueterata superstitione impeditis, veritatiq; aliquandiu reluctantibus, eadem hæc cogitatio omnes dubitationis scrupulos prorsus ademit, lucemq; veræ veritatis,diuina operante gratia attulit, atq; adduxit. Equidem autem vt de meipso ingenue confitear,cum legis,& literæ,vt ita dicam,æmulator, ac propugnator essem acerrimus, nec quicq̄ illbentius vnq̄,aut inuitius facerem, quàm vt à receptis, qualiacunq; essent, discederem, quo quidem longius meū in ea re iudicium à veritate recessit, hoc certe vehementius, atq; acrius quiddā in veritate agnoscenda passus videbar, non aliter sane atq; oculi tenebrarum caligine hebetes iam facti,ad subitum irradiantis luminis splendorem solent obstupescere. Mihi namq; illud haud datum fuit,quod Diuo Paulo constat accidisse:qui simulatq; à Deo prostratus ceciderit,vocem obedientiæ protinus emisit, dicens, *Domine quid vis me facere?* hoc enim electo illi vasi vberior Dei gratia contulerat,vt vocem corripientis Dei,& ab errore reuocantis confestim agnoscens, totum se Deo commiteret regendum,& ei in omni veritati statim obediret,ac pareret in omnibus. Ego autem & si veritati semper, quæ omnis haud dubie à Deo manat, obediendum statui, in ipsa tamen veritate discutienda,atq; examinanda difficilior protinus non acquiescebā. Sed ita me comparaui vt tanquā omnium sensuum iudicium exigendo,nisi ea prius me & auribus audisse,& naribus olfecisse, oculis præterea vidisse, manibus denique contrectasse sensissem,haudquaq̄ satis spectatum putassem, vt veritati quasi perspectæ & cognitæ, intelligentiæ meæ sensum submiterem, & captiuarem. Quam meam cunctationem quæ aliquibus fortasse nimis quàm pertinax reluctatio visa est,non prudentiæ sane,aut grauitati volo adscribere, nequis me velut bonis vicinis destitutum, quod dicitur, meas me ipsius laudes putet prædicare, sed Dei plane in veritatis traditione constantissimæ varietati, vt par est, tribuo, atque assigno: à quo omnes cum doceantur, qui videlicet docentur, secundum illud: *Et eritis omnes docibiles Dei*, vt quisque se in assentiendo veritati senserit, affectum enarrare quidem licet, ac profiteri, caussas vero cur hic citius, ille tardius, alius nunquam, oblatam à Deo veritatis cognitionem amplectatur neq; semper perspicere est datum, neq; altius quam scripturis expressum est, permissum inuestigare. Tantum abest vt caussam tarditatis meæ coner in præsentia reddere, aut cunctationem illam, ceu propriam animi mei dotem, mihi arrogare: quod ipsum non solum apud homines stultitiæ nota,sed impietatis etiam apud Deum crimine non vacaret: quin potius orbi rationem reddere volui, quid meam mihi sententiam tantopere mutarit, quidque me à meipso, ac meis antehac cum verbis,tum factis tandem coegerit dissentire. Coegit certe (vt vno verbo dicam) quod omnes cogit,cum ita Deo visum est, vis veritatis: cui parent tandem atque obediunt omnia. Quod te oro atq; obsecro benigne, candideq; lector, vt me de vera obedientia verba facturum læta fronte feras, quæq; tua caussa vel rhetorum, vel dialecticorum leges à scriptore exigunt, vt nimirū in ingressu te vel beneuolum, vel docilem, vel deniq; attentum reddam, cuiusmodi nihil hactenus præstiti, ea tu tamen mihi, quasi accepta referas, & quasi verè soluta acceptilatione remittas. Nam cum ego me vere obedisse sentiam veritatem agnoscendo, non possum sane mihi tēperare, quin de vera obedientia aliquid in medium proferam, eamq; si non pro rei dignitate dicendo valeam illustrare, at certe publicè eam prædicare, ac profiteri contendam.

Atq; vt quod proposui statim aggrediar, nihil esse aliud puto verè obedire, quā obedire veritati *Deus* autem *veritas est*, vt scriptura testatur, in qua etiam maximè prælucet nobis adeò quidem, vt qui aliunde conquirant, & à cisternis, atq; lacunis hominum non ab ipso limpidissimo, & syncerissimo fonte petant, hauriunt interdum, & referunt nescio quid turbidum, & lutulentum certe ad restinguendam humanarum cupiditatum sitim, quod omnino veritatis est proprium, inefficax atq; inane. Solus enim ille est qui aquā nobis præstat veritatis salutarē, de qua, qui fidei per Iesvm Christvm proditæ obediendo biberit, is etiam veræ obedientiæ fructum feret, *vt non sitiat in æternum*. Nempe Deus etiamsi in veteri lege, cum iam cultum sui syncerum & purum, quem nunc *veri adoratores in spiritu & veritate* sint exhibituri in victimis & sacrificiis, adumbrare & significare decreuisset, ipsas ideò victimas & sacrificia summo in honore haberi, parique religione præstari præcepisset, vt ostenderet tamen quanto habuerit semper cariorem obedientiam, eam omnino omnibus & victimis & sacrificiis etiam tū anteponendam fore in quamplurimis sacræ scripturæ locis manifestè

declarauit. Sic enim Samuel ex spiritu Dei loquitur ad Saul; *Nunquid* (inquit) *vult Dominus holocau-sta & victimas, & non potius vt obediatur voci domini? Melior est obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Moyses etiam in Deuteronomio obedientiam populo commendaturus ait; *En propono*, inquit Moyses, *in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, si non obedieritis.* Diuus autem Paulus huius veræ obedientiæ illis verbis meminit, cum ad Ro. scribens se *gratiã, & apostolatum accepisse* refert *ad obediendum fidei in omnibus gentibus* &c. Fides enim obedientiam exigit, videlicet vt Dei voluntatem in Christo, qui est verbum patris, agnoscentes, atque illius merito gratiæ Dei participes effecti, per eundem etiam dominum nostrum, & obediendo credamus, & credendo obediamus. Quisquis autem Deo, atque in Deum credendo sperat, atque ab eo solo remunerationem expectat, neque extra Deum operum factorumque suorum fines porrigit, sed illis limitibus circumscribit, vt tanquam à Deo profecta, à quo omnia bona procedunt, etiam in Deum referat, illumque & initium vnicum boni, & finem esse agnoscat: hic certe est, qui vere obedire dici potest, veritatem videlicet sectando, & præ illius amore omnia contemnendo, quæ fallax hic mundus & magnifacere solet, & ostentare. Quam quidem obediendi veritatem, vt dilucide, ac manifeste, nõ auribus modo, sed oculis etiam cerneret, atq; conspiceret mortalium genus, nempe vt ad eam consectandam & exterius, & interius à patre cœlesti quotquot futuri sunt filii traherentur, à patre processit verbum in virginem Christus Iesus: indutusque vero ac mortali corpore iam caro factus, idem Deus & homo *habitauit in nobis* (*gloria* etiam eius insignis, & virtutibus *manifestata quasi vnigeniti à patre*) & quem nemo vnquam vidit, Deum nobis enarrauit, verasque obedientiæ vias præiuit, & prę-monstrauit, vt sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituantur multi: & superata morte, quam inobedientiæ peccatum induxerat, vera iam vita in Christo ex obedientiæ virtute viueretur. Fidere enim Deo, atque illi firmissime adhærere, quam iusti vitam appellat scriptura, hoc certe illi obedire est, & obedientiam exercendo corpus castigare, carnem in seruitutem redigere, regnum peccati, quoad licet, conuellere, à Deo pędere, membra nostra iniustitiæ seruitutem mancipare, nostra contemnere, & Dei amore quæ sunt aliena curare, Deum ipsum pro præmio sperare, nec absque Deo, aut præter Deum ipsum quicquam plausibile, aut iucundum ducere. Hoc autem est Dominum diligere ex toto corde, qui videlicet zelotes est Deus, neminem ferens in amore communem, sed qui totum sibi exposcit hominem, nec in partes diuelli patitur, vt duorum dominorum præceptis subseruiat, sed se solum adorari vult, & sibi soli à suis inseruiri. Cuius certe diuinæ voluntatis mysterium à sæculis inscrutabili Dei consilio absconditum, reuelauit nobis in fine temporum noster Christus, humani generis hostia, & piamentũ, qui iustissimam Dei iram placando, doctrinam obedientiæ factis ædidit salutarem, & pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius: quæ quidem vestigia si considerabimus, reperiemus plane obedientiæ veritatem eam demum esse, quæ voluntatem Dei in verbo, qui Christus est, mortalibus proditam cæteris omnibus postpositis exequitur in mandatis, & à Deo excitata, in Deum etiam qui dat & velle & operari pro bona voluntate refert effectum, & finem. Itaq; cum Christum iam in templo docentem, & in veræ obedientiæ officio versatum interturbaret mater, *Nonne scis*, inquit, *quia in iis quæ patris mei sunt oportet me esse?* vt ostendat manifeste etiam naturæ affectum diuinæ voluntati parere oportere, nihilque prius esse debere, quam præcepta diuina obediendo præstare. *Sicut*, inquit, *mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Et alibi, *Non sum missus nisi ad oues*, &c. innuens nihil esse petendum, quod veræ obedientiæ officium violaret. Cum passionis hora iam appropinquaret, eamque orationis formam ædidisset Christus, quæ nostræ fragilitati in imminentis mortis periculo maxime conueniret, orans, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Subiecit tum, vt obedientiæ victoriam faceret clariorem, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Cuius patris præceptis in mysterio redemptionis nostræ prorsus paruit Deus filius, vt nobis quomodo pareamus ostenderet, qui ne vinum tamen perderemus infusa, quod dicitur, aqua, & omnem obsequendi fructum amitteremus, idem suis verissimis, atque certissimis verbis nos alibi docuit, id quod factis etiam comprobauit, non suam se gloriam obediendo quęsisse, sed patris. *Ego*, inquit, *gloriam meam non quæro, sed patris. Si glorifico*, inquit, *me ipsum, gloria mea nulla est.* Et alio in loco nos de hoc clarius admonens, *Sic luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Quod si ab hominibus laudem speramus, aut vanam gloriam consumpta hic mercede, vacuis olim vasis in conspectu altissimi tanquam virgines fatuæ apparebimus, grauissimam ab aduenienete sponso repulsam passuri. Itaque *nesciat sinistra quid faciat dextera*: sinistrum est obliquum & prauum, quicquid est carneum. Noli igitur conspurcare & contaminare diuina humanis, sed seorsum à carne in abscõdito obedias, & Deus in abscondito reddet tibi. Atque huc referri posse puto, quod scribit Diuus Paulus, inquiẽs, *Non is, qui in manifesto Iudæus fuerit, Iudæus est, neque quæ in manifesto carnis circumcisio fuerit, circumcisio est, sed qui in abscondito Iudæus fuerit, is demum Iudæus est, & cordis circumcisio est circumcisio, quæ cõstat spiritu, non litera*, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Sit itaque dominus & pars & summa hæreditatis nostræ, qui solus certam restituet hęreditatem. Nempe obediamus Deo propter Deum, quæ sola vera obedientia est: quæ eò regreditur vnde cœpit, & à veritate profecta, in veritatem tendit, eodemque principio continetur, & fine. Quo quidem temperamento Diuus Paulus obedientiæ normam proposuisse videtur, cum seruis iuberet, vt dominis propter Deum forent obedientes, ostendens plane Deum, & illius iusti obsequii, quod à seruis præstatur carnalibus dominis autorem

esse.

esse, & remuneratorem: vt quicquid illius nomine factum apparuerit, ratum id ab eo, atque acceptum iri non dubitemus. In quam sententiam scriptum apparet in Euangelio, *Beati eritis, cum vos oderint homines* &c. propter filium hominis: *gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo.* Nam *si debitam legibus esse pœnam*, vt habet diuus Petrus, *luentes colophizati patiamur quæ nobis gratia?* legibus etenim hoc exhibetur, non Deo: quemadmodum nec illud quantumuis specie pium vllam à Deo mercedem promerebitur, quod aliquid hic terrenum venetur, aut gloriæ, aut existimationis humanæ, quod hypocritarum est, quibus illa Dei vox competit, *Recepisti mercedem tuam*: Sic enim maledicetur homini, qui non obedierit Deo: id quod duobus modis contingit, vel cum Dei præcepta aut ambiendæ gloriæ, aut aucupandi quæstus gratia in speciem apud homines exequimur, de quo superius nonnihil diximus. Cuius rei in singulis iudicium sibi Deus seruauit in diem iusti iudicii promulgandum, grauissimè interdicens: ne de cuiusquam in ea re animo temere pronunciemus, etiamsi in vniuersum quod nos fecimus de hoc genere peccati, vt de omnibus differere non prohibuerit, aut in eo de quo etiam hominibus pronunciare permittitur, cum veram obedientiam fucatâ obumbramus, & neglecto Dei pręcepto aliunde in quibus exerceamur, accersimus, ad illã seuerissimã diuinæ veritatis sententiam obsurdescentes, *Frustra colitis me in mãdatis, & Doctrinis hominum qui quidem mea violastis præcepta propter traditionem vestram.* Quod ne fiat, prima nobis cautio esse debet, vt notam certam illam, & digito Dei obsignatam teneamus, qua facile ab humanis diuina distinguamus, ne confundantur.

Primum itaq; illud constet, eloquia Dei, quæ in sanctis scripturis ipso spiritu sancto dictante æditis continentur, certissimam Dei vocem ad nos referre, vt ex illis intelligamus, discamusq; voluntatem eius, eiusdemq; præceptorũ, & dogmatum certitudinem, vt eam viam mandatorũ edocti, ad patriam recta tendam' æternã. In illis ergo ꝙ tandem præcipitur? præcipiuntur quidem multa, quorum in veteri instrumento quædam non ad animi præcipuè iustitiam, sed ad populi conditionẽ relata, in hoc nouo populo in Christo renato, tanquã succedente tenebris veritatis luce, euanuerunt. quorum tractatio superflua iam foret, & aliena, vt qui de iis duntaxat præceptis dicere instituerim, quæ non vni populo Deus, sed per vnum populum cunctis gentibus decreuerat significare, quorum ne iota quidem vnum, aut apex præteriret. Quæ quidẽ præcepta à nonnullis moralia sunt appellata, quæ etiam cum ad sanctimoniam, castitatemq; vitę, ac morum pertineant, vim adhuc solidam, & integram obtinere censentur: id quod nos persuasum habeamus cum multis ex aliis locis, tum ex illo præsertim euangelii, vbi Christus populum docens tam apertè pronunciat, *non aliter ingressuros nos regnum cœleste, nisi iustitia nostra, plusquã scribarum, & pharisæorum abundauerit.* Qua quidem sententia etiamsi pharisæorum iustitiam non omnino probauerit Christus, vtpote humanam solum & carne tenus, id est, externa factorum hypocrisi consistentem, neq; ab illo manantem fonte spiritus, quẽ sola Dei gratia in eiusdem Christi meritis facit irriguum: nobis tamen hac collatione indicasse videtur & admonuisse de puritate morum, quam in scribis & pharisæis lex exigebat, nihil per Euangelii doctrinam remittere & relaxare ipsum, sed illa verborum significatione etiam castitatis, & sanctitatis fines longius proferre, eiusq; augmentum, ac progressum in hac noua lege exigere velle. Nam libertas, qua nunc per Euangelium donati sumus, quæq; legem Moysaicam sustulisse creditur, non eò pertinet, vt moralium etiam præceptorum obliti, dissolutam, ac turpem vitæ conditionem sequamur: sed vt vitiis liberi sanctitati seruiamus, & quod Dei voluntas ad sanctimoniam pertinere scripturis aliquãdo insinuauerit, id sequamur, id amplectamur, in eo pareamus diuino præcepto, vt obedientiæ nostræ ratio queat constare.

Quorum quidem moralium in veteri lege præceptorum, vt aliquot commemorem, nam singula numerare non est huius instituti, Leuitica illa de vetitis, incestisq; coniugiis præcepta ad castitatẽ, puritatemq; matrimoniorum attinentia, in quibus & humanæ vitæ consuetudo tota continetur, & propagãdæ sobolis origo consistit, eiusmodi semper sunt habita, quæ Iudæis quidem tradita primũ, quoniam essent ad illustrandam naturæ legem explicata, ad vniuersum ideo mortalium genus perpetuo pertinerent. In quibus haud dubiè & naturæ vox, & diuina iussio in vnum conuenientes, quod ab vtriusq; conditione diuersum esset, prohibuerunt. Inter hæc autem cum illud de non ducenda vxore fratris præceptum contineatur, quid aliud debuit, aut potuit Serenissima regis Angliæ maiestas facere, quam quod cum summo populi cõsensu, suæq; ecclesiæ iudicio fecit? vt ab illicitis diuulsa fœderibus, licita, permissaq; copula frueretur, & Dei præcepto (vt par fuit) obtemperans, relicta, quam nec ius nec fas retinere permisit, casto, legitimoq; matrimonio indulgeret? Qua in re cum diuini verbi sententia suffecisset, cui omnes incunctanter parere debent, grauissimorũ virorum suffragia tamen, & celeberrimarum orbis Academiarum censuras adhibere, non est grauata sacratissima regia Maiestas. Nempè vt quæ facere, & posset, & deberet, ea eruditissimorum, & optimorum virorum calculis, rectè prorsus fecisse iudicaretur: atq; eiusmodi obedientiam in eo præstitisse, cuiusmodi diuini verbi veritas ab omni pio, atq; bono videtur exigere, vt & Deo paruisse, & verè obedisse merito dici posset: de quo quoniam dicere aggressi sumus, id quod cõmodum in hunc locum sese obtulerat, non potuimus taciti præterire.

Sed redeamus ad institutum, quod in eo potissimum vertitur, vt ostendamus eum demum vere obedire, qui ambulat in lege Domini, nec à mandatorũ via discedit, sed humili promtoq; animo diuinæ se voluntati committit, vt Dei authoritatem nunquã defugiat, sed & ei ipsi obediat, & omnibus, quibus ipse iusserit obediendum propter se. Nempè Deus pro sua in mortalium genus immen-

sa, atque ineffabili bonitate adaugendum in nobis gloriæ cumulum, quo materiam nobis sisteret præsentem, in qua cum pietate, & meritò nos ipsos exerceremus, homines substituit, tanquam vicaria potestate obedientiam exacturos, quam illis nos pari cum fructu præstaremus propter Deum, ac si Deo ipsi immediatè, id quicquid esset honoris exhiberemus. Quo certè in loco principes posuit; quos tanquam ipsius imaginem mortalibus referentes, summo, supremoque loco voluit haberi, eosque *inter reliquas omnes humanas creaturas præcellere*, vt scribit diuus Petrus. Seque authore eosdem principes regnare, vt prouerbia sacra testantur, *Per me*, inquit Deus, *reges regnant*: adeò quidem vt secundum Paulum *quisquis potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit*: qui Paulus quod hic generaliter locutus, Tito explicans mandauit, vt *admoneret vniuersos suis principibus obedire*. Sunt porrò & alii inter homines etiam à Deo exigendam obedientiam constituti, sed ordine inferiori. Nam & marito vxor, & domino seruus, & quicunque quibuscunque subiecti sint, præpositis illis etiam obediant propter Deum. Vnde certè accidere interdum hæsitatio solet, diuinæ legis sensum non rectè callentibus, quum duorum præpositorum vno eodemque tempore mandata dissideant, & inuicem collidantur, ac manifestè repugnent, vtri primum, ac potissimum sit obediendum. Verbi gratia. Mandat Dominus seruo id, cuius diuersum eodem tempore, eodemq; momento imperat princeps: quibus vtrisq; cum obedientia propter Deum debeatur ex verbo Dei, vtriusq; aut imperiũ vno eodẽq; momento vno, eodemq; homine obiri rerũ natura haudquaq̃ patiatur, Hic vt ab aliquo fortasse, qui sensus nodũ exercitatos habeat, subdubitari posset, cui nã seruus obedire primum, & potissimum teneatur: Ita ei qui in reliquis similibus caussis animaduerterit, ita natura comparatum esse, vt inferiora superioribus semper subseruiant, ac locum dent: huiusmodi quæstionis enodatio statim patebit. Itaque in exemplo proposito non domino seruus pareat, sed principi tanquam domino illo suo, superiori, vt cui dominus pariter cum seruo obedire teneatur. Quibus quidem seruo, domino, atque principe, cum vnum agnoscimus Deum superiorem, regem videlicet regum, & dominum dominantium, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, eius vtique præceptis omnes, primum & ante omnia parere debent, seruus, Dominus, princeps: vt omnibus propter Deum, nemini autem extra eum, ne dum contra eum obedisse videantur. Itaque laudatur etiam vxor marito morigera, sed vsq; ad aras, vt est in prouerbio. *Melius est* enim *Deo obedire quam hominibus*.

Ex his autem cum sit manifestum in obedientia ordinem esse seruãdum, & ita cuiq; nos prius obtemperare oportere, prout is ordine alium ac prærogatiua diuinæ legis testimonio præcedat, operæ precium visum est, de ordinum gradu necessariò dicturum. Illam etiam hic attingere caussam, quæ hodie ferme in manibus, & ore omnium versatur, & celebratur: Num iure diuino vniuersi populi Anglicani consensus imitatur, quo inuictissimum, & potentissimum principem HENRICVM Octauum Angliæ & Franciæ regem, fidei defensorem, & dominum Hyberniæ, summum in terris caput Ecclesiæ Anglicanæ celebrat, & veneratur, Eidemque in publicis comitiis, liberis suffragiis author fuerit, vt suo iure vteretur, seque ecclesiæ Anglicanæ caput non minus nomine quàm re ipsa profiteretur. Qua in re nihil noui latum est, tantum significantiore vocabulo apposito, competentem Principi iure diuino potestatem exprimi clarius voluerunt, eo potissimum consilio, vt fucum illum à vulgi oculis amouerent, quem Romani Episcopi ementita potestas, aliquot iam seculis obduxerat, non citra Principis potestatem vehementer imminutam: quam saluam omnes, & ab iniuriis sartam tectam optare tenentur, & pro virili præstare. Qua quidem in re certè non video, cur quęquam offendat, principem Anglicanæ ecclesiæ caput dici, magis quam regni Angliæ caput. Hic iam te appello, candide lector, vt sepositis interim appellationibus, rem ipsam consideres. Neq; n. ignoro vtriusq; appellationis vim, & *Ecclesiæ* vocabulum non quamuis congregationem, nisi cum adiectione (vt *odiui ecclesiam malignantium*) significare: sed eam demum populi multitudinẽ, quæ Christiana professione vnita in vnum corpus coaluerit. Hoc enim vsus obtinuit, vt *Ecclesiæ* appellatio, alioqui communis, excellentioris tamen corporis propria efficeretur. *Regni* verò appellatio latius patet, omnesq; Principis dominio subiacentes complectitur, quicunq; fuerint & qualescunq;, Iudæi, Barbari, Saraceni, aut Turcæ, nedum Christiani. Cæterum cum in hoc, de quo agitur, ita se res habeat, quæ significetur, vt vtriq; appellationi ex æquo respondeat, atq; ex eisdem hominibus hodie Ecclesia constituatur Anglicana, qui sub regni vocabulo continentur, quorum caput dicitur princeps: sub appellatione regni Angliæ non erit, etiam eorundem hominum caput cum ecclesia designantur Anglicana? Itane verò verba, cum tantum eum vsum habeant, vt sint rerum notæ, eatenus in hac caussa valebunt, vt etiam rerum ipsarum naturam inuertant? vt pro nominum varietate alius, atq; alius homo in existendi ratione idem censeatur? Equidem non sum nescius relatione nominum nonnunquam mutari officia, atq; eundem hominem prout alio, atq; alio nomine efficiatur, partes etiam nomini conuenientes subire debere. Verũ enimuero si Princeps caput regni est, quod perinde est, ac si dicas, omnes quotquot intra regni ditionem sunt, tanquam vni corpori inexistentes adglutinatos habeat, vt illis pro capite præesse videatur: an vllo modo fieri potest nominis mutatione, vt idem homo subsit capiti huic, & nõ subsit capiti huic in eodẽ genere subiectionis, nẽpe propter Deum? Nam cõtra Deum nulla est subiectio. Quàm ridiculum igitur illud, vt eundem hominẽ, quẽ si Ioannem libeat vocare, in Anglia commorantẽ, Principi tanquam capiti subesse fatearis, hunc si voces Christianum eodem modo subesse neges? etenim quatenus in Anglia commoratur de regno est, quatenus verò Christianus est in Anglia etiam commorans, de ecclesia Anglicana esse censetur.

Caput

Digitized by Google

Caput inquiunt Princeps est regni, non Ecclesiæ: cum tamen Ecclesia Anglicana nihil aliud sit, quã virorum & mulierum, clericorum & laicorum in regno Angliæ commorantium, in Christiana professione vnita congregatio. Ecclesia videlicet meritò appellanda, quia communio sit Christianorũ, à loco verò, Anglicana, sicut & Gallicana, Hispana, atque etiam Romana. Itaq; qui Principem regni quidem caput fatentur, Ecclesiæ tamẽ si diis placet, in eodem regno congregatæ nõ concedunt (quę est eorum siue inscitia, siue malicia) illud apertissime innuunt, principem caput esse infideliũ, fideliũ nõ esse, nisi ipse princeps sit infidelis, vt aut infidelis princeps fideli siue infideli populo imperet, aut idem princeps Christianæ se iungens Ecclesiæ, omne deinceps imperium, & potestatem deponat. Quenquã reperiri, qui hoc innuat, satis certè mirari non possum, & tamen qui aduersantur, quid aliud dicant, non inuenio: Firmamentum aliud allegationis adferunt nullum, quam quod nullo pacto consistat, & sibi constet. Caput, inquiunt, regni est princeps, non Ecclesiæ. O dictum absurdum, atq; stolidum. Quasi verò quia populus iam cœpit fidere Deo, iustissima caussa sit, cur amplius non subsit principi, Dei vicario, sed ab eius corpore omnino eximatur. At non ita docuit Paulus, qui dominorum ius in seruos Christi professione tradidit, non immutari, aut minui, sed integrum adhuc dominio conseruandum admonuit, seruis præcipiens, vti *carnalibus dominis sint obedientes propter Deum*. Vxoris ad fidem conuersio nihil detrahit imperio mariti, vtpote qui caput adhuc manet vxoris, quæ etiam ne post fidei professionem præposteri ordinis argumentum ædat, quod aliquorum animos abalienaret à religione, cẽsuit Diuus Petrus, vt vxores fidem professæ, omisso prædicandi munere, quod verbis exequerentur, lucrificarent sine verbo maritos per castam conuersationem. Ergo authoritas domini in seruum, & in vxorem ius capitis marito religione non perit, & peribit principi? qui cum quandam Dei imaginem in terris etiam infidelis dum est, refert vt caput, & dux populi dicatur, professione Christiana statu minuetur nec amplius caput illius populi, qui Ecclesiam constituit, dicetur, sed quò propiùs ad Deum per fidem, qui vnicus est aditus, accedit, hoc longius à Dei imagine recedet, atque hoc minus populo venerabilis esse incipiet, quo nomine vel maximè debeat honorari? Certè si caput est populi, idque diuina ordinatione, quod nemo non fatetur etiam tum cum populus simul, & princeps à Deo per infidelitatem quàm longissimè disiunguntur: quantò magis nunc cum in vnam fidei professionem, non sine diuina virtute coeuntes, Ecclesiam eo pacto constituerint, nomen capitis debeat retinere? vt Ecclesiæ illius caput, adhuc meritò habetur, Dei iam vices multò clarius referens, quàm olim dum in tenebris infidelitatis versaretur. Paulus sine distinctione, iubet iis obedire principibus, qui gladiũ gestant. Diuus Petrus de regibus loquitur nominatim. Christus ipse iubet tributum solui Cæsari, & discipulos increpans, quòd de maioritate contenderent: *Reges*, inquit, *gentium dominantur eorum*. ostendens planè in tanta graduum, ac ordinum varietate, quibus Deus hunc mundum ornat, dominium, atq; imperium ad solos Principes pertinere. Sed dicet mihi hic aliquis: In eo laboras, de quo nemo dubitat. Nam Principi esse obediendum quis vnquam negauit? certissimum quippe est, eum qui Principi non obedierit, morte esse multandum: vt in veteri lege est comprehensum, atq; adeo in nouo confirmatum. Sed videndum, inquiet, est illud, ne terminos positos transilierit Princeps, tanquã de finibus regendis adhibendus est arbiter. nam deberi obedientiam certum est, quatenus autem sese proferant obedientiæ exigendæ limites, totũ quicquid esse poterit quæstionis continetur. Quosnam mihi limites dicis, cuiusmodi scriptura nullos dicit? sed generaliter de obedientia loquens, quã Principi subditus, vel marito vxor, vel domino seruus præstare debeat, nullam vel syllabam exceptionis subiecit, præterquam quæ Dei obedientiam integram conseruaret, ne vlli mortalium voci contra Deum auscultemus. alioquin plane indefinita oratio est, quæ mandat obedientiam, vniuersali ex æquo pollens, vt frustra mihi limites nomines, qui nullo scripturæ testimonio comprobetur. Nobis quidem præcipitur, vt obediamus. In eo nostra functio est. quam si obire cum gratia Dei, & hominum volumus, animi humilitatem exhibeamus oportet, imperia quantumuis grauia propter Deum subeundo, non quid aliis imperare Princeps, dominus, aut maritus debeat, aut possit inquirendo aut quæritando. qui si aliquid sibi amplius quàm æquum & iustum fuerit, aut sibi arrogauerint, aut delatum susceperint, dominum habent, cui aut stant, aut cadunt, & qui de illis sit olim iudicaturus. Attamen dicet aliquis, etiam de hoc dicere in initio es pollicitus, quod nunc reiicere conaris, propositi vt videtur oblitus. Imò, inquam, non reiicio, sed satis esse confirmatum asseuero ex superioribus, Principi obediendum esse ex præcepto Dei: & obediendum quidem sine exceptione, vtpote cuius nulla fiat mentio in illa lege, cui si addideris quippiam, aut dempseris, impius sis. Quid igitur vltra quærimus? Nam si ad commodam interpretationem generalis illius de obedientia eloquii descendamus, & scripturam scripturæ conferentes collatione, & comparatione, verum & genuinũ scripturæ sensum elicere conabimur, id quod à sanctissimis & doctissimis viris fieri & solet & debet: non planè video, cur inferiores discedamus. Itaq; consideremus, quid referant scripturæ, quæ ex aduerso proferuntur. *Obedite præpositis*, inquit Paulus ad Hebræos, quem locum, & item caput decimum tertium ad Romanos de potestate Pont. quam vocant Ecclesiasticam, interpretantur quidam. Item in Actis Apostolorum, *Attendite &c. in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei &c.* Ac ne quid prætermittamus, etiam illud non omittamus, quanquam alium sensum habet, quod diuus Petrus de regali sacerdotio loquitur. Nam illud, *Quodcunq; ligaueris*, aliò pertinet & illud: *Pasce oues*: præterquã quod à Christi ore processerit, non amplius quicquã continet, quam quod de regenda Ecclesia mãdatum fuisse iam indicauimus. Hæc & si qua sunt similia etiã eo sensu intellecta, quo isti volunt ni-

Digitized by Google

mirum vt Episcopis,& verbi Dei ministris in ecclesia obediatur, regiæ potestati quo minus ... capitis vsq; appellationem in ecclesia porrigatur, nihil aduersantur. non magis certè quam ... obedientiæ detractum esse quippiam, aut diminutum in eo existimemus, quod vxor marito, ... suus domino obedire, sub generali quadam pronunciatione iubentur. Nam quemadmodum ... iurisconsultos, vt loquuntur ipsi, iurisdictiones interdum variç ab eodem manantes non se inuicem perimunt, sed mutuis auxiliis consistentes concurrunt. Sic quòd apostolis, & iis, qui in eorum locum succedunt, regimen ecclesiæ committitur, nulla in parte id quod ante à Deo principibus commissum est, tollere, minuereue censeatur. Neq; minor sane est parochi cura parochianorum, quos curare etiam debet Episcopus, nec Episcopi iurisdictio ideò nulla putetur, quod superiorem agnoscat archiepiscopum. Regit enim ecclesiam suo gradu atq; ordine parochus, episcopus, archiepiscopus. Quemadmodum itaq; in iis suo quisq; munere fungens, non detrahere sibi inuicem, sed auxiliari videtur, sic quod Apostolis, & qui in eorum locũ succedunt, regimẽ ecclesiæ commissum reperitur, id ꝙ antea à Deo principibus cõmissum est, haudquaquã tollitur. Sed quoniam regimẽ multa opus habet, doctrinam in primis videlicet, & præeminẽtiam secundum variam distributionem donorum, aliis doctrinæ munus, & sacramentorum ministerium in eodem corpore mandauit Deus, illis verò præeminentiam, non vt aduersentur quidem, sed quemadmodum varia in eodem corpore membra, sic in regimine congruentur consentientia, ac suum, quisque munus obeat cum charitate.

Sed audio hic obstrepentes quosdam, & magna quadam cum seueritate obiurgantes, quod noua potius distinctione vti maluerim, quam trita illa, quæ regimina tam commode, vt isti putant, secat principis videlicet, & Ecclesiæ, nimirum vt illud sit temporalium, hoc spiritualium. secundum quam distinctionem princeps tanquam luminare minus ea curet, quæ sunt noctis, cætera quæ sunt spiritus, & diei, soli Soli relinquat perlustranda. Caliginosa sane distinctio, & tenebrarum plena. Nam si Principi Christiano regis adhuc nomen relinquis, vt Dei vice in terris non præesse solum populo, sed ipsum etiam regere, atque adeo dirigere teneatur: primum quæro, quam tandem viam insistet regendo rex Christianus, vt ducat populum Christianum, veritatis ne, quæ ducat ad vitam, an mendacii, quæ properet ad mortem? Nam media via nulla inuenitur. si veritatis? quam mihi solam curam narras rerum temporalium, scriptura clamante, *Primum quærendum esse regnum Dei,* cætera vero non quærenda, sed adiicienda Dei benignitate? scilicet in priuata cuiusque solicitudine quærendum est Regnum Dei, & in Principis administratione negligendum, aut saltem non curandum? Illud est certè, cum vererentur boni homines, ne quis aliquando rex nimium sanctus futurus sit. hic videlicet ne virtutis vestigia altiora inprimat, bello scilicet cõmento cauendũ putarũt principis quidem munus ita circumscribere, vt nihil ipse habeat pensi, sui ciues boni ne sint, an etiã non sint, bonitate quidem Christianæ professioni congrua, modo non prorsus nephandis sceleribus, ac facinoribus sint ita infamati, vt ab hominum natura degenerasse videantur. Itaq; ne furentur, ne occidãt, ne vim bonis inferant laici, id verò curet rex. Adulteria autem, & his deteriora, ac quæcũq; faciant ii, quorum titulus, & vestis diuersa persuadeant, quantumuis enormia securus neglegat. Sunt enim spiritualia, i. spiritualiũ hominũ vitia, de quibus regem iubent esse securum: vt cui satis sit populum in temporalibus regere, nec aliud præterea quicquã ad illius notionem pertinere, hoc videlicet est regere ad interitum expeditissima plane via, quam longissime ab illius munere diuersa, qui in regendo populum in terris Dei vicem referat. An hoc est *pascere populum*? quo verbo Scriptura ad Reges vtitur. Multo certè aliter cum summo applausu curam principis in moribus ecclesiæ corrigendis Dunstanus sanctissimus, atq; optimus vir, Cantuariensis olim Archiepiscopus, interpretatus est, qui eam regis vocem libenter amplexus est, qua se *gladium gladio copulaturum edixit: vt dissoluti ecclesiæ mores ad rectam viuendi normam aptarentur.* Altero gladio ad illud alludens Pauli, quem verbi ministri docendo, & excommunicando exercent. Altero præeminentiam ostendens iure diuino concessam, cui omnes parere, quotquot Principis ditioni subiecti ecclesiã constituunt, omnino debent. Mandatur n. Principi, vt populum regat: ipsosq; principes officii cõmonefaciẽs alloquitur Propheta; *Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Quod si istorum interpretationem recipimus, hoc tantum intelligant, nihil aliud erudiantur Principes, quàm vt negligant fere omnia, hoc est mediam populi partem ne respiciant quidem, si nomine & habitu domino mancipantur, in reliquam autem partem eatenus animaduertant, non vt ab omnibus facinoribus abstineant, sed à quibusdam. Ast longe alia est Prophetæ interpretatio, quam subdit, *Seruite Domino in timore.* hoc ... rum quid sit, nobis intelligendum est, atque ex ore Dei discendum. Os autem Dei in sanctis tam veteris, quàm noui testamenti scripturis patet. De regis Salomonis administratione sic refert Scriptura: *Constituit Rex Salomon iuxta dispensationem patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis, & Leuitas in ordine suo, vt laudarent, & ministrarent coràm sacerdotibus iuxta ritum vnius cuiusq; diei, & ianitores in diuisionibus suis per portam, & portam.* Audis hic Salomonem regem etiam sacra curasse, non temere, sed ex præscripto patris Dauid: de quo Deus per Prophetam protestatur *inuenisse se hominem secundum cor suum.* Itaque etiam illa de Salomone historia contextum habet, quod sequitur, *Sicut præceperat homo Dei, nec prætergressi sunt de mandatis regis quicquam, tam sacerdotes, quam Leuitæ ex omnibus quæ præceperat.* Quid hic commemorem sollicitudinem regis Iosaphat, qui supremum in Hierusalem sacerdotum ac principum familiarum tribunal constituit? In qua tandem potestate fecit nisi regiæ muneris sui ducens esse, diuina se potius curare debere, quam humana. Quæ denique audacia

audacia fuisset Ezechiæ regis, primo protinus regni sui anno, atque adeo primo mense, ita se diuinarum rerum administrationi immiscuisse, si non regii tum muneris à Deo traditi disciplina id exegisset? Vt videlicet rex à Deo constitutus, qui spiritus est æternus, spiritualia & æterna potius, eo priori loco curaret, quàm corporalia, & tempore peritura? Ezechias ergo ipse, de quo tam celebre extat elogium, vt non fuerit alius ei similis, qui seruaret omnia præcepta Domini in cunctis regibus Iuda, *Volens* videlicet *requirere Dominum in toto corde suo, id quod fecit, & prosperatus est*, vt habent scripturæ verba. 2. *Parali*. 29. hic inquam Ezechias quid fecit? In ipso sane primo anno, & primo mense regni sui, non modo instaurauit valuas domus domini, sed etiam sacerdotes ipsos corrigere, atq; adeo viuæ structuræ ruinas reficere conatus est. Nempe sacerdotes in plateam orientalem congregatos, non solum admonuit neglecti officii, sed tanquam potestatem etiam habens; *Audite* inquit, *leuitæ & sacerdotes, sanctificemini & mundate domum domini Dei vestrorum patrum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario*, &c. Qui quæso potuit hic maiore cum imperio loqui? Neque enim more hortantis locutus est, quomodo inferiores, aut æquales solent seipsos, quò leuior fit oratio rei gerendæ communicantes, quod genus orationis pius interdum affectus etiam in aliena re exigit: ad quem modum si Exechias loqui voluisset, non *sanctificemini*, sed *sanctificemur*, non *mundate*, sed *mundemus*, non *auferte*, sed *auferamus*: aut si rei natura communionem non pateretur à priuato illa optanda fuissent, aut indicanda, cui quidem certè neque exigendæ rei se coniungere, vt exhortetur, neque pro imperio mandare licuisset. Cęterum Ezechias optimus princeps de regio officio, cura, atque administratione à Deo edoctus, oratione ad sacerdotes eiusmodi vsus est: quæ loquentis authoritatem referret, & potestatem. Itaq; imperandi modo, *Audite*, inquit, *mundate*, atq; *auferte*. Illi etiam sacerdotes, vt in eodem loco habetur, tanquam iustum regis mandatum exequentes, imperio paruerunt. Sic nimirum eruditi fuerunt reges illi, qui suum ex diuina authoritate munus in populo Dei plene atque perfectè obierint. Quæ etiam à principibus Deus nunc multo magis est exacturus: vt audita Prophetæ voce ad eruditionem huiusmodi amplectendam, exhortantis in regendo populo, *domino seruiant cum timore & tremore*. Vt populum non qualemcunq;, sed domino dignum, & acceptabilem, quo ad eis facere possunt, exhibeant, sicq; fideles dispensatores reperiantur in die illo, in quo rationem susceptæ administrationis sunt redditurí. Audiant itaq; sapientem Sapient. 6. *audite Reges, & intelligite, præbete aures vestras, vos qui continetis multitudinem, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra*. Quare non tanquam pigri, negligentes, & ociosi versentur principes, sed iugi in timore seruiant. Nam tanto magis solliciti esse debent ex munere dato, vt quidam scripsit, quanto se obligatiores esse conspiciunt in ratione reddenda. Magnum si quidem talentum est Principibus à Deo creditum: nempe vt populum non solū regant, sed rectè etiam regant: non in vna aliqua parte, sed in singulis. Sicq; vineam Domini, quam colendam suscepisse videntur curare, vt non arceant solum, quod noceat, sed repurgent etiam, atque repastinent, nec vllum genus culturæ prætermittant, quo fructum proferat vinea vberiorem, à patrefamilias suo tempore repetendum. Quis enim facultatibus sufficiat Principibus illud cauere, vt cum ipsi omnem in se regendi populi curam Deo authore susceperint, pacisci deinde ipsis liceat, vt partis maioris cura sit alterius, ipsi interim tanquam belle defuncti, in vtramq; aurem dormiant securi? Scilicet quam vocem præsentis reuerentia virtutis, non veritas potestatis aliquando expresserat, eam deinceps etiam si ab homine sic affecto emissam ad eludendam diuinæ authoritatis curam vsurpabunt? nempè illud Constantini dictū. *Ego vos non iudicabo, à quibus debeam ipse iudicari?* Deus generaliter loquitur, neminem excipit, populum credit principi interdum malum malo. Si bonum aliquando populū principi bono, certe tanto magis credit, vt vniuerso populo secundū Dei præcepta, non vni populi parti secundum traditiones hominum præesse credatur. Qui populus vna fide Christi conglutinatus, si Ecclesiam constituat, quid habet absurdi, vt princeps, qui illius populi caput dicitur, ecclesiæ etiam, quam populus ille constituit, caput vocetur?

Dices fortasse, solus CHRISTVS caput est ecclesiæ, omnes fatemur, qui quidē alioqui ne ecclesiā propriè constitueremus, nisi malignantiū. CHRISTVM sane ecclesiæ caput agnoscimus, atq; in cœlo regnantem cum patre quem aduocatum habemus ad patris dextram assidentē ac intercedentē pro nobis. Quatenus autem Christus mediator Dei atque hominum, ipse Deus, & homo, caput ecclesiæ est, non recipit ea ecclesia adiectionem, cum neque Anglicana sola sit, sed etiam Gallicana, Hispana, neque non Romana, quippe nullo loco circumscripta, sed quocunque terrarum etiam apud Turcas, sicubi suos sibi filios obsignauerit Deus, à quo, vt est in Euangelio, *omnes trahuntur, quibus dedit potestatem suos fieri filios*. Itaque sit hoc extra controuersiam, de quo vel contendere, ne dicam disceptare sit impium. Atque vt hoc remoueatur, & ne qua caussa calumniandi remaneat, & verbo caput additur in terris, & verbo Ecclesiæ adiicitur Anglicanæ. Cuius quidem Ecclesiæ Anglicanæ supremum in terris caput, quoniam id scripturæ, & rationes comprobant tanquam Principis & Regis appellationi inexistentem, rem eam quoque verbis apertis exprimendam duxit populus Anglicanus vniuersus, plebs, patresque, atque etiam ii, qui ab illa iurisdictione immunes, temporis, non veritatis præscriptione habebantur. Quid ni enim consentirent veritati? Neque profectò deterrere quicquam potuit, aut debuit verbi nouitas, & insolentia: postquam enim rem ipsam, quæ nomine exprimebatur, non modo veram, sed etiā veterem fuisse appareret, Iudicii, non temeritatis fuit, vt insigne aliquod nomen proponeretur, quod oscitantes quorundā animos, languidaq; iudicia ad ipsam veritatis considerationem excitaret, ipsoq; nomine admonerentur subditi, Principē

totius populi principem esse, non partis, ipsumq; populi corpus in ecclesiam coalescentis mancum esse, aut truncum, sed eodem principe tanquam capite constare. cuius muneris sit non humana solum, sed multo magis diuina curare, cuique videlicet corporis membro commoda distributione suas functiones mandare: vt ipse oculis, auribus, & ore iuxta solicitudinē, qua dono Dei præest corpori inseruiendo, & sui quemq; muneris cōmonefaciendo officium obeat eiusmodi, quod à Christiano Principe Christiano populo præsidente, Deus sit haud dubie olim exacturus. Atq; hæc quidem de nominis æquitate. Nam ipsa alioqui res, & multa, & grauissima habet exempla, non ea modo quæ veteri lege testata supra recensuimus, sed pleraq; etiam alia, non cum illis quidem pondere, & grauitate cōferenda, quæ diuina authoritate nituntur: Verùm tamen quoniam ad caussam pertineāt, non omittēda. Itaq; quis vnquam improbauit Iustiniani factum, qui leges ædidit *de summa trinitate*, & *de fide catholica*, *de Episc. de clericis*, *de hæreticis*, & cæteris id genus? Quas certè leges aut frustra tulit, aut curam se etiam illius, quæ purior, & sanctior esse deberet (id quod profitetur) populi partis habere interpretatus est. Veritatis reuera iudicium in hoc assecutus. Quoties autē legimus caussas hæreseos apud Cæsares & Principes agitatas, ipsorumq; examine discussas fuisse? Si antiquas Anglorū retro principum leges excutiemus, quàm multas reperiemus ad religionem, & ecclesiam pertinentes ipsorum regum iussu, & authoritate latas, promulgatas, ac demandatas executioni? Imo tanquā defensores inquiunt Ecclesiæ, non vt authores & capita huiusmodi statuerunt. Quis igitur interim caput fuit? quis præfuit? Cuius fuit præcipua solicitudo? Scio quid respondebunt: Nempè Romani Episcopi. post videbimus hoc. Interim certè concedatur necesse est regiam dignitatē summis in Anglia Episcopis semper præfuisse, & sub nomine *defensoris Ecclesiæ* (quo titulo Reges etiā donati sunt ab iis, qui minimum tribuerunt) ea præstitisse, & exhibuisse, si non in omnibus, certè in quamplurimis, quæ capitis dignitatem, atq; officium in Ecclesia referrent. Defenderunt namq; Principes Ecclesiam, quomodo caput tuetur corpus, atq; defendit. Cunq; hodie passim accidere videamus, vt rem ipsam in multis negligentes: aliqui nomen tamen ambiant. Illi Principes contra, re atq; officio tales, qui capita dici meritò debuissēt, à capitis vocabulo tantum abstinuerūt. Illi n. de hæresi, in qua prima, & præcipua functio est, sua authoritate, suisq; legibus inquirendum statuerunt, q̄ & hodie est & perpetuò vsq; ad hæc tempora fuit obseruatum. Iam verò Episcopis ipsis, & clericis multa permiserunt, multasq; illis immunitates concesserunt, quorum certè concessio abunde magno argumēto esse debet, aut frustra hactenus Principes de re aliena rogatos fuisse, quæ nihil ad eos pertineret, dedisseq; quod ipsi non haberent, quod plane absurdum est, aut eorum quæ concesserunt exercendi potestatem habuisse, atq; ideo de suo iure eatenus discessisse, atq; remisisse. Quæ cum ita sint, fuerūt re ipsa quidem capita semper Principes, etiam tum cum defensores duntaxat appellarentur, si id est caput esse corpori præesse vniuerso, ac singulis eius membris, quod in vsum cederet vniuersi mandare, remittere, nonnunquam & indulgere, sicq; singula moderari, & temperare, vt Dei gloria fideiq; professio indies augeatur.

At enim dicent isti, Romanum Episc. tanquam vniuersalis Ecclesiæ caput agnouerunt Principes, huic honores supremo capiti pares habuerunt, huic se submiserunt, huius authoritatē agnouerunt, hunc pro patre venerātes, filios contra se ab hoc appellari gloriati sunt, vt si à factis ius æstimemus, & ad iuris probationem satis fuerit facta docere, vt quicquid aliquādo factum apparuerit id etiam iure factum esse omnino fateamur: potior erit haud dubie caussa Romanorum Episc. Nolim videri, à quo longissime absum, tam vanus, aut impudens, vt dissimulem quæ facta sunt, ne dum negem. & tamen cum hæc concessero, quæ negari non possunt, videtur mihi, quod quemadmodum virtus etiam tum cum maximè deiicitur, vitiisque obducitur, vim tamen suam alicunde ostendit, vt oppressam in præsentia, non plane extinctam intellegamus: Sic in mediis iis factis, quę Principis iuri, atq; authoritati derogasse videantur, velut è longissimis tenebris lux quædam veritatis semper emicuit, ex qua propius, ac certius intuenti, licuit deprehendere, non fuisse hæc facta solida, integra, iustisq; fundamentis innixa, sed speciosa magis quam vera, & honoris fœnerati, potius quam soluti argumenta. Etenim si illa vnquam opinio Principum animis penitus insedisset, Romanum Episc. Christi in terris vicarium fuisse, hoc est omnibus esse à Deo caput constitutum, cui parerent omnia, omnia obedirēt, sine quo nihil vsquā sanctū haberi debeat, ne dū sacrū, cuius benedictio prospera, maledictio semper aduersa daret, aut si hoc ipsis adeo Romanis Episc. sic se habere persuasum fuisset. Neq; ipsi Romani Episcopi quæsitis artibus & humano ambitu potius quam solido diuinæ veritatis testimonio, si quod huiusmodi proferre potuissent, hactenus in defendenda authoritate vsi fuissent, neque Principes illi suis quisq; temporibus illam ipsam authoritatem, quam vocabulis, & appellationibus concedere videbantur rebus ipsis, & factis non clam, sed apertè sic imminuere ausi fuissent, eorum certè Principum, quorum summam in Deum religionem, illis in sanctorum numerum relatis, orbis iam post funera colit, & veneratur. Nempe si Episc. Romano curam totius orbis à Deo cōmissam maiores credidissent, quæ tandē audacia eos impulerit, vt tam multa statuerent curæ illi, & eius prætextu venditanti se potestati aduersantia, atq; contraria? & vt alia multa fecissent, illud certe quod tamen fecerunt, nunquam fuissent ausi facere, vt quem à Deo speculatorem ad videndū in eminentiore loco positum existimassent, huius oculos ne prouiderent impedire, obicemq; opponere voluissent. Æquum fuit credo tantam diligentiam in Dei vicario improbare, qui cura videlicet, ac solicitudine omnium Ecclesiarum affectus, ne pastores deessent populo, triplici interdum substitutione prouidit. In superiorem quidem, aut aduersus eum nulla legislatio legitima est. Inferiores n. non præscribunt iis qui præsunt: sed neq; eorum administrationi quantumuis iniquæ, & graui, frena

iure imponunt. Itaq; maiores nostri vtroq; Principes, qui maturo consilio in publicis consiliis, cum ad consultandum de repub. conuenissent, illam in Romanis Episcopis oculorũ aciem, ne prouisionem suam ad nos vsq; intenderent, æditis legibus arcendam censuerunt: nec suæ interim conditionis inscii fuisse videntur, nec illius potestatis originem, atq; naturam prorsus ignorasse, quorum in ea re & iudicia, & facta Episcopi Ro. adeo non improbanda existimauerunt, vt Principes ipsos, qui hoc & statuerunt, & obseruarunt non modo nõ reprehenderint, sed acceptã etiam cladem dissimulantes, à fide atq; obedientia laudarint, homines nimirum cauti, & prudẽtiores in generatione sua; callidos in hoc negotiatores imitantes, qui ex inutili stipulatione cum dimidium vix auferant; discedunt tamen quieti, id omne lucro quod acceperint, deputantes, cum nihil iure potuissent vendicare. Maiores autem nostri cum Romanorum Episcoporum authoritatem ex fructibus deprehendissent, nec Dei vicarium iudicassent, ita putauerunt, tolerãdam precariam illam authoritatem quidem cum moderamine, sic enim ratio tum ferebat non abiiciendam, sensisse certe nobiscum se, æditis factis apertissime significauerunt. Cæterum vt est cuiusq; animi magnitudo, ita vel suum vendicat, & præsente animo vtitur, vel oblata vtilitate contentus, cætera dissimulat animi securus. Quæ cum ita sint, nihil est ꝙ moueant reliqua facta, quantumcunq; in specie aduersantia, quibus iuri diuino haud potuerunt derogare, suamq; potestatem temeritate minuere, aut negligentia. Appellarint sane Episcopos Romanos patres, appellarint capita, ornarint quibuscunq; præterea nominib⁹, veritas certe rerũ erroribus gestarum nõ viciatur. Fuit olim Romana Ecclesia vel sanctimoniæ specie, vel potestatis amplitudine non modo magni nominis, verum summæ etiam authoritatis, quum authoritatem dico, Tullii sensum sequor, qui *in testimoniorum pondere ingeniosis, & opulentis propter vulgi iudicium, etiamsi interdum non rectum*, vt ipse ait, *tamen quia non facile mutatur, tribuit authoritatẽ.* Nam alioquin authoritas, quæ diuino iure censeretur, Ro. Episcopo nulla est apud nos quidẽ, quemadmodum nec cuiusquam externi Episcopi. Neq; hic veritati afferat præiudicium, quòd variis consiliis antehac homines in speciem fecerunt, nempe vel inseruientes suæ vtilitati, vel tempori cedentes, aut ignorantia occupati, vincat modo veritas diuini verbi, quæ si istis Ro. Episcopis nihil cõcedit amplius, quã cæteris Episcopis, videl. vt commissam in sua diocæsi plebem diuini verbi, & sacramentorum ministratione alant, & pascant, ne præscribatur tempore, veritati diuinæ, nec iudicentur Principes, aut populus ignorantia occæcati, calliditate circumuenti, aut vtilitate rerum capti; aut deniq; quouis alio respectu inducti fecisse, quod facere nullo pacto debuissent, aut potuissent. An quia consulere Episcopum Rom. in regenda ecclesia moris fuit, illo id propterea inconsulto nihil agere liceat? & quia Principes eos à suis consuli permiserunt, propria eo pacto iurisdictione se exoluerunt, quam à Deo commissam non licet abdicare.

Quæ præteritis temporibus confusa sunt, reuocentur adamussim verbo Dei, expendantur vtriusq; potestatis fundamenta, & quemadmodum Principis amplissimam potestatem non corrogatis, aut eblandiciis populi suffragiis quæsitam, sed à Deo collatam diuini verbi testimonio supra ostendimus, etiamnum idem Deus Episcopo Romano aliquã potestatem concesserit, quæ supremæ Principum potestati debeat derogare consideremus. Qua in re non est quod in scrutandis veteris testamenti scripturis detineamur, in quibus sacerdotes summis principibus subditos fuisse, & supra nonnihil attigimus, & multis aliis locis est manifestissimum. An non Aaron Moysen pro domino agnouit, quæ est appellatio imperium agnoscentis? Nunquid eodem subiectionis vocabulo vsus est Achimelech summus sacerdos, cum loqueretur ad Saul regem Israel? Nonne Salomon in summum sacerdotem Abiathar etiam capitali sententia animaduertit? Quid quod Alexander Rex, vt est in libro Machabæorum, scripsit Ionathæ, dicens? *Nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ.* An non hæc satis indicant superiorem Principum esse, etiam summis sacerdotibus, potestatem? Omitto, quod Demetrius Simoni summum sacerdotium contulerit, ac deinde aliis. Prætereo etiam alia quamplurima. Non tã enim confirmationis vim habeat ex diuina lege exemplorum multitudo quàm ostentationem. Hoc namq; interest diuina & humana, quod illa constantia, hæc vanitati, ac proinde varietati semper sint subiecta. In illis itaque nunquam non est verum, quod exemplo semel pro vero proditum est, vt ad probandam supremam Principum potestatem, atque authoritatem vnius Ezechiæ exemplum diuina historia testatum, ac nobis commendatum merito suffecisset. Relinquitur ergo vt Romanus Episcopus aut noui instrumenta tabulas proferat, aut nullas. Primum autem vt de noua lege in vniuersum loquamur, qui potest illius auctoritati vlla in Christi verbis syllabis suffragari? cum idẽ Christus tã aperte sit, & verbis, & factis protestatus, non terrenum se regnum quæsisse, aut huiusmodi regnum arrogare se vnquam voluisse, sed manente ordinum statu, cœlestis conuersationis formam, & intestinæ mentis iustum per Dei gratiam imperium tradere, atque docere, quod non in fastu, & dominatione, sed contra in humilitate, & rerum humanarum contemptu consistere factis luculentis, dum pro nobis acerbissimum, & crudelissimum mortis genus pateretur, clarissime declarauit. Cuius profecto vices sunt si quis eas bona cum fide obire velit, non præesse, sed subesse, non principibus imperare, sed eorum potestatem, atque imperium agnoscere. idq; non solum cum æqua imperent, & facile obeunda, sed iniqua etiam modo impia non sint, in conuiciis, in plagis, in verberibus vsque ad mortem, & mortem quidem crucis. Hæc sunt certa Christi vestigia, atque adeo hæc in Christo dominandi maiestas: hæc inquam, est Christi vera potestas, & admirabilis nobis, ac summe salutaris: per quam data est nobis etiam potestas filios Dei fieri, hanc factis docuit, atque expressit, de regno Israel. Somniantes discipuli

Digitized by Google

scipulos semper increpauit: neque aut Cæsaris tributo, aut cuiusquam potestati quicquam factis aliquando derogauit.

Atq; hæc cum ita se habeant, iam fecimus, opinor, manifestum, si Christi facta consideramus, quæ mutari non possunt, nec vllam ambiguam interpretationem recipere, reperiemus plane omnia cum his ex dyametro pugnare, quæ tanquam Christi vicarius sibi vendicat Episcopus Ro. Superest igitur tantum hoc, vt ad verba ipsa confugiat Euangelistarum, de quibus quidem ipsis (vtcunq; interpretatione sit variatum) vt sunt tamen in contextum relata inter omnes satis constat. In iis autē quid quærit? Nimirum hoc. Num dixerit aliquando Christus via veritas, & vita, in quo à factis nonnihil dissentiret suis? vt quam nunquam apud homines exegerit ipse authoritatem, eam nihilominus Romano Episcopo tanquam suo vicario commiserit vsurpandā. Hæc est certe quæstionis summa, verbis quidem (vt proponitur blasphema, & impia, sed quæ rem profecto ipsam exprimit quæ tractetur. Nam cum in cęteris omnibus *cœpit Iesus*, vt Euangelista testatur, *facere & docere*, & quod factis præstitit, doctrina exprimere: hac vna certe in re, de qua nunc agitur, si quid docuerit eius, quod hodie Christi titulo sibi arrogat Romanus Episcopus, videlicet ex verbis Christi principibus præesse, confitendum omnino erit docuisse Christum verbis id, cuius nullum in seipso exemplum nō modo edidit, sed cuius longe diuersum in perpetuo vitæ cursu præmonstrauit. Maneat itaq; hoc in caussa, Christi facta à nobis stare, quæ nulla hominum interpretatione queant torqueri. Tantū in Christi verbis quæstionem esse, quæ humana interpretatio interdum audet violare.

Quanquam etiam cum ipso Romano Episcopo hac in caussa congressurus, in eo primum posset insistere. Nullam de ipso Ro. Episcopo in scripturis sacris syllabam reperiri, vt quamcunq; verborū Christi interpretationem confirmauerit, extra oleas quod dicitur versari videretur. Nā quæ tandem consequentia est? Petrum voluit Christus principibus pręesse, id quod nunquā etiam voluisse videtur, ergo etiam & Episcopum Ro. An scil. quia est successor Petri? vtinā esset, nihil amplius dico, quo casu pręesset omnibus non dubito, si non eminētia potestatis externæ, cuiusmodi haud dubie nullam habet, at certe admiratione, ac veneratione internæ virtutis, quo nomine, ipsis etiam imperatoribus voluit Christus suos prælucere, ac primatum obtinere. Vtpote quibus, tanquam legatione pro se fungentibus, claues etiam tradidit regni cœlorum, & in iis Petro, qui omnium nomine cōfessionem primus emiserat tam salutarem, vt Iesum agnosceret filium Dei viui. Quam quidem confessionem vt caro & sanguis non reuelauerat, ita nec carni in Petro, aut sanguini data est prærogatiua, quæcunq; est data, sed potiori eius parti, qui spiritus erat, nimirum vt vberiore gratia à Deo, donatus, in virtute, ac verbi Dei potentia regendorumq; affectuū potestate primatum obtineret, quod si Christi verba sic interpretaremur, vt externam aliquam in dominando potestatem, quam reliqui omnes agnoscerēt mortales, atq; in iis etiam Principes, licet antea ab eodem Deo in superiori loco collocati, vt nihil aliud afferatur, qui consisteret illa Christi sententia? Nō est discipulus maior Domino suo, si præsertim discipulus exemplo Christi imperium non pateretur, sed supremam illā potestatem exequeretur ipse, quam Dominus nunquam voluit sibi arrogare. In Scripturis de primatu Petri nulla facta est mentio, & Eusebius in Ecclesiastica hystoria refert: Clementen *in sexto dispositionum libro* asseruisse, Petrum, Ioannem, & Iacobum post assumptionem saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, non sibi tamen eos primatus gloriam vindicasse, sed Iacobum, qui Iustus appellabatur, Apostolorum Episcopum esse statutum. Veruntamen propter authoritatē eorum, qui à verbo *Primatus* non abhorruerunt, verbum ipsum non perinde refugio, sed ad illam eius verbi interpretationem confugio, quæ cum genuino Euangelii sensu, in Christi factis depicto, queat conuenire. Fuerit igitur Petrus primus, habuerit etiam primatum à Christo, quid tum postea? an simul cum primatu regnum, aut dominium collatum est, aut præeminentia? An quia iussus sit fratres confirmare in fide, datum est idcirco in fratres exercere imperium? Nullum huius generis vocabulū nouit Christi humilitas, nedum rerum. licet enim Christus Deus erat æqualis patri, apud quem erat in principio, & in omnibus quæ ab eo creata, dicta, aut facta sunt, vna cum spiritu sancto cooperator, indiuiduus (vna videl. trium personarum in diuinitate essentia) semper fuerit, licet in quā secundum hanc maiestatem, omnem potestatem habuerit semper, quā subiiceret sibi omnia: vixit, viuit: viuetq;; regnauit, regnat, atq; regnabit per secula Deus omni tempore: pro immensa tamen sua in humanum genus misericordia, *seipsum exinaniuit formam serui accipiens, habitu inuentus vt homo, atque adeo inter homines*, secundum prophetam, *opprobrium*, vt faceret planum, atq; apertū, ea quæ summo apud homines in precio haberentur, imperia, dominia, & præeminentias tanq̄ impedimenta quædā ad æternam fœlicitatem assequendam, abiicienda potius, & contemnenda esse, quam cum studio quærenda, ambiendaq;. imò nec amplectenda quidem. si se ipsa offerant, nisi ea cautione adhibita, vt tanquam materiā, in qua exercendæ pietatis caussa versemur, vnusquisq; in vocatione sua à Deo oblatam accipiamus. quæ; quo maior ac numerosior fuerit, eo certe difficilior sit expeditio, quā nemo eorum sibi exoptat, & quærit, qui ad patriam bona fide contendunt æternam. Tantum abest, vt de primatu aliquo externæ administrationis sensisse Christū intelligamus, qui milites suos, quos velut in acie aduersus mundi, carnis, & Sathanæ fraudes, prælia, & perpetua bella instruxit, eos demum primos, & in ipsa fronte quasi antesignanos collocauit: quos quasi ad frangendos maiores impetus hostiū fide robustiores nouerat, nulla alia cura externarum rerum occupatos, atq; impeditos, quique cæteros infirmiores, vt nomina huic militiæ darent, constantiæ exemplo animarent, allicerent, & prouocarent, qua in militia, quòd CHRISTVS suorum faciens delectum, primam stationem

Petro

Petro in fratres contulerit, nihil mirum cum ita eum ipse armauerat, vt etiam si aliquando hosti pro tempore cessurum, rediturum tamen eum ad pugnam, nec prorsus succubiturum, sed acriter fortiterq;, pro veritate asserenda dimicaturum præcognouerat. Primus ergo Petrus fuit? id nemo negat. primus enim confessus est Christum verum filium Dei viui. Petrus etiã in eadem veritate defendenda nemini vnquam fuit animi constantia, atq; firmitate secundus, primus post Christum docuit Iudæos, In conuentu etiam Apostolorũ cũ necesse esset vnum loqui omnium nomine, aliquando cum ita res ferebat, primas obtinuit in dicendo partes. Non igitur refragabor argumento, quod vocant à coniugatis quo minus diuus Petrus tot modis, atq; rationibus primus, etiam primatum inter Apostolos habuisse censeatur. Quemadmodũ enim sapienti quatenus est sapiens adest sapientia, sic etiam primatus adest primo. quid ergo? qui primus medicorũ omnium habetur, an non habet etiam primatum inter medicos? quid ni enim habeat? In pictoribus rursum, si quis hac tempestate Appellem æquaret, aut Parrasium, & primus ideo pictor appellaretur, an non eum primatũ inter pictores obtinere diceremus? planissime. In Academiis autẽ si omniũ consensus in hoc conueniret, Lutetiã Parisiorum tanquã doctissimis viris refertissimam, ac frequentissimã, primam appellare orbis Academiã, an non etiã eidẽ, inter alias academias primę, primatus appellatio cõpetere posset? certe. Sed ꝓpius adhuc accedamus. Si quis cũ vnũ vniuersæ familię regẽdę prępossuisset, in qua magnũ numerũ iuuenũ cũ haberet, quos bonis artibus imbui, atq; instrui cuperet, multosq; præceptores asciscendos curaret, ac in his vnũ præter cæteros egregie doctum virum, quẽ tanquã inter in alios eminentẽ, præceptorũ omniũ quos asciuerat primum vocaret, cuiq; quos habet charissimos erudiẽdos cõmitteret: an non hic, pręceptor primus cũ sit, primatũ obtinet? maxime. Neq; sane primus quauis in re non habere potest primatũ: sunt enim primus, & primatus coniugata non solum vocabulo, verũ etiã re. Cæterũ illud quæri potest: is, de quo diximus, Prim⁹ præceptor in hac familia si quid ibi inciderit de moribus, aut ordine controuersũ: vtrius prior potestas haberetur, eius ne cui familia cõmissa sit, an eius qui ad erudiẽdam iuuenturẽ asciscitur, qui primus, vt diximus, appellatus est, atq; ideo habet primatũ? Quis dubitat, quin illius cui commissa sit familia? quid ita? nempe manifestissima est ratio, videl. quia ordo nonnunquã relatione mutatur, & quod in vna relatione primum & supremum est in alia vel diuersa inferiorem interdum locum, etiam sæpenumero vltimum tenet. Itaq; Deus filius æqualis patri secundum diuinitatẽ, minor est patre secundũ humanitatem. Item Deus filius quatenus quidem Deus, in principio est, atq; principiũ ipsum, quatenus vero Dei filius, secunda numero persona est, licet sine omni consideratione temporis Deo patri semper coæuus. Sed è rebus inferioribus vt petamus exẽpla: An non domi videmus eundẽ hominem diuersis muneribus functũ, Arithmeticarum figurarum instar, nunc primum, deinde secundum, tandem tertium occupare locum, interdum etiam inferiorẽ prout caussæ, in qua versatur, & loci, vbi conuenitur, ratio postulat? Nunquid videre est eum, qui in iudicum consessu primus est, & eo nomine etiam primus iudex appellatur, cũ extraordinariis iudiciis adesse rogatur, quod non raro fit, in tertio aut quarto loco post alios collocari? Quin in diuinis quæso functionibus, quãtum, vt ita dicam, primatũ obtinet Sacellanus in Dominum, dum interest diuinis, quem tamen cum loco, & veste mox deponit. Neq; id sane mirum. In hoc enim ita se res habet, vt qui primi, ac primatus nomen cupit retinere, ab eo nõ discedat oportet, cui illa fuerat appellatio apposita, atq; affixa. Itaq; vt ad exempla redeamus. Medicus quidẽ habeatur in medicina primus, hoc est scientia cedat nemini, sicq; quoniam etiam id res ipsa postulat, retineat primatũ. cæterum tantisper dũ versatur in re medica: In administratione autẽ reipub. quoniam alia est functio, sua sit classe etiã secunda contentus, nec aliis contendat imperitare, quia primus sit medicus: sed nec cæteris quidẽ medicis imperandi sibi arroget authoritatem, quippe quæ in primatu collata nulla est, non quia non potuit conferre etiam hoc, qui eum sic prætulit, sed quia nõ collibuit conferre, quia sic ratio non ferebat: vel quod grauissimũ est diceret, quia id nõ fecit, vtpote qui eum non absolute primum, sed primum medicum appellauit. Sic etiam pictor egregius pictorũ primus, & in eo contendat retinere primatum, ne si alius superarit arte, superet etiã nominis dignitate. Academia Parrisiensis non tam de honore glorietur vocabuli, quã studeat pręstare quod est appellatione tributũ. Deniq; hic pręceptor, qui ad liberos erudiendos ascitus est, quia nõ hominis personã, sed latentẽ sub persona virtutẽ honore primatus donandam censuit paterfamilias, meminerit etiam atq; etiam se non tam honorari hoc nomine, q̃ onerari, studeatq, potius secundũ nominis rationẽ in exhibendo docendi munere, se primum præstare, quã vano appellationis titulo abuti, & tãquã absolute primus esset, neglecto officio, & eo pacto amisso primatu, de nomine tamen atq; vocabulo cum his qui verũ obtinent primatũ, atq; absolutũ, tanquã regendæ familiæ præpositis contendere, & digladiari, sacraq; & ꝓphana miscere, vt quo iure, quaq; iniuria vincat, ac pro libidine obtineat, nihil præterea de functione, atq; officio habẽs pensi: sed totus in hoc. Id ꝙ multo iam tempore plane fecisse videntur Episcopi Ro. qui ea, quæ primatui Petri adiecta fuerunt, nihil curantes, atq; primatus nomen certis quibusdã functionibus annexũ ipsi absoluẽtes, quippe qui absoluũt omnia, nudũ orbi vocabulũ proposuerunt, vt primi haberentur, atq; ipsis primis priores: nihil interim cogitãtes, q̃ sint in cęteris, infimis quibusq; inferiores. Non cõfero hic, in quo mihi latissim⁹ pateret campus, hominũ vitia cũ caussæ conditione, nõ sẽper boni præsunt scio, nec authoritati tamẽ quicq̃ derogat hominis malitia, etiam illud scio, *omnes peccauimus, & egemus gratia Dei*. Quod autẽ caussæ annexum est, sileri non potest, ne quis mihi obiiciat illud Pauli, quod *in quo aliis prædico, ipse reprobus reperiar*. Quam enim non satisfaciam mihi in meo munere, conscius mihi ipse sum. Fidelis autem

dispensator quis inuenietur? secundum Paul. qui in eodem loco subdit, *N[illegible]* Itaque nec ego hac in re latius, ampliusve versabor, quã postulat caussa. Nempe vt eum, qui se primum vocat immerito, quã modestissime cum veritate refellam, eiq; si nihil aliud, illud saltẽ optem, vt iisdem titulis primus sit, quibus primus esse debet is, qui primus merito appelletur, quibusq; fuit ille, vnde sibi tanquam successione primatum vendicat. Quamobrem præcedat modo alios Christum [illegible]tendo, & primus eatenus inter omnes, etiam iure diuino, merito cẽseatur, id quod si Bonifacius sensisset, non fuisset ei opus idipsum suffragiis à Phoca imperatore, tanquam mendicando impetrare, quod sibi ipse Dei opitulante gratia, per se conquirere potuisset.

Præterea primus ante alios doceat, & prædicet Christum Episcopus Ro. & tãtisper ante alios obtineat eius functionis primatum. Quam vero illud ridiculum, vt multis in stadio currentibus, vnus quispiam à spectatoribus magno cum ambitu cupiat impetrare, vt ipse ad currendum quidem inter cæteros designatus, cum iam aut culpa sua claudus, aut aliter ad cursum ineptus factus sit, alios tamẽ omnes etiã tum cursu anteuertisse, ac primus omnium metã attigisse dicatur; quum præterquam quod vestitu ad cursum apposito prodierit, sederit interim inter spectatores ociosus, nullam aliam precum suarum rationẽ afferens, quam quod ab iis (si diis placet) ortus & prognatus sit, qui olim optimi cursores, atq; ideo primi sunt appellati. Egregia sane ratio, & eo sane digna, qui vanis, ac falsis appellationibus gaudeat, & adulationẽ plusquam Gnatonicam æquo animo ferat. Quemadmodum autem huic sanus amicus, si quis adesset, non modo mentẽ optaret meliorem, verum ab illa etiã inepta petitione, recta si posset admonitione auerteret, indicans nimirum, q̃ sit stultitiæ plenum, velle verbis dici, & appellari, quod reuera non sis. Ita quoq; ego sane cuperem Romanis Episcopis, quos simili quodam affectu (volo rem verbis temperare) laborasse constat, atq; adeo in præsentia ab inueterato (vt audio) non desistere, consultum ab aliquibus fore, vt ne contenderent primos dici, quoad consisterent in postremis: Sed si nominis appellatio delectaret, viderent potius quibus rebus parta, quibusq; rebus proprie fuerit attributa. Vt enim in ciuitate bene cõstituta qui primi sunt in diuitiis, nõ sunt ideo authoritate primi: sic nec in Ecclesia Christi aliis præsunt ii, qui fastu, pompa, diuitiis antecedunt. Ideoq; si in munere, atq; officio prædicandi verbi Dei, si in illustrandi nominis Christi cura, & solicitudine, si in prompta ad veritatem tuendam, & fidem Christi ab hæresibus vindicandam animi magnitudine magno olim cum consensu orbis, Romanæ Ecclesiæ primatus sterit, id quod illis temporibus maxime patuit, cum Romani iam Episcopi, & ferè soli, in ipso nascẽtis Ecclesiæ primordio furori tyrannorum in Christianos, sæuienti, cum sanguinis profusione mederi curarint: Neminẽ puto hodie Christianorum Principũ, qui Ro. Episcopos, si viderent de illo primatu contendere bona fide, nimirum vt alios omnes quotquot habet Ecclesia Christiana quaqua versum dispersa, Episcopos pietate, fide, religione, pia quadam æmulatione vincere, & tam longo anteire interuallo certarent, vt in cursu hoc primi merito dicerentur. Hæc inquam Principes, si viderent, haud grauatim facerent, vt quod oculis cernerent, veris nominibus donarent: & quem primum animaduerterent, in eo certamine etiam primum appellarent, ac in primatu honore virtuti debito, venerarentur.

Qua quidem opinione inducti videntur maiores, quæ etiam opinio ad nostra tempora durauit, vt operam sibi conducerent Ro. Episcoporum, qui se *seruos seruorum Dei*, non tam nomine, vt nunc, quam reipsa tum profiterentur. Cæterum *serui* appellatio ministerii rationẽ notat. Neq; .n. seruus operas suas locandas imperat, sed tanquam in medio promptas sistit, vt alliciant conductorẽ. Qua in re aliqui tamen diligentiæ, ac fidei cõmendatione sic operas ostentant suas, atq; desiderabiles reddunt, vt multos efficiant cõpetitores, atq; eos ita afficiant, vt quũ domi negotium & melius, & expeditius absolui potuisset, illis tamen inconsultis nihil aut præclari, aut recti geri posse existimetur. Id quod in variis opificum generibus, atq; minimis quibusq; rebus cum indies accidere videamus, non est mirum, si in religione, in qua ad absolutissimum quodq; exemplar, omnia cõponi omnes optant, in quo tamen nonnulli suis ingeniis partim diffidunt, partim in eo corruptis vtũtur, quod peregrina domesticis anteponant, non debent inquam cuiquam mirũ videri, si splendor nominis Ro. Ecclesię, claris tum virtutibus illustris, etiam omnes fermè orbis partes in sui admirationem excitans, attrahensque virtutis amore, quod est vinculum firmissimum, sibi adglutinauerit omnes, effeceritque, vt eam ecclesiam, quam omnes tot virtutibus tum temporis conspicuam cernerent, inter alias tanquã primam, ac præcipuam venerarentur.

Pii quoq; homines iis etiam nominibus ornarint, quæ hodie tanquã diuinis oraculis prodita orbi iactant Ro. Episcopi, vt primatum defendant non virtutis, sed potestatis atq; huius quidem terrenæ, externæ, atq; carneæ, qualem nec exercuit Christus aliquando, nec vnquam exercendam commisit, quatenus ex sacris quidem literis licet colligere. E quibus tamen cũ aliqua decerpserint aliqui, quibus id confirmarent à Christo esse mandatum, atq; constitutum, in quod sua sponte populus, ac Principes, virtutis vi, tanq̃ à magnete attracti concessissent, nempe vt ecclesiã illam Ro. & in ea præsidentẽ Episcopum, non modo colerent ac venerarentur, sed iis et appellationibus exornarent, quæ pietas fingere, atq; exprimere solet (qua in re pius nonnunquam est error bonorũ hominum) tamen editis in hoc multis multorũ libris, mutuaq; conflictatione impetentium, ac defendentiũ, cum sit plusquam manifestũ illa scripturæ loca, ad eam authoritatẽ defendendã, à vero, ac genuino sensu detorta esse, non putaui operæpreciũ actam rẽ agere, & illa repetendo, quasi scrinia aliena compilasse videri. Cæterum interim ego etiam ne omnia omnium scripta videar reiecisse, de primatu non ita multum contendo, modo ne vltra id proferant, quam cui videtur ab initio fuisse appositum.

Id autem pernego, fuisse Episcopum Ro. in absoluta aliqua externa potestate primum à Deo cõ-

stitutum: de hoc est, quæstio, in hoc caussa consistit. Qua in re planum fecimus (opinor) facta Christi à nobis stare, nec primatus vocabulum à patribus vsurpatum obstare, eam autem appellationem commoda interpretatione adhibita potestati, quam nunc sibi vendicat Episcopus Ro. nihil suffragari. Nihil præterea, caussæ Episcopi Romani patrocinari prærogatiuas, quas Deus sua in Petro dona coronans eidem contulit: quæ videl. non carni, & sanguini, sed ad insignis illius fidei professionis testimonium sunt collatæ. Cuiusmodi adhuc Deus, qui etiamnum inexhaustam habet bonitatem, istis ipsis Ro. Episcopis sit daturus, si fidem Petri fuerint imitati. Quod si adhuc pergant Romani Episcopi male constructæ, atq; ideo iamdiu nutantis potestatis ruinas fulcris & pedamentis, ab humano ingenio fabre factis, in suo fastigio sustinere, potius quam ne casum patiantur grauiorem ad eum vsq; modum demittere, quem veritas tueri ac defendere posset, nolo grauius quicquã ominari. Tantum animaduertant, vincere tandem in omnibus veritatem. Iam tenebris successisse Euangelii lucem. lucem autem arguere quæ non sunt probanda. Vident omnes quid sibi velint ea Euangelii verba, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Cernuntur mysteria, & trinæ interrogationis domini ad Petrum, & trinæ eiusdem negationis, ac solutionis didragmatis pro eodẽ. Intelligitur hodie, quid sit Apostolorum esse primũ: quid deniq; oues pascere concreditas à Deo, hæc passim obuia in ore sunt omnibus: Clamant etiam aliqui fucum, & imposturam. Alii vero aliis, vt fert natura, atq; ingenium, parcius loquuntur, atq; moderatius. Sunt etiam, qui, quoniam se animi tam diu falsos fuisse animaduertunt, præ pudore quo ad licet tacent. omnes plane constantissimo consensu in hoc conuenerunt, docti pariter, atq; indocti tum viri, tum fœminæ, nihil ei cum Roma esse negotii, quem Anglia genuit, & educauit, omnes summo consensu veritatem amplexantes, atq; exosculantes Principem, supremum in terris Ecclesiæ caput agnoscunt, colunt, & venerantur. Iabent valere Episcopum Ro. cuius operam vtcunque receptam aliquando, ita hoc tempore inutilem atq; incommodam non magis religioni habent, vt in quo nulla sit religio, quam à se illum sacellanum inuitum dimittere, qui ad diuina peragenda conductus, aut rogatus, non seipsum officio, fide ac diligentia probauerit iis, à quibus operæ præstitæ mercedem deberet expectare. Maluit enim re ipsa seruum in ministerio fidelem, in cuius nomine certa rerum nota, qui vocabulorum est vsus, deprehendatur, quam serui loco factis quidem venditantem, sese dominorum Dominum, qui interim sese appellet seruorum seruum. Cui tamen pro Christiana charitate bene precantur, & optant omnes, inter quos etiam ego vel maxime: nimirũ vt nunc qui Paulus est, ita cæteros antecessores superet diui Pauli dotibus. Vt quemadmodum hic vna ad Ro. epistola vniuersa nostræ religionis mysteria complexus est: sic ille è Romanis ea nunc scribat iis, qui ei auscultãt, quæ veram CHRISTI gloriam sapiant, & ad fidem illustrandam pertineant, verius quàm quæ superioribus his annis ab archiuis illis, & scriniis in orbem emanarunt. Breuiter viuat, & valeat in Domino fœlix.

Ego vero redeo ad institutum: Nempe vt omnes cohorter ad obedientiam, quæ in Dei præceptis ac propter Deum sola nos efficit fœlices, ac beatos. Præcepta autẽ Dei lucida, quæ oculos illuminãt, ne in tenebris offendamus, sunt iusta, sunt honesta, sunt deniq; tum animæ tum corporis perpetuæ vitæ non vtilia modo, sed necessaria, eademque nec grauia obseruatu aut difficilia. habent quidem iugi rationem quòd detineant, & contineant in labore, sed cum suauitate. onus autem sunt, sed leue, Nempe illud præstat Dei gratia, quæ per IESVM CHRISTVM facta est, vt quæ carni sint impossibilia, per spiritum præstentur cum alacritate. diffusa namque charitate in cordibus nostris per spiritũ sanctum, qui datus est nobis, ac renouati spiritu mentis nostræ, iamque spirituales effecti cũ simus, dicere licebit cum diuo Paulo, *Omnia possumus in eo qui nos confortat Christus*. Non est igitur quod rei grauitate deterreamur, quæ Christi beneficio, morte eius preciosissima, & gloriosissima interueniente, facillima effecta sit iis, qui carnis imbecillitatem agnoscentes, diuinæ se totos fidei, cum certa in Deum fiducia obediendo committunt. Ergo accingamur obedire Deo in præceptis eius, quæ vt difficilia non sunt, ita nec numerosa. *Qui diligit proximum*, ait Paulus, *legem impleuit*: quid dici breuius potest, aut maiore cum compendio? Quoniam autem *dilectionis* verbum interpretationem habet, eam sequamur ante omnia oportet, quæ in scripturis ab eo prodita est, qui legem ædidit, & promulgauit. Ordinem deniq; seruemus à Deo præscriptum, nec ab eodem constituta, atq; diuisa commode corporis Ecclesiæ membra, vt vnus in Ecclesia doceat, alius præsit id quod Principibus est attributum, nostra interpretatione confundere conemur, atque peruertere. Quinimo relictis, atque neglectis, quæ hominum siue prudentia, siue calliditas adinuenerit, ipsam sequamur veritatẽ. Huic pareamus, huic obediamus, quæ sola constituit veram obedientiam.

Atq; hic quidem claudere sermonem potuissem, ni me ineptæ quorundam voces, tãquam pone præhensum resupinassent, meq; de meipso rationem reddere coegissent, quo tandem fretus de obedientia quacunq;, nedum vera, verbum ædere ausus sim, qui interim obedientiam docere professus, meam detego inobedientiam, & in eius potestatem, atq; authoritatem impetum facio, cui defendendo patronus olim ascitus sum, atq; adeo iureiurando adactus, vt eam pro virili tuerer, & propugnarem? vbi inquiunt, iurisiurandi religio? vbi fides? quid credas his temporibus? aut cui credas? Etenim Episcopus quidam Romani Episcopi suffragio in Episcoporum ordinem cooptatus, & eius mandato consecratus, atq; inter sacra ipsa Ecclesiæ Ro. iura defendere iuratus, quæ omnia volens, vltro & sponte subiuit, atq; pollicitus est præstare. En, inquiunt, idẽ ipse deterrimo præuaricationis exẽplo fidei datæ, atq; iuramẽti oblitus, aut si nõ oblitus, certe ꝙ deterius est, iureiurãdo ac fide spretis atq; contẽptis, Romanę ecclesiæ apertũ se hostẽ profitetur, ac quo tela in illã venenata securius iaciat, tanquã ab obediẽtia hastã mutuatus, quasi tectis lateribus delitescere se credit, cũ interim o-

mnibus pateat apertus, & nudus, pari cum stultitia atque improbitate. Hæc qui dicturi sunt, iis me vt satisfacere possim, nonnihil vereor, atque pertimesco. Afferát enim fortasse ad caussam nescio quid, animo præiudicatum, quo repletus iam animus, id quod à me dicetur, non aliter respuet, quam vas quodcunque aqua iam plenum, superfusum liquorem non admittit. Qui vero hęc audient, ac vacuo deinde, liberoque animo, aut saltem non summo tenus pleno, nostra vicissim cum æquitate legere voluerint: his nihil dubito ostensurum me, atque adeo persuasurum verba hæc quantumuis specie grauia, quippe periurii, & infamiæ accusationem continentia, conuicii duntaxat crimine alligare eos qui proferunt: me vero in quem dicuntur, non magis mouere debere, quam è dolio reddita tonitrua, quod habet prouerbium. Neque enim in dictis iuratis, aut promissis spectari potius debet forma, quam materia. Quinimo dicas, iures, aut promittas sanctissime id, quod facere, & exequi nō debes, non vincent pacta rerum naturam: nec in his forma mutabit materiæ conditionem, sed persancte iuratum, si malum sit, aut non rectum, sanctius omittitur, quam iuramenti prætextu, quasi vinculum sit iniquitatis, efficiatur, atque præstetur. nisi fortasse persuasum habeamus in malis, atq; peruersis laudandam esse constantiam, vitioque potius dari deberi de media via recurrere, quā semper currere male. Ad quam rem clarius demonstrandam illud mihi exemplum visum est accommodatissimum. Maritus quidam cum iustissimis argumentis credidisset primam vxorem nusquam inter viuos extare superstitem, authore ecclesia, quasi à coniugio liber, mulierem quandam virginem creditam, specie quidem egregiam, cum consensu parentum superinduxit vxorem, ex qua post aliquot annorum cohabitationem liberos cum sustulisset, en rediit tanquam postliminio prior vxor inexpectata. hæc repetit virum secundis nuptiis male colligatum. Vir autem ipse re penè incredibili percitus, atque perculsus, primum negare eam ad se pertinere, dein signa quærere, postremo quoniā se ab illa, quam posterius duxisset, ægre admodum auelli pateretur, quoad poterat dilationibus procrastinare, tandem vero ad iudicium prouocare, in iudicio autē, quod secundæ vxoris caussam tueretur, nihil omittere. At victus tandem veritati cedit, ac priori vxori ex ecclesiæ iudicio se adiungit. hic nunc si ea mulier, quæ secundo loco ducta merito expellitur, aut ea per tristitiam, & mœrorem tacente, parentes eius, aut amici exclamarent: O mores, ô tempora, atque in hunc hominem similē quandam orationem haberent, atque in me dicere videntur isti, Quid tu pessime, fœdifrage, nequā, an hanc nunc deseris, atque destituis, cui tu olim tam sancte inter ipsa sacra, cum Deus testis adesset, dedisti fidem? An exciderunt memoria verba illa, quæ in corona hominū celeberrima, ministro Dei recitante, in ipso templo protulisti, muliere quam nunc turpiter abiecisti, tum præsente & stipulante, atque inuicem etiam promittente? An non orasti nos olim de hac, & illius nuptias multis precibus ambiuisti, atque æditis pactis iurasti seorsum nobis, hanc te tanquam matremfamiliàs semper habiturum, neque te viuo deserturum? an etiam non pudet, quum hæc te patrem fecerit talium liberorum, illam nunc turpiter tanquam meretricem abiicere? atque adeo illam cum deseras, eius qui te ab hac euicit partes tueri? vbi iurisiurandi religio? vbi fides? Quid credas his temporibus, aut cui credas? Maritus deserit vxorem. Quæ quidem orationis ipsius forma, vt mulieris dolori concedi posset, tum propter grauem præsentis calamitatis sensum, tum etiam propter sexus infirmitatem, ita certe ab aliis prolata, qui quidem grauiter videri vellent dicere, extremæ stultitiæ æderet argumentum, quamque in concione riderent omnes, in ipsis iudiciis ferret nemo. Mulieri autem ipsi post aliquod temporis interuallum si quis responderet, Non recte accusas mulier eum, quo nunc iure cares marito, & defensore. Quid enim in eo nunc improbas? Nempe quemdiu aberat prior vxor, te amauit, te coluit, te habuit pro vxore, atque adeo primæ redeunti, quam non superesse putauit, illi non temere credidit, non protinus assensus est: nihil amplius tua caussa facere potuit, quam fecit. Si à te eum meretricis amor abalienasset, fuisset aliqua tua querela. Nunc autem quid exprobras fidei violationem ei, qui vt eam seruaret, à te discessit, & mulieri adhæsit, quam iure antea desponsauerat? quid adhuc conquereris? cederet opinor mulier: certe non haberet quod conquereretur. Quæ quidem si non virgo, vt credebatur, fuisset, sed corrupta, quæque priorem huius viri vxorem ideo curauerat ipsa in extremas aliquas insulas ablegandam, vt fidem interim huius sibi obstringeret, & quo minus alteri in matrimonio seruiatur efficeret: vtrius tandem culpa maior censeatur? huius viri qui bona fide contraxit, nulla: callidæ certe mulieris maxima, vt quæ alieno matrimonio delectaretur. Atque hæc si quis consideret, an non tanquam in speculo cernet in me huius mariti veram imaginē, qui scilicet quum eam obedientiæ veritatem nusquam extare crederem, aut saltem requisitam non inuenissem, secundis me fœderibus ei copulaui bona fide, cum qua mihi cohabitationem interdictam non putaui, redeunti veritati, quæ prima est vxor omnium hominum, vtpote in baptismo desponsata, & quæ primam fidem ab omnibus exiget, ei acquieui, ei adhæsi: à secunda copula, tanquā nulla, ecclesiæ meæ iudicio recessi. Et æquum cuiquam videbitur, quia veritati pareo, appellari mēdacem? quia in obediendo Principi, Deo inseruio, sacrorum contemptorē dici? aut iurisiurandi violatorem? Et quod ridicule obiicitur marito post diuortium, qui fidem non præstitit, quam dare non debuit: id mihi in hac caussa grauiter, & serio obiicietur, qui grauissimo quidem veritatis iudicio ab illa Romana ecclesia, quam mihi retinere non licuit diuulsus, sponsam veritatem tandem postliminio redeuntem cogor agnoscere, atque illi firmiter adhærere? Si docere posset non esse hanc veritatem, quam pro vxore, fidem primam repetēte, amplexus sum, quod nunquam faciet, me quibus volet, vocet nominibus. Sin hoc omisso de iuramento aget, verendum est, ne odisse incipiant omnes eā calliditatem, quæ iuramentis contra veritatem innitatur. Itaque remoueatur à caussa iuramentum,

Digitized by Google

quod veritati subseruire, non autem præiudicare possit, aut debeat. Qui iurat illicita, haud rectè facit: qui verò illicita iurauerit, & ea exequi perseuerat, altius, atq; altius sese immergit, vnde nisi retrogradus queat nunquam euadere. Quamobrem nimis absurdum foret, vt, in quo quis resipiscere laboret, in eo crimen contrahere, & sese dehonestari, ac deturpari videatur. Secundum quā rationē fit, vt ne in ciuilibus quidem legibus vlla sit turpium obligatio, videlicet ne in criminib' perseuerantiā potius, quam resipiscentiam probasse videantur. In Ecclesiasticis verò sanctionibus, nullo eum teneri nexu, qui illicita iurauerit, diffinitum est, cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis. Superest tantum hoc, vt ab illa impetitione depulsi, qua periurii notarent, temeritatis mihi notam inurere contendant, qui iuraui ea, quæ præstare non licuit. At licuisse putaui, non solus, sed cum iudicio multorum. Nam veritatis vox, iam diu tum sepulta, haud impedire videbatur. Nūc autem cum domum redierit ipsa, & tam multis se iudiciis mihi eam ipsam esse confirmauerit, quidni amplectar veram sponsam, quæ fidem meam habet sibi obnoxiam, ipsam nimirum veritatē, in cuius obsequio nulla est culpa, nedum crimen? Tantum abest, vt aliorum conuitia pertimescam, dum huic vni mea probem officia, & secundum eam Principi supremo ecclesiæ Anglicanæ in terris capiti obediendo, alias simul obedientiæ veræ partes obire contendam, quæ sunt hominis propriè Christiani, vt emēsis in obedientia, & veritate huius vitæ spaciis, potiri valeam æterna vita; cuius author est, & dator Iesus Christus, qui vt omnes ad patrem traheret, patri per omnia factus obediēs, mortem pro nobis obiit salutiferam. nec facto minus, quam verbo eam docuit obedientiam, quæ veritatis plena cum sit, ad ipsam omnes quotquot in fide adhæserint tandem euehet veritatē, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

IOANNIS BEKINSAV ANGLI DE SVPREMO ET ABSOLVTO REGIS Imperio

Liber vnus.

HENRICO OCTAVO ANGLIÆ, FRANCIÆ, ET Hiberniæ regi inuictissimo, fidei defensori, & immediate post Christum Ecclesiæ Angliæ & Hiberniæ supremo capiti, IOANNES BEKINSAV fœlicitatem optat perpetuam.

QVi rem aliquam litteris suis illustrare, & eius veritatem, fucatis aliorum rationibus alioqui obscuratam, velut è tenebris in lucem eruere, ac orbi iam libere contemplandam proponere student: summa ope niti debent, rem ipsam, quàm possint integerrimè & apertissimè narrare, perspicuis & solidis rationibus eam confirmare, nihil denique quod vel caussam eleuet, vel caliginem, quamuis tenuissimam offundat, interserere. Id quod longe secus à multis nostri æui, præsertim qui nostræ religionis controuersias decidere, ac definire quæstiones aggrediuntur, factitatum videmus. Alii n. dum ipsam rei veritatem à fallacibus ψευδοσόφοι argumentis tanquam plagiariis detentam, in natiuam vindicare & asserere libertatem videri nolunt, siue licentiosæ cuiusdam libertatis gratia quam ipsi sibi blandientes effinxere, siue crassa quadam inscitia, eam rursum ipsi falsis & vanis opinionibus miscent, deformant atque fœdant. Alii bene alioqui in rectam religionis doctrinā affecti, quum eam sartam tectam pro virili reddere omnibus votis expetant, ita dum id agunt, parū sibi temperant, vt multum fecisse se putent, si contra sentientem genuino dente rodant, lancinent, conuitiis plusquam scurrilibus, ac calumniis sectentur & incessant: obliti, quam in omnibus hominibus, in theologo maximè, turpis sit morbus petulantia. Quo fit, vt suis affectibus velut œstro perciti, etiam bene sentientes, in explicando, quod cupiunt, maximè nonnunquā sui obliuiscantur. In id genus scribendi quum inciderit lector aliquis pius, dici non potest, quàm statim impingit, ac offenditur. Nam illico quicquid ibi legerit, animi magis malicia atq; odio, quàm veri enucleandi caussa scriptum fuisse sibi persuaserit. non immemor profecto nostræ religionis scopum, & fundamentum esse dilectionem. His modis veritatem specie recti lędi, labefactari, frangi, & iacere, non item prouehi videre est. Quod quidem in cæteris rebus vbi factum fuerit, id licet, non sine iactura aliqua fieri poterit. omnes enim veritatem scire auemus, labi vero & decipi turpe ducimus, non plus tamen est incommodi, quàm quanti quodque eorum, in quibus nos falsos esse contigit, æstimamus. Verum enimuero religionis dogmata, & tramites si ignorentur: & totam rectè viuendi rationem nesciri, quaque ad Deum omnis fœlicitatis parentem eatur, ignorari est necesse. Quam ignorātiam tam ingens malum consequitur, vt redempti quum semel simus ipsius Dei sanguine, nesciamus tamen, qua ad perfectam beatitatem fruendam progredi debeamus. Christi autē nostri agonothetę doctrinę sinceram veritatem si cognouerim', & quid ipse iubeat, quidq; vetet sci-

Digitized by Google

uerimus, inuenta bene beateq; viuendi ratio est, confirmatioq; omnium officiorum. Hoc vt bndè assequamur, dominũ, quotquot in eius corpus inserimur, oremus. hoc dies atq; noctes assiduis precibus ab eo, cuius solius tantum donum impartiri suis est, contendamus & sine intermissione flagitemus. Nam vt nunc se habent res, quum vna fides, vna lex, vnus Christ⁹, vna certa & indubitata doctrina omnibus Christianis esse debeat: quot controuersiis, opinionibus, & sectis nostram religionẽ vsquequaq; laceram proh dolor conspicimus: adeoq; quot capita (vt dici solet) tot ferè esse sensus! Nihil integrum, aut confirmatũ, nihil pro decore constare, aut vniuersim probatũ videmus. Omnes omnia sibi licere putant. in religione nulli arrogantius versantur, quàm qui omnium litterarum penè rudes, sibi tamen adeò placent, & applaudent, vt quicquid vel somniauerint, ita se habere, vbi ratione sustinere nequeant, iurgiis, & contumeliis defendere & tutari nitantur. Hoc immensum malorum pelagus tanto turbinum impetu agitatum, & montium instar hinc inde erectum sedare, tranquillare, & constituere omnipotentis Dei est. Cuius in hoc regno quum supremus, & absolutus minister tua sit regia maiestas rex omnium Christianissime, in quem omnes boni oculos conuersos habent, non dubitamus, quin pro oleo illo, quo vnxit te Deus præ participibus tuis, tam ingentibus malis tandem finem auspice Christo sis impositurus. Non n. frustra coniunctam in te voluit Crist⁹ tã eximiam pietatem cum lucidissima veri perspiciẽtia. quib⁹ accessere nõ vulgaris tua eruditio, atq; in rebus statuendis prudentia plusquã humana. Cui proxime & secundum se in tua ditione ecclesiã suã nutriendam, regendam, in religione componendam, atq; à flagitiis & sceleribus, in quibus sectæ primum obtinent locum, gladio in hoc tuæ maiestati cõmisso coercendam credere dignatus est. Quem gladiũ quum sine modo quosdam in suis regnis exercere principes accipimus, eam in tua maiestate lenitatẽ conspicim⁹, necessariæ adiunctã seueritati, vt errores extirpatũ iri cupias, errantes vero ad se redire, quam tolli malis. misericordiam nimirũ eius imitatus, cuius vicem immediate geris. Atq; adeò tuæ moderationis, & religiosæ vitæ exemplo errantes omnes ad pietatem reducere, quàm pœnarũ terrore, pro potestate tua trahere ducis præstabilius. Quas heroicas tuæ maiestatis virtutes, quũ omnes facile admiratione quidem afficere queant, pro dignitate autem laudare nemo possit, ab illis recensendis impræsentiarũ descíscere, quam indigne eas tractãdo obscurare, satius esse iudicaui. Ad rem igitur vt reuertar. Quũ proxime post omnipotentem Deum à tua maiestate tanta omnium excellentia virtutum nobilitata, hunc tantum tumultum pro præstantissima tua authoritate componendum (vt dixi) expectamus, non pessimum etiam compendium ad id fuerit, si qui opinionum controuersias, pro suo quisq; talento, discutiendas susceperint, ii ab omni conuitio, ira, odio, ac cõtumelia abstinere velint, modeste autem, &, qua decet, charitate restituẽdæ religionis sinceritati, ac Christiani orbis paci studeant. Id ꝙ mihi in primis præscripsi ob oculos habendum, quum errorem hunc plus iusto diu in Ecclesia cæcutiente hærentem confutandum, & ab omnium mentibus eripiẽdum, nisi qui videntes videre nolint, in hoc libello susciperem. Ostendere quidem certe animus est solidis argumentis regibus in sua ditione secundum Christũ supremum & absolutum ius esse in Ecclesiam. Episcop. vero Rom. præst giosis rationibus, ac potentia sibi arrogasse aliquot sæculis dominatum, iam tandem rectissimis tuæ maiestatis consiliis hic labefactatum atq; conuulsum. Atqui hic quorundam mihi in mentẽ venit, qui quum iam diu perspicue viderint, quam inique multos annos in reges dominata fuerit, mundo altum stertẽte, hæc Babyloniæ fornicaria, eorum aliqui conspicientes clarissimo sacrarum literarum testimonio liquere Romani pontificis authoritatem, non verã, sed commentitiam fuisse, ab eius seruitute, ceu vindiciis, asserti, & iure liberati, ab aliis pari ratione magistratibus se ipsi eximunt. soli Deo obnoxios se, & parere debere opinantes, non item potestatibus ab ipso constitutis. Alii Romanos episc. indignos, quibus obediatur, putant, non idcirco quod illos in ordinem epis. lex Dei redigat, sed ꝙ tam innumeris, eisdemq; perniciosis eos accipiant inquinatos sceleribus. Quasi verò peccata magistratuum nos ab illis faciat liberos, & nõ parere iubeamur etiam discolis. His indignitas homininis, illis sua immodica libertas ac non integra & incorrupta rei veritas, ansam pontificiæ tyrannidis tollendæ præbuit. in vtrosq; non inepte tritum illud quadrare videtur, ex Scylla, s. in Charybdim. Ego vero, quum oculos mihi aperire placuisset Altissimo (nam & ipse vnà cum aliis meum edormiui somnum) omni (sit Deo gratia) affectu seposito, vbi altius rẽ expendissem, id persuasi mihi, quod vtinam omnibus sit persuasum, nempe authoritatẽ illam, quã nimis diu in Christianum populum Romanus exercuit episc. esse in vniuersum fucatam, & impie contra instituta Dei ascitam, & arrogatam. Hoc bono studio hic volui explanare. Id quod (testis est conscientia) nullo odio actus in Ro. pontificẽ aggredior, cui ita consultum cupio, vt relinquat aliquãdo ea, quæ Cæsaris Cæsari. Ipse illa tractet, quæ sui generis ministris Christus agenda concredidit. Necq; tam temere mittat falcem in alienam messem. Quæ affero, argumenta mea nõ sunt: sed aut à sacris literis petita, quibus nemo Christianus refragabitur, aut à sanctis patribus, qui & ipsi à sacra scriptura suas ducunt collectiones. Tuum erit, Rex Christianissime, imperium commissum tibi à Deo agnoscere, idq; à præstigiis aliorũ pro potestate tua tueri, neq; fas putare, à Deo tibi concessam alteri velle concedere gloriam, quàm Dominus IESVS augeat, & tuam maiestatem in omnibus secundet ac seruet quàm diutissime florentem & incolumem. Londini. 8. Aprilis. MDXLVI.

AD LECTOREM.

ITa vsu venire solet, vt si quis multis comitatus, in itinere cæteros præcedens in vliginosum aliquem, aut profundiorem solidioris speciem terræ præ se ferentem forte locum incidat, sequentibus ipse indicat, ne illac sequantur. Hanc ego lector optime humanitatem imitatus, quibus præstigiis, & fucatis argumentis falsus, in altam errorum foueam pessundatus, ac in ea plus satis diu

Digitized by Google

diu detentus sum, & demum liberatus, te hoc libello admonitum volui: vt meo periculo doctus à pari discrimine ipse caueas. Et quia breuitati consultò, & præmeditatò, ne te fastidio afficerem, studui: argumentorum tantum capita, & quasi sedes hic prodere volui, quæ tu pro tua eruditione, tanquam in latissimo campo expatiatus, expandere, ac fusius explicare potueris.

Hunc librum bipartitus sum.

 Lege & fruere.

DE ABSOLVTO REGIS IMPERIO.

QVÆ hominum mentibus Deus Optim. Max. veri inquirendi inseuit atq; infixit semina, ea corpus nostrum corruptibile (vt sapiens inquit) & terrena inhabitatio tanta caligine, tam denso fumo texit, atq; inuoluit, vt quæ huic cognoscendæ veritatis origini conueniunt, aut quæ sequuntur nemo vnquam homo, nisi qui nubem quum penetrauerit, in vertice montis (vt Moyses) cum Deo steterit, adhuc perspicuè vidit. Quod cæteris philosophis penitius intuẽtes academici, verisimili cuiquam, tanq̃ fulgenti veritatis scintillæ, quæ statim post subitum splendorem euanescit, temere, vel etiam post quantumuis longam contemplationem assentiri vetant. Nõ q̃ eorũ animi adeò erroribus vagati sint, vt nihil verũ esse dixerint: sed quæ vera sunt adeo esse perplexa, atq; cum falsis confusa, suis certis notionibus distingui, ac discerni facile vt nequeant. Non dissimili motus ratione Cebes insignis ille philosophus quum hanc vitam ingredimur, ex ignorantiæ, errorisq; poculo omnes haurire: Democritus perspicuam veritatem in tã profundum mare, vt adhuc eã nemo expiscari potuerit, dimersam esse dixit. Quæ profectò à natura nobis insitorum inquirendi veri seminum obscuratio, deorum examen, multifariam religionem, innumerum ceremoniarum numerum, impias denique, ac nefandas superstitiones in orbem inuexisse videtur. Nam quum animus noster sese agitare, & tanquam à principiis ad sequentia vago, & incerto pede discurrere nunquam quiescit, quodq; numen sit aliquod summum (quicquid dixerint ἄθεοι illi Epicurei) tam alte pectori nostro insideat, vt nullo vnquam bitumine oblimari, nullo atramento obliterari possit: gentes, à quarum animis, ob impiam & sceleratam vitam Deus iure se abscondit, quum quemuis hominem quacunque eximia virtute, quandoq; etiam insigni vitio præcellentem animaduerterent, quando ea virtus, aut vitium illud sui ingenii captum superaret: eum statim ab hoc cognoscendæ veritatis principio cimmeriis tenebris obscurato inani ratiocinatione colligentes, vt Deum singulari colendum religione sanxerunt. Nec dispare sane ratione, viri in nostra religione eruditione celebres, pietateq; insignes in magnos errores, tum ob huiuscemodi obscuram veritatis visionem, tum ob apparentem, sed fallacem deductionem imprudentes deuoluti sunt. Sic diuus Cyprianus retinctorum dogma primus inuexit, & inuectum pro virili satis diu sustinuit. Sic beatus Hieronymus angelorum per multa secula huius mundi præcessisse creationem, & Paulum officiosè mentitum esse contra Augustinum fixo pede defendit. Irenæus in millenariorum sectam, & Origines in multas perniciosissimas hæreses lapsus est. Verum id facere nulla animi malicia quod visi sunt, sed humano more falsi, in hæreticorum catalogo non sunt annumerati. Et ad nostra tempora vt veniam. Sancta quadam patrum simplicitate primũ errores multi suã cæpere originem. Quos errores deinde nos eorum vestigiis mordicus inhæren-

Digitized by Google

tes, adeo, cum vsu diuturno, tum temporis tractu persuasos nobis, & proinde confirmatos reddidimus, vt ab aliis vel transuersum digitum deflectere religioni habuerimus. Adde huc etiam non paruam, imò maximam errorum caussam esse, quòd falsa opinione imbuti ad authorum lectionem cum præiudicio non parum sæpè venimus omnes. Quod quum multos alios pestiferos errores (quid enim non potest præiudicata opinio) tum hunc ad quem confutandum, aliquot succisiuas horulas suffuratus sum induxisse videtur.

Summum scilicet quemuis in omni rep. magistratum, ecclesiæ etiam Christi in ea rep. peregrinanti ipsius Dei iussu secundum Deum præcipuè imperare, ac supremum caput esse non posse. Id quod erroneum, falsum, ac Christi manifestissimis dictis, atque præceptis aduersum esse, Dei Opt. Max. fretus adiutorio docere non dubito. Et ne ancipite huius nostræ quæstionis intellectu vagemur, secundum Deum dixi, partim quod præcipuè summi in rep. magistratus Dei iussis vt pareamus, sit cogere, & iustas de delinquentibus, aut in legem Dei grauiter committentibus corporales pœnas sumere: partim, quod quicquid iusserit ipse, quod Dei mandatis non aduersetur, ita vt dicere, non possint melius est Deo parere quàm hominibus, omnes, cuius cuius status, conditionis, honoris aut dignitatis fuerint, nisi Dei ipsius ordinationi resistere velint, obsequi debeant.

Nunc antequam ecclesiam Dei quæ eius peculiaris hæreditas est, Dei iussu hic in terris peregrinantem donec iudicium conuertatur in iusticiam, homini audire, & obtemperare oportere ostenderimus, genus humanum à Deo ad suam ipsius imaginem & similitudinem formatum, in cætera cuncta animalia dominatum habens, sui generis alicui vni obedire, & obsequi debere, idq; ratione impellente, ostendere conabimur. Ita enim (vt inquit ille) natura comparatum esse videmus, vt nos, vitam, corpusque nostrum tueamur, declinemusq; ea, quæ nobis nocitura videantur, atque omnia, quæ sint ad viuendum necessaria, inquiramus, & paremus. Quod quum suo ipsorum marte, ac viribus omnes facere nequeant, aliis vt obsequantur ipsi recta ratio docuit, quorum viuaciori ingenio parentes quæ sibi necessaria sint, adipiscantur, adeptaque tueantur. Id quod altius expendentes peripatetici dominium atque seruitutem ab ipsa natura nobis comparatam non absque summa humanæ conditionis consideratione affirmarunt. ὁ γὰρ πρῶτος, ὡς ἔοικεν, καὶ κυριώτατος νόμος (vt Aristotelis sententiam breuiter complexus est Plutarchus) τῷ σώζεσθαι δεομένῳ τὸ σώζειν δυνάμενον ἄρχειν κατὰ φύσιν ἀποδίδωσι id est: *prima (vt videtur) summaque lex est, vt qui se ipse seruare non possit, ei iure natura ille imperet, qui possit.* Cuius quidem rationem vel superficie tenus, idque vix, alii contemplati, quod omnes homines eiusdem naturæ esse viderent, hominisque ingenio, & arte reliqua omnia, quantumuis ferocia, domari, ei iure naturæ ipsa quidem subiici debere putabant: dominium vero hominis in sui similem, & natura parem hominem iure belli, & vi inductum esse, ac humanæ conditioni aduersari dixerunt. Non attendentes longe aliam esse rationem iure belli & vi inductæ seruitutis, aliam eius quæ ab ipsa ratione summi commodi loco homini imposita est. Nam etsi homo, quod Deo obtemperare noluit, non solum imperium, quod à Deo in alia habuit, iure amiserit, verum etiam sui simili incuruetur: ea tamen Deus est in suam creaturam clementia, vt quemadmodum quam supplicii loco in hominem mortem constituit, ei in summi beneficii vicem cedere fecit: ita hanc quoque subiectionem, quam peccando homo meruit, ad sui suorumque conseruationem conuerterit. Nam vt quæ homini vsui, & commodo vt essent, facta sunt, eorum nihil sine hominum administratione homo vti possit, nullumque ex his adipisci commodum, nisi hominum conspiratione, atque consensu, sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini nascatur ab homine, nisi superiores potentia à sceleribus coerceantur. Vtque homo homini dæmon, ita homo homini lupus vulgari adagio merito dicitur. Quod quum nemini, si latrocinia, furta, sacrilegia, homicidia, cedes, adulteria, raptus, incestus, paricidia, seditiones, animo complectitur, dubium fuerit, testibus ad id probandum non necessariis impræsentiarum non abutar. Quibus quidem sceleribus, atque flagitiis quum se humana natura absorberi, consumique perspiceret, *quumque se inops multitudo* (vt Ciceronis verbis vtar) *ab his, qui maiores opes habebant, perpetuo premi videret, ad vnum aliquem* (Deo humanæ parente naturæ clam admonente, & instigante) *confugiebant, qui cæteris anteire virtute putabatur.* Qui quum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Itaque homines hominem, multi vnum, cui se sui commodi ergo, ratione docente, subiicerent, in regis fastigium euexerunt. Et quo satis apertum est, duas ob causas hominis in homines, vnius in multos dominium rationis impulsu inductum fuisse. Alteram scilicet, quæ ad vitam, victumque iuuant, vt imbecilliores adipiscantur, adeptaque ab aliorum vi tutentur. Alteram vero, ne se homo in vitiorum barathrum, ad quæ post primi parentis peccatum non parum multum (proh dolor) pronus est, præsentium metu pœnarum liber daret præcipitem. Ecclesia igitur Dei, quæ hominum hic in terris per fidem, fideique sacramentum Christum induentium multitudo, ac consociatio est, quam diu hic à Deo peregrinatur, peccatis perpetuo quum maculetur, nec à prophanis hic à nobis discernatur, quumq; vita, & reliqua omnia, quæ ad vitam spectant, ei cum cæteris communia fuerint, ipsam quoque subiectionem, vel si mauis, naturæ iure, atque ratione suæ vtilitatis gratia homini commendatam seruitutem necessario communem esse nemo sane mentis dubitat. Quod vt sciolis, vel in vetere suo errore obstinatis luculentum fiat, tum ratione, quum vero sacrarum literarum testimoniis, illustrium virtute, eruditione celebrium & pietate insignium lucubrationibus in hunc sensum illustratis confirmabimus.

Atque

Digitized by Google

Atque vt certo,& distincto ordine res progredi possit, huius mundi cursum à principio suæ creationis vsq; eo dum nouam faciem in supremo dei iudicio habuerit, in tres ætates diuidemus, nempe, ætatem naturæ, legis scriptæ, & gratiæ. Primam naturæ ætatem voco, in qua nulla lege foris scripta, sed cordibus hominum à Deo insculpta viuebatur. Quo sane tempore nullum, quod sacra scriptura nobis reuelat, sacramentum institutum est, quo vel ipsa Ecclesiasticæ reip. consociatio velut communi signo, vt nunc baptismo, & pro legis tempore typicus populus circumcisione carnalis præputii, ab aliis diuisa constaret, vel quo à criminum labe, vt sit sancta, & immaculata, se ipsa purgaret. In qua certe ætate Eccles. Dei post primi parentis lapsum homini merito subiectã fuisse ob duas illas causas, quæ cum aliis, quamdiu hic peregrinatur, ei sunt communes, rationem rectam homini primo concessam, & sua ipsius culpa obscuratam, sed non extinctam docere ex hiis quæ diximus satis superque liquet. Ast vbi nullum alium, cui iure ecclesia paruerit, à Deo tunc temporis seorsum in ecclesia institutum magistratum ostendere quis possit, quàm qui in quauis repu. supremus fuerit, ipsi secundum Deum Ecclesiam præcipue tunc audiuisse nemo inficiabitur. Cuius subiectionis aliquot exempla etiam sacræ litteræ nobis suppeditant. Ioseph enim cũ Iacob patre, & eius reliqua sobole, quorum congregationem non tunc mysticam, quæ adhuc instituta non erat, sed veram Christi ecclesiam, licet non totam fuisse nemo ambigit, Pharaoni idololatræ, supremo post Deum in illa rep. magistratui subiectum fuisse constat. Idem in Loth & eius familia apertum est. Præterea in Niniue magnam fuisse Dei ecclesiam, quæ regi suo duram ad Ionæ prædicationem pœnitẽtiam imperanti, vt decuit, paruit, iræ Dei placatio manifestat. In hac igitur scilicet naturæ ætate Ecclesiã Dei, vbi vbi terrarũ dispersa tunc fuerit, eius, in qua degebat, reip. magistratibus subiectã fuisse quum dubium non sit, amplius probare supersedeo.

Et ad secundam ætatem, in qua hoc idem ostendendum est, pergemus. Pauca tamen ante de ecclesia Dei, quo facilius quæ & vbi pro ea ætate fuerit, intelligi possit, præfabimur. Posteaquam Deus propter luem peccatorum, atque scelerum, quibus humanum genus scatuit, vniuersorum hominum cœtum, quoad apertam, manifestamq; gubernationem, ne super eum regnaret, abiecit (quod in virga illa, quam apud Zachariam *decorem* appellat, significauit) germen huius stirpis aliquod, nimirum Abraham in eius sobolem, vt sibi peculiaris populus fieret (facta est enim *pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel*) elegit atque assumpsit. Non ita tamen vt vnus hic populus, seclusis aliis, verè tota hæreditas Domini, quæ Ecclesia eius erat per orbem terrarum dispersa, tunc fuerit. Quippe quum *plurimos* (vt Aug. inquit) *extra Abrahæ familiam, licet sacra sciptura de Iob, & paucis aliis mentionem fecerit, in Christum tum futurum credidisse, & sperasse ambigendum non est*. Atque ille populus, vt Moyses & alii prophetæ dicunt, *duræ ceruicis ac indomabilis cordis* semper fuit. Verum Deus hoc Abrahæ semen propterea in peculiarem populum sibi assumpsit, vt in eo ostenderet mirabilia sua, ac virtutis potentiam, qua ecclesiam suã veram hæreditatem à peccatis, peccatorumque mercede morte liberaret, & ad quam creatum est, dei fruitione humanum genus donaret. Et ideo vnum populum mysticum, qui totius ecclesiæ, cuius membra omnes esse possunt, modo velint ipsi, vult enim Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, potestatemq; dedit eis filios Dei fieri, vmbra & imago prophetica fuit, ecclesiæque Dei significandæ potius, quam præsentandæ seruiuit in terris, quo eam tempore demonstrari oportebat, & dicta est ipsa etiam ciuitas sancta merito significantis imaginis, non expressæ, sicut futura est veritatis, ideò (inquam) vnum populum typicum in remp. ab aliis diuisam, suis ciuilibus legibus, & magistratibus regendam coegit: ita tamen, vt & ipse in mysterium assumptus populus huius veræ & sinceræ hæreditatis, quam Ecclesiam Dei dicimus, pars non modo typus esse potuit. Quippe qui legibus, specialiter ad hoc ab ipso Deo latis, quib' verum Deũ, verumq; salutis tramitem & facilius, & cæteris certius cognoscere potuit, eruditus est. Multi etiam in illo populo, vt patriarchæ, prophetæ, Machabæi, & innumeri alii, & verè huius sanctæ ciuitatis hic in terris peregrinantis ciues fuerunt, & iam cœlestis ciues ciuitatis, vbi non amplius per speculum, & ænigma, sed per ipsam speciem, in quem sperauerunt, Deum intuentur, non immerito habentur. Hic vtique Iudæorum populus, siue vt totus & vniuersus nostræ ecclesiæ imago fuit prophetica, siue vt catholicæ ecclesiæ pars aliqua intelligatur licet, quum primo à reliquis diuisus, ac segregatus in vnam Rempub. collectus fuit, suos à Deo creatos, & institutos habuerit magistratus, nempe summum sacerdotem, iudicem, qui pro tempore fuit, & LXX. seniorum senatum, quibus secundum Deum obedire iussus est, tamen post regem impetratum, cui alii suo iure cesserunt, ei præcipuè obsequi, Dei etiam iussu, debuit. Quod multa in regum dierumq; libris testimonia manifestum faciunt. Quum Saulem Dominus Samueli ostendisset, *Ecce* (inquit) *vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo*. Dicuntur ibidem *filii Belial*, qui regiam despexerunt maiestatem. Rursus, *Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem*. Item Saulem Samuel populi Israelitici caput factum esse dicit. Præterea quum Samuel lugeret, quod populus sibi, qui præesset, regem petierit, *Non te* (inquit Deus) *sed me relinquerunt*, id est ordinem & reip. statum non à te, sed me institutum contemptui habuerunt. Cesserũt ergo regi iure suo à Deo in illa rep. prius creati magistratus. Dauid *fecit iudicium, & iustitiam populo. Dux* etiam, & *pastor populi Dei* dictus est. Nec sacerdos igitur, ne propheta in illo populo superior Dauide fuit. tota insuper synagoga, & vniuersus populus Iudaicus *Babyloniæ regibus* (vt testatur Hieremias) Dei iussu subiectus est. Ex his constat, Ecclesiæ Dei in secunda mundi ætate regẽ eius, in qua ipsa ecclesia agebat, reip. Dei etiam manifesto iussu præcipuè imperasse.

Nunc in tertia ætate, tempore scilicet gratiæ, hoc idem confirmatum esse ostendemus, tum per ipsum gratiæ magistrum, ac ecclesiæ sponsum, tum per ipsos Euangelii præcones, & verbi ministros Apostolos. Christus quemadmodum in hunc orbem non alios iudicatum venit, sed ab aliis vt ipse iudicaretur, ita nullius regni, aut reipub. politiam, aut soluit, aut mutauit. Verum factis & actis, & dictis eam stabiliuit, & confirmauit. Subiectumque populum suis magistratibus parentiorem, partim iubendo, & docendo, partim vberiorem gratiam largiendo fecit. Quando & tributum, quum immunis esset, soluere voluit & Petrum, *qui typum ecclesiæ militantis* (vt inquit Aug.) *gessit*, ecclesiæ vice pendere constituit. Apostolos denique suos Principum iudiciis, si in quo leges violauerint, obnoxios fore manifeste docuit. Præterea, quum interrogaretur, *an liceret censum dare Cæsari*, quæ Cæsaris fuerunt, Cæsari danda esse censuit, vbi Chrysostomus; *tu, quum audieris*, inquit, *redde quæ sunt Cæsaris Cæsari, illa scito eum dicere solum, quæ in nullo pietati nocent.* Quod perinde est, ac si dixerit, nisi Cæsaris præceptum Dei aduersetur, ei tanquam iudici supremo oportet obsequi. Quod idem Aug. in Mattheum de Centurionis puero Domini præsentia se iudicantis indignum, his verbis confirmat: *Nunquid in superbiam vos erigimus, aut dicimus vobis vt aduersus potestates ordinatas contemptores sitis? Non hoc dicimus. Qui & hinc ægrotatis, tangite & hinc fimbriam illam vestimenti. Ipse dicit Apostolus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Sed si illud iubeat, quod non debeas facere: hic sane contemne potestatem. Timendo potestatem, ipsos humanarum rerum gradus aduertite. Si aliquid iusserit curator, nan faciendum est? tamen si contra proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire. Rursum si aliquid iusserit proconsul, aliud imperator, numquid dubitatur, illo contempto, illi esse seruiendum? Ergo si aliud imperator, aliud Deus: quid iudicatis? Solue tributum. Esto mihi in obsequium. Rectè. Sed non in idolio. In idolio prohibet maior potestas.* In quibus Augustini verbis diligenter lector hoc animaduerte, quod in potestatum ordine & progressu ab imperatore statim ad ipsum Deum scandimus. Quasi diceret, imperatore in terris nullus est superior. Guilielmus etiam Occam de potestate pontificis, quæstionis. 2. cap. 7 *Neque enim* (inquit) *papa, neque clerici alii exempti sunt à iurisdictione imperatoris. Et ita iure diuino remanent subiecti imperatori, sicut prius, in his quæ religionis Christianæ obseruantiam & exercitationem officiorum, ad quæ assumuntur, non impediunt. Et ideo libertatem maiorem, qua gaudent, habent ex iure humano solummodo.* Hæc ille. Nec rationi videtur esse consonum, Christum, qui nos à præcedentibus peccatis vt purgaret, purgatos à futuris deterreret, ad virtutesque excitaret, huc venit, eorum imperio, ac proinde timore nos liberare, quibus *à Deo, vt male agentibus timori sint, gladium commissum esse* Paulus asserit. *Timor certe pœnarum* (inquit Aug.) *licet benefacti conscientiam non habet: infra tamen claustra cogitationis coercet cupiditatem malam.* Quare vel hoc argumento satis constare puto, Christum nullius Reipub. constitutam politiam, quæ pietati non offecerit, vnquam mutasse, nec nouum, nedum superiorem mag stratum instituisse. Sed & factis & dictis constitutam rempu. confirmasse, eiusque ordinibus honorem debitum probasse. Id quod Chrysostomus in illud Apostoli, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, scribens conceptis verbis asseuerat: πολλὼ τῷ πράγματος τούτου ποιεῖται λόγον καὶ ἐν ἑτέραις ἐπιστολαῖς, καθάπερ τοὺς οἰκέτας τοῖς δεσπόταις, οὕτως καὶ τοὺς ἀρχομένους τοῖς ἄρχουσιν ὑποτάσσων. ποιεῖ δὲ τοῦτο δεικνὺς, ὡς οὐκ ἐπ᾽ ἀνατροπῇ τῆς κοινῆς πολιτείας ὁ Χριστὸς τοὺς παρ᾽ αὐτοῦ νόμους εἰσήγαγεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ διορθώσει βελτίονι. id est, *Multum de hac re facit sermonem etiam in aliis epistolis. Sicut seruos Dominis, ita subditos principibus subiiciens. hoc autem facit, vt ostendat Christum suas leges non ideo induxisse, vt communem Rempublicam subuerteret, sed vt meliorem faceret.* Idem Paulus ad Corinthios scribens apertissime docet nempe per baptismum, aut gratiæ nuncium Euangelium nullum in quapiam repub. nouum ordinem institutum esse, nisi vitia vt declinent omnes, virtutem verò acrius sectentur. *Vnusquisque* (inquit) *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Et qui ante sacrosanctum lauacrum, tantum ob timorem & ad oculum, aut seruus domino, aut subditus principi paruit, nunc verò fide in Christum pietatis, humilitatis, & debitæ subiectionis magistrum insignitus, sacroque fonte regeneratus, etiam ob conscientiam, ac tanquam Domino, qui corda scrutatur, ex animo obsequatur & inseruiat. At si Christus potentiam aliquam principis superiorem in Ecclesia hic instituisset, tum neque in eadem subiectione, que ante baptismum populus, nec principes in sua absoluta prælatione permanerent. Verum beatus Paulus Doctor gentium in fide, & veritate, qui nec Onesimum, vel quòd Christianus esset, vel quòd acolytus, atque sibi in Euangelio ministrans à Philemonis dominio liberum secum retinere voluit, Nullius imperium aut subiectionē per vocationem suam eleuari docet. Quoniam vnumquemque, in qua vocatione vocatus est, in ea per Christi leges permanere voluit. Neque hæc subiectio pietati aduersatur, immo qui eam, vt decet, nō custodierit, pius non est. De qua re non absurdum erit hic inserere, quod Chrysostomus in illud Apostoli ad Romanam ecclesiam, scribit: καὶ ἵνα μὴ λέγωσιν οἱ πιστοὶ ὅτι ἐξευτελίζεις ἡμᾶς, καὶ εὐκαταφρονήτους ποιεῖς τοὺς τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἀπολαύειν μέλλοντας ἄρχουσιν ὑποτάττων. δείκνυσιν, ὅτι οὐκ ἄρχουσιν, ἀλλὰ τῷ θεῷ ὑποτάττει τὸν τοιοῦτον. i. *Et ne fideles dixerint attenuas, ac contemptiores nos, qui cœlorum regno fruemur, facis principibus subiiciens. Ostendit quod hoc faciendo, non principibus, sed Deo subiicit.* Quū igitur ex his omnib. apertissimū fuerit, nec vlliū in orbē, qui tot' eccl. & hæreditas Christi vt esset, vocat' est, nouū imperiū, q in rep. cōfirmati mag strat' dominio, vel minimū derogaret, per Christi legē inductū esse, nec hāc subiectionem pietati, religioniue aduersari, sed per piam religionem stabiliri, adeo vt ipsæ sanctæ religionis tubæ & nostræ

& nostræ salutis ministri sese huic obiectioni obnoxios esse asseuerent, qua tandem fronte, aut qua impudentia Romani episcopi sibi potestatem aliquam, idque à Deo concessam dicant, non solum in clerum, sed in ipsos etiam orbis monarchas, vt eos suo stare iudicato debere non vereantur affirmare, quorum sunt ipsi iussu Dei potestati subditi. Scribit enim beatus Paulus non prophanæ plebeculæ, sed Romanæ ecclesiæ Christum per baptismum indutæ: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Atqui de potestatibus principum Apostolum hoc dixisse, licet, exequentibus satis superque patuerit, tamen quia scioli aliqui verbum Dei adulterantes de potestate etiam ecclesiastica dictum esse volunt, Augustinum contra litteras Parmeniani diligentius attendant: *Propter quid ergo gladium portat, qui dictus est minister Dei vindex in iram eis, qui male agunt? nisi forte, quemadmodum nonnulli eorum, sane imperitissimi, hoc intelligere solent de honoribus ecclesiasticis dictum esse, vt gladius intelligatur vindicta spiritalis, qui excommunicationem operatur. Quum prouidentissimus Apostolus consequente lectionis contextione aperiat, quid loquatur. Ille quippe addidit, propter hoc & tributa præstatis. ac deinde subiungit: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Hoc ergo iam restat, vt istis disputationibus suis prohibeant Christianos tributa persoluere, quum & Dominus talia sentientibus pharisæis, quos imitantur isti, nummo inspecto responderit, Reddite (inquit) Cæsari quod Cæsaris est, & Deo, quod Dei est. Hi vero in vtroque inobedientes atque impii, nec Deo reddunt Christianum amorem, neque regibus humanum timorem.* Hæc Augustinus. Quare admirari satis nequeo (vt illud obiter adnotem) nostri æui scholasticos, vt vocant, theologos: qui ecclesiasticos, hoc est, verbi Dei ministros, & altari seruientes, ab huius tributi pensione iure diuino liberos, & immunes esse asserunt. Quum ecclesiæ Romanæ Apostolus scribens, hac, absque vlla exceptione, vtitur propositione vniuersali, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et postea subiungit: *Propter hoc enim & tributa præstatis.* Verum tunc temporis in ecclesia Romana verbi fidei, & sacramentorum ministros nullos prorsus fuisse, absurdum est dicere. Fuissent enim, quod Oseę Iudæis futurum vaticinatus est, *sine rege, sine principe, sine sacrificio, & sine altari.* quomodo, qui primum illis euangelium annunciauerunt, eos reliquisse verisimile non est. Diuus etiam Augustinus, quæ prædicta sunt, contra Donatistarum episcopos scripsit, eis dans probro, quòd tributa principi suo immunitatis ecclesiasticæ prętextu, quæ nulla vnquam erat, nisi quam principes ipsi ob fidei incrementum forte concesserint, pendere renuerint. Audiamus iam Chrysostomum in illud per beatum Paulum prædicatum nobis Dei præceptum similiter scribentem: δεικνὺς ὅτι πᾶσι ταῦτα διατέτακται, καὶ ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, ἐκ προοιμίων τοῦτο δῆλον ἐποίησεν, οὕτω λέγων. πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστής, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν. οὐδὲ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή. καὶ οὐχ ἁπλῶς πειθέσθω, ἀλλ' ὑποτασσέσθω. καὶ πρῶτον δικαίωμα τῆς τοιαύτης νομοθεσίας, καὶ λογισμοῖς πιστῶν πρέπον, τὸ παρὰ τοῦ θεοῦ ταῦτα τετάχθαι. id est, *docens, quòd hac omnibus ordinantur, & sacerdotibus, & monachis, non solum secularibus, ab initio manifestum fecit, dicendo, Omnis anima potestatibus excellentioribus subdita sit: licet Apostolus fueris, licet euangelista, licet propheta, licet quicunque alius, neque enim hæc subiectio piam religionem subuertit. nec etiam simpliciter obediat, verum subditus sit, & prima huius legislationis institia, & cogitationibus conueniens fidelibus est, hæc ab ipso Deo instituta esse.* Quam subiectionem etiam Apostolis debitam beatus Paulus non solum scriptis, verum etiam actis suis vt confirmaret, se ipse Cæsaris tribunali sisti curauit. Id quod si quis dixerit Paulum, non quòd Cæsari iure subditus fuerit, fecisse, sed libere suo iure illi cessisse: Chrysostomum attendat, τοῦτο (inquit) σπουδάζει ὁ ἀπόστολος πανταχοῦ, οὐχ ὡς χαριζόμενοι αὐτοῖς τὴν ὑπακοήν, ἀλλ' ὀφειλόμενοι id est, *hoc sedulo vbique agit Apostolus, quod non hanc illis gratificamur obedientiam, sed quòd iure debeamus.* cuius rationem reddit, οὕτω γὰρ ἂν (dicens) καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς ἀπίστους μᾶλλον ἐπεσπάσατο πρὸς εὐσέβειαν, καὶ τοὺς πιστοὺς πρὸς ὑπακοήν. καὶ γὰρ πολὺς περιεφέρετο λόγος τότε, ἐπὶ στάσει καὶ καινοτομίᾳ διαβάλλων τοὺς ἀποστόλους, καὶ ὡς ἐπ' ἀνατροπῇ τῶν κοινῶν νόμων ἅπαντα καὶ ποιοῦντας καὶ λέγοντας. hoc est, *Sic enim & infideles principes ad religionem, & fideles ad subiectionem magis attraxit. Plurima quippe tunc temporis circumferebatur fama traducens Apostolos veluti seditiosos & rerum innouatores, & tanquam ad subuersionem communium legum omnia & facientes & dicentes.* Ex qua Chrysostomi, & Augustini in beatum Paulum aperta, clara, & lucida interpretatione nemini non constat, Deum regi in sui regni ecclesiam supremum ac absolutum imperium commisisse, Ipsamq; ecclesiam, ac eius membrum quoduis, nullo, cuiusuis speciei honoris ecclesiastici, hac subiectione, nedum obedientia libero, aut exempto, regis secundum Deum iudicato ipsius Dei iussu stare oportere. Secundum Deum dixi, partim quidem, quia si aduersus Deum Rex quid præceperit: scimus, quòd Deo nobis magis parendum sit quàm homini. partim vero, quòd alii nemini quippiam, nisi quod à Deo acceperit, præter summi eius reip. magistratus authoritatem ac consensum, quod legis vim habeat populo indicere licet.

Quod tametsi, vel ex præmissis satis superque ostensum, probatum, ac tum ratione, tum etiam authoritate confirmatum fuerit (quis enim adeo desipit, vt dicat in rep. à quocunque scitum aliquod, statutum, aut edictum fieri posse, præter supremi eius reip. magistratus authoritatem, atque consensum) tamen quia absurdum multis visum iri haud dubito, nullas, de his quæ ἀδιάφορα dicimus, traditiones, nullas ceremonias, sine quibus nec Dei, quem in præceptis habemus, verum cultum, vt decet, obseruare possumus, in ecclesia ab episcopis, quibus Paulus spiritum sanctum gregem suum pascendum (vt in actis Apostolorum est) cõmisisse dicit, populo indici posse,

Digitized by Google

id rursus, quando præsens locus hoc postulat, euidente ratione ostendere conabor. Paulus quum quippiam scriberet, quod à Domino non acceperit, addidit, *Dico ego non Dominus.* Et, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, quasi dicat, huic à me solum dicto & non item à Domino, obedire vos non cogo. Rursus Paulus quum pauperes ei Hierosolyma discedenti Apostoli commendassent, Corinthiis collectionem vna sabbati vt facerent, scribens, *Vnusquisque* (inquit) *prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.* Verum si, quod nec esset à Deo mandatum, nec Dei præceptis contrarium, sciscere quid Paulus potuisset, hoc vnum iure omnibus Christianis, eum constituere voluisse verisimile est. Eleemosynæ nimirum collectio in aliorum pauperiem leuandam vna sabbati vt fieret. Prætereà Apostolos Christus ea solum omnes gentes doctum misit (vt apud Matthæum est) quæ ipse eis mandauerat. Quod etiam ratio suadere videtur. Nuncius enim ex suo nihil dicere debet. Quare Paulus & reliqui Apostoli, quo suorum scriptorum authoritatem ostenderent, statim ab initio epistolis nomen *Apostoli* apponere solent. Hoc confirmat Chrysostomus in Pauli epistolam ad Timotheum sic scribens; Πανταχοῦ δὲ γράφων προστίθησι τὸ ὄνομα τοῦ ἀποστόλου, παιδεύων τὸν ἀκούοντα μὴ νομίζειν ἀνθρώπινα εἶναι τὰ λεγόμενα. ὁ γὰρ ἀπόστολος οὐδὲν ἂν ἴδιον λέγοι, καὶ εἰπὼν ἀπόστολον, εὐθέως τοῦ ἀκροατοῦ τὴν διάνοιαν πρὸς τὸν ἀποστείλαντα παραπέμπει. διὰ τοῦτο πασῶν τῶν ἐπιστολῶν τοῦτο προτίθησιν, ἀξιόπιστον τὸν λόγον ποιῶν καὶ οὕτω λέγων. Παῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ. id est: *Vbique vero quum scribit, addit Apostoli nomen, vt auditorem erudiat, ne humana esse, quæ dicuntur existimet, qui enim mittitur, quod Apostolus sonat, suum nihil loqui debet. Et Apostolum quum dixisset, statim auditoris animum ad eum, qui se miserat, dirigit. Idcirco in omnibus epistolis istud adiungit, vt fidem verbis, & doctrina hinc faciat, dicens, Apostolus Iesu Christi.* Christus etiam, *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Qui à seipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.*

Populo quidem certe episcopi, Apostolos imitantes, quæ ad virtutes, deiue præceptorum obseruantiam ac pietatem iuuare videntur, vtpote ieiunia, ferias, supplicationes publicas, & id genus alia sancta, pudica ac amabilia (vt Apostolus inquit) suadere non præcipere possunt. Quid enim aliud tam varia sibi vult de indifferentibus traditionum, ac ceremoniarum in diuersis regionibus obseruatio? nisi quòd huiuscemodi, vt populi consensu atque receptu non episcoporum iussu recipiuntur & probantur, ita continuo vsu & consuetudine legis vigorem accepisse videntur. Narbonensi monacho, an dominicis quadragesimæ diebus carnibus vesci liceret, interroganti, Hieronymus respondit, *quæ nec contra fidem, nec mores fuerint, in his consuetudines patria tanquā canones sint Apostolici.* Diuus item Ambrosius, quamuis controuersam fidei quæstionem à sacerdotibus, non imperatoribus agitari, determinari, ac definiri debere, apud Valentiniannm obstinate egerit, quæ tamen ad mores spectant, eorum supremum iudicium penes imperatorem esse non negat. At, quæ ad Deum, vt par est, religiose colendum necessariæ sunt ceremoniæ, earum traditionem penes Apostolos fuisse credendum est, qui & αὐτόπται, id est, ipsi inspectores verbi fuerunt, & in se loqui Christū (vt vnus eorum de se testatur) non dubitabant, ecclesiamque sua prædicatione, & vita constructam, ac consummatam nobis posteris tradiderunt. Quas certe ceremonias atque traditiones omnes ab Apostolis institutas licet sacra scriptura non testetur, vsus tamē in ecclesia continuus ab ipsis ad nos vsque descendens, ac tam diuturno temporis tractu, vniuersalique obseruatione confirmatus, eas sufficiente authoritate roborare videtur. Si igitur quæ in Dei mandatis non sunt, vel ad populum in religione melius, & facilius retinendum, vel iram Dei, quam indies cumulo peccatorum nostrorum magis magisque irritamus, placandam, ceremoniæ & traditiones insuper desiderentur, eas licet episcopi populum (vt præfatus sum) hortari, & possint & debeant, legis tamen vim habere, sine supremi reip. magistratus authoritate, ac eorum consilio, quibus verbum fidei nobis annunciandum imprimis creditum est, ne in eo error in religionem subrepat, plane non dixerim. Vtque nihil in vllius regni ecclesia nouum, absque principis authoritate legis instar sanciri potest, ita quæ iam pie institutæ, à populo receptæ, vniuersalique obseruatione confirmatæ sunt, quum absque traditionibus ac ceremoniis, nec quem in Dei præceptis habemus, verum Dei cultum obseruare possumus, sine magnæ reip. vtilitatis, atque commodi perspicientia ceremonias mutare aut prorsus abrogare nunquam consuluerim. Nam *omnis mutatio consuetudinis* (inquit Augustinus) *quantum vtilitate sua iuuat, tantum innouatione sua remp. perturbat.* Prætereà longo vsu probatam consuetudinem, quæ cum lege Dei aut patriæ commodo non pugnat, mutari posse, absq; magno populi Dei scandalo, quod ne fiat, Paulus, his etiam, quæ nobis alioqui licent, abstinendum putat, facile non crediderim. Quod tamen si principis authoritate, atque consilio fieri contigerit, populus nullum propterea scrupulum, eo quòd Dei concessu harum rerum omniū summam penes principem esse constiterit, habere debet. Ex his, quum meo iudicio manifestum sit in hoc, præcipue scilicet secundum Deum regi parendum esse, quid senserim, nempe vt nec regi, quod Dei præceptis repugnat, iubenti, nec vlli alii pręter regiam authoritatem, cuius cuius status, aut honoris fuerit ecclesiastici, aliud quam quod à Deo acceperit præcipienti, necessario obtemperandū esse, vnde digressi sumus redeundum est.

Quum ex hoc præcepto Dei, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, principum potentiam quauis ecclesiastica (ecclesiasticam enim voco, quæ non ad imperandum sorti Domini, sed ministrandum à Christo instituta est) vel in ipsam ecclesiam sublimiorem, ac superiorem esse à deo cunctis perspicuū fuerit, vt inficiari nemo possit, pontificiæ tamē authoritatis assertores, quibus

suum

suum errorem protegant, cuniculos disquirentes, regem (aiunt) supremum in suæ reip. ecclesiam dominium ac potestatem habere, in quantum ciuilibus legibus, quæ (vt ipsi dicunt) nihil commune cum religione habent, ipsa gubernatur, & quæ ad hanc (vt ita dicam) corporalem vitam necessaria vel paret, vel parta tuetur. Quod eorum commentum, quam sit ineptum, impium, legi Dei aduersum, ratione denique penitus alienum, tum ex prophanis philosophis, quorum non est omnino contemnenda authoritas, quippe quibus Deus sempiternam suam virtutem, & deitatem manifestauit, tum apertissimis sacrarum literarum testimoniis ipsa luce clarius faciemus.

Qui ex prophanis authoribus de rep. recte instituenda, & gubernanda scripta nobis reliquerunt, numina sua, diuosque, quos putabant, omnes exacta religione vt populus coleret, & ne quid vel minimum in hac re admittatur, eis in primis curæ fuisse videtur. Nam quum omnis reip. recta institutio, ad vitam hominis tuendam, & bene, beateque in ea vt viuatur tradita sit, nihilq; vel tam prodesse, vel homini obesse quã Deos censuerint, eos semper placatos, ac benignos vt habeât, quod sanctitatem, & pietatem efficere rebantur, maxime reip. interesse cogitabant. Cui quidem re assidue qui vacaret, magistratum & instituerunt, & institutũ summo post regem honore omnes prosequebantur. Proinde legum, quas ciuiles, quòd ad ciues gubernandos latæ sint, appellamus, tres partes fecerunt, nempe aliam, quæ populum quas sectaretur, virtutes, quæque declinaret, vitia, doceret, hanc moralem vocabant. Aliam, quæ diuorum cultum, religionemque describeret. Tertiam vero, quæ iura & qui in leges commiserit, is quas iuste luat, pœnas monstraret. Has omnes populus recte vt seruaret, suique muneris officio vnusquisque sedulo vt insisteret, principi in rep. potestati curare relictam est. καὶ μὴν ἥ γε βασίλεια, (inquit Plutarchus) ὥστε τὸ πᾶσαν ἀρχὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῇ συλλαβοῦσα καὶ τῆς μεγίστης ἱερουργίας προέστηκεν ὡς τὸ θεῖον. hoc est: *Atqui regia maiestas, quum omnem in se magistratum complectatur, maxime etiam sacrificiis pro sacra maiestate consecratur.* Si quis igitur apud prophanas gentes deorum, aut religionis curam ad rectam reip. vel institutionem, vel procurationem nihil pertinere dixisset, inscius, demens, impius, societate denique humana indignus, ac vt Abderites Protagoras ἄθεος, à ciuitate fuisset extorris. Hæc, si aut Aristotelis, aut Platonis *politica*, aut quæ beatus Augustinus *de ciuitate Dei* decem libris diligenter est complexus, animo lustrauerit, vlterius probari nemo desiderabit.

Sed quia fortassis apud gentes, quæ vel Deum non nouerunt, vel cognitum non sicut Deum glorificauerunt, recte institutam nunquam fuisse hominum dicant consociationem, quamuis in eos, quos censebant esse Deos, pientiores longe fuerunt, quam multi Christiano nomine potius quam re gloriantes, quarum religionem, & sacrificia beatus Apostolus, quod non Deo, sed dæmoniis facta sint, reprehendit: quia (inquam) prophanarum gentium remp. recte nusquam fuisse institutam putant, Iudæorum communitatem à Deo ipso & ordinatam, & legibus gubernatam in medium afferamus. Dauid Ephod lineo, qui leuitarum habitus fuit, indutus noua religione, & insueto iubilo arcam domini, primo de Gabaa, postea de domo Obededom Gethei portari curauit. Dauid qui sacerdotio fungerentur, & religionis sacrificia curarent, instituit. Salomon Abiathar sacerdotio priuauit, & pro eo Sadoc sacerdotem creauit, idque antequam vel cum alienigenis affinitatem contraxerat, aut cor eius, vt sequeretur deos alienos, à Deo vero auersum est. Regibus Iudæ, alioqui ob vitæ sanctitatem laudatis probro datur, quod populum in excelsis adolere siuerint, nec excelsa abstulerint. Eorum ergo erat imprimis curare, quæ ad religionem spectât. Ezechias laudatur, quod excelsa dissipauerit, statuas contriuerit, Serpentem denique æneum, quem iussu etiam Dei Moyses erexerat, quia filii Israel ei adolerent incensum, confregerit. Iosias vir bonus in primis legit ipse sacerdotibus, & prophetis, vniuersoque populo Iudæ, librum Deuteronomii: populumque fecit fœdus inire coram Domino, vt ambularent post Dominum, & custodirent præcepta eius, & testimonia, & ceremonias. Præcipit etiam Helciæ pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis, vt de templo eiicerent vasa Baal, & deleuit aruspicics, & omnem idololatriam de Israel. Phase quoq;, quale à diebus iudicum Israel factum non fuit, ipse fieri præceperit, sacerdotesq; in officiis suis constituit. Hæc, ac multa alia è *Regum Dierumque libris* deprompta testimonia satis testatur, reges Iudæ & ea, quæ religionis erant, ex officio curasse, & ipsis sacerdotibus, suum munus sedulo vt obirent, iure imperasse. Præterea Nabuchodonosor, cui inseruire, ac subiici tota Iudæorũ synagoga à Deo iussa est: Cyrus etiam, & Darius multa de colendo Deo viuo pie sciuerunt. Rex Niniue suis ciuibus durã pœnitentiam ad Ionæ prædicationem indixit. Sed veremur, ne quum in re non dubia testibus vtimur non necessariis, longiores hoc loco simus, quam res ipsa postulet.

Quare hoc ipsum pro gratiæ tempore reges, Dei præcepto, vt præstent, nimirum vt ecclesia in Dei religioso cultu retineatur, virtuti studeat, fugiat vitia, denique vt sacerdotes altaris ministri sua munia recte exequantur, ostendendum est. *Omnis anima* (inquit Apostolus, aut potius Christus in Apostolo) *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei qui male agit.* Ex hoc Christi præcepto per Paulum nobis reuelato colligimus, si impius, aut superstitiosus Dei cultus, si idololatria, si veneficium, si hæreses, & schismata, si adulterium, raptus, & incestus, si furtum, latrocinium, templorum depeculatio, si homicidium, & cædes, atq; id genus monstra alia, mala sint,

Digitized by Google

certę ad religionem Christianam pertinent, principum gladio, qui vindices in iram ei, qui malum facit, à Deo ordinantur, vlciscenda esse nemo dicere dubitauerit. Quod quidem ipsum Augustinus lib. i. capi 7. contra literas Parmeniani, his verbis confirmat: *An forte dicent isti, etiam si conuincuntur in sacrilega dissentione, vt pro ea dementia, si quid passi fuerunt, martyres non sint, non tamen ad imperatorum potestatem hæc coercenda vel punienda pertinere debere? Qua in re quæro quid dicant. An quia in religione vitiosa, vel falsa, nihil curandum sit talibus potestatibus? Sed multa iam etiam de paganis diximus, & de ipsis dæmonibus, quòd persecutiones ab ipsis imperatoribus patiuntur. An & hoc displicet? Cur ergo ipsi, vbi possunt, templa subuertunt, & per furores Circumcellionum talia facere, aut vindicare non cessant? An iustior est priuata violentia, quam regia diligentia? Sed hæc omitto, illud quæro, quod manifeste quærit Apostolus, dicens: Opera carnis, quæ sunt (inquit) fornicationes, immunditia, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidia, ebrietates, commessationes, & his similia. Quid istis videtur, vt crimen idololatriæ putent iuste ab imperatoribus vindicari? aut si nec hoc volunt: cur in veneficos vigorem legum exercere iuste fatentur: in hæreticos, autem, atque schismaticos, impias dissensiones nolunt fateri? Quum in eisdem iniquitatis fructibus authoritate Apostolica numerentur. An forte nec talia potestates istæ humanæ constitutionis permittuntur curare? propter quid ergo gladiũ portat, qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis, qui mala agunt? Nisi forte quemadmodum nonnulli eorum sane imperitissimi, hoc intelligere solent de honoribus ecclesiasticis dictum esse, vt gladius intelligatur vindicta spiritalis, quæ excommunicationem operatur, Quum prouidentissimus Apostolus consequente lectionis contextione satis aperiat, quod loquatur. Ille quippe addidit: Propter hoc & tributa præstatis. Ac deinde subiunxit: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. Hoc ergo iam restat, vt istis disputationibus suis prohibeant Christianos tributa persoluere, quum & Dominus talia sentientibus pharisæis, quos imitantur isti, nummo inspecto responderit; Reddite (inquit) Cæsari, quod Cæsaris est, & Deo, quod Dei est. Hi vero iis vtroque inobedientes atq; impii nec Deo reddunt Christianum amorem neq; regibus humanum timorem.* Quæ Augustini verba Dei præceptum declarantia principem à Deo habere gladium ostendunt in vindictam omnis (nullo excepto) mali. Si quid igitur etiam in religione à quouis, episcopo, sacerdote, monacho perperam fiat, vel quod fieri debuit, omissum sit, eius vltio ad principem pertinere potest. Hanc authoritatem ac potentiam, cæteris sublimiorem, licet impiis, & prophanis regibus in subiectum sibi populũ Dei ordinatione concessam esse, B. Paulus & Petrus scripserint, tamen in Christi gregem, magis expandendam, ac velut singulari quodam priuilegio, augendam fore sanctis per baptismum principibus Dauid psalmo primo vaticinatus est: *Nunc reges,* dicens, *intelligite: & erudimini, qui iudicatis terram.* hoc est (vt Augustino ad Vincentium Donatistam placet) *vobis, postea quam viam veritatis intelligere ceperitis, & verè eruditi fueritis, homines qui terrena sapiunt, ad verum Dei veri cultum cogere, ac in eodem pie & religiose retinere concessum est.* Quorum profecto Christianorum principum typum & figuram Nabuchodonosor gessit. Qui magnam Dei virtutem in tribus pueris ignis læsione liberis cum admiratione doctus, de summo colendo Deo viuo decretum promulgari fecit. Esaias etiam hanc regum Christianorum in ecclesiam futuram authoritatẽ præfatus est: *Erunt* (dicens *reges nutritii tui, & reginæ enutrient te.*

Iam in vnam summam, quæ diximus, colligere non erit absurdum. Primo, in qua ætate solo naturæ iure viuebatur, quando nulla, quæ vel ad mores, vel ad religionem attinet (quantum ex sacris scire licet) lex à Deo posita fuit, in ea ecclesiam Dei, quæ vbi vbi terrarũ dispergebatur, nullo certe communi symbolo, vt pro tempore legis circumcisione carnali, idque typice; pro tempore verò gratiæ, baptismo, in vnam certam, à cæterisque distinctam remp. collecta, atque manifeste vnita fuit, regis, aut summi eius, in qua degebat, reip. magistratus iudicio paruisse, ac præcipue secundum Deum ab eodem gubernatam fuisse, dicere cogimur. Secundo, populus mysticus, quem, iam relicto, quoad apertam, & manifestam gubernationem, reliquo orbe, Deus catholicæ suæ ecclesiæ imaginem voluit esse propheticam, regibus alias suæ religionis, alias prophanis Dei præcepto fuit subditus. Denique pro tempore gratiæ, quando Christus vnum sacrosanctum vberioris suæ gratiæ signum, nempe baptismum instituit, quo omnia sui corporis, scilicet ecclesiæ membra initiarentur, quumque totum iam orbem, vt suus populus, suaque resp. fiat, palã vocauit, *venite ad me omnes* (dicens?) *qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos,* Deus ecclesiam suam, quorunque prædicatione mundum à conuersatione sua nequam ad veram salutis viam accersiuit, Apostolos, euangelistas, prophetas, doctores, pastores, cuius cuiusve alterius fuerint dignitatis, regum potentiæ, tanquam sublimiori, ac superiori subiectos esse voluit. Quibus sane regibus, vt mala omnia, quæquæ fuerint ipsa, vindicarent, gladium tradidit. Vtque id securè, animosè, magnificéque præstare possint: vectigalia, atque tributa, reliquos omnes, maxime vero Christianos, quippe quibus hoc Christi præceptum (*omnis,* inquam, *anima potestatibus sublimiorioribus subdita sit*) Apostolus scripsit, pendere debere Christus ecclesię caput, & sponsus manifestissime docuit: tum suis ipsius dictis & factis, tum per legatos Petrum & Paulum, atque viros alios in ecclesia eruditione celebres, pietate, vitaq; sanctimonia insignes, ac omnium consensu inter diuos relatos sacra Christi eloquia suis lucubrationibus nobis dilucidantes.

Hæc quum ita se habeant, ostendendum pro virili erit, quibus præstigiis, ac fucatis argumentis sacra Christi dicta peruerse intellecta in suũ sensum distrahentes sibi Romani episcopi hanc eminentiã asciscunt, atque assumunt, qua non solũ episcopis, reliquisve honoribus ecclesiasticis præ-

stare

...iis, licet ipsi dominari licet nomine seruos se esse dicant: verum etiam ipsos orbis monarchas, quibus terrarum orbem hic iudicandum, & à sceleribus gladio suo coercendum Deus commisit, sibi parere debere omnes vt crederent, duxerunt. Et quia per beati Petri authoritatis fastigium, quo cæteris eum Apostolis fuisse dicunt superiorem, quam etiam, quum in illius pastoralem (vt ipsi putant) succedant vicem, sibi vendicant, hoc confirmare nituntur: Pimo videndum erit, quæ fuit illa, quam Christus Apostolis suis credidit, authoritas, ac potentia. Secundo, fuerint numne Apostoli omnes hac dignitate pares. Tertio, quòd si Petrus hac authoritate reliquis Apostolis antecelluerit, an episcopi etiam Romani aliis nostræ religionis præsulibus pare iure eadem anteire debeant.

Quam autem Christus Apostolis suis, hoc est à se missis, potestatem dedit, melius cognoscemus, si legationem, qua vt fungerentur in mundum vniuersum missi sunt, diligenter ex Christi verbis scrutati fuerimus. Atque quoniam eos bis misisse legitur, vtriusq; legationis munus impigre dispiciendum erit. Antequam consummata erant omnia, quæ in lege & prophetis scripta sunt de Christo, neque in vniuersum mundum regnum cœlorum vt prædicarent, Christus misit discipulos suos, neq; integram suæ legationis potestatem illi acceperunt. Quando adhuc in viam gentium, & Samaritanorum, id est, gentibus prædicare, vetiti sunt, neq; peccatorum remittendorum authoritatem, quia Iesus adhuc clarificatus non erat, habuerunt. Primo igitur conuocatos duodecim discipulos suos Christus, eos misit tantum ad oues, quæ perierunt, domus Israel, appropinquasse solum regnū cœlorum vt annunciarent. Atque vt à magistro Deo, qui vnus regno cœlorum donare nos potest, se missos fuisse, quibus prædicabant, eos certiores facere potuissent, suæque certam legationis rationem cunctis reddere, ipsam digito Dei, non atramento scriptam ostenderent. Nimirum immundorum spirituum & dæmonum electione, infirmorum & languidorum curatione, leprosorum mundatione, & mortuorum suscitatione. Cuius quidem muneris officium, nullius alterius rei satagentes, sedulo vt exequerentur, omniumque, ad victum quæ pertinent parandorum cura ac sollicitudine vacui, ad quos hoc nuncium ferrent, ab eis necessaria omnia accipiendi potestatem habuerunt. Hæc fuit Apostolorum Christi prima legatio. Verum vbi Christus in cruce dixisset *consummatum est*, iam iamque typicam hanc veræ Christi ecclesiæ vmbram, & imaginē propheticam desinere, ipsamque corpus & rei veritatem succedere, & manifestari oportuerit, non iam ad Iudæam, in qua antea solum notus fuit Deus, sed in vniuersum orbem hos legatos mittere voluit, nec appropinquasse regnum cœlorum vt prædicarent, sed omnium flagitiorum precium, mortem videlicet vnigeniti Dei filii persolutam affirmarent. Remissionem item peccatorum per fidem, fideique sacramentum baptismum (quando ei nunc data est omnis potestas in cœlo & in terra) certissimam omnibus patere clamarent. *Sicut me misit pater* (nunc inquit) *& ego mitto vos. At ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*, missi sunt ergo Apostoli vt testimonium perhiberent veritati, huic nimirum, *Mundum suis peccatis* (vt inquit propheta) *venundatū esse*, & nec auro nec argento, sed vnigeniti filii Dei, qui ad hoc homo factus est, sanguine redemptum esse, eiusque resurrectione omnibus cœlorum regnum apertum esse, ac remissionem peccatorum in eius nomine, per fidem, pœnitentiam, & sacrum baptismum cunctos adipisci posse. *Euntes ergo* (inquit *docete*, non modo oues, quæ perierunt, domus Israel (sicut ante) sed *omnes gentes* (nullum enim animal iam sanguine agni lotum, & sanctificatum immundum dici potest) *baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Hac legatione secunda prior eis adempta non est, sed aucta, sed expensa, sed magistri morte, per quam omnia (vt Paulus testatur) suum testamenta robur habent, confirmata, eodem denique digito Dei conscripta, atque signata fuit. Ast vt in priore legatione, si qui in legem commiserint, ii suis tribunalibus, quæ nulla vnquam fuerunt, authoritatem vt sistantur præcipiendi, scelera ve, nisi verbo tenus, vindicandi (quando hoc principes rerumque publicarum magistratus facere decet) ita neque hac secunda Christus credidisse legitur. *Non monstrabunt puto* (scribit Bernardus ad Eugenium) *qui hæc dicunt, vbi quispiam Apostolorum index sedit hominum*, & postea, *Stetisse iudicandos lego, sedisse iudicantes nunquam.* Sed *si quis* (inquit Christus) *vos audit me audit, Et qui vos spernit, me*, cuius, quam prædicatis, doctrina solius esse debet, *spernit. Vos vestro fungamini munere. Si dixeritis eis, liberastis animas vestras. Tolerabilius erit terra Sodomorū, & Gomorræorum in die iudicii* (*tunc enim sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel*) *quam his, qui vos audire noluerunt.* Vnde igitur in delinquentes & in legem Dei, aut ecclesiæ grauiter committentes corporali pœna adnimaduertere, aut in carcerem quemuis coniicere iure possint, aliunde episcopi quærant, à Christo sane quòd hoc possint, vt prædictum est, non habent, at posse concessu principum non diffiteor. *Constantinus* enim (inquit Sozomenus) *iura administrantium sententias vbique imperfectas esse voluit, & ad episcopos per appellationem refugiendum esse sanciuit, si qui vellent ciuiles iudices refutare.* Cuius animi pietatem, alii post reges imitati, in fornicatione, adulterio, veneficiis, & id genus aliis criminibus supremam vindictam episcopis reliquerunt. Quamuis hanc iudicanti formam Cæsar Augustus episcopis concesserit, religionis tamen causas in Arianorum factione per eos agitatas, & finitas, ad suæ maiestatis iudicium ipsos referre voluit. Episcopis enim Tyri collectis, ad Athanasii intercessionem scribit; *Ego quidem ignoro, quæ vestro concilio turbulenter, atque cum tempestate decreta sint, apparet enim quod quadam tumultuosa in disciplinatione veritas sit oppressa*; & postea: *Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad meam reuerentiam volo concurrere, vt gestorum apud vos integritatem per vos ipsos possitis ostendere.* Et infra: *Vnde quia mihi rationabile videtur, & temporibus*

oportunum, scribi vobis libentius hæc præcepi, vt omnes, quicunque apud Tyrum concilium celebrastis, indesinenter ad expeditum nostræ mansuetudinis concurrere festinetis, ipsis operibus ostensuri puritatem, & rectitudinem iudicii vestri, coram me videl. quem Dei ministrum proprium neque vos negabitis. Agnoscant igitur episcopi suam sententiam, etiam in religionis causa prolatam, ecclesiæ vtilitate id postulante, ad regē suum, tanquam Dei ministrum proprium, referri debere. Idque rationi cōsonum esse videtur. Nam qui omne malum Dei iussu vindicare debet, suique, recte num ne obiti muneris rationē haud dubie coram Deo reddere, quod in religione ab episcopis erratum est, examinare ac corrigere non oportere, valde absurdum esse nemini non videtur. Nec propterea regibus se superioribus esse, episcopi causari debent, quòd vel in verbo Dei annunciando, vel in veritate fidei definienda, aut in sacramentis tractandis, ac ministrandis, quibus præcipue consistit ecclesiastica consociatio, sui fuerit ratio potior. Quippe quum, recte & vt decet, ni hæc faciant, iustas regibus pœnas dari debent. *vindices enim sunt à Deo constituti eis, qui malum faciunt.* Nec propterea superior erat Azarias sacerdos Ozia rege Iudæ, quòd eius, & non regis erat in sancto sanctorum incensum adolere. Neque Ezechiel, quòd populi speculator à Domino constitutus fuit, rege Babyloniæ, cui omnes Iudæi subiici, & inseruire iussi sunt, superior dicendus fuit. Sacerdotum est veritati dicendæ studere; *labia enim sacerdotis* (inquit propheta) *custodient scientiam, & legem requirent de ore eius*, atque altari inseruire, nam omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Regum vero, vt hi, reliquique omnes suorum munerum officiis sedulo insistant, curare ac cogere. delinquentibusque iustas pœnas infligere. Verum, quia Apostolus manifeste omnes honores ecclesiasticos (vt Chrysostomus probat) in hac vniuersali, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, comprehendit, regum authoritates, sacerdotum sublimiores atque superiores esse, fateri compellimur. Ideoque illorū iudicato, nisi id pietati officiat, reliquos omnes stare oportet, ecclesiasticique omnes perinde, vt laici, quum tributa aut vectigalia indicuntur, iussu Dei soluere tenentur. Nec hic immunitatem, aut priuilegium ecclesiasticum prætendere possunt. Quippe quum nullum, nisi quod regis beneficio concessum habuerint, ostendere valent.

Ex his liquet, & quam principum concessu episcopi habent potentiam, & Apostolicam potestatem, hoc est eorum, *qui pro Christo* (vt inquit beatus Paulus) *legatione funguntur*, fuisse germanam atque præcipuam, salutis verbum toti mundi annunciandi, sacramentis mundumā reatu criminū purgandi, dona & sacrificia pro peccatis offerendi. Hac certe potestate (vt ad secundum rogatum veniam) omnes Apostolos fuisse pares, quando pariter, simul, & eisdem ipsis verbis, Christus salutis author, & Apostolorum magister eam illis tradidit, & qua Paulus Iacobo Petro, aut Ioanni, *qui videbantur columnæ esse*, nunquam cessit, argumentis, ex sacrisve petitis testimoniis, neque ita multo post, huc reuersurus, hic probare supersedeo. Sed papisticæ assertores potestatis duas alias, quasi prærogatiuas Christum Petro commisisse dicunt, quibus eum reliquis Apostolis, & proinde Romanos pontifices cæteris ecclesiæ episcopis præstare volunt. Alteram scilicet, vniuersi populi Dei pascendi, atque regendi curam. Alteram in quouis (si quod forte occurrat) in fide dubio, sinceram veritatem infallibiliter potestatem definiendi. Quod si præstare possint, totus mundus (quandoquidem omnes fidei veritatem, qua nos fore saluos non inaniter credimus, scire auemus) collum sibi vt subiiciat Romani pontifices merito postularent. Sed his (vt vocant) prærogatiuis beatum Petrum cæteris Christi discipulis præstitisse, quibus tandem probant rationibus videndum est. Primo vniuersalem (aiunt) gregis Dei pascendi curam vni beato Petro Christū credidisse, vel hoc argumento manifestum esse, quòd vbi eum interrogasset, an *plus aliis se diligeret*, ac ille, *etiam*, responderit, *Pasce*, dixerit, *agnos meos*, vnde tanquam aliis plus diligenti, Petro maiorem curam Christum credidisse par esse dicunt. Quibus verbis maiorem, aut potiorem Petro Christum curam commisisse non video, quam omnibus simul Apostolis, quando dixit, *Ite in vniuersum mundum, & prædicate euangelium omni creaturæ. docentes obseruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* & alibi; *Sicut me misit pater, & ego mitto vos. Vos* (inquit) non vnum Petrum. Nam si totius ecclesiæ, aut omnium particularium ecclesiarum illis verbis potius quam istis Christus sui ouilis curam & solicitudinem dedisse putetur: cur non æque ipsum Petrum, quum senioribus consenior, & testis Christi passionum scripserit, *Pascite*, dicens, *qui in vobis est, gregem Dei*, eis etiam, quam eisdem ferè verbis accepit, vniuersæ curam ecclesiæ supremam tradidisse dicendum erit. Quare vt ouium pascendarum curam, & solicitudinem his verbis, *Pasce oues meas*, Christum Petro commisisse ambigendum non sit, ita, aut vniuersalem, aut supremam, plagarum in Ioannis reuelatione minis, si quid sensui verborum Christi, vel addiderit, vel subtraxerit, perterritus nemo piæ mentis dicere audebit. Verum quòd solum Petrum, an aliis Apostolis plus se amauerit, toties Christum interrogasse, & illum, *etiam*, respondisse legitur, magis diligenti (vt prædictum est) maiorem iure Christum commisisse curam arbitrantur. Id quod ex his verbis recte elici possit nec ne, altius expendendum est, quamobrem Christus vel solum Petrum, vt apud Ioannem est, dilectionem rogauerat, vel illi vni, *pasce oues meas*, tunc dixerat. Cuius quidem rationem Augustinus, & Cyrillus pluribus in hunc, qui sequitur, sensum conuenientibus verbis persequuntur scilicet, quum nec aliud toties audit à Petro, quam se diligi, nec aliud toties commendat Petro, quam oues suas pascere: huius interrogationis, & responsionis, commissæ quæ pascendarum ouium curæ rationem agnoscemus, si amoris officium cogitemus esse pascere dominicum, sicut fuit timoris indicium, negare pastorem. *Qui hoc animo* (inquit

Aug.

Aug.) *pascunt oues Christi, vt suas velint esse non Christi; se conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi: vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subueniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi. Nam quid est aliud, si diligis me, pasce oues meas: quàm si diceretur, Si diligis me, non te pascere cogita, sed oues meas? sicut meas pasce non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua?* Ex his beati Augustini verbis liquet, cur tot interrogationibus Christus ex Petro dilectionis confessionem extorserat. nimirum vt in pastore se sui amorem imprimis requirere intelligat. At soli Petro Christus hoc tunc dixit, *Pasce* scilicet *agnos meos: Apostolatus illi renouans dignitatem: ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur. Ter solus amorem rogatur, quod cum aliis apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negauit. Iure ergo nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur. Petiit autem ab eo, si plus cæteris diligeret. nam qui maiorem clementiam in se Domini fuerat expertus, maiore amore affici iure debeat. Nam etsi communiter omnes discipuli magna perculsi formidine, quando Dominus tradebatur, fugerint: maius tamen crimen fuerat Petri, qui breuissimo in tempore ter Christum negauit. Quoniam igitur maioris, clementiam saluatoris peccati remissionem consecutus est: iure ab eo maior petitur dilectio. Cui enim plus remittitur, plus amare debet. vt ipse alibi dicit.* Hæc Cyrillus. Quæ Augustini & Cyrilli lucida dictorum Christi expositio satis apertum facit, non ante alios Apostolos, sed cum aliis ouium Christi rationalium pascendarum curam Petro istis verbis, *Pasce oues meas*, renouatam fuisse. Nec aliud esse quod apud Iohannem dicitur, *Pasce oues meas*, quàm quod reliquis Apostolis vna cum Petro apud Euangelistas dictum reperitur, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Nam istis Christum verbis pascendi sui gregis curam aliis Apostolis dedisse nisi concesserimus, quum aliis nusquam expressius legitur: eos pastores fuisse dicere nõ possumus. Quod quàm fuerit absurdum, omnium esto iudicium.

Ad secundam prærogatiuam veniendum est, scilicet inconcussam in fide constantiam, quam vni inter Apostolos Petro, & post Petrum Romanis episcopis Christum concessisse omnibus (vt aiunt) neruis probare contendunt. Omniaque concilia vniuersalia, quæ in Christi causa legitimè congregata catholicæ nobis ecclesiæ, quam diuus Paulus columnam, & firmamentum veritatis appellat, authoritatem repræsentant, errare & de veritatis via deflectere quum possint: à Romano episcopo Petro in amplitudinem potestatis, atque hanc constantiæ prærogatiuam, (vt ipsi dicunt) succedente, sincera, & omnibus veneranda, fidei veritas eorum iudicio petenda est. Et ne quis me putet hæc monstra somniare, aut comminisci, inter multos huius farinæ, nostri temporis Alberti Pighii verba in medium afferam. *Sacrorum* (inquit) *scriptorum veram germanamque intelligentiam docere, & testificari vnam Apostolicam* (Romanam dicit) *& Ecclesiastica hierarchia præsidem prærogatiua singulari accepisse à Christo indeflectibilis fidei priuilegium, & ad hæsitantium fratrum confirmationem in fide, euidentissime demonstrauimus.* Rursus: *Quod sit summum in Ecclesia tribunal, summum iudicium, cuius suprema, & sacrosancta iurisdictionis authoritas, nempe Apostolica cathedra & Ecclesiastica hierarchiæ præsidis, sæpe euidentius fecimus, & confirmauimus ex vmbra & figura eiusdem in illa synagoga vetere, in qua omne difficile & ambiguum iudicium ad præsidem cathedræ & sacerdotes secum in eadem ministrantes Domino referri mandatum est, eorum absque vlla tergiuersatione, exceptione, aut discussione, sequi definitionem & iudicium, inobedientesque imperio sacerdotis præsidis, penes quem erat sacrosancta illa iurisdictionis authoritas, puniri mortis supplicio.* Idem affirmare nititur clarissimis (vt sibi videtur) Christi dictis ad Petrum Lucæ vicesimo secundo capit. quod dicit se Christus *rogasse pro Petro, ne deficiat fides eius, ad confirmandos fratres*, hoc est (vt putat Pighius) reliquos Apostolos hæsitantes in fide. Sæpe etiam & passim Romanam sedem (quam vnam Apostolicam appellat, quum plures alias episcoporum sedes non secus ac Romanam illustres in Ecclesia nostra scriptores hoc nomine dignentur) summum in Ecclesia iudicium ob hanc in fide immutabilem constantiam, supremamque iurisdictionis habere authoritatem asserit. Quæ secundum formam hierarchiæ Ecclesiasticæ, qualem pro sua voluntate ipse fingit, de aliis iudicans, nullius alterius quam Dei iudicio subiacet. Hæc & multa alia in eandem hæresim conspirantia verbosius ab eo in *sex libris* scripta inuenimus, quos contra authoritatem Ecclesiæ catholicæ euomuit, quam vnam *columnam & firmamentum veritatis* agnoscimus secundum Paulum & acta, tum Apostolorum, tum sanctorum post patrum: qui semper Apostolorum exempla imitati pro omni in fide controuersia non ad episcopum Romanum, sed ad concilium vniuersale, tanquam ecclesiæ catholicæ authoritatem, atq; in veritate constantiam repræsentans, decernenda, & definienda conuenerunt. iis omnibus atq; aliis innumeris eius commentis voluntarieque dictis, quibus ecclesiæ catholicæ super Christum firmam Petram fundatæ & stabilitæ constantem veritatis rationem derogare, & eam falso, ac impie ascribere nititur Ro. pontifici: quem miror ad huiusmodi voces, Herodis ab Angelo percussi, quòd populũ Dei honorem ei tribuentem non reprehenderit, exemplo ductum, non expauescere, omnibus (inquam) eius insomniis respondere, quum huic rei locus non sit, supersedeo. Pauca tamen quibus facile illius lapsum, & turpem oscitantiam deprehendas, hic subnectemus.

Ac primo dicam, totam scholam Parisiensem (si quæ eius, vt apud omnes est plus iusto magna, fuerit authoritas) non solum huic sententiæ, aut potius commentitiæ Papistarum opinioni reniti, &

aduersari: verumetiam sacrosancto constringere iureiurando, quotquot in theologia gradum adipisci volunt, eius oppositum pro virili vt sustineant, atque diuulgent. Et tamen hanc (Parisiensem dico) scholam, aut eius alumnos Ioannem Gersonem, & Guilielmum Occam, qui magnum studium multamque operam in hanc Papisticæ authoritatis assertionem eneruandam ac subuertendam contulerunt, nemo vel ipse Romanus episcopus hæreticos, aut schismaticos ob hoc vnquam vocare ausus fuit. Verum quod hunc suum pestiferum errorem sacris Christi, ecclesiæ sponsi, eloquiis confirmare conatur, quæ in medium profert, ea nihil pro ipso facere Dei adiutorio, & matris meæ ecclesiæ precibus fretus cunctis perspicuum facere non hæsito. Primo illud Deuteronomii. 17. quod perperam, mutatis pro suo iure quibusdam, ille citat, quo, vt Achille nititur, quam ab eo steterit dispiciendum est. *Si difficile & ambiguum* (dicit Dominus) *apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici ordinis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* Ex hac lege, quam vt figuram pontificiæ authoritatis in Synagoga præcessisse dicit Pighius, omnis controuersiæ, quæque fuerit ipsa, supremum iudicium apud episcopum Romanum vult consistere. Ad ipsumque ab omni alia curia, tanquam à subselliis ad rostra, rem omnem iure diuino deferri debere. Id quod Paulum, vel quum ad Cæsarem prouocaret, vbi ad Petrum præcepto Dei debuit, vel hoc præceptum vniuersale, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, nec beatum Petrum ab eius vinculo excipiens, Romanæ ecclesiæ quum scriberet, non intellexisse, saltem obsequi noluisse certum est. In *Affricano* vero *concilio*, cui etiam Augustinus intererat, omnes Affricæ episcopos hoc præceptum *Deuteronomii*, vt ipse illud intelligit, non solum latuit, verum eius etiam declarationi obstinatæ, & totis viribus restitisse constat. Nec episcopus tunc Romanus sibi hanc supremi iudicii prærogatiuam per præceptum Dei, sed per canones, quos in *Nicæam Bythiniæ* vrbem coacti, patres Cæsaris permissu (vt ex *annalibus ecclesiasticis* liquet) condiderunt, vendicasse legitur. Tamen vt crassam eius ignorantiam omnibus euidentem faciamus, tempus, quo hæc lex condita est, & vigere debuit, ostendemus. Deus vbi sobolem Abrahæ suæ veræ hæreditatis vmbra, & imago vt esset prophetica, relicta (vt diximus) quoad manifestam rerum moderationem, reliqua hominum turba, sibi quasi populum peculiarem assumpsisset: eam rempub. ab aliis diuisam instituit, certisque legibus constitutæ reipubl. necessariis, moralibus (inquam) cæremonialibus, & iudicialibus latis, magistratus harum legum administratores, delinquentiumque vindices creauit. Supremum nempe sacerdotem, iudicem, & qui in portis iudicabant. Quem huius reip. statim ex monarchia & optimatum potentia mistum, à Deo institutum, quamdiu populi Israelitici consensus probauit, eius constitutis magistratibus ipse populus parere Dei iussu debuit. At vbi regem constitui super se populus petierit, atq; impetrauerit, quod ipsum fore Deus etiam (vt ex eodem *Deuteronomii cap*. patet) prædixit, magistratus antè supremi suo iure regibus cesserunt. Id quod non ex meo ipsius capite fictum, sed sacra historia comprobatum iri, certo vt quis intelligat, diligenter animaduertat, tum regis Salomonis orationem, *Dabis ergo seruo tuo* (post multa alia dicentis) *cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum:* tum controuersiam illam pro vno infante inter duas mulieres, vtra eum haberet, ortam, quæ non à sacerdote, sed Salomone finita est: denique, quod nunquam postea à sacerdote sed rege, aut quem rex illi muneri præfecerat, suprema, à qua non licebat prouocare, lata in aliqua lite sententia est. Quum huius igitur magistratus, summi scilicet sacerdotis, in controuersiis transigendis, ac decidendis potestas, manente adhuc in suo typo populo illo prophetico, abrogata fuerit, nec vlla iudicialia illius reip. præcepta, quamuis à Deo edita, nunc in suo vigore manserint, reliquum est neque hanc legem, vtpote iudicialem, vim suam retinere dicamus. Sed Phigius dicit eam fuisse vmbram, & huius Romanæ sedis potentiæ, ac authoritatis figuram. Verum hoc eius commentum, & præter omnem rationem voluntarie dictum, ac apostolorum tum actis, tum per eos diuulgatæ doctrinæ contrarium, vel hoc irrideri debet, quòd quæ in illo populo, velut ecclesiæ nostræ tunc futuræ figuræ, & vmbræ instituta sunt, donec typus, & vmbra manserit, nec rei veritas, aut corpus successerit, ea in suo robore permanere, saltem non penitus abrogatum iri, nulli vel mediocriter sacris literis initiato dubium esse poterit. Præterea quis præter huiuscemodi fictæ authoritatis assertores, tam impie desipit, vt apostolos huius potestatis per illud in vetere lege præceptum tã apertè (vt illi somniant) significatæ adeo oblitos, aut negligentes fuisse dixerit, vt vel pro definienda illa pro legis obseruatione apud Antiochiam inter gentes & Iudæos, vtrosque Christianos, orta lite, vel sæpè alias, etiam contra ipsum Petrum, quod ad gentes diuerterit, non potius ab ipso Petro, quod & facilius, & tutius fieri potuit: quam à consessu & congregatione præsidum ecclesiæ iudicium ac sententiam quæsierint, Quando (vt Pighio visum est) maior & certior Petri, quam reliquorum omnium, apostolorum, discipulorum, & presbyterorum cœtus, fuit à Christo cõstituta authoritas ac donata inconcussæ in fide constantiæ prærogatiua. Cur itaq; non poti⁹ ad Antiochenã ecclesiam rescripserunt, *visum est Spiritui sancto & Petro*, quàm *visum est Spiritui sancto & nobis*. Qui articulus

ticulus fidei, cuius præsertim notitia ecclesiæ hic peregrināti, & per ænigma, donec per speciē videre possit, veritatem apprehendenti tanto vsui fuerit, habita eius promulgandi iusta, & vrgente occasione, nobis doctrinam confirmatam ac stabilitam ab eis excipientib⁹ per eos manifestari quoquo modo debuerit. Sed Apostoli, licet in beato Petro, vt in seipsis omnibus, postquam induti fuerunt virtute ex alto, & in veritate pariter confirmati, hanc fidei constantiam fuisse nouerint, ac vnusquisq; eorum, illam apud Antiochiam ortam in religione controuersiam, & alias omnes, à S. sancto omnē veritatem doctus secure definire potuerit: tamen ne hoc exemplo alius post episcopus, si quando aliquis fidei articulus controuersus fuerit, & dubius sua authoritate quid pro vero sustinendum sit, statuere se posse crediderit: id pro certo, nisi generalis concilii probatum authoritate, vt non haberetur, suo facto docuerunt. Quod Apostolorum consilium imitati sancti postea patres ecclesiæ, quum quæstio de fide occurrisset perplexa, non statim ad Romanum pont. eam detulerunt definiendam, sed trecentorum octodecim episc. in Nicænam Bythiniæ vrbem Cæsaris tunc vniuerso orbi imperantis authoritate & edicto, non Ro. pontificis, vt annalia probant ecclesiastica, congregatorū maioris partis consensu determinatam veritatem agnoscimus, & veneramur. Hanc regulam, vbi in fide quippiam controuersum esset, primitiuam ecclesiam ipsorum verbi (vt ita dicam) inspectorum prædicatione, actis, perpetua vita, dein sanguine fundatam, erectam, & consolidatam, quæ ad nos vsq; peruenit, secuta ecclesia semper coluit. At si hic, quem nobis neoterici Papistæ tradunt, modus inquirendi in fide veri, si qua forte quæstio de ea oriatur, tam certus, tut⁹, distinctus, manifestissimis deniq; Christi verbis (vt Pighius asserit) nobis commendatus fuerit, certe facilis, breuis, & cōpendiosus est, primo nō satis mirari (vt præfatus sum) queo, quam ob caussam illum apostoli, deinde sancti ecclesiæ patres, quos in Nicæam immensis expensis ad Arianam vesaniam extirpandam pii principis Constantini magni charitatis feruor ex omnib⁹ Christiani orbis plagiis coegit, vlli ve postea ad plus mille annos secuti non sint. Ignorasse eos hanc veritatis inuestigandæ compendiosam viam, qui nos verbo fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vt illuminarēt, missi sunt, dicere non possum⁹, quippe quos & Christus ipse docuit, & quem misit pater, spiritus omni veritate instruxit. Noluerūt ergo. Quod quàm procul ab eo sit, vt etiam dicatur hunc eos nobis veri reperiendi apertum & facilem modum inuidisse, eorum esto iudicium. Augustinus quidem certe prouincialia concilia ad vniuersalium amussim & regulam non Romani pontificis fallacem in fide constantiam æstimanda, examinanda, ac corrigenda contra Donatistas affirmare non veretur. Ambrosius ad Valentinianum omnem de fide quæstionem à sacerdotum senatu agitari ac definiri, non item ab vno Rom. pontifice debere scribit. sed imperiti hi, omniumq; sacrarum literarum rudes, & huius Romani præsulis incōcussæ in fide constantiæ per Christum ei concessę (vt Papistæ aiunt) & confirmatæ priuilegii ignari, hunc post plus mille annos per Pighium ac id genus recentiores theologos certum ac præsentem iā demum repertum veri inuestigandi modum qui scire potuerunt? Præsertim quum non ab hominis prudentia inuentis, sed datis optimis, atque donis perfectis à patre luminum, qui dat omnibus affluenter, descendentibus, in veritate nobis tradenda illi quidem nixi atque confisi sunt. Habeat igitur suam sibi Pighius eiusq; similes, plusquam dubie certam veri inueniendi viam. nobis vero, quam apostoli, & sancti deinde ecclesiæ patres apostolos imitati tradiderunt, concedant atque relinquant.

Hæc de apostolis, apostolorumq; successoribus episc. (plura certe quam quibus opus est) diximus, vt ostenderemus falsum esse quod Pighius, & id genus Papistæ alii tam frequenter mentientes inculcant, vniuersam scilicet Christi ecclesiam Petri, & Romanæ, post Petrum cathedræ semper agnouisse prærogatiuam, & priuilegium, quotiescunque fidei quæstio agitata est. Sancti enim, & venerabiles patres ad varia monstrosarum genera hæresium extirpāda, quæ subinde callidis nostri perennis hostis insidiis, & astutiis suboriebantur, collecti, quum de fide (vt diximus) controuersia agitaretur, eam non ad sedem Romanam, quod factu erat facillimū, & (vt isti dicunt, sed ego nō credo) tutissimum, determinandam detulerunt: sed magnis laboribus, ingentibus expensis, longis itineribus, relictis interim suæ curæ commissis ouibus, apostolorum exemplo docti, in vnum locum Cæsaris edicto designatum contendebant, vbi fidei veritatem Christi promissis nitentes (cum patribus enim Ecclesiæ, quos verbo fidei oues suas pascere & regere voluit, se ad consummationem seculi vsque fore pollicitus est) omnibus amplectendam, venerandam & exosculandam immutabiliter exposuerunt. Id quod si sincerius, tutius, maiore cum authoritate saluis etiam tantis laboribus, & quod præcipuum erat, suorum custodiis pecorum insistentes ac inuigilantes: vnius Romani Episcopi oraculo ex Dei manifestissimis verbis (vt isti affirmare conantur) certitudinem habente facere potuissent, & seipsi his omnibus leuauissent, & Cæsarem veræ fidei, & pietatis intelligendæ desiderio captum veritatem ipsam breuiter, & maximo cum compendio docuissent. Quando si tunc illi dixissent, Illustrissime Princeps, quod variæ apud nos, in fide nostra, quæ vna omnino esse debet, quæstiones, indeque sectæ, subnascantur, mirari non oportet. Nam cuius signo in labaro tuo tot hostium millia vicisti, is hoc fore nobis prædixit. Verum vnum nobis, quum hinc in cœlum discederet, sua vice præsidentem, in fidei veritate indeclinabiliter à se confirmatum, ac vniuersalem ecclesiæ suæ pastorem (vt patet) vigilantissimum Petri Apostolorum principis authoritate fungentem Romanum Episcopum reliquit, cuius in omni controuersia iudicato, vt qui in iudicio errare non potest, standum est. Quare non conturbet tuam maiestatem hæc inter nos de fide orta cōtrouersia, nec ab extremis terræ finibus episcopos in vnum locum cogendi inanem per-

Digitized by Google

das operam, quum vnius Romani episcopi, qui Christi vice nobis præest, pronunciatum & suo pietatis sitibundo amori certius satisfaciet, & nos magna solicitudine, qui veritatem omnes docere debemus, liberabit. Huiusccmodi si pio principi non adeo pridem ad Christianismum conuerso dixissent, & ipsum magnis sumptibus & se grauibus laboribus, posterosque omnes veritatis inquirendæ ingente solicitudine haud dubie liberauissent. Sed quòd hæc non dixerint, in causa fuit, quod hanc Romani pontificis authoritatem ascititiã & has prærogatiuas fictas ac falso illi ascriptas, nec à Christo concessas fuisse certo cognouerunt. Quod ipsum reliqua huius Pighii ac eius farinæ aliorum scripta manifestissime produnt. Aiunt enim: pontifex Romanus de aliis Dei concessu iudicare, at ipse nullius præter Dei iudicio subiacere debet. Nec rationi certe consentaneũ esse arbitrantur caput inferiorũ membrorũ iudicio obnoxiũ fore. Ex quo hoc ego deduco: sed Romani presbyteri, & reliqui Ecclesiæ Episcopi Romanum pontificem pro re nata coram se causam dicere sæpe coegerunt: ergo illi Romanum Episcopum pro capite à Christo his priuilegiis donato nunquam agnouerunt. Damasus enim pontif. Romanus adulterii accusatus (inquit Sabellicus) multa cum indignitate, & personæ, quam sustinebat, sugillatione coactus est in publico antistitum conuentu adulterii causam dicere. Xistus Romanus etiam Episcopus, inter initia sui pontificatus à Basso quodam in iudicium fuit adductus, & in septem & quinquaginta antistitum conuentu omnibus est absolutus suffragiis. Hæc licet vel lusco apertum fecerint, patres Ecclesiæ Romani pontificis hanc commentitiam potestatem nunquam agnouisse, illius tamen patroni centones semper consuentes, & omnia, quibus suum suffulciant errorem, dispicientes, vt Hierosolymitano concilio Petrum, ita episcopum etiam Romanum reliquis conciliis præfuisse asserant. De Petro quod dicunt per sacras literas non constat. Imò contra Iacobus, tanquam præses, senatus sententiam pronunciabat. De Nicena Synodo hæc nobis reliquit Sozomenus: *Communicabant in consilio Niceno ex Apostolicis quidem sedibus Macarius Hierosolymitanus, Eustathius iam præsidens Antiochenæ apud orientem Ecclesiæ, & Alexander Alexandriæ. Iulius autem Romanus episcopus propter senectutem defuit. Erantque pro eo præsentes Vitus & Vincentius presbyteri eiusdem Ecclesiæ.* At *vbi domum regio apparatu instructam imperator ingressus esset, tum cum eo* (inquit Theodoretus) *resedit sacratissimus ille chorus. Primus itaque Eustatius Antiochenæ sortitus Ecclesiæ præsulatum. Post hunc Eusebius cognomine Pamphili.* Ecce hic nulla fit ante alios, sed neque æqua cum aliis Romani episcopi mentio. Deinde: *At vbi imperatoris* (inquit) *religiosum in fide affectum multis Eustathius extulisset laudibus, tum ille episcopos affatus, post multa alia de concordia, tandem dixit: Expellentes igitur hostile certamen ex verbis diuinitus inspiratis solutionem quæstionum mente percipiamus.* Ab sacris ergo literis, quæ omnis de fide iudicii amussis esse debent, non ab Episcopo Romano quærenda & haurienda est veritas. Id quod diuus Cyprianus his verbis confirmat: *Si canalis aqua, quæ copiosè prius, & largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrum ne crescentibus venis in capite siccauerit, an vero integra inde, & plena procurrens in medio itinere destiterit? At si vitio interrupti, aut bibuli canalis effectum est, quominus aqua perseueranter continua ac ingiter flueret, refecto & confirmato canali, ad vsum atq; potum ciuitatis aqua collecta eadem vbertate atque integritate repræsentatur, quæ de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta diuina seruantes, vt in aliquo si nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem dominicam, & euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo surrexit.* Hæc beatus scripsit Cyprianus ad Pompeium contra Stephanum tunc Romanæ vrbis Episcopum, docens à Romana sede non esse omnino petendam veritatem, sed à sacris & Apostolicis scriptis & traditionibus. Ad Quirinum etiam scribens; *Paulus quoque* (inquit) *prospiciens concordiæ, & paci fideliter consulens in epistola sua posuit, dicens; Prophetæ autem duo, aut tres loquantur, & cæteri examinent. Si autem alii reuelatum fuerit sedenti, ille prior taceat. Qua parte docuit, & ostendit multa singulis in melius reuelari.* Ex his nemini non liquet, nec imperatorem, qui ob honorem beati Petri magna Romanum episcopum prosequebatur reuerentia, nec sanctissimos patres Romani episcopi in fide constantiæ prærogatiua aliqua nixi, sed sacrarum literarum germano sensu, quo excutiendo alii, prout Deo vnicuiq; reuelare placet, episcopo Romano pares sunt, hæreses condemnasse.

Quum igitur satis constiterit huius Pighii, eiusque similium ficticiæ Romani pontificis authoritatis assertorum insomnia, atque commenta falsa & inania nullam prorsus à Deuteronomico præcepto, aut ecclesiæ patrum confessione, vsuue authoritatem habentia iacere, ad aliud eorum simile argumentum Christi dictis *Lucæ.* 22. (vt ipsi rentur) confirmatum, eneruatum ac debile similiter esse vt ostendamus pergendum est. Christus (aiunt) orauit pro Petro, vt ipse *aliquando conuersus confirmaret fratres suos.* Ex quo & soli Petro probare nituntur Christi precibus impetratam in fide inconcussam constantiam, & *fratres suos*, hoc est (vt illi volunt) reliquos Apostolos in eadem fide confirmandi authoritatem. Cuius quidem dicti germanum ac sincerum intellectum antequam aperiam, tota illa historia repetenda est. Apostoli, vt alias, vbi Christus sui hinc discessus mentionem fecisset, ita hic etiam post supremam cum magistro cœnam, de futuro (vt ipsi rati sunt) inter se primatu contendebant. Non quis eorum regibus, aut mundo dominaretur, sed quis suæ societatis reliquis, vbi dominus hinc discesserit (vt Græcus huius contentionis interpres ait) *Domini vicepræesset.* Verum magister, qui se humilitatis exemplum semper præbuit, & quum *Dominus esset, ministrare, non ministrari* voluit, æqualitatem inter se ab ipso institutam vt agnoscerent, illorum neminem alio superiorem, nisi de cæteris humilius sapiendo (humilitatem enim

solam

Digitized by Google

solam exaltare sæpe ostendit) esse docuit. Vnde Ambrosius: *Vna datur omnibus forma sententia, vt non de prælatione iactantia fit, sed de humilitate contentio. eo quod se Dominus proponit imitandum. Et ne regū aut principum instar eorum quispiam reliquis imperaret, prorsus vetuit.* Quod vtinam Romani episcopi, qui Petri in fide constantiam iure se sibi vendicare dicunt, diligentius attenderent: nunquam profecto suis collegis, nedum regibus se ipsi authoritate aut potentia anteire dicerent, regiumue munus obirent. Sed iam quum reges, quæ ad ecclesiasticam præfecturam, aut dignitatem pertinent, munia exequi, vel fungi posse negent, interim ipsi, & regibus se superiores, sed falso, esse dicunt, & in suos subditos regale, nisi mauis dicere tyrannicum munus exercent. Quid enim aliud est stipatorum corona cingi, vectigalia, tributaq; à subditis exigere, quæstores, & id genus alios magistratus, qui deliquerint, aut leges violauerint, eorum, vindices, quod regum esse Paulus scribit, in rep. constituere, quàm verè vos reges esse prædicare? Atqui ex vestro assumpto hoc ego infero. Regum (vos dicitis) quæ ad religionem spectant, tractare nihil interest, sed vos Romani episcopi regum potentia dominio, ac authoritate quum fungamini, reges vos esse negare non potestis: spiritualia ergo tractare, vestra minime interest.

Pergamus ad reliqua Christi in prædicto *Lucæ capit.* verba discutienda. *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedatis super thronos duodecim tribus Israel.* Ecce adhuc in omnibus his apostolorum æqualitatem. Sed quod sequitur pro se facere Pighius putat, videlicet: *Ait autem Dominus Simoni. Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum.* id est, (inquit Beda) *vos tentare, & velut qui triticum purgat, ventilando concutere. Ego autem* (inquit Christus) *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Hic ego vos rogo, qui ex his Christi verbis ad Petrum, Petri, & Romanorum pontificum in fide constantiæ prærogatiuam asseritis, an Christus, quum patrem orauit (quod apud Iohannem, & alios euangelistas eum sæpè fecisse legimus) vt apostolos, non solum Petrum, in veritate sanctificaret, hanc inconcussam fidem, quam totus mundus ad eorum prædicationem acciperet, eis impetrauit necne? Quod si dixeritis, vt dicere est necesse, exauditus est enim pro reuerentia sua, non ergo Petrus solus hanc in fide firmitudinem accepit, neque fratres suos collegas, sed Deus ipse, misso ad filii, etiam mittentis, preces, paracleto spiritu sancto, qui docuit eos omnia, suggessit eis omnia, quæcunq; dixit eis Christus, in fide indeclinabiliter confirmauit & stabiliuit. Id Paulus de se testatur, scilicet quod neque ab homine, neque per hominem euangelium acceperit, aut didicerit, sed per reuelationem Iesu Christi. Quum igitur non solum Petro, stabilem in fide constantiam, sed omnibus Apostolis Christus sua oratione impetrauerit; nam *vos* (inquit) non vnus Petrus, *induemini virtute ex alto*, & reliqui omnes Apostoli vna cum Petro, ante quos nec Petrus, spiritu sancto suggerente eis omnia, omnemque veritatem docente, supra firmam Petram radicati, ac ædificati fuerint: aliud quippiam ex his Christi verbis elicere oportet, quam aut soli Petro fidem firmam ac stabilem eum impetrasse, aut suos collegas, alios Apostolos, alioqui vacillantes, in fide vt ipse confirmaret, iussisse. Quippe qui & simul cum Petro spiritum veritatis acceperunt, & in vniuersum mundum, euangelium vt prædicarent, pari legatione missi sunt. Scrutemur ergo scripturas: Nam in illis veritatem lucere censendum est. Christus, qui statim futurum nouit, vt Petrus ipsum negaret, ne fidem prorsus desereret, & post negationem de apostolatus munere desperaret, oratione sua animum eius præuertit. Vnde Chrysostomus: *Non dixit, Rogaui vt non neges, sed ne deseras fidem.* Et Cyrillus; *admirare* (inquit) *exuberantiam diuinæ patientiæ ne diffidere discipulum faceret, non dum patrato crimine, largitus est veniam, ac iterum ipsum in apostolicum gradum restituit, dicens, Confirma fratres tuos.* Quod de apostolis dictum esse intelligi non potest. Sed, vt Beda dicit: *Sicut tuam fidem ego orando protexi, ita tu infirmiores, ne de venia desperent, confortare memento.* Præterea, licet hac oratione Petro perpetuam in fide constantiam Christus petierit, ac dubio procul obtinuerit, non tamen propterea episcopis item Romanis. Nam quum omnes apostolis episcopi succedant, pari ratione eorū probitatē, & fidei firmitatem, quam haud dubie Christus orando à patre Deo ipsis apostolis impetrauit, vendicare sibi possunt, de quo vtinam tam vere se ipsi episcopi iactare possint, quam scimus omnes id esse falsissimum. Videre est igitur hæc pro Petri priuilegio, nedum Romanorum pontificum, nihil omnino facere, sed Petrum in Apostolatus gradum, non obstante tunc futura negatione, cum aliis restituendum esse docere. Sed quemadmodum si ex his verbis Christi in fide constantiæ prærogatiuam Petro, & proinde Romanis episcopis Christum concessisse Papistæ probauerint, tamen vel regum potentiam, vel eos coram se causam dicere cogendi, aut omnem litem definiendi authoritatem, concessam esse ex hoc ostendere nunquam possint: ita ego, atque vtinam pro immensa sua clementia exaudiret me, vt firmi & stabiliti in fide, ac morum probitate episcopi Romani tandem fuerint, assiduis precibus Christum interpellauerim. Nunquam profecto sibi hanc eminentiam falso arrogassent, nunquam orbis noster tot scatuisset simoniis, tot stupris, tot incestibus, quòd se dicant Romani episcopi pro suo iure, etiam contra præceptum Dei dispensare posse, eo quòd Christus Petro dixit; *Quodcunq; ligaueris vel solueris super terram, ligatum aut solutum erit in cœlis.* ex quo illi inferunt, qui dicit *quodcunq;*, nihil excipit. Atq; ita multi cum multis, quæ Deus ipse, *Leuitici decimo octauo*, conceptis verbis prohibuit, matrimonia contraxerunt. Nec illa præcepta fuisse ceremonialia (vt illud obiter perstringam) aut iudicialia dici potest. Quum & in principio illius cap. & in fine vitia illic nominata, quæ declinare populum suum voluit, consuetu-

Digitized by Google

dines, & legitima Ægypti, eorumque, quos propterea terra illa euomuit, abhominationes, quibus terram Chananæam polluerunt, Deus appellat. *Custodite* (inquit) *legitima mea, atque iudicia mea, ne faciatis ex omnibus abhominationibus istis. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos. Cauete ergo ne, & vos similiter euomat, quum paria feceritis.* At quis tam insanit, vt dicat Ægyptios, aut populum Chananæum execrationes, & abhominationes commisisse, vel eos propterea terram illam euomiusse, quia cæremonialia, & iudicialia Dei præcepta, quæ tunc primum condita erant, nec præter Iudæos, illis quisquam fuit obnoxius, non custodierunt? Si igitur (vt eò reuertar vnde digressus sum) adeo in fide, & morum probitate (vt Papistæ eos esse asseuerāt, & *Deos terrestres* appellare non verentur, quod ipse Paulus ferre non potuit) Romani episcopi ad votum meum stabiliti, ac confirmati fuissent: istos incestus, quibus, inter alia nostra flagitia iram Dei grauiter prouocauimus, nunquam habuissemus, tot bellis orbis noster Christianus stetisset inconcussus, tot cædes, quibus (proh dolor) ferè deleta sunt genera hominum, nunquam perpetratæ fuissent. Concede ergo Christe per viscera misericordiæ tuæ, ea sanctitate, ea pietate, ea deniq; fidei constantia episcopus Ro. atq; reliqui omnes ecclesiæ tuę præsules tandem polleant, vt & iram tuam, quam indies magis magisq; iuste veremur, placare & *ascendere ex aduerso* (vt propheta inquit) *murumq; se iræ tuæ opponere pro domo Israel possint*, & nos in vnitate fidei, & charitate mutua tranquille hic viuamus.

Et quia alia adhuc Christi dicta adducunt, quibus peruerse intellectis propositum suum pontificiæ authoritatis patroni confirmare nituntur, illa etiam nihil pro eis facere docebimus. Afferunt illud tritum Matth. sextodecimo; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et postea: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis. Et quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis.* Petram fuisse Christum, nemini qui Paulum aut prophetas legerit, in dubium venire potest. Quando *aliud fundamentum, nemo ponere potest, præter id, quod positum est Iesus Christus.* In Petro autem, quod à petra, vnde nomen accepit, stabilitatem, & immutabilem constantiam habuerit, ecclesiam hic in terris peregrinantem, quæ *columna* (inquit Paulus) *& firmamentum veritatis est*, & mater Petri, & omnium, qui dei filii esse volunt, Christum intellexisse beatus Augustinus author est. In retractionibus enim, *dixi in quodam loco* (inquit) *de Apostolo Petro, quod in illo, tanquam in petra, ædificata est Ecclesia. sed scio me postea sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei viui. ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus. Quem confessus Simon, sicut ei tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.* Hæc Augustinus. Simon igitur (vt Augustino placet) Petrus, hoc est firmus, stabilis, ac consolidatus pro sua persona dictus non est, sed quatenus figurata generalitate Ecclesiæ super Christum firmam petram fundatæ personam gessit. Nam si Petri personam respexeris, quis Apostolorum omnium eo vacillantior fuit? qui & breuissimo in tempore, ad ancillæ etiam interrogationem, in passione Dominum ter negauerat, & post passionem sua simulatione gentes ad Iudaismum illexerat, adeò vt Paulo qui reprehenderetur, dignus visus est. Hanc etiam firmitatem non pro se, sed quod Ecclesiæ typus erat, Simonem accepisse sequentia Christi verba probant. *Et portæ inferi* (inquit) *non præualebunt aduersus eam*, nempe Ecclesiam, quæ à petra Christo, quòd super eam fundata, erecta, ac stabilita sit, immutabilem sumpsit constantiam. *Portas inferi*, hæreses, schismata, & id genus alia, propter quæ inferno huius etiam Ecclesiæ filii digni sunt, rectè cum Hieronymo intelligimus. Quæ quidem portæ inferi aduersus Ecclesiæ filios præualere non possunt, modo aut in eius eruditione permaneant, aut post lapsum acceptumq; vulnus eius cataplasmate, id est pœnitentiæ sacramento, quæ *post naufragium secunda tabula* à Hieronymo vocatur, se denuo purgari, ac curari expetierint. Quoniam igitur in horas labimur omnes, & *nemo sine crimine viuit*, opus est, vt lapsi, erigamur, & potestate peccata remittendi, & secreta fidei nostræ prædicandi, & aperiendi. Quæ sane potestas secundum Ambrosium, *regni cœlorum clauis* hic dicitur. Has claues quamuis Christus ecclesiæ in Petro significatæ, aut si velis ipsi Petro hic pollicitus fuerit, tamen vsque post suam resurrectionem, quando in omnes simul insufflando dixit; *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, eas non dedit. Quoniam antequam Iesus fuit clarificatus, spiritus, id est, potestas remittendorum peccatorum, datus non est. Quare qui ex illo Christi promisso primatum Petro attribuunt, quod reliqui omnes simul cum Petro cœlorum claues actu acceperint, æqualitatem omnium Apostolorum profiteantur.

Quam quidem Apostolorum æqualitatem, quia in præcedētibus breuiter, & quasi ad aliud accincti ostendimus, eam in pręsens multis sacræ scripturæ testimoniis confirmabimus. In vetere testamento, vbi plura horum Apostolorum, qui, & quales futuri erant, indicia, nullum tamen vnquam ostendere quis potest, quo omnes illic pares non dicuntur. *Montes* appellantur, idque vna æquaque ratione omnes. *Fundamenta*, idque pariter. *Pastores*, *Piscatores*, *Euangelizantes*, similiter omnes. Nec huc afferre oportet illud Deuteronomii præceptum, vtpote pontificii primatus figuram, quod falsum esse supra docuimus. Per huius enim legis amplam authoritatem, nulla vnquam lis, aut controuersia, vel inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram occurrere potest, quæ ad Episcopum Romanum referri non debeat. Quo ergo loco regia habebitur maiestas à Deo ordinata vindex in iram ei, qui male agit? Cui omnem in ecclesia

Digitized by Google

gredum, altari inseruientem, sacerdotalem, Apostolicum, propheticum, iubente per Apostolum Deo, subditum esse supra plus satis probatum est. Quo (inquam) loco hæc potestas esse poterit, à qua ad supremam, Dei etiam (vt ipsi dicunt) præcepto, Romani tribunalis authoritatem in omni causa prouocare licet? Verum Deus, qui Petrum & tributum soluere iussit, & legi talionis dixit esse obnoxium, quod gladio priuata authoritate percussit, debitamque suis magistratibus vnumquemque exhibere fidem, & obedientiam docuit, duo præcepta ex diametro sibi repugnantia nobis seruanda nunquam proponeret. Quid etiam, quod nullum alium, quam qui in rep. institutus fuerit iudicem haberi voluit? Id quod vel tunc manifestissime docuit: vbi eum de turba aliquis, vt frater suus secum hæreditatem diuideret, iubere postulauit, *homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* quum interrogando responderit. Quum ergo ne hac Deuteronomica lege sibi prælationem aliquam Apostolorum quispiam assumere potest, cæterisque omnibus, quæ in vetere de illis Dei testamento memorantur, pares fuerint, pares omnino eos fuisse dicere non hæsitabimus. In nouo Christi testamento idem videre est Christus loquitur: *Faciam vos piscatores hominum. Vos estis lux mundi. Vos estis sal terræ.* Simul & pariter omnibus dicit; *Ite in vniuersum mundum, & prædicate euangelium omni creaturæ:* Se ipse cum eis, non solo Petro, *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi* fore pollicitus est. Simul pro omnibus orauit. Omnibus regni cœlorum claues vna & pari iure commisit, dicens; *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Omnibus simul, quem promisit, spiritum veritatis misit. Ipse denique spiritus omnibus æqualiter, quoad eius scire licet, omnia suggessit, quæcunque Christus eis dixit. Omnem veritatem docuit. *Vobis*, (inquit) simul omnibus locutus, *datum est scire mysteria regni Dei.* Omnibus parem infirmos curandi, dæmones expellendi, mortuos suscitandi, regnum cœlorū & pœnitentiam prædicandi, ad victum necessaria capiendi potestatem, ac authoritatem dedit. Beatus Paulus Deum in ecclesia sua primum Apostolos, absq; vlla in authoritatis distinctione, posuisse Corinthiis scribit, ac se ipse cum Petro, & in veritatis euangelii notitia, & ipso Apostolatu cōposuit, atque parem se illi vtroque fuisse ad Galatas scribere non verebatur. *Mihi quidem* (inquit) *qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Sed contra quum vidissent, quòd creditum est mihi euangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes) & quum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Petrum etiam, quod non rectè ambulauit ad veritatem euangelii, reprehendere non metuit. In se vero & Christum loqui non dubitauit, & omnes, vt se imitarentur, quemadmodū & ipse Christum secutus est, cohortatur. Vtrum iam alteri vel morum probitate, vel euangelii cognitione, vel fidei constantia, Apostolatusve authoritate antecelluisse dicemus? Quid quòd Christus nullam de præpositura, sed de humilitate, quæ vna exaltat, inter Apostolos omnino contentionem esse voluit? Æqualitatem docuit. Subditos esse sublimioribus principum potestatibus omnes pariter iussit. Quæ etiam beatus Bernardus *de Consideratione ad Eugenium*, per hæc Christi verba, *Tu es Petrus &c.* sibi primatum, & dominium in ecclesiam vendicantem scripsit, non abs re erit hic inserere. *In criminibus* (inquit) *non in possessionibus est potestas vestra, Propter hæc enim & non propter illas, claues accepistis. Quomodo ergo audes vsurpare, aut dominatus Apostolatum, aut Apostolatus dominatum? Planum est quod ab vtroque prohiberis. Si vtrunque simul habere voles, perdes vtrunque. Alioqui non te exceptum illorum numero putes, de quibus conqueritur Deus: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos. Si interdictum habemus, audiamus edictum: Qui maior est vestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor est, fiat sicut minister. forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, conceditur administratio.* Hæc ille. Præterea si ex his verbis Christi *Matth. 16.* tam manifestus cunctis Romanæ sedis patuerit primatus: quid tanto astu, tot technis, tali inescatione opus erat, Eugenio quarto, quibus Ioannem Palæologum Orientis Imperatorem, ac Græcos episcopos in Florentino illo, furtim, & præter Cæsaris authoritatem coacto, concilio, quum aliud etiam concilium Basileæ celebraretur, in suam sententiam diu refragantes, & retinentes, tam diuturnæ Italia moræ impatientes traxerat, & quasi vi impulerat?

Quoniam igitur hæc nihil pro Petri, nedum Romanorum pontificum primatu persuadendo, ne dicam, probando aut confirmando, virium habere luculenter ostensum est, ad aliud ad hūc vnum, quo vehementer Papistæ omnes commouentur, argumentum reiiciendum veniendum est. Videlicet, ne Christiana consociatio (nisi vnus vice Christi episcopus toti ecclesiæ præsit) acephala, & sine capite, monstri instar, esse videatur. Bone Deus! Vsque adeo hi cæcutiunt, vt se suo imprudentes iugulare gladio non perspiciant. Etenim quum ἀκέφαλον monstri instar corpus nisi Christi vice Romanus ei præsit episcopus, ecclesia eis esse videatur, interim ipsi aliquando bicipitem, alias tricipitē, nonnunquam quadricipitem, vel minimū dubii capitis eam manifestissime faciunt. Quis enim in ecclesiasticis historiis vel mediocriter exercitatus, fuisse simul, alias duos, alias tres, quatuor etiam aliquando Antipontifices nesciat. Sed vnum aliquem (dicunt) quando Christus hinc in longinquam regionem, vt accipiat sibi regnum, discessit, ecclesiæ præsidere oportet episcopum. Quasi vero aut Christus sui corporis, quæ est ecclesia, caput, postquam in cœlum ascenderit, esse desierit, quum Paulus dicat; *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus eius.* aut iam eam sua virtute regere neglexerit, vel propter longinquam distantiam non potuerit aut in montibus errare permiserit, & relictis rursus nonaginta nouem, centesimam ouem tandem in-

mentam, iterum humeris suis in ouile reportare voluerit. Imò Christus cum patribus ecclesiæ, qui Apostolos prædicatum, & suam ecclesiam in verbo fidei gubernatum, ac in pia religione pro virili retentum miserit, se fore vsque ad consummationem sæculi promisit. Cætera vero, iam constitutis in quauis rep. magistratibus omnia ipsius ecclesiæ membra, nisi, si quod religioni, & pietati officiat, præcipiant, parere & subiici voluit. Nam si nouum magistratum ecclesiæ Christus præfecisset, cur Paulus omnes sublimiori potestati, de principibus loquens, ne nomē Domini & doctrina blasphemetur, subditos esse iussit? Chrysostomus enim huius præcepti causam sic scribit; Ποιεῖ δὲ τοῦτο δεικνύς, ὡς οὐκ ἐπ' ἀνατροπῇ τῆς κοινῆς πολιτείας ὁ Χριστὸς τοὺς παρ' αὐτοῦ νόμους εἰσήγαγεν, ἀλλ' ἐπὶ διορθώσει βελτίονι. καὶ γὰρ πολὺς περιεφέρετο λόγος τότε, ἐπὶ στάσει καὶ καινοτομίᾳ διαβάλλων τοὺς ἀποστόλους, καὶ ὡς ἐπ' ἀνατροπῇ τῶν κοινῶν νόμων ἅπαντα καὶ ποιοῦντας καὶ λέγοντας. hoc est: *facit vero hoc ostendens, quòd non ad subuersionem communis reip. Christus, quas ipse condidit, leges induxerit, sed vt meliorem efficiat. Etenim multa tunc circumferebatur fama Apostolos vt seditiosos, & rerum innouatores traducens, & quòd ad subuersionem communium legum omnia & fecerint, & dixerint.* Qui ergo pontificiam orbi persuadere nituntur authoritatem, ab his dispersum rumorem, non calumniam, sed veram fuisse prædicationem ostendunt, qui nomen Domini & doctrinam blasphemabant, eo quòd communes leges, & rerum publicarum scita, ipsius prædicatores subuerterint, se omnibus superiorem à Deo institutum habere magistratum dicentes, cui etiã reges ipsi, si suam salutem per baptismum adipisci velint, subditos esse oportet. Id quod iure ne quis diceret, Apostolus clamat, vnumquemque quo statu, aut honore ante baptismum præditus fuerit, in eodem etiam post susceptum baptismum, nisi forte iure meliorem assequi possit, permanere debere. *Si ante dignitatem sacerdotalem* (inquit Guilielmus Occam in libro de pontificis potestate) *suo regi, non secus ac reliqui, subiectus quis fuerit, etiam hac suscepta, quòd in quacunque vocatione quis vocatus fuerit, in eadem permanere debeat, se eiusdem lege subiectionis obnoxium esse agnoscat est necesse. Si Papa igitur* (inquit) *ante papatum imperatori subiectus fuit: etiam post susceptum papatum eadem subiectione tenetur.* Nec Onesimus (vt prædictum est) quòd acolytus fuerit, ac Apostolo in euangelii ministerio seruiens, Philemoni quam debuit, propterea seruitute liberatus est. Præposituram agnoscimus ecclesiasticam. *Mementote enim* (inquit Paulus) *præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Et iterum: *Obedite præpositis vestris; ipsi enim inuigilant, rationem reddituri pro animabus vestris.* Rursus; *qui bene præsunt presbyteri, duplice honore digni habeantur, maxime, qui laborant verbo & doctrina.* Et ad Ephesinam ecclesiam quum peruenisset, & maiores natu conuocasset; *Attendite vobis* (inquit *& vniuerso gregi, in quo vos spiritus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Hęc quum scripta esse meminerimus, præposituram ecclesiasticam agnoscere cogimur. Sed quæ in verbo veritatis populum Dei, summo etiam, si ita fieri oporteat, vitæ suæ cum discrimine quo ad eius potuerit, retinere debet atque suæ curæ commissos, à falsa doctrina vt caueant, obsecrando, increpando, oportune, importune, ac sedulo admonere. Verum non eam, quę dominetur in clerũ, quod ipsum Petrus conceptis verbis vetuit, aut quæ leges condere, aut in delinquentes, nisi verbo tenus, animaduertere possit. Sed quæ, vt dixi, in fidei verbo sincere prædicãdo, falsa doctrina per illud verbum conuincenda, vitiis redarguendis, putridis membris, modo ex re sua aut multorum fuerit, resecandis, sacramentis deniq; per quæ lapsi erigimur, erecti roboramur, roborati vero perficimur, vt decet, ministrandis consistit. Hoc Paulus in iis quæ recitauimus palam facit, quum dicit, *Qui laborant doctrina & verbo*, & quod idem est, *qui præsunt in Domino*, Et *qui vobis locuti sunt verbum fidei*, Et *ipsi inuigilant rationem reddituri pro animabus vestris.* Idem Ezechielis scriptis explicatum videmus. Episcopi enim munus, & officium nobis Deus per prophetam exponens; *Terra* (inquit) *quum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem, & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo, audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius est. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Rationem ergo episcopi animarum nostrarum reddere debent, nisi gladium venientem nobis annunciauerint. At si dixerint, animas suas liberauerunt. non audientibus autem grauior imminet vltio quàm Sodomis & Gomorris. Qui enim has verbi tubas spreuerint, Deum, cuius legatione funguntur, contemnunt.

His ergo duobus, scilicet quæ sit illa, quam Christus Apostolis suis commisit, authoritas Apostolica, & quod illâ omnes fuerint Apostoli pares, expeditis, & quòd nec cæteris Apostolis Petrus Apostolatu, nec in veritate constantia, nec pascendarum Christi ouium curæ amplitudine, proinde nec reliquis ecclesiæ episcopis Rom. pontifex præstiterit, quod proposuimus, tertium explicandum superest. Videlicet, Si hac beatus Petrus prærogatiua, & authoritate suis collegis antecelluerit, an pari iure Rom. episcopi, qui Petri vicem se gerere dicunt, eadem reliquis ecclesiæ præsidibus anteire debeant? Quam Christus Apostolis suis credidit legationẽ, scil. vt euangelium prædicarent, sacramenta ministrarent, dona, & sacrificia pro peccatis offerrent, eã episcopis cum ipsis cõmunem esse & ratio persuadet, & sacrarum literarũ authoritas probat. Quũ enim ecclesiã hic in terris peregrinari, & cum spiritibus nequitiæ in cœlestibus perpetuo pugnare oporteat, quousque quas Christus in ouile suum consummandum oues adducere velit, ipse intrauerint, verbũ fidei qui prædicent, veritatem doceant, venientem gladium annuncient, sacramentis lustrent, lapsos erigãt,

dona,

dona, & sacrificia pro peccatis offerant, vt eam sponso suo, quum ad nuptias venerit, absque macula, & ruga exhibeant, pro sua peregrinatione ecclesia vt habeat, dicere nos ratio cogit. Christus etiam, vbi Apostolos suos omnes gentes baptizatum, & quæcunque eis mandauit, doctum miserit, se vsque ad cōsummationem sæculi cum eis futurum, pollicitus est, ne in fidei dogmate, qua gregem pascere debent, vniuersi errauerint. Quod de ipsis solis Apostolis intelligi non potest, quos in diem iudicii cognouit hic non fuisse mansuros, nec orbem præsente voce docturos, sed de illis omnibus, qui simili munere, donec iudicium conuertatur in iustitiam. Præterea Dauid in Apostolorum vicem episcopos successisse testatur; *Pro Patribus tuis* (dicēs) *nati sunt tibi filii*, hoc est, *pro Apostolis* (inquit Augustinus) *episcopi*. Non tamen vel pari gratia, vel eadem authoritatis amplitudine. Illi enim vniuersi & singuli, tanta gratiæ vbertate verbum acceperunt, & in eo confirmati sunt, vt eorum animos nullo modo, qui omnem veritatem docuit spiritus errore vagari siuerit. At episcopos licet vniuersos, à Christo ecclesiæ capite, nec corpus suum vnquam deserente, in verbi veritate falsos fuisse non legitur, singulos tamen labare posse certum est. Insuper Apostoli omnes in quamcunque mundi partem venissent, ex officio sibi ad hoc credito omnia Apostolicæ dignitatis munia exequi, & potuerunt, & debuerunt. Verum post illos episcopi non item. Nam, quum euangelium in toto quoquo modo orbe per ipsos Apostolos diuulgatum, plantatum, & sequentibus signis confirmatum fuerit, episcopis certæ sedes designatæ sunt & quasi prouinciæ, quibus singuli, ad præfatum munus Apostolorum doctrinæ hærentes iuste tractandum præficerentur, & à quibus, ecclesiastica regula prohibente, se aliò transferre non debent, nec in alterius, quam sua prouincia Apostolicum obire munus. Vt beatus Paulus, Titum Cretæ, Timotheū Ephesi episcopi munus vt exequerentur, & per ciuitates presbyteros constituerent, reliquit. Hanc regulam in ecclesia exacte obseruatam fuisse, multa inter episcopos ob id orta iurgia, vt inter Ioannem Hierosolymitanum, & Epiphanium Cypri episcopum, apertissime probant. Quam dispari igitur gradu hæc potestas, & dignitas Apostolica ipsis Apostolis, & episcopis, in hoc eorum officium succedentibus, data fuit, explicatum arbitror. Quibus iam resignatis, atque retectis, dicendum reor, si Rom. episcopi, eo, quòd illi vrbi, in qua mortem pro Christi nomine Petrus obiit, præficiuntur, amplam Petri potestatem, ac authoritatem iure sibi assumunt, etiam reliquis episcopis omnibus, quum Apostolorum vice (vt præostensum est) funguntur, saltem qui his sedibus, vbi Apostolorum aliquem vita cedere contigit, vt Apostolici muneris officium exequantur, præsident, eadem ratione parem authoritatem cum aliis Apostolis concessam esse dicemus. Sicut ergo Paulus beato Petro Apostolatu non cessit, ita nec quiuis episcopus iam Rom. Pontifici episcopali authoritate iure diuino cedere debet. Præterea si cuiuis vbique præsuli episcopale munus exequi, quod ipsis licuit Apostolis, permissum fuerit, quanta in ecclesia Christi esset confusio, omnium esto iudicium. Verum cur non perinde omnibus episcopis in Apostolorum vicem succedentibus, quorum æqualem fuisse authoritatem probauimus, ac Romano, id ipsum liceat, nec vlla vel ficta, aut aliquo commento fucata sacra authoritas afferri potest. Quare hanc rem amplius tractare, adeo enim sibi ipsa aduersatur, supersedendum æstimo.

Et quia, quam in omnibus Apostolis fuisse multis rationibus, & è sacris literis acceptis testimoniis probare mihi visus sum, authoritatis, æqualitatem iudiciis catholicorum sacrosanctam scripturam suis lucubrationibus illustrantium, quorum omnium calculis aduersari, etiam θεομαχεῖν videtur esse, multi non abs re repugnare censent, quòd Petrum *verticem*, & *caput collegii*, atque *Apostolorum principem* passim in suis scriptis appellent, quomodo, quas in medium attuli, rationes, ac authoritates cum horum dictis non pugnent, imò recte conueniant, docere conabor. Qui beatum Petrum Apostolorum verticem, caput, atque principem dicunt, eos nunquam sic intellexisse constat, vt vel suos collegas, nedum principes suis iudiciis sistere, & delinquentes vlcisci potuerit. Nam (vt Bernardus scribit ad Eugenium) *Dedit Christus solicitudinem, non dominationem. Esto* (inquit) *vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure. Audi ipsum, non dominantes* (ait) *in clero, sed forma facti gregis ex animo. Et ne putes hoc dictum sola humilitate, non in veritate, lex est domini in euangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, benefici vocantur, vos autem non sic, Planum est igitur quod Dominus interdixit dominationem eorum. Quomodo ergo tu vsurpare audes, aut dominatus Apostolatum, aut Apostolatus dominatum? Planum est, quòd ab vtroque simul prohiberis*. Hæc Bernardus. Qui beatum ergo Petrum principem, & verticem Apostolorum dixerunt, nunquam alios suos collegas iudicandi authoritatem propterea ei concessam esse senserunt. Neque rursus intellexerunt, quòd Christus illi præ cæteris in fide constantiæ prærogatiuam ita concesserit, vt si quod dubium, aut in fide controuersum occurrat, ad sedem Petri, quasi ad certū Iudæorum oraculum, à quo Dominus in lege se promisit responsurum, id referre omnes debuerint. Quando hanc prærogatiuam, nec Apostoli, nec Apostolorum successores episcopi vnquam agnouisse legitur. Imò Paulus se, perinde, vt Petrum, hanc fidei notitiam, & in ea constantiam à Christo Iesu accepisse affirmare non veretur. Multis etiā rationibus hoc falsum esse in præcedentibus ostendimus. Nec beatus Augustinus *euangelio non crederem* dixit, *nisi* beati Petri cathedræ, *sed ecclesiæ me cogeret authoritas*. Neque verisimile est sanctissimum illum martyrem, & antesignanum virum eruditione tam celebrem, ac pietate insignem Cyprianum, hanc Romanæ cathedræ authoritatem, si tanta fuisset, ignorasse. Qui ad Pompeiū contra Stephani Rom. vrbis episcopi, qui recte Anabaptistarū damnauit hæresim, epistolā scribēs; *Quia desiderasti* (inquit) *in notitiam tuā perferri, quæ ad litteras*

nostras frater noster Stephanus rescripserit, misi tibi rescripti eius exemplum, quo lecto, magis, ac magis errorem denotabis. Qui hæreticorum causam contra Christianos, & contra ecclesiam Dei asserere conatur. Nec ego hic Cyprianũ induco, quasi, aut eius potius, quam Stephani, sententiæ subscripserim, aut ipsum ab errore vindicauerim. Illud ego non pugno. Sed ea apud Cyprianum, reliquósve tunc temporis episcopos, Rom. pontificem non valuisse authoritate manifestissime vt ostendam, qua papistæ contendunt. videlicet vt crederent eum de fidei controuersia iudicantem, quòd à Christo Petrus constantiæ priuilegio donatus est, errare non posse. Id quod postea in eadem epistola se sentire ipse Cyprianus apertius docet: *Fit autem studio præsumptionis, & contumaciæ, vt quis sua praua, & falsa defendat, quam ad alterius facta, & verba consentiat. Cui rei prospiciens beatus Apostolus ad Timotheum scribit, & monet episcopum, non litigiosum, sed mitem, & docibilem esse debere. Docibilis autem ille est, qui est ad discendi pacientiam lenis & mitis. Oportet enim episcopum non tantum docere, sed & discere. Quod ipsum quoque idem Apostolus Paulus docet, præmonens, vt si alii sedenti melius reuelatum fuerit, prior taceat.* Hæc diuus Cyprianus. Ex his ergo liquet, illum, nec ob hãc stabilitatis prærogatiuam, Petrum Apostolorum principem dixisse, nec in fidei constantia, aut notitia Rom. episcopum cæteris ecclesiæ præsulibus vnquam anteposuisse, sed, vt reliqui, errare quum possit, ad discendam cum cæteris semper quoque debere esse paratum. Cæterum si hæc de Rom. episcoporum, quia beato Petro succedunt, in veritate constantiæ, atque eius certa notitiæ tam vulgaris apud omnes semper valuit opinio, aut potius dictis Christi, vt illi aiunt, nixa fides, Cyprianum, aut tot orbis episcopos latere potuisse nemo putabit. Et tamen, vt alii, ita etiam Cyprianus beatum Petrum Apostolorum principem vocare non veretur. Aliud igitur isti sancti, & insignes ecclesiæ doctores, quum Petrum caput (vt dixi) & verticem collegii, aut Apostolorum fuisse principem scribunt, & Rom. pontificem aliis ecclesiæ præsulibus anteponunt, ne sibi ipsi aduersentur, sensisse credendum est, quàm, quòd vel solus de fidei controuersiis ipse definiat, aut ab aliis, suis comministris, episcopis, determinatas lites, ad se referri iubeat. De qua re tam ardua definitam proferre sententiam meæ tenuis non est in eruditione supellectilis. At quid sentio, aliorum opinionibus non præiudicans, hic supponam. Cuius dubii solutionem facilius fortasse inueniemus, si, quum reliqui Apostoli, omnium iudicio, authoritate pares fuerint, Iacobus, & Ioannes quomodo aliis magis columnæ esse visi sint, inquisierimus. Cuius non aliam causam reperiemus, quam, quòd eos dominus reliquis, & frequentius, & familiarius secum detinuit. Quemadmodum enim, qui multorum famulitio cinguntur, quibus cum frequentius, & familiarius domini conuersantur, hos reliqui, tanquam apud dominum qui plus valeant, præ cæteris colunt, & maiore prosequuntur honore; Ita, quod Christus dominus Iacobo, Ioanne, & Cepha aliis Apostolis familiarius vsus fuerit, eos sibi præpositos, ac authoritate apud dominum magis valuisse ipsi merito crediderunt. Dominus enim, quum archi synagogæ filiam resuscitatum tenderet, Petrum, Iacobum, & Ioannem solos cum puellæ parentibus, repulsis aliis, secum in cubiculum duxit. Item quum in monte se transfiguraret, relictis aliis, hos suæ transfigurationis solos testes habere voluit. Præterea post supremam hic cum discipulis cœnam, relictis aliis Gethsemani, solis Petro, & duobus filiis Zebedei, tristitiam atque mœsticiam suam retexit. Non alia sane (vt mihi videtur) ratione, reliqui sibi dominum prætulisse Petrum crediderunt, quòd illum etiam istis duobus adhuc magis familiarem secum habuit, & ei speciatim tum sæpe locutus est, tum multa mandauit, atque petenti concessit, vt tributum soluere, super mare ambulare: non ita tamen, vt in se eum aliquam à Domino potestatem habuisse putarent. Itaque quum Episcopi omnes Apostolis (vt probauimus) in officium succedant, eos tamen aliis anteponimus, qui his præficiuntur vrbibus, quas Apostolorum quispiam sua morte consecrasse legitur. Quare ob honorem beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui Romæ suo sanguine nostram fidem testati sunt, qui ei vrbi præsunt episcopi, reliquis dignitate vtcunque præstare omnes voluerunt. Cæterum, vt neque qui Hierosolymæ Iacobo, aut Ephesi Ioanni, aut Alexandriæ Marco successerunt, aliis propterea dominari, aut maiore authoritate pollere iure diuino censendi sunt: ita neque qui beatis Apostolis Petro & Paulo Romæ, vbi vita perfuncti sunt, successerunt, sibi à Deo in alios episcopos concessam authoritatem, aut dominium dicere possunt. Id quod ne quis me putet voluntarie affirmare, consilii in Trullo celebrati, inter alia, sententiam audiat: ἀνανεούμενοι τὰ παρὰ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ θεοφυλάκτῳ ταύτῃ καὶ βασιλίδι πόλει συνελθόντων καὶ τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα, τῶν ἐν χαλκηδόνι συναθροισθέντων νομοθετηθέντα, ὁρίζομεν, ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης θρόνου, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκεῖνον, μεγαλύνεσθαι πράγμασι. id est: *Renouantes ea quæ à centum quinquaginta sanctis patribus in hac regali & à Deo seruata ciuitate congregatis, & quæ sexcentis triginta in Chalcedone collectis scita sunt, determinamus, vt sedes Constantinopolitana honore ac dignitate antiquæ Romæ throno par sit, ac in rebus ecclesiasticis non secus ac ille magnificetur.* Ex quo huius consilii canone constat, tribus consiliis definitum fuisse, ecclesiastica authoritate Constantinopolitanum episcopum Romano parem esse debere. Quamobrem, si quam habeant Rom. episcopi prælationem, eam ob honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, humana authoritate, sed non diuina, sibi concessam esse dicant est necesse. Hæc beati Petri primatus, nulla quidem sacræ scripturæ authoritate probati, sed in sanctorum patrum scriptis frequenter vsurpati ratio, quibus non placet, aliam quærant, sed caueant, ne vel ab aliis eorundem scriptorum literis, vel generalium conciliorum, vniuersalis ecclesiæ authoritatem

repræ-

repræſentantium,legitime definitæ ſententiæ, aut Apoſtolorum denique actis aduerſari videatur. Nec conſuetudinem, quod iam diu reliqui eccleſiæ præſules, ac ipſi orbis principes, quibus Deus huius mundi iudicium commiſit, huius Rom. ſedis authoritati colla ſua ſubmiſerint, in medium afferre oportet. Quippe quum *conſuetudo ſine veritate* (vt Cyprianus ait) *vetuſtas erroris eſt*. Quare relicto erroris patrocinio, veritatem ſequamur. *Veritas* enim (vt apud Ezram eſt) *valet, & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſæcula ſæculorum*. In qua tandem omnes abſque vlla fluctuatione, conſtanter vt permaneamus, pro ſua in nos, miſeros peccatores, ſed filios, ſed precioſiſſimo ſuo ſanguine redemptos, pietate atque miſericordia, qui ſolus poteſt, Dominus noſter IESVS CHRISTVS concedere dignetur. AMEN.

Narratio

VERISSIMA EORVM QVÆ CONTIGERVNT in Diſputatione publicè propoſita Pariſiis in Capitulo generali Ordinis Prædicatorum die Veneris, VI. Kalend. Iunii, MDCXI.

AN CONCILIVM SIT SVPRA PAPAM.

MONACHVS quidam Dominicanus natione Germanus Theſes publicè ad diſputandum propoſuit ſub præſidio Patris Morelli ex eodem Ordine Monachi Hiſpani; quarum vna hiſce verbis erat concepta: *In nullo caſu Concilium eſt ſupra Papam*. De qua poſitione ſimulatq; Conſiliarii Regii certiores facti fuerunt, vocato ad ſe Patre Coeffeteau, Priori Prædicatorum, & Concionatore Aulico Regis Chriſtianiſſimi, ei iniunxerunt ne permitteret, vt hæc poſitio in ſuo Conuentu proponeretur aut diſputaretur. Quo accepto mandato, confeſtim Præſidentem, Reſpondentem, & eos omnes qui debebant diſputare, monendos curauit de voluntate & interdicto Regis præcipiens ne quis de vetita poſitione diſputare præſumeret.

Inſtituta ergò poſt prandium diſputatione, præſentes comparuerunt Cardinalis Petronus, Nuncius Papæ, Epiſcopus Montiſpeſſulanus, Abbates S. Perei, Boyſanus, S. Victoris, Iulianus, Dominus Oſſembræus Præſes Regiæ Curiæ primarius, Sauguinus Præpoſitus Mercatorum Pariſienſium, aliique Conſiliarii Aulici & viri honorati.

Tum Pedellus iuſſu Domini Richerii, Facultatis Theologicæ Syndici, præſentibus Baccalariis mandauit, vt contra illam poſitionem diſputarent, Cui obtemperans quidam Bertinus nomine, Baccalarius Sorbonicus, cœpit contra eam tali Syllogiſmo argumentari: *Quicquid eſt contra determinationes doctrinales Concilii Oecumenici, eſt hæreticum. Sed iſta poſitio; In nullo caſu Concilium eſt ſupra Papam, eſt contra determinationes Concilii Oecumenici. Ergo eſt hæretica.* Verum Præſidens ſeſe excuſare cœpit, & diſputationem de fide recuſare, rogans Opponentem, vt aliquam aliam poſitionem impugnare vellet, propterea quod propoſitâ demum & iam affixâ diſputatione intellexerit, Facultatem Theologicam Academiæ Pariſienſis, matrem & fontem omnium aliarum in toto orbe Facultatum Theologicarum, (hæc erant ipſius propria verba tertiò repetita) in contraria eſſe opinione, quam neque vellet nec præſumeret offendere: & eò magis, quod plurimi præſtantes ex Ordine ſuo Doctores ac Magiſtri, qui ex natione Gallica non fuerunt, aſſirmauerint, *Concilium in quibuſdam caſibus eſſe ſupra Papam*.

At Nuntius exiſtimans, iniuriam fieri Papæ, ſi impediretur propoſitio tam fauorabilis & opportuna ad infinitam poteſtatem aſſerendam, quam Dominus eius prætendit in cunctos Chriſtianos; aut ſi ea opinio ex Scholis tam præfractè eliminaretur, quæ iam pleriſque in hoc Regno per technas & artes Commiſſariorum Romanorum perſuaſa erat, inſtitit vt, quoniam ſemel cœpta eſſet, diſputatio continuaretur.

Sed Pater Coeffeteau in medium procedens auditorium, clara voce dixit, ſibi mandatum eſſe à Conſiliariis Regiis, ne permitteret vt ea diſputatio in Conuentu ſuo tractaretur.

Tunc Cardinalis Perronus ſermonem excipiens, conqueſtus eſt de Syndico, quòd is de induſtria hanc materiam tractari curauerit, ſe, qui præſens eſſet, non prius rogato nec admonito. Verũ Syndicus aſſurgens audacter, ſine vllo metu corã Cardinali ſeſe præſentauit, & dixit, hãc poſitionem non eſſe talẽ, cuiuſmodi ſolent eſſe, quæ vulgo in Scholis Theologicis diſputari ſolent, ſed eã deliberato ſtudio à Præſidente fuiſſe propoſitã, ad confirmandũ eos in ſua opinione, qui credunt infinitam Papæ poteſtatem; & ad confundendum cæteros, qui eam volunt eſſe regulatã & moderatã. Qua ratione acceptã & prudenter conſideratã, Cardinalis Perronus ad Præſidentem conuerſus ab

eo quæsiuit, cuius generis esse vellet hanc thesin propositam, an vt fidei articulum, an verò vt problematicam? Et respondens Præsidens, distinctè ac clarè protestatus est, se eam vt problematicam proposuisse, quæ affirmari aut negari possit, nec vllo modo esse pro fidei articulo tenendam; hoc est, eiusmodi esse, quæ (vt vulgò in scholis loquimur) pro & contra disputari possit, sine vllo hæreseos crimine.

Quam declarationem publicè factam sequentes Præsens curiæ regiæ Ossembreus & Sanguinus Præpositus Mercatorum, instituerunt, vt Bertinus, qui opponere cœperat, argumēta sua in medium proferret, quibus demonstraret, veterem Facultatis Theologicæ Parisiensis assertionem, quę habet; *In quibusdam casibus Concilium esse supra Papam*, esse optimè fundatam. Id quod ille incunctanter fecit, adducens autoritatem Concilii Constantiensis, quod argumento infallibili & omni ite exceptione maiori probauit fuisse Oecumenicum. Argumentum eius erat, quia dictum Concilium approbatum & ratificatum fuit à Papa Martino Quinto, qui eidem Concilio legitime præsedit. Ad quod argumentum Præsidens quidem respondere conatus est, sed nihil afferre potuit, quod satisfaceret auditoribus, aut quo eneruaretur Bertini argumentum.

Itaque (vti apparet) ingentissimum fructum afferet regno Francorum publica huius propositionis impugnatio. Namque Franci, qui persuasi fuerunt per colloquia secreta quorundam nouorum Religiosorum, quos Papæ paulatim, & quasi annuatim ad nos mittunt, vt in hoc Regno germinare facerent damnabiles illas de absoluta Monarchia opiniones, sub vmbra deuotionis & reformationis: cognito, quod in præsentia ipsius Nuntii Papalis, & in loco tam celebri, famosissimus Doctor Hispanus liberè asseruerit, non esse articulum fidei, vt credamus, Papā non esse subiectum Concilio; magis eligent placidè redire ad antiquam & bene fundatam fidem maiorum suorum, quam dare vniversam Religionem, & totam Rempublicam in turbas ac confusionem, propter articulum, qui nullo modo eorum salutem concernit.

Et quod ad Syndicum attinet, non poterat ille neque debebat secus facere, quam fecit: alioquin omnes nationes in vniuerso terrarum orbe, ad quas perlatum fuisset, Facultatem Theologicam permisisse, vt hæc positio in Academia Parisiensi, nemine sese opponente, disputaretur, credidissent, dictam Facultatem ab antiqua fide & sententia sua discessisse, & se submisisse damnabili eorum opinioni, qui cuncta Papæ deferunt in Christianitate, sine vlla moderatione. Immo ipse Syndicus criminis læsæ Maiestatis reus fuisset, si cum posset se opponere, nec se opposuisset propositioni tam noxiæ & in religionem ac Rempublicam graui & detrimentosæ; quia silendo, aut dissimulando, flagitiose Romanis prodidisset vnicum ac efficax refugium Libertatem Franciæ, quibus tam fœliciter aliàs quidam nonnulli ex Christianissimis Regibus nostris vsi fuerunt aduersum conatus & attentationes quorundam Paparum, magis hominem sapientium, quam illorum Apostolatui conueniebat.

Vt autem constaret, positionem illam fuisse in certum aliquod Religionis ac Reipublicæ prę iudicium propositam, sequenti die Dominica fuit alia gemina germana ad disputandum prolata, sub præsidio Patris Torresii, respondente quodam Belga, nempe hæc; *Veritates fidei definire solius est Pontificis, qui in hoc errare non potest.* Sed ad stultam propositionem, prompta oppositio. Nam prudentiâ Magistratus factum fuit, vt schola confestim clauderetur, inhibitumque ne dicta propositio disputaretur. Et Ministri Papales, qui causam Domini sui complecti voluerunt, ac in litem deducere, à primariis Optimatibus Regni Consiliariisque Regiis responsum tulerunt, iam ab anni spatio ad tot damnabiles doctrinas, quas, qui partes Romani Pontificis tutantur, animis Francorum instillare atque imprimere moliebantur, dissimulatum esse, vt verēdum sit ne, si eiusmodi conatus in damnum fraudemq; antiquæ nostræ fidei continuarentur, incommodum aliquod inde tam ipsi Papæ, quam nobis enasceretur. Et profectò si hæc propositio fuisset admissa; *Veritates fidei definire solius esse Pontificis, qui in hoc errare non possit*, iam Papa in manu haberet occasionem nos declarandi hæreticos, si ipse solus posset, nobis non vocatis, determinare atque decernere, vt pro vero fidei articulo teneatur, *Papam esse supra Concilium*: id quod Francis vt credant nunquam persuaderi poterit.

Ex omnibus istis, quæ supra memorata sunt, viri prudentes pro haud dubio habent, quin Cōcilium præter hæc diligentius cauturum sit, quam antehac fecit, ne obsint tam immoderatæ prætensiones Romani Pontificis, cum nunc, postquam prudentia dicti Cōcilii Constantiensis vix vni plagæ potuit mederi, indiscreti zelatores & temerarii fautores Papæ Romani longè damnabiliorē & priorem ingerant, quam priores illi. Id quod magno fidei Catholicæ est præiudicio ac detrimento, & mirificè confirmat prætensæ Reformatæ Religioni adhærentes. Quare si quis animo confidente Sanctitati eius exponeret malum, quod ex huiusmodi nouitatibus oriri cœpit, rem faceret & bono Christiano & vero Ecclesiæ filio dignissimam. Etenim permiserabile est videre miseros Catholicos in Francia non minus laborare vt sibi caueant ab insidiis Papæ, qui eorum Pater habetur, quam vt se muniant contra nisus & astutias Hæreticorum, qui eorum sunt inimici.

FINIS.



INDEX

INDEX RERVM, NECNON HISTORIARVM SCITV ET NOTATV

dignissimarum, atque verborum, quæ in hoc OPERE continentur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Perso-

Digitized by Google

Q

R

Digitized by Google


S


Synodo-

Digitized by Google

FINIS.







Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



